


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
G
36

FRANCISCI
DELEBOE, SYLVII,
MED. PRACT. PROFESSORIS,
OPERA MEDICA.

FRANCISCI DELEBOE, SYLVII,

MEDICINÆ PRACTICÆ
In Academia Lugduno-Batava Professoris,

OPERA MEDICA,


HOC EST,

DISPUTATIONUM MEDICARUM DECAS,
METHODI MEDENDI LIBRI DUO,
Ideæ Novæ Praxeos Medicæ Libri Tres, ad eosque Appendix, variaque alia Opuscula.

Accesserunt huic Editioni hactenus inediti

CASUS MEDICINALES
Annorum 1659. 60. & 61. quos ex ore Cl. Sylvii calamo excepit Joachimus Merian, Ph. & M. D. ac Phys. Mœno-Francof. unà cum Remediis Sylvianis; Itemque COLLEGIUM NOSOCOMICUM ab Authore habitum, cum Appendice de Formulis quibusdam Remediorum ad varios affectus ab eodem præscriptis.

CUM DUPLICI INDICE, UNO LIBRORUM ET CAPITUM, Operi præmisso; Altero Rerum ad calcem adjecto.





VENETIIS, MDCCXXXVI.
Ex Typographia Hertziana,
DE SUPERIORUM LICENTIA, & PRIVILEGIO.

TYPOGRAPHUS
LECTORI.



Llustrissimi atque Nobilissimi Francisci De-le-Boë Sylvii, Medici Excellentissimi, atque expertissimi, Opera Medica omnia, quotquot reperire licuit, Tibi, Lector Studiosissime, unico Volumine contenta, sisto. Pars eorum variis jam temporibus, locis & formis edita atque publici juris facta, altera verò è manuscriptis quibusdam quæ in manus venere excepta est. Hîc Authoris laudes atque elogium suscipere minimè est animus, ut nec immorari libet describendis illius in Praxi peritiæ, in Anotomicis solertiæ, in Naturæ mysteriis circa partium functiones retegendis, verisque morborum quibus affliguntur causis eruendis, sagacitati; Siquidem illud aliquatenus effectum est à Clarissimo D. Schradero M. D. in Præfatione quam Libro secundo & tertio Praxeos Medicæ Sylvianæ præmisit. Si haç minimè contentus, genium Authoris intimiùs nosse atque ejusdem dotes eximias perspectiores habere, aves; consulas scripta quibus excelluit, quæque eo ordine disposita exhibeo, quo in maximum tui commodum cedere possint. Id ut cognitum fiat, sic brevibus enarrabo.

Cùm maximè è re fore visum sit, si præmissis Theoreticis practica subsequerentur: Propterea à *Decade Disputationum Medicarum*, cui varia physiologica, varia pathologica inseruntur, quæque variis temporibus edita est, opus aggressus, continuò adjicio *Medendi Methodum*, opus reverâ posthumum atque ab Authore ad finem nondum perductum: Sed quo interim quamplurima continentur quæ ad integram Therapeutices notitiam apprimè faciant.

Illis subjungo *Praxeos Medicæ Ideam Novam*, cujus *Primum Librum*, duplici Indice, uno Rerum, altero Materiæ Medicæ, utroque sanè locupletissimo, ditavit Martinus Carcæus, Authoris discipulus: duo verò subsequentes, ut & *Appendix* ipsis addita, quales D. Schraderi cura primò prodiere apponuntur.

Cùm præterea varia essent Opuscula, variis temporibus ab Authore scripta, illa etiam præcedentibus attexui. Primumque locum dedi *Dictatis ad Casparis Bartholini Institutiones Anatomicas*, quorum meminit Author in Præfatione Disputationum Medicarum.

tur. Secundo loco venit *Oratio Inauguralis de Hominis Cognitione*, habita cùm Medicinæ Practicæ in Academia Lugduno-Batava Professionem auspicaretur. Tertium occupant *Theses De Medicamentis Chymicis*, ab Auctore in Collegio quodam dictatæ. Quartum *Epistola Apologetica Anti-Deusingiana*. Quintum *Oratio de Affectus Epidemii*, Anno 1669. *Leidensem Civitatem depopulantis*, *Causis Naturalibus*, cùm Academiæ Lugduno-Batavæ Rectoratum deponeret, habita. Sextum, *Casus Medicinales sive Historiæ Ægrotorum, quorum curam Auctor Annis 1659. 60. & 61. in Nosocomio Leydensi remediis sibi usualibus & propriis, singularis informationis causa, suscepit*: quas Ægrotorum Historias, eorumque Curam ex ore Cl. Sylvij fideli calamo excepit D. Joachimus Merian, Phil. & Med. Doct., nunc Phys. Mœno-Francofurtensis Patrius Ordinarius, olim verò Authoris Discipulus: qui etiam ad calcem Opusculi describi curavit illa ipsa *Remedia Cl. Auctori familiaria*, nec non quędam alia *extraordinaria* ab Ipso in quodam *Collegio privato* communicata. Septimum tandem locum tenet *Collegium Nosocomicum ab Authore habitum*, & à quopiam è Discipulis, fidissimo Praxeos Nosocomicæ pro tempore comite, exceptum. Quod, ut & præcedentes Casus Medicinales, ideo cæteris attexui, ut præter varios fructus ex eorum lectione reportandos, constaret etiam Praxim Sylvianam omnino cum iis quæ scripsit D. D. De-le-Boe quadrare; contra quod iniquè asserunt nonnulli, scilicet plurima in scriptis istius Authoris legi quæ cum vera & genuina ejusdem medendi methodo minimè conveniant. Addita est prętera ad calcem *Collegii Nosocomici*, *Appendix de Formulis quibusdam Remediorum ad diversos affectus à Clarissimo Sylvio præscriptis*.

Novi quidem alios etiam Tractatus Authori adscriptos Parisiis editos esse: Sed illos annumeratis adjungere ęquum non fuisset, quoniam ab Authore repudiantur, minimèque pro suis agnoscuntur, ut patet ex Admonitione sua ad Lectores & Typographos, primo Praxeos Medicæ libro præfixa.

Ne quid verò deesset, quo tui majori commodo consultum foret, Lector Benevole, singulis paragraphis notas marginales apponi, duosque in totum opus Indices confici curavi, unum Rerum locupletissimum, sub finem adjectum, alterum Librorum & Capitum Operi præmissum.

Vale Lector Benevole, meis Laboribus fruere, persuasumque habeto, utilitate tua & commodo nihil unquam mihi antiquius fore.

INDEX

INDEX LIBRORUM, ET CAPITUM.

Hoc Opere Contentorum.

DISPUTATIONUM MEDICARUM.

DE METHODO MEDENDI. LIBER I.

DE METHODO MEDENDI. LIBER II.

PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA. LIBER I.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA. LIB. II.

PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA, LIBER III.

PRAXEOS MEDICÆ APPENDIX.

TRACTATUS I.

De Morbis Infantium.

B2 TRA-

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

41. de

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

REME.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

REMEDIA SYLVIANA.

REMEDIA EXTRAORDINARIA SYLVIANA.

TRACTATUS VII.

Collegium Nosocomicum; unà cum Appendice, De Formulis quibusdam remediorum ad varios affectus à Sylvio præscriptis.

Formulæ quædam Remediorum ad diversos affectus.

28. Leno

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.



FRAN-

FRANCISCI
DELEBOE, SYLVII,
DISPUTATIONUM
MEDICARUM
DECAS,

Primarias Corporis humani Functiones Naturales, nec non Febrium Naturam, ex Anatomicis, Practicis & Chymicis Experimentis deductas complectens,

EXCELLENTISSIMO, CLARISSIMOQUE

VIRO,

D. ADOLPHO VORSTIO,

Medicinæ atque Botanices in Academia Lugduno-Batava
Professori eximio,

Olim Præceptori suo, nunc Collegæ honorando, Salutem multam dicit

FRANCISCUS DE LE BOE, SYLVIUS.



UOTIES non sine aliqua voluptate studiorum meorum molestias repeto ac mente volvo, toties doctarum, politarumque tuarum, VIR CLARISSIME, Lectionum ante annos triginta ultra biennium continuum à me auditarum memoria animum meum recreat. Quocirca justum putavi Laborum meorum Academicorum primitias Tibi, utpote primo meo in Arte Medica Præceptori, offerre ac dicare; quò à me quoque discant alii Præceptores suos etiam tunc suscipere ac venerari, ubi vel Ipsorum fiunt Collegæ, vel alibi ad æqualem, aut superiorem quandoque honoris gradum promoventur. Tu autem, VIR EXCELLENTISSIME, pro Tua Humanitate hoc levidense munusculum, animi mei grati signum, TIBI gratum esse patere, atque in Vegeta Tua senecta feliciter diu perenna.

Scribebam Lugduni Batavorum Ipsis Calendis Januarii M. DC. LXIII.

LECTO-

C A P U T III.

De pulsibus.

Pulsus est arteriarum contractio & dilatatio.

Plusus, 1. est magnus, quando magno & amplo spatio explicatur arteria, tùm à magna sanguinis rarefactione, tùm ab arteriæ mollitie. Parvus contra se habet.

2. Robustus, quando arteria vi tangentis digitum ferit à copia spirituum animalium vi arteriam contrahentium: debilis contrà.

3. Frequens quando eodem tempore sæpius quam aliàs arteriæ ictus observatur à promptiori sanguinis rarefactione, vel arteriæ duritie, vel acrimonia cor & arteriam vellicante: rarus contrà se habet.

C A P U T IV.

De Crisi.

Crisis est morbi subita mutatio.

Estque, 1. salutaris vel lethalis.

2. Perfecta, quæ morbi materiam ita evacuat, ut recidivæ metus non sit, vel imperfecta contrà se habens.

3. Tuta, ubi nulla adsunt periculosa symptomata, vel periculosa, contrà se habens.

Crisis perfecta fit ordinariò per vias excretioni inservientes, imperfecta, per metastasin, seu materiæ de parte in partem translationem: fitque aliquando externè quandoque internè, quod pejus.

Crises fiunt tantum in morbis acutis qui die 40. terminantur.

P A R S Q U A R T A.

De Hygieina.

De hacce medicinæ partes aliàs dabitur dicendi locus.

P A R S Q U I N T A.

De Therapeutica.

C A P U T RIMUM.



HERAPEOTICA est ea Medicinæ pars, in qua agitur de sanitatis amissæ restitutione, per media naturalia.

Consistit, 1. in methodo medendi.

2. in instrumentis sive mediis.

Methodus medendi est ea ratio, qua, per indicationes, auxilia inveniuntur.

Indicatio est auxilii per rationem demonstratio. Locumque habet solum, ubi morbi causa patet. Si vero eadem lateat, remedium invenientur per experientiam: vel Analogismum, 1. inter affectus, 2. inter remedii materiam, 3. inter membra.

Formatur indicatio ex indicante, quod est agens aliquod sui curationem indicans.

Indicans differt ratione finis, vel consensus, vel dissensus.

Ratione finis, est vel curatorium, vel præservatorium, vel urgens.

Curatorium indicat sui per contraria ablationem.

Præservatorium sui per similia conservationem.

Ratione consensus, vel dissensus indicans est, vel coindicans, vel contra indicans, vel permittens.

Coindicans, idem cum principali indicante indicat.

Contra indicans est, quod contrarium priori indicat.

Permittens est quod, ex duobus indicantibus minus urget.

Indicatum est remedium ab indicante indicatum.

Differt remedium à remedii materia, quod illud simplex est, nempe augendum, minuendum, alterandum, calefaciendum, &c.

Hæc vero multiplex, cum enim calefaciendum est, potest illud fieri cinnamomo, mace, nucibus moschatis, &c.

In ipso remedio, quid & quomodo agendum est considerandum.

1. Quantitas agendi ex indicantis magnitudine patet.

2. Quo morbi tempore, indicantis præsentia & vires indicant.

3. Locus agendi ex indicantia subsistentia.

Materia remedii est Pharmaceutica, Chirurgica, & Diætica.

Materia pharmaceutica propriè medicamentum est illud quod corpus in melius mutat: venenum contra se habet.

Alimentum quod in corporis substantiam aliquam sui partem mutat.

Medicamentum est, vel simplex, vel compositum.

Simplex est quod ab arte nihil admistum habet, & petitur è vegetabilibus, animalibus, & mineralibus.

Vegetabilium nomine omnes plantarum partes veniunt.

Animalium nomine omnes animalium partes medicinæ appropriatæ veniunt.

Mineralia sunt omnia præter plantas è terra desumpta, & sunt metalla & lapides.

Metalla sunt illa mineralia, quę igne fundi & malleo extendi queunt.

Lapides sunt quæ friabilia sunt, & malleo extendi nequeunt.

Suntque salia, bitumina & terræ.

Medicamentum compositum est, plurium simplicium, in unius medicamenti formam per artem redactio.

Medicamenta sunt, vel interna, vel externa.

Interna sunt, vel alterantia, vel evacuantia.

Alterantia humorum vitiosas qualitates mutant, & in statum secundùm naturam reducunt: & in septem classes reducuntur pro septem humorum qualitatibus.

1. Aciditatem alterant, eandem obtundentia & lenientia, ut emulsiones & olea stillatitia, omniaque oleosa & pinguia, ut & opiata, 2. Temperantia, ut spiritus volatilis quivis, 3. Diluentia, ut aquea, 4. Infringentia, ut salia quęvis lixivia, tam fixa quam volatilia.

2. Austeritatem alterant, eadem infringentia, omnia nempe sale volatili oleoso scatentia.

3. Salsedinem alterant, eandem, 1. diluentia aquea, 2. infringentia acida, 3. obtundentia oleosa, & opiata.

4. Volatilitatem alterant, omnia figentia & astringentia, ut omphacium, nitrum, & austera.

5. Visciditatem alterant, 1. incidentia, acida, salsa & aromatica, 2. solventia aquea.

6. Pinguedinem, seu oleositatem alterant, omnia salsa & acida potentiùs.

7. Aquo-

7. Aquofitatem alterant, omnia eam imbibentia arida, ut creta, cornu cervis uftum, &c.

Evacuautia dicuntur aliquid è corpore educentia,

Diftinguotur 1. ratione viarum, & foot, 1. purgantia in fpecie dicta, quæ per alvum, 2.vomitoria, quæ per os & ventriculum, 3. fputatoria. quæ per falivationem. 4. Sudorifica, quæ per poros, 5.Diuretica, quæ per renes & ureteres, 6. Sternutatoria, qnæ per os & nares, 7.hyfterica, quæ per uterom.

2. Diftinguntur ratione materiæ excretæ, & funt Hydragoga quæ aquas; Cholagoga, quæ bilem: Phlemagoga, quæ pituitam: Carminativa, quæ flatus educuot.

Cholagoga funt, Scammonium, Rhabarbarum, Aloe, Caffia, Tamarindi, Manna, &c.

Phlegmagoga foot, Euphorbium, Colocynthis, Turbith, Jalappa, Mechoacana, &c.

Melanagoga funt, Sennæ folia, Polypodium, radices Hellebori nigri, lapis Lazuli, Armenius &c.

Hydragoga font, Efula, Gratiola, femeo, fuccus, cortex Ebuli, Elaterium, Sal Lunæ, &c.

Vomitoria, bilem, pituitam, vel utramque educunt: Et funt vel naturalia, ut Oleum, Butyrum, lac & aqua tepida, &c. vel artificialia bilem educentia, & font omnia Antimonialia: pituitam educentia funt Mercurialia, folia Afari, rafuræ unguium hominis.

Medicamenta externa funt varia.

1. Emollientia, quæ tomores duros molliores reddunt, ut omnia mucilaginea, Axongiæ, &c.

2. Refolventia, quæ materiam tumorum attenuant, ut omnia aromata.

3. Suppurantia, quæ fanguioem in pus vertunt, ut omoia emollientia.

4. Detergentia, quæ humores craffos vulneribus u'ceribufque adhærentes attenuant, & educunt, ut acria falfa.

5. Sarcotica, quæ confumptam carnem reftitunot, ut omnia balfamica.

6. Epulotica, quæ cutem ablatam regeaerant, ut omnia ficca arida & leotè aftringeotia.

7. Veficatoria, quæ veficolam in cute excitant, humoremque aquofum edutunt, ut Cantharides.

8. Cauftica funt, quæ cutem cum nigredine exulcerant, funtque vel actualia, ut ferrum candens; vel potentialia, ut falia quævis lixivialia fiaa.

Finis. Inftitutionum.

FRAN-

FRANCISCI
DELEBOE, SYLVII,
DISPUTATIONUM
MEDICARUM
DECAS,

Primarias Corporis humani Functiones Naturales, nec non Febrium Naturam, ex Anatomicis, Practicis & Chymicis Experimentis deductas complectens.

EXCELLENTISSIMO, CLARISSIMOQUE

VIRO,

D. ADOLPHO VORSTIO,

Medicinæ atque Botanices in Academia Lugduno-Batava Professori eximio,

Olim Præceptori suo, nunc Collegæ honorando, Salutem multam dicit

FRANCISCUS DELEBOE, SYLVIUS.



UOTIES non sine aliqua voluptate studiorum meorum molestias repeto ac mente volvo, toties doctarum, politarumque tuarum, VIR CLARISSIMÆ, Lectionum ante annos triginta ultra biennium continuum à me auditarum memoria animum meum recreat. Quocirca justum putavi Laborum meorum Academicorum primitias Tibi, utpote primo meo in Arte Medica Præceptori, offerre ac dicare; quò à me quoque discant alii Præceptores suos etiam tunc suscipere ac venerari, ubi vel Ipsorum fiunt Collegæ, vel alibi ad æqualem, aut superiorem quandoque honoris gradum promoventur. Tu autem, VIR EXCELLENTISSIME, pro Tua Humanitate hoc levidense munusculum, animi mei grati signum, TIBI gratum esse patere, atque in Vegeta Tua senecta feliciter diu perenna.

Scribebam Lugduni Batavorum Ipsis Calendis Ianuarii M. DC. LXIII.

LECTO-

L E C T O R I

Veri & Boni, adeòque æqui Studioſo Salutem precatur

F R A N C I S C U S
DELEBOE, SYLVIUS.

I. NON ut placeam, ſed ut proſim; nec proinde, cui laudem mereri laudis abundè eſt, ut emendicatis amicorum, aliorumve encomiis lauder, has ſcripſi Diſputationes Medicas; ſed ut Cogitationes meas longo rerum uſu formatas, nunc verò, dum docendi munere fungor, viva voce pluribus à me deductas, nec uno tempore hauſtas in compendio ſpectare, atque accuratiùs obſervare poſſint mei Auditores.

II. Poſtquam verò ſupra meam expectationem non defuerunt hìc & alibi Viri in Arte noſtra excellentes, qui conatus meos ſua lectione ac trutina dignos cenſuerint, factum eſt ut brevi diſtracta fuerint exemplaria more Academico non ita magno numero edi ſolita: Quæ cùm etiam nunc majore fervore à pluribus expetantur; æquum judicavi æquæ Bonorum petitionis ſatisfacere, atque hanc Diſputationum mearum Decadem denuò per prælum publici juris facere; quò ab omnibus examinari, ac ſi quid veri & utilis continere deprehendantur, inſervire queant ſingulis.

III. Audio quidem non placere omnibus meum *Dubitandi*, *Suſpicandi*, & cunctanter *Opinandi* magis, quàm, feſtinanter de quibuſvis *Decernendi* morem; ac ſi infra Profeſſoriam dignitatem foret ſuam in rebus arduis Sententiam ſuſpendere, nec mox de incompertis æquè, ac de compertis notiſque, Dictatoriè pronuntiare.

IV. Quamvis autem non me fugiat multùm promovere ambitioſam Docentis exiſtimationem; ſi *Pythagoræ* ad inſtar Diſcipulos & Auditores habeat credulos & paſſim ſerviliter dicentes *αὐτὸς ἔφα*; in quorum proinde mentibus, tanquam in tabula raſa quævis pro libitu, & Hiſtorica fide avidè arripienda, & mordicùs poſteà contra quoſvis defendenda inſcribat: præfero tamen *Ciceronis* ingenuitatem, qui lib. 1. de Nat. Deor. indignè fert eos, *qui* tantùm *requirunt*, *quid quaque de re ipſe ſentiat*, addens, *illos curioſiùs id facere*, *quàm neceſſe eſt*: *non enim*, pergit, *tam authoritatis in diſputando, quàm rationis momenta quærenda ſunt. Quinetiam obeſt plerumque iis, qui diſcere volunt, authoritas eorum, qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec verò*, urget Orator & Philoſophus, *probare ſoleo id, quod de Pythagoricis accepimus; quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex iis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, IPSE dixit. IPSE autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret authoritas.*

V. Abſit proinde, ut ego, qui ſortis meæ humanæ ac tenuitatis probè mihi ſum conſcius, & Divinæ in veritate duntaxat conſiſtenti gloriæ, publicoque Mortalium bono labores meos unicè conſecravi, in Deum deprehendar injurius, aut in Proximum iniquus; abſit, ut apud Thyrones ac rerum plerarumque adhuc inſcios, meæ tamen fidei & informationi concreditos; videri velim ſcire, quod neſcio; abſit, ut mea culpa pro veris accipiantur ab incautis, quæ vix habeo ipſe pro veri ſimilibus; abſit, ut quacunque demum ratione latentis veritatis manifeſtationem, aut Reipublicæ promotionem impediam.

VI. Non ſum interim neſcius, quin potiùs valde doleo, plurimos reperiri, qui poſtquam publicè docendi facultatem obtinuerunt, ac ſi Dictatoriam, Cenſoriamque poteſtatem ſimul eſſent nacti, de quibuſvis, quamvis ſæpenumero non minùs imperitè, quàm inſcitè, vociferentur, & clamoſa ſua deblateratione famam ſibi apud rerum ignaros & rudes comparare; Adverſariis verò meticuloſis terrorem incutere, ac ſilentium imperare ſatagant; qui, quoties nil veri, utiliſve ex ſuo penario aut de ſuo promere norunt, toties in alienis, etiam optimis, carpendis ac per calumnias ſubvertendis operam ſuam & induſtriam collocent omnem.

VII. Quòd ſi Principum & Magnatum edicto ſevero teneretur quivis ſua vel ore prolata, vel ſcripto propagata dogmata, vel de alienis lata judicia ſolidis argumentis probare, aut quævis contumelioſè aliis adſcripta demonſtrare, bone Deus! quàm multi pudore confunderentur Thraſones glorioſi! quàm multi ad perpetuum ſilentium redigerentur Declamatores ſuperbi!

VIII. Quoniam verò nec Legibus, nec Moribus strictè observatis satis cautum est adversùs tales Reipublicæ pestes omniumque Disciplinarum bonarum vastatores, in audacia sua & protervia pergunt, sæviunt & furunt magis, magisque. Adeò ut vix aliud superesse videatur Viris bonis & cordatis contra perniciosorum istorum & quosvis aggredientium hominum latratus remedium, quàm strenuè ipsis sese opponere, atque omnium oculis malè feriatorum & improborum technas exponere ac confutare.

IX. Hæ multorum artes iniquæ cùm non essent mihi planè ignotæ, ne crabrones irritarem, cavi sedulò, ne ulli sua confutando injuriam fecisse viderer: quapropter Dissentientium, quin & Adversariorum quoque nomina vt plurimùm reticui, nec facilè aliquem, nisi cum debita ipsi laude condecoratum citavi; uti subsequentes Disputationes legenti patebit & constabit abundè.

X. Non potui tamen qualicunque adhibita cautela Clariss. Viri, *D. Antonii Deusingii*, Professoris Groningensis, hominis in fictos licet, factosve ex falsa suspicione Adversarios acerbissimi Censoriam vitare virgulam.

XI. Utique satis mirari nequeo, quo jure putet hic homo impunè licere sibi quemvis Epistolatum à *Blottesandeo*, nescio quo, contra se, suasque Opera editarum Auctorem, Fautoremve suspicari, ac eundem mox pro Authoritate sua, quæ nulla est, scriptis publicis, aut literis privatis eo nomine cum indignationis suæ minatione, tanquam supremus omnium in Tribunali sedens Princeps, vel potius Tyrannus, ad Cordis sui secreta ipsi extemplo pandenda citare, atque sic cognitorum sibi confessionem à quocuoque temerè à se accusato exigere, ac tantùm non extorquere, atque tunc pro lubitu aut à præcedenti calumnia gratiosè liberare, aut nova indignè gravare.

XII. Postquam verò hunc & illum sibi suspectum insolenti hac methodo, licèt irrito simul conatu, ad examen vocavit, placuit novo Censori perversa suspicione agitato nunc in me quoque insurgere, atque calumniis insuper nomen meum & famam inquinare.

XIII. Homini autem huic animi impotentissimi non referam quidem par pari; quin sufficiet impræsentiarum mihi famam meam & Innocentiam venenatis maledicentiæ ipsius aculeis liberatam vidicare, atque sic pernecessariæ ipsi resipiscentiæ ac pœnitentiæ (quam *Blotte sandeo* & sociis ad ravim cum annexis conviciorum plaustris toties ubique inculcat) si bonus & probus imposterum audire cupit, occasionem ipsi salutarem præbere.

XIV. Libelli ergo sui, cui *Disquisitionis ulterioris de Chyli Motu atque Officio Hepatis* nomen dedit, pag. 307. accusat me 1. *Bilsianæ hæreseos strenuum hostem*; quæ jejuna est Calumnia. Falsum enim est, me ullius hæreseos vel opinionis esse hostem; quippe qui nemini sum infensus, vel infestus, quamvis longissimè abeat à mea sententia. Cui accedit, quòd non pauca sint, de quibus idem sentio cum *D. Bilsio*; quædam etiam, in quibus citra ullum inimicitiam vel contumeliam dissentio ab ipso, quemadmodum videre est ex subjuncta Dispnt. 8. quædam denique, de quibus adhucdum meum suspendo judicium. Demonstret Igitur *D. Deusingius*, ubinam hostilem meum contra *Bilsianam* hæresim vel opinionem testatus sim animum, ni malit patere cunctis suam ad Calumniandum propensionem, continuis fucatæ synceritatis contestationibus, tanquam larva, tectam.

XV. Mox pag. 308. in vana criminatione sua pergens ait 2. *me invidia personæ D. Bilsii agi*. Quod itidem falsissimum est ac injuriosum. Id donec probaverit (probabit autem nunquam) ant se saltem ritè purgaverit, pro Calumniatore *D. Deusingium* habebo; qui per Dei gratiam mea sorte contentus nemini sua invideo animi, corporisve dona, nemini sua fortunæ bona, nemini suas virtutes vel artes; plenè scilicet persuasus, quicquid habet quivis homo, id non casu vel fortuitò ipsi obvenisse, sed à Dei quævis pro sapientia sua nobis homuncionibus imperscrutabili & arbitrio liberrimo mirabiliter dispensantis nutu cuivis contigisse. In Dei proinde Sapientiam & Bonitatem injurius graviter peccat invidus homo; qualis an non sit *D. Deusingius* ipse, judicet ipsius Conscientia.

XVI. Censet ibidem 3. *D. Deusingius, me veritatis amore minùs agi*. Sed unde hoc ipsi notum? Quonam indicio hoc ipsi patuit? An unquam illi me falsi argueoti non auscultavi? An per fas & nefas semel à me dicta sum tuitus? Hanc quoque Calumniam esse novit Renum scrutator & vindex Deus, cui proinde hanc meam commendo causam.

XVII. Concludit tandem 4. Morum quoque Magister *D. Deusingius, Animi* ***[illegible] meliori rationi nebulam in me efficere*; scribere voluit, opinor, offundere. At ubi hoc unquam in me, scriptisve meis observarit, ostendat, si tam lynceus existat hic Censor. Illud in ipso potiùs habuisse, & adhuc habere locum testantur ejus opera tot criminationibus & convicijs referta, an conspurcata. Ab animo certè rationi solidæ parente & compositos affectus habente talia procedere nequeunt, verùm ab animo irrequieto, ac vehementium pathematum, Superbiæ præsertim ac Iræ immoderatæ, imperaotisque (quam idcircò ad Furoris species meritò revocarunt) turbine ac procellosis nebulis agitato, turbato, occæcatoque.

XVIII. Alibi *Resurrectionis* putà *Hepatis assertæ* p. 48. more suo agens *D. Deusingius*, fingit *Cordatos Viros mirari, me indignè tulisse, quod Meibomius de Bilsii dexteritate verum esset professus*. Ubi tergeminam observo calumniam. Nam 1. à vero alienum est, me indignè tulisse, quicquid tandem de *D. Bilsio* testatus est *D. Meibomius*. Absit autem, ut unquam feram indignè, si aliquis profiteatur quod est verum!

XIX. Cui adde, quòd 2. non minùs vanum sit, quàm falsum asserere *indignè me tulisse laudatam*, non dicam à *D. Meibomio* tantùm, sed à quovis alio *D. Bilsii dexteritatem*, quippe quam ipse laudavi, dum ipsum non tantùm Anatomicum, sed *Industrium Anatomicum* jam ante biennium ferè celebravi *Disp. 8. Th. 14.* Quis autem, cui sanum est synciput, credat te indignè laturum id in aliquo laudari ab aliis, quod laudaveris ipse?

XX. Sed

XX. Sed 3. producat in medium *D. Deusingius Viros illos Cordatos* talia figmènta & chimærica suspiciosorum hominum commenta vel somnia mirantes. Neque enim puto ullum Virum Cordatum, Candidum saltem ac Probum, tale quid de me crediturum, hinc & miraturum, si me noverit. Quòd si me non noverit, Prudentis erit & Candidi, donec de rei veritate ipsi plenè constet, suum judicium & admirationem tantispendere, nec quid temerè in re sibi incomperta in alienæ præsertim famæ detrimentum decernere. Pro spectris proinde ac Puerorum terriculamentis habebimus personatos illos & sub Cordatorum larva duntaxat spectabiles *D. Deusingii* Testes, donec ipsos nominaverit, atque sic hac se calumnia extraxerit.

XXI. Verùm enim verò, ut omnibus procedere soleat cum Adversariis suis *D. Deusingius*, cogor hic 4. epimetri loco addere *D. Meibomium* ægerrimè tulisse, ac sponte sua pluribus, ipsoque adeò Cl. *D. Borrichio*, præsentibus, apud me nihil minùs cogitantem conquestum fuisse, quòd *D. Deusingius* literarum suarum ad Cl. *D. Eyssonium* scriptarum hinc inde ita truncatam ediderit partem, ut in multis alienus affingatur dictis suis sensus, quo non tantùm ad cœlos extolleretur *D. Bilsius*; quod ferri posset; sed eo ipso ad tartara detruderentur Viri boni & Reipublicæ, quàm *D. Bilsius*, magis utiles; quod minimè ferendum. Quapropter ante suum in Italiam discessum tradidit mihi manu sua ex literis suis excerptum, quò, si res aliquando ita postularet, tolli posset omnis de sua scriptione dubitatio ac disceptatio. Annectam igitur cuncta verbo tenus ex ipsius autographo, ubi priùs monuero, ea, quæ diverso leguntur charactere, mala fide fuisse omissa à *D. Deusingio*.

XXII. *Quæ nuper de* D. Bilsio *scripsi, ea nunc cum auctario repetere animus est, siquidem oculato Testi major habetur fides. Adfui ipsi cum Germano quodam, vidimusque eius apparatum omnem. Nec fortè quisquam ipsius dexteritatem in secando posset imminuere;* nisi ipse nimiæ ostentationis culpa suas laudes detereret. *Præter enim Balsamum in ipsis cadaveribus plurima ejus artificem manum loquuntur. Ipsam Cuticulam separatim nobis exhibuit: venarumque & arteriorum ductus non sine iucunditate spectare licuit. Denique etiam partim precibus, partim honesta fraude (neque enim Studiosos, sed Aulicos nos venditabamus) id impertavimus, ut vivum canem nobis præsentibus fecerit. Ibi quidem magna dexteritate, uno ictu & abdomen & pectus discidit, ad sinistram cultro paulùm declinans, paucissimo sanguine effuso, Ductumque Thoracicum ostendit: sed* nihil *præterea*. Interim verò intolerabilis nobis fastus ipsius fuit: adeò enim in omnes Anatomicos debacchabatur, ut, cùm ad Renes pervenisset, illos à multis Professoribus in Academiis ne inveniri quidem posse diceret, &c.

XXIII. Intolerabilis meritò videtur Viris bonis & gravibus *D. Bilsii* fastus, quoniam cum injurioso & contumelioso egregiorum & ipsi quoad industriam, dexteritatemque planè ignotorum Anatomicorum contemptu passim conjunctus. Quamvis autem apud sectionis peritos fidem non inveniat vana ipsius, de quibusdam per iteratam toties non unius, sed variorum experientiam pessundatis gloriatio; ab Imperitis tamen (quorum numerus longè major) semper aliquid creditur jactantiæ, aliquid calumniæ. Quibus pondus addidit quorundam aut sibi impensiùs addictorum, aut cæterorum Anatomicorum uni, vel pluribus infensorum Medicorum, Professorumve laudatio immodica hominem jam per se nimis tumidum ita inflans, ut metus sit, ne brevi crepet. Enimverò quoties aliquis secreto naturæ suæ instinctu citra magistrum aliquod aggreditur studium, Artemve liberalem, atque aliquid egregium in ipso præstat, illum magis admirari & laudare solemus, quàm si ad summum in Arte fastigium pervenerit alius ab Artifice informatus ac eruditus. Aliquid verò talis *D. Bilsio* accidit forsan, cujus in studio Anatomico fervorem, solertiam, dexteritatemque uti Anatomicorum nemo non laudat, ita ejusdem fastum & in alios pueriliter insurgentis petulantiam rident, quotquot manum unquam operi admoverunt, & suis magis, quam alienis oculis & manibus fidere didicerunt. Notant enim ipsum audere tum alienæ industriæ ignarum, quin & contemptorem affirmare quidem, non item demonstrare nonnulla consimilibus plurium contraria, tum suæ tenuitatis non satis conscium pronunciare de rebus angustos mentis suæ cancellos transcendentibus. Uno verbo, laudant omnes Anatomici solertiam & dexteritatem *D. Bilsii*, culpant ejusdem fastum & maledicentiam.

XXIV. Ego certè, qui non sum professione Anatomicus, aliquando tamen veritatis eruendæ ergò & viva bruta, & humana dissecui cadavera, necdum possum coniicere, quo nomine ita superbiat & Anatomicis insultet *D. Bilsius*, à quo hactenus nihil novi prolatum observo quod, utilitatem aliquam conferat Arti Medicæ aut faciliùs docendæ, addiscendæve, aut feliciùs exercendæ. Sunt enim magis ad sui ostentationem, quàm usum communem composita ipsius opera. Quicquid verò de *Ductu* sibi *Rorifero* dicto, & *Rore*, ejusque usu contra cæteros omnes asserit, probatione indigat; cujus loco contumeliosè invehitur in dissentientes, nec sibi mox assurgentes ac plaudentes.

XXV. Sed revertamur ad *D. Deusingium*, qui ne quid intactum relinqueret, quo se mihi nociturum sperabat, voluit pag. 47. *Pæana cecinisse Bilsio Blotte sandæi Slegelium, quòd provocasset, sed frustrà, in vicinia licet, summos Anatomicos D. D. Sylvium & ab Horne, &c.* Qua exprobratione invidiosa nolentem volentem cogit me illa in medium proferre, quæ mallem suppressa, sunt enim puerilia. Quisquis enim *D. Bilsii* provocationem legit, ac cum judicio expendit, mox quàm ridicula sit, facilè agnoscit; imprimis ubi ad singulas circumstantias attendit. In Lectorum proinde à nobis remotiorum gatiam totum negotium paucis, quemadmodum gestum est, enarrabo.

XXVI. Descripserat & figura expresserat *D. Bilsius* contortum, variisque gyris in se redeuntem volvulum in Ductu Thoracico circa suam in jugularem venam insertionem. Hunc sæpius à se frustra quæsitum in dubium vocavit *D. van Horne*, optavitque sibi manus mox daturo & gratias ideò

acturo illum à D. *Bilsio* monstrari. Inquem finem parati erant aliquot Medici Leidenses unà nobiscum Roterodamum tendere; permoveram enim præsens ad illam demonstrationem *D. Bilsium*. Quoniam verò mihi fortè tunc erant Ægri quotidie semel saltem visitandi, per literas ad *D. Riickvvardum* scriptas rogavi *D. Bilsium*, uti hora quarta matutina hinc discedentes, ac circa decimam Roterodamum appellentes paratos offenderemus dissectioni ac demonstrationi canes; quò his absolutis liceret nobis eodem die domum reversis periculosè decumbentes ægros invisere. Reposuit *D. Bilsius* non posse administrari sectionem, nisi hora secunda pomeridiana, qua demum liceret quibusdam ex Magistratu illi interesse, ut & Medicis tempore antemeridiano ægrorum suorum visitatione occupatis; addita insuper nova conditione, ut *D. van Horne* ibidem alium secaret canem, in quo, si quam moveret controversiam, *Bilsianorum* placitorum contrarium ostenderet. Responsum est autem à *D. van Horne*, se non Actorem, at Spectatorem vocatum esse; paratum tamen cuivis optanti & ad se Lugdunum venturo demonstrare, quæ alicubi essent à se asserta. Cæterùm ad spectandum ea, quæ patefacturus esset *D. Bilsius*, non requiri Magistratus præsentiam. Iniquum denique videbatur nobis Medicos Roterodamenses, si quibus liberet sectioni interesse, non vella aut ridiculum, non posse ante horam decimam præsuisse ægris suis graviùs decumbentibus, postquam necesse habebant Leidenses toto ferè die à suis abesse. His ergò remoris irritus factus est meus & *D. Riickvvardi* conatus, ad reconciliandum cum *D. van Horne* alienatum *D. Bilsii* animum susceptus. Provocavit quidem postmodum Thrasonicè *D. van Horne* ad mutuam sectionem *D. Bilsius*, eandem cupiens semper coram hujus vel illius Urbis Magistratu tanquam judice administratam; monitus forsan ab aliis, cùm non subsint, non se submittere in controversiis plerisque, Academicis præsertim, quales sunt Anatomicæ, hujus Universitatis Professores Arbitris vel Judicibus Urbanis, sed duntaxat vel Academicis, & quidem rei agitatæ gnaris, vel Utriusque Curiæ Senatoribus. Ex qua simplici actorum (quæ utriusque partis literis apud me servatis omni tempore probare potero) narratione facilè patere potest unicuique, quid de clamosa *D. Bilsii* provocatione & inani gloratione in *D. van Horne* ac meum opprobrium à *D. Deusingio* mota debeat statui. Adde quòd numquam Dissentientium partium uni, nedum rudiori, altera inaudita vel reluctante licet aut Statum quæstionis, aut Arbitros, aut Conditiones pro lubitu constituere & alteri obtrudere, ac tandem omnibus, vel quibusdam meritò repudiatis, tanquam re probè gesta, triumphum imaginarium & pæana sibi canere ante ullam vel pugnam initam, vel victoriam de Adversariis reportatam; quod *D. Bilsius* fecit, & à *Slegelio* in ejus gratiam & nostrum dedecus similiter factam optavit *D. Deusingius*.

XXVII. Sed quærat aliquis, quænam tandem esse potest tantæ *D. Deusingii* in *D. van Horne & Sylvium* iracundiæ acerbitatisque causa, quænam occasio? Nam eadem pag. 47. testatur *se ipsos veneratum esse semper, nec ullam ipsis unquam à se priùs datam occasionem, ob quam justè sibi potuerunt irasci*. At ni probarit me hactenus ipsum offendisse (probabit autem ad Calendas Græcas) quæ nunc ex ipsius Tractatulis contra me dicta protuli, falsitatis eum arguunt & mendacii.

XXVIII. Si quis tamen desideret tantæ in *D. Deusingio* protervitatis causam veram cognoscere, inspiciat pag. 48. & mox tolletur ipsi hoc dubium. *Si velint* (*D. van Horne* putà & *Sylvius*) *extra suspicionem manere apud Viros Eruditos* (*ut eos ipse vellem honestiores haberi, quàm ut conscii fuerint*) *ostendant saltem vel publicè, vel privatim sibi displicere id genus scriptionis per libellos famosos, quod ipsorum itidem causa, ut suspicio multis, at sine mea culpa, in me, meaque a Nebulonibus prodiit, &c.*

XXIX. Has suspiciones ac criminationes ineptas priusquam solvam, rogo D *Deusingium*, ut 1. nominet mihi *Eruditos* illos Viros, qui suspicantur me *conscium* Epistolarum, quæ in ipsum prodierunt, nisi subtectis Eruditorum Virorum nominibus latitans velit cognosci Calumniatur suspiciosus. Proferat saltem 2. suspicionis istius rationes ullas probabiles. Ego certè nullam possum comminisci; neque enim ulla mihi fuit unquam cum *D. Deusingio* simultas, nulla de ipsius decretis (quæ ut hactenus ignoro, sic adhuc vel ideò magis ignorare volo) controversia; ut non videam, quorsum ipsi lubeat *in mei gratiam* conscriptas toties decantatas Epistolas. Ipsius præterea dignitatibus, honoribus, commodis, famæ &c. nec invideo, nec inhio; paucis nimirùm, quæ per Dei benedictionem ac benignitatem possideo, quinimò paucioribus, si Divinæ providentiæ ita videatur, contentus vivere doctus. Adeò ut hariolari nequeam, quænam hominem illum in me nihil contra ipsum patrantem, nihil molientem, nihil forsan potentem concitarint & agitarint Furiæ.

XXX. Unum adhuc addo & desino, si hæc Viro Deum purè timente atque proximum ritè diligente dedecora mentem *D. Deusingij* occupaverit suspicio mala, quidni per literas, quemadmodum alios, sic & me quoque hanc ob rem solicitavit & rogavit? Habuisset profectò ex tempore responsum, quod animam ipsius tam iniquo liberasset præjudicio & odio. Quòd si infra suam dignitatem fore censuisset, si prior ad me Novitium literas scriberet Professor Veteranus, poterat idem per literas toties, ad Cl. *D. Vorstium*, utriusque nostrum olim Præceptorem, & nunc quoque Amicum, ac mihi Collegam honorandum scriptas idem sciscitari, atque responsum commodum expectare. Sed libuit homini Cordato, pugnaci & rixoso animum meum & vires scripto publico & acri experiri, quin ad retundendos publicè virulentos scripti sui mordacis aculeos, ni Probi nomine indignus, vel Timidus & Socors haberi velim, irritare accogere.

XXXI. Quamvis autem propter agendi modum planè illiberalem à *D. Deusingio* observatum eundem minimè dignum judicem, cui cordis mei penetralia aperiam; ne tamen tacendo consentire videar; meque apud Viros veri ac æqui amantes suspectum reddant pessimæ *D. Deusingiis* artes, quin potius constet universis innocenti mihi ac immerenti structas esse ab ipso insidias & technas, expediam & solvam uno ictu ex suspicione falsa connexum, & simulatæ pro-

bitatis

bitatis larva implicatum, putidarum denique calumniarum felle inquinatum; ac omninò detestabilem nodum. Testor proinde hìc publicè Conscientiam meam, ipsiusque conscium Deum, me Epistolarum à *Blottesandeo* contra *D. Deusingium* editarum nec Authorem, nec Socium fuisse, sed ne quidem ipsum nosse. Non puto tamen, si vel unum vel plures illarum suspicer Authores, teneri me illos hic *D. Deusingio* indicare aut nominare, atque in immeritos forsan (omnis namque suspicio fallax est ac dubia) odium ipsius, iram, clamores, convicia & nescio quæ non excitare.

XXXII. Dilutis hactenus vanis *D. Deusingii* Suspicionibus atque Calumniis, nescio an operæ pretium sit ejusdem minùs æquam vel aptam de propositis à me *Bilis Motu*, *Ortu & Usu* censuram refellere: cùm illa quæ adversùs mea movet, satis arguant ipsum aut mea non legisse, aut præ nimia festinatione non expendisse, aut affectu præpostero abreptum non percepisse; ne dicam ipsum, si, quod inaudio, Chymica ignorat, pleraque mea non satis intelligere, nec proinde censere potuisse.

XXXIII. Quòd si unius, pluriumve rerum cognitione ac doctrina se cæteris sui coævis præstare putat *D. Deusingius*; quidni sua vel inventa per experientiam multifariam, vel excogitata per ratiocinationem solicitam, si quæ habet Reipubl. utilia, intactis, inconcussis, irreprehensisque alienis, more Mathematicorum (cùm præsertim inter illos & ipse numeretur) rationum urgentium, & catenatarum robore ac evidentia ita adornata Literatorum Orbi proponit, ut Ipsorum assensum firmissimè cogant, meritasque suæ diligentiæ aut industriæ laudes vi blanda quibusvis exprimant.

XXXIV. Interim mea, & aliorum forsan interesse quis credat, aliquid saltem à me *D. Deusingio* hic reponi; ne, si planè sileam, tumidior factus de Triumpho brevi habendo consilia ineat. Risum profectò tenere non potui, Oratorem ipsum quoque pag. *313.* observavi, atque ibidem argumenta Herculea & tanto Philosopho-Medico planè digna legi, quibus miserabiliter Cl. *D. Bartholino* persuadere conatur, *ne conjecturis meis incertis animum denuò involvat, & Nova in Arte Principia citra sensum, ac fortè meliorem rationem* prolata *admittat*. (Sic unico bruti fulminis ictu cadunt, corruunt, prosternuntur & proteruntur mea dicta omnia!) quin potius, vel sui saltem, Amici nempe cordati & candidi, commiseratione motus *largiatur sibi motum Chyli ad Hepar, ipsique Hepati subsidiariam aliquam opem inservientem Cordi, pro sanguinis præparatione, &c.* atque quamprimùm ad desertam, desperatamque aliàs *Veterum de Hepatis ac Bilis Usu* opinionem tam disertè ac nervosè à se hic assertam denuò accedat; in gratiam scilicet, vel se intercessore cum Adversariis mox restituendus. Hæc tam gloriosi Debellatoris argumenta verbosa recitasse an non est simul abundè ipsa refutasse?

XXXV. Ejusdem planè roboris & naturæ argumentum est, quo pag. *307.* in me irritare satagit eundem *D. Bartholinum*, quòd temerarius *audeam ab ipso (utpote me non minùs exercitato Anatomico) atque à recepta omnium ferè Anatomicorum sententia dissentire:* Licet tamen vel Tyroni Anatomico, ubi aliquid ab Artis Magistris non visum, vel notatum priùs inter secandum observat, idem ulteriùs & accuratiùs investigare, ac quicquid aut externo sensu percepit, aut mentis acumine inde deduxit, in commune bonum aliis communicare. Id quoties citra aliorum contumeliam & ignorantiæ exprobrationem contingit, laudi cedit Inventori, quemadmodum contrà dedecori, quoties invento suo pueriliter turgens Thrasonicè insultat Prædecessoribus suis, se non semper ideo minùs oculatis, aut dextris, aut ingeniosis, sed fortè minùs fortunatis. Casus enim, ne quis fallatur, longè plura nobis aperit & pandit in rebus Anatomicis, & forsan Naturalibus omnibus, quàm obscura & latitantia investigans & conjectans mentis oculus, quo tamen simul ut endum nemo negat.

XXXVI. Sed imprimis lepida sunt & faceta, quæ mox elicit ex nostro dissensu Consectaria, dum eadem p. *307.* inde arguit: 1. *Non semper in re Anatomica solo Sensuum testimonio niti Anatomicos;* quin 2. *fallax esse judicium Sensuum ni Ratione sublevetur;* denique 3. *Nostrum alterutrum circa Bilis saltem secretionem ac motum suo Sensuum judicio falli ac decipi.*

XXXVII. Verùm sponte quidem sua & mole propria corruunt hæc argumenta plumbea; quod in Tyronum tamen gratiam ostendendum. Et 1. quidem Anatomicorum nemo docuit unquam, quod sciam, solo Sensuum externorum testimonio nitendum in re Anatomica & partium Usu vero eliciendo; licet omnem Conclusionum suarum à Sensu petant certitudinem.

XXXVIII. Quomodo autem 2. Ratione sublevari possit Sensuum judicium, ne fallax sit, non assequor; qui minimè fallax, sed certum, indubitatumque puto Sensuum externorum cum requisitis unicuique conditionibus omnibus agentium testimonium; cui præterea confirmando, sublevandove tantum abest, ut aliquid conferre possit Ratio, ut illa ipsa omne suum in rebus Sensibilibus ritè cognoscendis ac dijudicandis à Sensu externo mutuetur & accipiat robur & firmamentum.

XXXIX. Nostrum verò neuter 3. Bilis aut Secretionem, aut Motum Sensu se observasse dixit; unde planè ridiculum est arbitrari nostrum alterutrum hìc Sensuum judicio falsum aut deceptum. Enim verò, ut Canes nimiùm festinando creduntur cæcos parere catulos, sic quotquot temerè in quovis negotio præmaturum interponunt non vocati judicium, reverà deprehenduntur sæpissimè cum *D. Deusingio* hallucinari.

XL. Quorsum pag. *336.* asseveret *D. Deusingius, me præ aliis elegisse Helmontij* vel *Backij*, vel *suam* pag. *306.* cum cæteris citatam *de Bile* opinionem, nisi ut tacitè Furti & ingrati animi me insimulet, non video; præsertim, ubi similes ab ipso criminationes alibi in hos aut illos vibratas expendo. Faxo tamen, ne hoc ipsi succedat ex voto. Equidem ultrò fateor etiam nunc ignorare me, qui rebus ipsis Naturalibus continuatis multis annis & accuratis pro virili Experientiis, hancque comitante Ratiocinatione anxia ritè cognoscendis; non item diversissimis Auctorum singulorum de re quavis Opinionibus, pro lubitu nonnunquam vel ambitione fictis colligendis, seligendis, vellicandisve tempus meum & operam impendi, & indies adhuc impendo: Fateor, inquam, ignorare me, an aliquis ante me similes meis protulerit de *Bilis Generatione*, *Motu & Usu* cogitationes.

Hoc si factum quis probaverit, eo ipso à me Novatoris removebit calumniam. Id saltem certum, me à commemoratorum modò Auctorum trium nemine opinionem meam esse mutuatum; quippe qui eandem ante annos duos & viginti jam fovi, & in Collegio Anatomico viginti Auditoribus in hac Academia dictatam publici juris tunc feci. *Helmontii* verò, ut & *Backii* scripta septem post annis demùm, anno quippe 1648. lucem viderunt.

XLI. Non dicam hic, ut retaliem, *D. Deusingium* ex Dictatis meis ab Auditorum meorum aut hæredum aliquo sibi quomodocunque tandem comparatis (quod à bona, meliore, optimave ratione non puto alienum) hausisse forsan, & nunc ingratum, quin & insuper injurium dissimulasse illa, quæ toto adhuc decennio seriùs, anno putà 1658. de *Bile Chylo & Sanguini condiendis admiscenda, in Idea Inst. Medic. Physiolog. cap. 6. §. 9.* tam *disertè* contra ea, quæ alibi aliter docuit, *inculcavit; ut adeò*, dum indesinenter fluctuantis suæ mentis opera commentitia, & nullo Sensu externo, nulla proinde Ratione solida firmata

Destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis,

Dubium se hìc profiteatur (sic de se testatur ipse pag. 307.) sibique similem, hoc est, ob incertitudinem quovis nutantem.

XLII. Plura quidem haberem adhuc dicenda, sed non decet, Candide Lector, diutiùs Te *Deusingianorum* placitorum lectione hìc morari, vel fatigare: valdè metuo enim, ne mea transcriptione aliquid decedat ipsis nativæ venustatis & innati decoris. Malo proinde, postquam sibi solus omnia capere, ac præ aliis sapere videtur hic *Aristarchus Groninganus*, ad perennem illum omnis scibilis Fontem dicam, an inexhaustum infandæ doctrinæ Oceanum hominum stupenda quævis & inaudita, sed in accurata summi omnium hujus ævi Scriptorum Censoris trutina priùs castigata ardenter sitientium gressum rectà dirigere, quò sic Nectareæ

Dulciùs ex ipso fonte bibantur Aquæ.

Tu interim vale, & incorruptè, imo integrè judica, vel sile.

Dabam Lugduni-Batavorum, III. *Id.*
Januarii M. DC. LXIII.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.


CONcedemo Licenza à gl' Heredi di Gio: Gabriel Hertz di ristampare il Libro intitolato. Francisci Deleboe Sylvii &c. Opera Medica, giusto l' Esemplare Stampato in Venezia con Licenza de' Superiori.

Dat. 22. Luglio. 1734.

(Andrea Soranzo Proc. Reff.
(Pietro Pasqualigo Reff.
(Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Reff.

Agostino Gadaldini Segr.

INSTI-



INSTITUTIONUM MEDICINÆ

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Medicinę definitione,



EDICINA eſt Ars curandi hominis valetudinem.

Ars eſt, quia non modo eſt cognitio, ſed conſtans promptitudo, & dexteritas agendi.

Subjectum Medicinæ eſt homo anima, & corpore conſtans, quia illa, vel hoc malè diſpoſitum, illud, vel hanc malè diſponit.

Quando Medicus de corpore plantarumque viridus, cognitionis gratia, agit, tum hæc ſcientia Medici finis eſt, ſed medius tantum. Ultimus vero eſt ſanitas, quam conſervando, præſervando ac reſtituendo, obtinetur valetudinis tam bonæ, quam malæ cognitio. Ex his Medicinæ nobilitas patet, ſubjectum enim ratione conſtat, qua reliquarum artium ſubjecta carent, & finis eſt ſanitas temporalia omnia bona præſtans.

CAPUT II.

De Medicinæ diviſione.

MEdicina in quinque partes dividitur, videlicet, Phyſiologiam, Pathologiam, Semeioticam, Hygieniam & Therapeuticam:

Phyſiologia eſt pars Medicinæ agens de naturali hominis conſtitutione.

Pathologia eſt pars Medicinæ agens de rebus præternaturalibus.

Semeiotica eſt pars Medicinæ agens de ſignis, ex quibus tùm præſens. tùm futurus hominis ſtatus dignoſcitur.

Hygieina eſt pars Medicæ agens de ſanitas conſervatione.

Therapeutica eſt pars Medicinæ agens de ſanitatis reſtitutione.

CAPUT III.

De Phyſiologia.

PHyſiologia eſt corporis ac mentis, nec non utriuſque ad ſe mutuò habitudinis cognitio. Ad naturalem hominis conſtitutionem ſpectant elementa, temperamenta, partes, facultates & functiones, res naturales dictæ.

CAPUT IV.

De Elementis.

ELementum eſt corpus ſimplex quod in partes contrarias dividi nequit. Et ſunt ſeptem, aqua, terra, ignis, ſal, acidum, ſpiritus volatilis & oleum.

Aqua & acidum, ſunt frigida & humida. Terra eſt frigida & ſicca. Ignis & ſal ſunt calidi & ſicci. Oleum eſt calidum & denſum. Spiritus volatilis eſt, calidus, & humidus.

CAPUT V.

De Temperamentis.

TEmperamentum eſt particularum contrariis qualitatibus conſtantium moderamen.

Temperamenta differunt ratione partium, ſexus, ætatis & temporis.

Ratione partium eſt triplex, ſimplex compoſitum vel temperatum

Simplex eſt, quando unà tantum qualitas contrariam excedit; inde calidum, humidum, frigidum & ſiccum.

Compoſitum eſt, quando duæ qualitates excedunt; inde calidum & humidum, frigidum & ſiccum.

Temperamentum eſt, vel ad pondus, vel ad juſtitiam.

Ad pondus eſt in quo nullus omnino eſt qualitatum exceſſus quod datur in cute & præſertim in vola manus callo deſtituta.

Ad juſtitiam eſt in quo quædam eſt qualitatum inæqualitas, ſed quæ actionibus peculiaribus competit.

Ratione ſexus eſt, vel virile, quod calidus, vel fœminum quod frigidus eſt, ut patet ex pulſu minori ac tardiori, robore minori, ingenioque minus alaeri.

Ratione ætatis eſt puerile, virile & ſenile.

Puerile annum 14. durans, ſub ſe comprehendit infantiam ad 17.

Virile ad 48. ſub ſe habet adoleſcentiam ad 26. & juventutem ad 35.

Senile dividitur in ſenectutem primam ad 60. & decrepitam ad vitæ terminum.

In puerili, prędominatur pituita feroſior, ut patet ex exiguo calore & mobilitate. In virili, bilis ut ex calore, aucto robore & productione ejuſde bilis patet. In ſenili, pituita viſcida

quæ

quæ ſe manifeſtat ex corporis motu tardiore & ingenio hebetiore.

Ratione anni temporum. Hyemale, frigidum eſt ac ſiccum. Vernale, calidum ac humidum. Æſtivum, calidum & ſiccum Autumnale, frigidum ac humidum.

CAPUT VI.

De partibus & in ſpecie de continentibus.

PArs eſt quæ facit ad totius integritatem; eſtque triplex, videlicet, continens, contenta & impetum faciens.

Continens eſt quæ firma eſt, & aliquid continet!

Contenta eſt quæ de loco in locum movetur & continetur.

Impetum faciens continet ſub ſe ſpiritus & humores.

Continentes ſunt ſimilares, vel diſſimilares, Similares ſunt quarum omnes particulæ ſunt ejuſdem ordinis cum toto, ſi anatomicè dividantur; ſuntque vel exactè ſimilares, quæ anatomicè in particulas ſibi contrarias dividi nequeunt: vel ad ſenſum, quæ primo intuitu ſimilaras apparent, verum accuratiori indagationo diſſimiles reperiuntur, ut arteria & muſculus: ad horum conſtitutionem requiritur tum bona tum perfecta unitas.

Diſſimilares ſunt, quę diverſi ordinis particulares babent & dicuntur organicę, quando perfectam edunt actionem ut auris, oculus, &c. ad quarum conſtitutionem bona 5. requiruntur, 1. conformatio, 2. magnitudo, 3. numerus, 4. ſitus & 5. unitas.

Ad conformationem tria requiruntur, 1. figura, 2. meatus, 3. ſuperficies.

CAPUT VII.

De Humoribus.

HUmor eſt pars corporis fluida & humida, viſu & tactu obſervabilis.

Humores ſunt vel naturales vel præternaturales. Naturales ſunt excrementitii, vel non excrementitii. Excrementitii, ſunt, utiles, ut lac & ſemen; vel inutiles ut ſanguis menſtruus & urina. Non excrementitii ſunt ſanguis & chylus humoreſ, que inde geniti, ut ſaliva, bilis, ſuccus pancreaticus & lympha.

De humoribus præternaturalibus in Phthologia agetur.

Sanguis eſt maſſa heterogenea in venis & arteriis contenta, colore rubro & dulci ſapore. 1. Inſervit igni noſtro vitali parte ſua oleaginoſa conſervando. 2. Ejuſdem ignis ad quaſdam partes deductioni. 3. Variis in corpore producendis humoribus & ultimò nutritioni & auctioni.

Chylus eſt pars aſſumptor. utilis a fęcibus ſeparata & colore albo prædita, inſerviens ſanguinis conſumptioni reſtituendæ.

Saliva eſt humor inſipidus & ſpumoſus ex glandulis in os delatus, conſtans ex ſpiritu volatili, ſale lixiviali, acido, oleo & aqua; & inſervit, 1. maſticationi, 2. guſtui, 3. fermentationi.

Bilis eſt humor flavus & amarus multo ſale volatili, pauca aqua & oleo conſtans. Inſervit 1. effervescentiæ tum in inteſtino tenui, tum in corde excitandæ. 2. ſanguificationi, 3 alimentorum fermentatorum ſecretioni, 4. fœcum alvinarum excretioni.

Succus pancrearicus eſt humor acido-aqueus conſtans multa aqua, acido, volatili ſpiritu temperatus. Inſervit 1. fami excitandæ, 2. effervescentiæ producendæ, 3. alimentorum ſecretioni, 4. ſanguini leviter coagulando.

Lympha eſt humor ſubacido-aqueus & lympidus in glandulis conglobatis præparatus. Inſervit 1. chylo vehendo per ductum thoracicum ad cor, 2. effervescentiæ ibidem excitandæ.

De urina in Semeiotica agetur.

Semen eſt humor ſpirituoſus, albicans, ſubcraſſus, in teſtibus ex optimo ſanguine elaboratus. Inſervit ſpeciei propagandæ.

Lac eſt humor dulcis ex cæruleo albicans, conſiſtentiæ mediocris, in mammis genitus, inſervit infantibus nutriendis.

Sanguis menſtruus eſt humor ſanguine abundans, qui ſingulis menſibus per uterum excerni ſolet, & in puerperio, lochiorum nomine, venit.

CAPUT VIII.

De ſpiritibus.

SPiritus eſt corpus tenuiſſimum, ſubtiliſſimum, inviſibile & mobiliſſimum.

Non datur inſitus, quia impoſſibile eſt ab una eadem cauſa eodem modo agente, totuplices & ſæpe contrarias prodi functiones,

Unicus eſt tantum animalis in cerebro à ſanguine ſecretus. Inſervit 1. motibus tàm animæ quam corporis, 2. ſenſibus tàm internis quàm externis, 3. humoribus alterandis.

CAPUT IX.

De facultatibus.

FAcultas eſt ea corporis diſpoſitio, qua quid poteſt agere, hoc eſt actionem exercendi potentia; non quod agimus, ſed quod agere poſſumus.

Diviſio facultatum inutilis eſt, quia eſt tantum una potentia, licet variarum actionum ſit.

CAPUT X.

De functionibus.

FUnctio eſt facultatis exercitium. Suntque duplices, quę, 1. ad conſervationem individui, 2. ad propagationem ſpecies inſerviunt.

Functiones quæ reſpiciunt conſervationem individui, vel ſunt naturales, vel animales; naturales ſunt quæ inſerviunt variis aſſumptorum mutationibus & dicitur tales quatenus in eo cum natura conveniunt ut eodem ſemper modo agant.

Animales in rerum per ſenſus externos, & internos cognitione & vario animi corporiſque motu, conſiſtunt.

Inter naturales occurrit primò ſitis, quæ eſt potulentorum appetitus, qui oritur ex humiditatis defectu, quem excitant, 1. ſalia quęvis, 2. acida omnia, 3. calor humiditatem conſumens.

Fames eſt eſculentorum deſiderium proveniens à ventriculi vellicatione, hanc excitant halitus acidi tum ex reliquorum alimentorum fermentatione, cum ex effervescentia inteſtinali aſſurgentes; quod probatur juvantibus & nocentibus.

Maſticatio requirit, 1. dentes, 2. linguam, 3. ſalivam, alimentis ad faciliorem deglutionem & fermentationem, permixtam.

Deglutitio eſt aſſumptorum per œſophagum ad ventriculum propulſio, que fit partim à lingua partim ab œſophagi motu periſtaltico. Motus periſtalticus eſt fibrarum annularium per ſpiritus animales contractio.

Fermentatio eſt talis aſſumptorum mutatio per quam à ventriculo ad faciliorem partium utilium ab inutilibus ſecretionem, diſponuntur. Quę fermentatio à ſaliva, potu & igne vitali præſertim contingit; ſaliva enim ratione ſalis, acidi & ſpiritus volatilis attenuat potus diluit, ignis rarefacit.

Poſt hanc mutationem, aſſumpta ad tenue inteſtinum propelluntur; propulſis bilis & ſuccus pancreaticus admiſcentur; quam admixtionem ſequitur chyli ab alvinis fœcibus ſecretio: quæ porro motu periſtaltico inteſtinorum protruduntur, donec tandem per anum excernantur.

Chylus in vaſa lactea exprimitur, qui & per ipſa propellitur ad Pancreas Aſellii in centro Meſenterii poſitum, ac inde ad ciſternam, in qua lympha undique effluens, ei coniungitur: ab hinc porro ſurſum vehitur ad ductum Thoracicum in venam axillarem vel jugularem, ex qua in venæ cavæ truncum deſcendentem, & ex hoc in auriculam dextram cordiſque ventriculum dextrum; ubi effervescentia ibidem fieri ſolita in ſanguinem tranſmutatur: hæc autem effervescentia eſt ſpiritus acidi lymphatici & ſalis lixivii bilioſi blanda pugna, cuius ope portiunculæ in utroque acri latitantes à compedibus ſuis liberantur, quę in libertatem vindicatæ ſe inſinuant in oleoſam ſanguinis partem, quam rarefaciunt, & ſic calorem quoquoverſum vitalem diſtribuunt.

Sanguis rarefactus in dextro cordis ventriculo ſenſim parietes ejus expandit, donec tandem, facta irritatione, ſpiritus animales confluunt, illudque contrahunt eodem modo ſanguinem in pulmonis per arteriam pulmonalem expellunt.

Sanguis in pulmonibus in æſtu ſuo à particularis aeris ſubacidis, ſanguinem plus minus coagulantibus, temperatur, & ne ab halitibus jam excitatis ſuffocetur modo accenſus ignis, fit eorum cum aere expiratio.

Contingit autem aeris inſpiratio, tum à motu Thoracis ſurſum tum diaphragmatis deorſum, unde aeri pulſo locus datur in pulmonibus capacis.

Accidit vero aeris expiratio à motu Thoracis deorſum & diaphragmatis ſurſum, unde pulmones compreſſi coarctantur & aer una cum halitibus egredi cogitur

Sanguis ſic temperatus, per venam pulmonalem defertur ad

cordis

cordis aoriculam finistram & ventriculum finistrum, sanguis eordi finistri ventriculi parietes tum sua copia tum rarefactione expandit, donec à spiritibus aoimalibus eo confluentibus, fit ejusdem cootractio, sanguioisque in arteriam magnam propulsio, quæ rursum à sangoine illam implente expanditur, & à spiritibus animalibus fibras eireulares implentibus eontrahitur & sie sanguis ad quasvis corporis partes defertur. Ioservir hæc propulsio, 1. partium nutritioni 2.in junioribus auctioni, 3.variorum humorum ut & spirituum a partibus secretioni.

Nutritio est illa functio, cujus ope, 1. illud quod in partibus est consumptum, restauratur, cujus consumptionis causa est, ignis vitalis perpetua in omnes partes actio, quæ sic partes, ut flammę consumit oleum.

Materia autem nutritioois suot variæ sanguinis particulæ, hinc singulis apponitur, quod iis est coovenientissimum.

Augmentatio est partium ad debitam magoitodinem extensio, quæ in utero ob spatii & temporis defectum, requisitam magnitudinem obtinere non potuerunt.

Saoguis tum nutritioni tum secretioni supersluos ex arteriis io venas circulatur & per illas, partium immediate, partim per Hepar, ubi bilis ipsi admiscetur, denuò ad cor defertur.

C A P U T XI.

De Functionibus animalibus.

FUnctiones animales ad quatuor summa capita revocantur, nimirùm ad sensus internos & exteroos; corporis & animi motus.

Sensus externi sunt quinque. Horum affectiones sunt somnus & vigiliæ.

Ioterni tres, imagioatio, ingenium & judicium, horumque promptuarium memoria.

Motus aoimi ad septem elasses reducuntur, 1. amor & odium, 2. lætitia & tristitia, 3.spes & desperatio, 4.ira & metus, 5.crudelitas & elementia, 6.gratulatio & invidentia, 7.commiseratio & insultatio, vel voluptas & dolor in geoere.

Motus corporis est voluntarius, vel involuntarius.

Visus est sensus externus, oculorum beneficio, rerum visibilium species recipiens, ad quem quatoor requiruntur, 1. objectum, 2.Medium, 3.Organum & 4.lux.

Auditus est sensus externus, aurium beneficio, sonos recipiens. Huc requiruntur: 1. Organum, 2. Medium, 3. objectum.

Olfactos est sensus externus, Narium beneficio odores percipiens. Huc faciunt objectum, organom & medium.

Gustus est sensus externus, linguæ beneficio, sapores percipiens. Hunc requiruntur objectum, organum & medium.

Tactus est sensus externus, Qualitates tactiles, membranarum ope, percipiens, estque vel tactus simpliciter dictus, qui dura a mollibus distinguit, vel sensus caloris vocatus, qui frigida à calidis; adeo ut ad huoc duplicem sensum duo reqoirantur, 1. objectum ut dura & mollia, calida & frigida, 2.organum ut membranæ.

Somnus est sensuum externorum cessatio, spirituum animalium consumptorum restaurationis gratia, contingens.

Vigiliæ sunt seosuum externorum operatio.

Imaginatio seu phantasia est ex diversis perceptionibus aliqua formatio. Huc requiritur memoria, percepta animę obiieiens.

Ingenium est mentis operatio; cujus ope, rerum convenientias & diversitates cogooscimus, itaot ratiocinatio sit ingenii functio, qua utatur in rerum rationibus investigandis & ioveniendis: Prior medium, hæc finis.

Judicium est mentis functio de iogenii ratiocinationisque soliditate & bonitate decernens.

Memoria est sensuum ioteroorum promptuarium, cujus ope, sensuum opera, 1. accipimus, 2. firmiter retinemus, 3. fideliter & promptè reponimus.

De animæ motibus aliàs.

Motus voluntarius est functio, cujus ope, per musculos membra ad voluntatem moveotur.

Motus involuntarius est functio, cujus ope, cavitates, & meatus moveotur, & uterque fit per spiritus animales.

C A P U T XII.

De functionibus speciei propagationi inservientibus.

GEneratio est Functio, cujus ope, homo consequitur perpetuitatem in specie, quam in individuo habere non potest: nullum enim individuom perpetuò durat; ad eam requiritur, 1.Semiois generatio, 2. penis erectio, 3. seminis io uterum effusio, 4. ejusdem retentio, 5. fœtus formatio, 6. hujus ad tempus cooveniens gestatio, 7.hujus partus & lactatio.

Semiois generatio est functio, cujus ope, ex spiritibus aoimalibus eum sanguinis optima parte concentratis producitur semeo in testibos & Epidimidibus. Semen generari ex spiritibus & sanguine constat: 1.qoia nihil aliud nisi spiritus & sanguis ad testes aliasve generatioois partes defertur; 2.quia in nimio coitu sanguis, loco seminis, profluit; 3.quod unica seminis excretio plus debilitat præsertim in debilibus quam unciarum doodecim sanguiois effusio.

De reliquis ad generationem spectantibus forsan aliàs.

Finis Phisiologiæ.

PARS

PARS SECUNDA

De Pathologia.

CAPUT PRIMUM.

De Morbo.



Athologia est illa Medicinæ pars circa res præternaturales occupata.

Res præternatorales sunt omnia corpori nocentia ut morbus, motbi causa, & symptoma.

Morbus est cooftitutio præternaturalis, seu fuoctio læsa.

Causa morbi est omne id quod morbum producti.

Symptoma est morbus, morbum sequens, sive morbi effectus corpori inconveniens.

CAPUT II.

De Morborum differentiis.

MOrbi sunt vel essentiales, vel accidentales.

Essentiales derivantur ab ipsa morbi essentia, sive ab iis sine qoibus morbus, nec esse nec cogitari potest, illa suot 1. pars affecta, 2. conditio secundum quam fit.

Morbi essentiales sout triplices, similares, organici & solutæ unitatis.

CAPUT III.

De morbis similaribus.

MOrbus similaris est intemperies, sive unius pluriumve qualitatum incoovenieus dispositio.

Intemperies est, vel simplex, vel composita.

Simplex est uoius qualitatis incooveniens dispositio, estque calida, frigida, humida & sicca.

Composita est duarum qualitatem inconveniens dispositio, estque vel calida & sicca; vel calida & humida, &c.

CAPUT IV.

De morbis organicis.

MOrbus orgaoicus est, quando pars organica ita afficitur, ot inde lædatur actio.

Est 1. cooformatioois, 2. numeri, 3. magnitudinis. 4. Situs, 5. nexus.

CAPUT V.

De morbis conformationis.

MOrbus conformationis est, quaodo conformatio partis ita vitiatur, ot functio lædatur, estque triplex, figuræ, meatuum, cavitatum & superficiei.

Morbus figuræ est, quando partis figura ita vitiatur nt actio inde lædatur, quod contingit 1. qnoties rectum incurvatur, ut vari, qui crura dextorsum & vari maneique qoi erura introrsum incurvata habent; 2. qoando planum, rotundum fit, ut Gibbositas.

Morbus meatuum est duplex, vel numeri, vel quaotitatis, & nterque in excessu vel defectu.

Morbus meatuum est, quando partes per quas aliquid de loco in locum ferri debet, vitiantur, ita ut actio inde lædatur, ut in nervis obsttuctis.

Morbus meatuom nnmeri in excesso est quando plures præternaturam paodnntur meatus, ado ut actio inde lædatur, exempli gratia, quando non modo in intestino tenui, sed io ventriculo inseritur ductus biliarius, undè tunc bilis eo delata fermeutationem, vel retentionem lædit.

Morbus meatuom numeri in defectu est, quando meatus præter naturam sunt paneiores, ita ot functio inde lædatur, ut fit in vasorum defectn.

Motbus meatoum qnantatis excedentis est, quando meatus ita dilatantut, ut functio, inde lædatur; estque triplex, 1. Anastomosis quæ est osculorum vasorumque nimia dilatatio: 2. diæresis, quæ est vasorum à roptione, vel erosione apertio: 3. Diapedesis, quæ est tunicarum vasorum nimia rarefactio, ita ut homores diffloant.

Morbus meatuum quantitatis deficientis est, qoando meatus ita angustantur, or functio inde lædatur, & est 1. obstructio, quæ est angustia facta à pituita, sanguine concreto, vel calculo; 2. constipatio, quæ est angustia facta à carne innata vel tumore in meatu; 3. compressio à re caterna meatum comprimenre; 4. coalescentia, id est angustia facta ad latera ab nlcere eacoriatione, erosione. 5. subsidentia quæ est angustia, quam facta ad latera subsident & quasi connivent.

Morbus cavitatum est, qoando partes quibus subinde, aliquid solet contineri, ita vitiantur, ut exindè functio lædatur.

Morbus cavitatum, est vel auctæ, vel diminutæ quantitatis: numero enim vix peccant, vel nunquam cavitates.

Morbus cavitatum quaotitatis auctæ est, cu us cavitas est ita dilatata, ut functio inde lædatut, ut in timpaoitide, ubi ob ventriculi & intestinorum distensionem, expulso læditur.

Morbus cavitatum quaotitatis diminutæ est, cum cavitates ita angustantur nt functio, lædatur, estquo totuplex, quotuplea meatuum deficientis quantitatis morbus.

Morbus superficiei est, quando partis superficies ita vitiatur & læditur ut exinde functio lædatur, estque quadruplex, 1. Asperitas & lævitas; 2. mollities & durities; 3. raritas & densitas; 4. Color.

CAPUT VI.

De morbis numeri.

MOrbus Numeri est, cum partium numerus ita vitiatur, ot exinde functio lædatur, estque io excessu vel defecto.

CAPUT VII.

De morbis magnitudinis.

MOrbus magnitudinis est, cum partium magnitudo ita vitiatur, ut eainde actio lædatur, estque vel auctus ut in tumoribus, vel diminutus in Atrophia.

CAPUT VIII.

De morbis in situ & nexu.

MOrbus situs est, cum pars à situ suo ita declinat, ut actio lædatur, nt in ossium dislocationibus.

Morbus nexus est duplex, quando conjuncta disjunguntur, quod fit in ligamentorum ruptione, vel laxitate, ut io uteri procidentia & hernia iotestinali, &c. vel disjuncta conjunguotur, ut in digitorum vel labiorum coalescentia.

CAPUT IX.

De morbis soluta unitatis.

MOrbus solutæ unitatis tam partibus similaribus quàm organicis communis, est cum quod unum & continuum esse debebat, solvitor.

Hi morbis differunt, 1. ratione partis affectæ. 2. ratione causæ solventis quæ est, 1. secans, 2. pungens, 3. erodens, 4. contundens, 5. tendendo rumpens.

Quan-

Quando pars mollis solvitur, à causa secante, vulnus: à pungente, punctura: ab erodente, ulcus: à contundente, contusio: à tendendo rumpente, ruptura dicitur.

Ubi vero pars dura solvitur causa incidente, vel contundente transversim fractura dicitur: secundum longitudinem, fissura: ab erodente causa in multas particulas comminutio, caries dicitur.

CAPUT X.

De morbis accidentalibus.

Morbi accidentales sunt qui petuntur ab iis quæ morbi essentiam insequuntur, & sunt sine quibus morbus esse & excogitari potest. Horum differentiæ petuntur.

1. A numero, hinc morbus, vel unus est, vel multiplex.

2. A magnitudine, hinc magnus vel parvus, qualis dicitur ratione morbi, gravitatis & partis affectæ.

3. A subjecto, hinc est vel externus vel internus, generalis vel particularis, virilis, vel fœmininus, puerilis, vel juvenilis, vel senilis.

4. A duratione, hinc brevis, longus, continuus, intermittens.

5. A causis, inde 1. simplex seu verus qui ex uno humore oritur, 2. vel spurius qui ex pluribus.

6. Ab origine causarum, inde 1. Idiopathicus cujus causa generatur ubi morbus est, 2. Sympathicus, cujus causa alio in loco generatur quàm ubi morbus est. 3. Hereditarius, cujus causa in semine parentum consistit. 4. Congenitus, cujus causa in utero est.

7. Ab eventu, hinc salutaris, dubius, lethalis.

8. A temporibus anni, inde hyemalis, vernalis, &c.

9. A loco, unde 1. Endemius, qui alicui Regioni semper est familiaris. 2. Pandemius, qui partes plurimas Regionis affligit. 3. Epidemicus, qui alicujus Regionis homines sine discrimine affligit. 4. Sporadicus, quando vari morbi Regionem infestant.

Deinde alii morbi sunt contagiosi, alii non. Alii maligni, qui vires subitò prosternunt; aut benigni, qui blandè & lentè arguunt. Alii acuti, qui ultra viginti dies non extenduntur: Alii peracuti, qui die 7. finiuntur: paucissimi, qui ultra quartum diem non extenduntur & cum periculo hi cursum suum absolvunt.

CAPUT XI.

De morborum temporibus.

Morborum tempora sunt vel universalia, quibus totius morbi discursus includitur, vel particularia, quæ unius paroxismi periodo circumscribuntur: utraque hæc tempora sunt quatuor: 1. Principium, quando morbus incipit; 2. augmentum, quando symptomata ingravescunt; 3. status, quando nec augentur nec minuuntur: 4. declinatio, quando symptomata levantur.

Hæc tempora tantum sunt in morbis salutaribus: lethales nec statum nec declinationem patiuntur.

CAPUT XII.

De morborum causis.

Causa morbi est omne morbum producens; estque vel proxima vel remota, illa est inter quam & morbum nulla alia causa intercedit, hæc vero quæ mediante proxima, agit.

Causa remota est vel interna (causa antecedens dicta) quæ consistit in humoribus in corpore existentibus, vel externa (Procathartica dicta) quæ consistit in rebus extra nos positis, quarum aliæ sunt inevitabiles, ut res non naturales; aliæ evitabiles & fortuitò corpus nostrum affligentes.

Causa proxima est vel conjuncta, qua posita, morbus ponitur & sublata, tollitur morbus.

CAPUT XIII.

De causa remota interna.

Humores peccant qualitate, quantitate, motu locoque. Quantitate peccantes constituunt Plethoram & cacochymiam, si simul qualitate peccent.

Plethora est, vel ad vasa, cum hæc valde distenduntur, ut fit in nimia sanguinis rarefactione, vel ad vires, cum plus est sanguinis quàm vires ferre queant, vel utraque mixta, in qua tum vires debilitantur & vasa simul distenduntur.

Plethora fit à materiali causa succi plenioris & alimentorum facilè fermentabilium usu, causa efficiens est sanitas & rerum non naturalium usus.

Cacochymia fit ab humorum qualitate peccantium abundantia, Cachexia vero est humorum viscidorum abundantia.

Humores qualitate peccantes, 1. sunt bilis, 2. succus pancreaticus, 3. pituita, 4. saliva, 5. lympha.

Bilis peccat, 1. acrimonia quam nanciscitur, vel ab assumptis salsis, vel ab aere æstuante, vel à corporis animive motu nimio, à vigiliis summis, ab alvo adstricta, à sudore, vel seminis, urinæ & lactis nimia excretione.

2. Bilis peccat oleositate ab assumptis similibus.

3. Crassitie ab humore viscido solum, vel etiam austero sibi admixto; unde non rarò in ductibus suis in calculum concrescit.

4. Aquositate ab aere humido & assumpti similibus.

5. Quando coagulatur in substantiam, vitellis ovorum, haud absimilem: quod fit ab humore acidiori quod patet ea bi e spiritu vitrioli affusa.

6. Quando porracea fit viridis, nimirum instar herbæ porri, talis fit ab effervescentia cum succo pancreatico acidiori.

7. Quoties æruginosa fit instar æruginis, talis fit cum succus pancreaticus adhuc acidior effervescit.

8. Quoties atra fit Istodes tunc dicta, & talis fit à succo pancreatico & bile, perquam acribus (& tum est omnium acerrima) vasique æneo excepta ad oculum effervescit.

Succus pancreaticus peccat, 1. aciditate, quæ oritur ab acido in sanguine copiosiori, vel aere frigido, ab animi mœrore, à nimiis vigiliis à stagnatione in ductibus lateralibus pancreatis, vel ultimò ab alimentis acidis.

2. Austeritate; quæ oritur ab alimentis similibus à mœrore externo, & terrore subito.

Lympha non tantum in iisdem cum succo pancreatico causis peccat, sed & in aquositate, quæ oritur ab alimentis similibus & ab aere humido & frigido, & à visciditate ob causas pituitam augentes.

Peccat alias lympha salsedine orta ab assumptis similibus & ab aere æstuante.

Pituita peccat, 1. visciditate orta ab assumptis similibus ab aere humido, & frigido, à vita mœsta & inerti, & somno nimio. 2. acciditate ob admixtum sibi acidum dicitur que vitrea. 3. salsedine à sero salsiori.

Saliva peccat viscìditate, aquositate, salsedine, & acciditate ob causas dictas.

Flatus generantur ex materia viscida & acrimoniali, salsa oleosa, ut ex juvantibus & nocentibus liquet.

Halitus oriuntur ex effervescentia acidi & salsi, sunt autem pro diversitate agentis & patientis variis.

Humores peccant motu, 1. aucto, 2. diminuto, 3. abolito, 4. depravato, loco ut sanguis extravasatus.

CAPUT XIV.

De rebus non naturalibus.

Causæ procatharticæ Inevitabiles, sunt sex res non naturales, aer, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigiliæ, excreta & retenta, animi pathemata.

Aer, quo per momentum carere nequimus, maximè corpus nostrum alterat, tùm inspiratus, tùm corpus nostrum ambiens.

Peccat aer caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate, malignitate & nimio motu.

Cibus & potus peccant quantitate, qualitate & assumendi modo.

Motus & quies excessu vel defectu, ut & somnus & vigilia, excreta & retenta, qualitate & quantitate.

Animi pathemata excessu & defectu.

CAPUT XV.

De Symptomatibus.

Symptoma est morbi effectus corpori inconveniens estque vel 1. actio læsa, 2. excretorum & retentorum vitium, 3. qualitas mutata.

Actio

Actio læditur quando aboletur, minuitur, augetur & depravatur.

Inter actiones læsas naturales venit 1. fames, cujus læsio est 1. anorexia, seu appetitus prostratus. 2. dysorexia, seu appetitus diminutus 3. boulimia, seu fames canina. 4. pica, seu appetitus depravatus, in fœminis malacia dicta.

Fermentatio læditur 1. quando augetur, diminuitur, aboletur depravatur in cruditatibus nidorosis vel acidis.

Expulsio ventriculi cum læsa ejus retentione augetur in lienteria, depravatur in vomitu.

Intestinorum excretio læditur, quando depravatur in cholera vel illeo morbo, augetur, 1. in lienteria, 2. in affectu cæliaco, 3. in diarrhæa biliosa, pituitosa vel serosa; 4. in diarrhæa pingui; 5. In diarrhæa cruenta: 6. in diarrhæa purulenta, 7. in dysenteria, 8. in tenesmo.

Chyli motus per vasa lactea aboletur in vasorum obstructione, unde hydrops Ascites.

Respiratio læditur, 1. in dyspnæa, cujus species sunt quinque 1. Anhelatio, 2. orthopnæa, 3. asthma, 4. incubus, 5. suffocatio hypochondriaca.

2. In singultu, 3. in sternutatione, 4. tussi quæ, est, vel sicca vel humida, si sanguis excernatur, hæmoptoe dicitur.

Cordis motus læditur, 1. in febre, 2. in palpitatione, 3. in lypothymia, 4. in syncope.

Nutritio læditur, vel in toto corpore, 1. in tabe, 2. in macie 3. in phtisi, 4. in marasmo, 5. vel in particulari atrophia.

Urinæ excretio læditur, 1. quando aboletur ut in ischuria, 2. quando minuitur ut in dysuria, 3. quando depravatur, ut in stranguria, 4. quando augetur ut in diabete.

Inter functionum animalium læsiones, occurrit, 1. dolor qui pro causarum diversitate variat.

2. visus qui læditur, 1. in suffusione, 2. in senili visione, 3. in myopia, 4. in scotomate, 5. in cæcitate, 6. in amblyopia, 7. in myoblyx.

3. Auditus qui læditur, 1. in surditate, 2. in gravi auditu, 3. in sybilo.

4. Tactus qui læditur, 1. in Necrosi, 2. in pruritu, 3. in scabie.

5. Somnus qui læditur, 1. in comate, 2. in lethargo, 3. in caro, 4. in Apoplexia, 5. in Somnambulatione.

6. Sensus interni qui læduntur, 1. in delirio, 2. in paraphrenitide, 3. in phrenitide, 4. in melancholia, 5. in mania, 6. in lycanthropia, 7. in hydrophobia.

7. Motus voluntarius læditur, 1. en paralysi quæ est vel hemiphlegia, vel paraphlegia, vel paralysis particularis, 2. in lassitudine, 3. in tremore, 4. in spasmo, qui est vel universalis vel particularis; illa est triplex, 1. emprosthotonos, 2. Opisthotonos, 3. Tetanos, hic verò est 1. spasmus cinicus, 2. spasmos trismos, 3. spasmus strabismus; 5. in motu convulsivo, 6. in citatione & tandem, 6. in apendiculatione.

PARS TERTIA.

De Semeiotica,

CAPUT PRIMUM.



SEMEIOTICA est illa Medicinæ pars in qua traditur Methodus, tum presentem tum futurum, hominis statum cognoscendi.

Signum est quo quid denotatur, estque vel diagnosticum præsentem, vel prognosticum quod futurum, vel anamnasticum, quod præteritum statum indicat.

Signum diagnosticum est, vel accidentale quod est morbo separalile, ut frigus à febre vel pathognomicum: Quo posito ponitur, & sublato tollitur morbus, ut pulsus præter naturam frequens in febre, hoc tarò est simplex, sed sæpè de pluribus conflatum.

Signum prognosticum triplex est, 1. salutis & mortis, 2. cruditatis & coctionis, 3. criticum.

Fontes signorum sunt quadruplices, 1. ab ipsa morbi essentia, 2. à causis, 3. ab affectibus, 4. à juventibus & nocentibus.

Ex signis diagnosticis tria cognoscuntur, 1. pars affecta, 2. morbus, 3. morbi causa.

Pars affecta cognoscitur, 1. in actione læsa, 2. ex situ, 3. ex excretis, 4. ex doloris proprietatibus & propriè accidentibus morbo.

Morbi causa cognoscitur, vel ex symptomatibus, vel ex juvantibus & nocentibus.

Inter causas recitavimus, 1. plethoram, 1. quæ 1. dignoscitur ex venarum distentione, 2. ex sanguis pustulis, 3. ex causis ipsam generantibus, 4. ex juvante sanguinis missione.

2. Cacochimiam, quæ cognoscitur, 1. ex habitu corporis pituitoso, 2. ex colore corporis flavo, pallido, 3. ex cordis compressivo dolore, 4. ex fame depravata, 5. ex alvo continuò adstricta.

3. Bilem, cujus acrimonia salina noscitur, 1. ex siti & lingua arida, 2. ex diarrhæa, 3. ex totius corporis ardore, 4. ex juvantibus & nocentibus.

Bilis oleositas cognoscitur, 1. ex iisdem signis, sed gravioribus, 2. ex urina flammea, ex lingua nigra & fissa.

Cætera bilis vitia ex ejusdem excretione cognoscuntur.

4. Succum Pancreaticum, cujus aciditas cognoscitur, 1. ex fame aucta; 2. ex totius corporis frigore, 3. ex pulsu parvo & frequenti, 4. ex doloribus pungentibus & lancinantibus, 5. ex juventibus & nocentibus.

Ejus austeritas cognoscitur, 1. ex faucium strangulatione, metu, constrictione, 2. ex doloribus contorquentibus, 3. ex alvo adstricta, 4. Ex pulsu parvo & debilia,

5. Pituitam viscidam noscimus, 1. ex fame diminuta, 2. ex alvo adstricta, 3. corporis torius pallore & frigore, 4. ex pulsus parvo & raro, 5. ex urina pallida, 6. ex juvantibus & nocentibus.

Pituita vitrea noscitur, 1. ex dolore fixo, perterebrante, 2. ex ejus excretione, 3. ex juventibus & nocentibus.

Flatus cognoscuntur, 1. ex roctu, crepitu & murmure in abdomine, 2. ex dolore distendente, 3. ex alvo adstricta, 4. ex pulsu frequenti, 5. ex bullis in urina, 6. ex juvantibus & nocentibus.

Signa in corpore sunt triplicia, excrementa, pulsus & respiratio.

CAPUT II.

De excrementis.

INter excrementa, 1. est urina, unde varia signa petuntur.

Urina est humor excrementitius constans ex aqua copiosa, sale volatili, oleo, sale fixo & terra.

In urinæ inspectione observandum, 1. ut urina una vice excernatur.

1. Ut sit frigefacta & aliquantulum steterit, ita ut contenta, loca propria occupent, 3. ut in phialia vitrea purissima ad claram lucem cernatur, 4 an hoc vel illud fuerit assumptum, unde urina mutari potuerit.

Ex urina cognoscitur sanguinis, renum, & vesicæ affectiones.

In urina duo sunt consideranda, liquor nimirum & contentum: in liquore iterum duo, consistentia nempe & color.

Ratione consistentiæ, alia est crassa à multo sale, sed acido sibi admixto, alia tenuis, alia mediocris, alia est clara, alia opaca,

Ratione coloris: 1. est pallida ob sulphuris defectum, vel ob corporis albi admixtionem. 2. flava ob bilis copiosam admixtionem. 3. rubra ob sanguinem admissum, è venis & arteriis in viis urinariis, erosis, prodeuntem.

Contentum dicitur omne corpus in liquore visibile, estque vel in superficie, ut pinguedo, bullæ, spuma, corona: vel in medio, & dicitur nubecula; vel in fundo, & dicitur sedimentum.

CAPUT III.

De pulsibus.

Pulsus est arteriarum contractio & dilatatio.

Plusus, 1. est magnus, quando magno & amplo spatio explicatur arteria, tùm à magna sanguinis rarefactione, tùm ab arteriæ mollitie. Parvus contra se habet.

2. Robustus, quando arteria vi tangentis digitum ferit à copia spirituom animalium vi arteriam coottahentium: debilis contrà.

3. Frequens quando eodem tempore sæpius quam aliàs arteriæ ictus observatur à promptiori sanguinis rarefactione, vel arteriæ duritie, vel acrimonia cor & arteriam vellicante: rarus contrà se habet.

CAPUT IV.

De Crisi.

Crisis est morbi subita mutatio.

Estque, 1. salutaris vel lethalis.

2. Perfecta, quæ morbi materiam ita evacuat, ut recidivæ metus non sit, vel imperfecta contrà se habens.

3. Tuta, ubi nulla adsunt periculosa symptomata, vel periculosa, contrà se habens.

Crisis perfecta fit ordinariò per vias excretioni inservientes, imperfecta, per metastasin, seu materiæ de parte in partem translationem: fitqoè aliquando exernè quandoqoe internè, quod pejus.

Crises fiunt tantum in morbis acutis qui die 40. terminantur.

PARS QUARTA.

De Hygieina.

De hacce medicinæ partes aliàs dabitur dicendi locus.

PARS QUINTA.

De Therapeutica.

CAPUT RIMUM.



HERAPEOTICA est ea Medicinæ pars, in qua agitor de saoitatis amissæ restitutione, per media naturalia.

Consistit, 1. in methodo medendi.

2. in instrumentis sive mediis.

Methodus medendi est ea ratio, qua, per indicationes, auxilia inveniuntur.

Indicatio est auailii per rationem demonstratio. Locumque habet solnm, ubi morbi causa pater. Si vero eadem lateat, remedium invonientur per experieotiam: vel Analogismum, 1. inter affectus, 2. inter remedii materiam, 3. inter membra.

Formatur indicatio ex indicante, qood est agens aliquod soi curatiooem indicans.

Indicans differt ratione finis, vel consensus, vel dissensus.

Ratiooe finis, est vel curatoriom, vel præservatorium, vel urgens.

Curatorium indicat sol per conrraria ablatiouem.

Præservatorium sui per similia conservationem.

Ratione consensus, vel dissensus indicans est, vel coindicaos, vel contra iudicans, vel permittens.

Coindicans, idem cum principali indicante indicat.

Contra indicans est, qnod contrarium priori indicat.

Permittens est quod, ea duobus indicantibus minus urget.

Indicatum est remedium ab iudicante indicatum.

Differt remedium à remedii matoria, quod illud simplex est, nempe angendum, minuendum, alterandum, calefaciendum, &c.

Hæc vero multiplex, cum enim calefaciendum est, potest illud fieri cinnamomo, mace, nucibus moschatis, &c.

In Ipso remedio, quid & quomodo agendum est considerandum.

1. Quantitas agendi ex indicantis maguitudine patet.

2. Quo morbi tempore, indicantis præsentia & vires indicant.

3. Locus agendi ex indicantis subsistentia.

Materia remedii est Pharmaceutica, Chirurgica, & Diætica.

Materia pharmaceutica propriè medicamentum est illud quod corpus in melius mutat: venenum eootra se habet.

Alimentum quod in corporis substantiam aliquam sui partem mutat.

Medicamentum est, vel simplea, vel compositum.

Simplex est quod ab arte nihil admistum habet, & petitur è vegetabilibus, animalibus, & mineralibus.

Vegetabilium nomine omnes plantarum partes veniunt.

Animalium oomine omnes animalium partes medicinæ appropriatæ veniunt.

Mineralia sunt omnia præter plantas è terra desumpta, & sunt metalla & lapides.

Metalla sunt illa mineralia, quę igne fundi & malleo extendi queunt.

Lapides sunt quæ friabilia sunt, & malleo eatendi nequeunt.

Suntque salia, bitumina & terræ.

Medicamentum compositum est, plurium simplicium, in unius medicamenti formam per artem redactio.

Medicamenta sunt, vel interna, vel externa.

Interna suot, vel alterantia, vel evacuantia.

Alterantia humorum vitiosas qualitates mutant, & in statum secundùm naturam reducuot: & in septem classes reducuntur pro septem bumorum qualitatibus.

1. Aciditatem alteraot, eandem obtundentia & lenientia, nt emulsiones & olea stillatitia, omniaque oleosa & pinguia, nt & opiata, 2. Temperantia, ut spiritus volatilis quivis, 3. Diluentia, ot aquea, 4. Infringentia, nt salia quęvis lixivia, tam fiaa qoàm volatilia.

2. Austeritatem alterant, eadem iofringentia, omnia nempe sale volatili oleoso scatentia.

3. Salsedinem alteraot, eandem, 1. diluentia aquea, 2. Infringentia acida, 3. obtundentia oleosa, & opiata.

4. Volatilitatem alterant, omnia figentia & astriugentia, ut omphacium, nitrum, & austera.

5. Visciditatem alterant, 1. incidentia, acida, salsa & aromatica, 2. solventia aqnea.

6. Pinguedinem, seu oleositatem alterant, omnia salsa & acida potentius.

7. Aquositatem alterant, omnia eam imbibentia arida, ut creta, cornu cervi ustum, &c.

Evacuantia dicontur aliquid è corpore educentia,

Distinguntur 1. ratione viarum, & sunt, 1. purgantia in specie dicta, quæ per alvum, 2. vomitoria, quæ per os & ventriculum, 3. sputatoria. quæ per salivationem. 4. Sudorifica, quæ per poros, 5. Diuretica, quæ per renes & ureteres, 6. Sternutatoria, quæ per os & nares, 7. hysterica, quæ per uterum.

2. Distinguntur ratione materiæ excretæ, & sunt Hydragoga quæ aquas; Cholagoga, quæ bilem: Phlemagoga, quæ pituitam: Carminativa, quæ flatus educunt.

Cholagoga sunt, Scammonium, Rhabarbarum, Aloe, Cassia, Tamarindi, Manna, &c.

Phlegmagoga sunt, Euphorbium, Colocynthis, Turbith, Jalappa, Mechoacana, &c.

Melanagoga sunt, Sennæ folia, Polypodium, radices Hellebori nigri, lapis Lazuli, Armenius &c.

Hydragoga sunt, Esula, Gratiola, semen, succus, cortex Ebuli, Elaterium, Sal Lunæ, &c.

Vomitoria, bilem, pituitam, vel utramque educunt: Et sunt vel naturalia, ut Oleum, Butyrum, lac & aqua tepida, &c. vel artificialia bilem educentia, & sunt omnia Antimonialia: pituitam educentia sunt Mercurialia, folia Asari, rasuræ unguium hominia.

Medicamenta externa sunt varia.

1. Emollientia, quæ tumores duros molliores reddunt, ut omnia mucilaginea, Axungiæ, &c.

2. Resolventia, quæ materiam tumorum attenuant, ut omnia aromata.

3. Suppurantia, quæ sanguinem in pus vertunt, ut omnia emollientia.

4. Detergentia, quæ humores crassos vulneribus ulceribusque adhærentes attenuant, & educunt, ut acria salsa.

5. Sarcotica, quæ consumptam carnem restituunt, ut omnia balsamica.

6. Epulotica, quæ cutem ablatam regenerant, ut omnia sicca arida & lentè astringentia.

7. Vesicatoria, quæ vesiculam in cute excitant, humoremque aquosum educunt, ut Cantharides.

8. Caustica sunt, quæ cutem cum nigredine exulcerant, suntque vel actualia, ut ferrum candens; vel potentialis, ut salia quævis lixivialia fixa.

Finis Institutionum.

FRAN-

FRANCISCI DELEBOE SYLVII DISPUTATIONUM MEDICARUM

DECAS,

PRIMARIAS CORPORIS HUMANI FUNCTIONES NATURALES,

Nec non

Febrium Naturam, ex Anatomicis, Practicis & Chymicis Experimentis deductas complectens.

DISPUTATIONUM MEDICARUM I.

De Alimentorum Fermentatione in Ventriculo.

Rerum mutatio.

I. NATURALIUM rerum omnium communis affectio est Mutatio.

Hominis mors.

II. Maxima homini mutatio accidit, quando cum morte commutat vitam.

Ejus causa.

III. Moritur homo, quando extinguitur in ipso innatus Cordis Ignis.

Ignis vitalis extinctio.

IV. Extinguitur hic Ignis, quando vel pabulo convenienti destituitur, obruiturve; vel aeris commodi inspiratione privatur.

Ejus pabulum sanguis.

V. Conveniens hujus Ignis pabulum est Sanguis laudabilis, ob continuam sui consumptionem reparatione indigens continua.

Hujus reparatio.

VI. Reparatur sanguis per assumpta ore alimenta, eaque fæcibus suis secretis, hinc & excretis liberata.

Alimenta duplicia.

VII. Alimenta distinguuntur in solida, & liquida, sive cibum, & potum.

Eorum secretio à fæcibus.

VIII. Ab inutilibus ac fæculentis partibus secedunt partes alimentorum sanguini reparando utiles, nunc faciliùs, nunc difficiliùs, prout firmiùs, vel laxiùs sunt inter se junctæ, mistæque.

Ad secretionem præparatio.

IX. Præparantur & disponuntur ad faciliorem partium utilium & inutilium separationem ac secessum alimenta in ore atque ventriculo.

Chylificatio.

X. Mutationem, quam in ventriculo subeunt alimenta, quamque impræsentiarum examinare fert animus, *Chylificationis* nomine vulgo indigitant; nobis *Fermentationis* nomen magis arridet ob rationes mox secuturas.

Corporum dissolutio primus gradus ad perfectionem.

XI. Quemadmodum Naturæ, Artisque ultimus finis & scopus est corporis cujusvis in genere suo perfectissimi constitutio: sic primus ad illam gradus est ferè corporis cujusvis aliquibus sui partibus eò spectantis resolutio & compagis sive vinculi communis, quo partes ejus omnes in unitate continentur, dissolutio blanda, qua partes omnes & singulæ ad propositum scopum collimantes ac necessariæ post sui à reliquis segregationem in sua perstantes integritate aptæ sunt & ritè dispositæ ad novum illud mistum constituendum.

Dissolutio has duplex.

Ustio.

Fermentatio vel putrefactio.

XII. Utique duplex mistorum observatur destructio & dissolutio: Altera quidem violenta & subitò cum notabili partium dissipatione contingens ab *Igne*, *Ustio* dicta; altera verò blanda & lentè citra notabilem partium jacturam contingens per *Aquam*, *Fermentatio*, vel, quando fœtor coincidit, *Putrefactio* vocata.

Vinculum mistorum duplex. Sal, Oleum.

XIII. Sed & duplex observatur mistorum vinculum, primarium quidem & potentius, *Sal*, secundarium verò & imbecillius, *Oleum*: illius vim frangit *Aqua*; hujus immutat & destruit *Ignis*.

Quænam Fermentari dicantur:

XIV. *Fermentari* propriè dicuntur tam 1. fructuum plerorumque, uvarum imprimis expressi, & in loco ab ambiente frigore secluso vasis aptis cum sufficienti aeris externi communicatione conclusi Succi; quàm 2. ex frumentis variis (ut de melle,

saccharo, fructibusque exsiccatis, uvis passis præsertim nunc sileam (cum aqua parata, Cerevisiæque nomine vulgo venientia decocta; aut 3. ex farina quavis cum Aqua, aquamve continente liquore confectæ massæ, atque ad promovendam fermentationem addito fermento in loco calidiusculo, tepido saltem, repositæ.

Quænam Fermentationem promoveant, aut impediant,

XV. Quicunque autem mutationum omnium quæ diversis prædictarum Fermentationum speciebus contingere solent variæ, investigator & observator erit accuratus, comperiet promoveri quamlibet, ubi concurrunt 1. *Aqua copiosa* 2. *Ignis sive Calor mediocris*. 3. *Aer satis liber*: impediri verò 1. *ob Aquæ penuriam* 2. ob *Caloris defectum*, ab externo frigore ortum. 3. ob *Aerem liberum* materiæ fermentandæ *interclusum*.

XVI. Hinc est, quòd Vina Hispanica nec tam celeriter, nec tam potenter fermetentur, ac Rhenana, duplo plus Aquæ si cum Spiritu volatili conferas, quam illa, continentia.

XVII. Hinc est, quòd Aeri frigido exposita musta admodum lentè aut minimè fermententur, secus ac eadem in cellis reposita, & imprimis externo calore adjuta.

XVIII. Hinc est, quod eadem musta vasis arctè conclusa fermentari nesciant; vel desinant; quæ in iisdem aliqua sui parte patentibus fermentantur ex voto.

Ratio cur alia aliis facilius fermententur,

XIX. Rationem horum omnium si quis roget, hanc damus. Primarium mistorum vinculum, *Salem dissolvit Aqua*; Secundarium, *Oleum, alterat Ignis*: Halitus hinc elevati abeunt in auras, Ignem aliàs suffocaturi, atque operationem ipsius enervaturi. *Sal dissolutus coagulare, Oleumque rarefactum adire* desinit. Atque sic dispositæ sunt Misti partes omnes, ut ab invicem segregentur, inque novi misti constitutionem coeant & adunentur facilè.

Chylificatio, quæ esse Fermentationem,

XX. Quod si quis omnia circa alimentorum assumptionem, primamque mutationem contingentia contulerit cum modò recensitis, quàm benè cum Fermentatione quadret ipsa, mox agnoscet.

Ciborum masticatio ad fermentationem præparatio,

XXI. Nam 1. Cibi masticati, atque dum identidem lingua hinc inde transferentur in ore, saliva simul imbuti, secuturæ in ventriculo alterationis rudimenta præ se ferunt ac fermentationis.

Alimenta in ventriculo in Chylum verti.

XXII. 2. Pars alimentorum fixior & esculenta (dum potulentorum pars magna sensim ad intestina, hinc & lactea vasa properat) in ventriculo diutinè, ad horas scilicet tres, vel quatuor, & quandoque plures subsistens, ibidem in materiam albicantem, rarescentem ac tenacem, atque fermentati panis massæ non valdè dissimilem convertitur.

Alimentorũ reliquia similes fermento.

XXIII. 3. Reliquæ alimentorum, circa ventriculi rugas hærentes, atque salivæ continuò deglutitæ beneficio sensim spumosiores factæ fermento, ex massæ prædictæ portione addito sale parato omnibus modis assimilantur.

In saliva primaria fermenti vis.
Saliva natura.

XXIV. Quinimò in saliva ipsa primarias fermenti vires contineri, & ab ipsa procedere nemo negabit, qui præter jam dicta ex salivæ defectu vel vitio alimentorum in ventriculo fieri solitam mutationem deficere, vel vitiari observaverit; qui *Salivam ex Aqua multa, paucoque sale ac Spiritu imprimis constare* cognoverit.

Quænã ad Fermentationem in ventriculo concurrant.

XXV. Concurrunt autem ad alimentorum Fermentationem in Ventriculo ritè obenndam 1. *Aqua* ex potu, potulentave ciborum parte, ut & saliva petita. 2. *Ignis* moderatus à Corde per arterias cum sanguine, Ventriculo, partibusque vicinis sufficienter in sanis communicatus, aut in valetudinariis quibusdam per interna, vel externa auctus, fotusve. 3. *Liber halitibus* & quandoque ructibus quoque per œsophagum erumpentibus *exitus*. Quibus accedit 4. *Sal in saliva* latitans, & ciborum fermentationem citiorem procurans: quod in aliis etiam contingit fermentationibus, quæ admisto fermento vel sale saltem paucis quandoque horis absolvuntur, ad plures aliàs dies ante sui perfectionem duraturæ. Sed nec 5. *Partem salivæ Spirituosam* in fermentatione promovenda otiosam testatur Vini Spiritus in eundem finem aliquando utiliter assumptus, & imprimis rebus aliis fermentandis commodè admistus.

Qua ratione Alimentorum partes sint conjunctæ.

XXVI. Salis, autem, Spiritus & Aquæ in saliva existentium & Igne adjutorum ope junguntur faciliùs; sed quam priùs, laxiùs quoque inter se alimentorum variorum partes salinæ, spirituosæ, aqueæ, oleaginosæ, & si quæ adhuc insunt ipsis aliæ: quinimò exindè disponuntur eædem ad promptiorem sui ad invicem secessum; de quo aliàs.

COROLLARIA.

Effervescentia quomodo differat à Fermentatione.

1. Effervescentia ea spiritus acidi & salis lixiviosi, *aliusve subjecti cujusvis fixum salem concludentis concursu orta, toto cœlo differt à* Fermentatione. *Hujus namque finis est partium misti ad faciliorem sui segregationem dispositio per salini earundem vinculi dissolutionem: Illius autem, spiritus acidi cum lixivioso sale coagulatio, aliove subjecto concentratio, adeoque cum ipsis conjunctio.*

Et utraque hæc ab Ebullitione ex affusa vivæ Calci aqua.

2. *Sed nec* Ebullitio *ex* affusa vivæ Calci aqua *excitata cum alterutra confundi debet; cum istbæc à concluso quidem priùs calci ex calcinatione Igne, ast per accedentem Aquam à compedibus iterum liberato producatur. Liberatur autem Ignis à partibus terrestribus ipsum salis ope concludentibus, quamprimùm Terram deserit quodammodo Sal, ut irruat in Aquam, in quam non transit tamen sine admista cum Oleo tantillo Terra; cui has ortum suum debet Calcis cremor tam ejus lixivio innatans, quam subsidens.*

DISPUT. MEDICARUM II.

De Chyli à Fæcibus alvinis Secretione, atque in Lacteas Venas Propulsione in Intestinis perfecta.

I. ABsit nostro Veritatis eruendæ, ac de Ægris benè merendi studio Invicta, absit Calumnia. Neque enim aut Veterum, aut Recentiorum ulli dicam scribimus; dum in commune mortalium omnium adversa valetudine diversimodè conflictatorum bonum, citra ullius præjudicium susceptos, emensosque multis annis labores molestos & immensos publici juris facimus; nec minùs Suspiciones, quàm Opiniones nostras Veritatis trutina, *Experientia*, pensitandas, expendendas, decernendasque, uti candidè, sic & liberè promimus & liberaliter.

II. Constituimus namque, si cœptis faveat Deus, quasvis ad Vitæ naturalis beatitudinem requisitas hominis functiones delibare, ac de singulis cogitationes, observationesque nostras imò dubitationes quoque disputationibus publicis comprehensas, subsecuturis Exercitationibus Practicis, fundamenti loco præmittere, ac Eruditorum examini & censuræ subiicere; atque interim nobilia Tyronum nostrorum Ingenia utili hoc exercitio ad majora excitare & manu quasi ducere.

III. Postquam igitur nuper *Ratione Duce ac Comite Experientia*, Alimentorum ore assumptorum, atque Ciborum præsertim in Ventriculo fieri solitam mutationem tum *Chylificationis*, tum *Fermentationis* nomine multis jam tritam ventilavimus, proximum est, ut nunc pari modo *Chyli à fæcibus alvinis Secretionem, hinc & in lactea Vasa Propulsionem* pro virili parte explicemus; ac rem in Medicorum Scholis hactenus forsan inauditam cum bona omnium bonorum venia proponamus.

Misti partium secessio.

IV. Non nisi ad summum perducta Fermentatione sponte secedunt ab invicem misti partes, atque imprimis mox in auras tunc abiens *Spiritus Volatilis*: Cujus in vino abundantis exhalatione sensim in vappam degenerat Vinum.

Quando ad summum est perducta fermentatio.

V. Ad summum, inquam, perducta Fermentatione; debellato scilicet ac enervato tandem ipso etiam Spiritu Acido; à quo in misto existente copioso & unà cum Spiritu Volatili aliquatenus consurgente feriontur admotæ nares.

Acidi

VI. Hic enim *Acidus Spiritus, ex Sale per Oleum*

ab Igne

[Spiritus Cō]piritus Cō-pinctio & Sejunctio.

ab Igne distillatione parabilis, *Sali lixivioso*, *exterum ustarum cineribus per Aquam eliciendo*, & *Oleo*, hinc & *Terræ* conjungitur intimè, atque ab iisdem sejungitur difficillimè.

Secretio partium fluidiorum a viscidioribus quādo fiat.

VII. Quoties autem, uti præsenti negotio usu venit, non purissimæ quidem ac simplicissimæ, puriores tamen ac simpliciores adeoque minùs compositæ, maximèque fluidæ desiderantur misti partes; toties, ubi ad requisitum illi Secretioni instituendæ gradum ascendit Fermentatio, segregandæ sunt & sejungendæ misti partes fluidiores & futuro usui convenientiores à viscidioribus, magisque consistentibus, ideoque inutilibus.

Ad eā præter Fermētationem requiri adhuc aliam mutationem.

VIII. Hæc partium omnium fluidiorum à viscidioribus & magis consistentibus Secretio, cùm sola fermentatione obtineri nequeat (aliquarum enim secretionem illa obtineri non negamus) nova fermentatæ massæ adhucdum cohærentis mutatione atque alteratione, qua hoc præstetur, opus esse patet.

Hæc per Chymiam eruenda.

IX. Desideratam huic Secretioni mutationem, multis necdum perspectam, sed in Democriti puteo latentem ut eruamus faciliùs, libet in consilium & auxilium advocare, stupenda mirandaque indies patratantem Chymiam, primariam certè mutationum naturalium Artem, in quibusdam, si dicere fas sit, Naturam ipsam superantem, atque Physicæ Scientiæ, ut & Medicinæ solidæ constituendæ perutilem ac unicè necessariam.

Chimia laus.

Quid doceat.

X. Quosvis autem, solertes præsertim & operi attentos Discipulos infinitis exemplis docebit illa, nunquam satis laudata, quia nunquam satis exculta, vel cognita Ars, quemadmodùm ex plenè fermentatis mistis secernuntur Ignis ope destillantes partes ad primævam simplicitatem & puritatem proximè accedentes, sic ex iisdem remissiùs fermentaris, aut aliàs minùs exactè mistis separari posse partes magis compositas, fluidiores tamen, à cæteris viscidioribus, magisque consistentibus; idque admiscendo aliquid, cui ob majorem affinitatem jungantur misti partes alterutræ, desertis ac relictis cæteris: unde rursus coalescentes vel subsidunt, vel innatant desertis.

Partiū diversa separatio.

Separatio spiritus acidi a suo sulphure in vitriolo.

XI. Sic Aquæ Vitriolatæ aut Vitriolo Aqua solutio si affundas Tartari Salem itidem Aqua vel Aeris humiditate Aquea solutum, jungetur huic Tartari sali, utpote sibi magis affini, Spiritus acidus in Vitriola latitans; deseretque suum Sulphur, quod præceps liquoris fundum sensim petet: unde etiam *Præcipitationem* indigitarunt hanc mutatiunem Artifices; quæ ub admistæ Aquæ copiam faciliùs procedit & celeriùs.

Ut & Metallorū ab aquis fortibus per alia corpora.

XII. Sic Metalla Spiritu acido, Aqua forti puta, corrosa, quoties aliud Metallum, corpusve prædicto Spiritui magis affine additur solutioni, toties à Spiritu corrodente derelicta sensim subsident, dum ille immisso unitur corpori.

Effervescētia quid sit & quanam ad eam concurrant.

XIII. Hæc unitorum secretio, & uniendorum concretio, quando cum notabili aliqua uniendarum partium pugna & hinc excitato fervore contingit, *Effervescentiæ* nomen meruit. In qua semper observantur concurrere Spiritus acidus & Sal lixiviosum, corpusve lixivioso sale præditum: quod, quò purius fuerit, eò arctiùs ei jungitur Spiritus acidus & ab eodem secedit segniùs: ac vice versa.

Per hanc Chylus à facibus secernitur. Et quidem ope Bilis & Succi Pancreatici.

XIV. Simili planè modo Fermentatorum in Ventriculo Alimentorum partem puriorem, fluidiorem, Sanguinique producendo magis utilem, *Chyli* nomine notam, opinamur secerni in Intestinis ab eorundem parte impuriore, viscidiore, hominique minùs utili in *Alvinas faeces* facessente.

XV. Ut autem, cui hoc muneris adscribendum sit, pateat, notandum, instituto accurato omnium tam in brutis, quàm hominibus per Anatomen observabilium examine, hactenus duos dumtaxat animadversos loco huic usui conveniente ad intestina delatos Liquores, *Bilem & Succum Pancreaticum*, quorum alterutri, vel utrique hanc *Cyli ab Alvinis fæcibus Secretionem* omninò acceptam putamus referendam.

Deleboe Opera.

Horum liquorum effusio in intestina.

XVI. Effunditur enim ut plurimùm per communem Ductum sive Exitum uterque Liquor præfatus in cavitatem Intestinorum, & quidem quatuor circiter transversorum digitorum spatio sub Pyloro: unde commodissimè præterlabentibus alimentis fermentatis admisceri potest ac debet uterque liquor.

Quomodo id fiat in Succo Pancreatico.

XVII. *Pancreaticus Succus* cùm in peculiari vesica vel cavitate non asservetur, nec in suo ante paucos demum annos à Vvirsungo primùm observato Ductu à Nobis aut aliis, quod sciamus, benè dispositis & sanis omnibus unquam fuerit repertus; non dubitamus asseverare ipsum continuò per Ductum suum deferri ad Intestina, mutuato à Pancreate, in quo præparatur, Pancreatici nomine.

Qua ratione id fiat in Bile.

XVIII. *Bilis* autem, utpote Vesicula propria Epatis cavo insita conclusa, nec nisi in Ægris effusa tota, innotuit jam pridem omnibus. Hæc quoniam non è Corpore, sed in Corpus exorneratur, necessariam, utilemque sui productionem & coacervationem ostendit.

XIX. Effundi autem ad Intestina in Sano homine Bilem suspicamur, quoties alimenta debitè fermentata è Ventriculo propelluntur, in ac per Intestina, & quidem motu Ipsorum peristaltico in brutorum viventium sectionibus non semel oculis à Nobis & aliis usurpato: tracto scilicet in consensum Folliculo Bilario, utpote ab eadem caussa, de qua suo loco & tempore, moto.

Succus Pācreaticus parum à Saliva differt.

XX *Pancreaticum Succum naturalem nihil vel parum à Saliva differre* putamus, uti docebimus pluribus, quando ex professo de Glandularum agemus usu.

Bilis ex quibus constituatur.

XXI. *Bilem* autem si quis terminis descriptam cupiat Chymicis, & analysi Chymicæ respondentibus, arbitramur ad ejus constitutionem concurrere *multum Salis lixiviosi retorridi*, *atque ideò subpinguis*, *accedente insuper pauco Oleo*, *pauco Spiritu volatili*, *paucaque Aqua*.

Sal lixiviosum retorridū quid.

XXII *Retorridum* vocamus *Salem lixiviosum*, *qualem calcinato aut reverberato exhibet diutina.*

Hujus ope Chylus secernitur à facibus.

XXIII. Salis autem lixiviosi in Bile dominantis ope fermentatorum Alimentorum comes *Viscidiras*, ab Oleo copiosiore cum acido Spiritu pauco, Terraque pauca permisto pendens immutatur & frangitur: unde partes eorundem *Chylosie* à cæteris secedentes ab allabente perpetuo Succo Pancreatico ampliùs diluuntur, dum Bilis pars bona cum Alvinis permanet fæcibus, illasque & suo inficit colore, & nitroso impræegnat sale.

Ut & ope Spiritus Acidi. Chyli transcolatio in Venas Lacteas.

XXIV. Eandem Viscidiratem destruit Spiritus acidus copiosior, Aqua præsertim dilutus, & Olei vim frangens ac obliterans,

XXV. *Secretus* sic ab Alvinis fæcibus Chylus per *carneam* & spongiosam Intestinorum *Crustam*, veluti per pannum laneum, *transcolatur* quasi, exprimiturque in Venas Lacteas memorato Intestinorum motu peristaltico.

Chylus ex quibus componitur.

XXVI. *Chylum* autem constituunt *imprimis Alimentorum Spiritus Volatilis*, *Oleum tenuius*, *pauco Sale lixivioso*, *& Spiritu acido pauca Aqua dilutis temperatum*.

COROLLARIA.

Cùm variis utatur homo alimentis, notandum:

Quanam plurimum Chyli promant.

1. *Liquidiora & omnis pene saporis expertia, Spirituque volatili abundantia facillimè fermentari, & à fæcibus suis secerni, atque Chyli laudabilis plurimum promere.*

Quanam minus.

2. *Solidiora, viscidiora, & acido Spiritu turgentia, austera præsertim, fermentari difficiliùs & tardiùs, ab alvinis fæcibus secerni segniùs, & Chylum bonum cedere parciùs.*

Quidnam sit Alimentum, quid Medicamentū & quid Venenum.

3. *Omnia excellente atque à mediocritate recedente qualitate prædita pro Medicamento, aut Veneno habenda, non Alimento.* Nam Alimentum *judicamus, quicquid aptum est in corpore nostro immutari, ut aliqua sui parte in ipsius abeat restaurationem:* Uti Medicamentum, *quicquid aptum est corpus nostrum ita*

mutare, ut melius inde habeat: Venenum verò, quicquid ita mutat corpus nostrum, ut ejusdem intendat destructionem. Atque hac distinctione posita non difficile erit explicare, qui idem, Vinum puta, eidem homini esse queat, & fit subinde, nunc Alimentum, nunc Medicamentum, nunc Venenum.

DISPUT. MEDICARUM III.

De Chyli Mutatione in Sanguinem, Circulari Sanguinis Motu, & Cordis, Arteriarumque Pulsu.

Medicis quid maxime opus. I. DE veris Mutationum omnium in hominis functionibus indies contingentium caussis, iisque variis, ut certò constet, Medicorum, praxin præsertim exercentium, interest quàm maximè. Non erit proinde nobis hic, uti non fuit hactenus, de anxia, sterili, & quandoque (ubi secundùm definitiones morborum etymologicas, non semper rei essentiam explicantes, perperam, ne pejus dicam, curantur ægri) noxia in Arte Medica vocabulorum disquisitione Grammatica; verùm de plana veris affectionum quarumvis causis *ratiocinatione* catenata inveniendis, ac inde curationi ægrotorum debitè ac secundùm *experientiam* foeliciter instituendæ via Tyronibus nostris, ad solidam, ex ipsis Naturalium ac cum primis Medicarum rerum fontibus *Sensus* & *Rationis* ope petitam, *Usuque* multiplici comprobatam, & Ægris Ipsorum aliquando utilem futuram Medicinæ Artem aspirantibus sternenda solicitudo prima, utpote quæ egregiorum Practicorum cum morbis, non larvis pugnantium, semper fuit & erit propria, non Vitilitigantium.

Chyli via. II. A' fæcibus ergò alvinis secretus, & in Lacteas venas expressus Chylus, ex Ipsarum ramis minoribus sensim defertur in majores, donec in earundem Lacuna jungatur allabenti ab inferioribus corporis partibus Lymphæ, cum qua per Lacteam Thoracicam pereit ad Axillarem venam sinistram in quam confluunt.

Quibus misceatur. III. Chylus primùm soli Lymphæ in Lactea, hinc & Sanguini in axillari & cava vena confunditur; Sanguini, inquam, à capite, cæterisque partibus Cavæ Corde superiori unitis refluenti: cum quibus defluit paulatim versùs dextram Cordis auriculam.

Ex quibus constet Sanguis ingrediens. IV. Circa Cordis auriculam dextram delabentibus Chylo, Lymphæ & Sanguini commiscetur Sanguis à partibus omnibus Cavæ venæ Corde inferiori junctis rediens & Cor repetens.

Ejus ingressus in cor. V. Horum omnium mistura dextram Cordis auriculam subit, quæ contracta eandem in dextrum Cordis ventriculum propellit.

Accensio rarefactio & arctior mistio. VI. Misturam hanc heterogeneam accendit atque rarefacit Internus Cordis Ignis, promovetque arctiorem singulorum inter se permistionem; unde Sanguis exurgit adhuc imperfectus.

ingressus in pulmones & temperatio. VII. Hic imperfectus Sanguis è dextro Cordis ventriculo delatus per Arteriam Pulmonalem in Pulmones ab inspirato Aere in ipsis temperatur ac recreatur; sicque per Venam Pulmonalem properat in Cordis auriculam sinistram.

Regressus in cor. VIII. Ex contracta sinistra Cordis auricula nuper admissus Sanguis protruditur in ejusdem Ventriculum sinistrum.

Acultima perfectio. IX. In Cordis ventriculo sinistro accenditur iteratò & rarefit Sanguis ab eodem Igne Cordis interno, accipitque tunc ultimam sui ab Ipso perfectionem.

Ignis Vitalis sustentatio per sanguinem. X. Sustentatur autem & conservatur Sanguine alternatim in Cordis ventriculos impulso, hinc & expulso, utpote pabulo suo, ignis Cordis internus & Vitalis.

Sanguinis perfectio per ignem vitalem. XI. Perficitur vicissim ab hoc Igne Sanguis, redditurque ab ipso reparandis & augendis omnibus corporis partibus tam continentibus, quàm contentis, convenientissimus.

Sanguinis per corporis partes distributio. XII. Perfectus enim & repetita sui incensione magis Vitalis factus in sinistro Cordis Ventriculo Sanguis in omnes & singulas Corporis partes, uno pulmone excepto, per Arteriam magnam sive Aortam distribuitur.

Ejus regressus in Venas & de hinc in cor. XIII. Quoniam autem non omnis consumitur in prædictos usus Sanguis, sed aliqua dumtaxat sui parte, quicquid residuum inde manet, ac superfluum, remeat in Venas, & per Venas refluit ad Cor.

Ejus circulatio quid. XIV. Qui Sanguis è Cordis Ventriculis ad partes corporis omnes per arterias fluxus, & rursum à partibus singulis ad Cordis Ventriculos per Venas refluxus, reciprocus & continuus, circulatim & in circulum factus, *Motus Circularis* & uno verbo *Circulatio* est nominatus, vocabulis planè propriis, emphaticis & huic rei aptissimis.

Circulationis ratio & caussa. XV. Motus hujus Circularis in Sanguine observabilis & *Guglielmi Harvei Angli* de re Medica vel hoc nomine optimè meriti opera noti & descripti rationem & caussas si quis à nobis audire avear, censemus Sanguinem in Cordis ventriculis perficiendum ab innato Ipsi Igne accendi, simulque rarefieri, atque sui rarefactione majus, majusque, quo contineatur, spatium requirere, ac proinde Cordis parietes sensim magis, magisque expandere, ac sponte tandem, ubi ampliùs dilatari nesciunt Cordis Ventriculi, in Arterias non tam erupturum, quàm irrupturum, ni Cordis parenchyma sui expansione molestatum Spiritus animales in sui vocaret auxilium, qui copia convenienti accedentes contrahunt musculos parenchymatis Cordis constituentes, sicque coarctant ejusdem ventriculos, ac eadem opera sanguinem in Ipsis contentum expellunt in Arterias. *Sanguinis propulsio è Corde in Arterias.*

Cordis Dilatatio naturalis & Contractio Animalis. XVI. *Naturalem* proinde putamus vocandam Cordis Ventriculorum Dilatationem, à Sanguine rarescente factam, uti *Animalem* eorundem Contractionem per musculos absolutam, & Voluntati quodammodò parentem.

Sanguinis per Arterias motus. XVII. Propulsus in Arterias Sanguis contentum in iisdem Sanguinem propellit ulteriùs, simulque expandit arteriarum cavitatem; quæ accedente motu arteriarum peristaltico per fibras earum transversas perfecto, vicissim coarctatur, promoto & sic quoque Sanguinis per ipsas motu.

Ejus transitus ex Arteriis in Venas. XVIII. Hunc Sanguinem immediatè suspicamur ex arteriis transire in venas; non verò per intermedium partium parenchyma; nisi forsan intercurrentibus per ipsum canalibus vasorum extrema connectentibus.

Quomodò fiat Nutritio. XIX. Suspicamur prætereà, quemadmodùm in Capite Arteriæ meningem crassam prætergressæ alteram deponunt tunicam, sic easdem capillares factas simplici dumtaxat in partibus cæteris donari tunica; per quam porosam transudet, quicquid ex sanguine unicuique convenit maximè, dum reliquum pergit in Venas per anastomoses Arteriis passim continuatas.

Sanguinis Motus per Venas. XX. Admissus in Venas Sanguis ex ramis minoribus assurgit paulatim in majores, partim impulsu Sanguini à Corde & Arteriis communicato; partim Venarum ipsarum motu peristaltico; partim Sanguinis, mediante carnosa magis Venæ Cavæ, ubi Cordis auriculæ dextræ adunatur, fabrica, in Cordis auriculam dictam propulsione, atque hinc consequente aliquo in Cava vena spatio, appellenti Sanguini locum faciente.

In dextrũ Cordis Ventriculum. Et hinc per pulmonem in sinistrũ. Sãguis mobilior fit ab Igne Cordis, & movetur à partibus continentibus. XXI. Propulsus in dextram Cordis auriculam Sanguis, motu ejusdem animali sensibiliter ipsam contrahente & coarctante expellitur denuò in dextrum Cordis Ventriculum.

XXII. Ex dextro Cordis Ventriculo in Arteriam, hinc & venam Pulmonalem, atque sinistram Cordis Auriculam, tandemque in sinistrum Cordis Ventriculum similibus de caussis transfertur sanguis.

XXIII. Adeò ut ab Innato quidem Cordis Igne mobilior reddatur Sanguis accensus & rarefactus; moveatur tamen & propellatur imprimis à partibus ipsum continentibus.

XXIV. In-

Infervit Sanguinis circulatio 1. Igni Cordis nutriendo 2. Vita sustentanda.

XXIV. Infervit hæc Sanguinis Circulatio vitæ naturali confervandæ, 1. dum continuò allabente ad Cor pabulo laudabili in ardore fuo permanet Ignis Cordis internus & Innatus, vitæ fons, & Animæ, forfan, corporifve Vinculum primarium.

XXV. 2. Dum accenfo, ficque Vitali facto in Cordis Ventriculis Sanguine, eodemque quaquaverfum in omnes corporis partes difperfo in vita confervantur fingulæ: fubfequente aliàs impeditum Sanguinis arteriofi, hoc eft, Vitalis ad partes quafvis tranfitum earundem internecione ac interitu morticino.

Num Ignis Cordis integer permaneat in fua actione.

XXVI. Ut fcitu digna, fic cognitu difficilis quæftio hìc occurrit agitanda. An nempe credibile fit, fieri poffe, ut Ignis Cordis internus refluentem continuò cum Lympha, Chyloque Sanguinem accendat, & nihilominus integer permaneat, nec inde pereat?

XXVII. Quamvis autem effectus hujus mirabilis nulla reddi poffet ratio, idcirco tamen pro incredibili, aut impoffibili, adeòque falfo habendus non effet: Nam, præterquam quòd Sanguis omnis è Corde effluens calidior deprehendatur venofo, atque eo ipfo arguatur in ipfo Corde calorem illum majorem nactus Sanguis, poteft infuper poffibilitas illius effectus & affectionis fimili alio huic fimillimo illuftrari exemplo, poftquàm accenfæ lampadis aut candelæ flamma innumeras alias lampades aut candelas accendet ac inflammabit, nec tamen minùs ardere perfeverabit ipfa, uti quotidiano Vifus conftat teftimonio; cui cur cedere debeat in pari negotio Caloris fenfus idem de Cordis Igne teftimonium ferens, non videmus, nec affequimur.

Pulfus quid

XXVIII. Quemadmodùm in Sanguine, fic & in Corde, Arteriifque norabilis occurrit Motus, *Pulfus* nomine apud Medicos celebris; quapropter eundem quoque huc facientem paucis putamus enucleandum.

Conftat duplici motu.

XXIX. Conftar autem Pulfus gemino, eoque alternante Arteriarum & Cordis motu, Dilatatione puta & Contractione.

Quando Cor atque arteria dilatentur.

XXX. *Dilatari* dicitur Cor, quando ejus Ventriculi ampliantur, & parietes foras expanduntur; Arteriæ verò, quando ipfæ magis explicantur & diftenduntur.

Quando contrahantur.

XXXI. *Contrahi* è contrà dicitur Cor, quando ejus Ventriculi coarctantur, & parietes ad fefe propiùs accedunt; Arteriæ verò, quando illæ magis complicantur & anguftantur.

Caufa dilatationis Cordis.

XXXII. Dilatari diximus in fuperioribus Cor à Sanguine in ejus Ventriculis ab interno ejufdem Igne rarefacto.

Caufa ejus contractionis.

XXXIII. Contrahi verò à Spiritibus animalibus parenchyma ipfius mufculofum animali motu cientibus.

Caufa dilatationis arteriarum.

XXXIV. Dilatantur Arteriæ à Sanguine è Cordis Ventriculis in ipfas propulfo.

Caufa contractionis earum.

XXXV. Contrahuntur eædem Arteriæ motu ipfarum periftaltico.

Contractionē & dilatationē Cordis & Arteriarum non fimul fieri.

XXXVI. Hæc fi vera funt, uti vera effe putamus, utique non contrahentur fimul, non dilatabuntur fimul Cordis Ventriculi & Arteriæ; verùm dilatabuntur Arteriæ, quando & quoniam contrahuntur Cordis ventriculi, effunditurque in ipfas Sanguis; contrahentur autem viciffim Arteriæ, quando definet Cordis Ventriculorum contractio ob fanguinem ex auriculis in ipfos recens propulfum, & ab interno Cordis igne rarefcentem: quod infuper binorum Senfuum, Vifus & Tactus, confirmatur teftimonio.

Quinque circa Pulfū obfervanda.

XXXVII. Cùm autem Practicis utilis fit ac neceffaria verarum Cordis, Arteriarumque Dilatationis & Contractionis caufarum cognitio; & Arteriarum imprimis in earundem Dilatatione Tactum ictu ferienrium foleat explorari à Medicis Pulfus; ac quinque circa ipfum occurrant obfervabilia, à quibus totuplices deducuntur abfolutæ Pulfuum differentiæ; libet fingularum caufas, veras nobis vifas, ordine proponere.

1. Ejus robur & debilitas.

XXXVIII. Nam 1. ratione *Moventis*, hoc eft, Caufæ expandentis Arterias, diftinguitur Pulfus in *Robuftum* five *Validum*, & *Debilem* five *Languidum*; à Spirituum animalium ad Cordis mufculos Motorum & potenter vel languidè ipfius parenchyma contrahentium copia vel paucitate omninò deducendum, non item à Sanguinis rarefactione varia, cùm hæc æqualiter ac lentè affurgat, neutiquam cum impetu, qui tamen & in Pulfu naturali, & præfertim in præternaturali Cordis Palpitatione convulfiva exiftit manifeftus.

2. Magnitudo & parvitas.

XXXIX. 2. Pro *Spatii* in unaquaque Arteriæ expanfione occupati amplitudine diverfa diftinguitur Pulfus in *Magnum* & *Parvum*; à Sanguinis rarefactione majore vel minore, & quidem pro ipfius Sanguinis ad rarefcendum difpofitione varia pendenrem.

Harum caufa.

XL. *Sanguinem ad magis & ampliùs rarefcendum difponit Spiritus acidus mediocris, partes ipfius pingues vel oleofas blandè coagulans*, & ut interno *Igni Cordis diutiùs refiftat*, ac idcircò ampliùs explicetur, efficiens.

3. Celeritas & Tarditas.

XLI. 3. Ratione *temporis in unaquaque dilatatione* confumpti diftinguitur *Pulfus* in *Celerem* & *Tardum*; à Spirituum animalium concitatiore aut fegniore affluxu pendenrem, atque irritationem magis, minùfve urgenrem confequenrem.

4. Frequentia & raritas.

XLII. 4. Pro *temporis in pluribus dilatationibus* five pulfationibus obfervabilis *menfura* diftinguitur Pulfus in *Frequentem*, *five Crebrum* & *Rarum*; à Sanguinis incendio & rarefactione promptiore aut lentiores procedentem.

Earum caufa.

XLIII. Promptiùs autem incenditur & rarefit Sanguis ob falis lixiviofi oleo & fpiritu volatili turgentis, hoc eft, Bilis copiam ipfi admiftam; lentiùs verò, ob ejufdem paucitatem.

5. Durities & Mollities.

XLIV. 5 *Qualitatis tactilis* in arteria tangenda obfervabilis ratione diftinguitur Pulfus in *Durum* & *Mollem*; ab Arteriæ rigiditate ac tenfione vel laxitate pendentem.

ADDITAMENTUM.

Partium fanguinis unio laxa.

XLV. Plerorumque Opinionem Thefi VI. fequutus, dixi ab Igne Cordis interno accendi & rarefieri *Sanguinem*, ficque promoveri *arctiorem partium ejus fingularum inter fe permiftionem*; nunc verò, poftquam multiplicem Sanguinis tam variis liquoribus, *Spiritibus Animalibus*, *Lymphæ*, *Salivæ*, *Succo Pancreatico*, *Bili*, *Semini*, *&c.* materiam fubminiftrantis Ufum examinavi exactiùs, cenfeo *laxam duntaxat* minimèque arctam, *effe partium Sanguinis in Corde perfecti unionem.* De qua pluribus alibi.

XLVI. Quæ de *Vitali Cordis Igne* (de quo Thefi XXVI. & XXVII.) ejufque *Ortus ac Perennitatis Caufis* veris poftmodum videor mihi eruiffe, omnium judiciis exponentur brevi in II. mea de *Febribus* Difquifitione.

DISPUTAT. MEDICARUM IV.

De Spirituum Animalium in Cerebro, Cerebelloque Confectione, per Nervos Diftributione, atque Ufu Vario.

Uni vel pluribus Veterum non omnia fuiffe perfpecta.

I. QUandoquidem nullius Vifceris functio plenè cognofci poteft ignorata ejufdem fabrica, mirari fubit inter Medicos doctrinæ fama celebres occurrere aliquos tam abfurdos vel iniquos Cenfores, qui omnia ad Medicinæ perfectionem facientia uni vel pluribus Veterum perfpecta fuiffe etiam nunc apertè, palamque profiteri non erubefcant: ipfos licèt falfi arguat Experientia quotidiana; quippe quæ plurima, eaque ad folidam Sanitatis, Morborumque notitiam comparandam requifita, ab Antiquorum in Arte Medica utut excellentium virorum nemine confcripta,

folerti Anatomicorum Recentiorum opera indies adhuc promit.

Infrcia partium corporis caussa hallucinatorum errorum.

II. Et utinam tanta foret nostri in re Anatomica præ cæteris superioribus omnibus fœlicis fæculi ulterior fœlicitas, ut tandem aliquando innotesceret nobis omnium & fingularum corpus humanum absolventium partium perfecta structura & natura; quò faciliùs ad functionum in fingulis ac per fingulas fieri folitarum essentiam intimam penetrare daretur: Hujus namque defectu aberramus omnes plùs minùs à Vero; quinimò asseveramus non rarò nimis audacter multa, quæ fi non planè falfa, ficta faltem, adeòque falfitatis fuspecta esse propria cujusque dictat & nrget ardens Conscientia.

Ex ignorantia fabrica cerebri variæ opiniones.

III. Si alicubi, certè in accurata Cerebri, Cerebellique fabrica investiganda, eruenda, describendaque negligentiores aut infœliciores faltem fuere hactenus Anatomici; laboris molesti dicamne impatientes, an intricatis hìc passim minutiis ad votum extricandis impares? Unde quid mirum, fi de partis primariæ plùs fatis visui nostro in multis fe fubducentis functione in varias itum fit opiniones, fufpiciones, fictionesve?

Ejus Anatomia difficultas.

IV. Utique ignoscimus libenter omnibus & fingulis in partis hujus notabilis explicatione fatiscentibus; quò & nobis qui in ejusdem illustratione per annos plures vinginti non parùm operæ pro re nata consumpfimus, ignofcatur pariter, fi fuccessus necdum responderit nostræ, nedum aliorum forsan expectationi, & animæ fuper hac re multiplici vexationi.

V. Conabimur tamen quibusvis Veritaris Studiosis, nobisque, corporis, mentisve dotibus præstantioribus, aut aliàs instrumentorum aptiorum inventione fortunatioribus in Cerebri pervestigatione viam denuò sternere faciliorem; idqne omnia, quæ ex variis, humani præsertim Cerebri fectionibus nobis observare dedit fummus ejusdem Opifex, quæque præsenti negotio infervitura obliviosa fuggeret Memoria, proponendo, exponendoque, qnantum licebit, & fideliter, & breviter, & dilucidè.

Cerebri fubstantia.

VI. *Cerebri, Cerebellique fubstantia*, ut hinc exordium faciamus, mollis est, cohærens, extenfiva, fubpinguis, atque ideò pinguium ad instar liquefcens potiùs, quàm Lienosi parenchymatis modò diffluens; minimè verò Glandularnm plerarumque ritu firma, folida, & æquali vel inæquali dutie consistens.

Ejus continuatio cum Medulla Spinali. Quid fit cerebri Pons.

VII. *Continuatur Cerebrum Spinali Medullæ*; cujus *Radices* fubit quafi & *femi-amplectitur*, illisque adunatur *Cerebellum* parte fui centrofa; quam omnibus fuo fecandi modo inversis, ob aliquam tunc cum ponte fimilitudinem, *Pontem* nominavit *Varolius*.

Corpus Callosum. Falx.

VIII. A' binis Medullæ Spinalis Radicibus assurgens utrinque *Cerebrum per Corpus Callosum coalescit, continuaturve* in fui medio, moxque iterum ad verticem ascensurum fecedit ab invicem intercurrente *Crassæ Meningis Falce*; dum utrobique parte fui reliqua explicatur quaquaversum, imprimis autem retrorfum, ut & extrorfum, donec tandem introrfum contortum & fursum fenfim in tenuem Limbum definens & ad radicem fuam denuò accedens, ipfam undique ferè complectatur, atque fimul in latere utroque *Cavitatem*, five *Ventriculum* formet.

Ventriculi.

Extima fuperficies. Anfractus. Fissura.

IX. Hujus *Cerebri extima fuperficies* omnis per *Anfractus*, intestinorum tenuium convolutionibus quodammodo fimiles, ubique fatis profundè discriminatur, atque imprimis per notabilem *Fissuram* five *Hiatum*, ad Oculorum radices occipientem, ac fecundùm Tempora fupra, nec ultra Medullæ Radices retrorfum pergentem, atque Cerebrum utrinque in fnperiorem quidem partem grandiorem, inferiorem verò minorem dirimentem; cum comitantibus totam Fissuræ profunditatem & productionem Anfractibus, imò ipfam quoque radicis partem fupremam minorum Anfractuum rudimentis.

Tenuis Meninx.

X. Extremam hanc Anfractibus flexuofam, ut & intimam æqualem ac ventriculos conformantem Cerebri fuperficiem investit ubique *Tenuis Meninx*; infinitis *Arteriarum Carotidum* per anfractus omnes atque imprimis per dictam Fissuram ramis majoribus distributarum propaginibus capillaribus consperfa & comitata.

Lateralium Cerebri Ventriculorum Formatio & progressus.

XI. Horum *Lateralium Cerebri Ventriculorum Formationem & progressum* fi quis proinde nosse desideret, respondemus, *Non esse Ventres in ipfa Cerebri fubstantia medullari excavatos*; verùm *ex Cerebro circa fuas radices contortuplicato continuè concavatas Concamerationes*; atque fuum à parte anteriore & inferiore, ubi tenuis Carotidis Arteriæ ramus Plexui Choroidi inferitur, initium capientes, hinc fenfim retrorfum, mox furfum, deinde antrorfum circa utramque Spinalis Medullæ Radicem *Falcatim* procedentes, donec fub *Corpore Calloso in Septum* non tam lucidum, quàm *pellucidum attenuato* & ad Radices usque deorfum expanfo utrinque per foramen rotundum, aut ovale, coeant ad Infundibnli partem fnpremam & ampliorem; licet aliquanto ulterius progrediantur adhuc iidem antrorfum.

Plexus Choroidis origo, constitutio, & progressus.

XII. *Plexus Choroides* in Ventriculi laterali prædicto exortu fuam utrinque videtur habere originem, plurimis, nec nisi in Ægris ferè observabilibus *Glandulis tenui Membrana & Arteriolis* multis fimul contextis constans, & ubi *Medullæ Radicibus per Limbum connectitur undique complicata Cerebri fubstantia*, iisdem ibidem applicatus & per tenuissimas fibrillas vel canaliculos, ut & arteriolas conjunctus, donec fub præfato Septo pellucido retrorfum inter contiguum & fortè passim utrique Radici eodem in loco fibi adunatæ connexum, *nec ullam Cavitatem aut Ventriculum ibi formantem Fornicem*, Callosi corporis propaginem, magis expanfus perveniat ad *Pinealem Glandulam*; cui, ut & vicinis partibus ita colligatur, nt fine fectione aut ruptione, hoc est, vi divelli nequeat ab illis.

Corporis Callosi Hiatus Septum pellucidum dividens.

XIII. *Corpus Callosum*, ubi in Septum pellncidum incipit attenuari, *Hiatum* habere, ipfum etiam Septum quamvis tenuissimum in partes duas nonnunquam dirimentem, cum admiratione ante annum cafu observavimus, & Spectatoribus nostris demonstravimus jam aliquoties.

Arteriarum Carotidum constitutio & progressus.

XIV. Consideratione dignum est, *Carotides Arterias* Cerebro Sanguinem afferentes (idem accidit *Cervicalibus* ad Cerebellum tendentibus) ubi Meningem crassam penetrant, *alteram deponere tunicam*; & tales maxima fui parte cum Meninge tenui per Cerebri Fissuram & Anfractus omnes distributas universæ *Ipsius fuperficiei Capillares Surculos innumeros* largiri antequam perveniant ad finus, in quos tandem inferuntur, feque exonerant. Quarum per fuperficiem decurrentium arteriarum respectu paucæ funt & parvæ, quæ ipfam Cerebri Substantiam pertranfeunt Medullarem.

Venas in Cerebro Arterias non comitari.

XV. Sed nec hoc minùs videtur notabile, quòd ficut in cæteris Visceribus omnibus (uno insuper excepto Hepate, cui planè contrarium evenit) *non* item *in Cerebro ac Cerebello Arterias comitentur Venæ*, unà cum illis in totidem ferè distributiones divaricandæ, verùm aut nullæ, aut perpaucæ faltem percipiantur ex amplis Meningis crassæ Sinibus, Venis Jngularibus continnatis, ad ipfnm Cerebrum delatæ.

Cerebri fubstantia color.

XVI. Ubi nec hoc prætereundum, partem Cerebri anfractibus incifam, adeòque maximè extimam coloris esse obfcurioris, & album pauco rubore dilutum mentientis, dum interior impensè albet.

XVII. Examen quoque meretur conclufa in Radicum albicantium medio *Substantia colore fubcarneo imbuta*, quæque in Cerebro tenniori & molliori non ita difficulter aliqua fni parte feparari potest à reliqua ipfam complectente parte albicantiore.

XVIII. Plu-

Capillares Arteriolas per Cerebri substantiã deferri.

XVIII. Plurimas Capillares arteriolas per ipsam Cerebri quoque & Radicum Substantiam deferri confirmat, præter alia documenta, inflata per tubulum immissum Arteria Carotis Sanguinem in illas propellens, ac innumerabilibus punctis cruentis dissectam substantiam inficiens.

Infundibulũ & Glandula pituitaria.

XIX. In utriusque Lateralis Ventriculi concursu sub Septo pellucido spectatur *Infundibulum* sensim coarctatum, *Pituitariæ Glandulæ* connexum, & colore obscuriore atque carneo tinctum.

Medius Cerebri Ventriculus.

XX. Inter utramque Spinalis Medullæ radicem, superiore & inferiore sui parte coalescentem, *Ductus* reperitur à prædicto Infundibulo retrorsum vergens, pro *Tertio* sive *Medio Cerebri ventriculo* habendus.

Canalis.

XXI. Ab hoc Tertio inter coadunatas Spinalis Medullæ Radices conformato Ventriculo sub *Ponte nostro, Testibus & Natibus* in quatuor ipsius extremis eminentibus ornato, *Canalis* vel *Aqua ductus* est versum Quartum Cerebelli Ventriculum.

Glandula Pinealis.

XXII. In hujus autem Pontis extremitate anteriore ultra binos Testes sita est *extra Ventriculos omnes Glandula Pinealis*, utrique Spinalis Medullæ Radici parte sui latiore *Nervulo*, nerveove funiculo utrinque conjuncta, dum tenuior & acuminata inter testes retrorsum extensa & Choroidi Plexui, Quartoque sive Brevi crassæ Meningis Sinui connectitur tam firmiter, ut cum labore veniat separanda, & inflato per tubulum hoc Sinu cum annexis & adjacentibus partibus agitetur simul tota.

Alveus.

XXIII. Inter mox enarratum Pontem nostrum & Quartum in Cerebello latitantem Ventriculum alius *Canalis* reperitur, *Alveus* nominandus, ex coalitis Medullæ Spinalis radicibus formatus, ac tenui membrana ipsis superextensa concameratus.

Cerebelli constitutio & color,

XXIV. Uti sola dumtaxat Cerebri superficies per grandiores distinguitur Anfractus, sic *Cerebelli massa* penè omnis, quæ dissecta spectaculo amœno frondes arborum repræsentat, discriminatur altissimè in *Lamellas* innumeras; parte quidem illarum interna, mediaque albicante, externa verò albicantem ambiente obscuriore; singularum Lamellarum discrimen adjuvante *tenui Meninge* ipsas investiente; comitantibus eandem infinitis *Arteriarum Cervicalium* ramusculis capillaribus.

Quartus Cerebelli ventriculus. Calamus Scriptorius.

XXV. *Ventriculum quartum* dictum constituunt partes *Cerebelli* à suis *Radicibus*, *Varolanum Pontem formantibus*, prodeuntes, & post frondosas sui explicationes ad Spinalis Medullæ Radices, ubi ex *Alveo* prænominato in *Calamum Scriptorium* sensim coarctantur, complicatæ; unde nec hunc quoque Ventriculum pro Cavitate in Cerebelli substantia consistenti haberi posse patet.

Spirituum Animaliũ Confectio,

XXVI. Desinunt maxima sui parte Arteriæ Cervicales Cerebello dicatæ in *Sinum Quartum*, Cerebro, Cerebelloque intermedium, & omnium vulgò celebratorum minimum ac brevissimum.

XXVII. Atque ex hac in plurimis adhuc manca Cerebri, Cerebellique autopsiæ Anatomicæ debita descriptione nostras, intactis alienis, de Spirituum Animalium Confectione, hinc & Distributione, atque Usu Suspiciones magis deducemus, quàm Opiniones.

Ex sanguine ad Cerebrũ & Cerebellum ascendente, ea nutriri, & Spiritus Animales elaborari.

XXVIII. Suspicamur ergò 1. *Sanguinem* à Corde per Arterias Carotides ac Cervicales sursum appellentem, partim transire *in ipsam medullarem Cerebri Cerebellique substantiam, ad eorundem Vivificationem atque Nutritionem*; partim *secundùm ipsorum superficiem* deduci per ramos ipsarum capillares *ad Spirituum Animalium elaborationem*. Arteriæ namque Cerebri ac Cerebelli duntaxat, uti superiùs dictum, non item ullius alius in corpore Visceris, superficiem perreptantes innumeræ, in publicum; non privatum usum ita se superficie tenus distribui demonstrant.

Pars sãguinis spirituosa, quomodo liberetur à parte sui aquosa.

XXIX. Suspicamur præterea *per Capillarium Arteriolarum Poros* penetrare *partem Sanguinis* maximè *Spirituosum in* Cerebri Cerebellique *Corticem cinereum, hinc in mediam substantiam albicantem*; atque in hoc transitu *liberari parte sui Aquea*, penitissimè ipsi adhærente; non absimili modo illi, quo per Spongiam oleo imbutam, Cerebri medullæ subpingui hactenus, consimilem, secernitur, separatur, vel, uti loqui solent Chimici, rectificatur à suo phlegmate Spiritus Vini purissimus, Spiritui Animali natura sua proxime accedens, quod vel ex hujus per illum aut alias volatilem quemvis restauratione evincitur.

Spiritus Animalis spiritui Vini similis.

Animalem Spiritum ad partes Corporis per nervos partim deferri.

Partim in Cerebro ac Cerebello coacervari & in quem usum.

XXX. Hunc *spiritum Animalem*, 1. præ cæteris Corporis Contenti partibus omnibus simplicissimum & purissimum suspicamur. 2. partim *pergere continuò per universos Corporis Nervos* ad singulas ejusdem Partes; quod ex punctis, dissectis, aliàsve malè affectis (uti in oris tortura) Nervis deducitur commodè: partim, ubi copiosior producitur minùsve consumitur, *coacervari* præterea *per universam Cerebri, Cerebellique substantiam*, nondum in Nervos protensam, eamque adimplendo quodammodo expandere; & primò quidem ad functiones animales omnes alacriorem quemvis reddere, uti post Vini generosi moderatum usum, corporis quietem, somnumque naturalem fieri observamus; ubi autem magis adhuc exsuperat, caput etiam gravare, uti Vino potentiore leviter captis, nondum tamen ebriis, accidere videmus; donec ipso rursus in variis, quibus inservire solet, functionibus imminuto levetur novo caput onere; quemadmodùm contrà eundem nimis exhaustum, præter inexplicabilem capitis inanitatem, consequi solet corporis languor, non priùs recedens, quàm assumpto conveniente alimento, spirituoso præsertim, & concessa defatigato Corpori requie simul obrepat suavis somnus, sicque recreetur denuò misellus, & in singulas horas, imò quævis momenta mutabilis homo.

Spiritum Animalem non in totũ absumi; sed in Lymphã mutari.

XXXI. Suspicamur 3. *Spiritum Animalem* quaquaversum per Nervos translatum, *non* tamen in variis suis Usibus *mox in totum absumi*, *aut in auras evanescere*; *ast in vasa Lymphatica bona sui parte trasmeare*, ac per ipsa sub *Lymphæ* nomine *remeare* ad Sanguinem à Cerebro & Cerebello per Sinus in Jugulares Venas refluentem, utpote parte sui Spirituosa plurimùm destitutum.

Cur Lactea Thoracica Venæ Axillari implãtetur.

XXXII. Eandem ob causam suspicamur 4. *Lacteam Thoracicam implantari in Axillarem vel Jugularem Venam* sinistram; quò videlicet præter Spiritus Animales per Vasa Lymphatica undique ad ipsam recurrentes, Chylus Spiritu volatili abundans communicetur eidem *Sanguini Spiritu suo*, uti dictum, *maxima ex parte privato*.

Sanguinis partem Aquosiorem concrescere in liquorẽ: cujus variĩ effectus.

XXXIII. Suspicamur 5. *Partem Sanguinis Aquosiorem*, atque à spirituosa in Cerebri superficie novissimè secretam cum servata aliqua ejusdem portione *sub tenui Meninge coagulari in Liquorem*; qui sensim *ad Ventriculos*, hinc *per Infundibulum ad Glandulam Pituitariam* tendat secundùm naturam; dumque *pars* ejus *fluidior* pedetentim *distillat ad Uvulam*, ut blandè *irriget Fauces*, *Laringem*, *atque Gulam*, concrescere partem ejusdem *viscidiorem in Mucum* per *Nares* & quandoque per *Os* quoque *excernendum*: Quoties autem major Aquæ copia producitur præter naturam, uti non raro in multis Ægris etiam sub ipsa tenui Meninge adhuc hærens observatur, toties eandem aut in Cerebro stagnantem, aut in Nares, Fauces, Partesve Inferiores secundùm Medullæ Spinalis ductum delabentem varios, & quandoque graves, imò lethales excitare affectus.

In Plexum Choroidis Glandulis liquorem aliquẽ fieri.

XXXIV. Suspicamur 6. aliquid ex *Sanguine* & fortè aliundè quoque admissum in *Plexus Choroides Glandulis* ampliùs in *Liquorem* aliquem elaborari; quamvis in quem Usum necdum valeamus hariolari.

In Glandula Pineali Humorem præparari.

XXXV. Suspicamur etiam 7. in *Glandula Pineali* quendam *Humorem* præparari: qualis autem is sit, quemve Usum habeat, dubitamus valde.

Spiritum Animalium usus 1. in Sensibus externis. 2. in Sensibus internis.

XXXVI. Inserviunt autem *Spiritus Animales* 1. *Sensibus externis*, per Nervos ad ipsorum organa delati, & spontè, & voluntariè; quoties scilicet Objectum aliquod externum considerat & expendit Anima attentiùs & avidiùs.

XXXVII. Inserviunt iidem Spiritus Animales in ipso Celebro hærentes 2. *Sensibus Internis, Imaginationi, Ratiocinationi, Judicio ac Recordationi*: uti partim ex tenso, quasi in acri, vehementique ipsorum actione Cerebro, partim ex corporis languore profundas, & protractas Meditationes consequente apparet.

3. In affectibus Corpori communicandis.

XXXVIII. Inservire 3. videntur Animales Spiritus *Animi motibus & affectibus Corpori communicandis*; neque enim aliquid tam simplex, tam purum, tam subtile, tam æquale, tamque proinde Animæ passionibus Corpori, ac vicissim Corporis affectionibus Animæ communicandis aptum reperitur in Natura, multò minùs in Homine, quàm Spiritus Volatilis, qualem Animalem esse jam docuimus.

4. In Motu Animali.

XXXIX. Inserviunt 4. Spiritus Animales *Motui Animali*, per fibras musculorum, ut & *Motui* Canalium, Cavitatum, & Vasorum omnium *Peristaltico*, itidem per ipsorum fibras circulares absolvendo.

5. In variis contentorum in corpore alterationibus.

XL. Suspicamur denique 5. Inservire Spiritus Animales *Variis Contentorum in corpore Alterationibus perficiendis*; uti hoc vel ex unica seminis effusione copiosa cæteras functiones Animales dictas debilitante comprobari videtur, Sed de his alio tempore, si Deus volet, agemus pluribus.

DISPUT. MEDICARUM V.

De Lienis & Glandularum Usu.

Cognitio functionum læsarum quàm necessaria & quid ad eã requiratur Anatomia. utilitas.

I. NEmo unquam ex arte facit Medicinam, qui functionum quarumvis læsarum caussas proximas & remotiores non cognoverit.

II. Cognoscet illas nemo, qui partes, in quibus, & caussas omnes, à quibus secundùm naturam singulæ functiones fiunt, non præcognoverit.

III. Hæc omnia præcognoscet nemo, qui Anatomes imperitus, ac proinde contemptor, ex sui, alteriusve quantivis etiam hominis cerebri figmentis Corporis humani fabricam molitur, & nugatur.

Ex ejus neglectu variæ opiniones.

IV. Hanc Anatomes in socordibus imperitiam, hunc ejusdem in delicatulis neglectum, & in nasutulis contemptum consequuntur tam multifariæ, tam à rei veritate alienæ, tam ægris sæpenumero noxiæ de Viscerum plerorumque Usu Opiniones.

De Lienis Usu sententia ex ejus Anatome confutantur.

V. Assertionem hanc nostram confirmant inter alia plurimæ de *Lienis Usu* Veterum, Recentiorumque Sententiæ, ac accuratum Visceris hujus nobilis examen Anatomicum, tanquam ad splendidum Solis fulgentis lumen spontè ac ita dissipatontes, ut confutatione haud videantur indigere ulteriori.

VI. Sufficiet idcirco nobis ex Anatome patentem Visceris hujus præstantissimi cum aliis corporis partibus per vasa communionem & communicationem, aliaque pauca hic attingere, ut prætermissa erronearum de ejus Usu Opinionum exagitatione ac refutatione, nostras de vero Ipsius Usu deducamus & explicemus cogitationes.

Lienem rarissimè offendi,

VII. In *Cadaverum humanorum ex variis morborum generibus defunctorum* longè ultrà centum à nobis dissectorum examine atque observatione valde sumus mirati *nullum viscus*, si Cor excipias musculosum, *minùs offendi labefactum ipso Liene*; *etiam in affectibus melancholicis* perperam Lieni malè habenti vulgò adscriptis.

Et ad modũ variare.

VIII. Sumus insuper multùm mirati *nullum viscus observari, quoad magnitudinem, & figuram, magis variare eodem ipso Liene.*

Ejus substantia.

IX. Cæterum *substantia ipsius* præ viscerum reliquorum omnium substantia est *longè teneterrima, solubilis & à vasis suis facilè diffluens*, adeòque placentæ Uterinæ eatenus planè consimilis.

Communicatio.

X. Per vasa sua *communicat Lien* cum variis partibus, & quidem 1. *per Arterias cum Corde*, à quo reliquarum universi corpis partium more Sanguinem accipit perfectum.

XI. 2. *Per nervos cum Cerebro*, à quo Spiritus obtinet Animales.

XII. 3. *Per Venas cum Hepate*, ad quod per ramum suum Splenicum, hinc Venam Portæ Sanguinem deponit ac mittit copiosum.

XIII. 4. *Per Vasa Lymphatica cum communi ipsis & Lacteis Trunco*, in quem suam exonerat Lympham.

XIV. Non meminimus aliud præterea ab ullo Anatomicorum observatum, demonstratumque Vas, per quod Lieni cum aliis partibus sit vel minimum commercium.

Quæ de Vase Brevi adferuntur esse commentum.

Sanguinis circulationẽ ab Auctore in Acad. Lugd. Bat. esse introductam.

XV. Quicquid enim de *Vase Brevi* tanto cum apparatu, pompa, strepitu, & ridiculo imperitorum applausu in Theatris Anatomicis, aut alibi proferri solet à multis, id omne commentum aut somnium esse jam ante annos viginti sæpiùs evicimus, cùm ad Circularem Sanguinis motum, à Nobis primùm (absit dicto invidia) in hanc Academiam tunc introductum, atque præsentibus nonnunquam, quos honoris caussa nominamus, *D. Adolpho Vorstio, Medicinæ Professore Primario & Academiæ impræsentiarum Rectore Magnifico, Præceptore olim nostro, nunc Collega Venerando*; ut & *Joanne Walæo, Antecessore nostro Solertissimo, & tanti candoris Viro*, ut paulò postquàm hunc Sanguinis motum *Harvejanum* publicè satis acriter impugnasset, experimentorum à nobis factorum evidentia victus & captus eundem pari zelo & fervore propugnaret: His, inquam, aliisque Viris Honoratis, & Veritatis amantibus præsentibus, concorrente magna Studiosorum caterva, ad circularem illum Sanguinis motum frequenter à nobis in Horto Academico & alibi ad oculum demonstratum evertendum, inter alia cùm hoc quoque ex fictitio Vase brevi petitum, ac plerisque Herculeum visum produceretur & urgeretur argumentum, id verè ficulneum & stramineum esse Anatomica Splenici rami tam ad Ventriculum, quàm ad Lienem divaricati demonstratione & ligatura ostendimus.

Lienis Usus Sanguinis plusquam perfectio.

XVI. Quapropter jam tunc suspicati sumus, & nunc planè opinamur, postquàm nullum vas (quale observatur uterque Ureter Urinam deferens à Renibus ad Vesicam Urinariam) reperitur, quod secretum in Liene Liquorem qualemcumque, tanquam inutile corpori recrementum ad partem aliquam externam, per quam vel continuò, vel per intervalla in totum è corpore excludatur ac eliminetur, transportare queat: verùm, *Venæ duntaxat & Vasa occurrant Lymphatica, per quæ, quicquid ex Liene effertur, possit deferri*; & Venæ quidem contentum in se Sanguinem propellant in Venam Portæ & consequenter in ipsum Hepar; Lymphatica verò Vasa Lympham suam in prædictum Truncum, Ductumve communem effundant: Ea propter, inquam, opinamur. *Quicquid à Liene prodit, Sanguinis commisceri massæ*; ac proinde nullum in Liene secerni inutile, noxiumve corpori Excrementum; verùm *Sanguinem in Corde jam perfectum*, ac copiosè ad *Lienem* delatum, *ampliùs in Ipso elaborari, & quodammodò plusquam perfici*, adeò ut *Fermenti* cujusdam *Sanguinei*, *aut Tincturæ* (cum Chymicis si loqui libeat) induat ibidem naturam, cujus interventu faciliùs & celeriùs in Sanguinem abeat Chylus.

Huic etiam confert Sp. Animalis.

XVII. Huic Sanguinis exaltationi Splenicæ promovendæ non parum conferre *Spiritum Animalem* nemo ibit facilè inficias, qui per Chymiam edoctus fuerit, *Omnia Fixa unius Spiritus Volatilis ope reddi Volatilia; & Ex Fixi Volatilisatione, hinc Volatilis Fixatione manare* multis inauditas vel incredibiles, *veras* tamen *Mutationum mirabilium Tincturas.*

XVIII. Arbitramur ergò *Sanguinem à Corde per Arterias ad Lienem delatum ibidem Spiritibus Animalibus continuò eodem confluentibus commixtum, magis magisque cum ipsis permisceri & digeri; atque sic in Tincturæ aut Fermenti Sanguinei essentiam exaltari & plùs quàm perfici.*

XIX. Interim non irascimur Adversariis nostris, qui jam pridem ob Splenis caussam sæpiùs cum affectu dictam, imposito nobis *Patroni Lienis* titulo, eo ipso non tam offenderunt nos, quàm præter suam mentem condecorarunt. Laudem namque non meruisse putamus, si Usum eruimus & proposuimus verum & laudabilem Visceris laudabilis, à multis licèt, & olim & nunc nulla tamen sua culpa contempti.

In affectibus Melancholicis Lienem non esse male constitutum.

XX. Præter memoratam Lienis fabricam solius Anatomes opera detectam & eximium ejusdem Usum retegentem; idem illud Corpori utilissimum Viscus ab Inexpertorum calumniis liberat eadem Dissectio (quod nos adhuc addere oportet, quamvis ob toties laudatam hic Anatomen Ilia fortè rumpantur Momis) dum in Affectibus melancholicis, etiam diuturnis, & post multorum annorum vexationem ad mortem usque ægros comitantibus, in Cadaverum plurimorum perscrutatione innoxium & plerumque præ cæteris Visceribus satis sanum nobis manifestavit Lienem, non inflatum, non induratum, non obstructum.

XXI. Hoc, ut seriò considerent, ac per Stultorum æquè, ac Sapientum Magistram, Experientiam, tandem aliquando sapere discant, quotquot hactenus antecedentium in errore versantium gregem sunt secuti, Practicos hortamur & obtestamur ad unum omnes, quò nobiscum eximii hujus Visceris præstantiam expiscentur, atque illam ubi agnoverint, in suorum ægrorum commodum praxio Medicam in quibusdam emendent aut saltem reforment, ac errare desinant.

In Glandularum usu error.

XXII. Si in vero Lienis Usu assignando à vero aberratum est hactenus à plerisque, utique in *Glandularum Usu* designando, determinandoque erratum est adhuc magis.

Pancreaticus & Salivales Ductus ac Vasa Lymphatica unde oriantur.

XXIII. Huic autem crassu, nec diutiùs ferendo errori detegendo facem accendit eadem nunquam pro merito celebrata, Medicisque pernecessaria Anatome, dum primò *Pancreaticum*, hinc & *Salivales Ductus*, ipsaque *Vasa Lymphatica* ex conglobatis Glandulis omnibus orta vel producta retexit, atque omnibus sedulis Naturæ scrutatoribus in similes Ductus plures ulteriùs inquirendi occasionem præbuit, & inveniendi viam monstravit.

Per illos ductus liquorē quendā deferri.

XXIV. Hæc enim omnia suadent & tantùm non persuadent *ex Glandulis omnibus similia originem suam trahere Vasa sive Ductus, atque præparatum in illis Glandulis Liquorem in communem Corpori usum vel in Os, vel in tenuia Intestina, vel in communem Lactearum Truncum, vel aliò per illa Vasa deferri.*

Duo Glandularū genera.

XXV. Observantur autem, ut de Testibus nunc sileam, duo Primaria Glandularum genera.

XXVI. Sunt enim aliæ ex variis quasi partibus & minoribus Glandulis conglomeratis & cum aliqua superficiei suæ inæqualitate conglutinatis exurgentes: quales *Pancreas* existunt & *Thymus*, &c.

XXVII. Aliæ verò æqualem superficiem habentes & ex una quasi sibi continuata substantia conflatæ & conglobatæ observantur; quales *in Mesenterio, & circa Lumbos*, & alibi continentur, Vasisque Lymphaticis donantur.

Glandularum tertiū genus.

XXVIII. His addi potest, cui libuerit, Genus tertium, ab utroque prædicto valdè diversum, *Glandularum Renalium*, aut *Succenturiatorum Renum* nomine quibusdam venientium & notabilem in se cavitatem habentium, atque in Venam proximam secundùm appositam commissuræ valvulam conteota sua affundentium.

Glandularum usus.

XXIX. *Ductus proprii vel Lymphatici in Glandulis*, plerisque saltem, *observati*, & ampliùs observandi, atque *vel in Os, aut Intestina*, vel *Venas sanguineas* (quod Renalibus Glandulis accidere modò diximus) vel io *Lactearum Venarum Truncum* desinentes, ac præparatum, acceptumque à Glandulis Succum sive Liquorem eò deferentes, satis superque arguunt non coacervandis excrementis inutilibus aut noxiis, sed *elaborandis humoribus corpori utilibus & necessariis inservire Glandulas omnes.*

Qualis in Glandulis liquor.

XXX. Qualis autem *in Glandulis Liquor*, & *an in omnibus idem* paretur, disquirendum est omninò, quamvis arduum sit aliquid certi hac de re statuere.

Non in omnibus esse similem.

XXXI. Non in Glandulis omnibus similem, verùm in aliquo modo saltem dissimilem produci vel inde patere putamus, quòd *nec Glandulæ omnes sibi sunt similes, nec in similem Cavitatem exonerantur.*

Similis in Vasis Lymphaticis.

XXXII. *Similitudinem* autem majorem esse putamus *in Liquore per Vasa Lymphatica ex Glandulis* æqualibus & *Conglobatis* delato.

Peculiaris in Glandulis renum.

XXXIII. *Peculiarem* autem; ac *sui generis Liquorem in Renalibus Glandulis parari* omninò sumus persuasi.

Saliva & Succ. Pancreatis, &c. num conveniant.

XXXIV. An verò *Saliva & succus Pancreaticus, & in cæteris Conglomeratis Glandulis paratus*, hincque excretus *Liquor in plerisque conveniant*, non audemus asseverare, quamvis eò propendeamus.

In Glandulosis Succis esse similitudinem;

XXXV. Suspicamur interim *aliquam in materia ad Succi Glandulosi cujusvis præparationem concurrente existere similitudinem.*

Saliva ex quibus componatur.

XXXVI. Ut autem à maximè nota ex illis Glandularum Liquoribus vel Succis Saliva examinis nostri capiamus exordium, arbitramur, ut alibi jam innuimus, *esse in Saliva multum Aquæ, parum Spiritus Volatilis, & minimum Salis lixiviosi cum Olei, Spiritusque acidi tantillo misti, temperatique.*

Quantum ad Salivā accedat Succus Pācreaticus.

XXXVII. *Salivæ* quamvis *proximè accedere Succum Pancreaticum* suspicemur, id tamen certò asseverare non possumus, postquàm illum naturalem nunquam conspeximus, multò minùs examinare potuimus.

Lymphā esse variā.

XXXVIII. *Lympham* quod attinet, suspicamur eandem oon unius esse naturæ, verùm *differre* ipsam *quæ in Glandulis præparatur*, ab illa *quæ aliàs à partibus cæteris redit.*

Quæ à partibus corporis redit, quid?

XXXIX. Hanc enim suspicamur esse *Spirituum Animalium in suis functionibus non planè consumptorum reliquias magis aquosas*, ad novum corpori usum præstandum per hæc Vasa *refluentes.*

Quæ in Glādulis præparatur, quid.

XL. Istum verò esse *Liquorem ex sanguinis parte serosiore*, hoc est, Sale lixivioso & Aqua constante in Glandulis à reliqua massa segregata *& animali spiritu* ad easdem delato *simul mistis & elaboratis paratum.*

Succus Renalis unde.

XLI. *Succum* denique *in Glandulis Renalibus præparatum* suspicamut produci *ex Sanguine ferè toto ad ipsas affluente, ac cum animali spiritu minùs exactè misto.*

Usus Succorum & liquorum in Glandulis præparatorum.

XLII. Cui autem bono præparentur illi in Glandulis variis Succi & Liquores, ampliùs dispiciendum, oeque enim facile est id decernere.

Usus Salivæ 1. Os & Fauces madefacere.

XLIII. *Salivam* quidem suspicamur 1. non tantùm *Os totum & Fauces madefacere*, verùm continuò deglutitam & Alimentorum reliquiis aliqua sui parte viscidiore permistam *promovere in Ventriculo Fermenti novi confectionem.*

2. Cibum disponere ad fermentationem.

XLIV. Eandem suspicamur 2. quando *Cibi* assumuntur, & inter masticandum ipsa imbuuntur, *præparare eosdem & disponere ad faciliorem sui fermentationem*, cujus ab ipsa rudimentum quasi accipiunt in Ore.

3. Ejus promovere in Ventriculo fermentationem.

XLV. Eandem suspicamut 3. Ubi in Ventriculo jam sunt alimenta assumpta, & continuò deglutitur, *promovere prædictam Alimentorum fermentationem.*

XLVI. An præterea commodi aliquid corpori præstet Saliva, non audemus asserere, quamvis aliquid adhuc præstare suspicemur, de quo aliàs.

XLVII.

Succi Pancreatici Usus.

XLVII. *Pancreaticu mSuccum*, uti Salivæ non planè disparem, sic & aut *Chyli ab alvinis fecibus secretioni*; aut *ejusdem saltem per Lacteas vectioni servire*, & *Pituita mucæ in tenuibus Intestinis resistibilis materiam suppeditare* suspicamur.

Lympha Usus.

XLVIII. *Lympham in Glandulis genitam*, *si de acido Spiritu simul participare constaret*, insignem ipsius Usum afferremus; sed ob incertitudinem & dubitationem in aliud tempus differre cogimur.

XLIX. Cæterùm illam & *Sanguini & Chylo faciliùs conjungendis*, *uniendisque ministrare* suspicamur.

Liquoris in Glandulis Renalibus Usus.

L. *Liquorem* denique *in Glandulis Renalibus* ex Sanguine & Animali spiritu *paratum inservire* suspicamur *Sanguini à Renibus post Latii serosi separationem redeunti & hactenus minùs fluido à Coagulatione & coitu servando*.

DISPUT. MEDICARUM VI.

De Bilis, ac Hepatis Usu.

Omnia fieri propter finem.

I. NOn minùs piè, quàm verè dictum est à nonnullis, *Deum*, utpote Sapientissimum, Optimum & Maximum rerum omnium Authorem ac Dominum; & *Naturam*, utpote ordinariam, ordinatamque à Deo in cunctis rebus sensilibus agendi, patiendique vim & potentiam, *nihil facere frustrà*; verùm omnia propter finem Summi Opificis Majestati, adeòque Sapientiæ, Bonitati atque Potentiæ condignum, & Homini ad Creatoris sui imaginem condito utilem.

Hepar non esse Viscus inutile.

II. Quamobrem, quoties per Anatomen, admiranda Dei opera referantem, illaque oculis nostris spectanda exhibentem, animo attento Hepatis, omnium in humano corpore Viscerum facilè maximi, certè gravissimi, non tantùm Fabricam singularem; ac Venarum, quàm in ullo alio viscere, luxuriam majorem; atque Cavæ non minùs, quàm Portæ in ipso radicationem, & communionem mirabilem; verùm insuper conjuctum Ipsi Fellis Folliculum, unà cum innumeris ex ipso ortis, ac secundùm Portæ propagines intra communem utrisque Capsulam distributis ramificationibus, notabilem denique per Venam Umbilicalem & Placentam Uterinam cum Matre institutam Fœtus nondum nati communicationem, aliaque plura contemplamur ac mente volvimus: toties non possumus non succensere stupendo & minimè ferendo, excusandove quorundam ex præjudicio in tantùm excœcatorum lapsui, ut tam affabre concinnatum viscus, velut inutile, non minùs temerario, quàm ridiculo conatu proscribere non erubuerint.

Hepatis exequia ridicula.

III. Sed nec defuerunt, quod referre pudet, qui ex mure malo falcem suam in alienam messem immittere assueti, tam insigne viscus in Cadaverum sectione, uti alia multa, perperam quærentes, an invenire aut videre nolentes, ad solennes Hepatis, ad tempus quidem propter ipsorum incuriam, ut benigniùs loquamur, latitantis ac tecti, mox verò aliorum de rei veritate sollicitlorum cura retecti, atque ex latebris educti, manifestatique Exequias Medicorum Filius invitarint, atque sic semetipsos doridendos aliis propinarint.

Hepati Epitaphium perperam scriptum.

IV. Unde nec illi culpa vacant, qui ob assignatum à Veteribus Jecinori, & aliquot retrò seculis decantatum quidem, nunc verò ad Chyliferorum Vasorum per Thoracem productorum, atque insalutato Hepate Chylum rectà Cor versus deportantiam exurtum illustrem; tanquam ad nitidum & ardens Veritatis jubar concidentem & tantùm non disparentem Usum Visceri huic, quasi omni munere jam defuncto ac tumulato, Epitaphium scripserunt minùs circumspectè.

V. Quapropter, antequam *Jecinoris*, nunquam secundùm Naturam in corpore humano desiderati visceris; ut & *Bilis*, nunquam nisi præter naturam in Folliculo suo deficientis, *usum*, quem multis annis labore investigavimus indefesso, quemque post ratiocinationes, experientiasque multas & multifarias suspicamur verum, exactò hujus Ævi Literatorum exponamus examini ac censuræ, Ingenuos & Candidos Veritatis æquè, ac Publicæ Utilitatis amantes Viros omnes & singulos unicè volumus rogatos, uti suum de his, aliisque nostris circa res Naturales ac Medicas Conjecturis & Opinionibus Judicium extremum tantisper suspendant, donec paucula, quæ hactenus à nobis publici juris facta sunt, ac successivè, juvante Deo, adhuc fient, tam inter se, quàm cum iis, quæ unicuique sedulo, attentoque Veritatis scrutatori, & in praxi Medica, & in Sectionibus Anatomicis, & aliàs in Naturalibus mutationibus omnibus, Chymicis præsertim, observare datur, accuratè contulerint, & ad rectæ Rationis trutinam expenderint; quò sic de illis æquam & justum ferre queant Arbitrium: Cui uti nostra omnia lubentes submittimus, ita parvi pendimus, quòd Unus & Alter nobis non ignotus Conviciator turpis & in omnes maledicus (aliquando ab aliis, uti nunc à carnifice Conscientia, pro meritis excipiendus) ob benedictionem Divinam benignè nobis contingentem invidiæ œstro percitus more suo vel naso ringatur adunco, vel ore oblatret improbo. Qui, quoniam solida firmaque ratione, qua destituitur, nostra expugnare, aut æqualia forsan præstare nescit, calumniis saltem, quibus ut malè innutritus, ita miserè attritus cernitur, non aperto marte: ast per insidias, aut per alios etiam nunc insulsos (quippe suo periculo & damno necdum cautiores factos) laborum nostrorum fructus ad alios non minùs, quàm ad nos uberiùs ac citiùs aliàs forsitan redituros retardare, minuere, tollere, malitiosè magis quàm versutè, satagit.

Unde Usus Bilis & Hepatis eruendus.

VI. Quibus præfiscinè Adversariorum causa præmissis rectà pergimus ad Bilis, ut & Hepatis Usum nobis probabilem visum partim ex præfati Jecinoris & Bilariæ Vesiculæ structura propria, partim ex utriusque tam inter se, quàm cum aliis partibus variis per vasa sua varia communicatione multiplici, aliisque experimentis eruendum, explicandumque.

Partes Hepar constituentes.

VII. Inter Partium ad Hepatis structuram concurrentium varia genera, si Fellis Folliculum quis velit exceptum, tria, quatuorque observamus ipsi peculiaria, & 1. quidem *Venam Portæ*, ex infinitis ramulis à plerisque Infimi Ventris visceribus sanguinem revehentibus in unum truncum coeuntem, mox verò, ubi Hepar ingressa est, crassiore tunica præditam, in ramos innumeros denuò divisam & imprimis per concavam hujus visceris partem distributam. *1. Vena Porta.* 2. verò *Vasa Bilaria* ex Ductu Hepatico præsertim oriunda, multipliciter divaricata & Venæ Portæ ramos omnes ubique ramis totidem comitantia. *2. Vasa Bilaria.* 3. *Communem* utrisque Vasis prædictis complectendis dicatam *Vaginam* crassam & carnosam, in totidem cum ipsis ramificationes diductam, deductamque. *3. Communis vagina.* 4. Denique *Venam Cavam* membrana tenuissima hic constantem, ac per convexam ferè Jecinoris partem in plorimos ramos exporrectam & Venæ Portæ ramis passim occurrentem, atq; junctam. *4. Vena Cava.* Quibus 5. adderemus *Venam Umbilicalem*, nisi mox implantaretur in Portæ Venam, & obliteraretur post nativitatem, utpote quæ Fœtui duntaxat inservit in Utero materno. *5. Vena Umbilicalis.*

VIII. Observantur in eodem Hepate alia Vasa per se vix aliquid ad ejus Usum inveniendum conferentia, uti sunt: 6. *Arteriæ*, si cum Vena Cava sanguinem revehente conferantur, & paucæ, & parvæ. *6. Arteria.* Et 7. *Nervi* mediocres. *7. Nervi.* Atque 8. *Vasa Lymphatica*. *8. Vasa Lymphatica.* Quibus tandem 9. accedit *Parenchyma* Hepatis peculiare & satis firmum, ex flavo rubescens, ad Bilis mutationem ac dispositionem variam imprimis mutabile. *9. Parenchyma.*

Fellis Folliculi Partes.

IX. Fellis Folliculus, quatenus pro diversa ab Hepate parte habetur, propriam quoque obtinet fabricam, dum 1. ex *Membranis sive Tunicis* constat Vesicam Pyriformem constituentibus, unde sensim à Fundo ampliore in angustam desinit Cervicem; *1. Tunica.*

Ex

2. Ductus Bilarius. Intestinalis. Ex qua 2. prodit *Ductus Bilarius*, *Cysticus* dictus; ex quo duo alii efformantur: Quorum alter, *Intestinalis*, deorsum tendit, & circa lumborum regionem dextram in tenue implantatur Intestinum, quod ibidem sub mesenterio sinistrorsum vergens innumerabilium affectuum gravissimorum focus existit, & locus primariò affectus; *Hepaticus.* Alter verò, *Hepaticus*, sursum assurgit & cum Vena Portæ intra communem utrique Vaginam per universum, prout jam dictum, distribuitur Hepar.

Alii. X. Preter quos, observati sunt à quibusdam Anatomicis adhuc alii *Ductus Bilarii* ex ipsius Vesiculę Felleæ fundo passim exorti, atque itidem per Hepatis parenchyma, hinc communem Vaginam penetrantes, atque Venæ Portæ propaginibus itidem juncti.

3. Arteria. 4. Vena. 5. Nervi. 6. Vasa Lymphatica. XI. In Folliculo Fellis occurrunt etiam 3. *Arteriæ*; ut 4. *Venæ*; sed & 5. *Nervi*; ac 6. denique *Vasa Lymphatica*, sicut Hepatica, liquorem flavescentem vehentia; uti ante annos viginti ex ipsorum ligatura sæpiùs animadvertimus, & aliis quoque quamvis nondum plenè tunc nobis perspecta ostendimus. *Horum liquor.* Et ne verba dare videamur, Observationis hujus, quemadmodum plerarumque nostrarum Demonstrationum Anatomicarum, oculatum & locupletissimum Testem citamus *D. Franciscum van der Schagen*, etiam nunc apud Amstelodamenses Medicum Celeberrimum & Amicum Veterem.

Hepati & Fellis folliculo advehi sanguinē. XII. Ut autem ex præmissis peculiaria quorundam Vasorum munera, ut & Bilis, Hepatisque Usum verum prosequamur, non putamus aliquem de Circulari Sanguinis Motu certùm negaturum 1. *Per Arterias.* per *Arterias* advehi Sanguinem tam Fellis Folliculo, quàm ipsi Hepati.

Per Venam Portæ, ac fœtui per Venam Umbilicalem & quomodo. XIII. Ut nec 2. Advehi eidem Hepati Sanguinem per *Venam portæ*, ac privatim Fœtui per *venam umbilicalem*; & quidem non, ut fieri solet, per cæteras corporis venas, ex ramis minoribus transeundo in majores, verùm contrà, & modo huic visceri peculiari, ex ramis majoribus remeando in minores, & tandem in capillares: non tamen ad Hepatis nutritionem, cui Arteriæ ministrant, verùm in alium finem, de quo agemus inferiùs.

Ab iisdem revehi & quomodo. XIV. Sic nec 3. Revehi eundem Sanguinem à Bilis Folliculo quidem per *Venas Cysticas* in Portæ Truncum; ab Hepate verò per *Venæ Cavæ radices* in ejusdem Caudicem.

Iisdem advehi Spiritus Animales per Nervos. XV. 4. Per *Nervos* advehi dumtaxat Spiritus Animales credemus tantisper, donec urgentibus liqueat argumentis, eosdem inservire posse alliciendis, admittendisve prætereà undecumque tandem quibusvis liquoribus, illisque quòcumque demum posteà transportandis. Neque enim ullo valemus assequi mentis acumine Vasa eadem contrariis contentorum ministrare posse vectionibus, iisque eodem aut diverso tempore secundùm naturam perficiendis; cùm nullum vel naturale, vel artificiale talis affectionis nobis suppetat experimentum planum; necessarium tamen omninò, si à simili saltem aliqua sumenda foret assertionis dubiæ explanatio vel comprobatio: Neque ignoramus obscuriora illustrari quandoque, nunquam tamen probari aut demonstrari per similia.

Et Lympham per Vasa Lymphatica. XVI. 5. Per *Vasa Lymphatica* versus communem ipsi & Lacteis Venis Ductum sive Truncum deferri ipsorum Contenta unica evincitur eorundem ligatura: Deplentur namque ipsa tunc & detumescunt Truncum versus, implentur verò atque intumescunt versus Hepar & Bilariam Vesiculam. Cui experimento, suisque adeò Sensibus fidem qui derogat, Mente insuper captus credendus, & Rationis expers.

Bilis per Ductus Bilarios fluxus naturalis. XVII. Si aliqua de contentorum in præfatis Vasis motu nos ursit difficultas; quod nunc 6. de Bilis per *Ductus Bilarios* fluxù naturali cum omnibus fortè nos manet certamen, non parum nos tenet solicitos, prævidentes scilicet multorum criminationes atque calumnias; quas, postquam descendimus in arenam, excipiemus fortiter bonæ bono publico inserviendi conscientiæ clypeo, dum simul aggrediemur & oppugnabimus Adversarios gemino Victricis aliquando Veritatis gladio, Experientia & Ratione.

XVIII. Equidem, cùm ex naturali Bilis fluxu & Verus ejusdem, Hepatisque Usus, & alia innumera in Arte nostra hinc consequentia pendeant, ut in illo eruendo, determinandoque accurati simus, è re Medica & publica esse planè ac plenè sumus persuasi. *Ejusdē necessitas in Bilis & Hepatis usu constituendo.*

XIX. Videntur quidem hactenus plerique Antecessorum suorum authoritate magis, quàm evidenti ratione, aut manifesta experientia moti credidisse, *Bilem in Hepate secerni à sanguine, secretamque per Ductus Bilarios transferri in ejusdem Folliculum, vel tenue Intestinum.* *Vetus opinio de Bilis secretione, & motu.*

XX. Verum enim verò Sanguinem Venosum (agimus enim nunc imprimis cum iis, qui motum sanguinis admittunt circularem) per capillares Venæ Portæ in Hepate distributæ propagines propellendum, Bile sua, cujus ope fluidior existit, ibidem destitui & privari nemo rem attentè perpendens concedet facilè; quin Sanguini potiùs Bilem, qua fluidior fiat, in Hepate nobiscum putabit admiscendam. *Bilem à sanguine non secerni, sed eidem misceri in Hepate.*

XXI. Huc accedit faciendæ Bilis à Sanguine secretionis impossibilitas. Neque enim Liquor à Liquore, intimè ipsi conjuncto, separari potest arte, nisi per *Distillationem*, rariùs verò per *Præcipitationem*. Bilem autem ob suam promiscuè cunctis se immiscendi naturam pronam intimè sanguini conjunctam quis negabit? *Secretionis ipsius impossibilitas.*

XXII. At *Distillationi* qualicumque simili quid comminisci non datur in Hepate. *Præcipitatio* verò nulla fit, nisi accedente tertio, quod secernendorum alterutri & quandoque, separabile si sit, utrique se jungat? Cuinam autem Bilem à Sanguine præcipitandi vim tribuemus in Hepate? *Sive per Distillationem Sive per Præcipitationem.*

XXIII. *Colatura* quidem separari quoque potest Liquor Aqueus aut Serosus à pinguiore atque magis consistente ipsi confuso, non item ab ullo ipsi permisto: Bilem autem sanguini permistam quis negabit, aut contrarium probabit? *Sive per Colaturam.*

XXIV. *Exsugi* Liquor alteri per minima junctus ratione potest nulla solus; sed in hepate ne secretus quidem à sanguine: Desunt enim Instrumenta exsugendo ulli in Hepate Liquori, nedum Bili necessaria. *Sive per Consuctum.*

XXV. Neque enim Fellis Folliculus, cui tanquam primariæ hujus Machinæ parti exuctus ille videretur omninò adscribendus, ita efformatus est, ut talis ab ipso queat expectari effectus: quod manifestum fiet unicuique & naturalem, & artificialem suctum distinctè examinanti. *Cui ineptus Fellis Folliculus.*

XXVI. Quoties namque ore aliquid sugunt homines, qui nobis naturalis censetur suctus, toties labiis compressis & coarctatis vel fistulam, vel papillam, vel quidvis aliud tubulatum, & cavitati, è qua quid cupiunt exsuctum, arctè junctum complectuntur, institutaque per os inspiratione potentiore, loco aeris externi, contentum inibi aerem, aquam, vinum, lac, aliumve liquorem quemvis, aut etiam pulverem in os alliciunt, attrahuntque. *Suctus naturalis quomodo fiat.*

XXVII. Quoties verò per Follis fistulam vel latitans sub altera ipsius tabula foramen, aer aut quidvis aliud in ejusdem cavitatem allicitur, qui suctus est artificialis; toties diducuntur, explicanturque ab invicem tabulæ follis latera constituentes, quò in spatium patulum hac diductione productum alliciatur aer vicinus, aliudve quidvis eò attrahi aptum. *Suctus Artificialis qui fiat.*

XXVIII. At quid, amabò, in Vesicæ Bilariæ fabrica occurrit, quod naturali huic, artificialive suctui imitando queat inservire? Nil profectò. *Suctui inepti Ductus Bilarii.*

XXIX. Quid rursus in Ductuum Bilariorum structura observatum est unquam, quod Bilem potiùs, quàm sanguinem; imò quod alterutrum, aut utrumque ex Portæ Venæ propaginibus capillaribus ad se ac in se queat allicere? Nihil profectò.

XXX. Rogamus proinde, ut Illi, quibus etiamnum Bilis in Jecinore placet secretio, & in Bilarios

rios

rios Ductus', ipsumve Folliculum attractio, in eruendis, & clarè, distinctèque demonstrandis, Secretioni, Suctuique illi perficiendo instrumentis aptivos operam collocent sedulam; dum paucis ostendemus, *Bilis ex sua Vesicula Effusioni, Expulsionive, ut & per omnes Bilarios Ductus Propulsioni tam Ipsius Vesiculæ, quàm prædictorum Ductuum omnium fabricam impensè favere.*

Bilis ex Vesicula expulsioni, & per ductus Bilarios propulsioni favet Vesiculæ structura.

XXXI. Vesicula etenim & spontaneæ contenti Fellis æstuantis ac turgentis ex fundo ampliore in ac per angustatam sensim cervicem eruptioni convenientissima, & naturali ejusdem per sui contractionem expressioni aptissima existit, & affabrè facta,

Ductuum Bilariorum structura.

XXXII. Ductus verò Bilarii ulteriori ejusdem Fellis admissi propulsioni motu suo peristaltico absolvendæ structuram acceperunt concinnam.

Vagina Venæ Portæ constitutio.

XXXIII. Cui accedit Vagina Venæ Portæ, Bilariique Ductus Hepatici propaginibus Communis, eaque carnosa, contenti in utrisque liquoris fluxum peristaltico suo motu promovens; commodissimè quidem versus eosdem terminos, nulla verò comprehensibili ratione versus contrarios.

Bilem per Ductus Bilarios effundi, & non per eosdem allici.

XXXIV. Adeò ut Bilis è suo Folliculo per Ductus Bilarios effusionem suadeat & tantùm non persuadeat; Ejusdem autem per eosdem Ductus in Vesiculam allectionem dissuadeat & evertat tum Vesiculæ Felleæ, tum Ductuum Bilariorum omnium fabrica; uti hoc omnibus Mechanicæ leges intelligentibus meridiana luce clariùs patere putamus.

Novus Bilis generationis modus & usus.

XXXV. Quòd si proinde Bilis nec in suam Vesiculam, nec in suos Ductus alliciatur ex Portæ Venæ ramis; verùm contrà ex sua Vesicula per suos Ductus partim ad Intestina tenuia, partim ad Portæ, hinc & Cavæ Venæ ramos propellatur, utique alius planè, atque hactenus factum, assignandus Bili erit Generationis modus, alius Usus.

Metalla tingi à lapide Philosophico.

XXXVI. Suspicamur ergò, ut paucis nostras exponamus hac de re cogitationes, *Generari Bilem ex Sanguinis per arterias Cysticas ad Bilariam Vesiculam delati partibus Ipsi maximè similibus, & per ejusdem Tunicæ poros in cavitatem ipsam sensim penetrantibus, atque ibidem mox in eandem cum reliqua Bile naturam abeuntibus.*

XXXVII. Quod si metalla quævis magna licet quantitate fusam (dummodo secretioris ac sublimioris Artis Chymicæ Antistitibus adhibenda fides) ad Philosophici Lapidis excellentioris etiam paucissimi admistionem, mox itidem in Lapidem tingentem sive Tincturam similem transeant; mirum videri debet nemini, si *à Bile copiosa in suo Folliculo contenta affluens eò pars sanguinis minor in similem Bilem mutetur confestim*; cùm insuper notissimum sit Vini cantharum infusum in Aceti dolium mox converti in Acetum, sicque perpetuari posse idem Acetum.

Vinum in Acetum converti.

Bilis Usus unde innotescat.

XXXVIII. *Bilis Usum*, postquam Ipsam ex Naturæ legibus productam convenienti tempore tum ad Intestina tenuia, tum ad Portæ Venam propelli existimamus, tam ex partibus Bilem constituentibus, quàm ex contentis in dictis cavitatibus, in quas Bilem deferri docuimus, ratiocinatione sagaci elici & infinitis in praxi quotidiana observabilibus experimentis confirmari posse putamus.

Bilis partes componentes.

XXXIX. *Bilem* componentes partes si quis exquirat, non dubitamus asseverare, *constare Ipsam multo Sale lixivioso, pauca Aqua diluto, concurrente ac intimè ipsi admisto & Oleo, & Spiritu Volatili quantitate mediocri*: Quatenus proximè accedit ad Tincturas Chymicorum ex *Sale*, *Sulphure*, *ac Mercurio*, prout loqui solent, penitissimè junctis, atque ob Aquæ defectum in pulveris ferè formam redactis constantes.

Usus Vires & proprietates.

XL. Concurrere ad Bilis compositionem partes enumeratas vel ex Ejusdem Viribus & Affectionibus patere videtur. Permiscetur enim facilè Aquæ ratione sui Salis; Quòd flammam concipere potest, id suo debet Oleo; Quævis penetrat ob admistum Spiritum Volatilem; Ab Aqua denique suam habet fluiditatem: Uti ab omnibus istis simul sumptis pendent mirabiles ejusdem in corpore & extra corpus operationes.

Bilis bene & male dispositæ effecta.

XLI. Sunt autem ita inter se temperata hæc omnia in *bene disposita Bile*, ut nulla inde corpori contingat noxa, nulla in corpore excitetur turba; cùm contrà ab eadem *male affecta* innumera creentur homini & mala, & damna.

Contenta in tenuibus intestinis. 1. Humor Pituitosus.

XLII. Continetur naturaliter & quidem semper in tenuibus Intestinis, ad quæ defertur Bilis, *Humor Pituitosus*, quantum conjicere valemus, partim ex continuò deglutitæ Salivæ, partim ex assumptorum Alimentorum, partim ex Succi Pancreatici reliquiis post Bilis admistionem ortus.

2. Ore assumta.

XLIII. Continetur aliquando in iisdem Intestinis, aut per Ipsa potiùs propellitur, quicquid ore assumptum descendit in Ventriculum, atque facta in ipso longiore aut breviore mora plùs, minusve alteratum effluit, protruditurve per pylorum ad Intestina.

Illis Bilem commisceri, & quo fine.

XLIV. Hisce Bilem, & quidem secundùm Naturam commisceri autumamus, idque tam ad promovendam ex fermentatis Alimentis *Chyli à Fæcibus alvinis secretionem*, quàm etiam adjuvandam *Pituitæ Intestinalis* ex prædictis omnibus *separationem*.

Contenta in Venæ Portæ & Cavæ radicibus sanguis.

XLV. Continetur in Venæ Portæ, hinc & Cavæ radicibus, quin & per Ipsas propellitur *Sanguis* à partibus refluens variis Liene imprimis; in quo à Spiritu animali, adeòque volatili plusquam perfectum alibi docuimus Sanguinem, ac proinde Bili faciliùs & intimiùs admittendæ aptiorem.

Ut & ejus toti massæ Bilem admisceri & in quem finē.

XLVI. Huic, mox & toti massæ proximæ per minima Bilem admisceri opinamur, quò faciliùs *Incendium Vitale in Cordis Ventriculo dextro suscipere possit & in sinistro perfici.*

Quanta ex malè disposita Bile mala oriātur.

XLVII. Unde, quoties malè habet Bilis, læditur variis modis & Chyli ab Alvinis fæcibus & Pituitæ à subministrantibus ipsam materiebus Secretio, & Sanguinis in Corde rarefactio & Incensio Vitalis. Hinc quot mala homines maneant nemo in Arte Medica versatus ignorare potev, aut debet; uti aliàs Deo præsente, pluribus ostendemus.

Hepatis Usus.

XLVIII. Atque hic nobis verus videtur Bilis Usus, isque insignis; ex quo *Hepatis Usum* spontè exurgere arbitramur. *Inservit*, scilicet 1. *contiaendis firmandisque teneris Venæ Cavæ Radicibus; ut & Portæ Venæ Ramis, unà cum Bilariis Ductibus Hepaticis intra Communem Vaginam conclusis, & in capillares propagines discerptis*. 2. *Parenchymatis sui blando fotu promovet Bilis & Sanguinis per Venas prædictas refluentis permistionem.*

Vaginæ Usus.

XLIX. *Vaginæ* verò, sive *Capsulæ Communis Usus* est, *Sanguinem per Portæ Venam*, quàm per Arterias segniùs Hepar versùs affluentem, cùmque Ipsius in Hepate truncus in ramos minores, tandemque minimos ramusculos iterum dispescatur, longè difficiliùs adhuc fluxurum *in mora suo juvare, atque eadem opera Bilis quoque affluxum promovere*. Hanc ob rem Venæ Portæ tunica itidem longè crassior & carnosior est in Hepare, quàm est tunica Venæ Cavæ ibidem admodum tenuis & albicans.

Usus Meatuū ex Fellis Folliculo prodeuntiū.

L. Si generandæ, hinc & per suam Cervicem & Ductum Cysticum expellendæ Bili serviat *Fellis Folliculus*; quærat aliquis, cui *Usui* sint *Meatus complures ex eiusdem fundo passim prodeuntes*, atque itidem in Venæ Portæ ramulos implantati? Cui respondemus eidem inservire Ipsos Usui, & tum demum esse summè utiles, quando præter naturam impeditur Bilis per Folliculi Cervicem effluxus, quò *aliqua tunc saltem & è Vesicula effundatur & Sanguini admisceatur Bilis.*

ADDITAMENTUM.

Viam essa Ductu Bilario Hepatico versus Cor.

LI. Paucis post habitam Disputationem hanc diebus secuimus in Nosocomio Academico Virum, in cujus *Ductum Bilarium Hepaticum* immisso tubulo, hinc & flatu observavimus erumpentes,

macu-

maculas, mos & vesiculas subflavas per cavam Hepatis superficiem dispersas; qum sensim ipsum Hepar quodammodò intumuit; hinc & ad Cavam Venam, dextrumque Cordis Ventriculum, atque Pulmones properavit Flatus, cujus pars aliqua ex Axillari Vena dextra fortè priùs dissecta cum Sanguine erupit: certo argumento, *Viam esse patentem a ductu Bilario Hepatico versus Cor*: quod urgebamus in superioribus.

Arteriam Hepaticam in Bilarium Ductum Hepaticum inseri.

LII. Sed & aliquot mensibus post elapsis in sectione publica demonstravit Clar. D. *Ioh van Horne*, Collega noster & Anatomicus eximius, *Arteriam Hepaticam* maxima sui parte intra communem vaginam deductam in *Bilarii Ductus Hepatici ramos* inseri. Quod egregium Ipsius inventum sententiam nostram non parum confirmat, dum ipsum *Sanguinem Arteriosum bili ad Hepar delatæ admisceri* evincit; dubio procul, ut *illius motum in Hepar, vel potiùs in portæ, hinc & Cavam Venam* promoveat, quin & *ejusdem cum Saguine permistionem* facilitet.

Sanguinem Arteriosum Bili admisceri.

LIII. Nostram sententiam confirmavit quoque Experimentum die Septembris 15. ejusdem anni 1660. à Nobis in Cane factum: in quo per immissum in *Arteriam Hapaticam* tubulum Flatus ad extremos ejus ramos per vesiculæ Felleæ superficiem dispersos paulatim propulsus tandem in ipsam Bilis Vesiculam penetravit; ac ipsam distendendo *ex Arteria Hepatica in Fellis Folliculum viam patere* probavit.

Ex Arteria Hepatica in Fellis Folliculum viâ patere.

LIV. Evenit quidem nuper, 13. Novembris 1662. ut in Nosocomio publico inflata *Arteria Hepatica* penetraret Flatus ad Arteriæ Magnæ Truncum ascendentem, hinc & descendentem, atque utrumque distenderet. Quod factum putamus ratione alterius alicujus Arteriæ nobis invisæ cum Hepatica tamen alicubi communicantis; quemadmodùm id non uno in loco accidere solet Carotidis ac Cervicalis Arteriæ ramis in Capite.

Arteriam quandã cũ Hepatica communicare.

LV. Hæc ideò lubentiùs annotamus, ne quis existimet eundem successum semper expectandum institutis modo licèt simili experimentis: cum non raròimpedita reperiantur, diversimodè saltem affecta in variis subjectis Vasa: quocirca sæpiùs faciendæ sunt sectiones, sępiùs iteranda eadem experimenta, priusquàm in re inter Anatomicos controversa aliquid certi queat determinari: quod dum negligunt aliqui, ex aliorum Libris, aut propriis Commentis tantùm Docti, mirum non est, si uti temerè, sic, grandi licèt supercilio, perperam judicent de plerisque, assumentes videlicet pro fundamento certo, quicquid Authorum dissentientium aliquis statuit vel urget palato suo & placito magis favens; quamvis, an ita se res habeat, planè ignorent.

In Anatomicis sæpè iteranda experimenta.

DISPUTAT. MEDICARUM VII.

De Respiratione, Usuque Pulmonum.

I. EXaminatis ordine aliquot Nutritionis famulantibus Functionibus, libet nunc *Respirationis* naturam investigare.

Respiratio Vitæ necessaria.

II. Respirationem Vitæ hominis naturali absolutè necessariam evincit Mors eandem interceptam mox excipiens, comitansve; quando scilicet in strangulatione aç suffocatione aut extrinsecùs stringuntur, aut intrinsecùs opplentur fauces.

Ejus Materia.

III. Respirationis *Materia* est *Aer*, qui per os vel nares asperam Pulmonum Arteriam ingreditur inspiratus, & vicissim per easdem vias ipse egreditur expiratus.

Partes.

IV. Constat enim duabus Respiratio partibus, *Inspiratione* atque *Expiratione*, iisque alternatim reciprocantibus.

Modus & Vis.

V. Quamvis autem in prædictis, tanquan Sensu notis, nulla fortè occurrat difficultas, occurrit tamen gravis in *modo & vi*, quibus inspiratur, expiraturque mutuò per viam eadem Aer: Neque enim super hac re satis inter se conveniunt Medici & Anatomici. Ut proinde in re dubia & rixarum plena propositam difficultatem solvamus fœliciùs, methodum sequemur in illius deductione Analyticam, inchoando scilicet ab Effectis, in sensus externos incurrentibus, & hactenus nobis notioribus, quippe priùs ac per se innotescentibus, & pergendo gradatim ad Causas, soli Rationi per Ratiocinationem patentes, & hactenus nobis minùs, quia posteriùs ac per consequentiam demum notis.

Qua ratione fiat inspiratio & exspiratio.

VI. Binorum ergò Sensuum, Visus & Tactus, amplissimo testimonio constat, adunicuique saltem volenti, & imprimis dum decumbit semet ipsum attentè observanti constare poterit: 1. In Aeris inspiratione, ac præsertim pro lubitu auctiore, attolli, hoc est, sursum, extrorsumque moveri thoracem; abdomen verò foràs propelli. 2. In Aeris expiratione similiter auctiore introrsum ac deorsum cogi, atque adeò deprimi thoracem; abdomen verò intrò compelli.

VII. Ex quibus Sensu, Experientiaque manifestis, tanquam Datis, sequenti ratione ratiocinabatur porrò Mens nostra.

In inspiratione amplior fit Thorax.

VIII. A' pectoris musculis dum attollitur Thorax, à Diaphragmate autem contracto dum deorsum ac extrorsum propelluntur Abdominis viscera, (hęc verò ab illis ita cieri eadem testatur Experientia) necessariò amplior redditur Thoracis Cavitas.

Et Explicãtur Pulmones.

IX. Hanc Thoracis cavitatem ampliorem factam ut repleant ipsi contigui Pulmones, explicantur quaquaversùm, utpotę laudata Experientia teste spongiosi, & flexiles, adeòque explicationi predictæ aptissimi.

Ut & eorũ Caverunla.

X. Pulmonum verò explicationem comitatur necessariò Cavernularum in ipsis existentium similis expansio & hiatus major.

Quæ Aere implentur.

XI. Hiatum denique hunc ingreditur atque implet Aer externus interno, inque aspera Pulmonum arteria contento continuus.

Causa Aeris ingressus in Pulmones.

XII. Concludimus proinde *Aerem* in sui inspiratione *ingredi Pulmones, quia explicantur*; neutiquam vero dilatari aut explicari Pulmones, quod Aer ingrediatur.

In Exspiratione coarctatur Thorax.

XIII. Rursus. A' Musculis suis dum coarctatur Abdomen, introrsum & sursum urgentur conclusa hypochondriis viscera, & cum ipsis Diaphragma; eademque opera deorsum ac introrsum trahitur Thorax, (hæc autem ita fieri memorata constat Experientia) & interior Thoracis coarctatur Cavitas.

XIV. Hanc Cavitatis Thoracis coarctationem compressi coguntur sequi Pulmones, qui proinde similiter coarctantur.

Et coarctãtur Pulmones.

XV. Pulmonum autem compressionem & coarctationem consequitur necessariò Carvernularum in Ipsis existentium angustia.

Eorumque Caveruula.

XVI. Ex angustatis tandem Pulmonum Cavernulis foràs exprimitur iterum necessariò Aer modò per Inspirationem ingressus.

Ex quibus Aer expellitur.

XVII. Concludimus idcircò *Aerem* denuò *egredi Pulmones, quoniam compressi coarctantur*; neutiquam verò contrahi Pulmones ob Aeris egressum.

Causa Aeris egressus è Pulmonibus.

XVIII. Atque talis quidem fuit Mentis nostræ Ratiocinatio, visa nobis valdè probabilis & verosimillima; quam interim pro vera, probataq; non habuimus, donec eam confirmasset; sicque nos & alios certiores fecisset ulterior Experientia.

Thorax in inspiratione elevatur.

XIX. Instituimus ergò in hunc finem non unam Brutorum Viventium dissectione, atque pro modulo nostro satis accuratè singula examinantes comperimus, 1. Sensibus manifestam Thoracis elevationem, explicationemque in Ispiratione.

In Expiratione deprimitur. Musculorũ abdominis, Viscerum & Diaphragma.

XX. 2. Ejusdem Thoracis depressionem, dextractionemve, atque complicationem in Expiratione.

XXI. 3. Musculorum abdominis Contractionem ac tensionem, viscerumque in ipso contentorum versus Diaphragma, Diaphragmatis verò

versus

tis motus in Expiratione.

verius Thoracis interiora compulsionem in Exspiratione.

Diaphragmatis motus in Inspiratione.

XXII. 4. Diaphragmatis motum proprium deorsum cum notabili sui explicatione, viscerumque abdominis deorsum, extrorsumque facta propulsione, idque in Inspiratione.

Ejusdem actus in Expiratione.

XXIII. 5. Ejusdem Diaphragmatis motum alterum, itidemque proprium, & priori adversum, utpote sursum latum, cum insigni satis corporis sui complicatione & coarctatione, atque (discissis etiam & quiescentibus proinde abdominis musculis) contentorum in Thorace introrsom & sursum facta compulsione, idque in Exspiratione.

Pulmonum in respiratione conjuncti.

XXIV. 6. Pulmones, quantùm saltem hactenus ex autopsia assequi valuimus, Membranæ Costas succingenti, ut & Diaphragmati integris & illæsis, quamdiu scilicet superest aliqua Respiratio, contiguos, nec ab illis, nisi alicubi ita vulneratis & sauciatis, ut per patens vulnus pateat liber aeri externo aditus, secedentes, atque æquè ac in morte collabentes. Observantur quippe Pulmones costis priùs quasi agglutinati per vulnus inflictum eruptionem tentare, mox verò, in vulnere ni hæreant, concidere, nec ampliùs, nisi vulnere iterum occluso, obturatove explicari.

Ut & in Aeris inflatione.

XXV. 7. Inflatos per tubulum in asperam arteriam immissum Pulmones valdè explicari, eosdem verò cessante inflatione sibi relictos mox iterum concidere, ac spontè ad priorem molem naturalem redire.

Ac ejusdem exsuctu.

XXVI. 8. Pulmones eosdem, si contrà per eundem tubulum exsugatur fortiùs conclusus in ipsis aer, coarctari multùm infra molem naturalem, ad quam spontè tamen relabuntur sibi relicti.

Omnis Pulmonis motu ab externa causa.

XXVII. Ex hoc autem gemino per tubulum instituto in Pulmonibus experimento sic ulteriùs ratiocinabamur. Mediocris cùm sit moles Pulmonum naturalis, & ab illa tum expandendo, tum coarctando per vim externam abduci queant benè multùm, mox verò sibi redditi & ablata vi externa ad mediocritatem pristinam redeant spontè, probabile fit, *omnem Motum extra vel intra molem naturalem Pulmonibus contingentem ab externa deducendum causa.*

Et à qua.

XXVIII. Quòd si Causæ forinsecùs ipsi advenienti Motum suum debeant Pulmones, petendus is erit *aut à re ipsos subeunte, aut à re ipsos ambiente.*

Quænam Pulmones ingrediantur.

XXIX. Pulmones autem ingredi observantur, 1. Sanguis è contracto Cordis ventriculo dextro per arteriam ab ipsis Pulmonalem dictam eructatus. 2. Aer per arteriam asperam in Ipsos inspiratus. Eosdem 3. per nervos ingredi Animales spiritus ex consequentia habemus.

A Sanguine non expandi Pulmones.

XXX. Quamvis antem 1. permaneat in aperto per vulnus thorace Cordis motus, Ventriculique dextri æquè ac sinistri contractio, Sanguinisque adeò per arteriam pulmonalem in Pulmones propulsio, nulla tamen in Pulmonibus observatur expansio.

XXXI. Unde Pulmones ab impulso in ipsos sanguine non expandi concludimus,

Nec ab aere ipsos subeunte.

XXXII. Quamvis rursus 2. pateat læso Thorace aut Diaphragmate Aeri per Nares hinc & fauces in asperam arteriam ingressos, attamen ne sic quidem observantur expandi, explicarique Pulmones.

Nec à Spiritibus Animalibus.

XXXIII. Unde similiter Pulmones ab Aëre ipsos subeunte non expandi concludimus.

XXXIV. Quamvis tandem 3. illæsi perseverent Pulmonum Nervi, ac proinde non denegetur ad ipsos Spirituum animalium affluxus, vulnerato tamen Thorace non expanduntur ampliùs Pulmones.

XXXV. Unde itidem Pulmones à Spiritibus animalibus per nervos allabentibus non expandi concludimus.

Pulmones expandi non à re ingrediente, sed ambiente.

XXXVI. Si proinde *à re Pulmones ingrediente non fiat Pulmonum expansio, expandentur ipsi à re eosdem ambiente.*

Et quidem à Costis & Diaphragmate.

XXXVII. Ambiunt autem Pulmones proximè sua membrana investitę Costæ atque Diaphragma.

Quod probatur binis experimentis.

XXXVIII. *Ad Costarum* ergò *sive Thoracis & Diaphragmatis motum*, explicationemque *consequi Pulmonum explicationem*, atque expansionem concludimus.

XXXIX. Hanc Conclusionem confirmant superiùs allata experimenta bina sibi opposita, Pulmonum puta durante Thoracis & Diaphragmatis integritate explicatorum, Eorundemque ad alterutrius harumce partium aditum in Thoracis cavitatem liberum aeri præstans vulnus concidentium & collabentium.

XL. Unde sic ampliùs argumentabamur. Quo posito ponitur, & sublato tollitur aliquis effectus, id omninò habendum pro efficiente illius effectus causa.

Atqui posita motorum Thoracis & Diaphragmatis secundùm sui continuitatem integritate, ponitur Pulmonum expansio; sublata verò eadem illorum motorum per inflictum vulnus integritate, tollitur, cessatque Pulmonum expansio.

Ergò Thoracis & Diaphragmatis motorum secundùm sui continuitatem integritas pro Efficiente Causa est habenda Expansionis Pulmonum,

Pulmones moveri ad reciprocum Thoracis & Diaphragmatis motū.

XLI. Movebuntur proinde in sui explicatione, hinc & contractione Pulmones ad reciprocum Thoracis & Diaphragmatis memoratum sępiùs motum; hoc est, Expandentur, explicabunturque Pulmones, quoties sui elevatione Thorax, sui verò pressiune Diaphragma spatium ipsis præstant, parantque in Pectore majus? Comprimentur verò, coarctabuntur, complicabunturque iidem Pulmones, quoties sui depressione Thorax, sui verò elevatione Diaphragma spatium ipsis faciunt in Pectore minus. Quod erat probandum.

Pulmonum expansionē sequi Aeris inspirationē.

XLII. Quoties verò explicantor, expanduntur que Pulmones, toties spatium quoque majus efficitur in ipsorum substantia spongiosa per asperam arteriam cum faucibus, hinc per os & nares cum externo aere communicans; Toties proinde Aer ambiens externus & interno continuus inspiratur, hoc est, asperam arteriam ingreditur & magis tunc patula Pulmonum explicatorum spatia Implet.

Eorundem coarctationē sequi Aeris exspirationē.

XLIII. Quoties contrà complicantur, uti dictum, coarctanturque iidem Pulmones, toties spatium minus efficitur in eorundem substantia spongiosa; toties proinde exspiratur, hoc est, exprimitur denuò, propelliturque foràs per asperam arteriam, hinc & os, vel nares inspiratus priùs aer. Quod itidem erat probandum.

Vera Motus Pulmonum causa.

XLIV. Atque sic Ratiocinatione, uti putamus, catenata, solidaque elicuisse ac eruisse nobis videmur *veram causam & Rationem Motus Pulmonum tam in Aeris Inspiratione, quàm in reciproca ejusdem Expiratione.*

Pulmonum motus & Expansio.

XLV. Non moventur ergò Pulmones naturaliter motu proprio, verùm sequuntur ipsi dumtaxat Thoracis & Diaphragmatis motum, sed *nec expanduntur Pulmones, quia implentur aere, verùm aere implentur, quia expanduntur.*

Eorundem subsidentia causa.

XLVI. Quamvis autem sibi relicti (ut in Thoracis vulneribus magnis accedere docuimus per Experientiam (sponte subsiderent, sicque inspiratum denuò expellerent aerem, non subsidunt tamen, donec subsidat Thorax, eleveturque Diaphragma, vel vulneretur alterutrum, Thorax præsertim. Quod accidit, ut vulgò loqui solent, fuga vacui.

XLVII. *Contingua namque Conclusa & mobilia non minùs moventur cum continentibus quam Continua.*

Pulmones contigui Thoraci & Diaphragmati. Aer externus motū interni sequitur.

XLVIII. Contigui autem sunt in viventibus Thoraci ac Diaphragmati sani Pulmones, qui proinde in sui explicatione ac complicatione utriusque sequuntur motum.

XLIX. Aeri verò Interno Continuus est Externus; qui proinde illius quoque motum sequitur, pro re nata nunc acedens, nunc recedens.

L. Hae

Respirationis Usus.

L. Hac ratione si fiat Pulmonum motus, Aerisque Inspiratio & Exspiratio quæritur nunc meritò, *Quem in naturali vita præbeat homini Usum Inspiratus, Exspiratusque Aer?*

LI. Certè utilem, imò necessariam esse homini Aeris Inspirationem, Exspirationemque vel inde patet, quòd alterutra impedita mox angatur, sublata verò confestim è vivis tollatur homo.

Hominis vitam pendere ab Igne Cordis.

LII. Ut proinde Inspirati, Exspiratique Aeris ad vitam necessitas & utilitas cum Pulmonum Usu evidentior fiat, fundamenti loco præmittendum, *Naturalem hominis Vitam pendere proximè ab Ignis in Corde accensi*, hinc per arterias cum Sanguine quaqua versum distributi *perpetuitate*; postquam ipsius exstinctionem consequitur statim & semper mors.

Qui proptereà præservandus.

LIII. Accendi ergo & ab exstinctione præservari debet Ignis ille Cordis vitalis ad Vitæ perennitatem.

Accenditur ille effervescentia in Corde facta.

LIV. Acceditur & quidem perpetuò, (si veritatis manifestandæ, ac propagandæ ergo Conjecturas nostras ulteriores, & posteriores secundum id, quod Disp. V. thes. XLVIII. insinuavimus, publico examini subjicere licet, uti licere putamus) *Accenditur*, inquam, *Ignis vitalis ex Sanguinis tum ascendentis Bile amara imbuti, tum descendentis Lympha subacida referti in Cordis auricula dextra, hinc & ventriculo dextro confluentis effervescentia.*

Qua cuinam similis.

LV. Hanc in Corde naturaliter excitatam Effervescentiam non valdè absimilem censemus artificiosæ ex lixivio sulphuri cuivis per cocturam juncto ab aceti vel vini acidiusculi affusionem productæ.

Sanguis quomodo calescat?

LVI. Putamus insuper multas partes Igneas tum in acido Lymphæ Spiritu tum in amaro Bilis sale lixivioso semper abundantes in conflictu illo à suis compedibus liberatas; erumpentesque aggredi & ingredi partem Sanguinis Butyrosam, illamque blandè accedendo calorem illum sensui nostro manifestum causare.

Sanguini emendando inservire respirationem.

LVII. *Huic effervescentiæ, fervorique contemperando Inspirationem Aeris; halitibus verò tunc simul excitatis exterminandis Expirationem ejusdem opinamur dicatam.*

Quod probatur.

LVIII. Hujus Opinionis nostræ confirmationem petimus ex singularibus, quæ in Pulmonibus ipsis & Animalibus Pulmones habentibus occurrunt consideranda.

Pulmones solos accipere sanguinem.

LIX. Nam ut de Nervis, ac Vasis Lymphaticis nunc sileamus, utpote nihil in pulmonibus singularis ostentantibus, considerandum 1. Solos Pulmones accipere Sanguinem & tantùm ex dextro Cordis ventriculo per arteriam suam Pulmonalem.

Et eundem remittere.

LX. Considerandum 2. Solos Pulmones remittere Sanguinem & tantùm ad Cordis auriculam sinistram & ventriculum sinistrum per venam suam itidem Pulmonalem dictam.

Et Tracheam Arteriã habere.

LXI. Considerandum 3. Solos Pulmones accepisse vas continuo patulum, Tracheam videlicet arteriam: cùm venæ lacteæ, quando nullum devehunt Chylum, ita sint coactaræ atque coarctæ, atq; ut pro fibris habitæ sint olim, habeanturque adhuc hodie à non paucis præconceptæ Opinioni suæ, quàm veracibus Sensibus externis, aut illis consentienti Rationi plus tribuentibus.

Venæ Lacteæ pro fibris habitæ.

Quædã Animalia solum habere Pulmones.

LXII. Considerandum 4. Solùm Pulmones habere Animalia, quorum Cordi est annexus Ventriculus dexter.

Animalia Pulmonibus prædita calidiora.

LXIII. Considerandum 5. Animalia Pulmonibus prædita Calorem habere ac promovere in suo & Corde & Corpore majorem, quàm cætera Pulmonibus destituta.

Et in his pro ratione caloris augeri minuive respirationem.

LXIV. Considerandum 6. in singulis Animalibus Pulmones habentibus pro Caloris in ipsorum Corde accremento aut decremento, augeri, minuive Respirationem.

Finis Ventriculi Cordis dextri & Pulmonũ.

LXV. Unde liquere videtur 1. *in eundem Scopum collineare Ventriculi Cordis dextri, pulmonumque productionem.*

LXVI. 2. *Propter Ignem, hinc & Calorem auctiorem concessos iisdem Animalibus cum dextro Cordis ventriculo Pulmones.*

Calor sanguinis in corde excitatus quomodo temperetur in respiratione.

LXVII. 3. *Calorem proinde in Cordis ventriculo dextro excitatum majorem cohiberi denuò & temperari in Pulmonibus ab Aere inspirato.*

LXVIII. 4. *Huic usui inservire tum Arteriam, Venamque Pulmonalem Sanguini æstuanti devehendo; tum Arteriam asperam Aeri æstum temperaturo per Inspirationem admittendo, hinc & absoluta temperatione rursum per exspirationem emittendo destinatas.*

Et quidem quavi ac ratione, similitudine Ignis vulgaris explicatur.

LXIX. Qua vi autem, quave ratione temperet Sanguinis æstum inspiratus aer, licet non demonstret, commonstrabit saltem ac quodammodo illustrabit accuratum Ignis vulgaris Fornace Chymica conclusi & ad sui conservationem præter pabulum Aerem quoque desiderantis examen, & cum Igne nostro vitali collatio amussitata.

Majorem ignem plus Aeris requirere.

LXX. Quemadmodum enim 1. plus aeris requiritur Igni fumanti, flammantive conservando, minus prunæ: sic plus aeris desideratur temperando Igni Cordis interno in Respirantibus animalibus auctiori, minus in Transpirantibus duntaxat parciori.

LXXI. Quemadmodum 2. pro Ignis cujusvis augmento vel decremento plus vel minus aeris requiritur; Sic pro aucto, diminutove Ignis vitalis incendio augetur, minuiturve in nobis Respiratio, ac plus minusve inspiratur, expiraturque Aeris.

Pro veris diversitate diversa est Ignis vivacitas.

LXXII. Quemadmodum 3. pro ipsius Aeris diversitate observemus differre plurimum Ignis externi vivacitatem; nam existente Aere sereno, frigido & sicco, magis luculentè, potentiusque ardere solet Ignis; eodem autem existente turbido, æstuoso, & nebuloso, pluvioso, humidove, obscuriùs, debiliùsque: sic ad ejusdem Aeris mutationes nominatas deprehendimus & Ignem Cordis internum mutari sensibiliter, & Respirationem contingere variam; nam existente aere sereno, frigido & sicco, vegetior est Ignis noster Internus, proceditqua Respiratio faciliùs; eodem autem existente turbido, æstuante, & pluvioso; hebetatur Igni noster internus, proceditque Respiratio difficiliùs.

Pro major Aeris accessu potentiùs Ignem in fornace ardere.

LXXIII. Quemadmodum 4. potentiùs ardere observamus Ignem fornace conclusum, quando non tantùm parte superiore liber est fumo exhalanti exitus, verùm insuper parte inferiore liber aeri aditus & accessus; Eundem contrà languescere, quando alterutra obturatur via, superior præsertim; extinguitur enim tunc paulò post Ignis: Sic vivacior existit Ignis noster vitalis, quando præter Transpirationem integra permanet Aeris Inspiratio & Exspiratio; hebescit verò quamprimùm alterutra vel minimùm labefactatur; suffocatur denique, ubi Respiratio intercluditur. Quoniam verò eadem via recedit aer, qua priùs accesserat, idcircò cum fornacum Chymicarum fabrica similitudinem majorem habent viæ, per quas in piscibus admittitur, emittiturque Aqua, quæ ipsis esse solet loco Aeris, à nobis respirati.

Sanguini ex aere aliquid communicari.

LXXIV. Cùm autem ab inspirato aere Sanguinis æstum concludamus temperatum, necesse est, ut aliquid ex aere communicetur Sanguini, quod contrariam illi, quam in Corde accepit, producat in ipso mutationem; hoc est, quod blandè rarefactum blandiùs condenset, accensumque in ardore suo leniter compescat.

Salẽ habere vim cõdensandi.

LXXV. *Nihil* autem observatum est hactenus, quod *condensandi, hinc & æstum comprimendi vim habeat æque atque Sal.*

Eundem per aerem esse dispersum.

LXXVI. *Salem proinde puriorem ac simpliciorem per aerem dispersum suspicamur, eumque Copiosiorem hyeme aut hyemali existente aeris constitutione.*

Et in Nitro concretum.

LXXVII. Hunc *Salem* puriorem præ notis cæteris salibus omnibus *in Nitro abundantiùs concretum* testatur per notos Nitri effectus Experientia.

LXXVIII.

Ac Sanguinem condensare, quiprimarius est Pulmonum Respirationisque Usus.

LXXVIII. Concludimus igitur *Aerem Inspirationis ratione Salis sui purioris condensare denuò in Pulmonum Vasis Sanguinem in Cordis ventriculo dextro rarefactum, atque opera eadem reprimere æstum majorem in ipso simul excitatum: huncque primarium esse Pulmonum, Respirationisque Usum.*

ADDITAMENTUM.

Experimentum circa Respirationem in Cane factum.

LXXIX. Dum prælum exercent iterum hæ Disputationes, 15. nempe Ianuarii, 1663. *Ioannes Suvammerdamius*, Amstelodamensis, Discipulus meus sedulus & industrius, me vocat, experimentum à se excogitatum ac cum successu institutum ostensurus. Aperuerat vivo adhuc Cani asperam arteriam, in eamque intruserat tubulum æneum, cui Ventriculi Canini jam priùs post inflationem exsiccati pylorus cum Intestini portione itidem præparatus erat alligatus; atq; circumjecto vinculo arteriam prædictam circa eundem tubulum arctè constrinxerat. Unde mox per Colligatum illum ventriculum Respiratio in Cane omnis perficitur.

LXXX. Sed & alium ejusdem Vantriculi orificio alteri, OEsophago puta, tubulum similiter annexerat? per quem inflato Spiritum præfatum Ventriculum valdè distendit, ac confestim orificium cera obturavit. Unde amœno spectaculo Aer conclusus observabatur in thoracis, abdominisque elevatione, adeòque Inspiratione Pulmones ingredi, subsidente ac foveam notabilem exhibente dicto Ventriculo: in Thoracis autem, abdominisque reciproca depressione, adeoque Exspiratione, idem Aer è Pulmonibus repulsus nova parietum Ventriculi expansione foveam illam tenuò replebat,

Quo Autoris opinio non parum confirmatur, & al'a a sua infirmatur.

LXXXI. Quo experimento in variis Canibus postmodum e præsente simili modo repetito & succedente censeo non parùm confirmari meam de *Aere Pulmonum motum tam Inspirationis, quàm Exspirationis tempore consequente* Opinionem; atque simul infirmari Amici cujusdam mei ex aliorum placitis haustam Sententiam, quæ statuit thoracis & abdominis elevatione dispelli aerem vicinum, eundemque continuata vi propelli ad & in ejusdem (non alterius) Animalis Os vel Nares, hinc & Pulmones.

Motum omnẽ solo pulsu non absolui, sed etiã tractu.

LXXXII. Ego sanè, qui me non tantùm in rebus naturalibus *Tractus* possibilitatem (ut Scolasticorum termino utar) mente assequi, at insuper, quod primarium est, plura ejus exempla, sive experimenta observasse puto; haud accedo illis, qui *Motum omnem solo Pulsu absolvi* docent.

LXXXIII. Nec assensum meum cõget facilè, qui ex suis presuppositis, nec probatis, tanquam principiis, modo suo explicabit, nec clarè ac distinctè demonstrabit *Tellis* id, quod *Trabi* testatur Sensus externus non deceptus, sed integer ac ritè agens.

Quod experimento probatur.

LXXXIV. Et ut in modò allegato experimento hic pergam, nullum est ibi ampliùs Aeri externo cum interno & intra ventriculum post obturationem concluso, commercium; quapropter reciprocum interni ad Pulmones ingressum, hinc ex Pulmonibus egressum consequitur Ventriculi clausi satis insignia concidentia, moxque iterum distensio. Fingere autem illam Concidentiam subitò & cum manifesto & quodammodò violento mẽbranę delapsu contingentam produci ab Aere quaquaversùm propter elevatum abdomen ac thoracẽ propulso, judicent liberiùs & cordatiùs Philosophantes, an non sit hoc nimiùm suis prȩjudiciis adhærere ac tribuere.

Ut & alia ratione.

LXXXV. Quid si tubulo ex coriis densissimis & nullum Aeri transitum concedentibus pararo, atque non dicam per aquas medias & profundas, sed per transversum parietem undique arctissimè iterum circumclusum transmisso annecteretur similis Ventriculus, dum alterum tubuli extremum aspera arteria strictissimè concluderetur; an diceremus tunc Aerem thoracis, abdominisque expansione pressum per nescio quæ longissima & imaginaria itinera vias sibi quærere ac invenite ad illum Ventriculum, quem tunc tam potenter premat, ut cogatur contenti aeris pars ingredi Pulmonem? Id, si volet, credat Iudæus Apella, non Ego; qui aphorreo & caveo mihi ab omnibus præjudiciis Experientiæ evidenter contrariis.

Arteria Asperæ cũ Arteria Venaque pulmonali communio.

LXXXVI. Aliud insuper observavit ac mihi demonstravit eadem occasione *Suvammerdamius*, lentè, diuque in Pulmones adhuc calentes pressum ex dicto Ventriculo *Aerem transire tandem in Arteriam, Venamque Pulmonalem, hinc & utrumque Cordis Ventriculum*. Unde arguitur Arteriæ Asperæ cum dictis Vasis communio, tum ad Inspirati aeris partem in vasa admittendam, tum vicissim ad Halitus ex Vasis cum aere Exspiratio emittendos.

Contractionis Motus in Vena Iugulari & Cava descendente.

LXXXVII. Dum fieret hoc experimentum aliquoties, observavimus quoque manifestum Oculis *Contractionis motum in Vena Iugulari atque cava descendente*: qualem in Avibus non raro in *Cava Vena tum supra, tum infra Cor* deprehendit ac mihi quoque monstravit Anatomicus diligentissimus *Nicolaus Stenonius*, Danus, in novis Glandularum variarum circa Oculos, Nares atque alibi existentium Ductibus eruendis fœlicissimus.

Vasorum motus peristalticus.

LXXXVIII. Hoc autem in variis Venis facto experimento illustratur & confirmatur mea de *Vasorum omnium motu peristaltico* Sententia, post *Venæ Cavæ prope Cor carnosæ motum contractionis* jam olim à me visu notatum liberiùs proposita, de qua Disp. III. Thes. XX. uno verbo actum.

DISPUT.ⁿ MEDICARUM VIII.

De Vasis Lymphaticis, & Lympha.

Anatomiæ præstantia.

I. MAgna est Artis Anatomicæ ob suas ad Sensuum Externorum tribunal decernendas demonstrationes sensibiles, ideòque manifestas, certasque præstantia & gloria; quandiu scilicet intra præscriptæ Normæ cancellos sese continent Artifices omnes: Quamprimùm autem Aliquis comparata ob egregiè navatam in Arte laudatissima & Mortalibus utilissima operam condigna suis laboribus laudo atque authoritate tumidus fit ac Suffenus, moxque neglectis probationum Anatomicarum legibus Dictaturam affectat in cæteros Artis Dissectoriæ Magistros æquè, ac Tyrones: atque ab Ipsis grandi, Censorioque supercilio præ se contempti Placita sua dicam, an Præjudicia per autopsiam non satis probata, probandave cupit Oraculorum haberi loco, sibique quidvis pro lubitu fingenti & asserenti vult credi; utique excitantur necessariò inter Anatomes gnaros licet acrixæ, eæque non sine notabili Veritatis, Artis, ac Reip. detrimento.

Rixarum inter Anatomicos causa.

II. Deploranda intolerabilis hujus Superbiæ exempla & in hac & in cæteris quoque Medicinæ partibus habuimus hoc fœcundissimo aliàs Virorum in quamvis Disciplina Excellentium sæculo plurima. Et utinam non superessent adhuc ejusdem notæ nimis multa! Etenim quid frequentiùs contingint Medicinæ Alumnis, quàm in polemica, & convitiorum calumniarumque plena incidere Anatomicorum, aliorumque Scripta?

Earum medela.

III Enimverò longè satiùs foret Unumquemque Infirmitatis, quin & Ignorantiæ suæ conscium ac memorem non perfunctoriè, at seriò, continuòque considerare atque agnoscere, si quid cognoscat, habeatve, nihil se cognoscere, aut habere, quod à Luminium Patre non acceperit supernè, & quidem, non superbè sibi condendum, defodiendumve, ast benignè in commune bonum promendum, & in proximum erogandum; etiam ubi ob animi ingrati vitium se quovis bono indignos restantur plerique homines; idque ad Summi Opificis exemplar, Solis sui lumen non minùs

in ma-

in malos, quàm bonos fundentis atque à Se gratis sperandum bene actorum remunerationem probis spondentis.

Lis de Vasorũ Lymphaticorũ Structura, & eorũ ac Lympha usu. Cui implicitus Auctor.

IV. Memoratam humanæ Calamitatis sortem non quiverunt effugere detecta hoc ævo Vasa Lymphatica, tum quoad suam Structuram; tum quoad suum, latæque in se Lymphæ Usum verum.

V. Quamvis autem ob dissentientes, ac quidem cum indigna animorum irritatione atque hinc secuta scriptorum acerbitate dissentientes Anatomicos eximios satius forsan esset, donec magis sedati, compositique fuerint animi fervidiores, à scribendo Mihi temperare; Mihi cumprimis, qui uti non sum professione Anatomicus, ita nihil lucri capio, captove ex dissectionibus meis, demonstrationibusve Anatomicis, & unius Medicinæ illustrandæ causa susceptis, & omnibus, singulisque, excluso nemine, gratis patentibus: Viro tamen bono censui indignum animo quieto, pacatoque aliorum repullulascentes continuò spectare turbas & pugnas; ubi præsertim aliquid suppetere videtur, quod ipsis componendis, aut ex æquo dirimendis, discernendisque queat inservire; Cui accedit, quòd nolens volens in hanc rixosam protrahor scenam.

Et quam componere conatur.

VI. Dabo tamen operam; ut (neglectis, spretisque Libellorum famosorum à Tenebrionibus ac certis Reip. pestibus in malè sanorum hominum delectationem, atque quorumvis, bonorum imprimis malis invisorum, contumeliam scribi edique solitorum, Chimæris, puerilibusque mendaciis & eructatis turpiter in dissidentes convitiis) dabo, inquam, operam, ut citra ullius aliter opinantis offensam ea proferam in medium, quæ & meis usurpavi oculis, & non semel absque omni externo apparatu, aut ostentatione demonstravi aliis, & quavis occasione commoda etiam nunc paratus sum demonstrare quibusvis Veritatis & Boni publici Sectatoribus Experimenta, ut & quæ tum Ratiocinatione firma & solida, tum Conjectura probabili & circumstantiis convenientissima visa sunt mihi consequi ex visis Consectaria: quò sic protractæ nimiùm inter Amicos aliosque liti aut amicè sopiendæ, aut ab Artis Anatomicæ peritis (utpote quibus solis, ne Sutor ultra crepidam, hoc debetur muneris) aliquando in æquitate determinanda subministrem, quæ ad manus præsto sunt, adminicula, uti spero & confido, nec inepta, nec inutilia.

Vasa Lymphatica quæ & Lympha quid.

VII. *Lymphatica* voco *Vasa*, rectà enim ad rem propero, per quæ continuò deferri deprehenditur *Liquor limpidus* & ad Visus testimonium colore *Aqueus*: quandoque à confluente Chylo *Albicans* & *Lacteus*; raro, nec nisi post mortem in homine circa Trunci insertionem à Me, aliisque aliquoties jam observatus, *Subrutilus*; quemadmodum circa Hepar. ferè *Croceus*; eleganti nomenclatura ab Illustri Anatomico *D. Thoma Bartholino*, *Lympha* dictus.

Vasorum Lymphaticorũ partes.

VIII. Hæc Vasa Lymphatica in *Truncum* distinguo & *Ramos*.

Truncus.

IX. *Truncus* in Thorace observatur & superiore Abdominis parte, à *Cisterna Lumbari* inchoans & secundùm Arteriæ Aortæ ductum ascendens, tandemque in Venam Iugularem, Subclaviamve sinistram, vel utramque per Insertionem desinens.

Ejus insertio.

X. Insertionem hanc evincunt 1. Lymphæ, Chylique spontaneus; 2. Cujusvis Liquoris vel Aeris per siphunculum immissi artificiosus; 3. Styli blandè intrusi facilis transitus ex Trunco in prædictas Venas: quemadmodum hæc nuperrimè adhuc in publica Virilis Subjecti dissectione coram omnibus demonstravit Vir Clarissimus, *Ioannes van Horne*, in hoc Athenæo Collega meus & Anatomicus merito suo Celeberrimus.

Truncum hunc non esse Venam Lacteam.

XI. Truncum hunc quamvis Anatomici Laudatissimi Lacteis adscripserint Venis, & ab Ipsis eam denominarint, puto tamen illum commodiùs Vasis accenseri Lymphaticis; cùm Lymphæ per ipsum motus sit perpetuus, adeoque pro primario habendus; Chyli verò motus tantùm pro secundario, quippe qui post alimentorum demum assumptorum distributionem contingit, ac per intervalla duntaxat repetit.

Venas Lacteas esse ferè Vasa Lymphatica.

XII. Quinimo parùm abest, quin opiner Vasis Lymphaticis annumerandas ipsas Venas Lacteas, ea saltem sui parte, qua ultra Mesenterii Glandulas feruntur versus Cisternam; cùm ab omnibus Glandulis Conglobatis in quacunque corporis regione existentibus, quales quoque sunt Mesentericæ, producta observentur Vasa Lymphatica.

Lympham commisceri Chylo, & cui usui.

XIII. Unde ampliùs suspicor præparatam in Mesenterii Glandulis Lympham commisceri allabenti Chylo, ipsumque magis magisque disponere faciliori ejusdem cum Sanguine in Vena Jugulari, vel Subclavia confusioni; ut & mox secuturæ Sanguinis in dextro Cordis Ventriculo Effervescentiæ.

Trunci forma.

XIV. Truncum in sui medio plerumque bifurcatum, iterumque coeuntem observarunt omnes. Eundem ter in animalibus retis modo in plures ramificationes distinctum, denuoque concurrentem à se repertum, & ante octennium in Tab. II. Fig. 4. delineatum publici juris fecit Anatomicus Insignis, *D. Olaus Rudbeck*. Cui simile quid Ego quoque observavi in Cane, & quidem in loco Trunci insertioni valde propinquo; ubi contortum mæandrum descripsit & figura edita expressit Anatomicus Industrius *D. Ludovicus De Bils*: unde ab utroque hoc Authore diversimodè licet propositas, pro iisdem tamen habendas suspicor Trunci hujus in se redeuntes Divaricationes reticulatas: quales in pulmonum præsertim superficie observavit, & in posteriùs editarum Figurarum 2. exhibuit laudatus *D. Rudbeck*.

Vasorum Lymphaticorũ rami.

XV. Continuatos Trunco Vasorum Lymphaticorum Ramos, & in *Viscera*, & in *Artus*, & imprimis in *Conglobatas Glandulas* protentos animadverterunt Anatomici Solertiores.

Eorundem Valvulæ.

XVI. In Vasorum Lymphaticorum Trunco, & in conjunctis Ipsi Ramis *Valvulas* contineri cavitate sua sursum versus insertionem spectantes non semel docuit me, aliosque Anatomica Experientia: In diversis enim Trunci locis impediebatur Lympha, ne deorsum aut extrorsum, hoc est, in Ramos annexos propelli posset; cùm & ex Ramis omnibus in Truncum, & per Truncum versus Insertionem promoveatur ipsa semper, in Vivis quidem spontè, in Demortuis autem appresso stylo facillimè.

Ex Vasorũ Lymphaticorũ fabrica Lymphæ motus, materia, ortus, qualitates & usus deducendi.

XVII. Atque hæc de Vasorum Lymphaticorum fabrica præmittenda erant investigando, explicandoque *vero Lymphæ* per dicta Vasa *Motui*: quem determinare conabimur ejusdem Anatomes ope, cùm non satis conveniat de Ipso inter dissidentes hoc etiam nomine Anatomicos Egregios, aliquidque lucis ex hujus dubii elucidatione sit affulsurum certiùs eruendis, clariusque ac distinctiùs enarrandis Lymphæ tum Materiæ & Ortui, tum Qualitatibus & Usui.

Lymphæ motus qui 1. in Venam Jugularẽ & subclaviam sinistram.

XVIII. Cùm ergo 1. Naturalis & facilis observetur Lymphæ, Chylique in Venam Jugularem, Subclaviamve sinistram Ingressus; impossibilis verò Sanguinis ob Valvulam appositam in Lymphaticum Truncum ex dictis Venis Egressus, Apertionem illam & Vasorum Liquores colore, ac consistentia diversos vehentium communicationem à Summo Deo concludo ordinatam duntaxat Lymphæ, Chyloque ad dictas venas delatis admittendis.

2. Ex Ramis in Truncum.

XIX. Cùm 2. Valvulæ concedant quidem Lymphæ, Chyloque in Truncum, ac per Truncum in Venam Iugularem, Subclaviamve sinistram affluxum, impediant verò eorundem, postquam ipsas præterfluxerunt, refluxum, nisi, ut aliquoties in dissectionibus observavi, applicentur, apprimanturve Stylo, vel alia re quavis Vasorum lateribus Valvulæ fluxum extrorsum priùs morantes; aut continuato aeris inflatu, liquorisve tepidi præsertim infusione distendantur sensim eousque Vasa, ut ad Valvularum non æquè distendi aptarum latera penetrare possit

possit aer inflatus, liquorve infusus: iterum concludo Lymphæ, Chylique Motum proprium esse ex Ramis omnibus in Truncum, & consequenter in Venam Jugularem aut Subclaviam, neutiquam verò ex Trunco in Ramos qualescumque.

XX. Cùm 3. instituta ubivis Vasorum Lymphaticorum ligatura detumescant mox ipsa supra ligaturam versus Truncum, intumescant contrà infra eandem ligaturam, & quidem magis magisque, dum pars ipsorum superior & Trunco vicinior Lactearum Venarum ritu obliteratur ferè, ac fibram tenuem repræsentat, iterum concludo Naturalem Lymphæ Motum esse à partibus & Ramis extremis versùs Truncum, hinc & Venas Sanguineas.

Demonstratus in Homine.

XXI. Hoc experimentum non tantùm in Brutis à pluribus est institutum: sed insuper in homine. Nuperrimè namque id in Iuvene tribus post decollationem horis adhuc calente cum fœlici successu tentavit, ac Me, aliisque Medicis præsertim non paucis præsentibus in Scroto, Crure atque Brachio præstitit, & postmodum publicè demonstravit jam nominatus Anatomicus Accuratissimus *D. Iohan. van Horne*.

Lympham non moveri à Trunco in Ramos.

XXII. Effugia verò quærere videntur, qui se argumenti à Lymphaticorum Vasorum ligatura petiti vim eludere posse putant, si dicant, ligari tunc simul cum Lymphaticis Vasis Venas sanguineas. Esto enim, ligentur simul hæc Vasa. An non utrorumque similiter ligatorum intumescentia & detumescentia similis arguet similem contentorum in utrisque motum, à corporis puta Circumferentia ad Centrum, sive Cor?

Vasa Lymphatica separatim posse ligari.

XXIII. Adde quòd seorsim, & intactis Venis, Arterusque ligari queant, & non semel à Me, aliisque ligata sint Vasa Lymphatica, quod & in modò memorato juvene factum est, consequente nihilominus prædicta Ipsorum Intumescentia, Detumescentiaque.

Eadem non tantùm supergredi & amplecti Venas, sed & ab iis separata progredi.

XXIV. Observandum enim Vasa Lymphatica non tantùm supergredi & subinde amplecti quodammodo Venas Sanguineas: verùm non raro ab ipsis separata progredi per circumfusam sibi pinguedinem, modo planè consimili ei, quo per Mesenterium ferri deprehenduntur Venæ Lacteæ à Mesaraicis Sanguineis sejunctæ, atque pinguedini immersæ.

E vicinis Vasis in Lymphatica nihil deferri.

XXV. Sed nec argumenti hujus potentissimè stringentis Veritas obscuratur, fingendo aliquid è vicinis vasis deferri in ligata Lymphatica, quæ ultra ligaturam intumescunt. Neque enim sufficit hoc afferre, cùm idem sit afferenti probandum, & ostendenda sint ab effari hujus Authoribus Vasa illa observatum Liquorem in Lymphatica ultra ipsorum ligaturam advehentia. A quo liquore mirum est non impleri ac distendi potiùs, aut saltem simul Ligatorum Vasorum Lymphaticorum partem Trunco suo viciniorem: cùm inter ipsam & Truncum nulla sit per Ligaturam impedita communicatio, non intumescit tamen ipsa; sed sensim adeò detumescit, ut penè dispareat & ad fili tenuis crassitiem in circumjecta pinguedine delitescat, quemadmodum jam monui, & idem Lacteis Venis contingere significavi; & quidem, meo judicio, eadem prorsus de causa.

Motus Lymphæ à Corporis partibus ad Truncum

XXVI. Non verebor ergò, aut hæsitabo ex præmissis omnibus simul collatis certò tandem concludere, *Motum Lymphæ omnis Naturalem esse à partibus corporis quibusvis Vasa Lymphatica obtinentibus versus Truncum, & consequenter Cavam Venam, dextrumque Cordis Ventriculum.*

Ex collatis cōtrariarū sententiarū argumentis elucere veritatem.

XXVII. Quemadmodum autem ab omnibus examinanda in medium protuli argumenta, quibus existimo patere ac probari Motum Lymphæ ex Ramis Lymphaticis omnibus in communem Truncum, & sic porrò usque ad Cor ipsum: ita opto & rogo, ut quisquis contrariam, vel diversam tuetur sententiam, promat itidem argumenta, quibus promotus est ac deductus in eam, cui adhæret, opinionem; quò non tantùm Contraria, vel Diversa juxta se posita magis elucescant, sed tandem aliquando ex collatis simul argumentis utrinque prolatis quæsita Veritas citiùs, faciliùsque inveniatur, & nuda omnibus manifestetur.

Nullius Opinionis esse prærogativam.

XXVIII. Nulli siquidem Mortalium, & falli & fallere proclivium, vel jure debetur, vel à prudente viro gratis unquam concedetur in Affectionum rebus naturalibus contingentium investigatione aliquod Cerebri sui commentum citra probationem sufficientem à Sensu integro, vel Ratione certa petendam pro Vero afferendi, & incautis aut inexpertis credendum obtrudendi prærogativa.

Quomodo fides sensibus adhibenda.

XXIX. Grave siquidem, atque absurdum videtur bene oculato Testi suis non tantùm diffidere, sed in totum fidem detrahere, imò abrogare Sensibus externis, atque pro falso habere, quod adhibita omni requisita circumspectione viderit sæpius suis oculis, ut credat alii dogmata sua non satis probanti, nec cum necessariis circumstantiis per autopsiam coram omnibus, ac imprimis agitatæ rei peritis & dissentientibus demonstranti.

Quandiu observatio dubia, ut & falsitatis suspecta esse debet.

XXX. Non nego quidem fieri posse, quod in dies mihi, aliisque accidere novi, ut Aliquis aliquid observet ab aliis nondum, vel non plenè observatum, illud idem tamen mihi est, imò esse debet, dubium ac incertum, quandiu id ipsum meis non percepi Sensibus; quin imo illud idem meritò suspectum est mihi falsitatis aut fallaciæ, quando ex illo Observato, fide historica duntaxat sumendo, quia celato aut denegato, ab inventore, Fautoribusve, aut aliis deducitur, ac reverà consequi videtur Affectio, cujus contrarium meridiana luce clariùs mihi constare puto per Experientiam semper modo eodem mihi, aliisque secundùm omnes circumstantias accuratè consideratas occurrentem, adeoque manifestam.

XXXI. Donec igitur tandem aliquando ex offusæ undique obscuritatis latebris quovis erroris fuco liberata erumpat Temporis Filia, Veritas, pergeodum ad alia circa Lympham ex conclusis à me exurgentia Quæsita ordine solvenda. Quæritur enim 1. *Ubinam, & in qua Parte*; 2. *ex qua Materia*; 3. *denique in quem Usum præparetur Lympha?*

Lympham esse utilem.

XXXII. *Utilem* profectò Corpori Liquorem Lympham esse arguit ejusdem cum descendente ad Cor Sanguine confusio: Inutilis enim, excrementitiaque si foret, Urinæ in Renibus secretæ ad instar, non admisceretur Ipsa Sanguini; verùm, quemadmodum Urina ex Renibus per Ureteres in Vesicam deducitur, ac per Urethram foras excluditur, ita per canales huic Functioni peculiariter ordinatos aut immediatè aut mediatè propelleretur extra Corpus Lympha.

Ubinam Lympha generetur.

XXXIII. Utilis ergò cùm sit Corpori *Lympha*, inquirendum diligenter in *Locum*, *in quo generetur Ipsa*. Hunc autem non unum, aut uniusmodi comperiemus; postquam Ipsam à plerisque, non tamen ab omnibus, Corporis partibus, affluentem testatur Experientia. Neque enim à Renibus; aut Conglomeratis Glandulis, Pancreate puta, Glandulisque Salivalibus hactenus, quod sciam, ab ullo observata prodire.

Lympham sanguini confundi.

XXXIV. Ubi ulteriore examine, eoque accurato digna videtur occurrere Observatio, qua constat, Sanguinem à Corde quaqua versùm per Arterias delatum ad idem Cor referri undique per Venas, dum Lympha ab omnibus Partibus Nervos notabiles accipientibus per sua Vasa & Truncum advehitur & confunditur Sanguini ad Cor descendenti, exceptis jam notatis partibus.

Renum functio.

XXX. *Renes* siquidem inutile corpori recrementum foras propellendum secernunt à Sanguine, mox per Ureteres demittunt idem in Vesicam, post aliquam moram per Urinarium meatum voluntariè excludendum.

Ut & Glandularum.

XXXVI. *Glandulæ* autem *Conglomeratæ* utilem corpori Liquorem in se præparatum effundunt

Conglomeratarum. dunt in Cavitatem talem, ex qua viæ sunt manifestæ, atque patentes ad cæteras corporis partes omnes, & quidem per intermedia Vasa Lymphatica. Sic Glandulæ Maxillares, tam Superiores, quàm Inferiores, Salivam io se confectam per Ductus proprios in Oris Cavitatem deponunt; quæ maxima sui parte deglutiri solet in Ventriculum; à quo ulteriùs propellitur ad Intestina: Sic Glandulæ Pancreas conformantes Succum in se paratum per Ductum peculiarem cootinuò in Tenuis Intestini ad dextri Renis regionem contorti, ac sub Mesenterio sinistrorsùm tendentis Cavitatem per eundem ut plurimùm emittunt Hiatum, per quem ex sua Vesicula defluit ad Intestina Bilis: unde per Lacteas Venas aperta est via regia ad Vasorum Lymphaticorum Truncum, &c.

In partibus corporis quomodo producatur Lympha. XXXVII. Ex Partibus autem, à quibus ad Truncum suum affluere observatur Lympha, (quasque in Viscera, Artus, sive Musculos cum Membranis, & Glandulas Conglobatas, distinxi jam in superioribus) quoniam *Viscera* singula, ut & *Musculi* Functionem publicam obeunt à Lymphæ præparatione longè diversam; quæ ab Ipsis abit Lympha, non primariò, at secundariò duntaxat putanda est produci in Ipsis.

Glandularum Conglobatarum functio. XXXVIII. Quoniam verò nulla hactenus innotuit *Glandularum Conglobatarum Functio publica*, non immeritò quæritur, an non ea sit *Singularis cujusdam Lymphæ Confectio*? quod suadere videntur modò citatæ Glandulæ Conglomeratæ Salivam, aliumve Liquorem Salivæ analogum & affinem in se geoerantes, ac per Ductus suos in Os, aut Intestina protrudentes: Unde quid magis probabile potest inferri, quàm simili modo *parari* & quidem *Actione Conglobatarum Glandularum propria Lympham peculiarem*, & à Viscerum, Musculorumque Lympha in quibusdam diversam?

De Lymphæ esse diversitatem. XXXIX. Utique non videtur Lympha à partibus tam diversis affluens, pro eadem vel consimili habenda, sed potiùs pro diversa: Quemadmodum enim Sanguis à quibusdam partibus ex nutritione duntaxat ipsarum restitans videtur refluere, ab aliis verò, (ut silentio nunc prætercam illas, in quibus, Cerebro puta & Renibus, aliquid secretum est à Sanguine, utile vel inutile) postquam in Ipsis aliquid accessit Sanguini, eundem immutans & alterans; uti id ex professo alibi asserui de Liene ac Hepate: ita Lympha videtur à quibusdam partibus refluere, tanquam superfluitas alicujus eò confluentis Liquoris; ab aliis verò, tanquam Liquor ampliùs in ipsis elaboratus & alterius rei accessu mutatus.

Animales Spiritus esse materiam Lymphæ. XL. Talis autem si censeatur Lymphæ Generatio, quæritur, A Quonam igitur Liquore suum ortum probabiliter accipiat Lympha? Cui quæsito ut satisfaciam, respondeo, Suspicari me *Animalibus Spiritibus originem suam primariam debere omnem Lympham*. Quemadmodum enim plus Sanguinis advehitur singulis partibus, quàm illis opus est ad sui nutritionem; unde quod redundat, refluit per Venas: ita videtur mihi verosimillimum Spiritus Animales continuò deferri ad partes singulas per Nervos, & quidem majori copia, quàm ut semper in ipsarum Functiones consumantur omnes; unde superstites ipsorum reliquiæ referantur per Vasa Lymphatica, quæ proinde desinant in Venas Cerebro proximas, quò Sanguini à Cerebro, Cerebelloque relabenti, & ob præviam Spirituum Animalium ex parte Sanguinis Spirituosa, Volatilique Confectionem minùs spirituoso denuò admistæ latum ipsius resarciant damoum: quamobrem etiam opinor hanc esse urgentem Trunci Lymphatici in Jugularem, Subclaviamve Venam Inserti rationem; cui similem ab admisto Spiritu Acido, de quo mox: deducendam existimo.

Lymphæ motus facilior diuturniorque. XLI. Hunc Lymphæ ex Animalium Spirituum reliquiis ortum confirmare videtur Lymphæ, quàm Sangoinis, facilior, diuturniorque motus: nam aliquot etiam post mortem horis ligata intumescent Vasa Lymphatica, non item Venæ Sanguineæ, ut ex præmissa constat observatione.

Animalibus Spiritibus admisceri Spiritum Acidum. XLII. Quemadmodum autem alibi argumentis variis probare tum conatus; Bilem admisceri Sanguini per Hepar refluenti, ita adducor nunc, ut Suspicer, *Animalibus Spiritibus ad Conglobatas Glandulas per Nervos delatis admisceri in iisdem Spiritum Acidum ex affluente ad Ipsas Sanguine in Ipsis secretum*.

Spiritum Acidū sæpè in corpore observari. XLIII. Huic meæ Conjecturæ ansam dedit *Spiritus Acidus* non rarò satis purus in corpore observatus, etiam absque ullius rei manifestè acidæ usu vel abusu.

Infantium Affectus frequentissimus. XLIV. Sic 1. (ut de Febrium Intermittentium, Affectionis Hypochondriacæ, similiumque Generatione nihil nunc addam) frequentissimus est in hisce regionibus affectus, & Infantes nuper natos per Ventris tormina, Nauseas, Coagulati lactis Vomitus, Abdominis à Flatibus distenti Angustias, hinc & consequentes nonnunquam Hernias, Alvi Adstrictiones, mox & Fluxus, Dejectiones Versicolores, plerunque tamen variè Virescentes, & Acidum spirantes, tandemque Insultus Epilepticus mirè affligens, ab Acido Spiritu cum Bile in tenuibus Intestinis effervescente dubio procul originem suam accipit; uti hoc tam ex præmissis Symptomatibus comitibus, quàm insequente Cura, per alterantia & purgantia ex Arte instituita, unicuique ad omnia attendenti patere potest.

Dolores ex improviso oborti. XLV. Sic 2. Dolores atrocissimi in quavis Corporis parte subinde iostar fulminis ex improviso oborti, vel aliàs acutissimè lancinantes, certissimum præbent Spiritus Acidi in corpore separatim existentis, valde mobilis, & partes Sensu præditas rodentis argumentum.

Quanam sint acria, Sal lixiviosum quid. XLVI. *Quicquid* enim *præter Ignem acre, mordaxque observatur in rerum aatura, id omne aut est Spiritus Acidus, aut Sal Lixiviosum* vel, cum Plioio ut loquar, *Lixivium*; quippe quod ex rerum combustarum Cineribus vel sponte Aeris humidi & Aquei ope abit in lixivium, vel affusa Aqua elicitur, iterumque ad salis consistentiam decoqui potest; quo acriore utimur ad fonticulos cuti inurendos, diciturque tunc Cauterium potentiale. Nullum autem mihi ad recensitorum doorum alterutrum non reducendum incidit hactenus Acris oomine dignum.

Cauterium potentiale quid.

Acredo in Sale Lixivio & Spiritu acido unde. XLVII. Ubi observandum & Salem lixivium, & Spiritum Acidum iosignem ab Igne suam obtinere acrimoniam; cùm uterque ex materia Salina Ignis acrioris vi paretur, & tantò existat acrior, quantò acriorem expertus est Ignem: quod Nemo ignorat, negatve, nisi Chymiæ ignarus.

Spiritum Acidum in corpore non gigni, sed ab aliis separari. XLVIII. Cùm autem nullus io Corpore accendi queat Ignis tantus, talisque, quanto, qualique opus est ad Spiritus Acidi confectionem; non credendus est ullus in corpore propriè paratus Spiritus acidus, sed à suis duntaxat primariò temperantibus impedimentis, oleo puta & Spiritu Volatili separatus & liberatus.

Ossium Caries unde. XLIX. Sic 3. Ossium Caries eundem agnoscit Acidum spiritum nimis purum in corpore existentem; quod ex præviis sæpenumero Doloribus intolerabilibus & à sola aciditate deducendis liquet. Acrimonia siquidem à Lixivo Sale oborta fixior permanet in eodem loco, partemque affectam videtur urere, dum Spiritus Acidus partem à se correptam repetitis laocinationibus impetero, aut lacerare, aut perforare judicatur.

Saliva Acida. L. Eandem Conjecturam meam confirmavit Saliva spbinde tam acida reddita, ut aliorum acidorum assumptorum ad instar Dentes stupefaciat.

Unde fiat. LI. Salivam verò in Glandulis Maxillaribus Conglomeratis præpatari cum jam sit Anatomes gnaris notissimum, Aciditas in ipsa deprehensa sequetur vel prædictarum Glandularum, eorumve quæ ad Ipsarum integritatem con-

currunt, utpote *in quibus*; vel Materiæ unius, aut multiplicis, *ex qua* debet parari, Vitium qualecunque.

Succus Pancreaticus, quando. LII. Unde, quoties Acida non observatur in Ore Saliva, adsunt nihilominus eitra commissum aliquod in Assumptis erratum Acidi humoris in Ventriculo, vel Intestinis sævientis documenta; toties arbitror (cùm à Bile amara & acido adversa id nequeat deduci) Succum Pancreaticum aciditate nimia peccare, atque vel ipsius Pancreatis requisitorumve in Ipso, vel Affluentis ad ipsum Sanguinis, aliorumve culpa id accidere.

Spiritus Acidi temperati præparatio ubi fiat. LIII. Ex hisce autem sic porrò sum argumentatus. Si Aciditas in Saliva, vel, hac integra, in Ventriculi, Intestinorumve contentis observata notabilis & noxia, assumptis tamen alimentis minimè acidis neutiquam adscribenda, ortum suum debeat Efficienti, Materialive Salivæ, Succive Pancreatici Causæ vitiatæ, nimiùm scilicet acidæ, fit valdè probabile, institui, absolvique naturaliter aliquam Spiritus Acidi, sed temperari præparationem in prædictis Glandulis Maxillaribus & maximè in Pancreaticis, utpote consistentia firmioribus, hinc & Acido Spiritui resistere magis aptis.

Acidorum humorum materia à sanguine Arterioso. LIV. Acidorum humorum Materiam Glandulis præbet Sanguis arteriosus: in quo partes acidas existere arguit tum ejusdem è vasis suis effusi coagulatio in grumos; tum Ossium in Aneurismate ab arterioso sanguine facta corrosio & consumptio.

Spiritus Acidus temperatur à Spiritu Volatili. LV. *Temperatur Acidi Spiritus Acrimonia* præsertim *à Spiritu Volatili* eundem facillimè sibi unitum demulcente; Ita vini Spiritus cum Salis Spiritu cohobatus eundem sic lenit, ut dulcis tunc vocetur Artificibus.

Ut & à Pinguibus. LVI. *Temperatur* eadem *Spiritus acidi Acrimonia à Pinguibus* omnibus, sed difficilius, nisi propter admistum pinguedini saltem lixivium, cum Ipso coeuntibus.

Spiritus Acidus & Volatilis, Sal lixivii & Oleum quomodo jungantur. LVII. Quemadmodum enim nullo negotio penitissimè junguntur Spiritus Acidus & Volatilis, atque Lixivo Sali facilè admiscetur Oleum; ita è contrà difficiliùs combinantur spiritus Volatilis & Sal lixivum, omniumque difficillimè Spiritus Acidus & Oleum.

Et quidem in Glandulis Conglobatis in Pancreate in Glandulis Maxillaribus. LVIII. Unde, si quid valeo hariolari, In Glandulis Conglobatis uniuntur Spiritus Volatilis & Acidus, quod ex Lympha constat liquidissima; in Pancreate verò Spiritus Acidus & Oleum, quod ex Pituita Intestinorum patet Viscidiore; in Maxillaribus denique Glandulis cum utroque Spiritu Acido & Volatili Oleum, quod testatur Saliva consistentia inter Lympham & Pituitam media.

Lympha, Saliva & Pituita ex quibus constent. Unde Tumores Strumosi, Gravedo, Sternutatio Tussis, &c. LIX. Plura in singulis nominatis Liquoribus Lympha, Saliva, & Pituita concurrere novi, sed prædicta in iisdem præ cæteris abundare autumo.

LX. Hanc meam de Lymphæ ex combinato utroque Spiritu origine Conjecturam confirmant insuper Affectus varii Conglobatis Glandulis familiares, aut ex vitiata Ipsarum dispositione pendentes. Tales sunt ab humoribus tenacibus, gypseamque consistentiam adipiscentibus, & ab acido præsertim Spiritu pendentibus, & in ipsis coacervari solitis orti Tumores Strumosi. Tales sunt malè affectarum Glandularum Conglobatarum comites Affectus, Gravedo, sive Coryza, ut & Sternutatio, vel Tussis, &c. ab acido spiritu minùs temperato orti; quemadmodum id per conjunctam humoribus excretis vel acidam, vel acido-salsam liquet acrimoniam.

Lympha materia copiosior & parcior unde. LXI. *Lymphæ* autem *Glandulosæ Materiam copiosiorem* peto *à Spiritu Volatili*, hoc est, *Animali*; *parciorem* verò *à Spiritu Acido*: ex qua miscella deducendus erit ejusdem Lymphæ *Usus* verus.

Lympha Usus. 1. Impedire nimiam animalis Spiritus consumptionem. LXII. Hunc ut, quantum Ego saltem probabili Conjectura possum assequi, absque ambagibus proponam. Censeo 1. *Lympham*, quatenus maxima sui parte ex *Animali* constat *Spiritu*, *prævenire* suo in Venas reditu *nimiam Ipsius consumptionem*; atque idcircò planè providè ipsam reddi Sanguini à Cerebro, Cerebelloque, ubi partem maximè spirituosam reliquit copiosam, refluenti.

2. Effervescentiam sanguinis in Corde dirigere. LXIII. Censeo 2. *Lympham*, quatenus *Spiritus Acidi* aliquid habet admistum, eatenus Sanguinem ad Cor Descendentem disponere, ut ad Sanguinis Ascendentis & Bile in Hepate imprægnati concursum in Cordis Auricula dextra, Ventriculoque Dextro contingentem contingat, *ubi temperata sunt omnia, lenta, blanda & Naturæ amica; ubi verò vitiata sunt quædam, vel omnia, minor, maiorve, aut quovis alio modo Naturæ inimica & noxia Effervescentia*.

LXIV. Atque sic candidè Conjecturas meas dubias æquè ac Opiniones magis probabiles visas omnibus communico; illud iterum & unicè optans, ut quotquot eandem materiam suscipient tractandam, minùs soliciti sint de alienarum Sententiarum eversione, quàm de suarum statuminatione ac corroboratione: Cùm enim uniuscu usque rei una sit duntaxat Veritas, utique Ipsam qui habet, omnem habet: unde qui se Ipsam habere probaverit, eo ipso, ut aliorum omnium secùs sentientium Opiniones sponte ruant, effecerit.

DISPUT. MEDICARUM IX.

ET

De Febribus Prima.

A nullius Scriptoris Dictatura & placitis Ars Medica deducenda. I. POstquam non desunt, qui Authorem aliquem Antiquum aut Neotericum pro Dictatore venditant in Scientia Physica & Arte Medica condenda; quin, ut tacitè Dictaturam illam in se derivent, Tyronibus, cæterisque Disciplinarum rudibus Laudatum Authorem à Se solis plenè intelligi atque explicari posse Auditoribus suis inculcant, & incautis persuadere conantur: Ne Juventuti rerum adhuc imperitæ fucus fiat, sciendum, *Per solam Experientiam omnibus patentem comparatam, determinatumque omni ævo, quicquid hactenus boni, certique habemus in Medicina*, (quod de Naturalium rerum scientia itidem probare, si hic locus esset, non foret difficile:) Neutram proinde ab ullius quantivis etiam Hominis arbitrio pendere concludimus; ac idcircò, Nihil æquè ridiculum, imò Disciplinarum Cultoribus noxium excogitari posse statuimus quàm si ab ullius Prisci aut Recentioris Scriptoris Dictatura & Placitis Artem Medicam deducendam quis asseveret, atque sic ab ulteriori Veritatis in multis adhuc dum latitantis investigatione pusillanimos deterreat, vel malitiosè abstrahat.

Febris naturam per Experientiam investigat Auctor. II. Spretis proinde affectatæ in Medicina Dictaturæ monstris, non dubitamus per Experientiam. Veterum in prima utilissimæ Mortalibus Artis constitutione Magistram, progredi in Affectus, præ cæteris omnibus Homini & familiaris, & molestissimi, & ob multifarium gravium Authorum de Ipsius Natura, Causis veris & Curatione dissensum admodum intricati, *Febris* puta, enucleatione.

Aucloris de Febribus sententia à communibus Opinionibus discrepans. III. Sed nec verebimur nostram de *Febribus* sententiam, utpote ex ipsa praxi petitam, licet à tritis, creditisque passim Opinionibus in multis discrepantem, atque imprimis à quorundam Theoreticorum Doctorum Decretis plurimùm recedentem, publico omnium subjicere examini, atque inimica æquè ac amica de Ipsa experiri quorumvis Judicia.

Pathognomonicum Febris signum. IV. Subsecuturæ autem de Febrium Essentia Disquisitioni præmittemus, & fundamenti loco habebimus id, in quo, si non omnes, plerique saltem conveniunt Medici, non tam nomine tenus, quàm revera & opere ipso Practici.

V. Quærenti namque, Quodnam sit *Pathognomonicum*, adeoque *Febri omni*, *Soli*, *ac Semper conveniens*, atque à Medicis apud Ægros observari soli-

solitum *Signum*, idque aut simplex, aut complexum? Respondebunt in Ægrotorum examine accurato exercitati, ac proinde non tam ex libris suis, quàm ex praxi sua loquentes Medici ad unum omnes, Signum illud esse *Pulsum præter naturam Frequentiorem*; quippe quo præsente adesse, absente autem Febrem abesse pronuntiant cuncti.

Pulsus frequentior triplex.

VI. *Pulsum* dico *præter naturam Frequentiorem*, cùm insuper observetur & *Naturalis* & *Nonnaturalis Pulsus Frequentior*.

Naturalis Pulsus frequentior quis.

VII. *Naturalem* voco *Pulsum Frequentiorem*, qualem à Natura, hoc est, à naturali & peculiari corporis sui constitutione, si cum aliis conferantur, habent aliqui etiam Sani.

Non naturalis Pulsus frequentior quis.

VIII. Per *Non-naturalem Pulsum Frequentiorem* intelligo istum, qui propter aliquod in rebus Non-naturalibus dictis patratum erratum à naturali deficit, atque ipso Frequentior ad tempus existit, absque tamen ulla notabili tunc simul apparente in corpore molestia, Functionisve læsione. Sic ad Aeris æstum auctum, Corporis motum vehementiorem, Iram, Vigilias protractas, quò & nimiam Meditationem refero, Vini generosi potum largiorem &c. non rarò Pulsus excitatur solito Frequentior: Qui, quoties sublatis, sedatisve Causis enumeratis ad pristinum redit statum & raritatem consuetam, nec alienam corpori affert, aut post se relinquit noxam, non incommodè *Non-naturalis* nomine videtur indigitari.

Pulsus præter naturâ frequentior quis.

IX. *Pulsus* verò *præter naturam Frequentior* mihi censetur, qui ab errore quidem externo in memoratarum rerum Non-naturalium abusu commisso semper forsan ortus conjunctam vel mox subsequentem habet notabilem Corporis molestiam, doloremve, atque adeò Functionis alicujus ad Vitæ Naturalis beatitudinem requisitæ labefactationem.

Eundē esse Febris signū Pathognomonicum.

X. Præter quem Pulsum præter naturam Frequentiorem, cùm aliud Signum hactenus observatum sit & manifestatum nullum, quod Febri Omni, Soli, ac Semper competat & adsit, concludimus meritò id solum & unicum habendum pro Signo Febris Pathognomonico.

Calorem auctum nō esse Febris signum Pathognomonicum.

XI. Enimverò, quamvis plerisque Febribus comes sit *Universi Corporis calor auctus* (in quo à Corde quaquaversum cum Sanguine propulso Febris Essentiam pleríque quærere aut ponere non ignoramus;) quoniam tamen is nec omni, nec Soli, nec Semper competit Febri, eundem pro inseparabili & Pathognomonico Ipsius Signo neutiquam putamus habendum.

Quia soli Febri non competit.

XII. Nam 1. *Non Soli Febri* competit *Calor in universo Corpore auctus*, cùm non rarò in Maniacis, aliisque nullo modo Febrientibus deprehendatur Calor naturali auctior.

Nec etiam omni Febri conjungitur.

XIII. Sed *nec* 2. *Omni Febri* conjungitur *Calor Auctus*; cùm nonnunquam occurrant & Suo, & Adstantium, & Ipsorum Medicorum calculo Febricitantes, quales hic etiam in Nosocomio habuimus & examinandos stitimus Medicinæ Studiosis, in quibus nunquam, ne quidem per aliquot septimanas, imò menses, observatus est in ulla corporis parte, nedum universo corpore, auctus Calor vel ab Ipsis Ægris, vel à Nobis, aliisque Medicis, vel à cæteris Adstantibus; sed contrà Frigus perseverans, Ægrisque valde molestum, & adstantibus omni tempore manifestum.

XIV. Nec obstat, quòd aliquis ex præjudicio contra proprium (si quo vigebat) aliorumque, ac imprimis Ægrotantium Sensum absurdè urserit, nec tamen probare potuerit, Calorem fuisse nihilominus in Ægrotorum, utpote Febricitantium, Corde tunc auctum; quod ipsum confutavit Experientia; pejus enim habuerunt semper Ægri ab assumptis medicamentis Refrigerantibus, meliùs verò à Calefacientibus, tum Spirituosis, tum Oleosis aromaticis.

Nec semper adest.

XV. Quin *nec* 3. *Febribus semper comes adest Calor*; cum circa intermittentium initia plerumque affligat Ægros Frigus, idque non rarò ad horas plures durans, & tam gravo, ut ipso solo Vulgus to- Delebοe Opera.

tam Febrem constituat Intermittentem, à dicto Frigore in Germania denominatam, nec plerumque subsequentem valde curet Calorem, utpote non semper æquè ac Frigus molestum, aut tandiu permanentem; idque contra erroneam quorundam Opinionem, qui ex præjudicio suo fingunt, & credulis inculcant, non tantùm aliquando, verùm semper quadruplo diutiùs infestari Febrientes à Calore, quàm à Frigore. Falsi tamen Ipsos arguit Experientia quotidiana, uti sæpenumero ad fucum omnem tollendum & Juventutem à falsis præjudiciis liberandam, vel adversùs ipsa muniendam ex ingenua & simplici Ægrotorum narratione & propria singulorum Medicinæ Tyronum, quibus libebat, observatione contrarium evicimus in Nosocomio Academico.

Non semper quadruplo diutiùs infestari Febrientes à Calore, quā à Frigore.

Ad Febriū cognitionem Pulsus præter naturā frequentioris causa inquirenda.

XVI. Postquam igitur ex supradictis Unicuique Sensibus suis externis sanè utenti constare potest, non Calorem in Corporis partibus interioribus, exterioribusve auctiorem observatum, sed Pulsum præter naturam Frequentiorem, Signum esse Febris omnis Pathognomonicum & Demonstrativum; quò vera Febrium omnium essentia, hinc & Differentiæ, faciliùs eliciantur & manifestentur, in Prædicti Pulsus Causas veras sedulò inquirendum nemo non videt. Ut autem exactiùs, pressiùs, distinctiusque nostra procedat investigatio, *Pulsus Naturalis* partes, earundemque Causas adæquatas priùs venabimur.

Pulsus quid.

XVII. Enimverò per *Pulsum* intelligimus *geminum Cordis Ventriculorum & Arteriarum Motum, Dilatatione sive Expansione, ac reciproca Contractione sive Constrictione constantem*: De quo cùm apud omnes convenire putem, non est, quod in illo probando, explicandove aliquid temporis teramus.

Controversia de Pulsu inter Harveum & Cartesium.

XVIII. Occurrit tamen mox in limine Difficultas & Controversia nobilis, eaque non contemnenda, postquam duo præclara hujus ævi Lumina, *Gulielmum Harveium Anglum, ac Renatum Cartesium Gallum* exercuit; nec prætereunda, quin potiùs solvenda, diluendaque, postquam ad Verarum Cujusvis pulsus Causarum inventionem, ac Medicinam ex arte faciendam lucem est allatura insignem.

Harveii Sententia.

XIX. Docuit autem *Harveius*, Medicorum, ut pote Sensilium Philosophorum, sequutus more m ac Sensuum externorum testimonium, *Arterias Dilatari, quando Cordis contrahuntur Ventriculi*; & vice versa, *Contrahi easdem Arterias, quando Dilatantur Cordis Ventriculi*.

Cartesii Sententia.

XX. *Cartesius* vero, Mechanicæ suæ legibus, quàm Sensibus suis externis magis fidens, suspicatus est & opinatus, *Dilatari simul, & Contrahi simul Cordis Ventriculos & Arterias*.

Sententia Auctoris qui Harveo is assentitur.

XXI. *Ego*, qui in rebus sensilibus, ac proinde Sensu externo dnotaxat dignoscendis, dijudicandisque minimè puto Sensibus diffidendum, verùm (quod ad Experientiam ritè faciendam semper requiritur) post adhibitam omnem cautelam necessariam Ipsis omnino censeo fidendum; quoniam instituta ad Veritatem hanc nudam cognoscendam, ipsamque ab omni fuco vindicandam, in brutorum vivorum sectionibus observatione multiplici perpetuò Veracem comperi *Harveium*, etiam nunc in Ipsius persto Sententia.

Probata Visu & Tactu:

XXII. Binos autem fideles, ac omni exceptione majores hujus Veritatis profero Testes, *Visum & Tactum*.

Dilatari Arterias in Cordis contractione & effundi Sanguinem à Corde.

XXIII. *Visus* namque constanti testimonio constat 1. Dilatari, Pulsareque Arterias, quoties contrahuntur & coarctantur Cordis Ventriculi. 2. Effundi à Cordis Ventriculis Sanguinem in eorundem contractione.

XXIV. Cùm autem ab effuso è Cordis Ventriculis in Arterias Sanguine Ipsas Dilatari nobiscum sentiat *Cartesius*, nolens volens accessisset nobis, si debitam suis Sensibus tribuisset fidem, si non duntaxat suæ indulsisset Mechanicæ: quæ præterea,

si rectè consideretur, stare potest ac constare cum nostra Sententia, uti ex sequentibus patebit.

XXV. *Tactus* autem testimonio liquet in Cordis Ventriculos circa mucronem dissectos immissum digitum sensibiliter comprimi, Sanguinem simul effundi, quoties contrahuntur prædicti Ventriculi; concurrente tunc simul Arteriarum Dilatatione per admotam Ipsis manum itidem Tactu dignoscibili.

XXVI. Sensuum ergo binorum, *Visus & Tactus* amplissimo testimonio, quemadmodum Mihi, Aliisque quam plurimis, sic & Cuivis Veritatem unicè sectanti, & à præjudiciis libero experimentum simile facturo liquidò poterit constare, *Dilatari Arterias, quando*, imò uti mox ostenditur, *quoniam contrahuntur Cordis Ventriculi*; quod erat probandum.

Omnis Veritas in Medicina & Physica ab Experientia.

XXVII. Quid obstat autem, quò minùs hac occasione data Omnes Medicinæ Studiosos fideliter ac seriò de aurea, & maximi in Arte Medica, quin & Physica Scientia momenti, ac semper & ubique observanda Regula informemus? *Nihil* scilicet *in Medicina, vel in Naturalium rerum Cognitione admittendum pro Vero, nisi quod Verum esse ostenderis, aut confirmarit per Sensus externos Experientia.*

XXVIII. Quicquid enim Ingenium etiam subtilissimum & sagacissimum excogitare potest humanæ Menti maximè probabile atque plausibile, id omne, Artem Medicam si spectet, tantisper Falsi suspectum esse Prudentibus debet, donec id ipsum Verum esse, hoc est, tale, quale fingitur, in rebus ipsis actu observari manifestarit Veritatis Magistra Experientia.

XXIX. Absit autem, ut inter legitimos Medicorum Filios aliquis reperiatur tam socors, (cui repugnante licèt cum Ægrotorum nonnunquam damno Experientia) suis alienisve adhærere lubeat figmentis ac Chimæris, quoniam malè sanæ placuerunt Menti, aliquando & sæpenumero serò cum Medea exclamaturæ,

—— *Video meliora proboque,*
Deteriora sequor.

XXX. Sed ad rem sublata difficultate superiori, proximum est, ut memoratorum *Motuum quatuor ad Pulsus integritatem concurrentium Causæ veræ* ostendantur & adstruantur. Ut autem à *Cordis Ventriculorum Dilatatione*, sive expansione faciamus initium, non possumus Veterum ac Recentiorum plerorumque silentio præterire Opinionem, qua *Cordi Facultas* quædam tribuitur, *quæ Ventriculos ejus dilatet, quò impleantur.*

Nullam esse facultatem Pulsificam.

XXXI. Verùm enim verò, cum ab Iisdem nulla demonstrentur Instrumenta, quorum ope nullus explicetur Modus, quo velint perfici hanc Ventriculorum Cordis à Facultate Pulsifica Dilatationem; factum est, ut Viri ad libertatem nati & uni Veritati addicti in dubium vocarint hanc decantatam plurimorum facultatem, censuerintque licere sibi negare impunè, quod gratis esset affirmatum à tam multis, probatum verò hactenus à nemine.

Nulla facultatis Pulsificæ esse Instrumenta.

Dilatatio Cordis sensibus detecta

XXXII. Quinimo Experientiam in auxilium hic advocantes nonnulli, ut latentem adhuc manifestarent Veritatem, omnia, quæ circa Cordis Ventriculorum Dilatationem contingunt, accuratiùs & distinctiùs observarunt, eademque solo Sensuum externorum testimonio uri dignoverunt & compererunt, sic ab aliis quoque dignoscenda & determinanda existimarunt.

Ejusdem ratio & modus.

XXXIII. Horum Ego etiam vestigia premens, observavi. 1. Contrahi & coarctari adnatas utrique Cordis Ventriculo Auriculas priusquàm dilatentur, expandanturque Ipsi Cordis Ventriculi. 2. Propelli Auricularum dicta Contractione Sanguinem in Cordis Ventriculos. 3. Sanguinem in Cordis Ventriculos propulsum mox ibidem magis, magisque Incalescere atque Rarefieri.

XXXIV. Unde partim à Sanguinis in Ventriculos propulsi copia, partim ab ejusdem incensi & rarefacti tumore distendi, expandi & dilatari Cordis Ventriculos concludimus.

Liquores ab Igne rarescere.

XXXV, Conclusionem hanc nostram trita & passim obvia confirmamus Experientia, qua cuivis potest constare Liquores quosvis, viscidiores imprimis, quoties ad Ignem incalescunt, toties turgere, atque rarefactos ampliorem, quàm priùs, locum, quo contineantur, requirere, ac idcirco continuato fervore tandem quà data porta ruere atque erumpere, sibique non tarò viam vi parare.

Sanguinem in Corde rarefieri.

XXXVI. Similem Sanguini mutationem in Cordis Ventriculis obvenire posse nemo dubitabit, cui per Experientiam perspicua est Sanguinis sponte grumescentis visciditas & inflammabilitas; cui per Sensum cognitus est connatus Cordis Ignis.

Etferventiorem, floridiorem ac rapidiorem fieri.

XXXVII. Quinimò similem Sanguini mutationem in Cordis Ventriculis actu obvenire nemo dubitavit, cui per Laudatam Experientiam innotuit Sanguinem in memoratis Ventriculis fieri fervidiorem, floridiorem, rapidiorem; qualem aperta promit Arteria, minùs Vena.

Quod probatur Visu & Tactu.

XXXVIII. Hujus autem Veritatis multiplices Testes produco *Visum & Caloris Sensum*; à quibus haurit & mutatur Mens, quicquid de hac re solidè cupit deductum.

In Corde major Calor, quam in ullam aliam partem.

XXXIX. Intruso namque in Cordis Ventriculos digito, quàm in ulla alia Corporis parte major sentitur ibi Calor, individua & propria Ignis Qualitas, eaque Sensui semper manifesta, quando Ignis existit liber & in suum agens pabulum; quo compedibus ligato nullus quoque apparet Sensui Calor: quod experimentum, præter similia plura, Illos vellem observare, qui in rerum Naturalium Causas inquirunt sollicitè.

Dilatatio Cordis à Sanguine rarefacto.

XL. *A Sanguine* ergò *in Cordis Ventriculos* ex annexis Auriculis *protruso, ibidemque* à Cordis Igne Innato (sed mediante Effervescentia perpetua conservato) à Sanguine, inquam, ibi *accenso & rarefacto*; utpote Causis & præsentibus, & effectui desiderato producendo sufficientibus *deducendam puto Ventriculorum Cordis Expansionem & Dilatationem*: quod erat probandum.

De Cordis Contractione Opinio Cartesii.

XLI. Non minùs in *Cordis Ventriculorum Contractionis & Coarctationis*, quàm in eorundem Dilatationis *Causis veris, certisque* assignandis laborarunt Anthores ingeniosi. Nam, ut alios nunc omittam, *Mathematicus insignis & Philosophus industrius* jamque aliquoties citatus, *Renatus Cartesius*, Mechanicæ suæ legibus intentus, *Sanguinis* in Cordis Ventriculis magis, magisque rarefacti, ac sponte in Arterias exitum quærentis *Eruptionem, Causam esse Ipsorum Collapsus censuit.*

Non sufficiens.

XLII. Cui quamvis haud invitus concesserim, quod verum esse superiùs docui per Experientiam, Sanguinem continuata sui rarefactione, quando ampliùs distendi nequeunt Cordis Ventriculorum parietes, tandem sponte erupturum in Arterias; non putem tamen hominem præjudiciis vacuum & ad omnia, quæ circa Cordis Ventriculorum Coarctationem occurrunt observanda, attendentem, facilè in hac una acquieturum Causa, quin potiùs aliam insuper, ac quidem validiorem agniturum & admissurum.

Et quare.

XLIII. Non sufficere namque, non tantùm ad tantam, quantam sensibus observare quivis potest, sed vel ad minimam Ventriculorum Cordis Coarctationem Sanguinis sensim ampliùs rarescentis Eruptionem vel inde patet, quòd illa duntaxat Sanguinis pars erumpat, quæ Ventriculorum ad summum expansorum cavitate ampliùs nequit contineri: reliquum autem, si nihil adsit, quod ipsum expellat, cùm ipsi continendo sufficiens sit spatium, nulla causa est, cur simul erumpat, ut nec proinde, cur concidant, collabantur & coarctentur Cordis Ventriculi.

Ratio falsitatis.

XLIV. In totum autem evertere videtur illum Cordis Ventriculorum Collapsum spontaneum Sanguis, non blandè erumpens, ast in Arterias vi effusus & protrusus: atque imprimis potens Paren-

renchymatis Cordis è corpore vivo exsecti Contractio aliquandiu permanens, nullo tunc Sanguine, qui erumpat, præsente.

In Cordis contractione observabilia.

XLV. Quapropter ut vera Coarctationis Cordis Ventriculorum Causa innotescat, velim omnes Veritatis Sectatores, seposito tantisper omni præjudicio, sequentia unicuique per Experientiam observabilia sedulò perpendere; & 1. quidem Cordis Parenchyma Musculosum, & in plures quasi Musculos coctione diutina resolvendum. 2. Idem Cordis Parenchyma in Ventriculorum Coarctatione non laxius, quod in Collapsu fieri deberet, ast firmius & durius, qualis Musculorum contractorum apparet substantia 3. Mucronis in Ventriculorum Coarctatione versus Basin accessum; cujus contrarium in Collapsu deberet contingere. 4. Dissecto circa mucronem Corde, Digiti in Ventriculum intrusi in Ventriculorum Coarctatione notabilem Compressionem. 5. Sanguinis ex prædicto vulnere in Ventriculorum Coarctatione, non blandam, sed fortem Expressionem & Effusionem. 6. Cordis & Arteriarum Pulsum, non tantum ad omnes, etiam leviores, Animi Affectus alteratum, sed & pro Voluntatis imperio mutabilem. 7. Denique Vehementem Cordis in sui Palpitatione Quassationem, non tantùm Visu & Tactu, verùm Auditu quoque in remotiore licet loco observabilem, & Costas subinde perfringentem.

Motus Animalis in Cordis contractione.

XLVI. Hæc & similia in Cordis Ventriculorum Coarctatione observabilia si quis Mente sana expenderit, non putem Ipsum tantos, tamque mirabiles Motus à sola Sanguinis rarescentis Eruptione ampliùs deducturum; quin potius illos proprio in Cordis parenchymate constituendo *Motui*, eique *Animali* mecum attributurum; à quo omnium allegatarum Mutationum ratio facilè poterit deduci, atque explicari.

Coarctatio Ventriculorum à Parenchymatis contractione.

XLVII. Mihi ergò *Coarctatio Ventriculorum Cordis à Contractione Parenchymatis Ipsius animali ortum ducere videtur*, modo planè eodem, quo & cæteri moventur totius Corporis Musculi; nisi quod in Cordis motu, ob continuam à rarefacto & Cordis parietes explicante Sanguine factam irritationem, continua itidem sive alternans & reciproca instituitur ejusdem Contractio: quod similiter in aliis quoque Musculis contingere quotidiana docet Experientia, ni à Voluntate firmiore subinde contra irritationes externas opponatur motus contrarius: quod non æquè facilè fieri potest, ubi Causa interna existit gravis.

Musculos omnes ad sui vergere contractionem.

XLVIII. Adde quòd reverà Musculi omnes continuò ad sui vergant Contractionem; nec illa, nisi ab opposito, id est, partem in contrarium situm movente & itidem perpetuò Contracto impediatur Musculo. Sic Musculi brachium flectentes continuò moventur à Spiritibus Animalibus & contrahuntur, ipsorumque Contractionem sequitur Brachii Flexio, ni à Musculis oppositis potentiùs agentibus extendatur Idem Brachium, aut ab utrisque æqualiter agentibus servetur ipsum in æquilibrio & quodam rigore: quo simul impeditur flectentium Musculorum operatio & plena Contractio.

Oris Tortura quomodo fiat.

XLIX. Hoc effatum meum si cui videatur paradoxon, aut minus vero simile, jubebo Ipsum Experientiam consulere, atque ad partis alicujus, Oris puta, ex oppositi Musculi paralysi ortam Torturam attendere. Fit enim illa ob Musculi sani naturalem & continuam Contractionem, quæ cùm ab opposito Musculo paralytico non impediatur, nec cohibeatur, videtur convelli Musculus sanus.

Modus contractionis Cordis

L. Pari ratione Cordis Musculi oppositis destituti continuò manerent Contracti, ni à Sanguine in Ipsius Ventriculos propulso, & ibidem ab interno Igne rarefacto expanderetur Ipsius parenchyma: quæ Ventriculorum expansio postquam eousque progressa est, ut incommoda sit Sentientibus Cordis partibus, excitatur Facultas ejusdem Animalis, quæ Spirituum Animalium ope insurgit, & Musculosum Cordis parenchyma contrahit; hoc dum fit, Coarctatur simul ventriculorum ipsius Cavitas, & in Arterias expellitur contentus, rarefactusque in Ipsis Sanguis; quod erat probandum.

LI. Atque hanc putamus Veram Contractionis Cordis, Coarctationisque Ipsius Ventriculorum Causam, Mechanicæ legibus convenientissimam.

Arteriarũ Dilatatio quomodo fiat.

LII. Quemadmodum autem Cordis Ventriculorum Expansionem à Sanguine ex Auriculis in Ipsos delato, hinc ab Interno Cordis Igne magis, magisque rarefacto deduximus; sic *Arteriarum Dilatationem Sanguini eidem in continuata sui rarefactione sponte Erupturo; ob excitatam verò ab Ipso validam Cordis Contractionem, Ventriculorumque Ipsius Contractionem in arterias vi Propulso adscribimus.*

Arteriae nõ impleri sanguine quia Dilatantur

LIII. Frustra namque censent aliqui *Impleri sanguine Arterias, quia Dilatantur*; postquam desunt perficiendæ illi Dilatationi necessaria Instrumenta.

Sed Dilatari, quia implentur.

LIV. *Dilatantur* verò reverà *Arteriæ, quia Implentur*; adsunt enim præstò jam enumerata ad Impletionem illam absolvendam requisita omnia; uti hæc manifesta fient unicuique in Brutorum viventium sectionibus Experientiam sedulò consulenti.

Arterias Contrahi non ob sanguinem erumpentẽ Nec ob Animalem motum.

LV. In Arteriarum Sanguine turgentium Contractionis Causis veris adinveniendis, confirmandisque major nos urget Difficultas: neque enim hic fingere licet Sanguinem ex Arteriis, uti è Cordis Ventriculis, sponte erumpentem illarum Coarctationi ansam præbere: Sed nec Arteriis Animalem Motum, qualem Cordi adscripsimus, cum musculosa non sit earum substantia, tribuere licet.

Sed naturalẽ per fibras & quidem per istalticum.

LVI. *Naturalem* tamen *Motum*, per *Fibras* Ipsarum *transversas* & annulares perficiendum, *Arteriis concedere* nil vetat: Naturalem, inquam, qualem in Intestinis Motu peristaltico manifestè ob grandius Ipsorum corpus constrictis observamus.

Qui à Spiritibus Animalibus peragitur.

LVII. Utrumque autem hunc *Intestinorum & Arteriarum*, & aliàs omnem *in Vasorum Constrictione* fieri solitum *Naturalem Motum*, non minùs, quàm Animalem, *à Spiritibus Animalibus fibras Ipsorum replentibus deducendum* suspicor & tantùm non opinor.

Nervos in Arterias passim implantari.

LVIII. Implantantur autem passim in Arterias Nervi, desideratos illos spiritus ad ipsas deferentes uti unumquemque id docere poterit Autopsia Anatomica.

COROLLARIA.

Indicans quid in Medicina.

1. *Quicquid Medico Ægros ritè curaturo agenda monstrat & indicat, id omne usitato* Indicantis *nomine venit apud rerum & operum, quàm verborum & captiuncularum magis accuratos observatores Practicos; quorum ore teritur solemne, utile ac verissimum præceptum*, A juvantibus & Nocentibus sumi potissimam in facienda Medicina Indicationem; *quam dum insulsè vident, aut imprudenter negligunt quidam scioli, destruunt non rarò Ægros, ad quos sanandos erant vocati.*

A Iuvantibus & Nocentibus potissima Indicatio.

Purgantia non esse Venena:

2. *Quisquis pro Venenis habet, atque diffamat Purgantia Medicamenta, is quid Venenum, quid Purgans sit, planè ignorat.*

Ex una re omnis generis Medicamenta.

3. *Ex qualibet Plantâ*, Vite *puta; quin ex solo ejus Fructu*, Uva *recenti, vel passa; aut expresso è fructu Liquore*, Musto; *aut secreta per Fermentationem puriore ejus parte* Vino; *aut subsidentibus duntaxat ejusdem Vini* Fæcibus; *aut accrescente tantum Vasorum parietibus Recremento salino*, Tartari *nomine vulgò noto; Arte possunt, & unius quidem Ignis ope omnis genera parari Medicamenta, & alia: quippe* Ex Omnibus Omnia.

Deleboe Opera.

DISPUTAT. MEDICARUM X.

E T

De Febribus Altera.

Hominis cognitio Medico necessaria.

I. QUisquis Artem Medicam, sed solidam, constituere cogitat, is ex Quibus, Qualibusque constet Homo ante omnia cognoscere satagat, quò Functionum ejus omnium tam integrarum, quam labefactarum naturam & Causas veras ingeniosè erutas judiciosè queat explicare, ac consequenter Valetudinem, quoad fieri potest, optimam ipsi præstandi Methodum, eamque exactam elicere, atque uti ore, sic & opere ipso demonstrare.

Ad istam cognitionem quanam requirātur.

II. Cognitionem illam longè, latèque diffusam adipiscetur faciliùs, & forte tantùm, qui tergemino *Experimentorum Anatomicorum, Practicorum & Chymicorum* cumulo abundè instructus accedet ad opus tam laudabile, quippe etiam nunc necessarium.

Veterum Medicina nō perfecta.

III. Asserunt quidem, nec diffitemur, multi, evicit verò hactenus nemo, perfectam reliquisse nobis Veteres Medicinam; quod ubi à quovis præstitum comperiemus, mox sine tergiversatione pedibus ibimus in ipsorum sententiam.

Medicina hactenus imperfecta.

IV. Interim, quoniam Artis Medicæ, qualecunque habemus à diversis constructum & adornatum diversimodè, ædificium, arbitramur cum nonnullis egregiis & cordatis Medicis esse in multis imperfectum, & in non paucis ruinosum; optamus plures arte præstantes, peritosque Viros manum medicam Medicinæ seriò admovere, atque præjudiciis omnibus semper noxiis valedicentes collatis operis uni veritati ac publico mortalium bono ardenter studere, quò tandem aliquando ad optatum, sperabile saltem manifestæ perfectionis fastigium perducatur Artium nobilissima, generique humano tam utilis, quàm necessaria Medicina.

Corpus humanum patefacit Anatomia.

V. Corporis certè humani Continentis partes multifarias, singularumque affabrè concinnatam structuram & cum aliis communionem atque communicationem; quin & Contenta multiplicia, eorundem Qualitates varias patefaciunt *Experimenta Anatomica*, per autopsiam imprimis frequentem, cogitatamque comparanda.

Ejus Affectiones observat Praxis Medica.

VI. Affectiones verò ex Naturalium rerum quarumvis usu vel abusu homini tam sano, quàm ægro accidere solitæ observantur tantùm accuratè in praxi medica, Medicisque ad omnia, quæ ipsis praxin exercentibus occurrunt, attentis innotescunt luculenter per *Experimenta* verè *Practica*.

Naturaliū rerum vires, & actiones manifestat Chymia.

VII. Cunctarum denique Naturalium rerum ad Alterationem facientes vires, & agendi, patiendique modi, atque adeo sensiles Mutationum naturalium omnium & singularum Causæ clarissimè manifestantur per *Chymica Experimenta*, utpotè circa merè naturales, artificio licet institutas, rerum naturalium mutationes occupata.

Ex his tribus Febriū natura indaganda.

VIII. Hauriemus proinde ex laudato triplici hoc Experimentorum Medicorum fonte vivo, quidquid ad multum intricatam Febrium naturam extricandam proferemus in medium.

IX. In prima quidem nostra de Febribus Disquisitione docuimus 1. Pathognomicum Febris omnis Signum esse Pulsum præter naturam Frequentiorem. 2. Pulsum complecti cum Cordis Ventriculorum, tum Arteriarum Dilatationem ac Coarctationem. 3. Cordis Ventriculorum Expansionem deberi Sanguini tum ob sui copiam, tum maximè ob sui rarefactionem parietes ipsorum explicanti. 4. Eorundem Coarctationem acceptam ferendam Spiritibus Animalibus musculosum Cordis parenchyma contrahentibus. 5. Arteriarum Dilatationem esse à Sanguine per Cordis contractionem in ipsas propulso. 6. Earundem Constrictionem fieri à Spiritibus Animalibus fibras ipsarum annulares implentibus, sicque cavitatem ipsarum coarctantibus.

Sanguinis in Corde Rarefactio.

X. Quoniam verò Sanguinis in dextro Cordis Ventriculo contingentem Rarefactionem ibi & in Disput. VII. de Respirat. Thes. LIV. & seqq. paucis tantùm attigimus verbis, operæ pretium nos facturos arbitramur, si clariùs & distinctiùs cogitationes nostras de illa ulteriores hic explicemus & pro virili parte adstruamus; postquam pleraque ad Febrium essentiam explanandam requisita ex ritè soluto hoc arduo, duro, dubioque nodo ferè sponte fluxura confidimus.

Ignem, qui in Corde est sanguinem rarefacere.

XI. *Ab igne* igitur, & à solo quidem Igne, quando manifesta est Sensui Effectus sensilis Causa, *rarefieri liquores, viscidos* præsertim, testatur passim Experientia. Ignem verò in Corde nostro, quàm in ulla corporis parte alia, magis vigere ac dominari arguit exuberantior ibidem Calor Sensui patens. *Igni* proinde meritò *tribui notabilem Sanguini in Corde accidentem rarefactionem* etiam nunc concludimus.

Ignis Vitalis origo & sustentatio.

XII. Quamvis autem concessuri sint forsan plerique adscribendam Igni rarefactionem Sanguini in Cordis Ventriculis contingentem, non conveniet tamen facilè inter Viros etiam primarios, (quippe diversis circa rerum naturalium principia & affectiones fundamentis & dogmatibus imbutos) de *vera* nativi Calidi, hoc, hoc est, *Ignis nostri Vitalis* & quasi Vestalis, utpote à primo generationi exordio ad mortem usque in Corde accensi, permanentis, conservatique, *origine, ac sustentatione*.

Veritas non Auctoritate sed ratione probanda.

XIII. Utique, ubi veritas in re dubia investigatur unicè, non sufficit probationis loco aliquem magni nominis & existimationis antiquum aut recentiorem allegare Scriptorem, ipsiusque duntaxat in medium proferre placitum; quod apud Viros graves ac serio philosophantes ridiculum est, ne dicam puerile: verùm producenda sunt simul argumenta effatum illud sufficienter demonstrantia, sive illa ab ipsis Authoribus, sive ab ipsorum Sectatoribus excogitata sint ac inventa.

Multa de Calido innato & Humido primigenio dici.

XIV. Novi equidem & multa, & grandia dici vulgò de *Calido innato*, & ejus pabulo, *Humido primigenio*, quæ optarem quoque ab aliquo clarè ac distinctè per Experientiam indubitatam vel Rationes solidas demonstrari atque probari; hocque ut tentent, ac præstent, rogo & obtestor cunctos de injuria Veteribus aut Recentioribus quoque facta & illata, quoties in dubium revocantur illorum decreta, cum iracundia & stomachatione toties conquerentes.

De iis Autoris sententia.

XV. Ego interim (qui facilè patior unumquemque suo abundare sensu, dummodo sine calumnia, liceat mihi animi mei sensa in commune bonum ad Veritatis stateram libranda, & probanda exponere) quid secundum memorata tria Experimentorum genera de Vitalis in Corde Ignis exortu post longum, molestum & anxium examen mihi tandem visum sit maximè probabile, veritatis eruendæ causa candide proponam & aperiam; quin & rigido, accuratoque omnium, peritorum præsertim & candidorum, examini ac censuræ lubens subjiciam.

In Corde non reperire ignem lucentem.

XVI. Considerans ergo nec 1. *lucentem*, sicque visui patentem observari in Corde vivis exsecto *Ignem*, hoc est, *Flammam*; contradictio enim est in adjuncto dicere Flammam non lucentem; nam per solam lucem distinguitur à Fumo Flamma; qui dum accenditur, ideoque lucere incipit, flammam dicitur concipere; imò in flammam abire: nec 2. aliquid *Ellychnio* analogum ibidem occurrere, cui affixus dicatur, vel fingatur accensus in Corde Ignis: nec 3. quid *Oleosum & pingue* à Sanguine diversum ibidem patere aut contineri, in quo, tanquam in pabulo subsistere, aut ab ipso sustentari asseratur conservatus mirabiliter in eodem Corde Ignis: verum 4. *Sanguinem* duntaxat oculis subjici, & quidem nunc in dextrum Cordis ventriculum impulsum, nunc paulò post maxima sui parte iterum inde in Pulmonalem arteriam expulsum;

Nec quippiā Ellychnio analogum. Nec quid Oleosum & pingue. Sed Sanguinem.

Ignem Cordis more ignis vulgaris non foveri, sed sanguini deberi.

pulsum; quamvis ibidem citra manifestam Sensui causam priùs confestim & potenter incalescentem: Judicavi *auctum* inibi *affluentis Sanguinis Calorem vulgaris nostri* in Lampadis Oleo, Candelæ Sevo vel Cera, Ligno, Carbonibus & similibus accensi *Ignis more minimè foveri vel excitari*; verùm *deberi aut restitantibus intra dextri Cordis Ventriculi cavernulas Sanguinis reliquiis, aut ipsi Sanguini utrinque ex Venis accedenti, aut utrisque*.

Solis sanguinis reliquiis hoc incendium nō adscribendum.

XVII. Solis remanentis in Cordis Ventriculo dextro Sanguinis reliquiis hoc incendium adscribi non posse arbitror, quia communicatæ & commixtæ appellenti Sanguini tepidiori efficient quidem ipsum, quàm priùs erat, calidiorem, neutiquam verò se æquè calidum; uti hoc infinitis unicuique obviis, & quidem simillimis potest constare experimentis. Nam liquori ferventi si affundatur similis tepens, aut frigidus, calidior quidem fiet posterior, uti aliquid de suo fervore amittet prior, adeò ut mixtura ex utroque sit futura temperamenti medii; nunquam verò ad fervidioris æstum observabitur accedere frigidior: Sanguinis verò in Cordis ventriculum dextrum affluentis atque ibidem mox magis incalescentis Calor æquat restantis calorem; aliunde proinde, quàm ex hujus administratione sola oriundus.

XVIII. Examinatis rursus accurata, sæpiusque iterata indagine Cordis cum Cava vena connexione, omnibusque in Sanguine ad dextrum Cordis ventriculum infernè ac supernè appellente contentis, visus mihi sum tandem aliqua huic negotio & difficultati elucidandis valdè convenientia observasse.

Sanguinem ascēdentem separari à descendente.

XIX. Illud enim 1. valde notabile arbitror, Cavam venam ita dextris Cordis Auriculæ ac Ventriculo adnatam, ut, & ipsius Venæ ibi loci carnosæ existentis, & Auriculæ prædictæ contractione simul concurrente, non tantùm admissus in Auriculam Sanguis in dextrum Cordis ventriculum propellatur, sed insuper *Ascendens Sanguis* contractionis tempore *sejungatur ac separetur in totum à Descendente*: quod in Brutorum vivorum sectione oculis aliquando patet.

Ascendenti Sanguini jungi Bilem.

XX. Sed & Sanguinem utrumque diligenter considerans, præter alia quædam, de quibus inferiùs, notavi 2. magnam esse inter utrumque admistorum ratione diversitatem. *Ascendenti* namque jungitur per Ductum Hepaticum una cum Venæ Portæ propaginibus omnibus æquè divaricatum delata & in Hepate ipsi communicata *Bilis*; quemadmodum id pluribus argumentis nos evicisse putamus in Disput. nostra VI. de Bilis ac Hepatis Usu ante biennium & quod excurrit hic habita; imprimis, si Additamento iteratæ ejus editioni nuper juncto adjecta experimenta nova simul considerentur.

XXI. A proposita nostra sententia non dimovet nos ingeniosa Vasorum Bilariorum investigatio & observatio semel atque iterum in vivo Bruto à quibusdam facta, ligando Ductum Cysticum, effluente nihilominus ex cæteris Ductibus Hepaticis sectis aliqua Bile; cùm idem experimentum aliquoties ipsi facientes observaverimus in Canibus pro laborum numero plures Ductus Bilarios Hepaticos habentibus nullum tumorem in ipsis ubicunque ligatis produci, nisi forsan subinde in Cystico inter folliculum & ligaturam: adeò ut illo experimento confirmetur potiùs, quàm infirmetur nostra sententia. Admissa enim, nec tamen vi ad Hepar propulsa Bilis refluit denuò, ac effluit per factam in Ductibus variis aperturam.

Descēdenti Lympham.

Chylum.

Liquorem ex Bile Succoque Pancreatico & Saliva compositum.

XXII. *Descendenti* verò *Sanguini* admiscetur 1. omnis undecunque properans ad Cor *Lympha*: 2. absoluta Alimentorum in Ventriculo Fermentatione, partisque ipsorum utilis à fæcibus alvinis in tenui intestino Secretione, *Chylus*; quemadmodum hæc nos sufficienter probasse putamus in Disput. nostra VIII. de Lympha, Vasisque Lymphaticis, ante biennium itidem hic habita: 3. tempore ab Alimentorum assumptione vacuo, ex *Bile*, *Succoque Pancreatico* una cum *Saliva* perpetuò secundum naturam deglutita & ad tenue intestinum delata confluentibus ac simul effervescentibus secretus, paratusque *Liquor*.

Sententia D. De Bile de Lympha natura rejicitur.

XXIII. Nun est autem, cur nos vel minimùm moretur singulare *D. Ludovici de Bils*, Anatomicis omnibus, notis & ignotis, dummodò diversum à se sentientibus, nec mox sibi Thrasonicè glorianti assurgentibus insolenter (ut etiam nunc benigniùs ipsum tractemus) insurgentis de Lymphæ natura, ejusque, ut & Chyli motu naturali commentum, nullo, de unico quidem, ab experientia evidenti, solidave ratione petito & in medium producto argumento adstructum, vel confirmatum.

XXIV. Quapropter illo sibi relicto, ac neglecto, pergamus ad cætera Igni nostro Vitali ex præmissis fundamentis, experimentisque Anatomicis pleniùs, planiùsque expediendo, explicandoque servitura.

Ignem Vitalem non erui à sanguine à partibus refluo.

XXV. *Ab ipso ergo Sanguine*, ut pressiùs agamus & nihil prætereamus, quatenus *à singularem partium Nutritione refluit*, Incendium ejus Vitale, hinc & Rarefactionem nemo deducet facilè, qui considera verit ipsum hactenus effœtum & Igne suo Vitali quodammodò destitutum, quò denuò accendatur, sicque vegetior addatur, ad Cor redire.

Nec à sanguine descēdente, sero, & ascendente Spiritus aliquatenus private.

XXVI. Sed nec, dum *Sangui Descendenti* pars *Seri in Renibus*, vel *Ascendenti Spirituosa volatilis in Cerebro ac Cerebello* demitur, talis utrique accidit Mutatio, unde vitale illud incendium queat expectari.

Sanguinem in Liene huic incensioni aptiorem quidem reddi, non tamen omninò aptum.

XXVII. *Si Sanguini* accedat (quod nos suspicari, & tantùm non opinari docuimus suo loco) & penitiùs immisceatur in *Liene Spiritus Animalis*, aptior reddetur sic forsan ille Sanguis suscipiendo præfato incendio; quamvis ab illa mutatione sola frustra quis arbitretur pendere posse tam notabilem in Corde accidentem Sanguini Caloris & Rarefactionis mutationem.

Ut & à Glandulis Renalibus.

XXVIII. Idem judicium esto de qualicunque mutatione Sanguini à *Renalibus Glandulis* obveniente.

Sed majorem aptitudinem recipere à Lympha, Chylo & Bile.

XXIX. Majoris autem momenti & ponderis erunt, quæ à memoratis *Lympha*, *Chyloque Descendenti*, atque *Bile Ascendenti Sanguini* copiosè junctis ac in Cordis dextro Ventriculo demum simul confusis possunt deduci.

Bilis quibus constet.

XXX. *Bilem* profectò si quis per Artem Chymicam tum distillando, tum blandè calcinando, tum ante aut postea cum variis miscendo ritè examinaverit, comperiet ipsam, quod non semel docuimus, *Lixivo Sale*, *eodemque Volatili & Oleoso* abundare: unde ad *Spiritus Acidi* cujusvis affusionem mox plus minùs effervescit, & pro Spiritus Acidi varietate mutationes quoque subit varias.

Lymphæ qualitates hactenus non clarè cognitæ.

XXXI. *Lympham* quoniam nulla cavitate contentam, sed continuò per vasa sua satis exilia ad Cor fluentem, nulla notabili quantitate hactenus potuimus excipere puram, ipsius idcircò Saporem (quem *subacidum* tamen aliqui se gustasse asserunt) cæterasque qualitates ita distinctè & clarè non valuimus expiscari, quemadmodum Bilis, verùm per conjecturas duntaxat & ratiocinationes magis solicitas, & implicitas & impeditas: de quibus vide quoque Disput. nostræ VIII. Thes. 42. & seq.

Sed tantam aliquatenus ex Succo Pancreatico & Saliva. Ex Gravedine & Catarrhis, & ex Glandularum Conglobatarum Affectibus.

XXXII. In aliqualem tamen ejus notitiam nos deduxerunt 1. *Succi Pancreatici*, ut & *Salivæ* præter naturam se habentium consideratio & examen. 2. *Gravedo* aliique *Affectus Catarrhis* vulgò adscribi soliti, quosque nos *Lymphæ* in substantia sua, sive qualitatibus ac motu vitiatæ putamus tribuendos. 3. *Glandularum*, *Conglobatarum* quoque, Affectus aliqui, & imprimis *Cancer*, in quibus manifesta occurrunt Aciditatis, sed volatilis, signa ex dolorum vehementia & modo, atque ipsa cura per medicamenta volatili sale constantia consequente patentia.

Bilis ubi nam acorem contrahat.

XXXIII. Expendentes namque modò memoratam *Bilem* à multis Infantibus nuper natis *Æruginosam & Acidum spirantem* excerni, inquisivimus sedulò

ſedulò in Acoris iſtius ortum verum & fontem; quem fruſtrà quis in Veſica Bilaria, ipſaque adeo Bile quærat, cum ibi contenta Bilis nunquam talis exiſtat, ſed in tenui demum inteſtino talis evadat.

& quibus.

XXXIV. Aliunde proinde acceſſendus ille Acor, & quidem vel à *Succo Pancreatico vitioſo*, per ſuum Ductum cum Bilario in tenue Inteſtinum hiantem eò delato; vel à *Saliva*, aliiſve *Humoribus* à *Capite delabentibus*, ipſiſve *Alimentis*, aut *Medicamentis*, *Veneniſve* per Oeſophagum in Ventriculum deglutitis, atque inde ad tenue Inteſtinum propulſis: cum præter has vias nullæ hactenus aliæ ſint obſervatæ ad tenuis Inteſtini cavitatem aliquid deferentes.

Acor ille in Infantibus non ab Alimentis, Medicamentis aut Venenis

XXXV. Ab *aſſumptis Alimentis*, *Medicamentis aut Venenis* nemo ſanæ mentis deducet in teneris Infantibus lacte materno, nutricis vel brutorum dulci, juſculis ſaltem, aliiſve pulticulis minimè acidis veſcentibus moleſtum illum Acorem.

Nec à Saliva, vel Humoribus Acidis.

XXXVI. A *Saliva* quoque, aliiſve *Humoribus Acidis* à capite delabentibus non deducendam eadem Acritudinem conſtat ex ipſorum Ore circa hujus mali exortum nulla, ne vel minima (poſtea licet ſubinde aliqua) acrimonia, nedum acida affecto; quod tamen foret in tali caſu omninò neceſſarium, cum ſumma ſit prædictæ Aciditatis Acrimonia, uti ex Ventris torminibus, quibus tam enormiter torquentur miſelli Infantes, ut & ſubſequentibus plerumque Aphthis patet, quando ſcilicet per Ventriculum & Oeſophagum ad Os aſſurgunt paulò poſt halitus acerrimi, & totam dictarum partium ſuperficiem uſque ad extrema labia unà cum lingua puſtulis & ulceribus parvis infeſtante.

Sed à Succo Pancreatico Acidiore.

XXXVII. Reſtat igitur, ut à *Succo Pancreatico acidiore & acriore* per ductum proprium ad tenue Inteſtinum effuſo deducamus illud malum quod inſuper confirmat Dolor (ubi communis eſt ductuum Bilarii & Pancreatici coitus & exitus) in dextra Lumborum regione, hinc in anteriore ſiniſtri hypochondrii parte valde moleſtus, & quidem ſecundum Inteſtini tenuis Lumbis primum ſub Meſenterio annexi, mox ad ſiniſtras antrorſum erumpentis gyrationem.

XXXVIII. Neque enim Infantes tantum, quin Adultos etiam non raro affligit Æruginoſa & Amaro-acida Bilis: cujus afflictionis principium cum obſervetur plerunque circa delineatam dextram Lumborum regionem, meritò diximus ea confirmari adſcriptam modò Succo Pancreatico ibidem in tenue Inteſtinum effluenti, atque Bili ſe jungenti Aciditatem illam vitioſam; quæ vel idcirco Pancreatico Succo magis venit adſcribenda, quod non rarò abſque ulla Bile, aut Amaritudine comite Humor Acidus prius circa Lumbos moleſtus deprehendatur in Ventriculum, hinc & Os cum vel ſine Vomitu aſſurgere, nunc Aquæ, nunc Pituitæ forma.

Succū Pancreaticum eſſe ſubacidum.

XXXIX. Quod ſi excedens, atque ideo vitioſa hæc debeatur Succo Pancreatico Aciditas in Æruginoſa bile obſervata, utique Acidus vel potius *Subacidus* cenſendus erit ex ſui natura idem *Succus Pancreaticus*, ſed temperatus.

Liquorem Acidū a ſāguine in Pācreate ſecerni, & Spiritu Animali temperari.

XL. Si proinde Aciditate temperata præditus eſt Succus Pancreaticus, neceſſe eſt, ut & in Conglomeratis Pancreaticis Glandulis ſeparetur à Sanguine Liquor Acidus, & ibidem Spiritus Animalis potiſſimum ope temperetur ac demulceatur. Nihil enim æquè Acidum Spiritum temperat, atque Spiritus Volatilis; unde dulceſcit penè cum Spiritu Vini cohobatus Acidus Salis Spiritus.

Ut & in Glandulis Conglobatis.

XLI. In Conglomeratis Glandulis ſi ſecernatur, tempereturque Liquor Sanguinis Subacidus, non video, quid obſtet, quò minus ſimile quid ſuſpicemur de Glandulis univerſi corporis Conglobatis, ac putemus partem itidem Sanguinis Acidiorem in ipſis ſeparari, atque Spiritu Animali partim per nervos plures ad ipſas delatos affluente ibidem, partim à Muſculis, aliiſque Partibus per Vaſa Lymphatica refluente in iiſdem Vaſis temperari ac deliniri.

Liquor in Gravedine cur Salſo-acidus.

XLII. Hanc meam Conjecturam confirmare videtur Liquor in Gravedine & Coryza e naribus diſtillans & Salſo-acidus exiſtens, ob impeditum forſan tunc Spirituum Animalium ad Conglobatas Plexus Choroidis Glandulas, affluxum. Glandulas enim Conglobatas tunc affici patet ex ſimilibus tum Faucibus plerunque, tum circa Collum & alibi nonnunquam ſimul malè affectis.

Lympha eſſe naturaliter Subacidam.

XLIII. Ex his, ſimilibuſque Conjecturis pluribus ſuſpicatus ſum aliquandiu & nunc planè opinor, *Præparatum in Glandulis Conglobatis Liquorem*, *Lymphæ* nomine jam celebrem, *naturaliter eſſe Subacidum*, qualem aliquos ſe guſtu deprehendiſſe jam narravi ſuprà,

Ex Subacido & Amaro Effervescentia:

XLIV. *Subacida* verò ſi Ratione probata, Senſu comprobata ſit Sanguini Deſcendenti conjuncta *Lympha*, *Amara* verò Sanguini Aſcendenti permiſta *Bilis*, an non excitabitur neceſſariò in Utriſque confluxu & commiſtione *Effervescentia*, ſed blanda & Naturæ amica?

Effervescentia ex miſtura Acidi & Saliam cur fiat.

XLV. Inquirenda autem hic, explicandaque accuratius natura & ratio *Effervescentiæ ex ſpiritus Acidi, Saliſque Lixivi Confluxu ſemper oriundæ.* Non deſunt enim, qui ſemel imperite à ſe pronunciata mordicus ad ravim vociferando tutantur, maluntque offuſcari Veritatem, quam inanem ſuam obliterari Omniſcientiæ gloriolam.

Spiritus acidus quomodo paretur.

XLVI. Obſervandum igitur in anteceſſum 1. *Spiritum Acidum* arte parari, quoties ex concluſo vaſe Ignis potentis vi propellitur Sal quodvis.

Quomodo Sal Lixiv.

XLVII. Obſervandum 2. *Salem Lixivum* remanere in Cineribus rerum Ignis potentis ac imprimis patentis vi combuſtarum.

Utriuſque Materia Sal, Efficiēs Ignis.

XLVIII. Unde patet 1. Utriſque *Materiam* eſſe *Subiectum Salinum*.

XLIX. Patet quoque 2. Utriſque *Cauſam Efficientem* eſſe *Ignem*, & quidem *potentem*.

Parandi modus diverſus.

L. Patet inſuper 3. *Modo* præſertim *agendi patiendique* utrumque differre; cum ad *Spiritum Acidum* parandum Salinæ ſubſtantiæ adjungenda ſit *Terra Pinguis*, quoties illa ipſi deeſt; ad *Salis* verò *Lixivi* eductionem ſeparanda ſit per combuſtionem *pars miſti Oleoſa*: unde *aperto Igne* Comburi ſolent Miſta pro *Sale Lixivo*, & *clauſo* vaſe diſtillari Salia in *Spiritum Acidum*.

Utrique Ignē jungi.

LI. Cum autem uterque paretur Ignis vehementia, *Ignem* quoque *utrique intimè junctum & unitum copioſum* concludimus: quod confirmat utriuſque acrimonia Ignea, quævis urens & conſumens.

Ab utroque quomodo Effervescentia fiat.

LII. Quotieſcunque autem concurrunt bini hi potente Igne, at diverſimodè adminiſtrato & agente ex conſimili materia Salina parati Sal Lixivus & Spiritus Acidus, mirum non eſt, ſi communis materiæ ſuæ nomine commiſceantur facilè, atque tunc ob mutationem, quam reſpectu Olei à Lixivo Sale in maximam partem ſeparati, Acido verò Spiritui copioſius & intimius adjuncti paſſi ſunt, diverſam, nova ipſis contingat Alteratio, ob quam ignis in utroque prius modo peculiari concluſus, jam ſuis compedibus magis magiſque liberatus omnes miſturæ hujus confuſæ partes incipiat commovere, agitare & rarefacere, quinimò aliqua ſui parte avolans Senſui externo ſe quoque manifeſtare.

Effervescentia quid.

LIII. Hanc partium diverſarum à liberato Igne factam ut plurimum cum evidenti calore agitationem & quandoque ebullitionem nonnullis Authoribus Chymicis, quo ab aliis affinibus ſpeciebus diſtingueretur, *Effervescentiæ* nomine indigitare placuit, appellatione nec inepta, nec ſenſu obſervatis incongruente; quam retinebimus & nos tantiſper, dum magis emphaticam ex Veterum ruderibus ſubſtituerint Cenſores Grammatiſtæ.

Quomodo fiat in Corde Effervescentia.

LIV. Quotieſcunque autem in Corde ob Effervescentiam deſcriptam domicilium hoc ſuum geminum aliqua ſui parte deſerit Ignis, toties proximis ſe inſinuat, & quidem propenſius ac intimius naturæ ſuæ magis convenientibus Sanguinis partibus;

tibus: quapropter, cum præstò adsit *Sanguinis pars Oleosa*, sive *Butyrosa* ipsumque adeò Ignem excipere aptissima, quid mirum, si huic se immisceat, ipsum accendat, mox & reliquum Sanguinem simul calefactum rarefaciat ex Bile ac Lympha effervescentibus exurgens Ignis, modo haud multùm absimili ei, quo Terebinthinæ Spiritui oleoso & Sale Volatili pleno affusus Vitrioli Spiritus Acidus æstum parit summum? Quod erat probandum.

Effervescentia duplex.

LV. Quemadmodum verò, quandiu temperatæ sunt Bilis & Lympha, tandiu blanda & corpori utilis excitatur in ipsarum confluxu Effervescentia; sic quoties utraque vel alterutra existit minùs temperata, toties contingit acrior, Naturæ humanæ infesta, & modò hanc, modò illam Febris speciem pariens Effervescentia. Sed de his, si Deus volet, agemus in sequentibus.

Ad Effervescentiã concurrere Bilẽ & Lympham Sanguini permixtas, ut & Sanguinis in Ventriculis reliquias,

LVI. Quamvis ergo, ut tandem aliquando prolixam hanc de Calore Sanguinis in Corde aucto Disquisitionem concludamus, ex hac Bilis & Lymphæ cum Sanguine in dextris Cordis Auricula & Ventriculo confluentium Effervescentia & accendi & conservari queat Ignis noster Vitalis in Corde; non puto tamen inutiles esse restitantes in eodem Ventriculo Sanguinis reliquias jam priùs accensas, quin potiùs illarum ope adjuvari & promoveri Sanguinis perpetim affluentis Incendium vitale; adeò ut in statu naturali & sano utramque causam memoratam judicem conjungendam, quò peragantur omnia commodiùs & faciliùs. Neque enim frustrà voluit Deus semper aliquid Sanguinis remanere in Cordis Ventriculis, sed in certum finem; quem in omnibus rerum quarumvis affectionibus sedulò investigare, atque nonnunquam Ipso benedicente fœliciter eruere concessum est hominibus ratione utentibus.

COROLLARIA.

Omnem Artem esse conjecturalem.

1. *Si, quemadmodum definiunt Philosophi,* Ars est Habitus cum recta ratione effectivus; *in* Homine *tantùm ratione utente Ars reperietur, nec tamen nisi multo rerum* Usu *comparabitur; inque* Operatione *ipsa versabitur, Quapropter, si non semper, ut plurimùm saltem, Artifici, ut pro circumstantiarum nonnunquam obscurarum, confusarum vel latentium diversitate Opus suum rite instituat & faciat, opus erit* Conjectura, *in qua quoniam Hominem quemvis sæpiùs hæsitare atque aberrare quotidiana testatur* Experientia, *non dubito asseverare, non dicam* Medicinam *duntaxat, sed* omnem omninò Artem esse Conjecturalem, *hoc est, incertam & fallacem, haudquaquam certam, vel* Scientiæ *appellatione dignam,*

Et omnes Disciplinas Practicas.

2. *Nec est* Artium *tantùm, sed* omnium *insuper* Disciplinarum Practicarum *eadem* Incertitudinis & Conjecturæ *sors. Namsive* Divina, *sive* Civilia, *sive* Naturalia *quis spectet, nullam homini, quoties circa hæc aut illa pro re nata personis aut rebus applicanda occupatur, sicque ipsis operatur, concessam esse in Actionibus suis Certitudinem observabit.*

Unde Contrarium ratione, nõ autoritate probandum.

3. *Quisquis proinde contrarium verbis quidem, adeoque gratis asserit, nec tamen urgentibus rationibus aut evidentibus exemplis demonstrat, incassum laborat; postquam nemini data est unquam in Philosophia & Veritatis investigatione Dictatura; quin unicuique incumbit ex æquo asserti sui probatio, cujus loco qui hujus vel illius Scriptoris egregii auctoritatem, placitumve interponit, revera & actu causam suam desperatam esse ostendit & vadimonium deserit.*



FRAN-

FRANCISCI DELEBOE SYLVII

DE METHODO MEDENDI LIBRI II.

Quorum Prior de Morbis atque Indicationibus; Posterior verò de Materia, & Forma Remediorum agit.

Opus Posthumum.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Methodo Medendi & Indicationibus in genere.

Methodum Medendi Fundamentum Praxeos. Ejus Definitio.

I.  Ethodum Medendi aggredior docendam, & quidem tantò libentiùs, quod Medicinæ ritè faciendæ fundamentum sit & basis.

II. Est autem, ut omnes ambages præscindam, *Medendi Methodus*, *Ars inveniendi & ritè usurpandi remedia reparandæ ac restituendæ Valetudini amissæ maximè convenientia.*

Remedia quid.

III. Quæcunque valetudini adversæ curandæ inserviunt, meritò *Remediorum* nomine veniunt, & *Auxiliorum*.

Circa ea duo præstanda.

IV. Remedia illa & inveniri sive excogitari debent à Medico; hinc & in usum revocari.

Ut inveniantur quatuor attendenda.

V. Cùm autem illa quærantur in Ægris, hoc est, valetudine adversa utentibus, ut illa ingeniosè excogitentur, ac inveniantur, attendendum ad ipsum Hominem curandum, in quo Ægro reperiuntur *Morbi*, *Morborum Causæ*, atque *Symptomata*, res nimirum præter naturam in ipso existentes; ut & aliquid adhuc in ipso secundùm naturam existens, quod *Virium* nomine vulgò venit; ad quæ quatuor attendendum est Medico Ægrum quemvis probè Curaturo.

Unde petantur Indicationes.

VI. Idcircò ad illa quatuor attendendum est Medico, quia sicut vulgò bene dicitur ab illis petuntur Agendorum Indicationes.

Vires sui conservationem indicant.

VII. *Vires* namque sive quicquid secundùm naturam in Ægro adhuc reperitur, *sui Conservationem indicant*: Conservari etenim debent omnia, quæ sunt secundùm naturam in quovis homine, ergo in ægro quoque.

Morbus sui sublationem. Causa Morbifica sui correctionem, & Symptoma gravius sui Mitigationem.

VIII. Inter tres Res præter naturam in Homine occurrentes, *Morbus* dicitur, *sui* Indicare *Sublationem*; & quidem *Indicatione Curatoria*: sicut *Causa Morbifica*, *sui Correctionem*, & quidem *Indicatione Præservatoria*; denique *Symptoma*, non quodvis, sed *gravius*, & *Vires Ægri multùm atterens*, *sui mitigationem*, ast *Indicatione Urgente*.

His quatuor Indicationibus Methodus Medendi continetur.

IX. Quibus *quatuor Indicationum Generibus* quoniam continetur omnis *Medendi Methodus*, cumque Indicationum Doctrina sit maximi in arte Medica momenti, totum illud negotium aliquantò accuratiùs est tractandum, ejusque explicatio altiùs petenda, quò hæc res omnis cuivis reddatur facilior & manifestior.

Earum fontes explicandi.

X. In hunc finem, quo singula pateant magis, constituimus ipsos *Indicationum Fontes* scrutari atque omnia accuratiùs determinare.

Quænam Indicationē promant.

XI. Examinemus proinde Morbos, & Morborum Causas, & Symptomata, quæ Indicationes promunt in Methodo Medendi.

CAPUT II.

De Morbis & Functionibus integris in genere.

Morbi definitio.

I. M*Orbum* ego habeo cum plerisque Medicis pro *Constitutione Hominis prava Functiones qualescunque lædente.*

Sanitatis et Morbi Effectus.

II. Sicut enim Sanitatis Effectus est Functio integra, sic Morbi Effectus est Functio labefactata, & quovis modo magis vel minùs læsa.

Morborum Divisio ūde petenda.

III. Ex Functionum proinde diversitate ritè considerata Morborum subjecta, speciesque faciliùs determinabuntur, & cuivis patebunt.

Functionū divisio.

IV. Existimo autem *Functiones* aptissimè dividi, prout vel *Individui Conservationi*, vel *Speciei Propagationi* serviunt.

V. *Individui Conservationi* quæ inserviunt *Functiones* itidem aptissimè in *Naturales* dividi possunt & *Animales*:

Functiones Naturales quænam.

VI. *Naturales* voco, quæ in varia assumptorum mutatione, scilicet alimentorum & aeris, adeòque vitæ Naturalis Conservatione sunt occupatæ.

Animales qua.

VII. *Animales* autem nomino, quæ partim in rerum Cognitione per sensus tam Externos, quàm Internos; partim in rerum Cognitarum quà homini utilium quidem Appetitione per Animi Affectus ac Fruitione per corporis motum; noxiarum verò Aversione ac Fuga per eosdem Animi, Corporisque Motus, versantur.

VIII. *Speciei Propagationi* servientes Functiones, aut in *Maribus* reperiuntur, aut in *Fœminis*.

Generationi servientes functiones in Maribus.

IX. Quæ in *Maribus* desiderantur Generationi servientes Functiones, tum 1. *Seminis Productione*. tum 2. *ejusdem Conservatione*. tum 3. *Ipsius in Uterum Effusione* continentur, ad quam requiritur 4. *Membri Virilis Erectio tandiu perdurans*, *donec sit Seminis facta Effusio*.

In Fœminis.

X. Quæ in *Fœminis*, longè plures requiruntur ad Generationem absolvendam Functiones, sunt 1. *Seminis productio*. 2. *Ejusdem in Uterum Effusio cum Virilis Seminis Affusione concurrens*. *Utriusque Retentio*, ut ex ipsis 4. *Formetur*, mox & paulatim *perficiatur & augeatur*, *nutriaturque* in Utero Fœtus. 5. *Fœtus maturi perfectique Exclusio*, *sive Partus*. 6. Fœtui in Utero Nutriendo serviens *Sanguinis co-*

piosi-

pisioris Generatio; atque 7. ante Gravidationem *menstrualis Effusio*; quin post *Partum* 8. *Sanguinis* ejusdem *in Mammis in Lac mutatio*; sicut 9. *Lactis producti* è Mammis facilis *Effusio ad Lactationem*: & si quæ plures observantur Generationi Servientes in Fœminis Functiones.

XI. Hæc omnia de Functionibus Hominum variis prolata ut nostro inserviant scopo, expendenda sunt singula, quæ illis absolvendis desiderantur, & in homine imprimis reperiuntur.

Quanã ad Functiones absolvendas concurrant.

XII. Ad Functiones singulas absolvendas concurrunt semper aliqua ex parte Hominis, aliquando etiam quædam extra hominem sita: quæ singula tamen ritè debent esse disposita & constituta, quò functio quævis perfecta fiat.

Quænam ad Chylificationem.

XIII. Sic ad *Chylificationem* in Ventriculo perficiendam concurrunt quædam ex parte hominis; *Ventriculus*, quo continentur ac retinentur Alimenta assumpta, & *Saliva* continuò deglutita, præter quæ concurrunt quoque ipsa *Alimenta*, extra hominem, ipsiusque constitutionem posita, & tamen intra corpus sumenda, ut fermententur in Ventriculo, fiatque sic dicta Chylificatio.

XIV. Ubi notandum ad Chylificationem concurrere 1. Partem Corporis Humani solidam, hinc continentem *Ventriculum*. 2. Partem fluidam & contentam, *Salivam*: ac 3. Ipsa Alimenta assumpta, tum liquida, *Potum*, tum solida, *Cibum*: quæ omnia necessariò requiruntur ad Chylificationem absolvendam; adeo ut quoties contingit lædi Chylificationem, illorum trium examen exactum sit instituendum, ut pateat, num læsionis ejus causa quærenda sit, & invenienda in uno, vel pluribus ex illis memoratis modò tribus ad Chylificationem perficiendam necessariis.

Quænam ad Visum.

XV. Sic ad *Visum* in Oculo absolvendum requiruntur adhuc plura simul necessariò tunc concurrentia, & 1. quidem *Objectum externum*, videndum. 2. *Medium*, inter objectum & Oculum. 3. *Lux*, Objectum illuminans. 4. Ipse *Oculus* cum omnibus suis Tunicis & Humoribus. 5. *Nervus opticus*. 6. *Spiritus Animalis* per opticum nervum ad Oculum delatus. 7. *Cerebrum aut Cerebellum* à quo Spiritus Animalis ad Oculum defertur. 8. *Anima*, quæ sola videt.

XVI. Inter quæ tria occurrunt extra hominem sita, *Objectum, Medium, & Lux*: reliqua in Homine existunt, & quidem tam *Continentes*, quàm *Contentæ ipsius Corporis Partes*, ipsaque ejus *Anima*.

Functiones quædam, ad quas nihil extra hominem concurrit.

XVII. Hic dantur aliquæ Functiones, ad quas absolvendas nihil extra hominem ipsiusve constitutionem positum immediatè concurrit: quemadmodum evenit in Contentorum plerorumque, Bilis, Salivæ, Succi Pancreatici, Lymphæ, Spirituum Animalium, Seminis, Lactis productione: ut & in Partium Continentium Nutritione & Augmentatione undecunque tandem pendente: Denique in Sensuum Internorum Frequentissima Operatione, raro ullius objecti præsentiam desiderante: in quibus proinde quotiescunque aliqua observatur læsio, toties illa videtur adscribenda alicui in Parte Corporis Continente, Contentave, aut etiam in Anima vitio, id est, Morbo.

Morborum subjecta quænam.

XVIII. Cùm igitur ad plures Hominis Functiones absolvendas desiderentur non tantùm Partes ipsius Corporis Continentes, ast contentæ quoque, quin Anima ipsius, ritè Constitutæ, quoties Harum una vel plures malè sunt Constitutæ, atque hactenus Functionis alicujus læsæ Causæ; toties illa Constitutio mala vocatur Morbus, possuntque Morborum Subjecta esse 1. Partes Corporis Continentes, quod agnoverunt hactenus omnes: 2. Partes Corporis Contentæ ac Fluidæ, quod urgent hoc tempore plures: 3. Anima ipsa, quod mecum forsan concedent pauci; quamvis hoc existimo verissimum, sicut in sequentibus magis patebit.

Quãdo Functio dicatur lædi ab errore.

XIX. Quoties autem istis omnibus in Homine ritè se habentibus læditur tamen aliqua in ipso Functio, & quidem ratione illorum, quæ extra ipsius Constitutionem, ut ex gratia Chylificatio ratione Alimenti copiosioris vel pravi assumpti, vel Visio ratione Objecti remotioris, vel Medii non satis pellucidi, aut gemini, & pelluciditatis nomine varii, vel Lucis non satis Objectum illustrantis, toties dicunt lædi Functionem ab errore externo, vel ipsam non tam lædi, quàm frustrari.

In Curatione differre an Functio ab errore externo; an verò hominis culpa sit læsa.

XX. Utique plurimùm differt in Curatione ritè instituenda Functio frustrata vel ab errore externo læsa, & Functio hominis culpa labefactata & vitiata: quod sedulò est observandum à Medico prudente.

XXI. Atque hæc in genere de Morbo triplici, Corporis Continentis, Corporis Contenti, & Animæ dicta sunto: nunc ad ipsam Medendi methodum revertamur, & primaria saltem ipsius capita expendamus.

CAPUT III.

De Indicantibus, Indicatis & Indicationibus.

Methodus Medendi quid.

I. Docuimus Capite I. cum aliis, *Medendi Methodum esse Artem inveniendi, & ritè usurpandi remedia reparandæ ac restituendæ Valetudini amissæ maximè convenientia*.

In Remediorũ inventione ad quænam at endendum.

II. Addidimusque, ut Remedia illa inveniantur, attendendum esse ad ea, quæ *secundùm naturam* in iisdem occurrunt, quò *externæ* quoque *Causæ* sunt referendæ.

Quænã dicãtur ostendere, monstrare, ac indicare.

III. Eadem illa tum secundùm naturam, tum præter naturam in Ægris occurrentia dicuntur *ostendere*, *monstrare*, ac *indicare* quid agendum sit ad Valetudinem adversam corrigendam, tollendamve.

Indicantia, & Indicata quænam.

IV. Unde illa eadem vocantur vulgò *Indicantia*, sicut Remedia dicuntur *Indicata*, unde desumpta est tota *Indicationum* doctrina.

Indicationũ una à Rebus secundũ naturam; Tres verò à Rebus præter naturã.

V. Harum autem Indicationum quatuor quoque diximus esse genera: quarum una à Rebus secundùm Naturam in Ægris superstitibus; reliquæ verò tres à Rebus præter naturam desumuntur.

Quid ad videndum in Ægris necessarium.

VI. Nisi aliquid superesset in Ægris secundùm naturam, nulla Functio etiam imperfectè posset absolvi, adeoque nec vita permanere; quin moriendum esset confestim cuivis ægro.

Vita & mors unde pendeant.

VII. *Vita* enim cùm pendeat imprimis & proximè à Mutatione continuò Sanguini in Corde advenientc, illam saltem fieri oportet ad vitæ conservationem: sicut illa extremè labefactata sequitur *Mors*.

Quid secũdũm, quid contra naturam sit.

VIII. Quicquid autem hanc maximè vitalem Functionem in Corde facit, omninò secundùm naturam est, sicut quicquid eandem destruit, maximè contra naturam.

Quanã ad Vitæ Conservationẽ requirãtur.

IX. Cùm proinde ad Vitæ Conservationem omninò requiratur Functionis laudatæ in Corde Conservatio, requiretur quoque ejus, aut eorum, quæ illam efficiunt, Conservatio.

Pleræque Functiones à se mutuò pendere.

X. Quemadmodum verò pleræque Functiones à se mutuò pendent, atque mutuas sibi conferunt operas, ita ad Vitæ Conservationem requiritur quoque Conservatio cæterorum omnium cæteris Functionibus ad vitam perpetuandam præsertim necessariis efficiendis requisitorum.

Vires & vitalis Indicatio quid.

XI. Ista verò omnia secundùm naturam in homine quovis, etiam ægro, reperta, Virium nomine vulgò veniunt, in eoque conservari debent, quò tum Vita perpetuetur, tum faciliùs affectus quivis superentur: Unde *Indicationem*, hoc est, Agendorum ostensionem *a viribus petitam* vocarunt *Vitalem*, ut & *Conservatoriam*.

Quid præcipuè sui conservatione indigeat.

XII. Id autem imprimis sui Conservatione indiget, quod ratione Affectus Ægrum quemvis urgentis maximè consumitur, vel corrumpitur: quod ritè observandum à Medico prudente.

In qua Indicatione maxima difficultas.

XIII. Minor quidem difficultas occurrit in determinanda Indicatione vitali, major in cæteris ex æquo explicandis, cùm magna occurrat Morborum magna Causarum & Symptomatum diversitas, quæ

quæ si non satis accuratè spectetur ac distinguatur, cæcutiet ubique Medicus.

Res præter naturã tres promunt indicationes.

XIV. Cùm autem res præter naturam sint tres, Morbus, Morbi Causa, & Symptoma, quodlibet etiam peculiarem sibi promere diximus Indicationem, Curatoriam nempe, Præservatoriam, atque Mitigatoriam.

Indicatio Curatoria unde.

XV. *Morbus* quidem, cum quo simul spectatur *Causa Continens*, hoc est, quicquid actu Functionem aliquam lædit, tollendus, sicque Æger curandus; unde *Indicatio* è Morbo, & Causa Continente sumpta vocatur *Curatoria*.

Præservatoria unde.

XVI. Quæ à *Causa Morbifica* petitur *Indicatio* à Medicis *Præservatoria* vulgò dicitur, quæ Denominatio satis ostendit qualis tunc intelligenda causa, plures namque ac multùm diversæ occurrunt causæ morbificæ.

Præservatio quî fiat.

XVII. *Præservamus* autem *à re futura*. *Causa* igitur hic considerata est *Morbum nondum faciens*, aut actu producens; *ast factura* & producere potens; ergo *Antecedens* vulgo dicta.

Causa continens quid & quomodo spectetur. Causa Antecedens quid.

XVIII. *Causa* quidem *actu Morbum producens*, vocatur *Continens*, soletque in Medendi Methodo unà cum Morbo spectari, atque unà cum Ipso *Indicationem curatoriam* dictam promere: Causa verò Antecedens dicta nondum producit Morbum, illum tamen producere apta est nata, quamprimùm ejus vis in actum deducitur vel sponte vires sumendo, & imprimis, aliunde irritata; excitata, & agitata; quam irritantem, excitantem, agitantem, atque ipsam in actum deducentem Causam vocant vulgò *Procatarcticam* & *Occasionalem*, quia illi occasionem præbet ad vim suam exercendam, & actu Morbum producendum.

Procatarctica & Occasionalis quid. Causa antecedens quando fiat continens.

XIX. Antecedens proinde Causa est *Causa in potentia*, quæ dum in actum deducitur, fit Continens: Hæc, antequam in Actum deducatur, dicitur *Præservatoriam* promere Indicationem, quoniam illius vitium qualecunque si in tempore corrigatur, præservatur eo ipso Homo à Morbo imminente ac ipsum minante.

Præservatoria Indicatio quare sic dicta. Quænam sint Causæ Antecedentes.

XX. Quicquid proinde in Homine occurrit & latet, quod nondum Morbum producit ac Functionem aliquam lædit, aptum tamen natum est ad levem occasionem Morbum in Homine qualemcunque producere ac Functionem lædere, id *Antecedentis Causæ* nomine venit, atque *Præservatoriam Indicationem* promit.

Quid moneat Præservatoria Indicatio.

XXI. Meritò prætereà *Præservatoria* vocatur hæc *Indicatio*, cùm moneat Medicos ac Ægros, satius esse Morbos prævenire, atque ab imminentibus Morbis homines præservare, quàm illud negligendo in Morbos incidere, qui difficiliùs tolluntur, quàm præveniuntur.

Symptomata falsò credita nullã requirere Medicationem.

XXII. *Symptomata* cùm dicantur Morbos sequi modo eodem, quo umbra sequitur corpus, credita sunt eadem similiter sublato Morbo sponte evanescere, ideòque existimarunt multi *nullam deberi peculiarem Symptomatibus medicationem*, tantùmque sollicitudinem requiri in Medico de tollendo Morbo, & causa antecedente, nullam de Symptomatis.

Symptomata gravia requirere medelam.

XXIII. Verùm enim verò ipsa Experientia quotidiana ostendit, non rarò *tam gravia urgere nonnunquam ac conficere Ægros Symptomata*, (sive sint sanguinis aliorumve Humorum naturalium effusiones; sive sint Dolores, spiritus animales exhaurientes; sive sint Partium variarum à flatibus Distensiones, Respirationem imprimis impedientes; sive sint Effervescentiæ vitalis qualescunque Oppressiones, ab Humoribus acribus, Halitibusve similibus, aut flatibus quovis modo id præstantibus) *ut nisi succurratur ipsis*, neglecto etiam sæpiùs ipso tum morbo, tum causis omnibus ipsum actu producentibus, *pereundum sit Ægro priùs, quàm superetur Morbus*: quamobrem Medici prudentes ad ipsa quoque attenderunt *Symptomata gravia & ægros valde debilitantia*, ipsisque mox succurrendum docuerunt; *à quibus* proinde *Indicationes* quoque *petendas* ostenderunt, quas quidam, quoniam urgent talia Symptomata, *Urgentes*; alii & magis appositè vocarunt *Mitigatorias*: sunt enim *mitiganda Symptomata urgentia*, quippe gravia & vires ægri exhaurientia.

& indicationem promere Mitigatoriam.

Res secundù vel præter naturã sunt vel in Corpore vel in Animu.

XXIV. Quicquid autem secundùm vel præter naturam se habet in Ægris, illud ipsum spectatur vel in eorum *Corpore*, vel in *Anima*.

XXV. Et quidem in *Corporis Partibus Continentibus & Consistentibus*, aut in *Contentis & Fluidis*; quatenus ipsa secundùm Qualitates suas sensiles Proprias vel Communes concurrunt ad Functiones quasvis peragendas.

Quæ in corpore sunt, Duplicia.

XXVI. In *Anima* verò, quatenus & Illa *modis variis* debet esse Disposita & Constituta itidem ad Hominis Functiones ritè absolvendas.

Ad Corpus Contentum referendu Externa, Aer Alimenta.

XXVII. Ad *Corpus contentum* referenda videntur etiam *Externa*, sed Functionibus quibusdam perficiendis absolutè necessaria, *Aer* puta inspirandus, & *Alimenta* assumenda.

Sensuum requisita externa.

XXVIII. Ad Corporea requisita referenda quoque ad *Visum* 1. *Objectum*, 2. *Medium*, 3. *Lux*. Ad *Auditum*, 1. *Objectum*, 2. *Medium*. Ad *Olfactum*, 1. *Objectum*, & 2. *Medium subinde*. Ad *Gustum*, *Objectum*. Ad *Tactum*, *Objectum*. Ad *Caloris sensum*, 1. *Objectum*, & aliquando 2. *Medium*; postquam hic sensus tam per *Contactum*, quàm *sine Contactu* & per distans potest fieri.

Quænam externa Functionibus sint necessaria.

XXIX. Hæc, inquam, omnia, extra hominem licèt existant, necessaria sunt ad nominatas Functiones absolvendas: quæ proinde simul considerari debent in Methodo Medendi rectè ordinanda.

A Fortuitis etiam peti Indicationẽ

XXX. Quin ne *fortuita* quoque, atque *casu contingentia* sunt prætereunda, quoties Functiones lædunt: ab illis enim omnibus petuntur Agendorum *Indicationes*.

Quanã pro Indicante habenda.

XXXI. Quicquid ergo in Ægris Functiones lædit, sive existat in ipsis sive existat extra ipsos, id omne pro *Indicante* habendum.

Indicans non idcirco esse aliquid in Homine permanens,

XXXII. Quamvis enim aliqui doceant *Indicans esse aliquid in homine permanens*, attamen ubi ad Curationem accedunt, dictorum suorum immemores ab Externis quoque Indicationes suas petunt, & meritò, cùm & illis facienda Medicina ad Ægros Curandos: sic Aer noxius & Morbos pariens corrigendus vel vitandus; sic Alimenta noxia priùs, quàm assumantur, corrigenda sunt, vel additis saltem correctoriis usurpanda.

A quibus Indicationes petãtur.

XXXIII. Petuntur igitur in Methodo Medendi Indicationes ab iis omnibus, quæ in Ægris aut secundùm, aut præter Naturam concurrunt ad Functionem quamvis efficiendam, aut lædendam, sive illa homini inexistant, sive extra eundem reperiantur.

A juvantibus & nocentibus potissimam peti Indicationẽ

XXXIV. Hoc autem fundamento ritè posito facilè patet decantatissimi apud Medicos Practicos præcepti veritas; docent enim *à Juvantibus & Nocentibus potissimas peti Agendorum Indicationes*: quæ ad duas generales possunt reduci omnes.

In Juvantibus continuanda.

XXXV. Quarum prima est: *Quæcunque observantur Sanos aut Ægros juvare, eadem usurpanda sunt*, nec ab eorundem usu temerè abstinendum, aut desistendum.

A Nocentibus abstinendum.

XXXVI. Altera verò econtra: *Quæcunque Sanis aut Ægris deprehenduntur nocere, ab iisdem abstinendum est*, nec in ulteriore ipsorum usu, vel potiùs abusu, continuandum aut perseverandum.

CAPUT IV.

De Morbis in Qualitatibus Sensibus Propriis.

I. POstquàm in genere Indicationum rationem innuimus, & ostendimus quadruplices occurrere Indicationes, Vitales, Curatorias, Præservatorias, & Mitigatorias, proximum est, ut singulas examinemus accuratiùs, initio facto à Viribus, & Indicatione Vitali.

Vires quid, & quotuplices.

II. Diximus jam nos Virium nomine intelligere quicquid secundùm naturam in Ægris reperitur. Illud autem aut in Corpore ipsius Con-

tinente

tinente observatur, aut in Corpore Contento, aut in Anima.

Constitutio præternaturalis ex naturali cognoscitur.

III. Quoniam verò Contraria juxta se posita magis elucescunt, ut qualia sint quæ secundùm naturam in quibusvis Ægris occurrere possunt, percipiantur faciliùs, consultum duxi, statum hominis præter naturam imprimis considerare, cùm illo noto facilè etiam innotescat status ejusdem ac constitutio naturalis.

Ex curandi modo modũ conservandi patere.

IV. Constitutio igitur naturalis, vel secundùm naturam Corporis tam Continentis, quàm Contenti, ut & Animæ, patebit maximè ex copulata ipsi Constitutione eorundem præternaturali, sive Morbo, ex cujus Curandi modo facilè patebit modus Conservandi in statu naturali, quicquid Virium nomine venit.

In Morborũ constitutione Auctor differt ab aliis.

V. Quapropter, ut aliquod temporis lucrum faciamus, rectà pergemus ad Morborum quorumvis examen, postquam non planè idem sentimus cum aliis.

Triplex Morborum Subjectum.

VI. Quemadmodum autem jam nuper attigimus, triplicia Morborum agnoscimus Subjecta, Corpus hominis Continens, Corpus ejusdem Contentum, atque ipsius Animam, & quidem ideo, quia hæc tria non rarò omnia requiruntur in ipso ad Functiones ipsius quasdam ritè edendas: Eorum proinde unum, vel duo, vel omnia tria si fuerint malè affecta, lædetur inde Functio, eritque Functionis istius læsæ Causæ illa Dispositio vitiosa, quæ omninò habenda tunc pro Morbo, sive occurrat illa in ejus Corpore Continente, aut Corpore Contento, vel Anima; & quidem seorsim vel conjunctim. Sed rem totam repetamus altiùs.

Quid pro Morbo habendum.

Corpus humanum per sensus externos tantùm innotescere.

VII. *Corpus humanum* non tantùm in Sensus Externos incurrit, verùm *per ipsos tantùm innotescit*; quapropter quatenus idem in sensus externos incurrit, illud considerabimus.

Et in Consistens, & Fluidum distingui.

VIII. Quoties proinde totum *hominis Corpus* ejusdem dissectione artificiosa examinamus, toties ipsum partim *Consistens*, partim *Fluidum* observamus; unde idem in *Consistens sive Continens*, ac *Fluidum sive Contentum* à plerisque fuit distinctum aut divisum, & quidem planè appositè ad faciendam medicinam; quapropter illam quoque servabimus Distinctionem.

In humoribus etiam esse Morbos.

IX. Hoc enim sæculo cum Medici plures in Humoribus quoque Morbos reperiri docuerint, quinimò non pauci novam Morborum omnium distinctionem, explicationemque proposuerunt, puto & mihi quoque licere liberè cogitationes super hac re proprias in medium proferre, cùm videantur illæ mihi facere tum ad veritatem ampliùs manifestandam, tum ad Ægros faciliùs, fœliciùsque curandos.

In Corpore continente Qualitates sensiles spectanda tum propria, tũ communes. Eæ quid sint. Nova Morborum delineatio.

X. Et ut à corpore *Continente* dicto, vel propriè magis *Consistente* dicendo faciamus initium, quatenus illud variis Functionibus inservit, sæpenumerò plures tunc concurrunt Consistentis Corporis Partes ad unam Functionem obeundam, in quibus spectandæ sunt *Qualitates* singularum *Sensiles*, tam *Propriæ*, uno tantùm sensu Observabiles, quàm *Communes*, pluribus sensibus perceptibiles, secundùm quas duplices Qualitates conabimur omnes omninò Morbos & Continentis, & Contenti Corporis explicare: atque sic novam Morborum delineationem proponemus.

Visibiles Qualitates quæ.

XI. Inter *Qualitates sensiles proprias*, & uno tantùm sensu Externo perceptibiles, initium faciemus ab iis, quæ *Visu solo* dignoscuntur, *Colore*, *Luce*, *Tenebris*, *Pelluciditate*, ejusque opposito, *Opacitate*.

Eas aliquãdo Morborũ aliquando Symptomatũ rationem induere.

XII. In solo Visu considerabiles sunt illæ Qualitates, ideo Visus tantum ratione *Morborum* rationem induunt, (quandoque *Symptomatum*, uti in Ictero) & in Oculi partibus variis spectantur.

Colore qua partes destituta desiderentur.

XIII. *Colore* igitur omni destitutæ desiderantur *Corneæ tunicæ pars* anterior, ut & *Humores Oculorum* tres; quæ Partes si Colore aliquo sint infectæ, hactenus visionem lædunt, atque *Morbo* dicuntur affectæ *in Colore*.

Morbus in colore.

Quæ partes debeant esse pellucidæ.

XIV. Partes eædem non tantùm omni Colore desiderantur ad Visum destitutæ, ast insuper *Pellucidæ*; quapropter, si plus, vel minùs, in totum aut ex parte fiunt *Opacæ*, hactenus læditur Visio, oriturque *Morbus Opacitatis* multiplex.

Morbus Opacitatis.

Quæ Partes coloratæ desiderentur in oculo.

XV. Contrà in eodem Oculo desiderantur aliquæ *Partes Coloratæ*, *superficies* puta *Uvææ Tunicæ inferior subcærulea* in Albedinem declinans, aliæ quoque *Opacæ*, eadem *Tunica Uvea*, & pars reliqua *Corneæ*; unde si Color Uveæ mutaretur, aut ipsa fieret Diaphana, læderetur Visio, & quidem propter *Morbum* in Colore aut *Pelluciditate* vitiosis.

Morbus in Pelluciditate.

Auditus qualitas.

XVI. Post Visum considerabimus *Auditum*, cujus Qualitas propria est *Sonus*; cujus ratione si Auditus lædatur, *Morbus* erit *in Sono*; quando is existit, & auditur in Aure, impeditque quovis modo Auditum: ut enim ritè fiat Auditus, nullus esse debet in Aure Sonus; cujus nomine cùm malè sit affecta ad Audiendum Auris, hactenus Morbo dicitur detenta.

Morbus in Sono,

Quid in Auditione curanda Medicos hactenus solicitos tenuerit

XVII. Quemadmodum autem Oculi Partes aliquæ ad videndum requiruntur pellucidæ, atque Coloribus perviæ, ita aliquæ Auris Partes ad audiendum Sonis Perviæ, quæ Constitutio non satis hactenus intellecta, nec proinde explicata solicitos tenet in Auditione curanda non rarò Medicos Rationales.

Olfactus qualitas.

XVIII. Pergamus ad *Olfactum*, cujus Qualitas propria est *Odor*, qui omnis abesse debet ab Odoratus Organo, aliàs læditur idem, adeoque *Pars* in Organo illo odorem qualemcunque gratum aut ingratum spirans, & hactenus Obiectorum externorum dignotionem impediens *Morbo* dicenda detenta & quidem ratione *Odoris*.

Morbus Odoris.

Olfactus Organum s. & p. n. cõstitutum.

XIX. Quemadmodum verò omni odore destitutum requiritur Olfactus Organum, ita in eodem via debet patere Odoribus aliunde accedentibus, qua quovis modo impedita Morbo affecta est Pars ita vitiata.

Gustus Qualitates. Quæ Sapore destituta desiderantur, in Gustu.

XX. Sequitur spectandus *Gustus*, *Saporibus*, Qualitati sibi propriæ, dignoscendis dicatus. *Lingua* verò, *Palatumque* primaria Gustus Organa, ut & *Saliva* ipsis serviens, omni Sapore destituta desiderantur ad Gustum ritè obeundum: quocirca quoties Sapor qualiscunque Partes illas occupat, Gustum rerum externarum lædit, toties *Morbo* & quidem in *sapore* sunt illæ affectæ.

Morbus Saporis.

Organum Gustus Sapores debet admittere.

XXI. Quemadmodum autem omni sapore destitutæ desiderantur laudatæ Partes, ita debent Sapores in rebus gustandis existentes ab illis admitti ut gustentur: quod si eosdem haud admittant, nec proinde sapor rerum in Lingua vel Palato gustetur, & hactenus Morbo affectæ sunt illæ partes, ac imprimis, sæpiusque *Saliva*, quippe qua dilui solent objecta sapida, & Linguæ Palatoque communicari; Requiruntur tamen in Lingua quoque & Palato aptitudines ad rerum sapidarum substantiam Saliva propria, vel aqua, liquoreve alio solutam excipiendam & dignoscendam: unde patet Vitium & Morbum posse tum in Saliva, tum in Lingua, vel Palato existere Gustum tollens, aut obliterans.

Morbus Gustus in quibusnam posse esse.

Tactus qualitas,

XXII. Sequitur *Tactus*, cujus Qualitas propria est *Durities*, ipsique opposita *Mollities*; secundùm quas læditur non rarò Tactus; in cujus Organo requiritur Mollities, ut fiat Tactus, quæ si mutetur, & indurescat, ex. gr. cutis & maximè in acinis digitorum, reddaturque ipsa Callosa, non parum læditur eo ipso Tactus; quam ipsius læsionem, tanquam Morbus, producit Durities ibi existens.

Tactus Durities. In Tactu requisita.

XXIII. Quemadmodum autem Mollis requiritur Tactu prædita Pars, ut Tangat, ita omni sensu, & imprimis molesto, carere debet rei Tactum afficientis, ut dignoscat exteтna objecta tangenda, aliàs obliterabitur aut confundetur externi objecti Tactus, qui hactenus læsus, pro sua Causa Morbum agnoscet Organum Tactus interno objecto motum.

XXIV. Sic Pars punctura, lancinatione, pulsatione, distensione, aliove objecto molesto affecta,

non

non poterit probè judicare de objecto externo eidem parti oblato, ut tangatur.

Caloris Sensus à Tactu distinctus.

XXV. Ultimum locum occupet *Caloris Sensus* mihi vocatus, & à Tactu variis nominibus distinctus, quem forsan primo loco maluissent me citasse, quotquot Veteres secuti, à Calore ac Frigore omnes ferè in naturalibus rebus mutationes exspectant, deducuntve.

Quare postremo loco de illo agit Auctor.

XXVI. Quoniam verò ego cum Ipsis non sentio, censui commodiùs postremò de hisce agi Qualitatibus; quæ dissidium inter nos creant; quod vix putem habere locum in cæteris jam propositis.

Caloris sensus Qualitates propriæ quæ.

XXVII. *Caloris ergo sensus* Qualitas propria est *Calor*, ejusque Oppositum *Frigus*, ut & medium ex utroque *Tepor*.

A quibus læditur & recreetur hic sensus.

XXVIII. Atque uti ab extremo, sive summo Calore, ac Frigore non parùm læditur Caloris sensus, ita idem non parùm recreatur à Tepore, qui ad bene sentiendum requiritur in hujus Sensus Organo; quod, ubi valde calet, aut friget, ineptum est ad ritè sentiendum.

Calorem & Frigus non esse Qualitates Activas.

XXIX. Quamvis autem vulgò memoratæ modò Qualitates, *Calor & Frigus*, habeantur pro *Qualitatibus Activis*, à quibus proindè, si non omnes, utique mutationes pleræque in rebus naturalibus observabiles pendere docent, mihi tamen haud fit vero simile.

Sonus & calor à rebus diversis & diverso modo,

XXX. Quemadmodum autem Sonus editur à rebus diversissimis, Duris & Solidis collisis, vel Duris Aerem verberantibus, sed & Mollibus quoque Aerem quatientibus, quin Flatulentis quoque atque Vaporosis, Vento, & similibus, ita Calor à rebus producitur diversissimis, & modo diversissimo.

A quibus producatur calor.

XXXI. *Calor* enim non producitur tantum *ab Igne vulgari accenso*, nunc in *Ligno*, vel *Cespitibus*, *Carbonibusve subterraneis*, nunc in *Cera*, *Sebo*, aut *Oleo*, *Vinive spiritu*, sed etiam à *Solaribus Radiis*, ut & à *Lixivo Sale*, quin aliquando ab huic opposito *spiritu Acido*, ne nunc attingam *Aromatica Acriora*; quæ ad Lixivum Salem ratione suæ acrimoniæ sunt redigenda: Quin imo *solo Corporis nostri motu* incalescit idem, ut & à variis *Animi Motibus* vehementibus, *Ira* præsertim & *Sollicitudine* anxia.

Caloris Doctrina difficilis ob varias ejus causas, variaque effecta.

XXXII. Hic Calor non tantum Causas efficientes agnoscit Varias, sed idem quoque existit planè varius, quin Effectus quoque in nobis producit varios: adeò ut non sit res tam facilis Doctrina de Calore, sed accuratum requirat plurimarum rerum examen.

Ut & Frigoris doctrina.

XXXIII. Idem quoque dicendum de *Frigore*, quod itidem variis modis se manifestat in Nobis, & agnoscit Causas efficientes planè diversas.

Frigus unde.

XXXIV. Nam *Frigus* non tantùm producitur *ab eo, quod Glaciem Hyeme gignit*, qualecunque tandem illud sit, quod mihi tamen maximam videtur habere cum Sale Armoniaco, sed haud concreto, similitudinem.

Ejus variæ causæ.

XXXV. Inter Causas igitur Frigoris locum primum damus *Aeri gelido & Glacianti*, ut & *Subterraneo*, quo *Ventus* referendus; *Aquæ* simili, *Grandinique & Nivi*, quò spectant *Lintea*, & *Vestimenta* omnia *Madida* & simul sensui *Frigida*, quæ omnia frigus pariunt in nobis; ut & *Potus* quivis *gelidus*, & imprimis *Aqueus*, quin paulatim producit in nobis Frigus *Potus Copiosius & diu continuatus*, etiam *Spiritus Vini*; à quo paulatim Hydropici evadunt Homines, frigidique. Hoc potentiùs efficit omne *Acidum*, *Acerbumque* Aqueis præsertim solutum. Frigus quoque parit & *Torpor & Quies Corporis*; *Somnusque multus*, *Tristitia*, & *Terror*, & similia.

Frigus & Calorem producentia sunt distinguenda.

XXXVI. *Omnia verò quæ Calorem ac Frigus in Nobis producunt*, accuratè sunt *distinguenda*, cùm nec modo eodem id efficiant, nec proinde modo eodem, quoties non lædunt, curari debeant: licet id perperam negligatur à multis, quibus satis est notasse Calorem aut Frigus molestum, atque illis opponere id, quod ipsis vocatur Frigidum vel Calidum: quamvis quotidiana & multiplici experientia constet talibus sæpè plurimum lædi, neutiquam juvari Ægros, & quidem propter neglectum aut non intellectum modum, quo Calor aut Frigus fuit productum in nobis à causa singula: docuimus namque non tantùm caloris atque Frigoris plures occurrere causas, verùm eas agendi modo plurimum differre: Quam rem aliàs examinabimus accuratiùs.

In Organo Sensus Caloris requiri Teporem Morbus Caloris vel Frigoris.

XXXVII. Requiritur autem *in Organo Sensus Caloris*, nec Calor magnus, nec Frigus molestum, *ast Tepor*: unde quoties illud à quacunque demum Causa interna aut externa etiam vel calet, vel friget multùm, ideòque ineptum est ad objecta externa ritè dignoscenda; toties *Morbo* dicendum id affectum, & quidem nunc *Caloris*, nunc *Frigoris*, prout hæc, aut illa qualitas ipsum urget & angit.

Ad Functiones Animales ritè obeundas quid requiratur & quomodo illæ Functiones lædantur.

XXXVIII. Ut autem, quæ pluribus de Qualitatibus sensilibus Propriis hactenus proposuimus paucis comprehendamus, atque Methodo Medendi applicemus. In Partibus Continentibus, vel potiùs Consistentibus *ad Functiones*, *Animales* præsertim, ac inter ipsas *sensus Externos ritè obeundos requiritur* sæpenumerò *Qualitas sensilis Propria*, sed *Remissior*, aliquando *Nulla*: unde quoties *eadem Qualitas Excellit* aut *præter naturam in ipsis reperitur*, toties ipsæ *Morbo dicendæ* affectæ, quia Functiones hactenus lædunt.

Morbi in partibus Contentis.

XXXIX. Ex iis, quæ de Qualitate sensili Propria in Partibus Consistentibus aut Continentibus quovis modo peccante, atque Morbum in ipsis Constituente diximus, facilè paret idem de *Partibus Contentis* vel potius *Fluidis* posse, imò debere dici, quemadmodum id & de Oculorum Humoribus, & de saliva quodammodo attigimus: quapropter, ne Lectoribus Nostris tædio simus inani eorundem repetitione, consultum videtur ad cæteras Morborum species in qualitatibus Sensilibus Communibus observabiles rectà pergere, atque sic temporis aliquid lucri facere.

CAPUT V.

De Morbis in Qualitatibus Sensilibus Communibus.

Numerum Partibus Consistentibus, non autem Fluidis competere.

I. INter Qualitates sensiles Communes, hoc est, Pluribus sensibus observabiles primum locum tribuimus *Numero*, qui propriè *Partibus Consistentibus* tantùm competit, non item *Fluidis*: sic ex gr. secundùm naturam duo sunt homini Crura & Pedes, Duo Brachia & Manus, Duo Renes, Duo Pulmones, Duo Testes, Duo Oculi, Aures, Nares, &c. Unum Cerebrum, ac Cerebellum, Unum Cor, Unum Hepar, Lien, Ventriculus, Una Lingua, &c. Quinque in Manibus, & Pedibus Digiti, & sic porro: Quoties autem ille Numerus mutatur, toties *Morbo in Numero* vel *Aucto*, vel *Diminuto* dicitur laborare Pars, sive Membrum Organumve, cujus Functio eo ipso plùs vel minùs læditur.

Morbus in Numero.

Magnitudo & Copia tàm Partibus Consistentibus quàm Fluidis competit.

II. Secundum locum assignamus *Magnitudini*, sive Moli aut Copiæ, quæ tam in *Partibus Consistentibus* spectatur, quàm *in Fluidis*.

In Partibus Consistentibus Morbus in Magnitudine.

III. In *Partibus Consistentibus*, Cerebro puta, Corde, Pulmone, Liene, Hepate, Renibus, Musculis, Artubus, &c. in quibus respectu habito ad totum Corpus & Partes cæteras certa proportio & *Magnitudo* requiritur; quæ sive Excedatur, sive Deficiat. *Morbo* in *Magnitudine* nunc *Aucta*, nunc *Diminuta* dicitur laborare illa Pars.

In Partibus Fluidis Morbus in Copia.

IV. In *Partibus Fluidis*, sanguine puta, Bile, Lympha, Succo Pancreatico, Saliva, Semine, Lacte, Menstruis, Lochiis, & similibus, quò & Urina forsan & Alvi fæces haud incommodè referentur, requiritur certa in quovis homine ratione ætatis, sexus, vitæ generis, & similium *Copia & Proportio*: Quæ si mutetur & augeatur vel diminuatur, Morbo in *Copia* vel aucta, vel *diminuta* dicetur affectum illud Contentum.

Plethora, quando Morbus, & quando

V. Unde nimia sanguinis Abundantia vocatur *Plethora*: quæ tum demum *Morbus* vocatur, quando Actionem aliquam lædit; *Causa* verò *Antecedens*,

& quando Causa Antecedens.

dens, quandiu nullam lædit adhuc Actionem.

In partibus Consistentibus Morbus Figuræ.

VI. Tertium locum dabimus *Figuræ* in *partibus* tantùm *Consistentibus* reperibili, quamvis omnes Partes hæ certam non desiderant Figuram, ut alicui Functioni serviant: desiderant tamen multæ. Sic *Oculus* requiritur *rotundus*, *Pupillæ Orificium Rotundum*, *Humor Crystallinus Convexus*, *Pectus & Dorsum suplanum*, & sic de aliis; quæ figura si mutetur & functio inde lædatur, *Morbo Figuræ* laborare dicitur illa Pars, Non dicam hic ad Ornatum facere plurimùm Partium externarum plerarumque Figuram.

Figurâ læsa in Partibus externis nō morbus, sed Symptoma est.

VII. Hæc *Figura* in Partibus externis *læsa*, nullam tamen Functionem simùl lædens, non pro Morbo, sed pro *Symptomate* in *Qualitatibus Mutatis* habenda.

In Partibus Consistentibus Morbus solutæ Unitatis.

VIII. Quartum Morbis Qualitatum sensilium Communionem locum tribuemus *Continuitati* vel *Unitati solutæ*, ac *Divisæ*, qui Morbi *Consistentibus* tantùm competunt *Partibus*.

IX. Pars enim quævis Consistens non tantùm molem aliquam & magnitudinem habet, ast insuper Particularum suarum unionem ac continuitatem, quæ si lædantur & divisa Functionem aliquam simul lædat, *Morbum* parit *in Soluta Continuitate*, aut, uti vulgò loqui solent, *Unitate*.

Ejus varia nomina.

X. Hi *Morbi nomina* sortiuntur diversa 1. ratione *Partis*, quæ Morbos tales patitur. 2. ratione *Causæ* solutionem illam producentis. 3. ratione *Modi*, quo fit eadem solutio.

In partibus Mollibus & duris.

XI. Sic, quæ *partibus Mollibus* contingit Continui Solutio, *Vulnus* vel *Ulcus* vocatur, quæ *Ossibus*, *Fractura*, vel *Caries*.

A re dura vel acri.

XII. Sic quæ à *Re Dura* contingit *Partibus Mollibus* Continui solutio, dicitur *Vulnus*; quæ à *Re acri rodente*, *Ulcus*, & *in Ossibus Caries*.

A Modo Lædendi.

XIII. Si quæ *punctim* Parti Molli accidit Continui solutio dicitur *Punctura*; quæ *cæsim*, *Vulnus*; quæ *distensione*, *Ruptura*.

In Partibus Consistentibus & Fluidis Morbi loci sive situs.

XIV. Quoniam ex pluribus Partibus componitur humanum Corpus, atque ipsæ non confusæ, sed ordine conveniente sunt inter se dispositæ ac collocatæ, unicuique suus est à Deo assignatus certus *Locus*, quem si mutaverint & hactenus Actionem aliquam læserint, *Morbo* dicuntur laborare in *Loco* vel *situ*, qui æquè competit *Partibus Consistentibus*, quàm *Fluidis*: quem 5. considerabimus loco.

Sanguinis locus quis.

XV. Et ut à Fluidis faciamus initium, *Sanguinis Locus* sunt 1. *Cordis Auriculæ ac Ventriculi*. 2. *Arteriæ*. 3. *Venæ*. & 4. forsan *Canales inter Arterias & Venas medio*.

Quando in eo peccat.

XVI Quoties proinde *Sanguis alibi* reperitur, dicitur is peccare *Loco*, sive is in Partium quarumvis consistentium substantiam effundatur, sive in Corporis Cavitatibus variis colligatur, & Functionem quamvis necessariò lædat, & semper quidem naturalem Sanguinis Motum, ipsumque Circularem, dum is tum semper alteratur.

Quando peccat copia vel motu.

XVII. Quoties idem *Sanguis*; *extra Corpus effunditur*, non potest idem dici peccare *Loco*, quippe qui tantùm consideratur & nominatur, quandiu Sanguis permanet adhuc in Corpore: ast ubi effunditur idem è Corpore, peccabit idem *Copia diminuta*, & forsan *Motu* quoque, de quo agemus postmodum.

Bilis locus quis.

XVIII. *Bilis pura* reperitur in suo *Folliculo*; tanquam in *loco proprio*; eadem fertur quoque pura per *Ductus suos Bilarios*; quin eadem effertur quoque in *tenue Intestinum*, ubi tamen mox succo Pancreatico & pituitæ Salivari admiscetur, & quoties Alimenta sunt in Ventriculo fermentata,

Quibus misceatur.

& ad tenue Intestinum propelluntur, ipsius quoque: Bilis eadem, meo saltem judicio, fertur quoque *ad Sanguinem per Hepar refluentem*, eique in Hepate immiscetur, ut cum Ascendente ad cor properet.

Quando in loco peccat, & morbo laborat.

XIX. Hæc *Bilis*, quoties tota, vel maxima sui parte; è *suo effunditur Folliculo*, sive ad Intestinum tantùm defluat, sive sursum quoque aut tantùm ad Ventriculum efferatur, *Loco* dicitur peccare, atque *Morbo in Loco* laborare: quamvis & tunc motu quoque laboret: læditur enim tunc Functio ab ipsa pendens.

Ut & in motu.

Succus Pancreaticus quando dici possit loco peccare.

XX. *Succus Pancreaticus*, quoniam nullibi secundùm naturam colligitur, aut in Corpore purus reperitur, sed continuò ad tenue Intestinum per Ductus suos defertur, non videtur posse dici *Loco* peccare, nisi forsan rupto aliquo Vase, quod tamen puto rarissimum, effundatur is in Pancreatis substantiam, vel ipsius superficie perforata in Abdominis Cavitatem.

Ut & Saliva.

& ita intestinalis.

XXI. Idem dicendum de *Saliva* ex aliquo vase suo rupto vel disciso in Genarum substantiam effusa; quæ aliàs deglutita & ad tenue Intestinum devoluta *Pituitam* constituit *Intestinalem*.

Lymphæ locus quis, & quādo morbo loci laborat.

XXII. *Lymphæ locus* sunt *Vasa Lymphatica*, unà cum *Ductu Thoracico*, in quibus aliquando moratur propter viæ longitudinem, ac non raro ex ruptis post obstructionem vasis effunditur in vicinarum partium substantiam, molestiam & dolorem ibidem, *Morbumque in Loco* pariens.

Partium Cōsistentiū locus quis.

XXIII. Quoad partes *Consistentes Locus* earum dicitur, quando aliquæ in aliqua *concluduntur Cavitate*: sic Cerebri ac Cerebelli Locus est Cranium; Cordis, Pulmonum, ac Oesophagi Pectus; Ventriculi, Intestinorum, Hepatis, Lienis, Renum, Uteri, Vesicæ, Mesenterii, &c. Abdomen; quarum aliquæ si extra illas excidant, propellanturve Cavitates, atque Functionem aliquam lædant, dicuntur ipsæ *Morbo* laborare in *Loco* mutato: sic Intestina in Umbilico, aut Inguine extra Cavitatem Abdominis propulsa, quoniam actionem lædunt, Morbum patiuntur in Loco mutato; idem dicendum de iisdem, aut Ventriculo, Uterove per vulnus aut sursum in Thoracis Cavitatem, aut inter Peritonæum & Abdominis musculos, aut planè extra ejusdem Cavitatem excidentibus, & similibus.

& quando morbo loci laborant.

Partes duræ quando Morbum in situ patiuntur.

XXIV. Quando verò *Partes* duæ pluresve *solidæ duræque*, *Ossa* puta, sibi mutuò adaptantur, ut alii Functioni, *Motus* nempe, inserviant, uti fit in Ossium Articulatione, dicuntur ita esse sitæ hicque ipsarum esse situs, quem quoties mutant, dicuntur Ossa luxari ac dislocari, patique *Morbum in situ*, quoniam Functionem, Motum Partis lædunt.

Partium Consistentium Connexio.

Earū Morbus in Connexione.

XXV. Nec tantùm *Partes Consistentes* diversæ uni Functioni servientes se contingere solent, verùm non raro simul per Ligamenta *Connecti*; secundùm quam *Connexionem*, variis sensibus perceptibilem Qualitatem, & inter hujus Morbos sexto loco explicandam considerabimus *Laxationem*, vel *Ruptionem aliamve Divisionem ac Vulnerationem Ligamentorum* variorum, propter quam Ossa præsertim ab invicem nimis recedunt, & quandoque Acetabulis suis excidunt fitque *Luxatio*, sicut Ossi femoris nonnunquam evenit, sic Uterus Ligamentis solutis excidit foràs.

Luxatio quid

Partium Consistentium.

Connexio præternaturalis.

XXVI. Huic connexioni sese opponitur Partium itidem Consistentium ac secundùm naturam ab invicem sejunctarum *Connexio præternaturalis*, exempli gratia quando Palpebræ, Labia tum Oris, tum Pudendi mulieribus, Digiti, &c. Coalescunt, quod evenit ferè post Partium dictarum excoriationem, aliamque vulnerationem.

Partium Consistentium Soliditas & Cavernositas, & Fistulositas.

XXVII. Inter Qualitates sensiles Communes consideranda 7. *Partium Consistentium Soliditas*, & *Cavernositas*, vel *Fistulositas*: sic Ossa & Carnes dicuntur Solida; Arteriæ, Venæ, Vasa Lymphatica, Ductus Salivares, Pancreaticique, &c. sunt Corpora Fistulosa, ut & *Intestina* & Ventriculus; Vesica tum Bilaria, tum Urinaria Cavitates formant.

Morbus in Soliditate mutata.

XXVIII. Si proinde Soliditas Ossium mutetur atque Ossa proferentur, aut in Carnibus producantur *Fistulæ* atque hactenus Functio aliqua, vel Partis ipsius Affectæ Nutritio, vel Animalis Motus lædatur, *Morbus* dicetur in *Soliditate mutata* & læsa.

Vasa quando laborant morbo in Angustia.

XXIX. Contrà si Arteriarum, Venarum, aliorumque Vasorum *Fistulas & Cavitas Tubulata* mutetur, & aliquando in totum claudatur, aut ex parte angustetur, atque hinc Functio aliqua læda-

tur, Motus nempe Humoris eo Vase delati, tunc dicetur *Pars* illa laborare *Morbo* in *Angustia*.

Species Morbi in Angustia.

XXX. Pro *Causarum* Angustiam illam parere solitarum *diversitate* dividitur illa *Generalis Angustia* in 5. *species*: *Obstructionem*, *Constipationem*, *Compressionem*, *Coalescentiam* & *Subsidentiam*.

Vasorū Tunicæ naturalis & præternaturalis constitutio.

XXXI. Quemadmodum autem Fistulosa requiruntur illa Vasa, hoc est, Cavitatem secundùm ipsorum Longitudinem patentem habentia, ita eorundem *Tunica* & *ambitus* desideratur *clausus*, nec Liquuri contento exitum præbens; unde quoties is ei præter naturam paratur, toties *Vasa* dicuntur *aperta*, & pro Causæ aperientis diversitate laborare Morbo nunc *Diæreseos*, quando Vasa à Re incidente, rumpente, aut erodente aperiuntur: nunc *Diapedeseos*, quando Tunicæ Vasorum ita explicantur, & rarefiunt, ut per ipsarum porns transudare videantur Contenti Humores: nunc *Anastomoseos*, quando eorundem Vasorum Oscula nimis aperiuntur & patent: quod an locum habeat, vel habere possit valdè ambigo, postquam ex motu Sanguinis circulari patet Vasa nmnia Humorem contentum transfundere in Alias Cavitates ut Vasa, vel Canales, nullibi autem extrema occurrant Vasa, quorum Orificia possint dici præter naturam aperiri, cùm semper sint, debeantque esse aperta secundùm naturam.

Vasorum Diæresis. Diapedesis. Anastomosis. Qua an locum habeat dubitatur.

Partiū tàm Cōsistentiū, quàm Fluidarum

XXXII. Inter Qualitates sensiles Communes ponimus 8. *Motum* & *Quietem*, tam in *Partibus Consistentibus*, quàm *Fluidis* occurrentem.

Motus & Quiet. Partiū Cōsistētiū quanā & quomodo moveātur.

XXXIII. Inter *Partes Consistentes* manifestè *moventur Ossa*, quoties flectuntur, aut extenduntur, in Artubus, aut ad se invicem adducuntur, ac vicissim ab invicem abducuntur in Maxillis: ut & *Musculi*, quoties ad motum partis cujusvis absolvendum Contrahuntur ipsi: *Ventriculus*, *Oesophagus*, *Intestina*, *Lingua*, *Arteriæ*, &c. quando Motu peristaltico se contrahunt, & Lingua se mirè torquet.

Quando Morbo in Motu aut quiete laborare dicantur.

XXXIV. Hic Partium Motus quoties ita læditur, ut Actin alia insuper lædatur, exempli gratia totius membri aut Corporis Motus, toties *Partes primæ Morbo in Motu*, *aut Quiete* laborare dicendæ.

XXXV. Si impeditus Linguæ Motus Alimentorum Deglutitionem lædit: sic Oesophagi Motus læsus eandem Deglutitionem lædit: sic Ventriculi Motus aut impeditus, aut Coactus Alimentorum Retentionem, atque Expulsionem lædere solet. Intestinnrum Motus læsus Chyli, tum propulsionem deorsum, tum expulsionem in Lacteas Venas, tum fæcum alvinarum propulsionem deorsum, expulsionemque foras lædit, & sic de cæteris.

Partium Fluidarum Motus & quiet. Sanguis quomodo moveatur, & quiescat. Quando laboret morbo in motu.

XXXVI. Partium Fluidarum pleræque in perpetuo versantur Motu, quædam ad tempus quiescere videtur.

XXXVII. Et *Sanguis* quidem secundùm naturam Movetur continuò tam per vasa sua, *Venas* & *Arterias*, quò Tubulatos Partium omnium Canales intermedios revocamus, quàm per *Cordis Auriculas* & *Ventriculos*, in quibus tamen aliquam videtur nectere *moram*, dum ibidem effervescit, mox & rare fit,

XXXVIII. Idem Sanguis quoties aut in totum alicubi Quiescit; aut magis vel minùs Movetur, unde necessariò aliqua læditur Functio, dicendus idem laborare *Morbo* in *Motu* vel *Sublato*, vel *Aucto*, vel *Diminuto*.

Bilis quomodo moveatur & quiescat.

XXXIX. *Bilis*, quatenus in *Folliculo* suo colligitur, hactenus aliquandiù saltem *Quiescit*, nec ulteriùs pergit; quatenus verò in *Ductibus Bilariis* reperitur, hactenus *Movetur* neque ibi secundùm naturam quiescere potest aut debet.

Quomodo peccet in motu & quiete.

XL. Unde quoties *Bilis* tota e *Folliculo* suo expellitur, & Functionem non unam lædit, toties *Motu* dicenda peccare *aucto*, ac vice versa, quoties ipsa è folliculo suo prodit nulla, sed universa in ipso remanet, dicenda eadem peccare *Quiete*, vel *Motu sublato*.

Quomodo laborat quiete.

XLI. *Bilis* autem in *Ductibus Bilariis* occurrens, si, ne ulteriùs Moveatur ac propellatur, impediatur, dicetur laborare *Quiete*.

Saliva, Succus Pācreaticus & Lympha quomodo moveātur. Quomodo in motu peccēt, & morbo laborent.

XLII. *Saliva*, *succus Pancreaticus*, & *Lympha*, nullibi debent moram nectere in suis Vasis, ast continuò ulteriùs propelli, saliva quidem in Oris Cavitatem, succus Pancreaticus in Tenue Intestinum, Lympha per Ductum Thotacicum in Venam Jugularem, Axillaremve sinistram: unde quoties *Motus* ille vel *Augetur*, vel *Minuitur*, vel *Aboletur*, toties *Humores* illi dicendi laborate *Morbo in Motu Aucto*, *Diminuto*, vel *Abolito*, quatenus inde subsequens Functio læditur.

Urina quādo peccet copia & quiete.

XLIII. *Urina*, quandiu in Corpore Continetur, cùm ejus causa Functiones aliquæ sint institutæ, Ipsius puta in Vesica retentio per musculum sphincterem, atque exclusio per fibrosam Vesicæ Substantiam; quoties ipsius Culpa Functio aliqua læditur, ut si ab ejus collectæ copia extendatur nimiùm vesica, & quidem ita, ut ampliùs ipsa nequeat contrahi, & urina excludi, toties ipsa dicenda peccare *Morbo in Copia aucta*, & dum in corpore retinetur, *Quiete*, propter quam non parùm angitur Homo, & non raròinde moritur.

Alvi Fæcū motus.

XLIV. *Alvi Fæces*, quamdiu in Corpore retinentur, pro Contentis habendæ, quamvis non semper sint fluidæ, sunt tamen aptæ, ut per Intestina usque ad podicem *propellantur*, imò per podicem *expellantur*.

Quomodo in eo peccēt.

XLV. Hæ *Fæces*, si quavis de causa ineptæ fiant ad sui propulsiunem atque exclusionem, illaque vel *segniùs contingat*, vel *subsistat*, dicentur ipsæ peccare *Motu diminuto*, vel *abolito*; quemadmodum in Alvi fluxu, *Motu aucto*.

Partiū Cōtentarum Fluiditas, & Continētium Consistentia.

XLVI. Inter qualitates Sensiles Communes Consideranda 9. ipsa *Fluiditas*, & *Consistentia*; In *Contentis* autem *Fluiditas* requiritur, sicut in *Continentibus Consistentia*.

Contenta quando laborēt morbo in Fluiditate.

XLVII. Si proinde *Contenta*, quæque per Canales varios hinc inde transferri debent, desinant esse fluida, fiantque Consistentia, lædaturque inde necessariò Functio, dicentur illa contenta laborare *morbo in Fluiditate plus vel minus mutata*: sic Sanguis Grumescens, sic Pituita Coagulata, sic Urina in Arenulas vel Calculos Concrescens dicentur hoc laborare morbo.

Partes solida quādo Morbo Consistētiæ mutatæ laborent.

XLVIII, Contrà si Carnes in Pus vel Saniem corrumpantur, dicentur *Morbo in Consistentia mutata* esse affectæ. Sic quando Carie corrumpuntur Ossa, pristinam amittunt firmitatem & Soliditatem sive Consistentiam, eadem dicenda laborare *Consistentiæ mutatæ morbo*, cùm idcircò & ipsorum Nutritio, & sæpe Partis sive Membri Motus lædatur.

Tempus in Motu Consistentium, & Fluidorum, & quomodo in eo peccatur.

XLIX. Inter Qualitates sensiles Communes considerandum 10. *Tempus*, quod ratione motus spectatur, quando nimirum eo tempore, quo moveri aut emoveri debebant Partes tam Consistentes, quàm Fluidæ, ipsæ non moventur, vel contrà quando ampliùs moveri non debebant, moventur adhuc, utroque modo Functiones lædunt. Sic stare, atque ambulare solent infantes post ætatis annum primum, vel secundum saltem; quòd si ne post tertium, quartumve annum id præstare possunt; Motus non tantùm, sed Motus tempus hic desideratur. Sic Menstrua fluere debent Fœminis pubertatis tempore, hoc est, circa decimumquartum ætatis annum usque ad quinquagesimum, aut quinquagesimum secundum, & quidem singulis mensibus, & tunc quoque per tres quatuorve dies. Quòd si Menstrua ipsis fluant longè ante annum decimum quartum, vel post quinquagesimum, aut seriùs accedant, anno puta vigesimo, vel citiùs deficiant, anno nempe trigesimo, & sic porrò; vel singulis mensibus non redeant, & quidem aut frequentiùs aut rariùs; vel minùs, diutiusve duret eorum fluxus; Hæc omnia, si Functiones lædant, præter naturam se habent.

L. Atque sic videmur nobis Morbos omnes vulgò notos, & alios quoque ad paucas & distinctas Qualitatum Sensilium Classes revocasse, secundùm quas instituemus ipsas Curandi Indicationes, postquam priùs eorum seriem ob oculos posuerimus.

SERIES MORBORUM.

Partium Contentarum sive Fluidarum Morbi sunt.

I. In qualitatibus Sensilibus Propriis Functionem aliquam lædentibus.
  1. ratione Visus, in Colore mutato.
     in Perspicuitate, aut Opacitate mutata,
     in Luce aut Tenebris.
  2. ratione Auditus, in Sono.
  3. ratione Olfactus, in Odore grato, vel ingrato.
  4. ratione Gustus in Sapore multifario, Dulci, Acido, Austero, Salso, Amaro, &c. vel Insipido.
  5. ratione Tactus in Duritie aut Mollitie.
  6. ratione Caloris Sensus, in Calore, Frigore, Tepore, Rigore, Horrore.

II. In Qualitatibus Sensilibus Communibus Functionem aliquam lædentibus.
  1. ratione Copiæ auctæ vel diminutæ.
  2. ratione Loci mutati.
  3. ratione Motus aucti, diminuti, aboliti.
  4. ratione Temporis mutati, exempli gratia quando Menstrua singulis mensibus non prodeunt, sed citiùs; vel tardiùs.
  5. ratione Fluiditatis mutatæ.

Partium Continentium seu Consistentium Morbi sunt.

I. In Qualitatibus Sensilibus Propriis Functionem aliquam lædentibus.
  1. ratione Visus in Colore mutato.
     in Perspicuitate vel Opacitate mutata.
     in Luce aut Tenebris.
  2. ratione Auditus in Sono.
  3. ratione Olfactus in Odore grato vel fœtente.
  4. ratione Gustus in Sapore multifario.
  5. ratione Tactus in Duritie aut Mollitie.
  6. ratione Caloris Sensus, in Calore, Frigore, Tepore.

II. In Qualitatibus Sensilibus Communibus Functionem aliquam lædentibus.
  1. ratione Numeri aucti vel diminuti.
  2. ratione Magnitudinis auctæ vel diminutæ.
  3. ratione Figuræ mutatæ.
  4. ratione Continuitatis solutæ, aut secreti Coalescentiæ.
  5. ratione Connexionis solutæ.
  6. ratione Loci & Situs mutati.
  7. ratione Soliditatis vel Fistulositatis mutatæ.
  8. ratione Motus aucti, diminuti, aboliti.
  9. ratione Consistentiæ mutatæ in fluiditatem.

CAPUT VI.

De Morbis Sanguinis, & eorum Indicationibus Curatoriis.

I. POstquam Corporis partium tam Continentium & Consistentium, quàm Contentarum & Fluidarum Morbos secundùm Qualitates sensiles tam Communes, quàm Proprias in diversas species sic distinximus, tempus est, ut nunc ipsas Medendi Methodos applicare incipiamus.

In quibus Fluidarum partium vitia consistãt.

II. Quo autem brevior & dilucidior sit nostra Medendi Methodus, initium faciemus à *Contentarum* sive *Fluidarum* Corporis *Partium* vitiis, quæ sicut ex jam dictis patet, consistunt 1. in earum *Qualitate sensili propria mutata*. 2. in earumdem *Copia vel aucta, vel diminuta* 3. in earundem *Motu vel aucto, vel diminuto, vel abolito* 4. in earundem *Loco mutato*, & forsan nonnunquam 5. in *Tempore mutato*, *Menstruis* puta non menstruatim prodeuntibus, & similibus. 6. in earundem *Fluiditate* mutata in substantiam Consistentem.

A Sanguine Vita & cæterarum partium reparatio.

III. Inter Corporis Humani Contenta, sive Partes Fluidas meritò primum locum tribuimus *Sanguini*, à quo immediatè vita pendet, partiumque cæterarum omnium Reparatio. Cujus Vitia & Indicationes considerabimus secundùm Qualitates sensiles tum Proprias, tum Communes.

Quales Colores in ejus partibus sint naturales.

IV. Inter proprias spectabimus 1. ipsius *Colorem*, qui secundùm naturam *parte sui superiore*, postquam eductus concrevit, est *rutilus*, *parte* autem *inferiore nigricans*, quemadmodum ipsius *serum* est *subflavum*.

Color in superficie albicans quid indicet.

V. Hic *Color* si mutatus occurrat, indicat Sanguinem malè affectum; nam *in superficie si albicet*, crustamque similem habeat, *Pituitam* & quidem *Glutinosam* in Sanguine abundare significat, ideòque ipsam *Incidendam* & ampliùs *corrigendam*, quinimò etiam *Minuendam*.

VI. Quomodo hæc singula peragenda sint, postmodum in genere docebimus, ubi *Indicatorum Materiam* & *Formam* in compendio proponemus, nunc enim ex Indicantibus Indicata duntaxat rimamur.

Color ejus Niger quid indicet.

VII. Quoties Universus *Sanguinis Color Ater ac Niger* observatur, toties in ipso *Acidum exuperare* significat, à quo Nigredinem accipit, quapropter *Acidum* in Corpore nostro, hinc & in ipso Sanguine *Minuendum*, & *Infringendum* indicat; quod qui obtinendum docebimus postmodum.

Color rubicũdus quid indicet.

VIII. Contra *Color* Sanguinis magis *rubicundus* significat *Bilem* in ipso *abundare*, ipsamque *Minuendam*, ipsiusque *Vim Frangendam* indicat.

Sonus in Sãguine nullus.

IX. 2. Quoad *Sonum*, non memini aliquem in Sanguine observari, quapropter nil etiam nunc de ipso trademus.

Sanguinis Odor nullus naturalis & Ejus Fœtor quid indicet.

X. 3. Quoad *Odorem*, *Sanguis* secundùm naturam, quantum ego saltem novi, est *Inodorus*; qui *fœtens* si observetur, *corruptionem* ipsius significat, ipsamque *Corrigendam* & *Emendandam* indicat: ubi ad Causæ Corrumpentis diversitatem erit attendendum, ac secundùm ipsam Remedia diversa erunt usurpanda, de quibus posteà, & quidem in genere, ubi ostendemus quibus mediis possimus variis satisfacere Indicationibus.

Sanguinis Sapor naturalis.

XI. 4. Quoad *Saporem*, *Sanguis* secundùm naturam gustatur *subdulcis*, & ipsius *serum insipidum*.

Ejus Sapores præternaturales.

XII. Quoties autem *Sanguinis*, ac præsertim *Seri* ipsius *Sapor mutatur*, toties ac frequentiùs quidem *Salsus*, aliquando *Acidus* vel *Austerus*, aliquando *Amarus* deprehenditur, plures namque in ipso sapores non memini me observare.

Sapor salsus quid indicet.

XIII. *Salsus Sanguinis* ac præsertim *Seri Sapor* significat *nimis purum* existere in Corpore *Salem fixivum*, ideòque cum *spiritu Acido* confluentem parere *Liquorem Salso Muriatico Sapore* notabilem, corporique noxium, cùm talis Sapor, sed blandior, in Sola Urina sit ferendus, non item in Sanguinis sero, aut inde productis Lympha, Succo Pancreatico, aut Saliva.

XIV. *Sapor* autem ille *Salsus muriaticus* indicat sui *Temperationem ac Correctionem*: quæ quibus absolvi possit & obtineri, docebimus posteà.

Sapor Acidus vel Austerus quid indicet.

XV. Ubi autem *Acidus*, vel *Austerus* est *Sanguis*, & imprimis ejus *Serum*, significatur *Acidum & Austerum redundare* in Corpore, indicaturque ipsius *Correctio*, & *Correcti Diminutio*.

Austerus Sapor; Amarus quid indicet.

XVI. Ubi denique *Amaricat* tum Sanguis, tum ejus *Serum*, significatur *Bilis valdè amara & copiosa* Sanguini admista, indicaturque ipsius tum *Correctio*, tum *Diminutio*: quorum Remediorum Materia & Forma multiplex tradetur postmodum.

Sanguis quãdo mollis, quando durus.

XVII. 5. Quoad *Duritiem ac Mollitiem*, *Sanguis* secundùm naturam dicendus *Mollis* postquam Digitis si conteratur, nulla in ipso sentitur Durities, sed summa mollities, nisi postquam eductus, effususq; in *Grumos concrevit*, tum demum *firmior* factus ab illa mollitie descivit atque *duritiem levem* mentitur. Talis autem non est in Vasis secundùm naturã.

Ejus durities in Vasis quid indicet

XVIII. Quemadmodum verò Sanguis in Vasis suis contentus semper fluidus existit ac fluens secũ-

dùm naturam, ita præter naturam ibidem coagulari potest ac concrescens aliquam *Consistentiam*, hinc & *Duritiem* nancisci: quæ significat *exuperare* in eo *Acidum* & imprimis *Austerum*, à quibus Sanguinis Coagulationem pendere notum, indicatque usurpanda, quæ *Acidum & Austerum Corrigant & Infringant*, quin aliquando *Minuant*.

Calor in Sanguine naturalis qua & præter naturam quid indicet.

XIX. Denique 6. *sanguis* secundùm naturam *mediocriter Calidus* observatur, qui aliquando prætee naturam *nimis Calidus*, aut *minus Calidus* reperitur: significatque *Calentior Causas Caloris aucti dominium* habere in Corpore, sicut *minùs Calens Causas contrarias dominari*; inde à *Calentiore Indicatur Contemperatio* & quandoque *Diminutio Causarum Calorem* in Sanguine *Augentium*, sicut à *minùs Calente Temperatio & Diminutio Causarum Calorem* in Sanguine *impedientium*.

Caloris tū naturalis tū præternaturalis Causa vere Prædicto sunt noscenda.

XX. Ubi facilè quivis agnoscit, ut hisce Indicationibus ritè satis fiat, opus esse, ut Causæ veræ atque adæquatæ tum Caloris naturalis, tum Caloris prætee naturam in Sanguine aucti vel Diminuti notæ sint: nam in Causis veris determinandis, (plures namque tales occurrere docuimus non semel) si fallatur Medicus, periculum est ne in remediis, ipsoeumque materia determinandis fallatue similiter, atque in grandius periculum conjiciat ægrum, tantùm abest, ut ipsum ritè curet.

XXI. Hoc idcircò hic moneo, quia observavi sæpiùs non parùm hic peccari à multis satis & nimis confusè hanc de Calore, ipsiusque causis multifariis, modoque agendi vario doctrinam tractantibus, nec proinde Tyeonibus viam ad Medicinam ritè ac tuto faciendam satis planam parantibus vel monstrantibus.

Causa Caloris diversa, at & earam Agendi modus.

XXII. Utique non tantum *Calor*, quem sentimus, *multùm diversus* occurrit & observari potest, verùm ipsius quoque *Causæ* notantur *diversæ*, singularumque *agendi modus existit valde diversus*.

An tempore Frigoris febrilis Sanguis sit Frigidus?

XXIII. An *tempore Frigoris febrilis*, aut quando aliàs undecunque Universum Corpus valdè friget, *Sanguis* quoque *frigidus* existat, ego falsem non possum determinare, qui nunquam eo tempore sum ausus Sanguinis eductionem præscribere, atque tunc Sanguinem eductum potui contingere; quod testari potuerunt, qui non dubitant eo tempore quoque Venam secare, Sanguinemque mittere.

Et si talis sit, nequaquam tunc vena secanda.

XXIV. Hoc si fiat, & tunc Sanguis obseevetur frigidus; non puto facilè Medicum prudentem ad similem Venæ apertionem venturum, cùm per ipsam quoque minuatur Sanguinis Calor, augeaturque proinde in ipso frigus; quo nil nocentius & ad vitam tollendam præsentiùs ac potentius. Cum Calore namque consistit Vita, uti cum frigore mors.

XXV. Atque sic consideeavimus in Sanguine Qualitates sensiles proprias præter naturam in ipso existentes cum suis Indicatis: pergamus ad Communes.

Sanguinis copia præter naturam quatruplex.

XXVI. Intee Qualitates sensiles Communes Contentis competentes posuimus primo loco Quantitatem sive *Copiam*, eamque nunc prætee naturam *diminutam*, nunc *auctum*.

Sanguinis diminuta copia quid indicet.

XXVII. *Diminuta* præter naturam *Sanguinis* naturalis *quantitas & copia indicat sui augmentum*; cujus materiam & modum proponemus postmodum.

Aucta quid indicet.

XXVIII. *Aucta* ejusdem *Sanguinis Copia indicat sui Diminutionem*; quod quibus mediis & modis obtineri queat, docebimus in sequentibus, ubi Indicatorum in genere consideratorum materiam & formam spectabimus, explicabimusque

Sanguinis Motus præter naturā.

XXIX. Contentis, ergo *Sanguini* quoque competit *Motus*, & quidem *Continuus*, ac *Circularis*, qui vel *in totum*, vel *ex parte* potest *augeri*, vel *minui*, vel etiam *aboleri*.

Universus Ejus Motus auctus quid indicet.

XXX. Quando *totius Sanguinis Motus est auctus præter naturam, tunc is Diminutionem sui indicat*. Minuendus certè motus nimius: Quibus autem mediis hoc ipsum queat obtineri, docebimus in sequentibus.

Diminutus quid indicet.

XXXI. *Diminutus* contrà *Sanguinis Motus Universus sui indicat augmentum*; quod quæ præstant & quomodo, dicendum postea.

Abolitus quid indicet.

XXXII. Imprimis *Abolitus Sanguinis universi Motus indicat sui restitutionem*, & quidem *festinatam*; cùm aliàs brevi sequatur Mors. Id autem faciendum docebimus posteà, prout causa ejus est diversa, diversimodè.

Quando Abolitū in Vasa Sanguinis Motū vitæ periculum non sequitur & quando sequitur.

XXXIII. Tantum autem Vitæ periculum non sequitur *Abolitum in aliquo Vase Sanguini Motum*, quamvis si aliquandiu peeduret, corrumpatur in totum, in *Pus* scilicet Sanguis, nec tantùm reddatue nutriendæ illi Parti, in qua subsistit, ineptus; verùm, si *reliquo sanguini* reddatur & illi *admisceatur*, eundem ita *inficiat & corrumpat*, ut & universus Corpori nutriendo, cæterisque Functionibus, quibus inservit, reddatur paulatim magis, magisque ineptus, accedente universi Corporis Tabe ac Morte, sicut in Phthisi, Empyemate, ac similibus Affectibus in dies fieri videmus, atque seriò notare deberemus, quò lethalibus tandem istis Affectibus in tempore obviam eatur, nec, quod ferè à multis solet fieri, negligantur, quando Præservationi aut Curationi superest locus.

Quādo Loco peccet Sanguis.

XXXIV. *Loco* etiam *peccare* solet *Sanguis* quoties quacunque de causa *ex apertis* quovis modo *vasis effunditur* idem *in Partium Vicinarum substantiam vel Cavitatem*.

Locus Sanguinis naturalis.

XXXV. *Locus* enim *naturalis Sanguinis* sunt *Cordis Auriculæ ac Ventriculi*, *atque Arteriæ*, *ac Venæ*, *cum Ductibus intermediis*, extra quos Canales atque Cavitates quoties eeperitur Sanguis, extra locum suum existere dicendus, ac *loco peccare*.

XXXVI. Loquimur autem de *Sanguine puro*, *ejusve massa*; nil enim impedit aliquas ejus partes à reliqua massa secedentes transire in partium quarumvis substantiam, tum ad ipsarum nutritionem, tum ad Liquorum variorum præparationem.

In Tempore quomodo peccet Sanguis.

XXXVII. *Tempore* ostendimus nupee posse quoque peccare Sanguinem tum ratione *Moræ*, tum ratione *Motus*, & quidem *Uteri respectu* in Fœminis.

Fœminarum Menses quid sint.

XXXVIII. Notum enim est Sanguinem in Fœminis Puberibus & generandum adhuc aptis secundùm naturam mensibus singulis ad Uterum copia majori meare, ibidem in ejus sinubus colligi, & tandem effluere.

Sāguis menstruus quomodo mora peccet.

XXXIX. Hic *Sanguis* quoties non tantùm ibi colligitur, sed *ibidem diutiùs permanet*, *nec constituto tempore effluit*, cùm variis modis fœminis noceat, dicitur tunc *Mora peccare*.

XL. Quemadmodum si *effluat* quidem, sed nunc *seriùs*, post quintam demùm, sextamque septimanam, vel adhuc seriùs nunc *citiùs*, singulis puta, vel alternis, vel teenis septimanis, tunc dicendus *peccare Fluxus sui*, *Effluxusque tempore*.

Quando Effluxus tempore.

XLI. Sic etiam *Tempore peccat Fluxus Sanguinis menstruus*, quando *diù ante quartum decimum* ætatis annum, quo secundùm naturam solet incipere idem Fluxus, *anno* puta *ætatis octavo, nono*, *decimo vel undecimo, vel diu post eundem* notatum annum *decimum quartu, decimo septimo, decimum octavo*, vel adhuc seriùs incipiunt Fæminis prodire mēstrua, cū vix unquā sine notabili earū detrimēto id fieei observetur.

Quid hæc vitia indicent.

XLII. *Hæc* autem *Vitia* omnia *indicant* vel Subsistentem ac Moram nectentem in Utero *Sanguinem esse ad Effluxum excitandum*; sic *segniùs Effluentem* itidem *ad Motum citiorem urgendum*; quemadmodum conteà *citiùs solito effluentem* ad *segniorem fluxum ac effluxum deducendum*.

XLIII. Rursum, *Menstruus Fluxus ante annum ætatis quartumdecimum observatus coercendus*, ut & *seriùs adventans ad effluxum citiorem urgendus*, *ac vi blanda cogendus*.

XLIV. *Quomodo* autem, ac *quibus mediis* hoc queat obtineri, paucis docebimus in sequentibus, atque passim docetur in Practicorum Libris.

XLV.

Fluiditate quomodo peccet Sanguis.

XLV. Inter Qualitates Sanguinis Sensiles Communes notavimus etiam *Fluiditatem*, quæ *mutari* potest atque *Functionibus obeundis obesse*.

XLVI. Communem illam dixi Qualitatem sensilem, quoniam pluribus apparet sensibus, Visui puta & Tactui; quibus Fluiditas rerum aut Consistentia dignosci potest.

Quid eo indicetur.

XLVII. Hanc Fluiditatem quoties amisit Sanguis, Consistitque idem *Coagulatus ac Grumescens*, toties *indicat* idem sui *Solutionem*, talem, cujus ratione fiat denuò Fluidus.

XLVIII. Quænam *remedia* id præstare possint, & quomodo eadem sint usurpanda, dicemus quoque in sequentibus.

Omnia hæc Sanguinis vitia non esse Morbos, sed Causas Morbificas & Symptomata.

XLIX. Antequam verò à Sanguinis Consideratione transeamus ad Humorum, Fluidorumve aliorum examen, unum habeo monendum, *Omnia nempe vitia quæ in Sanguine* ad Indicationes instituendas explicuimus, *non esse Morbos*; verùm aliquando *Causas Morbificas*, & quidem *Antecedentes*, à quibus docuimus Præservatoriam peti Indicationem, & aliquando *Symptomata*, Præcedentes Morbos manifestantia, sicque ad Medicationes Ipsis Curandis aptas eliciendas viam monstrantia, imò agendis Indicantia.

Plethora duplex consideratio & indicatio.

L. Res fiet exemplo manifestior. Sanguis copia nimia peccans in *Plethora*, quandiu Functionem nullam adhuc lædit, rationem habet *Causæ Antecedentis*, & ad Imminentis Morbi Præcautionem *Indicatione Præservatoria Diminutionem sui Indicat*: Idem Functionem actu lædens, adeóque *Morbum Constituens & Causam Continentem*, ad Præsentis Morbi Curationem *Indicatione Curatoria Indicat itidem sui Diminutionem*.

Sanguis Nigricans quid indicet.

LI. Idem *Sanguis* solito magis *Nigricans* testatur *nimiam Acidi Humoris Admistionem*, à quo Acido læditur Sanguinis non tantùm Color, verùm in Nutriendo Corpore, Humoribusque variis producendis Utilitas, quinimò Effervescentia in Corde Vitalis: Quoniam verò nulla Functio læditur à Sanguine *Nigricantiore*, quà tali, verùm is Color Symptoma est in Qualitate Mutata, sequiturque Functionem ab Acido nimio læsam, idem hactenus *signum est Acidi exuperantis in Sanguine*, adeòque non immediatè, sed mediatè tantùm *Indicat istius Acidi Correctionem ac Diminutionem*.

Quod in Sanguine, idem in cæteris humoribus observandũ.

LII. Quod nunc dictum de Sanguine, id etiam intelligendum erit de Ceteris Humoribus ordine proponendis, ac secundùm Qualitates suas Sensiles tam proprias, quàm Communes à statu naturali recedentes, adeoque vitiosas considerandis.

Plurima loco suo non proferantur & quare.

LIII. Plura siquidem, dum illa nunc tractanda seriò ac sæpiùs speculor, tempore diverso mihi occurrunt notabilia; quæ quoniam nondum in chartam conjeci, atque in exactum ordinem retuli, non semper loco aptissimo à me proferuntur: nolo tamen illa perire Lectoribus meis, etiam privatim cuncta exactiùs repetituris & in certum ordinem redacturis, donec liceat mihi per otium Medicam Theoriam accuratiùs conscribere atque publico dare.

Systema Medicinæ adornare opus laboriosum.

LIV. Longo enim tempore, ac multiplici Labore opus est ex Observationibus Practicis ac præsertim Memoriæ infelici, non item chartæ mandatis Systema quodvis adornare catenatum & solidum: quod mecum agnoscent, quotquot unquam operi manum seriò admoverint.

CAPUT VII.

De Morbis Bilis, & eorum Indicationibus Curatoriis.

I. PErgamus ad aliorum quoque Humorum sive Contentorum Vitia Methodo Medendi accommodanda, & quidem consideremus post Sanguinem *Bilem*, Humorem omnibus obvium, sua quippe Vesicula contentum.

Bilis Color naturalis.

II. Inter proprias *Bilis* qualitates Sensiles 1. *Colorem* ipsius considerabimus, qui secundùm naturam est duplici nomine *Croceus*. Collecta siquidem Croci ad instar quodammodo *rubere* videtur; at diluta *flavere*.

Præternaturalis.

III. Hic Color Bilis præter naturam mutatus observatur, quoties *Colore Viridi multifario*, vel aliquando *Cæruleo*, *Atrove* donatur.

Et unde & quid indicet.

IV. Quoniam verò experientia longa & multiplici edoctus sum omnem illam *in Colore Bilis mutationem* pendere à *Succo Pancreatico*, *acrimonia acida*, *sed multifaria peccante*, ipsique admisto, nemo non videt, significare illum Colorem quovis modo mutatum non primarium, sed secundarium notatoque Succo debitum *Vitium in Bile*, atque *Indicare ipsius Correctionem*, ast *per Correctum eundem Succum*.

V. Cùm igitur Bilis adscito illo Colore diverso naturali Acrior existat, & quidem Acrimonia non propria & Salina Lixiva, sed adventitia & aliena, Acida nempe gradibus tamen pro Coloris mutatione variante, *Indicatur* simul *Corrigentis species*, tale nimirum, *quod Acidum Corrigere*, *Frangere ac Temperare aptum* est; Cujus materiam & Formam dabimus in sequentibus.

Bilis Æruginosa, & Atra est Acida.

VI. Notum namque *Bilem Æruginosam & intensè Viridem* manifesta Odore ac Torminibus *Aciditatis suæ Vitiosæ* signa præbere: Sicut *Bilis Atra* id adhuc manifestiùs evincit facta in Vase cupreo, ipsave Terra Effervescentia notabili, & planè simili ei, quam Aquæ fortes cum iisdem excitare solent.

Sonum in Bile non habere locum.

VII. Quemadmodum de Sanguine dictum, ita de Bile habeo dicendum, me nullum in ipsa, vel ab ipsa observasse *Sonum*; ni forsan Flatus in tenui intestino excitatos, & passim per borborygmos, vel ructus, crepitusve sonoros se Auditui manifestantes Bili adscribamus, utpote ipsorum Causæ Efficienti: quamvis mallent forsan nonnulli eosdem Pituitæ, utpote Causæ Materiali, cui plurimùm debent, adscriptos. Saltem *Flatus* nec Bilis sunt nec Pituita, propriè loquendo, licèt utrique suum debeant ortum.

Flatus à Bile & Pituita.

Odor Bilis naturalis.

VIII. Quoad Odorem, *Bilis naturalis Odor* vix exprimi potest, nisi eum vocemus *Amaricantem*; quod neminem turbare debet, quamvis Saporis nomen tribuimus Odori; quod inde videtur factum, quoniam Olfactus & Gustus Organa sunt sibi non tantùm proxima, sed simul quoque in Faucibus Communicantia: unde cum Aere inspirato allectus rerum per nares Odor penetrat usque ad Fauces atque ibidem salivæ junctus sui quoque Saporem ibidem promit: qui cùm multiplex occurrat & quidem propriis nominibus ad invicem distinctus, non mirum, si *Odoribus*, multifariis licèt, sed nominibus distinctis destitutis tribuantur sæpe ipsos comitantium *Saporum nomina*, quemadmodum & hic fit.

Olfactus & Gustus Organa communicantia.

Odoribus saporum nomina tribui.

Bilis Æruginosæ Odor Acidus.

IX. Unde dicimus *Bilem Æruginosam* spirare ac redolere *Acidum*, cùm reverà ipsius Odor & Halitus naribus cum Aere inspirato admistus penetret usque ad Fauces, ibidemque Gustui Aciditatem suam acrem manifestet; quam dicimus ipsam tunc redolere.

Quando à Saporibus Odores denominantur & quando ab ipsa re.

X. Toties autem observo à *Saporibus denominari Odores*, *quoties Halitus odorati* à rebus expirantes & unà cum Aere inspirato *notabilem habent Saporem Comitem*: quod ubi non habet locum, tunc à Sapore non habet idem Odor denominationem: verùm ab ipsa re, ex qua expirat, vel à re alia similem odorem promente. Sic à moscho denominatur ejus Odor, cui similem quotquot expirant, moschata vocantur, propter odorem similem odori, quem moschus exhibet.

Odor vitiosus in Bile solus acidus.

Odor Ructuum Olidus à Bile.

XI. Non memini autem alium in *Bile* observari vulgò *Vitiosum Odorem* à Medicis nominatum, *præter Acidum*: qui namque Odor Ructuum Olidus aliquando culpatur, is non dicitur esse Bilis, quamvis corruptæ aut corrumpenti adscribatur Bili, quæ & tunc quoque ad Æruginosæ naturam vergit, talisque observatur; si pura evomatur.

Acidus Odor quid indicet.

XII. Eadem autem *Bilis Acidum redolens* sicut signum est Humoris Pancreatici & Melancholici Acidioris admisti? ita *ejusdem Correctionem Indicat*, sicut modò ratione Coloris ejus viridis & Atri docebamus.

Sapor Bilis naturalis, & praeternaturalis.

XIII. Quoad Saporem notum est, *Bilem Amaram* esse secundùm naturam, quæ præter naturam fit aliquando *Sapore Vitriolato*, sed cum Amarore notabili conjuncto, qui paucus in vitriolo.

Quidque indicet.

XIV. Hic *Sapor Bilis Vitriolatus significat* multum *Acidum* ei admistum, ideòque ejusdem *Contemperationem* ac *Correctionem indicat*. *Bilis* autem *minùs amara* Indicat *defectum Amaroris*, & ejus *Augmentum* cupit.

Bilis Duritiei et Mollities.

XV. Ratione Tactus, *Mollis* est, quia *Fluida Bilis*: quæ quoties præter naturam consistentiam acquirit notabilem, quinimò *induratur in Calculos*, vel *Crustam Calculosam*, toties *Duritie* peccat, fitque suis Functionibus absolvendis hactenus inepta.

Bilis indurata quid indicet.

XVI. *Concreta & Indurata Bilis sui solutionem ac dissolutionem Indicat*: cujus Indicationis Remedia, & Materiam, Formamque paucis attingemus in sequentibus.

Calor in Bile nullus, sed ab ea in Sanguine accenditur.

XVII. Ratione Sensus Caloris, nullam novi notabilem *Caloris*, aut *Frigoris qualitatem in Bile*, etiam præter naturam; licet *ab ipsa Calorem accendi in Sanguine* ac universo Corpore putem satis notum: Quapropter hic quoque plura de *Bilis Calore* non addam.

Bilis Copia augetur & minuitur.

XVIII. Pergamus proinde ad Bilis Qualitates sensiles Communes; & quidem ab ejus incipiamus *Copia*, quæ tum *augeri* præter naturam potest, tum *minui*.

Quid indicet.

XIX. *Aucta Bilis Copia Indicat* sui *Diminutionem*; sicut ejusdem *Diminutio* sui *Augmentum*.

XX. Quibus autem mediis ac modis tum minui, tū augeri possit, ac debeat Bilis, docebimus inferiùs.

In Motu quot modis peccet Bilis.

XXI. *Peccat* etiam subinde *Bilis Motu*, quoties ipsa 1. *Sursum fertur ad Ventriculum*. 2. Impetuosè ac copiosè *propellitur ad Intestinum*, in Cholera morbo, & Alvi fluxu Bilioso. 3. Maximam partem *ruit ad Sanguinem*, in Ictero, & plerisque forsan Febribus Continuis & Ardentibus.

Bilis ad Ventriculum assurgens quid indicet.

XXII. *Bilis ad Ventriculum* præter naturam *semper assurgens sui Depulsionem per intestina* Indicat: & quoniam illud ferè ipsius debetur Volatilitati auctæ, aut Vehementi cum Succo Pancreatico Effervescentiæ, *sui Fixationem*, atque *Effervescentiæ nimiæ Mitigationem* ac *Compressionem*.

Bilis ad tenue Intestinum mota quid indicet.

XXIII. *Bilis* ad *tenue Intestinum* impetuosè ac copiosè *Mota*, *Motus hujus Cohibitionem*, *Mitigationem ac Sedationem Indicat*. Et quoniam illa fieri videtur propter spiritum Acidum Volatilem, Fructuumve Præcocium Succum Fermentationi aptum, Bili tum in sua Vesicula, tum in Ductibus Bilariis admistum & ibidem vitiosam Effervescentiam producentem, *Indicat* simul *Istius Spiritus Acidi & Volatilis Contemperationem ac Fixationem*, hinc & præter naturam *Effervescentiæ Coercitionem ac Sedationem*.

Bilis in Sanguinem delata quid indicet.

XXIV. *Bilis ad Sanguinis* massam nimiùm *deducta Indicat sui ad tenue Intestinum Reductionem ac Deductionem*. Et quoniam ferè id evenit propter Bilarii Ductus Intestinalis Obstructionem aut singularem Bilis Volatilisationem, *Indicat* simul *Obstructionis notatæ solutionem*, aut *Bilis Blandam Fixationem*.

XXV. Quænam sit Remediorum istorum variorum Materia & Forma commodissima, docebimus in sequentibus.

Loco quot modis peccet Bilis.

XXVI. *Loco* peccare potest quoque *Bilis*, quando in *Folliculo suo nimis colligitur*, nisi quis malit eam tunc Mora peccare aut Copia; vel in *Ventriculum assurgit*, *ibique hæret*, quod nunquam fit secundùm naturam; vel *alibi pura hæret*, cùm Locus Bilis naturalis & ejus Folliculus tantùm sit, & ejus Ductus Bilarii triplices, Cysticus, Hepaticus, & Intestinalis: Nam licèt ad tenue Intestinum deferatur Bilis, non debet tamen ibi manere pura, quin continuò Pituitæ Intestinali, Succoque Pancreatico affluenti, ut & Alimentis, quoties fermentata propelluntur per intestina, admisceri, atque utilitatem multiplicem corpori afferre.

Ejus Locus naturalis.

Bilis in Folliculo nimis copiosa quid indicet.

XXVII. *Bilis* hæc in *Folliculo suo nimiùm collecta vel subsistens*, & hactenus quoque *Loco* peccans *Indicat sui Remotionem è dicto Folliculo* quod fit *Eductione* ipsius è dicto Folliculo *ad Intestinum*; quod ipsius via est magis ordinaria & patentior, quin ad Eductionem extra Corpus aptissima.

Ea subsistens quid indicet.

XXVIII. Nam *Bilis moram nectens, in sua Vesicula* Mutationem quoque ulteriorem mutua partium suarum in se invicem actione adipiscitur, & ejus quoque nomine noxia fit Homini; unde & hujus quoque ratione *Correctionem* Indicat, & si Corrigi nequeat, omnimodam è *Corpore Expulsionem*.

Pars, quæ ad naturalem Constitutionem reduci nequit, sui remotionem indicat.

XXIX. Quoties namque *Pars Corporis aliqua* vel Continens & Consistens, vel Contenta & Fluida recedit eousque à Constitutione sua Naturali, ut ad eandem *reduci nequeat* Remediis naturalibus, toties eadem omnimodam sui à Corpore reliquo *remotionem* Indicat, dummodo ea tutò fieri queat.

Bilis in calculos concreta Et Urina in eos mutata, quid indicent.

XXX. Sic *Bilis in Calculos concreta*, sic Urina similiter in Calculos mutata, quoties iterum *solvi non potest* atque *in laudabilem & utilem Corpori Humorem redigi* nequit, toties sui omnimodam è corpore *amotionem Indicant*; quæ institui debet, si institui possit, & quidem cum minori detrimento, quàm afferunt Calculi ex notatis Humoribus producti.

XXXI. Nam si cum majori periculo ac detrimento Ægrorum instituenda sit notatorum Calculorum Amotio quàm exurgit ab ipsis in corpore hærentibus, tum satius est illos in corpore permanere quàm in grandius periculum & incommodum Ægros conjicere.

Bilis in Ventriculo quid indicet.

XXXII. Eadem *Bilis*, quoties *in Ventriculum* assurgit, toties inde est *removenda*, sive sursum propellatur, sive deorsum deducatur: quod indicat tunc Bilis, cum Ventriculus non sit Locus Bilis.

Eadem in Tenui Intestino quid indicet.

XXXIII. Eadem *Bilis* quoties pura hæret *in tenui Intestino*, si unquam verè ibi hæreat aut hærere possit pura, toties inde quoque est removenda, & quidem sursum, si eò vergat, vel deorsum, si nullum motum sursum testetur.

XXXIV. Quibus autem mediis hoc faciendum, docebimus inferiùs, ubi de Vomitoriis & Evacuantibus per Alvum agemus.

Bilis quando tempore peccare dici possit.

XXXV. Cùm semper, quantum Ego saltem possum judicare, Moveri debeat per sua Vasa Bilaria Bilis tam ad tenue Intestinum, quàm ad Venæ Cavæ propagines in Hepate repertas, non putem facilè dici posse *Bilem Tempore sui Motus peccare*, nisi *forsan sistatur aliquando aliquandiu in suo Motu*, qui sponte iterum restituatur postmodum.

Quod an fiat, dubitatur.

XXXVI. An verò aliquando in Homine contingat, non autem vel asserere, vel etiam negare: cùm neutrum habeam compertum.

XXXVII. Dubitationem meam non parùm auget, quòd aliquando nulla observentur Bilis effusæ ad tenue intestinum indicia, imprimis urgente Febrium Intermittentium Frigore, unde quis dubitare possit, an tunc temporis non *impediatur in suo ad tenue Intestinum motu Bilis*. Hoc si fiat, utique illo saltem tempore moveretur ad Intestinum tenue Bilis, atque tunc meritò dicenda foret peccare Tempore.

XXXVIII. Quoniam verò id necdum satis liquet, suspendam potiùs meum hac de re judicium, donec multiplici Observatione id magis innotescat: Interim omnibus ansam præbeo ulteriùs in hanc rem scitu dignissimam inquirendi.

XXXIX. Sic enim proficimus indies, dum per experientiam conamur difficultates omnes in praxi occurrentes paulatim superare ac tollere.

Fluiditate quando peccet Bilis. Et quid indicet.

XL. Tandem in *Bile Fluiditas* quoque consideranda; quæ omninò mutatur, quoties ipsa vel *Glutinositatem nimiam* acquirit, redditurque *minus*

fluida,

fluidam, vel *Lapidescit & in Calculosam substantiam vertitur*, redditurque *minime fluida*.

XLI. Quoties id accidit, *Glutinosior Bilis sui Attenuationem ac Incisionem indicat; Coagulata* verò & *Lapidescens Bilis sui Solutionem ac Dissolutionem*.

XLII. Utraque quibus mediis debeat fieri, docebimus in sequentibus.

CAPUT VIII.

De Succi Pancreatici Morbis, eorumque Indicationibus Curatoriis.

Succi Pancreatici Color naturalis. Qui an mutetur ambigitur.

I. UT ad cæteros Humores pergamus, nunc *Succum Pancreaticum*, sive *Melancholicum* examinabimus, & 1. quidem ejus *Colorem*; qui secundùm naturam videtur esse *Aqueus*; Collectus namque in vase Vitro Aquæ similis apparet: An is aliquando istum Colorem præter naturam mutet, ambigo; nam non memini me ipsum alium observare, aut ab aliis observatum legere: quapropter nil de mutato ipsius Colore habeo nunc dicendum.

De ejus Sono et Odore nihil dicendum.

II. Ut nec 2. de *Sono* ullo ipsi adscribendo.

III. Quin 3. de *Odore* ipsius nil habeo, quod dicam, postquam ipsius Odor videtur sequi ejusdem saporem.

Ejus Sapor naturalis.

IV. Ergò 4. *Sapor* ipsius secundùm naturam mihi hactenus creditus est *Subacidus*, id est ad Aciditatem gratam vergens, non tamen valdè Acidus: quod alibi pluribus videor mihi evicisse argumentis; quæ hic repetere non expedit; postquam id ipsum Experimentis suis confirmavit *Regnerus de Graaf* in *Homine*, sicut in ejus de Succo Pancreatico iteratò nuper edito Tractatu videre est.

Ejus Sapores præternaturales.

V. Hic Sapor naturalis Succi Pancreatici observatus est mutatus, quoties 1. illius *Aciditas* reddita est *multùm aucta & Acris*, vel contrà *infracta & diminuta*. 2. quando idem factus est *Salsus muriaticus*. 3. quando idem occurrit *Acido-Salsus*. 4. quando idem contingit *Austerus & Acerbus*. 5. quando *Insipidus* existit.

Non tam in homine, quàm canibus observandi.

VI. Talem autem multifarium in Hominibus observatum ne quis putet, cùm non ita facilè id fieri queat, nec occasiones illum in Homine Colligendi opportunæ quotidiè occurrant; verùm in Canibus, quibus utimur necessariò defectu Hominum vivorum, aut morte violenta mox defunctorum.

Eos in homine etiam esse constat ex Praxi.

VII. Qualem autem in Canibus reperimus Succum illum, talem in Hominibus occurrere posse nil obstat, cùm præsertim multifariè vitiati effecta quotidie notentur in praxi; ex qua potissima possunt peti ejus quovis modo affecti argumenta & signa.

1. Ex humoribus. 2. Ex Symptomatibus. 3. Ex Remediis.

VIII. Multifariè, inquam, Vitiosi Succi Pancreatici argumenta nobis exhibet Praxis Medica, tum *ex Humorum Vomitu* aut *per alvum excretorum Odore*, atque ibi *Sapore* quoque, tum ex *Symptomatibus multifariis* ex Humoribus ad tenue Intestinum Confluentibus ortis, tum ex *Remediis* multifariis Affectus inde ortos curantibus, ac Humores peccantes Corrigentibus & vacuantibus.

Humorum Sapores Vitiosi succo Pancreatico adscribendi.

IX. Cùm enim constet ad Tenue Intestinum nihil ex cæteris corporis Partibus confluere, præter dictum Succum Pancreaticum, Bilem, ac Pituitam ex Saliva & Muco forsan oriundam: Constet quoque Bilem Amaram existere, ac semper talem gustari, Saliva verò & Mucus nullum saporem habeant notabilem, nec nisi raro illum sponte habeant mutatum, quin illis hactenus minimè mutatis contingant tamen Vomitus *Humorum magis vel minùs Acidorum*, ut & *Salsorum muriaticorum* vel *Acido-Salsorum*, vel *Austerorum*, ut & ex *Amaro & his notatis mistorum*; Utique non malè concludimus *Sapores hos vitiosos & diversos adscribendos Succo Pancreatico* variis modiis mutato & vitiato.

Deleboe Opera.

Succus Pancreaticus Acidior et Acrior quid indicet.

X. Quoties igitur ex Vomitu excreti Humoris Sapore, aut Symptomate Ægros torquente concluditur *Succus Pancreaticus naturali Acidior & Acrior*, toties idem *Indicat sui Correctionem*, *Aciditatisque auctæ Dominationem*: quod quibus mediis & modis queat, debeatque fieri, docebimus in sequentibus.

Minùs acidus vel insipidus quid indicet.

XI. Quoties idem Succus censetur *Minùs Acidus*, vel etiam *Insipidus*, toties idem *Indicat suæ Aciditatis Augmentum*, vel *liberationem*, prout aut deficere potest in Corpore Acidum, vel nimiùm frangi, aut Concentrari. De qua re agendum alibi, cùm sit res magni momenti; ad quam non potuerunt attendere, qui hactenus ignorarunt varias Acidi affectiones ac mutationes solius Chymiæ ope habendas.

Salsus Muriaticus familiaris scorbuticis.

XII. Quoties Idem Succus existit *Salsus Muriaticus*, & hactenus ex parte fractus, qualis familiaris videtur esse Scorbuticis, & plerisque forsan Belgis Maritimis & Paludosa loca incolentibus, adeòque omnibus ex Belgico aut Germanico Vocabulo Latinitate donato Anseaticis dictis Nationibus quia Oceano proximi degunt.

Quid indicet. De Salsorũ Muriaticorum Correctione nihil apud Medicos.

XIII. Quoties, inquam, Succus ille occurrit *Salsus Muriaticus*, toties idem *Indicat suæ Salsuginis Muriaticæ Correctionem*, quod quæ præstare possunt, dicemus postmodùm. Nam de hac quoque Salsorum Muriaticorum vera Correctione ac Emendatione vix aliquid occurret in Medicorum, qui hactenus scripserunt; Voluminibus.

Sapor Acido-Salsus quid indicet.

XIV. Quoties idem observatur *Acido-Salsus*, id est, in quo manifesta sunt Aciditatis excedentis & Salsedinis Muriaticæ indicia, toties utriusque Qualitatis peccantis *correctionem ac emendationem Indicat*.

Illum reperiri probatur.

XV. Si quis miretur me *utramque* hanc in Succo Pancreatico *qualitatem*, *Acidam & Salso-muriaticam* simul peccantem culpare, rogo ipsum, quando laboraverit coryza, in qua Humor valde acer effluens e naribus vicinam faciei cutim multùm rodat, ut illum Humorem gustet; observabit namque ipsum esse tum Salsum muriaticum, tum acidum, & quidem manifestè. Sed de his pluribus agere non est hujus loci.

Sapor Austerus et Acerbus quid indicet.

XVI. Quoties idem Humor deprehenditur *Austerus & Acerbus*, toties idem *Indicat* hujus suæ *Austeritatis Correctionem ac Emendationem*: quæ omnia quibus mediis obtineri queant, docebimus in sequentibus.

Durities in Succo Pancreatico nulla.

XVII. 5. Quoad Qualitates Tactiles, *Duritiem & Mollitiem*, cùm Fluidus sit Humor, nullam Duritiem testatur; nec memini unquam illum repertum ad notabilem consistentiam, eandemque subsequentem Duritiem præter naturam redactum. Hactenus igitur nil habeo nunc, quod addam.

Nec Calor aut Frigus, Quamvis Frigus excitet.

XVIII. Ut *nec 6, Calorem ullum aut Frigus*, extremæ cuti etiamsi applicetur, testatur: quamvis sat scio ab ipso præter naturam affecto *Frigus excitari* tum in tenui Intestino, tum alibi.

Et quid tũ indicet.

XIX. Quoties proinde ab ipso Frigus producitur, toties ab eodem *Indicatur Frigoris ejusdem Mitigatio ac Contemperatio*, quod fit per ea, quæ Acido juncta Calorem manifestum in Corpore producunt, quæ postmodùm proponemus.

Succus Pancreaticus peccat Copia.

XX. Idem *Succus Pancreaticus* peccat nonnunquam vel *Copia nimia*, vel *deficiente*.

Excedens quid indicet.

XXI. *Excedens* ipsius *Copia Indicat* sui *Diminutionem*, partim per ipsum Educentia, partim per abstinentiam eorum, quæ ipsum fovere solent; de quibus utrisque agemus postmodum.

Parcior quid indicet.

XXII. *Parcior* ejus *Copia Indicat ipsius augmentum*, per similium usum frequentiorem, abundantiorem ve: de quibus itidem agemus postmodum.

Motu quomodo peccet Succus Pancreaticus.

XXIII. Peccat subinde *Succus Pancreaticus Motu*, quando is existit *lentior*, aut ex parte saltem in totum *subsistens*, aut etiam sursum *assurgit ad Ventriculum*.

Ejus motus Lentior quid indicet.

XXIV. *Lentior* ejus *Motus*, vel Glutinositati auctæ, vel Acrimoniæ magnæ debitus *Indicat* sui *Promotionem*, tum Glutinositatis emendatione, tum

Acrimoniæ Correctione: quarum materia sequetur.

Sublatus quid indicet.

XXV. *Sublatus ex parte ipsius Motus* propter Ductuum quorundam Obstructionem *Indicat sui Restitutionem*, per Obstructionis sublationem; quod quibus mediis queat fieri, docebimus posteà.

Perversus ad Ventriculum quid indicet.

XXVI. *Perversus* Succi hujus *Motus ad Ventriculum Indicat sui ad Tenue Intestinum Reductionem*, idque per Medicamenta ipsum deorsum deducentia, adeoque Purgantia, quæ suo tempore proponemus.

Loco quomodo peccet Succus Pancreaticus & quid indicet.

XXVII. *Loco* peccat Succus Pancreaticus quando in *Ventriculo* reperitur, *quo removendus* loco, secundùm suam Indicationem; de quo jam dictum: nec novum Unum & idem variis modis peccare, atque uno tantùm medio ac modo restitui.

Tempore Motus quomodo peccet Succus Pancreaticus.

XXVIII. *Succus Pancreaticus* quoniam continuò ac sine Intermissione videtur Movendus ad tenue Intestinum, non verò certis intervallis, non videtur Tempore Motus sui peccare: nisi forsan, quando in quibusdam suis Ductibus obstructis retentus cessat ex parte Moveri, atque perforata obstruente Causa iterùm abundantiùs movetur; quamvis tunc dubitari queat, utrum peccet *Copia nimia*, qua affluit, utrum *Acrimonia Aucta*, qua plura mala excitat, utrum *Motu concitatiore*, quo tunc effluit abundantiùs, utrum modis illis omnibus.

Et quantà indicat.

XXIX. Parum autem refert, quo maximè modo videatur tunc peccare hic Succus, cùm reverà videatur attendendum ad omnes notatas circumstantias, cùm singulæ aliquid indicent. Et *Copia* quidem, ipsum *minuendum*; *Acrimonia* verò *ipsum temperandum*; *Motuque concitatiore*, ipsum *compescendum*; *Tempore* denique ipsum tunc in specie *corrigendum*.

XXX. Sic plures concurrunt Indicationes, & à Tempore quidem Effusionis Motus petitur *Indicatio de Tempore*, quo usurpanda sunt Medicamenta Indicationibus variis satisfactura.

Fluiditas ejus mutata quid indicet.

XXXI. Denique *Fluiditas ejus mutata*, propter Glutinositatem magnam ipsi accedentem, *Indicat Fluiditatis suæ restitutionem ac reparationem*: quam quæ præstent Remedia, dicetur posteà.

CAPUT IX.

De Salivæ, & Pituitæ Morbis, eorumque Indicationibus Curatoriis.

Salivæ & Pituitæ Color naturalis. Quidque indicet.

I. INter partes Corporis Contentas Fluidas considerabimus 4. *Salivam* & ex ipsa exurgentem *Pituitam*: ut & *Mucum e Naribus prodeuntem*, & quidem similiter secundùm Qualitates Sensiles tam proprias, quàm Communes.

II. Quoad *Colorem*, observatur is *Aqueus ad Album vergens*. Hic Color utriusque Naturalis non facilè mutatur, nisi quando redditur magis Glutinosa, vel aliud ei admiscetur.

III. *Glutinosior* reddita *Saliva* vel *Pituita* videtur *magis Albicans*, & hactenus potentiùs Visum afficit & faciliùs cerni, atque ab aliis discerni potest; & quoniam sequitur auctam sui Tenacitatem, *Indicat sui attenuationem ac incisionem*: quod quæ faciunt, dicemus posteà.

IV. Si *ab aliis additis*, exempli gratia Bile, mutetur Salivæ aut Pituitæ Color, *Indicabit* ejusdem *restitutionem per Additi Remotionem*; quod quibus mediis queat fieri, posteà dicemus.

Sonus in Saliva & Pituita per se nullus. At per accidens quid indicet.

V. *Sonum per se Saliva vel Pituita nullum promit*, nec facilè Sonus aliquis ab ipsis producitur, nisi forsan in Asthmate, quando *Aer difficiliùs per Pituitam in Trachea Arteria ductus Sibilum efficit*: A quo indicatur Pituitæ ibi hærentis Remotio, sicque Sibili sublatio. Cui Indicationi satisfaciunt Medicamenta posteà recensenda.

Saliva & Pituita secundùm naturam inodora. Earum Odor præter naturam quid indicet.

VI. *Saliva* atque *Pituita secundùm naturam* est *inodora*; quotiescunque proinde Alterutri aliquis adest Odor, toties vitium ipsam contraxisse certum, quod Ipsa Indicat Corrigendum, & quidem secundùm Odoris diversitatem diversimodè Medicamentis postmodum proponendis.

Earum Sapor Naturalis & præternaturalis.

VII. *Sapor Salivæ atque Pituitæ secundùm naturam nullus*, hoc est, *Insipida* est utraque: at præter naturam observatur utraque nunc *Salsa*, nunc *Acida*, nunc *Austera*, nunc *Amara*, nunc *Dulcis*, & quidem aliquando Dulcedine fastidiosa.

Quidque indicent.

VIII. Hi *Sapores omnes* cùm sint præter naturam & Gustum lædant in Ore, *Indicant sui Correctionem*; quatenus verò Pituitam comitantur, & hactenus Functiones, quibus illa ministrat, itidem lædunt, *Indicant* similiter sui *Correctionem* Medicamentis suo tempore docendis.

Earū Duritiei naturalis nulla. Præter naturam verò quomodo eam acquirunt.

IX. *Saliva & Pituita*, utpote Humores Fluidi, *nullam secundùm naturam habent Duritiem*, quam tamen subinde *præter naturam acquirunt*, quoties magis magisque incrassantur, & tandem aliquam Consistentiam majorem & Duritiem variam nanciscuntur, unde videas non tantùm Mucum in Naribus Induratum, sed eundem aut Pituitam Salivarem in Aspera Arteria in Lapillos, vel Gluten quasi compactum, induratumque.

Et quid indicet.

X. Hoc ubi contingit, sui *Indicat Emollitionem*, aut *Solutionem*, quod fit per Medicamenta in posterioribus proponenda.

Calor & Frigus Salivæ & Pituitæ Naturale & Præternaturale.

XI. Quoad *Calorem aut Frigus*, *Saliva & Pituita* secundùm naturam observatur *temperata*, *sive tepida*: præter naturam verò reperitur aliquando actu Frigida, non tantùm in naribus existens & retrorsum ad Fauces retracta, verùm in Tenui quoque Intestino cumulata & manifestum Ægris Sensum frigoris pariens.

Hoc quid indicet.

XII. Hoc ubi fit, ea *Indicat* sui *Calefactionem*, hoc est, talem mutationem, quâ desinat sentiri Frigida, quod quæ præstant Medicamenta, referentur postmodum.

Salivæ & Pituitæ Copia præter naturā quæ.

XIII. Inter Qualitates Sensiles Communes sequitur *Copia*, quæ aliquandò Minuitur præter naturam, aliquandò Redundat.

Quid indicet Salivæ copia minor.

XIV. *Minor Salivæ Copia Indicat sui Augmentum*, quod præstant Medicamenta posteà enumeranda.

Quid indicet nimia.

XV. *Nimia Salivæ Copia Indicat sui Diminutionem*, partim subtrahendo Ipsi Materiam, partim *eandem* e Corpore ex parte Educendo per Hydragoga & Phlegmagoga.

Parcior Pituitæ copia quid indicet.

XVI. *Parcior Pituita* in Tenui intestino, ipsave Massa Sanguinea Indicat similiter *sui Augmentum*, per Ea, quæ ipsam sunt apta nata augere, posteà proferenda.

Nimia quid indicet.

XVII. *Copia Pituitæ Nimia Indicat sui Diminutionem* partim per abstinentiam eorum, quæ illam augent, partim per ejusdem Eductionem per Phlegmagoga posteà dicenda.

Parcior Mucus quid indicet.

XVIII. *Parcior Muci e Naribus proventus Indicat sui Augmentum*, partim per ea, quæ ipsi materiam suppeditant, ubi deficit; partim per ea quæ ipsius materiam deducunt vel alliciunt ad nares, aut aliàs impedimenta quævis tollunt &c. posteà dicenda.

Nimius quid indicet.

XIX. *Nimius Muci e Naribus Proventus Indicat sui Diminutionem*, nunc per abstinentiam ab iis, quæ ipsum augent; nunc per Aversionem, aut Eductionem Materiæ ipsum producentis: Quorum Remediorum Materiam pluribus proponemus posteà.

Motu Saliva quomodo peccet & quid indicet.

XX. *Saliva Motu peccat*, quoties aut *Glutinosior segniùs*, aut *Fluidior & Aquosior ocyùs* fluit. Et ibi quidem *Motum facilitandum Indicat* per Glutinositatis suæ Incisionem ac Emendationem; Hic *eundem tardandum* per substantiæ suæ inspissationem.

Mucus quomodo Motu peccet.

XXI. Sic etiam *Mucus Motu* peccat, quoties *Glutinosior* diutiùs hæret in naribus vel faucibus, nec facilè delabitur, aut *Liquidior* nolentibus aut non cogitantibus excidit e naribus, aut depluit in fauces, asperamque arteriam.

Et quid indicet.

XXII. Glutinosior, hinc & in Motu suo *segnior* Mucus *Indicat* sui *attenuationem*, Motusque adeò lenti *promotionem*: sicut idem Liquidior, & *Mobilior* sui inspissationem, atque in Motu *retardationem*.

XXIII.

XXIII. Medicamenta quæ ista præstent, proponentur posteà.

Loco quomodo peccet Saliva & quid indicet.

XXIV. *Loco peccare* potest *Saliva*, si *Copiosa in Asperam Arteriam* deferatur, (aliquam enim ejus partem parvam eò naturaliter ferri non negaverim:) hoc si fiat, sui Loco illo remotionem, sive *Expectorationem Indicat*.

Quomodo Mucus, & quid indiget.

XXV. Sic *Mucus*, cujus Pars magna per nares solet effluere, si omnis ad Fauces descendat, sive deglutiatur, sive in Asperam Arteriam defluat, hactenus *Loco peccat* & similiter sui inde *Remotionem Indicat*; quod fiet, si ad Ventriculum delapsus porrò per Alvum, aut Vomitu per Os expellatur, aut ex aspera Arteria expectoretur.

Tempore quomodo peccent Saliva & Mucus. Et quid indicent.

XXVI. Cùm *Saliva & Mucus* continuò secundùm naturam producantur, ac moveantur, *Tempore peccabunt*, si aliquando fluere desinunt, unde Oris, ac Linguæ, Nariumque, Ariditas molesta produci solet.

XXVII. Id quoties contingit, *Motus* sui *restitutionem Indicans* per Masticatoria, Sternutatoria, & alia benigniùs Humorum istorum Effluxum & quandoque Affluxum promoventia, sive Obstructiones aliquæ in Glandulosis eorum Ductibus existant, sive Humores illi Glutinosiores producantur, sive aliter ipsorum Effluxus impediatur: nam secundùm Ipsius Causarum diversitatem Remediis diversis tunc indicatis utendum; de quibus omnibus specialiùs agendum alibi.

Fluiditate quomodo peccet Mucus, & quid indicet.

XXVIII. Denique *Fluiditas Muci* aliquando in totum tollitur, quando *Consistentiam* acquirit Solidam, exsiccaturque extremè, adeò ut ampliùs nequeat fluere: quæ Mutatio *Indicat* sui *Solutionem*.

Saliva, si Consistētiā acquirat quid indicet.

XXIX. An *Saliva* eousque queat exsiccari, ut similiter consistentiam acquirat solidam, dubito: cùm nullum memoriæ nunc occurrat exemplum; si tamen id aliquando factum observetur, *Indicabit* similiter sui *solutionem*, non incisionem, quod competit Glutinosiori.

CAPUT X.

De Lymphæ Morbis, eorumque Indicationibus Curatoriis.

Lympha per quas vias feratur.

I. INter partes Contentas & Fluidas spectabimus 5. *Lympham*, undique per Vasa Lymphatica versus Venam Jugularem, Axillarem ve sinistram continuò motam & propulsam & Sanguini ad Cor descendenti admistam.

Colores Lymphæ Naturales.

II. Hæc *Lympha* 1. quoad *Colorem*, observatur *Aquea*, idest, Limpida & Coloris omnis expers; nisi quod *ex Hepate* prodeat *subflava*, & nonnunquam propè Ductus sui in notatas Venas Insertionem observetur *subrutila*, & quasi *subcruentata*.

Præternaturalis nondū observati.

III. *Album*, hoc est, *mutatum ejus Colorem hactenus non vidi*: an alii observarint, non memini: saltem in viventibus observari non potest, nec proinde aliquid de ipso ad Medendi Methodum faciens concludi.

Lymphæ Sonus nullus.

IV. Idem planè dicendum de Ipsius *Sono*, quem nullum ab ipsa aut in ipsa puto quærendum aut inveniendum.

Ut nec Odor.

V. An *Odore* aliquo sit prædita, ignoro: ergo hactenus quoque, quod de ipso mutato proferam, non habeo.

Sapor Lymphæ naturalis.

VI. *Sapor Lymphæ* observatus est non semel *ad levem Aciditatem inclinans*, quod ex aliis quoque Ipsius probatur effectibus, Doloribus puta lancinantibus, quoties illa ex ruptis suis vasis effusa notatur, ut & ex remediis has ejus noxas curantibus.

Ejus Sapores præternaturales.

VII. Mutari potest hic *Lymphæ Sapor*, quando fit vel *Salsus Muriaticus*, *vel Acidior*, *vel Austerus*, *vel Dulcis*: Non puto namque alio Ipsam Sapore facilè infici, quoniam cæteri Sapores sunt a naturali ejus Sapore nimis alieni, adeóque mixturam rei contrariæ desiderant, quam vix in Glandulis locum habere existimo.

Et quid indicent.

VIII. Quoties autem notatis modis *mutatur Lymphæ Sapor*, toties læditur haud dubiè Functio, cui est ipsa dicata: quocirca *Indicabit* eadem mutatio ipsius *emendationem*, atque in statum naturalem deductionem aut reductionem.

Ejus Durities nulla.

IX. Cùm fluida sit Lympha, nulla in ea poni potest *Durities*.

Lymphæ Calor & Frigus præternaturalis.

X. Si aliquid conjectare licet, quoad *Calorem aut Frigus*, quamvis omnes Humores actu Caleant in Sanis, non videtur absurdum aliquos subinde *Frigere in Ægris*, ac præsertim *Lympham* ubi se habet præter naturam.

Quid indicet.

XI. Quoties proinde *Frigida Lympha*, hoc est, Frigoris sensum producit in Homine, toties *Indicat* eadem sui *Contemperationem*, ne ampliùs frigus pariat.

Copia quomodo peccet Lympha & quid indicet.

XII. Potest Lympha peccare *Copia* vel *aucta*, vel *Diminuta*, sicque ipsius lædi Actio: atque tunc Indicat eadem sui *Diminutionem* per Hydragoga, vel Sudorifera Diureticave; aut contrà sui *Augmentum* per assumpta subacida.

Motu quomodo peccet Lympha & quid indicet.

XIII. Si quandoque sistatur in suo *Motu Lympha*, quod fit præsertim ab *Obstructione* in uno vel pluribus ejus vasis præter naturam existente, unde Actio ejus læditur, *Indicabit sui Motus restitutionem*, partim tollendo impedimentum, Obstructionem; partim restituendo urgendoque ejus Motionem, Corporis Motu, aut Sudoris provocatione qualicunque, sic enim Contenta omnia & Fluida in Homine aptissimè ad Motum naturalem deducuntur.

Tempore Motus si peccet, quid indicet.

XIV. Cùm semper Moveri debeat *Lympha*, nullum *Tempus* erit, quo ipsi est Quiescendum; quare quovis tempore ad Motum excitanda, si moveri desinat.

Loco si peccet eadem, quid indicet.

XV. *Locus Lymphæ* naturalis sunt ejus *Vasa*, *Lymphatica* inde dicta; unde si unquam ex Vasis suis ruptis effundat ipsa in Loca Vicina, sitque adeò *extra suum Locum*; *inde* erit eadem *removenda*, per Sudorifera, aliave Discutientia.

Fluiditate si peccet quid indicet.

XVI. Non putem facilè *Lympham* posse in Vasis suis amittere suam *Fluiditatem*, atque solidam acquirere Consistentiam; hoc tamen si forsan fiat, *Indicatur* tunc Ejusdem *Solutio*, atque *ad fluiditatem pristinam Reductio*.

CAPUT XI.

De Morbis Chyli, eorumque Indicationibus Curatoriis.

Chylus per quas vias feratur.

I. INter Corporis Contenta *Chylus* quoque referendus, qui per Vasa fertur tum Lactea, tum Lymphatica versus Cor, postquàm secretus est in tenui Intestino ab Alimentorum parte Excrementitia.

Color ejus naturalis.

II. Hujus *Chyli Color* naturalis est impensè albicans, & *Lacteus*, unde ipsius Vasa vocata sunt Lactea. Is Color mutari non potest, quin simul vitiatus sit Chylus: quamvis eum oculis usurpare non possumus. Color saltem ipsius mutatus, qua talis, functionem nullam lædet, nec proinde aliqua ipsius in medendi Methodo erit consideratio & Indicatio.

Præternaturalis nullam lædit Functionē.

III. Idem dicendum de ipsius *Sono*, *Odore*, *Sapore*, *Duritie*, ac *Colore*: cùm vivente homine sensus externos omnes fugiat Chylus.

Ut nec ejus Sonus, Odor Sapor, Durities, et Color.

IV. Pergamus proinde ad Qualitates sensiles communes *Chyli*, adeòque *Copiam*: quæ *nimia* erit, si plus ex Alimentis assumptis ejus eliciatur, quàm decebat; vel *parcior*, si contrà ejusdem minùs extrahatur, quàm oportebat; unde ibi quidem sequetur *Plethora*, hic *Corporis Consumptio*.

Ejus Copia præternaturalis. Unde Plethora et Atrophia.

V. *Chylus nimius Indicat* sui *Diminutionem*, 1. subtrahendo ipsi materiam, ex qua copiosior prodit, Alimentum puta facilis fermentationis, ac secretionis, & substituendo aliam Fermentationis, secretionisque difficilioris.

Chylus nimius quid indicet.

VI. Indicat Chylus nimius 2. Remedium Secretiones sui prohibens ac impediens.

VII.

Parcior quid Indicet.

VII. Contrà *Chylus parcior Indicat* 1. sui *Augmentationem*, per Alimentum facilioris Fermentationis, hinc & Secretionis.

VIII. 2. Per Remedium Promovens & facilitans Chyli Secretionem.

Motus Chyli per quæ vasa fiat.

IX. *Chylus* in Fistula Intestinali, ac tenui præsertim intestino secretus *Movetur*, tum per laudatam *Fistulam Intestinalem*, tum per *Venas Lacteas*, denique *Ductum Thoracicum*, & forsan *Venam quoque Cavam superiorem* usque ad dextrum Cordis Ventriculum.

Ejus ab Alvinis fæcibus secretio quid.

X. Neque Chylus propriè dictus, hoc est, Liquor Lacteus ex Cibis fermentatis prodiens, ac per Lacteas Venas propulsus, sola ipsorum fermentatione paratur, verùm novam insuper in tenui saltem intestino contingentem mutationem priùs desiderat, quàm in dictas venas transfundi queat; quam *Chyli ab alvinis fæcibus secretionem* vocavimus.

Ejus transcolatio in lacteas venas,

XI. Hic ergo Chylus à notatis fæcibus secretus fertur cum iisdem per fistulam intestinalem donec per totum ipsius ductum ratione ejusdem motus peristaltici propellatur per ipsius crustam carnosam & pannosam, tanquam per *Colum*, *in Lacteas Venas* passim in eam hiantes.

Hinc ad Ductum Thoracicum propulsio.

XII. Admissus in Lacteas Venas Chylus *propellitur* successivè usque in *Ductum Thoracicum*.

Denique ad Venam Jugularem Axillaremve, ubi Sanguini confunditur,

XIII. In Thoracico Ductu affluenti undique Lymphæ admiscetur, ac cum eadem fertur ad *Venam Jugularem*, *Axillaremve*, atque ibidem *Sanguini* ad Cor descendenti *confunditur*: quin unà cum ipso ad dextram Cordis Auriculam delatus Ascendenti quoque Sanguini commiscetur, simulque in dextrum Cordis Ventriculum propellitur: in quo ratione Vitalis Effervescentiæ Sanguinis naturam induit.

Motus Chyli quot modis possit vitiari.

XIV. Hic *Motus Chyli* præter naturam *vitiari* potest, tum 1. quando *is per Anum unà* cum fæcibus alvinis *excernitur* in Alvi fluxu Cœliaco, quem simul ab ipso Chylosum nominavimus.

Fluxus Cœliacus unde.

XV. Tum 2. quando *in Vasis Lacteis obstructis hæret ac quiescit*.

Hydropis unde.

XVI. Tum 3. quando ex vasis lacteis obstructis & posteà ruptis *effunditur* inter *mesenterii membranas*, vel in *Abdominis Cavitatem*, Hydropem producens.

Motus Chyli læsus quid indicet.

XVII. Hic *Motus Chyli læsus indicat* Motus sui naturalis *restitutionem*, & 1. quidem in Alvi Fluxu Chyloso, per vasorum Lacteorum aut Crustæ pannosæ reserationem. 2. in Chyli stagnatione in suis venis per ipsarum Obstructionis solutionem 3. in Chyli Effluxu, tam per ejusdem Obstructionis solutionem, quàm per Lactearum Venarum ruptarum consolidationem.

Locus Chyli naturalis.

XVIII. Quemadmodum Motu peccare potest Chylus, sic & *Loco*; qui 1. Tenue Intestinum. 2. Venæ Lacteæ. 3. Ductus Thoracicus; & forsan 4. Vena Cava superior usque ad Cor.

Loco quot modis peccet Chylus.

XIX. *Loco* peccabit *Chylus*, *quoties* 1. diutiùs in tenui *hæret* aut Crasso *Intestino*, & quidem propter Crustam pannosam vel Lacteas Venas in sui apertione obstructas vel pituita tenaci obductas.

XX. Quoties 2. *subsistit* & stagnat *in Vasis* suis obstructis, compressisve.

XXI. Quoties 3. *effusus* est ex Vasis ruptis in partium vicinarum substantiam, vel *abdominis Cavitatem*.

Quid indicet.

XXII. Chylus proinde *Loco peccans Indicabit* 1. *Impedimentorum* tum in crusta pannosa intestinali, tum in Lactearum venarum exortu tum in earundem universo ductu *Sublationem*, per abstergentia vel dissolventia Pituitam obducentem, obstruentemve ipsius vias.

Humorem ex vasis suis effusum non posse in eadem reduci.

XXIII. Indicabit 2. Sui effusi *remotionem à loco præternaturali*, per sudorifera præsertim & quandoque purgantia; quamvis fatear me hactenus non posse assequi quomodo Humor quivis ex vasis ruptis effusus in aliquam cavitatem reduci possit in eadem atque porrò educi per viam alvi.

Id si fit in eorum transitu ex Arteriis in venas, subsistens.

XXIV. Id quidem videor mihi assequi *Sanguinis serum in ejusdem transitu ex arteriis in venas*, si per intermediam partium substantiam per Canales quasi hiantem contingat, posse tum ipsos multùm distendere, tum in partium substantiam vicinam penetrare, atque iterum in eosdem *Canales*, hinc & Venas redire, dummodò mediis convenientibus, quicquid ibidem se habet præter naturam, in statum reducatur naturalem, hoc est, tum serum recuperet naturam multùm fluidam, tum Canales paulatim angustentur iterum, coganturque & claudantur ipsorum pori priùs nimiùm hiantes.

Tēpus Motus Chyli naturalis.

XXV. *Chylus* quemadmodum non semper paratur in Corpore, sic nec semper *Moveri potest aut debet*, ast *tunc tantùm*, *quando ex assumptis, fermentatisque Alimentis secretus est in tenui Intestino*? tunc autem continuò, & donec universus ad Cor pervenit, moveri debet idem Chylus, nec in motu cessare.

Tempore quando peccet, et quid indicet.

XXVI. Tempus proinde *Motus Chyli*, est Ipsius præsentia in Corpore; quòd si tunc non moveatur, quando secretus in Corpore reperitur, tunc quoque dicetur *peccare Tempore*: ergo tunc maximè *ad Motum* & transfluxum est idem *commovendus*, mediis jam laudatis, moras puta tollentibus, si quæ sint, mox & ipsum blando corporis motu ad motum & fluxum commovendo.

Fluiditate quando peccat Chylus.

XXVII. Cùm *Chylus* habeat majorem quàm Lympha vel Succus Pancreaticus Consistentiam, videaturque Lacti similis, possitque forsan ejus modo facilè coagulari, facilè quoque amittere poterit suam fluiditatem, inprimis, quando idem est *Pituitosior*; unde satis frequentes fiunt in Vasis Lacteis Obstructiones, & forsan Chyli non satis fluidi productiones.

Et quid indicet.

XXVIII. Hoc ubi fit, *Indicat* idem *Chylus fluiditatis amissæ restitutionem* per remedia ipsum diluentia, incidentia, vel quovis modo dissolventia

CAPUT XII.

De Spirituum Animalium Morbis, eorumque Indicationibus Curatoriis,

Spiritus Animales in sensus non incurrere.

I. QUæ hactenus consideravimus Contenta, si non semper, aliquando saltem atque arte incurrunt in sensus externos; quod autem nunc examinare statuimus Contentum, *nunquam*, quod sciam, *in ullius Hominis externum sensum incurrit*, nec proinde aliquid de ipso statui potest, nisi per ratiocinationem & ab effectu. De spiritibus namque Animalibus nunc fari lubet, atque illorum examinare Qualitates tum Naturales, tum Præternaturales: ut inde Dogmaticæ sumantur in facienda praxi Indicationes.

Eorum Color, Sonus, Odor et cætera qualitates sensiles propria ignota.

II. Et 1. quidem quis eorum *Color*, quis *Sonus*, quis *Odor*, quis *Sapor*, quæ *Qualitas Tactilis*, an *Calidi*, *vel Frigidi* sint, ego planè ignoro: nec hactenus, quantumvis per annos penè quadraginta laborem tulerim, aliquid de Ipsorum Qualitatibus Sensilibus propriis aut Sensibus, aut Ratione assequi potui.

III. Potui quidem, si quid ratione polleam, concludere Quales illi non essent, non item quales actu essent.

Spiritus Animales magnā habere affinitatem cum Spiritu Vini. At quarum partiū respectu, ignotū.

IV. Sed visus quoque sum mihi aliquid notare, cum quo habeant Ipsi *affinitatem magnam*, puta cum *Vini Spiritu rectificato*, (hujus namque ope recreantur citissimè, potentissimè, atque optimè,) non potui tamen determinare hactenus, an tantùm de Spiritu Volatili, qualis in Vini Spiritu abundat, participent, an quid aliud ipsis junctum sit & intimè unitum, quod ad ipsorum essentiam constituendam pertineat.

Spirituum Animaliū Natura cognitu necessaria.

V. Interest tamen omnium, qui Dogmaticam Medicinam exercere volunt, ut *Animalium Spirituum naturam & compositionem*, si quam habent, uti *habere ipsos sum planè persuasus*, assequi conentur, quo tum Functiones ab ipsis pendentes, tum

tum earundem læsiones, læsionumque modos, & causas veras, tum denique modum hæc omnia ritè curandi determinare possint.

VI. Conaremur proinde aliquid in re obscura, & si datum, aliis saltem viam pararemus ac sterneremus ad ulteriora & magis abstrusa: nisi locus hic non sit de hisce nunc agendi.

Spiritus Animales Copia quomodo peccent.

VII. Consideremus proinde secundùm præfixam ac constitutam nobis methodum Qualitates Animalium Spirituum sensiles Communes. Et 1. quidem Ipsorum *Copiam*, quæ tum augeri potest nimiùm, tum minui.

Et quidem nimia.

Qua ratione Actiones Animales hebetentur.

VIII. Ubi sunt *nimia* Spiritus Animales *Copia* in Homine, *hebetuntur* quodammodò *Actiones* ipsius *Animales*, sicut à nimio Sanguine Vitales atque Naturales. Tunc enim non satis commodè ac liberè moveri possunt, nec tam alacriter absolvuntur laudatæ Actiones, adeò ut quasi veternosi ac stupidiores evadant, quotquot neglexerunt aliquandiu Animalium Actionum exercitia, donec novo exercitio exhauriatur superfluorum spirituum pars, liberiùsque perficiantur porrò eædem Actiones.

Qua de causa exsuperent Spiritus Animales.

IX. *Exsuperant* in Homine *Animales Spiritus* partim ob notatum Actionum Animalium exercitium neglectum, partim ob usum nimium Alimentorum valdè spirituosorum, Potus generosi, atque adeò ipsius Spiritus Vini.

Ex defectu eorum languent Actiones Animales, Naturales & Vitales.

X. Quòd si subinde exsuperent in homine Animales Spiritus, certè longè frequentiùs *deficiunt* iidem, unde *languent* non tantum *Animales Actiones* dictæ sensus externi, ac Interni, cum Animali Motu, verùm *Naturales* quoque ac *Vitales*: tanta nimirum est Animalium Spirituum ad Functiones omnes ritè obeundas necessitas.

Eorum defectus causa.

XI. *Deficiunt Animales Spiritus* partim ob *nimium Animalium Functionum Exercitium*, partim ob *Sanguinis*, *Seminis*, *Lactis*, *sed & Bilis quoque aliorumque Humorum effusiones magnas*; partim ob *Alimentorum Spirituosorum*, hoc est, quovis modo Spiritu Volatili abundantium *neglectum*, *aut penuriam*.

Exsuperantes Spiritus Animales quid indicet.

XII. *Exsuperantes* in Homine *Animales Spiritus Indicant sui Diminutionem*, 1. subtrahendo ipsis Materiam, & abstinendo à Spirituosorum Usu. 2. Exercendo in aliquo excessu Actiones animales, 3. Minuendo Sanguinem, aliosque Hominis Humores.

Eorum defectus quid indicet.

XIII. Contra *Spiritus Animales* in homine *Deficientes indicant sui augmentum*, 1. usurpando uberiùs Alimenta Spirituosa, ipsumque adeò vini spiritum. 2. Exercendo mediocriter Actiones Animales.

Spiritus Animales quomodo Moveantur.

XIV. *Moventur* in Homine Animales Spiritus, & meo quidem judicio, *semper*: *Moventur* autem ipsi *à Cerebro aut Cerebello*, in quibus censeo ipsos secerni à Sanguinis massa; & quidem *per Nervos*, sive prolongatam Cerebri, Cerebellique Medullam; tum *ad Sensuum externorum Organa*, tum *ad Musculos* Animali Motui servientes, tum *ad cæteras Partes omnes*, Viscerum Parenchymata, Glandulas multifarias, quin & *Vasa Omnia*, Venas, Arterias, Vasa Lymphatica, ipsaque adeò *Ossa*, Dentes præsertim, in quos inseruntur Nervi.

Quibus inserviant Spiritus Animales.

XV. *Sensibus Externis atque Motui Animali Animales Spiritus* inservire nemo forsan negat; sed alios insuper usus habere ipsos pauci hactenus docuerunt, plures negarunt, & negant.

Nervos inferi in Partes sensu carentes.

XVI. Probarunt tamen tum *Nervorum sæpè Copiosorum Insertione in Partes Sensu externo aut carentes, aut vix utentes*, atque Motu omni destitutas: unde facilè patet in alium finem ac usum deferri ad ipsas Spiritus Animales.

Quem usum præstent iis Partibus Animales Spiritus.

XVII. Quem autem laudatis Partibus Usum præstent tunc Animales Spiritus, patebit partim ex Spirituum Animalium natura, partim ex Eorum, quæ in Partibus singulis parari solent, Consideratione.

XVIII. Cùm autem Spiritus Animales, sicut uno verbo jam attigimus, maximè conveniant cum Vini Spiritu, talia procul dubio præstabunt in nobis, qualia extra nos observatur præstare Vini Spiritus.

Quid in Humorum præparatione præstent Spiritus Animales.

Spiritus Vini Effectu.

XIX. Si Partes Multifarias examinemus, in quibus multifarii parantur Humores, in quorum præparatione concurrunt Animales Spiritus, facilè concludemus, cùm illi existant vel Salso-Amari, ut Bilis; vel variis gradibus plùs vel minùs Acidi, ut Lympha Succusque Pancreaticus; vel etiam Glutinosi, qualis Saliva, Mucus, & inde orta Pituita Intestinalis: Cumque à Vini Spiritu rectificato Temperari soleat & Mitigari omne Acre, tam Salinum Lixivum, quam Acidum; atque Incidi, Attenuarique omne Glutinosum; *similem à Spiritibus Animalibus Effectum circa* Laudatorum *Humorum Præparationem* exspectandum censeo & concludo.

Animalium Spirituum Motus læsi effecta.

XX. Si proinde *vitietur Animalium Spirituum Motus*, impedianturque ipsi plùs minùsve transferri ad Partes quasvis, non tantùm *Imbecillior erit Sensus Externus* quivis, *Motusque* Partium Animalis, verùm *Humores* omnes parabuntur *Acriores*, minùsque adeò Temperati, sed *Pituitosi* etiam *Glutinosiores*.

Eorum Motus læsus quid indicet.

XXI. Quoties igitur *minus moventur quaquaversum Spiritus Animales*, fiuntque Sensus Externi hebetiores, Motusve Animalis Languidior, aut Effervescentia excitatur tam in tenui Intestino, quàm Corde Acrior ac Vehementior, & sic porrò, *Indicatur Motus* eorundem quaquaversum *Auctior*, tum tollendo *impedimenta* omnia, propter quæ minor existit eorum Motus, tum excitando ipsos variis sensuum Motusque exercitiis.

Eorum motum augeri unde pateat.

XXII. Sed *Augetur* quoque aliquando *Spirituum Animalium* Motus, quod patet tum *Vigiliis perennibus*, sensuumque adeò Externorum Exercitio perpetuo ac defatigante; tum *Motibus Convulsivis* & ipsa *Convulsione*; tum *Artuum Defatigatione ac Inquietudine* spontanea; tum postea *Effervescentia utraque Languidiore*; & sic porrò.

Et Motus Auctus quid indicet.

XXIII. Hoc ubi evenit, *Indicatur Spirituum Animalium Motus Lentior*, quod fit partim eorum materiam subtrahendo, partim eorundem secretionem ex parte sistendo, fermentationem alimentorum impediendo, partim eosdem torpidiores præstando, per anodyna & narcotica.

Tempus Motus Spirituum Animalium. Et quidem in somno.

XXIV. *Moveri* debent *Animales Spiritus continuò*; nullum proinde *Tempus* est, quo cessare debent à Motu: quamvis Somni tempore videantur non quidem cessare à Motu, sed parciùs moveri ad sensuum Externorum Organa: ad quæ tunc etiam moveri Animales Spiritus patet ex Somno interrupto ab Objecto potentiùs Sensorium afficiente.

Extra Somnum parcior eorum Motus quid indicet.

XXV. Si proinde Somni Tempore minùs moveantur ad Sensoria Spiritus Animales, benè est inde homini; sed etiam, ubi decebat ipsum vigilare, si *pauciores* eò ferantur, ita ut semper pronus sit ad Somnum, tunc *Indicatur eorundem Motus copiosior* factus eo Tempore, quo negotiis suis qualibuscunque vacare debet quivis.

Locus Spirituum Animalium quis.

Quomodo loco peccent & quid indicent.

XXVI. *Locus Spirituum Animalium*, quantum mente assequi possum, sunt 1. *Superficies Cerebri ac Cerebelli Cineritia*, in qua creduntur mihi à Sanguine ipsi secerni 2. *Substantia Cerebri ac Cerebelli Media & Albicantior* unà cum *Spinalis Medullæ Radicibus*. 3. *Nervi Omnes*. 4. *Musculorum Fibræ*, & *quicquid in Partibus singulis ipsos excipit è Nervis*, & forsan 5. *Vasa Lymphatica*, per quæ videntur mihi eorundem reliquiæ reduci ad Sanguinem, ne pereant. Ideò *loco peccabunt*, quoties *inde effunduntur*, partibus illis læsis. *Indicant* proinde tunc *Loco remotionem*, quæ impossibilis, aut difficillima.

Fluiditas Spirituum qua, & in quem finē.

XXVII. Cùm valdè mobiles sint Animales Spiritus, atque mobilitate superare videantur cætera Corporis Contenta *omnia*, *necesse est* ipsos simul esse maximè *Fluidos*, quò moveri queant tam facilè qua-

qua-

An eam amittere queant dubitatur. quaversum, & quidem non tantùm sponte, sed imprimis ad Voluntatis imperium.

XXVIII. *An Spiritus Animales* tam mobiles, tamque subtiles, ut omnem sensum externum fugiant, *Fluiditatem* suam *amittere possint*, multi meritò dubitabunt.

Spiritus Vini rectificatissimus à quibus coagulatur. Quod idem ab eodem causa forsan contingere possit Spiritibus Animalibus. XXIX. Si quis autem Consideret *Spiritum Vini rectificatissimum*, adeòque subtilissimum atque maximè mobilem, cum quo contulimus Animales Spiritus (quamvis non cogatur, coaguletur-ve à Frigore, Cogi tamen ac *Coagulari à volatili Sale Urinae, spiritu Salis Armoniaci* & alio forsan, non inconcinnè forsan existimabit, *Idem fieri posse in Corpore humano Spiritibus Animalibus ab eodem Sale Volatili aut alia re simili*, quò referre quis possit Opium & omnia Opiata quae videntur ex parte saltem in plerisque Coercere Spirituum Animalium Motum, & quidem Ipsos minùs fluxiles praestando, etiam ad Motum Animalem.

Et stupentium arte, sed & sponte. XXX. Quemadmodum autem id solet *fieri arte*, sic idem fieri potest *sponte*, in Affectibus Soporosis & Narcoticis; in quibus, videntur lentiùs moveri Animales Spiritus, adeòque minùs esse Fluidi.

Quid spiritus minùs fluidi indicat. XXXI. Id quoties contingit, toties reddendi sunt ipsi *Fluidiores* atque *Mobiliores*.

Fluidiores reddi Spiritus Animales per Salia volatilia. XXXII. Ubi notandum, Notum esse per multiplicem experientiam, Ipsa *Salia Volatilia* tunc utiliter adhiberi, etiam *naribus admota*, & quidem *purissima*, quale *Spiritus Salis Armoniaci*, à quo tamen Cogitur & Coagulatur Spiritus Vini.

An diversitas sit inter Spiritum Vini & Animalem dubitatur. XXXIII. Unde meritò quis dubitare possit, an non *notabilis aliqua diversitas* observetur *inter Spiritum Vini & Spiritum Animalem*: cùm similem mutationem non patiantur ab eodem; nisi quis putet salem volatilem mutationem subire in corpore antequam eò pertingat.

De quo dum dubitatur secundum Experientiam procedendum in Medicina. XXXIV. Quandiu autem nobis de hoc dubio non satis constat, interest, ut secundùm ea, quae nos docuit, docebitque Experientia circa Ægros instituta, procedamus in Curatione indies instituenda, inquirendo tamen in eorum, quae fiunt, rationes, donec ea assequamur.

Satius esse Veritatem perscrutari quàm aliis vellicare. XXXV. Dolendum est, dum tot difficultates supersunt in Medicina perficienda superandae, tam paucos seriò manum operi admovere, dum plerique tempus suum pessimè collocant in *Vellicandis* protervè *aliorum dictis* qualibuscunque, quod satius foret impendi in laborioso (sed laborem fugiunt homines dicaculi) rerum arduarum examine, atque *Veritatis* in tam multis adhuc latentis *perscrutatione*, ac detectione.

CAPUT XIII.

De Partium Continentium sive Consistentium Morbis, eorumque Indicationibus Curatoriis.

I. ANimus mihi fuit per omnium Contentorum vitia secundùm qualitates Sensiles tum Proprias tum Communes ordine progredi, verùm visus sum mihi observare multis fastidium inde moveri, ac si crambe non tantùm bis, at saepiùs, costa recoctaque ipsis continuò apponeretur, quamvis in cujusvis Contenti examine semper aliquid occurrerit singulare, quodque vix aliquis per se nisi in Arte Medica satis versatus, posset assequi. Ut tamen tractandorum varietate magis excitem ac delectem Lectores meos, malo ad Continentium partium Vitia pergere, atque ipsa ordine planè mutato examinare.

Ordo Morborum Partium Consistentium. II. Considerabo scilicet Morbos Partium Continentium, non secundùm earundem species diversas, quod feci in Partium Contentarum Morbis; sed secundùm Morborum Ipsorum ipsis obvenientium species; quas docui observari similiter in Qualitatibus Sensilibus & Propriis & Communibus.

Morbi in Colore, Perspicuitate, & Opacitate. III. Ut proinde rem aggrediar, spectabo 1. ipsarum Morbos *in Calore*, ac *Perspicuitate* aut *Opacitate* observabiles.

Quaenam pars debeat esse coloris expers. IV. Partes paucae ad Functionem suam obeundam desiderantur esse aut Coloratae, aut Coloris expertes: sunt tamen aliquae, exempli gratia, *Tunica Cornea* debet *omnis* esse *Coloris expers*, sic & *Humor Crystallinus* dictus (revera in Partium Consistentium censum referendus) ut Visui serviant.

Tunica Cornea, & Humor Crystallinus si colore inficiatur, laeditur Visio, & quo respectu. V. Si proinde vel Tunica Cornea, vel Humor Crystallinus *Colore quocunque inficiatur*, *laeditur* mox *Visio*, adeò ut falsò censeatur Objectum quodvis eo infectum Colore, quo infecta est altertra istarum partium.

Color ille quid indicet. VI. Talis autem *Color*, qualiscunque, *Indicat sui remotionem* à Parte, quam inficit & tingit, & sic restituitur Visus perfectus.

Opacitate earundem partium laeditur visio diversimode. VII. Requiruntur *ad Visionem* perfectam eaedem *Partes Perspicuae*; quòd si ex toto, aut ex parte fiant eaedem *Opacae*, *laeditur* eadem *Visio*, sive in totum tollatur, sive depravetur, puteturque Objectum quodvis, nunc perforatum, nunc bifidum, nunc quovis modo mutilum.

Quid eo indicet. VIII. Quoties id fit, *Indicatur Opacitatis Remotio*, & *Perspicuitatis amissae Restitutio*.

Morbi Partium Consistentium in Sono. IX. Considerabimus 2. Partium *Consistentium* Morbos in *Sono*, quò spectare videtur stridor Dentium, aliisque Soni praeter naturam à Partibus Consistentibus producti, quoties Auditum laedunt, adeò ut subinde putent Ægri se audire Objectum externum, cùm tamen audiant duntaxat Internum.

Quid indicet. X. Ubi hoc fit, *Indicatur Soni* Interni *remotio*, ut commodè audiatur externus, nec ille aut impediatur, aut saltem alteretur.

Odoratus Morbi varii. XI. Considerabimus 3. *Odores Partium Consistentium*, & Odoratum rerum externarum quovis modo impedientes: sic *Corruptio* tum *Tunicae* in Naribus, tum *Gingivarum* in Ore, tum *Ossium variorum* in partibus iisdem solet Odorem gravem ac molestum nonnunquam producere, atque rerum externarum Olfactum modis variis laedere, quod secundùm naturam non solet fieri.

Et quid indicent. XII. Quoties id contingit, toties *Indicatur Odoris noxii remotio*; ut perfectus fiat rerum externarum Odoratus.

Gustus Morbi qui. XIII. Considerabimus 4. *Sapores* varios Linguam vel Palatum ita inficientes, ut aliorum ore contentorum Sapor dignosci nequeat: sic *Amaritudo Bilis, Austeritas, vel Aciditas Succi Melancholici, Salsedo Muriatica Humoris à Cerebro delabentis* non rarò ita imbuere ac inficere solet Linguam & Palatum, ut vitiosus & perversus sequatur rerum forinsecùs assumptarum Gustus.

Et quid indicent. XIV. Quoties id evenit, toties *Indicatur Saporis* perversi & *vitiosi remotio* ex Ore, adeòque Linguae & Palati, & eo ipso Gustus restitutio in integrum.

Tactus Morbi. XV. Considerabimus 5. *Duritiem ac Mollitiem Tactum laedentem*, sic Callositas Dura in Cute, ac praesertim in Vola manus & Acinis Digitorum impedit Tactum, adeò ut de Objectorum externorum Duritie ac Mollitie accurate non queat judicare Cutis Callo indurata.

Et quid indicent. XVI. Quoties id accidit, laediturque in Parte sic Callo indurata Tactus, toties *Indicatur Calli* Tactum laedentis *Remotio*, atque Tactus restitutio.

Caloris Sensus Morbi. XVII. Considerabimus 6. *Calorem ac Frigus Sensum suum laedens*. Sic durante *Frigore febrili*, Partes frigore vehementi correptae eo ipso ineptae sunt ad rerum externarum Calorem aut Frigus ritè discernendum, adeò ut non rarò tunc temporis miserè combustae fuerint Partes interno frigore correptae ad Internecionem usque.

Frigus Febris impedire sensum Caloris aut Frigoris externarum. *Ut et Aestu Febrili.* XVIII. Sic durante vicissim *Aestu Febrili*, non rarò eo ipso ineptae fiunt similiter Partes omnes aut quaedam ad Calorem aut Frigus externorum objectorum ritè percipiendum; unde non rarò ab externarum rerum frigore graviter afficiuntur partes

partes tum externę, tum internę, introducuntur, quę tunc novi affectus prioribus sępe graviores.

Quid utrūque indicet.

XIX. Quoties Alterutrum horum evenit, toties *Indicatur* Qualitatis Vitiosę, atque Sensum *Caloris* malè afficientis *Remotio* aut *Correctio* saltem, sicque Partis malè affectę ad naturalem statum reductio.

XX. Atque sic paucis percurrimus Morbos in Qualitatibus Sensilibus Cuivis Sensui propriis occurrentes, atque imprimis Sensuum suorum Actionem modis variis lędentes; Potest namque fieri, ut inde alię quoque Functiones lędantur, Motus putà, Partibus frigore nimio correptis: Proximum est, ut jam pergamus ad Morbos in Qualitatibus Sensilibus Communibus repertos, ac similiter Actiones aliquas lędentes.

In numero quomodo pecce[n]t Partes Consistētes.

XXI. Inter hos Morbos primum locum dedimus *Numero* Partium Consistentium, aut *Excedenti*, aut *Deficienti*, atque Functionem aliquam lędenti.

In Numero excedēte sūt Dentes extra Ordinē exsurgētes.

XXII. In *Numero Excedente* sunt *Dentes extra Cæterorum Ordinem*, tam intra Oris cavitatem Interiorem, quàm versus Labia *exurgentes*, atque Linguę Motum, hinc & Loquelam, vel Labiorum Motum impedientes ac lędentes, aut Dolorem inferentes.

Ut & Plures Digiti.

XXIII. In Numero Excedente numerandi quoque *Plures Digiti vel in Manu, vel in Pede*, dummodo Manus aut Pedis Actionem lędant. Nisi enim lędatur aliqua Functio ab Ipsis, possunt illi Deformitatem afferre, quę tamen pro Morbo non videtur habenda, quia Functionem non lędit.

In Numero deficiēte sūt Dentes in ore.

XXIV. *In Numero Deficiente* habendi *Dentes in Ore desiderati*, sive fuerint extracti, sive casu aut per Infortunium expulsi, excitique, quoties unam, pluresve lędunt Functiones, Manducationem, aut Loquelam.

Ut & Digiti.

XXV. Sic in eodem Numero deficiente ponendi *Digiti Deficientes*, atque semper Manus Actionem, Comprehensionem, plùs, vel minùs lędentes.

Nec non Oculus deficiens.

XXVI. Huc referendus *Oculus alter* quovis modo *deficiens*, propter quem destituitur Homo Visus Naturalis parte altera; adeò ut objecta Oculi desiderati lateri obversa non videantur sępe, quę alias in oculum illum inciderent.

Quid harū Partiū Excessus & defectus indicent.

XXVII. *Partes Numero Excedentes Indicant* Numeri excedentis *Diminutionem*, sicut earundem *Defectus Indicant* earundem *Reparationem*: dummodo & in quantùm hęc possint Arte Medica obtineri.

In Magnitudine quomodo peccēt Partes Cōsistentes.

XXVIII. Secundò inter Qualitatum Sensilium Communium Morbos Partibus Consistentibus accidentes notavimus ipsarum *Magnitudinem* nunc *auctam*, nunc *diminutam*.

Ad Magnitudinē Auctā referri vulgò Tumores: Sed malè.

XXIX. Ad *Magnitudinem Auctam* referuntur vulgò *omnis Generis Tumores*, quamvis multi potiùs ad Contenta Loco peccantia debeant referri.

XXX. Sic *Hydatides*, *Erysipelas bullosum*, quin Ipsa *Inflammatio Tumor* est ortus à Contentis Loco peccantibus, atque Cuticulam, Cutem, Partesque alias explicantibus; non item verè à Partium earundem augmento nimio procedentes.

Rectè verò Excrescētia Carnea. Et quorespectu.

XXXI. *Excrescentia* autem *Carnea* in Parte aliqua lęsa verè habenda pro Ejusdem *Magnitudine Aucta*; quam tunc demum arbitror illud nomen mereri, quando augmentum illud ejusdem naturę occurrit, cum Parte, cujus Magnitudo dicitur Aucta, non item quando est naturę diversę.

Partē omnē Magnitudine Auctam Tumore laborare; non autem vice versa.

XXXII. Sic pręter naturam *Auctus* dicendus *Musculus*, quando ipsius *Caro est* facta solito *Copiosior*; non item, quando accrevit ipsi Tumor OEdematosus, Lymphaticusve, aut alius quivis.

XXXIII. Adeo ut *Pars omnis*, *cujus Magnitudo est aucta*, *Tumore laboret*; non autem vice versa, quę Tumorem patitur, semper quoque Magnitudinem auctam.

Tumores duorum esse generum.

XXXIV. *Tumores* Igitur *alii* sunt ex Partium Consistentium *Magnitudine atque substantia aucta*; alii ex Partium Contentarum extra *Locum naturalem Effusione*; in vel inter Partium Consistentium substantiam. Quę benè distincta multas difficultates tollent in Medicina.

Magnitudo Aucta quid indicet.

XXXV. *Magnitudo* Partium Consistentium *Aucta*, & Functionem aliquam lędens, adeòque sic Morbum Constituens, *sui Indicat Diminutionem*.

Magnitudo diminuta quotuplex.

XXXVI. Sicut nimiùm Augeri potest Continentium Partium substantia, sic & eadem potest pręter naturam *nimiùm minui*, quod fit in *Macilentia*, & *Tabe*, ut & quandoque in *Partium Amputatione*, per Vulnera, aut Erosione per Ulcera.

Quid Macies. Quid Tabes, & quid indicēt.

XXXVII. Universalis Partium Pinguium Consumptio vocatur ferè *Macies*; Carnolarum verò, *Tabes*. Utraque *Indicat sui Augmentum*.

Pars amputata quid indicet.

XXXVIII. Pars *amputatione sublata Indicat sui Reparationem simplicem*.

Pars Erosa quid indicet.

XXXIX. *Pars Erosa* & Ulcus constituens itidem *sui reparationem*; quæ quoniam obtineri nequit, nisi potest correctionem aut sublationem Humoris Corrodentis, *Indicatur* simul *Hujus Emendatio ac Eductio*; ut & *Partis Erosæ*, ac *Ulceratæ Mundatio*, & *ad Partis deperditæ reparationem Præparatio*.

Figura quomodo peccēt Partes Cōsistentes.

XL. Tertium inter Qualitatum Sensilium Communium Morbos in Partibus Consistentibus locum dedimus *Figuræ*, quando propter ipsam mutatam non tantùm Deformitas exurgit, ast Functio aliqua simul læditur.

Tibiorum Ossa cōtorta lædere Progressionem.

XLI. Sic *Tibiarum Ossa* nimis *contorta* non tantùm Deformitatem ipsius afferunt, sed non rarò *Motum* ipsum *lædunt* progressivum.

Gibbam lædere Respirationem.

XLII. Sic *Costarum Figuram* mutata & *Gibbum* constituens non tantùm Deformitatem parit, sed, quod miserrimum, *Respirationem lædit*.

Figura mutata quid indicet.

XLIII. Omnis *Figura mutata Indicat Figuræ* naturalis, aut saltem ad naturalem proximè accedentis *conciliationem*.

Morbi in Cōtinuitate soluta, ac secreti Coalescentia.

XLIV. Quarto loco inter dictas Qualitates sensiles Communes posuimus Morbos in *Continuitate soluta*, vel contrà in *Solutorum Coalescentia*.

Morbus in Unitate soluta qui.

XLV. Partes namque *substantiæ similis Continuæ* sunt secundùm naturam: Quòd si præter naturam illæ quovis modo dividantur, & illarum *Unitas*, vel *potius Continuitas Solvatur*, *Actionemque* aliquam *lædant*, quod semper fit, Morbum hunc constituunt.

Ejus divisio 1. in Vulnus & Fracturam.

XLVI. Hi *Morbi subdividi* solent primò ratione *Partis*, cui hoc accidit, quæ aut *Mollis* est, ut Cutis, Caro, Parenchyma, Glandula, &c. aut *Dura*, ut Os. Unde sicut *solutio transversim facta* in *Parte Molli* vocatur *Vulnus*, sic in *Osse*, *Fractura*.

2. in Vulnus et Pūcturā.

XLVII. Secundò ratione *Modi solvendi*, unde quod *cæsim* accidit Parti *Molli*, vocatur *Vulnus*, quod *Punctim*, *Punctura*.

3. in Vulnus vel Fracturam, & Ulcus vel Cariem.

XLVIII. Tertiò ratione *Causæ Efficientis*; quæ si fuerit *res Dura*, vocatur *Vulnus* vel *Fractura*; sin *Acris* & *Rodens*, dicitur *Ulcus* in *Parte Molli*, & *Caries in Osse*.

XLIX. Hæc uno verbo libuit attingere, quò faciliùs procedat hæc Doctrina, etiam vulgò à quibusdam accuratè proposita.

Quid omnes hæ Dissolutiones indicent.

L. *Omnes* istæ Partium Continuarum Divisiones aut *Dissolutiones Indicant Continuitatis solutæ reparationem* atque *Consolidationem*.

Morbi in Coalescētia qui sunt.

LI. Quemadmodum *Partes* aliquæ requiruntur in Homine Continuæ, ita aliæ desiderantur *ab Invicem sejunctæ ac secretæ*: quòd si tales præter naturam *Coalescant*, semper Functionem aliquam lædent.

In Labiis & Digitis. All

LII. Sic *Labia* debent esse ab Invicem Disjuncta, & *Manum Pedumque Digiti* ab invicem sejun-

...mentorum Assumptio, Rerū manibus Apprehensio, et Ambulatio qui lædātur.

se juncti; quòd si præter naturam *Coalescant* vel Labia vel Digiti, *lædetur* Alimentorum Assumptio, rerumque commoda manibus perfici solita Apprehensio, ut & Ambulatio, quæ plùs vel minùs labefactabuntur.

In Partium Coalitione quid indicetur.

LIII. Hæc ubi eveniunt, *Indicatur Partium* præter naturam *Coalitarum separatio*, & à *nova Coalitione Præservatio*.

Connexionis soluta morbus quis.

LIV. Non tantùm reperiuntur *Partes* similis *substantiæ* Continuæ, verùm *diversæ*, simul Connexæ: quæ si ab invicem *Disjunguntur*, læduntur que ac solvatur ipsarum naturalis Connexio, lædaturque inde ipsarum Actio, dicuntur ipsæ *Morbum* pati, & quidem *Connexionis solutæ*, quem 5. loco recensuimus inter Morbos Qualitatum Sensilium Communium.

Musculos Ossibus per Tendines & Cerebro per Nervos connecti.

LV. Sic *Musculi Connectuntur Ossibus per Tendines*, aut Ligamenta, quin *Cerebro per Nervos*: Quòd si aut *Tendines*, *aut Nervi* dissecentur, atque sic Musculorum cum Ossibus aut Cerebro Connexio dissolvatur: Lædetur Ipsorum Actio, Motus Partium.

Soluta Partium Cōnexio quid indicet.

LVI. Quoties autem *Soluta* est qualiscunque *Partis* alicujus cum alia *Connexio*, toties *Indicatur ejusdem restitutio*, dummodò ea fieri queat, quod non semper potest fieri.

Morbi In Loco, vel Situ mutato quinam.

LVII. Sextò, Notavimus Partium Consistentium *Morbos in loco* vel situ mutato, quando inde Actio læditur.

LVIII. Sic Abdomen Locus est Ventriculi, Intestinorum, Hepatis, Lienis, Renum, Pancreatis, &c. Quæ partes si alibi reperiantur, in Thorace putà, lædent dubio procul aliquam Functionem aut propriam, aut alienam, Pulmonis puta, vel Cordis; & dicentur laborare Morbo in Loco Mutato.

LIX. Huc referendæ variæ species Herniæ, Umbilicalis, Inguinalis, & Scroti; Intestinorum, Uteri; &c. secundùm locum, in quo fit, & partem cui ea contingit.

Sitū Appositione partiū spectare.

LX. *Situs* spectare videtur *Appositionem* duarum pluriumve *partium* certam, ad Functionem aliquam obeundam: talis est Ossium in Articulationibus.

Qui mutatus Fūctionem lædit.

LXI. Quòd si hunc suum *situm naturalem mutent* istæ *Partes*, mox ipsa *læditur Functio*.

Luxatio quid

LXII. Iste *situs Ossium mutatus* vocatur vel *Luxatio*, vel Subluxatio, prout vitium fuerit gravius vel levius.

Morbus in loco & situ quid indicet

LXIII. *Morbus* uterque in *Loco*, & *Situ* Partium Mutato, *Indicat* Partium *restitutionem* in Locum, vel Situm naturalem.

Soliditas & Fistulositates mutata.

LXIV. Inter Morbos Partium Continentium secundùm Qualitates Sensiles Communes posuimus septimò eos, qui in *Soliditate*, aut *Fistulositate Mutata* reperiuntur.

Soliditas quænam hic intelligenda

LXV. *Soliditas Partium Consistentium* intelligenda, quantùm eâ Sensibus Visu saltem judicari potest. Sic Cutis, quamvis Poris censeatur prædita, Solida tamen vocatur, quia nullos manifestos habet Meatus & Canales; quòd si præter naturam in ea aut per eam *Fistulæ* excitentur, aut *Sinuosa Ulcera*, eademve *Perforetur Instrumento acuto*, *Ipsius soliditas læditur*, hinc & una, pluresve ipsius Functiones, Nutritio puta, sensusque Tactus & Caloris vitiantur.

Quando Soliditas lædatur.

LXVI. Sic à Vermibus perterebrantur nonnunquam *Intestina*, hinc & *Abdominis Musculi*, cum subjecto *Peritonæa*, ac supertensa *Cute*.

Intestina, Abdominis Musculi, & Peritonaeum à Vermibus perterebrātur.

LXVII. Hæc Partium Consistentium omnium *Soliditas læsa Indicat sui restitutionem* in integrum, sive *Consolidationem*, modis & mediis variis absolvendam; tum pro Partis Affectæ, tum pro Causæ Efficientis, & Afficientis, tum pro Modi Efficiendi & Afficiendi diversitate.

Soliditas læsa quid indicet

Fistulositatis vitia varia.

LXVIII. *Fistulositatis* vitia sunt varia, tum præsertim, quando illa *in totum tollitur*, *aut ex parte*; tum etiam, quando illa *plùs vel minùs augetur & ampliatur*.

Qua ratione ea tollatur in totum.

LXIX. *Tollitur in totum Fistulositas Vasorum*, in eorum *Clausura* per *Obstructionem*, *Constipationem*, *Compressionem* extremam, & *Coalescentiam*.

Et qua ratione ex parte.

LXX. *Tollitur ipsa ex parte* in Vasorum *Angustia*, sed non extrema.

Subsidentia quid.

LXXI. Huc refertur vulgò *Subsidentia*, quæ tamen, si aliquando habeat locum, pro vera Angustia noxia & Actionem lædente haberi nequit; postquam illa *consequitur Contenti absentiam*, effusionemve; quo denuò accedente mox tollitur eadem, nulloque alio indiget auxilio, aut remedio.

Obstructio unde.

LXXII. In *Obstructione* Canalis fistulositas occluditur à Re ipsi inhærente, atque Contenti Motum tollente.

Constipatio unde.

LXXIII. In *Constipatione* Canalis ejusdem Fistulositas occluditur à Re ipsi adhærente aut inexistente; sive sit Caro in ea excrescens, sive Tumor in ejus Tunicis ortus.

Compressio unde.

LXXIV. In *Compressione* Canalis ejusdem Fistulositas clauditur à re externa ipsam augente, sive illa Vinculum sit, aut Tumor vicinus.

Coalescentia unde.

LXXV. In *Coalescentia* concrescunt latera sive parietes Canalis, & quidem post præcedentem ipsorum excoriationem aut exulcerationem.

Ex parte canalium angustia ūde.

LXXVI. Ex *parte* Canalium Meatus *angustantur* tum à re Ipsis *inexistente*, Ipsisque *adglutinata*, tum à re ipsis *accreta*, tum à *Vinculis*, aut *Tumore vicino*, tum à *partiali parietum Coalitu*; unde non planè, ast quodammodo via & transitus impeditur.

Quomodo Canales ampliētur.

LXXVII. *Læditur* quoque *Meatuum* & Canalium *Fistulositas*, quando ipsa non Minuitur, vel Tollitur, sed *Augetur*, *Ampliaturque*: quod fit ferè à *Contenti Copia*, vel *Rarefactione*, vel *Collectione*: unde Distenduntur, Explicanturque nimiùm Canales, quin Rumpuntur etiam aliquando: sicque Ipsorum læditur Actio, vel Usus.

Fistulositas Ampliata quid indicet

LXXVIII. Quemadmodum verò Canalium, Ductuum, Meatuum, Vasorumve *Fistulositas* ex parte, aut in totum sublata Indicat sui Reserationem, Apertionemque: Ita eadem nimiùm *ampliata Indicat* sui *Angustationem*.

Diversis remediis pro Causarū et Partiū diversitate utendum.

LXXIX. Pro diversitate autem *Causarum* Efficientium, & *Partium* Affectarum *diversis utendum Remediis*.

LXXX. Alia siquidem Curandi ratio, alia Remedia conveniunt debenturque Obstructioni; alia Constipationi, alia Coalescentiæ, alia Compressioni, alia Pituitæ, alia Sanguini obstruenti, & sic porrò.

Motus dupliciter in Partibus Consistentibus consideratur.

LXXXI. Inter Qualitates sensiles Communes in Consistentibus Partibus Morbos Constituentes mentionem fecimus octavò *Motus*, qui considerandus in Ipsis non tantùm tanquam *Actio Animalis*, sed etiam tanquam ejusdem *Animalis Motus Causa*. Quod quia videbitur multis novum & mirum, id accuratiùs explicandum.

In quo Consistit Motus Animalis.

LXXXII. Hoc ut fiat manifestum. *Animalis Motus consistit in Membri alicujus*, Manus puta, Brachii, Pedis, Cruris, Oculi, Capitisve *Flexione*, *Extensione*, *Transpositione*, *Contorsione*, *Agitatione*, ac sic porrò: non item in *Sola Musculi Contractione*, & abbreviatione, aut *Ossium solorum Inflexione*, aut *Extensione*, *Partiumve* ad se Invicem *Attractione*, aut ab invicem *Abstractione*, quamvis hæ particulares partium quarundam Motiones concurrant simul ad Motum Animalem absolvendum.

& in quonā.

Ut Corpus moveatur quænam cōcurrāt. Quomodo Motus lædatur. Partiū singularū Motus læsus est Morbus. Et totius Mēbri motus læsus Symptoma.

LXXXIII. Ut ergò tota illa vel Universi corporis, vel Quorundam Artuum, Organorumve Machina Motu Animali cieatur, concurrant necesse est *singularum partium minorum Motiones singulares*, quibus sigillatim, vel simul læsis læditur Membri primarij *Motus*: adeò ut *partium singularum* ad Membrum aliquod Movendum concurrentium *Motus læsi* videantur posse *haberi pro Morbo*; sicut *totius Membri Motus læsus pro ipso Symptomate*, *sive Functione læsa*: postquam uniuscujusque Particulæ Motus læsus lædit totius Membri Motum.

LXXXIV,

Quod exemplo declaratur. LXXXIV. Res hæc fiat exemplo manifestior. Ut *manu*, tanquam Organo, *aliquid apprehendam*, & fortiter teneam, quin & manu apprehensum *agitem aut vibrem, plurimæ partes* simul debent *moveri*, adeòque esse mobiles. Et 1. quidem Pollex, ac singuli Digiti, qui omnes moveri debent seorsim, secundùm suos & Musculos, & Articulos; qui itidem moveti debent, ac proinde esse mobiles. Ut autem manu sic prehensum *agitetur*, opus est ut Brachium ipsum, quin aliquando Cubitus quoque, atque Radius similiter moveatur, sintque Mobilia. Ad singulorum autem Motum Concurrunt non tantùm Cubitus, & Radius, atque Brachii Os, verùm Scapula quoque, Clavicula, ipsæque adeò Costæ, atque admodum multi Ossa hæc variè moventes Musculi.

Quid in hoc exemplo habendum pro Motu, ac Functione Animali. LXXXV. In hac verò Actione, Chirothecæ puta vel sola Apprehensione, vel Concurrente simul ejusdem Agitatione ac Vibratione, *Totus ille Concursus Partium illarum Variarum*, Ossium imprimis & Musculorum (nam & Cutis, & Membranæ, & Nervi, & aliæ forsan adhuc Partes simul veniunt spectandæ) *Motarum habendus pro Animali Motu & Functione Animali*; quamvis Partium earundem sigillatim Consideratarum Motus, quoties *impeditus est aut læsus*, videatur pro

Et quid laesi pro morbo habendū. *Morbo* habendus: quatenus propter unuscujusque Immobilitatem, Motumve quovis modo læsum læditur mox totus ille Membri Integri, & Brachii universi, adeòque Manus quoque Motus.

Motus hic Variis modis læditur. Unde Varia Symptomata, & varii Partium Motus Morbi. Qui quid indicent. LXXXVI. Hic Partium Minorum, & ad Membri magis Compositi Motum Concurrentium *motus læditur modis variis*, tum quando subindè *impeditur, & difficiliùs* procedit, tum quando *minor vel imbecillior* existit, tum quando *in totum tollitur & cessat*, tum quando *major vel coactus contingit*: adeò ut quemadmodum *Motus Totius Membri Motus Animalis Membri totius* varius modis læsus constituit *Varias Symptomatum species*, ita *Motus Partium singularum* Membrum idem constituentium & ad ejusdem Motum concurrentium constituat *varias Morborum species*.

LXXXVII. *Motus* autem *Partium singularum variè læsus Indicat sui restitutionem*; quò restitui quoque possit in integrum totius Membri Motus.

Consistentia partium quænam. LXXXVIII. Tandem nonò Inter Qualitates Partium Consistentium Sensiles Communes considevavimus earundem *Consistentiam*, unde illæ *propriis Continentur terminis*, non item, sicut Fluidæ alienis.

Si mutetur, Functio læditur. LXXXIX. Hæc Consistentia *si mutetur*, & definant esse tales, fiantque Fluidæ, Ipsarum *Functio* vel Usus proculdubio læditur.

Differentia inter Actionem & Usum. XC. Ubi notandum, in respectu ad Morbum pro eodem habendum Partis cujusvis Usum deficientem vel Actionem læsam: quamvis *Actio plus in se contineat*, quàm *Usus partis*: qui videtur pars esse Actionis aut concurrere ad Actionem. Sic Actio est Integri Organi, Usus autem singularum partium ad Organi, quà talis, constitutionem concurrentium. Adeò ut sæpè ad Functionem unam absolvendam concurrant plurium Partium Usus.

Quæ exemplo Visus declaratur. XCI. Exempli gratia Visio, est Functio: cujus Organum est Oculus, adeò ut Oculi Actio, sit Visio: ad quam ritè absolvendam concurrunt plurium Partium Oculum constituentium Usus; Tunicæ scilicet corneæ, Humorumque trium, Aquei, Crystallini, & Vitrei Transmissio & Infractio specierum; Tunicæ Retiformis Exceptio specierum; Tunicæ Uveæ Exclusio magni luminis; & sic porrò.

Quando Partes Consistentes amittunt Consistētiā, læditur Functio. XCII. Ut autem ad propositum nostrum revertamur; Quoties *partes Consistentes* suam *amittunt Consistentiam*, fiuntque Fluidæ, toties earundem Usus vel Functio, qualiscunque *læditur*.

Quando fiat Fluida, XCIII. Fiunt autem illæ *Fluida*, quando exempli gratia Carnes, Viscera, &c. *in Pus abeunt* in Ulceribus, *aut in Saniem*.

Et quid id indicent, XCIV. Quoties autem id contingit, toties *Indicant* quidem *sui Restitutionem* in integrum: quod, quantùm ego saltem novi, quoniam obtineri nequit, hactenus Indicabunt *Partium reliquarum Conservationem in statu integro, ac proinde Præservationem* à simili malo.

XCV. Hoc si quis malit ad *Indicationem Præservatoriam*, adeoque *Causam Antecedentem* referre; cum illo non pugnabo: cùm revera Præservandæ sint Partes adhuc integræ à sui Corruptione instante, imò fiente.

XCVI. Atque sic videor mihi percurrisse Indicationes à Morbis tam Partium Contentarum ac Fluidarum, quàm Continentium & Consistentium petendas. Antequàm verò ad Indicationes à Causis Antecedentibus, ac Symptomatibus prodeuntes pergam, aliquid saltem dicendum de Indicationibus ab Animæ Morbis petendis, postquam documus non semel dari quoque Animæ Morbos.

CAPUT XIV.

De Animæ Morbis, eorumdemque Indicationibus Curatoriis.

Quare agendum de Animæ Morbis. I. DE Animæ Morbis, Eorundemque Indicationibus existimamus vel idcircò dicendum magis in nostra Medendi methodo, quòd de illis pauci aliquid docuerunt, pauci illos agnoverunt, pauciores in praxi eorum mentionem ex professo fecerunt.

Quid sint Animæ Morbi. II. Sunt autem *Animæ Morbi Dispositiones vitiosæ Animæ, propter quas læduntur Functiones* aliquæ, ac Imprimis, ad quas necessariò concurrit Anima rationalis, qualis Humana.

Illos in Qualitatibus Sensilibus constitui nō posse. III. Quoniam verò Anima Externis Sensibus non percipitur facilè, inde patet, in eadem Qualitates Sensiles, tum proprias, tum communes non offendi; nec proinde *Animæ Morbos illis constitui* posse; sicut ipsos in corpore constituimus ac demonstravimus.

A mala Animæ Cōstitutione lædi Functiones. IV. Verùm, quoniam concurrit tamen Anima ad Functiones varias, idcircò Animales dictas, perficiendas, & ita quidem concurrit, ut ejus culpa eadem observentur sæpiùs lædi & perperam peragi, quamvis benè constitutum sit Corpus, tam Continens, quàm Contentum; nemo non videt *aliquid* desiderari *in eadem Anima*, secundùm quod concurrat ipsa ad Functiones Animales absolvendas, *quo malo constituto eadem quoque quovis modo læduntur*.

Ad quas Functiones concurrat Anima V. *Functiones*, ad quas peragendas concurrit necessariò Mens, sive Anima humana, sunt quadruplices. 1. *Sensus externi*; 2. *Sensus Interni*; 3. *Animi Motus*; 4. *Corporis Motus, Animalis* sive *Voluntarius* dictus:

Sensus cognitioni, Motus Fruitioni & fugæ inservire VI. Sensus utrique inserviunt Rerum quarumvis Cognitioni, Motus autem earundem Fruitioni, aut Fugæ.

Quæ non peragentur absque Anima Sana. VII. Hæ Functiones omnes ac singulæ *non peragentur ritè*, nisi *Anima* sit bene Constituta, hoc est *Sana*.

Quando Mens est Sana, quando Ægra. VIII. Sana erit Mens 1. quando *Attenta* est ad suas Functiones: uti contra Ægra, quando *Supina*, & minùs rebus agendis Attenta, vel aliò *Abstracta*, ideòque ipsis minimè Attenta; potest enim plùs, vel minùs deficere in sua Attentione.

IX. Sana censenda Mens 2. quando in rerum cognitione comparanda ipsa est *Accurata*, hoc est, omnes, ac singulas Objectorum circumstantias & minutias observans: uti contra Ægra, quando eadem *Oscitans* est, ac negligit Objectorum suorum Circumstantias omnes observare atque notare; unde plena cognitio haberi nequit, sed imperfecta tantùm.

X. Sana quoque habenda Mens 3. quando *Distinctè* omnia *concipit*, *explicatque*, uti contrà Ægra, quando *Confusè* id agit. Ubi rerum Ordo, Situs, Locus, & similia spectantur, quæ rum in rebus

rebus diversis, tum in rerum earundem partibus diversis considerantur.

XI. Sana quoque dicenda Mens 4. quando *Libera* est, unique Veritati addicta: sicut Ægra, quando Præjudiciis est *Præoccupata*; nec tam quærit veritatem, quàm ut Opinio, vel Fictio sua vel aliena habeatur pro vera.

XII. Sana etiam credenda Mens 5. quando *Tranquilla* est, *Animoque pacato*: sicut contra Ægra, quando *Animi Affectibus* est *Agitata & Turbata*.

XIII. Plures Animæ Dispositiones tum bonas, tum malas, propter quas ritè, aut perperam peraguntur Functiones ab ipsa ex parte saltem pendentes; adeòque pro Sanitate, Morbisve habendas, studio nunc prætereo, ne sim multis forsan tædio, cùm ex ungue Leonem, hoc est, ex his paucis ritè examinatis plures aliæ facilè possint capi.

Anima Supina quid.

XIV. Quoties proinde *Anima* in Opere suo est *Supina*, minusque Attenta, toties *indicat* Ipsa *sui Excitationem ad Attentionem majorem*.

Abstracta quid indicet.

XV. Quoties eadem *alio est Abstracta*, & nil minùs quam rebus agendis Attenta, toties avocanda est à rerum alienarum meditatione, ac *revocanda* potenter *ad agendarum considerationem*.

Oscitans quid indicet.

XVI. Sic quoties *Oscitans* est Mens, ac negligens accuratum circumstantiarum omnium ac singularum examen, toties *excitanda* est, *urgendaque ad illud exacte instituendum*.

Confusa quid indicet.

XVII. Quoties *Confuse* tantum omnia objecta concipit, exprimitve, toties *urgenda* est *ad* eadem *distincte concipienda*, secundùm Ordinem, ac Locum vel Situm Objectorum Diversorum aut Partium ejusdem Objecti Diversarum.

Præjudiciis præoccupata quid indicet.

XVIII. Quoties Præjudiciis excæcata est ac *Præoccupata Mens*, atque falsis Commentis, quàm Veritati magis addicta, toties in Libertatem ac *Veritatis amorem asserenda* est.

Affectibus agitata quid indicet.

XIX. Quoties *Animi Affectibus* qualibuscunq; *Agitata*, *Turbata*, *Perturbataque* est Mens, ideòque ad ritè ratiocinandum, aliaque peragenda inepta; toties *ad Quietem*, Tranquillitatemque *reducenda* est, pacandaque.

XX. Hæc omnia & similia plura qui obtineri queant, dicemus forsan in sequentibus: Hæc paucis nunc delibasse sufficiat, & in re nondum trita viam aliquam monstrasse.

CAPUT XV.

De Indicatione Præservatoria.

I. POstquam Indicationem Curatoriam & à Morbo tum Corporis utriusque, tum Animæ petitam, petendamve absolvimus, proximum est, ut ad Indicationem Præservatoriam, & ab Antecedente Causa petendam pergamus.

Causa Morbi Antecedens quænam.

II. Diximus autem illam esse *Antecedentem Causam*, quæ *in Homine existens apta est nata Functionem aliquam lædere, nondum tamen ipsam lædit, donec aliunde excitetur, irritetur, atque à Potentia in Actum deducatur.*

Quotuplex sit 1. Sanguis in Corpore abundans.

III. Tales *Causæ Antecedentes* sunt 1. *Sanguis in Corpore abundans*, & noxam non producens quidem, sed minans.

2. Humor quivis alius abundans.

IV. Secundò, *Humor* quivìs alius, *Bilis*, *Pituita*, *Succus Pancreaticus*, *Saliva*, *Lympha*, *Semen*, *Lac*, & forsan *Spiritus Animales* quoque, quoties *multùm Abundant*, nec tamen Functionem aliquam lædunt, lædere tamen possunt, ubi Causa externa, tum fortuita, tum in Rebus non-naturalibus reperta istas Internas Causas Commovet, Excitat, & ita Conturbat, ut noxam homini afferant, Functionemque aliquam lædant.

3. Aliqua Partium Infirmitas.

V. Tertiò *Aliqua in Partibus Consistentibus producta vel relicta infirmitas*, nullam Functionem tamen lædens, nisi accedente Causa externa, & imprimis Aeris Conturbatione, Frigore, ant Æstu, &c.

Aeris Æstus quorsũ possit esse causa in Sanguine.

VI. Exempli gratia. Quoties *in Aere augetur Æstus*, toties similis quoque augetur in Corpore æstus, unde *Sanguis* necessariò in corde rarefiet solito magis, Locusque ipsi continendo requiritur in Vasis, & Venis præsertim major; qui quoniam denegatur ipsi ratione suæ abundantiæ, propter quam plena sunt jam ipso Vasa, impeditur Sanguinis Motus, mox & *Rarefactio*, unde in *Suffocationis*, *Extinctionisq; periculam Conjicitur* Ignis *Cordis Vitalis*, quam sequitur Hominis *Mors & Interitus*.

Ut & in Bile.

VII. Sic *Bilis abundantior* in suo Folliculo (ibi namque colligitur tantùm) facilè ab eodem *Aere æstuante*, *Corporis Motu violentiore*, ac similibus attenuatur agitatur & ad copiosiorem sui effluxum irritatur, unde non tantùm in tenui Intestino excitatur *Effervescentia vitiosa*, quin sæpè *Vomitus*, *Alvive Fluxus*, ipsaque adeò *Cholera morbus*, &c. Sed in Corde quoque *Febris continua*, & similia mala plura: quæ non fuissent metuenda, si paacior fuisset in sua Vesicula Bilis.

Ac etiam in Pituita.

VIII. Sic *Pituita* in tenui Intestino Cumuláta & Aucta, nullam tamen noxam producens, aut Functionem lædens, ob eodem *Aeris æstu*, *Corporisve Motu* attenuata, & soluta, hinc ad Sanguinem translata, quin una cum ipso quaquaversum propulsa, mox à superveniente *Aere frigido*, aut *Vento*, *Pluvia*, vel re simili denuò *in Vasis Coagulata Obstructionem excitat*, hinc *Sanguinis subsistentiam Vasorum Distensionem* & tandem *Ruptionem Sanguinis Effusionem*, *Inflammationem*, *Suppurationem*, & sic porrò.

Simile in Lacte.

IX. Sic *Lac in Mammis abundans*, & nullam noxam Mulieri afferens, dummodò in tempore exsugatur, si diutiùs hæreat in mammis, *Sponte Concrescere soles*, atque *Inflammationem pati*.

Sic & in Spiritibus Animalibus.

X. Sic videntur *Animales Spiritus abundantiores* ad *Solis æstum* posse ita affici, ut cùm priùs nil mali paterentur homines, tunc *Vertiginem*, aliaque incommoda perpetiantur.

Consistentes Partes frigore correpta quænam incommoda patiantur.

XI. Sic quoad *Consistentes Partes*, qui sæpiùs & diutiùs *steterunt in Aqua frigida*, vel *sine calceis ambularunt in pavimento lapideo, & imprimis cæruleo*, hisce in locis familiari, quamvis nullum inde tum patiantur detrimẽtum notabile, ubi postmodùm *Intermittentibus febribus corripiuntur, Dolores* solent solito *graviores, atrocioresq; in iisdẽ pati pedibus*. Introducta igitur est ab illo frigore externo Aquæ aut Pavimenti Constitutio talis in pedibus, quæ quamvis tunc nullam Functionem lædat, tamẽ ad intermittentiũ Febrium accessum in actũ deducta, Dolores ibi pariat & ferat notabiles & graves.

Causa Morbi Antecedens quid indicet.

XII. Talis autem *Antecedens causa* in Hominis Corpore præexistens, ac facilè in Continentem abiens, *Indicat sui Emendationem*, atque sic Hominis *à futuro* aliàs *Morbo Præservationem*, unde meritò *Indicatio* illa dicta est *Præservatoria*.

Indicatio Præservatoria unde dicta.

A quibus præservemas.

XIII. *Præservamus* autem *à Re* non actu ac nunc nocente, ast posteà *nocitura*: *deducenda* proinde *Indicatio Præservatoria a Re* nondum Actionem ullam in Homine lædente, verùm apta, ut illam lædat, ubi eadem à Potentia deducitur in Actum.

Unde deducenda Indicatio Præservatoria.

Prudentis Medici officiam.

XIV. Quoniam igitur metus est ne in Actum deducatur, & actu lædat Functionem unam vel plures, *Prudentis Medici erit* Consilia salutaria istis Hominibus communicare, quo in tempore *imminentia minantia* saltem *mala præveniant*, sicque *ab Ægritudine se præservent*.

Emendatio Causa Antecedentis Varia.

XV. Ista verò *Emendatio Causæ Antecedentis* pro cujusque Diversitate erit.

Sanguis abundans minuendus duobus modis.

XVI. *Sanguis*, exempli gratia, in Corpore *abundans*, redundansque *Minuendus*, & ad quantitatem mediocrem reducendus, quocunque tandem id fiat modo, sive per Ipsius Detractionem è vena secta & aperta, sive per Inediam aliquandiu continuatam, utut Detractione minùs tutam.

Et tempore verno.

XVII. Hoc autem citiùs faciendum quando in Aere incipit Æstus, idem instat, *tempore* puta *verno* ad Æstatem inclinante, *Mense* scilicet *Majo*, quo plerique solent Præservationis Causa Sanguinem abundantem per venam sectam mittere ac minuere, aliaque modò dicenda exequi.

Bilis abundans minuenda.

XVIII. Nam si *Bilis* quoque tunc præsertim *abundet in Corpore*, cùm metus sit, ne superveniente Solis æstu in actum deducatur Bilis Effusio

fusio

Per Alvum. Non per Vomitum nisi in facilè Vomentibus.

fusio nimia è suo Folliculo, hinc & Affectus plures modò recitati excitentur, à Prudente Medico *Minuetur Bilis*, & imprimis *per Alvum*, tanquam viam consuetam modumque magis facilem: *non item per Vomitum*, nisi in assuetis atque *facilè vomentibus*, in quibus etiam Vomitus excitatur plerumque ab ipsis *Catharticis*; quibus & tunc quoque *tutiùs utimur*, *quàm Vomitoriis*; postquam Humoribus Biliosis sponte sursùm vergentibus, etiam à blandis Catharticis sequitur vomitus blandior, qui sæpè observatur vehementior ac violentior assumptis Vomitoriis: quæ majorem Corpori vim inferunt, ipsumque graviùs agitant, ecùs atque Cathartica, quæ longè blandiùs fvim suam exercent. Unde aliquando vomitoria junguntur Catharticis.

In his Catharticis tutiùs utimur, quàm Vomitoriis.

Bilis omniū Humorū facillimè educitur. Pituita verò & Succus Pancreaticus segniùs

XIX. Nullus autem Humor est in Homine, qui *faciliùs educitur Vomitum*, ac *secessum quàm Bilis*, cùm sit omnium maximè Mobilis & Volatilis: cæteri verò, Pituita, & Humor Melancholicus, sive Pancreaticus, minùs Mobiles, & magis Fixi, adeòque Intestinis, aliisque Partibus tenacitate sua vel aciditate arctiùs adhærentes, ac segnius cedentes atque educi apti.

Pituita abundans quid indicet.

XX. *Pituita* in corpore *abundantior*, necdum tamen Functionem ullam lædens, *Indicat* sui *Diminutionem*, quò præveniatur Malum aliàs facilè futurum, Preserveturque homo ab ipso.

Eductione minuenda et quidem per Alvum.

XXI. Quod de Bile dictum, magis adhuc dicendum de Pituita, *Ipsam Eductione Minuendam*, itidem *deorsùm per Alvum*, neutiquam sursum per Vomitum; cùm ad Motum segnior sit Bile, ideòque difficiliùs expelli queat sursum; nisi in facillimè Vomentibus.

Succus Pancreaticus abundans quid indicet. Educendus per Alvum. Priùs tamē præparādus. Et quomodo. Ejus Constitutio naturalis & præternaturalis.

XXII. *Succus Pancreaticus* in Corpore *Abundantior*, *Indicat* itidem sui *Diminutionem*, & quidem per Alvum: ubi ampliùs notandum, cùm sit is natura sua subacidus, Bonum esse, si priùs tantillum ad Eductionem faciliorem præparetur, ipsius Aciditatem amplius Temperando, & quodammodò concentrando, quod felicissimè fit per Salia Volatilia, usurpatis postmodùm Hydragogis, cùm per se sit Humor satis tenuis, limpidus & subacidus, adeòque ad seri Consistentiam proximè accedens: quamvis præter naturam fiat subinde Glutinosus, ad Pituitæ naturam tunc magis degenerans.

Lympha indicare sui Diminutionē Per Alvum, Urinas, & Sudorem.

XXIII. Hæc omnia imprimis vera sunt de *Lympha*, quæ in Corpore *Abundantior* videtur mihi augere Sanguinis serum, atque *Indicare* similiter *sui Diminutione*, tum per *Alvum*, tum per *Urinas*, tum per *Sudores*: omnibus namque hisce viis Educitur & Minuitur felicissimè, & facillimè.

Seminis Abundātia, Indicat Diminutionē. Diversā in Vegetis, quā Frigidiorib. Veneris Usū facere ad Seminis generationem.

XXIV. *Semnis Abundaatia* Indicat sui *Diminutionem* modo legitimo, ne nimirum cumulatum corrumpatur & graves noxas homini afferat: quod præsertim locum habet in Personis Vegetis, ac Venereis: Cæteri frigidiores lentè possunt festinare; nec facilè noxam magnam metuent sibi à semine; quod nisi usu legitimo effundatur in talibus, minùs quoque producetur, cum præter constitutionem masculam & vegetam, non parum ad *Seminis generationem* faciat *Veneris Usus*, seminisque Effusio, sed moderata, & cujusque robori accommodata.

Lactis Abundantia indicat sui diminutionem & quidem Suctu.

XXV. *Lactis Abundaatia* plures noxas minans, & *sui Diminutionem Indicans*, nunquam Minuitur feliciùs, & aptiùs, quàm Infantium aliorumve suctu; cujus loco ipsæ fœminæ possunt sibi per vasa vitrea papillas excipientia & claudentia exsugere Lac.

Spiritus Animales abundantes indicant sui diminutionē quasi Meditatione et Exercitio.

XXVI. *Spiritus Animales* in Homine *Abundantiores*, sicut *Indicant sui Diminutionem*, ita nullo modo Minuuntur aptiùs & utiliùs quàm multa & profunda & *Seria Meditatione*, qua copiosi exhauriuntur Spiritus, & longè plures, quàm ullo vehemente Corporis *Exercitio*.

Pars malè constituta

XXVII. Quoties metus est, ne *Pars* aliqua propter Aeris, Pluviæ, Ventorum, Aquarum, Pavimentorum, similiumve Rerum injuriam, Constitutionem talem nacta sit, propter quam, licèt nulla notetur adhuc Actio læsa, Dolores solito graviores patiatur à Febre quacunque, aliave Causa Externa, aut idem jam contigit; danda est opera, ut in tempore Constitutio illa per Contrariam rem Mutetur ac Corrigatur. Id enim ab Ipsa *Indicatur*, ut illud *Caveatur*: quod imprimis habet locum in *præveniendа Arthritide*.

quid indicet

Arthritis quomodo præveniatur.

CAPUT XVI.

De Indicatione Urgente, quibusdam Mitigatoria dicta.

I. POstquam de Curatoria, quæ à Morbo, ac de Præservatoria *Indicatione*, quæ à Causa Antecedente solet peti, egimus; proximum est, ut nunc de Urgente, quam Mitigatoriam vocarunt alii, agamus, quam à Symptomatibus Urgentibus deducendam docent.

A quibus Symptomatibus petendæ sint Indicationes Mitigatoriæ.

II. Notandum autem sublatis Morbis sponte cessare aut cedere Symptomata: unde facilè patet non à quibusvis, ac levioribus, sed gravioribus duntaxat, & ideò *urgentibus Symptomatis* peti *Indicationes*, quibus in specie facienda Medicina.

Quatenus urgeāt Symptomata.

Prostratis Viribus frustra quæritur Remedium.

III. Hactenus aut *Urgent* illa *Symptomata*, quatenus *Vires Ægrorum valdè dejiciunt*, sive sint Animales Vires, sive Vitales; *quibus prostratis* ac pereuntibus *frustrà quæritur*, applicaturque *remedium* Morbi, unde non rarò *pereunt Ægri priùs*, *quàm Morbi tollantur*.

Vires conservandæ, neglectis ad tempus morbis primariis.

IV. Ne proinde prosternantur nimirùm Vires, succurrendum illis *Symptomatibus Vires valdè dejicientibus*, etiam *neglectis* nonnunquam ad tempus *Morbis primariis*; donec restitutis, vel saltem roboratis aliquantùm Viribus liceat Morbo primario mederi, atque tunc ipsum curare.

Vires Vitales et Animales.

V. Dixi illa duntaxat Symptomata urgere, quæ *vires* valdè dejiciunt, aut *Vitales*, aut *Animales*.

Vitales à quibus constituantur.

VI. *Vires Vitales* Constituunt 1. *Sanguis*. 2. *Humores* omnes ad Sanguinis Constitutionem Concurrentes, *Bilis*, *Lympha*, (ad quam refero *Humorem Triumviralem*, utut displiceat rerum Anatomicarum & Chymicarum imperitis hoc nomen) atque *Chylus*.

Animales à quibus.

VII. *Vires* vero *Animales* constituunt *Spiritus Animales*.

Quando Vires pereunt.

VIII. Quoties autem *horum Unus* vel *Plures* pereunt, toties *Vires alterutræ*, aut utræque simul *pereunt*.

Quando pereat Sāguis.

IX. *sanguis* perit propter *Hæmorrhagiam* qualencumque, Sponte, Arte, aut Fortuitò contingentem.

Quando Bilis.

X. *Bilis perit* ejus *Effusione* tam Sursùm; quàm Deorsum.

Quando Lympha.

XI. *Lympha perire* potest tam *Vomitu*, & *secessu*, quàm *sudore* ac per *Urinas*, & forsan quoque *Salivatione*.

Quando Humor Triumviralis.

XII. *Humor Triumvitalis* potest imprimis *perire Vomitu* ac *secessu*.

Chyli Defectus Unde.

XIII. *Chyli defectus* est ob *Inediam* vel *Alimentorum Excretionem sursùm* vel, *deorsùm*, ut & *Fluxum Cœliacum utrumque*, tam *Ictericium*, quàm *Chylosum*.

Quot modis pereant Spiritus Animales.

XIV. *Spiritus Animales pereunt*. 1. *Vigiliis perseverantibus*. 2. *Doloribus atrocibus*. 3. *Inquietudine atque Agitatione Corporis continuante*. 4. *Animæ vexatione qualicunque*.

Non tantùm Symptomatibus, sed eorum Causæ proximæ remedium adferri.

XV. Si quis autem ritè totum quod nunc tractamus, negotium, attenta mente consideraverit, & quomodo in Symptomatum Urgentium medicatione procedant Medici, facilè comperiet non simpliciter & tantùm illis *Symptomatibus*, *qua talibus*, *remedium ipsos afferre*, *virium ipsorum quoque Causæ proximæ & continenti*; quamvis illa non semper sit Morbus primarius quò tenetur Æger, pendeat licet aliquando ab illo morbo; quod exemplo fiet magis manifestum.

Hæmorrhagia larga Fe-

XVI. Superveniat exempli gratia Ægro *Febre ardente* laboranti *Hæmorrhagia*, non mediocris

Iri ardenti super veniens unde oriatur.

& critica, quæ ipsum levet, aut curet; sed Symptomatica & larga, quæ ipsum valdè debilitet, quin in Vitæ discrimen coniiciat, perseverante ipsa Febre. Tunc certè illa Hæmorrhagia ortum habebit *à Bile valde acri* Febrem ardentem quidem producente ac fovente; sed insuper *Sanguinem* admodum *attenuante* ac dissolvente, adeò *ut viam quærat & inveniat in Vasis ad Nares tendentibus*, ibidemque facilè patentibus; vel in *Utero*, vel in *Hæmorrhoidibus*, vel in *Renibus*, vel *alibi*: undè Sanguis copiosè effluens Vires Vitales extremè debilitat & in præsens vitæ discrimen coniicit Ægrum, adeò ut nisi brevi compescatur Sanguinis effluxus, moriendum sit Ægro.

& quomodo fiat.

Curam requirit neglecta tantillum ipsa Febre.

XVII. In tali Ægro quamvis Affectus primarius sit Febris Ardens à Bile Acriore producta; producitur tamen ab eadem quoque notata Hæmorrhagia extremè periculosa, & ad *sui medelam Medicum vocans* & urgens, licèt *neglecta tantillùm ipsa Febre*.

Indicat sui suppressionem: Qua dupliciter obtineatur.

XVIII. *Hæmorrhagia* verò illa periculosa *Indicat sui suppressionem*. *Suppressio* autem illa *obtinetur* partim *Coagulando Sanguinem*, ubi effluit, quò reliquo affluenti non pateat ampliùs exitus; partim *Temperando Acrimoniam Bilis* Sanguinem nimiùm attenuantis, quò minùs aptus sit ad fluxum, & hinc & effluxum.

In ejus curu sanguis coagulandus & Bilis acrior temperanda.

XIX. Causa ergo Hæmorrhagiæ est Sanguis tenuior & minùs consistens; hujus Bilis Acrior. Docuimus autem in superioribus & Sanguinis Consistentiam diminutam, & Bilis Acrimoniam auctam, Morbos esse: Dum igitur ad Hæmorrhagiam curandam usurpo remedia & Sanguinem Coagulantia, & Bilem Acriorem Temperantia, reverà Morbos curo, non Symptomata; quamvis tunc non instituto Curare in specie ipsam Febrem Ardentem, Primarium Morbum, sed illi copulatum, imo ejus Causam, & majus vitæ periculum producentem. Curo igitur *Bilem Acriorem, non quà Febrem*, sed *quà Hæmorrhagiam producentem*.

Dolorem esse Febris ardentis Symptoma, & qua ratione.

XX. Sic quoad Dolorem qualemcunque Atrocem, atque Vires Animales primò, hinc & Vitales consumentem; *Dolor* quidem est *Symptoma* exempli gratia itidem *Ardentis Febris*, sed non Febris, quà Febris, sed *quatenus ab Humore valde Acri productæ*, atque hujus quoque ratione Dolorem in variis Partibus producentis.

Dolor Capitis vehemens quid indicet.

XXI. Quatenus autem à Dolore Capitis, puta vehementi Animales Spiritus exhauriuntur, ideoque summopere debilitatur Æger, unde non rarò Delirium, hinc & Mors sequitur aliquando; ab *illo Dolore Urgente Indicatio petitur Dolorem Mitigans*.

Quomodo mitigatur.

XXII. *Mitigabitur autem Dolor Medicamentis Humorem, Halitumve Acrem, Doloris causam, lenientibus*, demulcentibus, temperantibusque.

Curato morbo à quo oritur, curatur dolor.

XXIII. Humor verò, Halitusve Acer nobis habetur pro Morbo. *Curatur ergo Dolor, curato Morbo*, à quo habet ortum: licèt non curato semper simul Morbo, vel affectu primario, Febre.

Rectè sub initium Ægris exhiberi Anodyna.

XXIV. Quisquis hæc à me dicta ritè consideraverit, facilè claudet Os ineptis Medicis Me, aliosque imperitè culpantibus; ac si *præter Methodi Medendi leges ac præcepta exhiberemus mox in Curæ initio Ægris Medicamenta Dolores, aliaque Symptomata Mitigantia*,

Rarissime Ægros uno tantum laborare morbo.

XXV. Non considerant namque *rarò*, *imò rarissimè uno tantùm affici Ægros affectu vel morbo*, sed plerumque multis, & quandoque multiplicibus; quamvis *unus* haberi possit *omnium primarius*, à quo denominationem habere potest Affectus sæpissimè complicatus.

Unus tamè est primarius Qui curandus, non neglectis reliquis. Morbi secundarii cura aliquando est via ad curationem primarii,

XXVI. Dum ergo sæpè multis morbis ab eadem causa pendentibus, vel multiplicibus à diversis causis ortum habentibus laborat idem Æger, bonum est ita singulos considerare, ut quamvis *Curetur primarius, non negliguntur tamen in Cura reliqui*, & imprimis quando ipsorum Curatione promovetur primarii Curatio, adeò ut non rarò *Affectus levioris Curatio sit præparatio, & via ad primarii Curationem.*

In Febre ardenti urgere sitim, Capitis dolorem, vigilias, Delirium, inquietudinē, &c.

XXVII. Exemplo res fiet iterum manifestior. Vocetur Medicus ad *Ægrum Febre ardente laborantem*, in quo præter *Ardorem urgeat Sitis, Capitis Dolor, Vigilia, mox & Delirium, Inquietudo*, & quæ solent tunc simul observari.

Febris ardentis causa Bilis.

XXVIII. *Febris ortum* habet à *Bile* Æstate post intensum Solis æstum acri facta, inque Sanguinem effusa.

Quæ non potest educi ex sanguine nec ad temperiem reduci.

XXIX. Hæc *Bilis* quemadmodum *non potest mox educi e Sanguinis massa, vel ad temperiem laudatam reduci*, verum id paulatim expectandum beneficium: nonne utile, quin necessarium erit, quoties id potest obtineri, ut *Capitis Dolor minuatur, vel tollatur, Somnus exulans Concilietur, Delirium emendetur*, quamvis nondum possit tolli Febris?

Utile capitis dolorē minui, somnū cōciliari, deliriū emendari, &c.

Quibus id Medicamentis obtineatur.

Anodynis & Narcoticis Febris ardentis curationē promoveri.

XXX. Hæc autem omnia obtinebuntur *Medicamentis Acrimoniam Bilis temperantibus*, adeòque *Anodynis* maximè, & *Narcoticis*: quæ cùm *promoveant* quoque *Febris Ardentis Curationem*, immeritò culpantur à rerum optimarum ignaris, & magno Ægrorum damno negliguntur ab imperitis, utut ætate sua & multorum annorum praxi, sed infeliciter ferè instituta gloriantibus Medicis: hoc est, Senibus magis, quàm peritis. Peritia siquidem non tam multorum annorum seriè, quàm multarum rerum usu comparatur.

CAPUT XVII.

De Indicatione Vitali.

Unde petatur Indicatio; vitales Vires duplices.

I. QUæ vulgò vocatur *Indicatio Vitalis*, ea dicitur à *Viribus peti*.

II. *Vires* sicut nuper dictum, observamus & agnoscimus *duplices*, *Vitales sive Naturales*, & *Animales*.

Quænam pertineāt ad Vires vitales Quanā ad Animales.

III. Ad *Vitales Vires* diximus pertinere tum *Sanguinem*, tum *Humores omnes ad Ipsius constitutionem occurrentes*, *Bilem*, *Lympham*, *Humorem Triumviralem*, Ipsumque adeò *Chylum*: sicut ad *Vires Animales*, *Spiritus Animales* dictos; Vitalem namque, aut Naturalem, nullum observamus, nullum proinde admittimus.

Quatenus in Indicatione præservatoria, & quatenus hic vires considerandæ.

IV. Ubi nuper egimus de Indicatione Urgente, harum quoque Virium utrarumque fecimus mentionem, sed quatenus tunc *præveniamus Illarum deperditionem, atque Jacturam*: hic consideramus easdem, quatenus sunt *Conservandæ & Augendæ*.

Quænam remedia ibi, & quænam hic locum habeant.

V. Ibi proposuimus *Remedia ipsarum defectus causæ accommodata*, hic proponemus *Auxilia ipsarum reparationi materiam subministrantia*.

Quare vires in Ægris æque ac in Sanis conservandæ.

VI. Utique cùm vita nostra & ad suum esse, & ad suum bene esse à dictis utrisque pendeat Viribus, meritò sunt ipsæ in Medicina spectandæ, ac in *Ægris æque atque Sanis conservandæ*.

In Sanis quorum respectu & quomodo vires conservandæ.

VII. In statu quidem Sano sunt quoque conservandæ Vires, ast ita, ut & *omnium & singularum* simul habeatur *ratio*, quoniam omnes ac singulæ continuò ratione Functionum omnium consumuntur, ideoque sui Reparatione indigent continua, quæ fit *convenientium alimentorum*, cuivis ætati, sexui, ac Vitæ Generi accommodatorum, *assumptione*,

In Ægris quomodo.

VIII. In *statu autem morboso* ac præternaturali, quoniam non ex æquo consumuntur vires singulæ, verùm in quibusdam hæ, in aliis aliæ, *non possunt* ipsæ semper *solis Alimentis propriè dictis reparari*, quin opus est sæpiùs *alimentis medicamentosis vocatis*.

Effusa Bile quodnam Alimentum requirat.

IX. Quoties namque *effusa est magna copia Bilis*, atque ipsius proinde adest in Corpore Ægri Defectus, toties tale *indicatur Alimentum*, quod in specie Bili producendæ est maximè aptum, *Aromaticum* puta, & imprimis *Amaricans*, quale plures nobis præbent Plantæ, multis etiam sanis gratæ, sive in Potu, sive in Cibo usurpentur, Absinthium puta, Abrotanum, Salvia, Majorana, Tanacetum, Ruta Hortensis, Matricaria,

Planta quænā Aromatica et Amaricantes,

Beto-

Betonica, Melissa, &c. ex quibus non rarò Placentæ parantur, aut Vina medicata. Quæ quoniam sunt sapore acriore, inter Condimenta ferè referuntur.

Condimenta inservire Humoribus temperandis.

X. Et certè *Condimenta* omnia, si ritè considerentur, quemadmodùm Sapore sunt valdè diversa, ita *inserviunt variis Humoribus nostris reparandis*.

Aromatica & Amaricantia Bilē, Acida verò Succū Pācreaticū & Lymphā reparare.

XI. Nam sicut *Aromatica* omnia, & imprimis, potentiùsque *Amaricantia Bilem reparant* & augent in nobis, ita omnia *Acida*, eòque vergentia reparant *Succum Pancreaticum & Lympham*.

Humorum sapores noscendi.

Alimenta qua ratione Medicamēta & Venena dicantur.

XII. Unde bonum est nosse, *quales* sint etiam *ratione Saporis Humores* in corpore nostro reperti, quò queamus singulis deficientibus reparandis & augendis convenientia invenire & usurpare auxilia & alimenta, quæ ratione saporis excellentioris vocantur *Medicamentosa*, & quoniam simul alterant & mutant Corpus nostrum, si aliquantò majore sumantur quantitate, aut puriora: quæ tunc etiam haberi possunt pro *Medicamentis*, quamdiu nempe mutationem afferunt nobis utilem; sicut censenda sunt *Venena*, ubi mutationem afferunt noxiam, & corpus destruunt.

Sanguis deficiens quid indicet, et quibus reparetur Quandò alimenta Chylū bonū suppeditent.

XIII. *Sanguis* certè si *deficiat in Ægris, indicat sui reparationem per alimenta multùm blanda, & Chylum similem promentia*; qualia sunt Panis triticeus ritè fermentatus, Carnes Juniorum Animalium, & parata ex ipsis Juscula, Ova recentia, Lac dulce, Cerevisia ritè cocta & fermentata.

Bilis deficiens quid indicet, & quibus reparetur.

XIV. Ubi verò *Bilis deficit*, docuimus eam similiter *indicare sui reparationem* per *alimenta magis Aromatica & Amaricantia*: quò refero *Salia Volatilia*, quæ observavi plurimùm facere ad Bilis laudabilis generationem & augmentum.

Lympha, & Succus Pācreaticus quid indicent: qui reparentur.

XV. Ubi *Lymphæ, Succique Pancreatici adest in Ægris defectus, indicatur* quoque *ipsorum reparatio, sed per Alimenta vel Condimenta subacida*, Acetum, Mala Citria, Aurea, Ribesia, Berberorum fructus, & similia.

Saliva & Pituita quid indicent, & qui reparentur.

XVI. Ubi *Salivæ, hinc & Pituitæ* observatur in *Ægris Defectus*, eadem *reparanda & augenda usu aucto Alimentorum magis viscidiorum*, Piscium Jusculorum ex capitibus præsertim & pedibus animalium terrenorum paratorum, Ostreorum, &c.

Humor Triumviralis ex quibus cōponatur, & si deficiat quid indicet, quibusque reparetur.

XVII. Ubi *Humor Triumviralis* creditur deficere, cùm ex *Saliva sive Pituita inducta, Bile, Succoque Pancreatico* simul concurrentibus habeat ortum, *Condimenta indicabuntur tunc magis composita & mixta*, qualia sunt Sinapi, & Raphanus Rusticanus cum aceto parata, Cappares, Genistæ, atque Sambuci flores nondum explicati, & cum aceto conditi, & similia ex India utraque ad nos deferri solita, atque ex variis plantarum aromaticarum partibus cum aceto præparata.

Planta aceto condienda.

XVIII. Sic posset ad illorum imitationem in hisce quoque locis plurium Plantarum radices, caules, folia, flores, semina, fructus, aceto condiri & utiliter usurpari.

Ex quibus Chylus paretur.

XIX. *Chylus* præparatur, paratur, & reparatur ex *alimentis facilis fermentationis, & multi succi*, de quibus jam egimus, ubi de Sanguinis defectu sumus modò loquuti.

Spiritus Animales deficientes quid indicēt, & quibus reparentur.

XX. *Spiritus Animales* in Ægris propter Vigilias, Dolores Corporis, Animive Inquietudinem ac vexationem *Deficientes indicant* itidem sui *Reparationem*, quæ facillimè ac fœlicissimè contingit usu moderato & continuato *alimenti multùm spirituosi*, quale vinum quodvis Generosum, & imprimis ejus Spiritus rectificatus, sed minima quantitate sæpiùs usurpatus.

Non confundenda Humorū desideratorum reparatio cum eorundē Obtusorum Emēdatione.

XXI. Atque sic paucis & in compendio dedimus illa, quæ faciunt ad Indicationem Vitalem ritè cognoscendam, & in usum revocandam. Ubi notandum, non Confundendam simul *Humorum* memoratorum *Desideratorum reparationem*, quæ huc spectat, cum Eorundem *Obtusorum ac Inertium Emendatione*, quæ ad indicationem Curatoriam referenda: quamvis & ad hanc quoque reduci queat *Eorum Defectus*. Possunt enim Copia excedere, aut deficere, uti superiùs dictum.

FINIS LIBRI PRIMI.



FRANCISCI DELEBOE SYLVII DE METHODO MEDENDI LIBER SECUNDUS. QUI

De Materia, & Forma Remediorum Tractat.

CAPUT PRIMUM,

De Materia & Forma Remediorum in genere.

Primaria Methodi Pars Indicatio Curatoria.

I.  Quicunque attentus fuit dum de Medendi Methodo hactenus egi, in legendo, is facilè potuit observare *primariam* & amplissimam ejus partem *Indicationi Curatoriæ* deberi.

Eandem Indicationi Urgenti servire.

II. Quin *eadem Indicationi Urgenti servire* docui, quatenus ejus ope Urgentia Mitigantur, vel in totum Tolluntur Symptomata, sicque Conservatis Viribus valde pereuntibus, vita quoque Conservatur, sine qua Curari nequit Affectus primarius.

In quavis Indicatione Remedium non verò Remedii Materiam & Formam indicari.

III. Quoniam verò *in quavis Indicationem*, Auxilium quidem ac *Remedium Indicatur*, *non item Materia & Forma Remedii*: ne continuò idem diceretur, Consultum duxi, post examinatas ordine, licèt in compendio, varias Indicationum species paucis quoque de Materia & Forma Remediorum sive Indicatorum tractare.

Remedia esse Materialia & Spiritualia.

IV. *Remedia* verò alia sunt *Materialia* sive Corporea, alia *Spiritualia* & Discursus, sive Rationes, atque Ratiocinationes; quibus Anima, sive Mens Ægra corrigitur aut erigitur, sicut *Corporeis atque Materialibus emendatur Corpus utrumque, continens sive consistens, atque contentum sive fluidum.*

Spiritualia quanam. Materialia quanam. Ea esse usitatiora.

V. Cùm Remedia Materialia sint *usitatiora*, de illis agemus priùs.

Unde petantur.

VI. *Petuntur* autem illa *Remedia* partim è *Cœlo*, partim ex *Aere*, partim ex *Aqua*, partim è *Terra*, non tanquam ex quatuor *Elementis*, verùm tanquam ex quatuor *Matricibus*, ut loqui amant plures Chymici, vel *Receptaculis*, è quibus promere solemus Remediorum variorum Materiam.

Quanam è Cœlo petantur.

VII. E *Cœlo* namque *Solares* saltem *Radii* ad nos pertingunt, magnam in nobis mutationem producentes: quibus etiam utimur in facienda Medicina.

Quanam ex Aere.

VIII. Ex *Aere* habemus *Pluviam*, *Nivem*, *Grandinem*, *Rorem*, *Ventos*, & longè plura, quibus itidem utimur non rarò in Ægrorum curatione, si non omnibus, saltem plerisque.

IX. Ex *Aquis* non tantùm *Pisces* omnis generis capimus, sed *Coralia* quoque, *Margaritas*, *Conchas*, &c. quibus similiter utuntur Medici in Ægrorum suorum Curatione.

Quanam in Terra & in quot Classes dividantur.

X. In *Terris* & supra *Terram* inveniuntur pleraque non tantùm Vitæ nostræ sustentandæ utilia, atque necessaria, verùm Morbis quoque Curandis Convenientia; quæ vulgò in tres solent dispesci Classes, *Animalium*, *Vegetabilium* & *Mtacralium*.

Ex iis omnibus peti

XI. Ex hisce omnibus tum *Alimenta* petuntur, & Sanguini blandiori, & cæteris Humoribus, ut & Animalibus Spiritibus à mediocritate illa nominhil recedentibus ac deficientibus reparandis convenientia; tum *Medicamenta* notabilibus in Corpore Mutationibus producendis apta.

Alimenta & Medicamenta.

XII. Quæ ad Alimenta spectant, ea ex iis, quæ nuper de Indicatione Vitali docuimus, facilè poterunt peti.

Medicamentorum distinctio.

XIII. *Medicamenta* vulgò, nec malè distinguuntur in *Alteraatia*, & *Vacuantia*. Cùm etiam quadrent iis, quæ suprà in Morborum examine, adeóque Indicatione Curatoria, hinc & Præservatoria Urgenteque proposuimus.

XIV. Ubi quoniam Indicata præsertim spectavimus, nunc ex professo de ipsorum Materia & Forma diversa nonnulla proponemus.

Morbos omnes reductos esse ad Corporis qualitates sensiles.

XV. Ut autem omnia brevioribus comprehendamus, considerandum: Nos omnes *Morbos Corporis* Utriusque redegisse *ad Ipsorum Qualitates sensiles* tam proprias, quàm communes à statu naturali, adeòque Mediocritate ad Hominis Sanitatem requisita recedentes, secundùm quarum Mutationem, adeòque Indicationem, Indicatorum Materiam proponemus.

Qualitatum sensilium Propriarum Species sex.

XVI. *Qualitatum sensilium propriarum* pro Sensuum Externorum Senario à nobis constituto *Sex* Constituimus *species*. Et 1. quidem ratione *Visus*, *Colores*, ut & *Pellaciditatem*, & *Opacitatem*, 2. ratione *Auditus*. *Sonos*. 3. ratione *Olfactus*, *Odores*. 4. ratione *Gustus*, *Sapores*. 5. ratione *Tactus*, *Duritiem ac Mollitiem*. 6. ratione *Sensus Caloris*, *Calorem ac Frigus*.

Qualitatum sensilium communium species decem.

XVII. *Qualitatum* verò *Sensilium Communium*, prout in Partibus Consistentibus, vel Fluidis occurrunt, *species* constituimus *Decem*. Quarum 1. *Numerum* continet, in solis partibus Consistentibus spectabilem. 2. *Magnitudiaem* in iisdem Partibus Consistentibus, uti *Copiam* in Fluidis notabilem. 3. *Figuram* in solis Partibus Consistentibus reperibilem. 4. *Continuitatem*, aut *Secretionem* itidem in Partibus Consistentibus dumtaxat occurrentem. 5. *Coanexionem* in iisdem tantùm notabilem. 6. *Locum & situm* Partibus utrisque competentem. 7. *Soliditatem* & *Fistulositatem* in Solis Partibus Consistentibus observabilem. 8. *Motum* utrisque partibus contingentem. 9. *Tempus Motus* quibusdam Partibus Fluidis peculiare. 10. *Consistentiam* & *Fluiditatem* reciprocè mutabilem.

Morborum corporis summa genera decem.

XVIII. Adeò ut ad *sexdecim summa Genera* omnes Corporis *Morbi* queant commodè revocari.

Unde Indicationes petantur.

XIX. Docuimus in superioribus *Indicationes* in Methodo Medendi *peti* ab iis omnibus, quæ in Ægris aut *secundùm*, *aut præter naturam* concurrunt ad Functionem quamvis efficiendam, aut lædendam, sive illa Homini inexistant, sive extra eundem reperiantur.

Remediorum genera esse triplicia.

XX. Ut autem Quadruplicibus indicationibus magis speciatim à nobis consideratis, Vitali, Præservatoriæ, Curatoriæ, atque Mitigatoriæ sive Urgen-

Respectu fontis unde hauriantur.

Urgenti satis faciamus, *triplici Remediorum genere;* uti solemus, *Diætetico, Pharmaceutico, & Chirurgico:* cùm hoc ex triplici fonte hauriantur omnia nostra Remedia, quæ nuper aliter quoque consideravimus.

Et respectu modi operãdi.

XXI. Horum omnium Remediorum materiam ut faciliùs assequamur, quod nuper cœpimus dicere, nunc clariùs ac distinctiùs proponemus: si nimirum *Remediorum operandi modum* spectemus in Corporeis vitiis superandis *triplicia* ferè observabimus *Remediorum genera*: & 1. quidem *Defectum* 2. *Redundantiam Dementium*, quorum quædam *Suppleatium* & Restaurantium, Reparantiumque. Conteota evacuant; quædam Continentia vel Consistentia dividunt ac secant, vel rodunt & consumunt. 3. *Reliquam Mutationem multifariam Alterantium ac Corrigeatium.*

1. Defectũ supplentia. 2. Redundantiam dementia. 3. Alterãtia & corrigentia.

CAPUT II.

De Supplentibus defectum.

Defectum supplentiũ materia.

I. D*Eficientia in Ægris* quæ *supplent*, tum ex *Alimentis, & Condimentis*, tum ex *Aere* petuntur; adeò ut hæc sit eorum *Materia*.

Pro deficientiam diversitate diversa esse remedia.

II. Pro *diversitate* autem *Deficientium*, Saoguinis, Bilis, Salivæ atque Pituitæ, Succi Pancreatici, Lymphæ, Seminis, Lactis; Animaliumque Spititum, usurpanda erunt Alimenta vel Condimenta diversa, sicut docuimus nuperrimè.

Partes consistẽtes si deficiant quanã et quomodo reparentur.

III. Ubi *Partes Contiaentes*, ac *Consistentes* in totum deficiunt, Dentes puta, in Junioribus quidem solent illi ut plurimùm sponte iterum excrescere, non item in Adultis: Ossa alia integra, vel Musculi non solent ulli denuò excrescere: Ubi autem eorum pars aliqua dumtaxat periit, solet quidem Ossis loco Callus excrescere, & subinde nova Caro regenerari, & sic porrò; dummodo Externæ noxæ, Aeris præsertim, caveantur, & Sanguinis puritas conservetur, aut præstetur,

CAPUT III.

De Evacuantibus Sanguinem, Menses, & Lochia.

Evacuantia duplicia Pharmaceutica et Chirurgica.

I. R*Edundantia in Ægris* quæ Demnot ac Tollunt diximus esse ratione Partium Contentarum & Fluidarum *Evacuantia* dicta: quorum alia sunt *Pharmaceutica*, alia *Chirurgica*.

Sanguinẽ tollifere Instramentis Chirurgici.

II. Primò, *Sanguinem* quidem, excepto Menstruo & Lochiorum, sola ferè videntur tollere *Instrumenta Chirurgica*, quæ Vasa ejus, Venas & Arterias pungendo, aut secando aperiunt, Sanguinique effluxuro viam aperiunt.

Vena sectio. Scarificatio. Hirudines.

III. Huc spectant non tantùm *Venæsectio* dicta, verùm *Scarificationis* quoque cum vel sine Cucurbitulis: ut & *Hirudines*.

Sanguis è naribus elicitur Pharmaceuticis.

IV. Ad *Sanguinem e Naribus eliciendum usurpantur quandoque Auxilia Pharmaceutica*, asperitate sua & duritie acuminata Venas in Naribus capillares aperientia; quò referri debet *Millefolium*, si naribus indatur, mox exteroè nares premantur ac fricentur, unde multis solet elici satis facilè Saoguis satis copiosus.

Millefoliũ è naribus sanguinem elicere.

Sanguis mẽstruus et Lochia evacuãtur Medicamentis.

V. Sed quoad *Sanguinem Menstruum & Lochiorum* io Corpore subsistentem, faciliùs, certiùsque ad Effusionem ac Diminutionem movent *Medicamenta*, quàm Instrumenta Chirurgica.

Nequaquã Instrumentis Chirurgicis.

VI. Nam in Utero Vas nullum potest tutò quovis Instrumento Chirurgico aperiri, ut per ipsum educatur Mensium vel Lochiorum Sanguis.

Aperta vena id non semper præstari.

VII. Sed nec in pede aut brachio *aperta vena id certò præstat; sed subinde tantum, ac per accidens; imò fortuitò*: nam longè sæpius nil hac via proficitur, quàm ut alteruter fluxus promoveatur, aut excitetur.

Sed certiùs et faciliùs Medicamentis.

VIII. *Medicamentorum autem convenientium ope id faciliùs, certiùsque obtinetur*, noo quidem semper immediatè, ast *mediate: correcta utriusve Deleboe Opera*.

supressi fluxus Caussa remotiore, Obstructione puta Ductuum à Pituita ipsis inhærente, ipsosque Opplente.

convenientibus, et quomodo.

IX. Eorum autem *Materia* consistit in *Plantis omnibus Aromaticis, & blandè Acribus*, ut & *omni Sale Volatili:* quod id citiùs præstat, *si externè* in vase conveniente *applicetur Uteri Orificio* exteriori; unde assurget spiritus salinus sat subitò vias obstructas reserans & Sanguinis subsistenti exitum parens.

Eorũ Materia unde petenda, et quomodo applicanda.

CAPUT IV.

De Cholagogis.

Cholagoga duplicia.

I. S*Ecundò, Bilem Redundantem evacuant & minuunt Cholagoga* dicta, tum per *Vomitum*, tum per *Secessum* ipsam Educentia.

Hæc unde Bilẽ evacuent.

II. Sed *Bilem* evacuant *in suo præsertim folliculo collectam;* licèt putem illam quoque, quæ *recta tendit ad intestinum*, similiter sic evacuari.

Bilis evacuatio per Alvũ naturalis, per Vomitũ præternaturalis.

III. *Facilior* autem *tutiorque Bilis Evacuatio est per Alvum*, cùm via illa sit *naturalis*; sursum verò ac per *vomitum præternaturalis*. Voluit enim Deus Ore assumi alimenta, hinc per gulam depelli ac Ventriculum, ut in eo fermenteotur ac iterum deorsum ad Iotestina propellantur; in quibus postquam secreta est in lacteas venas colata pars utilis, Chylus dicta, reliquiæ ac fæces paulatim deorsum propulsæ tandem excludantur per Anum.

Assumptorũ Naturalis Motus. Eorundẽ Motus præternaturalis ut et cæterorũ Humorũ. Qui motus quomodo fiat.

IV. Violenta proinde ac inversa, adeòque perversa, ac *præternaturalis* est *Assumptorum regurgitatio* sursum, ut & cæterorum Humorum ad tenue Intestinum exoneratorum, Bilis, succique Pancreatici Propulsio ad Ventriculum, quæ nunquam contingit nisi propter Intestini tenuis *Motum peristalticum* supernè deorsum tendentem *inversum* ac infernè sursum perperam factum, & contenta sub eò adigentem; unde in consensum tractus Ventriculus patitur similiter motum inversum è pyloro versus orificium superius ad œsophagum & os.

Vomitus præternaturalis.

V. Quamvis autem *Vomitus semper* est *præternaturalis*, & ideò nunquam contingit nisi in statu præternaturali, vel à caussa præternaturali, motuque adeò inverso Veotriculi; solet tamen nonnunquam esse *utilis*, tum *sponte factus*, adeòque *Criticus*, tum *Artefactus*, & *Artificialis*: quemadmodum *noxius* esse solet tum *Symptomaticus*, ab Humoribus ipsis cum Ægri detrimento excitatus, tum *imperite, aut imprudenter* per assumpta *nimius*, aut aliàs *violentus* factus.

Quando utilis. Quando noxius.

Bilis rectè deorsũ, malè sursum effunditur.

VI. Quoties autem *Bilis* potest cum Ægri *commodo deorsùm* expelli, *malè* videtur illa mihi *sursùm effundi*.

VII. Incipiemus proinde à Cholagogorum Bilem deosùm evacuantium materia.

Cholagoga duplicia.

VIII. Distingnuntur autem illa io *blandiora*, sive *mitiora* & *potentiora*; quorum illa *majore*, hæc *minores* solent *exhiberi quantitate*: quamvis hæc quoad operationem sint quandoque non minùs blaoda, quàm illa: quod de *Scammonio* verissimum esse. quicquid garriant imperiti, testatur ubique Medicorum peritiorum experientia quotidiana. Ego certè post alios multos aliquot millenis vicibus eo sum usus, sed semper cum successu optimo, & operatione blanda.

Scãmoniũ blandè purgare.

Cholagoga mitiora.

IX. Inter *Cholagoga Mitiora*, quæque majori quantitate possunt exhiberi, numerantur *Manna, Cassia, Tamarindi, Rosarum pallidarum, & Violarum Succus, Persicorumque flores, Myrobalani Citrinæ, Rhabarbarum & Aloe*: uti inter *potentiora Scammonium & Asarum*, & si quæ sunt plura.

Potentiora. Mannæ dosis et vires.

X. *Manna* quidem exhibetur ab *unc.* j. ad *unc.* ij. & *unc.* iij. est blandum Medicamentum, quod oon tantùm Bilem, verùm Pituitam quoque purgare, atque per Alvum evacuare solet.

Quomodis queat exhiberi.

XI. Hæc quoniam plerumque immunda & fæcibus plena occurrit, dissolvitur in Vino, Cerevisia, Jusculo, Aquave stillatitia fœniculi, meothæ, aliave simili, calefactis, mox per linteum colatur,

ut fæces à liquore mundo secedant, qui bauritur. Aliàs si mundior fuerit Infantibus & Pueris comedenda datur. Potest etiam Cerevisiæ cum pane coctæ sacchari loco addi, & sic exhiberi, si priùs io nodulo claudatur, ut fæces in eo remaneaot, & pars munda eliciatur.

Cassia duplex. Fistularis purgat, et qualis esse debeat.

XII. *Cassia* duplex usurpatur à Medicis, alia Fistularis, alia Lignea: inter Purgantia verò usurpatur *Fistularis*, quæ laudatur nuper extracta & subacida.

Ejus dosis, Quibus corrigatur. Quomodo exhibeatur.

XIII. Exhibetur ipsa ab ℥j. ad ℥ij. Quoniam verò flatibns facilè dat ansam, carminantia dicta simul usurpantur ad ejus correctiouem. Boli forma exhiberi potest, aut Potionis, si diluatur.

XIV. *Tamarindi* sunt Cassia longè acidiores, ideòque æstum simul temperant.

Tamarindorum vires. Dosis. Pulpa.

XV. Exhibentur etiam ab *unc.* j. ad *unc.* ij. & *unc.* iij.

XVI. Cùm fructus racemi conjunctio adsint, solet ab ipsis Tamarindorum *Pulpa* separari, & ad usum servari.

Quot modis exhibeatur.

XVII. Potest ipsa & Boli, & Potionis, & Conditi forma exhiberi.

Succi Rosar. et Violarum Usus. Syrupus Mel, et Conserva. Horū doses.

XVIII. *Succi Rosarum Pallidarum* frequeutior, ut & *Violarum* rarior *usus* est ab Bilem purgandam. Ex quibus paratur & Syrupus & Mel, & Conserva: Dosis autem Succi est *unc.* ij. at Syrupi, Mellis & Conservæ est *unc.* iij. ad *unc.* iv.

Quot modis exhibeatur. Medicamēta pauca quantitate assumenda præferri.

XIX. Possunt & Succus, & Syrupus, & Mel liquore grato dilui, & sic exhiberi. Quamvis non parùm molestum sit ægris tantam Medicamenti copiam simul ac semel assumere: quapropter à plerisque *præferuntur medicamenta*, quæ *minore quantitate* possunt usurpari.

Florū Persicorū usus.

XX. *Persicorum flores* in hisce regionibus rariores rariùs etiam *usurpantur*, nisi aliunde ad nos deferantur & imprimis in *Syrupum*, aut *Conservam* redacti.

XXI. Aliqnantò potentiores sunt floribus rosarum & violarum; quin facilè *vomitum* quoque cient, *aquasque* unà cum Bile educunt.

Syrupi et Conserva doses.

XXII. Syrupi quidem dosis est ad *unc.* iß. & *unc.* ij. Conservæ autem ad *unc.* j.

Myrobalanorum Citrinarum vires.

XXIII. *Myrobalani Citrinæ* laudantur, quòd levi adstrictione sint præditæ, ideòque simul roborent.

Dosis et qui exhibeatur.

XXIV. In substantia exhiberi solent ad ʒiß. & iij. in infusione ab *unc.* ß. ad *unc.* j.

Rhabarbari usus et vires.

XXV. Decantatissimum & vigilantissimum Cholagogum censetur *Rhabarbarum*, itidem blandè adstringens; ideoque in alvi fluxu quoque laudatum.

Dosis et qui exhibeatur.

XXVI. Usurpatur in substantia à ʒj. ad ʒij. In Alvi fluxu priùs torreri solet, atque similiter ad ʒj. vel ℈iv. exhiberi.

XXVII. Infundi quoque solet à ʒij. ad ℥ß. & ʒvj. & quandoque leniter decoqui.

Aloes vires et usus. Et quot modis exhibeatur.

XXVIII. *Aloe* summoperè amaricans, ideoque Hæmorrhoides, & Menstrua, & alios Sanguinis fluxus facilè concitans non satis tritò quibusvis exhibetur, & imprimis forma pilularum, ne ipsius amaror percipiatur.

XXIX. Datur tamen aliquando in Electuario, Hiera picra dicto; & sæpè ad Menses movendos; cum Pituitam quoque incidat, & Uteri orificia obturantem solvat & propellat. Datur etiam in Vino Medicato.

Ejus dosis.

XXX. Dosis ejus est à ʒß. ad ʒj. & ʒij. Aliquando namque parva quantitate multùm purgat, aliquando vix majore.

Ejus præparatio. Aloe Rosata. Pilulæ Francofurtenses.

XXXI. Præparatur ipsa frequenter succo Rosarum pallidarum, & tum vocatur *Rosata*. Posset quoque *Violarum* succo sic parari, quin eo paratæ dicuntur Pilulæ Angelicæ Bejeris, aut Francofurtenses vocatæ, atque per universam Europam satis notæ.

Scammonii vires.

XXXII. *Scammonium* potentissimum est omnium Cholagogorum Evacuans, quippe quod ad gr. xv. tantùm tutò exhibetur. Est autem insuper tutissimum remedium. Corrigitur vulgò Cydonio malo, in quo decoquitur, & vocatur *Diagridium*.

Diagridiū quid. Scammonii præparatio egregia.

XXXIII. Præparatio ejus facilior est, si dosis ejus contundatur & affusa aliqua Aqua stillatitia, quicquid ea dissolvi potest, effundatur, remanente in fundo materia nigricante, addendo liquori tantillum Julapii, vel Syrupi rosacei. Cujus medicamenti ope dejectio Bilis & Aquarum promovetur facillimè, atque sine omnibus torminibus ac molestiis; adeò ut nullum norim medicamentum Purgans huic præferendum, atque magis tutum, cùm & Puerperis, & Infantibus sæpissimè exhibuerim, cum summo successu; nec parùm risi postmodum Theoreticorum nostrorum Scriptorum Metum, continuò jubentium abstinendum à Medicamentis Scammoniatis; quamvis vulgatissima *Electuaria Diaprunum Solutivum*, ac imprimis è *Succo Rosarum* dictum, vim suam primariam Scammonio debeant.

Scammonio præparato nullum purgans præferendū. Electuaria Dia Prun. Sol. et è Succo Rosarum vim suam Scammonio debere.

XXXIV. *Asarum* cùm imprimis per vomitum educat Bilem, ipsius inter Vomitoria faciemus mentionem.

CAPUT V.

De Phlegmagogis.

Pituita unde oriatur.

I. INter Humores extra Sanguinis massam in humano Corpore occurrentes *Pituita* post Bilem numeratur, quam noo semel docuimus Ortum suum primarium habere è Saliva, & Muco forsan.

Quomodo generetur.

II. Saliva siquidem, continuò ad Os confluens continuò deglutitur, Ipsique forsan Mucus in faucibus conjungitur & simul per OEsophagum io Ventriculum detruditur, ubi Tunicas oblinit, sensimque ad teoue Intestinum protruditur, atque ibidem propter Crustam pannosam adhærens diutiùs moratur: adeò ut *in tenui* præsertim *Intestino* colligatur & coacervetur, nullibique in statu naturali tam copiosa reperiatur, quàm in laudato Intestino.

Ejus locus.

Quæ mala producat.

III. Hæc *Pituita*, ubi exuperat, cum Cbylo ad Sanguinem transit, eundem, hinc & aliquando Corpus universum reddit *Pituitosum*: quocirca eadem tunc Minuenda.

Esse minuendam. Quomodo, et quibus viis id fiat.

IV. *Minuitur* autem, dum ejus pars aliqua è Corpore ducitur, ac evacuatur: quod fieri potest per vias universales omnes, *Vomitum*, *Secessum*, *Urinas*, *Sudores*, *ipsamque Salivationem*.

V. Nunc autem agemus de *Materia Medicamentorum Pituitam* per *Alvum ac secessum evacuantium*.

Phlegmagoga quæ.

VI. Hæc Medicamenta dicuntur *Phlegmagoga*, dividunturque vulgò in *Mitiora* & *Potentiora*.

Et quo duplicia. Mitiora, Potentiora

VII. Inter *Mitiora* numerantur *Manna*, *Aloe*, *Sena*, *Myrobalani Chebulæ*, *Emblicæ ac Bellericæ*; ut & *Agaricus*, *ac Mechoacanna*. Inter *Potentiora Turbith*, *Carthami semen*, *Hermodactylus*, *Sagapenum*, *Opopanax*, *Colocynthis*, & *Euphorbium*: *Mercurius sublimatus dulcis*, & *Præcipitatus quivis*.

Myrobalanorum differentia. Vires. Dosis.

VIII. *Myrobalani Emblicæ ac Chebulæ* couvenientiores censentur Pituitæ evacuandæ; *Bellericæ* autem, quoniam creduntur quodammodu adstringere, commendantur magis in Pituita non glutinosa, sed fluidiore. Dantur omnes in substantia à ʒj. ad ʒij.

Agarici vires. Dosis. Quibus corrigatur.

IX. *Agaricus* & *Agaricum* quibusdam, Senerto, &c. *Pituitam fluidiorem* creditur magis evacuare, quàm *glutinosam*; aliis contrà, Mesue daturque à ʒj. ad ʒij. in substantia; cùmque Ventriculo habeatur adversum, Corrigitur Zinzibere, Nuce moschata, & aliis aromatibus.

Agaricus Trochiscatus. Mechoacan.

X. Parantur ex Ipso & Zinzibere Trochisci; & dicitur Agaricus Trochiscatus.

XI. *Mechoacanna Pituitam*, sed imprimis *Humores*

...us vires. Dosis.

mores *Seroso* evacuat; daturque à ℈iiij. ad ʒij.

Turbith Vires. Usus. Dosis.

XII. *Turbith ac Turpetum Pituitam crassiorem ac tenacem* ex Universo Sanguine, partibusque remotis creditur educere; daturque in substantia à ℈ij. ad ℈iiij. & ʒiß. In Infusione autem, uti alia ferè omnia ad duplum, hoc est, à ʒiß. ad ʒiij.

Carthami Seminis Vires. Usus. Dosis. Syrupi Diacnicu Dosis.

XIII. *Carthami, sive Cnici Semen* dicitur *Pituitam & Aquas* & sursum deorsum evacuare; usurpaturque frequentiùs in decocto à ʒiij. ad ʒvj. Paratur ex ipso *Syrupus Diacnicu* dictus, daturque ad ℥ij.

Hermodactyli vires. Dosis.

XIV. *Hermodactylus Pituitæ Glutinosæ* educendæ, etiam è locis remotissimis, adeoque ipsis *Articulis* convenit; daturque à ℈ij. ad ℈iiij. & ʒß.

Sagapeni & Opopanacis vires. Dosis.

XV. *Sagapenum & Opopanax* Gummi sunt, *Pituitæ Glutinosæ tum incidendæ, tum educendæ* apta, à ʒß ad ʒj.

Foliorum Sena Vires. Usus. Dosis.

XVI. Libet hisce addere *Sena folia*, quippe quæ *Pituitam* non minùs educunt, quàm Humorem Melancholicum, de quo posteà. Exhibentur à ʒj. ad ʒij. in pulvere ac substantia, cum pulpa Prunorum in forma Electuarii, & ad ℥ß. in infusione.

Colocynthidis Vires. Dosis. Trochisci Alhandal.

XVII. *Colocynthis*, cujus Pulpa solet usurpari, remoto semine, potens est Phlegmagogum, quippe quod datur tantùm ad gr. xv. ut & ipsius trochisci, *Alhandal* dicti.

Euphorbii Dosis. Vires.

XVIII. *Euphorbium* acre ac rodens Vegetabilium Phlegmagogorum potentissimum, datur tantùm ad gr. viij. vel decem. Pituitam lentam educens, ut & Humores Serosos.

Mercurii præcipitati et sublimati vires.

XIX. *Mercurius* cum Mineralium Spiribus Acidis quovis modo præparatus, ac *præcipitatus*, aut *sublimatus*, potens efficaxque existit Phlegmagogum, pro sui præparatione diversa dosi varia exhibendum.

Qua ratione uterque operetur.

XX. Videtur autem mihi *Mercurius* in qualicunque sui præparatione notatà *imbibere atque concentrare plurimum Spiritus Acidi*, cujus ratione *incidat* potenter *Pituitam Glutinosam*, eamque aptam reddat ad evacuationem, concurrente forsan simul *Effervescentia cum Bile* instituta, cujus ope erumpentes Halitus Acres irritent Intestinum Tenue ad sui Coarctationem frequentiorem, continuatamque, hinc & Contentorum Solutorumque exclusionem.

Mercurius purus non evacuat humores per alvum. Quatenus blandior aut vehementior purgat.

XXI. Qui proinde *Mercurius purus* putus non solet ullos *evacuare Humores per alvum*, postquam præparatus est cum Spiribus Mineralium acidis, magnam evacuandi nancifcitur vim: sed quæ tantò existit *blandior*, quantò spirituum dictorum Aciditas est magis tecta & concentrata; uti contrà *vehementior*, quò eadem magis est manifesta.

Mercurii sublimati Vires. Dosis.

XXII. Unde *Mercurius Sublimatus Corrosivus*, omnium Mercuralium Medicamentorum (quantùm Ego saltem novi) *vehementissimum* vix *ad grani partem quartam*, & ad summum *mediam*, & ne sic quidem satis tutò exhiberi potest: quin cum summa Humorum omnium, corporisque agitatione ac conturbatione non solùm deorsum, sed sursum quoque Humores Pituitosos qualescumque, etiam multùm glutinosos educit. Unde *non facilè ulli dandum*, postquam suppetunt blandiora, & tutiora, & illa quoque satis efficacia.

Usu ferè nullius.

Mercurii dulcis vires.

XXIII. Illud autem facit *Mercurius sublimatus*, ad illius differentiam, *Dulcis* vocatus, hoc est minimè Corrosivus, quo ille gaudet nomine, & quidem ob suam acrimoniam extremam.

Mercurius corrosivus quomodo paretur.

XXIV. Ubi namque *Mercurius* vel cum Vitriolo & Sale marino tritus vel in Igne forti Nitrive Spiritu priùs solutus, addito Sale marino, tandemque post Spiritus acidi partem multam destillatione abstractam igne fortiori urgetur, Nivis vel Glaciei ad instar in Vasis partem superiorem attollitur, estque tunc valdè Acris, ac Corrodens, vulgò *Corrosivus* dictus.

Mercurius dulcis quomodo fiat. Ejus dosis.

XXV. Huic Mercurio sublimato Corrosivo si Crudus addatur, simulque teratur, mox iterum sublimetur, prodibit & assurget omnis Acrimoniæ expers, ideòque *Dulcis* dictus; cujus grana xx. ad xxx. tutiùs exhibentur, quàm Corrosivi pars Grani tertia, vel quarta.

Mercurii sublimati acrimonia qui tegatur. Ejus austeritas extrema. & acerrima.

XXVI. Mirum autem est nova Mercuriis additione ac sublimatione obvolvi ac tegi, quin corrigi posse tantam & tam nocentem *prioris acrimoniam, & austeram, & urentem, rodentemque*. Vix enim putem aliquam reperiri in rerum natura Austeritatem, quæ cum sublimati corrosivi Mercurii Austeritate queat conferri. Cùmque Austera pleraque sint terrea & sapore obtuso, hic Mercurius acerrimus simul existit, & omnia pene consumens quo malim proinde abstinere, quàm frequenter uti Medicos de suorum Ægrorum salute multùm solicitos.

Mercurii præcipitati præparatio varia.

XXVII. *Præcipitatus* paratur *Mercurius* priùs *in Acido Spiritu solutus*, hinc post ejusdem abstractionem *in fundo remanens*, aut *Salis marini*, vel Tartari ope ad *fundum depulsus*, ac verè *præcipitatus*. Cujus utriusque Præparationes occurrunt plurimæ, tum ratione solventis, tum ratione præcipitantis, tum ratione Coloris.

Mercurius aliis purgantibus additus melius operatur.

XXVIII. Quocunque modo paratus sit Mercurius cum majori successu usurpatur, certiùsque operatur, si alii Purganti jungatur; quo ad evacuationem facillùs deducitur, quàm si solus exhibeatur, cujus rei ratio ex suprà dictis facilè patet; quoniam nempe Humores pituitosos imprimis attenuat & incidit, atque sic ad eductionem præparat.

CAPUT VI.

De Melanagogis.

Humor Melancholicus cujus naturæ.

I. INter Humores à Sanguinis massa diversos fit passim mentio *Humoris Melancholici*, quem vulgò *Terrenæ* pronuntiant naturæ.

Quinam humores Austeri dicantur Melancholici.

II. Quantum Ego ex accurata & longa Ægrorum à me curatorum observatione, atque Humorum Affectus Melancholicos dictos producentium evacuatione laudabili, hoc est, Affectus notatos fœliciter curando, facta, judicare potui; Duplices Humores, à quibus Affectus illi pendebant tunc notavi, non parùm inter se differentes, *Austeros* puta, & *valdè Glutinosos Pituitosos*: quibus partim correctis, partim eductis curavi fœliciter dictos Affectus, quapropter Utrosque *Melancholici Humoris* nomine indigitandos censui.

Qui notandi in Curatione Melancholicorum.

III. Hæc autem distinctio haud est parvi pendenda à Medicis Praxin aliquando facturis, quoniam illa neglecta vix unquam ex voto *curabuntur Melancholici*: quinimò planè persuasus sum ideò tam raro curari fœliciter Affectus Melancholicos, quia illam distinctionem non satis observarunt plerique Medici, Authoribus suis nimiùm addicti, atque eorum, quæ in praxi contingunt, negligentiores,

Ut & in eorum alteratione et purgatione.

IV. Vel idcircò autem ab illam distinctionem attendendum est, quia in horum *binorum Humorum & Alteratione*, & imprimis *Evacuatione* eadem non possunt semper utiliter usurpari Medicamenta.

Quibus Humores Austeri corrigantur. Et quibus Glutinosi.

V. Humores namque *Austeros alterant & corrigunt* optimè *Salia Volatilia & Plantæ omnes Aromaticæ* blandiores. *Glutinosos* autem etiam *Spiritus Acidi*, qui corrumpunt ampliùs & noxios reddunt Austeros.

Quibus evacuentur Austeri. Quibus Glutinosi.

VI. *Austeri Humores evacuantur* fœlicissimè per vulgò dicta *Hdragoga*, *Glutinosi* verò per *Phlegmagoga*.

Humorum horum distinctio quàm necessaria.

VII. Unde cuivis patet facilè, quantæ utilitatis, imò *necessitatis* sit, ad medicinam ritè faciendam *hæc distinctio*, quæ in Affectibus Melancholicis tam cognoscendis, quàm curandis lucem affert magnam: sicut agnoscent, quotquot in ipso-

Duo Genera Humorũ Melancholicorũ & eos purgantiũ.

rum curatione occupati conferent ea, quæ ab aliis & à me super hoc negotio sunt dicta & scripta.

VIII. Ergò *duo Genera Humorum Melancholicorum; duo Genera Medicamentorum ipsos Purgantium* proponemus.

CAPUT VII.

De Melanagogis Humores Glutinosos Evacuantibus.

Quæ Glutinosos humores purgent.

I. PRopriè loquendo Humores hi sunt *Pituitosi maxime Glutinosi*, quibus educendis conveniunt *Myrobalani Indæ*, *Polypodium*, *Epithymum*, *Sena*, *Elleborus niger*, *Lapis Lazuli*, & *Lapis Armenus*.

Myrrobulanorũ Indarũ vires. Dosis.

II. *Myrobalani Indæ* blandiùs id efficiunt, sumunturque ut cæteræ ad ʒj.

Polypodii vires. Dosis. Quomodo exhibetur.

III. *Polypodium* blandum est Medicamentum, quod etiam *Pituitam* educere docent: Daturque ad ʒj. ad ʒij. & ℥iij. In decoctione aut infusione à ʒvj. & ℥j.

Epithymi vires. Dosis.

IV. *Epitymum* itidem blandum est medicamentum, quàm præcedens tamen efficacius, utpote magis aromaticum; datur à ʒiß. ad ʒij. & ʒiij. in Infuso ad ʒvj. & ℥j. quamvis aliqui plùs dent.

Foliorũ Senæ et Rhabarbari usus.

V. *Senæ folia* hoc tempore in frequentissimo sunt cum *Rhuburbaro* apud Medicos vulgares usu; adeò ut in quovis affectu, undecunque orto, si purgandum videatur, semper atque tantùm præscribantur à plerisque hæc duo medicamenta, sive tantùm infundantur, sive simul leviter decoquantur in liquore ipsis probato, hinc Colaturæ addatur vel Manna, vel Syrupus aliquis laxativus, rosarum pura cum sena, vel de cichorio cum rheo, vel Diacnicu, vel flores Persicorum, vel aliquando Electuarium Diaprunum solutivum, Diaphœnicum, Diacarthamum, aliudve simile.

Sena vires. Ejus correctoria. Mundatio. In decoctione ejus intima vis elicitur.

VI. Cæterùm *Sena blandum* est medicamentum, si aut in *substantia*, aut *infuso* exhibeatur; *non item si decoquatur*, tunc enim *tormina* solet producere.

VII. Propter illa tormina solent ipsi *anisi*, *aliave carminantia semina* addi; quin *stipites* abjici, cùm ab iis præsertim credantur produci *flatus* & *tormina*.

Hæc Melãcholicos purgat humores qui tormina excitant. Humoribus Austeri & Acidis malè adhibetur nisi sint præparatis.

VIII. Quantum Ego potui observare, ubi *decoquitur sena*, videtur *vis ejus intima elici*, quæ non tantùm Pituitam minùs, & magis glutinosam, sed Austeros quoque Acidosque adeòque summè *Melancholicos Humores educat quibus* illa debentur *Tormina*.

IX. Unde in quibus abundant tales *Humores Austeri* & *Acidi* non satis prudenter *exhibetur sena*; nisi ex parte saltem fuerint *ipsi præparati*, *semperutique*.

Quare in quibusdam Tormina producat in quibusdã nõ.

X. Hinc est, quòd *in quibusdam semper à sena producantur tormina*, quia Humoribus scatent Austeris & Acidis, quod non item evenit aliis, quando *Pituitosi duntaxat redundant Humores*, imprimis, quando iidem sunt *minùs Glutinosi*.

Sena Phlegmagogũ & Melanagogũ. Rhabarbarũ Cholagogum.

XI. Est igitur *sena tum Phlegmagogum*, *tum Melanagogum medicamentum*, sicut *Rhaburbarum Cholagogum*.

Hoc magis ingratũ ille. Senæ Dosis.

XII. Est insuper *sena minùs ingratum*, *quàm Rhabarbarum*, medicamentum.

Ejus pulvere & Prunorũ pulpa fit Electuarium.

XIII. Dosis ejus est à ʒj. ad ʒij. paraturque ex ipsius *pulvere atque Prunorum pulpa Electuarium* non ingratum, & satis tutum, cujus dosis major erit aut minor, prout senæ plùs vel minùs fuerit additum.

Ejus parva quantitas nõ sufficit ad magnã decoctũ vi purgante imbuendã.

XIV. Non possum cum illis sentire, qui putant ℈j. ipsius sufficere ad liquoris convenientis, decocti puta cujusvis, ℥xiij. imò xx. purgante vi imbuendas: quos falsi arguit, etiam præfractos, Experientia.

Nimia Senæ & Rhei quãtitas male infunditur in pauco liquore.

XV. Id quidem certum est, satis imprudenter à multis multum Senæ atque Rhabarbari infundi in pauca liquoris cujusvis quantitate, qua elici non potest sæpiùs, non dicam omnis, sed ne quidem media, vel quarta ipsorum vis. Sed stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

In eorum Infusionibus ad quanam attẽdendũ.

XVI. Quisquis proinde certus esse cupit de quantitate tum liquoris; tum purgantis infundendi, attendet 1. ad *ipsum liquorem*, an purus sit, an alterius medicamenti purgantis extractionem juvantis, aut impedientis vi imbutus. 2. An *purgans sit potens*, *ac purgandi* vi plenum, an eadem quavis de caussa plùs, vel minùs *destitutum*.

Aliquantò plus præscribendũ.

XVII. Cùm autem Medicus non possit scire, quale sit purgans, quod usurpabit Pharmacopœus, solent Medici prudentiores *aliquantò plus Purgantis præscribere*, quò si aliquantùm effœtum id sit, quantitate aliquantò majore compensetur illa jactura.

Pharmacopœorum in horum usu error.

XVIII. Sed alius non rarò hic à *Pharmacopœis* committitur *error*, dum aliis purgans infundunt in Liquoris quantitate præscripta, alii majore, atque si ipsius vel partem tantùm sumunt, vel nimiùm evaporant; quin nonnunquam purgans exprimunt, aut idem omittunt: Unde quanta & quàm incerta sit futura talis Infusi efficacia nemo non videt. Interim putant multi Pharmacopœi talia sibi licere, quibus tamen tam Medicis, quàm Ægris imponitur.

Unde Medicis imponitur.

Quare Author in sua praxi maluit præscribere Electuaria, Pilulas, quã Infusiones.

XIX. Quamobrem, cùm impossibile sit Medico cujusvis Pharmacopœi, ubi plures in eadem Urbe existunt, mores singulares, quos sæpè tegunt, nosse, malui ego in mea praxi præscribere aut Electuaria, aut Pilulas, quàm Infusiones: cùm Potiones quoque concinnari possint ex dissolutis liquore convenienti Electuariis; & observavi me longè certiùs, ac tutiùs præ aliis potuisse facere meis Ægris medicinam.

XX. His per parenthesin, cùm in plerisque Purgantibus possint habere locum, sic propositis, pergamus ad cætera Melanagoga.

Ellebori nigri vis. Ejus confusio cum Albo. Quod est Vomitorum.

XXI. Post Senam examinandus *Elleborus niger*, Veteribus valdè familiare ac tutum medicamentum, quamvis rariùs hoc usurpetur tempore; quo perperam *confuderunt* multi *Elleborum nigrum*, *cum albo*, dum ille quidem Purgans est per alvum, blandum, hic satis vehemens Vomitorium.

Ellebori nigri Dosis. Ejus extractum.

XXII. *Dosis* ipsius in substantia est à ʒß. ad ℈ij. & ʒj. in Decocto ad ʒiij. & ℥ß. Paratur egregium ex ipso Extractum, quod pro Menstrui diversitate existit diversum.

Lapidis Armeni & Lazuli vires & dosis.

XXIII. *Lapis Armenus* & *Luzuli* dicuntur Humores lentos & crassos melancholicos educere à ʒß. ad ʒj. & ℈iiij.

CAPUT VIII.

De Melanagogis Humores Austeros, & Acidos Evacuantibus.

Humoribus Melancholicis post præparationem convenire Hydragoga.

I. DIximus in superioribus Humores *Austeros* & *Acidos*, adeòque *magis propriè Melancholicos* dicendos haud evacuari facilè, nisi post præviam sui præparationem ac contemperationem, atque tunc ipsis convenire *Hydragoga*, postquam iidem sic correcti ac temperati fieri habent formam & consistentiam: Ergò de illis agemus utrisque simul, hoc est, de Humoribus Austeris & Acidis, atque de Serosis & Salsis Muriaticis: quo ipso facem aliquam illustrandæ nostræ Arti Medicæ accendo dum scilicet Humores istos omnes tam diversos à plerisque habitos ad unum genus redigo, sicut priùs Melancholicos ad duo genera deduxi.

CAPUT IX.

De Hydragogis.

Hydragoga.

I. AD *Hydragoga* & Serosos Humores educentia pertinent *Soldanella*. *Ebuli* & *Sambuci Baccæ*,

Baccæ, Semen, Cortex midianus, Radix, & Folia; Mechoacanna, Julappa, Iridis Radix, Gratiola, Esula, Mezereum, Elaterium, Gummi de Peru, & Crystalli Lunæ.

Succi Iridis vires. II. Ex *Radice Iridis* recenti contusa *Succus* exprimitur, qui non tantùm incidendi, attenuandique vi pollet, ast insuper *Serum expurgat*, ei addendo aliquid dulcis, Mannam, Syrupum laxativum rosarum, violarum, aliumve magis purgantem, florum Persicorum, rosʼ. solut. cum sena, de cichor. cum rheo, diacnicu, &c. *Additamenta.*

Dosis. III. Hujus Succi dosis est ab *unc.* ß. ad *unc.* j. & *unc.* iß.

Gravidis nõ exhibetur. IV. Quoniam verò Menses quoque solet movere, *Gravidis haud* tutò *exhibetur*.

Ebuli & Sambuci Vires. Dosis. V. *Ebuli, atque Sambuci* partes molles omnes *aquis educendis* conveniunt, quamvis partes aliæ potentiùs, aliæ debiliùs id peragant, unde varia quoque dosi usurpari solent.

Ex eorum Baccis Rob. Ejus dosis. Vires. VI. Ex *Baccis* contusis Succus exprimitur, qui sola decoctione in *Rob* vertitur, medicamentum pergratum, quod ad ʒ i. & ʒ ii. datur, nec tantum *per alvum serum educit*, verùm *per Sudores* quoque idem expellit.

Ex Corticibus Succus. Ejus dosis. Vires. VII. *Cortex medianus* tam *Ligni*, quàm *Radicum* efficacior est, daturque ejus *Succus* inde expressus ad ʒ ii. & ℥ ß. quamvis etiam decoqui possit. Qui ex radicum cortice habetur, potentior est ac Vomitum simul plerumque movens.

Foliorum usus & vires. VIII. Solent quoque *prima folia, necdum explicata*, in jusculo pauco decoqui, & ad spinachiæ modum parari, atque usurpari, unde aquæ blandè per alvum evacuantur.

Florum usus & vires. IX. Quin *flores virides adhuc* ac *nondum aperti condiri solent*, & Cappatum ritu in prandio & cœna cum carnibus assumi; unde similiter expurgatur blandè *Serum*.

Mechoacanæ Vires, Usus & Dosis. X. *Mechoacannam* diximus jam & Pituitam & Aquas educere per alvum: sive detur in Substantia à ℈ iiij. ad ʒ iß. & ʒ ii. sive paretur ex ipsa Spiritus Vini ope *Resina*.

Jalappa Vires, Usus & Dosis. XI. Sed potentiùs Medicamentum, serososque Humores fœliciter expurgans est *Jalappa*, itidem radix, sed priore nigricantior, & solidior & ponderosior, cujus in pulvere dosis est à ℈ ii. ad ʒ i. & ℈ iv. *Resinæ* autem ad gr. vi. viii. x.

Soldanella vires. XII. *Soldanella* commendatur etiam inter Hydragoga, licet culpetur quoque tanquam Ventriculo adversa & tormina excitans. Datur à ʒ i. ad ʒ iß. & ʒ ii. Ejus autem Succus ad ʒ iii. & ℥ ß. Unde patet totam ejus vim non inesse substantiæ ipsius humidiori, sed maximè sicciori. *Dosis. Succus.*

Gratiola vires. XIII. Aquas quoque ac serum evacuat *Gratiola*, nec tantùm per Alvum, verum per Vomitum quoque, corpusve non parum turbat, unde inter violenta censetur Purgantia, nec semper satis tutò exhibetur. Dosis ejus in substantia est à ℈ ii. ad ʒ i. in decocto ad triplum, & quadruplum. *Usus Dosis.*

Esula & Mezerei vires. Correctoria. XIV. *Esula* & *Mezereum* acria sunt medicamenta, & valdè rodentia; unde nisi eorum Acrimonia priùs obtundatur, tutò usurpari non possunt. Obtunditur illa mucilagine sem. psyllii: tragacantha & similibus.

Esulæ Usus. Dosis. XV. Usurpatur autem *Esulæ radix*, ac imprimis ejus *Cortex*, à gr. vi. ad gr. x. & xii. *Succus* verò sive *Lac*, à gr. iii. ad gr. viii.

Mezerei dosis. XVI. Sic *Mezereum* datur à gr. v. ad gr. viii. & ℈ ß.

Elaterii vires. XVII. *Elaterium*, quod est Cucumeris Asinini Succus, potentissimum est Hydragogum, & acre; unde simili corrigitur, quo antecedentia, modo Hydropicis conducit, ut & illa. Vomitumque similiter movet. Daturque à gr. iii. ad gr. iv. aut vi. *Usus. Dosis.*

Gummi de Peru, Gummi Gotte, sive Gutta Gamba vires. Dosis. XVIII. *Gummi de Peru*, sive *Gummi Gotte*, & *Gutta Gamba* dictum, potens est Hydragogum, idemque quàm tria modò dicta longè tutius, quippe non ita vehemens & acre: Vomitum quoque subinde movet: daturque à gr. ii. ad gr. iii. & gr. vi. quamvis aliqui parum prudenter ipsum ad ℈ ß. exhibeant.

XIX. Præparatio ipsius elegans & optima est, si solvatur in Vini Spiritu rectificato, deinde affusa Aqua rosacea vel alia præcipitetur ad fundum. Pulvis elegantur flavescens vocatur *Magisterium*, estque tunc longè præstantius medicamentum, quàm si crudum exhibeatur. *Præparatio. Magisterii.*

XX. Inter pure Chymica laudatur meritò *Luna sive Argentum*, quando Spiritu Nitri solvitur, hinc & in *Crystallos* redigitur. Potens est *Hydragogum* & summum *Melangogum*. Dosis ad gr. iiij. v. vj. Pilularum forma commodissimè usurpatur, cum valde amaricet. Laudatur non tantùm in Hydrope, verùm in omnibus omninò Affectibus Melancholicis. *Crystallorũ Lunæ præparatio. Vires. Dosis Usus.*

CAPUT X.

De Vomitoriis.

I. POstquàm in compendio dedimus Purgantium per alvum Materiam, proximum est, ut similiter Vomitoriorum materiam proponamus.

II. *Vomitum movent* quædam *copia*, qua sumuntur, & nauseam excitando Ventriculum ad vomendum blandè concitent; qualia sunt Aqua pura, Jusculumve, aut Cerevisia, & imprimis *tepida, copiose* & quasi ad ingurgitationem hausta; quibus si oleum, butyrum, carnisve pinguedo conjungatur, Vomitus citiùs & faciliùs succedit, cùm sic Nausea potentiùs excitetur; minùs si magis caleant. *Vomitoria blanda. Aqua, Jusculum, Cerevisia. Horũ usus.*

III. Idem præstabit Mel cum Aqua dissolutum, aut coctum copiosè assumptum, ut & Ficuum Decoctum; aut Aqua tepida ficubus priùs comestis superbibita; quo artificio innocentiam suam probavit Æsopus. *Mel in Aqua dissolutum. Ficuum Decoctum.*

IV. Sed ista non sunt vera Vomitoria, cùm Vomitum licet excitent, nullos *Humores* educant, nisi stagnantes in Ventriculo, ac Tenuis Intestini principio; quos etiam *ex Sanguinis massa in Ventriculum*, hinc & Os *deducunt vera Vomitoria*, quæ postmodum proponemus. *Quæ Vomitoria non vera & quæ vera.*

V. Observo autem alia *Vomitoria Pituitam* præsertim, alia verò *Bilem*, alia *promiscue quosvis Humores Vitiosos* per Vomitum expellere: quod licet à paucis notatum sit, debebat tamen omninò notari; sicut id patet ex iis, quæ jam diximus dum de Purgantibus per alvum loqueremur, etiam secundùm Auctores Classicos, docendo 1. *Flores Persicorum* etiam per *Vomitum* expellere Humores *Biliosos, ac serosos*. 2. *Asarum Bilem sursum* quoque evacuare. 3. *Turbith. Pituitam glutinosam* per *vomitum* eiicere. 4. *Carthami Semen* tum *Pituitam*, tum *Aquas* sursum & *Vomitu* extrudere. 5. *Elaterium Aquam, Bilemque* non tantùm per Alvum, verùm *Vomitu* quoque excludere. 6 *Ebuli & Sambuci radicem, corticem, summitates recentes*, ac *Flores Aquas* per *Vomitum* quoque educere. 7. *Gummi Gotte Aquas & Bilem* tam per *Vomitum*, quàm Dejectionem expellere. *Horum differentia. Catalogus eorum quæ per Alvum, & Vomitum evacuant.*

VI. Idem de pluribus aliis Purgantibus ex propria experientia possem testari, quamvis hoc ab aliis non vidi notatum Et nequis putet hoc accidere, quoties satis magna ipsa exhibentur quantitate; norunt omnes, qui formulas meas viderunt, me cavere sedulò à Medicamentis tum violentis, tum quantitate magna præscribendis: evenit tamen mihi sæpenumerò, ut præter opinionem atque intentionem meam observarem Vomitus satis frequentes post quorumvis Purgantium exhibitionem. *Multa purgãtia simul & vomitum ciere.*

VII. Fateor quidem multùm tunc *conferre Humorum volatilitatem*, atque *sursum Inclinationem*, non possum tamen id omne huic uni Humorum Proclivitati sursum adscribere, verùm partem quoque ipsis Medicamentis; utut ipsa frequentiùs & abundantiùs soleant Humores varios deducere ad Alvum. *Huc conferre humorũ Volatilitatem & sursum inclinationem.*

VIII. Dum proinde primaria & magis consueta examinabimus Vomitoria, quæ in singulis observavi, & memini, eadem simul monebo;

quin,

quin, ne mihi hoc excidat, à *Cydoniis* faciam initium, quamvis illa plerisque habeantur pro minimè Vomitoris aut Purgantibus.

Syrupi Cydonieru Vires.

IX. Paravi tamen ipse non semel Acidulum *Syrupum*, vel potius *Mivam Cydoniorum* ex solo Succo ad Syrupi consistentiam igne blando decocto; cujus effectum laudabilem ac sæpè valdè differentem mitatus sum sæpenumero.

Dosis. Hujus effectu.

X. Hujus si cochleare dimidium Infantibus, vel plùs Adultioribus exhibeatur, *Pituitam Glutinosam* incidit, & nunc *Tussi ex Pulmonibus* educit, nunc *Vomitu e Ventriculo*, *Tenuique Intestino*, nunc *Dejectione* ab iisdem partibus expellit: quodque maximi faciendum, *Robur simul affert Ægris*, eosdemque fœliciter restituit, adeo ut hoc uno remedio plures restituerim Ægros à plerisque medicamentis abhorrentes, ipsaque aversantes. *Pituitæ* autem imprimis conducit, tum *Evacuandæ*, tum *corrigendæ*.

Anethi Vires. Dosis.

XI. Inter Vomitoria referuntur *Anethi semina & flores*: quæ cùm *Pituitam* attenuare atque corrigere soleant, eidem quoque *Vomitu Evacuandæ* conducent; danturque ad ʒij. & ʒiij.

Atriplicis vires & dosis.

XII. Vomitum quoque ciet *Atriplicis semen atque radix*. Daturque radix ad ℈iiij. semen autem ad ʒij. & ʒiij. *Bilem evacuat*, hinc in Ictero conducere putatur.

Persicorum Flores & Syrpus.

XIII. *Persicorum flores*, atque *Syrupum* ex illis paratum, *Vomitu Bilem ac serum* educere jam diximus.

Raphani Succi & Seminis vires & dosis.

XIV. *Raphani succum ac semen* quoque *Vomitum* ciere atque *Pituitam*, *serumque* educere docent, si Succi ℥j. ad ℥ij. seminis autem ʒij. ad ʒiij. usurpentur.

Asari vires.

XV. *Asarum* tum quoad *folia*, tum quoad *Radicem Vomitorium* est, atque Purgans per Alvum, *Bilemque* educit. Datur radix ad ℈iiij Folia verò N. 6. 7. 8. vel plura prout, majora sunt vel minora, ex quibus contusis, addito liquore apto Succus exprimitur, atque exhibetur. Medicamentum, quod licet magni factum sit à quibusdam literatis magis, quàm verè Practicis, non parum ingratum est atque satis violentum, nec ullo modo conferendum cum quibusdam Chymicis, de quibus agemus postmodum.

Dosis. Præparatio. Medicamentum ingratum & violentũ.

Turpetti vires. Dosis.

XVI. Docuimus in superioribus *Turpethum* quoque *Pituitam tenacem* Vomitu expellere à ʒiß. ad ij.

Ebuli & Sambuci vires.

XVII. Sic *Ebuli & Sambuci* Radix, Cortex, medianus puta & virescens, foliorum summitates nondum explicatæ, atque flores nondum aperti tam *sursum*, quàm *deorsum Aquas educunt*; sicut jam monuimus.

Carthami Seminis vires.

XVIII. Idem dicendum de *Carthami semine*, quod similiter *Aquas & Pituitam* sursum ac deorsum evacuat.

Genistæ vires. Dosis.

XIX. *Genistæ folia, flores ac semina Pituitam tenuem*, *& Aquas* tum *Vomitu*, tum *Secessu* educunt à ʒij. ad ʒiij. & ʒß. unde Hydropicis conducunt: nam & *Urinas* movent.

Ellebori albi dosis & vires.

XX. *Ellebori albi radiix* à ʒß. ad ʒj. *Pituitam Glutinosam educit Vomitu*, sed violentum est medicamentum, ideoque nonnullis secuturis, modis omnibus postponendum.

Cyclaminis dosis & vires.

XXI. *Cyclaminis radix* ad ʒß. exhibita dicitur non tantùm *Hæmorrhoides*, ac *Menses movere*, ast insuper tam *sursum*, quàm *deorsum Pituitam* evacuare.

Cataputia Majoris ac Minoris Vires & Dosis

XXII. *Cataputiæ maioris radices ac semina* ad ℈j. & ʒß. usurpata *Pituitam Glutinosam*; *& Bilem Aquasque* tum *sursum*, tum *deorsum* expellunt: quod etiam verum de *Semine Cataputiæ minoris*, quæ *Lathyris* vocatur.

Elaterii Vires.

XXIII. *Elaterium* diximus, & Aquas sive *Serum & Bilem* non tantùm per *Alvum* verùm per *Vomitum* quoque vi propellere: postquàm Medicamentum est satis vehemens, atque ad gr. iiij. aut vj. exhibendum.

Dosis.

GuttaGãba

XXIV. Sic quoque docuimus *Gummi Gottæ* aut *de Peru* dictum, sive *Guttam Gambam* similiter *Bilem ac Serum* tam per *Vomitum*, quàm per *Alvum* educere itidem ad g. iiij. aut vj. quamvis hoc medicamentum blandius censeam Elaterio.

Vires: Dosis.

XXV. Atque sic præcipua vulgaribus Medicis, Galenicis vocatis, medicamenta notavimus vomitoria; superest, ut similiter nonnulla Chymica proponamus, quæ non tantùm non cedent jam enarratis, sed eadem multis antecellunt & superant parasanguis; sive consideres ipsorum dosin, quæ ut plurimùm minor est; sive spectes ipsorum operationem, quæ plerum longè blandior; sive ipsorum efficaciam, quæ longè laudabilior ac præstantior; sive ipsorum usurpationem, quæ longè facilior, cùm & sapore, & odore sint, quàm præcedentia, minùs ingrata: adeò ut modis omnibus prioribus sint præferenda.

Chymica Vomitoria Vulgaribus longè præferenda.

Ex quibus petantur.

XXVI. Ista verò petuntur, 1. ex Vitriolo 2. ex Antimonio. 3. ex Mercurio. 4. ex Luna.

Vitrioli albi præparatio. Dosis,

XXVII. Ex Vitriolo quidem laudatur 1. Vitrilolum *album*, quod Germanis vocatur *Chalitzstein*, vel *Augenstein*, quod Aqua pluvia solvitur, filtratur, iterumque crystallisatur, & tunc datur à ℈j. ad ʒß. & ℈ij.

Sal Vitrioli & Gilla Paracelsi quid. Ejus dosis.

XXVIII. Secundò *Sal Vitrioli* vel *Gilla Paracelsi*, quod aliud nil est, quàm Vitriolis Martis aut Veneris cum Sulphure præparati solutio in vulgaris Vitrioli Phlegmate facta: quæ ad ℈j. & quandoque ʒß. exhibetur.

Vomitoriorum Vitriolatorum vires.

XXIX. Hæc Vitriolata Vomitoria imprimis *Phlegma* sive *Pituitam*, & *Humores illi immersos* blandè satis evacuant.

Ex Antimonio infinita Vomitoria parari. Eadem esse purgantia Eorũ vires.

XXX. Ex Antimonio infinita ferè parantur *Vomitoria*; quæque omnia simul sunt *Purgantia per alvum*; quæ omnes educere solent *Humores* in Corpore peccantes, *Bilem*, *Pituitam*, *& quodvis serum*; adeò ut non putem ullum repetiri in rerum natura Medicamentum ipsis Antimonio æquiparandum; postquam non tantùm *omnis generis Evacuantia*, sed & *Alterantia* ex ipso queunt parari; unde si aliqua reperiatur in rerum natura materia, ex qua parari possit medicamentum universale, Morbos quosvis ab Humorum vitiis pendentes curans, illa revera sit Antimonium, quod ex parte saltem expertus loquor.

Ex Antimonio & Evacuãtia & Alterantia parari.

Ex Antimonio Medicamentũ Universale parari.

XXXI. Sed consideremus impræsentiarum Vomitoria ex ipso paranda. Et 1. quidem ipsum *Antimonium crudum*, quod ad ℈ß. & ℈j. exhibitum mirè purgat Humores omnes noxios tam sursum, quàm deorsum; sed violentè magis.

Antimonii crudi Vires & Dosis.

XXXII. Satiùs proinde est ipso uti arte præparato; ac 2. quidem laudatur *Crocus Metallorum* dictus, ex Antimonio & Vitriolo paratus, quique ad gr. ij. iij. vel iv. exhiberi potest; aut in Aqua, Vino aliove liquore infundi, atque tunc Aqua Benedicta vocari, quæ ab ℥ß. ad ℥j. & ℥ij. assumitur: ac sursum deorsumque operatur.

Croci Metallorum præparatio. Dosis.

Aqua Benedicta qua. Ejus dosis.

XXXIII Ex Antimonio paratur 3. Regulus beneficio Salis Tartari & Nitri, mixturam priùs, sicut loquuntur Artifices, detonando, hinc & fundendo, ac effundendo.

Antimonii Reguli præparatio.

XXXIV. Ex hoc Regulo Antimonii parantur Globuli & pocula.

Ex eo parantur Globuli & Pocula.

XXXV. Globuli deglutiuntur, iterumque per alvum excreti lavantur & ad novum usum assumuntur.

Globulorum usus.

XXXVI. Poculis liquor aptus, Vinum, Cerevisia, vel Aqua stillatitia infunditur, per aliquot horas relinquitur, & tandem assumitur pro Ægrorum ætate, aut viribus, quantitate diversa, unde Humores vitiosi sursum ac deorsum excernuntur.

Poculorũ usus.

XXXVII. Paratur 4. ex Antimonio *Vitrum*, & quidem modis variis, adeòque colore vario. Præfertur tamen meritò, quod per se, atque sine ulla additione alterius rei calcinatione, hinc & fusione obtinetur.

Vitrũ Antimonii quo modo paretur.

XXXVIII. Illud optimum est tum Vomitorium, tum Purgans per Alvum, omnes Humores peccantes feliciter evacuans.

Ejus vires.

XXXIX. Usurpari potest in substantia, si ejus in pollinem triti gr. j. ij vel plura pro Ægri ætate,

Usus et dosis.

asse-

affectu, robore, vitæ genere, aut consuetudine exhibeantur.

Usus tutior.

XL. Tutiùs tamen infunditur tritum hoc vitrum per noctem in Liquore conveniente, Vino multifario, Gallico, Rhenano, Hispanico, Greco, Canariensi, &c. Cerevisia, Aqua stillatitia, Hydromelite, Aceto vel Oxymelite, aut Oxysaccharo, &c. Unde Vomitorium paratur convenientissimum, efficacissimum, atque omnibus superiùs laudatis vulgaribus longè præstantius. Hinc extant infinitæ penè Descriptiones, ac Præparationes Oxymelitum, Oxysaccharorum, Vinorum, &c. Vomitoriorum.

Vomitoriam præstantissimum. Oxymel, Oxysaccharum, Vinum Vomitorium

Sapa Vomitoria,

XLI. Descripsi & commendavi alibi ex Antimonii Vitro paratam Sapam Vomitoriam, cujus effectum sæpissimè sum expertus laudabilem; quod medicamentum est gratissimum, ad piperis vel pisi mediocris quantitatem usurpandum in quovis liquore Ægris accepto.

XLII. Quemadmodum cum Musto paratur ex Antimonii Vitro Sapa, sic cum Pomorum redolentium, Pyrorum, Prunorum, Cydoniorum ac similium Succo inspissato parari possunt Mivæ, Syrupi Rob & aliorum nominum medicamenta Humoribus quibusvis per Vomitum educendis aptissima, tutissima, & gratissima. Et hoc præ aliis omnibus præstat Vitrum Antimonii, quod majoris adhuc facerent multi, si quantum in ipso lateat virium, ritè nossent. Sed de his pluribus agere non est hujus loci, aut temporis.

Miva Sirupi, Rob, &c. ex vitro Antimonii. Antimonii Vitri laus,

Mercurius vita malè à quibusdam Mercurius Mortis dictus.

XLIII. Ad Medicamenta Vomitoria & quidem Antimonialia refertur quoque ac meritò *Mercurius Vitæ* dictus, quem quidam inepti & ignari Cavillatores, imò Calumniatores vocarunt *Mercurius Mortis*, sed non sunt audiendi Asini de Lyra judicium laturi,

Ad Medicamenta antimonialia referendus.

XLIV. Refero autem hoc Medicamentum ad Antimonialia, utut haud ignorem aliquos Chymicos ipsum referre ad Mercurialia: qui tamen falsi arguuntur ex ipsius vel in Vitrum, vel in Reguium fusione satis facili, quod nunquam illi facient si medicamentum verè Mercuriale fundant.

Qua ratione paratur.

XLV. Paratur idem ex Antimonio, ejusve Regulo, & Mercurio sublimato simul per retortam in Butyrum destillatis, mox ad Aquæ simplicis affusionem in pulverem album præcipitatis: in qua destillatione bona Mercurii pars viva per retortam transit in butyro, aliqua in retortæ collo hæret, aliqua cum Antimonii sulphure in Cinnabarim vertitur & Igne forti in retortæ partem superiorem sublimatur.

Ejus dosis. Vires.

XLVI. Pulvis autem albus edulcoratur ad gr. ij. iv. v. & vj. exhibetur: estque Medicamentum optimum quosvis humores tam sursum, quàm deorsum fœliciter evacuans.

Pulveris Antimonii flavescentis dosis & vires.

XLVII. Ex eodem Antimonio & Nitri Spiritu destillatur quoq; ex retorta *Oleum ex flavo rubescens*; Cui affusa aqua Spiritum acidum eluit, atque *pulverem flavescentem* in fundo relinquit, qui ad gr. j. ij. vel iij. similiter Humores quosvis sursum ac deorsum educit.

XLVIII. Plura cum prædictis plus minùs convenientia solent à Chymicis parari ex Antimonio medicamenta, quæ omnia huc referre nimis longum foret, ac tædiosum; hæc pauca plerisq; nota exempli loco sufficiant.

Observatio utilis in Medicamentis ex Mineralibus & Metallis paratis.

XLIX. Notandum autem omnia ex Mineralibus & Metallis parata medicamenta, quò minùs sunt fixa, eò potentiùs Vomitum ciere, sicut magis fixa per Alvum magis purgant, hinc ampliùs adhuc fixata sudores imprimis movent, denique fixissima alterando dumtaxat & roborando Affectus ab Humoribus ortos emendant & tollunt. Quod magni faciendum in praxi.

Mercurialia Medicamenta magni facienda.

Mercurii sublimati & præcipitati vires.

L. Notatis & commendatis Vomitoris Antimonialibus proximum est, ut ad Mercurialia nunc pergamus, cum & illa sint magni facienda, quippe quæ mirabilia sæpè præstant in curandis Morbis gravissimis, & chronicis.

Medicamenta ex mercurio parata pro volatilitate aut fixitate vel per vomitum, vel per sudores evacuare vel alterare.

LI. Cum de Phlegmagogis, hoc est, Pituitam per Alvum Educentibus agerem in superioribus, memini *Mercurii tam sublimati, quàm præcipitati*, quem docui Humorem Pituitosum Glutinosum & Incidere adeòque ad Eductionem faciliorem ac leviorem præparare, & per alvum evacuare; nunc docebo eandem *Pituitam* eandem *sursum* quoque *Vomitu expellere*.

Medicamenta ex mineralibus et metallis quò volatiliora, eò magis vomitum ciere.

LII. Notandum autem (quod nuper de Medicamentis ex Antimonio, ut & aliis Mineralibus aut Metallicis paratis docui) ex Mercurio *quoque parata Medicamenta*, quò magis sunt Volatilia, eò potentiùs & abundantiùs Humores noxios per Vomitum extrudere; quò verò sunt magis fixa, eò eosdem per Alvum magis educere, hinc & per sudores atque tandem ipsos tantùm corrigere, atque sic quoque Sanitatem Hominibus restituere, aut conservare.

Volatilitas in Salibus Mineralibus et Metallis est considerãda Volatilitas et Fixitas secundùm Chymicos.

LIII. Singula, quæ nuper ac modò dixi, velim expendi ac trutinari accuratiùs, cùm ea non debeant pendi parvi, sed magni fieri, postquam magni sunt in Medicina fœliciter facienda usus.

LIV. Repeto proinde *Omnia ex Mineralibus & Metallis parata Medicamenta, quò sunt magis volatilia, eò esse ad Vomitum ciendum aptiora.*

LV. *Volatilia* enim, quemadmodum *in Salibus*, ita in *Mineralibus ac Metallis* est maximè considerabilis; quippe quæ Ignem magis ferre possunt, quàm quævis alia.

Spiritum Volatilem ad ignem blandum attolli.

LVI. *Volatilitas* certè, ac *Fixitas* secundùm Chymicos *dicitur ratione Ignis*, quem quæ minimè possunt ferre, quin abeant mox in aerem & auras, dicuntur ipsis *Volatilia*; sicut *Fixa*, quæ possunt diu, aut semper in Igne etiam forti ac vehementi persistere.

Spiritum sequi aquã

Oleum Ignis augmentũ requirere.

LVII. *Spiritus* quidem, ideò *Volatilis* à me dictus, qualis paratur è vino, aliisque Plantarum Succis expressis, aut Decoctis, sed priùs fermentatis, *ad Ignem blandum attolitur*, & nisi coerceatur, *Halitus* forma in aerem dispergitur facillimè.

Terram igne non sublevari Sed in Vitrum verti.

LVIII. Huic succedit *Aqua*, quæ Spiritum mox sequitur, & *Vaporis* forma attollitur, ac in auras abit.

Sal igne funditur. Volatile assurgit. Fixũ in fundo manet.

LIX. *Oleum* Igne aucto accenditur in Aere libero, vel colligitur in Vasis clausis.

LX. *Terra* Ignis vim eludit, nec ab ipso solo aliquid mutationis accipit; aliis autem additis mutationes varias eorum ratione in Igne subit; unde *sale fixo ipso admisto in Vitrum vertitur Igne forti*, & sic porrò.

Major in mineralibus et metallis partiũ unio quàm in Vegetalibus

LXI. *Sal* qualecunque in Igne funditur, & *aliàs simul assurgit*, quando est *Volatile*; aliàs *infusione perdurat*, quando est *fixum*.

Cum Salibus habere affinitatem et ab ipsis accipere varietatem.

LXII. *Mineralia & Metalla*, in quibus est intimior partium componentium unio, quàm in Vegetabilibus vel Animalibus, magnam habent cum Salibus affinitatem, & ab ipsis notabilem accipiunt varietatem.

Metalla & mineralia igne fluere. Quædam avolare quædam permanere.

LXIII. Unde *Mineralia & Metalla funduntur & fluunt in Igne*; quin ipsorum quædam tunc simul in totum aut ex parte saltem avolant & pereunt in Igne, quædam contra permanent ac perdurant in ipso.

Quænam perfectiora, quænam imperfectiora.

LXIV. Quin pro *perfectioribus ac præstantioribus* habentur quæ *Ignem possunt ferre*; sicut pro *imperfectioribus ac vilioribus*, quæ *vim Ignis sustinere non possunt*.

Ex ipsis parata medicamenta quænam præstantiora, & quænam nò.

LXV. Idem quoque observamus verum in *medicamentis ex ipsis paratis*; quæ longè sunt *præstantiora*, si *possunt Ignem ferre* ac in ipsis perdurare, *minùs præstantia* verò, quæ *Ignem fugiunt* atque in auras abeunt.

Fixiora habere Operationem præstantiorem; Volatilia verò contra.

LXVI. *Fixiora* quidem ac in Igne perdurantia *Medicamenta* ex Mineralibus & Metallis parata *operationem* habent in superandis morbis *tutiorem*, *blandiorem*, ac *præstantiorem*, licèt simul *lentiorem*, sicut contrà eadem magis *Volatilia*, hoc est, minùs fixa operationem minùs tutam, minùs blandam ideoque minùs præstantem, laudabilemque.

LXVII.

Meliùs per Alvum quàm per Vomitū educi humores; Et adhuc meliùs per sudores & Vrinas quàm per Alvum & Vomitum.

LXVII. Utique longe tutiùs & blandiùs per *Alvum educi Humores peccantes*, quàm *per Vomitum mittum*, quoniam hic major infertur corporis vis, ibi longè minor.

LXVIII. *Longè tutiùs & blandiùs* est *per Sudores aut Vrinas educi Humores* peccantes, quàm *per Alvum aut Vomitum*, quoniam hic quàm ibi magis excitatur Humorum peccantium agitatio & conturbatio; quæ semper est minùs tuta.

Tutiùs Humores corrigi quã educi.

LXIX. *Longè tutiùs Corriguntur ac Emendantur*, quàm *Educuntur peccantes Humores*, quoniam omnis Evacuatio cum aliquali contingit Corporis debilitatione.

Variationē hanc deberi majori aut minori fixitati.

LXX. Atque *hæc Mutatio* notabilis & varia *debetur* unicè Medicamentis *magis, vel minùs fixis*.

LXXI. *Præferenda* proinde *Medicamenta fixiora minùs fixis*.

Fixiora præferenda.

LXXII. Hisita in genere accuratiùs propositis & probatis, pergamus ad ipsa *Vomitoria ex* Mercurio parabilia.

Vomitoria Mercurialia duplicia.

LXXIII. Sunt illa, sicut diximus iam in superioribus, vel *Sublimatione*, vel *Præcipitatione* parata.

Mercurii Sublimati corrosivi Dosis, Vires.

LXXIV. Potentissimum, nec satis tutum Vomitorum est *Sublimatus corrosivus*; cujus dimidium granum multo liquore priùs solvendum ac diluendum vim obtinet in vomitu ciendo maximam.

Mercurii Sublimati Dulcis Vires.

LXXV. Educit autem *Pituitam*, etiam *tenacissimam*, quam simul *ad eductionem, incidendo ac solvendo, præparat*.

Mercurii variè præcipitati.

LXXVI. *Mercurius sublimatus dulcis* longè blandius est corrosivo medicamentum, & rariùs vomitum ciens, cujus dosis est ad ℈j.&ʒß. *Pituitam* similiter *glutinosam incidit, attenuat, & blandè adeòque tutò evacuat*.

Qui fiat ad Vomitum potentior.

LXXVII. *Præcipitatur* variis modis *Mercurius* & in genere quidem, aut Spiritum acidum ab ipso abstrahendo, aut in ejus in Acido Spiritu solutionem Aquam salsam infundendo.

LXXVIII. Quò *Spiritus Acidus leviùs*, adeòque *minùs abstrahitur*, eò *Mercurius* existit *minùs fixus, adeòque ad Vomitum ciendum potentior*.

Qui fiat magis vel minùs fixus.

LXXIX. Quò rursus *Spiritus acidus* abstrahendus *majorem aut minorem habet figendi potestatem*, eò quoque *magis, vel minùs fixus remanebit* in Retortæ fundo Mercurius.

Qui fiat colore varius.

LXXX. *Color varius* paratur hic Mercurius *Præcipitatus*; *flavus*, qui verè *Turbith mineralis* vocatur, cum *Oleo sulphuris per campanam* paratus; *rubeus*, & *coralinus*: quin ad Metallorum quorundam additionem *viridis*, aliterve coloratus.

Ejus Dosis.

LXXXI. Exhibetur autem ad gr.ij. iij. iiij. v. aut vj. prout magis, vel minùs fixus existit.

Mercurii Vomitivi Dosis.

LXXXII. Qui cum *Aqua Salsa* præcipitatur Mercurius *albus* existit, & ad vomitum ciendum satis quoque aptus, daturque ad gr.iv.v.vel vj.

Sal & Crystalli Lunæ Vomitivi.

LXXXIII. Atque sic magis notas Mercurii Vomitorii præparationes paucis attigimus, uno verbo aliquid de *Vomitorio Lunari* dicturus, *Sale* puta vel *Crystallis Lunæ* inter Hydragoga Melanagoga memoratis, à quibus non tantùm per *Alvum*, verùm per *Vomitum* quoque *Humor serosus*, *ac Melancholicus Austerus* solet evacuari.

LXXXIV. Infinita adhuc ex aliis subjectis parari solent à quibusdam, & commendari Vomitoria; sed hæc nunc sufficiet.

CAPUT XI.

De Sudoriferis.

Sudorifera & Diuretica quem ede evacuent.

I. INter ea quæ Humores in Corpore redundantes Minuunt, etiam *Sudorifera* numerantur & *Diuretica*. Illa quidem per *Corporis Cutim* & ejusdem *Poros* hæc verò per *Renes*, *Vreteres*, *Vesicam* & *Vrethram* illos evacuant, sicque minuunt.

Utraque Gradibus tātū differre. Potentiora esse Sudorifera. Debiliora Diuretica. Quinā humores utiliter per sudores evacuentur, & quinā non.

II. Utraque autem *gradibus tantùm differre* videntur Vomitoria & Purgantia per Alvum; adeo ut *potentiora*, & Humores minuendos Educendòsque magis agitantia & solventia *fiant potius Sudorifera*, quam *Diuretica*; quin eadem tam Sudores, quàm Urinas ferè Moventia, unde si *minùs efficacia* sunt, aut Humores Minuendi minùs apti, ut per Sudores vacuentur, tunc ferè *per Vrinas expelli solent*.

III. Utiliter *per Sudores Minuuntur*, Vacuanturque non Humores omnes; sed quidam tantùm, nam *non Sanguis*, *non Bilis*, sed *Pituita* quævis, *Serumque* omne tam *Aquatum*, quàm *Salsum Muriaticum*, *Acidum*, & *Austerum*.

Pituita Glutinosa ante evacuationem præparāda. Vt & Humor Austerus Acidusque.

IV. *Pituita* verò *Glutinosa* cùm sit ad Motum minùs apta, priùs vel simul *Incidi* debet, *Attenuari* & *Fluida fieri*, quò faciliùs queat per sudores, aut cum sudore foras expelli.

V. Sic Humor *Austerus*, *Acidusque* præparari debet ad sui per Sudores expulsionem.

Quinā Humores educūtur ex Sudore patere.

VI. Notatos Humores per Cutis Poros adeòque Sudores propelli, expellique patet ex ipso *Sudores*, qui aliquando *Glutinosus* prodit, sæpiùs *Aqueus*, & *Insipidus*, aliquando *Salsus Muriaticus*, aliquando etiam vel *Acidiusculus*, vel *Austeriusculus*.

Sudor Amaricans Spontaneus.

VII. *Sudorem Amaricantem* quoque licèt, rarissimè, manare, si mea memoria me non fallit, existimo: quamvis *nunquam* observatum hoc à me, alisve factum *Arte* adeòque Medicamentorum ope: sed fuit is *spontaneus*.

Humor Aqueus & insipidus quovis sudorifero expellitur.

VIII. *Humor Aqueus & Insipidus* cùm facilè Moveatur, ac Emoveatur, à quovis expelletur Sudorifero.

Glutinosus ab iis, quæ simul attenuant.

IX. *Humor* autem *Glutinosus* ab iis tantùm quæ vim habent simul Humorem talem *Incidendi & Attenuandi*.

Salsus Muriaticus, ut & Acidus Austerusque à Salibus volatilibus.

X. *Humor Salsus Muriaticus*, ut & *Acidus*, *Austerusque* cedit præsertim *Salibus Volatilibus*, & ipsorum motum sequi solet ad corporis superficiem.

Sudorifera secundum Humores educēdos diversa. Quod notandum in facienda Praxi.

XI. Adeò, ut, quemadmodum dixi de Vomitoriis, nunc dicere quoque debeam de *Sudoriferis*, *ipsa diversa esse secundùm Humores*, quos educunt, *quoique* notasse *usum habebit in faciendа rite praxi Medica* & Sudoriferis cuique Humori educendo convenientibus seligendis ac præscribendis; quod magis patebit ex Sudoriferorum materia ordine proponenda.

Et omissū vulgò à Scriptoribus. Paucos scribere quod sint experti. Plerosque ex aliis exscribere. Paucos aliquid certi posse testari.

XII. Utique non fatis possum mirari non fuisse hoc observatum à multis, qui de Sudoriferis multa scripserunt vel potiùs exscripserunt, sicut mos est plerorumque. Pauci namque scribunt tantùm aut imprimis quod ipsi sunt experti, quia pauci aliquid verè experiuntur, sed illa, quæ ab aliis audiverunt, aut in eorum scriptis legerunt, adeòque fide historica pro vero admiserunt, in usum revocant, nunquam dubitantes an ita illa se habeant, sicut sunt eadem ab aliis prolata; unde mirum non est, si tam pauci possint aliquid certi de plerisque testari; nam ægrorum cura si una non succedat, alia aggrediuntur via.

Immensus labor Medicamentorū Vires causasque scrutari. Facilè aliorū Opera vellicare.

XIII. Certè labor immensus est (quemque fugiunt plerique homines, magis pratici, hoc est, garruli, quàm verè practici) *Labor*, inquam, *immensus est*, *omnium medicamentorum*, quibus quis utitur in facienda praxi, qualitates sensiles tam proprias, quàm communes accuratè observare, atque *operationem*, hinc & *singulorum rationem*, *caussasque scrutari* ac eruere: longè autem *facilius est*, *aliorum* labores, observationes, inventa, etiam optima, certissima & manifesta *vellicare*, rodere, corrumpere, contemnere atque falsi suspecta reddere, quod strenuè faciunt multi, loqui, quàm operari, magis docti.

Radices Sudorifera.

XIV. Inter Sudorifera numerantur vulgò *Radices Apii*, *Bardanæ*, *Angelicæ*, *Fœniculi*, *Petroselini*, *Pimpillæ*, *Zedoariæ*, *Gentianæ*, *Contrayervæ*,

servæ, *Imperatoriæ*, *&c.* quæ omnes cùm sint *Aromaticæ*, hactenus videntur Sudorem movere, quatenus *Humorem Pituitosum Glutinosum incidunt*, atque *Mobilem faciunt*, atque simul quaquaversùm propellunt, adeòque ad Cutis quoque Poros.

Et quatenus tales.

XV. Quin eædem Radices, quarum nonnullæ *Amaricant*, aliæ aliter sunt *Acres*, *Acidum* quoque atque *Austerum* ut & *Salsum Muriaticum* plus minus *Temperant Corriguntque*; & sic quoque Sudores promovent ab illis impeditos in multis morbis.

Quasdam earum Acidum atque Austerum Humorem temperare.

XVI. Huc referri debent *folia Cardui Benedicti*, *ejusque semen*, *Capillus Veneris*, *Scabiosa*, *flores Papaveris erratici*, *Sambuci*, *Chamæmeli*, *Centaurii minoris*, *&c.* ut & *Lignum Guajacum*, *Sassafras*, *Juniperinum*, *Quercinum*, *Buxinum*, &c. Quæ omnia simili modo juvant postquàm vel Pituitam Glutinosam incidunt, vel Humores Acidos, Austeros, Salsosve Muriaticos Alterant, & Corrigunt.

Alia præterea Sudorifera Folia, Semina, Flores, Ligna,

XVII. Huc referri debent omnia *Salia Volatilia*, *C. C. Urinæ*, *Salis Armoniaci*, *Ossium*, *Sanguinis*, *Ungularum*, *Cornuum*, quippe quæ idem præstant & modis omnibus juvant.

Salia Volatilia Sudorifera ex quibus educantur.

XVIII. Quin *Lapis Bezoar & Orientalis & Occidentalis Acidum infringunt*, ac *concentrant*, & potentiùs *Lapis de Porco*, cùm valdè *Amaricet*, quod etiam testantur de *Lapide Bilis humanæ*.

Lapides Sudoriferi qui nam.

XIX. Idem dicendum de *Oculis Cancri*, *Corallis*, *Margaritis*, *Conchis*, *et similibus*, quæ *Acido peccante* usurpata non semel Sudorem movent.

Marina Sudorifera.

XX. Hoc imprimis verum de *Opio*, cujus præsertim ratione *Sudores movent omnia Opiata*. *Opium* siquidem *amarore* suo *Pituitam Incidit*, *Humores Acidos*, *Austeros*, *& Salsos Temperat*, & sic quoque Sudores promovet.

Opii Vires.

XXI. *Terra sigillata* in se continet, quod *omne Acre Temperat*, cujus ratione Sudorem quoque promovere videtur.

Terræ sigillatæ vires.

XXII. *Antimonium Diaphoreticum & Bezoardicum Minerale* quodvis, *quatenus* fixum est redditum, & quidem ratione sui sulphuris, *omne Acre Temperat* & ad Mediocritatem reducit, & sic quoque Sudorum propulsionem promovet.

Antimonii Diaphoretici & Bezoardici Mineralis Vires.

XXIII. *Mercurius Præcipitatus Diaphoreticus*, ex Mercurio sublimato Corrosivo in Aqua decoctione soluto, per affusum Oleum Tartari per deliquium paratum præcipitato, & edulcorato factus, ad gr. iv. v. vj. Sudorem quoque movet, Pituitam Glutinosam solvendo; Unde Obstructionibus quoque conducit.

Mercurii præcipitati Diaphoretici præparatio, Dosis, Vires.

XXIV. Atque sic aliqualem Sudoriferorum internorum, & assumendorum Materiam, & Operandi Modum, Rationemque proposuimus, ex quibus longè plura eruere poterit, quisquis sedulas fuerit Medicamentorum observator: sequitur ut quædam de Externis loquamur Sudoriferis.

Sudorifera esse interna. Ex allatis sudoriferis plura erui posse.

XXV. *Sudores* quoque *Movent*, ac in eum finem usurpantur varii generis *Balnea*, 1. *Aeris*. 2. *Aquæ dulcis*. 3. *Ex Plantarum decoctis*. 4. *Spiritus Vini accensi*. 5. *Vaporis*, *Aceti*, *aliorumque*. 6. *Sulphurea* & similia Naturalia. 7. *Fotus*. 8. *Tegulæ calefactæ*, *Lintea*, ut & *Arena Calens à Sole*, *aut Igne*, *& similia saccis inclusa* & corpori applicata. 9. *Frictiones*, ac *Inunctiones*. 10. *Tegumenta*, & si quæ plura id possunt præstare: quæ omnia forinsecùs usurpantur.

Sudorifera externa quænam.

XXVI. Non tantùm intra corpus assumpta Medicamenta, quin & *Potus calens assatim* haustus Sudorem Movent ac Emovent; verùm externa quoque, eaque pluriroa & maximè diversa, inter quæ præcipua sunt *Balnea multiplicia*.

Non tantùm interne assumpta, sed & externa sudorem movere; ut Balnea.

XXVII. Sic Solus *Aer arte calefactus & Balneum siccum constituens* in Hypocausto, aut alio loco angusto, vel ad Ignem luculentum sedendo, Sudorem potenter elicit, atque ubi *Humiditas Aquea* in corpore redundat, sic satis facilè ac feliciter per Sudores Expellitur: *non item Humor Austerus*, *vel Acidus*, *vel Salsus Muriaticus*, quamvis *Humor Glutinosus* possit quoque sic & attenuari & expelli per Sudores: dummodò satis diu continuentur, ne Humor idem Igne solutus & quaquaversùm propulsus Coaguletur denuò in Vasis Capillaribus, ibique Obstructionem pariat, & mala plura eam consequentia.

Balneum siccum. Humorem aqueum expellere. Non verò Austeru in Acidum, vel Salsum Muriaticu, Attamen Glutinosum & quomodo.

XXVIII. Huic proximum est *Balneum Spirituosum*, atque per accensum Vini Spiritum ritè paratum, sive quis in *dolio* aliove *Instrumento ligneo*, *aliove sedeat*; vel, quod præstantius, *in lecto jaceat Instrumento convenienti tegatur*; atque in loco extremo, aut infimo Vini Spiritus accendatur, qui Corpus petens ipsum penetret atque mox Sudorem Copiosum eliciat.

Balneum Spirituosum quot modis paretur.

XXIX. Hoc Balneum plerisque aliis longè præstantius *Humores* quosvis superiùs *notatos* tum *Alterat*, *& ad Eductionem præparat*, tum *facillimè educit aut elicit*.

Ejusdem Effecta.

XXX. Huic *Balneo* succedit *Naturale ex Aqua Sulphurea calente paratum*, quod imprimis *Humoribus Glutinosis Incidendis ac Educendis* conducit; quin *Aqueos* etiam facillimè propellit; sed & *Austeros*, *Acidosque*, & *salsos Muriaticos Temperat*, hinc foràs expellit.

Balneum Naturale inquos humores agat.

XXXI. Quarta *Balneorum* species esto *Artificialis*, sed *Aquæ Dulcis puræ Calefactæ*, cui Insidentes Homines, ad sudoremblandum deducuntur, condicitque imprimis *Humoribus Salsis Muriaticis*; ut & *Austeris* & *Acidis Diluendis ac Educendis*: non item Aqueis, aut Glutinosis expellendis, quos ferè vel Auget, vel non satis educit.

Balneum Aquæ Dulcis calefactæ, quibus humoribus educendis conducat.

XXXII. Huic proximum balneum est *Vegetabile*, ex variis plantarum partibus in Aqua pura aliove Liquore decoctis paratum; quodque ratione Plantarum omniumque Aromaticarum, ex quibus confici solet, plurimum præstat in *Humoribus Glutinosis attenuandis*, *Acidisque*, *& Austeris*, *atque Salsis Muriaticis Corrigendis*, *ac Temperandis*, ut & *Corporis Partibus roborandis*, ne ab Aqua nimium humectatæ flaccescant.

Balneum Vegetabile ex quibus fiat & quænam præstet.

XXXIII. Quemadmodùm Vini Spiritu accenso paratur Balneum sudorem movens, sic *ab Aceto*, *vel Decocto modò memorato Ignitis & Candentibus Lateribus vel silicibus affuso*; vel ab iisdem in dictos liquores projectis *Vapor attollitur*, qui Corpus nudum loco angusto, Dolio puta, vel aliquo Instrumento apto conclusum feriens ac in poros ejus penetrans sudores excitat, atque Humores peccantes simul expellit.

Balneum Vaporosum qui paretur, & quid præstet.

XXXIV. Balneo succedit proximè *Fotus*, quo Partes aliquæ solæ deduci possunt ad sudorem. Est namque fotus vel *Aquæ solius Calentis*, vel *Lactis*, vel *Decocti plantarum in Lacte*, vel *Aqua*, vel *Cerevisia*, vel *Jusculo*, vel *Vino*, vel *pluribus* simul junctis, addito nonnunquam *Vini Spiritu*.

Fotus quid efficiat. Et quot modis paretur.

XXXV. Usurpatur autem Fotus variis modis *applicando Liquorem* Calentem *ope Sacculorum*, quibus inclusæ sunt plantæ, vel *pannorum lanceorum*, *liquori immersorum*, vel *spongiarum*, vel quando Humiditas externa metuitur, *ope Vesicæ bubulæ*, quæ ad medium liquore calente impletur, atque ligata parti fovendæ applicatur, & tamdiu ibi relinquitur, quamdiu calet Liquor: Tunc enim alius calens in prioris locum sumendus, & similiter fovendæ parti applicandus.

Et applicetur.

XXXVI. Quemadmodùm cum rebus Humidis foventur ac fomentantur partes multæ, sicque ex ipsis elicitus *sudor*; ita non malè *siccarum rerum ope idem promovetur*, sive *soli panni linei*, *laneive calefacti* parti affectæ applicentur, sive *iisdem plantarum* partes variæ, ac imprimis *folia*, *flores*, *ac semina* in pulverem redacta includantur, quin *Sal vulgare tostum*, *vel Arena ipsis addatur*, moxque Calefacti tales Sacci applicentur ad sudorem eliciendum.

Fomentatio per res siccas quot modis fiat.

XXXVII. Quemadmodùm *arte calefit arena*, quæ Corpori applicetur, sic in Regionibus calidiori-

Arena à Solis radiis.

Calefacta sudorē movet. Hydropis curatio.

dioribus, aut æstatis tempore à Solis radiis calefacta *Arena*, si ea corpus nudum tegant homines, non ita difficulter *sudor excitatur*, & *Hydrops* aliquando curatur.

Frictiones sudorem movere. Eundemque promoveri cum Vini Spiritu, aut Oleis destillatis inunctione.

XXXVIII. Ad Sudorem promovendum faciunt quoque *Partium frictiones*, quarum ope cutis pori aperiuntur, & Sudor non ita difficulter elicitur: imprimis si concurrat *Partium cum Vini spiritu*, vel Oleis destillatis ac penetrantibus *inunctio*.

Tegumenta Sudorem movere copiosa. At Mediocria eundē promovere.

XXXIX. Denique *Tegumenta*, si satis multa corpori imponantur, aut circumponantur Sudores tum *promovere*, tum *sola movere possunt ac solent*.

XL. Nisi corpus quovis modo ritè sit tectum, atque contra externi Aeris frigus, quando illud urget, munitum, impeditur ab Aeris frigore Sudor; quapropter, sicut *Sola Tegumenta*, si copiosa fuerint, *Sudores possunt expellere*, ita eadem dummodò mediocria usurpentur, eundem possunt *promovere*, quoties nempe alia simul sunt in usum revocata, quæ Sudorem per se movere sunt apta.

XLI. Atque sic pleraque, quæ ad Sudores movendos facere aut concurrere possunt, in compendio examinavimus, proximum est, ut similiter Diuretica examinemus.

CAPUT XII.

De Diureticis.

Humores, quando ob varias causas per sudores nō expelluntur, per Urinas externi.

I. Diximus nuper *gradibus* inter se *differre Sudorifera & Diuretica*; adeò ut, quoties aut *Humores minùs apti* sunt, ut per Sudores expellantur, aut *minùs efficacia sunt Remedia* ad Sudores movendos usurpata, aut *non satis munitum est contra Aeris frigus corpus; ejusve pori alias non satis patent*, aut quidvis aliud ad Sudoris expulsionem necessarium desideratur; ut inquam, tunc *Excretio fiat per Urinas, vel cum Urinis.*

Faciliùs Humores Sanguini confusos per Urinam, quàm per sudores excerni. Ejus ratio.

II. Facilius enim est, *Humores* qualescunque Sanguinis massæ confusos, aut confundendos, ab eadem in Renibus, quàm in Corporis Habitu secerni, ac proinde *per Ureteres, Vesicam & Urethram*, quàm *per Cutis Poros Excerni*.

III. Patent siquidem magis omnes intra Corpus, quàm in superficie, Habitu ve existentes Viæ, & quidem propter Calorem in ipso Corpore, quàm in superficie majorem: à Calore namque, ejusve Caussa non tantùm Humores omnes fiunt Fluidiores, verùm Viæ quoque omnes Patentiores.

Citiùs in Corporis superficie quā in interioribus Vias occludi.

IV. Impediuntur proinde *Citiùs* & Ampliùs *in superficie*, quàm *Corporis Interioribus Viæ* ab Externo Frigore.

Quicquid Universali Evacuatione excluditur, Sanguini esse permixtum.

V. *Quicquid* autem *Universali Evacuatione* aut per Sudores aut per Urinas *excludi* solet, id omne jam est *Sanguinis Massæ admistum*, vel saltem, antequam viis notatis expellatur, ipsi admiscendum.

Diureticorum Definitio.

VI. Per *Diuretica* verò hic ea intelligimus *Medicamenta, quæ Humores* in Corpore aut Redundantes, aut aliter noxios vel à Sanguinis massa, vel ab aliis Patibus separant, & *ad Urinæ vias deducunt, ut ipsa Excernantur*.

Pituitam Glutinosam posse cum Urina excerni.

VII. Potest namque fieri, ut *Pituita Glutinosa* in tenui Intestino cumulata, vel Corporis Habitu hærens, atque Leucophlegmatiam, vel alios Tumores OEdematosos producens Incidatur & inde separetur, mox Sanguinis Massæ admista unà cum Urina in Renibus secedat, hinc per Ureteres ad Vesicam deferatur, tandemque *Urina* eadem *Excernatur*.

Idque faciliùs si Viæ dentur ex tenui Intestino ad Renes.

VIII. Si, quod aliqui asseverant se observasse, detegantur *Viæ rectà ex tenui Intestino ad Renes latæ*, poterit per illas Pituita Intestinalis Soluta, vel Dissoluta unà cum Potus fluidioris parte sine ambagibus eò deferri, & posteà per Ureteres ac Vesicam Expelli.

Omnia Sudorifera referri inter Diuretica.

IX. Si quis autem non tantùm Medicos, & imprimis Practicos legat, verùm Medicamentorum usurpatorum Effectus observet, agnoscet facilè omnia penè Sudorifera nuper à me proposita & laudata referri quoque in Diuretica, & promiscuè ad Humores Vitiosos tum per Sudores, tum per Urinas Evacuandos præscribi ac fœliciter usurpari.

Post assūpta sudorifera & diuretica non mox sudorem & urinam copiosam excerni. Hujus ratio.

X. Ubi per transennam & obiter notandum, quemadmodùm non semper mox consequitur Sudor usurpationem Sudoriferorum, ita non semper mox consequi Urinæ copiosæ atque Humoribus Vitiosis plenæ Excretionem ubi assumpta sunt Diuretica.

XI. Cujus rei ratio manifesta; Ubi namque ad secretionem, hinc & Excretionem non sunt apti vel dispositi Humores vitiosi, ibi præcedere debet illi requisita eorundem Præparatio, hoc est, blanda Separatio & Secretio; qua perfecta contingit facilè eorundem Excretio.

Diuretica & præparare, & excernere Humores.

XII. Pleraque autem laudanda hic Diuretica non minùs ad Excretionem præparant, secernuntque Humores Vitiosos, quàm ipsos Excernunt, Expelluntque.

Diuretica duplicia. Blanda Violenta. Quæ etiam Sanguinem, & aliquando animam cum Urina expellunt.

XIII. Inter *Diuretica* verò observo *duplicia* commendari à Medicis Scriptoribus, alia quidem, quæ *blandiora* sunt, & nullam vim Corpori afferunt, alia *Violenta magis*, quæque si Humores noxios haud inveniant in corpore, in quos agant, & vim suam exerant, quin & obtundant, corpori noxam afferant, quin Sanguinem purum, & quandoque cum ipso Animam expellant unà cum Urinis.

Priora tuta, Posteriora periculosa.

XIV. Quemadmodùm autem *priora Diuretica tuta* sunt, ita *posteriora periculosa*.

Illa commēdantur, hæc dissuadentur.

XV. Et quemadmodùm *priora commendo*, ita *posteriora* sunt mihi *suspecta*, nec ipsis temerè aut frequenter utendum arbitror.

Tutiora Diuretica, Radices. Folia. Semina.

XVI. Primorum materiam priùs consideremus. Sunt autem *Radices* Apii, Petroselini, Fœniculi, Eringii, Asparagi, Ononidis, Rusci, Valerianæ, Pimpinellæ, Urticæ, Graminis, Asari, Plantaginis. &c.

XVII. *Folia* chærefolii, eupatorii aquatici, absinthii, petroselini, urticæ, fragariæ.

XVIII. *Semina* dauci, fœniculi, seselios, chærefolii, milii solis, saxifragiæ, violariæ, malvæ, ciceres; & semina 4. frigida majora dicta.

Baccæ. Nuclei. Fraga. Succus. Vina.

XIX. *Baccæ* Juniperi, Ebuli, Sambuci.

XX. *Nuclei* Persicorum, Amygdalæ amaræ.

XXI. *Fraga*, Terebinthina Veneta.

XXII. *Succus* Citri, Limonum.

XXIII. *Vinum* Rhenanum, Mosellanum, & quodvis inde Diureticum dictum.

Alumen. Ejus dosis & usus.

XXIV. *Alumen* Crudum à ʒß. ad ℥j. in Vino Calente solutum, & post edulcationem calidè usurpatum.

Olea Stillatitia.

XXV. *Oleum Stillatitium* Juniperi, Terebinthinæ Venetæ, Ceræ. *Hartm. Pr.* 1. 16.

Spiritus.

XXVI. *Spiritus* Salis, & Nitri, tum purus, tum cum Vini Spiritu dulcis factus.

Oculi cancri.

XXVII. *Oculi Cancri.*

Salia Volatilia.

XXVIII. *Sal Succini Volatile*, & quodvis *Sal Volatile* ex variis animalium partibus paratum.

Tinctura

XXIX. *Tinctura Tartari* aliquamdiu continuata.

Diuretica minùs tuta 1. Scorpio. Ejus usus, 2. Millepedes, sive Aselli. Eorū Usus. 3. Cantharides. Earum Usus, & præparatio.

XXX. Inter Diuretica minùs tuta, adeòque non semper absque periculo usurpanda est 1. *Scorpio*; cujus usti cinis ex Vino etiam secundùm Veteres ad Urinam movendam exhibetur.

XXXI. Secundum locum occupent *Millepedes*, aut Aselli vocata Animalcula sub Lapidibus ferè ad Terram latitantia, quorum Succum expressum cum Vino exhibent.

XXXII. Tertium locum teneant *Cantharides*, quarum Usus satis frequens est in Gonorrhœa Virulenta: non malè infunduntur in Vini Spiritu, hujusque aliquid additur Decocto convenienti; atque sic tutiùs exhibetur, quàm si Pulvis cantharidum propinetur.

XXXIII.

4. Vermes Majales. Eorum Vires.

XXXIII. Quartum locum dabimus *Vermibus Majalibus* dictis, nigricantibus, valdè fœtentibus, & potentissimè urinas moventibus in Podagra, &c.

Posteriora hæc Diuretica non convenire humoribus, sed ipsi Urinæ excernendæ. Priora Universalia.

XXXIV. Sed notandum hæc *posteriora Diuretica* non tam convenire *Humoribus in Sanguine, alibive hærentibus per Urinas educendis*, quàm *ipsi Urinæ haud secretæ secernendæ, atque excernendæ*: adeo ut priora Diuretica sint magis Universalia, & passim usurpanda; posteriora magis Particularia & in certis Affectibus convenientiora.

Posteriora particularia; & pro periculosis habenda; & admodû cautè usurpanda, & quando.

XXXV. Posteriora hæc sicut aliquando Sanguinem purum propellunt loco Humorum in Sanguine, alibive peccantium, ita meritò, *pro periculosis habentur* medicamentis, adeòque non nisi magna & continua, prudentique *cautione* adhibita *usurpandis*.

XXXVI. Possunt tamen *ubi frustra sunt* in usum revocata *Diuretica blandiora*, urgetque malum grave, nonnunquam etiam, sed, uti dictum, prudenter exhiberi, attendendo semper ad effectum; qui quamdiu est bonus, continuandum in eorum usu; quamprimùm vel minima observatur noxa, cessandum ab ulteriore ipsorum usurpatione, dandaque opera, ut mox malis inde ortis occurratur.

Atque sic Diureticorum quoque materiam & vires paucis percurrimus.

CAPUT XIII.

De Salivatione ac Ptyalismum excitantibus Medicamentis.

Humores etiam per Salivationem evacuari, ac Sputationē.

I. NOn tantùm per Vomitum, aut Secessum, non tantùm per Sudores, aut Urinas *Minui ac educi possunt* ex Universa Sanguinis Massa & Corpore Universo *Humores*, verùm per *Salivationem* quoque ac *Ptyalismum*, sive *Expuitionem*, & *Sputationem*.

Ejus utilitas.

II. Nec tantùm illa Evacuatio utilis est in *Luis Venereæ curatione*, ast in plurium *Affectuum gravium* à Pituita Glutinosa; Humoribusque aliis eidem immersis & implicatis prodeuntium Sanatione.

Salivatio quotuplex.

III. Nec tantùm *Arte* instituitur *Salivatio Artificialis*, sed nonnunquam ipsa nutatur *Spontanea*, eaque subinde *Critica*, *chronicos* Affectus tollens, quandoque *Symptomatica*, homines tandem miserè tollens.

Ejus definitio.

IV. Est autem *Salivatio*, *Humorum Evacuatio Universalis per Salivaria* vasa in Os delatorum, sicque excretorum instituta.

Quinā Humores Salivatione evacuantur.

V. *Humores*, qui frequentiùs per *Salivationem sponte* Evacuantur, sunt plerumque *Pituitosi*, tam Tenues, quàm Glutinosi: aliquando *Acidi* quoque & *Salsi*, quippe qui Pituitæ admiscentur facilè ac intimè, habentque hi omnes aliquam cum Saliva affinitatem. Saliva siquidem facilè in Humorem Pituitæ similem abit, quoties in vasculo colligitur & asservatur.

Quinam Salivā excernant copiosam.

VI. Quemadmodum verò *Melancholicis* multis evenit, ut tenue sputum copiosum excernant, indeque vocentur *sputatores*, sicque Salivam eiiciant fluidiorem; ita non paucis Senibus, Pituita multa, eaque satis glutinosa scatentibus evenit, ut Salivam itidem copiosam sed crassiorem excernant, eamque insipidam; unde molestiam quidem patiuntur, non item insigne damnum.

Non tātùm Humores insipidos sed etiam acres imò acerrimos excerni per Salivationem. Eorum effecta.

VII. Non desunt autem, quibus *non blandi ac penè insipidi, sed acres, imò acerrimi Humores*, nunc fluidiores nunc tenaciores, continua *Salivatione* ex ore fluunt, exciduntque; quique non tantùm *lintea*, & *pannos laneos*, sed *corium* quodvis contra corruptionem paratum *rodant & consumant*, *Ægrosque* noctu, diuque miserrimè per annos multos ad mortem usque *torqueant*, & *tandem necent*.

Eos esse incurabiles.

VIII. Tales plures vidi, & cum dolore vidi, postquam ipsos *nec à me, nec ab aliis unquam curatos*, pristinæque sanitati restitutos vidi: quamvis subinde aliquod ipsis attuli levamen, nunquam verò sanationem.

Via per quas separantur humores acres

IX. Plerisque autem à *partibus inferioribus* sentiuntur assurgere acres halitus qui caput circa tempora mirè, misereque lancinent, quas crudeles lancinationes solet mox excipere *Humoris acerrimi effluxus ex ore*; à quo magis rodantur, quàm consumantur gingivæ, cæteræque in ore existentes partes.

Non purgātibus, sed tēperantibus levari.

X. Tales autem *purgantibus* medicamentis vix unquam levantur, magis *anodynis* & *narcoticis*, aliisque Humores acres *temperantibus*, *tum concentrantibus*.

Præter Salivationes Spontaneas Symptomaticas, esse etiam Criticas.

XI. Quemadmodum autem modò memoratæ *Salivationis Spontaneæ species sunt Symptomaticæ*, ita non raro in hisce regionibus observavi Salivationes Spontaneas, sed Criticas, Ægrosque ab Affectibus chronicis fœliciter liberantes.

Affectus Chronici unde oriantur. Et quid sua causa primaria conjunctum habent.

XII. Nec mirum. Sicut enim *Affectus Chronici* & Diuturni omnes ortum habent *à Pituita* tenaci, crassa, glutinosa & viscosa, illam saltem habent suæ Causæ *primariæ conjunctam*, ejusdemque Humoris ortus debetur maximè Salivæ; ita *Ejusdem cum Saliva Evacuatio* videtur facilior, quando idem Sanguinis massæ junctus iterum ab eadem secernitur sponte, ut excernatur cum Saliva.

Pituita præcipua materia, & evacuatio facilior.

XIII. Quemadmodum verò sæpius cum Ægrotantium commodo instituitur talis *Salivatio* spontanea & critica, ita decet prudentem Medicum similem nonnunquam instituere *Artificialem*.

Salivatio Artificialis aliquando instituenda, Argenti Vivi Vires.

XIV. Novi quidem Magnum Platerum, existimare *Hydrargyrum, sive Argentum vivum* solum vi quadam ipsi peculiari *expuitiones copiosas moliri*, cùm alia, quæ hoc pacto illud faciant, hactenus non fuerint cognita (Prax. Lib. 3. Cap. 4. pag. 481. 8.) non desunt tamen quæ idem, licet imbecilliùs præstent, sicut *de Semine staphidis agriæ* posteà dicemus.

Ut & Seminis staphidis Agriæ. Modi varii exhibendi Argenti vivi.

XV. Quoniam vero id præ aliis notis medicamentis omnibus efficacissimè, & si in ejus usurpatione prudentia adhibeatur, tutissimè absolvit Mercurius, sive Argentum vivum *modis variis* tam internè, quàm externè, administratum, meritò in ipsius adhibendi modis optimis tantillum hærebimus, & talia, quæ Tyrones audivisse ac notasse aliquando juvabunt, ordine proponemus.

Salivationē ab Hydrargyro non tātùm in Lue Venerea sed etiam in Scabie aliisque morbis esse instituendam.

XVI. Fateor in *Luis Venereæ Curatione Salivationem Hydrargyri ope* institui sæpiùs; posset tamen, imò deberet in aliorum quoque affectuum rebellium curatione similiter Salivatio excitari, in *Scabie* puta *fœda*, & ordinariis medicamentis haud cedent, aliisque *Affectibus ab Humore Glutinoso*, & *Atri* Sanguini permisto & Partibus plerisque intimè admisto pendentibus, atque vulgarium remediorum vim eludentibus, Ægrosque ad internecionem penè affligentibus.

Quotupliciter Mercurius exhibeatur.

XVII. Usurpatur autem *Mercurius* ad Salivationem movendam quandoque *Crudus*, quandoque priùs cum Sulphure in *Cinnabarim* dictam, vel cum Salibus, Spiritibusve acidis, *sublimatus*, aut *Præcipitatus*.

Mercurius crudus quomodo exhibeatur.

XVIII. *Mercurius Crudus* frequentissimè priùs *Saliva*, modisve aliis *extinctus*, *Oleis*, *Axungiis*, *Butiro*, *Unguentisve* admiscetur, mox externè corpori inungitur: unde post repetitas diebus aliquot inunctiones in aliis seriùs, citiùs in aliis commovetur Salivatio.

Loci inungendi tutiores.

XIX. *Tutior ad inungendum locus* eligitur in *partibus Artuum extremis*, *pedum plantis*, *manuumque volis*: mox in subsequentibus *articulationibus pedum & carporum* Inde *sub genubus & in cubitis*. Denique in *Inguine, ac sub Axillis*. Tandem in *spina dorsi*, & præsertim ad *regionem lumbarem*:

barem : cavendo *ne caput*, *aut thorax* inungatur, postquam inde vitæ periculum incurrisse ægros est observatum.

Inunctio qui instituenda.

XX. *Inunctio primùm pauca* solet institui, & attendi ad mutationes in corpore hinc obvenientes, conturbationes ventris, motusque humorum versus Fauces atque Os. Servari autem debet Ægri corpus in loco calido, satisque operimentis tegi, quò ad sudorem compositum censeatur *Corpus*. Nam *utile* tunc quoque *sudorem blandum elici*; quo ipso videntur Humores omnes, ac imprimis glutinosi & pituitosi solvi, & ad Mercurii vim subeundam aptiores reddi. A frigore Coguntur Humores Pituitosi, fiuntque ad mutum inepti. Contrarium à Calore exspectandum.

Salivantibus sudor utilis.

Inunctionis Continuatio.

XXI. *Continuandum* quidem pro Ægrorum robore aut debilitate quotidiè aut diebus alternis in eadem inunctione, donec incipiant intumescere Gingivæ, atque angi & ardere fauces cum fœtore anhelitus: quod *signum omnia sequenti Salivationi se accommodare*, ipsamque esse in procinctu ut se manifestet, tunc desistendum ab inunctione ulteriore, ne Salivatio sequatur nimia, Ægrumque facilè aliàs suffocatura.

Salivationis instantis signa.

Mercuriū crudum ad Salivationē assumi.

Ejus Dosis

XXII. *Mercurio crudo* ad Salivationem excitandam *utuntur* etiam nonnulli *intra corpus*, quod efficitur, si quotidie ab aliquo *grana* vj. viij. x. assumantur, donec paulatim Salivatio succedat, cujus instantis signa, ut modò dictum (Vid. *Plat. Lib. 3 cap. 4. p. 498.*) sunt ardor in ore, Gingivarum tumor, faucium anxietates, halitus fœtor, & sputatio crebra: unde quivis facilè concludere potest, Humores Vitiosos exitum sibi parare per Salivæ vias. Tunc autem abstinendum ab ulteriore Mercurii usu, nisi segniùs procedat post dies duos, tres, quatuorve ipsa Salivatio: in quo casu non tantùm licet, quin decet quoque novum exhibere Mercurium.

Salivationis Instantis signa.

Quando ab ejus Usurpatione desistendum.

XXIII. Ubi autem illa satis procedit, cavendum ab omni Mercurii usurpatione ulteriore, à qua possent quantitate nimia ferri ad Salivæ vasa & Faucium Glandulas Humores Glutinosi, Peccantesque in corpore, atque in vitæ discrimen adduci ac suffocationis periculum conjici Ægri.

Mercurii Vis & efficacia.

XXIV. Prudentia certe opus est, in Mercurii usurpatione, cùm ab ipso mirè commoveantur, & ad fauces imprimis propellantur ab ipso Humores Pituitosi Glutinosi, aliique ei admisti per universam Sanguinis massam, imò corpus universum dispersi: tanta est Mercurio vis & efficacia.

Quomodo exhibendus Mercurius in Salivatione.

XXV. Potest autem tunc Mercurius crudus modis variis extingui, Saliva, Succo citri, aliisve, mox cum Agarico, Rhabarbaro, Aloe, Scammonio, Colocynthide, aliisve purgantibus vulgaribus additis in pilulas redigi, atque sic parva dosis indies exhiberi, donec se manifestet instans Salivatio. Ubi semper notandum, quod jam monuimus, optimum esse in loco, quin lecto calente contineri Ægrum, ut semisudet, sicque Salivatio facilitetur.

Mercurio preparato etiam excitatur salivatio.

XXVI. Non tantùm Crudo externè, ac internè usurpato Hydrargyro excitatur Salivatio, sed eodem priùs coagulato ac modis variis præparato.

Cinnabaris qui fiat, & applicetur.

XXVII. Inter ipsius præparationes varias postrema non est Ipsius cum *Sulphure cocti sublimatio* in *Cinnabarium*, quæ *Suffumigii modo usurpatur*: *Fumus* autem aut *toto corpore* excipitur, aut *solùm Ore*.

Ejus Mixtio, & cū quibus.

XXVIII. Permiscetur autem *Cinnabaris* hæc cum Masticbe, Thure, Myrrha, Benzoino, Styrace Calamita, Ladano, Succino, Resina, aliisque, unde *Trochisci* formari possunt.

Quomodo applicetur.

XXIX. Corpus autem Ægri *in loco angusto* clauditur, eoque calente, *Balneo nempe sicco*, & aliquando propter debilitatem *in lecto* continetur, & Fumus ex Cinnabari in Trochiscos, vel Pulverem cum aliis parata, & in prunas conjecta excitatus ita deducitur, ut plerasque, aut certas corporis partes feriat, in easque penetret; *Capite solo probe tecto ab illo fumo permanente libero*, nisi quod ferè sub finem fumi aliquid cum Aere inspiretur, sicque Salivatio facilitetur.

Quomodo operetur, & fiat salivatio.

XXX. Tali fumo autem per Corporis poros penetrante ad interiora, Humores ubivis existentes *Pituitosi* & Glutinosi, *Acresque paulatim solvuntur*, & *ad fluxum deducuntur*, qui *paulatim ad Glandulas oris Salivares diriguntur*, & *Salivatio* instituitur; quæ hac via perficitur fœliciùs, quando in Partibus externis Ulcera existunt, quæ Fumo viam concedunt magis patentem atque eo ipso citiùs curantur.

Alia fumigatio particularis.

XXXI. Nec tantùm *Universali Fumo* excitatur Salivatio, sed *particulari Solo* ore per Infundibulum excepto: quam Ego Mercurio utendi rationem habeo pro omnium *tutissima* & nihilominus in Affectibus non nimis inveteratis, adeòque curatu non difficillimis *aptissima*.

Et quidem quare tutissima.

XXXII. Sic enim paulatim excitatur Salivatio moderata, sine ullo suffocationis metu; tantum enim Salivæ vicibus singulis elicitur, quantum videtur posse ferre commodè quivis Æger.

Eam deprehendi facilè non posse.

XXXIII. Quin talis suffumigatio & Salivatio æstate, aliave Aeris tempestate calida instituta concedit Ægris exitum, adeò ut vix, nec nisi à rei hujus peritis deprehendi queat: quod imprimis optant, quorum interest ignorari eorum morbum & curationem.

Quomodo peragatur.

XXXIV. Parùm nempe Cinnabaris cum aliis junctæ prunis quotidie aut diebus alternis injicitur, mox imposito infundibulo fumus ore excipitur, levisque Salivatio excitatur: quæ posteà renovatur, nisi sponte ipsa continuet.

Mercurium sublimatū, & præcipitatum etiā Ptyalismū excitare.

XXXV. Ad Salivationem excitandam usurpatur quoque *Mercurius* tam *Sublimatus*, quàm *Præcipitatus*, de quibus, ubi de Vomitoriis, & Purgantibus Phlegmagogis egi, pluribus sum locutus: nunc pauca *Ptyalismum Artificialem* spectantia prolaturus.

Mercurius, præcipitatus minimè fixus.

XXXVI. Quoties proinde ad movendam Salivationem *usurpandus est Mercurius præcipitatus*, quò illa & faciliùs & fœliciùs contingat, seligendus & in usum revocandus *minimè fixus*.

Evacuantia ex Mineralibus parata quò minus fixa, eò copiosiùs & vehementiùs evacuare, & contra: & quò magis fixa eò minùs per sudores aut Urinas: quò verò magis volatilia, eò frequentiùs per vomitū, & non per alvum, & ubi maximè volatilia sunt, per Salivationē.

XXXVII. Sicut enim docui sæpiùs, *Medicamenta Evacuantia* omnia *ex Mineralibus parata*, *quò* redduntur præparatione sua *magis fixa*, *eò* Humores peccantes *minùs* quavis via *Evacuant*; *quò* autem eadem sunt *minùs fixa*, *eò* eosdem *Evacuant ampliùs & copiosiùs*, imò *etiam vehementiùs*.

XXXVIII. Quinimò, *quò eadem* sunt *magis fixa*, *eò minùs* Humores Evacuant *per Alvum*; & *magis per Sudores*, *aut Urinas*: quò verò eadem sunt *magis Volatilia*, eò Humores faciliùs ac frequentiùs Evacuant *per Vomitum*, non item per Alvum.

XXXIX. Sic eadem, ubi sunt *maximè Volatilia*, Humores faciliùs expellunt *per Salivationem*, dummodò minima exhibeantur una vice dosi, non item per Vomitum.

Salivatio qui fiat, Eā paulatim esse excitādam.

XL. *Salivatio* siquidem cùm fiat per Humoris Pituitosi ubique, at imprimis in Sanguinis massa solutionem ac dissolutionem, hinc ad Salivares Glandulas deductionem, *paulatim ac successivè*, non item vi, ac simul excitanda & promovenda; *Vomitus* verò excitari debet à *medicamento satis bona quantitate simul, eodem saltem die usurpato*, ut ab ipso, vel Humoribus ab ipso ad tenue Intestinum, ac Ventriculum deductis irritetur potentiùs utraq; pars hæc ad sui coarctationem, quin motus peristaltici violentam inversionem: quale quid nunquam evenit, aut evenire debet in Salivatione concitanda.

Vomitus quomodo excitandus & qui fiat.

Salivationē fieri motu Animali, qualis ex parte observatur in Vomitu.

XLI. *Salivatio* siquidem, hoc est, Salivæ ad Os deductio, *non fit animali* partis ullius *motu*, qualis ex parte observatur in Vomitu; ratione

tione

Sed plane naturali: Et qua via. Motu voluntario posse promoveri Salivæ deductionem in Os ex Ductibus Salivaribus: Et aliquatenus Materiam Salivari ad Glandulas.

tione Diaphragmatis & Musculorum abdominis, (unde Voluntaria potest fieri Vomitio, etiam nullo assumpto Vomitorio) sed Salivatio fit *motu plane naturali*, Humorum Pituitosorum, aliorumque ipsis admistorum *per Arterias ad Glandulas Salivares, hinc per Vasa Salivaria in Os:*

XLII. Et quamvis Linguæ, labiorumque *motu voluntario promoveri possit Salivæ deductio in Os*, sed Salivæ in Ductibus Salivaribus jam existentis; non potest tamen eadem promoveri, propriè loquendo, *Materiæ salivaris* deductio *ad Salivares Glandulas*, nisi quatenus exsuctæ in Os salivæ succedit, faciliùs, & abundantiùs in dictas Glandulas nova ejus materia.

Materiam Salivarem, si magna copia feratur ad Os atque Fauces, suffocationem minari.

XLIII. Cavendum autem, ne confertim & *magna copia feratur* ad salivares Glandulas *Pituita*, à Salivationem producentibus medicamentis, postquàm *periculum inde est Suffocationis*, dum non tantùm Glandulæ Conglomeratæ Maxillares tam superiores, quàm inferiores inde replentur ac intumescunt; verùm tota Oris, Faucium, Nariumque Tunica Glandulosa eadem Pituita tunc impletur, ac distenta periculosam, & nonnunquam lethalem producit in Faucibus angustiam, homines suffocantem.

Lentiùs in Salivatione excitanda procedendũ.

XLIV. Satius proinde in Salivatione movenda lentiùs, adeòque cautiùs procedere, quàm nimiùm festinando non quidem cæcos catulos parere, ast Ægris Sanitatis restitutionem expectantibus mortem accersere, atque sic eos necare, qui debebant servari, & restaurari.

Qualis Mercurius minimè fixus.

XLV. Ille autem *Mercurius* est *minimè fixus, à quo minùs est abstractus Spiritus Acidus*; non quòd Spiritus Acidus reddat Mercurium Volatilem, (ab ipso siquidem figitur) sed quòd in Spiritus Acidi abstractione avolet primùm ejus pars maximè Volatilis, permanente in Mercurio parte maximè fixa & figente.

Acidi Spiritus Partes, non esse omnes aequè fixas. In Spiritus acidi destillatione partes volatiles primas assurgere: fixiores postremas.

XLVI. Non sunt enim *Acidi Spiritus cujusvis partes* omnes similes, hoc est, *æque fixæ: aut volatiles*; sed aliæ magis, aliæ minùs fixæ, nam quæ *in Spiritum Acidorum distillatione assurgunt primæ, Volatiles* magis sunt; sicut magis fixæ, quæ auctu magis, magisque Igne, *assurgunt postremæ*. Quod qui nescit, aut non observabit, ineptus est, ut de Chymicorum medicamentorum viribus mirabilibus judicium ferat, vel illa commodè in usum revocet: tantùm interest ad omnes, & minimas quoque circumstantias attendisse.

Spiritus Acidi volatiles & fixa partes ad quid aptum reddant Mercurium.

XLVII. Quò igitur *plures* sunt *Mercurio* juncti, & uniti *Spiritus Acidi Volatiles*, eò *aptior* idem exitit 1. *Salivationem*, 2. *Vomitum*, 3. *Alvi dejectionem* excitare; quò eorundem *pauciores* ipsi adsunt & insunt, *sed fixiores potiùs*, eò idem *Mercurius aptior* 1. *Sanguinem mundare* ac in statum optimum reducere, quod vulgò vocant roborare. 2. *Urinas ciere*. 3. *Sudores movere*; minimè autem aptus Alvum vel Vomitum, minimè Salivationem excitare.

Ut & Antimonium aliaque Mineralia.

XLVIII. Quod de Mercurio nunc dixi, verum quoque deprehendunt Solertiores in *Antimonii, aliorumque Mineralium præparatione*, atque usurpatione in Medicina feliciter facienda.

Mercurius præcipitatus quid efficiat.

XLIX. *Mercurius* ergò *præcipitatus*, & minimè fixus, parvaque quantitate assumptus & per dies plures exhibendus (quod itidem intelligendum de Sublimato Dulci) quaquaversùm pergit, atque tam sui, quàm Spirituum Acidorum in se concentratorum, ratione, Pituitam Glutinosam [occurrentem *incidit ac solvit fluidamque facit*, quin paulatim, quò ipsa spontè vergit, *ad Salivares Glandulas deducit, & in Ptyalismum producit*.

Ante Salivationem Humores ex Ventriculo & intestinis purgandi.

L. Notandum autem in omni salivatione feliciter excitanda, opus esse, ut *priùs Humores in Ventriculo, ac Intestino* hærentes vicibus repetitis *educantur*, ne si adhibitis medicamentis Salivationem excitare aptis illi vel vomitu assurgant, vel per lacteas venas versùs Sanguinem propulsi, unà cum cæteris ei jam immersis ad Salivares glaudulas delati Ægros copia sua opprimant & suffocent: quod non rarò factum, quoties ab imperitis ac imprudentibus Medicis, Chirurgis, aut Empiricis neglecta fuit illa prævia Humorum in Ventriculo & Intestinis cumulatorum Evacuatio, omnino ad tutam Salivationem instituendam utilis ac necessaria.

LI. *Præmittenda* est igitur *Salivationi* ritè instituendæ *sufficiens Humorum in primis viis, hoc est, Ventriculo ac Intestinis collectorum Diminutio, ac Evacuatio per Alvum*. Quo facto tutiùs adhibetur quovis modo Mercurius crudus, vel modis variis præparatus tam internè, quàm externè ad Salivationem feliciter instituendam.

Quanam mala Salivationem per Hydrargyrum factam comitentur.

LII. Quoniam verò in plerisque Artificialem hanc per hydrargyrum excitatam Salivationem consequi solent aut potiùs *Comitari Oris Ulcera* sæpè satis ampla & Malas imprimis, Linguamque occupantia, non tantùm Dolores immanes, molestiasque graves producentia, dum effluit cum Saliva Humor Acer, quin etiam, ubi eadem ad Curationem tendunt, *Cicatrices molestissimas relinquentia*; unde non rarò *Linguæ motus manet impeditus & Loquela, deglutitione læsa*, sed & *Genarum motus similiter impeditus*: Prudentis Medici & Chirurgi erit, dare operam, ut in tempore præveniantur curenturve hæc mala, usurpando *Gargarismos*, qui *Humores acres temperent, Ulcera mundent, atque blande exsiccent*.

& quomodo curentur Gargarismis.

Hi Gargarismi ex his parentur.

LIII. *Gargarismi* tales parantur ex *Lacte dulci*, *succove Raparum* addito *Sacchari*: postmodùm ex *Salvia, floribus ros. rubr.* & similibus ex *Aqua hordei*, vel *ferrata* decoctis, addito *Syrupo de Rosis siccis Myrtino*, & similibus diligenter usurpatis.

Cicatrices à Salivatione orta exscindenda, vel discindenda.

LIV. *Cicatrices* non rarò *exscindi* debent vel *discindi*, quò liberior parti restituatur motus, & explicatis denuò partibus nimis arctè colligatis, & tunc excitata cicatrice convenientiore, ubi Gargarismi postremi maximè conducent.

In Salivationis diminutione Alvus subducenda.

LV. Postquam *spontè Minus Salivatio incipit*, semel aut bis blando Phlegmagogo *subducenda est Alvus*, quò Humores Viscidi, per Hydrargyrum soluti, nec tamen simul educti, per secessum expellantur: ne aliàs hinc inde alicubi subsistentes Partibus vicinis noxam aliquam adferant.

At postea sudor blandus promovendus.

LVI. Quo facto haud malè *Sudor semel aut bis promovetur blandus*, quò Humorum eorundem reliquiæ ad alvum haud delatæ, in corporis nempe *Habitu hærentes, sic quoque* propellantur, expellanturque foràs.

Quænam durante Salivatione Alimenta assumenda.

LVII. Durante Salivatione sicut difficile est assumere *Alimenta Solidiora*, ita ipsorum assumptio ferè noxia est: quorum loco & *Lac dulce*, & *jusculo* usurpantur commodiùs, & aptiùs, ut & cum *Pane Cocta Cerevisia*, Criticorum quorundam elegans Bierembrodium: addito, quibus placet, pauco Saccharo.

Mercurium potentiùs, reliqua debiliùs Salivationem movere.

LVIII. Quamvis forsan præ aliis notis omnibus *efficacissimè* ac copiosissimè Salivationem moveat, promoveatve *Argentum Vivum*, non desunt tamen *alia*, quæ idem agant, licèt *imbecilliùs* & forsan parciùs.

Staphidis Agriæ Dosis usurpandi modus, & Vires.

LIX. Mentionem feci jam in superioribus *Staphidis Agriæ*, cujus *Semina quindecim* ajunt, si trita *cum Hydromelite* assumantur, potenter *Humores Pituitosos glutinosos per Vomitum* expellere, *cum Suffocationis periculo* (Dodon. Herb. Belg. lib. XII. Cap. X. *p. m.* 595.) Ab illis namque inflammantur Fauces, ardorque summus in eis accenditur. Eadem *semina* docent, *mansa Pituitam ex Capite allicere in Os*. Unde facilè patet eadem semina si ex aqua multa decoquantur, & illo decocto Os colluatur, posse levem sic excitari Salivationem: quæ forsan feliciùs succederet, si non simul ac semel quindecim semina, sed unum vel duo diebus pluribus exhiberentur, sicque paulatim Salivatio levis excitaretur.

Mercurium agere ac Staphidem Agriã Pituitam è Capite in Os allicere.

LX. Quemadmodùm enim *ab hisce seminibus Ardor* excitatur *in faucibus*, sic idem evenit à *Mercurio*; à quo itidem *Pituita è Capite allicitur in Os*

Præferêdus tamen Mercurius.

& Nares. Quamvis fatear me ad Salivationem movendam malle uti Mercurio, quàm Staphide Agria; cùm illius quàm hujus operatio sit magis familiaris, & jam usitata, notaque.

Radicis Pyrethri Vires, & Usus.

LXI. *Radix Pyrethri*, quæ satis frequenter ac fœliciter in ore continetur ad Dentium Dolores tollendos cum sua Causa; *Humores plures in Os allicit, unà cum Saliva*: Ergo *Salivationem* movet, quam fortassis moveret diutiùs & copiosiùs, si intra corpus sumeretur quantitate parva, sed iteratò.

Mastiches Usus & Vires.

LXII. Quin sola *Mastiche* mansa & in Ore contenta *Pituitam glutinosam unà cum Saliva in Os allicit*, Ergò *Salivationem* quoque excitat.

Alia Salivantia.

LXIII. Et procul dubio longè plura quis reperiat Salivationem excitantia; qui ad omnia medicamentorum effecta attendet accuratè: qualia sunt præter jam memorata, *Cubebæ*, *Nigella*, *Ziazibet*, *Sinapi*, *Salvia*, &c. Apophlegmatismis materiam præbentia, verè Salivantia.

Omnia, quæ Pituitam è Cerebro ad Os deducût, esse Salivãtia.

LXIV. Illa enim *omnia Pituitam è Cerebro ad Os deducere dicta* reverà illam ex Glandulis Salivaribus, & Tunica Oris, Faucium & Narium Glandulosa *educant cum Saliva & Muco*, & *successivè ex ipso Sanguine*, quod fieret magis, si eadem internè usurparentur, Ægrique aliquamdiu in eorundem usu continuarent.

LXV. Sed illa ulteriorem indaginem desiderant experientia multiplici confirmatam.

CAPUT XIV.

De Evacuationibus Particularibus.

Evacuationes Universales & Particulares quænam.

I. NOn dantur tantùm *Evacuationes Universales*, per quas ex *Universo Sanguine*, *Partibusque* Remotissimis quoque Humores Peccantes Secernuntur, Excernunturque, verùm dantur quoque *Evacuationes Particulares*, quæ ex *Partibus* fiunt *determinatis*, ac *per vias ipsis peculiares*.

Particulares quotuplices.

II. Inter has Evacuationes possent numerari 1. *Evacuationes quæ fiunt ex Intestinis Crassis per Anum*, beneficio *Enematum*, & *Suppositoriorum*.

Quæ sit & quæ fiat prima.

III. 2. *Evacuationes*, quæ fiunt *ex Vesica Urinaria per Urethram*, & quidem per *Injectiones ac Catheteres*.

Secunda.

IV. 3. *Evacuationes*, quæ fiunt ex *Utero per ejus Collum utrumque*, sive Menses sint Suppressi, Lochiave retenta, vel imprimis Alii Humores Glutinosi in ipso existentes.

Tertia.

Quarta.

V. 4. *Evacuationes*, quæ fiunt ex *Pulmonibus*, per *Asperam Arteriam & Os*.

Quinta.

VI. 5. *Evacuationes* quæ fiunt è *Cerebro per Nares*, *Errhinorum ope*.

Sexta.

VII. 6. *Evacuationes*, quæ fiunt ex *Auribus*, *ac per Aures*; per quas etiam subinde ex partibus vicinis ac Cerebro ipso Sanguis, Pus, Sanies, &c. effluit aut educitur.

Septima.

VIII. 7. *Flatuum Discussiones atque Excretiones*, per *Ructus*, *Crepitus*, *per Os*, *Anum*, *Vesicam*, *Uterum*, &c. Et si quæ sunt plures.

CAPUT XV.

De Evacuantibus Excrementa, & alios Humores ex crassis Intestinis per Anum.

Evacuãtia Particularia in Intestinis Crassis per alvũ.

I. UT de Particularibus Evacuantibus nonnulla hic addamus, initium faciemus ab iis Evacuantibus, quæ tantùm Contenta tum Alvi Excrementa, tum alios Humores vitiosos, edûcunt ex Intestinis Crassis; & quidem per Anum sive Podicem.

Inter ea hic non numerari Purgãtia Ore assumpta.

II. Ubi mox patet non agendum hic nobis de iis, quæ *Ore assumpta*, non tantùm Contenta in crassis, vel etiam tenuibus intestinis, ac Ventriculo, sed alios quoque Humores assibi repertos simul solent expellere per Alvum, quæque *Purgantia* simpliciter vocantur.

Sed ea, quæ ex solis intestinis crassis educunt.

III. Verùm agendum de iis, quæ ex *solis Intestinis crassis* educere valent tum Alvi Excrementa, quavis de causa ibi hærentia, tum alios Humores itidem ibi hærentes, atque Valetudini humanæ nocentes.

In iis diu quid hærere non posse quin noxã afferat.

Quænam inde sentiantur.

IV. Nam fieri non potest, ut diu in crassis Intestinis hæreant vel Alvi Excrementa, vel Humores quivis, quin noxam simul afferant homini, unde, ubi etiam cuncta peraguntur blandissimè, *Ponderis Sensus*, & *Anxietates* observantur in parte Abdominis infima & laterali, & *Capitis Dolor* excitatur in plerisque, ut nunc non dicam *Hæmorrhoides* inde habere tam sæpè ortum, malum sanè gravissimum.

Illa præcavenda aut tollenda.

V. Ut proinde talia incommoda *præcaveantur*, vel *tollantur*, danda est opera ut in tempore illa Contenta evacuentur.

Quæ id præstant quomodo usurpanda, & quomodo agant.

VI. Quæ autem ex Solis Intestinis crassis hoc præstare possunt, *externe Ano & Podici immittuntur*, quò & ad *sui contractionem irritent Intestina crassa*, & ad Eductionem faciliorem *præparent Contenta*, eadem compacta Solvendo, Glutinosa Incidendo, quin imò dissolvendo & fluida reddendo.

Et qualia sint.

VII. Quæ hæc omnia præstare possunt ac solent, plurima occurrunt, omnia nimirum *acria* & Intestinum mordicare atque sic irritare apta; deinde omnia tum *aquea*, tum *pinguia*; tum aliàs *blande solvendi*, *ac dissolvendi vi prædita*, qualia sunt Salia Lixivia, Volatilia & fixa, vel Acida, vel naturaliter, vel artificialiter Aqueis diluta, Urina pura, Vinum, Lixivium, &c.

Et quæ talia.

Quâ forma usurpanda. Suppositoria vel Glandes. Enemata. Clysteres. Injectiones. Fomenta.

VIII. Hæc omnia usurpari solent nunc *forma Solidiore ac consistente*, vocanturque tunc *Suppositoria vel Glandes*; nunc *forma liquida & fluida*, vocanturque tunc *Enemata*, *Clysteres*, *Injectiones*, & sic porrò: Quin adhibentur quandoque *Fomenta*, vel *Vapor ex decocto assurgens*, atque Ano exceptus, unde subinde solicitatur quoque ad Desidendum ac dejiciendum Alvus: quæ omnia patebunt magis, ubi de Medicamentorum formis agetur.

CAPUT XVI.

De Evacuantibus Urinam & alios Humores ex Urinaria Vesica.

Evacuãtia Particularia ex Vesica Urinaria.

I. INter Evacuantia particularia, quæque ex parte aliqua duntaxat Evacuant Contenta, meminimus 2. loco eorum, quæ *ex Urinaria Vesica*, tum Urinam ipsam, tum alios Humores ibi hærentes, atque noxam homini afferentes educere solent.

Urina subsistẽs quomodo educitur Candela cerea.

Ut & calculi in Urethra hærentes.

Eos, ultra 50. aliquãdo fuisse excretos diversæ magnitudinis.

II. *Urinam* quod attinet, quoties illa *subsistit in sua Vesica*, nec spontè excludi potest, toties ipsam levissimo negotio, & operatione facillima eduxi *immissa per Urethram Candela cerea*, quali uti solent Sartores; nam eadem mox extracta succedebant spontè non tantùm Urina, sed unà cum ipsa *Calculi in Urethræ Orificio priùs* hærentes ipsumque obstruentes; quos tunc observavi unà cum Urina copiosa effluente fuisse vi expulsos quantitate copiosa; adeò ut meminerim aliquando in Viro satis procero & crasso *ultra 50. uno tempore* fuisse excretos, & quidem omnes exactè rotundos, licèt magnitudine plurimum differentes, dum maximi æquarent ciceres, minimi essent longè minores, atque omnes magnitudine se successivè consequentes.

Educitur etiam Cathetere.

III. Hoc ipso si non succedat subsistentis Urinæ è sua Vesica Excretio, immittendus *per Urethram Catheter*, ut plurimùm *Argenteus*, qui cùm sit cavus, extracto stylo transitum concedit Urinæ, atque sic quoque ipsa educitur fœliciter.

Catheteres ex quibus fiãt.

Urethra in Viris diversa à fœminarum Urethra.

IV. Ubi notandum *Catheteres* quidem plerosque parari ex *Argento*; sed parari quoque possunt ex *materia coriacea*, ut & *Balænarum setis*. Quales Catheteres cùm sint flexiles, faciliùs usurpantur in *Viris*, quorum *Urethra* circa penis

radi-

Unde rariùs in Fœminis subsistit Urina, quàm in Viris.

radicem contorquetur aliquantùm, nec rectà pergit usque in Vesicam: quod non habet locum in *fœminis*, quarum Urethra & amplior, & brevior, & rectior est quàm in Viris; quapropter rariùs subsistit Urina in fœminis, sed & faciliùs educitur quoque ex ipsis.

Humores vitiosi quomodo praeparandi, & e vesica educendi.

V. Non tantùm Urina, & quandoque Calculi minores educi possunt ac debent è sua vesica, verùm *Humores Glutinosi, & Purulenti* Ulceratæ Vesicæ adhærentes, qui quoniam *Incidi* debent, *abstergi*, atque tunc demùm *educi*, Medicamenta quædam in Vesicam immitti oportet, à quibus Effectus laudati producantur, sicque soluti Humores vitiosi evacuentur.

Et quomodo Pus educendum, ejusque nova Productio impedienda.

VI. Quoniam verò, ubi exulcerata est Vesica non tantùm educi debet Pus indies ex allabente Sanguine ortum, verùm ejusdem *Puris productio nova impediri*, Medicamentis hactenus laudatis & alia sunt addenda, quæ hoc etiam præstent.

Injectiones qua forma parandæ, & per Syringã immittendæ.

VII. Quoniam verò immittenda in Vesicam Urinariam Medicamenta fluida requiruntur & liquida, *Injectionum* illa nomine veniunt, solentq; *per Syringam* in ipsam infundi, & ex talibus parari, quæ memoratis satisfaciant Indicationibus omnibus & singulis.

Ex quibus parentur.

VIII. Parantur in hunc finem *Decocta ex Plantis Aromaticis* aut in *Aqua*, aut in *Vino*, aut in *Hydromelite* decoctis; quibus pro Indicatione diversa tunc adduntur alia, inter quæ omnibus forsan meritò præfero *Sulphuris Balsamum*, non quidem cum expressis oleis paratum, cùm sit tunc minùs efficax; sed cum *Oleis stillatitiis*, *Terebinthinæ*, tum vulgaris, tum imprimis *Venetæ*, alterisve excellentioris, *Anisi*, *Succini*, *Juniperi*, aliisque confecti, cùm sit tunc majoris efficaciæ, ac longè plus præstet in Affectibus quibusvis curandis.

Balsami Sulphuris tum simplicis tum Compositi Vires.

IX. Inservit namque hic *Sulphuris Balsamus* & *Ulceribus mundandis*, & *Puri abstergendo*, & *Cicatrici promovendæ*; quæ omnia desiderantur in Ulcerum Curatione.

Balsami Peruviani, & Olei de Copaiva Vires.

X. Potest quoque illis injectionibus addi *Balsamus Peruvianus*, & *Oleum de Coparva*, sed non accedunt ad Balsami Sulphuris efficaciam, utilitatemque multiplicem.

Vesicæ calculum solvi Decocto Graminis, & Spiritu Nitri mistis & quomodo.

XI. Posset forsan *Vesicæ* quoque *Calculus* per injectum in eam Liquorem paulatim solvi, ac educi: si nempe *decocto Graminis* adderetur tantùm *Spiritus Nitri* vulgaris, vel etiam dulcis facti, quantum requiritur ad Calculum sensim dissolvendum absque Vesicæ læsione: quod observari potest, ex Spiritu laudato minima quantitate priùs, hinc aliquantò majore addito, sensimque tamdiu ipsa aucta, donec acrior facta injectio plus ejus ferre non possit. Satius enim est minus Spiritus addi, & lentiùs curationem absolvere; quàm acriori injectione ipsam præcipitare, atque magis impedire, quàm promovere.

Solutionem Calculi hãc esse tutissimam.

XII. Quamvis autem hactenus non licuit mihi tali ratione ac via tentare Calculi dissolutionem ac eductionem, non dubito tamen, quin ea sit futura omnium facillima, tutissima & certissima, quandiu non est ulcerata vesica; tunc enim non satis tutò, ac commodè usurpantur *Acida*, quippe quæ *ulcus augeat*, atque sic plùs forsan nocerent, quàm prodessent miseris.

Acida Ulcus augere.

XIII. In usum *nondum revocavi hanc methodum*, quam nunc laudò, quoniam reperi non semel contradicentes aut Medicos, aut Chirurgos, quibus rarò placent, quæ in suis Authoribus non legerunt, aut à suis Præceptoribus non didicerunt, imprimis quando urit eos Invidia. Adde quòd rescindam sensim praxin, nec promiscuè omnes ampliùs accedam: hæc autem tentari debent *in plebeis, & robustioribus*, quò circunstantiæ plures in tali cura observandæ paulatim & sine calumnia notentur, ut inserviant posteà delicatioribus & in lautiore fortuna constitutis. In usum autem talia revocabunt *commodissime*, qui *soli degunt* in aliquo loco, faciuntque praxin liberiorem, quàm qui inter plures subjecti sunt Calumniis.

Hanc Curandi calculum Methodum cur nondũ instituerit Author. In quibus institui debeat. Et qui eam instituere commodissimè poterĩt.

Deicbot Opera.

CAPUT XVII.

De Evacuantibus Menstrua vel Lochia in Utero Suppressa, & Humores alios ibidem hærentes, per utrumque ipsius Collum.

Menstrua & Lochia in Utero subsistentia quomodo, & per quas vias evacuanda.

I. QUoties in Utero subsistunt *Menstrua vel Lochia*, toties illa commodissimè *per ipsius Collum* tam Internum, quàm Externum *Evacuari solent*, & quidem partim per *Remedia Externa*, partim per *Interna*.

Remediũ Externum Venæsectio si adsit Plethora.

II. Inter *remedia externa* fit meritò hic mentio *Venæ sectionis* in Pede instituendæ, cùm non rarò, & imprimis quando Plethora urget, ideòque segniùs movetur, atque ad sui affluxum naturalem præparatur Sanguis; observata sunt Menstrua & Lochia ejus causa subsistentia hujus ope mota, & ad fluxum naturalem deducta.

Si verò subsistant propter obstructionem noxiam esse Venæsectionem, nisi concurrat Plethora.

III. Sed quoties utraque subsistunt *propter Obstructionem* in Uteri Vasis, Vasorumve Orificiis existentem, toties *nisi concurrat Plethora*, plus *detrimenti*, quàm emolumenti attulit Fœminis *Venæ sectio*: quippe quæ minuendo Sanguinem laudabilem, copia non excedentem Mulieres tantùm debilitat, neutiquam desideratum fluxum alterutrum restituit.

Et opus esse Obstructionem tollentibus.

IV. Tunc autem opus est *medicamentis* tam internis, quàm externis, quæ *noxam*, si quæ ab externo frigore Aeris, Aquæ, Nivis, Pavimentive Utero fuit introducta, *tollant* ac emendent; hinc & *Pituitam* coagulatam & obstruentem *incidant*, *attenuent*, fluidamque præstent; quin & *moveant*, *emoveantque*, sicque Subsistenti Sanguini denuò viam parent ad exitum, ipsumque ad affluxum cogant, urgeantque.

Huic inservientia Externa, & quomodo applicanda, & qui operentur.

V. Inter *externa* medicamenta laudantur meritò *Balnea*, *Fomenta*, *Suffitus*, & quæ huc revocari possunt, à quibus vel assurgentes *Halitus*, *Vapores*, *Fumi*, vel *penetrans Liquor* Pituitam, aliosve Humores glutinosos in Ureteri orificiis & vasis hærentes, atque Obstructionem facientes *incidant* & attenuent, adeòque fluxiles faciant & aptos, ut Sanguini tunc aut posteà exitum quærenti cedant, vel cum eodem affluant.

Balnea quomodo usurpanda, & quomodo agant.

VI. *Balnea* certè, quibus tunc *supra umbilicum* saltem insidere solent Mulieres, sese humiditate sua insinuant in Collum Uteri externum, mox & Internum, atque *Humorem* qualemcumque Glutinosum tam frequenter in Colli Interni cavitate subsistentem *solvunt* ac dissolvunt, mox illo inde remoto ad interiora penetrant, & ibidem *Orificiis Uteri adhærentem*, inhærentemque Humorem similiter Glutinosum incidunt & dissolvunt, sicque ad effluxum aptum reddunt.

VII. Usurpantur autem *Balnea calentia*, quò sic & faciliùs, & citiùs, & efficaciùs exoptatum effectum producant.

In Balneis considerandus liquor, & quod liquori incoquitur. Qualis liquor assumendus.

VIII. In *Balneorum* autem præparatione considerantur duo: *Liquor*, ex quo parantur, & variæ *Plantarum Partes*, aliaque quæ incoqui solent Liquori delecto ad Balnei confectionem: quò sic utroque nomine fiant præstantiora.

IX. Quoad *Liquorem Balnei*, *Aqua* potest commodè usurpari; quin usus tempore *Vini Generosi*, & præsertim *Albi*, non item rubri, aliquid addi; ut & *Vini Spiritus*, & *Sal Volatile*, quamvis hoc non tam Liquorem tunc augeat, quàm cæterorum simul decoctorum vim promoveat & intendat.

Quænam Plantæ in alvo decoquenda.

X. Quoad *Decoquenda* in Balnei præparatione, inter *Plantas* earumque Partes, laudo & commendo quasvis *Aromaticas*, hoc est, *Odoratas & Sapore acri & grato præditas*, sed maximè *Hystericas* dictas, hoc est, Fœminis præcipuè convenire observatas in movendis mensibus.

Hystérica Radices.

XI. Talia sunt *Radices* Ireos, Acori, Asari, Aristolochiæ, Valerianæ, Rubiæ maj. Enulæ

Campanæ; Cyclaminis, Spicæ nardi, Gentianæ, &c. Quibus accenseri debent Allia, Cæpæ, Porti.

Folia.

XII. *Folia* Sabinæ, Rutæ, Artemisiæ, Pulegii, Levistici, Calamenti, Majoranæ, Matricariæ, Abrotani, Absinthii, Nepetæ, Origani, Satureiæ, Lauri, Mercurialis, &c.

Flores.

XIII. *Flores* Lavendulæ, Chamæmeli, Sambuci, Anethi, Cheyri, Leucoii, Meliloti, Spicæ Nardi, Schœnanthi, &c.

Baccæ.

XIV. *Baccæ* Lauri, Juniperi, Ciceres rubri, &c.

Semina.

XV. *Semina* Nigellæ, Nasturtii, Apii, Levistici, Carvi, Sileris Montani, &c.

Thermas siccãtes impedire Mẽsiũ fluxum.

XVI. Postquàm verò observatæ sunt *Thermæ siccantes* non semper promovere, quin sæpè ampliùs *impedire Mensium fluxum*, meritò ad Humorem Glutinosum non tantùm incidendum, ac per Aromatica nimis eum sæpè exsiccantia ideòque inspissantia commodè attenuandum; verùm simul *emolliendum*, convenient hic simul decoctæ Radices Liliorum, Semina Lini, Fœnugræci, &c. Sic enim Humores Glutinosi partium attenuati, partim emolliti faciliùs Fluidi redduntur, quin ad fluxum, effluxumque deducuntur, sicque subsistenti Sanguini ordinaria viâ libera restituitur & aperta.

Emollientia Hystericis addenda.

Quomodo adhibenda Balnea:

XVII. Talibus Balneis calentibus utuntur fœminæ; ipsisque insident, atque *ultra medium ventrem saltem immerguntur*.

Non nimis debere calere.

XVIII. Bonum autem est, *non nimis calere* Balnea, ne Sudor multus promoveatur, cum quo exhaustis partibus Sanguinis magis Serosis Humores Glutinosi redderentur glutinosiores.

Nec diu in eorum usu continuandum.

XIX. *Nec diu continuandum* est in Balneorum usu propter easdem rationes: nisi enim eorum ope brevi solvatur obstructio, vix ipsorum continuatione idem obtinebitur beneficium.

Fotus ex quibus parentur.

XX. *Fotus* ex iisdem parantur, ex quibus Balnea, sed minori quantitate, applicanturque Pudendis, & quidem aptissimè cum *Spongiis*, *Pannisve Laneis*, non item Lineis. Panni namque Lanei æquè, ac spongiæ imbibunt plus liquoris, quàm linei, nec permittunt illum tam facilè effluere aut diffluere; quin præterea diutiùs servant in se liquoris calorem, sine quo plus nocebit, quàm proderit Fotus.

Quomodo applicentur.

Vapor qui agat.

XXI. Fotui affinis est *Vapor* ex calefacto Decocto *assurgens*, atque in Sella patente Pudendis exceptus, sicque ad interiora penetrans.

Enemata etiam hic conducunt.

XXII. Huc revocant aliqui ex modo laudatis Decoctis parata & injecta *Enemata*, quæ per Intestini recti & Coli vicinioris tunicas penetrantia usque ad Uterum, ipsius obstructionem reserant, & sic quoque Mensium vel Lochiorum fluxum si non moveant, promoveant saltem.

Ut & Fumi ac Halitus.

XXIII. Huc referri debent *Fumi & Halitus* itidem Mulieribus excepti, atque similiter Pituitam obstruentem solventes ac educentes; succedentibus faciliùs menstruis vel lochiis.

Ad Fumum parandũ conveniũt Ligna, Baccæ, Gũmi Ungulæ.

XXIV. Ad *Fumum* parandum conveniunt *Ligna* Sabinæ bacciferæ, ac Juniperi, Coryli, Aloes, Lauri, & similia, & ipsorum *Baccæ*, ut & Spica Nardi, Schœnanthum, Cassia Lignea Garyophylli, Galbanum, Bdellium, Opopanax, Sagapenum, Thus, Benzoinum, Storax, *Ungulæ* Asinorum, Equorum, & similia plura.

Quomodò usurpentur.

XXV. Horum plura vel pauciora per se aut in trochiscos redacta prunis insperguntur, fumusque assurgens in Sella perforata & undique clausa excipitur per pudenda.

Halitus ex quibus parentur.

XXVI. *Halitus* commodè parari potest ex *Sale Tartari*, aliove fixo & *Sale armoniaco*, qui cùm sit penetrantissimus, plurimum hic præstabit, & multis aliis meritò præferetur.

Linimenta etiam quæ huc faciunt.

XXVII. Sic vulgò laudant *Oleum Spicæ ac Zibetham* pudendis apposita, vel illita, quorum expiratione subtili, potentique docent itidem efficaciter moveri menstrua.

Ut & Emplastra.

XXVIII. Solet etiam *Oleis, vel Unguentis, Pabis, pectinisque*, quin & *Lumborum regio illini*, sed & ipsis *Emplastra* applicari, quæ ex similibus modò laudatis parari solent: adeò ut quæcumque primarii Practici observarunt conducere moventis mensibus, fuerint omnia *Aromatica*, licet his aut illis peculiaribus medicamentis fuerint magis addicti, nec ad generalem ipsorum classem satis attenderint, quod tamen fuisset bonum.

Non nisi Aromatica Menses movere.

In Curatione usurpari Medicamẽta determinata. In quo cõsistat Medicamenti Vis, observandum & quare.

XXIX. Utique in curandis ægris non utimur medicamentis generalibus, sed determinatis, hac vel illa planta: Bonum tamen est, ex variis medicamentis, quorum vires laudabiles ostendit successus fœlix, accuratiùs observatis determinare, in quo consistat ipsorum vis & efficacia, quò defectu hujus vel illius jam experti substituere possimus alia, quæ simili sunt prædicta qualitate sensili, ex qua probabiliter conjiciamus pollere quoque ipsa simili efficacia.

XXX. Quodque monui & inculcavi sæpiùs, quoniam continuum habet in facienda praxi usum, licèt decies ac sæpiùs repetatur, meritò deberet idcircò placere, hac occasione iterum inculcabo: *Pleraque tum Medicamenta, tum Alimenta, quæ usurpamus* quoniam ferè Ore assumimus omnia, *Sapore* imprimis suo & *Odore* nos afficiunt vario, imò illius nobis præsertim *distinguntur*, non item ullis aliis Qualitatibus Sensilibus: meritò proinde *secundùm ipsorum Sapores ac Odores varios & considerantur, & in certas classes rediguntur*: quò sic faciliùs, & fœliciùs alia in aliorum deficientium locum tutò queant substitui.

Medicamentorum Sapores & Odores considerandi; & secundù m ipsos in classes redigenda.

Omnes Sapores & Odores ad duos referri.

XXXI. Quamvis autem plures occurrant *Sapores* in rebus, possunt tamen plerique commodè ad *duos* revocari ordines & classes, *Acidorum*, & *Salso acrium*; quemadmodùm *Odores* omnes referuntur ad *Suaveolentes*, *ac Fœtentes*.

Ad Saporem Acidum pertinere Austeram & Acerbum.

XXXII. Ad *Saporem Acidum* referendus *Austerus & Acerbus*.

XXXIII. Ad Salso *Acrem* Saporem reducendus non tantùm *Acris aromaticus*, sed etiam *Amarus*, & *Lixivus*.

Ad Salso-Acrem verò Acrem Aromaticũ, & Amarũ ac Lixivum.

XXXIV. His quasi *medius*, vel potiùs ex utroque exurgens est *Salso Muriaticus*.

Medium inter hos esse Salso-Muriaticum.

XXXV. Qui *Dulcis* observatur *Sapor* in Saccharo, Uvis passis, Melle, Ficubus, & similibus, itidem *medius* est, atque aliquando magis ad *Acidum*, aliquando magis ad *Salso-Aromaticum* vergens.

Ut & Dulcẽ inter Acidũ & Salso-Aromaticum.

XXXVI. Sic Sacchari, & Uvarum passarum *Dulcedo* faciliùs *degenerat in Acidum*. Mellis autem & Ficuum in *Salso-Aromaticum*; quamvis & possit contingere Contrarium, ut Mel in *Acidum* mutetur: & Saccharum in *Amarum* Saporem; quamvis id eveniat rariùs & difficiliùs.

Dulcedinẽ in varios alios Sapores degenerare.

XXXVII. Bonum foret aliquem in hisce mutationibus omnibus expertum ac peritum nobis conscribere atque publico exhibere de *illis omnibus accuratum Tractatum*, futurum haud dubiè in Medicina, ut & Naturali scientia utilem. Sed hæc & similia plura referimus inter desiderata, quæ rarò contingunt, postquam plerique nimiùm festinantes, nec satis temporis experimentis sufficientibus faciendis concedentes, *malunt videri, quàm esse aut fieri docti*; properantque nimis non tam in scribendis, quàm in exscribendis, censendisve aliorum libris: quem *malum* plerorumque *morem* sicut mutare non possumus, sic eundem, utpote Reip. noxium, *carpere licet*.

Optandũ, ut quis de Saporũ Natura accuratè tractaret.

Plerosque malle videri quàm esse doctos.

Et magis exscribere libros.

Quare eorum malũ morem carpere liceat.

XXXVIII. Sed redeamus in viam, & pergamus Medicamenta Externa, quibus Mensium præsertim Fluxus & Effluxus excitari ac promoveri potest ac solet, enarrare.

Pessaria & Nascalia, quibus applicentur & ex quibus parentur.

XXXIX. Laudantur in hunc finem tanquam extrema, *Pessaria*, quæ fœminis *Viros passis*, intrudi, & *Nascalia*, quæ *Virginibus* admoveri solent, atque ex *Acrioribus* parantur.

Raphani Vires, & Usus.

XL. Solus *Raphanus* in pessi formam sectus in Uteri Cervicem externam intrudi solet, atque acrimonia sua & halitibus assurgentibus Menses ciere.

XLI. Plantarum quoque Partes molliores,

Folia,

Sacculorū usus, & quibus impleātur.

Fulia, contunduntur, *Saccalo oblongo* induntur, sicque in sinum muliebrem immittunturl ad idem efficiendum. Laudantur autem in eum finem *Mercurialis*, *Scordium*, *Alliaria*, *Asarum*, *Gentiana*, *Nigella*, *Sabina*, & similia plura.

Plantarum succi & pulveres in pastam, ac dehinc in Pessaria & Nascalia redacti.

XLII. Quin nonnunquam Earundem *Plantarum Succi*, ac *Pulveres*, aliaque similia in *pastam* redig‍untur & in *Pessaria vel Nascalia* formantur, quæ Pudendis blandè intrusa & ibidem aliquamdiu retenta Menses movere possunt, soluta nempe Pituita, eademque educta, quæ Menstruis viam præcludebat.

Obstructione remota Venam posse secari, si adsit Plethora, aut segnius Sāguis moveatur.

XLIII. Ubi his modis sublata sunt impedimenta, nil obstat, mediocrem institui *in Talo Sanguinis eductionem*, imprimis quando aliqua urget simul *Plethora*, *aut segniùs movetur* in Corpore *Sanguis*, quod ex Parvo Debilique Cognoscitur Pulsu.

Aut Cucurbitulas applicari.

XLIV. Quin Venæ-Sectionis loco subinde utiliter Femoris parti internæ admoventur *Cucurbitulæ sine*, & quandoque *cum Scarificatione*: sic enim motus conciliatur Sanguini deorsùm, ergò etiam ad Uterum potentior, unde facilè tunc viis patentibus Effluxus obtinetur desideratus.

Qualia sint Remedia interna.

XLV. Atque hæc præcipua sunt *Remedia*, quibus externè solemus uti ad Menstum præsertim fluxum excitandum; proximum est, ut *interna* quoque paucis explicemus.

1. Humores Glutinosos incidentia. 2. Sanguinē quiescentē agitantia.

LXVI. Quivis autem ex supradictis facilè assequetur, qualia in hunc finem desiderentur Remedia; scilicet talia, quæ 1. *Humores Glutinosos* & Orificia Vasorum obducentes, aut obturantes Incidant & fluidos reddant: quæ 2. *Sanguinem quiescentem*, atque mora vel ad coagulationem inclinant, vol ad corruptionem vergunt, *iterum agitent*, commoveant, & à coagulatione, aut corruptione aut imminente, aut inchoata liberent.

Hæc præstare Aromatica, & Salia Volatilia.

XLVII. Hæc omnia *Sola* præstare possunt *Aromatica* toties à me laudata, explicataque, ut & *Salia Volatilia*.

Acida conducere Obstructionibus tollendis, & Sanguini coagulando atque hic minimè usurpanda.

LXVIII. Licèt enim *Acida* vim habeant Incidendi, Solvendique Humores Pituitosos & Glutinosos, & hactenus videantur conducere *Obstructioni tollendæ*: quoniam tamen simul *Sanguinem Coagulare* solent, *minimè sunt hic usurpanda*.

Aromatica ac Salia Volatilia & obstructionem tollere, & Sanguinis Coagulationem impedire, & ejus effluxū promovere.

XLIX. *Aromatica* verò, & præ aliis omnibus *Salia Volatilia* utrique satisfaciunt Indicationi, quatenus & *Glutinosos Humores Solvunt*, Inciduntque, & *Sanguinis Coagulationem*, ipsamque in equentem *Corruptionem impediunt*, emendantque: quinimò Humorum quorumvis in Corpore *Motum* præ aliis omnibus *promoveat*.

Hoc probare Medicamenta Specifica.

L. Si *Medicamenta* vulgò à Practicis laudata, & *Specifica* dicta consideremus, agnoscemus facilè, omnia, quæ modò dixi, esse ipsam veritatem, idem confirmante experientia.

LI. Possum autem testari, à quo mihi notiora fuere *Salia Volatilia*, ipsorumque vim egregiam sum expertus in praxi, me longè faciliùs, citiùs, & fœliciùs subsistentia, vel *suppressa menstrua* illorum ope *movisse* aut promovisse, quàm priùs ullis aliis vulgò celebratis Remediis tum externis, tum internis.

Salium Volatilium Vires in hoc affectu. Eorū laus. Ex quibus possint parari.

LII. Ita indies majores atque laudabiliores Salium Volatilium in curandis Ægris effectus excogitabam & observabam etiam supra meam expectationem.

LIII. Unde dubitabam & hærebam subinde solicitus, an illis adscribi possent tam multi & tam varii effectus, donec hac occasione diligentiùs non tantùm operationes ipsorum in ægris, sed etiam ipsorum subjecta & materiam expendens mirari desierim energiam ipsorum stupendam.

LIV. Sed adhuc mirari desiit Chymicos subtiliores majora & majoris momenti remedia ex ipsis quæsivisse, ac forsan invenisse; quod non est hujus loci.

LV. Præter hæc *Salia Volatilia* & quidem qualiacumque ex omnibus Animalium Partibus parabilia (licèt cuncta non sint æquè potentia, efficacia-

Delebit Opera.

que) laudo inter Alterantia omnia Aromatica, quorum pleraque in superioribus proposuimus ad Balneorum confectionem. Libet tamen primaria hic quoque enumerare vulgò usurpari solita; quò unicuique constet, quàm syncerè & candidè agamus

Aromaticorum Hystericorum Catalogus.

LVI. Laudantur ergò *Radices* Asari, Fumariæ bulbosæ, Dictamni albi, Ireos, Rubiæ, Cyclaminis, Chelidoniæ, Schœnanthi, Spicæ, Aristolochiæ, Gentianæ. *Radices.*

LVII. *Folia* Sabinæ, Pulegii, Artemisiæ, Rutæ, Melissæ, Marrubii, Calamenti, Menrastri, Nepetæ. *Folia.*

LVIII. *Flores* Cheiri, Croci, Rorismarini, Genistæ. *Flores.*

LIX. *Semina* Nigallæ, Petroselini, Paludapii, Lupinorum, Apii, Fœniculi, Levistiei. *Semina.*

LX. *Baccæ* Lauri. *Baccæ.*

LXI. Inter *Aromata*, Cinnamomum, Macis, Cassia Lignea, Xyloalbe. *Aromata.*

LXII. Inter *Gummata*, Myrrha, ejusque trochisci, Castoreum, Galbanum, Sagapenum, Succinum, Borax; Gummi Lacca, Asa fœtida, &c. *Gummi.*

Metalla Chalybis Vires Salis Volatilis Oleosi antefloris.

LXIII. Inter *Metalla* Chalybis Limatura similiter laudatur, ac penè pro extremo habetur remedio, quamvis nullo modo cum Salibus Volatilibus conferendo, & imprimis cum meo *Oleoso*, quod cæteris omnibus hactenus à me usurpatis reperi efficacius & huic rei aptissimum.

Negligentia Medicorum in excogitandis Remediis huic affectui efficaciter curando inservientibus. Nulla Remedia Salibus Volatilibus esse cōferenda.

LXIV. Utque quoties animo repeto plurima medicamenta, eaque valdè nonnunquam ingrata, quibus longo tempore cruciantur, exercenturque, & quidem sine successu misellæ fœminæ, miror ita negligentes fuisse in *excogitandis*, præparandisque *medicamentis* tum *efficacibus*, tum faciliùs usurpandis, Medicos, cum non desint ex vulgò notis, quæ multùm præstent, quamvis necesse habeam iterum repetere non esse ipsa *cum Salibus Volatilibus conferenda*, ipsis nempè longè inferiora.

Præter Medicamenta incidentia usurpanda etiam evacuantia. & quidem Phlegmagoga.

LXV. Præter Alterantia Humoresque Glutinosos præsertim Attenuantia & *Incidentia*, usurpari quoque debent non raro *Medicamenta* eosdem Humores jam præparatos, emendatosque *Evacuantia*, sive copia excedente simul peccent, sive in totum, ant nisi seriùs & cum insigni Ægrorum incommodo, emendari nequeant.

LXVI. Sunt autem illa *Phlegmagoga*, Humores puta Tenaces Glutinosius Educentia, quæ in superioribus laudavimus.

Acidos & Austeros etiam aliquando adesse humores. Qui unde oriantur. Corrigendi & Hydragogis evacuandi.

LXVII. Quoties autem non tantum Humores Glutinosi, Obstructiones parientes, in corpore abundant, verùm *Acidi* quoque, & *Austeri*, quod tum ex multo Malorum Citriorum, aliorumve fructuum acidorum, Aceti, Vini Rhenani, & similium abusu, tum ex animi mœrore, ac terrore, tum ex Aeris asperi frigore & similibus evenire solet; toties iidem ex partu Corrigendi sunt, temperandique ac Concentrandi, mox per *Hydragoga* superiùs memorata Evacuandi.

Istos humores optimè corrigi Salibus Volatilibus. Ea esse Polychresta.

LXVIII. Quæ *Humores Acidos & Austeros temperent*, obtundant, Diluant, Concentrentque, sæpiùs proposita sunt & à me laudata Medicamenta, inter quæ iterum primas tenent *Salia Volatilia*, si quæ alia, *verè Polychresta* & in medicina facienda usus infiniti.

Medicamenta interna qua forma exhibenda.

LXIX. Hæc autem omnia *Medicamenta Interna* tum Alterantia, tum Evacuantia multiplici possunt exhiberi *forma*, & humida, & sicca, & Pulverum, & Conditorum sive Electuariorum, & Pilularum, & Tabellarum seu Trochiscorum, & Potionum, & Apozematum, & Vinorum Medicatorum, & quacumque alia forma.

Quæ non erit difficile etiam Juniori Medico adornare.

LXX. Neque *difficile* fuerit *Medico* etiam *juniori formam* unicuique Ægro acceptionem seligere, atque formulam convenientem *adornare*, qui aliquando Practicis Exercitationibus apud ægros interfuerit; & vel Praxin meam diligenter observarit, ne plures alios egregios Practicos recenseam.

CAPUT XVIII.

De Evacuantibus Humores è Pulmonibus per Asperam Arteriam, & Os.

Pro variis humoribus, qui è Pulmonibus per Asperam arteriam & Os expelluntur, varia Medicamenta usurpanda.

I. CUm *varii Humores ex Pulmonibus per asperam Arteriam, & Os expelli* soleant, oitique *diversi* quoque *generis medicamenta* in eum finem sunt præscribenda & usurpanda; quod qui non observant, perperam Ægris suis consulunt.

Est autem hæc evacuatio particularis.

II. Est autem *Particularis* hæc *Evacuatio* eos tantùm Humores, qui in *Pulmonibus* præter naturam reperiuntur, expellens, & quidem *per Os*, ideòque necessariò per *arteriam asperam*, quæ solà cum Oris cavitate communicat.

Et ope Aeris promovetur.

III. Per eandem viam quoniam continuò Inspiratur, Expiraturque *Aer*, hujus ope promovetur, & absolvitur illa Evacuatio, *Expectoratio* dicta.

Expectoratio dicta.

IV. Cum Aere igitur, sed vehementiùs Expirato, id est, *Tussi* efficitur hæc Evacuatio.

Cum Tussi efficitur.

Remedia insuper requiri ad Humores aptos reddendos.

V. Ut plurimùm autem non sufficit hæc Tussis ad Humores in Pulmonibus existentes ad Os, sicque extra Corpus expellendos, verùm desiderantur insuper *Remedia Humores* varios ad suam expulsionem aptos reddentia.

VI. *Humores*, tum & *Calculi*, aliave *Materia coagulata* & indurata distingui debent, quò singulis sua determinentur remedia.

Varia in Pectore hærere.

VII. Humores Expectorandi sunt vel *Sanguis*, vel *Pus*, *Saniesve*, vel *Pituita*, eaque Glutinosa, vel Consistentiæ mediocris, vel *Serum*, idque nunc insipidum, vel Dulce, nunc Salsum Muriaticum, nunc Acidum, vel Austerum.

Quinam ibi Humores hæreant.

Sanguis quando expectorandus, & qua cautela.

VIII. *Sanguis* utiliter ex Pulmonibus per Os nunquam excernitur, nisi quando metus est Suffocationis, quando in aspera subsistit arteria coagulatus & grumescens.

IX. In hoc casu prudentia opus est magna, ne *præter sanguinem* in aspera arteria subsistentem *alius eò feratur*, & cum ipso Vita efferatur.

Coagulatus dissolvendus. Vasa aperta consolidanda. Sanguis aliò avertendus.

X. Danda proinde tunc opera, ut *Sanguis coagulatus quidem dissolvatur*, & ad evacuationem aptus reddatur; sed *Vasa* quoque *aperta & rupta simul consolidentur*, sicque novo Sanguini affluxuro via præcludatur; quin quò fœliciùs hoc contingat, quoties licet, *Sanguis aliò avertendus*, imprimis, quando concurrit Plethora, vel Sola Sanguinis æstuatio & Motus in corpore ac per Vasa impetuosus.

Vena aperienda.

XI. Tunc igitur confestim *Vena* in brachio, aut pede *aperienda*, & Sanguis pro sua vel abundantia, vel æstu, vel motu diversis copia sufficiente educendus, adeò ut illam missionem possit ferre Ægrotus, nec valdè inde debilitetur.

Medicamentū adhibendū Sanguinem dissolvens, & rupta vasa cōsolidans.

XII. Interim parandum Medicamentum, quod & *coagulatum Sanguinem blandè dissolvat*, & *aperta, rupteve vasa potenter consolidet*: nec obstat diversum hoc, & subcontrarium medicamentum componi ac simul exhiberi.

Sanguinem coagulatum Solventia.

XIII. *Sanguinem Coagulatum blandè Solvunt*, Oculi Cancri, Antimonium Diaphoreticum, sperma Ceti, Mumia, &c.

Vasa quanā consolident.

XIV. *Vasa consolidant potenter* Sanguis Draconis, Lapis Hæmatites, variæque Plantarum partes vulgò notæ.

Medicamenta minore quātitate assumenda commodiora esse quā quæ majori assumuntur.

XV. Quoniam verò ex Plantarum partibus Decocta & Syrupi præsertim parari, & illa *quantitate majore* assumi solent, non ita commodè in hoc præscribentur, exhibebunturque Casu: ubi *satius* est *minori* usurpare medicamenta *mole ac dosi*, quapropter quas aptiores comperi commodo præ aliis medicamentorum formis Mixturas, cochleatim nempe usurpandas; cùm præsertim modò laudata medicamenta plurimùm efficacia commodè jungantur Mixturis.

Medicamēti ex pluribus partibus cōpositi singulas pro suis viribus operari.

XVI. Possent igitur in eadem Mixtura componi Oculi Cancri & Antimonium diaphoreticum, similiaque Sanguini Draconis, Lapidi Hæmatiti, Coraliis, & similibus; & quod mireris, proderit tale medicamentum utrique Indicationi, dum *Confusi medicamenti partes diversæ*, ac verè *confusæ* tantùm præstant singulæ, quod ab ipsis desiderabatur.

Unum Medicamentū contrarios effectus producere.

XVII. Sic possumus *eodem medicamento*, non tantùm arte composito, sed tali nobis à Natura nonnunquam concesso diversos, & aliquando *contrarios effectus producere*: quod imprimis faciendum magni, quando *complicati sunt Affectus diversissimi*, vel aliàs pluribus Satisfaciendum est Indicationibus diversissimis.

Hoc adhibendum in Affectibus complicatis.

Quomodo cautè sit procedendū in Sanguinis expectoratione.

XVIII. Atque sic procedendum est *cautè in Sanguinis expectoratione* subinde promovenda, & ipsius effusione nova impedienda.

Pus & Saniem spontè prodire.

XIX. *Pus*, nisi glutinosius fuerit, & quidem ab admista ferè Pituita tenaci, *sponte* solet *prodire* Tussi, ut & *Sanies*, nisi hæc fuerit fluidior, quod frequentiùs evenit.

Puri Viscoso quanā Medicamenta applicanda.

XX. *Viscosas Pus* ad Expectorationem faciliorem adjuvatur iisdem *remediis*, quibus Pituita Glutinosa, de quibus mox.

Quana Saniei fluidiori.

XXI. *Sanies fluidior* iisdem remediis ad expectorationem facilitandam corrigetur, quibus serum de quo brevi.

Pituitam minùs Glutinosā spontè expectorari.

XXII. *Pituita* ergò *minùs Glutinosa* & consistentiæ mediocris facilè Aeris exspirationem sequitur, ac Tussi excluditur, ut nulla indigeat sui alteratione.

Glutinosa incidenda.

XXIII. *Pituita* verò *Glutinosa* sui eget emendatione ac *Incisione*, quò faciliùs Tussi expelli queat.

Quanā id præstent.

XXIV. Inserviunt in hunc finem *omnia Aromatica blandiora*, quò *Salia* refero *Volatilia*. Idem præstare possunt *Acida*, sed itidem *blandiora*.

XXV. De quibus omnibus quoniam sæpiùs egimus pluribus in superioribus, non est, quod illa iterum repetamus.

Modus ea exhibendi & usurpandi.

XXVI. Præparantur illa modis variis usurpanturque nunc *Decocti*, nunc *Mixturæ*, nunc *linctus*, nunc *tabellarum forma*. Estque utile, si *aliquamdiù serventur in Ore*, quò paulatim ad fauces pergentia bona sui parte transeant in asperam arteriam, sicque copiosius jungantur Pituitæ Incidendæ. Quicquid autem deglutitur longiore via redire potest cum Sanguine ad Pulmones.

Acida Dulcibus Miscenda.

XXVII. Quoties *Acida* in hunc finem usurpantur, toties haud pura, sed *Dulcibus & Saccharatis* quantitate parva *admista* in usum revocari debent, ne si puriora fuerint, ad tussiendum acrimonia sua Pulmones nimiùm irritent, sicque plùs noceant, quàm prosint.

Serum incrassandū.

XXVIII. *Serum* qualicumque tandem Sapore fuerit, in genere omne *incrassari* debet, quò faciliùs expectoretur; eludit namque aliàs expirati aeris vim, nec patitur se nisi segniùs ac repetita tussis vi expelli.

Serum incrassantia. Ex iis Trochisci parandi.

XXIX. *Incrassant Serum* Gummi Tragacanthum, Arabicum, Radix Althææ, Symphyti, &c. Ex quibus saccharo exceptis *Trochisci* parari possunt; qui ore diutiùs contenti & paulatim saliva dissoluti sensim ad asperam tendunt arteriam, & in ea fluidiùs Serum inspissant, & aptum reddunt quò aeris ope possit faciliùs expelli.

Acrius serum temperandum.

XXX. Ubi autem *acrius est Serum*, hactenus quoque aliqua sunt usurpanda, quæ ipsum *Temperant*, quoniam acrimonia sua non tantùm ad sæpiùs Tussiendum vellicat & fatigat Pulmones: ast insuper abradit Asperæ arteriæ tunicam, & sensim *ulcus excitat* in Pulmonibus, unde ortum habet suum frequentissimè *Phthisis*.

Causa Phthiseos.

Seri diversa Acrimonia.

XXXI. *Acrimonia* ejus *frequentissima est Salsa Muriatica*, sicut *rarior* multùm *Acida*. Molestiam singularem producere solet ipsius *Austeritas*.

Salsā Muriaticam

XXXII. *Salsam Muriaticam seri Acrimoniam Temperant*, Obtunduntque ex parte modò lau-

Acrimoniã quanã temperat. *Pilularum de Cynoglossa & Styrace Vires.*

laudata *Incrassantia*, vi sua emplastica lenientia istam acrimoniam; quod efficaciùs præstant si jungatur illis *Opiata*; sicut id testantur vulgò notæ *Pilulæ de Cynoglossa & Styrace* dictæ in hunc finem longissimè aptissimæ, quin adhuc aptiores, si addito Saccharo in tabellas formentur, aut trochiscos, detineanturque in Ore; sic enim pars earum longè major vadit ad asperam Pulmonum arteriam, quàm si redactæ in pilulas devorentur, quamvis & sic quoque plurimùm præstare observentur, licèt non statim cuivis cavillatori, & sciolo incidat vel placeat via, per quam transferatur ad pulmones vis medicamenti.

XXXIII. Mirum certè videtur, & Medico indignum, respuere aut criminari medicamenta, quorum operandi ratio, & alia eò spectantia, non sunt mox cuivis perspecta.

Qui vias Medicamentorum nesciunt, non esse Culpandos: sed qui iis uti recusant & aliis iis fœliciter utentes carpunt.

XXXIV. *Culpari* certè non debet, qui quorumvis *medicamentorum* operandi modum, & *vias*, per quas ad locum affectum ferantur, scrutatur, licèt illa non semper assequatur: sed culpa non vacat qui quoties vel modus agendi, vel via medicamentis quovis transferendis vera nondum innotuit, non tantùm *recusat uti* talibus medicamentis, sed insuper *carpit* eos, qui secundùm experientiam certam & manifestam *iis utuntur fœliciter*.

Humores Serosos & Salsos temperari Opiatis.

XXXV. *Humores* igitur *Serosos* atque *Salsos* utiliter corrigere, ac *temperare Opiata*, & cum Opio parata medicamenta tum Veterum, tum Recentiorum, Experientiæ magis quàm Cavillationibus addictorum, docet Observatio, millies confirmata in nostris ægris in publico Nosocomio decumbentibus; adeò ut quivis volens possit hoc in dies absque nulla solicitudine addiscere.

Dissidiũ esse inter Auctores tam circa Affectus tum circa Medicamenta.

XXXVI. Utique quoties Medicinæ Studiosus in Laudatorum Auctorum lectione assiduus observat, quod passim evenire solet, *Dissidium*, non tantùm *circa* quorumvis *Affectuum causas*, sed insuper *circa Medicamenta* in Curatione usurpanda; non mirum si solicitus inde fiat, nescius cui ex dissidentibus accedere debeat; cùm sæpiùs eveniat quosdam sine verborum apparatu laudare illa quæ observarunt in ægris suis utilia; dum alii argumentorum hinc inde labore magno sæpè conquisitorum numero atque plausibilitate confutare student, quod ex præjudicio experiri noluerunt, sicque Tyrones dubios ac solicitos reddunt.

Unde dubitarent Tyrones cui assentiantur. Prudentiores judiciũ suspendere debent, donec fuerint experti.

XXXVII. Inter quos qui *Prudens* fuerit, quemadmodum neutri dissentientium parti facilè assensum præbebit, verùm tantisper *Judicium suum suspendet*, donec ad praxin accedens circumspectè possit *experiri*, quinnam verè judicaverit, vel falsò.

Bonum esse, Tyrones ad Ægros accedere, dũ in Academiis studiis incumbunt.

XXXVIII. Verùm enim verò, quoniam plures anni requiruntur plerumque, antequam cuivis Affectus Controversi occurrant Curandi, molestum est tot annis anxium manere veritatis avidum Animum, *bonum* est posse, dum Studiis adhuc in Academiis incumbunt *Tyrones*, *videre Ægros*, sicut hic evenit, atq; observare quibus medicamentis curentur singuli, quin imò posse dubia sua proponere, ac non raro ipsa experientia in Ægris facta eadem sublata videre.

Veritate una detecta plures posse detegi.

XXXIX. Unde longè citiùs possunt singuli ad plura pergere majora. Sicut enim uno absurdo dato vel assumpto multa solent sequi absurda; ita non raro *Veritate una detecta & determinata plures possunt deduci* Veritates, & lumen accendi aliis eodem fundamento inveniendis.

Nil utile ægris, nisi quod tale experientia probaverit. Tyrones nõ debere credere iis, qui sine experientia quid dicunt.

XL. Quemadmodum autem in Arte Medica nil haberi potest bonum *& utile Ægris*, nisi quod *in usum fuit revocatum* & illis utile observatum; ita suspecti esse *Tyronibus* debent, quotquot *sine experientia* multa juventuti obtrudunt *credenda*, quippe quæ, bona fide accepta licet, non raro malè cedunt postmodùm Ægris; adde quòd falsis dogmatibus sic imbuta mens, inepta fit aliis utilibus ac veris

Delebos Opera.

ereundis: unde ubi se falsos seriùs deprehendunt, necesse habent plerique aliis quoque dogmatibus similiter falsis mentem suam liberare; quod quanto sui præjudicio fiat, judicare possunt optimè, qui decepti fuerunt ab Hominibus garrulis, & Oratoribus magis, quàm Philosophis, Studiosi in candore suo simplices.

Tyrones in ægrorũ curatione præsentes maximè proficere.

XLI. Iterum idcircò repeto, non æstimabile bonum consequi Medicinæ *Tyrones*, qui dum adhuc versantur in Academiis, observare possunt modos *curandi ægros* simplicissimos, ex quibus scilicet maximè *proficiunt*, atque omnium certiores fiunt.

Opiatorum & Pilularũ de Cynoglossa Vires.

XLII. Laudamus igitur & commendamus secundùm experientiam sæpissimè hic etiam in Nosocomio Academico confirmatam *Opiata* omnia, & inter illa *Pilulas de Cynoglossa & Styrace* dictas Humoribus Salso-Muriaticis ad asperam arteriam delatis; & inde rursus expectorandis, quatenus & Acrimoniam ipsorum Salsam temperant, & fluiditatem eorundem nimiam minuunt, adeòque consistentiam convenientem ad expectorationem, atque cum Tussi expulsionem ipsis conferunt: quicquid in contrarium delaterent multi veriùs nomine tenus, quàm ipso opere Medici.

Quinã sint verè Medici & quinam non sint.

XLIII. Illi namque sunt *verè* tantùm *Medici*, qui per experientiam propriam observarunt, adeòque noverunt, quid præstent Medicamenta, quorum vis quæritur: non item, qui soli lectioni debent, quicquid proponunt; nescii scilicet an decepti fuerint à suis Auctoribus, nec ne; an verum proinde proferant, an falsum.

Humores Salsos temperantia Medicamẽta quare magnifiẽda.

XLIV. Talia medicamenta, *Humoribus Salsis* Corrigendis, *Temperandis* ac Emendandis Convenientia, meritò *magni fiunt*. ac fieri debent à Medicis Junioribus, quoniam non ita multa nota sunt, quæ illud præstent ægris beneficium. Unde magis mirum culpari eadem ab imperitis, utut in Librorum lectione non raro valdè versatis.

Causa dissensus Authorũ de Medicamẽtis, 1. Infelix successus propter imprudentem usurpationem.

XLV. Sed quærat aliquis, unde fiat, ut tantus de tam multis *Medicamentis* occurrat *inter Authores Dissensus*. Quantum Ego hariolari valeo, duas istius Dissidii videor mihi eruisse *causas*: alteram *infelicem successum propter* imprudenter adhibita vel *usurpata* nonnunquam Remedia etiam optima; Multi namque satis temerè nimia quantitate exhibent suis Ægris Medicamenta, quæ minore usurpata forent ipsis utilia; sicut majore nocentia. Adde quòd Ægri non raro sentientes aliquod ab assumptis medicamentis levamen, quò citiùs curentur, illa quantitate nimia usurpant; & sic non raro sibi nocent, non vitio medicamenti optimi, sed quantitatis excedentis. In mediocritate siquidem laudabili consistit omne bonum:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Abusus ergo Medicamenti etiam optimi terrorem incussit meticulosis, adeò ut ne quidem ausi sint uti rebus optimis, quibus abusi fuerant alii.

2. Nasutuli & Cavillatores.

XLVI. Alteram dissidii Causam tribuo *Hominibus nasutulis*, & nodum in scirpo quærentibus, atque in *contradictione viventibus*, *Cavillatoribus* puta, & nunquam veritatem, adeòque unionem optantibus, sed alienorum dictorum vellicatione, morsione, arrosione lætantibus; atque nil construentibus, sed quævis destruentibus; & idcircò ratiunculas undecunque quæsitas, petitasve in medium proferentibus, quibus aliorum dicta evertant.

Hi quid agant.

XLVII. Hi cùm ferè otiosi sint & maleferiati Homines, raro aliquid boni vel magni præstantes, in conquirendis argutiis, & sophismatibus, quibus aliena impetant, & conterant, tempus suum & operam malè collocantes; atque istis nugis Lectorum mentibus tenebras offundentes, adeò ut minùs prudentes, propter rationum allatarum plausibilitatem, aut Styli affectati ornatum, facilè irretiantur & capiantur garrulorum technis, & avertantur à veritatis notitia, imprimis postquam Stylo ferè simplici res comprobatas ex-

Et quid contra, Viri Boni.

perientia soleant cunctis communicare Viri boni, probi & candidi, nullo fuco, nullis Verborum lenociniis utentes, ut aliis sua persuadeant, quippe qui inane nomen, sicut Garruli, non quærunt, verùm aliis tantùm prodesse volunt.

XLVIII. Egimus nuper de Humoris Serosi & Salso-Muriatici tum Incrassatione tum Contemperatione ad Ipsius Expectorationem promovendam necessariis: Proximum est, ut nunc similiter agamus de Medicamentis eundem Aciditate puriore peccantem Emendantibus, & ad expectorandum juvantibus.

Quænam humores acidos temperent.

XLIX. Inserviunt autem in hunc finem eadem *Salso-Muriaticum Corrigentia*, sed *additis Medicamentis Acidum concentrantibus & infringentibus*; qualia sunt Oculi Cancri, Margaritæ, Coralia, Crete, Terra sigillata quævis, &c.

Quid observandum in eorum usu.

L. Quoniam verò à Sero Acido faciliùs, citiùs, & gravius rodi solet Aspera Pulmonum Arteria, opus est, ut non tantùm *efficaciora* usurpentur ipsum corrigentia remedia, sed insuper ita eadem parentur & administrentur ut *majore sui parte deferri possint in notatam arteriam asperam*.

Eorũ forma cõmodissima Trochisci & Tabellæ.

LI. *Forma* proinde commodissima erit *Trochiscorum & Tabellarum*, quò diutiùs in ore possint contineri, & abundantiùs ad asperam Pulmonum Arteriam deferri, atque partim in Ore, partim in dicta Arteria Acidum serum imbibere, & concentrare.

Hæquomodo parentur.

LII. Parantur tales Tabellæ ex *Pulvere* laudatorum modò medicamentorum, sed qui *Sacchara, vel Glycyrrhizæ succo*, vel *utroque* aqua conveniente & grata soluto excipiatur, & in Tabellas, Trochiscosve formetur.

Serum Austerũ quibus corrigatur.

LIII. *Serum Austeram corrigetur* medicamentis ipsum Emendantibus; qualia sunt inter vulgò nota *Castoreum*, *Asa fœtida*, *Carabe* sive *Succinum*; inter Chymica omne genus *Salium verè Volatilium*, inter quæ hactenus efficacissimum reperi Spiritum Salis Armoniaci: Oleum succini, macis, &c.

Ingratiora pilularum forma exhibẽda. Castorei Tinctura.

LIV. Quoties ingratiora, *Castoreum* & imprimis *Asa fœtida*, usurpanda sunt, toties *Pilularum formam* cæteris præfero, ubi devorari possunt ab ægris; aliàs *Castorei Tinctura* cum aliis potest misceri, & cochleatim assumi; cùm ex partibus inferioribus assurgant plerunque Halitus tales serum inficientes.

Cùm halitus assurgunt, quænã con veniant remedia. Salia Volatilia quomodo exhibẽda.

LV. Conveniunt tum proinde *Remedia*, quæ seri tenuitatem blandè *incrassent*, & ejusdem *austeritatem* simul *emendent* ac superent.

LVI. *Salia Volatilia* cuivis *Potui*, *vel Liquori admisceri* possunt, & assumi, à quibus similiter ubicunque existens Austerum efficaciter corrigi solet & paulatim debellari.

CAPUT XIX.

De Evacuantibus Humores è Cerebro per Nares.

Errhina quæ & quotuplicia.

I. INter Evacuantia Particularia memoravimus quoque *Errhina*, quæ *per Nares solent educere Humores* in Cerebro & Superiore Narium parte hærentes, sive id fiat blandè atque *citra sternutationem*, sive *hac mediante*.

Humores per Nares evacuandi qui, & quotuplices. In quibus Affectibus occurrant.

II. Humores per Nares elici soliti sunt ferè *Pituitosi Glutinosi*, sive fuerint hi *Insipidi*, sive *Acidi*, quemadmodum id præsertim contingit in Lue Venerea, aliisque Affectibus chronicis & cum magno Capitis dolore copulatis.

Quænã Medicamẽta eos eliciant.

III. Cùm Humores è Capite, partibusque ad Nares inde tendentibus per Nares eliciendi, sint semper Pituitosi & Glutinosi, manifestum est desiderari ad illos faciliùs ad eductionem hanc præparandos *Medicamenta Pituitam Glutinosam Incidentia*; quapropter Laudo meritò *Aromatica* omnia tum *blandiora*, tum, quoties non sufficiunt hæc, *acriora* quoque. Quin huc revocari possunt ac debent nonnulla *latentem in se aciditatem continentia*; ut & *Salia Volatilia*, quæ omnia fœliciter in hunc finem usurpari posse non semel docuit me Experientia.

IV. Usurpantur Errhina, atque Sternutatoria dicta Medicamenta *tum Forma sicca*, *tum Humida*. *Quâ formâ usurpentur.*

V. Quæ *Humida Forma* usurpantur, sunt ferè *Succi ex Plantis viridibus* expressi aut soli, aut aliquo liquore juncti, Aqua puta Stillatitia, & quandoque Vino Vinive Spiritu. *Quæ formâ humida usurpentur*

VI. Inter hasce Plantas commendantur pleræque *Cephalicæ* dictæ, Betonica, Majorana, Beta, Nigella, Pulegium, Origanum, Ireos radix, &c. Ex quibus recentibus contusis Succus exprimitur, addito subinde Liquore convenente, imprimis quando sunt illæ minùs succulentæ. *Cephalica quænam. Herbæ succus cũ conveniete Liquore exhibetur.*

VII. Idem *Succus* ad guttas aliquot ex Cava manu allicitur per nares sursùm, aut Gossipium, vel Spongiola eodem Succo madens naribus intruditur, & sic cum inspirato aere sursùm ascendens Plantæ Vis aromatica pituitam viscosam solvendam incidit, attenuat & ad Spontaneum descensum præparat. *Vel Solus et quot medis.*

VIII. Potest aliquando manibus tantùm conteri *Plantæ recentis*, pars, & sic in nares intrudi; unde idem sequi solet beneficium. *Planta recẽs tritu qui exhibeatur.*

IX. *Forma sicca* parata Errhina, vel Sternutatoria ferè *Pulveres* sunt ex iisdem tum debilioribus, tum potentioribus parati, atque similiter ad dimidii, vel integri Pisi molem in alterutram, vel utramque narem cum inspirato aere allecti, aut pulsi. Unde similiter pituita Glutinosa in superiori Narium parte collecta vel in Cerebri ventriculis, Glandulave Pituitaria, vel alibi hærens solvitur, & concurrente sæpiùs Sternutatione vi expellitur per Nares. *Forma siccæ ferè sunt Pulveres. Quâ ratione agant.*

X. Dixi non tantum Plantarum Aromaticarum partes varias, Radices; Folia, Flores, &c. usurpari ad paranda tum Errhina, tum Sternutatoria, sive Ptarmica; verùm etiam quædam *Acidum in se spiritum concentratam habentia*, qualia sunt *Mercurius* quovis modo præcipitatus, qui vel solus, vel aliis pulveribus junctus mirabilia sæpe præstat in Humoribus Glutinosis è Cerebro per Nares eliciendis. *Mercurialia etiam esse Errhina.*

XI. Idem faciunt *Salia Volatilia*, sed *acriora*, tum Sicca, tum Humida Naribus admota, atque in plerisque mox Sternutationem potenter excitantia, Humoresque Pituitosos Glutinosos simul solventia & per Nares educentia. *Vt et Salia Volatilia.*

CAPUT XX.

De Evacuantibus per Aures.

I. INter Evacuationes Particulares notavimus quoque illam, quæ per *Aures* contingere solet, tum sponte, tum etiam Arte. *Sordes Aurium Evacuantur naturaliter.*

II. *Sordes* secundùm Naturam colligi paulatim in exteriore Aurium cavitate notum, quamvis non æquè notum, unde habeant illæ suum ortum.

III. Illæ ibidem collectæ, sive Humidiores existant & fluidæ, sive magis glutinosæ sive consistentes magis ac penè siccæ, facilè possunt inde elici apto instrumento omnibus noto & familiari. *Præter naturam verò Sanguis, Pus, Sanies, et Serum.*

VI. Sed præter naturam quoque observatur Humor varius per Aures evacuari, *Sanguis*, *Pus*, *Sanies*, *ac Serum* multiplex, imprimis fœtore multis molestum, vel Acrimonia.

V. Præter naturam dico, quia secundùm naturam nil talis hàc via evacuari solet aut debet. *Sanguis quãdo evacuetur*

VI. *Sanguis* non rarò post casum, ictumve Capitis per Aures effunditur.

VII. *Pus* non tantùm notato succedit Casui, vel Ictui, sed ob quamvis aliam causam producto in Capitis interioribus Apostemati. *Quando Pus.*

VIII.

Quando Sanies. Ejus varietas.

VIII. *Sanies* Succedit ferè diutiùs retento alicubi Puri, adeòque novam corruptionem subeunti; unde tum ratione Sanguinis varii, purioris vel impurioris in pus mutati, tum ratione corruptionis brevioris, aut diuturnioris Sanies occurrit varia.

Quando Serum Saniei junctum.

IX. Huic Saniei si copiosum jungatur *Serum*, & illud quoque diversum, mixtus Humor effluere solet, qui propter consistentiam tenuiorem *Seri* ferè nomine venire solet.

Fœtor et Acrimonia à quo pendeant.

X. *Fœtor* imprimis à sanie pendet, sicut *Acrimonia* ab utroque, Sanie ac Sero.

In horum evacuatione festinandum.

XI. Quoniam autem via minùs convenienter evacuatur per Aures Sanguis, Pus, Sanies, Serum, ac sæpenumerò Auditum lædit, tollitve, promovetur meritò, *festinaturque* istius Humoris, Acrimonia præsertim sua nocentis, *Evacuatio*.

Hoc quot fiat modis.

XII. Quod fit 1. *facilitando Sanguinis in Pus mutationem*. 2. *Fluiditatem conciliando Puri*, quoties in ipso desideratur. 3. *Obtundendo, temperandoque Puris, Saniei, Serive Acrimoniam*. 4. Denique *Instrumenti ope*, & quandoque linteis educendo blandè Pus, Saniem aut Serum moram ibi nectens.

XIII. Quæ hic prodesse possunt, aliunde petenda.

CAPUT XXI.

De Flatuum Discussione atque per Ructus, Crepitusque Evacuatione per Os, Anum, Vesicam, Uterum.

Flatus tum Discussionem tum Excretionem indicare.

I. INter Particulares Evacuationes fecimus quoque mentionem *Flatuum*, qui contenti in variis corporis Partibus illas mirè solent distendere atque augere, quapropter sui tum *Discussionem ac Dissipationem* Indicant, tum *Excretionem* per vias ubivis patentes, ac foras tendentes.

Et pro vario ubi hærent loco, variè quoque excerni.

II. Sic qui continentur *in Ventriculo*, ac ipsi proximo *tenui Intestino Flatus*, commodissimè *Eructantur* sursùm per *OEsophagum & Os*, qui concluduntur in *crassis Intestinis*, atque his maximè Vicinis *Tenuibus*, via breviore atque aptiore *excluduntur deorsùm per Anum Crepituum* nomine: qui aliquoties reperiuntur in *Vesica*, observantur quoque excludi *per Urethram*: sic qui *ad Uterum* sunt delati, aut in ipso geniti, *per ipsius Cervicem Utramque* observantur erumpere, atque foras exitum invenire.

Aliquando excludi, sed dissipari.

III. Quamvis autem *Flatus* omnes *non excluduntur* semper è corpore, sed non raro permaneant in ipso aliquamdiu, donec sponte arteve quovis modo *Discutiantur, ac Dissipentur*, aliterve *Disparcant*, hæcque Flatuum qualiscunque Dissipatio non sit Ipsorum Excretio, libet tamen hoc loco etiam de hac aliquid addere atque notare.

Flatuum Excretionem impediri à pituita tenaci unde oriuntur, et juvari à Carminantibus.

IV. *Flatus* ubivis existentes ad sui *Excretionem* juvant, quæcunque *impedimenta tollunt*, propter quæ firmiùs partibus inhærent; *Tenacitatem* puta & *Glutinositatem Pituitæ*, ex qua iidem sunt producti: quæ vulgò *Carminantium* nomine veniunt, & *Aromatica* sunt, abundantque *Oleo aromatico*, quod copiosum ex ipsis distillatione elici potest.

Hæc esse Aromatica. Et quomodo usurpanda.

V. Hæc *Carminantia* tum *internè*, tum *externè* possunt usurpari fœliciter.

Internè et quibus formis.

VI. *Internè forma* Pulveris, Tabellarum, Pilularum, Olei, Potionis, Vini Medicati, & quavis alia ægris maximè grata & accepta.

VII. *Externè* forma *sicca & humida*, Sacculorum, Fomenti, &c. quæ Parti affectæ applicantur calidè, atque sensim Flatuum tenacitatem solvendo, eorundem Excretionem facilitant, vel Discussionem.

Flatuum Discussio qui fiat.

VIII. Existimo autem *Discuti* verè *flatus*, quatenus ipsorum materia multùm tenax inciditur & rumpitur, unde subsidit materia pituitosa in flatus distracta & distenta, conciditque & coit in exiguum Pituitæ globulum.

Flatus quomodo producantur et rursus fœcant.

IX. Videtur namque modo haud planè diverso illi, quo pueri solent ex sapone aqua soluto per straminis tubulum excitare bullas, *Bilis* juncta *Pituitæ glutinosæ* ipsam rarefaciendo, *distrahere inflatus*, qui ulteriore rarefactione tandem *sponte rumpuntur*, dum mox Pituita priùs ita distracta & rarefacta concidit, reditque ad pristinam sui naturam & consistentiam; cessante tunc Bilis actione propter defectum materiæ, in quam sic agat; nisi aliæ Pituitæ parti se insinuet eamque similiter in flatum distrahat & rarefaciat.

Flatum dissipantia quomodo agant.

X. Quicquid autem assumptum vel forinsecùs applicatum sine flatuum excretione ipsos dissipat, ita, ut desinant angere aut distendere partes priùs malè affectas, videtur id hactenus hoc perficere, quatenus aut promovet *Bilis* actionem in Pituitæ rarefactione, adeò ut citiùs tunc *crepet ipsa*, desinatque flatum constituere; aut eandem *Pituitam* in flatus distractam *incidit*, viamque evadendi Bili conclusæ, parat, unde mox concidat & coeat iterum priùs distracta Pituita.

Flatus non tantùm dissipari, sed arte etiam evacuari.

XI. Nec tantùm sic Discutiuntur aut Dissipantur in Corpore Flatus, verùm iidem ad exitum, *excretionemque* arte nonnunquam juvantur.

Utrumque præstare Carminantia.

XII. Eadem modò laudata *Carminantia*, sicut non raro sine ulla ipsorum Excretione *Flatus dissipant* in corpore; ita eosdem ad sui exitum, *Exclusionemque juvant*, si quavis forma deglutiantur, unde mox videas Excerni tunc Flatus, aliàs segniùs eosdem prodire.

Et quatenus id præstent.

XIII. Hoc autem videntur mihi efficere, quatenus Flatuum materiam tenaciorem, hactenusque Ventriculo, aut Intestinis arctiùs adhærentem inde liberant, & ad exitum aptiorem faciunt.

Et quot modis possint exhiberi.

XIV. Sic *Semina Carminantia per se comesta*, aut *Sacchari incrustata*, aut cum eodem in *pulverem*, aut *tabellas* redacta, aut in *Oleum Distillata*, aut cum Vini Spiritu rectificato extracta in *Tincturas*, distillatione in *Spiritus*, *Aquasve Carminantes*, aliterve præparata debita quantitate assumi possunt, ut id efficiant.

Quomodo fiant blandiora Ore assumpta sursum Flatus propellere.

XV. Talia *Carminantia*, ita per se, aut si potentiora fuerint, Olea puta vel Spiritus, aliis admistis redduntur *blandiora*, & ore assumpta sursum præsertim Flatus ad eructandum cogunt, quamvis non raro eosdem quoque deorsùm propellant, expellantque.

In Enematis ipsos per podicem excludere.

XVI. Cæterùm ad eosdem ad *podicem* ac per ipsum *excludendos*, usurpantur utiliter *Enemata*, qui ex laudatis Carminantibus parata inque crassum intestinum infusa hærentes in ipsorum cellulis flatus tenaces solvunt & ad exitum facilem promovent adeo, ut unà cum clysmate magno sæpe numero exprimantur flatus abdomen priùs in immensum distendentes, atque non parùm ægris molesti.

In Vesica hærentes flatus quomodo eliciantur.

XVII. Si qui latentes observentur *in Vesica flatus* ipsam distendentes, possent commodè immisso in eam cathetere exitum invenire, aut Syringa elici: quemadmodum enim hujus ope immitti potest liquor vel aer, ita viceversa elici flatus, vel liquor in cavitate quavis retentus, nec facilè aliàs exitum inveniens.

In Utero hærentis qui excipiantur.

XVIII. In *Utero* si concludatur *flatus exitum* invenire nescius, non incommodè *vasculum Spiritum salis armoniaci continens* ad ipsius orificium applicabitur, quò sponte assurgens, & quaquaversum penetrans Spiritus laudatus latentibus flatibus se insinuet, illos incidat, & ad exitum solicitet, quin aptos reddat.

In Vasis Sangnineis esse Flatus.

XIX. Si alibi, *Vasis* nempe *Sanguinis concludatur flatus*, sicut non semel ipsum post mortem in cadaverum dissectione observavi ex apertis Vasis erumpentem, atque omnes ipsum observare possunt in *multis febricitantibus*, non tantùm (postquam

Inte-

Et quidem quando febricitant ægri. Intestina, hinc & abdomen distenderat) anxietatem, atque difficultatem in respiratione parientem, verùm sine notabili calore (ne quis huic hoc adscribat) Venas ubique multùm distendentem: si, inquam, exstat in Vasis Sanguineis flatus, exhibenda erunt *flatus discutientia*, *sed maximè Spirituosa*, & Sudoriferis juncta, quò tum resolvatur, tum discutiatur, ac dissipetur. *Quibus dissipentur.*

XX. Atque hæc de Evacuantibus tum Universalibus, tum particularibus in compendio dicta sufficiant.

CAPUT XXII.

De Medicamentis Alterantibus in genere.

Tria Remediorum genera. I. Docuimus in superioribus pleraque Remedia, quibus utitur Medicus in ritè Curandis Ægris, haud incommodè referri posse ad tres species: quarum 1. contineat Ea, quæ *Deficientia* in nobis *Suppleant*, ac reparent. 2. verò Ea, quæ *Redundantia Diminuant*, *Tollant*, *Evacuantque* è Corpore. 3. denique Ea, quæ multifariam *Peccantia Qualitate alia quavis Alterent*, *Corrigant*, *Emendent*, ac in statum naturalem Reducant, & Restituant.

II. De prioribus duabus speciebus egimus hactenus; proximum est, ut similiter paucis agamus de Alterantibus, atque corrigentibus vitiosas Humorum præsertim Qualitates, propter quas læduntur Hominis Functiones.

Vitiosorum Humorum Alterationes dupliciter considerandæ. III. Considerabimus autem Alterationes illas tum secundùm *Qualitates* Humorum *Sensiles Proprias*, tum secundùm *Communes*; cùm sic faciliùs omnia capi possint, & usibus medicis accommodari: multæ siquidem Qualitates plerisque Medicis sunt hactenus neglectæ, & quidem magno ægrotantium malo, artisque detrimento; uti patebit ex dicendis.

A qualitatibus Sensilibus non produci Mutationes. IV. Quamvis autem ad Qualitates sensiles Proprias, imò & Communes respiciamus, & secundùm ipsas Remedia proponamus, non velim tamen aliquem eousque abripi insania, ut putet nos tam esse insanos, ut existimemus à dictis *Qualitatibus* sensilibus Propriis, qua talibus, *produci Mutationes* in rebus Naturalibus, & Functiones in Homine alias præter ipsos Sensus Externos; sunt enim nostro, ut & aliorum arbitrio, Qualitates illæ omnes, non *Reales*, uti loquuntur Philosophi, verùm *Intentionales*. Id est, Res naturales non agunt in Res naturales alias, ut ipsas immutent vi Qualitatum Sensilium Propriarum, sed dumtaxat in sensus Externos, ut Animæ secundùm ipsas innotescant, adeòque per sui repræsentationem. *Qualitates Reales & Intentionales.*

Res agere per Qualitates Reales. V. *Res* autem *naturales*, ut alias *immutent*, *agunt in ipsas per Qualitates Reales*, quarum ope Mutatio absolvi potest.

Ignis varia effecta. VI. Exemplo fiet Res manifestior. Ignis noster vulgaris Observatur & Calore nostros Sensus afficere, & plurima etiam Rarefacere, Aquam, Oleum, &c.

Quid agat calore. VII. *Calore Ignis se nostris manifestat Sensibus*, adeò ut illo in sensu observato judicet Anima Ignem adesse.

Aliud præter calorem in Rarefactione requiri. VIII. Ut autem *ab* eodem Igne Rarefiat Oleum, Aqua, & quodvis aliud, *aliud præter Calorem* requiritur in Igne, cujus vi absolvere possit *Rarefactionem*.

Rarefactio quid. IX. Cùm enim *Rarefactio sit partium densarum, densatarumve distractio ab invicem, ac diductio quasi à Centro versus Circumferentiam*; utique ut fiat illa distractio, diductio, expansioque partium ab invicem, opus est, ut *Rarefaciens se insinuet inter Rarefaciendi partes proximè ac densè sibi applicatas*, quò se ipsis interponendo *illas* queat *diducere & quasi removere ab invicem*. *Et quis fiat.*

Constitutio in rebus Rarefacturis requisita. X. Requiritur proinde, ut *Acumen* habeant Res aliud *Rarefactura*, cujus ope penetrare possint Rarefaciendum, seque inter ipsius partes insinuare.

XI. Nec sufficit Acutas esse Res aliquid Rarefacturas, verùm *parte sui remotiore Crassas*, ad *Cunei qualifcumque formam figuratas*; quò parte quidem priore, qua se insinuant Rarefaciendo, penetrare possint densum, & posteriore magis ampla & crassa sensim ab invicem diducere ejusdem rarefaciendi partes densas.

Ut & in Rarefaciendis. XII. Sed nec hoc sufficit ad absolvendam rarefactionem, cum hactenus sit tantùm fissio, vel fissura, & divisio rei abinvicem; verùm in rarefactione quodammodò *connexæ debent permanere rarefaciendi partes*, atque quaquaversum quidem *ab invicem distrahi*; sed etiam ut globum quasi majorem constituant, dum rotationis motu aguntur omnes, inter se quodammodo connexæ & junctæ à Centro versus Circumferentiam.

Rarefacientium figura. XIII. Opus est proinde, ut omne Rarefacturum Motu rotationis actum, quaquaversum in orbem quasi distrahat Rarefaciendum, sitque proinde ita figuratum, ut secundùm suæ figuræ latera queat illam absolvere distractionem.

In Tetraedris esse Acumen, non item in Cubis. XIV. Illud autem non fiet, nisi ejus latera sint similia; adeòque figuræ regularis, hoc est, *Tetraedra*: in quibus solis est *Acumen*, *non item in Cubis*.

Figura partium ignis. XV. Unde concludi potest *Partes Ignis esse Tetraedra*: hoc est, *Piramides*, sed Æquilateras, & Triangulis constantes aut assurgentes.

Partes Rarefaciendi non esse Tetraedra. XVI. Quod autem à Tetraedris talibus Rarefieri debet, non potest habere partes similes, hoc est *Tetraedra*; cùm Tetraedum non videatur Mutaturum sibi simile, ast hactenus Diversum & sub contrarium.

Ignis quatenus rarefaciat quomodo considerandus. XVII. Qualis autem Figura sit Partium Densi jam non examinabo, explicabove, cùm sit hoc alterius loci, spectetque ad Physica, Sufficiat hoc tempore ac loco paucis docuisse, *Ignem, ut rarefaciat, non posse considerari tamquam Calidum*, hoc est, calorem producendo in Sensu, *sed tanquam Tetraedris constantem*.

Mutationes non fieri per Qualitates Sensiles Proprias. XVIII. Quod autem ostendi verum de Igne secundùm sua Tetraedra Rarefaciente Densum; idem probari potest ac debet similiter de cæteris *Mutationibus* realibus in Rebus naturalibus toties occurrentibus, & nunquam per *Qualitates Sensiles Proprias*, quippe Intentionales, & tantùm sui ideam Animæ per sensus externos repræsentantes, explicabilibus.

XIX. Hoc dictum esto in gratiam eorum, qui veritatem quærunt adhuc in rerum naturalium cognitione, non item eorum, qui se illam possidere arbitrantur, nec proinde ulteriùs quærunt, sed gaudent in possessione scientiæ indubitatę.

Reales Mutationes ab Authore quæri in rerum figuratione. XX. Ex iis, quæ modò dixi, cuivis patere potest, Me non minùs, ac multos alios, *Reales Mutationes* in rebus Naturalibus quærere, ac *deducere ab ipsorum figuratione varia*, licet in harum explicatione non parum recedam forsan à cæteris, quos non puto tam distinctè & clarè sentire, atque loqui, ac Ego facio. Sed tempus nondum natum, ut hæc in medium proferam.

Quosdam gloriatos se mentem Authoris in Affectuum explicatione illustrasse. XXI. Sed redeamus ab hisce contemplationibus magis abstractis & Physicis, ad magis concretas, Medicasque, ne non intelligamur satis ab omnibus. Expectabimus proinde, ut illi, qui satis impudenter ac impendenter *gloriati sunt*, se Philosophia sua *illustrasse meam mentem*, atque juvisse *in Affectuum* obscuriorum *explicatione*; quamvis antequam essent forsan, id potuerim facere admodum Juvenis; ut illi, inquam, tale quid promant.

Eorum impudentia. Authorem eodem modo ac olim Affe- XXII. Magna certè impudentia talium Thrasonum gloriari se, qui ex se ac suo nil habent: sed omnia ab aliis, & plurima à me, juvisse me in explicandis Affectibus obscurioribus, qui *eodem* ipsos *explico modo* & ratione, quo *olim* & antequam illos

Unum naturum explicarè. Et indies proficere in rerum cognitione, secundùm propria fundamenta, nulli communicata, nisi ex parte.

los vidissem aut nossem, nisi quòd *indies proficio in naturalium rerum cognitione* promovenda, & quidem *secundùm fundamenta*, quæ mihi arbitror *propria*, postquàm neminem novi, qui eadem sequatur, habeatve, & ipsa *nulli* mortalium *aperui* hactenus *in totum*, verùm ex parte tantùm, sicut & nunc à Me factum: Ex quibus siquis *eruere possit reliqua*, equidem non invidebo; licèt non putem id futurum facilè; ut nimirùm mortalium ullus, licèt maximè ingeniosus, brevi assequi queat, quæ annis quadraginta investigavi studio indefesso, & excolui jam annis forsan septem ac triginta; conferendo semper omnia, quæ mihi toto illo tempore occurrerunt observanda tum in rebus naturalibus omnibus, tum præcipuè in medicis, secundùm infinitas mutationes, quas in ipsis consideravi & notavi.

Ex quibus nemo reliqua eruere poterit, & quare.

Neminem hactenus id potuisse.

XXIII. Nulli suum detraho Ingenium, sed *hactenus* offendi *neminem*, qui tam perspicax testatus sit datum sibi ingenium, cujus vi tanta *efficere posset*.

Satiùs fore sua proferre, quàm se extollere.

XXIV. *Satiùs foret* tales gloriosos Thrasones opere aliquo publicè edito Cunctis *testari* tantum suum *Ingenium*, & non inani jactantia vel apud plebejos imperitos, vel apud Tyrones ignaros, vel apud quosvis parùm in Studio Medico, & sublimiore ac Solidiore Physico versatos *se nimiùm extollere*: apud quos omnis, qui valdè gloriatur, ne eo ipso abundè probat, quàm sit vento, hoc est, re inani tumidus.

CAPUT XXIII.

De Sanguinis, Pituitæ, Bilis, Salivæ, Succi Pancreatici, & Lymphæ Fluiditatem amissam Alterantibus Medicamentis.

Alterantia quatenus imprimis spectanda.

I. SEd redeamus ad nostra *Alterantia* Medicamenta, quæ *spectantur imprimis*, quatenus Contentos in Homine Humores modis variis à statu naturali & laudabili deficientes & aberrantes corrigunt ac restituunt.

Fluiditas Generalis Humorum Qualitas.

II. Quoniam igitur *Alterantia* imprimis usurpantur ad *Contentas*, *Fluidasque Partes*, *Humorum* nomine notas, mutandas, & *Generalis* partium illarum *Qualitas* ipsa est *Fluditas*, sine qua effectus suos nequeunt producere Humores; non sine caussa ab eadem *Fluiditate Humorum læsa* ordiemur Doctrinæ hujus de Alterantibus Remediis Tractationem.

Quot modis peccent Humores in fluiditate.

III. Peccant verò *Humores* Hominis variè, cùm *fluidi* requirantur omnes ac singuli, quoties *fluiditatem* illam vel *amittunt in totum*, aut *ex parte*, vel *accipiunt solito & debito majorem*.

In totum quì Sanguis fluiditatem amittat.

IV. *In totum* fluiditatem suam Amittit *Sanguis*, quoties *Concrescit & coagulatur in grumos*.

Quænam id corrigãt.

V. Sic caognlatum & grumescentem Sanguinem *Corrigunt ac Emendant Oculi Cancri*, *Mumia*, *Sperma Ceti*, *Os de Corde Cervi*, *Mandibulæ Lucii*, & similia plura; sed uno verbo *Salia Volatilia* omnia.

In totum quì fluiditatẽ amittat Pituita.

VI. *In totum* fluiditatem suam amittit *Pituita*, quoties *coagulatur in Gluten*, partibus adhærens, atque in Vasis angustioribus, Obstructionem faciens.

Quænam id corrigant.

VII. Glutinosam hanc *Pituitam Incidunt & Dissolvunt*, tum *Acida* omnia *Spirituosiora*, tum *Aromatica* omnia *acriora*, tum iterum *Salia Volatilia* omnia.

In totum quì fluiditatẽ amittat Bilis.

VIII. *In totum* fluiditatem suam Amittit *Bilis*, quoties *in Calculos*, *crustamve calculosam concrescit*.

Quænam id corrigunt.

IX. *Bilem* in Calculos, calculosamve crustam Concretam *solvunt & dissolvunt Acida multùm spirituosa*, *Spiritus Nitri*, *Graminisque succus*, & si quæ plura detegat aliquando Experientia.

An Saliva, Succus Pancreaticus, vel Lympha fluiditatem amittere queunt.

X. An *Saliva*, *Succus Pancreaticus vel Lympha in totum* possint suam *fluiditatem amittere* in homine vivente, valdè dubito; hoc tamen si aliquando fieret, putarem iisdem, quibus Pituitam, *solvi & dissolvi posse hosce humores*.

Si fieret quomodò id corrigatur.

Quando ex parte fluiditatem amittunt contenta.

XI. *Ex parte fluiditatem amittuat* suam Corporis *Contenta*, quando Consistentiam acquirunt firmiorem, aut Tenacitatem majorem, licèt sint adhuc fluida.

XII. Et *Sanguis* quidem tum *à frigore* externo Aeris, Aquæve, tum ab *assumptis Acidis & Austeris* prælertim, vel *Glutinosis*, *Terreisve*, aliquamdiu continuatis, tum ab *Animi Mœrore*, *aut Terrore*, tum à *Corporis segnitie ac Quiete*, tum denique à *Somno multo*.

Quando Sanguis, & à quibus caussis.

XIII. Hoc idcircò noto, quia, secundùm *Caussæ diversitatem Curanda* diversimodè *Sanguinis fluiditas diminuita*.

Secundùm quarum diversitatem diversa esse debet curatio.

XIV. Ubi namque ab externo Aeris, Aquæve *Frigore diminuta* est ejus *fluiditas*, tum non tantùm illa restituenda, sed insuper *Caussa minuens*, qua est ingressa, eadem foràs est iterùm expellenda & propelle ida via.

A frigore ortu diminutu fluiditas quì curanda, & quibus Medicamentis.

XV. Sic præter laudata in superioribus *Salia Volatilia*, & varia ex animalibus petita, *Oculos Cancri*, *Muniam*, *Sperma Ceti*, &c. Conveniunt quoque *Plantæ Aromatica acriores atque gratæ*: ac prælertim, quæ sudores simul possunt, & solent propellere; quorum sudoriferorum ope foràs expellitur noxa cum Aere, Aquave frigidis Corpori impressa & introducta.

Ab assumptis Acidis diminuta fluiditas quibus curetur.

XVI. Ubi ab assumptis *Acidis* solito magis Coagulatus, ideòque minùs fluidus existit Sanguis, ad ejus emendationem ac restitutionem usurpanda sunt *medicamenta*, quæ tum *Acidum infringant*, *concentrent*; *ac eaervent*; tum *Coagulationem ipsam solvant*, eundemque Sanguinem iterum fluidum præstent.

Acidi vim quæ nã infringunt.

XVII. *Acidi vim infringunt*, Creta, Coralia, Oculi Cancri, Margaritæ, &c.

Coagulatũ Sanguinem quanã solvant.

XVIII. *Coagulatum Sanguinem fluidum* faciunt *Aromatica*.

Salium Volatiliũ Vis.

XIX. *Utrumque* fœliciter præstant *Salia Volatilia*.

Ab austeris diminuta fluiditas difficilè curatur.

XX. Ubi ab *Austeris* imprudenter usurpatis *Sanguinis Consistentia* est *aucta*, fluiditasque diminuta, difficiliùs procedit ejusdem restitutio.

Attamen optimè à Salibus Volatilibus.

XXI. Sed nulla huic usui commendata unquam ab ullo remedia cum *Salibus Volatilibus* comparari possunt, quippe quæ tum *Austerum* potenter *corrigant*, tum *Austeri effectum norium fœliciter tollant* & curent; adde quòd pleraque usu recepta petita sint ex animalibus, contineantque multum Salis Volatilis. Huc referenda *Aromatica blandiora* & *spirituosa*.

A Glutinosis diminuta Sanguinis fluiditas quibus curetur.

XXII. Ubi à *Glutinosorum* diutino usu adeòque abusu similis redditus est, adeòque *minùs fluidus Sanguis*; ad illius restitutionem conducent 1. *Acida spirituosa*. 2. *Aromatica Acriora*. 3. *ex utrisque mixtis parata* Condimenta & Medicamenta. 4. toties laudata meritò *Salia Volatilia*.

A Terreis diminuta fluiditas difficilè curatur.

XXIII. Ubi *à terreuis* perperam in Pica usurpatis *aucta* est *Sanguinis Consistentia*, difficilis existit ejus Cura, nec nisi lentè auxiliis cedens, etiam optimis.

Attamen à Salibus Volatilibus.

XXIV. In quem finem hactenus reperi optima esse *Salia Volatilia*.

A Mœrore aut terrore diminuta fluiditas quì curetur & quibus.

XXV. Ubi ab *Animi Mœrore* aut *Terrore* gravi *Sanguis* redditus est *minùs Fluidus*, toties tum *sodandus est Animus* tristior, tum *firmandus*, roborandusque adversus omnia adversa; tum *vitium* Sanguini tunc introductum *emendandum* est, corrigendumque.

XXVI. Hoc Vitium quoniam simile est illi, quod debetur Austeris, corrigetur illud iisdem, *Aromaticis* puta *blandioribus*, *ac Spirituosis*, ut & *alibus Volatilibus*.

A Corporis quiete dimi

XXVII. Ubi à *Corporis Quiete* nimia, & Segnitie Sanguis redditus est paulatim ad motum segnior;

...nuta fluiditas quomodo curetur.

gnior ejusdem *Coporis Motu* indies paulatim aucto reparabitur ista noxa.

Ut & ea, quæ à nimio somno oritur.

XXVIII. Denique ubi à *Somno nimio* excitatum est simile malum, corrigetur ipsum *vigiliis* sensim protractis, & Somno diminuto.

Quid in præcedentibus observandum.

XXIX. Ubi observandum, Mutationes illas Corporis Motus & Vigiliarum paulatim faciendas, non subitò: cùm, sicut verissimè docuit Medicorum Princeps, Mutatio omnis subita sit periculosa, quia ut plurimùm noxia.

Quot modis fluiditatem amittat ex duobus parte pituita.

XXX. *Ex parte fluiditatem* suam *solet amittere Pituita*, fierique Consistentiæ nocentis, tum 1. ab Aeris, Aquæ, Pluviæ, Nivis, Ventorum, Linteorum Corpori applicatorum, imprimis plus minùs Humidorum *Frigore*: Tum 2. *ab Alimentis Glutinosis*, Animalium extremis, Piscibus, Condimentisve & aliis *Austeris*: Tum 3. *ab Animi Mærore, aut Terrore* gravi, aut diuturno: Tum 4. à *Corporis Segnitie ac Quiete*: Tum 5. à *Somno nimio*.

Et quibus curetur.

XXXI. Cùm eadem sint pituitæ, quæ Sanguinis Consistentioris Causæ, non multùm differet utriusque Curatio: nisi quòd Medicamenta potentiora tutiùs exhiberi possint ac usurpari in Pituitæ quàm Sanguinis Correctione.

A frigore diminuta pituitæ fluiditas quibus curetur.

XXXII. Quævis proinde *Aromatica*, & *Salia Volatilia*, ut & *Spirituosa Sudorifera*, etiam *potentia* hic conducent ad noxas externo frigori cujusvis rei debitas foràs denuò in tempore propellendas, expellendasque; quò spectant *frictiones*, *inunctiones*, &c.

XXXIII. Inter *Alterantia* & Pituitam ab externo frigore coagulatam, Crassioremque factam Incidentia convenient *Eadem*, utut Potentia, sed parcè tamen, sæpiùsque usurpata.

A Glutinosis alimentis diminuta pituita fluiditas quibus curetur.

XXXIV. Ubi à *Glutinosorum Alimentorum abusu* aucta est *pituitæ Consistentia*, *præter* similium intermissum usum, Conducent *Aromatica Acriora* sæpiùs, & parcè usurpata, uti & *Salia Volatilia*, & quandoque *Acida*, sed magis Spirituosa, quippe quæ omnia, & singula Pituitam incidunt, attenuant & fluidam reddunt.

Quibus curetur diminuta ab Austeris Pituitæ fluiditas.

XXXV. Ubi ab *Austerorum* nimio usu, adeòque Abusu *Glutinosa* est facta pituita, præter *Aromatica acriora & Spirituosa*, conveniunt imprimis *Salia Volatilia* omnia, sed maximè Spirituosa & Aromatica, non item Acida.

Et quibus à Mærore vel Terrore diminuta.

XXXVI. Eadem conveniunt omnia, quoties *Animi Mæror* gravis *Metusve inopinatus* hominem corripuit, cùm ratione Austeri tunc in homine aucti & nocentis sequatur Pituitæ nimia Coagulatio.

Ut & quibus à quiete & somno. Salium Volatilium vires.

XXXVII. *Corpus movendum indies magis, protrahendæ sunt Vigiliæ*, quoties à *Corporis quiete*, aut *Somno nimio* aucta est Pituitæ Glutinositas: suntque simul usurpanda, tunc *Aromatica*, & *Spirituosa*, ut & *Salia Volatilia*, quippe quæ tum Spirituum Animalium torporem corrigunt, tum ipsorum Secretionem juvant: non item Acida, quæ illis potiùs obsunt.

Bilem ex parte fluiditatem amittere. 1. ab Aeris Constitutione Boreali. Quæ plurium malorum Caussa. 2. ab Alimentis Glutinosis, & condimentis Austeris. 3. A Mærore, Terrore, & Metu.

XXXVIII. *Ex parte fluiditatem* suam amittet *Bilis*, quoties fiet solito *Glutinosior*, ideòque ad motum ineptior. Quod existimo evenire imprimis 1. *ab Aeris Constitutione Boreali* diu perseverante, sicut jam per annum integrum ferè talis nos ursit mala & aspera Constitutio Aeris plurima hominibus mala pariens, & imprimis frequentes Gravedines, hinc Tusses, ac Phthisin; Dolores artuum varios, etiam Podagricos, & similia plura.

XXXIX. Augetur Bilis Glutinositas 2. & maximè à *continuato Alimentorum Glutinosorum Usu*: ut & *Condimentis Austeris*, *Olivis* puta & similibus; quibus multi sunt perditè addicti.

XL. Idem fit 3. *ab Animi Mærore gravi* ac perseverante, ut & à *Terrore inopino & potenti*, vel *Metu frequenti ac vehementi*; quatenus ab hisce Animi Affectibus, sicut sæpiùs docui secundùm experientiam multiplicem, augetur in Homine ac intenditur Austerum, à quo Humores omnes fiunt glutinosiores, atque ad Motum ineptiores.

Qui Affectus Austerum in homine augeat.

Bilis nimia Glutinositas quibus corrigatur.

XLI. Quemadmodùm autem Humorum Quorumvis, ita & *Bilis Glutinositas Aucta Corrigetur* ac Emendabitur continuato *Aromaticorum*, & *Spirituosorum* ipsorumque adeò *Salium Volatilium Usu*: quamvis ratione Causæ diversæ observanda sint quoque alia.

Quid observandum quando est à Boreali Aeris constitutione.

XLII. Ubi namque *Borealis* & aspera *Constitutio Aeris* huic Bilis Glutinositati auctæ dedit ortum, danda opera, ut Æger *talem vitet Aerem*, continendo ipsum, quantum res ipsius patiuntur, in loco arte calefacto, & correctum Aerem habente.

Quid quando est ab Alimentis Glutinosis.

XLIII. Ubi ab *Alimentis Glutinosis* ortum habuit Glutinositas Bilis aucta, tum *abstinendum* ab ulteriore similium usu; quin horum loco usurpanda, quæ Succum præbent magis fluidum, qualia sunt Carnes Animalium juniorum, & maximè volucrium, non autem aquatilium.

Quidquid ... est à Condimentis Austeris.

XLIV. Quoties *Condimenta Austera*, *Oliva puta*, & similia Glutinositatis Bilis auctæ præbuerunt ansam, toties illis *abstinendum est*, atque horum loco usurpanda sunt, quæ *Sale Volatili acri abundant*, ipsaque *Salia Volatilia acria*, quippe quæ tum Austerum potenter infringunt & immutant, tum ejus noxas corrigunt ac emendant. Talia sunt *Plantæ omnes acriores*, & *Scorbuticæ* dictæ, Nasturtium, Cochlearia, Sinapi, Cerefolium, Petroselinum, Fœniculum, Apium, Petroselinum Macedonicum, & similia plura. Talia sunt etiam reliquæ *Plantæ Aromaticæ omnes*, Angelica, Mentha, Thymus, Rosmarinus, Ruta, Majorana, & imprimis Amaticantes, Absinthium, Marrubium Aquaticum, Matricaria, Tanacetum, &c.

Quæ ... Austerum potenter infringant.

XLV. *Noxa* omnis ab *Austeris* perperam, hoc est, diu & multùm usurpatis proveniens nonnisi sensim, & blandè corrigitur, perseverandum proinde in usu medicamentorum laudatorum.

Quomodo curetur Bilis Glutinositas, quæ est à Mærore, Terrore, & Metu.

XLVI. Quoties ab *Animi Mærore* continuante, aut *Terrore* potenti, quamvis inopinato, vel *Metu* familiari & frequenti ortum habuit suum Bilis Glutinositas, toties, quoniam ratione Austeritatis tunc in corpore auctæ nascitur illa Glutinositas, præter *vitationem ac profligationem* illorum *Animi Affectuum*, usurpanda erunt, quæ modò laudavi ad Austeri Correctionem; quamvis in hoc casu citiùs superetur ferè Austeritas noxia, quàm ubi habuit illa ortum ab Austeris assumptis.

Vis Austeri ab Animi Affectu efficacior, quàm ab assumptis. Austeri diversitas.

XLVII. *Ab Animi Affectu* siquidem *promptior*, *efficatiorque est vis Austeri* tunc producti, quemadmodùm *lentior*, *segniorque*, licèt simul magis rebellis, ubi ortum suum debet assumptis.

XLVIII. *Austerum* namque *illud* videtur *magis spirituosum ac penetrans*; *hoc Terreum & obtusum*.

Unde ex parte Fluiditatē amittunt. Saliva, Succus Pancreaticus, & Lympa.

XLIX. Ex *parte Fluiditatem* suam *amittent Saliva*, *Succus Pancreaticus & Lympha* ob Caussas nuper in Pituitæ examine propositas.

Succi Pancreatici à Frigore externo inspissatio quid producat. Obstructionum in ductibus Pancreaticis lateralibus, & Febrium intermittentium caussa.

L. Ubi duo præsertim observo: 1. ex *Succi Pancreatici* ab externo Aeris, Aquæ, Venti, Pluviæ, Linteaminum, &c. *Frigore* qualicumque *Inspissatione* ac Coagulatione produci sæpenumero in Ductibus Pancreaticis Lateralibus *Obructiones*, hinc & *Febres Intermittentes*; sicut id multiplici constat mihi experientia, & Ægrorum accurata Observatione.

LI. Potest, inquam, ex ipsius *Succi Pancreatici*, sed jam glutinosioris ulteriori *Coagulatione*, *Inspissatione*, *Condensatione*, aut quocumque vocabulo alio emphatico designanda Consistentia aucta excitari *Obstructio in Ductibus Lateralibus*, hinc & *Febris Intermittens*. Unde tamen non sequitur, non posse produci eandem & forsan

ſan frequentiùs à *Pituita glutinoſa in tenui Inteſtino hærente*, atque à Calore qualicumque Solis, Balnei, vel Alimentis ſimilibus, Aromaticiſve aut Spirituoſis, Corporis Motu & ſimilibus *Soluta*, per lactea vaſa uſque ad Sanguinem, hinc cum hoc ad Pancreas uſque deducta, & tunc demum à modò memorato frigore qualicumque in Ductibus Lateralibus iterum coagulata & inſpiſſata, mox & obſtructionem ibidem faciente. Adeò ut bini in modi Obſtructionem in Pancreatis Ductibus Lateralibus pariendi debeant expendi & conſiderari à quovis veram Febrium Intermittentium productionem rimanti.

Gravedinis cauſa vera. *Ejuſque effectus.*

LII. Alterum, quod hìc cenſebam obſervandum, verſatur circa *Gravedini Cauſam veram*: quam non raro exiſtimo ego eſſe *Lympham in vaſis Glandularum Plexus Choroeidis ab externo frigore Coagulatam*, & nonnunquam *Mucum in Glandulæ Pituitariæ Vaſis* ſimiliter *concretum*: unde in hoc caſu poſtremo ſentitur imprimis moleſtia circa narium radicem; in illo verò in medio capite, ubi ſitæ ſunt illæ plexus glandulæ.

Saliva aucta quid Glutinoſitas faciat. Ejus cauſa.

LIII. Quoties *Salivæ* aucta eſt *Glutinoſitas*, & diminuta ex parte ipſius *Fluiditas*, toties muco, quaſi obducitur *Lingua*, & ubique adhæret in *Ore Saliva*, etiam quando ipſa expuenda eſt.

LIV. Ortum habet autem illa diminuta Salivæ Fluiditas, ſicut jam dictum, *ab externo frigore* qualicumque aliquamdiu perſeverante, atque imprimis ab *Alimentis Glutinoſis*, vel *Condimentis auſteris*, ut & *Animi Mœrore aut Terrore* aliquamdiu continuante; adjuvante etiam *Torpore ac Sopore*, omnes humores glutinoſiores præſtante.

Earum Remedia.

LV. Quarum *Cauſarum Remedia* cùm non ſemel ſint à me propoſita, non eſt, cur actum ſemper agamus.

Quibus Salivæ Glutinoſitas curetur.

LVI. *Ipſa* autem *Salivæ* ipſius *glutinoſitas aucta*, adeòque *proxima Fluiditatis diminutæ cauſa*, *Corrigetur*, cùm in Ore præſertim pariat manifeſtam moleſtiam, Colluendo ac nonnunquam Eluendo ipſum Os *Aqua pura*, *Acidulis*, addendo ſubinde tantillum Vini, vel Spiritus acidi: unde non tantùm Incidetur exiſtens in Ore Saliva, verùm emendabitur ex parte ſecutura.

& ejus Materia corrigatur.

LVII. Quòd ſi *laudatus liquor* varius etiam intra corpus aſſumatur, diluendo *Salivæ Materiam*, *Corriget* eo ipſo eandem poſtmodùm producendam: ubi convenient quoque Salia Volatilia.

Quibus remediis corrigatur. Succi Pancreatici & Lymphæ Glutinoſitas.

LVIII. Quoties *Succi Pancreatici* & *Lymphæ aucta* eſt *Glutinoſitas*, *diminutaque ex parte* eorum *Fluiditas*; & quidem ob Cauſas modò in Saliva notatas; toties *Cauſarum* illarum *Remedia* non ſemel laudata in uſum ſunt revocanda: & imprimis Remedia humorem utrumque Incidentia & Attenuantia, & proinde Fluidiorem facientia internè ſunt uſurpanda.

LIX. Quamvis nil obſtet ad ſuccum Pancreaticum corrigendum abhiberi externè Olea, Linimenta, Unguenta, Emplaſtra, Illinitiones quoque cum Spirituoſis, addito cæteris Sale Volatili ſubtiliore.

Mucus Gravedinē producens quibus corrigatur. Succini Vis & efficacia.

LX. Sic ad *Lympham* vel *Mucum*, ſed in Capite Gravedinem producentem *corrigendum*, *Incidendum*, *Solvendum*, *Fundendum* præ aliis externis omnibus, quantum ego hactenus ſum expertus, optimum eſt *Succinum* ſuffitus vel fumi forma Ore Naribuſque exceptum; Cujus vim præſentem, ſummamque non ſatis poſſum prædicare, cùm ſemper mira mihi occurrat.

Externa quando adhibenda. Gravedinis cura.

LXI. Quoties proinde effectus bonus expectari poteſt à Medicamentis externis; & ab illis non abhorrent Ægri, toties eadem ſunt adhibenda, ſive ſola ſufficiant, ſicut ſæpiùs obſervavi uno die ſolo illo ſuffitu curatam Gravedinem; ſive jungantur internis, quò citiùs, fœliciùſque, imò faciliùs procedat Cura.

CAPUT XXIV.

De Medicamentis Urinæ Fluiditatem amiſſam Alterantibus.

Humores Excrementitii, & inutiles.

I. PRæter Humores Corpori Humano utiles, occurrunt quoque *Excrementitii*, ac proinde tandem corpori *inutiles*, quando ſcil. munere ſuo functi ſecreti ſunt à cæteris utilibus & amandati ad ſua receptacula, quò tempore opportuno, etiam ad voluntatis imperium excernantur.

Urina & Alvi fæces inter Contenta & Fluida habenda.

II. Tales ſunt *Urina* & *Alvi fæces*, quæ licèt conſiſtentiam habeant plerumque Contentis cæteris majorem, ſintque minùs fluidæ, habentur tamen, *haberique* omninò debent *inter Contenta* & Fluida, cùm reverà ſuis continentur canalibus ac receptaculis, tandemque ulteriùs ſenſim propulſa expellantur à corpore.

Urina conſtitutio naturalis.

III. Hæc *Urina* præ omnibus Contentis ad ſenſum externum obſervabilibus eſt ſecundùm naturam maximè Fluida, & talis requiritur, ut tempore ſuo faciliùs emittatur, effundaturque.

Eam fluiditatem amittere vel in totum vel ex parte.

IV. *Amittit* aliquando hæc *Urina*, qua non tantùm ejus Liquor, verùm Contenta quoque comprehenduntur, *in totum*, aut *ex parte* ſuam *Fluiditatem*.

In totum quando in Calculos & Arenulas abit.

V. Urinæ Partem *in totum* Fluiditatem ſuam poſſe amittere teſtantur, evincuntque *Calculi & Arenulæ* in Urina Fluidiſſima reddita ſæpè ſponte orti, atque in Veſica ſenſim aucti.

Quos ſolvit Spiritus Nitri Calculoſis utilis.

VI. *Calculos & Arenulas ſolvit* & diſſolvit extra corpus *Spiritus Nitri* tam purus, quàm aliis modis ampliùs elaboratus; à quo etiam *optimè habere Calculoſos* diligentes docuit experientia.

Ut & alia Medicamenta.

VII. Laudantur *plura* ex Calce viva, Tartaro, Millepedibus, Vermibus Majalibus parata *Medicamenta*, quorum vis magis innoteſceret, ſi charitate magis, quàm invidia moverentur plerique Medici, quoſvis alios, etiam Præceptores ſuos, malignè culpantes, aut ridentes, quoties aſſequi non poſſunt, aut elicere ipſorum induſtria inventa, vel dexteritate parata remedia.

Ex parte amittit Urina fluiditatem, quando fit Glutinoſior ob Pus admiſtum.

VIII. *Ex parte* minuitur Urinæ *Fluiditas*, quando fit *Glutinoſior*; quod imprimis accidit, ab admiſto *illi Pure*, ſed *magis Pituitoſo*, & *Glutinoſo*, hactenuſque Urinæ faciliùs ac intimiùs admiſcibili.

Pus qua ratione diverſum.

IX. Notandum ſiquidem *Pus diverſum* produci, tum *ratione Sanguinis diverſi*, ex quo producitur, tum *ratione Partis ulceratæ*, in qua producitur:

Pus minùs Glutinoſū.

X. Sic Sanguis purus billioſus, aut Seroſus & Salſus Muriaticus *Pus* dabit *minus Glutinoſum*.

Valde Glutinoſum unde varia Urinæ Glutinoſitas.

XI. Contra Sanguis Pituitoſus, & quidem Glutinoſa Pituita ſcatens *Pus* proferet *valdè Glutinoſum*; atque hic Urinæ intimius ſe admiſcens, ipſamque adeò Glutinoſiorem præſtans: quod non æquè fit à Pure ſupradicto.

Pus Renum aut Pulmonum minùs Glutinoſum Pure Veſicæ.

XII. Iterum *Pus in Renibus*, *aut Pulmonibus* productum, & cum Urina nonnunquam excretum non eſt tam *Glutinoſum*, atque *Pus in urinaria Veſica* genitum, & Urinam præſtans valdè *Glutinoſam*.

Et quare. Qua ſanguinis parte nutriantur Viſcera & Muſculi.

XIII. Videtur autem ideò *Pus in Renibus*, aliiſque *Viſceribus*, *ipſiſque Muſculis* genitum *minùs Glutinoſum*, quia nutriuntur hæ partes omnes Sanguinis parte minùs Glutinoſa, ex quo Sanguine corrupto cum producatur Pus, non mirum, ſi quoque ſit hoc minùs Glutinoſum.

Et qua Partes membranoſæ.

XIV. Contrà Veſica cæteræque Partes Tunicis conſtantes membranoſis & tenacibus videntur nutriri parte Sanguinis magis Pituitoſa & Glutinoſa, ideòque exinde natum *Pus* exiſtit quoque *valdè Glutinoſum*.

Ulcerata

XV. Experientia certè multiplici conſtat *Pus in* ulce-

Vesicæ pus magis glutinosum, magisque Vrinæ admistum, quàm Pus Renum.

ulcerata Vesica productum esse magis tenax & *Glutinosum*, atque *Vrinæ intimiùs admistum*, quàm Pus in *Renibus*, vel alibi genitum, itidemque Urinæ, ast leviùs admistum.

Causa diversitatis in Pure observanda in praxi.

XVI. Hoc idcircò addo, ut si hoc delicato seculo alicui non arrideat, quam proposui, ab alimento partium desumpta ratio, aliam ex suis quærat principiis, vel præjudicis.

XVII. Hoc saltem scio, ipsum *in cura* nil laudabilis effecturum, qui negliget, quæ dixi.

Laudabile in Affectibus obscuris causas manifestas invenire, & communicare.

XVIII. Existimavi hactenus me rem omnibus gratissimam præstiturum, ac præstitisse, quando labore magno, atque meditatione multiplici potui in *Affectu obscuro causas invenire* manifestas, modumque productionis ejus eruere facilem ac evidentem; atque illa omnia Lectoribus meis *communicare*. Nam, ut est in proverbio, creditus is hactenus

Fœlix, qui potuit rerum cognoscere causas:

ergò is etiam, qui eas aliis clarè explicuit.

Auctoris doctrinam quibusdam sordere ob evidentiam.

XIX. Valdè non parùm miratus sum nuper, audiens *doctrinam* meam *sordere* nonnullis, quòd esset *nimis clara* & *facilis*.

XX. Quapropter concludo tales malle ignorare, quàm percipere Ardua, quin malle tantùm credere aliis obscura & obscurè docentibus, quàm res ipsas percipere: quinimò malle videri, quàm esse doctos; malle in admiratione esse, quàm in ædificatione; & ut ad Medicinam hæc applicem, *malle palpando*, *quàm ex arte* planè agendo suos *ægros curare*, parum soliciti an pereant, restituanturve.

Eosq; malle propterea palpando quàm ex Arte agendo Ægros curare.

XXI. Ego certè talibus non invideo miseram suam fortunam & splendidam ingnorantiam, quin opto cuncta evidenter assequi, & sic *facili*, *tutaque*, imo manifesta *via ægros* meos *curare*.

Facilima, que via Ægri curandi.

Non per terminos obscuros, sed perspicuè cogitationes sunt explicanda.

XXII. Nec mirum, si tales tenebriones magni faciant eos Auctores, qui per ænigmata & *terminos obscuros*, affectatosque, suamque ignorantiam tegentes loquuntur, non item eos, qui candidè ac *perspicuè* suas *cogitationes*, non credendas, sed examinandas & intelligendas aliis proponunt, ac cujuvis examini exponunt.

Pro ratione Glutinositatis, in pure Vrina fluiditatem variare.

XXIII. Sed redeamus ad Vrinæ Fluiditatem ex parte diminutam; quod præsertim observavi factum ab admistione Pure; quod quò fuit *Tenacius & Glutinosius*, eo etiam reddidit Vrinam minùs fluidam, ideoque segniùs effluentem, atque diutiùs Vrethræ adhæcentem.

Ob acre Acidum in pure Vrina difficilè & cum dolore redditur.

XXIV. Quoniam verò *in pure* omni latet *acidum acre*, Partes sensiles rodens ac Dolores atroces producens, quod maximum hic ægris malum est, non tantùm in tali casu *Vrina* segniùs, & *difficiliùs* effluit, sed cum summis *cruciatibus*.

Cujus Causa & Remedia inquirenda.

XXV. De quo sicut maximè conqueruntur ægri, ita meritò ejus *Causam* veram investigant Medici solertes, & supra libros docti, ut *Remedia inveniant* his Doloribus certa, tutaque, faciantque suis ægris medicinam verè Dogmaticam & rationalem, non tantùm Empiricam, vel Methodicam, hoc est, temerariam & incertam.

Vlceris in Renib. Causa Calculus.

XXVI. *Vlceris in Renibus Causa frequentissima* est *Calculus* in Pelvi præsertim hærens, paulatim excrescens, atque inæqualis, à quo Corporis agitatione qualicumque commoto & Renum substantiam contundente, mox & vulnerante Sanguinis effusioni via paratur.

Sanguinem & Pus cum Vrina excerni.

XXVII. Hic *Sanguis* tum purus cum Urina effundi, tum in Pus mutari, & Ulcere ibi paulatim succedente, continuò Pus defluere, ac cum *Vrina excerni* solet.

Vlceris in Renibus causa aliquando serum Acre.

XXVIII. *Vlceris in Renibus Causa* est *aliquando serum Acre* Vrinæ admistum, & Acrimonia sua Renum Carunculas, hinc & substantiam reliquam rodens, atque Vlcus producens, unde & sic quoque Pus generari & cum Vrina excerni solet.

Vlceris in Vesica causa.

XXIX. *Vlcus* etiam *in Vesica* sæpiùs excitatur, & 1. quidem ab eodem *Sero Acri* motam in Vesica cum Vrina faciente, atque paulatim eandem rodente & ulcerante: quod imprimis solet fieri circa Vesicæ Collum. *1. Serum Acre.*

XXX. 2. A *Pure in Renibus* producto, & in Vesica collecto, paulatimque Vesicam similiter Acrimonia sua Acida erodente. *2. Pus Renum.*

XXXI. 3. A *Calculo in Vesica* subsistente, atque ibi sensim aucto, tandemque Orificium ejus Comprimente, atque duritie sua inæquali, dum in Vrinæ excretione Vesica circa illum coarctatur; sed meo judicio cum primis ab *Vrina* circa calculum diutiùs hærente, atque paulatim acrimoniam, & quidem Acidam nacta, & hactenus Vesicam rodente ac erodente. *3. Calculus Vesica.*

Acrimoniã Acidam Vrinæ inesse.

XXXII. *Acrimoniam in Vrina* tum à sero delabente, tum à propria corruptione *Acidam esse* patet ex Vrinæ istius Sapore acido & acri; qualem sæpiùs me jubente gustarunt & mihi retulerunt Ægri, aut Infantium Matres, aliive adstantes, ac ministrantes.

Pro ratione Puris in Vesica Vrina Glutinosa magis aut minùs.

XXXIII. Quoties igitur à quacumque Causa memorata *Pus* colligitur in Vesica; & Vrinæ *plùs*, *vel minùs* admiscetur, toties eadem *Vrina plùs*, *vel minùs* redditur ab ipso *Glutinosa*, adeòque *minùs fluida*, sed ubique adhærens, quin cum molestia, & dolore prodiens.

A sanguine fit crassior.

XXXIV. Sic *Sanguine* puro & copioso Vrinæ admisto redditur eadem *Crassior*, ideòque minùs Fluida.

Vt & à Pituita Glutinosa.

XXXV. Sic à *Pituita Glutinosa* spontè vel arte per Renes ad vesicam delata redditur *Vrina Crassior*, idòque minùs Fluida & mobilis,

Vrina fluiditas diminuta à Pure in Renibus ei admisto quomodo curanda.

XXXVI. Quoties proinde à *Pure Vrinæ in Renibus* admisto minuitur *Vrinæ Fluiditas*, toties opera danda, ut illa *Puris admistio cesset*; quod fiet, si Vlcus in Renibus curetur; usurpatis prætereè quæ Puris glutinositatem minuant.

Vlcus Renum incurabile.

XXXVII. An spes sit *Curationis Vlceris in Renibus*, valdè dubito; Ego saltem non memini unquam à me, vel aliis curatum.

At quibus malum leniatur.

Balsami Sulfuris composito Varia & Vires.

XXXVIII. Potest tamen aliquid usurpari, quod *leniat malum*, impediatque ne gravissimum reddatur. In quem finem nil præstantius reperi hactenus *Balsamo sulphuris* tum Anisato, tum Succinato, tum Juniperino, tum Terebinthinato; sed Terebinthinæ Venetæ aliusve optimæ, non vulgaris, oleo parato. A quibus, sicut sæpiùs docui, licet viribus non parùm fractis ad Renes pervenientibus mundatur Vlcus, quin Puris proventus minuitur, adeòque Vlceris augmentum plùs minùs impeditur.

Balsami Sulphuris Succinati Vires.

XXXIX. Cæteris autem omnibus *optimum* reperi in hoc casu *Succinatum*.

XL. Ab hoc insuper redditur *Pus tenuius ac Fluidius*, & hactenus quoque Vrina Fluidior,

XLI. Quod de Pure in Renibus Vrinæ admisto dixi, de ipso in Vesica eidem adjuncto dicendum; & fateor supra meam expectationem *Balsamum sulphuris Succinatum hîc præstitisse mira*; unde spem consepi posse aliquando efficaciora adhuc in hunc finem *remedia inveniri*, quæ forsam in totum curarent in Vesica præsertim, ubi Dolores sunt atrocissimi, *Vlcera molesta*; cùm præsertim per Vrethram possit aliquid quoque in ipsam immediatè infundi Vesicam.

Forsan inveniri posse Remedia Vlcus Renum & Vesica curantia.

Quod aliis tentandum relinquit Autor.

XLII. Quod vel idcircò addo, ut si hoc mihi propter ætatem inclinantem atque ad occasum properantem non concedatur, *tentent* id *alii*, nec de successu bono desperent.

XLIII. Vtique si talia quæ modò protuli mihi fuissent nota in mei juventute, ausus fuissem paulatim majora sperare; verùm in Senectute demum illa mihi innotuerunt, unde Vitæ summa brevis, spes me vetat inehoare longas: Si tamen Deus id mihi concesserit, potero aliàs etiam informare ampliùs solertes.

Vrina fluiditas diminuta à Sanguine.

XLIV. Quoties autem à puro *Sanguine* Vrinæ admisto reddita est *Vrina minùs Fluida*, toties, ut illud vitium emendetur; impediendus

quomodo curanda.

dus Sanguinis effluxus & permistio cum Urina.

1. Sanguinis effluxus impediendus.

XLV. Sanguinis effluxus impedietur curando Vulnus in Rene imprimis factum, & quidem à Calculo ipsi impacto & commoto sive concusso.

2. Vulnus consolidandum Sanguine Draconis.

XLVI. Optimum autem fuerit, si mox *Vulnus Consolidetur*, beneficio *Sanguinis Draconis* alicui Misturæ, aliive Liquori admisti, & cochleatim sumendi; qualem misturam descripsi in Praxeos meæ Libro primo, & sæpiùs cum successu admirando exhibui ęgris.

3. Calculus expellendus aut dissolvendus.

XLVII. Ubi Consolidatum est sic Vulnus, danda opera, ut *expellatur* per Ureteres *Calculus*, si possibile; aut *dissolvatur*, si & hoc possibile.

Calculos è Renibus expellentia.
1. Olei Amygdalarū dulciū vires & dosis.
2. Olei Baccarum Juniperi Vires & Dosis.
3. Olei Terebinthinæ Venetæ Vires & Dosis.

XLVIII. Quæ *calculos è Renibus expellunt*; propelluntque, varia vulgò laudantur, quæ quamvis non sint propriè hujus loci, notabo tamen quædam mihi usu multo comperta: Inter quæ primum laudo cum aliis, 1. *Oleum Amygdalarum dulcium* semel, aut sæpiùs ad ℥ß. vel ℥j. cum vino Rhenano diuretico tepido, succo citri, & saccharo ad gratiam additis assumptum. 2. *Oleum Baccarum Juniperi* recens ac ritè paratum ad Guttas v. vj. aut plures ex vino subinde usurpatum. 3. *Oleum Terebinthinæ Venetæ* iidem ad Guttas iij. iv. aut v. similiter usurpatum.

Hæc car aliis præferenda.

XLIX. *Hæc* quoniam *vim naturæ* nullam *inferunt*, idcircò multis aliis *præfero*, quæ nonnunquam symptomata producunt periculosa, imò lethalia.

Dolor Vehemens optimè leditur opiatis.

L. Ubi *Dolor vehemens* urget à Calculo in Renibus, ac præsertim Ureteribus hærente, utilissimè ac convenientissimè adduntur cæteris medicamentis *Opiata*; à quibus nunquam impeditam, sed potiùs promotam vidi cæterorum medicamentorum calculos expellentium vim & operationem.

Calculus Solvit Spiritus Nitri.

LI. *Calculos* majores, adeòque propelli nescios *Solvit* præ multis aliis *Spiritus Nitri*, ex Vino, Cerevisia, Jusculo, aliove Liquore conveniente, ad guttas aliquot, adeòque aciditatem gratam bis terve indies assumptus,

Urina fluiditas diminuta à Pituita Glutinosa quomodò curãda.

LII. Quoties à *Pituita Glutinosa* sponte, vel arte *Urinæ admista* minuitur hujus *fluiditas*; toties usurpanda, quæ Pituitam illam Glutinosam Incidant & attenuent, Salia Volatilia, Spiritus Acidi temperatiores, & quandoque hæc bina simul juncta, & aliis blandioribus dissoluta.

CAPUT XXV.

De Medicamentis Alvi Fœcum Fluiditatem amissam Alterantibus.

Alvi fecũ Consistētia naturalis,

I. INter Contenta fecimus quoque mentionem *Alvi fecum*, quarum *Consistentia requiritur mediocris*, & quidem talis, ut absque molestia vel dolore propelli possint per Intestinorum fistulam, & tandem expelli per podicem, sive anum.

Aliquando nimis indurantur in totum.

II. Hæ *Alvi fæces in totum* aliquando adeò *indurantur*, exsiccantur, & compinguntur, ut minimè possint loco moveri.

Quibus iterum fluida redduntur.

III. Emolliuntur, humectantur, dissolvunturque hæ *Alvi fæces*, *redduntur que iterum fluidæ*, tum assumptis ore blandis *Apozematibus lenitivis* & alvum solventibus, tum injectis per anum *Enematis* similibus; tum etiam aliquando usurpatis externè *Fomentis* ex Emollientibus paratis, ut & *Oleis*, *Linimentis*, *Unguentisque* similibus.

Aliquando ex parte inspissantur, & excernũtur difficiliùs.

IV. Sed possunt eædem *ex parte* amittere suam *fluiditatem lentam*, quoties quodammodò inspissantur & glutinosiores, adeòque minùs mobiles fiunt.

Unde Hernia, Ani delapsus, Hæmorrhoides, Menstrua inordinata, Abortus.

V. In tali casu *propelluntur*, *expelluntque* adhuc Alvi fæces, ast segniùs, difficiliùs, imò cum molestia sæpè ac dolore; unde ex vehementi Ventris compressione tunc necessariò concurrente ac frequenti, *Herniæ* nonnunquam excitantur, vel *Ani delapsus*; *Hæmorrhoides*, atque in fœminis *Menstrua inordinata*, vel *Abortus*.

Fecum alvi induratarũ caussa multiplex.

VI. *Causa* Fæcum alvi Glutinosiorum Duriorum sive Solidiorum, adeòque Immobiliorum, & minùs *Fluidarum* observatur *multiplex*.

1. Aer Frigidus & Siccus.

VII. Et 1. quidem *Aer frigidus & siccus*, qualis est Borealis, à quo etiam Alvi fæces, uti alia omnia, solito magis indurantur, & minùs fluidæ fiunt.

2. Alimenta Glutinosa, & Condimenta, Medicamentaque Austera & Terrea.

VIII. 2. *Alimenta* tum Glutinosa, tum Duriora, & imprimis sicciora; hoc est, Potulenta ejus parte, aqueaque adeò carentia; ut & *Condimenta*, *Medicamentaque* Austera, Terreaque.

Qualia aliměta sint Glutinosa.

IX. Inter *Alimenta* sunt non tantùm *partes Animalium extremæ*, multum Glutinosi Succi continentes, ac promentes; verùm ipsæ *Cartilagines*, multis non minùs in deliciis, quàm Canibus Ossa; quorum quædam teneriora vel teniora devorare solent nonnulli.

X. Huc referri debet *Panis*, & imprimis *non fermentatus*, vel *bis coctis*, atque abundanter absque potu sufficiente assumptus: ut & *Oriza*, & *omnis frumenti*, *aut leguminis species*, si talia devorentur.

Qualia Cõdimenta Terrea,

XI. Inter *Condimenta Austera* meritò referuntur *Olivæ*, in plerisque adstrictam præstantes alvum.

Qualia Medicamenta Austera.

XII. Inter *Medicamenta*, sive Medicamentosa Veneni naturam tunc induentia, referri possunt ac debent *Coralia*, *Oculi Cancri*, *Creta*, *Terræ argillaceæ ac sigillatæ omnes*, *Lacca*, *Carbones*, *Cespites* & infinita, quibus abutuntur præ aliis omnibus Puellæ nonnullæ ante Fluxus menstrui adventum primum, propter Picam ipsas tunc vexantem acurgentem.

3. Mœror terror, Sollicitudo.

XIII. 3. Fæcum alvinarum Solidiorum Caussa esse potest *Animi Mœror*, *Terror*, *ac Solicitudo*.

4. Vigiliæ, aut Somnus nimius.

XIV. 4. *Protractæ Vigiliæ*, aut *Somnus multus*.

5. Nimia quies, aut defatigatio.

XV. 5. *Nimia corporis quies ac torpor* & quandoque longa motum *defatigatio*.

6. Sudor multus. Urina copiosa excretio, & neglecta alvi dejectio.

XVI. 6. *Sudor multus ac frequens*; ut & *Urinæ uberior* excretio; aut *neglecta & dilata urgens alvi dejectio*.

A' singulis sex rebus non naturalibus.

XVII. Sic à *singulis rebus sex non naturalibus* vulgò dictis, sed vitiatis, possunt reddi alvi fæces ad sui excretionem ineptiores, quippe nimis consistentes,

Alvi fæces indurari.
Pro Caussarum varietate & multitudine cura instituenda.

XVIII. Prout autem *Caussæ* istius mali fuerint *Variæ*, atque *plures*, paucioresve simul concurrentes, aut seorsim existentes, ita diversa erit ejusdem *instituenda cura*.

Aer Borealis vitãdus & corrigãdus.

XIX. *Aer* namque *Borealis* partim potest *vitari*, partim accenso igne *corrigi ac emendari*.

Alimenta noxia vitãda & convenientia usurpanda.

XX. *Alimenta* noxia possunt ac debent *vitari*, & *convenientia* eorundem loco *usurpari*.

Condimenta vitãda. Et noxa ab illis orta tollenda.

XXI. Longè magis autem *Condimenta*, ut & *Medicamenta*, quæ tunc pro Venenis potiùs habenda, postquam homini nocent, non item prosunt, vel ipsum in melius mutant, (quod medicamentorum proprium) *vitanda* sunt, quin noxæ ab ipsis corpori continenti, contentove introductæ paulatim sunt corrigendæ ac tollendæ.

Et quibus.

XXII. Hæ *noxæ* omnes hic referri possunt ad austerum in corpore auctum; quapropter quæ sæpiùs commendavi ad ejus mutationem ac correctionem, hic usurpanda; cùm & ipsa Experientia quotidiana testetur illorum ope superari ac tolli mala & Symptomata fœmellis ex talium abusu oborta: nimirum *Aromatica*, & *Spirituosa*, quibus ego meritò addo semper *Salia Volatilia*.

Mœror ratione moderandus. Et ab eo noxa quomodo corrigenda.

XXIII. Quoad *Animi Mœrorem*, cæterosque ipsius Affectus hic noxios, docui quoque sæpiùs ipsos *ratione moderandos*, & *noxas* inde in corpore relictas & austeri indolem sapientes tollendas modò laudatis *Aromaticis*, & *Salibus Volatilibus*.

Protractæ vigiliæ minuendæ & somnus conciliandus. XXIV. Si *protractæ Vigiliæ* fuerint Causa hujus mali, partim erunt *minuendæ* partim per anodyna & narcotica *procurandus Somnus*.

Somnus nimius minuendus, & impediendus. XXV. Sin *Somnus nimius* fuerit in culpa, idem *imminuendus*, atque corporis exercitio cujusvis naturæ ac vitæ generi conveniente *impediendus*.

Quies & Torpor Fugandi. XXVI. Unde quoque patet corporis motu atque agitatione conveniente fugandam ejus *quietem ac torporem* tollendum.

Nimius motus coercendus. XXVII. Sicut contrà *nimium* ejus *motum* internam humiditatem exhaurientem quiete, Somnoque coercendum.

Sudor nimius minuendus. XXVIII. *Sudor multus ac frequens* potenter aqueam corporis humiditatem profundes ac educens pro causæ suæ diversitate *minuendus aut sistendus*.

Quiete, si sit ex corporis motu. XXIX. Sic ex *Corporis motu vehementi* promanans, ejus *quiete* minuendus & facilè tollendus.

Si sit ab interna causa, coercendus. XXX. *Sudor* autem ab *interna Causa*, & uti ego sentio, Vitiosa, peculiarique Sanguinis Effervescentia, & imprimis *febrili*, ortum habens paulatim *coercendus*, coercita, sublataque illa effervescentia noxia, ubi arte opus est, cùm aliàs in gravissima, imò lethalia nonnunquam Symptomata incidant ægri tales, si Sudor imprudenter cohibeatur.

XXXI. Quomodò autem Sudor talis præternaturalis ex arte curari debeant, non est hujus loci pluribus enarrare, cùm aliàs & alibi hoc fecetimus, & forsan simus adhuc suo tempore acturi.

Si induratio sit ab urina copiosius excreta quomodo curetur. XXXII. Eadem ferè ratio est *Urinæ copiosiùs* & aliquamdiu excretæ: cùm videantur hæ gradibus tantùm differre Urinæ ac Sudoris Evacuationes præternaturales.

Neglecta fæcum dejectio quà curatur. Excrementa durIora reddi fluidiora. XXXIII. *Neglecta*, diutiùsque dilata *fæcum alvinarum dejectio* facilè potest *curari* ac tolli, dummodò ad ejus solicititationem attendentes singuli mox adeant latrinam & alvum deponant.

XXXIV. Atque hæc spectant Hujus mali Causas multifarias, superest ut ipsa *Excrementa* alvi Glutinosiora, vel *Duriora*, minùsque fluxilia *qui reddi* possint *fluidiora*, paucis enarremus.

Per Potulenta copiosa, aquea, & pinguia. XXXV. Possunt in hunc finem usurpari *Pitulenta copiosa*, tum *Aquea*, tum subinde simul *Pinguia*, *Juscula* puta & similia.

Per Salia Volatilia, & Acida. XXXVI. Possunt aliqnando illis addi *Salia Volatilia*, & aliquando *Acida* sed blandiora, quæ dissolvant cartilaginosa & ossea.

per Emollientia. XXXIII. Possunt *Enemata injici* ex *jusculis*, *Urina*, *Lacte dulci*, decoctisve emollientibus, addendo *Olea*, *Butyrum*, *Mel*, & similia; quæ diutiùs retenta emollient ac dissolvent compactas fæces alvinas, sicque facilitabunt ac promovebunt earundem evacuationem.

Per Linimenta. XXXVIII. Posset quoque Venter totus, ac imprimis pars ejus inferior inungi *Oleis aut Unguentis emolientibus*, Althææ, Martiati & similibus, ad promovendam fæcum alvinarum emollitionem, ac proinde motum ac eductionem.

CAPUT XXVII.

De Sanguinis Fluiditatem nimiam Alterantibus Medicamentis.

Fluiditas in corporis partibus præcipuè spectanda, & quotupliciter. I. DOcuimus in superioribus Alterari præsertim Arte medica Partes Corporis Contentas & Fluidas; quamobrem ipsam earum Fluiditatem primùm censuimus spectandam, & quidem tum quatenus illa interdum in *totum tollitur*, aut *ex parte* tantùm *minuitur*; interdum etiam *intenditur & augetur*.

II. Egimus quidem hactenus de Fluiditatis istius sublatæ, aut diminutæ Causis ac Remediis; unde proximum videtur, ut eandem auctam spectemus secundùm varias Partes in Corpore contentas, & fluidas.

III. *Sanguinis fluiditatem auget* 1. *Aer* quocunque modo *æstuans*, ratione scilicet Solis, Foci, Hypocausti, Balnei, tam sicci, quàm humidi: ut & Fotus, Lecti, Vestimentorum, Tegumentorum & similium, quæ omnia commodè ad Aerem corpus ambientem possunt revocari. *Sanguinis fluiditatem augeri. 1. ab Aere.*

IV. Hæc omnia Corpus abientia *Calorem* in ispo augere solent, atque simul Humores quosvis attenuare, fludiores atque mobiliores reddere: *Per Calorẽ Humores attenuantẽ et omnia fluxiliora reddentem*

V. *Calor* siquidem vel Potiùs *Ignis*, *Caloris caussa*, cuncta pro sui diversitate incidere, liquare, fundere, atque *fluxiliora reddere* solet. Hæc autem memorata omnia in nobis Calorem augere, adeòque Ignem internum intendere atque potentiorem facere possunt: uti constant Experientia quotidiana.

VI. Sanguinis fluiditatem augent 2. *Alimenta*, & imprimis potulenta calidè assumpta, ut & Spirituosa, Vinum puta generosum, & maximè ipsius Spiritus, Cerevisia potens, Hydromeli, &c. *2. Ab Alimentis et Condimentis.*

VII. Huc referenda *Condimenta*, sed *Aromatica*; ut & *Salia Volatilia*, & imprimis valdè *Oleosa*, ut & *Olea Aromatica* stillatitia.

VIII. 3. *Corporis motus*, & agitatio vehemens aut diuturnus. *3. A Corporis motu.*

IX. 4. Inter *Animi motus*. Ira & Hilaritas, & Lætitia effusa. *4. Ab Animi affectibus.*

X. 5. *Vigiliæ protractæ*. *5. A Vigiliis protractis.*

XI. 6. *Hæmorrhagia*, sed non nimia, *6. Ab Hæmorrhagia.*

XII. Præter has res nonnaturales modum parùm excedentes; notari possent quædam, quæ absque controversia *Veneni* nomine veniunt, sive *cum Aere inspirentur*, aliàsve *per Corporis poros penetrent*; sive *Aeri*, *vestibus*, *alisque immista sint*, sive *ore assumantur* cum Alimentis, Condimentis, alisve, quamvis reverà sint *Venena*; quippe quæ nec corpus servant in statu laudabili, nec illud eò deducunt, quin ipsum potiùs destruunt, & tandem hominem necant. *Huc pertinere Venena multis modis corpori illata.*

XIII. Talia sunt, quæ *in Aere volitant* noxiæ particulæ, quæque aut inspiratæ, aut per poros introductæ *febres* pariunt *ardentes malignasve*, ipsamque adeò *Pestem*, *Dysenteriam*, &c. *Talia esse noxias particulas in Aere volitãtes, & Febres malignas, Pestẽ &c. parientes.*

XIV. In omnibus, plerisque saltem *Malignis Febribus* observatur *Sanguis solito fluidior*, quod etiam in *Ardentibus* contingit, ut & *Peste*, & quandoque in *Dysenteria*, quoties scilicet *Bilis* quoque *peccat per se*, unde ab ejus *acrimonia aucta* Febres producuntur, & quidem ardentes, concurrente simul *Acido itidem acri*, valdè noxiam in tenui Intestino Effervescentiam cum Bile acriore excitante, atque tunc Dysenteriæ gravissimæ causam præbente. *In Febribus malignis & ardentibus est Sanguis solito fluidior. Hi morbi unde.*

XV. Quoties proinde *Sanguinis Aucta Fluiditas* ortum habuit *ab Aere* quavis de Causa Æstuante, toties secundùm Causæ diversitatem Mutandus erit iste Æstus. *Sanguinis aucta fluiditas quomodo curanda. Solis radii vitandi.*

XVI. *Sol* cùm à nobis mutari non possit, potest tamen *vitari*; seligendo aliquem locum à solis radiis remotum, in *Umbra*, in *Cella*, in *Cubiculis* ad septentrionem patentibus, fenestris maximè. *Focus extinguendus. Ignis ex hypocausto tollendus.*

XVII. *Focus* potest extingui.

XVIII. Sic & Ignis ex *Hypocausto* tolli.

XIX. *Balneum* potest vitari, aut temperari. *Balneum vitandum.*

XX. *Fotus* possunt removeri, aut temperatiores adhiberi. *Fotus removendus aut tẽperandus.*

XXI. *Lecti* possunt minùs *plumosi* usurpari, aut alii ex *Gossypio* & similibus parati, atque minùs caloris producentes. *Lecti mutãdi Vestimẽta tegumẽtaq. minuenda.*

XXII. *Vestimenta*, *Tegumentaque* possunt *pauciora*, *tenuiora*, *minusve lanosa* & calefacientia, uti sunt linea & sericea, usurpari.

XXIII. Quin elegi potest, ac usurpari Aer natura vel arte *frigidior*, quò Sanguinis emendari queat vitium ejusque Fluiditas minui. *Aer frigidior usurpandus.*

XXIV. *Alimenta* usurpentur minùs calentia, vel potiùs *frigida*. *Alimenta Frigidiora usurpanda.*

XXV. *Potus Spirituosus vitetur*, ejusque loco usurpetur *Acidiusculus*. *Potus Spirituosus vitandus.*

XXVI.

Vt & Condimenta Aromatica. XXVI. Inter *Condimenta vitentur Aromatica*, & sumantur tum *Acidiuscula*, tum *Austeriuscula*, *Olivæ*, *Omphacium*, & similia plura.

Nec non Salia volatilia. XXVII. Caveatur quoque ab *Vsu Salium Volatilium* qualiumcunque, sed maximè Oleosorum.

Corpus motus sit paucus. XXVIII. *Corporis Motus* esto *paucus*, & *blandus*.

Animi Affectus vitandi. XXIX. *Animi Excandescentia* vitetur, quin *levis Mæror* etiam arte procuretur.

Somnus eliciẽdus. XXX. *Somnus* protrahatur, & si desideratur, arte excitetur per Anodyna, & quandoque Narcotica.

Hæmorrhagia curãda, & quibus. XXXI. *Hæmorrhagia* omnis curetur, usurpando austeriuscula, terrasque sigilatas, & adstringentes, ipsumque adeò Sanguinem Draconis.

Venenum è corpore expellendum. XXXII. Quoties *a Venenis* vel Inspiratis, vel aliàs per Corporis superficiem intrò missis, vel etiam Ore assumptis Sanguinis Consistentia naturalis est diminuta, ejusdemque Fluiditas aucta, toties idem Venenum eadem, si fieri possit, qua ingressum est via, vel alia convenienti *expellendum*, per *Vomitum* puta, per *Secessum*, & imprimis *cum Sudore* per Corporis Poros: cum Venenum Sanguinem fluidiorem faciens participet de Sale Volatili, & Corporis superficiem imprimis quærat. *Participare de Sale Volatili.*

Ore assumptum Vomitu eiiciẽdũ. XXXIII. Quod *ore est assumptum Venenum*, si brevi observetur, mox excitato *Vomitu* simul hac via expellendum est.

Vomitorio aliquo. XXXIV. *Vomitus excitari* potest Aqua tepida copiosa ebibita, & aliquando addito oleo, vel butyro; vel aqua mulsa; vel decocto ficuum; vel Vomitorio Aotimoniali, aliove probato io tempore exhibito.

Alvus solicitanda, & quomodo. XXXV. *Alvus solicitanda* tum Enematibus pro Veneni & Symptomatum conjunctorum diversitate variandis, tum Decoctis laxaoribus, additis Tartaro, Tamarindis, & similibus.

Sudor Movendus, & quibus. XXXVI. *Sudor Movendus* ac Promovendus tam vulgaribus, Electuariis, Opiatis, Theriaca, Mitridatio, Diascordio Fracastorij, & nostro Orvietano, &c. quàm Cymicis, Antimooio Diaphoretico, Bezoardico minerali, & similibus.

Symptomatũ etiã consideranda. XXXVII. Ubi semper pro *Symptomatum comitum diversitate* addenda sunt, quæ illis superandis conducant.

Sanguis fluidior ad consistentiã reducẽdus. XXXVIII. Postquam singulis Sanguinis Fluidioris Causis pro sui varietate varia sunt adhibita Remedia, ipsæque aut vitatæ sunt, aut sublatæ, aut correctæ, Ipsi *Sanguini Fluidiori* quoque, ut ad *Consistentiam Solidiorem*, adeòque naturalem atque laudabilem *reducatur*, sua sunt adhibenda Remedia.

Quod sit Acidis & Austeris blãdioribus. XXXIX. Cùm *Sanguis* autem in primis ab *Acidis & Austeris* Consistentiam nancifcatur solidiorem, firmiorem, & crassiorem, non sine causa Remedium Sanguioi Fluidiori primarium ponimus in laudatis tum *Acidis*, tum *Austeris*, sed *blandioribus*, ac temperatioribus: cùm si alicubi, hoc certè in casu, sit cautione opus & prudentia, ne ex uno malo aliud gravius producatur.

Sanguinis Cõsistẽtia nimia periculosior. XL. Nam longè *periculosior est Sanguinis Consistentia nimia, minùs periculosa minor*.

Vsurpanda Acido-Austeriuscula, & quomodo. XLI. Usurpanda sunt proinde Medicamenta *Acido-Austeriuscula*, sed parva quantitate, & partitim ac sæpiùs, donec à restitutis Functionibus læsis, ac in primis Animi Languore aut Deliquio sublato & correcto, satis constet laudabilem, pristinamque Sanguini restitutam Consistentiam.

Medicamẽta Sanguini cõsistẽtiã cõciliantia. XLII. Ex vulgò notis laudantur *Omphacium*, *Plantago*, *Acetosa*, *Portulaca*, *Sempervivum majus*, *Solanum*, *Cydonia*, *& Granata mala*, *Pira*, *& Pruna Sylvestria*, *Berberi*, *Ribesia*, *Cerasa acidiuscula*, *Mespila*, *Nymphæa*, *Fragaria*, &c.

XLIII. Huc spectat *Alumen*, ipsiusque Spiritus; cæterique *Spiritus Acidi omnes*, ac inprimis *Metallis iuncti*, atque *Vitriolum* ex ipsis solutis dantes, quale *Martiatum & Solare* multis præstant.

XLIV. Possunt ex illis varia forma componi Medicamenta, illisque alia simul addi quæ potentiùs adstringat, Sanguinisque consistentiam reddant firmiorem, minùsque fluidam: qualia sunt *Coralia*, *Creta*, *Sanguis draconis*, *Lapis hematites*, *Terræ sigillatæ*, atque *argillaceæ pleræque*, *Crocus*, *Martis adstringens dictus*, &c.

XLV. Ex quibus facilè se expediet Medicus prudens, ægrisque præscribet Remedia optima, quorum formulas simul addere nimis longum foret. *Ex quibus aptiora eligenda.*

CAPUT XXVII.

De Medicamentis Pituitæ Fluiditatem nimiam Alterantibus.

I. QUemadmodum suprà, sic & hic post Sanguinem axaminabimus *Pituitam* cujus *Fluiditas* ferè ab iisdem *augetur Causis*, à quibus diximus augeri Sanguinis Fluiditatem, ac imprimis sex rebus non-naturalibus. *Pituita fluidioris causæ.*

II. Quemadmodum enim à Sole aut Igne Vulgari augetur in *Aere Calor*, simulque omnia fluere apta, fiunt vel fluida, vel fluidiora, ita idem evenit Pituitæ in corpore nostro existenti. *1. Aer Calidus.*

III. Dixi à *Sole* atque *Igne* non tantùm Calorem produci, aut intendi in Aere, quem sensu percipimus externo, verùm insuper omnia fluere apta reddi *fluida*, vel saltem fluidiora. *A Sole & igne fluere apta reddi fluida.*

IV. *Metalla* siquidem omnia, ut & omnia *Mineralia* quid metallici continentia, utut solida & dura? multò verò faciliùs Sulphur, & omnia Sulphura, licet consistentia, & ad sensum externum sicca, horum ope *funduntur*, solvuntur & fluida fiunt. *Horum ope Metalla & Mineralia fuadi.*

V. Quamvis autem *Salis Radii* hoc non efficiant in metalis per se, ope tamen *perspicillorum convexorum* radiorum contemperatione id efficiunt. *Qui Solis radij id efficiant.*

VI. *Ignem* autem vulgarem, ac imprimis Carbonum, aut Lignorum *id efficere* cuivis potest esse notissimum. *Etiam Ignẽ id efficere.*

VII. Quòd si Corpora solida ac per se minimè fluida, reddantur tamen ab *Igne* ac *Sole* talia; quidni ab iisdem *reddentur fluidiora*, quæ jam sunt actu fluida, & soluta, non item consistentia, qualia sunt *Humores* omnes in homine dicti, & hic quam examinamus, Pituita. *Humores ab Igne & Sole fluidiores reddi.*

VIII. Nec tantùm *id suadet Ratio* à me nunc allata, & à majori ad minus derivata; sed confirmat, evincit & probat *Experientia*, qua id quotidie fieri manifestè constat. *Idque suadere ratione & experientiam.*

IX. Idcircò ex Rebus non-naturalibus primò numeramus *Pituitæ fluidioris Causam*, *Aerem Externum*, sed ab Igne aut Solis radiis *æstuantem*, simulque quævis fluere apta vel fluida, vel fluidiora præstantem. *Pituita fluidioris causa 1. Aer externus æstuans.*

X. Huic iungimus omnia, quæ Calorem nostrum Internum ac Ignem augent, aut in corpore sistunt cum suis effluviis, *Tegumenta* putà, *Vestimenta*, *Lectos*; *Fomenta*, *Balnea*, & similia, quæ nuper pluribus explicuimus. *Vt & tegumenta Vestimenta, Lecti, Fomẽta, Balnea.*

XI. Inter Pituitæ fluidioris Causas secundum locum assignamus *Alimentis* & *Condimentis* valdè *Spirituosis*, *& Aromaticis*, & quandoque *Acidis*; sed etiam *Aqueis*, & imprimis calidè aut copiosè assumptis. *2. Alimenta & Cõdimẽta Spirituosa, Aromatica, &c.*

XII. *Alimenta* certè *Spirituosa*, Vinum putà Generosum, ipsiusve Spiritus, Hudromel, Cerevisia poteotior, similesque Potus artificiales plures, sicut Calorem augent in nobis manifestum, ita observantur in specie Pituitam reddere in nobis fluidiorem. *Alimenta qui id præstent.*

XIII. *Aromata & Aromatica* omnia idem præstare notissimum; quibus ego libenter addo *Salia Volatilia*, quippe quæ tanquam Condimenta usurpantur felicissimè, ac præsertim in statu neutro, quando est quidem in homine Causa Morborum Antecedens, nondum tamen Continens, *aut Morbus*; qui proinde præveniri debet, ac præcaveri, sicque ab imminente in tempore homo præservari. *Vt & Aromata, & salia volatilia.*

Pituita fluidior qui curetur.

XIV. Quando igitur est in homine *Pituita* minùs Glutinosa, ideòque *Fluidior*, undecunque talis producta, ideòque impetuoso sui fluxu Morbum & Affectum graviorem, Leucophlegmatiam puta minans, tunc opus est Ipsius blanda *coagulatione*, & nimiæ Fluiditatis diminutione, quò sic homo, ab imminente præservetur Morbo.

XV. Quomodò autem id effici & obtineri queat, dicemus posteà in hujus Fluidioris Pituitæ Curatione: per Alterationem, ac Emedationem, seu Inspirationem,

XVI. Abusus igitur Aromatum, & Aromaticorum, ut & Salium Volatilium potest Pituitam reddere justo Fluidiorem.

XVII. Idem præstare possunt *Acida*, sed *Spirituosa*, & *Volatilia*, non item ad Austeritatem inclinantia, quæ coagulant.

Quomodo Aquea alimenta Pituitam reddant fluidiorem.

XVIII. *Pituitam* quoque *Fluidiorem* faciunt *Aquea Alimenta*, quippe quæ ipsam dissolvunt & diluunt nimiùm.

XIX. Sed imprimis quando eadem tum *copiosè*, tum *calidè* assumuntur: Copia siquidem diluunt & quasi abluunt Pituitam; Calore autem potentiùs solvunt & dissolvunt, sive fundunt & liquant.

3. Corporis Motus Vehementior.

XX. Tertium inter Res non naturales Pituitam Fluidiorem facientes locum tribuemus *Corporis Motui Vehementiori ac protracto*, cujus ratione sicut Humores cæteri omnes, sic & Pituita fiunt fluidiores ac fluentes, aucto nimirum in Corpore Calore, atque Ignis interni operatione.

4. Vigilia.

XXI. Quartus locus assignandus venit *Vigiliis*, ob rationem penè similem; tunc enim agitatur ferè simul corpus, etiam ubi maximè componitur ad quietem, ac somnum; quo fugiente in ipso lecto hinc inde commovetur Corpus & in agitatione fatigante permanet.

5 Ira.

XXII. Quinto inter *Animi Affectus Ira* Bilem commovens, & acriorem faciens Pituitam simul cum cæteris humoribus commovet, fluidioremque reddit; etiam ratione Caloris unà in Corpore tunc aucti.

6. Sudor assuetus, & Urina subsistens.

XXIII. Sexto Inter *Excreta & Retenta*. *Sudor assuetus*, aut *Urina subsistens* in corpore, hinc ad Salivares, Pancreaticasque Glaudulas copiosiùs ruentes. quin ad tenue Intestinum fluentes, Pituitam reddunt fluidiorem, cùm sic & Saliva, & Succus Pancreaticus præcipua Pituita Materia, fiant fluidiores.

Sex Res Nõ naturales esse causas Pituitæ fluidioris.

XXIV. Atque sic paucis percurrimus *sex Res Non naturales* Pituitæ Fluiditati Auctæ ansam præbentes: proximum est ut ejusdem afferamus *Remedia*, & quidem secundùm dictas Res non-naturales tunc peccantes adornanda seligendaque.

Hujus Remedia secũdum illas res.

XXV. 1. *Aerem* quod attinet, sicut in Sanguinis Fluiditate aucta docuimus, *vitandus Æstuans*, & contrà *seligendus*, parandusve arte *frigidior*, non tamen rigidus nimis & brumalis à quo nimiùm posset coagulari ac incrassari. compingique Pituita. Blandè siquidem, uti sæpiùs docuimus, omnis Mutatio in corpore instituenda, & facienda.

1. Aer quomodo mutãdus: Pavimẽto insper gẽda Aqua frigida, ut & Plantæ frigidæ. In illa Aqua potest dissolvi Alumen Nitrũ, Lapisque Prunellæ, Sal Armeniacum.

XXVI. Sufficiet proinde *Aer* tantillum *ad Frigidum inclinans*, & *serenus*, qualis ferè in Cubiculis septentrionem versus patentibus.

XXVII. Posset durante Æstatis æstu *pavimento* quod hic conveniet Lapideum, & Marmoreum, inspergi *Aqua* Puteahs, omnium frigidissima vel Fontana, ut & *Plantæ* superiùs laudatæ Sempervivum, Plantago, Solanum, Nymphæa, Portulaca Folia Vitis, &c.

XXVIII. Quin posset in *Aqua dissolvi Alumen*, *Nitrum*, *Lapis prunellæ* & forsan *Sal Armoniacum*, à quo Congelatur tunc Aer in glaciem vitrum ambituram & illi adhæsuram, unde Frigus quoque sentietur in Aere.

Vestimẽta & Tegumenta minuenda.

XXIX. Sic *Minuenda* sunt Corporis *Vestimenta* & *Tegumenta* ponderosa, vel valdè Lanuginosa vel lanea.

Abstinendũ à Balneis.

XXX. Abstinendum à *Balneis*, Fotibus.

2. Desistẽdũ ab usu Alimentorum Spirituosorũ Vi & Condimentorũ Aromaticorum. Usurpanda Austeriuscula vitãda Acida Spirituosa, & Usurpanda Austeriuscula.

XXXI. 2. Desistendum ab usu frequenti multove *Alimentorum Spirituosorum*, Potuumque adeò Generosorum dictorum.

XXXII. *Aromatica* cum primis vitanda inter *Condimenta*, & horum loco *usurpanda Austeriuscula*, Olivæ, Mespila, Cydonia, Pruna Sylvestria.

XXXIII. Sic vitanda quoque *Acida Spirituosa*, Acetum, Spiritus Nitri, Salis, &c.

XXXIV. Horum loco usurpanda *Austeriuscula*, & cum Omphacio, similibusque parata.

XXXV. Commendantur *Vina rubra*, quippe austeriuscula, sed moderatè tamen sumpta.

Abstinendũ à multa Aqua.

XXXVI. Abstinendum quoque *à multa Aqua*, & *Jusculis tenuioribus*, & imprimis Calentibus.

Potus sit paucus, & austeriusculus.

XXXVII. *Potus* ergò esto *paucus*, & natura vel arte *austeriusculus*, Vinum rubrum, &c.

Juscula sint crassioris cõsistentia.

XXXVIII. *Juscula* præferuntur ad Gelatinæ Consistentiam redacta, ope extremitatum animalium, Cornu Cervi, &c.

Condimẽta usurpanda astringẽtia.

XXXIX. Inter *Condimenta*, Bellariaque usurpentur Cydonia, ejusque Caro, Miva, &c. Mespila, Mala Granata, Aurea, Omphacium &c.

3. Corporis motus sit paucus,

XL. 3. *Corporis Motus* esto paucus & moderatus.

4. Somnus longior.

XLI. 4. *Somnus esto longior*, Emulsionibus Amygdalinis præsertim promovendus.

5. Ira sedetur ac moror excitetur.

XLII. 5. *Ira Sedetur* ac Præveniatur, Animusque ad *Mærorem* moderatum deducatur,

6. Sudoris & Urinæ Retẽtorũ materia per Alvũ educatur.

XLIII. 6. *Sudoris*, & *Urinæ Retentorum materia* per alvum potiùs, quàm via ordinaria educatur, cùm ad sudorem promovendum requiratur Corporis Calefactio, quæ Pituitam solvit, fluidioremque facit.

Pituita ipsa fluidior inspissanda. Quibus id fiat.

XLIV. Nec sufficit Res non-naturales Pituitæ Fluidiori ansam præbentes vitasse, aut emendasse; *Pituita* ipsa *Fluidior* facta denuò *inspissanda* est, sicque minùs fluida reddenda.

XLV. In hunc finem inter ea, quæ ad Alimenta, vel potiùs Condimenta, sive Alimenta Medicamentosa retulimus, conducunt omnia *Austeriuscula*, Omphacium, Cydonia, Mespila, &c;

XLVI. Quæ nisi sufficiant. adjungenda sunt Potentiora, verè inter Medicamenta duntaxat referenda; Coralia, Creta, Terræ sigillatæ omnes variaque Vitriola, sed priùs blandè calcinata, quò Spiritus acidi Volatiliores, atque solvendi vi prædi-ti expellantur, solaque vis adstringens & coagulans remaneat,

Conjungi Spiritus acidos Volatiles cũ Austero.

XLVII. Id enim notandum, non raró *Conjungi* in eodem Subjecto *Spiritus Acidos Volatiles tum Austero*; idque tum naturaliter, tum artificiosè; unde in talibus vis gemina, & quidem sibi contraria se manifestat.

Quid illa conjuncta præstent.

XLVIII. Illa verò partim solvunt; partim compingunt & coagulant Pituitam in nobis; & pro alterutrius dominantis respectu, hoc vel illud efficiunt potentius,

Aluminis rupei vires.

XLIX. Tale videtur nobis à Natura communicari *Alumen rupeum dictum*, quod licet gustu sit austerum, adeòque adstrigens, ac coagulans, observatur tamen simul incidere Pituitam & Urinas movere; idque ratione Spiritus Acidi non ita intimè partibus austeris immisti, unde is facilè destillatur, & separatur.

Vitriolum Martis qui paretur.

L. Inter Artificialia meritè reponimus *Vitriolum Martis*, ex Oleo Vitrioli acri, & potenter incidente ac solvente paratum, à quo Mars, sive ferrum solvitur & dissolvitur, atque addita Aqua satis copiosa in Vitriolum concrescit.

Ejus Vires.

LI. Hoc *Vitriolum* observamus habere Vim Incidendi Pituitam, & quidem ratione Spiritus Acidi Vitrioli, aut Sulphuris, cujus ope paratur.

LII. Idem observamus vi adstrigendi præditum, non tantum ratione austeritatis & adstrictionis blandæ, qua præditum est, verùm post Spiritum subtilioris expulsionem ac levem Calcinationem, ad flavedinem, & ampliùs ad rubedinem, unde tunc satis potenter plerosque humores in nobis coagulat & inspissat.

LIII. Ex quibus arte paratis, & tamen *polychre-*

stis

Talibus Medicamẽtis plurimũ præstari in Rerum Naturalium & Medicarum Mutationib.

stis medicamentis plurimùm proficere solemus in rerum naturalium ac medicarum mutationibus assequendis, atque iterum mutandis.

Quale Vitriolũ Martis adhibendum in Pituita fluidiore.

LIV. Hæc ut nostro negotio accommodemus. In *Pituita* incrassanda, & inspissanda, ejusque Fluiditate minuenda bonum erit usurpate, non *Vitriolum Martis* crudum, sed priùs ad colorem flavum *calcinatum*.

LV. Ubi namque ad *albedinem* tantùm *Calcinatur*, vix aliud præter Phlegma & terra insipida separatur, vixque aliquid Spiritus Acidi volatilis.

Quale sit ad albedinẽ calcinatum.

LVI. Ubi autem *ad flavedinem* usque idem *calcinatur*, expelluntur simul Spiritus Acidi, sed Volatiliores, vimque solvendi & attenuandi Pituitam habentes.

Quale ad flavedinem calcinatũ. Hujus Vires.

LVII. Unde separatis tunc Spiritibus illis Acidis Volatilioribus pars reliqua suam magis exerit austeritatem, cogitque & coagulat Pituitam Fluidiorem.

Medicamenta omnia ritè præparanda.

LVIII. Quod idcircò pluribus explico, cùm plures illa non satis distinctè concipiant, sed confusè, ac si sufficeret quovis medicamento uti absque ulla ipsius præparatione ulteriore cum tamen hujus rationo mutatio magna in operatione observetur.

Rerũ Naturalium Constructionem per Artificialẽ erui.

LIX. Juvat proinde *constructionem rerum naturalem per artificialem eruere*, quando scilicet arte paramus res similes naturalibus; quarum structuram & compositionem concludimus ex artificiali attenta mente instituta.

Vitriolum Martis qua forma usurpandum.

LX. Tale autem *Vitriolum Martis* ad flavedinem Calcinatum usurpatur convenientissimè *forma pilularum*, immiscendo ipsum gummatibus, vel aliis rebus Glutinosis, ut in massam convenientem redigatur, ad formandas inde Pilulas.

Alia Pituitam incrassantia. Quæ quibus formis usurpanda.

LXI. Si quis abhorreat à Chymicis efficacioribus, usurpare poterit medicamenta vulgaria ex variis plantarum partibus petita inertiora, *Radices* tormentillæ, gryophyllatæ, bistortæ, &c.

Folia equiseti, plantaginis, bellidis, quercus, &c.
Flores rosarum rubrarum balaustiorum, &c.
Nuces Cupressi, Gallas, &c.
Semina plantaginis, portulacæ, &c.
Fructus, Cydonia, Mespila, Sorba. Corna, &c.
Cortices Granatorum, Cupulas Glandium, &c.
Manstichen, Thus, Acaciam, Hypocistidem, &c.

LXII. Ex quibus Pulveres, Pilulæ, Decocta, Condita sive Electuaria, Tabellæ, & nescio quid non parari potest, atque Ægris exhiberi.

CAPUT XXVIII.

De Medicamentis Bilis, Lymphæ, Succi Pancreatic; & Salivæ Fluiditatem nimiam Alterantibus.

Bilem Sanguini fluiditatẽ conciliare.

I. **B***ilis* quamvis habeat plerumque Consistentiam majorem, quàm Lympha, videtur tamen plurimùm conferre ad debitam *Fluiditatem Sanguini consiliandam*, ne quis putet omnia Fluidiora vim quoque habete Fluiditatem tribuendi magis, quàm ea quæ sunt minùs fluida.

Aliud esse fluidũ, aliud fluiditatem tribuere.

II. Aliud etenim est fluidum esse, aliud alii fluiditatem tribuere ac conciliare.

Aquã fluiditatem tribuere.

III. *Aqua*, dum dissolubilia diluit, eisdem quoque fluiditatem consiliat, vel auget.

Vt et Spiritũ Volatilẽ.

IV. *Spiritus Volatilis*, quæ dissolvere potest, eadem reddit fluidiora.

Bilẽ omniũ maximè humores reddere fluidos.

V. In corpore humano nullus humor invenitur, qui alios æquè reddat fluidios, atque *Bilis*; quamvis non sit tam fluida ipsa, atque Lympha.

VI. Cum igitur Lympha Bile fluidior minùs faciat, ad fluiditatem Sanguini præsertim consiliandam, quàm Bilis; meritò ejus Effectus tam diversi Causa desideratur & quæritur.

Ejus causã quæri & ex Sola Chymicẽ peti.

VII. Nemo autem difficultatem hanc tollet nisi fuerit peritus Chymiæ, mutationumque Chymicarum, ex quibus solis hujus difficultatis solutio peti potest ac debet.

Deleboe Opera.

Lympha qua ratione Pituitam reddat fluidiorem, et Sanguinem inspisset.

VIII. *Lympha* igitur cum in se cuntineat *Acidum*, quamvis hujus ratione incidere, attenuare, solvete ac dissolvere; adeòque *fluidiorem* facere soleat *Pituitam*; inspissat tamen & coagulare solet *Sanguinem*, ipsumque adeò reddere minùs fluidum.

Bilis qua ratione Pituitam et Sanguinem dissolvat.

IX. *Bilis* verò, quatenus *Sale abundat lixivo* & quidem *satis Volatili*, & *Pituitam* & *Sanguinem solvere solet* ac dissolvere, atque utrumque fluidiorem facere; quod benè notandum: habet enim usum magnum in praxi facienda, & convenientibus remediis seligendis & usurpandis.

In fluidioris Sanguinis causas et remedia inquirendum.

X. Sola proinde Bilis cùm videatur Sanguini suam Fluiditatem date, atque augere, non sine Causa in ejusdem fluidioris factæ Causas & Remedia inquiremus.

Consistentia naturalis Bilis, Lymphæ, Pituitæ Sanguinis, Salivæ, & Succi Pancreatici.

XI. *Bilis Consistentia & Fluiditas* secundùm Naturam est *Mediocris*, Olei vulgaris æmula. *Lympha* verò *fluidior* est; *Pituita* contrà, & *Sanguis minùs* sunt *Fluidi*. Salivæ & Pancreatici Succi Consistentia Naturalis vix describi potest, cùm secundùm Naturam nullibi coacervetur in Corpore, verùm *Saliva* mox deglutiatur, ni exspuatur; & *Succus Pancreaticus* non nisi arte colligi queat, cujus tunc Consistentia observatur Fluidior & quasi Aquea, non multùm à Lymphæ Consistentia differens.

Bilis fluiditatem auget 1. Aer æstuans.

XII. *Bilis Fluiditatem Naturalem augent* inter res non naturales 1. *Aer* quovis modo, sed imprimis à Sole *æstuans*.

XIII. Sicut enim Oleum tum à Sole, tum ab Igne vulgaris magis colliquescit & fluidius fit, ita videtur Bilis ab utroque idem pati.

Cur Bilis magis à Sole, quàm vulgari igne liquefiat.

XIV. Quòd autem putem Ipsam *magis liquefieri à Sole, quàm vulgari Igne, Spiritus volatiles* faciunt unà cum Solis radiis, meo judicio, si non à Cœlo ad nos derivati, ex Aere saltem copiosè ad nos delati.

A Sole Spirituosiores fieri fructus Eorum maturitas ab Igne vulgari promovetur.

XV. Hinc est, quòd ab æstuante *Sole Spirituosiores & blandiores fiant quivis Plantarum fructus*, non item ab Igne nostro vulgari; quamvis eorundem *maturitas* ex parte *promoveatur ab ipso*, non item Spirituositas; nisi aliud accedat, quod Magnetis modo Aeris, terræque partes Spirituosas alliciat in Plantas.

Varia Volatilis Spiritus effecta in Sal.

XVI. A *Volatili* verò *Spiritu* ad Solis æstum maximè in Aere observato, & quaquaversum disperso, & imprimis cum ipsius radiis in subjecta ipsum recipere, ac retinere apta potenter impresso redditur *Sal fixum* in Plantis, *maxime fixum*, in Animalibus *magis volatile*, ipsaque adeò Bilis, tali Sale præ cæteris Humoribus omnibus maximè abundans.

Quare Bilis à Solis æstu fluidior fiat & ab ea Morbi orantur.

XVII. Non mirum proinde, si præ cæteris quoque Humoribus omnibus *ab Solis æstu* alteretur, volatilisetur, agitetur, *fluidiorque fiat* in corporibus animalium *Bilis*; atque plerique ab illo excitati *Morbis à Bile* malè affecta pendeant & originem ducant.

XVIII. Quod vel inde patet, quòd *Affectus* illi omnes non priùs curentur, quàm curata, hoc est, alterata, diminutave *Bile*.

Et quidem Æstatis tempore.

XIX. Unde *Æstatis*, *tempore*, sed Aere à Solis radiis æstuante, produci solent *Affectus* plerique *à Bile fluidiore*, atque Acriore originem ducentes.

Non tantũ ratione partium Spirituosarum Bilem fieri fluidiorem.

XX. Nec tantùm *ratione partium spirituosarum* cum Solis radiis per Aerem abundantiorum Inspiratarum, tum per Corporis superficiem ad interiora penetrantium, tum alimentis plerisque, plantis præsertim sese similiter insinuantium, atque sic quoque assumptarum, *redditur Biles fluidior*, quia Spirituosior,

Sed etiam ratione Salis Volatilis.

XXI. Sed insuper ratione *Salis Volatilis* itidem tunc abundantiùs in Aere dispersi & producti, atque similiter inspirati, & cum alimentis assumpti.

Vt & particularum ignearum.

XXII. Quin etiam ratione *particularum Ignearum* tunc abundantissimè cum Solis radiis Aeri communicatarum, & in res quasvis, Homines quo-

F 2 que,

Triplici ratione Bilis à Solis Radiis fluidior.

que, potenter intrusarum, ideòque omne in nobis Acre acrius redentium.

Bilis fluiditatē etiam augere Balneum.

XXIII. A *Solis* proinde *radiis* triplici nomine videtur reddi *Bilis fluidior*, & 1. quidem ratione *partium Spirituosarum*. 2. ratione *Salis Volatilis*. 3. ratione *partium ignearum* cum notatis radiis corpori humano conciliatarum & maximè Bilem afficientium ejusque fluiditatem augentium

2. Bilis fluiditatē augent Alimēta pinguia.

XXIV. Posset quoque Bilis fluiditatem augere *Balneum*, & imprimis cum *Vini Spiritu paratum*, si diutiùs continuetur, ac sæpiùs usurpetur; quod tamen rarum.

Condimēta Aromatica.

XXV. 2. Ex *Alimentis* culpantur imprimis *Pinguia* sæpiùs ac nimiùm assumpta.

Salia Volatilia, & præsertim Oleosa.

XXVI. Ex *Condimentis Aromatica*.

XXVII. Quibus Ego addo *Salia Volatilia*, & præsertim *Oleosa*; quæ multiplici usu observavi reddere Bilem æquè, ac Humores alios, fluidiorem.

Potus Generosi. *Aquæ Aromaticæ.* *Vina Medicamenta.*

XXVIII. Huc etiam ex Potibus faciunt omnes *Potus Generosi*, *Vinum Hispanicum*, *Canariense*, *Gallicum potentius*, *Hydromel*, *Vini & Frumenti Spiritus*: *Cerevisia pinguior*, qualis, quam vocant Joppensem, atque Mommam.

3. Bilis fluiditatē auget Corporis Motus.

XXIX. Ad Medicamentosa revocandæ *Aquæ Aromaticæ* cum Vini Spiritu paratæ, ut & *Vina Medicata* & Aromatica.

4. Vigilia protracta. *5. Ira vehemens.*

XXX. 3. *Corporis Motus Vehemens* Bilis augebit fluiditatem.

XXXI. Ut & 4. *Vigiliæ* protractæ.

Bilis fluiditatis remedia Solis Æstus vitandus æger Frigidiusculus seligēdus Pinguia vitād.

XXXII. 5. Ex Animi Affectibus *Ira Vehementior*.

XXXIII. Atque in compendio postquam retulimus *Bilis Fluidioris Causas* frequentiores, videntur quoque ipsius *remedia* eodem ordine proferenda.

XXXIV. *Solis* proinde *Æstus* vitetur, ut & Ignis, atque Balnei cujusvis, sed imprimis cum Vini Spiritu parati.

Ut & Aromatica. Usurpāda Acidula & Austeriuscula Salia Volatilia vitāda Ut & Potus Generosi.

XXXV. Contrà seligatur *Aer ad frigus* vergens, atque Locus ad Septentrionem spectans, subterraneus, vel quovis modo frigidior redditus: de quo egimus nuper adhuc pluribus.

XXXVI. Quoad *Alimenta*, vitentur Pinguia.

XXXVII. Quoad *Condimenta* prætereantur Aromatica, & horum loco usurpentur Acidula & Austeriuscula, sæpiùs & nuper quoque laudata.

Usurpa adi contra Acidiusculis Vitāda Aqua Spirituosa, & Aromatica necnon Vina similia

XXXVIII. Abstineatur quoque à *Volatilibus Salibus*, & maximè *ab Oleosis*.

XXXIX. Vitentur etiam *Potus Generosi*, & in eorum locum substituantur *Acidiusculi*, Cerevisia tenuis, Vinum rubellum potiùs & *Austeriusculum*, maturum tamen ac oligophorum.

XL. Vitentur similiter *Aquæ Spirituosæ* atque *Aromaticæ*, ut & *Vina* similia: & substituantur *Acidulæ*, quales Spadanæ, atque Antoninæ.

A motu vehementi abstinendū, & citra quietem fcendam. *Somnus sit longior.*

XLI. *Corpori Motus Vehemens* omnis caveatur, quin *blandissimus* tantùm & in loco frigidiusculo concedatur: Indulgenturque *Quieti*.

XLII. *Somnus* quæratur & concilietur etiam longior.

Ira vitāda. Mœrori & Gaudio mediocri indulgendū.

XLIII. *Iræ* occasiones omnes vitentur, quin *Mœrori* mediocri indulgeatur, & maximè moderato *Gaudio*.

Bilis ipsa fluidior curanda Austeriusculis.

XLIV. Ipsa *Bilis Fluidior* laudatis nunc & nuper *Austeriusculis* gratioribus sensim ad consistentiam deducatur laudabilem atque vitæ utilem.

Lympha & Succus Pācreaticus nō videtur fieri posse fluidi red.

XLV. Cùm *Lympha & Succus Pancreaticus* Collecti observentur valdè Liquidi ac Fluidi, vix putem notabiliter *augeri* posse ipsorum *fluiditatem*: nec proinde opus esse, ut hic ejus investigemus & assignemus Causas, multò minùs Curationem.

Sal. solito Fluidioris curatio petenda ex dictis de Pituita.

XLIV. Quoad *Salivam* illam subinde *solito fluidiorem* in sputatoribus præsertim observari notum: sed quæ dici possunt de Causis & *Curatione* ipsius, facilè peti poterunt ex iis, quæ de *Pituitæ Fluidiores Causis & Curatione* diximus non ita pridem.

CAPUT XXIX.

De Alterantibus Corpus Consistens aut Fluidum secundùm Qualitates Sensiles Proprias.

Cur de Fluiditate priùs egerit auctor.

I. CUm Partium Corporis humani Contentarum Qualitas ipsas à Continentibus distinguens sit Fluiditas, quæ multis modis præter naturam mutari, & variis Affectibus ansam præbere solet; consultum judicavimus ab illis *Fluiditatis Mutatæ Causis ac Remediis Alterantium* doctrinam inchoare; quam quoniam nunc satis multis videmur persecuti, ex Lectorum nostrorum utilitate futurum censemus, si nunc Alterantium doctrinam spectemus, non tantùm secundùm Qualitates vulgò primas dictas sed secundùm *Qualitates Sensiles* cuique Sensui *proprias*; secundùm communes postmodùm ipsam itidem consideraturi.

Colores præter naturam.

II. Faciemus autem initium à Qualitatibus Visibilibus; sed Visui Propriis; hoc est, à *Coloribus* in Corporis partibus tàm *Consistentibus*, quàm *Fluidis*, & quidem præter naturam mutatis, & aliquando Functionem aliquam lædentibus, ut in Cornea tunica Ictericorum flava, si locum ibi habeat, aliquando aliquam læsam Consequentibus, ut in *Pallore* Febricitantium, Studentium, vel Amantium.

Quinā pro talibus habendi; Eorū causa & Remedia investiganda.

III. *Color* ergò naturalis ex Partibus plerisque à Deo datur singularis, qui sive *ita mutetur*, ut *Functionem* aliquam simul *lædat*, vel *Functionis læsæ signum* sit, habendus is pro *præternaturali*; cujus *Causæ* sunt proinde investigandæ ac eruendæ, ut secundùm ipsa *Remedia* inveniantur ac eruantur, ad emendandum eum Colore vitioso Affectum primarium.

Cutis Color apud Nationes Septentrionales Naturalis.

IV. Sic apud *Nationes magis Septentrionales Cutis Color Naturalis* solet observari *Candidus*, qui tamen in multis notatur non parùm à *Candore deficiens*, absque tamen Functionum illarum Vitæ feliciter transigendæ necessariarum læsione: unde non tantùm considerandus *Color cuivis Nationi* præ aliis magis *familiaris*, sed imprimis *cujusvis individuo* ab infantia, vel pueritia, vel adolescentia, vel juventute familiaris, vel proprius. Mutatur siquidem in multis secundùm *ætatem*, ut & secundùm *vitæ genus* diversum, & hoc quandoque mutatum, *Color*.

Quomodo cōsiderādus *Mutatur secundum ætatem, & vitæ genus diversum.*

In quibus partibus spectetur.

V. Qui *Color* spectatur præsertim in *Cute* tum *Faciei*, tum *Manuum*, tum aliquando *Partium aliarum* similiter denudatarum *Colli*, *Pectoris*, *Dorsi*, *Brachiorum*, & si quæ Partes aliæ adhuc denudentur aliquando, quæ tunc ab aliis cerni solent.

Quænam in Colore circumstantia sint consideranda.

VI. Ut proinde de Uniuscujusq; Colore adæquatum ferre possit Medicus judicium, opus est, ut ipsius Colorem *secundùm notatas circumstantias præcognoscat*, vel *ingeniosè ex adstantibus*, *notis*, aut *ipsis personis expiscetur*; & imprimis, quando seriò res agitur. nec adulatione laudantur etiam deformes, ac decolores, atque inde signum aliquod petendum est, ad Affectum præsentem, aut instantem determinandum.

Palloris momentanei & permanentis causa Animi affectus.

VII. Color Cutis ab albedine omnibus forsan placente ac desiderata recedens, adeòque vitiosus est 1. *Pallor*: cujus Causæ possunt esse plures. Nam is aliàs est *momentaneus*, & tum accedens, tum mox iterum recedens, qualis ferè ortum habet ab *Animi Affectu non multùm vehemente*, *Terrore* puta, & aliquando *Ira*; qui Pallor cessante aut diminuto Animi Affectu solet ut plurimùm cessare aut minui: quemadmodùm ab *Affectu vehementi solet* aliquando diu *permanere*, aut *nunquam cedere*.

Prior non naturalis. Posterior præternaturalis.

VIII. *Prior Pallor* haberi posset pro *Non-naturali* quemadmodùm *posterior* pro *Præternaturali*: prior siquidem cum Animi Affectu accedit & recedit; posterior eodem sublato licèt ac superato permanet nihilominus, & quidem semper cum Functionis alicujus læsione, nunc majore,

nunc

nunc minore: cujus etiam ratione Medici opem implorar, ejusque Artem nonnunquam exercet ac vexat hic Pallor.

Quiquid indicet.

I X. *Permanens* ab Animi Affectu graviore *Pallor*, indicat summoperè *corruptos* fuisse *ab ipso Humores*, & *ab Ira* quidem *Bilem*, *à Terrore autem ac Mœrore Succum Pancreaticum*, qui sponte

& quomodo la producat

non potuerunt ad statum naturalem redire. quin in præternaturali persistentes noo tantùm *conservant mutationem in Cutis Colore factam*, verùm cum subcontrariis Humoribus vitiosè in renui Intestinoeiservescentes eosdem corrumpunt, & unà cum ipsis *Pituitam*, mox & *universum Sanguinem*; unde non mirum si plures labefactentur quoque Functiones.

Hæc quandiu duret.

X. Quæ noxa *tamdiu permanet* in Corpore, donec paulatim & sponte illa *emendetur*, aut aliquando ex Contrariis Diætæ vitiis, aut morbis, medicamentisve *mutetur*: quod frequentiùs evenit, ac mulri putabunt.

2. Pallor à nimia Corporis defatigatione, ac motu.

XI. Sicut ex Animi Affectu producitur in faciei Cute notabilis *Pallor*; ita idem non rarò sequitur 2. nimiam *Corporis Defatigationem ac Motum*. Quamvis enim dum movetur vehementiùs Corpus, tota Faciei Cutis soleat rubere, ubi tamen à motu cessat, recedente rubore, solet succedere Pallor diutiùs permanens, nec ram facilè cedens.

3. A vigiliis, curis Animique solicitudinibus.

XII. Solet quoque 3. *Pallor* faciei sequi multas *Vigilias*, *Curas*, *Solicitudinesque Animi*; quales sæpiùs vexare solent *Amantes*, unde vulgo dicunt, *Paleat omnis Amans*, *Color hic est aptus Amanti*.

4. Ab Aeris æstu.

XIII. *Æstus* quoque *Aeris perseverans* solet 4. Faciei produceri *Pallorem*.

5. Ab inedia.

XIV. *Inedia* & Alimentorum, & imprimis bonorum Defectus solet 5. *Pallorem* faciei proferre, propter Humores Acidos & Austeros tunc dominium accipientes accedente dubio procul *Animi Mœrore*.

6. Ab alvi fluxu, sudore nimio, Hæmorrhagia, Menstruis. Hemorrhoidibus, Lochiis, seminis & lactis effluxu nimio.

XV. Sic 6. *lvi fluxus*, *Sudor nimius*, *Hæmorrhagia*, *Menstrua*, *Hæmorrhoides*, *Lochia*, *Seminis*, & *Lactis effluxus*, si *modum excedant*, solent Faciei *Pallori dare ansam*.

7. Ab usu rerum Nutritioni ineptarum.

XVI. Usus rerum *Nutriendo Corpori* minimè, aut non satis *convenientium* & Acidum obtundentium, atque in Austerum mutantium frequens solet *Palloris* esse Causa ut *Cretæ*, *Coralliorum*, *Laccæ*, *Cespitum*, *Carbonum*, &c. *Orizæ*, *Hordei*. *Fabarum*, *Pisorum*, *aliorumque frumentorum aut leguminum Crudorum* &c. *Nucis Moschatæ*, *Maceris*, *Piperis*, *Garyophyllorum*, aliorumve *Aromatum*, *Salis*, &c.

Quanam talia sint. Quibus Affectibus Pallor superveniat.

XVII. Sed satis frequenter variis *Affectibus supervenire* solet *Pallor*, *Febri* puta, & imprimis *Intermittenti*, *Hydropi*, *Phthisi*, *Suppressis menstruis*, & similibus pluribus; *Paralysi*, omnibusque à Pituita ortis Affectibus: cui si conjunctus sit *Humor Melancholicus* simul peccans, reddetur *Pallor ingratior* & magis truculentus.

Ab humore Melancholico Pallor ingratus. Ejus causa Color rutilus à Bile.

XVIII. Nec mirum pallere à *Pituita & Humore Melancholico* dominium in corpore habentibus, *Cutem*, cùm non tantùm ipsorum Color sit talis, sed insuper Bilis, à qua omnis *Color Rutilus* in nobis ortum habet, vim frangant & aliquando enervent: Pituita quidem sua glutinositate, Melancholia verò Aciditate, & Austeritate id præstant.

Quare purulentis affectibus laborantes palleant. Pallor permanens præternaturalis.

XIX. Ubi Puris multum conficitur, ibi dominium habet Acidum, ut non debeat esse ampliùs mirum si *tunc palleat Cutis*, *quod Phthisici*, *Empyici*, *aliique Ulceribus*, aut *Fistulosis affectibus gravibus laborantes* testantur abundè.

XV. Quotier proinde *Pallor* non brevi sed *longo tempore* observatur, in Cute faciei priùs candente, non dubitandum est quin sit is *Præternaturalis*, ac proinde Medicinæ opera indigeat.

In curatione ejus causa vestiganda.

XXI. Ejus autem *Cura*, ut ritè instituatur, *investiganda ipsius Causa* vera, qua inventa longè faciliùs, certiùsque procedet Curatio.

Et omnia symptomata spectanda.

XXII. Ubi notandum, *observanda* quoque *omnia Symptomata* simul cum *Pallore* illo concurrentia; ex quibus omnibus simul collatis determinabitur faciliùs, an unus, an plures peccent Humores, ac quomodò peccent singuli, quò secundùm illorum vitia Remedia quoque administrentur convenientia.

1. Pallor ab Animi affectu gravi quomodò curetur.

XXIII Si proinde 1. deprehendatut *Pallor præternaturalis*, qui solus Curam Medicam desiderat, ortum habere *ab Animi affectu gravi*, *Mœrore* imprimis, aut *Terrore*, ut & *Ira*, danda sedulò opera, oe ulla amplius tali Affectui detur ansa, ne malum augeatur, reddaturque curatu difficiliùs.

Austerum corrigendũ Salibus Volatilibus, & imprimis Aromaticis

XXIV. Quoties autem à *Mœrore aut Terrore* habuerit ortum, non tantùm *Animus solandus*, ac contra fortunæ adversæ tela *roborandus*; sed insuper *usurpanda*, quæ *Austerum* semper tunc idcircò peccans *corrigant ac emendent*, ubi præ omnibus aliis commendo *Salia Volatilia* quævis, & in primis *Aromatica*.

Pallor ab Ira.

XXV. Quoties ab *Ira* excitatur *Pallor*, toties existimo concurrere simul *Mœrorem aut Terrorem*, ipsumque Ira æquè potentem.

Qui curandus.

XXVI. Hic Pallor si permaneat, & Iracundus sit æger, danda opera, ut *omnes* tum *Iræ* novæ, tum *Mœroris*, tum *Terroris Occasiones vitentur*, atque contra omnes illos Animi Motus Æger *roboretur*,

Quanam conducant Medicamenta Spiritus Salis Armoniaci.

XXVII. Quoad Medicamenta circumspectiùs hic agendum, *copulandaque* sunt, quæ *Humorem Melancolicum Austerum emendent* quidem, verùm *Bilem* interim *acriorem non reddant*: unde inter *Salia Volatilia* præferrem tunc *puriora*, *Spiritum Salis Armoniaci*, & similes; addendo pro re nata & successu vario alia: siquidem ex Iuvantibus & Nocentibus petuntur Agendorum potissimæ Indicationes.

2. Pallor à defatigatione curatur vitande nova et Potu generoso et Vini Spiritu [illegible] ato, et Aromat.

XXVIII. Si 2. *Pallor* habuerit ortum à *nimia corporis Defatigatione*, *vitanda nova*, Corpusque movendum tantùm mediocriter.

XXIX. Quoniam verò Defatigatione illa *Spiritus Animales* fuerunt multùm exhausti, eorum defectus raparandus *Potu Generoso*, sed parva quantitate, atque sæpius usurpato; quin usurpari quoque potest *Vini Spiritus rectificatus*, & maximè *Aromaticus*, sed quantitate parva, & aliis fractus, sive dilutus.

3. Pallor à Vigiliis Curis, et Sollicitudinibus qui curetur

XXX. Si 3. *Pallor* habuerit ortum à *Vigiliis*, *Curis*, *Solicitudinibus*, similiter *Somnus Conciliandus*, *Animus recreandus*, *Solicitudinesque ac Curæ abigendæ*.

XXXI. Quoniam verò & tunc *exhauriuntur Animales Spiritus*, ipsorum *reparationi*, quemadmodum dictum, studendum.

4. Pallor ab Aeris æstu curatur eo vitanda, et Medicamentis spirituosis, et Acidis.

XXXII. Si 4. *Pallor* habeat ortum à *nimio Aeris Æstu*; *vitandus* idem vivendumque in Aere magis temperato, & ad frigidum inclinante.

Quibus jungentur aliquando Salia Volatilia.

XXXIII. Inter *Medicamenta* vero laudantur mihi, quæ Spiritus Animales simul consumptos reparent, Humoresque simul acriores factos temperent, qualia sunt *Spirituosa*, sed additis nonnunquam *Acidis*, Spiritus Salis puta, vel Nitri dulcis, &c. Quòd si Humores Melancholici facti fuerint quoque Acriotes, non incommodè *jungentur prioribus Salia Volatilia*, quò singula Medicamenta sint *temperatiora*, & ideò utiliora, nec facilè noxam præsentem augentia, sed pluribus Indicationibus concurrentibus satisfacientia.

5. Pallor ab inedia curatur Alimentis.

XXXIV. Si 5. *Pallor* habuerit ortum ab Inedia, & Fame, adeòque Alimentorum Defectu, exhibenda sunt *Alimenta*, sed *facilis Fermentationis*, & *multi nutrimenti*, Iuscula puta, Lac dulce, Ova sorbilia, & quidem quantitate minore, ac sæpius: ne ab Alimentis copiosis aut Fermentationis difficilioris gravetur Ventriculus, novumque succedat Ægro malum, priore gravius: postquam nonnulli hoc facto sunt mortui, quia oppressi, & suffocati.

Potu Generoso.

XXXV. Hic conveniunt quoque *Potus generosi*, sed similiter quantitate parva sæpius assumpti.

Medicamentis Aromaticis.

XXXVI. Conducunt quoque tunc *Aromatica* & *Salia Volatilia*, quæ Humorem tum Acidum

F 3 tum

& Salibus Volatilibus. tum aliquando simul Austerum imprimis, ob conjunctam Inediæ Animi Mœrorem, nocentiorem corrigant ac emendent. Nam Affectibus & Rebus Non-naturalibus Pallori ansam præbentibus sublatis Pallor remanens Sale Volatili facilè abigitur.

6. Pallor ab humorum laudabilium effusione curatur eam impediendo. XXXVII. Si 6. *Humorum Laudabilium Effusio* qualiscunque occasionem præbuerit *Pallori*; omnis *Hæmorrhagia* sistatur, *Alvi fluxus* compescatur, *Sudores* cohibeantur, *Seminis*, *Lactisque Effusio* reprimatur: & quidem medicamentis aliàs propositis, aut proponendis.

Et Vires labefactatæ restituendæ Spirituosis & Aromaticis. XXXVIII. Quoniam verò *Vires* omnes Vitales, & Animales tali Effluxu non parùm labefactantur, illæ sunt quoque simul *roborandæ Spirituosis*, & *Aromaticis*, sed quæ novo Effluxui non præbeant ansam; unde laudantur tunc Vina potentia, sed rubra, & subaustera, in quibus præter Spiritum Volatilem Copiosum reperitur Austerum blandum; quibus utrique Indicationi fœliciter satisfit.

Rubor non naturalis & præternaturalis. XXXIX. Atque hæc de Pallore præternaturali, ejusque Causis & Curatione dicta sufficiant; pergamus ad Colorem alium sæpiùs quoque se manifestantem, & faciei Cutem molestè inquinantem, *Ruborem* puta.

Non-naturalis causæ. XL. Hic *Rubor*, sicut de Pallore dictum observatur aliquando *Non-naturalis*, aliquando *Præternaturalis*.

XLI. *Non-naturalis* est, qui ex *Pudore*, aut *Ira*, ad *Aeris Æstum*, ad *Corporis Motum* aliquantò vehementiorem, ad *Alimentorum* tum *Spirituosorum*, tum *Aromaticorum*, tum *Calidorum* assumptionem, & ad *sudoris eruptionem* solet non tardò excitari.

Quomodò disparent. XLII. Hic quemadmodum illas Res Nonnaturales modum excedentes solet comitari aut consequi, sic *iisdem remittentibus*, solet paulò post similiter remittere ac *disparere*.

Præternaturalis quis. XLIII. Quando autem idem *diutiùs permanet*, & quidem *cum patientis molestia*, vel *aliæ functiones simul ab ejusdem causa læduntur*, *Præternaturalis* vocatur.

Quotuplex. XLIV. Hic *Rubor præternaturalis* aliquando *totam Cutim*, aliquando ejus saltem *partem maximam* æqualiter occupat, aliquando *aliquam duntaxat ejus partem*, & quidem aliàs *sine Tumore notabili*, aliàs *cum Tumore notabili*, vel *grandiore*, vel *exiguo*, unde plurima exurgunt Affectuum variorum nomina.

Totius Cutis rubor in Febribus Malignis. XLV. *Tota* siquidem *Cutis Rubore* afficitur in variis *Febrium speciebus*, & imprimis *Malignis*, quarum non paucæ cum Rubentibus Maculis majoribus, minoribusve totam Cutem solent inquinare.

Cutis partis rubor in Erysipelate sine tumore. XLVI. Aliquam Corporis & cutis Partem sine notabili Tumore solet occupare Rubor in *Erysipelate* puro ac legitimo dicto.

At cum tumore in Inflammatione. Et cum parvis tumorib. in Pustulis, Furunculis, &c. Morbillis. XLVII. Cum Tumore magis Notabili in *Phlegmone sive Inflammatione* ampliore.

XLVIII. Cum *Tumoribus minoribus* in varii Generis *Pustulis*, *Furunculis*, &c. quò referri debent *Variolæ*, *Morbilli*, aliique affectus exiguis maculis & punctulis rubentibus Cutem inficientes.

XLIX. ex quibus Affectibus multifariis Cutis quoque Rubore manifestis crassa duntaxat Minerva delineatis facilè agnoscet unusquisque illum *Ruborem à diversis* pendere *Causis*.

Hos Rubores à diversis pendere causis. *Rubor in Febrium ardore Bili tribuendus.* L. Qui enim in *Febrium Ardore* solet in Cute universa erumpere atque apparere *Rubor*, is meritò *Bili* tunc dominium, aut tyrannidem in Corpore exercenti, & Calorem omnem, hinc & cominem ipsis Ruborem producenti adscribitur.

Macularum in Febribus Malignis Bili corruptæ ad-tribuendæ. LI. In *Febribus* ob gravia Symptomata sæpè non expectata, & nonnunquam inopinatam Mortem *Malignis* vocatis modo peculiari & nocentiori affectam, *Corruptamque Bilem* alibi docendum, atque inde quoque deducenda Symptomata ipsarum singularia, ipsasque adeò *Maculæ Rubræ* majores, minores cum, vel sine ardore Cutem inquinantes.

Bili corrupi ab acidis. Hæc unis reddi non tiora ab igne. LII. Quicquid autem *Bilem* valdè afficere potest ac *Corrumpere*, id ei quodammodò contrarium, & in ipsam agere potens sit, oportet; Ergo *Acidum*: quibus *unitis* si accedat *Ignis qualiscumque*, *Cœlestis* aut *Sublunaris*, reddetur illud *Concretum* adhuc nocentius; imprimis, quande idem est magis compositum, nec nisi majore vi tunc ad exuperantem acrimoniam deducendum.

Duo Acria Salinū Lixivium & Acidum. Hæc juncta se invicem infringere. At per ignē fieri acriora & nobis nocentiora. LIII. Cùm enim *duo* sint tantùm in rerum natura *Acria*, *Salinum Lixivium*, & *Acidum*; quoties illa concurrunt, ac se mutuò *infringunt*, mutanturque adeo in *Substantiam mediam* & minùs acrem, quippe *fractam*; potest ipsa *unius Ignis*, sed *vehementioris* opera reddi *denuò acrior*, & tantò nobis *nocentior*, quòd difficiliùs temperari queat, utpote magis quàm prius subtilis, & volatilis facta, ideòque subito mutationes magnas, etiam lethales in nobis producens.

Unde Febres Malignæ oriantur. Venena quorum malorum sint causa. LIV. Inde forsan est, quòd *Febres Malignæ* ac *Epidemiæ ortum sæpiùs ex Aere corrupto habeat*.

A prudenti. bus vitāda. LV. Quamvis enim ex *assumptis* variis *Venenis*, sed potentioribus, ita *corrumpi* queat tum *Bilis*, tum *quivis alius* in corpore *Humor*, ut *malignus*, hoc est, cum inexspectatis, nec vulgaribus Symptomatibus hominem brevi ac modo singulari necans inde *producatur Affectus*, ipsaque adeò *Febris* tunc quoque *Maligna* dicenda; non afficiet tamen illa ullos, nisi eodem assumpto Veneno: quod vitabunt, quotquot effectum illum noxium animadverterint: sive *Aqua* sit per se, aut arte infecta, *venenataque*; sive fit aliqua *planta*, quæ cum cæteris fuerit usurpata; sive aliud *Venenum* casu vel studio assumptum.

Ea 1. cum Aere inspiratione per corporis poros penetrant. LVI. *Venena* certè variis modis corpus humanum ingrediuntur, & 1. quidem *inspirantur cum Aere*, aut etiam in Aere existentia *Corporis Poros penetrant*, & sic se illi insinuant, Humoresque ipsius, sed & Partes Consistentes corrumpunt.

2. Cū Alimentis assumpt. LVII. 2. Eadem cum *Alimentis*, Cibo, vel Potu, vel Alimentorum loco Ore assumuntur, & mox Humoribus se jungentia totum Corpus afficiunt, & inficiunt.

3. Ex vestimentis aut tegumentis corpus ingredi. LVIII. 3. Eadem Linteis, Laneisve *Vestimentis*, *Tegumentisve inexistentia*, *per Cutis Poros* ad interiora penetrant, noxasque suas in Corpore excitant.

4. A Venena tis Animalibus aut armis corpori immissa. LIX. 4. Eadem nunc *Venenatorum Animalium Punctūris*, nunc *Armorum qualiumcumque infectorum Vulneribus* noxam suam in corpus immittunt.

5. A Medicamentis externis quibus permixta Venena prodari ab alteratre, vel utroque Acri Acrimoniam hanc vel patere vel latere. LX. Huc referri possunt 5. *Venena* Chirurgorum, aliorumque Ministrorum artibus diabolicis *Medicamentis externis permista* & Vulneribus, vel Ulceribus applicata, sicque ad interiora penetrantia, hominesque pro veneni natura diversa diversimodè inficientia.

LXI. Si quis autem Ipsorum Venenorum Effecta & Symptomata, quæ in homine solent excitare, attenta mente consideraverit, tandem agnoscet, *illa omnia ortum suum ac efficaciam debere alterutri, vel utrique Acri*, cujus *Acrimonia vel patet, vel latet*.

Quando patet prompta est ejus actio. LXII. Quoties *patet Acrimonia Veneni*, toties *prompta est ipsius actio*, Humorumque Corruptio, sentiturque confestim ejus noxa, Corporisque affectio mala.

Quando vero latet, tarda. LXIII. Quoties latet ipsius Veneni Acrimonia, toties *lenta & tarda* est ejusdem *Actio*, Humorumque Corruptio, nec nisi paulatim observatur ejus noxa.

Quæ nam venena hic intelligantur. LXIV. Quamvis autem quævis modum ac mediocritatem excedentia, Humores nostros, hinc & Corpus reliquum malè afficiant possintque hactenus dici Venena; intelligimus tamen hic *Venena* non leviora, sed *graviora ac vehementiora*, quo-

quorumque *Actio difficilius sisti potest ac superari in nobis*.

Vasa Vitrea terreave ferre posse Acrium mixtionem, quàm ferre nequeunt corpora nostra.

LXV. Aliud enim est, aliquid mutare, alterare, corrigere, imò debellare in nostro corpore, aliud extra Corpus nostrum: Multa si quidem ut debellentur, *Acribus* indigent, quæ sicut *ferre possunt Vasa Vitrea, terreave*, qualia sunt Crucibula; *non possunt tamen illa ferre, ac perferre Corpora nostra*, quippe quæ corrumpuntur quoque ab ipsis.

Salia Lixiva corpus consistēs rodere. Eorum Vim frangi spiritu acido. Acria corpus, priusquam ibi se contemperent, necare. Quod tamē commodè fit in Vase vitreo, aliove.

LXVI. Sic *Sal Tartari*, vel quodvis aliud *Lixivum* Corporis nostri *partes Consistentes rodit*, & ad internecionem deducit; cujus tamen vim *frangit Acidus Spiritus*, Vitrioli putà, Sulphuris, Salis, vel quivis alius: Hic tamen si sumatur intra corpus, majori vehementia idem corrodit, quàm Sal Lixivum, adeò ut priùs, quàm *hæc duo Acria se ibi temperent, Corporis lethalis Corruptio sit futura*; quæ tamen *in vase Vitreo* vel *Crucibulo fiet commoda Contemperatio*.

LXVII. Hoc qui non animadvertunt, negliguntque aut rident, nunquam Venenorum naturam, operationem, aut curationem solidè cognoscent.

Venenorum natura, operatio aut curatio solida.

LXVIII. Venena igitur consistere videntur omnia in alterutro vel utroque Acri, nunc patente, nunc latente.

Utrumque Acre igne parari. Eorumque, et jam junctorum Acrimoniā intendi.

LXIX. Sicut autem *Utrumque Acre*, ubi seorsim Arte paratur, *Igne paratur*, & quidem forti ac vehementi; ita *Utrumque Conjunctum* & mutuò fractum, si ejus *Acrimonia* debeat denuò intendi, opus est *Igne*, quo solo ea potest obtineri.

Omne Acre Acrimoniā accepisse ab igne.

LXX. Quin imo valdè probabiliter judicamus *omne Acre* in rerum natura existens & passim occurrens *Acrimoniam* suam similiter *accepisse ab Igne* aut *Cælesti*, per Solis radios in Terram usque delatos; aut *Sublunari*, & *vulgari* in Terræ partibus penitioribus subsistente, totiesque, ubi Sulphuris fodinæ sunt, se manifestante, atque Vicina omnia destruente.

Auctorem secundùm experientiā loqui & ratiocinari.

Plerosque Philosophos supponere quod est probandum. Imò ipsos Mathematicos.

LXXI. Hæc dum asserimus, *secundùm Experientiam loquimur & ratiocinamur*, nihilque fingimus gratis, quod velimus sine probatione nobis credi; quemadmodum magno cumprimis Artis Medicæ, ac Ægrorum damno notamus *plerosque Philosophorum nomine* superbientes *supponere* passim, quod erat *probandum*; & quod mireris, Eos quoque, qui se profitentur *Mathematicos*, quippe putant se solos Adversariorum assensum cogere; quamvis gratis velint suis somniis, vel figmentis credi, succenseantque omnibus meritò de ipsorum commentis dubitantibus.

Auctorem, quāvis odio sit pluribus ob veritatē in ejus investigatiōe tamen perseveraturum.

LXXII. Quamvis autem non ignorem odio me esse *pluribus*, quia *Veritatem* cordatè scrutor, & urgeo (nam Veritas Odium parit) & aliorum morem malum carpo, non desinam tamen, quo cœpi, pergere affectu ac fervore in Veritatis investigatione; Veritatis Auctori, Deo eventum qualemcumque commendans; hoc etiam tutus, quòd dum hæc propono liberè, nulli studio contrariam, vel contradicam.

Reliqua non absolvit Auctor.



FRANCISCI DELEBOE SYLVII PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA.

LIBER PRIMUS,

De Affectibus Naturales Functiones Læsas vel Constituentibus, vel Producentibus, vel Consequentibus.

OMNIBUS IN EUROPA CHRISTIANA POTESTATIBUS SUPREMIS

Ab omnis boni Doni Largitore DEO Corporis æquè ac Mentis Sanitatem perfectam, quin Pacem fidam & tranquillam

Optat

FRANCISCUS DELEBOE SYLVIUS, MEDICUS.



UEM in commune Mortalium omnium bonum suscepi exantlandum in adornanda Medicina molestum laborem, ejusdem Partem qualemcunque pro re nata enatam, & in lucem paulatim editam non uni tantùm Principi; sed Vobis omnibus, quippe Summis rerum Terrenarum in hac Orbis universi parte, in qua sum natus & vivo, Dominis, quibus Vestram, Vestrorumque Subditorum prosperitatem cordi esse ac curæ, nullus ambigo, censui dicandam; Deum Opt. Max. toto animo venerans, ut Vobis Medicinam, vitæ in terris beatè transigendæ utilem ac necessariam, in multis autem adhuc deficientem, Medicorum excellentium, atque sub Vestris Dominationibus passim degentium opera perficiendi ardens desiderium, & constantem voluntatem inspiret.

Conatus sum quidem aliquid pro meo modulo, meisque viribus in Reip. commodum hactenus præstare: sed quis tantum opus ab uno expectabit homine, & quidem privato ideoque infinitis ad rem tam immensam & arduam conficiendam necessariis adminiculis destituto? Tantum tamen videor mihi continuato annis penè quadraginta in Arte Medica operoso labore profecisse, ut audeam nunc asseverare, posse collata Principum authoritate atque munificentia plurium Medicorum industria & judicio pollentium solertia, brevi multùm evehi Ædificii Medici perfectioris structuram, tantò magis desiderabilem & optabilem, quantò magis ejus ope indigent Principes non minùs, quàm Subditi tam multis, tam gravibus, iisque nondum satis cognitis, ideoque tam sæpe pro insuperabilibus habitis morbis ad internecionem usque afflicti.

Nec dubito, quin memorata ratione queat, si non omnibus, plerisque saltem affectibus intra tempus breve inveniri rationalis & certa Medicina. In quem finem, postquam supra expectationem meam libuit Clementissimo & Sapientissimo Deo ex gratia mera, non tantùm me ante annum à morbo gravissimo liberare, adeoque ex Orci faucibus eripere, mihique Corporis, Animique robur pristinum reddere; ast insuper meam Mentem ampliùs illuminare, hinc & votis meis tam benignè annuere, ut ad tenebrosos, intimosque naturalium rerum recessus facilior & ulterior mihi pateretur indies aditus; opellam meam, si desideretur, Vobis Mundi Regimini cœlitùs Præfectis ex Syncero de Reip. ampliùs benè merendi amore ac studio hic offero publicè.

Deus idem pro ineffabili sua in humanum genus misericordia & bonitate hactenus Cogitationes atque Consilia Vestra dirigat ad Nominis sui Sacrosancti gloriam sempiternum, ut & Vestram, Vestrorumque Subditorum itidem ad imaginem suam creatorum salutem temporalem ac æternam. Amen. Sic vovebam Lugduni-Batavorum 14. Aprilis M. DC. LXXI.

LECTO-

L E C T O R I

Veri & boni publici Amanti Salutem precatur.

FRANCISCUS DELEBOE SYLVIUS.



QUOTQUOT utilitatem aliquam Reip. quovis modo præbere conantur, hactenus laude digni sunt & Primorum favore ac benevolentia: quotquot verò reverà publica commoda promovent, præmia insuper merentur in Rep. benè constituta; in qua, docente Cicerone, legibus & præmia proposita sunt virtutibus, & supplicia vitiis; tantùm abest, ut negligi debeant vel contemni tales à rerum Dominis, quoties ipsorum facta. etiam optima, non tantùm invident inertes malevoli, sed ipsa quoque rodunt cavillatores garruli, & criminantur adulatores maleferiati; & traducunt calumniatores maledici.

Hæc ut ex parte saltem meis rebus accommodem, tot sunt ridiculæ atque iniquæ inimicorum meorum, & subinde amicorum quoque quorundam fucatorum in Fœderato præsertim Belgio ex falso præjudicio, vel invidia, odiove de dictis & scriptis meis censuræ, ut nesciam penè, unde sit nunc mihi faciendum aptum præfandi initium.

Utique tanti facio tranquillitatem meam, ut, nisi jacta esset alea, editumque jam aliquid à me in publicum; quod tamen ringentibus adversariis probant hic & alibi supra meam expectationem multi Reip. faventes Viri boni, prævenirem fortassis alto silentio multifarias me manentes adhuc, prævisasque male volentium cavillationes atque calumnias.

Quapropter proferenda sunt in medium de conatibus & laboribus meis nonnulla, ne plures ob lentiùs qualitercunque absolutum ac nunc etiam editum Libellum hunc arbitrentur me inanibus malignorum hominum minis ac criminationibus injuriosis ad perpetuam redactum taciturnitatem.

Enimvero, postquam Reip. amore motus non semel oblatam Medicinæ Professionem ante annos tredecim (quamvis cum insigni rei privatæ jactura) in hac capessivi Academia, id mihi negotii credidi solùm dari, ut non pauca per annos multos privatim à me apud ægros, aliterve observata, quin & ampliùs indies observanda, ut & inde ratiocinatione catenata solicitè conclusa, deductaque, adeòque cum vera, tum generi humano utilia docerem meos Auditores.

Quamobrem, ut meo munere ritè fungerer, dies, noctesqua impendi tum in revocandis lentè in memoriam, quæ longo tempore consideraveram, accuratiùs examinaveram, & notaveram, tum in conferendis præteritis cum insequentibus experimentis quotidiè propriis sumptibus in commune bonum factis, tum in eliciendis inde conclusionibus & dogmatibus ad curandos ægros maximè solidis, tum in studiosa Juventute ad me audiendum magno numero hùc confluente fideliter de iis, quæ tum vera, tum bona censerem, informanda, quin ad medicam praxim ex arte aliquando exercendam probè formanda.

Nec defuit meis conatibus in Dei timore, atque charitate susceptis successus divinitùs fortunatus: adventantibus adhuc indies à meis Discipulis praxim feliciter domi & alibi facientibus literis pro accepto beneficio mihi gratantibus. Sed, quemadmodum in humanis rebus nihil est ab omni parte beatum, non defuit quoque hominum malignorum, vel mihi hactenus invidentium livor, cavillatio, detrectatio, & quicquid solet ministris suis suggerere humanæ tranquillitatis ac fælicitatis perturbator perpetuus, Diabolus.

Malevolentiam & maledicentiam meorum adversariorum multifariam nunc ob causas fonticas pluribus non persequar, contentus impræsentiarum detrimentum, quod ex quorumvis cavillationibus & criminationibus quibusvis Reip. affertur, paucis perstringere.

Quodcunque accepit unusquisque à Deo singulare Animi, Corporis aut Fortunæ donum, (Et quid quæso habet ullus homo, quod non acceperit supernè?) tenetur idem illud corde humili Largitorem agnoscens in commune mortalium bonum ac emolumentum impendere, neutiquam in cujusvis damnum aut detrimentum.

Commune mortalium bonum promovetur, & latentem adhuc in quibusvis rebus *Veritatem* eruendo, ipsamve plus minus obscuram illustrando, aliisque manifestando, & *Utilitatem* quamvis ex rebus notis humano generi provenientem, aut proventuram investigando, inventamque in usum revocando, aliisque communicando.

Hoc qui facit, pro excellente Cive omninò habendus, cujus virtutem imitatione dignam, non invidia censuit eloquentiæ Romanæ Parens. Laudandi certè, qui æmulantur, nec omninò culpandi sunt, qui superare quoque conantur aliorum virtutes ac benè acta; abominandi contra qui malignè cavillantur, vel contumeliosè traducunt aliorum dicta,

vel

vel facta utilia, quoties ipsa non possunt æquare aut superare. Horum verò verè miserorum proprium est, ut primò invideant bonis, mox ex malevolis fiant maledici.

Quotquot igitur sentiunt, existimantve ingenio, judicio, memoria, dexteritate, aut rerum quarumvis agendarum solertia se alios antecellere, suntque splendoris & gloriæ cupidiores, (cum tam multa sint adhuc in rerum natura obscura, & densis tenebris immersa) cum nominis sui celebratione inclarescerent, si labore improbo, jugique industria nonnulla ex illis adhuc tectis retegerent, atque in lucem publicam proferrent, sicque Reip. inservirent.

Quotquot autem absque facta multorum laborum semente amplam laudis messem affectant merere, urplurimùm spes agitant inanes; unde paulatim dolorem concipiunt ac mœrorem, dum vident alios interim frui gloria merita, quam sussibi vellent in se transmissam, vel saltem (consolatio siquidem miserorum est habere pares) ab invisis remotam: quocirca, quod debebant in acquirenda honestis artibus gloria impendere, studium penè omne collocant in alienorum dictorum, scriptorum, factorumve Relp. utilium vellicatione, arrosione, corruptione, reprehensione, consurarione, ac detrectatione, quò ipsos debitis, & nonnunquam præstitis laudibus privent, ipsas saltem extenuent ac minuant.

Hoc ipso autem quamvis sat sæpè noceant bonis (plerorumque siquidem hominum mos est minùs auscultare alienarum laudum præconibus, magis detractoribus) nullum tamen eo ipso redundat in ipsos, aut Remp. commodum.

Quamvis enim lætentur multi cavillationibus & calumniis in proborum dedecus eructatis, odarunt tamen simul, si prudentes sint, cavillatores & calumniatores, quoniam & sibi ab ipsis nòrunt metuendum: quemadmodum dicuntur Magnates amare proditionem, licet oderint proditores.

Tantum autem abest, ut ex qualibuscunque cavilla tionibus vel calumniis ulla Reip. accedat utilitas, ut contrà cum notabili hujus detrimento deterreantur iis multi ab inventis suis vel observatis publico aliàs servituris propagandis; atque aliorum vel etiam proprio periculo facti cautiores malint eadem secum perire (quemadmodum id sæpissimè factum cum dolore sum in variis expertus) quàm iniquè a Censoribus nasutulis, ut ut rerum ipsarum ignaris, traduci, vel scurriliter Blateronum opera per vanorum & improborum hominum ora deferri: Quod fiet, quandiu impunè licebit cuivis petulco petulanter probos impetere, ac solo garritu adulatorio apud Summates, non valdè tunc sapientes aut prudentes, gratiam invenire.

His accedit, quòd multa, quæ nos adhuc latent, nun velit pro impenetrabili sua Sapientia Deus semper simul, sed paulatim & partitè, non ab uno, sed à pluribus erui atque in apricum proferri.

Quemadmodum autem laudant meritò omnes boni antiquos ac recentiores Auctores, qui etiam ex parte tantùm viderunt multa, non pervìderunt singula, multò minùs omnia, quoniam id saltem posteritati reliquerunt, quod & quantum ipsis innotuit; ita existimant [postquam inventis aliquid addere faciliùs est, quàm ignora invenire] operæ pretium facere omnes, qui vel tantillùm scientiarum, artiumve pomœria promoveant; ac proinde non tantùm quovis docti & honesti nomen ambiente indignum, sed in bonos ac Remp. iniquum quoque ac injuriosum videtur mox suggillare aut improbè traducere illos, qui etiam hoc tempore pro virili parte conantur saltem viam sternere aut monstrare ad plura tecta retegenda, vel obscura illustranda, vel utilia excogitanda & in communem mortalium usum deducenda; & longè magis eos, qui actu hoc præstant & suas observationes utiles liberaliter aliis communicant: cùm ex Reip. bono foret quosvis quovis modo ad plura & majora præstanda excitari, quinimò plures ipsis adjungi, qui manum quoque operi admoveant, atque tum laboris, tum laudis partem condignam cum aliis jam benè meritis ac merentibus ferant.

Sed quoniam molestum est, atque grave delicatulis vel aliàs pigris hominibus manu operari, amœnius contrà & facilius lingua volubili garrire, plerique homines inaniter gloriosi atque in mustaceo laureolam quærentes conturbant & loquacitate sua importuna obscurant indies ampliùs ea, quæ nesciunt vel nolunt magno & assiduo labore illustrare. Magno enim labori uti non fuot assueti, ita nec dediti. Operam idcircò pessimè navant, ut lingua petulca potentes fiant ad quævis problematicè atqua in partem utramque pro lubitu deblateranda, non item, ut mentis, corporisve dotibus emineant ad opera ulla difficilia perficienda, vel dubia et intricata extricanda, explicanda, determinandave.

Interim non rarò talibus Locutulejis ampla tribuuntur et annua pro vana et adulatoria loquacitate stipendia; quibus ferè carent bonarum rerum Inventores, quippe rebus ipsis obscuris et arduis perscrutandis, quàm verbis ornatè proponendis, aut benevolentiæ serviliter captandæ magis studentes.

Quod nunc dixi, exemplo fiet magis manifestum. Agitatur miris modis hoc tempore in Medicina nostra de Bilis humanæ parandæ modo, motu et usu controversia. Ubi ultrò agnosco, sicut testatus sum sæpiùs tam publicè, quàm privatim, me non posse hactenus mihi plenè hac parte satisfacere; et quidem partim defectu quorundam adhuc experimentorum ad dubia nonnulla cunctos etiam nunc urgentia dissolvenda requisitorum

rum; partim propter varia experimenta nec in omnibus, nec semper successum similem habentia, quinimò subindè sibi quasi repugnantia.

Quapropter optandum foret illos, qùibus quàm mihi per otium id magis licet, operam necessariam impendere tum excogitandis, tum faciendis accuratè multifariis experimentis, mox et tollendis omnibus difficultatibus quosvis angentibus, sicque cum honore suo atque Reip. commodo profetendo vero et plano parandæ in homine Bilis modo, motui et usui.

Hoc quicunque tentabit efficere, laudem apud me obtinebit; ast qui effecerit, habebit ma insuper Sectatorem fidum ac certum.

Conatus sum ego, et quidem ausu magno, ex observationibus meis multiplicibus Ideam Medicinæ Novam adornare: quam Auditoribus meis primùm, mox & omnibus (cùm meum de Rep. benè merendi studium placuerit multis in arte nostra Viris eximiis & Illustribus) in animi mei simplicitate cœpi candidè communicare.

Cùm autem observarem hoc ipso excandescere ac in me insurgere Cavillatores atque Calumniatores malignos, necesse habui cautiùs progredi, ne per imprudentiam, aut festinationem aliquid excideret mihi, quod meritò caperent, traducerentque homines maledici.

Atquè inter causas plures, isthæc quoque tardavit hujus Libelli concinnationem ac editionem, quo ipso existimo majorem accessisse publico utilitatem. Attendi namque, quantùm meæ occupationes atque distractiones continuæ concesserunt, ad singula diligentiùs, quin expendi quævis accuratius & diutiùs, & plurima experientia multiplici confirmavi luculentiùs, quæ prius ex parte saltem sola mihi constabant ratiocinatione solicita; adeò ut tantò securiùs & cordatiùs prodeam nunc cum meditatis & observatis meis in publicum.

Potuissem quidem & plura, & forsan perfectiora, quin & majora, & abstrusiora, ideòque meliora & utiliora ex penario meo promere, si desideratum ad illa præstanda mihi fuisset largitus Deus otium, quod vix unquam expectandum ab hominibus. Nec tamen putavi æquum, me in Belgio parsimoniæ prudenter addicto nimiùm ac perpetuò esse privatæ rei negligentem, ac penè omnia mea incredibili labore parta impendere gratis Reip. opibus florenti ac potenti; ne mihi præter votum pro præstito beneficio novo, tanquam prodigo ac re malè gesta novi sufficerentur Curatores.

Testor interim coram Cordium Scrutatore unico, Deo, me hìc aut alibi aliud non scripsisse, aut docuisse, quàm quod visum est mihi verum, aut vero simillimum, ac imprimis Ægris utile. Horum siquidem gratia nullum detrectavi aut subterfugi unquam laborem, etiam molestissimum; nullis peperci sumptibus, etiam pro rerum mearum statu sæpè satis immensis. Cui meæ charitati benignè annuens non semel gratiosa mihi rependit, ac rependet adhuc dubio procul tempore opportuno Clementissimus Deus præmium, quod meis meritis debitum denegârunt vel averterunt sæpius omnis generis homines ingrati:

Faxit Deus Opt. Max. ut, quemadmodum hæc scripsi, quò servirem Artis Medicæ Tyronibus, hinc & horum ope ipsis Ægris, ita prosint cuncta utriusque. Nam veteranis & in Artis operibus consummatis Medicis non scripsi, cùm mea informatione haud indigeant.

LUGDUNI-BATAVORUM
14. Aprilis 1671.

Ad Lectores ac Typographos æquos FRANCISCI DELEBOE SYLVII Admonitio

Q*Uamvis magni non faciam mea Opuscula, nolim tamen ipsa quovis modo corrupta edi à quovis me vivente ac inscio. Quapropter, ut meo saltem honori ac Reip. utilitati consulam, omnes monitos velim, me pro meo minimè agnoscere, quod anno 1664. sub* Collegii Medico-Practici, *meoque nomine Francofurti edidit Thomas Matthias Gotzius: ut nec, quod audio hoc anno 1671. Parisiis sub* Praxeos meæ *titulo edidisse Fridericum Leonardum: multò minùs Libellum famosum ac turpem, quem ante paucos annos sub* Disputationum Medicarum Parte Secunda de Seminis Circulatione et Hominis Generatione, *quò illum mihi affingere, ac meæ famæ bonæ nocerent, stylum meum imitatus ex penario suo nefario & afcitis moribus pravis conscripsit, ediditque nonnullus maleferiatus. Cujus à me contempti nullam hìc fecissem mentionem, nisi aliquot Viri boni stylo facti dubij per litteras de ipso me rogassent.*

FRAN-

FRANCISCI DELEBOE SYLVII PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA.

LIBER PRIMUS,

De Affectibus Naturales Functiones Læsas vel Constituentibus, vel Producentibus, vel Consequentibus.

OPERIS DISTRIBUTIO.

Ex affectibus simplicibus compositos cognosci.

I. PRaxim Medicam in Auditorum nostrorum gratiam & commodum compendio; & quidem methodo *Plateriana* non valdè dissimili tradituri, eos imprimis proponemus *Affectus*, qui magis existunt *simplices*; cum illis cognitis *compositorum & complicatorum* notitia non ita difficulter pateat.

Affectus quomodo tractandi.

II. Cùm autem Hominis Valetudo prospera, sive Sanitas ex Functionum omnium integritate; Adversa verò, sive Morbus ex earundem labefactatione ac læsione innotescat; consultum videtur *Affectus* in praxi Medicis obvenientes secundùm *læsarum in Homine Functionum* diversitatem ordine tractare, postquàm ipsas vel *constituunt*, vel *producunt*, vel *consequantur*.

Functiones duplices.

III. Hæ Functiones omnes aut *Individuo conservando*, aut *Speciei propagandæ* ministrant.

Naturales & Animales quænam.

IV. Quæ conservando Individuo serviunt Functiones, commodè in *Naturales*, variæ *assumptorum* mutationi famulantes; & *Animales* in rerum quarumvis per *Sensus Externos & Internos Cognitione*, hinc & vario *Animi*, *Corporisque Motu* consistentes subdividuntur.

Praxeos Medicæ divisio.

V. Distribuemus proinde Praxim nostram Medicam in *tres Libros*, qui agent de *Affectibus* læses hominis *Functiones*, 1. quidem *Naturales*, 2. verò *Animales*, denique *Generationi dicatas* spectantibus.

Quando uno & quando pluribus Affectibus laborare dicatur æger.

VI. Rariùs quidem unica duntaxat in Ægris observatur Functio læsa, sed plerumque plures occurrunt simul læsæ. Quæ si pendeant ab invicem, aut ab eadem saltem causa, *uno* tantùm dicetur Æger laborare *Affectu*, quià primario graviori, vel magis saltem notabili Symptomate denominari solet: sin ab invicem non pendeant Functiones plures simul læsæ, verum diversas agnoscant Causas; tunc *diversis & diversi nominis Affectibus* teneri dicetur Æger.

Duo ad vitæ conservationem necessaria.

VII. Quæ ad Vitæ Naturalis conservationem intra corpus assumi & admitti solent ab Hominibus, vel *Alimenta* sunt deglutienda, vel *Aer* inspirandus.

Respirationis & Alimentorum necessitas.

VIII. Quamvis autem maxima sit Respirantibus inspirandi Aeris necessitas, nec tamdiu Aere, quàm Alimentis carere possit Homo; quoniam tamen Alimentorum in Dextro Cordis Ventriculo alteratorum causa instituta videtur in quibusdam duntaxat, non omnibus Animalibus, Aeris Respiratio, malumus ab Alimentorum Assumptione vitiata dicendorum facere initium, tum demum de Respirationis læsionibus agere, ubi ea opus habent Alimenta ex dextro Cordis Ventriculo in ac per Pulmones delata.

CAPUT I.

De Siti Læsa.

Sitis prima functio naturalis.

I. PRimum inter Naturales Functiones locum *Siti* vel ideò assignamus, quia prima homini nuper nati Passio naturalis est Sitire, atque Lac ex mamma sugendo Sitim suam lenire.

Quo dupliciter lædatur.

II. Hæc Sitis læditur imprimis, quoties vel *augetur*, vel *depravatur*: rariùs enim cum hominis detrimento *minuitur*, vel *tollitur*? neque enim credendum sublatam verè in quibusdam cum oris ariditate, corporisque ardore delirantibus Sitim, ejusve causam, quoniam eam non sentiunt, vel observant.

Auctæ Sitis causæ internæ. 1. Bilis acrior cum Succo Pancreatico effervescens.

III. *Auctam Sitim* deducendam puto plerumque à *Bile acriore* in tenue Intestinum delata, ibidemque cum confluente *Succo Pancreatico* ita effervescente, ut inde halitus Salsi, non verò Amari ad Ventriculum & Fauces eleventur, atque ariditatis Sensum ibidem producant.

2. Eadem Sanguini permista.

IV. Hæc eadem Bilis acrior, ejusve halitus Salsi si per vasa lactea penetrent ad Cor (idem dicendum de Bile eadem per Ductum Hepaticum eò delata) & *Sanguinem salsugine sua nimiùm inficiant*, nil obstat *Salivam* tunc simul reddi plùs minùs *salsam* vel *acrem*, sitimque minus temperantem, quin augentem.

3. Humor Salsus.

V. Sitis quoque auctæ causa subinde existit *Humor Salsus à Capite ad Fauces depluens*, atque ibidem ariditatis & Sitis sensum producens; aut inde ad Ventriculum quoque delapsus & ibidem, aut in tenui Intestino halitibus salsis materiam promens, à quibus itidem Sitis major excitetur.

Auctæ Sitis causæ Externæ quàm plures.

VI. Præter nunc memoratas Causas internas, plures concurrere possunt Auctæ Sitis Causæ Externæ, ac 1. quidem *Aer* ab Igne aut Sole æstuans, 2. *Alimenta* vel salsa, vel aromaticè acria & arida.

VII. Sitim quoque augent *Corporis agitatio, & motus* vehemens; ac inter *Animi Affectus Ira* præsertim, *Terrore magnus*, ut & *Vigiliæ protractæ*; atque *Alvus* tum *adstrictior*, tum *laxior*; *Sudor* multus; *Urina* copiosè excreta; *Sanguinis*, *Lactis*, *Seminisve* effluvium notabile, &c.

Depravatæ Sitis causæ 1. Vitium Bilis.

VIII. Quemadmodum verò *Sitim* auget Sal lixivus in Bile abundans, vel acrior, sic eadem *Depravare* videtur *reliquarum in ipsa Bile existentium partium vitium*: quod cùm & ratione partium multiplicium Bilem componentium, & ratione modi multifarii, quo peccare queunt singulæ, multiplex esse possit, difficile est singulas istius Depravationis species & causas exactè ac distinctè persequi & accuratè describere.

IX. Ad-

2. Succi Pancreatici & Pituita Intestinalis. IX. Adde quòd & *Succus Pancreaticus* & *Pituita Intestinalis* ob vitium sibi peculiare vitiosam cum Bile Effervescentiam excitando, Sitim non parùm queant depravare.

3. Sex Rerum non naturalium. X. Depravatæ Sitis Causa *Sex rerum non-naturalium* dictarum nulli in specie tribui potest; sed inexplicabili nobis hactenus, vitioso tamen plurium concurrentium effectui.

Sitis aucta curatio per Aquea, Acida, Oleosa. XI. *Sitim auctam Curant* præ aliis omnibus & *Aquea*, lixivum Bilis Salem diluentia & ad Urinæ vias deducentia; & *Acida*, ejusdem acrimoniam potenter frangentia & invertentia; & *Oleosa*, eandem acrimoniam lenientia, Lac puta, & Emulsiones ex oleosis seminibus paratæ.

Et hac mixta. XII. Possunt commodè Aquea tum Acidis, tum Oleosis jungi, atque tunc plus efficiunt. Exempli loco sit Formula sequens, quæ

Julapium. ℞. *Aq. hordei* ℥ xxx.
Fl. ros. rub. ℥ ß.
Sp. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem.
Stent in Aquæ dulcis, vel Arenæ Balneo per horas tres, aut donec colore rubello tincta sit Aqua, Rosarum Tinctura dicta; Cui Colatæ affunde Syr. Jujubini ℥ iij.
M. & fiat Julapium gratissimum.

XIII. Si quis ab Acidis abhorreat, vel lædatur, sequenti utatur:

Julapium. ℞. *Aquæ decoctionis hordei* ℥ xx.
Cinnamomi, ℥ ii ß.
Syr. Violacei simpl. ℥ ij ß.
Lap. prunellæ, aut Nitri sola solutione & coagulatione depurati ʒ j.
M.

XIV. Alterutro hoc Julapio uti poterit per intervalla Sitiens, sumendo ejus haustum mediocrem, donec Sitis restinguatur.

Emulsio. XV. Cui Emulsio lactea magis placet, Formula sequens inservire poterit.

℞. *Hordei mundati ad crepatur. cocti*, ℥ j.
Amygd. dulc. mund. ℥ ij.
Cum aqua decoctionis hordei.
F. Emulsio ad ℥ xij.
Addendo Julapii rosacii ℥ j.
M.

XVI. Potest huic Emulsioni ad gratiam ipsi majorem conciliandam, ægrumque debilem roborandum, aliquid Aquæ Cinnamomi addi, vel ad flatus discutiendos aliquid Aquæ Fœniculi; & per vices usurpari.

XVII. Quin, ubi molestæ sunt vigiliæ, somnusque desideratur blandus, possunt duæ, tresve Seminis papaveris albi drachmæ cum cæteris contundi, atque ex ipsis quoque Emulsio elici; quò una fidelia plures simul dealbentur parietes.

Sitim fallit Lapis prunella & Nitrum purificatum. XVIII. Potest aliquando ad Sitim fallendam, ubi præsertim à multa Aqua offenduntur Ægri, aliquid prædicti *Lapidis prunellæ*, aut ipsius, *Nitri purificati* contineri in ore; quò etiam spectant *Rotulæ* gratissimæ ex Saccharo & *Succo Citri*, aut *Berberorum* paratæ.

Rotula ex Succo Citri aut Berberorum.

Juscula Carnium. XIX. Sitim auctam leniunt quoque *Juscula Carnium Vervecinæ aut Vitulinæ* cum multa aqua & sine sale præparata.

Sitis aucta à Catharro quomodo curetur. XX. Quoties *Catarrhus Salsus*, vel *Saliva* similis causa est Sitis Auctæ, toties illi facienda medicina *Salsedinem* illam *temperando* per Pilulas de Cynoglossa & similia; tum & *Salsum Serum*, si redundet in sanguine, *evacuando per alvum vel urinas*: de quibus agetur in sequentibus.

Depravata Sitis quomodò curanda. XXI. *Depravatam sitim Curant*, quæ vitiosam Bilis, Succi Pancreatici, ac Pituitæ Intestinalis, aliorumque Humorum constitutionem corrigunt; quæ quoniam non ita mox patet, usurpari possunt utiliter omnia humores qualescumque emendantia Universalia, & imprimis *Salia volatilia*, sed *temperatiora*, & quidem Aqueis juncta cumque Vino haud generoso per vices exhibita.

Salia volatilia oleosa.

CAPUT II.

De Fame læsa.

I. UT Potulentorum, *Sitis*; sic Esculentorum Appetitus, *Fames* dicitur. *Sitis & Fames quid sint. Famis læsa species.*

II. Primariæ Famis læsæ species sunt *Aucta*, *Diminuta*, *abolita*, & modis variis *Depravata*.

III. *Naturalis* quidem *Famis causam* primariam censeo *alimentorum* in Ventriculo Fermentatorum *reliquias* in ipso restitantes, atque à deglutitæ continuò Salivæ parte ipsis adhærente *magis, magisque fermentatas*, & tandem *halitum subacidum, gratumque*, qui superius Ventriculi orificium blandè afficiat, sicque Famem producat, *emittentes*. *Naturalis famis causa.*

IV. Hanc Naturalem Famem (imprimis, ubi Alimentorum assumptio differtur solito diutiùs) augere potest in Sanis etiam *Succus Pancreaticus* ad tenue Intestinum delatus, & post Alimentorum secretionem, depulsionemque absolutam in Confluentem Bilem duntaxat & Pituitam Intestinalem agens, atque itidem Halitus Acidiusculos & gratos in Ventriculum propellens: quod vel ex Fame ad Animi deliquium nonnunquam ob alimenta tardiùs usurpata procedente videtur patere. *Auctæ famis causa in Sanis.*

V. In *Ægris* autem *Auctæ Famis* Causam petendam puto à *Succo acidiore* in corpore abundante, ac præsertim ex *Pancreate* ad Intestinum delato, ac inde Halitus solito Acidiores ad Ventriculum amandante, qui Famis sensum intendant, & post detrusa deorsum alimenta eandem mox renovent & potentiùs urgeant. *In Ægris Succus acridior.*

VI. Hunc acidum in universo corpore Succum augent 1. *Cibi acidi*, vel Acidis conditi; *Potusque Acidiores*, Vinum acidiusculum, quale Rhenanum & Mosellanum, ex minùs maturis uvis præsertim expressum. 2. *Aer frigidior*, serenus tamen. 3. *Tristitia moderata*, & diu continuata. Quorum vim intendent 4. *Corporis Motus vehementior*, 5. *Vigiliæ nimiæ*. 6. *Alvus naturali adstrictior*. *Qui à quibus augeantur.*

VII. *Famis* verò *Diminutæ Causam* frequentiorem & graviorem, quamvis lentè, ortam reor *Salivam Viscidiorem & Pinguiorem*, adeòque ad promovendam Alimentorum, hinc & eorundem reliquiarum fermentationem ineptam; quinimò Pituitam in tenui Intestino similem producentem; à qua Succi Pancreatici Aciditas blanda obtundatur, & tandem omnis in Corpore Aciditas minùs acris reddatur & iners. *Famis Diminutæ causa frequentior.*

VIII. Ejusdem Diminutæ Famis Causam rariorem, leviorem, ac subitò sæpè ortam judico *Bilem Pinguiorem* ab Intestino tenui ad Ventriculum assurgentem, atque tum Alimentorum reliquias, tum Salivam corrumpentem, atque gratam ipsarum aciditatem obtundendo Appetitum prosternentem. *Ejusdem causa rarior.*

IX. Ex sex rebus non-naturalibs dictis diminuent Famem 1. *Alimenta* copiosiùs assumpta, & maximè pinguia & viscida. 2. *Aer* æstuans & pluviosus. 3. *Somnus* nimius. 4. *Corporis* quies ac segnities. 5. *Curæ* extremæ. 6. *Alvi fluxus*. *Famē quomodò diminuunt sex Res nonnaturales.*

X. *Diminutæ Famis Causæ*, si *gravissimæ* fuerint, tollent in totum & *abolebunt Famem*. *Abolitæ famis causa.*

XI. *Depravata Fames*, quæ in genere *Pica*, in Gravidis *Malacia* vocatur, mares quidem rariùs, Fœminas verò frequentiùs divexare solet, & maximè vel ante Menstruarum fluxum, vel ipsis suppressis; unde fiunt ferè simul cachecticæ. *Depravata fames, Pica & Malacia.*

XII. Appetuntur autem in Pica vel Alimenta minùs apta & insueta, vel res pro alimentis non habitæ, quales sunt Creta, Carbones, Cineres, Lacca, Pix, Lutum, Cespites, Panni attriti, Corium & nescio quid non. *In Pica quanā appetantur.*

XIII. Huc referuntur Aromata: quæ Condimenta quidem sunt, vel Medicamenta, non item Alimenta.

XIV. Enimverò *Depravatæ*, inque *Fœminas* sævico- *Depravata*

a m.s.is, in fœminis causa.

sævientis *Famis Causa* utplurimùm ex *suppressis* deducenda *menstruis*; Ab illis namque circa Uterum stagnantibus, ideòque plùs minùs corruptis, posteà Sanguini universo denuò permistis, eundemque inficientibus tota ipsius Massa vitiatur & depravatur: Aqua sicut Cachexia univeralis producitur, ita & Saliva, Succus Pancreaticus cæterique in corpore Humores generantur vitiosi & unà cum plerisque & quandoque omnibus Functionibus Fames quoque depravatur.

Vt & in Viris.

XV. Similem undecumque tandem ortam Sanguinis, ac cæterorum Humorum corruptionem & depravationem in Viris, ut & Mulieribus, quandoque locum habuisse, quoties Pica laborant, omninò censendum: quemadmodum iidem Viri Suffocationis Mulieribus quidem magis familiaris, & quòd ab Utero credetur originem trahere; Uterinæ dictæ, Sensum & Affectum aliquando patiuntur, sed & iisdem planè, quibus Fœminæ, curantur medicamentis; quocirca ob rationes inferiùs Cap. 22. dicendas *Suffocationem* hanc non *Hystericam*, sed *Hypochondriacam* putamus vocandam.

Famis Auctæ Curatio.

XVI. *Curabitur Fames Aucta*, exhibendo ea, quæ Acidum Succum in corpore temperant, infringunt ac emendant, ejusdemque augmentum præveniunt.

Succum Acidum quanã infringant.

XVII. Potentissimè *Succum Acidum infringunt Salia lixiva tum fixa, tum volatilia*; ut & alia alterutro abundantia, Corallia, Margaritæ, Oculi Cancrorum, Creta, Lapis hæmatites, Succinum Chalybis limatura, & Similia.

Eâdem quanam obtundant.

XVIII. Eundem *Succum Acidum obtundunt Pinguia & Oleosa* omnia.

Quanam temperent.

XIX. *Succum Acidum temperat* quoque *Spiritus volatilis* ex Vino, aliisve paratus, tam purior, quàm modis variis factus aromaticus.

XX. *Saccum* denique *Acidum diluunt & enervant Aqua* quævis usurpata.

Quanam enervent.

Acidi succi augmentũ quî præveniatur.

XXI. Quòd si pro re nata plura conjungantur, plùs efficient. Exempli loco sunto sequentia, ubi priùs monuero *Acidi Succi augmentum ac proventum præveniri* præcipuè *abstinendo ab usu Acidorum*.

Pulvis.

XXII. Cui proinde *Pulveris* forma præ aliis placet, in ejus gratiam

℞. *Corall. rub. præp:*
Margarit. pr. an. ℈ j.
Cretæ albæ, ℈ ß.
Sacchari alb. ʒ iij.
M. F. Pulvis, in 6. doses dividendus, & bis in die tribus saltem, quatuorve post cibum assumptum horis ex vini potentioris cochleari assumendus.

Mistura.

XXIII. Cui forma liquida magis arridet, capiat subinde sequentis misturæ cochleare unum.

℞. *Aq. menth.* ℥ i j.
Cochlear.
Tincturæ Cinnamomi, cum spiritu Vini rectificato per infusionem paratæ, an. ʒ ß. *Syr. absinthij.* ℥ j.
M.

Oleum.

XXIV. Vel
℞. *Ol. Macis stillat.*
Granor. juniper. an. ℈ j.
M. in vitro.

Hujus Olei Guttas ij. *vel* iij. *sumat Æger aliquoties in die ex Vini malvatici, alteriusve generosi, aut præmissæ misturæ cochleari.*

Jusculu.

X X V. Utatur qnoque fame aucta pressus Jusculis pinguoribus, tum ad gelatinæ consistentiam proximè accedentibus, nulloque acido conditis.

In fame aucta purgantia non usurpanda.

XXVI. Nulla Purgantia præscribo in Fame Aucta, quoniam nulla sunt mihi hactenus nota, quæ Humores Acidos educant blandè; sumque præterea edoctus per experientiam multiplicem irritari quidem, non item nisi cum summis torminibus, & noxa majore, quàm fructu evacuari Acidos in corpore humore, & imprimis à Medicis de suorum Ægrotorum dolore ac molestia parùm sollicitis, aut bardis, aut saltem hujus rei, ignatis.

XXVII. *Fames sensim Diminuta vel Abolita Curabitur* medicamentis humorem *Pituitosum Viscidum corrigentibus ac educentibus*. *Famis Diminutæ & Abolitæ Curatio.*

XXVIII. *Corrigunt* ac incidendo emendant humores pituitosos viscidos tum *Acida*, tum *Sale lixivo* tam *fixo*, quàm *volatili* prædita, & *Aromatica* omnia. *Pituitam viscidã corrigere Acida & Aromatica.*

XXIX. Correctum quodammodò Pituitosum viscidumque humorem simul redundantem *evacuant Colocynthis, Turpetum, Hermodactyli, Mercurius* tam *præcipitatus*, quàm *sublimatus & corrosivus*, & *dulcis*, &c. *Eandem quanam evacuent.*

XXX. Tyronibus exempli loco sunto Formulæ sequentes.

Mistura.

℞. *Aq. menthæ, unc.* ij.
Cinnamom. unc. ʃ.
Syr. fœniculi unc. j.
Spir. salis q. s. ad gratam aciditatem.
M.

Pulvis.

Vel ℞. *Salis tart. vitriol.* ʒʃ.
Crem. tart. ʒj.
Sacchari Cand. alb. ʒij.
M. f. pulv. in 3. doses divid.

Accipiat semel aut bis in die ex Vino Rhenano, aut præcedenti mistura: Cui, si libet, poterit loco Spiritus Salis addi *Elixiris proprietatis* Drach. ß. & per intervalla cochleatim assumi.

Mistura.

XXXI. Qui ab Acidis offenduntur, sequenti utantur Mistura per vices & cochleatim usurpanda.

℞. *Aq. menthæ.*
fœnic. an. unc. j. ʃ.
vitæ Matthioli, vel alterius cujusvis
Aromat. ʒ vj.
Ol. macis still. gr. iij.
Syr. menth. ℥ j.
M.

Vinum medicatum.

XXXII. Qui Vino medicato delectantur, sequenti aut simili utantur formula.

℞. *Rad. enul. camp.*
acori, an ʒ. ij.
Fol. salviæ,
majoran.
rut. hortens. an. M. j.
Sem. fœnic. dulcis ʒ ij.
Cort. arant. sicc. ʒj.
Concisa & crassè contusa insuantur sacculo, cui in cantharum immisso affundatur vin album ad unc. xx.

Ejus Usus.

Postquèm per noctem steterit in cella, exhiberi poterit ad *unc.* iij. iv. vel v. aut manè stomache jejuno, aut inter prandendum, ac cœnandum, prout unicuique magis placebit, ac conducere observabitur. Potest quoque tamdiu recens vinum in usurpati locum affundi, quamdiu vis aromatica prodit ex puppula.

Pilula.

XXXIII. Ubi purgandum erit, tunc
℞. *Mass. pilul. fœtid. maj.* ʒʃ.
cochiar. ℈ʃ.
Extr. cathol. ℈ j.
Ol. garyophyll. Gutt. ij.
M. f. pilul. N. 15. *inaurandæ, aut Glycyrrh. Cinnamomive pulvere conspergendæ.*

Harum Pilularum v. vel plures accipiat Æger, prout faciliùs, aut difficiliùs se purgari notaverit.

Pilula alia.

XXXIV. Quòd si quis volet Chymica simul addi, & quidem Pilularum forma, tunc

℞. *Gum. Ammon. vel Opopanac. &c. cum aceto mund. & inspiss.* ʒʃ.
Troch. albandal.
Mercur. sublim. dulc. an. ℈ j.
M. f. pilul. N. 15. *inaurandæ.*

Exhibeantur itidem Ægro quinque vel plures.

XXXV.

Apozema. X X X V. Quòd si Apozematis forma Ægro præferatur; nec ab amaris multùm abhorreat, sequens erit satis conveniens.

℞. *Rad. glycyrrh. ras.* ℥ *ſ.*
apii, unc. j.
ras. ligni guajaci unc. ij.
bacc. lauri,
sem. anisi, an. ʒ ij.
Pulpæ Colocynth. ʒ *ſ.*
Coq. s. a. ex aq. pluv.
In colat. ℥xxx. *dissolv.*
Syr. rof. sol. cum senna,
diacnici, an. unc. iſ.
salis tart. vitriol. ℈ ij.
Tinctur. Cinam. unc. j.
M.

Ejus Usus. Hujus Decocti Unc. iij. iv. vel v. assumat Æger semel aut bis in die, quò tum corrigantur, tum simul educantur per epicrasim humores Pituitosi & Viscidi.

Vivendi ratio in Ægro. XXXVI. Abstineat interim Æger ab Usu *Alimentorum* Pinguium & Viscidorum. *Aere* utatur sereno & calidiore simul ac ficciore, arte saltem ita parato. Augeat *Vigilias*, si Somnus fuerit longior vel profundior. *Animus* esto ad Hilaritatem compositus. *Corporis motus, Exercitiumque* esto moderatum. *Alvi dejectio & Urinæ excretio* assumptis in dies, si commodè fieri possit, respondeat.

Famis à Bile Pinguiore diminuta curatio. XXXVII. *Fames confestim à Bile Pinguiore Diminuta Curabitur*, *emendando* illam Bilem, aut eandem, si copia simul redundaverit, *educendo* vel sursùm, vel deorsùm.

Bilē illam emendat Elixir proprietatis. XXXVIII. *Bili* huic *emendandæ* conducit præ cæteris omnibus *Elixir proprietatis*, ad guttas v. vel. vj. ex vino, aut convenienti mistura assumptum & imprimis paulò ante assumendum cibum.

Spiritus Salis dulcis. XXXIX. Qui acidiora minùs ferre possunt, ejus loco usurpent *Spiritum Salis dulcem*, cum Vini rectificato Spiritu aliquot cohobationibus paratum.

Absinthiū. XL. Eandem Bilem emendat *Absinthium*, & ab ipso denominatum *Vinum absinthites* Cujus loco aliæ *plantæ aromaticæ* similiter infundi possunt in Vino & utiliter inter prandendum ac cœnandum mediocri quantitate assumi. *Plantæ aromaticæ.* Tales autem plantę sunt *Calamintha montana, Majorana, Rosmarinus, Ruta hortensis, Hyssopus, Thymus, Salvia, &c.*

Bilem per vomitū quanā educant. XLI. *Bilem* per *Vomitum educunt* commodissimè varia ex *Antimonio* parata medicamenta, *Crocus Metallorum* dictus, *Vitrum*, & ex hoc præparata *Sapa vomitiora. Oxysaccharum*, vel *Oxymel Vomitorium, Mercurius Vitæ*, &c.

Quanā per Alvum. XLII. Eandem *Bilem* per *Alvum evacuant Rhabarbarum, Scammonium, Tamarindi*, &c.

Scammonii præparatio egregia. XLIII. Præparatur ex tempore atque optimè *Scammonium*, si conveniente dosi ad *Grana* xiij. vel xv. pro Ægrorum ætate, aut ad purgationem sustinendam majore aut minore aptitudine; si, inquam, Scammonium in mortario terratur & tantillum Aquæ convenientis, Melissæ puta, Cichorei, Acetosæ aut similis affundatur, & lacteus liquor terendo electus lentè effundatur, atque aqua nova vis reliqua similiter elicicatur, remanentibus in fundo fæcibus nigricantibus: hinc prædicto liquori Aquæ Cinnamomi, vel Fœniculi alteriusve aromatici ℥ij. & Syrupi rof. solutivi, aut similis itidem ℥ij. aut iij. addantur; sicque Haustulus gratissimus ægris exhibeatur. *Ejusdem Usus.* Qui ut facilius operetur, bonum erit dimidia post haustuli assumptionem hora Ægro *Cremoris Tartar.* ℈j. vel ʒſ. ex jusculo propinare.

Tabella ex Scāmonio. XLIV. Possunt etiam ex *Scammonio* parari & ad Usum servari *Tabellæ* gratissimæ, quæ

℞. *Crystallor. Tartar. unc. iſ.*
Diagridii, ʒ iij.
Ol. Cinnamom. Gutt. vj.
Sacchar. alb. in Aq. rosacea dissolut. unc. viij.
M. f. s. a. Tabellæ.

Earū Usus & Dosis. Hæ Tabellæ Infantibus, Puerisque & aliàs Delicatulis dari possunt convenientissimè: cùm earum Dosis summa sit à ℥iij. ad ℥ſ. Infantibus ad ʒſ. vel ʒj. & Adolescentibus ad ℥ij. exhiberi queunt cum regimine.

XLV. Qui vano ac præpostero terrore perculsi à blandissimi ac tutissimi, potentis quamvis Scammonii & Scammoniatorum usu abhorrent, suisve Ægris hactenus metuunt, *Rhabarbaro* utántur, & quidem modo sequenti.

Rhabarbari infusio.
℞. *Rhabarb. electi & rasi*, ʒ ij.
Tartar. crudi & optim. ʒ *ſ.*
Aq. Cichorei, q. s.
Infund. per noctem in Cinerum, vel Aq. Dulcis Balneo tepido,
Colaturæ mediocriter expressæ adde Sy. rof. sol. vel
de cichor. cum rheo, unc. ſ.
Aq. Cinamom. ʒ ij *vel,*
quod nauseabundum Rhabarbari odorem potentissime ac fælicissime corrigit & tollit, flatusque dissipat, *Ol. Anisi Vires.*
Olei Anisi, Gutt. ij. vel iij.
M. f. Haustus,

Electuarij Diaprunī Auctoris Vires. XLVI. Ad Bilis redundantis evacuationem, qui Electuario uti malet, illi commendamus Cholagogum, sive Diaprunum nostrum in Nosocomii Academici usum ante aliquot annos à Nobis præscriptum, ac sæpissimè cum Ægrotorum commodorum ibi, tum alibi ab Aliis Medicis æquè ac Nobis usurpatum; quod vel idcircò commendabile magis, quòd parva licet quantitate assumptum satis potenter agat & blandè. Cujus proindè formulam hic omnibus communicamus.

Electuarium Cholagogum, sive Diaprunum, Sylvii.
℞. *Pulp. prunor. acido-dulc. unc.* x.
Crem. Tartar.
Scamm. op. an. unc. ij.
Rhabarb. electi, ʒ x.
Cinnam. acuti, unc. ſ.
Santali Citrini, ʒ ij.
Sacchari Clarificati, unc. xvj.
M. f. s. a. Electuarium.
Dosis à ℥iij ad *unc* ſ.

Dosis. Dissolvi potest quantitate sufficiente Aquæ convenientis, atque sic exhiberi.

Depravata Fames quomodò curanda. XLVII. Cùm pro appetitæ rei diversitate diversissima existat *Depravata Fames*, in genere duntaxat proponetur hic à Nobis Ejusdem *Curatio*, quæ consistit in *Sanguinis, cæterorumque Humorum purificatione ac emendatione*, qua restituta spontè evanescet *Pica*.

Et quidem optimè Salibus volatilibus. XLVIII. Comperi autem hactenus præ aliis medicamentis omnibus conducere in hoc Affectu *Salia volatilia*; quæ cùm varia occurrant, illa seligenda, à quibus plus utilitatis Ægris contingere accurata observatione notabimus. Quocirca mutanda sunt subinde medicamenta, & imprimis, ubi nos iis parùm proficere videmus.

Et etiam menses movere. XLIX. Tantò autem utiliora sunt Salia volatilia, quòd lentè atque blandè Menses quoque Moveant, quorum Suppressorum causa Picam frequentissimè produci notum est.

Optima iis utendi ratio. L. Optima verò Salibus volatilibus utendi ratio est, si ad plures, paucioresve guttas, pro ut debiliora sunt vel potentiora, bis, terve aut sæpiùs in die assumantur ex Vino vel alio liquore conveniente, ac præsertim inter prandendum, ac cœnandum, quò Alimentis juncta impediant eorundem corruptionem à vitiosa saliva exspectandam; quin Salivam sensim emendent, sicque Alimentorum Fermentationem simul læsam paulatim restituant.

Sudores etiā movendi, & quomodò. LI. Juvat etiam in hoc Affectu molesto *Sudores* quandoque *blandè movere*; Cavendum autem ne tegumentis obruantur Ægri, quin satiùs nullum, quàm coactum prodire Sudorem; postquam Humores vitiosos emendant, corriguntque Sudorifera

fera licèt ipsos non expellant. Præterea autem semper liquida & spirituosa crassioribus, licet *Antimonialia*, ut ut sicca, sint hic optima, *Antimonium* puta *Diaphoreticum*, *Bezoardicum Minerale*, &c.

Humoris purgandi. LII. Pro Humorum autem vitiosorum simul aliquando redundantium varietate, institui possunt utiliter per alvum, vomitumve *Purgationes*, de quibus jam ex parte actum, & agetur adhuc in sequentibus.

CAPUT III.

De Alimentorum Fastidio.

Alimenta quadam fastidiri. I. NOn tantùm vel parùm, vel nihil, vel nimiùm, val mira & absurda Ægri appetunt; verùm nonnunquam *pleraque*, aut *quædam* saltem ac *certa fastidiunt*, & *aversaatar Alimenta.*

Ab Ægris & Sanis. II. Hoc *Fastidium* & *Ciborum* & *Potuum* quorundam non *Ægros* duntaxat corripit, sed nonnunquam cæterùm *Sanos*.

Quanā magis fastidiaatar. III. Ubi & hoc notandum, Omnes *magis* ferè *fastidire actu calida vel tepida*, & odore suo Olfactum simul potentiùs afficientia, quàm frigida, ideòque Odoratum minùs moventia.

Fastidium duplex. IV. Fastidium autem omne aut *Nativum* est, aut *Adventitium*.

Nativū unde oriatur. V. *Nativum* sequitur plerumque, si non semper, *Animi Affectum potentem Matris Fœtum utero gerentis*, & similia vel præsentia, & in Sensus extemos incurrentia, vel absentia, sæpiùs tamen in memoriam revocata, & nunc ob humores vitiosos in corpore existentes, nunc ob præjudicia undecunque hausta pro ingratis judicata fastidientis & aversantis.

Adventitium unde in Sanis. VI. *Adventitium* post nativitatem *Fastidium* in *Sanis* excitatur, aut ex *Præjudicio*, Alimenta ista pro immundis, ingratis, aut noxiis habente, aut ex iisdem *Alimeatis*, aut similibus *nimia copia*, præsertim ad *nauseam usque*, *vomitumve usurpatis*; vel ex iisdem *non satis mundè paratis*, *oblatisve*: quæ urgente fame, aliave necessitate assumpta fuerint, eorundem fastidium pariunt, ac contra similia grande relinquunt prejudicium; quod aliquando quidem iterum tandem tollitur, aliquando ad vitæ finem permanet.

Unde in Ægris. VII. In *Ægris* excitatur similiter ac frequentiùs quorundam vel plerorumque Alimentorum Fastidium, & imprimis, quoties *calentia*, *tepidave* ipsis offeruntur: ab illorum enim odore Ægris facilè ingrato Nausea ferè simul excitata promovet & auget ipsum eorum fastidium.

Quanā fastidiant Ægri. VIII. Nec uniusmodi tantùm, sed aliquando omnis generis & saporis Alimenta, ipsaque adeò consueta & aliàs desiderata solent Ægris multi fastidire: quin non Cibos duntaxat, verùm non rarò etiam Potus omnes, Vinum, Cerevisiam & ipsam subinde Aquam.

Fastidium morbi signum. IX. Hoc Alimentorum Fastidium tam frequens est Ægris Symptoma, ut adversæ valetudinis manifestum sit quandoque signum, ac præsertim in Pueris, ægritudinem instantem aut urgentem fastidio illo testantibus.

Cōsideratione dignum. X. Consideratione dignum est, non tantùm Carnes, atque Juscula, pinguia præsertim, Ægros fastidire, sed tam frequenter omnia & *dulcia*, & *acido-dulcia*, non item, nisi rariùs *magis acida*.

Ejus duratio varia. XI. Eousque autem assurgit quandoque, viresque in Ægris sumit quorundam Ciborum, Potuumve Fastidium, ut sublato jam morbo aliquandiu, & quandoque diu, imò quandoque semper ipsis adhæreat; dum in aliis mox, brevi saltem idem tollitur ac evanescit.

In ægris pendere 1. A vitiosis Halitibus. XII. Ægrotorum verò Fastidia pendent ut plurimùm & 1. à *vitiosis Halitibus* in tenui Intestino vitiata propter vitiatos simul vel seorsim *Bilem*, *Pituitam*, *Succumque Pancreaticum* Effervescentia productis, atque ad Ventriculum & Os assurgentibus, famem notabiliter minuentibus, sitim verò plus minùs depravantibus, & ad factam Alimentorum mentionem, aut conspectum, imprimis olfactum, gustumve Nauseam plerumque simul moventibus.

2. A molestia ex similibus Alimētis secuta. Nausea & Vomitus unde aliquādo. XIII. Pendent eadem aliquando & 2. à molestia semel aut sæpiùs similium Alimentorum assumptionem secuta, hincque formato præjuditio pertinaci de simili molestia, si ampliùs assumantur, reditura: unde nonnullis ex sola ingratorum vel noxiorum Alimentorum memoria Nausea, hinc & Vomitus excitari solet.

Fastidii Ægrotam causa. XIV. Meritò Bili, Succo Pancreatico, & Pituitæ in tenui Intestino confluentibus, atque vitiatis, ac proindè vitiosè effervescentibus adscribitur illud Ægrotorum Fastidium; cùm illis emendatis aut evacuatis tollatur, eureturque mox in plurimis.

Fastidii diversitatis causa. XV. Prout autem aliàs hic, aliàs ille humor peccat, ita & hujus vel illius Saporis Alimenta præ aliis fastidiunt Ægri: qui ubi plures simul notabiliter peccant, omnis generis Alimenta penè aversantur.

XVI. Quisnam verò Humor & quomodo peccet, conjuncta ostendent Symptomata ex secutura aliorum Affectuum tractatione petenda.

Ejus curatio in Sanis. XVII. *Sanorum Fastidium Curabitur*, liberando mentem omni præjuditio; aut sensim assuescendo usui Alimentorum fastiditorum: quod aliquando frustrà, aliquando cum successu tentatum.

In Ægris. XVIII. Eodem planè modo *Curandum Ægrotorum Fastidium* à præjuditio ortum.

XIX. Ubi autem ab *Humorum vitio* præsenti ortum habet id præjudicium, Curatio sequetur, si Humores peccantes *corrigantur*, vel *expurgentur*.

Humores corrigendi. XX. *Corrigentur* Humores peccantes medicamentis partim jam in superioribus propositis, partim in sequentibus adhuc proponendis.

Expurgādi per vomitū. XXI. *Expurgabuatur per Vomitum* Humores tum fluxiles, tum spontè sursùm vergentes; & quidem Vomitoriis jam memoratis, aut hinc inde memorandis.

Per alvum. XXII. *Expurgabuntur per Alvum* iidem Humores, nullam sursùm viam affectantes, & valdè viscidi & quidem medicamentis jam præscriptis & ampliùs præscribendis.

CAPUT IV.

De Alimentorum Assumptione læsa.

Alimenta Ore assumēda, masticāda, & deglutienda. I. NOn sufficit homini Alimenta Esculenta, Potulentaque appetere, nisi eadem *Ore assumant*, *solidiora masticando comminuat* & inde *per Gulam in Ventriculum deglutiat*.

Liquidorū assumptio quomodo lædatur. II. Læduntur multis modis hæ Functiones, & 1. quidem *Liquidorum Assumptio Suctu* perfici solita; ubi illa *plus minùs deficit*:

III. Accidit autem illud, quando Ægri *Os* vel *aperire*, vel *claudere*; *Labia* saltem *convenienter* vel *conjungere*, vel *disjungere*; *Linguam* verò *satis exercere*, vel *contorquere* non possunt.

Quando Os aperiri nequit. IV. *Os aperire* non possunt Ægri, quando ipsum permanet conclusum in *Temporalium Musculorum Convulsione*.

Quando nequit claudi. V. *Os claudere* non possunt iidem, quando illud perpetuò hiat in *Maxillæ inferioris luxatione*, aut *Musculorum temporalium Paralysi*, vel *Vulnere transverso*.

Labia quādo decenter conjungi & disjungi nequeant & quando imperfectè. VI. *Labia convenienter ac sufficienter conjungere* non possunt Ægri, quando illa *desunt*, vel *Paralysi* laborant aut *Vulnere grandi* hiant.

VII. *Labia decenter disjungere* non possunt iidem, quando ipsa itidem *desunt*, aut *convulsa Cynico spasmo* tenentur.

VIII. Utrumque *imperfectè* contingit, quando in *alterutro latere Paralysis* vel *Convulsio* adest,

unde

unde in affecto latere nulla vel nimia fit oris contractio, utraque vitiosa & noxia, in *Oris Torturn* dicta.

Suctus quã-do ladatur.

IX. Læditur idem Suctus in *Labiorum Coalitu*, viam Alimentis intercludente.

Masticatio quando ladatur.

X. Ciborum solidiorum *Masticatio* læditur, quando *Maxilla Inferior* à superiore *abduci*, aut ad eandem *adduci* nequit.

XI. Prius contingit à *Musculi Temporalis Convulsione*, in *Spasmo Trismo* dicto; posterius ab ejusdem *Paralysi* vel *soluta Continuitate transverse*; utrumque in *Maxillæ Luxatione*.

XII. Læditur eadem Masticatio *Dentium* hinc inde *deficientium*, vel aliàs supernè ac infernè *non satis sibi adaptatorum*, vel *Stupore*, *Dolore*, *Carie*, aliave *Corruptione* laborantium vitio.

Lingua quando convenienter moveri nequeat.

XIII. *Lingua* convenienter *exeri* vel *contorqueri* nequit, quoties *Paralysi*, aut *Convulsione*, aut *Vulnere*, aut *Freno breviori* laborat.

XIV. De *Paralysi*, *Convulsione*, *Dolore* ac similibus agetur in *Secundo Libro*, unde peti poterunt, quæ Affectui præsenti ampliùs elucidando & curando erunt necessaria.

CAPUT V.

De Alimentorum Deglutitione læsa.

Deglutitio quot modis ladatur.

I. CIbum, Potumve, aut utrumque aliquando *minimè*, aliquando non nisi *cum difficultate deglutire* possunt Ægri.

Et Lingua Oesophagus inserviunt.

II. Inserviunt naturaliter *Deglutitioni* & *Lingua*, Cibos præsertim ad fauces protrudens, & *OEsophagus* eosdem ac Potum admissum detrudens.

Utriusque constitutio requisita.

III. Requiritur in hunc finem tum *Lingua mobilis*, tum *OEsophagus explicabilis ac complicabilis*, ut & *ejusdem Canalis* æquè ac *superius Ventriculi Orificium patens*, *ac impeditum*.

Alimentorũ protrusio ad fauces quot modis ladatur.

IV. Læditur *Alimentorum protrusio ad fauces*, quoties *Lingua* vel *Paralysi*, vel *Convulsione*, vel *Vulnere*, vel *Ulcere* vel *Dolore* laborat, de quibus Affectibus omnibus agendum alibi.

Deglutitio quot modis aboleatur.

V. Læditur & *Abolетur Alimentorum Detrusio per Gulam*, sive *Deglutitio*, quando vel 1. *OEsophagus* est *Obstructus* à re solida ipsius canalem implente, *Carne* puta nunc in ipso læso excrescente, nunc per ingluviem, aut infortunium devorata & in ipso firmiter hærente, aliquando *Cartilagine*, *Osse*, *Nucleo*, &c. ibi morante, vel 2. *compressus* est à *Tumore* vicino, sicut fieri solet in *Angina*. vel 3. *Coalitus* est post sui *excoriationem*.

Quot modis difficulter fiat.

VI. *Cum difficultate Deglutiunt* Ægri, 1. quando *leves* duntaxat existunt, necdum extremæ modò *memoratæ noxæ*, atque ex parte tantùm OEsophagi Canalem claudunt. 2. quando *Paralysi*, *Excoriatione* aut *Exulceratione* laborat OEsophagus 3. quando *Halitus*, *Ructusque acerbi & austeri* vel *copiosi* saltem è Ventriculo assurgentes sistunt & quandoque repellunt Alimenta deglutienda.

Quot modis impediatur, & cum dolore fiat.

VII. *Impeditur* aliquando, *nec nisi cum difficultate ac dolore* absolvitur Alimentorum *Deglutitio*, quando *superius Ventriculi Orificium* vel *Inflammatum*, vel *Excoriatum*, vel *Ulceratum*, vel *Carnea excrescentia* plùs minùs est *obsessum*,

VIII. De affectibus autem plerisque modò memoratis, & Deglutitionem lædentibus agitur inferiùs, unde peti poterunt, quæ hic desiderantur ad ulteriorem ipsorum tum notitiam, tum curationem.

CAPUT VI.

De Alimentorum in Ventriculo Retentione læsa.

Alimẽta in Ventriculo retinenda.

I. NOn sufficit assumi Ore, ac deglutiri per OEsophagum *Alimenta*, nisi eadem *convenienti tempore morentur ac retineantur in Ventriculo*, & quidem tam diu, donec ibidem sufficienter fuerint fermentata.

Hæc eorum retẽtio quãdo ladatur.

II. Hæc requisita Alimentorum in Ventriculo Mora & Retentio læditur, quando vel *mox*, ubi sunt admissa, vel *citiùs saltem*, *quam decebat*, *expelluntur* iterum, idque aut *sursùm per Os & Vomitum*, aut *deorsùm per Intestina & Alvum* in Affectu *Lienteria* dicto.

Exturbationis Alimentorum è Ventriculo causa.

III. Hæc alterutra deorsum, vel sursum facta Alimentorum exturbatio nunc *Ventriculi*, nunc *Alimentorum ipsorum*, nunc *vitiosi alicujus Humoris* Ventriculum continuò aut post assumpta demùm Alimenta irritantis culpa contingere solet.

Aliquando Ventriculus.

IV. *Ventriculi* culpa eveniet hoc malum, quoties ille *Inflammatus*, *Exulceratus*, *Excoriatusve*, nihil admittere potest, quin mox inde irritetur ad sui contractionem violentam, contentorumque exonerationem.

Aliquando Alimẽta & assumpta.

V. *Alimentorum*, *aliorumve simul Assumptorum* culpa idem accidit, si *acria* fuerint & ad sui excretionem ventriculum mordendo irritaverint.

Aliquando Humores.

VI. *Aliorum in Corpore priùs existentium Humorum* vitio idem continget, si *acrimonia sua* Ventriculum ad perpetuam Nauseam, Vomitumque aut Contractionem deorsum tendentem, omniumque proinde admissorum, Depulsionem incitaverint.

& quinam,

VII. Tales Humores sunt sæpiùs *Biliosi Salini*, quandoque, *Pancreatici Acidiores*, & *acrimonia volatili* præditi, ac in se mutuò agentes, ad Ventriculum assurgentes, Halitus saltem acres eò mittentes, atque ipsum lancinantes, mordentesque.

VIII. Aliquando *Humores Acido-salsi & acres à Capite ad fauces*, hinc & *Ventriculum* delabuntur, ipsumque ad sui contractionem, admissorumque expulsionem cogunt.

IX. De *Inflammatione* atque *Exulceratione* quavis suo agetur loco.

Malum hoc qui curandũ si sit ab Alimentis acribus.

X. Ab *Alimentis acribus* si hoc malum contingat, vel *blandiora*, simulque *lenientia* erunt postmodum usurpanda; vel ipsorum saltem *acrimonia priùs* erit *temperanda & corrigenda*.

& quibus.

XI. In hunc finem conducunt *Oleosa* plura, *Oleum* ipsum, *Lac* quodvis, *Vaccinum*, *Ovillum*, *Caprinum*, &c. *Juscula Carnium*, præsertim pinguia; *Emulsiones* ex variis *seminibus* parandæ *Amygdalis dulcibus* præsertim.

Acrimonia acida quibus temperetur.

XII. *Acrimonia Acida temperabitur* præterea *dulcibus*, *Sacharo*, *Melle*, *Passulis majoribus*; & quandoque *Spirituosis*, vel aliisque *Acidum Concentrant*, nec tamen alimentis nocent, qualia sunt *Corallia*, *Margaritæ*, &c. Quin multa longiore costura sensim dulcescunt, & aciditatem suam plùs minùs amittunt,

Quibus Lixiva & Aromatica.

XIII. *Acrimonia lixiva & aromatica*, qualis in pipere, garyophylis, eruca, & similibus occurrit, tum memoratis *Oleosis* & *Dulcibus* temperatur; tutiùs tamen ab iisdem in totum, vel maxima ex parte abstinetur.

Quibus Salsa.

XIV. *Acrimoniam Salsam*, qualis in Sale marino & fossili, & salitis plerisque, mirè corrigit, *Calx viva* ex ustis silicibus vel conchis parata, nulli Medico prudenti ampliùs metuenda, sed lixivij forma in plurimis Affectibus fœlicissimè usurpanda.

Humores Acres quibus corrigantur.

XV. Quemadmodum Alimenta & Condimenta, ita *Humores vitiosi & Acres corrigentur Oleosis ac Spirituosis*, & subinde suis *Contrariis*, sed priùs *temperatis*, jam memoratis, & in sequentibus adhuc memorandis.

Iidem etiã evacuandi.

XVI. Iidem *Humores Acriores*, priùs tamen plùs minùs correcti ac temperati, quoties simul *redundant*; *segniùsve aut difficiliùs se corrigi ac restitui patiuntur*, *Evacuandi* sunt per medicamenta superiùs præscripta & inferiùs præscribenda.

Opij & Opiatorum vires.

XVII. Imprimis tum ad *urgentem* Humorum *Acrimoniam temperandum*, tum *ad Sensum Ventriculi obtundendam*, molestamque ipsius *Contractionem sedandam*, conducit *Opium* & quodvis

ali Opio denominatum medicamentum, Theriaca, Mithridatium, Diascordium, Philonium Romanum, Laudanum Opiatum, &c. si quantitate parva sæpiùs usurpetur, additis cæteris Humores maximè peccantes blandè temperantibus medicamentis, quorum formulæ passim exstant in hoc opusculo.

Medicatio.

XVIII. De *Vomitu*, atque *Lienteria*, in quibus semper simul læditur Ventriculi, & quandoque ac forsan perpetuò Intestinorum Excretio sive Expulsio, ex professo agemus in sequentibus.

CAPUT VII.

De Alimentorum Fermentatione in Ventriculo læsa.

Chylificatio quid.

I. QUam vulgò *Chylificationem* vocant, malumus *Fermentationis* nomine appellare *Mutationem assumptis Alimentis in Ventriculo secundùm naturam contingentem.*

Chylificationis læsæ species.

II. Hujus Alimentorum Fermentationis læsæ primariæ species sunt 1. *Abolita*, vel *Diminuta*; 2. *Aucta*; 3. *Depravata*: quibus cognitis tum illa, quæ *segniùs*, tum illa quæ *citiùs* absolvitur, deducetur facilè.

Quid sit Abolita.

III. *Abolita* censetur Alimentorum Fermentatio, quando, sufficienti tempore in Ventriculo retenta licet, *cruda* tamen, *nec immutata* vel sursum, vel deorsum iterum excernuntur: quemadmodum *Diminuta*, quando eadem tunc *aliquantum quidem, minùs tamen, quàm decebat*, prodeunt *immutata*: Unde nihil, vel parum nutrimenti, roborisque ab assumptis alimentis accedit Ægro.

Quid diminuta.

Quid Aucta.

IV. *Aucta* verò dicenda Alimentorum Fermentatio, quando *citiùs*, quàm decebat, absolvitur ipsa: unde si consueto & naturali tempore moram necterent in Ventriculo Alimenta, nimiùm immutarentur; ut ne sic quidem convenientem Corpori præberent Nutrimenti materiam; quemadmodum panis massa solito nimiùm, vel diutiùs fermentata exhibet panem acidiorem, minùsque ideo laudabilem. In mediocritate consistit namque omne bonum, in extremis malum.

Qua ratione non valde noxia.

V. Ubi notandum, non valdè noxiam esse homini Auctam Alimentorum Fermentationem, nisi perseveret diutiùs; quoniam ut plurimùm Alimenta sufficienter fermentata moram in Ventriculo longam non faciunt, verùm mox ad Intestina propelluntur, ac ibidem in utilem Chylum, atque alvinas fæces secernuntur, &c.

Qua ratione noxia.

VI. Ubi autem aliquandiu perennat Fermentatio aucta, nimium appetitur Alimentorum, & quando cuncta optimè cedunt, sensim *Plethora, hinc & Habitus Athleticus* consequitur; qui, nisi solvatur in tempore, in quantum periculum homines conjiciat, *Hippocrate*, cui Experientia suffragatur, notum.

Quid depravata.

VII. *Depravatur* Alimentorum Fermentatio quando eadem ita immutatur in Ventriculo, ut conveniens corpori tam continenti, quàm contento nutrimentum non præbeant, sed noxium: unde infinita prodeunt mala; postquam Vitia primæ Concoctionis non corriguntur facilè in secunda; quod semper verum de Coctione Depravata.

Ejus duæ species.

VIII. Inter Depravatæ Alimentorum Fermentationis species varias duæ vulgò numerantur primariæ, *Cruditatis* nomine notæ, *Nidorosæ* puta, & *Acidæ*.

Abolitæ & Diminutæ causæ.

IX. *Aboletur*, aut *Diminuitur* Alimentorum Fermentatio, nunc ipsorum *Alimentorum*, nunc *Fermenti* culpa, nunc propter *Humores vitiosos* ad Ventriculum delatos.

1. Alimentorū vitiū.

X. *Alimentorum vitio* id accidit, quando ipsa vel *quantitate nimia* ingeruntur, vel *qualitate sua vitiosa* Fermentationem plus, minùsve impediunt aut sistunt.

Hoc in quibus cōsistat.

XI. Qualitas Alimentorum vitiosa consistit frequenter in eorundē *Pinguedine* exuperante; quandoque in *Spiritu volatili* præposterè, nimiùmque assumpto; quandoque in *Sale lixivo*, vel *fixo*, vel *volatili* copiosiùs itidem usurpato: uno verbo in iis, quæ *Spiritum acidum, ejusque operationem potenter frangunt*: unde incidi atque ab invicem sufficienter segregari nequeunt partes Alimentorum visciliores: tantum potest ubique plurium rerum ad eundem effectum producendum requisitarum & concurrentium certa proportio & harmonia, Quò facit quoque *Potus* quivis, præsertim *Aqueus* copiosiùs ingurgitatus, & tum Fermentum diluens, abluensque, tum Cibos obruens, ac in sui Fermentatione impediens.

2. Fermenti Defectus & Inertia.

XII. *Fermenti culpa Diminuitur*, vel *Abolet*ur Alimentorum Fermentatio, tum propter Ipsius *Defectum*, tum propter ipsius *Inertiam*.

Quando deficiat.

XIII. *Deficit* Ventriculi *Fermentum*, quando *non satis generatur*, in *Salivæ defectu*, *continuave exspuitione*; vel *aliò defertur*, per *continuam potationem*, ob quam ad Intestina propellitur.

Quando iners existat.

XIV. *Iners* existit hoc *Fermentum*, quia justo *Pinguius, Viscidius*, vel *Aquosius* producitur, ob *Salivam similem*, ex *Alimentis consimilibus* diutiùs usurpatis ortam; & quandoque ab *Aeris externi æstu*, aut *vehementi Corporis, Animive exercitio* Spiritus Animales exhauriente deducendam, & imprimis, ubi Alimentis Spiritu Volatili abundantibus non reficiuntur, reparanturve consumpti ac deficientes in corpore Spiritus animales, ad Fermentationem Alimentorum promovendam summè utiles.

Plures causæ concurrentes quid faciant.

XV. Ubi plures Causæ simul concurrunt, graviùs læditur Alimentorum prædicta Fermentatio, & viceversa.

Assumpta quædā Fermentationē lædere.

XVI. Eandem *Fermentationem Diminuere* ac quandoque *Abolere* possunt quædam, cùm aut pro Alimentis, Medicamentisve malè usurpata, & quoniam vel ipsum *Fermentum enervant*, vel *Alimenta Fermentationi inepta* reddunt, hactenus pro *Venenis* habenda; qualia sunt omnia quæ *figendi* vi excellenti sunt prædita.

3. Humores vitiosi.

XVII. Alimentorum *Fermentationem Diminuere*, ac subinde *Abolere* possunt *Humores vitiosi, & Biliosi* præsertim, *Oleositate peccantes*, ad Ventriculum assurgentes, atquè aut *Fermentum* ipsum *corrumpentes ac enervantes*, aut se *Alimentis* immiscendo ipsorum *fermentationem turbantes, impedientes, sistentesve.*

Auctæ Fermentationis causæ.

XVIII. *Augetur* contrà Alimentorum *Fermentatio*, vel 1. *Fermenti solito & acidioris & volatilioris* culpa: vel 2. *Alimentorum* pro assumentis constitutione naturali *faciliùs fermentabilium* diutinè usurpatorum vitio: vel 3. *Humorum aciditate volatili præditorum* & ad Ventriculum vel à *Capite delabentium*, vel à *Pancreate assurgentium* causa.

Fermenti, Salivæ Succi Pancreatici, & Humorū Aciditas ab Alimentis, & condimētis.

XIX. *Fermentum* & *Saliva*, ut & *Succus Pancreaticus*, atque *Humores à Capite decidentes* Aciditatem suam volatilem auctam debent imprimis *Alimentis volatili aciditate præditis*, copiosiùs ac diutiùs assumptis, ut & *Condimentis* similibus, *Vinoque*, aliove *Potui generoso ac spirituoso subacido* tamen, quale *Mosellanum ac Rhenanum Vinum*, aliquandiu copia non nimis excedente licèt usurpatis.

A Mœrore, & Aere sereno.

XX. Idem promovere possunt ex parte *Mœror solicitus*, non tamen nimis gravis; ut & *Aer serenus & subtilis*, non verò multùm æstuosus aut rigidus, ad Borealis tamen naturam quodammodò vergens.

Nidorosa cruditas unde.

Ab ea Ventriculi distentio, & ructus.

XXI. *Depravatur* Alimentorum Fermentatio in *Nidorosam Cruditatem* à *Bile acriore & nimis volatili* ad Ventriculum assurgente, atque Fermentationem non tantùm impediente, at insuper alterante ac corrumpente: Unde *Ructus* excitantur qui Ventriculum distendant, vel mordeant, & nunc ova frixa, nunc pisces fœtentes, nunc

nunc alia redolentes attollantur.

Acida Cruditas unde.

XXII. Quoties autem *Ventriculi Distentio* concurrit, aut *difficilius erumpunt* isti *Ructus*, toties *Pituitam viscidam* simul peccare certum est.

Quid producat.

XXIII. *Acidam Cruditatem* producunt *Humores Acidi*, & imprimis *Succus Pancreaticus* vel *redundantia*, vel *aciditatis intensione* peccantes, & ad Ventriculum delati; unde non tantùm præcipitatur Alimentorum Solutio ac Fermentatio, sed eadem insuper vitiatur & corrumpitur, elevatis eadem opera *Ructibus Acidis* & nonnunquam valdè molestis.

Eandem causam pro sua qualitate Functionē diversimodè lædere.

XXIV. Nec mirum aut novum, eandem Causam pro sui majore aut minore copia, vel intensiore aut remissiore qualitate Functionem aliquam nunc secundùm quantitatem, nunc secundùm qualitatem plùs minùs alterare, atque mutare, imò lædere.

Abolita vel Diminuta Alimentorū fermētationis propter ipsorum copiam curatio.

XXV. *Curabitur Abolita vel Diminuta Alimentorum Fermentatio* propter ipsorum *nimiam copiam* ingestam sola sæpè *Inedia*, sive parciore alimento aliquandiu usurpato.

Quibus fiat.

XXVI. Idem citiùs obtinebitur usurpando medicamenta Fermentationem promoventia, qualia imprimis sunt *Acida & Salina lixiviosa per Spiritum Volatilem alterata & plùs minùs Volatilisata*. Huc spectant *Spiritus Salis* cohobatione iterata cum Vini spiritu *dulcis* factus; *Sal tartari* itidem cum Vini spiritu *volatilis* redditus; *Sal succini*, *Urinæ*, *Cornu Cervi*; Ipsumque *Sal Armoniacum* crudum, ejusque *Spiritus*, sive Sal volatile, &c.

XXVII. Hæc enim omnia *Cibos* æquè ac *Humores crassos*, *viscidosque* in corpore repertos incidunt, & crudos ad Fermentationem deducunt, sicque corpori utiles reddunt.

& quomodò.

XXVIII. Usurpantur autem ista omnia commodissimè, si quantitate unjuscujusque Constitutioni ac Ætati conveniente assumantur ex Vino, aliove Liquore apto inter prandendum ac cœnandum. Possunt tamen extra illud tempus non incommodè quoque in usum revocari, & imprimis, quando *Pituita viscida* scatet corpus.

Pinguia quomodo corrigenda.

XXIX. *Pinguia* corrigentur à *Spiritu Acido dulci* potentiùs, à *Sale Volatili* debiliùs & segniùs.

In Spiritus Vini Usu nimio quid exhibendū.

XXX. Ubi à *Spiritus Vini usu nimio* adeòque *abusu* potiùs oritur non tantùm Appetitus prostratio, sed insuper Diminuta & quandoque Abolita Alimentorum Fermentatio, juvat plurimùm *Spiritus Acidus dulcis* redditus quantitate parva, sæpiùsque assumptus; ut & *Elixir proprietatis* ritè paratum,

Ut & alimentorum Sale volatili vel fixo abūdantiam.

XXXI. Idem præstabit hoc medicamentum, ubi *Sale volatili, vel fixo nimis abundantibus Alimentis* aliquis fuerit usus diutiùs; unde Spiritus Acidus in variis Humoribus existens, atque omninò necessarius nimiùm infringitur & iners redditur.

Abolita vel diminuta fermentatio à potu copioso qui curetur.

XXXII. *Abolita*, *Diminutave Alimentorum Fermentatio* ab ingurgitatione *Potus copiosi* & imprimis *Aquei*, *Cerevisiæ* puta tenuioris, aut similis profecta *Curabitur*, *Minuendo* in dies Potus talis quantitatem, atque ipsius loco *usurpando parcè Vinum satis generosum* aliumve Potum satis potentem, atque Spiritu Volatili præstantem.

A fermenti defectu qui curetur.

XXXIII Ubi ob *Fermenti Defectum Diminuitur*, *vel Aboletur* dicta *Fermentatio*, idem unà cum *Saliva deficiente augendum*, parando & subinde exhibendo Misturam ex *Sale Volatili pauciore & Spiritu Acido dulci copiosiore* simul junctis.

Continua Sputatio noxia.

XXXIV. Sic à *continua Sputatione paulatim desuescendum*. Hæc enim malum morem ac consuetudinem consequitur plerumque. Quin bonum est *Linguam in Ore quietiorem* continere cùm ejus agitatione multa Copiosioris Salivæ effusio promoveatur.

Ut & nimia Potatio.

XXXV. Quin etiam *perpetuæ*, *præmaturave Delebre Opera*. *Potatione* abstinendum; Fieri enim nequit, ut Medicus Sanos præstet homines in Diæta continuò peccantes.

Fermentū iners qui emendetur.

XXXVI. *Fermentum Iners*, *tum Pinguius*, *tum Viscidius*, *tum Aquosius ob Salivam similem* redintegrabitur modò memorata Mistura, utpote singulis hisce Indicationibus satisfaciente. Quod citiùs obtinebitur, si abstineat præterea Æger ab *Alimentis* similibus, ac eorum loco usurpaverit, quæ sint boni, copiosique nutrimenti, & facilis Fermentationis; si fugiat *Aerem* Nubilosum, aut Æstuantem; si moderatum instituat *Corporis Animique* exercitium; si *Somno* fruatur mediocri.

Idem à rebus ipsum vitiantibus qui curetur.

XXXVII. Ubi à rebus *Fermentum Figentibus & Aciditatem ejus Concentrantibus*, vel *Alimenta* assumpta ad *fermentationem inepta* reddentibus, *Creta* puta *Cineribus*, *Calce*, *Coraliis*, &c. in *Pica* perperam usurpatis, Diminuitur vel Aboletur ista Fermentatio, *Acidis* utendum, & quidem *blandioribus* ac *temperatis*, perseverandumque aliquandiu in eorundem Usu, ac præsertim paulò ante Ciborum assumptionem: quin non rarò inter prandendum, cœnandunque convenient *Salia volatilia* mediocri quantitate ex Vino minùs generoso sumpta, cùm non tantùm Alimentorum Fermentationem promoveant, verùm Fixorum quoque, Fixatorumque natura sensim immutent ac emendent. Cavendum interim sedulò ab ulteriori *Nociorum* abusu.

Regula in praxi observanda.

XXXVIII. Dixi utendum *Acidis blandioribus ac Temperatis*; quæ Regula semper ac ubique observari debet in Medicina rite facienda, tum quoniam Temperati sunt omnes in corpora nostro secundùm naturam existentes Humores; tum quoniam à minùs temperatis continuò Effervescentiæ in nobis excitantur vehementiores, adeòque noxiæ: vix, enim accidet quin tunc Halitus eleventur simul Acres & mordicantes, à quibus nil boni, quin mali plurimum venit expectandum. Satius proindè lentiùs ac tutiùs procedere, quàm nimis festinando in noxæ alicujus periculum Ægrum conjicere.

Diminuta vel Abolita fermentatio à Bile pinguiore qui curetur

XXXIX. Quoties à *Bile Pinguiore* ad Ventriculum assurgente *Diminuitur vel aboletur Alimentorum Fermentatio*, toties eadem *corrigenda Spiritu Salis dulci*; vel, si quantitate simul peccare deprehendatur, *evacuanda* per *Cholagoga* blanda, vel *Vomitoria* levia, ex *Antimonio* præsertim parata, qualia attigimus jam in superioribus.

Ut & Aucta propter Fermentum nimis Acidū.

XL. *Aucta* propter *Fermentum nimis Acidum & Volatile Alimentorum Fermentatio Curabitur* exhibendo ea, quæ *Aciditatem* illam *infringant & blandè figant*, *Coralia*, *Margaritas*, *Oculos Cancri*, *Chalybis limaturam*, *Cretam* & similia.

Coraliorū, Magaritarum, &c. magisteria. notantur

XLI. Ubi notandum, decantata & mirè laudata ex *Coraliis*, *Margaritis* ac similibus per Tartari præsertim oleum parata quorundam *Magisteria* non respondere Auctorum suorum promissis, postquam præparatione tali fracta est, si non in totum abolita, eorum Acidum temperandi, figendi ac concentrandi Vis: Satiùs proinde iisdem in pollinem duntaxat redactis: quàm ita corruptis magis, quàm præparatis uti.

Aucta fermentatio propter Alimenta qui curetur.

XLII. *Aucta* propter *Alimenta faciliùs fermentabilia* continuò usurpata *eorundem Fermentatio Curabitur*, exhibendo *Alimenta magis crassa*, *viscida*, & *fermentationis difficilioris*, *Panem* puta ex farina & furfuribus paratum, nec priùs fermentatum; *Carnes bubulas* sale conditas, aut fumo insuper induratas, &c.

Plethora & Habitus Athletici curatio.

XLIII. Ora verò post perseverantem aliquandiu Alimentorum Fermentationem Auctam *Plethora*, hoc est *Sanguinis optimi Abundantia*, hancque consequens, *Habitus Corporis Athleticus Curatur* citò, tutòque per *Sanguinis missionem*, semel, aut sæpiùs pro re nata institutam: quæ si negligatur, aut diutiùs differatur, non rarò in præsens *Suffocationis* periculum conjiciuntur Ægri à quo priùs non liberantur, quàm educto per Venam sectam Sauguine Respiratio reddatur libe-

rior, sicque Mors aliàs instans avertatur.

Aucta ob Vitioso Humores fermentationis curatio.

XLIV. *Humorum Acidorum & Volutili Acrimonia preditorum*, vel à *Capite* sensim per gulam defluentium, vel ab *Intestinis* ad Ventriculum assurgentium vitio *Aucta Alimentorum Fermentatio Curabitur*, exhibendo per vices, sicut jam dictum, medicamenta omnem in corpore *Aciditatem* paulatim *Temperantia*, *Infringentia* & *blandè Figentia*; abstinendo à *Potu*, *Ciboque* Acidiore, Acidisve condito; studendo *Hilaritati*; vitando *Aerem* valdè serenum & acriorem.

Ut & Cruditatis Nidorosa.

XLV. *Cruditas Nidorosa Curabitur*, *emendando Bilem* per sępiùs laudatum *Spiritum Salis dulcem*, aliumve simili modo præparatum: vel, si copia simul peccaverit aucta, ipsam *educendo* aut per *Os & Vomitoria*, aut per *secessum & Purgantia Cholagoga* jam memorata.

Hac si à Bile, ea temperãda, vel evacuanda.

XLVI. Ubi notandum in principio usurpanda esse ista *Evacuantia dosi parva*, ne Bilis per se valdè fluxilis ac quodammodò turgens furorem concipiat & *Choleram Morbum*, *Diarrhœam* saltem producat gravem, ideòque periculosam.

Purgantia parva dosi exhibenda.

XLVII. Nisi enim constet Humores Pituitusos & Viscidos simul redũdare in corpore, *semper in Bilis Expurgatione tutius est minore dosi uti cholagogis*, & quidem ob *Superpurgationis* metum.

XLVIII. Adde quòd, licet nihil fortè evacuent purgantia minore dosi exhibita, eadem iterari queunt, & aliis post aliquot horas itidem quantitate parva denuò assumptis præcedentium operatio promoveri: quod idem, ubi nulla urget necessitas, sequenti tantùm die fieri potest, postquam *Purgantia medicamenta non tantùm Vitiosos Humores Evacuandi sed eosdem quoque Alterandi ac Emendandi, & ad eductionem commodam Præparandi vim habent*.

Præceptum Medicis junioribus observandum.

XLIX. Hoc autem Præceptum sedulò commendamus Medicis junioribus atque Tyronibus, quoniam sic agendo non tantùm nullam creabunt Ægris suis noxam, sed cuivis reddentur tali prudentia magis commendabiles: quod unicè faciendum à quovis lucrum honestum benè agendo quærente.

Bili adjuncta pituita alteranda & purgãda.

L. Ubi verò Bili Cruditatem Nidorosam gignenti conjuncta est *Pituita Viscida*, præter *Spiritum Salis Dulcem* ipsius alterationi ac incisioni conducentem Purgantia erunt adjungenda *Phlegmagoga*, & quidem utraque dosi aliquantò majore; quoniam *retardatur, impediturque à Pituita Viscidiore quorumvis Purgantium operatio*, quæ proindè quantitate ipsorum aucta promoveri debet.

& quomodo

LI. Possunt in hunc finem convenientissimè Pilurarum forma præscribi Purgantia, quippe quibus Gummi solvendæ, incidendæque Pituitæ Viscidæ præ aliis medicamentis omnibus aptissima, nec in liquore ullo facilè solubilia possunt facilè admisceri, atque una eademque opera Humores peccantes tum alterari, tum educi.

Pilula.

LII. Inserviet autem huic scopo Pilularum sequens; aut similis formula; quæ

℞. *Gumm. Ammon. vel Galbani &c.*
aceto præp. ʒ ſ.
Mastich. el. ℈ j.
Troch. Alband.
Resin. Scamm. an. Gran. xxv.
M. f. pil. N. xxv.
Inaurentur.

Earũ dosis

Accipiat Æger v. aut vij manè stomacho ieiuno, & super bibat post horam jusculum.

Cruditatis Acida curatio.

LIII. *Acida Cruditas Curabitur* exhibendo medicamenta sæpiùs jam memorata & *Acidum Spiritum Temperantia* vel *Concentrantia*: sedulò *cavendo à Purgantibus antequàm temperati fuerint Humores Acidi* & ad Seri naturam deducti, quos tunc demùm redundantes per Hydragoga educi nil obstat.

Serosos Humores quænam evacuent.

LIV. *Serosos* autem, *Acidosque Humores contemperatos educunt* inter alia multa *Mechoacannæ*, atque *Ialappæ* radix. *Sambuci ac Ebuli* partes pleræque, *Gummi Gotte*, *Elaterium*, &c.

Electuarium Hydragogum Authoris.

LV. Inter composita commendare ausim *Electuarium* ante aliquot annos itidem in Nosocomij Academici Usum à Me excogitatum, atque sæpissimè cum Ægrorum commodo usurpatum: Cujus Descriptionem in Juniorum gratiam hic addam.

Electuarium Hydragogum Sylvij.

℞. *Baccarum Iuniperi in aq. coctar. expressarum, & ad pulpæ consistentiam redactarum,*
Pulpæ Tamarind. an. ℥ iv.
Rad. Ialappæ, ℥ j ſ.
Scamon. elect. ℥ j.
Cinnamom. acuti,
Sem. fœnic. dulcis, an. ʒ ij.
Sacchari Clarific. ℥ x.
M. f. s. a. Electuarium.

Ejus dosis Vires. Usus.

Hujusquoque Dosis est in adultis à ʒiij. ad ℥ ſ. Blandum, efficax, nec ingratum existit medicamentum. Potest Aqua conveniente, Petroselini, Fœniculi, aliave dissolvi, & Potionis forma exhiberi, aut per se assumi deglutiri.

Fermẽtum Iners & Humores pituitosi qui corrigantur Vinum medicatum.

LVI. Ad *Fermentum iners Corrigendum*, & *Humores Pituitosos Viscidos simul Emendandos Vinum medicatum* præparari ac usurpari poterit forma sequenti.

℞. *Rad. enul. camp.*
galangæ, an. ʒ ij.
Fol. menthæ crispæ,
calaminth. mont. an. M. ſ.
Sem. anisi,
Cinnamom. acut. an. ʒ ij.
Nucis Moscat. ʒ j.

Concisa & crassè contusa includantur Sacculo, cui in vase Vitreo, Lapideo; aliove solido affundatur
Vini albi Gallici, vel
Rhenani (prout hoc vel illud meliùs ferre potest Æger)
q. l. exempli gratia, Lib. iij.

Ejus Usus.

Stet per horas xij. vel plures in loco frigido, ut vis plantarum Aromatica insinuetur Vino: Cujus tam in Prandio, quam in Cœna bibat Æger haustum, addendo in quovis haustu vel
Spir. Salis Dulcis, Gutt. x.
vel *Elixiris propr.* Gutt. v.

Ubi benè consumptum est Vinum, aliud affundi potest, donec desinat fieri Aromaticum.

Vinum Absinthites.

Si cui *Absinthites* magis placet, addi poterit *Summ. Absinth. M. ſ.* & uti dictum, usurpari.

CAPUT VIII.

De Alimentorum Expulsione ad Intestina Læsa.

Assumpta à Ventriculo ad Intestina protrudi. Et qua ratione.

I. ASsumpta Ore Alimenta, eademque sufficienti tempore in Ventriculo retenta fermentataque *Paulatim per Pylorum*, hoc est, inferius Ventriculi Orificium *deorsum Protrudi solent ad Intestina*.

II. In hunc finem per fibras suas circulares Ventriculus sese contrahendo cavitatem suam coarctare solet, atque contenta deorsum expellere.

Expulsio hoc quot modis lædatur.

III. Hæc Alimentorum Expulsio præter Naturam vel *Aboletur*, *Diminuitur* saltem ac *lentiùs segniùsque* fit; vel *Præcipitatur & citiùs*, quam decebat, perficitur; vel *via præpostera* ac inconvenienti absolvitur.

Abolita vel Diminuta quanam.

IV. *Abolita*, vel potiùs *Diminuta* duntaxat censenda ista Expulsio, quando lentiùs procedit ipsa & imperfectè: unde bona Alimentorum pars diutiùs restitat in Ventriculo, ipsumque Gravitatis Sensu premit.

Abolita cũ vita diu esse nequit.

V. Non puto enim *aboleri* posse hanc Expulsionem, quin brevi pereat Æger; postquam non semel à Me, aliisque accuratis Naturæ Operum Scrutatoribus observati sunt hic *Partium* Cavitatem formantium & contenta quædam deferentium *Motus Contractionis*, *Naturales* mihi vocati, ad plures horas Externo Sensui notabiles, adeò

Motus Contractionis

que

Post mortem superstes. que superstites, Abolito licet atq; in totum cessante omni Musculorum *Motu*, *Animali & Voluntario* dicto, quinimò jam mortuo Bruto vel Homine.

Expulsio præcipitata qua. VI. *Citiùs* quàm decebat, perficitur, Præcipitaturque eadem Alimentorum *Expulsio* è Ventriculo, si mox vel paulò post ipsorum assumptionem eorundem inchoetur, absolvaturque Expulsio, vel saltem in Ventriculo non retineantur, quandiu decebat, & ut debitè, sufficienterque alterentur ac fermententur, requirebatur.

Depravata qua. VII. *Præpostera via* tentatur & absolvitur adeòque *Depravatur* illa *Expulsio*, quando non deorsum ad Intestina per Pylorum, sed sursùm ad Os per Gulam expelluntur iterum è Ventriculo Alimenta. & *Vomitus* excitatur.

Abolita vel diminuta causa: 1. Alimentorū vitium. VIII. *Aboletur*, vel potiùs *Diminuitur* Alimentorum *Expulsio e Ventriculo*, tum ipsorum *Alimentorum*, tum *Ventriculi* culpa.

IX. *Alimentorum* vitio id accidit confestim, quoties *copia nimia* fuere ingesta, unde ad immensum explicatus Ventriculus segniùs, difficiliùsque ad sui complicationem cedit, atque interim molestum Ponderis & Gravitatis Sensum patitur.

2. Ventriculi Vitium. Et hoc modo. X. *Ventriculi* culpa lentè ac perseveranter accidit hæc *Diminuta Expulsio*, quando *ventriculus* vel *flaccidus* est factus secundùm *membranosam suam substantiam*, ex nimio ac diuturno *Aquosorum*, *Aquæ* puræ, atque imprimis algidæ, *Cerevisiæ*, *Apozematum* valdè humectantium, refrigerantiumque, &c. usu; vel *imbecillis* est redditus secundùm suas *fibras*, ob *potum valde frigidum*, aut *medicamenta stupefacientia*, & *spiritibus animalibus aditum* ad Ventriculum *præcludentia*, vel *ipsos* ibidem *inspissantia*, *coagulantiave*, vel aliàs *inertes*, *ac inutiles præstantia*.

Expulsionis præcipitata causa irritatio. XI. *Citiùs*, quàm decebat, contingit *Alimentorum Expulsio e Ventriculo* propter *Irritationem*, nunc *Ventriculi* Ipsius, nunc *Alimentorum*, nunc aliorum *Humorum* ad Ventriculum delatorum culpa ortam.

1. A Ventriculo. XII. Accidit hæc *Irritatio Ventriculi culpa*, quando is vel *Inflammatus*, vel *Excoriatus*, vel *Exulceratus* existit, unde à quovis Alimento, licèt maximè temperato & blando atque quantitate mediocri, vel parva usurpato irritatur mox ad sui contractionem, contentorumque suorum expulsionem.

2. Ab Alimentis. XIII. Accidit hæc eadem *Irritatio Alimentorum vitio*, quando ipsa vel *acria* sunt; vel *acribus* saltem *condita*.

3. Ab Humoribus. XIV. Evenit denique ista *Irritatio* Ventriculi *aliorum Humorum culpa*, quando vel à *Capite delabuntur* & degluriuntur, vel *ab Intestinis assurgunt* Fermentatione Alimentorum etiam durante *Humores*, *Halitus* saltem *acres* ad Ventriculum, eundemque acrimonia sua mordent, incitantque ad sui complicationem, atque contentorum Alimentorum Expulsionem aut sursùm, aut deorsùm.

XV. *De Vomitu*, sive *Depravata* Contentorum in Ventriculo *Expulsione* sursùm per Os facta, cùm plura circa Ipsum occurrant consideranda, sequenti agemus capite.

Abolita vel Diminuta Expulsio curantur. 1. Eam promovendo. XVI. *Curabitur Abolita, Diminutave* Alimentorum *Expulsio* ad Intestina, 1. *Promovendo ipsorum* in Ventriculo existentium *protrusionem ac descensum*, usurpando aliquoties & cochleatim Oleum Amygdalarum dulcium vel Olivarum; cujus ope tum Alimenta reddentur magis fluida; tum Pylorus faciliùs, ampliùsque explicabitur ad exitum ipsis præbendum.

2. Vomitum excitando. XVII. 2. Si Ventriculum valdè gravent, augantque, Vires autem malè sic affecto satis consterat, *excitando* quandoque *Vomitum*, immisso in fauces digito, pennave oleo madida, & comprimendo simul abdomen quò faciliùs refundantur, & sursum propellantur assumpta, *Liquidiora* præsertim ac *Potulenta*: *Esculentorum* siquidem, cùm sola difficiliùs Vomitu excerni possint, *Solutionem ac Fermentationem* satiùs erit 3. *Spirituosis & Sale Volatili abundantibus*, sive *Aromaticis festinare*, quò postmodum pro re nata deorsùm, vel etiam sursum propellantur.

3. Spirituosa & Aromatica assumendo.

XVIII. 4. *Cavendo* sedulò ab ulteriori *multorum Alimentorum ingurgitatione*. *4. Ab Alimentorum ingurgitatione cavendo.*

XIX. 5. *Roborando Ventriculum Flaccidum Aromaticis* cum Vino generoso, ejusve Spiritu mixtis. *5. Ventriculum roborando.*

XX. 6. *Abstinendo à multùm Aquis*, actu *frigidis vel algentibus*; & horum loco usurpando *Spirituosum & paucum potum*, Vinum Hispanicum puta, Canariense, aliudve potens. *6. Ab Aquis abstinendo.*

XXI. 7. *Restaurando Spiritus Animales inertes aut stupefactos* per Vinum Medicatum, ejusve Spiritum Plantis aromaticis imbutum, sæpiùs, & quantitate parva usurpandum. *7. Spiritus animales restaurādo.*

XXII. *Ventriculi Inflammationis*, *Excoriationis*, *&c. Cura* liquebit ex affectuum istorum Tractatione generali postmodùm tradenda.

XXIII. *Alimenta nimis acria* vitanda, aut temperanda sunt saltem; atque ipsorum loco suavibus & blandis utendum. *Alimenta acria vitāda aut temperanda.*

XXIV. *Humorum acrium Cura* ex parte data est in superioribus. & patebit ampliùs ex sequentibus.

CAPUT IX.

De Nausea, Eructatione, ac Vomitu.

I. IN perfecta Sanitate, statuque naturali è Ventriculo nil planè sursùm per Oesophagum propelli solet; adeò ut, quicquid hac via assurgit, Labefactatæ Valetudinis certum præbeat indicium, sive ipsa *Alimenta*, sive alia quædam *Halitus*, *Flatus*, *Vaporis*, aut *Liquoris* fluidioris, crassiorisve forma ascendant & per Os expellantur. *Si quid per OEsophagū ascendit, signum est morbi.*

II. Ubi *Flatus*, *Halitusve Sonori* specie quid sursùm erumpit, *Ructus* id propriè dicitur, & illa Excretio, *Ructatio*; quemadmodum, ubi *Alimenta* vel *Humores* quivis sursùm è Ventriculo propellunt, *Vomitus*. *Ructus, Ructatio & Vomitus: quid.*

III. Vomitum semper, Ructationem subinde præcedere solet *Nausea*, sive propensio major vel minor ad Vomitum, licèt irritus sit nonnunquam ille vomendi conatus. *Nausea quid.*

IV. *Flatus* quidem propter materiæ suæ visciditatem adhærent magis Ventriculo, & difficiliùs excluduntur, unde sæpenumerò comitatur ipsos *Ventriculi inflatio* & distensio molesta; quæ cessat, levaturve eructatis Flatibus. *Halitus* verò & *Vapores* faciliùs erumpunt è Ventriculo, nec nisi raro *sonitum* edunt notabilem, ast *sibilum* duntaxat, dum sæpè satis sonori existunt *Ructus*, sonumque pro materiæ suæ visciditate majore vel minore efficiunt magis vel minùs fortem. *Flatus difficiliùs. Halitus faciliùs excluduntur, & cum sonitu.*

V. Habent autem *Ructus* ortum, vel 1. ex ipsis *Alimentis*, aliisve assumptis flatulentis, *Castaneis* puta, *Pisis*, *Fabis*, *Rapis*, *Raphanis*, &c. vel 2. ex *Humore Pituitoso, & Viscido*, tum in Ventriculo hærente & ab assumptis *Aromaticis* in flatus rarefacto; tum in tenui Intestino reperto & à *Bile* itidem in flatus diducto & ad Ventriculum propulso. *Ructuum causæ.*

VI. *Bilem*, utpote sale volatili & oleoso constantem, *internam* esse *Flatuum efficientem Causam* confirmat tum omne Sal Volatile, ac præsertim Oleosum, tum omnis Plantarum pars discutiendis flatibus apta, Semen imprimis, à quovis Pituitam viscidam in Ventriculo aut Intestinis habente usurpatum, & in principio quidem flatus excitans vel augens, tandem autem iterum dissipans. *Bilis flatuū causa efficiens.*

VII. Eorundem *Flatuum Materialem Causam* esse *Humorem Pituitosum* & quidem *Viscidum* patet tum ex *Causis* Ipsorum *Antecedentibus*, *Alimentis* consimilibus, *Lacte*, *Mele*, *Piscibus*, ac præsertim *marinis*, *Animalium extremis*, *pedibus* puta, gelatinam viscidam continentibus; &c. tum ex ipsa eorum *Cura*, per solam pituitosi & viscidi humoris correctionem ac eductionem tutò, fœliciterque absolvi solita. *Humor Pituitosus Viscidus materia.*

VIII. Quemadmodum in Ructu Flatus tantùm, ita in *Vomitu* vel *Alimenta*; eaque nunc *cruda*, nunc *magis*, aut *minùs fermentata*; vel *Humores* multifarii, *Aquosi*, *Serosi*, *Pituitosi*, *Bi-* *Quænam & qualia per Vomitum excludātur.*

tiosi, *Atrabilarij*, &c. *Tenues*, *Crassive*, *Albi*, *Flavi*, *Virides*, *Cærulei Atri*, &c. *Insipidi*, *Amari*, *Acidi*, *Acerbi*, *Dulces*, quandoque *misti*; *Fœtentes*, aut *Inodori*; *Acres*, *blandive*: Aliquando *Sanguis*, vel etiam *Pus*: Quin & quandoque *Alvi fæces* ad Ventriculum remeantes per gulam & Os nunc faciliùs, nunc difficiliùs effunduntur.

Vomitus unde.

IX. Sequitur autem *Vomitus* omnis *Ventriculum* aut *primariò*, aut *secundariò affectum*, cum *inverso* ejusdem *Motu peristaltico à parte inferiore sursum*.

Primariò. *Secundariò.*

X. *Primariò* est affectus *Ventriculus*, quando in ipso tantum existit Vomitionis & inversi ejusdem Motus peristaltici Causa; uti *Secundariò*, quando ab aliis partibus priùs affectis trahitur in *Consensum* Ventriculus, irritaturque ad Motus sui peristaltici inversionem; sive hoc fiat *inverso* itidem aut in *totum*, aut *ex parte* saltem *motu Intestinorum peristaltico*; sive hoc accidat *agitato vehementer ac sursum in Tussi gravi* unà cum *Abdominis Musculis Diaphragmate*.

Primariò Ventriculū affici 1. ab Inflammatione, Excoriatione aut Exulceratione 2. Ab alimentis copia vel qualitate peccantibus. 3. Ab Humoribus Acribus.

XI. Afficitur ad Vomendum *primariò Ventriculus*, 1. quando *Inflammatus*, *Excoriatus* aut *Exulceratus* est; tunc enim à quovis Alimento excitatur facilè ad quamvis suam Contractionem violentam, ipsamque adeò Motus sui inversionem. 2. quando *Alimenta assumuntur copia*, & imprimis *qualitate* sua Ventriculo *gravia* & *molestia*, ideòque ipsum ad præternaturalem sui contractionem, contentorumque adeò exclusionem urgentia. 3. quando *Humores acres à Capite* in Ventriculum delabuntur, ipsumque *circa orificium inferius rodendo & mordicando* ad perversam sui contractionem, vomitumque incitant & tantùm non cogunt.

Ab inverso in totum Motu peristaltico fit Vomitus in Ileo.

XII. *Ab inverso in totum Motu Intestinorum peristaltico* in consensum trahitur & ad *Vomitum* adigitur Ventriculus in *Ileo* dicto Affectu gravissimo, in quo aliquando etiam injecta Enemata iterum per Os excluduntur.

Ab eodem ex parte tantum in Cholera, &c.

XIII. Ab eodem *Motu ex parte tantùm inverso* excitatur Vomitus frequenter tum in *Cholera* dicto *Morbo*; tum in quavis alia *vitiosa Humorum in tenui Intestino Effervescentium propulsione sursum*; tum in *impeditum Fæcum alvinarum descensu*, huncque consequente earundem *regressu & ascensu*.

Vomitus in Vehementi Tussi.

XIV. In *vehementi Tussi*, *validaque Diaphragmatis conquassatione*, accedente *potenti Musculorum Abdominis contractione Vomitum* sæpius contingere notissimum; quod putamus fieri propter conjunctam tunc *Viscerum* omnium *in Abdomine contentorum compressionem sursum thoracem versus factam*, & ipsum *Ventriculum cum contentis* maximè *angentem*, atque ad Motus naturalis inversionem urgentem.

XV. *Ventriculi Inflammationis*, *Excoriationis*, *Exulcerationisque Generatio* & *Curatio* petenda ex Generali Affectionum illarum Tractatione suo loco tradenda.

Vomitus ab Assumptis qui curatur.

XVI. *Vomitus ab Assumptis* excitatus illorum exclusione facta sedatur plerumque *sponte*; usurpatis saltem paucis tum *Aromaticis*, tum *Opiatis* compescitur, & sic *Curatur*. Ex. gr.

Mistura.

℞. *Aq. menthæ*, ℥ ij.
Tinct. Cinnamom. ʒ ß.
Laud. Opiat. Gran. ij.
Syr. Menthæ, ℥ ß.
M.

Ejus Usus.

Accipiat per intervalla brevia Cochleare j. Æger, ac brevi cessabit Vomitus.

Humores acres purgandi & alterandi.

XVII. *Humores acres à Capite in Ventriculum delapsi*, inde *removendi purgantibus* sæpiùs memoratis: *corrigendive alterantibus* & acrimoniam noxiam temperantibus.

XVIII. Iidem *in Capite subsistentes*, aut ibidem *contemperandi*, aut *per nares*, aliasve *vias convenientissimas* etiam *Universales expurgandi* medicamentis non semel nominatis.

XIX. De cæteris *Affectibus Ventriculum in Consensum trahentibus* agetur inferiùs.

XX. *Vomitus Cruentus* à *Sanguine* ex Ventriculi, Intestinorumve Vasis ruptis, erosisve effluente ortus *curabitur*; conglutinatis denuò Vasis per *Misturam* sequentem, in aliis quoque *Sanguinis excretionibus* utilem. — *Vomitus Sanguinis curatio.*

Mistura.

℞. *Aq. plantag.* ℥ ij.
Cinnamomi, ʒ vj.
Aceti stillatitij, ℥ ß.
Coral. rub. præp. ʒ ß.
Sanguinis Draconis, ℈ ß.
Laud. Opiat. Gran. ij.
Syr. Myrtini, ℥ j.
M.

Ejus Usus. *Vires.*

Hæc *Mistura* cochleatim sæpiùs assumpta curabit plerasque vasorum rupturas, & supra multorum expectationem Sanguinis effluxum brevi tollet.

XXI. *Collectus* autem in *Ventriculo Sanguis* sponte ferè, suppresso ejus effluxu & vomitu deponitur per alvum. Quòd si metus sit à coagulato nimiùm Sanguine, addi poterit prædictæ *Misturæ Oculorum Cancri*, ʒ ß. ut & *Antimonii Diaphor.* ℈ j. atque uti dictum usurpari.

Puris Vomitus curatio.

XXII. *Puris Vomitus* cùm sequatur ferè *Inflammationem Pancreatis*, alteriusve Partis vicinæ, aut *Ulcus* saltem notabile undecunque ortum, *Curabitur* in totum curato priùs Affectu primario, quod ex sequentibus petendum; atque interim *Mistura*, quæ tum *Antimonium Diaphoreticum*, tum *Oculos Cancri* continebit, utendum sæpiùs; quin commodum erit subinde *Balsami Sulphuris Anisati Guttam unam* ex quovis Liquore assumere, tum ad *Pus temperandum*, tum ad *Partem primariò affectam* contra noxam ulteriorem muniendam, imò *sanandam*.

Flatuum curatio.

XXIII. *Flatuum Generatio ac Eructatio Curabitur*, 1. *vitando Alimenta pituitosa & flatulenta* dicta 2. *Incidendo* ac posteà *Educendo Pituitam viscidam* in corpore existentem. 3. *Temperando Bilem*, si fuerit *Acrior*. 4. *Discutiendo Flatus* jam genitos & molestos.

Pituitam incidentia.

XXIV. *Incidunt Pituitam Viscidam* tum *Acida*, tum *Aromatica* omnia & *Sale Volatili* prædita, sæpiùs memorata.

XXV. Eandem *Educunt Phlegmagoga* hinc inde in hoc Opusculo descripta.

Bilem temperare Spiritum Nitri.

XXVI. *Bilem Acriorem* in hoc casu præ aliis omnibus *temperat* optimè *Spiritus Salis Nitri*, ad duas tresve Guttas, ex mistura conveniente, potuve ordinario assumptus.

Flatum Discutientia. *Spiritus Nitri Vires.*

XXVII. *Flatus Discutiunt Aromatica* pleraque, ex quibus *Olea* possunt distillari, *Semina* præsertim, *Flores* ac *Cortices*: Palmam interim cunctis præripit *Spiritus Nitri*, omnibus modis utilis, dum & *Pituitam*, & *Bilem* corrigit, *Flatusque* in sui generatione impedit, & genitos dissipat.

Flatus discutiens, & compescens Mistura.

XXVIII. Ad Flatus verò tam in Ventriculo, quàm Intestinis hærentes, molestosque compescendos, discutiendosque conducet *Mistura* sequens exemplaris loco Tyronibus servitura.

℞. *Aq. Menthæ*,
Fœniculi, *an.* ℥ ij.
Spir. Vini rectificati, vel
Aquæ vitæ Matthioli, vel
Spiritus Carminat. nostri, ℥ j
Spir. Nitri opt. Gutt. xx.
Laud. Opiat. Gran. iij.
Ol. Macis stillat Gutt. vj.
Syr. Menthæ, ℥ jß.
M.

Ejus Usus.

Hæc Mistura cochleatim sæpiùs, rariùsve; prout Dolores ac Tensiones magis, vel minùs urgebunt, assumatur.

Spiritus Carminativus Authoris.

XXIX. Quoniam *Spiritus Carminativi nostri* mentionem hic fecimus, ejusdem Descriptionem Junioribus Medicis haud inviti communicabimus, postquam ipsius Vires summas cum magno Ægrorum nostrorum commodo multis jam annis sæpiùs sumus experti.

Spiritus Carminativus Sylvii.

℞. *Rad. Angelicæ*, ℥ j.

Impernitoriæ,
Galangæ, *an.* ℥ iss.
Fol. Rosmarin.
Maioranæ,
Rutæ hortens.
Basiliconis,
Summ. Centaur. min. an M. ß.
Baccar Lauri, ℥ iij.
Sem. Angelicæ.
Levistici,
Anisi, *an.* ℥ ß.
Zinziberis,
Nucis Moschat.
Maceris, *an.* ℥ iss.
Cinamom. ℥ vj.
Garyophyllor.
Cort. Arantior. an. ℥ j.
Concisis & crassè contusis affunde Spiritûs Vini Malvatici, vel
Hispanici, *unc.* xl.

Ejus præparatio. Digerantur per biduum in M. B. Hinc ad siccitatem distilentur, Quicquid ascenderit Magnati iterum affundatur, per biduum digeratur, mox tres partes quartæ distillentur.

Servetur Spiritus distilatus ad Usum.

XXX. Qui volet affundat residuo *Spiritus Vini vulgaris*, sed *rectificati unc.* xx. atque post bidui digestionem iterum distillet, quandiu prodibit satis potens Spiritus, qui seorsim servetur, tanquam impecillior priore, magnarum tamen ad discutiendos flatus virium, si, quemadmodum hic factum convenientibus Mixturis jungatur, aut addito Saccharo in Aqua Rosacea vel Fœnuculi dissoluto adulcoretur ad gratiam, usurpeturque purior & potentior. *Vires. Usus.*

CAPUT X.

De Chyli à Fecibus alvinis Secretione læsa.

Partes Alimentorum utiles ab inutilibus secerni, hasque excerni. I. QUemadmodum quævis Alimenta Fermentatione in Ventriculo perfici solita non indigent, Potus nempe aut Aquei, aut Spirituosi, aut priùs satis fermentati; sed *viscida* præsertim, partesque arctiùs connexas habentia, qualia sunt *Cibi* plerique, solidiores imprimis, & inter ipsos Panis quoque parùm vel nihil fermentatus; ita eorundem *Alimentorum Partes nutriendo corpori utiles nunc sponte, faciliùs: saltem, nunc difficiliùs, nec nisi alterius beneficio Secedunt à cæteris* benè multis, ex Cibis maximam partem oriundis, *quæ* tanquam corpori reficiendo *inutiles* post aliquam in crassis Intestinis moram *Excernuntur iterum per alvum*.

Alimentis fermentatis admisceri Bile, Succū Pancreaticum, & Salivam. II. Alimentis ergò in Ventriculo Fermentatis, mox ad intestina propulsis admiscentur ibidem quatuor utplurimum transversis sub Pyloro digitis & *Bilis*, & *Succus Pancreaticus*, & *Saliva* quoque continuò deglutita, exiguamque in Ventriculo sano, Alimentisque vacuo moram nectens, quin confestim ad Intestina properans, & unà cum prænominatis Humoribus, si terminis *Helmontianis* impunè uti liceat, *Triumviratum* in Humani corporis Oeconomia valdè notabilem instituentes. *Humorum Triumviratus.*

Partis liquidioris Secessus à crassiore. III. His antem tribus ritè constitutis observatur admistionem istam consequi *Partis Liquidioris* & albicantis *Secessus* à *Parte Crassiore*, & pro Alimentorum, Medicamentorumve simul usurpatorum diversitate diversum colorem, consistentiamque nanscicente.

Illa pergit ad Cor. IV. *Pars tenuior, fluidior & albicans*, nobis per excellentiam *Chyli* nomine insignita, per Intestinorum Crustam Spongiosam, hinc & Lacteas Venas, Ductumque Thoracium pergit ad Cor, ut Sanguinis formam subeat; dum *crassior*, *tenacior & diversicolor Alimentorum pars* detruditur ad Intestina Crassiora, in quibus *Alvinarum Fæcum* nomen, formamque sortitur. *Hæc ad Intestina Crassiora.*

Bilis vis in hac secretione. V. *Bili* verò in *Secessu* illo promovendo *pri-*
Delebœ Opera.

mas tribuimus, quatenus *Sale suo Volatili & Oleoso* blandè *incidit* partes Alimentorum *Viscidiores*, *liberatque* ab ipsis *Fluidiores* quin has facit *magis fluidas*, imò *fluentes*.

VI. *Salivæ* autem adscribimus, quòd magis, magisque Alimentorum Fermentationem promovendo, eorundemque Viscidìtatem minuendo ad Secessum desideratum singulas reddat aptiores. *Vis Salivæ.*

VII. Denique *Pancreaticum Succum* existimamus *Spirituoso Sub-acido* eandem Alimentorum *Visciditatem pertinaciorem* potentiùs *solvere*, atque simul partes ipsorum *maximè Viscidas cogendo Fluidioribus unà confluend*, imox & *perfluendi* occasionem præbere. *Nec non Succi Pancreatici.*

VIII. Requiruntur autem ad beneficium tantum humano Alimento præstandum *Liquores hi cerni*, sun & quidem convenienti huic operi modo gradunque *Temperatis*. *Horum requisita temperatio.*

IX. Primariam quidem *Bilem* constituens pars censetur mihi *Sal Lixivus*, tam per *Volatilem Spiritum*, quàm per *Oleum Temperatus*. *Primaria pars in Bile.*

X. *Succum* verò *Pancreaticum* constituens Pars primaria videtur mihi *Acidus Spiritus Spiritu Volatili* præsertim *Temperatus*. *In Succo Pancreatico.*

XI. *Salivæ* pars potissima licet *Aqua* meritò statuatur, non est tamen illa, quæ Chyli Seccessum maximè promovet, ast *Contemperatus* in ipsa per *Spiritum Volatilem* tum *Spiritus Acidus*, tum *Sal Lixivus*. *In Saliva.*

XII. Quamvis enim plura in Singulorum præfatorum Liquorum constitutione concurrere putem, potissimas tamen in præsenti Secessu absolvendo partes judicio modò memoratas. *Partes illo hic spectando.*

XIII. Quoties proinde *Humorum* horum *trium Unus: vel Duo, vel Omnes male sunt Constituti*, toties: *Vitiosa* contingit *Chyli à Fæcibus Alvinis Secretio* quæ itidem *Alimentorum perperam Fermentatorum vitium* consequi potest. *Vitiosa secretio unde.*

XIV. Observatur verò dicta *Secretio* lædi. 1. quando *Nulla* fit & Alimenta fermentata licèt, & ad pultis consistentiam, formamque deducta Propelluntur sensim per alvum albentia, nec ulla Bilis flavedine tincta, concurrente tunc brevi Universi Corporis Tabe, Viriumque omnium postratione notabili, & quidem in *Cœliaci* vulgò dicti *Affectus* priori specie, quam distinctionis causa *ictericum Alvi Fluxum* nominari posse Lib. hujus Cap. 13. dicemus. *Quotuplex. 1. Abolita.*

XV. Læditur eadem *Secretio* 2. quando *parcior* fit & *Diminuta*, gradu tantùm à modò memorata specie differens: in qua Fæces Alvinæ pultis consistentiam quidem servant, plùs minùs tamen tinctæ prodeunt, accedente tardiùs Corporis Contabescentia, Viriumque Languore. *2. Diminuta.*

XVI. Læditur eadem *Secretio* 3. quando *inutilia quoque ac ideò noxia ex parte Alimentorum fæculenta secretia* una cum Chylo pergunt ad Sanguinem: quam speciem si quis *Auctam*, *Depravatamve* vocaverit, parum interesse puto, dummodò ita de ipsa re constet, ut exinde Cura conveniens institui queat. *3. Depravata.*

XVII. *Abolitur Chyli* à Fæcibus alvinis *Secretio* vel ipsorum *Alimentorum* Assumentis constitutioni, peculiari incongruentium aliàsve *vitiosè Fermentatorum*, vel laudatorum Humorum *Bilis*, *Succive Pancreatici*, aut *Salivæ* culpa. *Abolitæ causæ.*

XVIII. *Incongruentia* vel potenter fastidita *Alimenta*, uti *non fermentabuntur* facilè, ita *nec in partes utiles ac inutiles se postea secerni* patientur. *Alimenta incongruentia*

XIX. *Alimenta* etiam *optima*, & unicuique aliâ convenientia & gratissima, si quacunque alia de causa *permanserint cruda*, nec proinde ad suarum partium Secessum Fermentatione debita præparata fuerint, *frustrè expectabitur Chyli Secretio à Fæcibus alvinis*. *Cruda.*

XX. Ex *Alimentis debitè fermentatis*, quamvis *Partes maximè Volatiles ac Spirituosæ*, una cum *Aquis sponte forsan Secedant* à cæteris, possintque transcolari in Lacteas Venas, *Oleosæ* tamen, *Salinæ*, *Acidæ*; *Terreæ*, aliæque corpori *alendo itidem utiles ac necessariæ* ulteriore indigent ac nova præ- *Eorum partes quasdam uti his preparatione ulteriore indigere ad secretionē.*

paratione, antequam *Viscidioribus*, *Austerioribus*, aliisque ad corpus benè nutriendum *minùs aptis* valedicere possint.

Sal Bilis volatilis iners. Ejusdé defectus, Causa Icteri. XXI. Hanc *Secretionem frustrà desiderabis*, quoties aut *iners* fuerit *Sal Bilis Volatile*, aut ipsa *non defertur ad Intestina Bilis*; quorum alterutrum locum habet in *Morbo Regio*, sive *Ictero*, in quo idcircò albicantia, nec tincta prodire solent Alvi Excrementa.

Hoc Sal ùde fiat iners. XXII. *Iners* fit *Sal Bilis Volatile*, ob assumpta diutiùs & copiosiùs *Alimenta* multùm *Viscida* vel simul *Pinguia*, quin & quandoque *Spirituosa*, ipsumque adeò Vini Spiritum; cujus abusum non infrequenter excipit æquè Morbus regius, quàm Ascites Hydrops. Quod citiùs & potentiùs fiet, si *Medicamenta*, vel potiùs *Venena* Volatilem Bilis Salem infringentia fuerint introsumpta, vel forinsecùs admissa.

Bilis defectus unde. XXIII. *Non defertur ad Intestina Bilis*, propter *Obstructum* vel à *Bile in Calculos*, *crustamve calculosam concrescente*, vel à *Pituita Viscida Ductum Bilarium Intestinalem*.

Pituita ductû bilariû obstruens unde. XXIV. *Pituita* ista *Viscida* vel Ipsi potuit esse *Bili admista*, & Ductui sensim magis magisque adhærens tandem ipsum in totum Obstruere; vel unà *cum Succo Pancreatico delata in utriusque Ductus* Bilarii & Pancreatici *concursu* concrescere, atque Bili præsertim, ad ipsam nempè incidendam minùs potenti, exitum præcludere; vel *in tenui Intestino existens*, idem *Orificium opplere*, atque Bilis saltem exitum negare.

Quomodo à Succo Pancreatico vel Saliva vitiatis ladatur hæc Secretio. XXV. Nunquam Ego à *Solo Succo Pancreatico*, vel *Saliva vitiatis Aboleri* posse puto hanc Chyli Secretionem: quamvis eorundem *Viscididate* ac *Inertia* promoveri posse judicem illum Defectum, atque *Diminui* aliquando illam *Secretionem*.

Inertia Succi Pancreatici & Salivæ unde. XXVI. *Visciditas* verò ac *inertia Succi Pancreatici*, ut & *Salivæ* expectanda est à nimio & protracto Usu *Alimentorum Viscidiorum* ac Imprimis *Marinorum Piscium*, Ipsiusque *Panis* non satis pisti, vel fermentati, vel cocti, rerumque aliarum valdè *Pinguium*, &c.

Diminuta Secretionis causa. XXVII. *Diminutæ* quoque Partium Alimenti Utilium ab Inutilibus *Secretionis Causa* frequentior est ipsa *Bilis parcior* vel *Inertior* ad tenue Intestinum descendens, ob Causas modò memoratas, sed leviores.

Depravata auctæva causa. 1. Alimenta convenientia. XXVIII. *Secretionis* verò *Depravatæ*, *Auctæve Causas* qui prædictis contrarias dixerit, non facilè falletur. Nam 1. *Alimenta* uniuscujusque Constitutioni *maximè convenientia*, & avidiùs expetita præ aliis faciliùs, citiùsque, imò ampliùs fermentabuntur, ac proinde *solito plus de suo* tribuent Chylo.

Succi laudabilis Vnde Plethora & Habitus Athleticus. XXIX. Eadem interim si fuerint *Succi planè laudabilis*, vix aliquam corpori afferent noxam, nisi metuatur inde forsan *Plethora* & *Habitus Athleticus*.

Succi minùs laudabilis Vnde Cachexia, & Tabes. XXX. *Eadem*, si fuerint *Succi minus laudabilis*, facilè *Cachexiam* inducent, nec tum convenienter nutrietur *Corpus Continens*, aut reficientur Vires, quas in *Contentis* maximam partem consistere putamus. Hinc fieri existimamus, quòd aliquando reperiantur nonnulli, qui & appetunt, & digerunt Alimenta multa, minùsque laudabilia, interim sensim Contabescunt & Deficiunt aut Cachectici fiunt.

2. Alimenta modo medio se habentia &c. XXXI. 2. *Alimenta modo medio se habentia*, hoc est, non minùs excrementitias, quàm nutritias partes continentia & aut *minori quantitate*, *parciùsve* assumpta, aut *Condimenti*, *Medicamentive*, *alicuius* simul usurpati ope potentiùs fermentata tum faciliùs; tum copiosiùs proment partes suas Liquidas, etiam Excrementitias, unà cum Chylo Cor versùs transcolandas, transferendasque; hinc & Nutritioni quovis modo vitiandæ occasionem daturas.

3. Bilis acrior. XXXII. 3. *Bilis naturali acrior* plus solvet ac eliciet ex Alimentis probè licet fermentatis, quàm decebat; unde Chylum quoque minùs laudabilem futurum quis non videt?

4. Saliva, & Succus Pancreaticus, Spiritu Volatili Abundantes. XXXIII. 4. *Salivam*, sive ex ipsa ortam *Pituitam* & *Succum* ve *Pancreaticum* eatenus hoc malum producere posse putem, quatenus Spiritu Volatili abundantes Alimenta in Ventriculo abundè fermentata ulteriùs, adeòque minùs fermentant, dum per Intestina, feruntur, atque sic ad inutiles quoque ac noxias partes unà cum laudabili Chylo secernendas, & in lacteas deducendas ansam præbent.

Major noxa quando singulis minor quando omnes humores peccant. XXXIV. Major autem hic noxa expectanda, quando vel Bilis, vel Saliva, Succusve Pancreaticus tantùm peccant; minor, quando simul peccant, quoniam tunc se mutuò fere temperant.

Abolita Secretio qui curetur. XXX. *Curabitur Abolita Chyli Secretio* vel ipsorum *Alimentorum*, vel *Fermentationis* culpa orta, eorundem *Emendatione*, de quibus actum supra.

Quãdo Bilis est iners. XXXVI. Curabitur eadem ob *Bilis inertiam* producta, usurpando sæpiùs *Sal Volatile Acrius* undecunque tandem paratum, vel *Plantas aromaticas acriores*. *Cochleariam*, *Nasturtium*, *Sinapi*, *Raphanum rusticanum*, &c. Quibus & Visciditas Bilis corrigetur: & Sali Acrimonia sua restaurabitur.

Quando deficit. XXXVII. Curabitur eadem ob *Bilem ad Intestina non delatam*, 1. *Solvendo Bilem* in Calculos concretam, per *Succum Graminis*, & imprimis per *Nitri Spiritum* Calculos quosvis Solventem, &c. 2. *Incidendo Pituitam*. *Obstructionem* in ductu Bilario Intestinali facientem, per modò dicta, & quævis alia sæpiùs laudata, tum *Acida*, tum *Sale Fixo*, vel *Volatili prædita*, sive pura, sive simul mista; qualia sunt *Sal tartari vitriolatum*, *Sal armoniacum*, &c.

XXXVIII. Desistendum autem ab ulteriori usu *Alimentorum Viscidorum*, quin *Condimenti* loco usurpanda frequenter modò memorata *Aromatica*, *Sinapi*, *Raphanus rusticanus* & similia, quò sensim corrigatur ubivis occurrens *Pituita Viscidior*.

XXXIX. Idem non minùs fæliciter præstant *Salia Volatilia* inter prandendum ac cœnandum ex Vino, aliove Potu aliquandio assumpta; sicut non semel dictum.

Diminuta caratio. XL. *Curabitur* eadem ratione, iisdemque mediis, & quidem faciliùs *Diminuta Chyli Secretio*.

Vi & Aucta vel Depravata. XLI. *Curabitur* tandem *Aucta*, *Depravatave* Alimentorum Secretio, 1. *Assumendo Alimenta Fermentationis* aliquantò *difficilioris copia* saltem solito *majore*, si fuerint *Fermentationis facilis*; atque tunc *abstinendo* sedulò à *Condimentis Fermentationem promoventibus*; qui potiùs usurpando quædam *ipsam impedientibus*, *Corallia*, *Cretam*, &c.

Bilis acrior qui temperetur. XLII. *Bilis acrior temperabitur* potentiùs quovis *Acido*, & imprimis *Austero*, *Omphacio* puta, *Berberorum*, *Granatorumve Succo*, &c. Ut & *Viscidis*, tum *Alimentis*, *Piscibus* marinis præsertim, tum *Medicamentis*. *Amygdalis dulcibus*, ipsarumque adeò Emulsione, &c.

Saliva succusque Pãcreaticus Spiritus volatili abundans qua emendetur. XLIII. *Saliva*, *Succusve Pancreaticus Spiritu volatili abundans*, & hactenus hic peccans emendabitur abstinendo à copioso saltem usu *Potus generosi* & Spiritu Volatili turgentis substituendo in eius locum magis *Aquœum* & *Subausterum*, nil aliud quid hoc vetet.

CAPUT XI.

De Vitiosa Bilis, & Succi Pancreatici unà cum Pituita continuò excitata in tenui Intestino Effervescentia.

Effervescentia in tenui intestino. I. NOn tantùm, quando è Ventriculo ad Intestina propelluntur Alimenta fermentata, *Confluunt* quoque *in Tenue Intestinum Bilis & Succus Pancreaticus*; verùm *continuò*, adeòque illo etiam tempore, quo nullum assumptum, vel ad Intestina deductum est alimentum, eò feruntur, ac *necessariò ibidem propter partium suarum dispositionem subcontrariam in Concursu suo Effervescentiam excitant*, in Sanitatis quidem statu; hoc est, quando benè dispositus temperatusque est *Naturalis &* uterque, *blandam & Naturæ amicam*; ubi verò alte-

Præternaturalis.

alteruter, aut uterque intemperatus est, & acrior, *vitiosam & noxiam*.

Quænam Pituita, Bilis, & Succi Pancreatici partes ad Cor, quænam ad Intestinum crassum pergant.

II. Quoniam verò secundùm Naturam semper observatur *Pituita* in tenui Intestino consistens, atque à *Saliva* continuò deglutita originem suam ducens, cujus quoque nomine mutationem aliquam patiatur prædicta *Effervescentia*: censeo in illo binorum horumce Humorum Confluxu dissolvi *Pituitæ* Intestini tenuis parietibus adhærentis *partem Fluidiorem*, eandemque cum maxima *Bilis*, *Succi Pancreatici* concrescentium parte junctam penetrare in Lacteas Venas usque ad Cor; dum *pars* ejusdem *Pituitæ tenacior & viscidior* cum aliqua reliquorum *Humorum parte* itidem *viscidiore* pergit sensim ad Intestinum crassum, ibidemque *Alvinis Fæcibus* admista easdem viscidiores facit & flaviores.

Sanguinis Consistentia unde.

III. Hic ex *Bile*, *Succo Pancreatico*, & *Pituita Salivaria ortus Humor Triumviralis*, & cum *Lympha* properans ad Cor, videtur mihi *Consistentiam & Coagulationem Sanguini* largiri *naturalem*; quemadmodum *eidem* variis modis *vitiato* tribuendam puto plerumque *vitiatam* quomodocunque naturalem *Sanguinis Consistentiam*.

Pancreatis succum esse Acidum.

IV. *Effervescentiam* idcircò illo Ternorum istorum Humorum confluxu excitari arbitror, quòd non tantùm ex variis Affectibus homini præter naturam obvenientibus concludi putem *Acidum* esse *Pancreatis Succum*, sed illud ipsum *Ingeniosissimi Anatomici*, *Regneri de Graaf*, Discipuli mei Charissimi, industria evictum sit abundantissimè; uti patet ex Ejusdem de *Succi Pancreatici Natura & Usu Dissertatione*, Anno superiore in hac Academia sub meo Præsidio publicè disputata.

Effervescentia hæc probatur.

V. Talem namque, hoc est, *quovis modo*, *vel gradu Acidum Pancreatis Succum* impossibile est commisceri cum *Bile*, *Amara & Sale volatili abundante*, quin mox excitetur in *Effervescentia*, infinitis ex Chymia & aliundè petendis exemplis confirmanda.

Qualis in Sanis, qualis in Ægris.

VI. Hanc Effervescentiam prosperæ valetudinis tempore admodùm blandam esse vel inde patet, quòd nullus sit ejus Sanis sensus; qui tamen in Ægris tam sæpè tam est manifestus & atrox, ac per lancinationes, distensiones, tormina, frigora, æstus, ebullitiones &c. tum in regione lumbari, tum in sinistro hypochondrio, tum in universo quandoque abdomine se prodens.

Effervescentia hæc vitiosa 1. Ratione Bilis Acrioris & salinæ.

VII. Multifariè verò *Vitiosa* existit prædicta *Effervescentia*, 1. ratione *Bilis Acrioris & Salinæ*; unde *Sitim* sæpiùs augeri, atque *Diarrhæam* plerumque originem trahere arbitror.

2. Ratione Bilis pinguioris.

VIII. 2. Ratione *Bilis* naturali *Pinguioris*, unde *Ardorem in regione Lumbari* tantùm, aut in *universo* prætereà *corpore* produci existimo.

3. Ratione succi Pancreatici Acidioris.

IX. 3. Ratione *Succi Pancreatici Acidioris & Acrioris*; unde cæteris paribus *Frigus* excitari puto plerumque in nominata *Lumborum regione*, ac postmodùm in *universum* distribui *corpus*; quod manifestum est in omni penè *Intermittentium Febrium principio*.

4. Ratione succi Pancreatici Austeri & Acerbi.

X. 4. Ratione *Succi Pancreatici Austeri & Acerbi*, cui adscribo tum similium Halituum *Hypochondriacam Suffocationem* producentium, tum *Dolorum* Intestina mirè *torquentium* ac *contorquentium* ortum.

5. Ratione Pituitæ Viscidioris. Unde Flatus & Sanguis Melancholicus.

XI. 5. Ratione *Pituitæ Viscidioris*, ex qua generari solent *Flatus* similes, ac Intestina, Ventriculumque, aliasve subinde partes distendentes, imprimis quando concurrit *Bilis acrior*; aliàs enim *Sanguis* producitur *tenax*, *viscidusque*, *Melancholici* nomine notus.

Dolores in tenui Intestino à Bile & Succo Pancreatico Acribus.

XII. Ubi & *Bilis* & *Succus Pancreaticus* simul peccant *Acrimonia propria*, *Dolores* excitantur in tenui Intestino atrocissimi, & non rarò ipsis copulantur vel *Cholera morbus*, vel *Dysenteria*, &c. ac semper ferè *inordinata Febris*: de quibus omnibus suo agemus loco.

Ex Pituita viscida morbi.

XIII. Ubi prætereà *Pituita* existit valdè *Viscida* vel aliàs *Vitiosa*, ibi *Affectionis*, *Suffocationis*, aut *Melancholiæ Hypochondriacæ*, *Scorbuti*, *Colicæ*, aliorumque *Affectuum affinium* & quidem graviorum generatio indies se prodit, & verò nunc hac, nunc illac, sæpiùsque mutabili forma.

Ex hac vitiosa Effervescentia innumeri Morbi.

XIV. De *Affectibus* certè *innumeris* penè ex *Vitiosa ternorum* horumce *Humorum* in tenui Intestino confluentium *Effervescentia* ortis agetur per universam ferè praxin Medicam, postquam ab illa dependent *plerique*.

XV. Producuntur enim non tantùm ex illa miscella vitiata *Humores noxij*, quin non rarò *Flatus*, *Halitus*, vel *Vapores pravi*, plurima homini damna afferentes.

Terni hi humores Medico investigandi.

XV. Interest proinde, ut quivis Medicus pro re nata scrutetur ac investiget sedulò trium horumce *Humorum* naturam & qualitates tum naturales ac temperatas, tum præternaturales atque à temperie propria recedentes, noxasque homini infinitas ferentes.

Affectus ex hac Effervescentia noti, eorum productio ignota.

XVII. Effectus sanè & Affectus ex vitiosa illa Effervescentia procedentes notissimi sunt & quotidiani, quamvis eorundem ratio & generatio magnam partem nos adhuc lateat.

Bilis Acrior unde.

XVIII. *Bilis Acrior* sequitur 1. *Alimenta Acriora*, acribus saltem & valdè aromaticis condita. 2. *Aerem æstivum*, vel quavis alia de causa *æstuantem*. 3: *Corporis Motum Vehementiorem*. 4. *Vigilias nimias*. 5. *Iram & Curas* frequentiores. 4. *Alvum adstrictiorem*.

Bilis Pinguior unde.

XIX. *Bilis Pinguior* debetur imprimis *Alimentis similibus* copiosiùs assumptis, *Oleo*, *Butyro*, &c. ut & *Medicamentis*, aut Medicamentosis Aromaticis valdè Oleosis sæpiùs, diutiùsve usurpatis, *Oleis stillatitiis*, ut & *Vini Spiritui*, cum Oleosis præsertim parato, *Anisato* puta, &c.

Succi Pancreatici Aciditas unde.

XX. *Succi Pancreatici Aciditas excedens* oritur, 1. ex *Alimentis*, *Condimentis* aut *Medicamentis* similibus, abundantiùs, sæpiùsve aut diutiùs usurpatis. 2. ab *Hyberno*, *frigidiore* saltem & *asperiore Aere*. 3. à *Metu* ac *Mœrore* quovis, Animique *Solicitudine* gravi. 4. à *Vigilijs* perseverantibus, Spiritusque Animales consumentibus, ac per consequens quorumvis Humorum acrimoniam intendentibus. 5. à vehementi, continuatoque *Corporis Motu*, eosdem Spiritus exhauriente. 6. *Alvo adstricta*.

Ejusdem Austeritas unde.

XX. *Succi Pancreatici Austeritas* oritur præsertim ex *Alimentis*, vel *Condimentis* potiùs, *Medicamentisve* similibus, ac *immaturis Fructibus* perperam usurpatis; *Pomis*, *Pyris*, *Mespilis*, *Castaneis*, *Olivis*, *Omphacio*, &c. ut & à *Mœrore gravi* ac diutiùs, perseverante, imprimis cum *Solicitudine* juncto.

Pituita Viscidior unde.

XXII. *Pituita Viscidior* originem suam debet, 1. *Alimentis similibus*, *Piscibus* marinis præsertim. 2. *Aeri* humido, nebuloso & uliginoso 3. *Vitæ desidi*, ac *sine Curis*, accedente *Somno multo*. 4. *Corporis quieti* ac segnitiei. 5. *Animo Meticuloso* & ignavo. 6. *Tardæ* plerorumque Excrementorum *Excretioni*.

Effervescentia hujus vitiosa curatio.

XXIII. *Curabitur* omnis memorati *Triumviratus Effervescentia vitiosa*, *Corrigendo*, *Expurgandove Causam* ipsius *Internam*, & *Vitando*, *Emendandove Externam*: considerando sedulò, an una duntaxat, an plures simul peccent.

XXIV. Quæ *Bilem Acriorem Corrigant*, proposuimus cap. 1. §. 11. & seq. Quæ eandem *Evacuent*, cap. 2. §. 41. & seq.

Bilem Pinguiorem quænam corrigant.

XXV. *Bilem* justo *Pinguiorem Corrigemus*, & *abstinendo ab usu Pinguiorum*, & *usurpando* frequentiùs *Acida*, sed *temperatiora*, imprimis ad Alimentorum conditaram, *Succum* nempe *Citri*, *Arantiorum*, *Granatorum acidorum*, *Berberorum*, *Ribesiorum*, *Omphacium*, vel admiscendo eorum aliquid cum *Potu ordinario*, ac præcipuè *Spiritum Salis vel Nitri dulcem*, &c.

XXVII. Quæ *Succum Pancreaticum Acidiorem infringant*, *temperentque*, peti possint ex Libri hujus cap. 2. §. 7. & seq.

Succum Pancreaticum

XXVII. Eundem *Austeriorem* præ aliis omnibus *Corrigere* comperi hactenus *Spiritum Salis Ammoniaci*.

quandò corrigant.

moniaci, omnemque alium *Salem Volatilem*, ac præsertim *Oleosum*, quovis tempore ex Vino; aliove Liquora convenienti sæpiùs usurpatum.

XXVIII. Eundem *Correctum ac Temperatum Evacuamus* commodè *Hydragogis*, de quibus egimus Cap. 7. §. 53. & seq.

XXIX. *Pituitam Viscidam Emendant* plura, de quibus actum à nobis Cap. 2. §. 8. & seq.

XXX. Eandem *Educunt Phlegmagoga*, quæ ibidem §. 29. 33. & seq. notavimus.

Externa causa vetàt & vitanda.

XXXI. *Externas Causas* faciliùs vetat Medicus, quàm vitat Æger; monendus tamen à Medico, ne in Se posteà devolvat continuati peccati culpam.

Alimenta per condimenta corrigenda.

XXXII. Quæ autem in totum vitari non possunt *Res non naturales*, non satis naturaliter occurrentes, quantùm fieri poterit, Corrigantur, *Alimenta* præsertim per *Condimenta* convenientia, & noxam ipsorum emendantia, non semel hic & alibi memorata.

Aer peccans quibus temperetur.

XXXIII. *Aer, si æstuet, Aqua pura, Plantis refrigerantibus* dictis, earundemve Decoctis, *Aceto*, & similibus temperetur; *Humidus* autem ac *Nebulosus*, *Igne lucido*, *Plantisque Aromaticis* corrigatur.

Vigilia moderata sint.

XXXIV. *Vigiliæ* sunto pro cujusvis constitutione *moderatæ*.

Corporis motus mediocris Animus ab omni Affectu gravi liber.

XXXV. Sic *Corporis Motus* esto *mediocris*.

XXXVI. *Animus* autem esto ab omni *Affectu gravi* liber; liberetur saltem ab ipso, quantùm licet: quod nunquam *Medicamentis*, semper obtinetur *Rationum* undecunque conquisitarum vi ac pondere: quibus proinde, tanquam *Instrumentis* labefactatæ Hominis Valetudini restaurandæ non tantùm utilibus, sed planè necessariis, non minùs utitur *Medicus* prudens ac peritus, quàm *Theologus*, *Iuris consultus*, vel *Orator*.

Alvus laxa quibus præstetur.

XXXVII. *Alvus*, quàntùm commodè licèt, *servetur aut præstetur Laxa*, tum *Alimentis* uniuscujusque constitutioni peculiari maximè convenientibus, tum quandoque *Medicamentis Laxantibus* dictis, *Prunis*, *Passulis Minoribus*, *Cremore Tartari*, *Syrupo Rosarum solutivo*, & similibus.

Suppositoria alvum solventia.

Clyster Emolliens ac Flatum discutiens.

XXXVIII. Potest quoque *Alvum Solvi*, tum solicitando ipsam per *Suppositorium* ex cocto Melle atque Sale marino, gemmeove paratum, aut ex *Aluminis* rupei frustulo in longum conciso concinnatum & Oleo aliquo illitum, tum per *Clysterem* Emollientem ac subinde Flatus discutientem injectum, Cujus formula esto sequens, aut similis.

℞. *Rad. althææ*, ℥ ij.
fol. malvæ,
summ. melilot. an. M. ß
Coq. in aq. hordei.
In colatur ℥ viij. *dissolv.*
Elect. Diacatholici, vel
Diapruni solut. vel
Bened. laxat. ℥ j.
Ol. rosati, vel
Lilior. alb. ℥ß.
M. f. Enema, quovis tempore injiciendum, ac per horæ dimidium, aut circiter in corpore tenendum.

C A P U T XII.

De Contentorum per Intestina Propulsione, atque Expulsione læsu, & in specie de Alvo adstricta.

Faces Alvina externi per Anum.

I. ET *Alimenta* in Ventriculo præparata, & *Saliva* continuò deglutita, hinc per Ventriculum ad Intestina delata, & *Bilis* ex suo Folliculo per Ductum Bilarium Intestinalem, & *Succus Pancreaticus* per proprium Ductum ad Intestina properans, & *Miscella* ex hisce omnibus exurgens, ulteriùs *propelli* debent longam Intestinorum fistulam, donec, transmissis ubique per Lactea Vasa utrique corpori nutriendo *Utilibus partibus*, *Inutiles*, ac *Fæcum Alvinarum* nomine notæ tandem *Expellantur*, *Excernaturque per Anum*.

Quot modis hæc excretio lædatur.

II. Hæc variorum tam secundùm, quàm præter naturam *Intestinis Contentorum Propulsio atque Expulsio* variis lædi solet modis; dum vel 1. *Segnius, parciùsve*, accidit; vel 2. *Citiùs*, *sæpiùs*; *copiosiùsve* contingit; vel 3. cum *Dolore ac cruciatibus* absolvitur; vel 4. *Via non debita* perficitur.

Alvus adstricta.

III. *Segnius*, *parciùsve* accidit in *Alvo* plus minùs *Adstrictiore*.

Alvi fluxus.

IV. *Citiùs*, *sæpiùs*, *copiosiùsve* contingit in quovis *Alvi Fluxu*.

Excretio cū dolore.

V. Cum *Dolore* absolvitur in *Ventris Torminibus*, *Colica*, *Dysenteria*, *Tenesmo*, &c.

Via non debita.

VI. *Via non debita* perficitur in *Cholera morbo*, *Ileo*, aliisque *Vomitionibus* ab Intestinis productis ut & in *Vulneribus* ac per tunicas penetrantibus *Intestinorum Ulceribus*.

Ad Alvum adstrictam pertinere segniorem propulsionem & parciorē expulsionem.

VII. Ab *Alvum Adstrictiorem*, de quo hoc agemus Capite, revocamus tam *Segniorem Contentorum Propulsionem*, quàm *rariorem*, & *parciorem* ipsorum per Anum *Expulsionem*.

VIII. *Segniùs* procedit *Contentorum Propulsio*, hinc & *Rariùs* eorundem *Expulsio* per intestina, quando secundò, tertio, quarto demum die, tardiùsve adhuc deponuntur Alvi Excrementa, quæ quotidie semel excerni oporteret.

Quæ quando fiant. Et unde.

IX. Evenit autem id, quoniam sunt *Contenta* & propulsa *Viscidiora*, vel *magis Indurata*, *Exsiccatave*.

Visciditas factam unde.

X. *Viscidìtatem* suam debet Cootenta *Rebus non naturalibus* Capite proximè præcedente narratis.

Ut & earū durities.

XI. *Duritiem* antem, tum *Alimentis similibus*, *Osseis*, & *Cartilaginosi*, tum *Flatibus austeris*, Consistentiam Contentis firmiorem conciliantibus.

Nec non siccitas.

XII. *Siccitatem* habent Contenta propter *Chylum copiosiùs elicitum*, & quandoque propter *Potum pauciorem* cum *Pane multo* usurpatum.

Parcior Excretio unde.

XIII. *Parciùs* prodeunt *Alvi Excrementa*, quia eorum *pars aliqua* secreta est ac in *Lacteas Venas propulsa* unà cum Chylo, de quo vitio actum Cap. 10. vel *alia & indecenti via excluduntur*, tam in *Vomitu* præternaturali ab Intestinis ortum habente, quàm in *Vulnere*, aut *Ulcere Intestinorum* notabili.

XIV. Pleràque ad hujus Affectus *Curationem* facientia proposita sunt in superioribus, prætertim quæ *Viscìditati Humorum*, *Flatuumque emendandæ* conveniunt.

Excrementa indurata quibus emolliantur.

XV. *Excrementis* præterea *Induratis Emolliendis*, ac *Viscidioribus Dissolvendis* plurimùm confert *Clyster ex Lacte Vaccino* tepido & pauco *Melle* paratus, injectus, & aliquandiu retentus, sic enim non tantùm emollita Excrementa educuntur, sed *Flatus* quoque ad exitum facilem alliciuntur, ad Subsidentiam saltem disponuntur.

XVI. Potest quoque *Clyster* superiori Capite scriptus ad laxandam alvum subinde infundi, aut *Suppositorium* conveniens immitti, quale ibidem notavimus *ex Alumine crudo*, quod præfero cæteris omnibus.

C A P U T XIII.

De Alvi Fluxu.

Alvi fluxus quid.

I. QUoties *citiùs*, ac præsertim *sæpiùs*, aut *copiosiùs*, quàm solebat & decebat, contingit *Contentorum per Intestina Propulsio*, atque *Expulsio*, toties *Alvi Fluxus* laborare dicitur homo.

Ejus species.

1. Lienteria.

II. Distinguitur autem *Alvi Fluxu* in species diversas, & imprimis ratione *Excreti* diversi. Nam 1. Excernuntur aliquando ipsa *Alimenta*, Cibus, Potusque, *cruda*, nec mutata, sed qualia fuerunt, si non

non assumpta ore deglutita saltem per gulam, in Affectu *Lienteria* dicto.

2. Alvi fluxus Ictericius. III. 2. Excernuntur aliquando eadem *Alimenta*, *fermentata* quidem ac debitè immutata in Ventriculo, *non* tamen *Secreta*, & in *Chylum*, *Fæcesque Alvinas separata* in ipsis Intestinis, verùm *pultacea* adhuc & *albicantia*, qualia sæpenumerò excernere solent Icterici; unde non ineptè hunc *Alvi Fluxum Ictericium* appellari posse autumem, alteram nempe *Affectionis Cœliacæ* dictæ speciem.

3. Chylosus. IV. 3. Excernuntur aliquando *Alimenta* tum *fermentata*, tum in *Chylum*, *Fæcesque alvinas secreta*, sed *simul adhuc Confusa*, in altera *Cœliacæ Affectionis* specie; quam *Chylosum Alvi Fluxum*, distinctionis majoris ergò, nominare, quid vetat?

4. Diarrhœa Biliosa. V. 4. Excernuntur aliquando sæpè, aut copiosè, non quidem Alimenta, sed *Humores Aquei & Biliosi*, in *Diarrhœa* sive *Alvi Fluxu Bilioso* inde dicto.

5. Diarrhœa Pituitosa & Serosa. VI. 5. Excernuntur aliquando frequenter ac copiosè *Humores Pituitosi*, sed *crassi*, & *viscidi* in *Diarrhœa Pituitosa* inde dicta; aliquando tenues ac *Serosi*, nunc blandiores, nunc acriores, in *Serosa* ideò dicenda.

6. Alvi fluxus Pinguis. VII. 6. Excernuntur aliquando *Pinguia & Oleosa* Excrementa in *Alvi Fluxu Pingui* seu *Unguinoso* inde nominando.

7. Dejectio Cruenta, & Fluxus Hepaticus: VIII. 7. Excernitur aliquando *Sanguis purior*, in *Dejectione Cruenta*, ad quam referendum puto *Hæmorrhoidum Fluxum*: aliquando *Liquor Carnium loturæ similis*, in *Fluxu Hepatico* dicto.

8. Dysenteria, & Tenesmus. IX. 8. Excernitur aliquando *Pus & Materia Purulenta*, val *Saniosa*, in quavis *Dejectione Purulenta* dicta, & *Dysenteriæ* familiari; ad quam *Tenesmus* ex parte saltem videtur referendus, ex parte ad Pituitosam dejectionem: postquam *perpetuus est desidendi, dejiciendique Conatus, cum Excretione pauca tum mucosa, tum purulenta.*

Causa Lienteriæ. X. Cùm in *Lienteria* & non mutata, & paulò postquam fuere assumpta, excludi soleant Alimenta, *Ventriculi* ad admissorum expulsionem mox assurgentis *culpa* eam contingere apparet; de quo Affectu, ejusque Causis ac Curatione actum est suprà Cap. 6.

Alvi fluxus Icterici. XI. Cùm in *Alvi Fluxu Icterico* Alimenta excludantur satis Fermentata, manifestum fit, procedere Ipsum à *Chyli*, *Alvinarumque Fæcum Secretionis Defectu*, & quidem ob *Bilis* vel *Absentiam* vel *Inertiam*, de quibus egimus jam suprà Cap. 10.

Chylosi. XII. Cùm in *Chyloso Alvi Fluxu* unà cum Alvi Fæcibus prodeat plùs minùs Chylus, Alimentorum Fermentatione, Partiumque Utilium ac Inutilium Secretione integris, *læsa* erit *Chyli per Spongiosam Intestinorum Crustam in Lacteas Venas Transcolatio*, de qua inferius agemus Capit. 16.

Diarrhœa Biliosa. XIII. Cùm *in Diarrhœa Biliosa* Humores Biliosi & Aquosi, sive Serosi effunduntur, tunc *Bilem Salis* sui ratione *Acriorem*, *Fluidioremque*, *Pituitam* verò *Salivarem*, *Succumve Pancreaticum Aquosiorem* ac itidem *Fluidiorem* esse tam ex ipsis *Excretis*, quàm *Siti* comite patet.

Pituitosa. XVI. *Diarrhœa Pituitosa* pro *Causa* primaria agnoscit *Alimenta Viscida*, multumque Pituitæ viscidæ promentia; pro secundaria *Aerem Frigidum & Asperum*, *Pituitam in Sanguine* tum *Augentem*, tum *Coagulantem*, tum in *Cerebro*, *Cerebrive Glandulis* præter naturam *Secernentem*: unde *Catarrhorum Pituitosorum* ortus, à quibus ad Fauces delabentibus ac deglutitis hæc Diarrhœa sæpiùs gignitur.

Pituita unde in corpore cumuletur. XV. Facit quoque ad *Pituitam* in Corpore *Cumulandam Somnus Multus*, *Corporis torpida Quies*, *Ingenium Hebes*, *Aer pluviosus*, vel alias *Humidus*, &c.

Causa Serosæ. XVI. *Diarrhœa Serosa* debetur frequentiùs *Succo Pancreatico Seroso*, subinde *Salivæ simili*, rariùs *Humoribus Aqueis* ac *Serosis* à *Cerebro* versus Fauces distillantibus ac deglutitis.

XVII. *Succus Pancreaticus*, Ipsaque *Saliva* redduntur *Aquosiores* & *Blandi* propter copiam *Potus Aquei* assumpti; accedente subinde *Aere Humido*; aut deficiente *Urinæ*, *Sudorisve consueti* Excretione. *Succus Pancreaticus & Saliva unde Aquosiores.*

XVIII. Iidem fiunt *Serosi & Acres*, sive *Salini*, ex usu copioso tum *Aqueorum*, tum *Salitorum*, à quibus non tantùm *Tenuiores* ac *Fluidiores*, verùm *Acriores* quoque & *Salini* existunt. *Unde Serosi & Acres.*

XIX. *Secernitur* præter Naturam *Pituita* tum *Viscida*, tum *Aquea* vel *Serosa* in *Cerebro* Ejusve *Glandulis*, semper forsan *præcedente* quidem undecunque universi *Corporis & Capitis* præsertim *Calore*, ac *Soluto* simul, *Deductoque* copiosiùs ad Cerebrum *Humore Pituitoso* qualicunque in Corpore vel Sanguine tunc existente, ast mox *Subsequente Frigore Aeris*, ac penetrante simul per poros magis apertos *Aura subtili & Coagulante Humorem prædictum* in Variis Cerebri partibus: unde sive contingat in *Vasis Lymphaticis Obstructio*, ac post *distensionem nimiam* eorundem *Ruptio*, hinc & *Contenti Effuso*; sive aliter *Secedat à Sanguine Humor Pituitosus*, *Catharri* saltem nomine ruere solet nunc in *Nares*, nunc in *Fauces*, ac inde vel in *Asperam Arteriam*, vel in *Œsophagum*; per quem in *Ventriculum*, ac *Intestina* delatus huic *Serosæ Diarrhœæ* materiam subministrare videtur. *Pituita Secretio.* *Catarrhus.*

XX. *Pinguis & Oleosus*; sive *Unguinosus Alvi Fluxus* sequitur ferè *nimium Pinguium Alimentorum Usum vel abusum.* *Causa Alvi Fluxus Pinguis.*

XXI. *Alvi Fluxus Cruentus* debetur semper *Vasi* alicui *Venoso vel Arterioso* in *Tenui vel Crasso Intestino*, rariùs in *Ventriculo* vel parte alia præter naturam *rupto*, *secto*, vel alio quovis modo *aperto* & ad Intestina contentum Sanguinem emittenti. *Cruenti.*

XXII. De *Vasorum* quorumvis *Apertione* multiplici, *causis* Variis, & *Curatione* diversa suo agetur loco.

XXIII. *Hæmorrhoidum Fluxus*, quibusdam non multùm Ægris familiaris, vel *Criticus* existit, & ipsos levare solet: aliquando *Symptomaticus* est, ac Ægros multum debilitat. *Hæmorrhoidum Fluxus Criticus & Symptomaticus.*

XXIV. *Fluxum Hepaticum*, si aliis unquam, mihi, quod sciam, nunquam visum, à *Copioso Sero* Sanguini admisto & Vasa simul relaxante puto deducendum. *Causa Fluxus Hepatici.*

XXV. *Serosus* fit *Sanguis* à *Potu* nimio cum *Aqueorum*, *Aquæ*, *Cerevisiæ*, &c. tum ipsius *Spiritus Vini*, à quo tandem Partium omnium firmitas infirmatur & tonus penè tollitur. *Serosus Sanguis unde.*

XXVI. Cùm & *Pus* & *Sanies* ex *Sanguinis Corruptione* ortum habeat & quidem post *Inflammationem* in *Apostemate*, aut undecunque orto *Ulcere* tam profundiore, quam superficiario, sive *Exulceratione*; tale quid locum habere oportet, quoties *Purulenta* vel *Saniosa* observatur *Dejectio*. Sed de his Affectibus agetur in genere inferiùs. *Causa Dejectionis Purulenta.*

XXVII. *Tenesmus* Mucosa, Purulentaque constans Dejectione, *Humorem Viscidum Pituitosum*, simulque *Acrem Acidum* circa *podicem* adhærentem, atque ibidem *Ulcus* molestum rodendo excitantem agnoscit. *Tenesmi.*

XXVIII. *Diarrhœa Biliosa Curabitur* 1. *Corrigendo Bilis Acrimoniam Salinam* medicamentis Cap. 1. §. 11. & seq. traditis. Seligenda verò, propter *Fluiditatem* ipsius simul *auctam*, quæ *Austeritate* blanda sunt prædita, *Cydonia* tum *Mala*, tum *Pyra*, pro Ægri palato vel *Syrupi*, *vel Minvæ*, vel *Carnis*, vel alia forma parata. Huc spectant *Poma Punica*, *Berberorum Fructus*, *Uvæ immaturæ*, *Omphaciumve*, *Plantago*, *Portulaca*, &c. *Boli* ac *Terræ* pingues atque *Sigillatæ* omnes. *Diarrhœa Biliosa curatur. 1. Bilis Acrimoniam corrigendo.*

XXXIX. 2. *Corrigendo Pituitæ Salivaris*, *suc-* *2. Pituitæ*

Salivaris & Succi Pancreatici.

Succive Pancreatici Aquositatem nimiam, tum *Alimentis* solidioribus ac minimè Aquosis, tum *Medicamentis* eadem aut *Imbibentibus*, aut *Evacuantibus*.

Humorem Aqueū quænam imbibant.

XXX. *Imbibunt Humiditatem Aqueam* præ aliis multis *Creta*, *Cornu Cervi*, & quodvis aliud *Os ustum*, ac per se in pulverem redactum, parvaque quantitate subinde usurpatum, &c.

Quænam Evacuent.

XXXI. *Evacuant Humiditatem Aqueam* tum *Hydragoga* per Alvum; tum *Sudorifera & Diuretica* per Sudores aut Urinas, inter quæ laudo valdè *Decocta ex Radicibus Chinæ*, *Sarsæparillæ*, *Petasitidis*, *Contrayervæ*, &c. *Lignis Guajaci*, *Sassafras*, *Juniperi*, *Quercus*, *Buxi*, &c. parata.

Rhabarbari tosti vires.

XXXII. Pluribus Indicationibus Satisfacit *Rhabarbarum tostum*, & ad ʒ. j. vel circiter exhibitum; postquam non tantùm unà *cum Bile evacuat* benignè *Aquas* hic redundantes, sed blanda sua *austeritate* laxiorem *alvum mox adstringit*.

Bilem temperantia.

XXXIII. Post correctam, & copia nimia simul peccantem Bilem blandè vacuatam una cum Sero Aquoso, usurpari quoque possunt *Diascordium Theriaca*, *Hyacinthorum Confectio*, & similia, quò ad *Temperiem* naturalem *Bilis* redigatur, & *Intestina* dejectione frequenti debilitata recreentur, *roborenturque*.

Pulvis.

XXXIV. In Tyronum gratiam sequentes addemus formulas.

℞. *Rhei tosti*, ℈. ij.
Nucis moscat. ℈ ß.
M. f. pulvis.

Ejus Usus.

Accipiat Æger manè ex cochleari vel vini, vel jusculi.

Alius pulvis, vel Bolus.

XXXV. Quando *multo Sero* simul scatet Sanguis,

℞. *Rhabarb. tosti.*
Rad. Jalapp. an. ℈ j.
Cinnamom. acut. Gran. vj.
M. f. Pulvis, vel
Cum Conserv. Ros. pallid. q. s.
F. Bolus, *manè sumendus.*

Mistura.

XXXVI. Post factam evacuationem talem, circa vesperam utatur per intervalla Æger cochleari uno sequentis *Misturæ*, quæ

℞. *Diascord. Fracast.* ʒ ß.
Conf. Hyacinthor. ʒ i.
Syr. Myrtini, ℥ j.
Aq. cinnamom. unc. ß.
Plantagin. unc. ij ß.
M.

Decoctum serum evacuans per Urinas vel Sudores.

XXXVII. Quoties totus *Sanguis Sero* scatet, tunc operæ pretium erit *Decocto* sequenti aut simili per *Urinas* vel *Sudores* ipsum educere ac minuere.

℞. *Rad. apii.*
Petasitid. an. unc. j.
Rasur. ligni Juniperi.
Sem. milii, an. unc. iij.
Coq. s. a. ex aq. pura,
In Colat. unc. xxx. dissolv.
Syr. v. rad. ℥. iv.
Spir. Salis dulcis, ℈ j.
M.

Ejus Usus Vires.

Capiat bis, terve in die haustum, si non abhorreat Æger, calentem, & imprimis summo manè in lecto, unde prodibit faciliùs Sudor, sin minùs, Urina copiosior, sicque pedetentim *Consumetur* Sanguinis *Serum*, omnesque *Humores* reddentur *puriores ac meliores*.

Diarrhœa Pituitosæ Curatio.

XXXVIII. In *DiarrhϾ Pituitosæ Curatione*, non tantùm *Diæta* vitiosa in laudabilem, & subcontrariam mutanda; verùm *Medicamentis* quoque Cap. 2. propositis *Corrigenda Pituita Viscidior*, eademque posteà per *Sudorifera & Diuretica* modò memorata & descripta, vel similia *Expellenda* forâs per *Cutis poros* aut *Urethram*, *Avertendaque* ex parte à *Ventriculo & Intestinis*.

Serosa qui curetur.

XXXIX. *Diarrhœa Serosa Curabitur Abstinendo* ab ulteriori *Potu nimio Aqueorum*; *Assumendo* substantiade, quæ *Aquas imbibant*, *Cornu Cervi ustum*, *Cretam*, &c. aut per *Sudores*, *Urinasve expellant* modò dicta.

XL. Nihil autem vetat, nullo alio vetante, *Hydragogo* assumpto *Evacuari* quandoque magnam redundantis *Seri* partem per *Alvum*.

Salsum & Mordax serum qui corrigatur.

XLI. Quoties in Serosa Diarrhœa undecunque prodiens *Salsum & Mordax* existit *Serum*, toties *Corrigendum* idem *Pilulis de Cynoglossa*, de *Styrace*, aut similibus.

Gravedinis curatio.

XLII. Quoties à præcedente *Gravedine* ortum habuit Serosa Diarrhœa, toties *Cerebro* facienda quoque *Medicina*, *Roborando*, *Restituendoque* in pristinam integritatem *Glandulas* semper tunc malè affectas: quod citò, tutoque, nec injucundè fit *Suffitu* solo & solius *Succini*, Ore patulo & Naribus sæpiùs ac sensim excepto; quo sæpenumerò una vice usurpato Gravedinem satis gravem curavi mox in suo principio, ne ultra noctem duraret. Huic Succino, cui composita placent magis, ad pompam nempe facientia, plura possunt addi, *Mastiche*, *Thus*, *Benzoin*, *Styrax*, &c. & inde *Pulvis* pro Suffitu parari, atque idem paulatim prunis inspergi atque Capite pallio, aliove operimento amplotecto, ut minùs ejus fumi pereat, ut jam dictum, ore, naribusque excipi.

Alvi Fluxus Pinguis curatio.

XLIII. *Alvi Fluxus Oleosus & Pinguis* sponte ac sensim *cessabit*; cessante Pinguium qualiumcunque abusu: quamvis usurpari quoque possint, quæ Pinguedinem nimiam absorbeant, vel corrigant *Cornu Cervi ustum*, *Creta*, *Coralia*, *Cineres Cardui benedicti*, *Absinthii*, *Genistæ*, aut eorundem *Lixivium* cum vino paratum, vel *Sal fixus* ex iisdem cineribus elixatus ac elicitus.

Et Cruenti.

XLIV. *Alvi Fluxus Cruentus Curabitur*, si ab *Humore acri* vasa rodente ortum habuerit, *Corrigendo*, temperandoque *Humorem acrem*, ac *Consolidando Vas erosum*.

XLV. *Humorem Acrem*, ac semper fortè *Acidum* quæ Corrigant, petenda ex Cap. 2. *Mistura* verò erosa vasa *consolidans*, omnemque *Sanguinis effluxum* mirè *cohibens* habetur Cap. 9. §. 20. quam Junioribus Medicis sæpiùs cum optimo successu expertus fideliter commendo.

In Hæmorrhoidum Fluxu Critico & Symptomatico quid agendum.

XLVI. *Hæmorrhoidum Fluxus*, quandiu cum Ægri levamine fit, estque *Criticus*, tandiu observandus, nec sistendus; Ubi vero nimius existit, ac *Symptomaticus*, Ægrumque infirmans, tunc lentè laudata modò *Mistura*, similive alio medicamenta cohibendus.

Fluxus Hepatici curatio.

XLVII. Si *copiosum serum* possit *Sanguinem* ità diluere, ut ex *Vasis* ab ipso simul *relaxatis* partem ipsius aliquam secum ad *Intestina deducat*, & *Loturæ Carnium similem Fluxum*, vulgò *Hepaticum* dictum producat, Curabitur tum *Sudoriferis & Diureticis Serum* aliâ viâ è corpore propellentibus, tum *Roborantibus Austeris Laxatorum Vasorum* noxam resarcientibus; de quibus hoc ipso capite jam actum: & ante omnia *Cavendo* imposterum à nimio *Aqueorum* Potu.

Partium robur naturale, ob Spiritus Vini abusū deficiens quî restauretur.

XLVIII. *Partium tonus ac robur naturale* ob *Spiritus Vini abusum* deficiens difficulter *Restauratur*, nec facilè nisi usurpatis cum exacta Diæta, vix unquam iterum ab ebriosis hominibus exspectanda, *Spirituosis subausteris*, qualia sunt inter *Naturalia Vina* potentia simul & cum nigredine grata subaustera; inter *Artificialia* verò plura ex *Vino* generoso atque *Cydoniis* vel *Punicis malis*, vel *Myrti baccis*, aliisve similibus parata.

Alvi Fluxus purulenti curatio.

XLIX. *Purulentus*, vel *Saniosus Alvi Fluxus Curabitur*, *Curato Apostemate*, aut *Ulcere* qualicumque ubicunque existente, ac illum producente.

L. Præter ea, quæ posteà de *Inflammatione*, Ipsamque subsequente *Apostemate*, atque *Ulcere* dicemus in genere, pauca hic afferemus, quæ in specie *Intestinis affectis* conducunt.

Enema ad Ulcus in

LI. Quoties igitur in *Crassis Intestinis* existit *Ulcus*, atque ad locum affectum pertingere possunt

Ene-

Crassis Intestinis. *Enemata*, toties valdè proderit sequens, quod diutissimè in corpore servetur, sæpiusque, si res desideraverit, novum injiciatur.

℞. *Lactis Bubuli recentis, & si lubet, priùs Chalybeati, unc.* viij.
Terebinthinæ Venet. Ovi Vitello dissolut. unciæ ß.
Mellis rosati, unc. j.
M.f. Enema.

Ejus laus. Tali Enemate, & quidem unico, circa initia, adeòque maturè injecto, curavi non semel Dysenteriam cum Puris dejectione junctam.

Apozema Vulnerarium ad Ulcus in Tenuibus intestinis. LII. In *Tenuibus Intestinis* quando hæret *Ulcus*. sequens *Apozema Vulnerarium* conferet, si sæpiùs in die assumatur ad aliquot Uncias.

℞. *Rad. Consol. Sarracenic. unc.* ß.
Fol. Pyrol.
Alchimill. an. M. j.
Hederæ terrestr. M. ij.
Sanicul. Maris,
Summ. Hyperic. an. M ß.
Rasur. Cornu Cervi, ʒ iij.
Coq. s. a. ex Aq. Ferrat.
In Colat. unc. xxv. dissolv.
Syr. de Althæa Fernel.
Botryos, an. unc. i ß.
Tinct. cinnamom. cum Vini rectific. spiritu extracti. unc. ß.
M.

Mixtura. LIII. Utilis erit in eodem casu *Mixtura* sequens, cochleatim sæpiùs assumenda.

℞. *Aq. Plantagin. unc.* ij.
Cinnamom.
Aceti stillat. an. unc. ß.
Diascord. Fracast. ʒ ij.
Ocul. Cancr. pulverif. ʒ ß.
Antimon. Diaphoret. ℈ j.
Syr. Rosar. rubr. unc. j.
M.

Conditum. LIV. Cui *Conditi* forma est gratior, is hac, vel simili utatur quæ

℞. *Conf. Ros. Rubr. unc.* ij.
Diascord. Fracast. ʒ ij.
Conf. Hyacinthor. ʒ j.
Cornu Cervi usti & pulverif. ʒ ß.
Syr. Myrtini, q. s.
M. f. Conditum.

Ejus Usus. De hoc Condito assumat Æger aliquoties in die ad Nucis Moschatæ quantitatem.

Ulcus mundat & consolidat Balsamus Sulphuris compositus. LV. Ad *Ulcus* tam *mundandum*, quàm *consolidandum* præ aliis omnibus forsan serviet *Balsamus Sulphuris* vel *Anisatus* gratior, vel cum *Succini Oleo* paratus potentior, ad *Guttas duas, tresve* cum dicta *Mistura*, vel *Decocto* aliquoties in die sumendus.

Dysenteria curatio. LVI. In *Dysenteria*, existente in corpore *Humorum acrium copia*, conveniet mox in principio *Rhabarbarum tostum* cum *Laudani Opiati Grano uno* exhibitum; & ubi necessitas urserit, denuo iterandum. Addi quoque potest *Theriaca*, vel *Diascordium*, quando ex præjudicio aliqui abhorent aut Ægris suis metuunt ab usu Laudani, toties à nobis ob laudandos effectus laudati medicamenti.

LVII. Nec abs re fuerit eodem, quo assumptum fuit Rhababarum die, suprà laudatum ex *Lacte Bubulo*, aliisque paratum injicere *Clysma*, cujus beneficio & *Ulcus abstergetur*, & *Tormina demulcentur*, & *Ulceratæ paris consolidatio promovetur*.

Tenesmi curatio. LVIII. *Tenesmus*, in Ano residens, *Curabitur* præsertim applicando, intrudendoque Podici *Medicamenta Humorem tum Acido-acrem*, tum *Viscidum Corrigentia*, hinc *Ulcus Abstergentia*, denique idem *Consolidantia*: In quem finem vix *Balsamo Sulphuris* æquè præstans occurret remedium, si cum *Terebinthinæ Venetæ Spiritu Oleoso*, vel *Succini*, *Anisive Oleo* ritè fuerit paratum, ac per se solum, vel aliis admistum *Podici applicetur*.

Balsami Sulphuris vires.

CAPUT XIV.

De Variis Intestinorum Doloribus.

Intestina omnis Generis Doloribus affligi. I. QUamvis inter *Functionum Animalium Læsiones* in *Secundo Libro* tractandas, de *Dolore* in Genere simus acturi; non potuimus tamen sicco pede ipsorum tractationem specialem hic pertransire, quoniam præ cæteris Corporis humani partibus Continentibus omnibus *Intestina* non tantùm *atrocissimis*, verùm omnis forsan *Generis Doloribus* affligi solent; adeò ut nullibi opportuniùs, quàm hic eorum species omnes observari, ideòque explicari posse videantur.

Horum Dolorum distinctio. II. *Distinguuntur* hi *Dolores* omnes 1. ratione *Intestinorum* affectorum, dum aliàs *Tenuia*, aliàs iis urgentur *Crassa*. 2. ratione *Modi*, quo Ægros affligunt, afficiuntque Dolores varii: Aliàs enim cum *Ardoris*, aliàs cum *Frigoris Sensu* id accidit; aliàs Dolores sunt in eodem loco *Fixi*, partemque affectam *Perterebrantes* quasi, aliàs *Vagi* & cum *Lancinationibus* per intervalla utplurimùm repetentibus *Pungentes*, sive *eandem* tunc *partem* identidem afficiant, sive *diversas* petant: aliàs *Distendentes* sunt, & *sola Intestina*, vel *Abdomen simul* expandentes; aliàs *Rodentes*, aut *Urentes* observantur; aliàs cum *Lacerationis*, vel *Contorsionis*, vel *Contusionis*, vel *Gravitatis*, vel *Pulsionis*, vel alio quovis *molesto Sensu* Ægros angunt.

Dolor Lumbaris. III. Quoties *Intestini Tenui pars superior* ac Ventriculo proxima *dextræ Lumborum regioni* superstrata, *Mesenterioque* substrata *Dolorem* patitur, toties is à loco affecto *Lumbaris* nominatur.

Varius. IV. In eodem autem loco ferè omnes *Dolorum* species pati solent Ægri, nunc cum *Calore* magno *Ardentem*, aliàs cum *Frigore* gravi *Algentem*; nunc *Fixum* & *Lumbos* quasi *Perterebrantem*, aliàs repetentibus subindè *Lancinationibus Vagis Pungentem*; nunc eosdem Lumbos *Distendentem*, aut *Contudentem*, aut *Gravitatis Sensu* tantùm *Prementem*, aut *Urentem*, aut *Rodentem*, aut *Lacerantem*, aut cum *Pulsatione continua, interruptave*, iterumque subinde redeunte molestum, aut quovis alio vix Ægris, Medicisve explicabili modo mirè *Torquentem* ac *Contorquentem*.

Lateris sinistri Dolor cum Duritie. V. *Intestini Tenuis Pars* huic proxima & in *Hypochondrio Sinistro* à Lumbis, Mesenterioque *liberiùs exurgens & assurgens Lancinationibus* frequenter, ac *Distensionibus* cum *notabili* ac *permanente* quandoque *Duritie* affligitur; quamvis tunc *Lieni* ferè,

Lieni perperam adscriptus. licet perperam, illud Malum & Dolor vulgò adscribatur, & à Medicis nonnullis præjudicio inveterato vel maligno excæcatis mordicùs præter omnem Rationem solidam, quin contra quotidianam & manifestam, ex variorum quippe cadaverum sectione multiplici petitam, Experientiam, eadem Sententia etiam nunc teneatur. Medicos ex conscientia, utut errante, idem judicantes ac dicentes minimè cupio hic notatos, at præfractos duntaxat, & malitiosos.

Hypochondriacus nominandus. VI. *Dolorem* autem istum, si nomen quovis præjudicio vacuum illi foret à me imponendum, appellarem Ego à loco affecto *Hypochondriacum*, addita speciei urgentis nomenclatura, & cognominando ipsum aut *Lancinantem*, aut *Distendentem*, & sic porrò.

Dolor Iliacus: VII. Qui *reliquam* Intestini *Tenuis partem* occupat *Dolor*, *Iliacus* ab Intestino *Ileo* vocato insigniri solet, observaturque itidem varius.

Dolor in Tenesmo. VIII. In *Crassi Intestini* parte postrema, *Intestini Recti* nomine nota, excitatur satis frequenter *Dolor Ardens & Pulsans*, simulque non rarò *Lancinans*, & quidem in *Hæmorrhoidibus Cæcis* tum dictis ac *Inflammatis*; quemadmodum *Rodens* atque ad perpetuò *Desidendum* irritans, in *Tenesmo*, de quo Capite proximè præcedente actum: aliquando cum majore, minoreve *Pruritu Mordicans* & valdè molestus,

Dolor Colicus. IX. In *reliqua Intestini Crassi* parte, *Coli* nomine

mine gaudente, quivis *Dolor* excitatus, *Colicus* vocatur.

Hic ab Iliaco distinguitur.

X. *Distinguuntur* ab invicem *Colicus* & *Iliacus Dolores* imprimis *secundùm Intestini* utriusque *Situm*,

Intestini. Coli situs

XI. Utique *Colum Intestinum* à dextro Inguine incipiens circa dextrum Renem assurgit versus Hepar, & inde utplurimùm quidem sub costarum notharum cartilaginibus transversim fertur ad sinistrum hypochondrium, cujus magnam partem occupat, mox ad sinistrum renem contortum pergit porrò ad inguen sinistrum, ubi Sigmoidea forma invetsa satis amplè convolutum devolvitur ad Os Sacrum, ut in Rectum Intestinum abeat & desinat: Unde in *Abdominis ambitu ac circumferentia modò designata exortus*, *Dolor* verè *colicus* dicendus; quamvis noonulli eum tantùm hoc beant nomine, qui partem Abdominis superiorem, anterioremque Cinguli modo angit & torquet, inscii, aut immemores, quàm sæpè usque ad Umbilicum, & quandoque usque ad Vesicam insigni anfractu per medium Abdomen volvatur Colon.

Tenuis Intestini situs.

XII. *Tenue* autem *Intestinum*, mox ubi in hypochondrio sinistro emergens à Centro Mesenterii (sub quo in Lumbari regione ipsum latere diximus) magis, magisque recedit, eidem licet annexum, hic inde circa regionem umbilicalem contorquetur, sicque in *Abdominis medutullio* penè coactum ibidem *Iliacos* sustinet *Dolores*, plurimùm itidem inter se *variantes*.

Dupliciter Intestina Dolore affici.

XIII. *Afficiuntur* autem in omni Dolore *Intestina* vel in *Tunicis*, *Membranis*ve suis *Internis*, secundùm suam *Cavitatem*, vel io *Externis* secuodùm suam *Superficiem*.

Dolorum in Intestinis causa interna.

XIV. *Causæ Internæ Dolorum Internorum Intestina* quævis afficientium quærendæ sunt in ipsorum *Contentis*, nunc io *Consistente* adhuc *forma* permanentibus, nunc in *Halitus*, *Flatus*ve priùs mutatis.

Externas hic non spectari.

XV. *Externas & simul Immediatas*, sive *Proximas Dolorum Intestinis* obortorum *Causas*, v. g. *Acus*, *Gladios*, &c. hic non spectamus, sed illas duntaxat, quæ intra corpus admissæ, pro *Internis* haberi possunt ac debent, quateous *Contentis* se admiscent, atque tunc unà cum Ipsis à se plùs minùs sæpè corruptis Dolores, aliaque patiunt.

1. Doloris Ardentis causa prima.

XVI. Ut autem singulis Dolorum speciebus *Causas* suas assignemus, existimamus 1. *Dolorem Ardentem* habere utplurimùm Ortum à *Bile Pinguiore* cum *Succo Pancreatico Acidiore* potenter, ac Vitiosè *Effervescente*: sicut notum Spiritum Vitrioli Oleo Terebithinæ affusum Effervescentiam excitare cum iogenti Calore & Ardore coojunctam.

XVII. Aliquando Eundem *Ardentem Dolorem* produci putamus *Sanguine* aut in Vasis Iotestinorum Capillaribus *Stagnante*, aut iisdem post distensionem summam ruptis *Effuso*, & *Inflammationem* pariente, accedente tun manifesta circa partem affectam *Pulsatione*, cujus ratione distinguitur à præcedente specie.

Altera. 2. Doloris algentis causa.

XVIII. 2. *Algemem*, Frigoreque gravi molestum *Dolorem* putamus Originem suam trahere à *Succo Pancreatico valdè Acido & Acri* cum *Bile minùs Pingui*, *vel Pauca*, *vel Pituitosis Humoribus simul obruta Effervescente*; sicut observamus Spiritum Vitrioli Sali Volatili cuivis, non tamen Oleoso, affusum, Effervescentia excitara cum notabili Algore ac Frigore copulatam.

Effervescentia cum frigore.

XIX. *Spiritus Acidi operationem in Frigore producendo multùm à Pituita promoveri* docet ipsa Doctorum æquè ac Imperitorum omnium Magistra Experientia.

Æstus & Frigus ab Effervescentia ubi sentiantur.

XX. *Æstus* quidem à prædicta Effervescentia vitiosa pendens imprimis ac ferè tantùm io *Regione Lumbari* sentitur, ubi confluxus est Bilis & Succi Pancreatici: *Frigus* autem non rarò in *loco inde remotiore* tantùm, vel primariò urget; quando nimirum *multa Pituita*, *eaque viscida* obducta est pars Intestini superior; quæ munit quidem contra molesti Frigoris Sensum Partem, quam tegit, non frangit autem aut impedit actionem Succi Pancreatici per se Frigus parientis; enervat verò & obtundit Oleositatem & Acrimoniam Bilis, cui tanquam primariæ Causæ Calor debetur, quoties Pituita hæc ad Bilis exitum occurtit copiosa vel viscida.

Ejus sensus causa Pituita Viscida.

XXI. Prout igitur Intestinum tenue magis vel minùs copiosa, viscidave Pituità est obductum, ita in loco prædictorum Humorum, Bilis, Succique Pancreatici, Confluxui remotiore, aut propinquiore Calor, Frigusve ex ipsorum Effervescentia vitiosa obortum sentitur.

3. Doloris perterebrantis causa.

XXII. 3. *Dolorem* partem quasi *Perterebrantem ac Fixum* adscribo *Succo Pancreatico multùm Acri*, *Viscidæque Pituitæ immisto*, & *Vitreæ Pituitæ* nomioe tunc noto: Perterebrationem autem Acrimoniæ Acidæ, Fixitatem verò Visciditati comiti assigno.

4. Contorsionis sensus unde.

XXIII. 4. Ubi non tantùm *Aciditatem acerrimam* habet *Succus Pancreaticus*, verùm *Austeritatem* quoque, tunc mirus accedit *Contorsionis Sensus* in parte affecta, qualis non raro in Colico urget ac torquet.

5. Dolor cū Gravitatis sensu unde.

XXIV. 5. A *Copiosa*, *Viscidaque Pituita* præ cæteris Humoribus peccante *Dolor* cum *Gravitatis sensu* excitari solet.

6. Doloris distendentis causa Flatus.

XXV. 6. Ab eadem *Pituita Viscida* in *Flatus rarefacta* & Intestina sola vel unà cum Abdomine distendente *Dolor Distendens* oritur.

Ab his Tympanites.

XXVI. *Flatibus* iisdem nunc in ipsorum Intestinorum cavitate permanentibus ac conclusis, nunc extra eadem quoque in Adominis cavum penetrantibus, ibidemque Peritonæum expandentibus ortum suum debet *Tympanites*.

Flatuum Materia & Efficiens.

XXVII. *Flatuum Materialis* quidem *Causa* est *Pituita Viscida*, *Efficiens* autem *Bilis*, tum *Acrimonia Salina*, tum *Oleositate volatili* peccans: quod præter alia probant quævis Olea aromatica, ex Seminibus præsertim elicita, Guttis aliquot assumpta, & Pituitam viscidam in Ventriculo vel Intestinis repertam mox in Flatus solveutia, eosdemque porrò etiam discutientia.

7. Doloris lancinantis & vagi causa.

XXVIII. 7. A *Succo Pancreatico Acidiore* in vitiosa sui cum Bile Effervescentia dominium habente excitati *Halitus Acres* atque intestina hinc inde pungentes io iisdem *Dolores* producunt *Lancinantes & Vagos*.

8. Rodentis ac urentis causa.

XXIX. 8. A *Bile Acrimonia Salina* peccaote, atque cum *Succo Pancreatico Humorem Salsum rodentem* constituente *Dolorem obscure Urentem ac Rodentem* gigni autumo; quod vel *Coryza* confirmat, in qua Humor Acido-Salsus à Cerebro per Nares distillans similem Rodentem Dolorem facere solet.

Ut & pruriginosi.

XXX. Ab eadem *Bile acriore*, atque *Salsum Humorem* constituente, tandemque ad *Anum* delata *Dolor Pruriginosus* excitatur, Ægris multis valdè molestus: qualem *Ascarides* quoque nonnunquam in Podice hærentes producunt.

Ascarides.

9. Doloris contundentis causa.

XXXI. 9. *Contundens Dolor* videtur mihi ortum ducere à *Pituita multa* cum *Succo Acido pauco* juncta.

10. Lacerātis causa.

XXXII. 10. *Lacerans* & Partem affectam sine Ardore *Rodens Dolor* debetur *Succo Acido puriori*, nec à Bile aut Pituita temperato vel fracto.

Pro causarum Diversa compositione Dolorū diversitas.

XXXIII. Prout enim Causæ jam memoratæ puriores ac solitariæ magis, aut cum aliis modis variis junctæ ac plùs minùs ab illis contemperatæ occurrunt, ita aliquam in Doloribus dictis pariunt diversitatem, verbis vix satis explicabilem.

1. Doloris Ardentis curatio.

XXXIV. *Curabitur* 1, *Dolor Ardens*, *Bilem Pinguiorem Temperando per Acida*, & imprimis per *Spiritum Nitri*; addendo simul *Aquea*, ut & *Spirituosa*, quin & *Suboleosa*, ac præsertim *Opiata*, & quidem varia forma eadem usurpando Exempli loco sunto sequentes Formulæ.

℞. Aq.

Mistura.

℞. *Aq. Cichorei,*
Acetosæ, an. ʒ iij.
Syr. Diacodii, vel
Papav. alb. ℥ j.
Spir. Nitri, Gutt. viij.
M.

Ejus Usus. Capiat Æger hanc Misturam tribus vel quatuor vicibus post aliquot horarum intervallum.

Emulsio. XXXV. Cui Emulsionis forma gratior est, sequenti aut simili utatur.

℞. *Hordei. mundat. ad crepaturam cocti*, ʒ jß,
Sem. papav. albi, ʒ iij.
Cucumer.
Melonum, an. ʒ ij.
Cum ejusdem Hordei decocto.
F. Emulsio ad ʒ xv.
addendo Ialapii rosati, ʒ j.
M.

Ejus Usus. Si lubet addatur Lapid. Prunell. ʒß. Hanc Emulsionem ad Uncias duas, tresve usurpet per intervalla Æger.

XXXVI. Ubi Dolor magis urget, aut hic blandis non cedit, sequens paretur Mistura.

Mistura.

℞. *Aq. Fumariæ, unc.* ij.
Fœniculi, vel
Cinnamomi; unc. ß.
Aceti stillatit. ʒ vj.
Spir. Nitri, Gutt. vj.
Laud. Opiat. Gran. iij.
Syr. Violac. sumpt. unc. j. ß.
M.

Ejus Usus. Sæpiùs sumat. Æger Cochleare unum hujus Misturæ donec tum Æstus, tum Dolor minuatur, vel paulatim Somnus obrepat.

Conditum Bilem evacuans, & simul alterans. XXXVII. Si *Copia* quoque *Bilis* peccare observetur, eandem blando purgante *Educi* nil vetat; in quem finem conducet *Conditum* sequens valdè gratum, simul Alterans.

℞. *Pulpæ Tamarind. unc.* ij.
Conf. Rosar. pallid. ʒ x.
Elect. e Succo Rosar unc. i.
Salis Tartar Vitriolat. ʒ j.
M. f. Conditum.

Ejus Usus. Hujus accipiat Æger ad Nucis Moschatæ quantitatem, aut aliquanto plùs; pro cujusque Ægri constitutione diversa, & quidem aut eundo cubitum hora una post cœnam mediocrem, aut manè stomacho jejuno. Potest quoque dissolvi conveniente Liquore, atque Haustuli forma usurpari. Poterit etiam *Electuarium* nostrum *Cholagogum* suprà Cap. 2. §. 46. descriptum, sicut ibi dictum, in usum revocari.

XXXVIII. *Inflammationis Generationem* ac *Curationem* Pluribus persequemur Cap. 40. hujus Libri.

XXXIX. Curabitur 2. *Algens* ac cum molesto *Frigore* urgens *Dolor*, *Temperando Succi Pancreatici Aciditatem* nimis *Acrem Sale Lixivo* tam *Fixo*, quàm *Volatili*, adeòque Ipso *Spiritu Volatili*, ut & *Oleosis*, & *Aqueis*: quorum plura si fuerint simul mista, plùs quoque præstabunt. — *2. Doloris Algentis curatio.*

& quibus fiat. XL. Conducet proinde *Spiritus Vini Aromaticus* quivis, utpote Sale quoque Volatili & Oleoso præditus; ut & *Aqua Theriacalis* quævis, cum Vini Spiritu parata, quippe quæ ab *Opio* ipso egregiam vitiosum Succum temperandi vim obtinuit. Huc quoque faciunt *Coralia*, *Margaritæ*, *Oculi Cancri*, *Antimonium Diaphoreticum*, &c. Quæ omnia plùs præstabunt, si ad Sudorem Corpus componatur, & adhuc plus, si actu Sudor blandè propellatur.

Haustulus sudorificus. XLI. In hunc finem sequens formula præscribi poterit.

℞. *Aq. Fœniculi.*
Theriac. simpl. an. unc. ß.
Salis Absinthii, ℈ j.
Ocul. Cancr. ℈ ß.
Syr. Card. bened. unc ß.
M. f. Haustulus, una vice assumendus:

Ejus Usus. Cui, si Dolor valde urgeat, addi poterit *Laud. Opiat.* Gran. j. & eodem assumpto vel Foco assideat, vel in Lecto aptè tectus se contineat Æger Sudorem præstolaturus.

XLII. Cui Sudare molestum, is sequentis Misturæ Cochleare unum subinde assumat, donec tam Dolor; quàm Frigus remiserint, aut cessarint. — *Mistura dolorem frigidum sedàs.*

℞. *Aq. menthæ*, ℥ ij.
Vitæ Matthioli; vel
Tinct Cinnamom. unc. ß.
Laud. Opiat. Gran. ij.
Ol. Garyophyllor. Gutt. iij.
Syr. 5. *Rad.* ℥ j.
M.

XLIII. Inter *Evacuantia* nulla hic conveniunt Doloribus urgentibus, nisi *Sudorifera* jam laudata, vel *Diuretica*. *Vomitoriis* verò, nisi sponte & satis facilè procedente Vomitione, abstinendum, atque tunc quoque addenda semper, quæ Acidum temperent, Juscula puta Pinguia, & similia. Sic nec *Purgantia per Alvum* exhibenda, nisi Temperato priùs humore acido, aut concurrente simul Bile & Pituita copiosa, non tamen valde Viscida. — *Abstinendum à Vomitoriis, & purgantibus.*

XLIV. Quæ autem tunc conducunt *Medicamenta*, notata sunt ex parte suprà, Cap. 9. 54. & 55.

XLV. *Curabitur 3. Dolor Perterebrans*, *Fixusque*, *Corrigendo*, *Temperandoque* tum *Acrimoniam Succi Pancreatici Acidam*, tum *Viscidita tem Pituitæ* comitem: quod imprimis præstant *Gummi Aromatica*, *Galbanum*, *Sagapenum*, *Bdellium*, *Ammoniacum*, *Opopanax*, *Mastiche*, *Myrrha*, &c. ut & *Sal Volatile* quodvis, at imprimis *Oleosum*. Quinimò quò quid Sale Volatili, sed Oleoso magis abundabit, eò potentiùs ac efficaciùs Pituitam Vitream dictam, Humorem pessimum corriget. Unde *Oleum Cornu Cervi* non minùs potens, quàm ingratum est in hoc Affectu remedium. — *3. Dolor perterebrãs quò curetur. & quibus*

XLVI. Conveniet quoque in rebelli ac duplicato hoc Humore debellando *Balsamus Sulphuris* & *Anisatus*, & *Succinatus*, & *Iuniperatus*, & cum quovis Oleo aromatico paratus. — *Balsamus sulphuris compositus.*

XLVII. Conducet etiam in hoc opere absolvendo *Spiritus vini Aromaticus* quivis, plùs minùs compositus, addito, si lubet, *Oleo Aromatico*, ipsoque aliquando *Opio*, vel *Laudano Opiato*, & aliis. — *Spiritus Vini aromaticus.*

XLVIII. *Mistura* sequens cochleatim sæpius usurpata multùm proderit. — *Mistura.*

℞. *Aq. Menthæ*,
Fœniculi, an. ℥ j.
Cochleariæ,
Vitæ Matthioli, vel
Cujusvis Arom. an. unc. ß.
Ol. Macis stillat Gutt. iv.
Laud. Opiat. Gran. iij.
Syr. Fœniculi, ℥ j.
M.

XLIX. Si Cui *Decocti* forma magis placeat, sequens parari poterit, & ad *Uncias* tres aut plures aliquoties in die assumi. — *Decoctis.*

℞. *Cort. Rad Levistici*, ʒ ij.
Ligni Guajac. unc. ß.
Ras. Ligni ejusdem, *unc.* iij.
Sassafras, unc. j.
Bacc. Lauri, unc. ß.
Sem. Sileris montan.
Fœnicul. dulc. an. ʒ iij.
Coq. s. a. ex Aq. pura,
In colat. unc. xL. dissolv.
Syr. Bizantini, unc. iv.
Spir. Vini rectificat. unc. ij.
M.

Si quis volet hoc *Decoctum* simul blandè *Purgans* Humorem priùs ex parte correctum, incoquatur illi *Pulpæ Colocynthid.* ʒ. j.

L. Ad Ejusdem *Pituitæ Vitreæ* ex parte correctæ ulteriorem *Correctionem*, atque blandam *eductionem* utiles erunt sequentes Pilulæ. — *Pilulæ Pituitã Vitreã corrigentes, ac educentes.*

℞. Gum-

℞. *Gummi Galbani aceto squillitico præp.* ℈ ij.
Vitrioli Martis ad Albedinem igne ulando lentè calcinati,
Mastich. elect. an. ℈j.
Castorei opt.
Myrrhæ rub. an. Gran. xv,
Croci Orient. ℈ß.
Trochiscor. Albandal, ℥ j.
Resinæ Ialapp.
Scammonii, an, ℈ j.
Ol. Cort. Citri, Gut. vj.
M. f. P. N. L,
Inaurandæ, aut Glycyrrhizæ pulvere respergendæ.

Earũ Usus

Harum *Pilularum* tres, pluresve sumat subinde post cœnam cubitum iturus Æger, aut manè stomacho vacuo quinque, vel tot, quot desiderabuntur, ut lentè ac benignè vitiosi Humores expellantur,

4. Dolorem cum Cõtorsionis sensu curat Spiritus Salis Armoniaci,

LI. *Curabitur* 4 cum *Contorsionis Sensu* conjunctus *Dolor*, & à *Succi Pancreatici Austeritate* ejusdem aciditati copulata ortus exhibendo sæpius *Spiritum Salis Armoniaci*, utpote in Austeritate corrigenda multiplici usu comprobatum remedium, & quidem ad Guttas iij. iv. pluresve, aut in Vino, aut potiùs in conveniente Mistura, non semel in hoc Libello præscripta.

Tinctura Castorei.

LII. Conducet hic quoque *Tinctura Castorei*, itidem ex vino ad paucas Guttas usurpanda, vel potiùs alicui *Misturæ* cochleatim assumendæ addenda; sic Ex. gr.

Mistura.

℞. *Aq. pulegii, unc.* ij.
Fœniculi, unc. j.
Tincturæ Castorei, ℥ iij.
Laud. opiat. Gran. ij.
Syr. menthæ, ℥ vij.
M.

5. Dolor cũ gravitatis sensu qui curetur,

LIII. *Curabitur* 5. cum *Gravitatis Sensu* molestus *Dolor à copiosa*, *Viscidaque Pituita* oriundus, per Medicamenta Ipsam tum *Corrigentia & Incidentia*, tum paulatim *Evacuantia* Cap. 2. §. 28. & seq. memorata

6. Dolor distēdens & à flatibus qui curetur.

LIV. Curabitur 6. *Distendens*, & à *Flatibus* excitatus *Dolor*, tum *Corrigendo Pituitam Viscidam*, & *Bilem Acriorem*; tum blandè ac successivè *Evacuando utramque Copia* simul peccantem; tum *Discutiendo Flatus*, aut *Cohibendo*, *Impediendoque* ipsorum *Productionem*.

Externa in Dolorũ horum cura.

LV. Præterea, quæ; hinc inde in hoc & aliquot superioribus Capitibus ad *Utriusque Humoris* peccantis *Correctionem* ac *Eductionem* retulimus, hic quædam *Externa* in hoc Affectu commodè usurpanda subjungemus.

Ad Pituitã solvendam & flatus discutiendos Linimentũ.

LVI. *Pituitæ* igitur *Viscidæ Solvendæ*, quin & *Flatibus* ex ipsa ortis *Discutiendis* conducent apprimè *Unguenta Martiatum*, & *Althææ compositum*, &c. additis *Oleis Chamæmælino*; *Liliorum Alborum*, *Laurino*, &c. si Abdomen, & imprimis pars ejus superior illis inungatur. Exempli gratia.

℞. *Unguent. Alth. comp.*
Ol. lilior. alb. an. ℥ß.
de Lateribus, Philosophorum dicti, ℥j.
M. f. Linimentum.

Ejus Usus.

Hoc Infantium cubitum iturorum abdomen totum si aliquandiu inungatur, mirum quàm fœliciter Pituita in eorundem ventre contenta dissolvatur, & Flatus inde geniti & Abdomen totum distendentes discutiantur, atque Universi corporis Contabescentia cum Alvo plerumque laxiore consequens paulatim curetur; quemadmodum id sexcenties sum expertus.

Vires,

Tumoris in sinistro Hypocondrio prægrandis curatio.

LVII. Viro annos quinquaginta circiter nato, & Tumorem in sinistro Hypochondrio prægrandem; inæqualem, durumque, Brachium æquantem, ac dextrorsum secundùm frequentissimum Coli situm protensum, atque Lieni ab aliis Medicis adscriptum, habenti unà cum aliis Hypocondriacæ Affectionis Symptomatibus ante annos viginti Amstelodami sequens *Linimentum* ac *Emplastrum* toti superiori Abdominis regioni applicandum præscripsi, præter *Pilulas* ex Gummi paratas, non semel in hoc Libello descriptas: quorum ope paulatim emollitus, atque maximà ex parte sublatus est idem Tumor.

Linimentũ.

℞. *Unguent. alth. comp.*
Ol. capparum, an. ℥ j.
Philosophor. ℥ ij.
M.

Emplastrũ Flatus & Tumores discutiens.

LVIII. Emplastrum, quo fœliciter usus est idem, quoniam non semel ipsum in Flatuum & Tumorum inde ortorum Discussione efficax comperi, in Juniorum Medicorum gratiam hic adscribam.

Emplastrum carminans Sylvii.

℞. *Gum. Galbani,*
Bdellii.
Ammoniac. an. ℥ß.
Thuris Masculi,
Myrrh. rubeæ, an. ℥ ij.
Opij Thebaic. ℥ j.
Dissolv. in Aceto Squillino.
iterumque inspissatis adde
Ceræ Citrinæ,
Colophoniæ, an. ℥ iij.
Balsam. Peruviani,
Ol. Philosophor. an, ℥j.
Terræ, ℥ß.
Carvi distillat. ℈ß.
Terebinth. Venet. q. s.
M. f. s. a. Emplastrum.

Ejus Usus.

Hoc Emplastrum extendendum super alutam, eamque formatam priùs secundùm Tumoris amplitudinem & figuram charta ei imposita & dissecta observandam.

Flatus discutere Salia Volatilia oleosa.

LIX. *Flatus* potenter simul & blandè *Discutiunt* præ aliis multis *Salia Volatilia*, sed *Oleosa*. In quorum Usu aliquid observavi notatu dignum, produci nempe ab iisdem Flatus, quoties in Ventriculo aut Intestinis hæret Pituita Viscida, sed Flatus mox eorundem vi dissipabiles ac erumpentes, aliterve disparentes; unde arguimus Flatus ex Humoribus in corpore vitiosis ortos, & plus minùsve Viscidos sensim à dictis Salibus discuti posse & aboleri; quod ipsa etiam confirmat Experientia.

Ab iisdem Pituitam viscidam incidi.

LX. In quorum Salium Oleosorum Usu id quoque notabile, *Pituitam Viscidam* sensim ab iisdem *incidi ac emendari*; adeò ut, quicquid ferè ad sui Curationem tum Flatus ipsi, tum ipsorum Materia desiderabant, id omne præstare possint Salia hæc Oleosa.

Bilis acrimoniã corrigit Spiritus Nitri.

LXI. Ad *Bilis Acrimoniam* tunc semper simul plus minùs peccantem corrigendam conducit præ cæteris omnibus *Spiritus Nitri*, Flatus simul discutiens, ad Subsidendum saltem cogens, novumque ipsorum exortum impediens: de quo, & aliis huc facientibus actum jam suprà Cap. 9. §. 26. & seq.

7. Doloris Lancinantis & Vagi Curatio.

LXII. *Curabitur* 7. *Lancinans* & *Vagus ab Acidis & Acribus Halitibus* originem trahens *Dolor*, *Temperando* illam *Aciditatem acrem* medicamentis *Aromaticis*, & *Sale Volatili Oleoso* prædita, ac præsertim *Opiatis* simul additis, non semel hinc inde in hoc Libello descriptis; & *expellendo* blandè Humores & Halitus peccantes foras per *Sudorifera*, eosdem simul Temperantia; rariùs verò, nec nisi præmissa Humorum vitiosorum Correctione ac temperatione, usurpatis *Purgantibus* per Alvum. De quibus omnibus non semel actum in hoc Tractatulo.

8. Doloris Rodentis & Urentis curatio.

LXIII. *Curabitur* 8. *Rodens ac Urens à Bile Acri Dolor Medicamentis* tum *Acido-austeris*, Omphacio, Granatorum Succo, &c. tum *Oleosis* variis, *Emulsionibus* præsertim ex Hordeo, Amygdalis dulcibus, seminibus Papaveris albi, & similibus paratis; ut & *Alimentis Viscidioribus*, Piscibus nempe Marinis, & quorumvis Animalium extremis, plurimum Gelatinæ promentibus, Pedibus, Capitibus, &c.

Chologoga blanda.

LXIV. Eadem *Bilis*, quoties *quantitate nimia* simul peccat, *Cholagogis* blandis & subacidis præsertim, Tamarindis, Cassia, & similibus Minuenda, Educendaque.

Ascaridis tollentia.

LXV. *Ascarides Rodentem in Podice Dolorem parientes* inde Vivi, Mortuive *tollendi*, & ipsorum exortus novus impediendus.

Necantia.

LXVI. *Ascarides necant Amara dulcibus juncta*; *Suppositoria* ex Aloe, Absinthio, &c. atque Melle parata & immissa; quæ ipsorum remotionem, Exclusionemque simul promovent.

Eorum Exortus impedientia.

LXVII. *Exortum Ascaridum impediunt Medicamenta* quosvis *Humores* in corpore *vitiosos*, ac præcipuè *Pituitosos* tum *Corrigentia*, tum *Expellentia* passim ac sæpe nominata.

9. Doloris contundētis curatio.

LXVIII. *Curabitur 9. Contundens ac Pituitæ multæ, Acidoque pauco debitus Dolor, Minuendo Pituitam* per *Phlegmagoga* sæpiùs recensita. *Temperandoque Acidum per Spirituosa, Oleosa, & Salina tum fixa*, tum *volatilia* hinc inde notata.

10. Doloris lacerantis curatio.

LXIX. *Curabitur 10. Lacerans* & sine ardore *Rodens Dolor puro*, necà cæteris fracto *Acido* adscribendus, Medicamentis *Acidum* potenter *Concentrantibus, aut Mitigantibus*, inter quæ primas tenent *Opiata*. Huc faciunt Aromatica omnia, tum Spirituosa, tum Oleosa sæpiùs laudata.

LXX. Nec difficile erit ex iis, quæ hic de Dolorum variorum Ortu ac Curatione protulimus, aliorum adhuc magis obscurorum vel complicatorum, nec forsan hic explicatorum Causas veras & Curandi rationem invenire.

CAPUT XV.

De Contentorum in Intestinis Vomitione, ac nominatim de Cholera Morbo & Ileo.

Motus Contentorum in Intestinis secundum, & præter Naturam.

I. INtestinorum *Contenta* secundùm Naturam quidem aut in *Lacteas Venas propelluntur*, quatenus Corpori nutriendo sunt utilia; aut per *Anum expelluntur*, quatenus eidem alendo sunt inutilia: *Præter Naturam* verò Eadem unà cum confluentibus Humoribus aut *excluduntur nimiùm* per *Alvum*, in *Albi Fluxu* inde dicto, de quo Cap. 13. actum; aut Motu Intestinorum peristaltico inverso *Repelluntur sursum in Ventriculum*, atque inde consistente forma *Evomuntur*, vel Vaporis, Halitus, Flatusve forma *Exhalantur*, *Eructanturve*; Aliquando per *Intestinorum Vulnera*, *vel Ulcera* (da quibus agendum alibi) *Excernuntur* aut in *Abdominis cavitatem*, aut *extra corpus*.

Flatuum & Halituū eruptio.

II. *Flatus* ergò erumpunt in *Ructatione*; *Halitus* verò in *Oscitatione & Hypochondriaca Suffocatione*, in qua non rarò *Flatus* quoque attolluntur; De quibus ex parte actum Cap. 9. Affectus, in quo *Vapores* assurgere observentur, nullus succurrit.

Vomitus ab Intestinis procedens varius

III. *Vomitus* verò *ab Intestinis procedens* pro Materiæ excretæ varietate differt: Aliàs enim *Alimenta* ad Intestina priùs depulsa repelluntur: Aliàs *Humores* ad Intestina delati &, vel sinceri, purique, Biliosi, Pituitosi, Serosi; vel Amari, Acidi; Austeri, Salsi, Dulces, Insipidi, &c. vel Flavi, Virides, Cærulei, Atri, Albi, Aqueive & Clari, &c vel variè mixti: Aliàs *Fæces Alvinæ*: Aliàs *Sanguis*, vel etiam *Pus*, aliave ab Intestinis assurgentia Vomitu excernuntur.

Ejus causa primaria.

IV. Primaria multiplicis hujus Vomitionis omnis *Causa* est *Motus Intestinorum Peristalticus inversus* & in sui consensum, similemque Mutus Inversionem Ventriculum trahens, imò cogens.

Ubi incipiat.

V. *Incipit* frequentiùs hæc *Motus Inversio* à loco Insertionis utriusque Ductus Bilarii & Pancreatici; rarissimè ab ipso Podice; subinde ab hac, vel illa Intestini tenuis parte, Gangræna vel alio gravi Affectu laborante.

Causa cur à loco Insertionis Ductus

VI. A loco Insertionis Gemini Ductus contingit Motus Intestinorum Inversio, propter potentem ac *violentam Humorum acrium* in corpore jam existentium, aut à nuper assumptus corruptorum irritatorumve *Effervescentiam*.

VII. Existentes in Corpore Humores Acres sunt *Bilis & Succus Pancreaticus*, à naturali statu recedentes, ut & aliquando *Saliva* vel *Acida*, vel *Salsa* deglutita & ad Intestina deducta.

Bilarii & Pancreatici incipias Vomitio.

Quinam Humores in corpore sint acres.

VIII. Assumpta præfatos Humores corrumpentia, & ad vitiosè effervescendum irritantia sunt vel *Fructus Horarii*, *Cerasa*, *Pruna*. *Melones*, *Mala Persica*, *Uvæ &c.* Ipsumque adeò *Mustum*: vel *Medicamenta* quævis *Acria*, & alterutrum dictorum Humorum Acriorem reddentia, ut & *Vomitoria*, vel *Venena certa*, *Arsenicum*, *Auripigmentum*, &c. quò & *Mercurius sublimatus corrosivus* referri potest, imò debet, postquam purus, nec fractus, minima licet quantitate introsumptus omnia turbat & corrumpit.

Quanam assumpta Humores corrumpat.

Cholera Morbus quid.

IX. Quoties autem aut sponte ab Humoribus in Corpore præexistentibus, aut ob externum erratum in Diæta commissum *Humores Biliosi tam sursum, quàm deorsum* magna vi & copiosè unà cum comitibus Anxietatibus præcordiorum molestis excernuntur, *Cholera Morbus* dici solet iste Affectus.

In Affectione & Suffocatione Hypochondriaca

Ut & in Scorbuto varios Humores evomi.

X. In *Affectione*, atque *Suffocatione Hypochondriaca*, ipsoque *Scorbuto* excitantur nonnunquam, & quidem Sponte Vomitus Humorum variorum, Tenuiorum, vel Crassiorum; Viscidiorum, vel Fluidiorum; Amarorum, vel Acidorum, vel Salsorum, vel Austerorum, vel Dulcium, vel Insipidorum, Flavorum, vel Viridium, vel Cæruleorum, vel Atrorum, Alborum, vel Aqueorum sive Crystallinorum, vel Variegatorum: adeò ut admodùm difficulter omnes in variis, aut iisdem etiam Ægris occurrentes differentiæ numerari, aut in certum ordinem redigi queant.

Sanguinem aliquando evomi & ob quam causam.

XI. Aliquando *Sanguis* quoque vi sursum effunditur ab Intestinis per *Vomitum*, quem suspicor ego, si non semper, ut plurimùm saltem ex *Pancreate* prodire, propter *Vas* aliquod in ipso *a Succo acriore apertum*; atque Ipsum, concurrente tunc simul Effervescentia cum Bile vitiosa, sursum propelli ad Ventriculum, ut evomatur; dum plerunque pars aliqua descendit ad inferiora, ut per Alvum excernatur.

Doloris Lumborum & Puris Vomitus, ac Dejectiones Spontanea in muliere curatio.

XII. Curavi ante annos circiter viginti Coloniensis Nautæ Viduam ex summo Animi Mœrore propter Mariti obitum, si Memoria mea me non fallit, contracto, in *Dolorem Lumborum* gravem ac diuturnum, hinc & *Puris Vomitum* ac *Dejectionem Spontaneam* prolapsam, & à vocatis Medicis pro incurabili relictam, Vini tamen Saccharati, calefactique per vices assumpti ope paulatim restitutam; post septennium verò itidem ex Mœrore Animi grandi in Dolorem Lumborum similem ac vehementem deductam. Conjectans pruinde ex superioris Affectus narratione latere in loco affecto *Pus* ex prævia *Inflammatione* productum, ac collectum, bis exhibui ei *Vomitorium Antimoniale*, & quidem, si rectè memini, *Sapam Vomitoriam*; Cujus ope excrevit primo die per Vomitum Puris satis benè cocti plus quàm Pintam, sive Uncias viginti, per Alvum verò ejusdem bonam quantitatem; uno autem, alterove die interposito iterati Vomitorii beneficio denuò Puris aliquam, minorem tamen, quàm priùs, partem sursum, deorsumque evacuavit, atque paucis exhibitis cardiacis & putredini resistentibus medicamentis brevi perfectæ sanitati est restituta.

Pus per Vomitori à ejectam.

Hoc ex Pancreate prodiisse.

XIII. Ex *Pancreate Pus* illud vel idcircò prodiisse putavi, quòd illi Situi responderet Locus affectus; quodque non semel post mortem in Pancreate offenderim Pus majore, minore copia collectum, nunquam verò in ulla alia parte, qua via à pateret ad Intestina.

Sanguinis Vomitus à Pancreate.

XIV. Eadem ratio facit, ut *Sanguinis Vomitum*, non à *Liene*, non ab *Hepate*, non à *Mensenterio*, sed à solo *Pancreate*, salvis tamen aliorum judi-

judicio vel observatione, conjectem ac censeam deducendum.

Causa, cur à Podice incipiat vomitus,

XV. A *Podice* quoties *incipit Motus Intestinorum Peristalticus inverti*, toties *Humorem acerrimum* ipsi adhærere autumo, cùm *solis Lenientibus & Acria Temperantibus* curati soleat. Nunquam enim talis æger mihi occurrit curandus, ut accuratum in ipso Symptomatum omnium instituere potuissem examen, hinc & judicium de singulis ferre solidum.

Ileus quid,

XVI. Non infrequenter *in hac vel illa Tenuis Intestini parte incipit Motus ipsius Peristalticus inverti*, cum insequente *Alvinarum Fæcum Evomitione*, ab affecto *Intestino*, *Ileo* Medicis vocato, itidem *Ileo* Practicis dicta.

Ejus causa. 1. intestini Gangræna,

XVII. Binas hujus mali *Causas* observavi in demortuorum sectione, alteram quidem *Intestini Gangrænam*, ipsamque comitantem Intestini corrupti Corrugationem, & Coarctationem tantam, ut Fæcibus transitus deorsum omnis denegaretur, quin eædem ad regressum sursum adeoque per Vomitum egressum miserandum cogerentur.

2. Intestini ingressus in partem proximam,

XVIII. Altera hujus mali *Causa* post mortem à me deprehensa fuit *Intestini tenuis parte quavis coarctati Ingressus in partem proximam, sed Flatu solito magis expansam*: Unde similiter Alvinis fæcibus transitus ad alvum omnis præcludebatur, consequente mox earundem regressu & ascensu ad Ventriculum, cum miserabili ipsarum Evomitione.

Eamque vel inferiori vel superiorem.

XIX. Judicavi autem modo dicto illum contigisse Intestini tenuis in partem proximam Ingressum, & quidem nunc partis superioris in proximam inferiorem, nunc inferioris in superiorem; quoniam observaveram sæpiùs 1. Intestinum tenue variis in locis Flatu distentum, atque in partibus proximis tam superioribus, quàm inferioribus ad notabilem longitudinem arctissimè contractum. 2. Ægros eosdem torminibus pressos corpus suum mirè agitasse ac non rarò subitò inflexisse. Ista verò inflexione sæpiùs repetita contingere potuit, ut subinde ob relaxatum in alterutro extremo Intestinum ulteriùs pressus Flatus locum concederet opposito Intestini adhuc coarctati extremo sese in satis sufficienter expansi Intestini cavitatem insinuandi, succedente mox ejusdem Intestini à propulso Flatu liberati, coarctatione satis violenta circa partem proximam insinuatam.

Quando Curationis est spes, & quando non.

XX. Quoties autem pars Intestini Inferior subit Superiorem, toties aut sponte per assumpta alimenta, aut arte per pilulas plumbeas, aureasve deglutitas Curationis spes superest; non item, quando pars Intestini Superior ingreditur Inferiorem, quoniam sensim ulteriùs pergit pars conclusa, unde augetur magis magisque angustia, omnisque præcluditur contentis descensus, quocirca necessariò, certòque inde venit expectanda Mors.

Intestinum non posse convolvi.

XXI. Fit quoque *Intestini Contorti ac Convoluti* mentio frequens apud Practicos, cujus non tantùm exemplum post diligentem investigationem reperi nullum, quin vix posse fieri puto, ut nodo quasi complicentur, intricenturque Intestina tenuia.

Hernia intestinalis causa Vomitionis Fæc.

XXII. *Alvinarum* interim *Fæcum per Vomitum Excretionis Causa* in praxi haud infrequens occurrit *Hernia Intestinalis* non quidem omnis, sed talis & tanta, ut *per foramen angustius* excidentia *Intestina tenuia, & crassa quoque*, vel ob propriam molem, vel ob sua contenta perpetuò appellentia, ibidemque morantia, *per idem foramen reponi nequeant, ut nec contentis allabentibus transitum deorsum præbere*; unde Contenta continuò magis, magisque compacta & indurata, interdumque dissolvi nescia Tumorem durum pariunt & insuperabilem, quin Sanguinis refluxum quoque impedientia *Inflammationi*, atque mox subsequenti Intestinorum *Gangrenæ*, hinc & *Fæcum per os Evomitioni* ansam præbent.

Ista Mala quibus augeantur,

XXIII. Mala ista omnia non rarò augentur, aut producuntur à *Fomentationibus* perperam & nimis calentibus applicatis; ut & à præpostera, fortique *Frictione* partis tumentis; denique à *Vitumentibus* Intestinis ad illorum repulsionem illata.

Vomitionis farum curatio.

XXIV. *Vomitionis* hujus *multifariæ Curatio* absolvetur pro cujusque *Causæ varietate diversimode*.

Humores acriores quando ab iis pendet, corrigendi.

XXV. Quoties igitur à *vitiosa confluentium Humorum Acriorum Effervescentia* pendet Intestinorum ad peristaltici sui Motus Inversionem irritatio, toties *Humores* illi *Acriores Corrigendi* sunt ac *Temperandi*, *imo Sopiendi* unà cum Ipsa eorum *Effervescentia*.

XXVI. Quæ *Humores* tum *Biliosos*, tum *Pancreaticos acriores Temperent*, non semel proposita sunt in superioribus Medicamenta: quibus ad *Effervescentiam vitiosam compescendam*, *Sensumque Intestinorum* ex parte saltem *Sopiendum* addenda sunt semper *Opiata*, itidem non semel nominata.

Fit hoc sequenti Mistura.

XXVII. In quorumvia autem Humorum sive Salinorum, sive Acidorum Acrimonia peccante conducet Mixtura sequens cochleatim per intervalla brevia usurpanda.

℞. *Diascord. Fracast.* ʒij.
Conf. Hyacinthor. ʒj.
Syr papav. albi, unc. j.
Aq. plantag. unc. ij.
Fœniculi, unc. j.
M.

Humores post correctionem evacuandi.

XXVIII. Ubi sedatus est hic Vomitus, si *redundare* videantur prædicti Humores, post sufficientem ipsorum temperationem, *Evacuari* ac *Minui* poterunt ipsi *per alvum*, exhibitis *Purgantibus* vel *Cholagogis*, vel *Hydrgagois* sæpiùs memoratis.

Si sedari nequeat Vomitus, exhibendum.

XXIX. Quòd *si sedari nequeat Vomitus ob Humores copiosos in corpore existentes*, atque *vi sursum exitum affectantes*, *Vomitorium blandum* exhiberi nil vetat, additis subinde, quæ Humores simul *temperent*, *nimiamque* ipsorum *Effervescentiam* quodammodo *sedent ac compescant*, ipsisque adeò, necessitate urgente, *Opiatis*, sed quantitate parva. Ex. g.

℞. *Oxysacchar. Vomitor.* ʒji.
Laud. Opiat. Gran. ß. vel. j.
Aq. Menthæ q. s.
M. f. Haustulus.

Vomitorii blandi.

XXX. Assumpto isto Vomitorio, post bonam Humorum peccantium partem sursum, deorsumve excretam, si perseveret adhuc Nausea, vel Vomitus, usurpetur *Mistura* modò præscripta, vel pro Humoris maximè peccantis diversitate similiter alia.

Mistura succum acidum temperans

XXXI. Nam si *Succus Acidus* exuperet, tunc.

℞. *Aq. Menthæ,*
Fœniculi, an. unc. j.
Vitæ Macthiol. unc. ß.
Theriac. veteris, ʒij.
vel *Laud. Opiat.* Gran. ij.
Syr. Myrtini, unc. j.
M.

Mistura Bilis acrimoniam corrigens

XXXII. Quòd si *Acrimonia Bilis* redundet, tunc,

Aq Plantag.
Portulac. an. unc. j.
Spir. Salis dulcis, ℈ß.
Diascord. Frac. ʒiß.
vel *Laud. Opiat,* Gran. ii.
Syr. Portulac. unc. j.
M.

XXXIII. Quemadmodum Pancreaticus Succus, sic & *Saliva* cæterique à *capite delabentes humores acriores corrigendi*, *temperandi*, ac *Evacuandi* sunt.

Cholera morbus ab Horariis Fructibus qui curetur.

XXXIV. Quoties ab *Horariis* ac brevi corrumpi solitis *Fructibus Cholera Morbus* excitatur, toties *Opiatis* præstantissimis compescenda nimia *Humorum Effervescentia* in tenui intestino excitata; in quem finem pro re nata una ex tribus

bus mox præſcriptis *Mixturis* uſurpari poterit donec ſedetur ac compeſcatur efferus Humorum conturbatorum, omniaque in corpore ad Internecionem nonnunquam conturbantium Motus.

A vomitoriis vomitus nimius opiatis compeſcitur.

XXXV. *Vomitoria Medicamenta* perperam vel nimia quantitate aſſumpta, & Vomitum immanem producentia ſolis *Opiatis* compeſci poſſunt ac devinci. Unde iterum hic commendo laudatas modò *Mixturas*, vel alias ſimiles: cum facilè ſit plures tales formare.

Vomitus à Venenis curatur Oleoſis.

XXXVI. Inter *Venena Vomitus* enormes atque utplurimùm lethales producentia tum *Arſenicum* & *Auripigmentum*, tum *Mercurium Sublimatum corroſivum* retulimus: quæ omnia propter latentem, manifeſtamve ſuam Acrimoniam fœliciſſimè temperantur, & ad blandiorem excretionem præparantur *Oleoſis*, *Juſculis puta pinguibus*, *Oleo expreſſo quovis*, *Lacte*, *Butyro* & ſimilibus: inter quæ *Lac* etiam ab ipſis *coagulari* ſolet, rurſumque excerni, unde hactenus quoque prodeſt, quatenus ſcilicet promptiùs illi ſe jungunt Venena ipſam coagulantia; & eo ipſo vim ſuam nocentem amittunt. Tamdiu autem uſurpanda ſunt pinguia, quandiu Dolor, Nauſea, vel Vomitus permanent.

Ut & Opiatis.

XXXVII. Poſſunt præterea utiliter uſurpari *Opiata* ſæpiùs jam memorata, & laudata: quippe quæ Acrimoniam omnem non minùs Temperent, ac Effervеſcentiam Inſequentem Compeſcant, quàm Senſum Externum Sopiant.

XXXVIII. *Affectionis*, *Suffocationiſque Hypochondriacæ*, ut & *Scorbuti*, cum Affectus ſint ex variis, pluribuſque complicati, *Tractatio*, & *Curatio* tradetur commodius inferiùs.

Sanguinis vomitio qui curetur.

XXXIX. Undecumque *Sanguis* prodeat, qui *Vomitu excluditur*, quoniam ſemper Vas ruptum, apertumque indicat, ſequiturque, *promptam læſi vaſis Conſolidationem* deſiderat, ſine qua compeſci nequit tam noxius vitæ Sanguinis effluxus. Cui conducet *Miſtura* Cap. 9. §. 20. præſcripta, vel alia ſimilis.

Concretus Sāguis quibus diſſolvatur.

XL. Quod ſi *Concretus* putetur, metuaturve in Cavitate Inteſtinorum *Sanguis*, ad ejuſdem Solutionem addentur eidem Miſturæ *Oculi Cancri*, *Antimonium Diaphoreticum*, *Sperma Ceti*, & ſimilia; ut annotatum ibidem §. 21. Non enim nocebit talia ſimul uſurpaſſe, quamvis nullus reſtitiſſet in Fiſtula Inteſtinali Sanguis.

Regula Practicis obſervanda.

XLI. Hæc namque continuò eſt à Prudentibus Practicis obſervanda Regula Aurea, *Ut in Caſibus dubiis ac incertis Medicamenta in Uſum revocentur, quæ tantùm prodeſſe, nullatenus nocere poſſint Ægris, conjectatis ſive laborent, ſive non laborent Affectibus.*

Puris excretio qui curetur.

XLII. *Puris Excretio per Vomitum ac Dejectionem Alvinam* non ſiſtenda, ſed *blandè promovenda*, cùm ſit Humor toto genere præter naturam, hominique omni ex parte noxius; Ejuſdem autem *novus ortus*, quantum licet, *impediendus*, cùm ex Sanguine, Ignis noſtri Vitalis fomite, partiumque corporis omnium, tam continentium, quàm contentarum pabulo, generetur.

Ei maximè conducere Medicamenta Antimonialia.

XLIII. Inter omnia, quæ *Puris Excretionem moveant*, vel *promoveant*, prætero ac commendo *Antimonialia Medicamenta*, quippe quæ obſervavi ſæpenumerò habere inſuper *vim corrigendi noxas corpori à Pure contingentes*, quin *novam Puris productionem impediendi*, poſtquam *non minùs Corporis humani, quàm Auri purificationi ſervit Antimonium ritè tam præparatum, quam adminiſtratum.*

Puris generationem ſiſtere Balſamum ſulphuris compoſitum.

XLIV. *Puris continuam ex Sanguine corrupto generationem ſiſtit* quoque *Balſamus Sulphuris aniſatus*, & *alius quivis*, ad guttas duas, treſve aliquoties in die aſſumptus; à quo *Ulceris* præterea *mundatio* & *conſolidatio certa* exſpectanda, & forſan certior, quàm ab ullo alio Medicamento.

Ut & omnia Antimonialia Medicamenta.

XLV. Conducet in hunc quoque finem *Antimonium Diaphoreticum*, & quodvis aliud ex *Antimonio paratum Medicamentum alterant*, & imprimis *Balſamus* ex ipſius *Floribus* artificiosè confectus.

Inverſum ex toto Motum periſtalticum curari Juſculi pinguioribus.

XLVI. Inverſo per totam Inteſtinalem fiſtulam motu periſtaltico, *Juſculis* utendum *pinguioribus* tam per Os aſſumptis, quàm Ano applicatis, & injectis, quò Acrimonia quævis Humorum quorumvis ubivis exiſtens aut occurrens demulceatur, atque moleſta Inteſtinorum Irritatio ſedetur.

Ut & Fomentis, & Enematis Emollientibus.

XLVII. Poſſunt in eundem finem parari tum *Fomenta*, tum *Enemata Emollientia* dicta ſæpiuſque uſurpari. Ex. gr.

℞. *Rad. Althææ*, ℥ ij.
Fol. ejuſdem,
Malvæ,
Verbaſci, *an.* M. ij.
Sem. lini,
Fœnugræci, *an.* ℥iſs.
Decoquantur ex Aq. pura;
Colatura repente foveatur Podex.
Quin ex Ejuſdem, ℥ viij.
additis Ol. lilior. albor. ℥ j.
Butyri recentis, ℥ ß.
vel *Adipis Gallinæ*, *alteriuſve convenientis*, ℥ iij.
F. Enema, *ſæpiùs injiciendum.*

Nec non Anodynis & Narcoticis. Emulſio.

XLVIII. Ad eandem *Irritationem ſopiendam*, *humoreſque Acres temperandos* tum externis, tum internis Medicamentis addi poterunt *Anodyna*, imò *Narcotica*, & uſurpari tam *Emulſiones*, quàm *Miſturæ Opiatæ* & ſimilia plura. Ex. gr.

℞. *Hordei mundati ac ad crepaturam cocti*, *unc* iſs.
Amygd. dulc. mun.
Sem. Papav. alb. an. ʒ iij.
Cum Aq. decoctionis Hordei
F. Emulſio ad unc. xv.
add. Syr. Diacodii, *unc.* iſs.
Aq. Fœniculi, vel
Roſaceæ, *unc.* j.
M.

Ejus Uſus.

Aſſumat per intervalla brevia Æger hauſtulum.

XLIX. Cui potentior Miſtura minori quantitate aſſumenda vel acceptior, vel utilior cenſetur, ſequenti cochleatim utatur frequenter.

Mixtura.

℞. *Aq. Plantaginis*, *unc.* ij.
Fœniculi, *unc.* j.
Conf. Hyacinth.
AlKermes, *an.* ʒ ß.
Laud. Opiat. Gran. iij.
Syr. Papav. alb. un. j.
M.

L. Quòd ſi quis ſolidiorem Medicamenti formam prætulerat, is ſequenti utatur.

Bolus.

℞. *Diaſcord. Fracaſt.* vel
Theriac. recentis, *unc.* ß.
Conf. Hyacinth. ʒ j.
M. f. Bolus; ad Drachmam dimidiam, vel integram per intervalla devorandus.

Ejus Uſus.

LI. Qui præter Pilulas nil aſſumere poſſunt, iis ſequentes præſcribantur.

Pilulæ.

℞. *Laud. Opiat.* Gran. iv.
fiant Pilulæ N. viij.
Inaurandæ.
vel ℞. *Maſs. Pilul. de Cynogloſs.* ℈ j.
Laud. Opiat. Gran. iij.
M. f. Pilul. N. x.

Earum Uſus.

Accipiat ſubinde alterutrarum Pilularum unam Æger, donec Vomitus tantillum compeſcatur & ſomnus aliquis ei obrepat, qui obſervandus: non neglectis extrinſecùs adminiſtrandis jam memoratis.

Inteſtinorū Gangræna incurabilis.

LII. Pleraque ac *Inteſtinorum Inflammationis & Gangrænæ curationem* neceſſaria peti poterunt ex generali Utriuſque Affectus Tractatione ſuo loco tradenda; licet Gangrænam Inteſtinorum exiſtimem incurabilem.

Ileus quomodo curandus.

LIII. *Inteſtini Pars Superior intruſa in partem Inferiorem* nunquam, meo ſaltem judicio, retrocedet; *Inferior verò immiſſa in ſuperioribus* non ita dif-

sic alter repelletur per *globulos aureos*, *plumbeosve* cum *Oleo Amydalarum dulcium*, vel *Olivarum* deglutitos, aut *Mercurium crudum* ad Unciam unam, vel duas assumptum.

LIV. *Herniæ* multiplicis, cùm paucis absolvi non possit, Generationem Curarionemque nunc vel aliàs, si Deus volet, peculiari Capite tractabimus.

APUT XVI.

De Chyli per Carneam Intestinorum Crustam Percolatione læsa.

Chyli per crustam carneam percolatio.

I. CHylus à Fæcibus Alvinis Secretns *Motu Intestinorum peristaltico* non tantùm propellitur deorsum, verùm *exprimitur* quoque, *percolaturque* vi eadem *per Crustam ipsorum carneam & spongiosam in Lacteas Venas*.

Quot modis lædatur.

II. *Læditur* hæc *Chyli percolatio*, & plus minùs *impeditur* aut *minuitur* in *Alvi fluxu Chyloso*, de quo actum Cap. 13. §. 4. & 12. quandu vel 1. *obducta* sunt, *obturatave* Panni hujus Carnei *Orificia Hamore pituitoso Viscido*, vel 2. *Abrasa* est hinc inde eadem *Crusta Carnea*, & illi subjecta *Intestini pars Cicatrice obducta*, *occlusis* simul *ad Lacteas Venas tendentibus poris*, quemadmodum id nonnunquam evenit post *Alvi Fluxus Dysentericos* graves in tenui Intestino imprimis excitatos: sicut non semel post mortem in Cadaverum sectione observavi.

Eius læsionis sequela.

III. Solet autem hoc Malum consequi aliqualis & quandoque notabilis corporis Marcor & Macies ad vitæ finem perdurans, nec obesis quoque ventribus parcens.

Prioris speciei curatio.

IV. *Curabitur Species prior* per *Medicamenta Pituitam Viscidam* tum *Incidentia* & Attenuantia, sicque paulatim Corrigentia, tum plus minùs alteratam, imprimis quando simul *Redundat*, *Evacuantia* sæpiùs memorata.

Posterior species incurabilis.

V. *Posterior Species incurabilis* existit unà cum *Macie* qualicunque illam consequente. Nulla enim nota sunt hactenns Medicameota, quæ Cicatricem in Tenui Intestino factam Soluere Crustamque novam reparare possint, & quidem talem, quæ transitum concedat Chylo ad Lacteas Venas propellendo.

CAPUT XVII.

De Chyli per Lacteas Venas Motu Læso, & ipsum sæpius insequente Ascite.

Chyli propulsio ad Ductum Thoracicū.

I. CHylus per Carneam intestinorum Crustam percolatus, & *in Lacteas Venas immissus* per easdem *transferri ac propelli* debet ad *Cisternam*, sive *commune Ductus Thoracici Receptaculum* circa Lumbos situm.

Quot modis lædatur.

II. *Læditur* hic *Motus*, quando is in uno, pluribusve locis *impeditur*; atque *lentiùs pergit*, aut planè *Sistitur*, *Stagnatque Chylus*.

Quare impediatur.

III. *Impeditur* in suo *Motu* per Lacteas Venas *Chylus*, quando *Viscidior ac Tenacior* existens propellitur lentiùs.

Viscidior Chylus unde.

IV. *Viscidior* existit *Chylus* ob *Alimenta similia copiosiùsve* assumpta.

Chyli motus unde sistatur.

V. *Sistitur* io *Motu* suo, *Stagnatque* in *Lacteis Vasis Chylus*, quando eadem sunt *Obstructa*, & quidem nunc à prædicto *Chylo Viscidiore* in ipsis *Coagulato*; ounc à *Pituita Intestinali* in ipsa *Propulsa & ibidem Coagulata*.

Pituita Intestinalis quando in lacteas venas propellatur.

VI. *Propellitur Pituita* Intestinalis in Lacteas Venas, quoties ipsa à *Corporis Motu*, aut *exercitio vehementi*, *Aerisve Æstu* qualicunque Solis, Foci, Balnei, &c. ut & aliquando à *Febrili ardore* aliisque tunc simul io Corpore concurrentibus *Solvitur*; atque imprimis accedente Potu calente, aut tepido *Dissolvitur*, sicque *fluxilis*, *fluidaque* redditur.

Quando iisdē Pituita & Chylus viscidior coaguletur.

VII. *Coagulatur* eadem *Pituita*, ut & *Chylus Viscidior* in Venis Lacteis rariùs quidem ab *Aeris Frigore mox Calorem subsequente*; quando nimirum ex loco calidn transfertur corpus in frigidum, ex Balneo in Cellam, vel liberum Aerem Borea perflatum, Venterque minus tectus per poros apertos frigus, acre tunc admittit; frequentiùs autem à *Potu frigidiore* aut *gelido* affatim assumpto, mox ad Intestina properante, atque tum Ipsa *Intestina*, tum partes vicinas omnes, ipsasque adeò *Lacteas Venas* non tantum potenter *refrigerante*, verùm *contenta* quoque in ipsis *incrassante & coagulante*.

VIII. Coagulatis hoc modo in Venis Lacteis vel Chylo Viscidiore, vel Pituita Intestinali; factaque in ipsarum Ramis pluribus, vel paucioribus *Obstructione sistitur & stagnat* mox in iisdem, quicquid ex Intestinis vel *Liquoris* ex continuo Bilis, Succi Pancreatici & Pituitæ Salivaris confluxu orti, vel *Chyli*, vel *Potus* tantùm copiosè hausti propellitur io Ipsas; quin idem *easdem* sensim magis, magisque eousque *distendit*, ut tandem *rumpantur*, ac per consequens aut priùs *inter Mesenterii membranas*, aut mox *in Abdominis cavitatem effundatur multiplex* illa *Humiditas* ipsis excepta, & in motu suo intercepta.

Ascitis generatio.

IX. Atque hanc non iofrequentem puto *Hydropis Ascitis Generationem*, & imprimis, quando is ex potu multo subitò producitur, sicut in *Febre ardente* cum urgente ac permanente *Siti* juncta intra triduum memini factum.

Hæc Obstructio qui præveniatur.

X. *Prævenietur* hæc *Obstructio*, 1. *Cavendo* ab *Usu Alimentorum Viscidiorum*, ac præsertim ab *Ingurgitatione* quorumvis.

XI. 2. *Usurpando Medicamenta Humores Pituitosos Viscidosque corrigentia*, *educentiaque* sæpiùs memorata.

Quomodo curetur.

XII. *Obstructio* in Venis Lacteis ex dictis Causis Cootrariis se mutuò excipientibus jam *facta*, vel prudenter *conjectata curabitur* Medicamentis potenter *Incidentibus*, præsertim *Sudoriferis Aromaticis*, potiùs iteratò, quàm simul ac semel tantùm assumptis. Observavi namque sic fœliciùs, faciliùs, citiùs, & tutiùs Solvi Obstructiones.

Mistura sudorifera.

XIII. Usurpari poterit proinde in hunc finem *Mistura* sequens intervallis brevibus ad Sudoris eruptionem usque cochleatim assumenda, quin eodem usque prodeunte subinde adhuc, licèt rariùs, exhibenda.

℞. *Aq. petroselini*, ℥ ij.
Fœniculi,
Theriacal. simp. an. ℥ j.
Spir. Salis Armoniac. Gutt. xx.
Syr. Card. bened. unc. j.
M.

vel ℞. *Aq. fumar.* ℥. iij.
Cochleariæ,
Vitæ Matth. an. ℥ j.
Aceti stillatit. ℥ ß.
Ocul. Cancr. pulv. ʒ ß.
Salis Absinthii,
Antim. diaphor. an. ℈ j.
Syr. 5. rad. ℥ j.
M.

Venas Lacteas sponte coalescere.

XIV. *Sponte Coalescent Lacteæ Venæ*, postquam sublata fuerit Earundem Obstructio, sicut accidit Venæ Sectæ.

Aqua in Abdomine collecta evacuanda.

XV. *Aquæ* in Abdominis Cavitate ex variis Humoribus per vasa rupta effluentibus *Collectæ*; atque *Hydropem Ascitem producentes*, *Loco* peccantes, loco isto movebuntur tum per *Hydragoga* potentia tum per *Sudorifera*, tum per *Paracenthesin*.

Hidragogis.

XVI. *Hydragoga* non semel proposita sunt in hoc Opusculo, inter quæ potiora sunt ex *Sambuco* aut *Ebulo*, *Jalappæ radice*, *Elaterio*, atque *Gummi Gotte* parata: non neglectis *Lunæ Crystallis*.

Sudoribus.

XVII. *Sudores* in hunc finem elicientur utiliter tum per *assumpta* sæpiùs, & modò memorata, tum præsertim per *Balneum humidum* vel *siccum* simul conjunctum.

VIII.

Paracenthesi. Nova & tutissima. XVIII. His autem brevi non proficientibus; festinandum est ad *Paracenthesin*, non quidem illam vulgarem periculi plenam; verùm novam & tutissimam per *acum argenteam*, sed *cavam*, & blandè quatuor circiter transversis infrà umbilicum digitis, totidemque ad ejusdem latera in abdumen immissam, & post sufficientem Aquæ effusionem *Ejus operatio qua.* iterum extractam, similiterque alio tempore aut die in idem foramen intrusam; nisi consultum videatur novum alibi excitare foramen.

Periculi vacat. XIX. Periculo vacat hæc Operatio Chirurgica, quia educta Acu nil ampliùs effluet Liquoris, quin applicato Emplastro vel Diapalmæ, vel Albo cocto, vel alio simili non tantùm contra omnes Aeris externi injurias munitur locus perforatus, sed ipsius consolidantia promovetur.

Ad eam festinandum. XX. Festinandum verò ad istam Paracenthesin, ne, dum nimiùm differtur, *acrimoniam noxiam comparet* mora *Humor* in Abdomine collectus, atque paulatim *Contentarum partium* omnium *Membranas* hinc & *substantiam corrodat & corrumpat* sicque Affectibus incurabilem faciat.

CAPUT XVIII.

De Chyli Sanguificatione in Cordis Dextro Ventriculo læsa.

Chyli in Sanguinem mutatio. I. CHylus ex *Lacteis venis* continuò in *Ductum Thoracicum* delatus, atque ibidem *Lymphæ* undiquaque affluenti confusus pergit cum ipsa in *Venam Iugularem*, *Axillaremve Sinistram*, hinc & *Cavam*, ubi *Sanguini* admiscetur, cum quo in *cordis auriculam*, mox *Ventriculum Dextrum* propellitur, ut in *Sanguinem mutetur*.

Ubi inchoetur. II. Hanc *Chyli mutationem in Sanguinem inchoari* putamus in *Vena Iugulari*, *Axillarive sinistra*, imprimis verò in connexæ ipsis *Cavæ trunco*; *absolvi* *Absolvatur & perficiatur.* autem in Cordis Ventriculo Dextro; *perfici* verò partim in *Pulmonibus*, partim in *Cordis Ventriculo Sinistro*, & *Arteria Magna*.

A quo Sanguinis rudimentum accipiat Chylus. III. Sanguinis *Rudimentum* quidem accipit, me Judice, *Chylus à Sanguine ad Cor Descendente*, cui in prædictis Vasis confunditur.

A quo formam. IV. *Sanguinis* verò *Formam* nancifcitur idem *Chylus* à *Bilioso Sanguine ad Cor Ascendente*, atque tam in *Dextra cordis auricula*, quàm præcipuè in *Dextro ejusdem Ventriculo* cum *Lymphatico Sanguine*, cui Chylum admistum diximus, *confluente*, atque ob diversam imò subcontrariam utriusque in quibusdam sui partibus dispositionem magni momenti *Effervescentiam excitante*.

A quo ultimam perfectionem. V. *Ultimam Sanguinis Perfectionem* obtinet *Chylus* idem à *continuata*, *contemperatâque* propter *Aeris Respirationem* in *Pulmonibus Sinistris Cordis Auricula, Ventriculoque*, atq; *Arteriæ Aortæ grandioribus ramis Effervescentia* modò laudata, & capitibus proximè subsequentibus accuratiùs in quibusdam circumstantiis explicanda.

Ignis Vitalis unde. VI. Hujus autem *Effervescentiæ vi* ac beneficio arbitramur *erumpere atque exurgere Ignem Vitalem*, qui non minùs *Chyli adventantis*, quàm *Sanguinis* undique *remeantis partes pinguiores*, *oleosasque rarefaciendo*, cæteras omnes simul laxè uniendo in *massam unam heterogeneam homogeneam* redigat, ipsumque adeò *Chylum in verum Sanguinem* opera eadem mutet.

Quot modis lædatur Chili Sanguificatio. VII. *Læditur*, hæc *Chyli Sanguificatio* præsertim, quando minimè laudabilis, sed *vitiosus* ex ipso generatur *Sanguis*, *Serosus*, *Pituitosus*, *aliave Qualitate Sensili Propria*, *vel Communi peccans*: quique nunc *Cachexia*, nunc *Anasarca*, *Leucophlegmatiave*, nunc *Tabe*, aliove in *Nutritione apparente vitio* se manifestat.

Ejus causa. VIII. *Vitiatæ Sanguificationis Causa* omnis vel in ipso *Chylo* existit, vel in *Sanguine Ascendente Bilioso*, vel in *Descendente Lymphatico*, vel in *Causa* aliqua *externa*, vel in pluribus simul concurrentibus.

In Chylo. IX. in *Chylo* ipso *Læsæ Sanguificationis Causa* *Deleboe Opera*. quærenda est, inveniendaque, quoties ipse *Vitiosus* propter *Vitiosa vel Alimenta*, vel *Salivam*, &c. productus est: de quibus actum in superioribus.

X. In *Sanguine autem ad Cor Ascendente* ac *Bilioso*, id est, Bile Saturato *Sanguificationis læsæ Causa* existit, quoties ipsi *quantitate majore*, *aut minore*, *alterve vitiosa Bilis* admista est in Hepate. *In Sanguine ad Cor Ascendente.*

XI. *Majore quantitate admiscetur Bilis Sanguini*, quando eadem *copiosior generatur* in suo Foliculo; ex *Alimentis Aromaticis & Sale Volatili* abundantibus copiosiùs usurpatis; vel *copiosiùs effunditur* è sua Vesicula, propter *fluiditatem majorem* ipsi conciliatam vel ab *Aeris æstu*, vel ab *Alimentis* tum *Acrioribus* tum *Spirituosis*, vel à *potenti Corporis Motu*, vel *ab Ira vehementi*, vel à *Vigiliis*, & similibus. *Admista ei Bile, vel, majore quantitate.*

XII *Minore quantitate admiscetur Bilis Sanguini*, quando eadem *parcior generatur ex Alimentis* Aromatica vi destitutis, & *Pituitam producere solitis*, qualia sunt *Pisces Marini*, & similia, continuò assumptis; vel *segniùs effunditur* è suo Folliculo, propter *fluiditatem* ipsius *diminutam*, & *Spissitudinem auctam* nunc ab *Aere frigido & aspero*, nunc ab *Alimentis modò memoratis*, & *Potu Gelido* frequentiùs usurpato, nunc ab *Animi Mærore gravi*, aut *Terrore grandi ex improviso accideate*, ut & à *Somno multo & protracto*, ipsaque *Corporis quiete diuturna*, &c. *Vel minore.*

XIII. Non tantùm quantitate aucta diminutave, sed aliquando *Acrior*, vel *Pinguior Bilis admiscetur Sanguini*, atque hactenus quoque Ipsum vitiat; & vel *acriorem* tantùm vel simul *pinguiorem ac inflammabiliorem* facit. *Vel acriore. vel pinguiore.*

XIV. *Acrior* fit *Bilis* ab *Aeris Æstu*, *Alimentorum*, vel potiùs *Condimentorum Acrimonia exsuperante*, qualis est in Pipere, Garyophyllis, Zinzibere, Sinapi, &c. *Vigiliis*, *Corporis exercitio nimio*, *& protracto*, *Iracundia Continua*, imprimis cum *Solicitudine* juncta. *A quibus bilis fiat acrior.*

XV. *Pinguior* redditur *Bilis* præsertim ex Usu nimio *Alimentorum pinguium*, eum *pinguedine* saltem multa, Butyro, Oleo, &c. *paratorum*; quò referri possunt *Olea stilatitia* sæpiùs usurpata. *A quibus pinguior.*

XVI. In *Sanguine ad Cor Descendente*, atque ob admistam ei Lympham *Lymphatico* dicto, *Læsæ Sanguificationis Causa* existit, quoties *Lympha* reperitur vel *Acidior*, vel, *Salsior*, vel *Pituitosior*, vel *Aquosior*. *Sanguificationis læsa causa in Sanguine ad cor descendente.*

XVII. *Acidior* redditur *Lympha* propter usurpata copiosiùs, diutiùsque *Alimenta*, tum *Acida*, tum valdè *Acidis condita*, propter *Aerem Borealem*, *Animique Solicitudinem*, *Mærorem* aut *Terrorem*, accedentibus aliquando *Vigiliis*, *Corporisque Defatigatione nimia*, &c. *Limpha quando fiat Acidior.*

XVIII. *Salsior* redditur *Lympha*, & quidem facilè ac frequenter ab *Aere frigido & aspero calefactum & sudore diffluens universum corpus*, *& Caput præsertim penetrante*, *Gravedinemque* hoc est, *Gravitatis sensum molestum* non tantùm in *Capite*, sed in *Artubus* quoque *pariente*: unde sicut per nares postea distillat in subsequente *Coryza Liquor Salsus*, ita similem tunc, hoc est, *Salsus Humorem* in *Conglobatis Glandulis* passim produci, atque in *Corporis Habitum*, ipsosque Musculos effundi, tum per *Vasa Lymphatica Cor versus* propelli non tantùm Rationi; verùm Ægrorum quoque Afflictioni tunc sæpè urgenti, adeoque Experientiæ quotidianæ videtur planè consentaneum. *Quando salsior.*

XIX. *Pituitosior* efficitur *Lympha*, ob Usum diu continuatum *Aeris humidioris & frigidioris*; *Ingurgitationem Alimentorum similium*, maximè *Piscium*, *Leguminum Olerum*, &c. *Cerevisiæ* non satis coctæ aut fermentatæ, *Aquæ Putealis*, &c. *Vitam desidem*, *Curisque vacuam*; *Somnum multum & longum*, & similia plura, *Quando pituitosior.*

XX. *Aquosior* fit *Lympha* propter *nimium Aquæ Pluvialis*, alteriusve *tenuioris* Usum *Aeremque humidiorem* diutinè usurpatum, neglectis in- *Quando aquosior.*

terim alimentis tam Spirituosis, quàm Succulentis, & Acidis.

Sanguificatio læsa à Causa externa.

XXI. *Vitiatur immediatè Sanguificatio à Causa Externa*, quando eo tempore, quo ad Cor defertur Chylus & Sanguis laudabilis, peccatur in una, vel pluribusve Rebus non-naturalibus dictis, *Aere* puta priùs æstuante, mox frigido; *Potu* valde penetrante Spirituoso vel glaciato, imprimis copiosè assumpto; *Agitatione corporis* vehementis; *Animi Affectu* gravi, Excandescentia, Tristitia, Timore, Consternatione aut Solicitudine angente, &c. unde vel *Bilis Acrior*, vel *Succus Pancreaticus Acidior, Acerbiorve*, vel *Pituita Intestinalis Viscidior* transfetur quaquaversum, imprimis versus Cor; in quo vel *Chylum*, vel Sanguinem priùs bene constitutum ita corrumpit, ut nonnisi pravus produci queat ex *Chylo* affluente *Sanguis*

Curatio Sanguificationis læsa.

XXII. *Curabitur Chyli Sanguificatio læsa* pro Causæ diversitate diversimodè. Nam 1. quoties illa pendet à *Bile Copiosiore* Sanguini Ascendenti admista, eadem *minuenda* erit per Cholagoga sæpiùs memorata.

1. A Bile copiosiore.

XXIII. Ejusdem *Bilis Proventus* novus sistendus *vitando*, vel *moderando* saltem *Res Nonnaturales* ipsam producentes modò recensitas: quin & usurpando liberaliùs ea, quæ parciorem Bilem diximus generare.

2. A Bile parciore.

XXIV. 2. Quoties Sanguificatio læditur propter *Bilem parciorem* ad Cor tendentem, eam *augendo*, & quidem *usurpando* aliquantò copiosiùs ea, *quæ Bilem copiosiorem gignere* asseruimus; simulque *Vitando* ea, quæ *ipsius productioni contraria* esse docuimus secundùm Experientiam.

3. A Bile acriore.

XXV. Quoties *Bilis acrior* Chyli Sanguificationem lædit, toties eadem *Temperanda* Medicamentis non semel jam in superioribus propositis, ac præsertim Cap. 1. §. 11. seq. ut & cap. 10. §. 42. *vitando* simul omnia, quæ §. 14. diximus ipsam reddere acriorem.

4. Bile pinguiore.

XXVI. 4. Quoties *Bilis Pinguior* Chyli Sanguificationem lædit, toties eadem *corrigenda* Medicamentis *Acidis*, sed temperatioribus, qualia præscripta Cap. 2. 38. & seq. atque Cap. 11. §. 25. *Cavendo* prætereà ab Oleosorum, Pinguiumque abusu, de quibus actum §. 15.

5. A Lympha acidiore.

XXVII. 5. Quoties *Acidior Lympha* Chyli Sanguificationem lædit, toties illa *corrigenda, emendandaque* Medicamentis Cap. 2. §. 17 & seq. ut & alibi præscriptis.

XXVIII. *Abstinendum* interim sedulò ab ulteriori *Acidorum usurpatione*, cæterisque hujus Cap. §. 15. notatis.

6. A Lympha Salsiore

XXIX. 6. Quoties *Salsior Lympha* Chyli Sanguificationem lædit, toties convenient Medicamenta Cap. 3. §. 41. & 42. laudata: ut & *Sudorifera Aromatica*, sed *blandiora*, quorum ope Salsedo Lymphę paulatim corrigetur.

XXX. Conducunt etiam in hoc casu *Hydragoga* post aliqualem saltem Acrimoniæ Salsæ contemperationem subinde usurpata, sed dosi mediocri.

7. Lympha Pituitosiore.

XXXI. 7. Quoties *Pituitosior Lympha* Chyli Sanguificationem lædit, toties Medicamanta *Humores* in Corpore *Pituitosos Incidentia & Corrigentia*, Cap. 2. §. 28. & seq. præscripta; eosdemque sic Evacuationi præparatos *Expurgantia*, ibidem §. 33. & seq. proposita erunt exhibenda; vitando simul, quæ Pituitam producere hic & alibi, docuimus.

8. A Lympha aquosiore.

XXXII. 8. Quoties *Aquosior Lympha* Chyli Sanguificationem lædit, toties *abstinendum* à nimio *Aquæ* cujusvis usu; quin redundans eadem in corpore tum *exercitiis* satis potentibus, tum *Balneo*, &c. *expellenda* per *Sudores*, non quidem profusos, sed identidem repetitos; in quem finem *usurpari* quoque possunt *Sudorifera*, sed *Aromatica & Spirituosa* quò *deficientes* fere simul *Animales Spiritus reparentur Viresque Animales* opera eadem *conserventur*, imò *augeantur*.

XXXIII. 9. Quoties Humoribus omnibus ipsoque adeò Chylo in Corpore sano ritè constitutis *tempore Distributionis Chyli* ab una, pluribusve *Caussis Externis aut inevitabilibus* aut *inexpectatis* §. 21. enumeratis ejusdem Sanguificatio læditur, toties, quæ *vitari non possunt*, quantum licet, *corrigi* debent ac *temperari*, *noxæ* saltem ab Ipsis Unicuique illatæ mox *emendari & tolli*. *9. A causa externa.*

XXXIV. Sic quotquot *Aerem subierunt frigidum*, quamprimùm licebit, *accedent* ad *Ignem luculentum*, aut *Lectum ingredientur calefactum, stragulis* saltem *corpus egregie operient*, quo expellant denuo è corpore admissum frigus. *Nempe aere frigido.*

XXXV. Sic, quotquot abusi fuerint *Potu penetrante ac spirituoso*, si pars ejus bona hæreat adhuc in Ventriculo, illam excitato Vomitu iterum effundent, immisso in fauces digito, aut pluma oleo madida, ni sponte illum promovere possint, quod multis facile, imò familiare. *Potu penetrante & spirituoso.*

XXXVI. Quòd si ad interiora penetraverit jam ille Potus, Crapulæ ad instar, ipsius exhalatio patienter expectanda, usurpando, si tunc Sitis adhuc urgeat, Potum Acidulum & maximè Spirituosum, vel Aqueum, qualis est Acidularum, cavendo semper ab omni excessu.

XXXVII. Quòd si *Glaciatus, Gelidusque Potus* fuerit tunc assumptus, convenient *Aromatica & Sale Volatili Oleoso abundantia* per vices usurpata, quippe quæ Glacilem noxam citissimè, tutissimè, atque jucundissimè superare apta sunt nata. Idem autem fœliciùs absolvent, si eorundem ope *Sudor* simul moveatur, vel promoveatur. *Potu glaciato vel gelido.*

XXXVIII. *Sic* quotquot *vehementer Corpus* vel currendo, vel saltendo, vel aliter *agitaverint*, unde *Sudor* simul eruperit; cavebunt sedulò ab *Aere frigido*, quin potiùs in Lectum *Calefactum* se recipient, ut quieti se dedant, & grandior noxa præcaveatur. *Vehementi corporis motu.*

XXXIX. Sic quotquot *Animi Affectu vehementi* fuerunt commoti, operam dabunt, ut per se, aliosve is *compescatur* & ad priorem *tranquillitatem Animus reducatur*; quod unà præstare potest *Ratio & Discursus* Animam rationalem solidis undecumque petitis rationibus blandè componendo, imò ad quævis, quæ mutari non possunt, petienter, atque fortiter ferenda firmando & obfirmando. *Vel Animi affectu.*

XL. *Noxę* autem multifarie causas istas externas vitiosas consequentes modis variis, & quidem quamprimùm corrigentur, postquam ex Functionibus læsis, aliisve signis propriis Medico innotuerint; de quibus passim agitur in hoc Opusculo. *Noxa has causas externas consequentes corrigenda.*

CAPUT XIX.

De Continua & Vitalis Sanguinis Effervescentia in dextro Cordis Ventriculo læsa.

I. NOn tantùm, quando aliquot post assumpta Alimenta horis ad dextrum Cordis Ventriculum, quò in Sanguinem mutetur, Chylus defertur, sed *continuò à refluente undique Sanguine*; illoque partim *amaro Felle imbuto*, partim *acida Lympha prædito Effervescentia excitatur ibidem blanda*, imò *Vitalis*. *Sanguinis in corde effervescentia.*

II. *Vitalem* insignimus *Effervescentiam* in Cordis Ventriculo dextro excitatam, quoniam *Vitæ nostræ Conservatio naturalis ab ipsa dependet.* *Vitalis quare dicatur.*

III. *Ex Salis namque Volatilis Oleosi* in Felle dominantis, & *Spiritus Acidi Dulcis* potissimam *Lymphæ* partem constituentis, *Sub contrariorum* scilicet *Confluxu blanda* & Naturæ amica excitatur *Pugna*, *Effervescentiæ* nomine à Nobis descripta, in qua & ob quam latentes, conclusæque in utroque *Partes Igneæ* compedibus suis solvuntur atque in libertatem vindicatæ in *Oleosas*, *A quibus & quomodo fiat & quid efficiat.*

sas, *pinguesque* tum *Sanguinis*, tum & *Chyli* partes obvias, proprium nempe actionis suæ subjectum, se insinuant, easdemque *rarefaciuat*, quin & *cæteras* quoque ipsis plùs minùs admistas ita *mutant* & *alterant*, ut tum *Vita perpetuari*, tum *Sanguis quovis moveri*, tum *Continentium*, *Contentarumque partium* omnium perpetuò plus, minùsve Consumptarum *Reparatio* necessaria *perfici* queat & *absolvi*.

Quot modis lædatur,

IV. Hanc *Effervescentiam* Vitæ ac Nutritioni pernecessariam *lædi* contingit, 1. quando vel in *totum Aboletur* vel *ad tempus* saltem *Cessat*. 2. quando *Diminuitur* & Minor sive Debilior fit. 3. quando *Augetur* & Major sive Potentior existit. 4. quando *Precipitatur* & Celeriùs contingit. 5. quando *Retardatur* & Segniùs perficitur. 6. quando *Depravatur* & Inæqualis, aut Inordinata observatur.

In ejus abolitione mors Abolatur

V. I. Ubi in Totum *Aboletur* hæc Vitalis Effervescentia; præstò est *Mors*; quia Vitalia Cordis, vel Sanguinis potiùs Ignis, ejus ope in Corde perpetuari solitus, mox eo ipso extinguitur.

1. Sanguinis ascendentis culpa.
Vel propter bilis defectum.

VI. Aboletur autem ista Vitalis Effervescentia *Sanguinis Ascendentis & Biliosi* culpa, & quidem aut propter *Bilis Defectum*, quoties magna vi effunditur in tenue intestinum, hinc tam sursum per Vomitum, quàm deorsum per Secessum excluditur Bilis è Corpore? in Cholera Morbo; Unde non mirum, si tunc nonnunquam intra paucas horas pereant Ægri.

Vel Volatilitatem & Acrimoniā.

VII. Aut propter *summam Bilis Volatilitatem & Acrimoniam*, unde non tantùm *Sanguis* redditur *Dissolutior*, verùm *Lympha* quoque *inertior*, sicut accidere putemus in *Peste*, omnibusque *Malignis Febribus*, in quibus tam sæpe subitò ac inexspectatò extinguuntur Ægri.

2. Sanguinis descendentis culpa.
Ob nimiam Lymphæ aciditatem.

VIII. Aboletur eadem Vitalis Effervescentia, 2. *Sanguinis Descendentis*, atque *Lymphatici* culpa, & quidem ob *nimiam Lymphæ Aciditatem* à qua non tantùm opprimitur & suffocatur quasi in Corde *Bilis*; & unà cum Bile *Ignis Vestalis & Vitalis*; vel ipse *Sanguis extreme coagulatus* ineptus redditur secuturæ naturaliter suæ rarefactioni.

Vel ejus defectum; qui quando fiat

IX. Vix unquam existimamus *Lymphæ* tantum *Defectum* excogitari posse, ob quem Vitalis Aboleatur Effervescentia, nisi forsan *Compresso*, *Vulnerato*, *Ruptove* alicubi *Ductu Thoracico*, ideoque *Stagnante*, aut aliò *Effusa Lymphæ parte maxima*. Neque probabile videtur *Glandulas conglobatas omnes*, à quibus Lymphæ Aciditatem arbitramur procedere, ita posse simul *affici solas*, ut propterà *deficiat in corde Acida Lympha*: Quoties namque *Frigore congelatur Corpus*, non minùs, quin magis *extremæ partes* ipso corripiuntur, quàm *internæ*, *latentesque glandulæ*; in quibus prætereà non tam minuitur, quàm *corrumpitur à Frigore Lympha*; ipsius licet tunc *Motus simul alteretur*, *turbeturque*; sicut id observamus accidere in *Gravedine*, in qua *Sistitur* primùm cum Capitis Gravitate (unde Gravedinis nomen) Motus omnis Humoris tum ad Nares, tum ad Fauces, posteà *Distillat uberiùs*, ac sæpè utròque Humor solito tenuior & Acrior, Acido namque Salsus, atque tunc propriè vocatur is affectus vel *Coryza*, dum effluit per nares, vel *Branchos*, dum defertur ad Fauces & Rancedinem parit; quemadmodum *Tussis*, quando ulterius in Asperam Pulmonum arteriam delabitur, ipsosque ad Expirationem concitatiorem, violentamque irritat & cogit.

Lymphamā frigore corrumpi.
Gravedo.
Coryza.
Branchos.
Tussis.

3. A nimiis Halitibus.

X. Aboletur eadem Vitalis Effervescentia 3. à *Nimiis Halitibus in vehementissima Effervescentia excitatis*. atque spatium omne in dextro Cordis Ventriculo, hinc & Pulmonum Vasis ita occupantibus, ut ab iisdem suffocetur, extinguaturque Ignis tunc erumpens, Vitalis aliàs futurus, nec locus concedatur ampliùs Effervescentiæ novæ mox secuturæ.

XI. non tantùm, quatenus Sanguini novo Effervescentia excitaturo, & consequenter Rarefactionem subituro denegatur spatium in Vasis Pulmonum; sed etiam, quatenus extremè distenti à prædictis Halitibus pulmones tum ampliùs explicari, tum reciprocè complicari nequeunt, nec proindè ad Sanguinis Æstum temperandum pernecessaria Respiratio perfici potest, Aboletur à nimiis Halitibus in Cordis dextro Ventriculo Vitalis Effervescentia.

4. A nimio Sanguine in Plethora & Habitu athletico.

XII. Sed aboletur eadem adhuc 4. à *nimio Sanguine Vasa omnia*, *Venas & Arterias replente*, in *Plethora ad Vasa* dicta, *Habituque Athletico*, & quidem ob defectum Spatii Sanguinem post Effervescentiam debitam mediocriter licèt Rarefaciendum excepturi.

5. Ab igne vitali potentiore,

XIII. Aboletur eadem Vitalis Effervescentia, 5. ab *Igne Vitalis potentiore* in Corde excitato, & *Sanguine plus satis & ad immensum rarefaciente*; unde aut spatii satis ampli, quo capiatur, aut Refrigerii sufficientis, quo temperetur Sanguis æstuans, defectu Suffocatur non rarò in *Febrius ardentissimis* sui culpa Ignis noster Vitalis.

Ad tempus cessat sãguinis effervescentia.

XIV. *Ad tempus* non tantùm breve, ac subindè satis notabile, ad unum & alterum puta diem, *Cessat* nonnunquam in dextro Cordis Ventriculo *Sanguinis Effervescentia*, Pulsu atque Respiratione Sensui externo subtractis asserenda, tum semper in gravissima *Hypocondriacæ Suffocationis* specie, atque *Syncope*, tum aliquando etiam in leviori prædictæ *Suffocationis*, *atque Animi Deliquii* specie, cum Pulsu videlicet ad Sensum obliterato conjuncta, qualis non infrequenter observatur in hisce Regionibus.

In Syncope. & animi deliquio.

In bis non semper pulsum & respiration ad sensum tolli.

XV. Non prætereundum enim *haud semper in omni Soffocatione Hypochondriaca*, *vel Animi Deliquio leviore Pulsum ac Respirationem ad Sensum tolli*; *quamvis perpetuò plus minùs impediantur*, *minuanturve*; cùm permaneant nonnunquam Vox ipsa & Loquela, licet impeditiores.

Cessationis hujus causa Pituita viscida & acida:

XVI. Potissima *Effervescentiæ* hujus *ad tempus notabile Cessantis Causa* est *Pituita Viscida* simul & *Acida copia non nimis excedente* (aliàs cum subsequente Morte Aboleretur) *Lympha* hinc & *Sanguini Descendenti conjuncta & ad Cor delata*.

Halitus viscidus & acidus.

XVII. Ejusdem *ad tempus breve*, horæ puta quadrantem, dimidium, vel horam integram *Cessantis Effervescentię Causa* censetur mihi *Halitus viscidus simul & acidus*, sive *Flatus à Tenui Intestino* per Lacteas Venas & Ductum Thoracicum *ad Cor penetrans*.

Pro diversitate causa diversā esse hujus cessationis curationem.

XVIII. Prout enim copiosior vel solidior, magisve consistens, aut paucior, magisve halituosa existit hæc Pituita Viscido-Acida, ita Effervescentiam nostram Vitalem magis, diutiùsve, aut minùs, breviùsve impediet, atque ad Sensum Externum saltem tollere videbitur: postquam meritò dubitari potest, an reverà & actu illa tollatur aut tolli possit absque Patientis interitu cujus Dubii solutio ac determinatio pendebit à Cujusque præjuditio, vel placito circa Quæsitum sequens lato, *An* nimirum *Vita possit permanere absque continua*, *novaque Ignis Vitalis sustentatione*, *ac generatione?* an verò *possit idem ad tempus extingui*, *atque prius quam corruptio lethalis Sanguinem*, *cæterosque Humores occupaverit*, *denuò in Corde sponte sua*, *Medicamentorumve ope accendi*, *ac restitui?*

Quando sponte dicitur ignis vitalis accēdi

XIX. *Sponte sua* dicetur *Ignis noster Vitalis accendi*, *restituique in Corde*, quando *Acida*, *Viscidaque Pituita* copia nimia descendenti sanguini juncta *Bilem* cum ascendente accedentem ita opprimit, ut ejus vis ad tempus nulla observetur, donec hujus ipsius Bilis ope paulatim ad mediocritatem aliquam reducta, redactaque Pituita prædicta Ignis novus exurgat & Vitam pro tempore sublatam forsan Corpori reddat.

Quando medicamentorum ope.

XX. *Medicamentorum ope* dicetur *Ignis noster Vitalis accendi ac restitui*, quando in prænominatis Affectibus *Olei* alicujus *valde Aromatici* Guttula una vel altera cum paucô Spiritu Vini Aromaticu, aliove liquore convenienti semel aut sæpiùs infusa in os Ægri in mortis agone versantis penetrat usque ad Sanguinem prædicta Pituita Viscido-acida infectum ac pessimè affectum, ipsamque *Pituitam corrigendo ac emendando*, *Bilemque simul roborando ac erigendo* subitò vel paulatim Ignem Vitalem languentem aut extinctum suscitat, excitatve.

Balsamus vitæ.

XXI. Sed quærat Veritatis Perscrutator ingeniosus, An *in dextro Cordis Ventriculo, an verò alibi Oleum tale Aromaticum*, apto *Balsami Vitæ* nomine, aliove consimili donatum, (cuius in tali casu vires stupendæ haud ignotæ sunt Chymicæ Artis peritis æquè, atque praxeos Medicæ gnaris) *Jungatur Sanguini à Pituita Viscido-acida ad internecionem penè condensato?*

In pulmonum vasis harens.

XXII. Hujus petitioni ut, salvo cujusvis judicio, quantùm Ego mente assequi valeo, satisfacere studeam, existimo minimè absurdum esse arbitrari in *Pulmonum Vasis contingere hanc Olei Aromatici, atque tunc vere Vitalis cum Pituita Viscido-acida & Sanguinem nimium densante conjunctionem*; postquam nil obstare videtur, quominùs aliqua densioris Sanguinis pars propulsa sit in Pulmonalem Arteriam & quidem priùs, quàm sublatus fuerit ad Sensum tam Pulsus, quam Respiratio. Hoc autem posito; haud difficile erit explicare, qui Aromatici & Vitalis Olei vis penetret quoque facilè usque ad ipsum dextrum Cordis Ventriculum, mea conjectura, plus minùs tunc hiantem, & quidem per ipsum Sanguinem in Pulmonali Arteria non minùs, quàm dicto Ventriculo nimis coagulatum, minùsque idcircò fluidum.

A pituita Halituque Viscido-acido impediri effervescentiam.

XXIII. His per parenthesim quasi ad Ingeniorum incitamentum insertis, notandum, Ab utraque Causa memorata, Pituita nempe, Halituque Viscido-acido, impediri ac sisti plùs minùs solitam utriusque Sanguinis ad dextram Cordis Auriculam confluentis effervescentiam, hinc & Rarefactionem, ac proinde Cordis tum Expansionem, tum Contractionem reciprocam, ipsumque adeò Pulsum; qui nullus idcircò in Syncope, & quibusdam Hypocondriacæ Suffocationis speciebus, hactenus ad Animi deliquia omninò revocandis, observatur.

Cessationis etiam causa Animi Mœror, Terror, & Frigus.

XXIV. Inter sex *Res non-naturales Inexpectatus Animi Mœror gravis*, aut *Terror*, & quandoque *Frigus Aeris vel Aquæ mordax* illam Effervescentiæ Vitalis Cessationem profert nonnunquam, & quidem frequentiùs in personis ad illam propter Viscidos, Flatulentosque simul & Acidos Humores in Corpore jam existentes dispositis, Fœminis præsertim, aliisque Naturæ timidioris.

Diminuitur Sanguinis effervescentia.

XXV. II. *Diminuitur*, *minorque*, sive *Debilior* fit hæc *Sanguinis* ad Cor Descendentis & Ascendentis *Effervescentia*, vel *Biliosi*, vel *Lymphatici* culpa.

Propter Bilem.

XXVI. *Biliosi*, quando *minùs acris* existit, aut *nimis pauca* in Ascendente Sanguine *Bilis*.

Minùs acrē.

XXVII. *Minùs acris* producitur in Corpore *Bilis*, 1. ob *Aerem* frigidiorem ac humidiorem. 2. ob *Alimenta* & *Condimenta* Pituitosa, Aquea, Oleosa, Acida, non item Acria & Aromatica, diutiùs usurpata. 3. ob multum & profundum *Somnum*. 4. ob *Quietem* ac segnitiem *Corporis*. 5. ob *Animum* curis vacuum ac timidum, mœstumque. 6. ob *Menses*, *Sudoresve* solitos suppressos.

Nimis paucam.

XXVIII. *Nimis pauca* reperitur in Ascendente Sanguine *Bilis* ob easdem Causas modò memoratas, & imprimis ob *Alvi Fluxum Biliosum*, vel *nimias Bilis Evacuationes* perperam institutas, unde minuitur naturalis quantitas Bilis.

Et propter Lympham.

XXIX. *Lymphatici Sanguinis* culpa *Diminuitur* prædicta Effervescentia, quando *minus Acida*, vel *Parcior*, vel *Viscidior* existit *Glandulosa* in Sanguine *Lympha*.

Minùs acidam.

XXX. *Minùs Acida* reperitur in Sanguine hæc Lympha, 1. ob *Aerem* Æstuantem aut Pluviosum. 2. ob *Alimenta* & *Condimenta* Pituitosa, Aquea, Oleosa, vel aromatica, non item Acida. 3. ob multum & profundum *Somnum*. 4. ob segnitiem ac *Quietem* nimiam *Corporis*. 5. ob *Animum* curis vacuum, vel Iracundum. 6. ob *Menses*, solitumve *Alvi fluxum* suppressos

Parciorem.

XXXI. *Parcior* accedit ad Sanguinem *Lympha* ob easdem Causas modò recensitas & maximè ob *stagnantem*, *aliòve delatam* propter Glandulas male affectas *Lympham*, in *Gravedine*, aliisque similibus Affectibus.

& Viscidiorem.

XXXII. *Viscidior* existit eadem in Sanguine Lympha, 1. ob *Alimenta* similia diutinè usurpata. 2. ob *Aerem* Frigidum & asperum. 3. ob *Animi* Mœrorem gravem ac perdurantem.

Augetur Sanguinis effervescentia.

XXXIII. III. *Augetur*, fitque *Major*, vel *Potentior* eadem Sanguinis Utriusque in Corde Confluentis Effervescentia *alterutrius*, vel *utriusque Sanguinis* culpa.

Propter Bilem.

XXXIV. Et *Biliosi* quidem, quando *Acrior* vel *Copiosior* existit in Sanguine Ascendente *Bilis*.

Acriorem.

XXXV. *Bilis Acrioris Causas* protulimus Cap. 1. §. 6. & 7. & Cap. 11. §. 11. & Cap. 18. §. 14.

& Copiosiorem.

XXXVI. *Copiosior* existit in dicto Sanguine *Bilis*, tum quando *in suo Folliculo* reperitur *naturali Copiosior*; tum quando *impeditus* est ipsius *ad Intestinum Descensus*: tum quando eadem *turget*, hoc est, à *Causa externa* vel *Interna irritatur ad sui quaquaversùm Effusionem*, sicut fieri solet in *Cholera Morbo*, & quibusdam *Febribus Ardentibus*.

Copia eius in Folliculo unde.

XXXVII. *Copiosius in suo Folliculo* existit *Fel*, imprimis ob *frequentem usum Condimentorum*, *Medicamentorumque Amarorum*, præsertim *Aromaticorum & Acrium*.

Ejus descensus unde impediatur.

XXXVIII. *Impeditus* est *Bilis ad Intestinum Descensus* propter qualemcumque *Angustiam* in *Ductu* ejus *Intestinali* existentem.

Cholera Morbus unde.

XXXIX. *Choleram Morbum* excitant frequenter *Fructus Horarii*, de quibus actum Cap. 15. §. 8.

XL. *Febrium Ardentium Causas generandique modum* exhibebimus inferiùs Cap. 29. & seq.

Bilis ob interna causa quando turgeat.

XLI. Sufficiat hic notasse *Bilem ab interna turgere causa*, hoc est, ad sui è sua Vesicula effusionem irritari & cogi, quoties *Liquoris Acidi Volatilis* aliquid unà *cum Sanguine eò penetrat*, & ibidem *ad effervescendum Bilem adigit*; unde non mirum, si qua data porta ruat, & nunc ad Intestina delata *Vomitiones*, *Alvive Dejectiones Biliosas* excitet, nunc ad Hepar, hinc & Cor ruens *Febres ardentes* producat.

Effervescentia augetur à Lympha Volatili & acri.

XLII. *Lymphatici Sanguinis culpa augetur* in Corde Vitalis Effervescentia, quando non tam Copiosa, quàm *Volatilis & Acris* existit, *parcior* licet, *Lympha* cum Descendente Sanguine ad Cor affluens.

Ejus causa.

XLIII. Talis autem existit Lympha propter *abusum Condimentorum, Medicamentorumve similium*, qualia sunt Vina Mosellana & Rhenana Acidiuscula simul & Spirituosa, Acetum Vini potens, Succus Citri cum Vino generoso usurpatus, Spiritus Nitri, &c.

Effervescentia magis augetur si Bilis ex Lympha simul peccāt.

XLIV. Quòd si concurrant Bilis unà cum Lympha modo dicto peccans, quis non videt graviùs adhuc lædi & augeri necessariò prædictam utriusque Sanguinis Effervescentiam?

Celerior fit ob Pituitam pauciorem.

XLV. IV. *Celeriùs* perficitur eadem *Effervescentia* ob *Pituitam* in Sanguine *pauciorem*, atque *Bilem*, *Lymphamque* ideò *acriores*, minùsque temperatas.

Ejus causa.

XLVI. *Pituita* existit *Paucior* in Sanguine 1. pro-

1. propter *Aerem* æstivum, æstuantemque ac subtilem. 2. propter *Alimenta*, *Condimentave*, atque *Medicamenta* multùm *acria & aromatica* copiosiùs usurpata, neglectis aliis, quæ Pituitam generare soleot. 3. propter *Corporis motum* vehementem diu continuatum. 4. propter *Vigilias* protractas .. 5. propter *Animi curas & Solicitudines* graves ac perseverantes 6. propter *Diarrhœam Pituitosam*, aliumve quemvis *Defluxum*, *Effluxumve Pituitosi humoris* præternaturalem in Coriza, Tussi, Ascite, &c.

Tardior fit ob Pituitæ Viscidæ abundantiã.

XLVII. V. *Tardiùs* contrà procedit eadem *Effervescentia* ob *Pituitæ* ac *Viscidæ* præsertim *abundantiam* in Saoguine, atque hanc consequeotem *Bilis* & *Lymphæ* aliqualem *inertiam*.

XLVIII. *Pituitæ Viscidioris Causas* retulimus Cap. 2. § 7. & 9.

Depravatur Effervescentia, quando est inæqualis & inordinata.

XLIX. VI. *Depravatur* eadem ipsa *Effervescentia*, fitque variis modis Vitiosa, quando vel *Inæqualis* observatur, modò Major, mox iterum Minor; modò Celerior, mox iterum Tardior: vel *Inordinata* existit, ac subinde tantillum cessat vel interrumpitur, mox iterum ordine oullo servato repetit & potentior fit, quemadmodum id contingit aliquando in quibusdam *Hypochondriacæ Suffocationis* speciebus, in quibus nunc debilis, rarus, parvus, compressus, imò quandoque nullus sentitur Pulsus, mox iterum robustus, frequens, magnus aut mirè agitatus percipitur, accedente notabili *Cordis Palpitatione*.

Inæqualitas unde.

L. *Inæqualis* hujus *Effervescentiæ Causa* est *Inæqualis* nuoc *Bilis*, nunc *Lymphæ*, *Liquorisve* ex supra memorato *Intestinali Triumvirata prodeuntis*, *aliorumve* adhuc forsao *Humorum* Sanguini admisceri solitorum, ac nedum ulli satis perspectorum, *Quantitas alterutri Sanguini juncta*.

A Bilis copia aut paucitate.

LI. Ubi namque *Plus Bilis* cum Ascendente Sanguine ingreditur Cor, Major, Celeriorque cootingit Effervescentia, unde quaque Major, Frequentiorque Pulsus: ubi contrà *Minus* ipsius accedet, Minor etiam & Tardior excitabitur Effervesceotia; simulque Pulsus Minor, & Rarior.

A Lymphæ copia aut paucitate.

LII. Ubi verò *Plus Lymphæ* cum Descendente Sauguine accedet ad Cor, Minor, Tardiorque procedet Effervescentia, unà cum Minore, atque Rariore Pulsu: ubi contrà *Minus* ejusdem affluet, Major, Celeriorque producetur Effervescentia, Pulsusque Major, ac Frequentior.

A liquore Triumvirali.

LIII. Ubi *Liquoris ex Confluentium ad tenue Intestinum Humorum Ternario exurgentis* Natura, Viresque magis erunt nobis perspectæ, solidiùs, certiùsque de noxis constitutionem ipsius vitiosam consequentibus determioare poterimus. Quod itidem intelligendum de aliis Humoribus, si, quod suspicamur, plures adhuc occurraot, qui vel immediatè, vel mediatè Sanguini ad Cor refluenti admiscentur.

LIV. Hoc autem vel idcircò hic notamus, quò plures ad veritatem io multis rebus Medicis adhuc latentem nobiscum investigandam excitemus, gavisuri, & ipsis (quemadmodum aliis jam fecimus) gratulaturi suam in eadem forsan præ nobis eruenda fœlicitatem majorem, ac semper omois boni Largitori Deo gratias debitas pro beneficio generi humano per quoslibet collato acturi; nulli autem solertiam, diligentiam; inventionem, aliaque eò spectantia invisuri, vel calumniis quorundam pigrorum, inertium aut maleferiatorum hominum more criminaturi.

Inordinatæ Effervescẽtiæ causa.

LV. *Inordinatæ Sanguinis Effervescentiæ causam* putamus *Inæqualem* non tantùm vel *Bilis*, vel *Lymphæ*, &c. tantùm vel simul, sed *utriusque*, *pluriumve ad Cor Affluxum*; unde major in ea contingit Confusio & Conturbatio, nunc cum insigni Cordis Palpitatione, mox cum sublato ad sensum ejusdem Motu ac Pulsu, io Suffocatione Hypochondriaca tam sæpè observabili.

Cordis Palpitatio, Animique Deliquiũ unde.

LVI. Quamvis autem *Cordis Palpitatio*, *Animique Deliquium grave* ortum habeat nonnunquam ab *Humoribus* unà cum Sanguioe *ad Cor* delatis, ac *vitiosam Effervescentiam* producentibus; arbitramur tamen eadem sæpiùs produci ab *Halitibus Acribus à tenui Intestino* ob itidem vitiosam ibi excitatam Effervescentiam elevatis, & tum ad *Ventriculi superius Orificium & Gulam*, tum ad *Cor* per Lacteas Venas, Ductumque Thoracicum *deductis*, & *Sanguinis Effervescentiam conturbantibus*, *Coque irritantibus*.

Abolita Effervescẽtia incurabilis. Quomodò præcaveatur. 1. in Cholera Morbo.

LVII. I. Cùm *Incurabilis* sit *Abolita in totum Sanguinis Effervescentia*, opera erit sedulò danda, ut ipsa quoties licet, in tempore *Præcaveatur ac Præveniatur*, quod fiet 1. Ubi ex *Cholera Morbo* metuendus est *Bilis Defectus*, post sedatam Bilis tunc ferocieotis Effervescentiam noxiam, Effusionemque ad intestina nimiam (de quo vide Cap. 15. §. 26. 29. & 34.) *Reparando*, *Regenerandoque Bilem*, & quidem usu quorumvis *Aromaticorum*, & *Acrium*, & *Oleosorum*, ipsorumque adeò *Oleorum Stillatitiorum* Foliorum & Florum Rorismarini, Maioranæ, &c. Seminum Anisi, Fœniculi, Carvi, &c. Corticum Citri, Arantiorum, &c. Cinnamomi, Nucis Moscatæ, Macis, Caryophyllorum, &c. *Et quibus.*

Balsama & Elixiria Vitæ.

LVIII. Hæc *Olea Aromatica* si cum *Vini Spiritu* uniantur artificiosè, *Balsama* vel *Elixiria Vitæ* vocantur à quibusdam: quorum Gutta una vel plures cum Liquore conveniente, vino præsertim, exhibitæ *Languentes ob Bilis Defectum Vires Vitales* restaurant & moribundos aliàs ex Orci faucibus eripere, ac pro mortuis habitos nonounquam resuscitare videntur.

Salia Volatilia.

LIX. Huc spectant quoque *Salia Volatilia* omnia; licet *Oleosa* sint cæteris magis efficacia, ideòque præferenda.

2. In Peste et Febribus Malignis.

LX. *Prævenietur* Sanguinis Effervescentia *Abolita* 2. Ubi tum in *Peste*, tum in *Febribus Malignis* ejus metus est propter *Summam Bilis Volatilitatem* atque *Acrimoniam* tunc peccantem, *Figendo*, *Coagulandoque* ac *Temperando* ipsam per *Acida Austeriora* Omphacium, Alumen crudum, Acaciam, ejusve Succedaneos Hypocistidis, vel Prunorum Sylvestrium inspissatos Succos, &c. Inter Chymica meritò laudantur, commendanturque Spiritus Nitri, Salis, Vitrioli, Sulphuris, Alumiois & similes, imprimis cum Vini rectificato Spiritu cohobati, & blandiores facti. *Et quibus.*

Quænam Bilem corrigant et Sanguini consistentiã restituant.

LXI. Ab hisce omoibus non tantùm Bilis corrigetur, verùm *Sanguinis Consistentia* diminuta *restituetur*, quin *Lymphæ inertia* simul *emendabitur*, sicque variis nominibus Abolitioni propinqua Sanguinis Effervescentia Vitalis conservabitur, ac restaurabitur.

3. In nimia Lympha Aciditate.

LXII. *Prævenietur* eadem Sanguinis in dextro Cordis Ventriculo vitaliter Effervescentis *Abolitio*. 3. ubi ob *nimiam Lymphæ Aciditatem* metus est, oe una cum Bile opprimatur, & suffocetur Ignis Vitalis, Sanguis saltem nimiùm ab ipsa coagulatus convenienter rarefieri nequeat, *Corrigendo*, *Infringendoque* culpatam *Lymphæ Aciditatem* modò memoratis *Salibus Volatilibus Oleosis*, atque *Oleis Aromaticis* tam puris, quàm in laudata *Vitæ Balsama* ulteriùs elaboratis. Quæ proindè cùm hactenus quoque conducant, meritò usurpabuntur in omni penè Vitæ discrimine, citra summum nempe ardorem, tum externis Sensibus manifestum, tum in malignis febribus latentem ac præcordia imprimis urentem, angentemque contingente. *Et quibus.*

Salium Volatilium Oleosorum Vires.

LXIII. Iisdem autem Salibus Volatilibus Oleosis non tantùm Lymphæ Aciditas excedens minuetur, verùm *Bilis* quoque pressa & tantùm non oppressa *roborabitur*, ipsiusque *Sanguinis Coagulatio nimia minuetur* & ad statum naturalem reducetur.

4. In Nimiis Halitibus.

LXIV. *Prævenietur* eadem *Abolitio* Effervescentiæ Sanguineæ 4. ubi à *nimiis Halitibus* & in dextro Cordis Ventriculo, & in Pulmonum Vasis spatium rarefiendo Sanguini necessarium ita occupatur,

patur, ut Ignis Vitalis Extinctio immineat, *Dissipando* dictos *Halitus* jam *productos* & *Impediendo* eorundem *productionem novam*.

Quanam Halitus dissipent.

LXV. *Halitus dissipant & discutiunt* prædicta *Olea Aromatica*, & *Salia Volatilia* quævis, sed maximè *Oleosa*; seligendo semper illa, quæ ex Plantarum partibus Halituum discussioni per se aptis talibusque per Experientiam compertis sunt parata.

Quænam Halituum productionē impediant.

LXVI. *Halituum nova productio Impeditur* ab iisdem *Aromaticis Oleis* & *Salibus Volatilibus*, ut & à quibusvis aliis *Humorum Pituitosorum Viscididatem Incidentibus*, *Acidis* puta, sed maximè *Nitri Spiritu*, cujus nimirum Vires in hoc Affectu debellando sunt singulares ac stupendæ.

5. in Plethorico et Habitu Athletico.

LXVII. *Prævenietur* eadem Effervescentiæ Sanguineæ *Abolitio* 5. ubi in *Habitu Plethorico & Athletico Vasa omnia repleta sunt Sanguine*, *Minuendo Sanguinis Redundantiam* per ipsius ex vena secta *Missionem* sufficientem una, pluribusve vicibus pro re nata & urgente necessitate instituendam.

6. In Febribus Ardentissimis.

LXVIII. *Prævenietur* eadem Vitalis Effervescentiæ in Sanguine produci solitæ *Abolitio*: 6. ubi ab *Igne potentiore* in Cordis Ventriculo dextro exurgente, Sanguinemque nimium rarefaciente *Suffocationis* metus in *Ardentissimis Febribus* occurrit. *Temperando* illum *Æstum* undecunque ortum, & imprimis per *Acida* una cum Potu assumpta, & modò §. 60. notata, commutando ac corrigendo insuper *Aerem* æstuantem cum frigidiore, conclusum cum liberiore, quietum cum agitatiore, humidum cum ficciore.

LXIX. Quoniam enim putamus *Ignem* nostrum *Vitalem maxima sui parte prodire à Bile*, imprimis quando fit *ardentior*; idcircò Ratione ducti existimamus ea præsertim tum usurpanda remedia, quæ Bili corrigendæ maximè conducunt, qualia etiam Experientia Comite laudavimus.

Cessans Effervescētia quibus curetur.

LXX. *Cessans ad Tempus* brevius vel longius eadem Sanguinis Effervescentia Vitalis in *Syncope*, tum in *Hypochondriaca Suffocatione Curabitur* laudatis toties *Oleis Aromaticis*, & *Salibus Volatilibus* quibusvis, sed maximè *Oleosis*; facta semper aliqua pro Symptomatum Comitum diversitate Mixturarum varietate, unà cum Simplicium ipsorum delectu.

LXXI. Quemadmodum enim, ubi nominata urget *Suffocatio*, meritò aliis multis præfertur *Castoreum*, ejusque cum rectificato Vini Spiritu elicita *Tinctura*, & *Salis Armoniaci Spiritus*; ita ubi Frigus tam externè, quàm internè urget valdè in *Syncope*, aliisve Affectibus affinibus, præ aliis omnibus mihi hactenus compertis laudo *Oleum Caryophyllorum Stillatitium* non ingratum; nec improbo *Terebinthinæ Oleum* minùs gratum; postquam cum Spiritu Vitrioli Effervescentiam excitat cum insigni calore junctam.

Mixtura.

LXXII. Exempli loco esto sequens Mixtura.

℞. *Aq. pulegii* ℥ ij.
theriac. simpl. ℥ vj.
Tinctur. Castorei, ʒ ij.
Ol. Macis Stillat.
Succini, *aa.* Gutt. iij.
Syr. fœniculi, ℥ ß.
M.

Ejus usus.

Hujus Usus esto in *Suffocatione Hypochondriaca*, ipsam sæpiùs cochleatim exhibendo.

Spiritus Salis Armoniaci Usus et Vires.

LXXIII. Potest huic Misturæ addi *Spiritus Salis Armoniaci* ℈ i. unde longè potentior evadet; quamvis possit quoque in quovis eius Cochleari ad *Gut.* iii. iv. aut v. adiici; aut angusti orificii Vitrum Spiritum dictum continens in gravissima eius specie naribus applicari, acri namque ipsius odore solent ut plurimùm excitari Ægri tum ab illa Suffocatione, tum ab Epilepsia.

In Syncope et Animi deliquiis Mistura.

LXXIV. In *Syncopes* autem metu, aliisve *Animi Deliquiis* levioribus, cum *Frigore* tamen molesto & formidabili coniunctis, ex medicamentis vulgò in Officinis plerisque prostantibus sequens paretur Mixtura itidem cochleatim per intervalla brevia usurpanda.

℞. *Aq. menthæ*, ℥ ij.
Vitæ Matthioli, ℥ i.
vel *Tinctur. Cinnamom.* ℥ ß.
Ol. Caryophyllor. Gutt. vi.
Syr. Cochleariæ, ℥ i.
M.

Salium Volatilium, et Oleorum Aromaticorum Vires.

LXXV. Non tantùm per quotidianam Experientiam edoctus commendo laudata modò Salia volatilia; & Olea Aromatica, sed quia idem Ratio suadet: Ratio, inquam, ex Salium istorum & Oleorum analysi, atque Animi Deliquiorum, Hypochondriacæque Suffocationis Causa Efficiente, Pituita Viscida & Acida, vel Halitibus itidem Viscidis & Acidis Austerisve simul collatis petita. Habent namque Salia ista & Olea vim omne Viscidum solvendi ac incidendi, omne autem Acidum, & Austerum temperandi ac corrigendi, omne demum Halituosum & Flatulentum discutiendi ac dissipandi.

LXXVI. Ubi Æger magis Mortuo, quàm Vivo similis Os nec aperire, nec claudere, multo minùs debitè aliquid deglutire potest, tunc commodum erit, loco præscriptarum Misturarum, laudata *Olea Aromatica* tum simplicia, tum magis composita *cum rectificato Vini Spiritu* vel confusa duntaxat & tantillum agitata, vel maiori artificio & circulatione diutina penitiùs iuncta ad *Guttas* iii. iv. *pluresve* subinde in Ægrorum Os, ac imprimis per Infundibulum Argenteum; Aurumve ad fauces usque immittere, quò tum in Ventriculum, ac Intestina (unde tam gravis Mali Causa utplurimum quaquaversùm propellitur) tum in Asperam Pulmonum Arteriam usque ad Ipsum Sanguinem in Pulmonalibus Vasis hærentem possint penetrare, atque ubique noxam urgentem corrigere ac emendare.

Animi Mæror quibus præveniatur Quibus tollatur.

LXXVII. Inter Causas Antecedentes, ac Res Nonnaturales *Animi Mæror prævenira* potest ac debet Rationibus tum Philosophicis, tum Theologicis contra quævis molesta Mentem in tempore muniendo; Idem iam præsens ac urgens *tolletur* ac superabitur iisdem, quamvis plerumque tardiùs ac lentiùs.

Pavor quibus præveniatur.

LXXVIII. Potest quoque contra *expectandum* ac *prævisum Pavorem* muniri ac præparari Animus ad quævis adversa fortiter ferenda; unde minùs afficietur, tunc ab incusso Terrore Animus, cuius noxæ mox iterum evanescent, uti contrà potentiùs, graviùsque concutietur Animus Meticulosior, & adversa quævis, etiam minima, pro gravissimis habens, ac nullis ferendis aut perferendis accommodatus, aut exercitus.

Inexpectati Terroris effecta.

LXXIX. Ab *inexpectato* verò *Terrore* omnes quidem afficiuntur potenter: potentiùs licet ac diutiùs Timidi ac Ignavi; leviùs breviusque Fortes ac Cordati, ob rationes modò datas.

Cessans Effervescentia à Frigore externo quomodò curetur.

LXXX. Ubi à *mordaci Aeris vel Aquæ Frigore Cessat* Vitalis Sanguinis Effervescentia, non tantùm transferendum Corpus Ægri in Aere blandiorem, non tamen æstuantem, Partesve affectæ ex Aqua algida removendæ, ac insuper Frictionibus fortioribus Sensus in partibus externis excitandus, quin exhibenda, infundendave per Os medicamenta ex *Aromaticis Oleis*, *Salibusq; Volatilibus* parata, & imprimis *Sudores* simul moventia; quò repellatur foras Frigus, eiusque Causa unà cum refluo Sanguine, Lymphave ad Cor & interiora penetrans.

Et quibus.

Oleorum Aromaticorum, et Salium Volatilium Vires.

LXXXI. Horum autem eorundem medicamentorum beneficio Emendabitur quoque Viscidorum & Acidorum Humorum, Flatuumque in Corpore præexistentium Vitium: quin *Præcautionis* loco assumi possunt eadem; quoties Frigidiori Aeri exponi, Aquæve imponi debet Corpus.

LXXXII.

1. Aerem Mutando. 2. Acria Cibis admiscendo, &c. 3. Somnum minuendo & Vigilias augendo. 4. Corpus Exercendo.

LXXXII. II. *Diminuta in Corde Sanguinis Effervescentia* ob *Bilem minùs Acrem Curabitur* 1. Mutando *Aerem* Frigidiorem, Humidioremque in Calidiorem ac Sicciorem, arte saltem paratum per Ignem luculentum, Plantasque Aromatica in mansione ordinaria dispersas.

LXXXIII. 2. Admiscendo *Cibis Condimenta* Aromatica & Acria; ut & abstinendo ab Alimentis valdè Pituitosis, Aqueis, Oleosis, & Acidis.

LXXXIV. 3. Detrahendo aliquid *Somno*, & protrahendo indies *Vigilias*.

LXXXV. 4. *Exercendo Corpus* magis magisque, etiam ad mediocrem Defatigationem.

5. Quosdam Animi affectus admittendo.

LXXXVI. 5. *Occupando Animum Curis ac Solicitudinibus*, nec abhorrendo ab *Iracundia* non nimis vehementi; *Lætitiæ* imprimis studendo, & omnem *Tristitiam*, *Metumque* abigendo.

6. Menses Sudoresque Movendo.

LXXXVII. 6. *Movendo* blandè *Menses*, *Sudoresque* solitos, per medicamenta sæpiùs, ac suo præsertim loco descripta & describenda.

LXXXVIII. *Diminuta* ob *Bilem nimis Paucam* in Ascendente Sanguine contentam *Effervescentia* prædicta *Curabitur*, quando easdem, quàs minùs acris, agnoscit Causas, memoratis modis; quando verò *Alvi Fluxum Biliosum* sequitur, aut ab imprudentibus perperam insticutas *nimias Bilis Evacuationes*, tum *comprimendo*, *supprimendoque*, si adhuc duret, *nimium* illum *Bilis Effluxum*, per *Austera & Opiata* leniora, non semel hinc inde jam notata; tum *reparando Bilis Defectum*, per *Condimenta*, *Medicamentave* & *Aromatica*, & satis *Acria*, itidem passim laudata, *Sinapi* puta, *Raphanum Rusticanum*, *Nasturtium*, *Cochleariam*, *Piper*, *Zinziber*, *Cinnamomum*, *Garyophyllos*, *Cardamomum*, &c. Horum enim ope non tantùm *Acrior*, sed & *Copiosior* reddetur in Corpore *Bilis* ac consequenter Augebitur Diminuta priùs Sanguinis Effervescentia.

Diminuta ob Lympham minus Acrē 1. Aerem mutando.

LXXXIX. *Curabitur* eadem *Diminuta Effervescentia* ob *Lympham minus Acidam* 1. Mutando *Aerem* à Sole aut Igne quovis *æstuantem* cum *frigido*, ac recipiendo se in locum subterraneum, vel aliàs frigidulum; & corrigendo *Humidum* vel *pluviosum* imprimis excitato in cubiculo, aliove mansionis loco Igne lucido ex odoratis præsertim Lignis parato.

2. Acida Usurpando.

XC. 2. Usurpando frequenter *Condimenta*, *Medicamentaq*; *Acida*, Succo Citri, Arantiorum, Ribesiorum, Berberorum, Acetum, Acetosam, Spiritus Salis, Vitrioli, Sulphuris, Nitri, &c. quorum ope Augebitur sensim una cum deficiente Lymphæ Aciditate Diminuta ideò Sanguinis Effervescentia, Quod ut citiùs contingat, vitanda simul minuenda saltem *Alimenta & Condimenta Pituitosa*, *Aquea*, *Oleosa*, & *valde Aromatica*.

3. Somnum minuendo, & Vigilias augendo. 4. Corpus exercendo. 5. Curas admittendo 6. Menses & Alvum movendo.

XCI. 3. Minuendo *Somnum*, & Augendo in dies *Vigilias*.

XCII. 4. *Exercendo* magis magisque agitatione mediocri *Corpus*.

XCIII. 5. Occupando *Animum* curis ac solicitudine mœsta.

XCIV. 6. Restituendo *Suppressum Menstruorum* vel *Alvi Fluxum* familiarem.

1. Acida usurpando. 2. Obstructionem tollendo.

XCV. *Curabitur* eadem *Diminuta* ob *Parciorem Lympham Sanguinis Effervescentia*, 1. Eandem paulatim *augendo* per *Condimenta*, *Medicamentaque Acida* modo recensita indies quantitate parva quovis tempore usurpata.

XCVI. 2. Tollendo *Lymphaticorum Vasorum Obstructionem*, aliamve *Angustiam* omnem tum *Stagnationis*, tum horum *Vasorum Ruptionis*, atque adeo *Lymphæ Effusionis* Causam, per *Medicamenta Coagulatam* in laudatis Vasis *Pituitam Solventia* ac *Incidentia*, & imprimis *Sudorifera* non semel in hoc Opusculo præscripta: observando semper cum majori successu eadem usurpari, quando ad Sudorem blandum eliciendum componitur corpus, ac præsertim quando idem actu talis propellitur; sic enim faciliùs, citiùsque solvitur Obstructio illa noxia.

Diminuta ob Viscidiorem.

XCVII. *Curabitur* denique *Diminuta* ob *Viscidiorem Lympham* prædicta *Sanguinis Effervescentia*, usurpando eadem modò memorata Medicamenta *Incidentia*, tum *Acida*, tum *Salina*, & imprimis *Volatilia*, qualia sunt *Spiritus Salis* & *simplex* & *dulcis*, atque *Salia Volatilia* omnia, *Oleosa* præsertim, toties à nobis ac merito laudata, eaque diutinè ac minori quantitate assumpta, tum sine, tum una cum Alimentis.

Vitando Viscida, Acrē Frigidum, & Mœrorem.

XCVIII. *Vitanda* interim *Alimenta Viscida*; ut & *Aer frigidus & asper*; *Animique Mœror gravis ac continuatus*: quorum loco usurpanda sunt *Alimenta* facilis fermentationis, Panis triticeus ritè fermentatus, Carnes Volatilium potiùs, quàm Aqueorum, additis *Condimentis* Aromaticis; sic *Aer* quæratur, pareturve arte blandè calens ac siccus; *Animusque* disponatur ad Hilaritatem, gratiique objectis recreetur.

1. Ob Fel Acrius.

XCIX. III. *Aucta* verò *Sanguinis Effervescentia Curabitur* 1. quando *Fel Acrius* ejus Causa existit, *Corrigendo*, *Temperandoque* Ipsum imprimis per modò recensita *Acida*, pro singulorum Ægrorum constitutione peculiari varianda, & plùs, minùsve aliis additis alteranda.

2. Ob Fel copiosius.

C. *Curabitur* eadem 2. quando *Fel copiosiùs* in Folliculo suo existens nimia quoque copia pergit ad Cor, illud *Minuendo*, *Evacuandoque* per *Chologoga* sæpiùs à nobis jam descripta, & imprimis Cap. 2. §. 41. & seq. minore dosi usurpata: ne aliàs Hypercatharsis, aliive Affectus graves excitentur.

CI. *Abstinendum* autem simul ab ulteriori usu *Condimentorum*, *Medicamentorumve Aromaticorum* & *Acrium*, & maximè *Amarorum*.

3. Ob ductū Bilarium obstructum.

CII. *Curabitur* eadem 3. quando *Impeditus est Bilis ad Intestinum Descensus* ea *Obstructione Pituitosa in Ductu Bilario Intestinali* existente; illam *Solvendo* per *Incidentia* modò §. 97. & Cap. 2. §. 28. 30. & seq. imò hinc inde passim descripta.

CIII. Quod si *Calculosa* fuerit Ductus intestinalis *Obstructis*, Solvetur eadem commodè tum per *Graminis* Decoctum, vel Aquam post præviam fermentationem distillatam, tum per *Spiritum Nitri* optimum cum aliis indies usurpatum, tum per alia huic Coagulationi Calculosæ magis specialia.

4. Ob turgentem Bilem.

CIV. *Curabitur* eadem 4. quando *Turgens Bilis* sponte, hoc est, ab *Interna Causa* ad sui *Effusionem* universalem *irritatur*; *Incrassando Figendoque* cum *Bilem*, tum *Acidum Volatile* in corpore furens, imprimis per *Sulphura Mineralia* aut *Metallorum Narcotica* vel potiùs *Anodyna* dicta, ut & *Bolos*, *Terrasque Sigillatas* multifarias, præsertim circa Auritodinas extractas: quibus *Præveniri* quoque potest illa periculosa, & sæpenumero lethalis efferæ Bilis Effusio.

CV. *Choleræ Morbi Curationem* dedimus Cap. 5. §. 34. sicut *Febres Ardentes* curandi modum daturi sumus inferiùs Cap. 29. & seq.

5. Ob Lympham parciorem.

CVI. *Curabitur* eadem *Sanguinis Aucta Effervescentia* 5. quando *Lympha* & *Volatilis*, & *Aeris*, *Parcior* licet ad Cor defertur, & ipsius Causa existit, tum *Abstinendo* ab ulteriori Usu *Condimentorum*, *Medicamentorumve Aciditate Volatili*, & *Acri* præditorum, & §. 43. notatorum, tum *Assumendo* per vices *Acida magis Austera* & *Aqua* sufficiente diluta.

1. Pituitam augendo.

CVII. IV. *Celeriùs perfecta* hæc Sanguinis *Effervescentia* ob *Pituitam* in ipso *Pauciorem*, *Bilemque* ac *Lympham* idcircò *Acriores*, minùsque Temperatas, *Curabitur* 1. *Reparando & Augendo Pituitam* desideratam *Alimentis* multam Pituitam generantibus, Jusculis paratis ex partibus extremis Animalium, Capitibus, Pedibusque Vitulorum, Ovium, &c. Piscibus, Marinis præsertim, Lacte Bubulo, Caprillo, &c. *Abstinendo* interim, *parcè* saltem *utendo Condimentis*, *Medicamentisve* valdè *Acribus* & *Aromaticis*.

Et ab Acribus Abstinendo.

CVIII.

2. Aerem mutando.

CVIII. 2. Mutando *Aerem* quovis modo æstuantem ac subtilem in Frigidum & Crassiorem,

3. Quiescendo.

CIX. 3. *Corpus* à *Motu* vehementi ac perseverante componendo ad *Quietem*.

4. Somnum augendo.

CX. 4. *Vigilias* protractas commutando cum *Somno* & longiore & profundiore.

5. Curas vitando.

CXI. 5. *Animum* liberando à *Curis & solicitudinibus gravibus* ac molestis.

6. Diarrhœã Pituitosam,

CXII. 6. Sistendo, Curandoque *Diarrhœam Pituitosam*, aliumve *Pituitosi Humoris Defluxum* aut *Effluxum* præternaturalem, sicut id suo docetur loco.

CXIII. V. *Tardiùs procedens* Sanguinis *Effervescentia* ob *Pituitæ*, ac *Viscidæ* imprimis *Abundantiam*, *Bilisque* ideò & *Lymphæ Inertiam*, *Curabitur Diæta* & *Medicamentis* tum Cap 2. §.28. & seq. tum hujus Cap. §. 96. & seq. tum alibi propositis.

Inordinata quomodò curetur,

CXIV. VI. *Depravata & Inæqualis*, vel *Inordinata* Sanguinis *Effervescentia* ab *Inæqualis* vel *Bilis*, vel *Lymphæ*, vel *Liquoris* ex Confluentium ad tenue Intestinum Humorum *Ternario exurgentis*, vel alius *alicujus nondum satis observati Humoris tantùm*, vel *Plurium simul Affluxu* sive *Liquoris*, sive *Halitus* specie ad Cor tacto pendens *Curabitur*, & *Corrigendo* 1. Singulorum quocunque modo peccantium *Humorum vitium*: Et *Coercendo* 2. Plurium confluentium *Effervescentiam vitiosam*: Et *Emendando Discutiendove* 3. *Halitus*, *Flatusve* tunc excitatos *vitiosos*: Et *Componendo* 4. *Animum* quovis *Affectu gravi turbatum*, frequentissimamque ac potentissimam confusè agitatorum Humorum variorum Causam: Et *Vitando*, *Temperandove* 5. *Aerem* aut *Alimentum noxium*, rariorem, minùsque potentem prædictæ Humorum agitationis Causam.

CXV. Quibus *modis & mediis Corrigi* debeant *Singulorum Humorum* in Corpore humano existentium, & hactenus *notorum Vitia*, non semel dictum in superioribus.

Humores aliquot hactenus ignotos & Sanguini admisceri & Effervescentiam conturbare.

CXVI. Quoniam verò Capitis hujus §. 50. & 53. aliorum insuper nulli (quod sciam) hactenus planè notorum, perspectorumque Humorum mentionem feci; quos tamen in homine tum existere, tum Sanguini ad Cor refluenti vel immediatè, vel mediatè admisceri, atque vitiatos Sanguinis Effervescentiam nonnunquam mirè conturbare non sine causa me suspicari dixi; nec tamen ipsos vel nominavi, vel indicavi, meritò id Medicum eximium, cui præcedentia typis mandata percurrere libuerat, movit, ut me moneret, verbo saltem; ne ulli verba dedisse viderer, dicta mea illustrarem, atque Humorum à me conjectatorum aliquos patefacerem: Cujus acri, exactoque judicio sicut semper multum tribui, ita ipsius consilium in hoc negotio mihi sequendum duxi.

A Testiculis, & Partibus Seminis generationi dicatis aliquem per corpus universum diffundi Halitum.

CXVII. Plurima certè testantur & in Sanis, & in Ægris quandoque aliquid à *Testiculis*, aliisve *Seminis generationi ministrantibus partibus*, ac præsertim vegetis, multumque Seminis potentis producentibus transire ac meare in corpus universum, quod valdè, validèque ipsum afficiat, Cui dicto fidem faciunt non tantùm Castrati effœminati, sed tum Mares, tum Fœminæ ad Venerem alacriores, atque inexplicabili naturalis libidinis œstro nonnunquam perciti, & imprimis ad objecti sensus potenter moventis, Animamque mirè commoventis occursum: Unde, quoties voti sui potiri non licet, aut non decet, quot malis subinde urgeantur idcireò, premanturque miseri, docent ac evincunt infinitæ à Medicis notatæ historiæ commiserationis plenæ.

CXVIII. Illud idem confirmat Brutorum Castratorum, Bouum, Vervecum, Caponum &c. Carnes suaves, gratæque, ac plurimùm à non Castratorum, Taurorum, Arietum, Gallorum gallinaceorum &c. virosis atque ingrati saporis carnibus differentes.

CXIX. Adde quòd Bruta non minùs, quàm Homines plurimùm soleant post castrationem pinguescere, atque Homines ante pubertatem Eunuchi facti raro multum virilis barbæ proferre, aut vocem masculam nancisci.

CXX. Hæc omnia verò à Spermatico halitu per universi corporis partes tam continentes quàm contentas disperso deducenda plurima evincunt, quæ pluribus deducere non est hujus loci.

A Glandulis Renalibus & Trachealibus Humorem singularem Sanguini communicari.

CXXI. Præter Testiculos observantur hinc inde in humano corpore *Glandulæ* à cæteris plus minùs differentes, *Renales* puta & *Tracheales*; in quibus *Humorem Singularem* produci, eundemque immediatè aut mediatè Sanguini communicari fabrica earum singularis arguit.

Glandulæ Thymi liquor.

CXXII. His meritò annumerabitur ex Conglomeratarum genere *Glandula Thymus*, cujus *Excretoria vasa propria* sicut omnibus Anatomicis, quantum ego saltem novi, hactenus sunt incomperta, ita *Liquor* qualiscumque per ipsa delatus, atque adeò ejusdem *Usus verus* omnibus manet etiam nunc incognitus.

Exhortatio.

CXXIII. Quoniam verò multiplicibus occupationibus perpetuò distractus desideratæ horum & aliorum indagini ex voto hactenus non potui vacare, plures ex Auditoribus meis in Anatome ingeniosis ac industriis ad hasce, similesque partes diligentiùs perscrutandas non semel hortatus sum; quò, si fieri queat, hæc & alia plura nos adhuc dum latentia eruerent, atque cum nominis sui laude ac commendatione orbi literato manifestarent; quod & hic denuò publicè facio, singulisque successum fœlicem adprecor.

Quoties plures Humores simul & diversimodè peccant, quid Medico agendum.

CXXIV. Donec igitur Memorati Humores Halitusve nobis perspecti sint, de illorum vitiis variis ac remediis convenientibus tantisper silebimus, quò in viam reversi doceamus. Quoties *plures Humores simul* & quidem *diversimodè peccare*, ideòque magis *intricatè Sanguinis Effervescentiam vitiare* deprehenduntur, toties acri & solicito judicio *quærenda*, *seligenda* & cæteris *præmittenda*, quæ *magis urgenti Humori aut vitio potissimum succurrant*, vel ita *temperanda Remedia polychresta*, ut *simul singulorum vitia emendent*, *nullum foveant*, *vel augeant*. Ubi subacto per longum rerum usum judicio opus est, atque observatione accurata Juvantium & Nocentium: quibus neglectis non potest non sæpiùs cum ægrorum detrimento hallucinari Medicus, etiam portentosè Suffenus.

Humorum Effervescentiam coercere Opiata.

CXXV. *Coercent* 2. præ multis aliis, atque universè quamvis *Humorum Effervescentiam Opiata*: quibus pro re nata, & Humorum maximè peccantium diversitate addi possunt alia Ipsos simul temperantia, qualium formulas hinc inde proposuimus.

CXXVI. *Emendantia & Discutientia* 3. *Halitus*, *Flatusque* non semel in hoc Opusculo præscripsimus, ac nominatim Cap. 9. §. 23. & seq.

Animi Affectus ratione sedari.

CXXVII. 4. *Animum Affectibus turbatum & omnes in Corpore Humores conturbantem componunt Rationes Solidæ* ratiocinatione mascula Menti ægræ propositæ, atque Assensum ejusdem potenter cogendo tum ad pristinam serenitatem, tum ad quævis molestissima, quoties mutari non possunt, patienter, atque fortiter ferenda, perferendaque ipsam deducentes ac firmantes.

CXXVIII. Qua ratione 5. tum *Alimenta noxia*, tum *Aer vitiosus vitari* debeant vel *corrigi*, non semel quoque dictum in superioribus.

Inæqualis Humorum ad Cor Affluxus, & Inordinata hinc Effervescentia curatio.

CXXIX. *Inæqualis nunc Bilis*, *mox Lymphæ*, *alteriusve Humoris noxii ad Cor Affluxus & Inordinatam* in Corde *Sanguinis Effervescentiam excitans*, postquam tam ex diversis Animi Affectibus, quàm cæteris Rebus Non-naturalibus diversimodè, at subitò ac reciprocè ipsos Ægros invadentibus ortum suum habent, *diversis* quoque *auxiliis*,

tam

tam *Spiritualibus* & in ratiocinatione catenata consistentibus, quàm *corporeis* & medicamentorum nomine notis, pro symptomatum concurentium diversitate subinde mutandis aut ingeniosè commiscendis, *Curabitur*.

CXXX. Hæc autem omnia cùm non ita difficulter peti possint ex supradictis, ne eadem continuò repetendo Lectori nauseam excitemus, malumus brevitati studentes ad sequentia festinare.

CAPUT XX.

De Sanguinis per Pulmones Motu læso.

Sanguinis per Pulmones Motus. I. S*Anguis in dextro Cordis Ventriculo Effervescens, incalescens* atque *Rarescens* parietes ipsius sensim magis, magisque *expandit*, donec ista expansione irritatum *Cor* parenchyma suum musculosum Spirituum Animalium ope contrahat, simulque *Sanguinem* contentum in *Pulmonalem Arteriam exprimat, ex qua per Pulmonum parenchyma* (quod mihi maximè videtur probabile) *in Pulmonalem Venam transfusus ad sinistram Cordi Auriculam, Ventriculumque sinistrum pergit*.

Sanguinem ab Aere in Pulmonibus temperari et condensari. II. Dum autem per Pulmones vadit *Sanguis*, ab *Aere Inspirato* in *Æstu* suo ac fervore blandè *temperatur*, & plùs minùs *condensatur*, ne ab excitatis fervore nimio Halitibus copiosioribus Suffocetur in Corde & Sanguine modò accensus Ignis Vitalis.

Quot modis lædatur hic Sanguinis Motus. III. *Læditur* hic *Sanguinis per Pulmones Motus* 1. quando *Nullus* fit. 2. quando *Tardiùs*, 3. quando *Celeriùs* procedit. 4. quando *aliò, quàm quò decebat*, propellitur Sanguis.

Hujus ablati causæ. 1. Sanguinis Defectus. IV. I. *Nullus* fit *Sanguinis per pulmones Motus*, 1. *ob ejus in dextro Cordis Ventriculo Defectum*, Cava Vena insigniter vulnerata, & effuso intra vel extra corpus omni penè Sanguine, ad Cor aliàs fluxuro.

2. Ejusdem coagulatio ac concretio. V. 2. *Ob ejusdem Coagulationem ac Concretionem*, quamvis summam vix possim comminisci subitaneam, nisi forsan in gravissima *Syncope* ab Acido acri abundantiùs ad Cor delato; quemadmodum id non semel observavimus factum à Spiritibus acidis per Syringam in Canum Venam notabilem infusis.

3. Cessans cordis Contractio. VI. 3. *Ob cessantem Cordis Contractionem* in *Apoplexia* vehementissima, propter impeditum Spirituum Animalium per Nervos ad partes quasvis Motum.

4. Nimia Vasorũ Pulmonis repletio. VII. 4. *Ob nimiam Vasorum Pulmonis Repletionem*, tum sæpiùs in *Plethora extrema*, tum rariùs in *Plerorumque Pulmonis Vasorum Obstructione* qualicumque.

Universalis hic Motus impeditus causa mortis. VIII. Ubi *Universalis* ac per omnia Pulmonum Vasa contingit *Motus* ille Sanguinis valdè *Impeditus*, aut *cessans*, brevi moritur Homo, aut *Extinctus* ob Sanguinis *defectum*, aut *Suffocatus* ob ejusdem *copiam*, vel *stagnationem*? ni confestim secta vena *redundans minuatur*, vel pro re nata *copiosius affluens aliò avertatur*.

Particularis causa Peripneumonia. IX. Ubi autem in *quibusdam* duntaxat *Pulmonum Vasis* propter *Obstructionem moveri desinens Sanguis* aliquaudiu ibidem *stagnat*, *Peripneumoniam*, hoc est, *Pulmonum Inflammationem* parit.

Tardioris motus causa. X. II. *Tardiùs movetur* per Pulmones Sanguis, vel 1. propter sui *ViscIditatem*, à *Pituita* simili undecunque orta productam.

1. Sanguinis Viscidìtas. XI. Vel 2. Propter ipsorum *Vasorum Angustiam* non tamen extremam.

2. Vasorum Angustia. 3. Animaliũ Spirituum Penuria. XII. Vel 3. propter *Animalium Spirituum* Cor imbecilliùs moventium *Penuriam*, sive illi *consumantur* nimiùm per Dolores, Vigilias, Meditationes solicitas, Curas, Corporis Defatigationes, &c. sive *non reparentur* per Inediam protractam, Spirituosorum saltem Alimentorum defectum, aut neglectum.

Celerioris motus causa. XIII. III. *Celeriùs* per Pulmones movetur Sanguis, vel 1. propter auctam ipsius *Fluiditatem* à Sero quovis in ipso abundante.

1. Sanguinis aucta Fluiditas. XIV. Vel 2. propter *Æstum majorem* in Corde unà cum potentiore ac proinde celeriore *Sanguinis Rarefactione* quocumque modo excitatum.

2. Major Æstus. 3. Humor Halitusve acris. XV. Vel 3. propter *Humorem, Halitumve acrem* unà cum Sanguine ad Cor delatum, ipsùmque ad frequentiorem sui contractionem, Sanguinisque contenti expulsionem irritantem.

Præposteri motus causa 1. Vasa erosa, vel rupta XVI. IV. *Aliò, quàm quò decebat, movetur* Sanguis per Pulmones propulsus, 1. quando ipsius ex *Vasis* suis *erosis*, *ruptisve* erumpit in *Arteriam Asperam*, mox per *Os ejcitur* in *Hæmoptoë*, hoc est, *Sanguis Sputo*.

2. Vasa aperta. XVII. 2. Quando idem ex *apertis* quovis modo *Vasis* suis effunditur in *Pulmonum Parenchyma*; & *Peripneumoniam* producit.

3. Vasa Vulnerata. XVIII. 3 Quando idem ex *Vasis* suis *Vulneratis* excidit in *Pectoris Cavitatem*, ubi collectus atque in *Pus* vel *Saniem* mutatus *Empyema* constituit.

Vasa pulmonum à quibus erodantur. XIX. *Eroduntur Vasa* Pulmonum sæpiùs ab *Humoribus Acribus & Salsis*, *vel Acidis e Capite* ad Pulmones delabentibus; rariùs, si unquam, à *similibus* unà cum Sanguine ad Pulmones delatis.

A quibus rumpantur. XX. *Rumpuntur* eadem *Vasa* 1. à *Tussi*, *Vociferatione*, *Saltu*, *aliove Corporis Motu vehementiore*,

XXI. 2. A *Sanguine potentiùs* in Corde *Incalescente*, atque simul valdè *Rarescendo* Pulmonum Vasa *nimium Distendente*.

A quibus Vulnerentur. XXII. *Vulnerando* eadem *Vasa* à quovis *Instrumento, acuto, Cultro, Gladio*, similive alio per Thoracem aut Diaphragma inflicto in Pulmones, ipsorumque Vasa *penetrante sauciante*.

Sanguinis motus deficiens ob ejus defectum incurabilis. XXIII. I. *Sanguinis*, ob sui in dextro Cordis Ventriculo defectum, *in ac per Pulmones Deficiens Motus Curari nequit*.

Ut & Sanguinis contaneo subicretia *Quæ verò paulatim eveniit, quomodò curentur.* XXIV *Sanguinis Coagulatio Concretio valida & subitanea* pro *Incurabili* habenda: Quæ autem *paulatim evenit*, *sensimque augetur*, *Curabitur Medicamentis Aciditatem acriorem frangentibus*, *temperantibusque*, adeòque tum *Spirituosis*, tum *Oleosis*, tum præsertim *Sale Lixivo præditis*; quamvis Homini conducant imprimis *Salsa volatilia*, quippe quæ dictis omnibus ac singulis constant, nec tantùm celerrimè quaqua versùm in corpore transfunduntur, verùm satis potenter, blandè licèt, desideratam efficiunt, perficiuntque Acidi Acrioris emendationem, si conveniente liquore diluantùr, sæpiùsque usurpentur.

Oculorum Cancri Usus & Vires. XXV. Inter vulgò nota meritò laudantur *Oculi Cancri* Vino acidiusculo, vel Aceto stillatitio pauco (quò faciliùs Acido in corpore peccanti admisceantur) soluti & aliis convenientibus additis per intervalla sumpti. Exempli gratia.

Mixtura.

℞. *Ab. hyssopi.*
Fœniculi, *an.* ℥ i ß.
Vitæ Matthioli, ℥ j.
Aceti stillat. ʒ ij.
Ocul. Cancri pulverat. ʒ ß.
Syr. Cochlear. ℥ j.
M.

Alia. Mixtura.

vel ℞. *Aq. menth.* ℥ iiß.
thriacal simpl. ʒ vj.
Tinct. Castorei, ʒ ij.
Spir. Salis Armoniac. ℈ j.
Ol. Cortic. arantior. Gutt. vj.
Syr. fœnicul. unc. j.
M.

Earũ Vires & Usus. Prior Mistura minùs efficax, licet gratior, posterior minùs grata, sed magis efficax erit: utraque cochleatim usurpata conducet acriori Acido temperando; quamvis posterior præferenda, quoties aliquid austeri concurrere observabitur, *Austeri signa.* cujus primarium signum est Angustia quævis ad Hypochondriacam Suffocationem tendens, sive ipsa assurgat usque ad fauces, sive hæreat circa præcordia, & inexplicabiles pariat Ægris anxietates,

tates, ac continuò instans Animi Deliquium minitantes.

Cordis contractio cessans quomodo curetur.

XXVI. *Cordis Contractio* in vehementi Apoplexia *Cessans numquam Curabitur*; nec facilè *prævenietur* nisi *valde Spirituosis & Aromaticis* sæpiùs usurpatis, *Aqua vitæ Matthioli, Apoplectica* & similibus: non neglectis interim aliis antecedentes Apoplexiæ Causas corrigentibus aut educentibus alibi proponendis.

Plethora curatio.

XXVII. *Sanguinis Plethora* citò, tutòque *Curatur Evacuatione* ipsius sufficiente per *Venam sectam*, sive illa simul ac semel fiat, sive pro Ægrorum natura peculiari & viribus per iteratas vices. Sunt enim plures, qui magnam ejus detractionem confertim factam ferre non possunt, quin mox in Animi Deliquium incidant; à quo cùm nihil boni unquam certò evenire possit ulli, malim ego ipsum, quoties licet, præcaveri, atque securè potiùs, quàm temerè Curationem omnem institui; postquam non semel illis temerariis Sanguinis humani Effusoribus accidit, ut una cum Sanguine Animam ægris educerent: Cujus nullum est periculum, si per intervalla, etiam brevia, eliciatur minori quantitate Sanguis, quamprimùm vel minimum instantis Animi Deliquii comparet signum, sistendus, & posteà, si Affectus ampliùs desideret, iterum cum majori ægrorum commodo mittendus.

XXVIII. *Obstructionis* & hanc insequentis *Inflammationis Ratio, Generatio, & Curatio* ex professo tradetur inferiùs Cap. 40.

Tardior Sanguinis Motus. Curatur, 1. Corrigendo Viscidi tatem ejus. 2. Vasorum angustiam tollendo. 3. Spiritus Animales reparando.

XXXIX. II. *Tardior Sanguinis per Pulmones Motus Curabitur 1. Corrigendo ipsius Viscidatatem Pituitosam* per *Incidentia & Attenuantia* tum *Spirituosa*, tum *Salina*, tum *Oleosa*, tum & quandoque *Acida* usurpata, vel *Sola*, vel prudenter *commixta*, non semel proposita.

XXX. 2. *Tollendo* præsertim *Vasorum Angustiam*, & quidem pro Causarum peccantium varietate diversimodè: sed de his agendum alibi.

XXXI. 3. *Reparando Spirituum Animalium* Cor imbecilliùs contrahentium *penuriam*, tum *assumendo* sæpiùs *Alimenta* multùm *Spirituosa*, Vinum generosum, ac præsertim ejusdem Spiritum tam simplicem, quàm diversorum additione multipliciter Aromaticum factum, eundemque rariùs quidem solum ac purum, frequentiùs Aqueorum gratorum admistione fractum, dilutumque; tum *vitando moderanione Curas, Vigilias, Lucubrationes protractas, Corporis Defatigationes, &c.*

Celerior Motus Curatur. 1. Fluiditatem Sanguinis minuendo per incrassantia, Alimẽta,

XXXII. III. *Celerior Sanguinis per* Pulmones *Motus Curabitur 1. Fluiditatem* ipsius *minuendo* per *Incrassantia*, tum *Alimenta*, tum *Medicamenta*.

XXXIII. Ex *Alimentis* usurpentur *Pedes*, aliaque brutorum *extrema* multum *Gelatinæ* promentia, ipsique adeò *Pisces*, ac præsertim *marini*.

XXXIV. *Potus* esto *Vinum rubellum* & austeriusculum, aut *Cerevisia Chalybeata*, vel quibusvis adstringentibus gratioribus facta medicata.

Medicamẽta.

XXXV. Inter *Medicamenta* laudatur *Diascordium, Theriaca recens*, ac omne *Terræ Sigillatæ* genus, *Cornu Cervi ustum*, &c.

Pilularum de Cynoglossa Vires. Pilulæ de Styrace.

XXXVI. *Serum Salsum* præ aliis omnibus *corrigunt Pilulæ de Cynoglossa*, ad grana duo vel tria semel aut bis quotidie assumptæ; quarum loco sequentes de *Styrace* dictæ parari poterunt atque pari dosi usurpari.

℞. *Styracis Calam.*
Succi Glycyrrhiz. inspiss. vel extracti,
Olibani,
Myrrhæ rub.
Opii Thebaic. an. ʒß.
Croci Orientalis, ℈j.
Cum Syr. papav. albi q. s.
F. Massa Pilularum.

Rotulæ.

XXXVII. Cui Rotulæ magis placent, sequenti aut simili utatur formula.

℞. *Sem. hyoscyami albi,*
papav. albi, aa. ʒß.
Thuris mascul.
Myrrhæ rub. an. ℈j.
Croci opt. ℈ß.
Succi Glycyrrhiz. inspiss. ʒj.
Sacchar. althææ, ℥ß.
Gumm. tragacanth. in Aq. rosac. dissolut. ʒj.
M. f. s. a. Rotulæ exiguæ.

Earum Usus.

Harum unam subinde in ore teneat Æger, ac sensim deglutiat. Potest quoque Ipsis admisceri *Opij Thebaici* Drachma dimidia, unde potentiùs corrigetur quævis Humorum Acrimonia.

2. Ipsius æstum temperando.

XXXVIII. Sanguinis per Pulmones Motus Celerior Curabitur 2. *Temperando Ipsius Æstum* in Corde auctum per *Acida & Aquea*, qualibus constant *Sempervivum majus, Plantago, Solanum, Acetosa*, Sanguinis æstum blandiùs vel potentiùs compescentia.

3. Temperando Humorem Acrem.

XXXIX. Curabitur idem Sanguinis per Pulmones Motus Celerior 3. *Temperando Humorem Acrem* ad Cor delatum per *Spirituosa Oleosa*, & imprimis *Opiata*, & alia sæpiùs memorata, illumque simul redundantem *Educendo* per *Hydragoga* itidem aliquoties laudata.

Et Halitus Acres.

XL. *Halitus* verò itidem *Acres* ad Cor translati *Temperandi* sunt iisdem, ac *Discutiendi* per *Diaphoretica Spirituosa & Sale Volatili* tum *Simplici*, tum *Oleoso prædita*. Eorundem autem *productio nova impedietur* imprimis per *Opiata & Anodyna* cujusvis Constitutioni & Comitibus Affectibus maximè convenientia.

Præposterus Motus Curatur. 1. Vasa rupta consolidando. 2. Sanguinem educendo. 3. Humores corrigendo.

XLI. IV. *Alio quàm quò decebat, Effusus Sanguis per Pulmones motus Curabitur* 1. in *Sanguinis Sputo, Consolidatis* quamprimùm *Vasis ruptis vel erosis* per Misturam Cap. 9. §. 20. descriptam, vel similem sæpiùs cochleatim assumptam mox *Aversa Pulmonibus Sanguine* copiosiùs in *Plethora* effluente per *Venam* in Brachio aut Pede alterutro vel utroque *apertam*: denique *Correctis Humoribus Acribus Salsis*, vel *Acidis* à Capite defluentibus per memorata modo §. 35. & seq. *Opiata*, & blanda *Aromatica*. *Curando* simul, *Vitandove Tussim, Vociferationem, Saltum*, aliumve quemvis *Corporis Motum vehementiorem*.

In Vasorum distensione quid agendum.

XLII. Ubi vero ab *Incenso, & Rarescente nimiùm Sanguine* ad rupturam usque distenta fuere Pulmonum Vasa, confestim Vena Secta educendus, temperandusque Sanguis, assumptis præterea sufficienti copia Julapiis refrigerantibus dictis, atque ex Aqueis, Acidisque potissimùm paratis, Ex. g.

Julapium.

℞. *Aq. Hordei,* ℥xx.
Julap. Rosat. ℥iij.
Olei Sulphuris per campanam parati q. s. ad aciditatem Ægro gratam.
M.

Ejus Usus.

Bibat sæpius haustum mediocrem, donec Æstus observetur moderatus.

XLIII. *Peripneumoniæ Curatio* petenda ex subsecuturo Cap. 40.

Grandium Pulmonis Vasorum Vulnera lethalia.

XLIV. Pleraque *Grandium Pulmonis Vasorum Vulnera* solent esse *lethalia*; *Minorum* autem, ut & *Empyematis Curatio* tradetur alibi.

CAPUT XXI.

De Sanguinis ab Inspirato, Expiratoque Aere Alteratione læsa.

Sanguinem in Pulmonibus condensari.

I. AD *Sanguinis* ob Effervescentiam nuper descriptam in dextro Cordis Ventriculo incensi *Æstum temperandum Respirationem* ordinatam judicant plerique, quoniam evidentior *Calor* observatur in universo Corpore, ac præsertim Corde Animalium Pulmones, ideòque geminum in Corde Ventriculum, habentium; quem ab Inspirato Aere frangi ac temperari patet ex incommodis Aerem ad ipsius moderationem minùs aptum consequentibus.

II. Hoc

Ab Aere inspirato.

II. Hoc ut Ego non nego fieri, ita censeo *Sanguini multùm* in dextro Cordis Ventriculo *rarefacto* iterum *condensando* imprimis conducere Aerem inspiratum.

& qua ratione.

III. Qua vi autem, quove modo & ratione Sanguinem in utrumque hunc finem alteret Inspiratus Aer, non æquè patet. Ego id fieri puto, quatenus in *Aere dispersæ sunt partes Nitrosæ atque Subacidæ*, Sanguinem æstuantem, rarefactumque condensare, atque ipsius æstum quoque blandè compescere potentes.

Partes Aeris subacidæ ac Nitrosæ. Hæ ex quibus componantur.

IV. Distinguo autem inter partes Aeris Subacidas & Nitrosas: cùm *Subacidæ, Acidæque* sint magis simplices, *Nitrosæ* verò magis compositæ, ex *Acidis* puta, non quibusvis, sed simul *Oleosis*, cum *Sale lixivo* junctis: quod artificiosa, Chymica nempe Nitri Analysis & Synthesis manifestum facit.

Diversi generis partes per Aerem Volitare.

V. *Per Aerem* multiplices volitare partes, non tantùm *Aqueas, Igneas, Terreasque*; aut *Oleosas* quoque, *Spirituosas. Salinas Lixivas*, & *Acidas*, quin multipliciter ex his omnibus plus minùs mistas, plurima evincunt Experimenta, sedulis Mutationum Chymicarum Scrutatoribus haud ignota, quamvis desidiosis ubique Philosophastris & garrulis Cavillatoribus abstrusissima: quæ aliquando, si res desideret, in bonorum ac uni veritati addictorum gratiam cum multis aliis ex nostro penu per Dei benedictionem satis locupleti, ringentibus licèt adversariis, publicè proferemus.

Quot modis Sanguinis hæc temperatio lædatur.

VI. *Læditur* hæc *Sanguini* non minùs utilis, quàm necessaria per Inspiratum Aerem *Temperatio*, cùm vel *Parcior*, vel aliquando *Nimia* fit.

Quando nulla fit.

VII. *Nulla* fit *Sanguinis Temperatio Aeris valde æstuantis & quieti* culpa; unde in *Animæ deliquium grave*, vel ipsam *Mortem* non raro tunc incidit Homo; Sanguine ob defectum partium Nitrosarum, Acidarumve modò laudatarum summè rarefacto & fluido, ideòque Ignem suum internum obruente, ac suffocante.

Quando parcior. Ob partium Aeris Acidarum ac Nitrosarum paucitatem. Qua quare pauciores inspirentur.

VIII. *Parciùs temperatur* idem *Sanguis* ab Inspirato Aere, ob eandem Causam, sed leviorem: quando *pauciores aut inertiores* sunt in Aere *partes Acidæ, ac Nitrosæ*; *pauciores* saltem *Inspiratione alliciuntur*, quàm ad præsentem, urgentemque Sanguinis æstum & rarefactionem ex æquo temperandum desiderabantur.

IX. *Alliciuntur Pauciores* Aeris *Acidæ Nitrosæve partes* ob *Inspirationem* ipsam quavis de causa *impeditam*, & capite proximè sequente pluribus explicandam.

Quare pauciores aut inertes existimant in Aere.

X. *Pauciores existunt* aut *Inertes* in Aere partes *Nitrosæ, Acidæve* ob summum *Æstum, vel Humiditatem* in ipso repertam: cujus præterea rei Signum, si non simul Causa, esse solet Tranquillitas Aeris summa.

XI. A Solis namque Radiis, tum Igneis, tum Spirituosis, frequentissima æstuantis Aeris causa, Oleosæ quidem Aeris partes rarefiunt potenter, Salinæ autem, Acidæque leniuntur ac inertiores fiunt; sicut ab humiditate Aquea, sive pluvia dissolutæ infirmantur: unde non mirum, si tales Inspiratæ Sanguinis æstui temperando minùs sint aptæ.

Aer quietus Sanguine temperando ineptus.

XII. *Aerem quietum Sanguini temperando ineptiorem* esse ipso mediocriter saltem agitato evincit *Flabelli* usus, in summo Aeris æstu per agitationem blandam moderando tantoperè utilis.

Quare Ventus aut flabelli motus frigus producat in Aere.

XIII. Utique à Vento quovis, Flabellique motu Frigus produci testatur Sensus Frigoris in partibus externis Aerem sic agitatum excipientibus: quod fieri puto partim ob discussionem partium ignearum urgente Aeris æstu circa nos collectarum, ideòque calorem in nobis majorem producentium; partim ob adductionem & congregationem partium nitrosarum & acidarum priùs ab Igneis vel fractarum; vel quaquaversùm depulsatum & ab invicem semotarum; ob majorem saltem ignearum copiam: efficaciamque Sensu minùs perceptarum.

Nimia Sanguinis Temperatio à Redundantia partium Nitrosarum vel Acidarum in Aere.

XIV. *Nimia* fit ab Aere inspirato Sanguinis per Pulmones delati *Temperatio*, id est: *Condensatio & Refrigeratio*; quando *redundant in Aere partes Nitrosæ, Acidæve*, à quibus sæpenumerò Hyemis præsertim tempore, flante Borea; & in Regionibus Zonæ frigidæ vicinioribus, ac imprimis, quoties priùs incaluit magis universum corpus eoùsque *coagulatur* in Pulmonibus *Sanguis*, ut *Obstructionem* in Vasis suis. aut intermediis Pulmonum mæandris pariat: unde sequitur semper ipsius *Sanguinis Stagnatio*, & aliquando, aucta ob affluentem continuò Sanguinem *Vasorum Distensione*, eotundem *Ruptio Sanguinisque Effusio*, unà cum *Peripneumonia*; quin post apertum Apostema *Phthisis*, & ut plurimùm tandem *Mors*.

Abolita & Diminuta Sanguinis Temperatio qui curatur. Aer Æstuans refrigerandus.

XV. *Curabitur Abolita & Diminuta* in Pulmonibus *Sanguinis Temperatio*, mutando *Aerem* summè *Æstuantem Algido*, sive *Naturali*, sive *Artificiali*. Talem namque continere solent tum Speluncæ, tum Cellæ subterraneæ, non raro Nitrosæ, Talem arte paramus diluendo Nitrum, vel Salem Armoniacum Aqua, mox ipsam per Cubiculorum pavimentum effundendo; vel Acetum acre purum, Aquave mistum itidem dispergendo; vel Plantas recentes acidiusculas, ipsarumve folia & flores similiter per conclavia projiciendo: quorum omnium ope augemus quoque in Aere partes Acidas & Nitrosas.

Quies Aeris turbanda.

XXI. *Quies Aeris* summa ob silentes in totum Ventos artificiosè *turbanda* per *flabella*, vel quocunque modo alio *excitando Ventum flantem*.

Eius Humiditas corrigenda.

XVII. *Humiditas Aeris Nubili* corrigetur extructo lignis *Foco luculento*.

XVIII. *Impedita Respiratio* qui curanda sit, sequens docebit Caput.

Nimia Sanguinis Condensatio quo curetur.

XIX. *Nimia condensatio, Refrigeratioq; Sanguinis* per Pulmones delati *Curabitur*, mutando Aerem asperiorem, gelidumque calidiore atque tranquillo; & accendendo in conclavi apto Ignes satis magnos: & usurpando medicamenta Nitrosas & Acidas Aeris admissi partes lenientia.

XX. Cætera hunc algidiorem Aerem Inspiratum consequentia, memorataque damna qui curari debeant, docebitur inferiùs Cap. 40. ubi de *Inflammatione* agetur ex professo.

CAPUT XXII.

De Aeris Inspiratione læsa.

Aer ad Sanguinis refrigerium inspirandus.

I. VT Sanguis è Dextro Cordis Ventriculo exestuans, ac per Pulmones ad Sinistrum propulsus blandè condensetur, refrigereturque Aerem tum Inspirari, tum iterum Expirari proximè præcedente diximus Capite.

Inspiratio quomodo fiat.

II. Contingit autem *Aeris* hæc *Inspiratio*, quoties ad Diaphragmatis explicationem deorsum, & Thoracis elevationem sursùm Contigui utrique Pulmones simul expanduntur: sicut id pluribus nos abundè probasse putamus in Disputationum nostrarum Medicarum Octava.

Quot modis lædatur.

III. *Læditur* eadem Aeris Inspiratio 1. quando *Cessat* vel *Aboletur*. 2. quando *non Sufficiens* fit, & ideò *Frequentior* contingit. 3. quando cum labore ac *Difficultate* accidit.

Quando cesset.

IV. 1. *Cessare* dicitur mihi *Aeris Inspiratio*, quando nulla ejus est necessitas; quod evenit tum in *Syncope*, tum in quibusdam *Hypocondriacæ Suffocationis* speciebus: in quibus sine Vitæ cum morte commutatione carere potest homo aliquando ad tempus satis notabile, dies puta integros, Respiratione omni, ad Sensum saltem manifesta; de qua duntaxat loqui solent Medici veri ex Sensu observatis judicantes, Imaginariam imaginariis cedentes Doctoribus.

Quare tum nulla est Inspirationis necessitas.

V. Nulla verò tunc est Inspirati Aeris necessitas, ob nullum in Cordis Ventriculo dextro excitatum notabile Sanguinis Incendium, nullam contingentem ejusdem Rarefactionem notabilem; quocirca nulla indiget tunc Sanguinis æstus nullus tem-

met peratione, nulla ejusdem rarefactio desiderata condensatione : quin haud expanduntur valdè, irritanturve aliter ad sui Contractionem in tali Affectu Cordis Ventriculi ; unde *Deficit* necessariò tunc *Pulsus* ad sensum. De quibus vide quoque Cap. 19. §. 14. & seq.

Quando abolentur.

VI. *Aboleri* verò dicitur mihi eadem *Aeris Inspiratio*, quando *urget* quidem *ipsius Inspirandi necessitas*, existente notabili Sanguinis in dextro Cordis Ventriculo Effervescentia & Rarefactione, atque permanente ad tempus breve licet Pulsu satis magno & robusto, *Desinit tamen, tolliturque subitò ipsa Inspiratio* in dicta *Suffocatione* vel *Strangulatione*.

Hoc fit triplicíter.

VII. *Aboletur* autem tam necessaria Vitæ actuosæ Aeris Inspiratio vel *Thoracis* & *Diaphragmatis*, vel *Pulmonum* vel *Viarum* culpa.

Vel Thoracis & Diaphragmatis culpa.

VIII. *Solius Thoracis*, vel *Diaphragmatis* culpa non putem *Aboleri* posse Inspirationem, quamvis *utroque simul in Motu* suo *deficiente* id accidere nil obstet.

In Apoplexia.

IX. *Deficient* simul in *Motu* suo, quando in *Apoplexia* gravissima Spiritibus Animalibus destituuntur partes omnes, hinc & Sensu, Motuque; unde Mors certò & confestim succedit.

Vel vitio Pulmonum.

X. *Pulmonum vitio* Aeris Inspiratio Abolebitur, quando *Aspera* in ipsis *Arteria* quocunque modo *extremè angustatur*.

Vel viarum ad Pulmones tendentium.

XI. *Viarum* ad Pulmones tendentium *culpa* Inspiratio Aeris Abolebitur, quando vel *Os & Nares* simul plane *obturatur*, vel *Larynx obstruitur, comprimiturve* summoperè in *Catarrho Suffocativo* dicto, *Angina*, *Strangulatione &c.*

Non sufficiens fit Aeris inspiratio.

XII. II. *Non sufficiens* fit *Aeris Inspiratio*, & idcircò *simul Frequentior*, tum 1. *Sanguinis* per Pulmones delati, tum 2. *Thoracis*, tum 3. *Diaphragmatis*, tum 4 *Pulmonum*, tum 5. *Viarum culpa*.

1. Sanguinis ipsius culpa.

XIII. 1. *Sanguinis* per Pulmones delati *culpa* hoc accidit, quoties idem *nimium in Corde Accensus & Rarefactus* satis temperari nequit ab Aere consueta quantitate & ratione inspirato; verùm ejusdem quantitatem desiderat solito majorem : quocirca, ut illi succurratur defectui, plusque Aeris inspiretur, & *Major* sit, & imprimis *Frequentior Thoracis & Diaphragmatis Explicatio* ; cùm faciliùs ipsa festinetur, quàm intendatur ; adde quòd nimiùm effervescenti Sanguini continuò temperando magis conveniat sæpiùs iterata externi Aeris paucioris Inspiratio, quàm ejusdem copia major rariùs accedens.

2. Thoracis culpa.

XIV. 2. *Thoracis culpa Non sufficiens*, ideòque *Frequentior* fit *Aeris Inspiratio*, quando is satis & quantùm decebat attolli, explicarique non potest, tum ob *induratas* nimiùm *Pectoris Cartilagines*, tum præsertim ob *Pleuritidem*, *Doloris* comitis causa Pectoris Expansioni impedimentum afferentem.

3. Diaphragmatis culpa.

XV. 3 *Diaphragmatis culpa Non-Sufficiens, & ideò Frequentior fit Aeris Inspiratio*, quando vel propter *Affectum proprium*, *Inflammationem* imprimis, convenienter Motu suo gemino ac reciproco cieri, vel propter *spatij in Abdomine defectum*, aliaque tibi existentia *impedimenta* deorsùm satis explicari nequit; quemadmodum id evenire solet in *Ascite gravi*, *Uteri gestatione sublimi*, *Ventriculo aut Intestinis flatu distentis*, &c.

4. Pulmonum culpa.

XVI. 4. *Pulmonum vitio Non-Sufficiens, ideòque Frequentior fit Aeris Inspiratio*, quando eorundem *Parenchyma universum* vel saltem *maxima sui parte* est *minùs spongiosum*, *minùsque explicabile*, aut ipsi *Peripneumonia* tenentur, *mediocrive* duntaxat *Asperæ Arteriæ ramorum notabilium Angustia* urgentur;

Quando minus Spongiosum existit Parenchyma.

XVII. *Minùs Spongiosum* existit Pulmonum Parenchyma, quoties idem fit *magis Carnosum & Solidum*, quale non raro reperi in quorundam post mortem dissectione; aut etiam *Corrugatum*, quale itidem est aliquando à me observatum : quamvis utriusque hujus Affectus Causam reddere adæquatam putem valdè arduum, si non impossibile; conjecto tamen *Carnosius & Solidius* fieri *Pulmonum Parenchyma*, quoties ab *acriore* simul & *viscidiore Sanguine* idem *parte Arteriis*, *Venisque intermedia* tum leviter excoriatur, tum iterum consolidatur & nutritur ita, ut sensim solidior fiat ipsius Caro.

ob Carnositatem.

XVIII. *Corrugationem Parenchymatis* ejusdem acceptam refero *Sanguini Austeriori & Acriori* ibidem ipsum leviter excoriatum potenter contrahenti potiùs, quàm verè nutrienti; nisi forsan idem accidat à *Pure* vel *Aqua* similiter *austeris*, & in Pectoris cavitate Collectis, ipsumque paulatim penetrantibus & constringentibus.

Vel Corrugationem.

XIX. 5. *Viarum* Aeri transitum ad Pulmones concedentium *culpa Frequentior*, quia *non Sufficientis fit Inspiratio*, quando *Nares solæ* sunt magis vel minùs *obturatæ*, tum continuò in *connato* ferè, aut ab externa causa, sæpiùsque fortuita, *Ictu*, *Casu*, &c. *adventitio* ac permanente *vitio*, tum subinde ac per intervalla in Affectu nunc graviùs, nunc leviùs urgente, *Gravedine* puta, *Polypo*, &c. tum aliquando ab *Externis* in Nares *immissis*; unde Ore aperto Inspiratio Aeris tunc facienda; quæ ideò impeditior erit, adeòque frequentior; & adhuc magis, si aliquandiu est loquendum, vel ambulandum Ægro; maximè, si festinandum.

5. Viarum culpa. In Narium obturatione

XX. Idem accidet forsan, si *Ostium Laryngis crassa viscidaque Pituita sit plus minùs obsitum*, vel *Tonsillæ* fuerint *Inflammatæ*, aliàsque *Tumefactæ*, atque Aeri Inspirando viam ex parte saltem occludant; in quo Affectu Frequentior Inspiratio observatur; sive id accidat ob solam viarum Angustiam, sive accedat (quod mihi maximè fit probabile) Molestia ex Aere frigidiore copiosiùs una vice attracto, ad quam vitandam frequentior instituatur simul & minor Inspiratio.

Vel Laryngis.

XXI. III. Quæ *cum Difficultate* contingit *Aeris Inspiratio*, in genere *Dyspnœa* vocatur, cujus primariæ species sunt *Anhelatio*, *Orthopnœa*, *Asthma*, *Incubus & Suffocatio Hypochondriaca* cum *Strangulationis* metu, sensuve conjuncta: quibus addere licet in *Singultu Suspiriis* & pungentibus *Pleuritidis* doloribus *Interruptam*, *Impeditamque Inspirationem*.

Dyspnœa quid & quotuplex.

XXII. In *Anhelatione* simplici solet Inspiratio fieri parva simul & concitata : In *Orthopnœa* verò minus quidem concitata, sed longè maior, & quidem erecta, exporrectaque Cervice ; sicut in *Asthmate* præter *Inspirationem difficilius ac cum labore procedentem* observatur *Sibilus sive Stertor* in pectore, una cum *Tussi*, qua subinde aliquid excernitur, subinde nihil. *Incubo* dormientibus tantùm, ac præsertim dorso incumbentibus obvenienti copulatur *ponderis præcordia prementis, ac suffocationem minantis somnium*; unde mira subinde sibi de persona certa invisa, vel incerta delirare solent Melancholici. In *Suffocationem Hypochondriaca* Inspirationem lædente, atque vigilantibus sæpius, quam dormientibus obveniente ita anguntur fauces, ut in strangulationis periculo se versari putent Ægri.

Anhelatio. Orthopnœa. Asthma. Stertor. Tussim. Incubus. Suffocatio Hypochondriaca.

XXIII. In *Singultu* interrumpitur per intervalla incerta & inæqualia, propter Convulsivum Diaghragmatis Motum, aliquando gravius, aliquando levius Inspiratio; quæ urgentibus *Suspiriis* continuatam, sed leviorem Interruptionem patitur cum frequentia iunctam; quemadmodum in *Pleuritide* interrumpitur eadem imprimis, quoties urgente magis æstu febrili Maior adest conatus.

Interrupta inspiratio in Singultu Suspiriis. Pleuritide.

XXIV. Excitatur autem *Dyspnœa* omnis, tum frequentius à *Flatibus*, vel *Halitibus* in tenui Intestino ex Pituita per Bilem rarefacta productis, & partim per Ventriculum, Oesophagumque ad Os assurgentibus, hinc cum Aere inspirato in *Pulmonum bronchia*, & ulterius forsan penetrantibus; partim copiosiusque per Lacteas Venas, Ductumque Thoracicum ad Venam Cavam superiorem, hinc dextrum Cordis Ventriculum, denique *Pulmonum*

Dyspnœa causa Flatus.

monum

monum Vasa, ipsumque ipsorum *Parenchyma* spongiosum translatis, ibidem hærentibus, ipsorumque adeò *explicationem* requisitam non minus, quàm *complicationem impedientibus*, sicque Ægros mirè & valdè angentibus: tum aliquando à *Pituita viscida* à Capite delabente, *Pulmonum Bronchia* occupante, & angustiam diversam in ipsis producente. Unde pro harumce Causarum simplicitate aut complicatione, adeòque vitio majore aut minore variæ oriuntur Dispnœæ species, & quidem nunc leviores, nunc graviores.

Et Pituita Viscida.

Causa Asthmatis & Orthopnœa.

XXV. In *Asthmate* atque *Orthopnœa* utraque Causa concurrit plerumque, quamvis in *Occulto* dicto *Asthmate* videantur mihi soli urgere *Halitus*, *Flatusve*; uti eosdem in *Anhelatione*, *Incubo* & *Hypochondriaca Strangulatione* omnem paginam absolvere agnoscet facilè, quisquis attentà omnia Ægris tunc obvenientia examinaverit, expenderitque Symptomata.

XXVI. *Singultus*, *Suspiriorum*, atque *Pleuritidis Generationem*, atque *Curationem* dabimus Cap. seq. & 40.

Abolita Aeris Inspiratio quanam incurabilis.

XXVII. I. *De Syncopes*, gravissimarumque *Hypochondriacæ Suffocationis* specierum *Curatione* quædam in medium protulimus Cap. 19. §. 70. & seq. quæ videantur.

XXVIII. *Abolita Aeris Inspiratio* in Motu suo simul deficientibus *Thorace* atque *Diaphragmate*, propter Animalium Spirituum in gravissima *Apoplexia* defectum, *Incurabilis* existit, quoniam sat citò tolli non potest impedimentum quodvis, propter quod Nervorum exortus ita comprimitur, ut Spiritibus Animalibus transitus denegetur per ipsos ad partes inferiores.

XXIX. *Abolita* ob *Asperam Pulmonum Arteriam* summè *angustatam Inspiratio Aeris* pro *Incurabili* habenda, ni mox Expiratione forti expellatur quod illam replet Sanguis, Pus, Pituita, vel quodvis aliud; vel tollatur vinculum ipsam constringens in Strangulatione.

Quanam curari potest & quomodo.

XXX. Eadem *Inspiratio*, *Ore*, *Naribusque* simul *obturatis Abolita Curabitur* tollendo extemplo causas obturantes, ne aliàs brevi sequatur Mors.

XXXI. Sic ob *Faucium*, ac imprimis *Laryngis Obstructionem Abolita Aeri inspiratio Curabitur* remota quamprimùm quavis Obstructionis Causa, illam vel extrahendo, vel in OEsophagum, hinc & Ventriculum impellendo.

Angina curanda.

XXXII. Curabitur eadem, facta ob *Anginam* augentem extrema Laryngis Angustia, curata quovis modo Angina per Aversotiam in Artubus, Eductoriamque sub Lingua Sanguinis missionem, atque Cataplasmata & Gargarismata tum potenter Incidentia, tum Maturantia, & similia.

Compressio Laryngis per funem removenda.

XXXIII. Si à *compressa per Funem Larynge* Aboleatur Aeris Inspiratio, eodem in tempore soluto aut dissecto eadem Curabitur.

Frequētior inspiratio ob auctum Sanguinis incendium qui curetur.

XVXIV. II, *Frequentior Aeris Inspiratio* 1. propter *auctum Sanguinis* in Corde *Incendium & Rarefactionem* Curabitur sedato illo æstu, tam per Sanguinis eductionem, quàm per Acida temperatiora, vel Salem Nitrum, & purum, & postquam Sulphuris ope in Prunellæ dictum Salem, Lapidemve deflagravit.

Ob impeditum pectoris explicationem qui curetur.

XXXV. *Non Sufficiens*, & adeò *Frequentior Aeris Inspiratio* 2. propter *impeditam Pectoris explicationem*, Cartilaginibus osseam duritiem nactis, adeòque inflexilibus debitam, orta non *Curabitur*, nisi Cartilaginum emollitione, quàm quæ præstare possint medicamenta paucis hactenus innotuit; quamvis fuerint nonnulli, qui etiam ossa quævis emolliverint, variè inflexerint, & iterum induraverint pro lubitu, quod mirabile.

Ob Pleuriticum Dolorem qui curetur.

XXXVI. Impeditæ ac Frequentioris ob *Pleuriticum Dolorem* Inspirationis *Curatio* sequitur Pleuritidis Curationem, ex generali Inflammationem quamvis Curandi methodo petendam; de qua vide infrà Cap. 40.

It & ob inflammationem.

XXXVII. *Frequentior & Impedita* 3. *Aeris Inspiratio Diaphragmatis Inflammationem* sequens Curabitur illa secundùm modò citatam methodum generalem curata.

Deleboe Opera.

Nec non ob impeditum Diaphragmatis motū

XXXVIII. Eadem Inspiratio impedita propter *impeditum in sua explicatione Diaphragma Curabitur*, in *Ascite* quidem evacuata quovis modo ex Abdominis Cavitate Aqua; in *Uteri gestatione*, excluso Fœtu; in *Tympanitide*, *flatibusque distentis Ventriculo vel Intestinis*, eorundem exclusione aut subsidentia.

Frequētior Inspiratio quanam incurabilis.

XXXIX. *Non Sufficiens ac frequentior Aeris Inspiratio* sequens 4. *Pulmonum parenchyma* vel *magis Carnosum & solidum* factum, vel *Corrugatum* habetur mihi pro *Incurabili*.

Ob Peripneumoniā qui curetur

XL. Eadem *Peripneumoniæ* debita *Curabitur*, ipsa cæterarum Inflammationum modo curata.

It & ob Aspera Arteria Angustiam.

XLI. Eadem *mediocri notabilium Asperæ Arteriæ ramum Angustiæ* adscribenda *Curabitur*, sublata illius Angustiæ Causa, nunc Interna plus minùs ramos ejus replente, nunc Externa & in Pulmonum parenchymate hærente atque eosdem comprimente; de quibus in genere agendum alibi.

Quid hic observandū

XLII. Hic observandum, quoties *Pituita* sive fluida, viscidave, sive acri, blandave; vel *Sanguine* concrescente, solutove; vel *Pure* crasso, tennive; vel *Sanie*, vel aliquando *Aqua* Demersis in Pulmones penetrante oppletur *Aspera Arteria*, toties Curationem institui ac promoveri, aliquando solo effluxu Aquæ admissæ, sæpiùs *Tussi* à contentis excitata; quorum expulsionem juvabunt interdum vel Incidentia, vel Incrassantia pro excernendorum varietate varianda, sæpiùsque quantitate mediocri assumenda.

Vomitus utilis in Aspera Arteria Obstructione.

XLIII. Observandum quoque *Vomitum* hic aliquando satis commodè institui, cùm constet per Experientiam vehementi Vomendi conatu promoveri quoque Contentorum in Aspera Arteria Expulsionem, excepto *Sanguinis Sputo*, in quo semper Vomitus existit periculosus.

Frequētior inspiratio ob Nares obturatas rariùs curantur.

XLIV. *Connatum* 5. aut in Nativitate, aut post Nativitatem *casu obortum*, pertinaxque *vitium Nares* occupans, & angustia ibi facta *Inspirationem impediens*, quin ad *Frequentiorem* cogens *rariùs* solet *Curari*, cùm difficile sit Partium illarum Coalitum, vel Obstractionem antiquam tollere.

Ob Gravedinem aut Polypum qui curetur

XLV. Eadem Inspiratio propter *Gravedinem*, aut *Polypum* impedita his Curatis sponte solet ad integritatem redire.

It & ob res Naribus immissas.

XLVI. Quoties à *Rebus* qualibuscunque in *Nares immissis* & illas obturantibus impeditur Inspiratio toties iisdem extractis expeditur denuo.

Nec non ob Laryngem obstructum, Aut compressam.

XLVII. Impedita propter *Pituitam viscidam ostium Laryngis obsidentem* Inspiratio *Curabitur* remota, excretaque gargarizando Pituita.

XLVIII. *Tonsillarum Inflammationes*, *Tumoresve OEdematosi* partim methodo generali, partim Gargarismis curandi sunt priùs quàm Inspiratio idcirco impedita restitui queat.

Dyspnœa à Flatibus curatur. 1. Pituitam emendando ac educēdo.

XLIX. III. *Dyspnœa* ortum à *Flatibus*, *Halitibusve* ex *Pituita in tenui Intestino à Bile* productis habens, *Curabitur*, 1. *Emendando Pituitam* Qualitate quavis, ac *Educendo* eandem Quantitate nimia peccantem remediis non semel in superioribus laudatis.

2. Bilem corrigendo.

L. 2. *Corrigendo* itidem *Bilem*, Qualitate aliqua si peccaverit, vel *Evacuando* ipsam, si redundaverit, medicamentis sæpiùs propositis.

3. Flatus Dissipando.

LI. 3. *Dissipando*, aut per alvum clysterum carminantium dictorum ope abducendo, aut sursùm quoque ructuum forma excludendo *Flatus*, *Halitusque*, antequam penetrent in Lacteas Venas, per remedia itidem aliquoties jam præscripta.

4. Eosdem potentiùs discutiendo

LII. 4. Potentiùs *eosdem Discutiendo* & unà cum *blando Sudore* foràs propellendo, quamprimùm ad Pulmones penetrarunt, atque in ipsis hærent; idque laudatis sæpenumerò Sudoriferis Aromaticis.

Dyspnœa à Pituita viscida in pulmonibus hærente curatur. 1. Impediendo ejus proventum.

LIII. *Dyspnœa* verò à *Pituita viscida* è Capite in fauces delabente, atque *Pulmonum bronchia occupente* profecta *Corrobitur* 1. *Impediendo* illius in *Capite proventum* per medicamenta quævis Aromatica, Roremmarinum, Salviam, &c. toties in superioribus memorata, sæpiùsque in dies quovis tempore parva dosi usurpanda.

2. Eam in Capite incidendo, & educendo.

LIV. 2. Eandem in *Capite collectam* & *Incidendo, attenuandoque* per eadem Aromatica, & *Educendo*, tum per Alvum mediantibus Phlegmagogis passim propositis; tum per Nares Errhinorum ope; tum per Os Masticatoriorum opera.

3. Eam in pulmones delapsam incidendo, et excreando.

LV. 3. Eandem in *Pulmones delatam Incidendo* per modò dicta Aromatica, & *Tussi* mediante *excreando* per similiter Aromatica Bechica in ore contenta, nec nisi lentissimè deglutita, quò illorum pars aliqua penetret ad Pulmones.

Regula in praxi facienda utilis.

LVI. Quemadmodum autem semper sunt cæteris ejusdem generis utque Naturæ medicamentis præferenda ea, quæ longa plurium experientia notata sunt cuivis Affectui magis specialia & utilia: ita hic quoque præ aliis Aromaticis eligenda sunt, quæ tum aliorum, tum propriæ observationes ostenderunt esse singulis Dyspnœæ speciebus magis convenientia: ubi nec prætereunda singularis cujusvis Ægri constitutio; cùm & secundùm ipsam experiamur indies delectum esse habendum medicamentorum in eodem affectu aliàs præstantium; quod nemo in praxi benè versatus & ad ea, quæ quotidiè diversimodè accidunt, attentus negabit unquam.

CAPUT XXIII.

De Aeris Expiratione læsa.

Aeris Expiratio.

I. AEr in Pulmones Inspiratione attractus, post quam munere suo functus est, iterum exprimi debet, quò alii alliciendo paretur locus: dicitur hæc Aeris exclusio, *Expiratio*.

Quibus perficiatur.

II. *Perficitur* imprimis *Expiratio* hæc à *Musculis Abdominis*, tum *Thoracem detrahentibus*, tum omnia in *Abdomine contenta comprimentibus*, atque *versus Diaphragma propellentibus*, ipsumque adeò Diaphragma sursùm cogentibus, ac per consequens *Pulmones coarctando Aerem in ipsis contentum blandè exprimentibus*: concurrente simul *proprio Diaphragmatis Motu*, angustiam in Pectore majorem faciente.

Læditur 1. In Sternutatione.

III. *Læditur* hæc *Aeris Expiratio* 1. in *Sternutatione*, in qua post aliquam Inspirationis inchoatæ suspensionem subitò, & magna, sed mox iterum cessante, sive abrupta vi per *Nares* imprimis, aliquando & *Os* quoque, cum vehementi *Corporis* universi concussione, atque occurrentium exclusione *Aer* unà vice expellitur.

2. In Tussi.

IV. Læditur eadem Aeris Expiratio 2. in *Tussi*; in qua non una, sed pluribus simul ac interruptis vicibus fit *Aeris*, *Contentorumque in trachea arteria* (si quæ ibi occurrant & sequacia sint) *exclusio in*, aut *per Os*, cum dissimili Corporis concussione, nunc blanda, nunc vehementi.

Aut Humida.

V. *Tussis* omnis aut *Humida* vocatur, quoties ipsius ope Humores in aspera arteria contenti, Pituita, Sanguis, Pus &c. in os, postmodum excreandi; aut per os foràs expelluntur.

Aut Sicca.

VI. Aut *Sicca*, quoties magno licèt ac multo labore nihil excernitur, sed irrito fatigatur universum corpus Tussiendi conatu, unde tum *Capitis*, tum *Hypochondriorum*, aliarumque *Partium Dolor* vehemens nonnunquam excitatur, quin aliquando *Hernia* producitur, aliquando *Urina*, vel *Alvi fæces involuntarie extruduntur*.

3. In Singultu.

VII. Læditur eadem Expiratio 3. in *Singultu*, in quo deprehenditur Ventriculi regio subitò & violenter antrorsùm, extrorsùmque propelli, cessante mox, sed sæpenumerò iterum repetente *motu* illo verè *convulsivo*, adeoque molestissimo tunc & gravissimo Ægris Symptomate.

Hac quam pars Diaphragmatis afficiatur.

VIII. In Singultu autem illa sui Motus parte Diaphragma censeo affici, qua *inservit Expirationi*; quaque in aperto brutis adhuc viventibus abdomine vi satis magna versùs Ventriculi regionem contrahi Tactu non minùs, quàm Visu percipitur.

Esse Diaphragmatis non Ventriculi affectum.

IX. Quapropter proprium *Diaphragmatis*, neutiquam Ventriculi, *Affectum* judico *Singultum*, cùm præter jam dicta *Voluntarius* esse possit, & à Me alisque omni tempore pro lubitu excitari queat.

Diaphragma a Ventriculo trahi in consensum.

X. Trahi tamen ut plurimum ad Singultum producendum ab affecto priùs Ventriculo Diaphragma in consensum non negaverim, & præsertim ab *acribus Halitibus*, *vel Flatibus*, *vel Humoribus* undecunque accedentibus, & quacunque demum via ad membraneum Diaphragmatis centrum penetrantibus, ipsumque *pungendo*, vel *rodendo* ad convulsivum illum motum efficiendum irritantibus.

Vera Singultus causa.

XI. *Veram* proinde *Singultus Causam* puto, quicquid ad violentam, non tamen durantem, sed mox interruptam, cessantemve, iterumque sæpenumerò repetentem sui Contractionem Diaphragma cogere aptum est; sive illud in Ventriculo reperiatur (quò referenda Medicamenta vel Alimenta noxia & acria, Venena potiùs dicenda:) sive idem ex tenui Intestino à Vitiosa Humorum confluentium Effervescentia excitatum Humoris, Halitus, Flatusve forma eò assurgat, & superius Ventriculi Orificium ita rodendo præsertim afficiat, ut ipsum ambiens Diaphragma simul afficiatur; sive idem in Thoracis, Abdominisve cavitate conclusum immediate Diaphragma mordicet, vel ad ipsum per vasa sua deferatur, ac in ejus substantia hærens partes ipsius sensiles rodat, vel quovis alio modo ad molestam illam, convulsivamque sui contractionem solitariam & subinde continuò repetentem ipsum adigat.

Sternutationis causa.

XII. *Sternutationis Causas evidentes*, tum externas, tum internas si quis observaverit, comperiet ipsam nunc à *Solis lucentis splendore* aut immediatè, aut mediante reflexione per nivem, glaciem, aquam, speculum &c. facta; nunc à *rebus acribus*, cæpis puta, sinapi, raphano &c. vel *naribus* admotis, attractisve, vel *ore* assumptis; nunc ab *Humoribus* itidem *acribus à capite ad nares* in Gravedine sive Coryza delabentibus; nunc à *Vaporibus*, *Halitibusve* similiter *acribus e Ventriculo*, *tenuive Intestino* ascendentibus, naresque irritantibus excitari, atque semper qualemcumque tandem *Narium Vellicationem* sentiri: undè meritò istæ Causæ omnes ac diversæ eatenus Sternutationem videntur producere, quatenus Nares irritando, vellicandoque ad molestiam illam expirato per nares potenter Aere simul expellendam Partes expirationi dicatas movent; Cum qua vehementi Aeris Excussione concurrere solet universi corporis Concussio itidem vehemens.

Tussis causa.

XIII. *Tussis Causa* est, quicquid Asperam Pulmonum Arteriam vellicare, aut quovis modo irritare potest ac molestare.

Humida.

XIV. Et *Humidæ* quidem *Tussis Causa* multiplex observatur: Aliàs enim quædam *forinsecùs advenientia*, vel *ore assumpta*, perperamque in Asperam Arteriam delata Tussim mox excitant molestam, Aliàs *Humores à Capite Delabentes* (& quidem ut plurimùm *Pituitosi* multifarii, nunc Acres, Salsique, vel Acidi, nunc Blandi & Insipidi; nunc tenues, fluidique, nunc crassi & viscidi; quandoque *Sanguis* purus, vel cum aliis Humoribus mistus; & quandoque *Pus* vel *Sanies*) in eandem Arteriam Asperam penetrantes ad Tussiendum Pulmones cogunt: aliàs *Humores* itidem Varii (*Sanguis*, *Pus*, *Sanies*, & *Pituita* forsan, *Serumve*) ex *Pulmonum substantia* vel *vasis* in Arteriam eandem translati Tussim producunt.

Sanguinis Sputum & Hæmoptoica passio.

XV. Quoties autem Sanguis ex Pulmone prodiens Tussi excernitur, toties peculiari nomine *Sanguinis Sputum*, & *Hæmoptoica Passio* vocatur is Affectus.

Hæmoptoica passio.

XVI. *Tussis* verò *Sicca* pro *Causis Externis* agnoscit tum *Aerem*, tum *Potum frigidum* affatim admis-

Tussis ficta causa.

admissum, Asperamque Arteriam molestantem: pro *Internis* autem aliquando *Catarrhum* valdè *viscidum*, vel valdè *tenuem*, *acremque* expiato vehementiùs Aeri haud cedentem; aliquando *Halitus*, *Flatusve* à tenui intestino, Ventriculove per gulam elevatos, & una cum Aere in Pulmones allectos; vel ab eodem Intestino per Lacteas Venas in Cor & Pulmonum Vasa, imò substantiam, usque ad Tracheam Arteriam sese insinuantes, atque ipsam continuò sine sui exclusione ad Tussiendum irritantes.

Expirationis læsa Affectuum curatio.

XVII. *Multiplices* in *Expiratione læsa* notati *Affectus Curabuntur* 1. *sublata*, *correctave causa externa*. 2. *Curando* quosvis *Solidarum partium Affectus* internos 3. *Emendando* quævis *partium Contentarum vitia*, tum *Minuendo* ipsorum *redundantiam*, tum *Corrigendo* ipsorum *qualitates* vitiosas; tum *loco movendo*, aut *emovendo* quæ *loco peccant*, &c.

Singultus curatio.

XVIII. Et ut à *Singultu* faciamus initium, quoties *Alimenta*, *Medicamentave noxia*, & *acria*, vel potiùs *Venena*, continentur in Ventriculo, ni *temperari* possint & *corrigi* per *Alterantia*, *Expelli* debent aut per *Vomitoria* sursùm via breviore, aut per *Purgantia* deorsùm via longiore: quod intelligendum quoque de quibusvis Humoribus in Ventriculo, aut tenui Intestino repertis & Singultum parientibus.

Alterantibus, inter quæ Opiata præcipua.

XIX. Medicamenta Humores quovis modo peccantes, ut & Assumpta quævis *Alterantia & Corrigentia* non semel proposuimus in superioribus, ut non videatur necessum eadem hic repetere; unum tantùm modo monituri, *Opiata* præ aliis omnibus conducere in curando Singultu quovis, non tantùm: quatenus quosvis Humores acres temperant, sed insuper, quatenus Ventriculi sensum obtundunt, & forsan Spiritus Animales quoque faciunt ad motum torpidiores: dummodò per vices exigua usurpentur quantitate, atque tamdiu, donec aut cesset, aut notabiliter minuatur Singultus.

Et Vomitoriis, maximè Antimonialibus.

XX. Inter *Vomitoria* cæteris omnibus præfero hic *Antimonialia*, tum quia promiscuè Humores quosvis evacuant felicissimè, tum quia humanæ naturæ sunt amicissima, modo peculiari omnes in homine Humores ad statum laudatissimum sensim deducendo; quæ vis an in aliis rebus similiter occurrat dubito, in Antimonio ipsam existere novi: quicquid garriant in contrarium Viti præjudiciis suis excæcati, tum aliàs Docti, tum Indocti.

Sed parva dosi assumptis.

XXI. Cavendum autem (postquam severea *omne nimium est Naturæ inimicum*) ne simul nimia sumantur quantitate; cum semper satiùs sit eorum minorem dosin exhiberi, quàm majorem; quoniam nulla noxa sequetur unquam illam, sæpiùs hanc: nec enim præter multorum Sustenorum æquè, ac Imperitorum Medicorum placitum, tum alia purgantia, tum præsertim Antimonialia ritè parata, & minore quantitate usurpata, nullumque Humorem sursùm aut deorsùm evacuantia nocent ulli, quod millies expertus testor, quin semper tunc prosunt, noxios in corpore humores aut emendando, aut ad secuturam posteà purgationem ampliùs præparando: quod imprimis velim notari à Medicis Junioribus, in quorum gratiam hic meus editur Tractatulus, non item Seniorum, atque in Artis operibus versatorum, nec proinde informatione mea egentium; multò minùs præfractorum, & quævis aliena ex præjudiciis aut invidia mox rejicientium, nec minùs imperitè, quàm improbè culpantium.

Et quidem subinde repetitis.

XXII. Quoties proinde post usurpata priùs convenienter Narcotica Vomitorio assumpto parum, vel nihil est sursùm aut deorsùm ejectum; & urget adhuc Singultus, quin Humorum in Ventriculo, aut vicino Intestino existentium malumque hoc excitantium remanent signa, toties tutò licet aut eodem die novum, sed quantitate minore, aut subsequente aliud quantitate aliquantò majore Ægro exhibere Vomitorium, quo vel ampliùs corrigantur, vel sursùm, deorsùmve, aut utraque via expellantur Humores peccantes: Sic enim tutissimè, ac minimè injucundè, satisque citò absolvetur Singultus; Cura verè Rationalis & Dogmatica. Experientiæ potissimùm, hinc & Rationi Sanę, non Ægræ aut Commentitiæ, adeòque falsæ innixa.

Et aliquando postea Mistura Aromatica exhibenda.

XXIII. Quòd si per assumptum Vomitorium excreti fuerint Humores vitiosi, & à vomitu defatigati Ægri, conducet Mistura Aromatica, molestis Halitibus circa Ventriculum hærentibus dissipandis convenientissima, unà cum additis quantitate parva Opiatis, tum ad concitatam per vomitum potentiorem Bilis, Succique Pancreatici Effervescentiam compescendam, tum ad Somnum blandè conciliandum, tum ad ipsum Singultum magis sedandum aptissimis. Ex. gr.

℞. *Aq. menthæ*, ℥ ii.
Vitæ Matthioli, *vel*
Theriacal simpl. ℥ ß.
Conf. alKermes, ʒ i.
Laud. Opiat. Gran. ii.
Syr. menthæ, ℥ i.
M.

Ejus Usus.

Huius Misturæ cochleare unum assumat sæpiùs Æger, donec ad Somnum sentiat disponi suum corpus; quem ut citiùs capiat, commodè decumbat.

XXIV. Huic Misturæ addi possunt *Spiritus Nitri* Guttæ vi. vel viii. quoties *Flatus* simul vexant, quòd sæpè contingit.

Singultus etiam curatur evacuantibus.

XXV. Si ad Vomitum minùs inclinent Ægri, nec Nausea urgeat, præstat *deorsùm Evacuari Humores peccantes*, & quidem pro sui varietate nunc *Chologogis*, nunc *Phlegmagogis*, nunc *Hydragogis* tantùm, nunc diversis pro re nata simul mistis, aliquoties in superioribus propositis.

Ut & simul Humores Viscidos incidentibus.

XVVI. Quoniam verò *Affectus pertinaces* omnes ortum habent ab *Humoribus viscidioribus*, illos saltem agnoscunt Causæ suæ coniunctos, idcircò in *Singultu obstinato* non sunt negligenda medicamenta Humores viscidos incidentia simul ac educentia. In quem finem convenient *Pilulæ* nostræ *Magistrales*, superiùs Cap. 14. § 50. descriptæ; ut & *apozema* Cap. 2. §. 35. propositum. Nec tamen opus; ut talia quotidie usurpentur, nisi parum educant; ubi namque plures deiectiones faciunt, satius est, ut tertio, vel quartò tantum die assumantur, atque diebus intermediis sola incidentia & Humores quovis modò peccantes corrigentia, tum Halitus, Flatusque discutientia, vel aliàs Roborantia sæpius laudata usurpentur.

Eorum Usus

Curatio Singultus quando est Symptoma alterius morbi.

XXVII. Ubi Singultus alterius Affectus gravis, Febris acutæ, Inflammationis, &c. est Symptoma, sponte illo curato remittere solet; quamvis tunc nil obstet simul usurpari prudenter Opiata vel Sudoriferis, vel quibusvis Alterantibus, Affectuique primario, Humorive vitioso corrigendo dicatis Medicamentis addita, & subinde assumpta: A quibus si blandus Sudor promoveatur, & Symptomata cætera unà cum Singultu minuantur, benè sperandum de Ægri restitutione; sin minùs, malè.

Sternutationis curatio.

XXVIII. *Sternutatio*, quæ ab Externis Causis ducit originem, mox illis sublatis, vel vitiatis cessare solet: quæ verò Internas agnoscit, tum à Cerebro delabentes, tum ab inferioribus partibus assurgentes, *Curabitur* tum *Corrigendo in Coryza Humores Acido-Salsos*, atque ipsis ferè coniunctos *Pituitosos viscidos*, & *Oleosis* & *Spirituosis aromaticis*; tum eosdem *Educendo* partim per *Alvum Hydragogis & Phlegmagogis*, partim per *Nares*, aut *Os*, *Sternutatoriis blandioribus*, aut *Masticatoriis*: tum *Corrigendo Humores* vitiosè in *Ventriculo*, ac imprimis *tenui Intestino Effervescentes*, atque *Halitus Acres* sursùm *ad Nares propellentes* laudatis modò *Spirituosis* & *Oleosis*, non neglectis vel omissis *Opiatis*: tum eosdem, si redundarint, *Educendo* deorsùm potiùs, quàm sursùm, medicamenti sæpiùs

propositis. Ubi plurimùm conferre solent *Sudorifera*, quæ non tantùm foras protrudant, sed simul emendent Humores vitiosos.

Tussis curatio sit diversimodè.

XIX. *Tussis* pro Causæ diversitate *Curabitur* diversimodè. Nam ubi quævis *forinsecùs admissa* & in Asperam Pulmonum Arteriam delata, vel sola Tussi rursum excreta sunt, vel pauco potu super assumpto deluita, cessat mox Tussis, vel paulatim saltem sedatur.

Corrigendo Humores in Capite Pituitosos Acidos Salsos.

XXX. *Humores* autem *Pituitosi* à Capite in Arteriam nominatam delabentes ad sui *Correctionem* desiderant quidem *Acidi* Oculos Cancri, Corallia, Margaritas, &c. *Salsi* verò Gummi Tragacanthum & Arabicum, Radices Althææ, ipsiusque Saccharum, Glycyrrhizæ radicem, ejusdemque Succum inspissatum, Pilulas de Cynoglossa, vel Styrace Cap. 20. §. 36. aut rotulas, §. 37. præscriptas.

Insipidos tenues.

XXXI. *Humores* autem *Pituitosi* neutiquam Acres, ast *Insipidi*, quoties simul *Tenues* sunt & *Aquei* ad sui Correctionem atque Incrassatiooem indigent iisdem Pilulis & Rotulis.

Crassos & Viscidos.

XXXII. Qui verò *Crassi* sunt & *Viscidi* ad sui Attenuationem, Incisionemque tum acido-dulcia, tum Aromatica, Oxymel simplex & Squilliticum, additis Syrupo de Hyssopo, de duabus & quinque Radicibus, & similibus requirunt, sive Linctus forma lentè deglutiantur, sive Aquis aromaticis diluta cochleatim usurpentur.

Minuendo Humores in Sanguine Pituitosos.

XXXIII. Iidem *Humores Pituitosi* multifarii in Sanguine, Capite saltem *redundantes Minuendi* per *Hydragoga* & *Phlegmagoga*, ut & quandoque *Diuretica* & *Sudorifera*: Quin recurrendum aliquando ad ipsam *Salivationem* modis variis excitandam.

Sistendo Sanguinem è Capite in Pulmones lapsum.

XXXIV. *Sanguis à Capite in Pulmones delatus* & Tussim excitans in effluxu suo sistendus, *Venæ sectione* quidem, si *Plethora* concurrat, vel *nimbilis* ejus *Fervor*, vel *solitæ* ejus *Evacuationis Suppressio*: quamvis ejus Fervor nimius Acidis, & præsertim Austeriusculis compesci quoque possit; Exempli loco esto sequens Apozema.

Apozema.

♃. *Fol. plantagin.* M. ij.
Sempervív. maj.
Acetosellæ, *an.* M. i.
Coq. ex Aq. bordei ad Colat. ℥ xx.
addendo Syr. Jujubini ℥ iii.
Salis petræ purificati, ʒ i.
vel Lap. prunellæ, ʒ ſ.
vel Spir. Nitri, Gut. xx.
M. F. Apozema.

Ejus Usus.

Hujus haustum mediocrem subinde assumat Æger ad quemvis Sanguinis æstum nimium, hinc & subsequentem quamvis Hæmorrhagiam compescendum.

XXXV. Idem Sanguis in effluxu suo sistendus *Vasorum apertorum Conglutinatione* per laudatam sæpiùs in superioribus & Cap. 9. §. 20. præscriptam Misturam, vel similem.

Præveniēda Sanguinis corruptio in Pus.

XXXVI. *Sanguinis Corruptio in Pus, vel Saniem* modis omnibus prævenienda, & imprimis per *Balsamum Sulphuris Anisatum*, aliumve minimè ingratum: quandoquidem hujus ope non tantùm impeditur Sanguinis perversio in Pus, Saniemve, Partisque Ulceratæ læsio ulterior, verùm promovetur insuper totalis hujus Curatio, si præsertim pro Affectus vehementia vel Ulceris amplitudine varia ter, quater autem sæpiùs in die usurpetur ad guttam unam, vel duas ex cochleari Decocti, Misturæve cujusdam pectoralis, vel saltem Cerevisiæ Saccharatæ.

Balsami Sulphuris Anisati Vires.

Sanguis in Aspera Arteria servandus solutus, & excernendus.

XXXVII. *Sanguis* idem in Asperam Pulmonum Arteriam undecunque delatus, ne ibidem *coaguletur*, hinc *corrumpatur*, mox convenientibus medicamentis *servandus Solutus*, vel *iterum Solvendus*, *Excernendusque*. In quem finem multis aliis præferendi sunt, unà cum *Antimonio Diaphoretico*, *Cancrorum* dicti *Oculi* pauco Aceto stillatitio ex parte saltem soluti & gratis additis assumpti, postquam omnem hic absolvunt paginam; Exempli loco sit Formula sequens cochleatim usurpanda.

Oculorum Cancri vires.

Mistura.

♃. *Aq. hyssopi*,
Fœniculi, *an.* ℥i.
Vitæ Matthiol. ʒ ii.
Aceti Stillatitii, ℥ ſ.
Ocul. Cancr. ʒ ſ.
Antimon. Diaphor. ℈ i.
Syr. capillor. vener. ℥ i.
M.

Quid observandum in Usu Oculorum Cancri.

XXXVIII. Cavendum autem in talibus Misturis Oculos Cancrorum Aceto solutorum capientibus, ne *Syrupi ex mucilaginosis* parati eis addantur, quales sunt de Althæa Fernelii, Iujubinus, Violaceus & similes, quoniam mox aut paulò post redduntur inde mucaginum ad iostar spissæ & ad usum ineptæ; quod non facilè fiet, si ex Aromaticis parati usurpentur Syrupi, ac præsertim satis recentes, cùm multi temporis tractu evadant viscidiores.

Sanguis vel Pus ad Affectum Pulmonum excretus festinationem in cura requirit.

XXXIX. Ubi ex Pulmonum Affectu proprio Sanguis purus vel in Pus corruptus Tussi excernitur, majus urget periculum, quapropter ad ipsius curationem magis festinandum, ne procrastinando pereat occasio hic aut nullibi præceps; facilè namque inficitur & corrumpitur, difficulter autem restauratur ac restituitur singularis Pulmonum substantia.

Ut & continuationem.

XL. Non desistendum proinde ab usu medicamentorum Sanguinis è ruptis Pulmonum Vasis effluxum ac corruptionem curantium, donec in totum sit sublatum malum; quin imò Auctor sum, ut aliquandiu post curatum ad sensum Affectum perseveretur in blandorum medicamentorum usurpatione parciore, quò adversùs novi mali accessum roboretur pars semel affecta, ideòque facilè iterum afficienda.

Consideranda juvantia & nocentia unicuique medicamēta.

LXI. Quemadmodum verò aliàs semper, sic & hic attendendum sedulò ad medicamenta unicuique individuo maximè conducentia, quò hæc cæteris præferantur, & quandiu prosunt, in eorum assumptione continuetur. Quamprimùm autem minùs proficere observantur, alia in eorum locum erunt substituenda, atque sic ægrorum sanitas modis omnibus promovenda.

Sicca Tussis curatio per compressam Expirationem.

XLII. *Sicca Tussis* ab *Aere aut Potu frigidis* orta *Curabitur* compressa sæpiùs aliquandiu Expiratione, quò aucto in Pulmonibus & Faucibus Calore corrigatur vitium ab externo frigore ortum & urgens.

XLIII. Ut enim hoc in genere moneam, non parùm ad Tussim omnem, ac Siccam præsertim compescendam, sedandamq; conferet compressus, quandiu licet, Spiritus, & simul sit cohibita vi Tussis; qua ratione non semel in me, aliisque observavi sublatam in totum, vel diminutam Tussim satis aliàs molestam; quemadmodum ipsum quoque Singultum notavi sæpenumerò sic curatum.

Per Humorum Viscidorum Incisionem.

XLIV. *Humores valdè viscidi*, quoties Siccæ Tussis Causa existunt, potenter Incidentibus continuò quantitate exigua deglutitis emendari solent, ac corrigi; Cui usui servient Trochisci Bechici albi, Radix Helenii pulverata & cum Saccharo in Tabellas redacta vel Frustra dissecta, &c. si ore contineantur, & continuò saliva soluta una cum ipsa in asperam deferantur arteriam.

Per Catarrhorum Salsorum & Acrium Correctionem.

XLV. *Catharri Salsi & Acres* Siccam Tussim producentes corrigentur, temperabunturque toties laudatis à Me Pilulis de Cynoglossa, vel Styrace, &c. non neglectis Purgantibus Hydragogis.

Et Flatuum remotionem.

XLVI. *Halitus Flatusve* ab intestino tenui per Lacteas Venas sursum ad Pulmones assurgentes, atque Siccam Tussim concitantes ad ejus & sui curam desiderant Medicamenta 1. Humores tum semper Pituitosos & Biliosos, tum aliquando simul Acidos Temperantia, Educentiave. 2. Ipsos Halitus, Flatusque Discutientia, vel tam in suo exortu, quàm post ipsum eosdem sopientia: Quorum pleraque non semel sunt in superioribus proposita, & inter alia Cap. 9. §. 29. *Spiritus Carminativus*,

tivus, magnarum in hoc Affectu feliciter curando vitium.

CAPUT. XXIV.

De Pulmonum Nutritione læsa.

Pulmonum Nutritio. I. HActenus cum aliis Motu Sanguinis Circularem agnoscentibus existimavi non tantùm ut ab Inspirato Aere alteraretur, verùm insuper, ut *Ipsi Pulmones nutrirentur*, *propelli in eosdem Sanguinem è dextro Cordis Ventriculo.* Unde sicut soli hunc excipiunt Pulmones Sanguinem, ita solos eo ali putavi, donec anno superiore ex observatione Anatomici Solertissimi & Cadaverum Conditoris eximii D. *Frederici Ruysch*, Medici Hagiensis scripto publico *Valvularum in Vasis Lymphaticis & Lacteis Dilucidationem*, *atque quasdam Observationes Anatomicas rariores* continen- *Per Arteriã Bronchialẽ.* te patefacta fuerit *Arteria* ex Aortæ Trunco Descendente oriunda, & quoniam Bronchiorum divaricationes comitatur, *Bronchialis* ab Ipso dicta; & siquidem Sanguinem in Ventriculo Cordis Sinistro elaboratum, atque perfectum ad Pulmones deducit, Eorundem Nutritioni ab ipso assignata.

Eam observandi difficultas. II Quamvis autem, ubi ad hujus Capitis editionem perventum est, opportunè asperiori gelu debitum adolescentis cadaver in Nosocomio publico secundum obtigerit, atque in eo Arteriam prædictam ex laudato Tractatulo diligenter, at sine successu inquisiverim, nolim tamen idcircò Viro egregio hic derogare fidem; quin potiùs doleo, quod paucis post diebus præter omne fas impeditus fuerim à nonnullis Reip. ob præposteras simultates & alia minùs addictis, ac sæpè noxiis, quominùs Iuvenis ex difficili respiratione extincti cadaver in multorum Studiosorum huic rei per autopsiam cognoscendæ avidè inhiantium gratiam potuerim dissecare, Arteriam nominatam iteratò investigare, atque publicè forsan demonstrare; cùm præsertim modum ipsam certiùs observandi uno verbo mihi aperuisset idem *D. Ruysch*, ac simul retulisset aliis quoque non semel idem, quod mihi, contigisse.

Nutritio hæc quando lædatur. III. Sive igitur per solam hanc *Bronchialem*, sive simul per *Pulmonum Arteriam* nutritium Sanguinem accipiant Pulmones, quoties ob vitiatam in dextro Cordis Ventriculo, Sanguinis Ascendentis, Descendentisque Effervescentiam vitiosus existet Sanguis ex utroque exurgens, *læditur* ipsorum *Pulmonum Nutritio*; & quidem citiùs, faciliùs atque potentiùs, quàm ulla alia corporis pars, si ex parte saltem nutriantur Sanguine è dextro Cordis ventriculo accedente, quippe qui minùs temperatus est altero è sinistro Cordis thalamo effuso, & ab Inspirato Aere plus minùs in eisdem temperato.

Et quot modis. IV. *Læditur* antem *Pulmonum Nutritio* 1. quando illa *Diminuitur*, vel *Aboletur*, & ipsi plùs, minùsve contabescunt. 2. quando ipsa *Depravatur*, & substantiam, consistentiamque acquirunt Pulmones naturali duriorem, compactioremve, aut contrà molliorem, flaccidioremve, aut etiam inæqualem, &c. vix enim puto, nec nisi rarissimè 3. *Augeri* posse, si propriè loquamur, Pulmonum Nutritionem, quamdiu permanet ipsorum Parenchyma laudabile.

1. Contabescunt Pulmones. V. *Contabescunt* plùs minùs, & quandoque in utroque, quandoque in alterutro *latere*, atque in hoc vel illo *Lobo Pulmones*, vel *Sui*, vel *Sanguinis Purisve* culpa.

Culpa Sanguinis. VI. Et *Sanguinis* quidem culpa, quando idem *purulentus*, existit, maximè in *Pleuritide* in *Abscessum* abeunte, atque *Pus suum* vel immediatè, vel Sanguine mediante Pulmonibus communicante: unde tamen non Pulmonum tantùm, sed universi corporis subsequi solet Tabes.

Vel Pulmonum. VII. *Pulmonum* verò culpa contingit Tabes, quoties à *causa* ipsis *externa*, vel *interna inepti*

Deleboe Opera.

redduntur *assimilando sibi debitè Sanguini* affluenti: quod non semel observavi evenire *internè ab Ulcere*, *externè ab Empyemate*; utrobique à *Pure corrumpente* non tantùm Sanguinem qualemcumque ad ipsos delatum, sed ipsam quoque *Ipsorum Substantiam*, ut ampliùs ullo nequeant nutriri.

VIII. Anno 1662. in dextri lateris *Empyemate Aquoso*, ex Pure ac Sero Albicante simul collectis constante, reperimus in Nosocomio Academico *Pulmonem dextrum corrugatum*, *lividum*, *flaccidumque*, ac meo quidem judicio *Tabe* confectum: quod ambienti Aquæ Purulentæ adscribendum censebam malum. *Empyema Aquosum observatum.*

IX. In *Phthisicis* non tantùm *Pulmones* corrumpi, ac ideò quoque subinde contabescere, verùm *universum* insuper *Corpus Tabe* confici notissimum, & quidem ob Sanguinem itidem ab adjuncto Pure corruptum, atque Partes omnes paulatim corrumpentem ita, ut naturali Nutritioni perficiendæ reddantur ineptæ. *Phthisicorũ Tabes.*

X. *Depravatur* Pulmonum Nutritio à *Sanguine* alterutro, vel utroque *vitioso*, *vitiosos* saltem *Humores* admistos habente; unde rarò quidem non Pulmones tantùm, verùm cæteræ quoque Corporis partes simul afficiuntur, ac perperam nutriuntur. *2. Depravatur Pulmonum Nutritio.*

XI. Hisce *Causis* nunc à *Bile*, nunc à *Succo Pancreatico*, nunc à *Saliva*, nunc à *Liquore ex hoc Ternario* exsurgente, nunc à *Chylo*, nunc à *Lympha* quovis modo vitiatis, nunc à *Sero in Renibus haud secreto*, verùm in Sanguine præter naturam permanente, & si quæ sunt plura, quæ Sanguinem vitiare possunt ac solent, pendentibus debetur *Tuberculorum* hinc inde in Pulmonibus sæpiùs observatorum exortus, *Substantiæ ipsorum* mollis & spongiosæ *mutatio in Carnosam*, *Œdematosum*, multisque modis *solito duriorem*, *solidiorem*, aliterve à naturali consistentia desciscentem. *Ejus Causa*

XII. *Augeri* credendam Pulmonum Nutritionem, quoties iidem consistentiam suam & substantiæ modum naturalem servantes nimiùm tamen excrescunt, atque Pectoris cavitatem ita replent, ut inde impedita potiùs, quàm difficilis reddatur Inspiratio: Cujus rei exemplum semel atque iterum post mortem in sectione habui. *3. Quomodo augeatur Pulmonum Nutritio.*

XIII. Auctæ hujus Pulmonum Nutritionis *Causam* puto partim *Constitutionem Ipsorum optimam*, partim *Usum Alimentorum nutriendis Pulmonibus maximè aptorum*, ac forsan Pulmonum ex Iunioribus Animalibus desumptorum. *Ejus Causa*

XIV. Harum omnium Nutritionis Pulmonum læsæ specierum *Signa* petenda erunt ex aliis *Functionibus simul læsis*, Et I. ipsius quidem *plùs*, *minùsve Deficientis* ex *Respiratione* modis variis læsa una cum *reliqui corporis aliquali saltem contabescentia* ipsi superveniente, ac imprimis post *Empyema*, vel *Ulcus in Pulmonibus excitatum*, adeoque *Phthisin*: *Nutritionis Pulmonum læsæ Signa. 1. Diminuta.*

XV. II. *Depravata Pulmonum nutritio cognoscetur* partim ex *læsa Respiratione*, partim ex qualicumque *Corporis reliqui Cachexia*, cujus diversitas Humorum solitariè, aut unà cum aliis peccantem manifestabit. *2. Depravata.*

XVI. III. *Auctam Pulmonum Nutritionem significabit Respiratio* citra evidentem Causam *impedita*, existente corporis reliqui constitutione laudabili. *3. Aucta.*

XVII. Talibus Conjecturis putem distingui ac dignosci posse ab invicem varias læsæ Pulmonum Nutritionis Species, hactenus à paucis notatas.

XVIII. *Deficiens Pulmonum Nutritio* propter *Sanguinem Purulentum*, *vel Pus* ipsum in *Pleuritide*, aliisve *Inflammationibus* in Abscessum degenerantibus ad ipsos quavis via delatum *Curabitur*, partim *Curando* convenienter dictos *Affectus*, partim *Liberando Sanguinem à Pure*, partim *Tollendo è Pulmonibus introductam à Pure noxam*. *Diminutæ Nutritioni curatio.*

XIX. *Pleuritidis*, aliarumque *Inflammationum* doctrinam & *Curam* proponemus Cap. 40.

Sanguinem a Pure liberando. Quod præstant Antimonialia. XX. *Sanguinem a Pure liberabunt* præ aliis forsan Medicamentis omnibus quævis *Antimonialia*, tum *Diaphoretica*, tum *Purgantia* & *Vomitoria*; quæ non semel observavi, etiam in Phthisi ac inveterato Pulmonum Ulcere grandi, per Alvum & Urinas bonam Puris quantitatem eduxisse, adeo ut ad plures tunc dies nullum Tussi Pus excerneretur. Ulcus autem in Pulmonibus grande, ac subinde multiplex fuisse manifestavit post obitum Cadaveris à me facta dissectio.

Noxam à Pulmonibus tollendo. Per Balsamum Sulphuris. XX. *Tollitur e Pulmonibus noxa Puris debita*; sive *Ulcus* sit profundum, aut *Exulceratio* duntaxat superficiaria, tum per *Decocta Vulneraria* dicta, tum per *Balsamum Sulphuris* quemvis, ac imprimis gratiorem *Anisatum*.

Per Decoctū Vulnerariū. XXII. Vulnerarii Decocti Pulmonibus hoc in Casu accommodati formula esto sequens, aut similis, quæ

℞. *Rad. glycirrhiz. ras.* ℥ j.
aristolochiæ, ℥ ſ.
Fol. veronicæ,
scabiosæ,
Consolid. Sarrac.
alchimillæ,
pyrolæ, *an. M.* j.
Passul. maj. mund. ℥ iv.
Coq. ex aq. hordei.
In Colat. ℥ xxx. *dissolv.*
Syr. de hyssopo,
Botryos, *an.* ℥ j.
M.

Ejus Usus. Bibat sæpiùs in die Æger Unciam unam vel duas hujus Decocti; cui Guttula nunc laudati Sulphuris Balsami addi potest, aut ex alio liquore grato seorsim bis, terve quotidie usurpari.

Balsamus ex Antimonii floribus. XXIII. Præstantiorem adhuc existimo *Balsamum ex Antimonii floribus* verè Sulphureis & inflammabilibus modo simili paratum, cujus vires eximias non semel sum expertus.

Pulmonis noxa ex Empyemate quæ curetur. XXIV. *Pulmonis noxa Empyema consequens Curabitur aut sublato* è Pectoris Cavitate, per institutam in Thorace *Paracenthesin*, *Pure*, aut eodem per Alvum, Vomitumve expurgatos, quod ante paucos annos memini factum à Chirurgo ruri degente ac Empirico per Decoctum singulare; cujus ope à multis Medicis, & Chirurgis egregiis pro incurabili habitus Æger in Thorace graviter læsus, sensimque contabescens curatus est intra paucas septimanas fœlicissimè, atque sanus hactenus vixit: ne quis, quod ferè à plerisque nasutulis solet fieri, mox temerè carpat, rideatve id, cujus rationem ignorat.

Depravatæ Nutritionis curatio. XXV. *Depravata Pulmonum Nutritio Curabitur* diversimodè, pro Humorum tunc simul peccantium atque illam Depravationem producentium diversitate, addendo semper dicta *Pectoralia* & *Pulmonibus amica*. Humorum autem Vitia singula non semel attigimus in superioribus.

Tubercula in Pulmonibus quomodo curāda: XXVI. Qui *Tubercula in Pulmonibus* orta, nec tamen facilè nisi conjectura multùm incerta dignoscenda *Curari* debeant, possintve dubito, ni forsan id queant præstare *Antimonialia medicamenta fixiora*, universali corpus humanum ab omni noxa & impuritate depurgandi vi prædita.

Auctæ Pulmonum Nutritionis curatio. XXVII. *Auctam Pulmonum Nutritionem* si quis vellet *minuere*, oporteret ipsum Alimenta usurpare aliquantò crassiora, minùsque spongiosa, Condimenta saltem, aut Medicamenta nimiam Alimentorum (si dicere fas est) rarescentiam impedientia, sistentia, reprimentiave. qualia esse puto Margaritas, Corallia, Laccam, Cretam, &c. si rariùs parva sumantur quantitate.

CAPUT XXV.

De Sanguinis Perfectione in Sinistro Cordis Ventriculo læsa.

I. SAnguinem ad Universi Corporis partes, ipsosque adeo Pulmones (de quo Cap. præcedenti actum) ex Sinistro Cordis Ventriculo propelli notum est ex Circulari Sanguinis Motu: Unde non immeritò quæritur, *In quonam differat uterque ex utroque Cordis Ventriculo effusus Sanguis?* Respondeo autem, In eo differre, quòd 1. *Sinistri Ventriculi Sanguis Alterationem in Pulmonibus novam subierit ab Aere inspirato*; & forsan 2. *eidem Sanguini aliquid accedat vel à Saliva, vel alio Liquore Glanduloso* asperam arteriam humectante, atque unà cum Aere Sanguini se immiscente, eundemque hactenus quoque *quodammodò Alterante, ac Temperante*. *In quibus differant Sanguis à dextro, & à sinistro cordis Ventriculo effusus.*

II. An verò insuper aliquid aliud Sanguini accidat in Ventriculo Cordis Sinistro planè ambigo; neque aliquod ipsius hactenus mihi suppetit Signum notabile, unde id queam concludere.

III. Quocirca id tantùm possum impræsentiarum asserere, Sanguinem per Arteriam, Venamque Pulmonum, atque intermedium fortassis Pulmonum parenchyma meantem tum ab inspirato Aere, tum à Saliva, aliove Liquore Glanduloso temperatum minùs ferventem atque rarefactum, adeoque blandiorem prodire ex Cordis Ventriculo Sinistro, quàm Dextro; atque in eo videri mihi consistere Ipsius *Perfectionem*, quòd *multifariæ ejus Particulæ* priùs potenter Effervescentes, Rarefactæve atque ab invicem valdè distractæ nunc *blandè Temperatæ, Condensatæque*, iterum *plùs minùs laxe tamen coalescant*, sicque tam Nutriendo Continenti Corpori, quàm producendis Humoribus in Corpore variis, Vitæque adeò conservandæ aptiores fiant. *In quo consistat Sanguinis perfectio.*

IV. *Læditur* proindè illa *Sanguinis Perfectio* imprimis, quando ab *Inspirato Aere, Corporisve Humoribus* cum eodem ipsi communicatis *minùs vel nimis Temperatur*, aut etiam *ampliùs Inceditur, Rarefitque*, aut *aliàs Corrumpitur* idem Sanguis; *de quibus vide quæ* Cap. 21. *sunt dicta*. *Quot modis eadem lædatur.*

V. *Corrumpetur Sanguis ab Aere Inspirato*, quoties idem à *Ventis*, *Exhalationibusque* quibusvis undecumque venientibus, ipsique admistis *multùm inquinatur*, & noxam suam delato per Pulmones Sanguini communicat; unde noxa eadem vel paulatim massam totam, vel majorem minoremve ipsius partem inficiens diversimodè nunc quaquaversum dispergitur, nunc uni potissimùm parti adhæret, atque in eadem malignitatis suæ vim manifestat: sicut fieri novimus in *Peste*, aliisque *Affectibus Epidemicis utplurimum ab Aere malè affecto pendentibus*. *Sanguinis corruptio ab Aere inspirato.*

VI. Læditur quoque illa Sanguinis Perfectio ab *Humoribus* Ascendenti, Descendentive admistis, vel *Bile*, vel *Lympha*, *Liquoreve ex intestinali Triumviratu orto*, vel etiam *Chylo* eousque qualitate prava excedentibus, ut ab Inspirato Aere convenienter aut *Sufficienter non possit deinde Temperari*. *Ab Humoribus.*

VII. *Aeris Inspirandi pleraque Vitia* quomodo *emendanda* sint, docuimus Cap. 21.

VIII. Quomodo idem *Aer qualitate maligna* inquinatus & corruptus corrigi debeat, dicemus, ubi de *Peste*, atque *malignis* agemus *Febribus*.

IX. Denique qua via, quibus mediis *Humores cum Sanguine ad dextrum Cordis ventriculum delati & ipsum* eousque *corrumpentes*, ut ab Inspirato Aere, aliisve Humoribus in Pulmone ipsi admistis satis temperari nequeat, ad *integritatem pristinam restitui* debeant, petendum ex Cura singulis nominatorum Humorum malè affectorum speciebus in superioribus proposita, & hinc inde adhuc proponenda.

CA-

CAPUT XXVI.

De Cordis & Arteriarum Motu sive Pulsu læso.

Pulsus qui fiat.

I. A *Sanguine* in Cordis Ventriculos è Venis, ac ejusdem Auriculis propulso, & partim *Copia*, partim & imprimis ob Effervescentiam sui *Rarefactione* ipsos *replente*. *Distenduntur, Explicanturque* paulatim dictoruoi *Ventriculorum parietes*, donec consequente eorundem *Coarctatione* effundatur idem Sanguis in *Arterias* ipsis adnexas; quæ eo ipso *Expanduntur*, quemadmodum paulò post iterum *Constringuntur*, & quidem *Motu Tactui & Visui* quandoque *manifesto*, qui *Pulsus* nomine notus apud Medicos.

Per eũ quid Medici intelligant.

II. Per *Pulsum* namque intelligunt Medici binos sibi oppositos & contrarios, imò reciprocos in binis narratis partibus diversis Motus, Expansionis, & Contractionis secundùm parietes, tunicasve: Dilatationis verò & Coarctationis secundùm Cavitatem Ventriculorum Cordis & Arteriarum.

Cordis Ventriculi à quibus expandantur, & coarctentur.

III. *Cordis Ventriculum Dextrum Expandi* putamus tum ab *impulsi Sanguinis Copia*, tum ab ejusdem mox Effervescentia *Rarescentis Amplitudine*; *Sinistrum* verò imprimis *à Sanguinis fervidioris* & adhuc quasi bullientis, utut in Pulmonibus ab Inspirato Aere plùs minùs temperati *Copia*: *Utrumque* autem *Coarctari* ex mirè Turbinis ad instar contorta *musculosa Cordis substantia* cæterorum musculorum ritu per *Animales Spiritus fibras ejus replentes contracta*.

A quibus Arteria.

IV. *Arterias* verò *Expandi* censemus à *Sanguine* Cordis *Contractione in Ipsas Expulso*; Easdemque rursus *Constringi à Spiritibus Animalibus Fibras* ipsarum *annulares implentibus*, sicque *Cavitatem* ipsarum *Angustantibus*,

Quibus in locis Pulsus exploretur.

V. *Exploratur* autem à Medicis *Pulsus* non tam in Corde ipso, quàm *in Arteriis*, ac præsertim *in utroque Carpo*, ubi sunt sensui Tactus manifestiores: quamvis etiam circa *Tempora*, & subinde ad *Collum* observari possit Arteriarum Pulsus; quemadmodum *Cordis Motus*, applicata ejus regioni manu, imprimis ubi ejusdem *Palpitatio* urget, non satis distinctè ex Arteriarum Pulsatione dignoscenda, vel ubi exiguus, vel nullus sentitur in Carpo pulsus.

Primariæ Pulsus Differentiæ.

VI. *Primariæ* in Carpo explorati *Pulsus differentiæ* ad *tria summa* reduci possunt *Capita Pulsus Robur, Magnitudinem ac Frequentiam*. *Celeritas* enim Pulsui adscripta Mente quidem concipi potest, non item Digitis tangi ac percipi: *Durities* autem non nisi raro in Pulsu reperitur, ac semper in Statu Præternaturali; cum modò dictæ in Naturali quoque ac Non-naturali observentur.

Pulsus. Celer. Durus.

Robustus. Debilis.

VII. *Pulsus Robustus* dicitur, quando vi Tangenti digitos ferit Arteria; *Debilis* verò, quando id leniter ac leviter duntaxat contingit.

Magnus. Parvus.

VIII. *Magnus* dicitur *Pulsus*, quando multùm & amplo spatio; *Parvus*, quando parùm & angusto spatio explicatur Arteria.

Frequens. Rarus.

IX. *Frequens* dicitur *Pulsus*, quando eodem Temporis spatio sæpiùs, quàm aliàs, vel in aliis: *Rarus* verò, quando minùs sæpè; quàm solebat, aut decebat, observatur Arteriæ expansio & ictus.

Moderatus

X. *Moderatus*, sive *Mediocris* vocatur *Pulsus*, qui medius est inter prædictarum Differentiarum trium extremos.

Causa Pulsus Robusti.

XI. *Robustus* sive *Potens*, *Validusque Pulsus* debetur *Spiritibus Animalibus copiose* ad musculosum Cordis Parenchyma *delatis*, & ipsum *validè contrahentibus*: unde is nunquam sui ratione existit præternaturalis, aliquando quidem ratione Causæ irritantis.

Debilis.

XII. *Debilis Pulsus* sequitur sæpiùs *Spirituum Animalium Defectum Universalem* in corpore universo, *Partialem* saltem in ipso Corde; aliquando universi Corporis *Segnitiem ac Torporem*, sive immobilitatem.

Universalis Defectus Animalium Spirituum unde.

XIII. *Spirituum Animalium Defectus Universalis* est tum ob *Sanguinis Defectum ab ejus effusione ac hemorrhagia* notabili, quandoque *ab Inedia* protracta: tum ob *impeditam in Syncope, Suffocatione hypochondriaca &c. Sanguinis Effervescentiam & Rarefactionem*; unde semper cum Parvo Pulsu concurrit Debilis: tum ob *Spiritus exhaustos Curis, inedia, Vigiliis, nimiove Corporis Motu* aut Agitatione: tum ob *malè affectum Cerebrum* Spirituum Secetioni, Præparationique adversarium.

Partialis in Corde unde

XIV. *In Corde privatim Deficiunt Animales Spiritus*, si *Nervi* ad ipsum tendentes fuerint *vulnerati*; nam illos solos, cæteris benè habentibus, humiditate quavis transmittendis Spiritibus ineptos reddi posse vix puto.

Eorundem Torporem in Sopore non semper reperiri.

XV. *Segnitiem ac Torporem Spirituum Animalium* semper in *Somno*, vel *Sopore* ipso haud reperiri testatur Motus Animalis Somnambulorum, & Ipse Pulsus in Sopore gravi non raro valdè Robustus: unde patet *Narcotica*, qua talia, *non tam Spiritus Animales* forsan vel *omnes ex æquo Nervos*, quàm *Sensuum Externorum Organa*, vel *Nervos ad ipsa tendentes* afficere:

Narcoticorum vires.

Torporis in Motu Animali causa.

XVI. Semper autem in *Motu Animali Segnities ac Torpor* deprehenditur *à Gelu* ac quovis *Vehementi Aeris, Aquæ, Aliorumque frigore*: quamvis dubitare liceat, an ipsi Animales Spiritus verè ac per se, an Musculi potiùs afficiantur tunc à frigore; postquam (nisi Causa ejus fuerit extrema) Corporis agitatione vehementi præveniri aut etiam superari potest ille Partium secundùm Motum Torpor, quod fieri non posset, si Torpor ipsos occupasset Spiritus: quibus existentibus mobilibus & Animæ imperio subjectis à Torpore liberabuntur faciliùs ipsi Musculi per affluxum eorundem ad ipsos solito copiosiorem.

Causa Pulsus Magni.

XVII. *Pulsus Magnus* sequitur *Sanguinis Rarefactionem amplam, plenamque*, concurrente *Arteriarum Mollitie*.

Parvi.

XVIII. *Parvus* verò *Pulsus* contingit, tum ob *Sanguinis Rarefactionem exiguam*, tum ob *Arteriæ Duritiem*, propter quam multùm expandi nequit.

Frequentis.

XIX. *Frequens Pulsus* agnoscit pro Causa vel *summam Sanguinis Rarefactionem*, ita ut sola Pulsus Magnitudine satis excipi nequeat; vel in *mediocri Sanguinis Rarefactione Arteriæ Duritiem*; unde ibi Frequenti Pulsui conjunctus est Magnus, hic Parvus; vel *quidvis* aliud *Cor ad sui Contractionem crebrò vellicans*.

Rari.

XX. *Rarus* denique *Pulsus* accidit ob *exiguam, lentamque Sanguinis Rarefactionem*.

Animalium Spirituum copia unde.

XXI. *Animalium Spirituum Copia* sequitur *Alimentorum Spiritu Volatili abundantium Usum legitimum*, ac eorundem tum *Fermentationem* in Ventriculo, tum *Secretionem* in Intestinis, tum *Effervescentiam* in Corde, tum præsertim, præter aliorum *Humorum* omnium *Productiones* laudabiles, *Partis* maximè *Spirituosæ Separationem* in Cerebro ac Cerebello integras: quemadmodum Eorundem *Defectus* præter ea, quæ §. 13. & 14. diximus, omnia modò *dictis contraria*, sicut ex nominatarum Functionum Læsarum tractatione patet:

Defectus unde.

Sanguinis unde multum.

XXII. *Sanguis multum Rarefit*, quando is *laudabilis* existit, *excitaturque in Corde*, dum Effervescit, *Ignis potens*: qui tamen, quando *Nimius* existit, plùs satis, adeoque malè Rarefit Sanguis, uti solet in Ardentibus evenire Febribus.

Unde malè, rarefiat.

Unde Minùs vel parum.

XXIII. *Minus, Parumve Rarefit Sanguis* quando Is est ad *rarescendum ineptior*, atque *solito aut fluidior*, aut *viscidior*; vel *Ignis* excitatur in Corde *Parcior*, Sanguinique sufficienter rarefaciendo impar.

Arteriarum Durities unde.

XXIV. *Arteriarum Duritie Naturalis* adscribenda *Tunicarum Crassitiei*; quemadmodum *Præternaturalis* adscribi solet vulgò *Membranarum Inflammationi*.

Sanguinis unde plurimum ac subito rarefiat.

XXV. *Plurimùm ac subitò Rarefit Sanguis*, quoties tum ipsius est ad *rarescendum aptior*, tum in ipso & Corde *Ignis accenditur acrior*.

A quibus ad sui contractionem crebro vellicetur Cor.

XXVI. *Ad Sui Contractionem Crebrò* vel continuo *vellicatur Cor*, tum à quocunque *Acri* unà cum Sanguine ad Ipsum delato, sive illud sit *Acidum*, sive *Salsum Lixivum*, sive ex utroque mistum, quale *Salsum* est *Muriaticum*, tum à quocumque *Halituoso vel Flatulento* in Cordis Ventriculos penetrante, ipsiusque *Parietes* aliquantùm, non tamen nimiùm explicante, & ita quidem, ut iterum queant contrahi; tum à *Re Cordi externa*, in Pericardio puta contenta, ipsumque *rodente aut pungente*. Sic offendimus ante triennium in Pericardio Humorem Salsum & Acrem, à quo tam Pericardii, quàm Cordis Membrana erat erosa, excoriataque.

Exigua & Lenta Sanguinis rarefactio unde.

XXVII. *Exigua*, *Lentaque Sanguinis Rarefactio* debetur vel *Ipsius Viscidit ati excedenti*, vel *Igni parciùs* in Sanguinis utriusque confluxu *erumpenti*, vel *Utrique* simul concurrenti. Vix enim unquam fiet, ut Sanguine Universo existente aliquandiu Viscidiore, Bilis, aut Lympha sint valdè acres; nisi ratione *Diætæ*, ac præsertim Alimentorum modò *Bilis* producatur *acrior*, modò *Lympha Succusque Pancreaticus acidior*, modò *Saliva*: *&* *Pituita Viscidior*: quod facilè contingit, ubi multifariis utuntur homines *Alimentis*, nunc uni, mox alii Humori pravo generando aptis; & insuper *Aerem* usurpant nunc æstuantem, mox gelidum; ac prætereà immoderati sunt in *Corporis*, *Animique* sui *Motibus*. &c.

XXVIII. Quomodò enumeratis *Pulsus læsi speciebus Succurri* debeat, non difficile erit ex passim propositis concludere.

XXIX. Sic cæteræ *Pulsuum læsorum*, *Inæqualium* puta, *Intermittentium* ac similium *Differentiæ*, *Causæque* non ita difficulter ex jam dictis eruentur.

XXX. Aliàs autem si Deus volet, in secunda nempe Opusculi hujus Editione hæc omnia examinabimus, explicabimusque accuratiùs. & notabili auctario ditabimus; jam verò ad Affectus læsi variis modis Pulsus consectarios, comitesve festinamus.

CAPUT XXVII.

De Febribus in Genere.

Febrium Signa.

I. SI, quod in Affectuum latentium, aut controversorum natura investiganda omninò fieri oportet, Practicorum morem, atque Signa, ex quibus de *Febris* præsentia Ipsi & Alii omnes concludere solent, observemus, facilè patebit *ex Solo Pulsu præter naturam Frequentiore ipsos Febrem arguere*: Ubi autem *Febris species certa determinanda* & ab aliis est distinguenda, tunc ad *plura Signa* ipsos simul attendere, quis nisi planè hospes in praxi nescit?

Ex Pulsus frequentioris causis variis Febrium differentia.

II. Ne autem (quæ binis de Febribus Disquisitionibus publici juris jam fecimus, atque huic Libro, vel alii subjiciemus) inutiliter hic repetamus, *ex Pulsus præter naturam Frequentioris Causis variis modo vario agentibus varias rimabimur Febrium multifariarum Species ac Differentias*, quemadmodum ex praxi quotidiana petitas, ita denuò ad eandem praxim directas.

Pulsus præter naturam frequentioris causa.

1. Nimia Sanguinis Rarefactio.

III. *Pulsus* ergò *præter naturam Frequentioris*, conjunctam nempe, aut mox accedentem Corporis molestiam, Doloremve notabilem, Functionisque adeò alicujus ad Vitæ Naturalis beatitudinem requisitæ Labefactationem habentis, *Causa* est vel 1. *Nimia*, *permanensque Sanguinis Rarefactio*. *ab Igne potentiore ex utriusque Sanguinis Effervescentia* erumpente facta.

2 Quodlibet Acre in Sanguine.

IV. Vel 2 *Quodlibet Acre*, nunc *Acidum*, nunc *Lixivo salsum*, nunc *Muriatico-salsum* per Venas unà cum Sanguine ad Cor propulsum, atque Internè Cordis Parenchyma mordens.

3. Quodlibet Halitoso-flatulentũ.

V. Vel 3. *Quodlibet Halituoso-Flatulentum*, itidem cum Sanguine ad Cor delatum, aut ex ejusdem in Corde Effervescentia excitatum, atque Cordis Ventriculorum Explicationem augens.

4. Quodlibet Acre vellicans externũ.

VI. Vel. 4. *Quodlibet Acre*, *Durumve* aut in Pericardio, aut alibi existens, atque Cor externè rodens aut pungens.

Febriũ Continuarũ & intermittentium differentia unde.

VII. Observandum porrò *Pulsus præter naturam Frequentioris Causas* nunc *continuò*, nunc *per intervalla* duntaxat, eaque nunc *ordinata*, *certaque*, nunc *inordinata*, *incertaque* Cor afficere: Unde maximè notabilis pendet *Febrium in Continuas*, *&* *Intermittentes Distinctio ac Divisio*.

Febris Continua quenã.

VIII. *Continua* dicitur *Febris*, quæ à primo invasionis suæ momento permanet usque ad ultimum durationis suæ momentum: ac integram sui cessationem.

Febris Diaria & Ephemera quenã Synochus nõ putrida quenam.

IX. *Continua Febris*, quoties blandior uno duntaxat durat die, *Diaria*, *Ephemeraque* vocatur; quemadmodum *Diaria plurium dierum*, sive *Synochus non putris*, quoties ipsa itidem blandior per paucos, tres, quatuorve continuatur dies.

Intermittens quenam.

X. *Intermittens* autem dicitur *Febris*, quæ post intervalla nunc breviora, nunc longiora diversis redit Paroxysmis.

Ejus species.

XI. Unde pro *Singulorum Accessuum & Paroxysmorum Interstitio diverso Eadem nomina* quoque *sortitur diversa*. Nam si quotidie novus redeat Paroxysmus præcedenti proportione respondens, dicitur *Quotidiana*; Sin hoc alternis tantùm contingat diebus, *Tertiana*; Sin post duos demum intermissionis dies revertantur paroxysmi, *Quartana*; & sic porrò. Quamvis rariùs observentur *Quintanæ*, *Sextanæ*, &c. observantur tamen aliquando.

Quotidiana Tertiana. Quartana. Quintana. Sextana.

Febris composita.

XII. Præter has binas primarias Febrium Species occurrit adhuc alia *ex utraque mista vel composita* & continua quidem, Exacerbationes tamen aliquans, & rursum Remissiones habens, & quidem nunc quolibet, nunc tertio, nunc quarto demum die, unde Febris ista meritò vel *Quotidiana-Continua*, vel *Tertiana Continua*, vel *Quartana-Continua* nuncupatur.

Quotidiana Continua, &c.

Quotidiana. Duplex: Triplex, &c.

XIII. Observantur insuper *Febres ex pluribus intermittentibus multipliciter compositæ*. Tales Sunt I. *Quotidianæ Duplices*, *Triplicesve*, quoties eodem die duo, tresve sibi proportione varia successivè respondentes producuntur paroxysmi.

Tertiana Duplex. Triplex, &c.

XIV. Tales sunt II. *Tertianæ Duplices*, *Triplicesve* ex duabus tribusve Tertianis constantes, sive in Duplici eodem die bini, aut alternis diebus singuli revertantur paroxysmi; sive in Tertiana Triplici uno die bini, altero unus, aut quandoque uno die Terni, altero nullus infestent paroxysmi,

Ejus à Quotidiana differentia.

XV. Distinguitur autem à Quotidiana Duplex Tertiana diversis repetens diebus, tum ratione Temporis Invasionis, tum ratione Durationis, tum ratione comitum Symptomatum. Quoties namque horum omnium ratione Paroxysmus Primus respondet Tertio, & hic Quinto; Secundus verò Quarto, & hic Sexto, & sic porrò, Tertianam Duplicem adesse concludimus; quotidianam verò Simplicem, quoties Paroxysmus Primus respondet Secundo, hic Tertio & sic porrò.

XVI. Arguitur quoque Duplex Tertiana, quoties præcessit Tertiana simplex, alternis repetens diebus, quæ si posteà redeat quotidie, omninò erit habenda pro Duplici Tertiana, non item pro Simplici Quotidiana.

Dari Febres Quotidianas.

XVII. Novi non deesse Magnos Medicos, qui omnes Quotidianas negant Febres, & tantùm Tertianas Duplices, Quartanasve Triplices admittunt, & quidem, quantùm Ego saltem judicare valeo, magis ex Præjudicio, quàm Experientia certa vel Ratiocinatione cogente: quas

si quis

si quis attenta Mente consulat, non video, quo jure tolli possint è Cæterarum numero Febres Quotidianæ; sicut id clariùs patebit, ubi de Febrium Intermittentium Causis Cogitationes nostras proposuerimus.

Quartana Duplex. XVIII. Tales ex Intermittentibus Febribus Compositæ sunt III. *Quartanæ Duplices*, *Triplicesve*. Contingit enim aliquando, ut Æger uno tantùm die immunis sit à Febre, ac binis sequentibus novos patiatur paroxysmos, atque tunc de Quartana Duplici nullum est dubium.

Triplex. XIX. Sed contingit quoque, ut quotidie novus revertatur paroxysmus, ita tamen, ut Primus respondeat Quarto, & hic Septimo; Secundus verò Quinto, & hic Octavo; Tertius deoique Sexto, & hic Nono, & sic porrò; vel ut ex Quartana Simplici producta sit Duplex, atque tandem ex Duplici Triplex, unde itidem facilè distinguitur à Quotidiana Simplici, vel Tertiana Duplici: Cujus Confirmatio habetur nonnunquam ex ipsius Cura, si nempe unus paroxysmus primùm tollatur, atque tunc binis consequentibus diebus revertantur adhuc paroxysmi, uno interposito intermissionis die; aut si duo tollantur paroxysmi, uno duntaxat remanente, atque quarto quovis die revertente. Ut nunc sileam alia symptomata Febribus Quartanis magis propria, nec nisi rarò in Tertianis, vel Quotidianis observabilia, & quidem tunc ferè, ubi ad Quartanarum naturam & typum vergunt.

Distincta à Quotidiana & Tertiana Duplici.

Febris inordinata, vel vaga. XX. Præter has Febres Intermittentes ordinatas, definitoque tempore utplorimùm, nisi aliquod in Diæta commitatur erratum, vel aliquod usurpatum fuerit Medicamentum, recurrentes, observantur & aliæ satis frequenter nunc hoc, nunc alio & planè incerto tempore redeuntes, & affligentes, quas proinde Inordinatas & Vagas quis haud ineptè posset nominare.

Febrim non in calore præter naturam aucto consistere. XXI. Quamvis autem cum maiore aut minore *Frigoris Sensu* pleræque soleant Ægros invadere Febres, succedente illi *Calore* nunc leviore, nunc graviore; non desunt tamen, quas solum Frigus, solusve Calor, aut neutrum tam Ægrorum, quàm Medicorum, vel Adstantium Sensui manifestum comitetur; ne quis putet *Febris omnis essentiam in Calore præter naturam in Corde aucto, hinc per universum corpus disperso*, sicut vulgò dicitur, *Consistere*.

Febrium Continuarum & Intermittentium causa quales. XXII. *Continuarum* quidem *Febrium Causam Continuam*, hoc est, continuò ad Cor delatam requiri: uti contrà *Intermittentium Causam* non continuò, sed *per Intervalla* duntaxat eò delatam, ideòque in motu suo ad Cor impediri aptam nemo negabit, qui tum Corporis Continentis fabricam & vias, sive Vasa, tum Corporis Contenti, hoc est, Sanguinis, aliorumque Humorum naturalem Motum mente attenta expenderit accuratè.

Frigoris & Caloris in Febribus Causa inquirenda. XXIII. Cùm inter plurima *Febrium* multifariarum *Symptomata*, meritò tamquam *primaria & frequentiora* numerentur *Frigus & Calor*, inquirendum sedulò in maximè probabiles *utriusque*, hinc & in *Continuati post superatum primum Frigus Caloris*, aut *per intervalla recurrentis tum Frigoris, tum Caloris*; aut *exacerbati* duntaxat *diverso & stato tempore Caloris Causas*: His enim perspectis, determinatisque non erit forsan valdè arduum Febres diversissimas licet explicare, atque ab infinitis penè difficultatibus à quovis movendis animum veritatis avidum extricare.

Febrium continuarū causa. XXIV. Ut proinde, missis aliorum de hac re Opinionibus, (unicuique namque suam probandam censeo) quod mihi etiam nunc verum videtur, paucis proferam, existimo I. *Febrium Continuarum omnium Causam* esse *Bilem*, aut *Lympham* (sub qua *Succum Pancreaticum*, ipsamque adeò *Salivam* comprehendo, quatenus cum Ipsa deferunt ad Cor) aut *Utramque vitiosam*, & in dextro Cordis Ventriculo *Effervescentiam talem* excitantem, undè *continuò Pulsus producatur frequentior*.

Frigoris in Febribus continuis diversa causa. XXV. *Frigus* autem, si à *Bile sola primariò vitiata* pendeat Febris Continua, *circa primam invasionem observabile ab eadem* deduco *Bile vitiosa*, & unà *cum Succo Pancreatico vitiosam* in tenui Intestino *Effervescentiam* excitante, & quidem talem, ut *Halitus Acidusculi* à dicto Succo attollantur & mox quaquaversum propulsi *Frigus leve* obique pariant, quod tamen paulò post *Calori ab eadem Bile ad Cor delata* producto cedat.

XXVI. Sin à *Lympha sola primariò vitiata pendeat Febris Continua*, cùm malè affectas consequatur illa tum *Glandulas Conglobatas*, tum ex parte quoque *Glandulas Conglomeratas*, ipsumque adeò *Pancreas*, quid mirum, si hujus *Succus aliquantò factus Acidior vitiosam* producat in tenui Intestino *cum Bile Effervescentiam*, simulque *Halitus* promat *Acidiusculos*, qui per Universum Corpus dispersi *ubique Frigoris sensum excitent* pro vitio suo majore aut minore diversum?

XXVII. Sin tum *à Bile*, tum à *Lympha simul vitiatis* pendeat *Febris Continua*, ex memoratis *Causis conjunctis* producetur *Frigus* circa ejus initia Ægros infestans.

Caloris verò causa diversa. XXVIII. Post præcedens Frigus aliquando gravius, aliquando levius solet in *Febribus Continuis* pleritque *subsequi Calor*, isque *longè major*, *& molestior* à *Bile sola primariò peccante*, à qua proinde ortom habent *Febres Ardentes* dictæ; longè verò *minor & blandior & quandoque Nullus à Lympha sola primariò peccante*, imprimis quoties *multa simul in Ægris redundat Pituita*, quibus adscribi debent *Febres Algidæ*; denique *modo mediosè habens Calor*, ab *utraque* simul vitiata, seque quodammodò vicissim temperante.

In Febribus Ardentibus.

& Algidis.

Febres Catarrhales unde. XXIX. Quoties *Lympha* vitiatur, & *Glandulæ in Cerebro* existentes simul valdè afficiuntur, solet (si propriam Vocabolorum significationem sequamur) primùm *Gravedo*, id est, Dolor Gravativus in Capite excitari, & paulò post tum quandoque *Coryza*, ubi ad Nares; tum quandoque *Raucedo* vel *Tussis*, ubi ad Fauces vel Pulmones distillat delabens à Cerebro liquor, *Catarrhi* nomine notus; à quo tunc comites *Febres* nominari solent *Catarrhales*.

Febrium Intermittentium Causa. XXX. II. *Febrium Intermittentium omnium Causam* esse puto *Succum Pancreaticum aliqua sui parte in uno pluribusve Pancreatis Ductibus lateralibus obstructis stagnantem*, ac mora sua ibi *acriorem* factum, atque *acrimonia ista acida* per *Pituitam* plus minùsve viscidam & notatæ obstructionis Causam via vi parata *penetrantem* ac *in tenue Intestinum effusum*, *vitiosamque ibi cum Bile atque Pituita Effervescentiam excitantem*, ac in *paroxysmi* quidem *principio Frigus* diversum, aliquando gravius, aliquando levius, aliquando diuturnius, aliquando brevius producentem, donec tandem (ubi ejus præter naturam retenti ac ideò vitiati nil ampliùs effluit) superetur idem vicissim (quod plerumque fieri solet) *à Bile*, partim priùs compressa & quasi suppressa, nunc denuò sibi reddita, partim continuò allabente; unde citiùs, tardiùsve *Mixtura ex Utroque ac Pituita* eaurgens, & ad dextrum Cordis Ventriculum delata *subsequentis Caloris* aliquando *majoris*, aliquando *minoris*, aliquando *nullius* Causa existit, prout variè se habet ad *Succum Pancreaticum* semper tunc ex parte saltem vitiatum *Bilis & Pituita*.

In iis Frigus unde.

Unde Calor.

Febrium compositarum causa. XXXI. III. *Febrium ex Continuis ac Intermittentibus compositarum*, atque non planè intermittentium, verùm *Remittentium* duntaxat, *rursusque Exacerbatarum Causam* censeo utramque *utriusque* jam memoratam *Causam simul concurrentem*.

Hectica Causa. XXXII. IV. *Febrium Continuarum & Blandarum*

darumquidem, interim Duobus circiter post alimenta quævis assumpta horis exacerbatarum (quas Hecticas vocare solent) Causam existimo imprimis Salivam propter affectas Glandulas plures simul vitiosam, & vitioso Chylo ansam præbentem; à quo ad Cor delato Effervescentia læsa quàm prius frequentior adhuc excitetur Pulsus,

Frigus & Calor à quibus oriantur

XXXIII. Quemadmodum autem Frigus omne in Febribus quibusvis deducendum judico partim ac imprimis à Succo Pancreatico, quà Acido, & forte aliquando etiam à Lympha, itidem Acidiore existente; partim à Pituita vel Insipida, vel Acida: Sic Calorem omnem acceptum puto ferendum Bilis ratione sui tum Salis lixivi, tum Olei; Oleum namque aptum est Ignis vim suscipere, ipsamque conservare? Acidum contrà eundem extinguere, Oleumque ab Igne rarefactum denuò condensare; Salsum vel lixivum Oleo præsertim junctum, quoties cum Acido effervescit, Calorem notabilem producere. Atque sic, ubi omnia moderata sunt & proportionem servant requisitam, modumque debitum, conservatur per pugnam illam amicam in Sanguine universo Ignis vitalis; augetur verò, quoties dominium habet Bilis multum Salsa & Oleosa; minuitur contrà quoties vis Acidi major est; extinguitur denique idem, ubi extremus excessus est in Subcontrariorum illorum Alterutro, vel utroque.

Ignis vitalis quando conservetur, minuatur, & extinguatur

Febris curatur. 1. Condensando Sanguinem.

XXXIV. In genere Curabitur Febris vel 1. Condensando Sanguinem nimis rarescentem, & Compescendo Sanguinis Effervescentiam nimiam.

2 Temperando Acre.

XXXV. Vel 2. Temperando Acre quodvis vel Acidum, vel Salsum Lixivum in Humoribus repertum & ad Cor delatum.

3. Discutiendo Halitus

XXXVI. Vel 3. Discutiendo omne Halituoso Flatulentum, ejusve ortum Prævertendo.

4. Demendo Acre.

XXXVII. Vel 4. Demendo Acre omne forinsecùs Cor vellicans.

Febriū frigus et calor quibus temperentur.

XXXVIII. Inter Symptomata Febrium magis frequentia & Primaria Frigus Corrigitur medicamentis Acidum Temperantibus & Pituitam Insipidam Emendantibus; Calor verò medicamentis Salem Lixivum Demulcentibus & Oleum Condensantibus.

Obstructio Ductuum Pancreatis quomodo curetur

XXXIX. Obstructio Ductuum Pancreatis Curabitur Solvendo, loco saltem præternaturali Removendo Pituitam viscidam, eandemque Educendo per Vomitum, Alvum, Urinas vel Sudores.

XL. Quibusautem mediis ac remediis hæc omnia præstari queant, ex jam supra-dictis colligere non erit difficile, magisque adhuc patebit ex peculiari variarum Febris specierum Curatione in sequentibus proponenda.

CAPUT XXVIII.

De Febre Diaria.

Variarum Febrium Species ordine tractāda.

I. NE Tyrones in Classicorum Auctorum lectione occupatos videamur magis confundere, quàm juvare, liber Variarum Febrium Species, prout vulgò distinguuntur & proponuntur, ordine tractare.

Quid sit Diaria vel Ephemere.
Quid Synochus simplex pura.

II. A Diaria proinde faciemus initium, quæ aut unius est diei, & vix quatuor & viginti horarum spatio durat Ephemera dicta, aut per duos, tres, quatuorve dies durat, Plurium dierum Diaria tum Synochus simplex pura, vel non putrida quibusdam vocata.

Diaria circumstantia.

III. Solet Diaria cum levi horrore comitans, aut prægressum Frigusculum testante aliquando incipere; aliquando sine ipso, & imprimis, quando universum corpus à Re Non-naturali dicta sensim eousque incaluit, ut tandem excitetur Febricula, in qua tunc non tam incipit Calor in Corde & Sanguine augeri, quàm ex Nonnaturali Auctiore degenerare in Præternaturalem, qui prætereà Functiones alias lædat, & Pulsum Naturali Frequentiorem, sublataque, moderatave licet ipsius Causa solito tamen diutiùs cum maiore, minoreve laborantis molestia permanentem producat.

Calor in Diaria et Synocho qualis sit.

IV. Calor in Diaria Horrorem excipiens, aut sine ipso quovis modo excitatus nec intermittere, nec ullis proxysmis novis exacerbari solet, verùm continuus ad finem usque perseverare, atque in Ephemera, ut & Homotono sive Acmastica Synocho dicta in eodem ferè gradu permanere, sicut in Paracmastica sensim decrescere, in Epacmastica verò perpetim accrescere, donec tandem paulatim rursùm desinat.

V. Calor idem in Ephemera mitis est, blandusque & halituosus, cute molli & humecta permanente: in Synocho aliquanto maior, non tamen acris, ubi Sanguis, cæterique Humores existunt temperati; acrior verò, ubi Sanguis ob Bilem, Lymphamve naturali paulò acriorem occurrit acrior, ad Putridarum dictarum naturam & morem tantillum deflectens.

Diariarum Febrium causa.

VI. Diariarum Febrium omnium Causæ sunt Sex res Non naturales dictæ vitiose usurpatæ, ideoque mox manifestæ.

Symptomata.

VII. Symptomata præter Pulsum Frequentiorem in Febribus Diariis observabilia pro Causarum notatarum Solitariarum aut Copulatarum diversitate occurrunt diversa.

Quando à solo Aeris æstu est.

VIII. Nam ubi à Solo Aeris vel Soli, vel Igni, vel Balneo adscribendo æstu excitatur Diaria, nullus observatur Horror, quin solùm Calor, isque paulatim magis, magisque in Corpore auctus, donec tandem Præternaturalis factus non tantùm Pulsus solito Maiore ac Frequentiore, verùm Capitis quoque Dolore, ac Pulsatione, similibusque Symptomatibus mox recensendis Febris præsentiam testetur.

Quando à Corporis æstu, superveniente frigore.

IX. Quòd si Corpori quavis de causa æstuanti superveniat Aeris, alteriusve rei Frigus, unde Diaria Febris excitetur, Horror levis præcedet mox secuturum Calorem auctiorem; atque tunc in principio quidem Pulsus erit parvus, mox verò maior, & utrique conjunctè Frequentior, accedentibus aliis quoque Symptomatibus.

Quando à potu generoso.

X. Sic ubi à Potu generoso, id est, multùm Spirituoso, & imprimis Aromatico nimia quantitate assumpto excitatur Diaria Febris, vix unquam Horror præcedet Calorem continuò auctum, tandemque Præternaturalem ac Febrilem factum, nec tantum Pulsu Maiore ac Frequentiore, verùm Calore insuper molesto, aliisque Symptomatibus manifestum.

Quando à Corporis Motu.

XI. Ubi à nimia Corporis agitatione, defatigatione ac Motu vehementiore producitur Diaria Febris, Pulsus non tantùm Frequentior, sed insuper Debilis præter universalem ac molestam totius corporis Lassitudinem observatur.

Quando ab Animi Affectu.

XII. Ubi verò Animi Affectibus sive Motibus debita Diaria Febris pro Causa sua Iram agnoscit, tunc non tantùm Frequentior & Maior, sed insuper inæqualis & turbatus occurrit Pulsus; quemadmodum, ubi à subitaneo Mœrore producta est ipsa, idem existit Parvus, Debilis & Inæqualis, atque circa initium accessus Rarus, & paulò post Frequentior, utrobique cum Calore acriore, Cutisque levi ariditate.

Quando à Vigiliis nimiis.

XIII. Ubi à Vigiliis protractis, atque Solicitudinibus oritur Diaria Febris, Comes solet adesse Pulsus Frequens, Parvus, ac Debilis, cum Calore corporis Aridiore, Capitisque Dolore nunc Gravativo, nunc Vacuitatis aut Inanitatis Sensum præ se ferente.

Causa Variationis Symptomatum.

XIV. Omnia Febrium Diariarum Symptomata pro memoratarum Causarum, Corporisque tum Continentis, tum præsertim Contenti, hoc est, Humorum multifariorum constitutione varia non parùm soleot variare.

Symptomata frequentiora.

XV. Sunt autem Symptomata in Febribus Diariis frequentissima, Horror levis præcedens, Calor aliquantò gravior subsequens, Sitis oune maior,

ior,

jor, nunc minor. Aliquando *Oris amaritudo* manifesta, aliquando nulla. *Corporis* universi, ad præsertim *Artuum Inquietudo*, & *Lassitudo* plùs minùsve molesta. *Capitis Dolor* cum *Pulsatione* notabili gravis. *Vigiliæ* protractæ, *Somnusve* profundior *Respiratio* concitatior. *Pulsus Frequentior*, & simul aliquando *Major* & satis *Robustus*, aliquando *Minor* & *Debilis*: raró *Inæqualis*. *Venæ* turgidulæ. *Cutis* plerumque *mollis & madida*, rariùs *durior & aridior*. *Facies* rubens, tumensque. *Urinæ* in Ephemera vix à statu naturali mutatæ; in plurium dierum Diaria colore magis rubeo tinctæ. *Sudor* aliquando citiùs, aliquando seriùs erumpens, nec graveolens, nec ægro molestus; rarò nullus.

Prognostica. XVI. *Periculosa* ex sui natura *non est* Diaria Febris, unde nunc sponte cum *Sudore* aut *Madore* ut plurimùm terminatur, nunc arte facili superatur; *Periculum* autem metuendum vel *ob vitiosam Corporis affecti, Contenti* præsertim *Constitutionem*, propter quam in alias tum *Putridas* dictas, tum *Hecticam* degenerare potest, vel ob *commissum novum* illa durante in aliqua *Diætæ* parte, aut *Medicamentis erratum*, propter quod itidem mutari potest in notatas *Febrium aliarum* species, aliosve *Affectus* graviores.

Curatio varia secundùm varias causas. XVII. *Difficilis non est* Diariarum Febrium *Curatio* cùm pleræque *sponte Sudore solvantur*: Ubi tamen ad Curam vocatur Medicus, quemadmodum aliàs semper, ita hic quoque *Varianda Curatio secundùm Causarum varietatem; Corporis tam Continentis, quàm præsertim Contenti Constitutionem variam, ipsaque Symptomata præ aliis urgentia.*

Quando est ab Aeris æstu. XVIII. Ubi proinde *Aeris æstus* illam produxit solus; idem cum temperatione mutandus, temperandus saltem Aqua frigida vel Aceto in pavimentum effusis, Plantis & Aquosis & Acidis, Lactuca, Acetosa, Vitium foliis, &c. per ægrotantis Cubiculum dispersis: Febricitanti verò simul Sitienti Julapium sequens aut simile per intervalla sumendum præscribatur.

Mixtura.

♃. *Aq. Card. bened.* ℥ vj.
Acetosæ, ℥ ij.
Syr. papav. errat. ℥ j.
Spir. Nitri Gutt. vj.
M.

Maneat Æger moderatè tectus ad Sudorem blandè promovendum, Febremque simul tollendam.

Quando est à corporis æstu superveniente frigore. XIX. Si *æstuanti Corpori* supervenerit Aeris, alteriusve rei *Frigus*, atque hujus ratione metuatur secutura forsan levior, graviorve alicubi in *Vasis Obstructio, Contentorumque Stagnatio*, hinc & alia mala graviora, prædicto Julapio admisceri poterit utiliter *Salis volatilis è Cornu Cervi, Sale Armoniaco*, aliisve similibus parati *Scrupulus unus* & idem partitis vicibus usurpari.

Quando est à potu generoso. XX. Si à *Potu Generoso* largiùs hausto excitata fuerit Febris Diaria, Curatio instituenda per Potum Acidiusculum, Julapium modò præscriptum, aut sequentem Rosarum Tincturam, quæ

Rosarum Tinctura.

♃. *Aq. Hordei*, ℥ xxx.
Rosaceæ, ℥ ij.
Florum Ros. rubr. sicc. ℥ j.
Ol. sulphur. per camp. parati q. s. ad aciditatem gratam.
Infundantur in Vase vitreo clauso & in loco calente ad Tincturæ eleganter rubentis extractionem. Colaturæ adde
Syr. jujubini, ℥ iij.
M.

Ejus Vires. Hujus Tincturæ gratissimæ usu moderato Æstus præter naturam in Sanguine, universoque Corpore productus paulatim compescetur, Febrisque ipsi conjuncta citò, tutò & jucundè tolletur.

Quando à nimio corporis motu est. XXI. Si à *Nimio Corporis Motu* ac *Defatigatione* excitata fuerit Febris Diaria, *Spirituoso Potu reparandi* sunt *Spiritus Animales* plus satis consumpti, ita tamen, ut conjunctus Corpori Æstus non augeatur, sed potiùs simul minuatur. In hunc finem Mixturam laudo sequentem cochleatim per intervalla brevia usurpandam.

Mixtura.

♃. *Aq. fl. Tiliæ.*
Betonicæ,
Fœniculi, an. ℥ ij.
Spirit. Vini rectificat.
vel *Aq. Vitæ Matthiol. unc.* iß.
Spir. Salis dulcis, ℈ j.
Julap. Rosat. unc. j.
M.

Quando est ab ira vehementiore. XXII. Ubi ab *Ira vehementiore* excitata est Diaria Febris, præter illa, quæ Animum præstant serenum, sequentem comendo Mixturam, quæ *Bilem*, simul *commotam* & *acriorem* factam corriget, ac Æstum Febrilem ab Ipsa pendentem compescet, si subinde cochleatim assumatur.

Mistura.

♃. *Aq. Plantagin.*
Lactucæ,
Acetosæ, an. unc. j.
Cinnamom. ℥ ß.
Spir. Salis dulcis, ℈ ß.
Syr. Diacodii, ℥ j.
M.

XXIII. Quòd si permaneat Mentis Commotio vehemens, utile erit *Laudani Opiati Grana* ij. vel iij. prædictæ Mixturæ addere, quò ad Somnum Corpus, & ad Tranquillitatem Mens citiùs reducatur.

Quando est à Mœrore. XXIV. Ubi contrà *à subitaneo & gravi Mœrore* orta est Diaria Febris, & ad eius Curationem una cum salutaribus Animo solando ac erigendo aptis consiliis sequentem laudo Mixturam, quæ *Succum Austerum* in omni Mœrore gravi productum vel auctum emendare solet, simulque vitiatam tunc ac Febrilem in Corde Sanguinis Effervescentiam redintegrare.

Mixtura.

♃. *Aq. Pulegii.*
Fœniculi, an. unc. ii.
Spir. Carmin. nostri,
vel *Aq. vitæ Matthiol. unc.* ß.
Laud. Opiat. Gran. ii.
Spir. sive Salis volat. è sale Armoniac. ℈ i.
Syr. Fœniculi, unc. i.
M.

Ejus usus. Exhibeatur sæpiùs eius Cochleare unum, donec Somnus obrepat, meliùs saltem habeat Æger, minùsque angatur circa præcordia, ubi semper in Mœrore gravi anxietates urgere solent inexplicabiles.

Quando est à Vigiliis nimiis. XXV. Ubi à *Vigiliis protractis* oritur Diaria Febris, ad eius Curationem promovendus blandè Somnus, tum removendo Vigiliarum Causas, tum disponendo Corpus ad Somnum capessendum per Emulsionem hanc, vel similem.

Emulsio.

♃. *Hordei mund. ad crepaturam cocti, unc.* iß.
Sem. papav. alb. unc. ß.
Cum ejusdem hordei decocto Fiat Emulsio ad unc. xv.
addendo Syr. papav. albi, unc. i.
Aq. Fœniculi, vel
Rosac. unc. iß.
M.

Ejus Usus. Huius Emulsionis haustulum bibat sæpiùs Feriens, donec Somnum experiatur. Qui si ne sic quidem accedat, eidem Emulsioni *Laudani Opiati Grana* ii. *vel* iii. tutò addentur, atque tunc Somnus faciliùs & potentiùs producetur; quo accedente abstinendum est ab ulteriore Emulsionis usu, nisi eodem mox interrupto necessitas redeat eadem ampliùs utendi.

Quando est à solicitudine. XXVI. Ubi à *Solicitudine Animum rodente*, ac præter Vigilias, eunctos ferè *Humores Acriores reddente* Diaria, in aliam brevi degeneratura, excitatur Febris; quam in Animi Mœrore Diariam producente exhibui Mixturam, in hac quoque curanda Febre Tyronibus commendo.

XXVII.

Pro humorum Varietate varianda curatio.

XXVII. Pro *Humorum* in quovis Diaria Febre laborante occurrentium *varietate variandam* quoque illius *Curationem* non sine causa monuimus §. 17.

In Plethora vena aperienda, & quomodo.

XXVIII. Ubi proinde *Sanguinis Plethora* in tali Febriente observatur, consultum est Vena mox aperta ejus tantum educere, quantum sine noxa vel Animi Deliquio demi potest. Quamvis enim non semper malè cessit *Sanguinis missio* ad Deliquium Animi facta, quoniam tamen aliquando & satis sæpè mala plurima nonnullis Ægris attulit magna eius evacuatio confertim facta, præfero semper iteratam ipsius Diminutionem minorem, ubi res ac necessitas desiderat, eodem quandoque die institutam: ne, dum citò curare volumus, non satis tutò curemus; postquam sat citò, si sat benè, & sat tutò: quam Observationem unicè commendo Medicis Junioribus.

Et quo loco.

XXIX: Parum autem videtur referre, an in *Brachio*, vel *Manu*, an in *Pede*, an in *hac vel illa Vena* instituatur *Sectio*; nisi forsan Ægris unus locus præferatur alteri; vel in *Fœminis* propter *Fluxum Menstruum* aut instantem, aut impeditum una pars seligenda sit præ altera; & *Una Vena aperiri* possit *tutiùs*, *faciliùsve altera*: quæ omnia ubique velim à Medicis & Chirurgicis accuratè observari.

Bilis Copiosa minuenda.

XXX. Ubi *Copiosa* est in Corpore *Bilis*, *Cholagogo* blando tutò minuetur, ac præsertim Apozematis vel Iulapii laxantis forma, additis, quæ Febrilem æstum simul temperent, Exempli gratia.

Apozema.

℞. *Rad. Cichorei*, ℥ i.
Taraxaci cum toto, M. ii.
Fol. Acetosæ, M. i.
Tamarindor. unc. iß.
Coq. ex Aq. hordei, ad Colat. unc. xii.
addendo Syr. de Cichor. cum rheo, *unc.* ii *f.*
M.

Julapium.

vel ℞ *Aq. hordei*, ℥ ii.
Fœniculi.
vel *Cinnamomi*, *unc.* ß.
Syr. de Cichor. cum rheo, *unc.* ii.
Spir. Vitriol. q. s. ad aciditatem gratam.
M.

Eorũ Usus.

Accipit Æger subinde Apozematis, aut Iulapii præscripti Haustulum; donec Alvus reddatur laxior, tunc cessandum ab ulteriore usu, nisi eadem fiat adstrictior, tunc enim alterutrius aliquid denuò sumendum.

Bilis Acris Alteranda.

XXXI. Ubi non tam Multa, quàm *Acris* adest *Bilis*, *Alterantia* & imprimis *Acida* sunt in Potu assumenda, & imprimis ea, quæ Sudorem quoque solent promovere, Acetum Stillatitium tam simplex, quàm unà cum aliis ante distillationem ipsi additis compositum, quò referenda *Aqua Alexipharmaca Amstelodamensium*, & ipsa longè gratior *Aqua Prophylactica* (Pesti namque præcavendæ Anno 1655. unà *cum D. Francisco Vander Schagen*, & *D. Paulo Barbette*, Medicis eximiis, præter alia quædam communi consilio curavimus Amstelodami in Ægrorum nostrorum gratiam & bonum parari) cuius Formulam idcircò hic addere libet.

Aqua Prophylactica.

Aq. Prophylactica Egregia.

℞. *Rad. Angel.*
Zedoariæ, *an. unc.* i.
Petasitid. unc. ii.
Fol. Rutæ hortens. unc. iv.
Melissæ,
Scabiosæ,
Flor. Calend. an. unc. ii.
Nucum Jugland. immatur. concis. ℔ i.
Pomor. Citrior. recent. concis. ℔ i.
Contundantur omnia simul, deinde affund. Aceti Vini Opt. ad tres quartas partes ex arena in cucurbitam vitream per se distillat. ℔ *xii.*
Digerantur per noctem, manè distillentur igne Cinerum lento penè ad siccitatem, idque sine ustione.

Ejus Vires & Usus.

Acetum hoc magnarum virium, & gratissimum servandum Usui.

XXXII. Admisceri potest Potui ordinario, Cerevisiæ, Apozemati, Iusculo, &c. ad aciditatem cuivis Ægro gratam, & ad *Sitim tollendam*, *Sudoremque blandum promovendum* sæpiùs quantitate parva usurpari.

Lympha & Succus Pancreaticus Acidiores temperandi & evacuandi.

XXXIII. Ubi *Acidiorem Lympham*, *Succumque Pancreaticum* in corpore adesse propter Causas prægressas, Frigus Aeris acre toleratum, Acida multa diutinè usurpata, Mœrorem Animi continuatum, & similia, metus est rationalis, vel aliqua eius magis manifesta se produnt signa, commodum erit unà cum Alimentis ex vino, vel alio Potu ordinario *Salia* usurpare *Volatilia* Cornu Cervi, Salis Armoniaci, vel alia benigniora, tum *Acidum Temperantia*, tum *ad Sudorem Corpus blandè disponentia*.

Pituita copiosa minuenda, Viscida incidenda, & salsa temperanda.

XXXIV. Ubi Diaria Febris corripit Hominem, in quo vel *Copia*, vel *Visciditate*, vel *Salsedine* peccans *Pituita* reperitur, danda mox opera, ut illa *Nimia* per evacuationem *Minuatur*, *Viscida Incidatur*, *Salsa Temperetur*, atque sic secutura aliàs, metuenda certè mala plura præcaveantur; idque per medicamenta sæpiùs in superioribus proposita laudata.

Medicamenta pro Ægrorum constitutione varianda.

XXXV. In *Delicatulis* & *constitutionem* Corporis *teneriorem* habentibus *Medicamenta* usurpanda sunt *blandiora*, magisque temperata: in *Robustioribus validiora*.

Sitis qui tollatur.

XXXVI. *Sitis blandior* & solum Æstum sequens *Aqueis* præsertim, & *Subacidis* tolletur, sicut eadem *gravior*, Bilisque acrimoniam auctam, similemve causam agnoscens *Acidioribus* indiget, de quibus vide §. 18 20. 22. & 31.

Ut & Oris Amaritudo.

XXXVII. Ubi *Oris Amaritudo* urget, conducent quæ Bilem blandè per alvum educent, de quibus actum §. 30.

Capitis Dolor, & Pulsatio, ut & Vigiliæ qui tollantur.

XXXVIII. Quæ *Corporis Inquietudinem*, *Lassitudinemve* curare possint, proposita sunt §. 21.

XXXIX. *Capitis Dolorem & Pulsationem*, *Vigiliasque* tollent, quæ habentur §. 22. & 25. quibus addi possent inter externa Epithema vel Linimentum sequens.

Mistura.

℞. *Aq. Betonicæ*, *unc.* ii.
Rosaceæ, *unc.* i.
Aceti Calend. ʒ vi.
Opii Thebaic. ℈ ß.

Ejus Usus.

M. pro Epithemate, quo tepido linteis excepto tum tota Frons, tum imprimis Temporum regio tegatur, & quoties Lintea exsiccari deprehenduntur, mox eodem similiter madefiant, donec Dolor minuatur & Somnus sequatur.

Linimentũ.

XL. Linimentum ex his aut similibus paretur.

℞. *Ung. Popul.* ʒ ii.
Opii Thebaic. Oleo rosaceo dissolut. ℈ i.
M. F. Linimentum.

Ejus Usus.

Quo inungatur Temporum regio utraque, vel charta bibula idem excipiatur & ibidem applicetur.

XLI. *Somnum profundiorem* minuent, quæ continentur §. 21. & imprimis 24. sed omisso tunc Laudano Opiato.

In Symptomatum concursu quid agendum.

XLII. Ubi *plura* concurrunt *Symptomata*, non erit valdè arduum ex prædictis talia concinnare aut copulare auxilia, quæ iisdem conducant.

CAPUT XXIX.

De Febribus Synochis, Continentibus vulgò dictis.

Putridarũ Febrium Species.

I. QUas aliqui ad Diariarum & Synocharum non putridarum ipsis vocatarum (de quibus Capite proximè præcedente actum) differentiam *Putridas* nominant *Febres*, distinguunt pleriq; in *Continuas* & *Intermittentes*; uti rursus istas in *Continentes*, sive *Synochas*, & *Continuas* generis nomine speciatim appellatas, sive *Synochas*.

II. Pa-

Σύνοχος.
Continuum & Continens

II. Parùm verò refert, quòd Σύνοχος Veteribus Græcis & Hippocrati vox est ignota, & apud Latinos *Continuum* & *Continens* pro eodem usurpatur; quia, ubi Res diversæ occurrunt, aut finguntur, quæ distinctis nominibus destituuntur, licet, imò decet originationis, & significationis ejusdem voces doctrinæ distinctioris ergò subinde abinvicem distinguere, atque singulas sensu diverso priùs satis explicatas usurpare.

Σύνοχος, sive Continens Febris quid. Συνεχεῖς, sive Continua quid.

III. Συνόχους igitur, sive *Continentes* illas vocant *Febres*, quæ *sine ulla Exacerbatione* perdurant usque ad ultimam & integram sui cessationem: Συνεχεῖς verò, sive *Continuas* generali nomine illas indigitant *Febres*, quæ licet ad finem usque continuò perseverent, quotidie tamen, ut tertio, quartove quovis die aliquam patiuntur Exacerbationem: Illas hoc, has 31. examinabo Capite, uti proximè sequente Intermittentes.

Cōtinentiū Febrium Causa.

IV. *Continentium* autem *Febrium Causam* dixi Cap. 27. §. 24. esse judicio meo nunc *Bilem*, nunc *Lympham*, & quæ cum Lympha confluunt, nunc *Utramque simul* malè affectam, & talem in dextro Cordis Ventriculo Effervescentiam excitantem, unde *continuò Pulsus producatur præter naturam Frequentior*.

Earundem distinctio.

V. Has proinde *Continentes*, sive *Synochas Febres* ratione *Causæ diversæ* haud ineptè quis posset distinguere in *Biliosas* & *Lymphaticas*.

Febrium Lymphaticarum subdivisio.

VI. Et quoniam sub generali *Lymphæ* nomine non tantùm eam comprehendimus *Lympham*, quæ à *Conglobatis Glandulis*, & *ab aliis quoque Partibus* ad Cor pergit; verum *Succum* insuper *Pancreaticum*, Ipsamque *Salivam*, ex *Conglomeratis Glandulis* prodeuntes, *Liquoremque adeò ex Intestinali Triumviratu* oriundum, omnes unà cum Lympha Descendenti Sanguini admistos; subdividi poterunt *Febres Lymphaticæ* in *Lymphaticas Glandulares*, *Pancreaticas*, & *Salivares*.

Febrium harum diversitas.

VII. Hæ Febres omnes pro diversa ceterorum Humorum in corpore simul existentium constitutione aliquam patientur diversitatem.

Quanam à Bile, quænā à Lympha; quanam à Succo Pancreatico & quæ à Saliva oriātur.

VIII. A *Bile* quidem produci existimo maximè *Ardentes*; à *Lympha* verò *Glandulosa Febres Capitis*, *Artuumque Doloribus acutioribus & Lancinationibus* copulatas; uti à *Succo Pancreatico* quasvis cum *Ventris torminibus* & *lancinationibus* conjunctas; denique à *Saliva* eas, quæ cum *Ventriculi & vicinarum partium anxietatibus*, *& distensionibus* molestæ observantur. Quoties autem ex memoratis plures simul vitiati sunt Humores, toties plurium Symptomata simul solent concurrere, uti subinde ob mutuam Humorum peccantium temperationem eadem solito benigniora occurrere.

Pro Bilis cōstitutione varia, variari symptomata.

IX. *Bilis* tunc temporis vel *Acrimonia Salina Lixiva sola*, aut *insuper Inflammabilitate Oleosa* peccare solet. Unde ibi quidem *Acrior* observatur *Calor* auctus; hic simul *Maximus*. *Pulsus* ibi cæteris paribus *Frequentior*; hic simul *Major* existit, *Urinæ* ibi *Crassiores*; hic insuper *magis Tinctæ*. *Sitis* ibi valdè *Molesta*; hic *Inexplebilis*. *Lingua* ibi *Arida*; hic simul *Fissa vel Nigra*.

Et è pro Lymphæ cōstitutione.

X. *Lympha Conglobatarum Glandularum* omnium, aut plerarumque saltem *Acrior & Acidior*, Febrilemque in dextro Cordis Ventriculo Effervescentiam excitans, *Calorem Rodentem* magis, quàm Magnum, atque *Lancinationibus* ubique molestum parit.

XI. Eadem *Lympha in Capitis præsertim Glandulis Acrior* facta & *Salsa Muriatica*, vel *simul Acida* præter *Gravedinem*, sive Capitis Dolorem gravantem, hinc subsequentem posteà *Coryzam*, vel *Raucedinem*, *Tussimve*, *Febrem* solet producere *Catarrhalem dictam*, *Calore* non tam Vehementi & Intenso, quam *Mordicante & Acri* comitatam.

XII. In *Lymphatica Febre* omni *Horror* levis subinde molestus adest & urget. *Pulsus Frequens* magis, quam *Magnus*. *Urinæ* Tinctæ quidem ac Rubentes excernuntur plerumq; mox tamen Conturbantur, & flavescunt, vel albescunt, videnturque multum deponere Sedimentum pro Humorum constitutione varia multifariam. *Lassitudo* gravis & lancinans occupare solet Artus.

Nec non Succi Pancreatici.

XIII. *Succus Pancreaticus* secundùm se totum diversimodè vitiatus & *Acrior factus*, Febreinque Continentem pariens tum *Anxietatibus circa Præcordia*, tum *Ventris Torminibus*, *& Lancinationibus*, aut *Dejectionibus Cruentis*, acrive *Dolore* copulari se manifestat, ut & *Pulsu* imprimis *Frequenti*, & ad *Parvitatem*, *ac Debilitatem* inclinante; sæpiusque *Inæquali*; cum *Appetitu* quandoque *prostrato*, quandoque *aucto*; *Siti* rariùs urgente; *Urinis Crudis* ferè, *Aqueisque*.

Ac quoque Salivæ.

XIV. *Saliva Febrem Continentem* producens *Visciditate aucta* peccare solet; unde *Blandior* quidem, ac *Lenta* deprehenditur, *Appetitu* ferè prostrato, & insequente Alimentorum assumptionem *Dolore gravante*, accedente nonnunquam *Ventriculi ac Intestinorum Distensione ac Inflatione*; mox & *Anhelatione*, sive *Difficili Respiratione*; ut & *Somnolentia*, unà cum *aucta* post unam, duasve ab assumptis Alimentis horas *Pulsûs Frequentia*, sensim denuò remittente; Ideòque cum *Hectica* dicta *Febre* magnam affinitatem habet hæc *Salivaris*, si non sit levior ejusdem Species, aut Hecticæ saltem copuletur semper.

Nova hæ Febriū Continentium Distinctiones non miranda.

XV. Has novas Febrium Continentium Distinctiones ac Nomenclaturas minus mirabitur, aut contemnet, quisquis ab omni præjudicio liber attendet accuratè ad omnia Symptomata, peccantiumque Humorum vitia in variis Febrientibus observabilia; nec nova hujus ævi negliget Inventa Anatomica: quippe quæ cum Chymicis Motationibus collata miram Lucem afferunt intricatæ Febrium Doctrinæ faciliùs ac fœliciùs extricandæ.

XVI *Qualibus Rebus Non-naturalibus* ortum suum debeant prædicta *Bilis*, *Lymphæ*, *Succi Pancreatici & Salivæ vitia*, docuimus in superioribus, ut non videatur necessum hic ampliùs illis immorari, cùm inde possint, ac debeant peti.

Caloris in Synochis diversi causa.

XVII. Sed quærat Veritatis Studiosus, *qui à Causis tam diversis producatur Calor in Febribus hisce Synochis molestus, licet diversus?*

Quomodo producatur à Bile.

XVIII. Huic æquæ petitioni, ut, quantùm mihi datum est, satisfacere coner, existimo 1. *Calorem Febrilem produci* propriè ac *per se à Bile* tum *Acriore*, tum *Pinguiore*, quatenus illa & in *Cordis ventriculo Dextro cum* affluente undique *Lympha* Effervescens, non tantùm plures *Ignis* particulas quibus tunc abundat, de se promit, verùm maximam earundem tunc erumpentium partem utrobique partibus suis Oleosis denuò excipit, atque in Corde quidem Sanguini mox penitiùs admiscet, unde idem solito magis rarescit, *Caloremque* it idem *Majorem* ubique comunicat, cum *Pulsu Majore ac Frequentiore*.

Quomodo à Lympha.

XIX. 2. *Calorem Febrilem puto per accidens à Conglobatarum Glandularum Lympha Acidiore* produci; quatenus illa in *Dextro Cordis Ventriculo cum Bile Ascendenti Sanguini* admista *Effervescens*, illam solito acriùs aggreditur, & ita immutat vel corrumpit, hoc est, sua viscidiate liberat & privat, ut copiosiùs tunc erumpant Igneæ particulæ, à quibus ob Acidi admistionem *Calor Acrior & Mordacior* excitetur, isque pro cæterarum Sanguinis partium constitutione diversa non parum in quibusdam circumstantiis varians cum *Pulsu Frequentiore* quidem, *rariùs* verò simul *Majore*, ast *sæpè* potius *Minore*.

Quomodo à Succo Pancreatico.

XX. 3. *Febrilem Calorem* similiter *per accidens à Succo Pancreatico in totum Acidiore produci* censeo, quatenus non tantùm in *tenui Intestino Bilis* ab ipso nimiùm alteratur & infringitur, verùm *Miscella* ex Utriusque, atque Pituitæ Salivaris confusione orta solito existens Acidior, ubi cum Lympha ad *Dextrum Cordis Ventriculum* pervenit, mox in reliquam *Bilem* unà cum Sanguine ascendentem potentiùs insurgit, & post Viscidiatem

ipsius

ipsius naturalem diminutam, acrem cum ipsa, Corporique noxiam Effervescentiam excitat, unde itidem *non tam Magnus, quàm Acris* prodit *Calor*, isque pro totius massæ Sanguineæ diversitate in quibusdam diversus, præsente *Pulsu Frequentiore* semper, ac quoad Magnitudinem *Parvo vel Mediocri*, vix unquam *Magno*, ni simul *Bilis* existat multùm Acris.

XXI. Nam quoties 4. reperitur in corpore *Bilis* vel *Naturaliter*, vel *Non-naturaliter* (hoc est, ob re Non-naturalis, Aeris puta æstivi, Potûsve generosi, &c. continuatum aliquandiu usum) *satis Acris & Oleosa*, necdum tamen Functionem aliquam lædens, atque à Re Non-naturali, Aere puta Frigidiore, Potuve Acidiore, Vino Rhenano nempè, &c. *augetur subitò ac eosque Lymphæ, Succive Pancreatici, vel Utriusque Aciditas*, ut inde producatur *Febris Synocha*, non mirum si tunc ob Bilem Acriorem & Pinguiorem simul concurrentem *Calor* excitetur, non tantùm *Acrior*, sed simul *Major*, *Pulsusque* conjungatur cum *Majore*, non tamen Maximo, *Frequentissimus*.

Quomodo à Saliva. XXII. Ubi autem 5. *Saliva Viscíditate* tali peccat, unde non tantùm *Alimentorum Fermentatio minùs commoda fiat*, sed insuper *duabus ferè post ipsorum assumptionem horis Pulsus* jam jam continuò Frequentior reddatur, *adhuc ad tempus aliquod magis Frequens*, cum *Calore* Ægris quidem rarissimè manifesto, vel molesto, Adstantibus tamen ac Medicis aliquando præter Genarum ruborem auctum notabili; Mutationem illam, tum quoad Pulsum & continuò, & magis adhuc post assumpta Alimenta Frequentiorem, tum quoad qualemcunque Calorem tunc simul observabilem, contingere arbitror, quatenus *Saliva* Ventriculo vacuo ad tenue Intestinum tendens ita *vitiat Bilis*, *Succique Pancreatici Effervescentiam*, ut non tantùm *obtundatur Liquor* ex hisce tribus prodiens, verùm insuper *Halitus subflatulenti ex ipsa exurgant*, & quidem *copiosiores* atque *magis volatiles*, quando Alimentorum Pars fluidissima horis duabus ferè post ipsorum assumptionem ad Intestina delabitur: Qui *Halitus* ad *Cor* delati & *ad frequentiorem sui Contractionem* ipsum *irritant*, & unà cum Sanguine *quaquaversùm delati Calorem* producunt *non magnum* quidem, aut *multùm Acrem*, Ægrisve gravem ac molestum, *Cutis* tamen *Ariditate* satis manifesta (pro Caloris aucti signo habita) copulatum; & ad eorundem copiam & volatilitatem subinde auctam *Genarum rubore* notabilem; dum interim *Pulsus Frequentior* quidem observatur, & satis *Parvus*, *Debilisque*, concurrente ac indies aucta, ob Sanguinem indies Viscidiorem, Corporique Nutriendo ineptiorem factum, *totius Corporis Tabe*.

Differentia Febrium à Symptomatis petita. XXIII. Postquam verò ad *quatuor primarias Differentias Febres Synochas omnes ratione* Causarum notabiliter in corpore humano peccare solitarum reduximus, libet paucis quoque aliquot *earundem Differentias à Symptomatibus gravioribus easdem subinde comitantibus* petitas *Eximiorum Practicorum*, ac imprimis *Magni Plateri* ad exemplum considerare, atque hoc loco expendere: nulla hic facta *Febris Catarrhalis*, de qua §. 11, jam egimus, mentione.

Febris ardens. XXIV. Primum autem locum dabimus *Febri*, quæ ab æstu, & ardore summo maximè urgente *Ardens* dicitur, Græcis Καῦσος: Qui summus æstus quoniam observatur non tantùm in Continuis, Synochis, alternis diebus exacerbationem patientibus, verum in Continentibus quoque, Synochis, meritò hic quoque Ardentis Febris facimus mentionem. Cui non mirum, si comes adsit Arida *Sitis*, quam vix extinguas.

Leipyrias. XXV. Secundum locum tribuunt aliqui *Febri*, quæ *Leipyrias* dicitur, in qua toto Affectus tempore *Exteraa frigeant*, dum *Interiora uruntur*.

Febris Breune Belgis et Germanis dicta. XXVI. Tertium locum sibi vendicant illæ *Febres*, quæ imprimis *Faucium ardore* ac *rubore obscuro* sunt molestæ, unde *Lingua* quoque non tantùm *Arida* existit, verùm *Colore puniceo-nigricante* tincta. Hic Affectus ob dictum Colorem tam Belgis, quàm Germanis *Breune* dicitur, & non rarò Epidemius existit.

XXVII. Quartum locum concedamus *Febribus*, quas *Deliras* vocabimus ob Delirium non leve (quale in multis Febribus subinde observatur) sed grave, ad Furorem nonnunquam vergens, quod intra paucos dies advenit Ægris, Adstantesque non parùm turbat; imprimis ubi Epidemiæ sunt tales febres, atque *Convulsionibus* supervenientibus tandem ipsos necant. Easdem solent *Vigiliæ* pertinaces comitari, *Capitisque Dolor* magnus Delirium præcedere. *Febris Delira.*

XXVIII. Quintum locum occupent *Colliquantes* dictæ *Febres*, in quibus brevi tempore consumi solet Corpus ac emaciari. *Colliquans.*

XXIX. Sexto loco *Febres* ponemus *Malignas* dictas, Vires vitales præter Causas & Rationes manifestas subitò dejicientes, aut inexspectato Ægros necantes; quæ utplurimùm solent esse simul Epidentiæ. Præter Pulsum Debiliorem, Symptumata cætera habent ferè solitò blandiora. Sed de his Cap. 33. agemus ex professo. *Maligna.*

XXX. 1. *Ardentis Febris Synochæ Causa* est *Bilis* & primariò, & tantùm peccans non tantùm *Acrimonia Salsa*, sed insuper *valdè Inflammabili Oleositate*: quocirca præter *Pulsum Frequentiorem* concurrere solet *Maximus*, & in principio saltem *satis Robustus*, unà cum Vigiliis molestis, ac Siti morosa. *Causa Febris Ardentis.*

XXXI. 2. Quoniam non memini unquam observatam mihi *Febrem Leipyriam*, idcircò magis hæreo in vera *Causa* Ipsi assignanda, cùm præsertim non satisfaciant, quæ alii ex suis præjudiciis potiùs, quàm ex iis, quæ in Ægris observari debuissent atque aliis proponi, afferunt. *Leipyria.*

XXXII. Si tamen unquam, de quo valdè dubito, Leipyrias Febris existat Synocha, & liceat mihi aliquid de ipsius Causa conjecturare, putem illam tunc ex *Duplici Febre constare*, *Biliosa* & *Pancreatica*, & ita quidem ut à *Succo Pancreatico universo acidiore* continuò in tenui Intestino eleventur *halitus similes*, qui confundantur tantùm massæ Sanguineæ, atque in *Corporis Habitu Frigoris Sensum* producant, dum in *partibus Interais à Febre Bili Oleosa magis, quàm Acri debita excitatur Calor urens*.

XXXIII. 3. *Febris puniceo-nigricantem Linguæ, Fauciumque calorem comitem habentis Causa* videtur esse *Bilis*, tum *Acrior*, tum *Pinguior*, sed *Salivæ* imprimis & *Glanduloso Faucium Liquori infesta*, ipsisque arctiùs adhærens, ubi unà cum Aere Halitus specie expiratur; quocirca præter universi corporis æstum molestum Labia quoque nonnunquam finduntur, exulceraaturque, imò crustis fœdis onerantur. *Febris Breune dicta.*

XXXIV. In quo autem illa peculiaris constitutio vitiatæ Bilis consistat, propter quam Ori magis, & Humoribus ad Os delati adversa fit, quàm cæteris, hactenus determinare non possum, ni fiat ob *Bilis Oleositatem*.

XXXV. 4. *Febrium* notabili & gravi Delirio post aliquot saltem dies comitatarum, ideoque *Delirarum* vocandarum *Causa* est *Bilis* tum *Salina Acrimonia plùs*, tum *Oleositate aucta minus peccans* & *Succi Pancreatici Viscíditatem* ita minuens, ut idcircò cum ipso acriore facto vitiosè effervescens *Humorem* afficiat *Bili atræ* non valdè dissimilem, à quo unà cum *Vigiliis Capitis Dolor*, hinc *Delirium*, tandem *Convulsio*, denique *Mors* ipsa producantur. *Delira.*

XXXVI. 5. *Festinanter Colliquantis Febris Causa* est *Bilis* talem Sanguini constitutionem citò afferens, ob quam idem quovis modo ineptus reddatur corpori nutriendo, & tamen ob febrilem partium variarum consumptionem copiosiore alimento indigenti. *Colliquantis.*

XXXVII. In quo autem illa *Sanguinis ad Nutriendum Ineptitudo* consistat, an unius modi tantùm, an multiplex in variis hominibus producatur,

catur, necdum suppetunt mihi data vel observata sufficientia, ex quibus Dubii hujus solutionem hauriam.

Curatio. XXXVIII. Postquam plures Synocharum protulimus differentias tum secundum Causas ipsarum varias, tum secundùm Symptomata insigniora & graviora ipsas comitantia, proximum est, ut ipsarum Causis subjungamus tandem *Methodum singulas Curandi* tum Rationi, tum Experientiæ consentaneam, ideòque verè *Dogmaticam*.

Synocha Bilaria. XXXIX. I. *Synocha* ergo *Bilaria Curabitur* 1. *Corrigendo Bilis Acrimoniam Salinam*, imprimis per *Acida temperatiora*, Spiritum Salis dulcem, &c. 2. *Emendando Bilis Oleositatem Inflammabilem* per *Acida Austeriuscula*, Sempervivum majus, Plantaginem, &c. 3. *Minuendo Bilem*, si vel minimùm, quòd ferè fieri solet, abundare observetur, per *Cholagoga*, sed blandiora & subacida, vel acidis juncta, Cremori vel Crystallis Tartari, Sali Tartari Vitriolato, &c. & quidem mox *in principio*, vel postquam Medicamentorum Alterantium ope *Bilis Sanguini penitiùs juncta incipit ab eodem iterum secerni*, & *ut in totum excernatur, apta reddi*: quod imprimis expectandum à sæpiùs laudatis Acidis, sed blandioribus, vel artificiosè temperatis.

Apozema Acrimoniā Bilis Salinam temperans. XL. Corrigendæ *Acrimoniæ Bilis Salinæ* inter composita conducet Apozema sequens, sæpiùs in die usurpandum quantitate mediocri, & tepidum.

℞. *Rad. acetosæ cum foliis*, M. ii.
Fol. fragar.
Violariæ, *an.* M. i.
Coq. in Aq. hordei ad Colat. ℥ xx.
add. Syr. acetos. Citri, ℥ iii.
Spir. Salis dulcis, ℈ ß.
M.

Apozema Bilis Oleositatem Inflammabilem emendans. XLI. Ad *Emendandam Bilis Oleositatem Inflammabilem* præscribi poterit sequens Apozema similiter usurpandum.

℞. *Rad. Plantagin.* ℥ i.
Fol. sempervv. maj.
Portulac. an. M i.
Coq. ex Aq. pura ad Colat. ℥ xx.
addendo Syr. portulac. unc. iii.
Ol. sulph. per campanam parati q. s. ad aciditatem gratam.
M.

Apozema Bilem à Sanguine secernens. XLII. Ad *Bilem Sanguini penitiùs immistam denuò ab Ipso secernendam* conferet Apozema sequens modo eodem, quo priora, usurpatum.

℞. *Rad. Taraxaci cum fol.* M. ij.
Herb. Fumariæ, M. j.
Coq. ex Aq. pura ad Colat. unc. xx.
addendo Syr. Cichor. simpl. unc. iii.
Salis Tartar. Vitriol. ʒ i.
M.

Apozema Cholagogum. XLIII. Denique ad *Bilem* Apozemate præcedente aut simili medicamento *à Sanguine Solutam* & ad Excretionem dispositam sensim & blandè unà cum *reliqua in sua Vesicula redundante, turgenteque minuendam, evacuandamque* inserviet præter alia tum simplicia, tum composita hinc inde in superioribus notata sequens Apozema, bis, terve in die ad *Uncias* iii. vel iv. tepidè assumendum.

℞. *Rad. Cichorei, unc.* ii.
Flor. Endiviæ, M. ii.
Flor. Ros. pallid. M. i.
Crem. Tartari,
vel Tartari crudi, ʒ ii.
Coq. in vase fictili vitreato ex Aq. pura ad Colat. unc. ii.
add. Syr. de Cichor. cum Rheo, unc. iii.
M.

Symptomatum curatio. XLIV. Quoniam verò in Febrium à Bile quovis modo peccante ortarum Curatione non sufficit ad Ipsam Bilem, Ipsarum Causam, Curam suam dirigere, quò Febris nec augeatur, nec foveatur; verùm insuper attendendum est ad omnia Symptomata Febres hasce Bilarias comitantia, omnesque Mutationes utrique Corpori, tam Continenti, quàm Contento idcircò contingentes, plura sunt ad integram, perfectamque illarum Curationem in usum revocanda.

XLV. Quapropter *Summi Æstus* simul excitati, Pulsusque in Magnitudine aucti, atque *Majorem Sanguinis* ab aucto in Corde Igne *Rarefactionem* consequentis ratione, ne tandem *Vasa* sensim magis, magisque distenta *rumpantur*, aut quovis alio modo *aperiantur*, vel *Ignis noster Vitalis* propter impeditum Sanguinis ob nimiam sui rarefactionem vasa sua replentis motum in Corde, alibive *suffocetur*, locus Ipsi parandus per *Sanguinis* sufficientis è Vena in brachio, manu, pede, alibive secta *missionem*. *Summus æstus & pulsus magnus ac major Sanguinis rarefactio curanda Venæsectione.*

XLVI. Hac verò *Sanguinis eductionem* quoniam constat per quotidianam experientiam *non parùm Minui Sanguinis Æstum*, hactenus etiam Venæ sectio laudanda; sive Ardor ille molestus temperetur propter Halitus acres & pingues unà cum Sanguine copiosiùs effusos, sive id accidat alia de causa pro cujusvis præjudicio variè fingenda.

XLVII. *Sitis* tunc *valde importuna* compescenda erit sensim per Apozema §. 40. & 41. præscriptum vel Tincturam Rosarum Cap. præcedentis §. 20. descriptam, vel Julapium sequens, aliudve simile, parum ejus sæpiùs assumendo, quod præfero multo potui confestim hausto, quia omnis Mutatio subita meritò judicata est Hippocrati Naturæ inimica, & ideò periculosa. *Sitis importune compescenda.*

℞. *Aq. hordei, unc.* xx. *Julapium.*
Syr. portulacæ, unc. ii.
Acetos. Citri, unc. i.
Spir. Salis dulcis, ʒ ß.
M.

XLVIII. *Linguam molestè Aridam*, vel etiam *Fissam* leniet Succus crassior è quibusdam Seminibus Aquæ cujusvis ope elicitus, & Mucago, vel Mucilago vulgò dictus; qualem è Cydoniorum, Psyllii, &c. seminibus extrahimus Aqua rosacea, vel alia conveniente. Hujus autem aliquid ore aliquandiu continetur, ac posteà iterum expuitur; idemque aliquoties repetitur. *Lingua Arida, & fissa lenienda, Seminum mucagine.*

XLIX. Idem obtinetur, si folia Sempervivi majoris membranula externa denudantur, Aquæ puræ aut Rosaceæ induntur, hinc subinde Linguæ imponuntur, atque identidem renovantur. *Foliis Sempervivi majoris.*

L. Idem præstabit *Aqua pura*, si ejus aliquid ore contineatur, & post gargarisationem iterum excernatur, hocque sæpiùs repetatur. Potest etiam loco Aquæ puræ usurpari *Decoctum Raparum*, aut *Emulsio* blanda, qualis sequens. *Aqua pura. Decocto raparum vel hac Emulsione.*

℞. *Hordei mundat. ad crepat. cocti*, ℥ ii.
Cum ejusdem decocto.
F. Emulsio ad ℥xv.
Addendo Julap. rosati, vel Syr. Violac. simpl. ℥ i.
M.

LI. Potest quoque in hunc finem similiter usurpari conquassatus *Ovi vitellus* & cum *Aquæ rosaceæ*, vel aliùs ægro gratæ *Unciis* iii. iv. vel v. atque *Sacchari* tantillo mistus, & cochleatim ore sumptus, & postmodum aut deglutitus, aut iterum excretus. *Ovi vitello cum Aqua Rosacea & Sacchаro.*

LII. II. *Glandularis Synocha Lymphatica Febris Curabitur*, si 1. mox in principio *durante* adhuc *Horrore Mixtura* sequens cochleatim brevibus exhibeatur intervallis. *Glandularis Synocha Lymphatica curatio in Horrore. Mixtura.*

℞. *Aq. Petroselin.* ℥ iß.
Fœniculi,
Theriacal. simpl. an. ʒ vi.
Syr. fœniculi ℥ i.
Spir. Salis dulcis, ℈ i.
M.

Hujus enim ope non tantùm *Horror minuetur*, sed insuper *Acida Lymphæ Acrimonia temperabitur*, *Ejus Vires*

quin

quin secuturus postea *Æstus* ex parte saltem *prævenietur*.

Caloris Curatio.

LIII. Si 2. præsente *Calore* talia dentur Medicamenta. quæ *Ignem Rodentem magis, quam Urentem doment*, sintque ex Acidis temperatis composita, non neglectis Salibus Volatilibus. Conducet proinde Mixtura sequens subinde cochleatim assumpta.

Mixtura.

℞. *Aq. petroselin.*
Fumariæ, an. ℥ i ß.
Fœnicul ℥ i.
Spir. Salis dulcis, ℈ j.
Sal. Volatilis succini, ℈ ß.
Laud. opiat. Gran. ij.
Syr. quinque rad. ℥ j.
M.

Sitis lenitur Apozemate seq.

LIV. Quoties *Sitis* quoque urget, parari poterit *Apozema* sequens, atque pro re nata exhiberi, abstinendo tamen à nimia potatione.

℞. *Rad. Scorzoneræ*.
Apii an. ℥j.
Hordei crudi, unc. ij.
Coq. ex Aq. pura ad Colat. ℥ xx.
addendo Syr. papav. alb.
errat. an. unc. i ß.
Spir. Salis dulcis, ℥ ß.
M.

Redundans Lympha Minuitur Apozemate seq.

LV. Si 3. *Redundans* in Corpore *Lympha*, & quodammodò saltem laudatis aut similibus medicamentis temperata per blanda *Minuatur*, *Evacueturque Hydragoga*. In quem finem confert Apozema sequens,

℞. *Rad. Petroselin.*
Fœniculi,
Eringii,
Ebuli. an. unc. j.
Fol. Soldanellæ, unc. ß.
Coq. ex Aq. pura ad Colat. ℥ xx.
add. Syr. diacnicu, ℥ iij.
M.

Ejus Usus.

Hujus Apozematis, *Unc.* iii. vel iv. bis, terve in die assumantur, donec commoda sequatur Humorum Serosorum Evacuatio.

Conditum.

LVI. Cui *Conditum* præfertur, ei sequens ad Nucis Moschatæ quantitatem subinde assumendum præscribatur.

℞. *Conf. rosar. pallid. unc.* i ß.
El. è succo rosar. unc. j.
Pulv. rad. Jalapp. ℥ j.
Cremor. Tartar. ℥ ij.
Syr. rof. sol. parum.
M. F. Conditum.

Conducet quoque *Electuarium nostrum Hydragogum* suprà Cap. 7. §. 55. descriptum, valdè blandum, gratumque.

In Corpore Plethorico Sanguis educendus.

LVII. Si 4. Lymphatica Febris *Corpus plethoricum*, corripiat, & imprimis *Æstiva Aeris Constitutione*, non dissuaserim *mediocrem Sanguinis Eductionem*, maximè in *Assuetis*; cùm illam ferant faciliùs & cum majori commodo.

In Bilioso Bilis.

LVIII. Si verò 5. Lymphatica Febris superveniat *Bilioso*, tum *Bilis* non tantùm in consensum tractæ, verum *Ardore solito majorem* patientis ratione usurpanda erunt Medicamenta tum *Alterantia*, tum *Purgantia* ex modò atque §. 40. & seq. propositis judiciosè componenda. Exempli loco esto sequens Apozema utrique Indicationi satisfaciens, si tandiu quantitate mediocri assumatur, donec moderata prodeat dejectio.

Apozema.

℞. *Rad. Cichorei*,
Fœniculi, an. unc. j.
Herb. Fumariæ,
Borraginis. an. M j.
Coq. ex Aq. Hordei ad Colat. unc. xx.
add. Syr. de Cichor. cum Rheo,
Diacnicu, an. unc. i ß.
Spir. Salis dulcis, ℥ ß.
M.

LIX. Quòd si ratione *Bilis* à Lympha vitiatæ *Magnus* sequatur *Æstus*, Hujus quoque causa *Missio Sanguinis* conferet, sicut docuimus modò §. 45 & 46.

Febris Lymphatica Catarrhalis.

LX. Si denique 6. *Catarrhalis* fuerit Lymphatica Febris, tum quia præ aliis Glandulis Conglobatis omnibus affectæ sunt imprimis eæ, quæ in *Capite* occurrunt, ita erunt paranda Medicamenta, ut Partis maximè affectæ habeatur ratio maxima. In quem finem non tantum *Suffitu* tentabitur Capitis Glandularum Restitutio, verùm inter *Universalia Alterantia*, tum *Evacuantia* usurpabuntur, quæ actu observantur *Capiti* maxime *dicata* & utilia; quin ad *Evacuationes Capiti peculiares* in tempore accedendum.

Suffitus.

LXI. Fiat proinde *Suffitus ex Succino*, *Mastiche*, similibusque; quin non tantùm, quoties commodè licet, Capite tecto Naribus, & Ore excipiatur, verùm Capitis Tegumenta omnia eodem condiantur, atque ipsi mox imponantur, ne Suffitus vis tardando dissipetur.

Alterans, Evacuansque Universale Apozema.

LXII. *Alterantis, Evacuantisque Universalis* exemplum præbeat sequens *Apozema*, sicut præcedentia usurpandum,

℞. *Rad. Pœoniæ*,
Scorzoneræ, an. ℥ j.
Apii ℥ ß.
Fol. Betonicæ,
Violariæ,
Primul. veris, an. M. j.
Turbith, Gummos. ℥ ß.
Rad. Mechoacann. ℥ ij.
Tartari Crudi, ℥ i ß.
Sem. siler. montan. ℥ ij.
Coq. ex Aq. pura ad Colat. ℥ xx.
add. Syr. diacnicu, unc. ij.
M.

Caput Particulariter evacuatur Errhinis & Masticatoriis Spiritus Salis Armoniaci Vires.

LXIII. *Evacuationes Capitis Particulares* obtinentur *Errhinis* atque *Masticatoriis*. Sola *Betonicæ* aut *Majoranæ folia* recentia digitis contrita & naribus indita *Errhini* benigni rationem habere possunt; & multum proderit *Spiritus Salis Armoniaci* in longioris colli vasculo naribus applicatus, quoniam Humorem tum Viscidum Glandulas obstruentem solvit, tum Salso-acidum exinde productum temperat.

Mastiches & Pyrethri Vires.

LXIV. Sola *Mastiche*, aut *Pyrethri radix* mansa Pituitam, Serumque in Os deducit è Capite, ut excreentur.

Pancreatica Synocha febris curatur. 1. Humorem Acidum temperando.

LVV. III. *Pancreatica Synocha Febris Curabitur*, si usurpentur medicamenta *Humorem Acidum Temperantia*. & quidem *blandiora*, uti sunt omnia *Salia Lixiva*, sed imprimis *Volatilia & Oleosa*. Qua de causa plurimùm hic præstat *Opium*, & omne *Opiatum* medicamentum, atque *Aromaticum* quodvis: Ex quibus Composita plurima præscripsimus hinc inde in hoc Opusculo. Epimetri tamen loco esto sequens Mixtura, quandiu *Frigus* urget cochleatim sumenda.

Mistura.

℞. *Aq. Petroselini*;
Graminis,
Fœniculi, an. ℥ i.
Aq. vitæ Matthiol.
vel *Theriacalis simpl.* ℥ x.
Laud. Opiat. Gran. iij.
Syr. quinque rad. unc. j.
M.

2. In Calore Humoris utriusque Acrimoniã Acidam & Salinam temperando.

LXVI. Si 2. *Calore jam urgente*, ob *Bilem* vitiatam & in consensum tractam exhibeantur Medicamenta utrique *Acrimoniæ Acidæ*, atque *Salinæ simul temperandæ* apta, ideòque ex *Binis Acribus*, *sed fractis*, parata. In quem finem conducet *Apozema* sequens, subinde ad *Uncias* aliquot bibendum.

Apozema.

℞. *Rad. Apii*,
Cichorei, an. unc. j.
Fol. Agrimon.
Sem. Fœniculi,
Fumar. an. M. j.
Coq. ex Aq. Hordei ad Colat. unc. xx.
addendo Syr. Byzantini ℥ iij.

Spir.

Spir. Salis dulcis, ℈j.
vel *Nitri*, Gutt. xij.
M. f. Apozema.

Mixtura. LXVII. Cui magis arridet *Mixtura*, ei sequens præscribatur cochleatim assumenda.

℞. *Aq. Card. bened.*
Fœniculi, *an.* ʒj ß.
Theriac. simpl. unc. ß.
Spir. Salis dulc. ℈j.
Laud. Opiat. Gran. iij.
Syr. Fumar. unc. j.
M.

3. Anxietates circa Præcordia hærentes tollenda. LXVIII. Si 3. *Anxietatibus circa Præcordia permanentibus* molesta sit hæc Febris, propter Pituitam Viscidiorem simul concurrentem, atque in Flatulentos Halitus resolutam, conferent *Salia Volatilia Oleosa*, & *Olea stillatitia* præcedentibus Misturis quantitate parva juncta, Ex. gr.

Mixtura. ℞. *Aq. Fumariæ*,
Menthæ, *an. unc.* j ß.
Vitæ Matthiol. unc. ß.
Spir. Nitri, Gutt. viij.
Laud. Opiat. Gran. ij.
Ol. macis stillat. Gutt. ij.
Syr, Menthæ, unc. j.
M.

4. Ventris Tormina sedanda. LXIX. Si 4. *Ventris Tormina* imprimis ursérint, ob Humorem Pancreaticum non tantùm Acidiorem, at simul Austeriorem, conducent imprimis *Salia Volatilia Oleosa*, vel additis *Oleis stillatitiis Oleosa* facta, & cochleatim assumendis Mixturis addita. Exempli loco esto sequens Formula.

℞. *Aq. Menthæ*,
Fœniculi,
Petroselin.
Cochleariæ, *an. unc.* j.
Spir. Nitri, Gutt. x.
Laud. Opiat. Gran, iij.
Spir. Salis Armoniac. ℈j.
Ol. anisi, Gutt. vj.
Syr. Fœniculi, *unc.* j ß.
M.

In & Dolores Acres in Dejectionibus Cruentis. LXX. Si 5. *Dejectionibus Cruentis*, *Acrive* saltem *Dolore copulatis* existat Febris hæc gravis, præter modò laudatas Mixturas conducet imprimis Enema ex Lacte bubulo, Terebinthina & Ovi vitello paratum sæpiùsque perseverante malo injectum, quale est Cap. 13. §. 51.

Salivaris vel Pituitosa Synocha Curatur. 1. Visciditatem corrigendo. LXXI. IV. *Salivaris vel Pituitosa Synocha Febris Curabitur*, si 1. *Salivæ*, hinc & *Pituitæ Viscíditas* Medicamentis vel *Aromaticis*, hoc est Sale Volatili Oleoso præditis, vel *Acidis* temperatis, vel *Utriusque* simul mistis, & quidem pro Cæterorum Humorum Bilis, Succique Pancreatici Constitutione varia, *Corrigatur ac Emendetur*: Qualia plura sunt hinc inde, atque in hoc etiam Capite proposita, unà cum Formulis ad fœliciter praxin faciendam convenientibus. Vide Cap. 14. §. 45. & seq.

2. Halitus Flatulentos Discutiendo. LXXII. Si 2. *Halitus Flatulenti* ab Ipsa educti & in *Ventriculo* primùm & *Intestinis Distensionem ac Inflationem*. posteà in *Corde Irritationem*, atque *Pulsum Frequentiorem*; in *Pulmonibus* autem *Anhelationem*; in *Cerebro* tandem *Somnolentiam* excitantes *Discutiuntur*, *novusque* Ipsorum *proventus Impediatur*, In hunc finem conducent Medicamenta Cap. 14. §. 56. & seq. laudata.

3. Appetitũ prostratum restaurando. LXXIII. Si 3. *Appetitus* plerumque *prostratus Spiritu Salis dulci*, *Elixire proprietatis* & similibus *Acidis temperatis* Potui ordinario admistis, aut cum aliis Affectui primario convenientibus Liquoribus & Mixturis cochleatim subinde usurpandis paulatim *Restituatur*, &, si præterea plùs minus *Depravatus* fuerit, *Corrigatur*.

In his Febribus Symptomatũ etiam ratio habenda. LXXIV. *Febribus Synochis* à *gravibus & valdè urgentibus Symptomatibus* denominatis *Cura* debetur eadem, quam proposuimus, nisi quòd tunc, sicut aliàs semper, *Symptomatum* istorum *gravissimorum ratio sit habenda exacta & solicita.*

Uti & in omnibus aliis Morbis. LXXV. Falluntur enim, & Discipulis suis non minùs, quàm Ægris injuriam insignem faciunt Medici Doctores omnes, qui putant, docent saltem, curari posse ullos ex Arte Morbos, neglectis gravibus, ideòque urgentibus ipsorum Symptomatibus; quæ volunt omnia morbis primariis curatis sponte cessare: postquam magno mortalium damno observamus indies ob præfractam horum Sciolorum & Garrulorum Medicastrorum pertinaciam, negligentiamque à Symptomatibus gravibus tolli tam sæpè priùs Ægros quàm tollantur ab ipsorum medicamentis Morbi solùm curati.

Medicamẽta Symptomata tollentia, etiã Humores corrigere. LXXVI. Adde, quòd Medicamenta Symptomatibus quibusvis tollendis, minuendisve convenientia emendent, corrigantque simul vitia Humorum, Partiumve Solidarum, à quibus pendent immediatè ista Symptomata. Tolluntur ergò simul Morbi, dum tolluntur Symptomata. Neque dubitamus cum nonnullis Medicis celebribus in Morborum censum referre Humorum Vitia; quoniam non minùs ad Totius Corporis & Functionum Integritatem requiruntur, faciuntque Partes Contentæ, quàm Continentes.

Febris Ardẽs curatur Sanguinem minuendo. LXXVII. 1. Ad *Febrium* igitur *Synocharum Ardentium* Dogmaticam *Curam Educendus* quamprimùm *Sanguis* satis copiosè ac frequenter, quò Summus ille minuatur, tollaturve Æstus; quod tantò magis faciendum, si adsit *Plethora*, hoc est, Sanguinis abundàntia.

Bilem educendo. LXXVIII. Misso, quantùm Vires commodè ferre possunt, Sanguine; quandiu *turget* adhuc *Bilis*, atque ipsius ad Intestinum deducendæ, mox & cum successu educendæ spes est, tutò exhibebitur, & quidem unica saltem post ligatam Venam sectam hora, *Cholagogum* blandum; quale est Apozema §. 43. notatum; à quo si brevi, hoc est, intra horas duas nulla contingat dejectio, plus ejus assumi debet, donec Alvi sequatur ductio; qua succedente usurpanda sunt sæpiùs *Alterantia*, Æstumque ac Sitim compescentia medicamenta, de quibus actum §. 47. & alibi.

& Alterando, &c.

Atque hæc non rarò iterando. LXXIX. Nec sufficit semel Sanguinem mittere, aut Bilem expurgare, quin non rarò iterandæ sunt illæ Evacuationes, non neglectis Alterantibus; donec ex diminuto æstu febrili appareat diminutam, sublatamve aut superatam Febris hujus Causam.

Leipyrias Febris curatur Alterantibus. LXXX. 2. Si rectè conjectavi, quando *Leipyriam Febrem* suspicatus sum constare *ex Biliosa & Pancreatica*, *Curabitur* eadem; usurpando medicamenta, quæ Aciditatem Succi Pancreatici excedentem, atque Oleositatem Bilis exuperantem corrigant, & *Acidum* quidem *concentrent*, *Oleosum* verò *imbibant*, & *offuscent*.

Et qualibus. L X X X I. Quæ utrumque hoc præstent, laudo Margaritas, Corallia, Oculos Cancri, & omnia Concharum genera, imprimis calcinata, Cretam, &c. si sæpiùs parva sumantur quantitate.

Nec non Calorẽ & Frigus temperando. LXXXII. Possunt præterea usurpari medicamenta, nunc Calorem, nunc Frigus magis temperantia, prout hoc, vel ille magis Ægrum molestat: qualia non semel præscripta sunt in superioribus, & proximè sequente Capite plura præscribentur.

Febris, de Brenne dictæ curatio. LXXXIII. 3. *Febris puniceo-nigricantem Linguæ, Fauciumque Colorem Caloremque aridum comitem habeas Curabitur*, si præter Universalia isti Febri satis ardenti convenientia, & ex jam dictis petenda remedia, in specie usurpentur ea, quæ huic Oris partium Ardori, Ariditati, & vitiato Colori observata sunt conducere.

Ea quibus fiat. LXXXIV. Laudantur imprimis Gargarismi parati ex Aqua vel Decocto Plantaginis, Lactucæ, Solani, Portulacæ, Ligustri, Fragariæ *Prunellæ*, aut *Brunellæ* (quod nomen ipsi ab hoc Af-

Delebos Opera.

fectu inditum ajunt, quoniam præ aliis omnibus ei creditur conferre) Caprifolij, &c. additis nonnunquam Succis acidis & austeris Mororum, Verberorum, Acetolæ, Citri, &c.

Gargarismus.

LXXXV. Commendatur etiam hic à Chymicis *Nitrum* cum Sulphure præparatum, atque idcircò *Sal Prunellæ* dictum.

LXXXVI. Gargarismi optimi Formula esto sequens.

℞. *Fol. Prunellæ*,
Salicis,
Fragar. an. M. j.
Hordei integri, P. j.
F. Decoctio ex Aq. pura.
In Colat. ℥xiij. *dissolv.*
Diamori ℥j.
Lapid. Prunell. ℨß.
M. F. Gargarismus, quo tepido sæpiùs

Ejus Usus.

Os colluat & gargarizet Ægrotus.

Angina qui præveniatur.

LXXXVII. Conducit quoque ut plurimùm in hoc Affectu *Apertio Venarum Raninarum* sub Lingua, & quidem quoties tumere observantur, atque *Anginæ* instantis, vel urgentis signum præbent. Nam novum non est huic Affectui copulari Anginam.

Crustæ labiorum qui leniantur.

LXXXVIII. *Crustas Labiorum fœdas* leniet, siccabit ac tollet Pulvis *Cretæ* Lactis Cremore exceptus ad consistentiam Linimenti, & ipsis applicatus; ut & Unguentum album Camphoratum similiter usurpatum.

Febris delira qui curetur.

LXXXIX. 4. *Febris Delirium grave ac furiosum comes habens Curabitur*, adhibitis, præter alia superiùs laudata, iis præsertim, quæ non tantùm *Somnum promovere* possunt; sed *Acre biliosum* potenter atque blandè *temperare*, atque sic *acriorem* ipsius cum Acido *Effervescentiam compescere.*

Et quibus.

XC. In hunc finem conducet præ vulgò notis omnibus *Opium*, & quodvis paratum inde Opiatum medicamentum: Præstantius tamen judico *Sulphur* quodvis *minerale*, *Vitrioli* vel *Antimonij* &c. fixum.

XCI. Usurpari possunt *Opiata* tum internè, tum externè: quorum *Formulas* plures in superioribus dedimus, ac in specie Cap. 28. §. 22. 25 30. & 40. unde peti poterunt.

Febris colliquans qui curetur.

XCII. 5. *Brevi Colliquans Febris Curabitur*, in usum revocando & cæteris admiscendo Medicamenta, quæ *Bilem Acriorem simul, ac Pinguiorem potenter, blande licet corrigant*: In quem finem laudo præ multis aliis *Dulcem Salis Spiritum*, & similes alios per Vini Spiritum priùs temperatos,

Et quibus.

aliis Alterantibus in hoc Capite passim præscriptis admiscendos.

Symptomatum cura etiam habenda.

XCIII. Semper autem attendendum est ad *cætera Symptomata*, in singulis Ægris plùs minùs differentia, & idcircò aliquam in Cura ritè instituenda medicamentorum diversitatem desiderantia: ubi Medici prudentia & judicium ad incudem revocatum miré nonnunquam elucet; postquam Præcepta illorum egregia & longo rerum usu formata formant quidem, non conferunt Medico Iuniori Iudicium.

XCIV. 6. *Febrium Malignarum Curationem* dabimus brevi secuturo Cap. 33.

CAPUT XXX.

De Febribus Intermittentibus.

Intermittentes Febres quænam.

I. *Intermittentes Febres* sunt & dicuntur, quæ diversis Ægros urgent *Paroxysmis*, spontè tum in totum recedentibus, tum de novo accedentibus.

II. Quoties namque ab *Internis Causis*, nullo in Rebus Non-naturalibus dictis patrato errato, *intervallis certis aut incertis redeunte* molestantur Ægri *Febre*, toties illa vocatur *Intermittens*, hoc est, haud continuè affligens, ast per *Paroxysmos* repetens, iterumque in totum desinens.

Febris simpliciter qua dicatur.

III. Quoties contrà non ab Internis, sed *ab Externis Causis*, ac imprimis ab uno pluribusve in Rebus Non-naturalibus commissis erratis excitatur *Febris*, toties illa *Simpliciter Febris* vocatur; donec aut ex *comitibus Symptomatibus* probabiliter censeatur futura vel *Continua*, eaque *Diaria*, *Synochave*, vel *Intermittens*: aut post paucos saltem dies certò determinetur ipsius species.

In principio invasionis speciem Febris non posse definiri.

IV. Nimiùm namque sibi adscribunt, quotquot, falsi sæpiùs licet arguti, ad consequendam judicii acris apud imperitos famam, inaniter gloriantur, se mox in prima cujusuis Febris invasione, & invasionis principio statuere posse certo, an Ephemera, an Synocha, an Intermittens, & quidem an Quotidiana, an Tertiana, an Quartana sit futura Febris. Quam gloriationem Thrasonicam libenter concedimus iis, qui se, aliosque pascere solent fumo ac delectare vento.

Febrium Intermittentium species.

V. Febrium Intermittentium *species* ac *Differentiæ* petuntur 1. ab *Intervallo* diverso, nunc breviore, nunc longiore, quod inter ipsos intercedit Paroxysmos. 2. a *Symptomatibus gravioribus*, quæ ipsas comitari solent, diversis.

1. Ratione Intervallorum.

VI. 1. Ratione *Intervallorum* diversorum dividuntur *Febres Intermittentes* in *Quotidianas*, *Tertianas*, *Quartanas*, *Quintanas*, & sic porrò, quatenus vel unoquoque, vel tertio, vel quarto, vel quinto, & sic porro repetunt die. Quas nunc *Simplices*, aliàs *Multiplices*, *Duplices*, *Triplicesve*, aut etiam *ex Diversis Compositas* sæpiùs observari docuimus Cap. 27. §. 13. & seq. additis easdem ab invicem distinguentibus Signis.

2. Ratione Symptomatum graviorum.

VII. 2. Ratione *Symptomatum Graviorum* (quemadmodum de Synochis jam dictum Cap 29. §. 23. & seq.) Nomina diversa sortitæ sunt Febres Intermittentes. Nam 1. *Algidæ* observantur nonnunquam, non tantùm Frigore præsertim, sed Frigore tantùm molestæ; adeo ut aliquando & frequentiùs levis, aliquando & rariùs nullus sequatur Calor.

1. Algida.

XIII. Tales etiam semper Algidas, in Nosocomio Academico habuimus ita manifestas, ut non tantùm incipiente, atque augescente, sed etiam vigente ac declinante, imò cessante Paroxysmo, id est, semper tum Suo, tum Adstantium, tum Medicorum Sensu molestè ubique frigerent, nunquam teperent, minùs calerent ubi Ægri. Suntque hæ Algidæ graviores semper forsan *Quotidianæ*.

IX. Tam frequenter autem occurrunt *Frigore* præcedente, quàm *Calore* subsequente molestiores Febres Intermittentes, ut non tantùm ab Ipso Denominationem suam in pluribus Germaniæ, aliisque Septentrionis Regionibus acceperint, verùm Plebejorum plerique tam diuersè duntaxat febricitare putent, quandiu Frigus patiuntur acre, seque à Febre liberatos judicent, quamprimùm incipit Calor sæpenumerò minimè, parùmve molestus, vel gravis. Suntque tales tum frequentiùs *Quartanæ*, tum interdum *Tertianæ*.

2. Ardens.

X. 2. *Ardentes* non rarò existunt Intermittentes Febres, ac imprimis *Tertianæ*, in quibus breve ac leve duntaxat, vel nullum ferà notatur Frigus, vel Horror tantùm mediocris præcedere Calorem, Ardoremque summum, eundemque post finitum Paroxysmum sæpenumerò diutinè permanentem, ac semper molestum: adeò ut nonnunquam novus Paroxysmus priùs revertatur, quàm præcedentis Calor auctior in totum remiserit.

XI. Non est autem necessum, ut idcircò credatur simul permansisse cum remanente Calore Febris, quoniam Pulsus quidem remittit ab aquisita sua frequentia, non redit autem auctus Corporis Calor ad pristinam temperiem; unde etiam non rarò accidit paulatim tali Febri Intermittenti Synocha, sitque Tertiana Continua.

XII.

3. Frigida & Calida. XII. 3. Quamvis autem aliquando Febres Intermittentes solò Frigore, vel Calore sint Ægris graves, *utplurimùm* tamen utroque urgentur, & *Frigori succedere solet Calor*; Atque tunc ipsos *quandoque Frigus, quandoque Calor magis angit, diutiùsve durat, rariùs æqualiter eosdem afficit*. Toto namque cælo errant, qui ex falsis suis Præjudiciis; atque contra Experientiam quotidianam Discipulos suos malè docent duplo, triplo vel quadruplò superari semper Frigus præcedens à subsequente Calore, vel ratione *Durationis*, vel ratione *Vehementiæ*.

Febrium Intermittentium Symptomata. XIII. Nam, ut plerarumque Intermittentium Febrium secundùm bina modò memorata ipsarum Symptomata præ aliis omnibus frequentissima & maximè notabilia, non neglectis tamen cæteris, Historiam, & *Invasionis, Affectionisque modum* paucis describam, solet in antecessum ferè *Oscitatio & Pandiculatio*, quin aliquando *Universalis Artuum Lassitudo* vel *Inquietudo*, rariùs *Somnolentia* præcedere, atque plùs vel minùs durare ac urgere.

Oscitatio. Pandiculatio. Artuum Lassitudo Inquietudo. Somnolentia.

Frigus in regione Lumbari. In omnibus corporis extremis. XIV. Harum molestiarum uni, vel pluribus succedit plerumque (quantùm Ego saltem in Ægris meis observare potui) *Frigus in Regione Lumbari*, & quidem nunc gravius, nunc levius; quod paulò post secundùm Spinæ ductum tam sursum, quàm deorsum ad *omnia Corporis Extrema* pergit, atque non tantùm in *Manuum, Pedumque Digitis*, verùm in *Naso, Auribus, Mento, Lingua*, imò *Universâ* subinde *Cute* se manifestat, & interiora interim non minùs, quàm exteriora molestat & affligit.

Frigus in Ventris medio. XV. Rariùs quidem *Nullum in Lumbari Regione Frigus*, vel *non nisi seriùs* sentitur, Quod aliquando *in Ventris medio*, ubi *Tenuia Intestina* convolvuntur, præsertim, vel tantùm Ægris observavi molestum.

In Capitis partibus. XVI. Sed & nonnunquam in *Capitis partibus Interioribus*, & quidem nunc in *Occipite*, nunc in *Syncipite*, nunc in *Vertice* potissimùm Frigus grave notavi.

Horror. Rigor. XVII. Frigori leviori *Horror*, graviori verò *Rigor* esse solet Comes.

Dolores Varii. XVIII. Durante Frigore *Dolores* urgent magis *Rodentes, Contundentes, Lancinantes*, cum *Ventris Torminibus*, aliisque Symptomatibus quibusdam molestis, à quibus mox nonnullas denominabimus Febrium Intermittentium Species.

Pulsus Debilior. XIX. Incipiente Frigore unà cum *Pulsu mox Frequentiore* observabis tum *Minorem*, tum *Debiliorem*, atque eodem magis adhuc urgente *tam Exiguum*, ut sæpiùs Tactu ampliùs percipi nequeat.

Anxietates. XX. Ubi remittere Frigus incipit, solent non rarò *Anxietates circa Præcordia* esse mox *secuturi Caloris* præludia.

Sitis. XXI. Quin unà cum *Calore* paulatim accenditur & augetur *Sitis*; rariùs enim durante Frigore urget; urget tamen aliquando.

Pulsus major Robustior. XXII. Cum Calore autem *Pulsus*, *continuò Frequentior*, redditur sensim *Maior*, & plerumque simul *Robustior*, Nam illorum existente *Parvo*, *Debilive* judicatur *Febris Maligna*, *Summave Virium prostratio*, ideoque auctum periculum.

Linguæ Ariditas. Respiratio aucta. Capitis Æstus et Dolor. Temporum pulsatio. Vigilia. Delirium. XXIII. Accedit *Calori auctiori* utplurimùm *Linguæ Ariditas*, *Respiratio aucta* & quandoque *difficilis*, *Capitis Æstus*, *Dolorque*, *Temporum Pulsatio*, *Vigilia*, & non rarò *Delirium*.

Sudor. Urinæ Copiosa excretio Somnus Varius. XXIV. Denique paulatim remittente iterum Calore *Sudor* ferè manare solet *copiosior*, vel *parcior*, *Urinæ* saltem satis *copiosa excretio*. Atque nunc fere concurrente *Somno vario*, nunc magis tranquillo, nunc multùm irrequieto, atque Somniis, vel Insomniis gravi, omnibus, pleri?que saltem Symptomatibus liberatur iterum ad tempus Æger; donec novo ad ventante Paroxysmo Febrili nunc eadem, nunc pauciora, plurave graviùs, leviùsve ipsum afficiant; Quæ tandem sponte arteve in totum, ex parte saltem tollantur, aut ipsum tollunt.

XXV. Atque ita præcedente Frigore, atque succedente Calore solent utplurimùm Ægros plerosque torquere Febres Intermittentes: quamvis nonnunquam (ut ad cæteras Ipsarum à comitibus Symptomatibus aliis non parùm Ægros quandoque urgentibus denominatas, denominandasve Species ac Differentias pergamus) 3. observentur *Epialæ* dictæ, in quibus simul ac ubique *Frigus & Calor* vehementer urget. *3. Epialæ.*

XXVI. 4. A Siti valdè importuna & inextincta vocantur *Siticulosæ*: Quales non tantùm observantur frequentiùs Calore urente, verùm etiam Frigore urgente, adeò ut licet continuò bibant Ægri, nihilo tamen sitiant minùs. Nec duntaxat Ægris, ac præsertim potui tunc nimio indulgentibus, sed ipsis Medicis quoque morosam Sitim curaturis pariunt Febres tales molestiam summam. *4. Siticulosæ*

XXVII. 5. *Famelicas* liceat eas nominare Febres, quibus conjuncta est Fames rabida & inexplebilis, adeò ut nisi concedatur, exhibeaturque durante licèt Paroxysmo Cibus, In Animi Deliquium, aliaque Symptomata molesta incidant Ægri. Quamvis enim plerùque tunc Diminuitur, vel Aboletur aliquando in totum Ciborum Appetitus; alios tamen non tantùm levis, sed dira invadit unà cum Paroxysmo Febrili Fames. *5. Famelicæ*

XXVIII. 6. *Cardiacæ* occurrunt Febres Intermittentes, inexplicabili sæpè, intollerabilique circa superius Ventriculi Orificium Dolore comitatæ, atque hoc præsertim Symptomate graves, ac nonnunquam Epidemiæ, sive Vomitus simul concurrat, sive absit. *6. Cardiacæ*

XXIX. 7. *Terminales* aut *Colicæ* à Torminibus Ventris gravissimis, ejusdemve Distensionibus mirè angentibus, & unà cum Intermittentis Febris Accessu accedentibus, ejusdemque Discessu discedentibus denominandæ subinde visuntur Febres. *7. Terminalis sive Colica.*

XXX. 8. *Syncopales*, à Syncope Ægros unà cum Febre invadente nomen sortitæ occurrunt nonnunquam Febres, valdè graves ac periculosæ, silentio ideò haud prætereundæ. *8. Syncopalis*

XXXI. 9. *Observantur* aliquando Febres Intermittentes à comite Suffocatione Hypochondriaca, vulgò Hysterica dicta, cum Paroxysmo febrili graviùs (& Fœminas præsertim) afficiente *Præfocantes* nominandæ; cùm reverà nonnunquam Ægras tunc suffocent ac interimant, licèt non valdè graves simul existant, quoad cætera Symptomata, Febres ipsæ. *9. Præfocãs.*

XXXII. 10. Prædictis subinde valdè affines subjungemus *Anhelosas*, à difficili & anhelosa respiratione nominatas, & mirè, mireque cum, vel sine *Cordis Palpitatione* Ægros angentes. Has observavi non semel cum *Abdominis distensione*, atque *Præcordiorum Anxietate* incipientes, *Pulsu* mox existente *Parvo*, *Debilique* ac *Frequentiore*, *Frigore ac Dolore Lumborum Regionem* simul urgente. Quòd si tunc *Flatus* vel sursum per *ructus*, vel deorsum per *crepitus* aliqui erumperent, *Paroxysmus* existebat *levior*, sin minùs, *gravior*: Nam postquam per unam, pluresve horas duraverat illa Distensio & Anxietas, sensim utraque minuebatur, atque simul *Respiratio difficilis & Anhelatio summa* excitabatur, & quidem tanta, ut corpus vel minimam sui agitationem, motumve ferre non posset, *Pulsu* sensim aliquantò *Maiore magis*, *quàm Robusto* existente, ac continuò *Frequentiore*, unà cum *Venis ubique valdè turgentibus*, quæ extra Paroxysmum erant exiguæ ac vix conspicuæ *Anhelatio* hec aliquando graviùs, aliquando leviùs, aliquando diutiùs, aliquando breviùs angebat; unde nonnunquam Præfocationi Hypochondriacæ convenientia medicamenta simul utiliter usurpabantur. Tandem verò *Madore magis, quàm Sudore* *10. Anhelosa*

solvebatur Paroxysmus, donec novus accederet, *rariùs quotidianus, crebriùs tertianus*.

11. Asthmaticæ. XXXIII. 11. Nec infrequentes sunt Febres Intermittentes *Asthmaticæ*, à comite Asthmate nunc graviore, nunc leviore ita dicendæ. In quibus itidem Abdominis Anxietas & Distensio præcedere solet, atque illis remittentibus Difficilis Respiratio & verè Asthmatica sequi, quæ unà cum Paroxysmo ut plurimùm satis diu & aliquando ad unum, vel plures dies durante minuitur, & tandem cessat; nonnunquam illo sublato perseverat. Hujusmodi Asthmaticam Febrem vidi *decimoquarto die aliquandiu recurrentem*, atque per plures dies vicibus singulis Ægrum satis molestè afficientem, ni convenientibus & quoad Anxietatem, & quoad Durationem minueretur medicamentis.

12. Tussiculosæ. XXXIV. 12. Non tantùm Asthmaticas modò descriptas comitari solet Tussis, sed aliàs quoque nullo Asthmate tunc simul urgente; à qua Tussi præ aliis Symptomatibus omnibus Ægros valdè tunc molestante *Tussiculosas*, *Bechicas*ve ipsas non incommodè nominari posse putavi. Mox enim, atque ingravescit Paroxysmus febrilis, urgere quoque incipit *Tussis*, utplurimum *Sicca*, rariùs, nec nisi per accidens, *Humida*; quoties scilicet præterea Humor varius aut sponte, aut à Febris Causa, aut à sicca Tussi motus delabitur ad Pulmones.

13. Catarrhales. XXXV. 13. Sed observantur quoque Febres Intermittentes *Catarrhales* vocandæ, à Catarrho non tantùm ad Pulmones, verùm ad alias quoque Partes ruente, atque unà cum Paroxysmo febrili moto, ac cessante. Humor namque novus non delabitur ad partes extra Febrilem Paroxysmum; qui verò jam defluxit, non recedit aut deserit partem affectam, licèt desinat Febrilis Paroxysmus.

14. Arthriticæ. XXXVI. 14. Ad Catarrhales Febres revocant aliqui Practici *Arthriticas*, quoniam existimant ortum suum Catarrhis debere Arthritidem. Quoniam verò Ego judico una cum Sanguine per Arterias deferri ad Articulos Humorem diversum Arthritidem producentem, omninò distinguendas existimo Arthriticas Febres à Catarrhalibus. Cæterum quoties accuratè satis observare potui ex fideli Ægrorum narratione Arthritidis ortum & progressum, toties quoque notavi Ipsam una cum Febre Synocha, vel Intermittente fuisse productam: unde novis redeuntibus Intermittentis Febris Paroxysmis non parùm augebatur Arthritis, donec aut in continuam mutaretur, aut cessaret sponte, tolleretur ve arte Intermittens, perseverantibus nihilominus Articulorum Doloribus.

15. Deliræ. XXXVII. 15. Quemadmodum Synochæ, ita frequenter Intermittentes occurrunt Febres *Insanæ* aut *Deliræ* vocandæ, Belgis *Rasende Koortsen* dictæ, à *Delirio*, rariùs quidem durante *Frigore*, crebriùs urgente *Calore* post *Capitis Dolorem*, *Vigilias*, *Temporum Pulsationem* ipsis supervenoiente, atque unà cum Paroxysmo iterum & quidem post Somnum vel placidum, vel Insomniis tumultuosum sensim cessante.

16. Vomitoriæ. XXXVIII. 16. A Vomitu aut mox incipiente, duranteve adhuc Frigore, aut mox inchoante, accrescenteve Calore nunc continuò, nunc per intervalla multùm molesto Febres intermittentes occurrunt *Emeticæ* aut *Vomitoriæ* dicendæ, tantò graviores, quòd plerumque inde non levantur, sed gravantur magis Ægri. Unde meritò Vomitus ille non censetur Criticus, sed Symptomaticus.

17. Catharticæ. XXXIX. 17. Sic observantur quoque Alvi Dejectione multa, vel frequenti, & quandoque simul torminosa diverso Accessus tempore Ægros valdè molestantes, ac debilitantes Febres Intermittentes, *Catharticæ* idcircò, aut *Dejectoriæ*, aut, si à vocabulis magis emphaticis non abhorreant delicatæ aures, *Cacatoriæ* vocandæ.

XL. 18. Non tantùm singuli plerarumque Intermittentium Febrium Paroxysmi desinere solent ac solvi Sudore Ægris utili, ac proinde pro Critico tunc habendo, sed nonnunquam durante bona vel maxima cujusvis Paroxysmi parte Sudor multus, Ægrisque noxius, ideoque Symptomaticus, sæpiùs calidus, rariùs frigidus ex universo corpore, aut parte privata, Capite, Thorace, Abdomine, Artubusve manans *Febres* constituit *Sudatorias*; Quales observantur etiam Synochæ, *Sudoris Anglici* nomine notæ ac celebres. *18. Sudatoriæ.*

XLI. 19. Sed observantur etiam Febres Intermittentes continua ferè Mictione, & quidem Symptomatica, Ægrosque infirmante, non Critica & ipsos levante molestæ; quas proinde aptè *Micturientes* aut *Urenticas* vocaveris. *19. Mictuentes.*

XLII. 20. Observantur denique, ut tandem hisce nomenclaturis ex parte novis finem imponam, Febres Intermittentes, quas durante Paroxysmo Sputatio & Salivatio gravis & molesta comitatur, ideoque *Sputatoriæ* aut *Ptyalodes* nominandæ. *20. Sputatoriæ.*

XLIII. Occurrunt dubio procul adhuc plures Intermittentium Febrium Species ac Differentiæ à Symptomatibus gravibus, molestisque appellandæ; sed sufficiant hoc tempore aliquot satis notabiles ad exemplum proposuisse, quas diversissimis quotidie peragendis avocatissimus potui revocare in Memoriam segniùs concredita reponentem.

XLIV. Febrium autem Intermittentium tot modis inter se differentium *Causas* si quis me rogaverit, respondebo *aliam esse Intermittentis Febris, quâ est Intermittens, aliam hujus vel istius Speciei, quatenus hoc vel illo recurrit Die, his vel illis comitata est Symptomatibus gravibus*. *Febrium Intermittentium causa varia.*

XLV. Quoniam verò, si alicubi, certè in assignanda vera Febrium Intermittentium omnium & singularum Causa portentosus observatur Medicinæ Doctorum dissensus, atque à cæterorum omnium Opinione non parum forsan recedit ultimò etiam mea; libet in eorum præsertim gratiam, qui nunquam me hac de materia publicè, privatimve docentem audiverunt, audientve, aut sermones saltem mecum contulerunt; conferentve, totum hoc negotium arduum & intricatum altiùs repetere, accuratiùs examinare, atque, quàm unquam est hactenus à me factum, enucleatius explicare: quod faciam, quantum operas indies urgente Typotheta, easdemque præstolante Auditorio privato, licebit per occupationes, distractionesque quotidie accrescentes magis, quàm decrescentes, ideòque Animum à meditatione attenta, omninò hic requisita perpetuò abstrahentes. *Circa quas Auctoris opinio ab aliis Medicis diversa.*

XLVI. *Ad Febrem* igitur *Intermittentem*, hoc est, Intervallis nunc certis, nunc incertis, nunc brevioribus, nunc longioribus, & quidem post cessationem totalem, eamque itidem nunc diuturniorem, nunc breviorem novis Paroxysmis pariter tum ratione Frigoris, tum ratione Caloris nunc brevioribus, nunc longioribus sæpius repetentem *producendam requiritur Aliquid*, quod in Sanguine non existens, aliàs Synocha Febris excitaretur, sed ipsi admistum una cum ipso ad Dextrum Cordis Ventriculum deferatur, & quidem 1. à *Parte Corporis tali, quæ per Vasa sua* aut immediatè, aut mediatè *communicet cum Corde*. Fundamenti namque, Postulatique loco hic supponimus Circularem Sanguinis Motum, & ab aliis, & à nobis alibi abundè probatum. *Ad Febrim Intermittentem producendam quid requiratur.*

XLVII. 2. *A Parte tali, perque Vasa talia, in qua, vel in quibus possit ipsum, ob Causam Externam*, in Rebus Non-naturalibus ferè consistentem, *ita infici & affici, ut subitò secundùm aliquam saltem sui partem in Motu suo sistatur, atque ad tempus aliquod*, idque nunc longius, nunc brevius *impediatur, ne hactenus continuò ad Cor deveniat*. *A qua parte corporis, & per quæ vasa debeat ad cor deferri. Quomodo à causa externa debeat affici.*

XLVIII. 3. *Illud idem tale sit oportet, quod* aut propter *solam sui moram & stagnationem in* *Qui debeat esse constitutum.*

Foco

Foco suo vel Vasis sua sponte, aut *propter quamcunque aliam Causam Internam* à quovis ejus Assertore nominandam, demonstrandamque ac *concurrentem tale vitium acquirat*, *ex quo* (ubi denuò ipsi quocunque demum modo ac medio restitutus est patens ad Cor aditus) *vel solo*, *vel aliis pariter determinandis juncto cuncta Symptomata* etiam diversissima & in descriptis multifariis Febrium Intermittentium Speciebus observabilia tum *commode possint deduci*, tum *rationali*, *certaque Curationi confirmari*. Commentis namque, Figmentisque inanibus, praxi Medicæ adversis semel ac semper valedicere jubemus omnes Cordatus & dignos Medicinæ, Artium Reginæ, Alumnos.

Quomodo debeat sisti & moveri.

XLIX. 4. *Impedimentum ipsum tale* sit oportet, *quod ad tempus Humorem priùs stagnantem cogere possit*, *postquam verò eidem transitum quacunque demum de causa concessit*, *mox ad pristinam revertatur naturam nocuam*, & proinde *similem priori Humorem tandiu eodem in loco similiter sistat*, *donec idem*, *uti prior*, *per paratam quovis modo viam effusus Paroxysmum novum producat*; idque tandiu alternatim continuetur, donec tandem (ni priùs perierit Æger) aut sponte, aut casu, aut arte notatum corrigatur, tollaturve Impedimentum, atque eo ipso Intermitttens Curetur Febris.

Præter Sanguinem ad cor deferri.

L. Si proinde *omnes Corporis Humani* (nam Brutorum OEconomiam Veterinariis relinquimus expendendam, explicandamque) *Humores* sui io Locis parari, aut etiam coacervari, posteàque per Vasa sua ad Dextrum Cordis Ventriculum deferri solitos excutiamus, & attentè consideremus, observabimus præter *Sanguinem* à Partibus Continentibus omnibus ac singulis ad Cor per Venas refluentem, 1. *Bilem* tam immediatè *Sanguini Ascendenti* per Ductum suum Hepaticum; quàm mediatè *Sanguini Descendenti* per Ductum suum Intestinalem, Intestinorum fistulam, Lacteas Venas, Ductumque Lymphaticum, Thoracicum; 2. *Lympham* immediatè *Sanguini Descendenti* per Vasa sua Lymphatica, eorundemque Truncum; 3. *Succum Pancreaticum* mediatè duntaxat eidem *Sanguini Descendenti* per ductum proprium, Intestinalem Fistulam, Lacteas Venas, & Ductum Thoracicum; 4. denique *Salivam* itidem mediatè tantùm *Sanguini Descendenti* per suos Ductus, Os, OEsophagum, Ventriculum, Intestina, Lacteas Venas, & Ductum Thoracicum admisceri, atque unà cum ipso ad Dextrum Cordis Ventriculum propelli.

1. Bilem. *2. Lympham.* *3. Succum Pancreaticum.* *4. Salivam.*

Ab his humoribus causam febrium intermittentium esse deducendam.

LI. Præter quos *Humores* nominatos *quatuor* cùm hactenus innotuerint nulli ad Dextrum Cordis Ventriculam delati, meritò *ab illorum Uno vel Pluribus Febrium Intermittentium*, *quà Intermittentium*, *Causam* deducendam, petendamque judicamus: postquam ab Ipso *Sanguine male affecto Synochans*, *non Intermittentem* futuram Febrem, propter ipsius Motum ad Cor perpetuum, nemo non videt.

Non à Sanguine.

LII. Quòd *si stagnet alicubi Sanguis*, mox Ibidem orietur *Inflammatio*: quæ si reliquo Sangnini communoicetur, itidem non Intermitteos, ast Synocha produci solet Febris. Cui aliquando Intermittentem ac præsertim Tertianam copulari, atque tunc ex utraque Tertianam Continuam fieri haud novum, nec mirum, ob ratione ex posteà dicendis satis futuras manifestas.

Nec à Bile.

LIII. Sanguine igitur relicto 1. *A Bile Febres Intermittentes*, *quà Intermittentes*, *deducendas censebit nemo*, qui attenta mente considerav*erit*, nec in sua Vesicula, nec in suis Ductibus posse illam subitò ab ulla Causa Externa ita infici & affici, ut ibidem aut secundum aliquam sui partem in motu suo ad tempus sistatur, atque iterum vel spontè sua, vel ob quamcunque aliam damoostrabilem Causam Internam inveniat viam, per quam quocunque modo feratur ad Cor, ac vel sola, vel aliis juncta producat Symptomata superiùs notata.

Delebot Opera.

LIV. *Concrescit* aliquando, nec diffiteor. *Bilis* tum in Folliculo suo *in Calculos*, *Lapillosve* majores aut minores, tum in Hepaticis suis Ductibus in *calculosam Crustam*; Verùm quemadmodum neutrum fit subitò, ita nunquam est observatum alterutrum ab Interna Causa, quio Exteroa duntaxat iterum solutum, nec tamen ita, ut aliquid Febribus Intermittentibus simile possit iode deduci.

LV. Judicatur itidem aliquando, fateor, ex obscurè albicantibus & viscidioribus Alvi fæcibus *in Ictero Bilis ad tenue Intestinum* quacunque demum de causa *non deferri*. Attamen non semper, subinde licet, observatur Ictero Intermitteos conjuncta Febris; quæ proinde ab illo Bilis impedimento deduci nequit.

Nec à Lympha.

LVI. 2. A *Lympha similiter Febres Intermittentes*, *quà Intermittentes*, *haud videntur deducendæ*. Nam, præterquàm quòd Symptomata pleraque ipsas frequentiùs comitantia, & in Abdomine imprimis observabilia, ne per somnium quidem à Lympha expectari queant: præterea, si à Lympha penderent, producerenturque Febres Intermittentes, tunc vel universa Lympha, vel aliqua ejus pars culpanda foret, tanquam in Motu suo ad Cor reciprocè impedita, iterumque expedita. Si universa; ubi & quale fingetur illud Impedimentum? an in omnibus Glandulis Conglobatis, Musculis & Visceribus? an in omnibus Lymphaticis Vasis, eorundemve Trunco circa suam in Venam Iugularem, Axillaremve sinistram insertionem? Sin aliqua duntaxat ejus pars; Quænam & ubi? An quæ à Glandulis Conglobatis omnibus, vel quibusdam tantùm ad Cor tendit? An eadem in omnibus Glandulis impeditur? Sed raro deprehenduntur, nec nisi ferè in Gravedine, atque Catarrhalibus Febribus (de quibus præcedente Capite actum) tumentes, aut induratæ istæ Glandulæ, vix unquam valdè licet urgentibus quarum Causas rimamur, Intermittentibus Febribus: adeò ut, quò quis attentiùs Lymphæ ortum & modum, ejusdemque Focum & Vasa deferentia enucleat, eò minùs inclinet ad Febrium Intermittentium, quà talium, Causam Lymphæ adscribendam.

Nec à Saliva.

LVII. 3. *A Saliva Febres Intermittentes*, *quà Intermittentes*, *minime videntur deducendæ*. Quamvis enim (ne argumenta plura ex modò de Lympha dictis huc transferamus) aliquando, id enim non est perpetuum, paulo ante Paroxysmum Febrilem, aut unà cum ipso Incipiente observetur Saliva copiosior, vel parcior ad Os deduci, talis tamen nunc non notatur eadem Saliva, ut ei solidè adscribi queant, non dicam omnia, sed ne frequentissima quidem in omnibus penè Intermittentibus Febribus molesta Symptomata. Non fertur, inquam, semper, quod tamen omninò fieri uporteret, Saliva tempore Intermissionis parcior ad Os, & copiosior instante aut urgente Paroxysmo; cùm aliquando eveniat contrarium, aliquando neutrum. Quæ autem in Saliva deprehenduntur plerumq; Vitia, eadem nil minùs, quàm primarium testantur Salivæ vitium, sed potiùs secundarium duntaxat, quemadmodum id ex posteà dicendis clariùs patebit.

Sed à Succo Pancreatico.

LVIII. 4. *A Succo Pancreatico Febres Intermittentes*, *quà Intermittentes*, *quivis meritò censebit deducendas*, qui omnia & singula ad ipsas producendas *Requisita* §. 46. & sed. notata hic & tantùm hic coocurrere animo observaverit attento.

Et quare.

LIX. Nam 1. Laudatus ille *Succus defertur* ab ipso *Pancreate*, *Parte tali*, *quæ per Vasa sua* & Ductus proprios *mediate* (sicut §. 50. dictum) *communicat cum Dextro Cordis Ventriculo*.

LX. 2. Defertur idem Succus *per Vasa talia*, Ductus nempe Laterales, *in quorum uno vel pluribus potest ipse ob Causam Externam ita infici & affici*, *ut subitò secundum aliquam sui partem in Motu*

K 3 *suo*

suo sistatur, atque ad tempus aliquod impediatur, ne hactenus continuò ad Cor deveniat.

A qua causa & quomodo in motu suo sistatur.

LXI. Evenit autem illud, quoties nunc ab Æstu Aeris, nunc à vehementiore Corporis Motu, nunc à Vigiliis protractis, nunc ab Animi Solicitudine, aut Ira durante, nunc ab Alimentis, Condimentis, Medicamentisve acrioribus, vel quacunque demùm Causa alia *Pituita* in tenui Intestino plurimum colligi & accumulari solita *solvitur*, mox & *Sanguini admista* unà cum ipso quaquaversum *ad omnes Corporis partes propellitur*, quin *Humoribus singulis* ubivis præparatis arctiùs vel laxiùs *conjuncta cum iisdem per ipsorum Vasa devehitur*: Unde *superveniente subitò Causa Externa, Pituitam Coagulare apta* (Aere puta glaciali, Ventisve algidioribus agitato, vel quocunque Afflatu frigus pariente, Pluvia vel quavis Aqua corpus contingente, frigoreque suo ipsum afficiente; Potu cujusvis Liquoris gelidi, majore imprimis copia sumpti; Animi Terrore aut Mœrore summo, repentino præsertim & inopinato, &c) quemadmodum alibi, ita in *Ductibus Pancreaticis Lateralibus*, angustioribus scilicet *Concrescit eadem Pituita*, *Ductus eosdem Obstruit*, *ac, ne per illos Succus*, ibidem idcircò Stagnans, *in Ductum Medium*, ampliorem, *& sic ulteriùs pergat*; *impedit*.

Et cur potius in Pancreate, quà alibi.

LXII. Illud autem in *Pancreate*, quàm cæteris forsan Corporis Partibus omnibus, accidit faciliùs, sæpiùsque, quoniam cum Succi Pancreatici, cæteros Humores omnes Aciditate superantis Materia acidiore jungitur, transportaturque faciliùs & copiosiùs Pituita; quin ab eadem secedit rursus non ita difficulter accedente Causa ipsam Coagulante; à qua promovetur ille Secessus inter Succum Acidiusculum quidem, non tamen valdè Acrem, atque Pituitam, sed Viscidiorem simul confusos tantùm, neutiquam intimè mistos.

Obstructio in ductibus Pancreatis Lateralibus

LXIII. Nec tantùm *Obstructionem in Ductibus Pancreatis Lateralibus* ex modo enumeratis Causis ex parte sibi contrariis, sesequè mutuò excipientibus *peri posse probabiliter Conclusimus*, verum ipsam non tenuiter *actu factam evidenter* in Cadaverum Sectionibus *per autopsiam evicimus*.

Experimento comprobata

LXIV. Aliquoties namque publicè quibusvis præsentibus in Nosocomio Academico Ægrorum præter alios Affectus graves, Intermittentibus quoque Febribus, & quidem non raró multifarus, diutinè laborantium & tandem mortuorum Cadavera dissecantes, per Syringam huic rei aptam infundimus Salem Volatilem liquidum & tinctura cærulea infectum in Ductum Pancreaticum, ubi in tenue hiat Intestinum, Qui Sal quoniam nunc in plures, nunc in pauciores Glandulas non penetrabat; dum in cæteras tum viciniores, tum remotiores, & quidem non coloratis tam ulteriores, quàm citeriores admitteretur, ipsasque colore suo inficeret, obstaculum aliquod hinc inde latitasse, propter quod, ne per laterales Pancreatis Ductus omnes in contextas ipsis Glandulas mearet, Liquor infusus impediretur, Spectatorum nemo non videbat, & procul omni dubitatione agnoscebat.

LXV. Obstaculum autem illud *Obstructionem* fuisse *ab Humore Crasso, Viscidoque Laterales Ductus infarciente* vel idcircò assevero, quoniam (prçterquam, quod nullum vel minimum, cui hoc adscriberetur, occurrebat vel Compressionis, vel alius Angustiæ speciei signum) Causæ Antecedentes omnes, quoties innotescunt, Symptomata Febres Intermittentes comitari solita, ipsasque adeò easdem Curandi ratio maximè rationalis ac certissima cum Obstructione planè convenire, & amussatim quadrare deprehenduntur.

Ex Succo Pancreatico solo, vel aliis humoribus juncto oriri

LXVI. 4. *Talis est Succus Pancreaticus, qui propter solam sui moram & Stagnationem in Ductibus suis Lateralibus sponte sua vitium tale possit acquirere; adeò ut tunc ex Ipso partim Solo, partim Aliis posteà determinandis juncto cunctu Febrium Intermittentium Symptomata, etiam diversissima commodè nec ita difficulter possint deduci, atque Rationali, certaque Curatione confirmari.*

Symptomata Febrium Intermittentium.

Succus Pancreaticus Subacidus.

LXVII. Est enim *Succus Pancreaticus* natura sua *Subacidus*: quod evincunt non tantùm Argumenta plura à Me in *Disquisitione mea de Febribus Secunda* §. 32. & seq. proposita, sed ipsa Experientia fœlici successu ab Ingeniosissimo *D. Regnero de Graaf* tum sæpiùs hic & alibi in Canibus, tum etiam semel Andegavi in Homine infœliciter sub trabe oppresso ac extincto instituta, & peculiari *Exercitatione* sub finem Anni 1664. examini publico sub meo præsidio exposita.

LXVIII. Hic *Succus*, quoniam *Subacidus* est, idcircò simul *talis est*, *qui propter solum sui moram & Stagnationem in Ductibus suis quibusvis sponte sua vitietur, & quidem ita, ut reddatur primùm solito Acidior; hinc Obstruentem suos Ductus Pituitam*, si non in totum *Solvat* & secum educat, *perfundat* saltem ac *permeet*; atque tandem tum *Solus*, tum *Aliis Humoribus* posteà explicandis *junctus Symptomata in Febribus Intermittentibus omnibus occurrentia omnia* non tantùm producere possit, sed reverà *producat*.

Acida sponte fieri Acidiora.

LXIX. Testatur enim Experientia quotidiana, quævis *Acida sponte sua reddi continuò Acidiora*. Sic Acetum quo servatur diutiùs, eo acescit magis. Cujus Eventus Ego sequentem puto Rationem; Acrimoniam nempe Acidorum augeri tunc, quoniam evanescunt ex parte saltem Spiritus Volatiles Aciditatem illam temperantes, unde non mirum, si conservatus Liquor quivis Acidus reddatur sensim Acidior. Eandem ob causam multis licet ignoratam promovetur Aceti confectio in loco Igne vulgari calefacto, vel sub ædium tecto summo Solis radiis exposito; eorum enim ope via paratur Spiritibus volatilibus citiùs & faciliùs sic ex parte paulatim effluxuris.

Ut & Succum Pancreaticum in corpore.

LXX. Quemadmodum autem extra corpus nostrum Acida quævis acescunt sponte magis, magisque; ita in eodem Ipsa & nominatim *Succum Pancreaticum Stagnantem ampliùs acescere* probant *Symptomata* tum in *Melancholicis Affectibus* dictis plerisque, tum, quod hic magis urget, in *Febrium Intermittentium initiis* observabilia, & sicut absque ullius Acidi abusu sæpe oborta, ita *uni Acido accepta referenda*; quæ idcircò mox accuratiùs excutiemus.

Et quare.

LXXI. Acescit verò Succus Pancreaticus in Ductibus suis Stagnans, quoniam secedit tunc ab Ipso sensim magis magisque Spiritus Volatilis ei secundùm naturam conjunctus, ipsumque blandè temperans.

Ipsum Pituitam incidere.

LXXII. Hic *Succus Pancreaticus* Stagnatione, sicut dictum, *Acidior & Acrior* factus in *Obstruentem* Ductus suos *Pituitam* vim suam exerere, ipsamque *Incidere* incipit: Quæ si tenacitate ac viscïditate tanta prævaleat, ut in totum ab ipso abstergeri, solvi atque inde removeri nequeat, *eandem* saltem *pertergirat*, *sibique per ipsam vi viam aperit, quam pervadat*.

Pituitam Viscidam ob tantùm obstruere ductus Pancreatis laterales.

Sed postquã Succo Pancreatico trãsitum concessit, rursum concrescere.

LXXIII. Symptomatum omnium in Febribus Intermittentibus observabilium exortum à Succo Pancreatico Acidiore, aliisque Humoribus ipsi junctis deducemus, postquam verbo præmiserimus *quartum Requisitum* §. 49. notatam hic quoque concurrere: *Pituitam* nempe *Viscidam Ductus Pancreatis Laterales Obstruentem talem esse*, *quæ* non tantùm in ipsis *Succum* laudatum *ad tempus cogere possit, ut ibi Stagnet*; sed insuper, *postquam eidem* acrimonia sua viam sibi patanti *transitum concessit*, *mox iterum coeat*, *concrescat*, *solutamque ex parte Obstructionem reparet ac redintegret*, *hinc & similem priori Succum tandiu eodem in loco similiter sistat*, *donec idem, uti prior, per aperiam similiter viam effusus Paroxysmum novum producat*; *idque tandiu alternatim continuetur*, *donec quocunque modo tollatur in totum Obstructio ac Febris*, aut ipsius Æger.

LXXIV.

Quod probatur. LXXIV. Pituitæ Viscidæ Naturam esse, ut perforata licet sponte coeat iterum & coalescat, evincunt non tantùm viscida omnia eandem mutationem spontaneam subire solita, verùm insuper pleraque Febres Intermittentes eradicantia vel etiam jugulantia dicta medicamenta; sive sint ea Incidentia, & Diuretica, Sudoriferave, sive Vomitoria, Purgantiave per Alvum. Illa enim omnia videntur mihi Febres intermittentes quatvis curare, quatenus Pituitam Viscidam in Ductibus Pancreaticis hærentem incidunt, solvunt, abstergent, atque secum ad Intestina deducunt, quin aliquando diversa licet via è corpore in totum educunt. Quod agnoscet facilè quivis medicamenta Febribus Intermittentibus fœliciter tollendis specialia, vulgò specifica dicta serio expendens, trutinansque: quod pluribus hic probare studio supersedemus, quo brevitati studeamus; cùm præsertim ex iis, quæ hactenus dicta sunt, & dicentur adhuc, proclive sit unicuique id ipsum elicere.

LXXV. Quaties non subitò & à Medicamentis casu vel arte usurpatis, aut Rebus Non-naturalibus non naturaliter se habentibus, modumque excedentibus exterminantur, verùm lentè ac penè insensibiliter evanescunt Febres Intermittentes, toties, si quis omnia, quæ tunc Ægris obveniunt, observaverit, comperiet Solutionis hujus rationem adscribendam omnino iisdem rebus Non-naturalibus, & quandoque Medicamentis, sed valdè moderatis, adeòque segniùs, minùsque notabiliter laudatum effectum producentibus.

Febrium Intermittentium Symptomatum Deductio. LXXVI. Postquam pluribus deduximus Febrium Intermittentium, quà Intermittentes sunt, exortum à Succo Pancreatico in Lateralibus suis Ductibus Obstructis Stagnante, proximum est, ut jam Symptomata omnia, eademque diversissima in Febribus iisdem notabilia tum ab eodem, tum ab Humoribus aliis cum ipso junctis deducamus, atque sic nostram de Febrium, harumce ortu Sententiam ex parte saltem, uti speramus, jam probatam comprobemus ac confirmemus.

Effervescentia solito Acrior in Bile. LXXVII. *Succus* ergo *Pancreaticus* Stagnatione notata redditus *naturali Acidior*, atque post perterebratam obstruentem Pituitam in tenuis Intestini cavitatem effusus mox *in Confluentem Bilem qualemcunque* insurgit, atque cum ipsa *Effervescentiam solito acriorem* parit, & quidem pro *Pituitæ* simul occurrentis varietate variantem.

Frigus. LXXVIII. Quamdiu enim *Succus* ille *Acidior Pituita adjutus oppressam tenet Bilem*; tamdiu *Frigus* in multis circumstantiis plurimùm differens profert.

In Lumborum regione Vehemens. LXXIX. Nam 1. frequentissimè in *Lumborum Regione*, ubi confluxus est trium modo memoratorum in tenui Intestino Humorum, *Frigus angit vehemens*, quando Succus prædictus est Acidior & Pituita non valdè viscida, per quam penetrans Intestinorum Tunicam Frigoris Sensu afficit.

In eadem paucum vel nullum. LXXX. 2. In eadem Lumborum Regione *paucum vel nullum sentitur Frigus*, quando valdè Viscida existit Salivaris Pituita, Succi Pancreatici penetrationem ad Intestini tunicam impediens, unde tunc aut in *Ventris medio*, tenuis nempe Intestini parte ulteriore, aut *in extremis* duntaxat *corporis partibus* urget Frigus.

In Capitis partibus interioribus. LXXXI. 3. *In Capitis partibus Interioribus Frigus* maximè molestare videtur, quando idem Humore scatet Pituitoso, cui se jungens. Succus Acidus, ejusve Halitus, ibidem magis, quàm alibi, se manifestat, ægrumque torquet.

Pandiculatio, Inquietudo, Lassitudo. LXXXII. 4. Ab iisdem Halitibus lenioribus, & ob admistam Pituitam Intestinalem magis Flatulentis ad Pulmones tendentibus excitantur in Paroxysmorum plerorumque initiis *Oscitationes*, uti ab iisdem per Corporis Habitum dispersis *Pandiculationes*, *Inquietudines*, *Artuumque Lassitudines*.

Horor & Rigor. LXXXIII. 5. Ab iisdem Halitibus acrioribus, minusque Pituitæ admistæ habentibus, sed gradibus acrimoniæ differentibus producitur aliàs *Horror*, aliàs *Rigor*.

Doloris Rodentes, Lancinantes. Ventris Tormina, Dolores Gravantes. LXXXIV. Ab 6. iisdem Halitibus, majorem acrimoniam obtinentibus *Dolores Rodentes*, *Lancinantes*, *Ventrisque* adeò *Tormina* gignuntur: sicut ad admista multa Pituita *Dolores Gravantes* magis ac *Contundentes*:

Pulsus Frequentior. LXXXV. 7. *Pulsus* mox cum accessu *Frequentior* existit propter irritationem Cordis ab Halitibus tum flatulentis, tum acribus eò tendentibus: Idem aucto Frigore paulatim redditur *Minor* ratione Aciditatis auctæ in Halitibus assurgentibus, Sanguinisque magis coagulati, adeoque ad sui rarefactionem minus apti: Unde non mirum, si præterea cum *Animali* Motu universo *Debilior* fiat Pulsus; qui proinde urgente valdè Frigore vix, aut ne vix quidem observari potest. *Minor.* *Debilior.*

Anxietas circa præcordia. *Nausea.* *Vomitus.* *Alvi fluxus.* LXXXVI. Ubi autem omnis Succus Pancreaticus stagnatione acrior factus effusus est in tenue Intestinum, atque *Bilis* aut *per se Acrior existens*, aut *propter vitiosam* cum dicto Succo factam *Effervescentiam Acrior facta* vicissim *dominium nanciscitur*, qui tunc ferè *plures* attolluntur *Halitus* magis *Biliosi*, *Anxietatem circa præcordia* solent parere, quin nonnunquam *Nauseam*, *Vomitumque*, aut subinde *Alvi fluxum*, de quibus postea agemus pluribus.

Sitis. LXXXVII. 2. Ab iisdem Halitibus magis Biliosis partim ad Ventriculum, hinc & Fauces assurgentibus, partim ad Cor & Pulmones transeuntibus *Sitis* excitatur.

Pulsus Major & Robustior. LXXXVIII. 3. Bile dominium in Corde quoque recuperante, Sanguis paulatim magis rarefit, *Pulsusque Major* fit, & *Robustior*; permanente nihilominus priore *Frequentia*, propter irritationem non minùs à Bilis Acrimonia & Sanguinis rarefactione aucta Cordis contingentem.

Calor & Ardor. LXXXIX. Sed imprimis 4 *Calor & Ardor* in Corde, hinc & Universo *augetur* Corpore propter imperantem successivè Bilem.

Linguæ Ariditas. XC. Nec mirum proinde, si tunc 5. Ardori tali copuletur *Linguæ Ariditas*, cùm Halitus è Sanguine in Pulmones delatu per asperam arteriam effusi eandem exsiccent.

Respiratio difficilis & aucta. XCI. Nec mirum si 6. Rarefacto valdè Sanguine *difficilius* procedat & *augeatur Respiratio*.

Æstus, Dolor & Pulsatio. XCII. Nec mirum, si 7. *Capitis* præsertim *Æstus*, *Dolor*, *Pulsatioque* angat ægros, postquam nulla Corporis Pars tot habet Arterias, tantum accipit Sanguinis, quàm idem Caput: in cujus Temporali regione cum sint notabiles illæ Cerebri anfractuosæ Fissuræ, per quas grandes feruntur Arteriæ, ibidem *Pulsatio*, quàm alibi sentitur molestior.

Vigiliæ Delirium. XCIII. Nec mirum quoque, si 8. tum *Vigiliæ* tam frequenter urgeant, tum non rarò *Delirium*. Vitiosi namque producuntur tunc necessariò Spiritus Animales, Moventur iidem turbulentè, quin à quiete, tranquillitate saltem naturali impediuntur, quapropter Mens illius egens turbatur; quin sæpenumerò *Amens* fit Æger.

Sudores, & Urinæ Excretio. XCIV. Postquam verò *Bilis* à Succo Pancreatico propter stagnationem suam Acriore facto similiter *Acrioris factæ æstus* præternaturalis *ac furor paulatim remittere incipit*, jamque ad serenitatem, tranquillitatemque pristinam Universi Corporis Humores disponuntur, Qui durante paroxysmo turbulento penitiùs erant confusi, jam sensim ab invicem rursùm secerni ac secedere, quin eorum aliqui unà cum Potu liberaliùs assumpto per *Sudorem*, aut *Urinas* excerni solent.

Somnus blandus. XCV. Quemadmodum autem durante & urgente paroxysmo Vigiliæ angere, sic eodem declinante *Somnus blandus* fatigatis obrepere solet, atque ipsos iterum recreare.

Minus tranquillus, & Insomniis gravis. XCV. Quòd si arctiùs uniti Corporis Humores ex parte duntaxat secesserunt iterum ab invicem, *Somnus* observatur *minùs tranquillus*, & *Somniis vel Insomniis gravis*; qui Affectum potiùs ingravescere, quàm minui testatur.

Causa Febrium. *1. Algentiũ.* XCVII. Sed, ut omnes à nobis enumeratas Febrium species ordine persequamur, 1. *Algentes* ortum suum debent *Succo Pancreatico Acidiori*, & *Pituitæ satis Copiosæ ac Viscidæ* juncto, *Bile* interim existente valdè inerte.

2. Ardentiũ. XCVIII. 2. *Ardentes Febres* originem trahunt à *Succo Pancreatico minùs acri & Pituita pauca, minùsque Viscida*, *Bile*, autem tum *Acri*, & *Oleosa*, tum *Copiosa*.

3. Epialarũ. XCIX. 3. *Epialas Febres* puto esse duplices Intermittentes, sed utrasque à *Succo Pancreatico Acriore*, *Bileque* itidem *Acri* productas, & ita quidem, ut continuò unius Frigus concurrat cum alterius Ardore, atque prioris paroxysmus novus & Frigus revertatur, quando posterioris Calor incipit augeri & Ægrum angere.

4. Sitibundarum. C. 4. *Sitibundas Febres* adscribo *Sali Acriori* in *Bile* existenti; cui si Comes adsit *Oleositas* multa; urget Sitis maximè durante Calore; Sin eadem fuerit parcior, etiam vexante Frigore: Vis autem Ipsius nocens manifestatur magis ad Succi Pancreatici post stagnationem febrilem erumpentis occursum, Effervescentiamque vitiosam.

5. Famelicum. CI. 5. *Famelicas Febres* deduco à *Succo Pancreatico* propter stagnationem suam *aciditate graviore, potenti tamen* prædito, quæ ad Ventriculum usque ascendens tum Famem illam immanem, tum aliquando, si denegetur Cibus, Animi Deliquium, & alia Symptomata producat.

6. Cardiacarum. CII. 6. *Cardiacas Febres* parit *Succus Pancreaticus* stagnatione sua *Corrodentem* vim nactus, imprimis quando *Bilis* concurrit *Acris*, atque potens contingit ex ipsorum confluxu Effervescentia; unde Halitus accerrimi ad superius Ventriculi Orificium assurgentes ipsum acriter mordent acrodunt.

7. Torminalium. CIII. 7. *Torminales Febres* fiunt ab eodem *Succo Pancreatico* stagnatione sua tum *Acriore*, tum *Austeriore* facto, atque Acrimoniam suam nunc in Tenuia, nunc in Crassa quoque Intestina exerente: Cum quo si concurrat *Pituita Viscida*, & *Bilis mediocriter saltem Acris*, *Flatus* excitantur, qui unà cum Intestinis Abdomen distendant & Colicum Dolorem importunum Febris Comitem pariant.

8. Syncopalium. CIV. 8. *Syncopales Febres* itidem *Succo Pancreatico* debentur, sed stagnatione sua *Volatilem magis, quàm Acrem Aciditatem* nacto, *Bile* interim existente *pauca vel inerte*; unde idem absque mora per Lacteas Venas versus Cor penetrans non tantùm quaquaversùm prorumpit, ac *Sudorem frigidum* excitat, verùm *Sanguinem* quoque mox ita *coagulat*, ut ad tempus sensibiliter rarefieri non possit, nec proinde *Pulsus* observari, donec cessante hujus Succi nocentissimi accessu paulatim aliquid virium recipiat Bilis, atque videatur Æger tunc à Mortuis redire ad Vivos.

9. Præfocantium. CV. 9. *Præfocantes Febres* tribuo *Halitibus Austeris* è *Succo Pancreatico* propter sui stagnationem *Austeriore* facto in sui cum *Bile* Effervescentia excitatis, nec tantum ad Ventriculum, ac OEsophagum, verùm per Lacteas Venas, Ductumque Thoracicum ad Cor etiam & Pulmones assurgentibus, atque in OEsophago *Suffocationis Sensum*, in Pulmonibus autem *Suffocationem* veram nonnunquam producentibus.

10. Anhelosarum. CVI. 10. *Anhelosas Febres* itidem *Halitibus*, sed *minùs Austeris* modo simili ex *Succo Pancreatico minùs Austero*, sed *Pituitæ Viscidæ* in tenui Intestino concurrente misto eductis, & ideò *magis Flatulentis* acceptas puto referendas è quibus facile, tantumque Symptomata omnia §. 2. enumerata possunt deduci, & satis commodè explicari.

11. Asthmaticarum. CVII. 11. *Asthmaticas Febres* producit meo Judicio *Pituita Viscida* in tenui Intestino reperta, & à *Succo Pancreatico* Febrilem Paroxysmum excitaturo soluta, quin unà cum ipso ad Cor ac Pulmones delata, ibidem hærens atque Stertorosam Respirationem proferens, dum multi, paucive Flatus simul ex eadem prodeunt; & Paroxysmum graviorem, aut leviorem, longiorem, aut breviorem faciunt.

CVIII. 12. *Tussiculosas Febres* rarius Flatus, sæpiùs Halitus, non tam Viscidi, quàm Acres proferunt, partim *Succo Pancreatico*, partim *Pituitæ Intestinali*, sed *acrioribus & mordicantibus* adscribendi, quoties illi ad Pulmones pertingunt, Ipsosque irritando ad continuò tussiendum irritant & cogunt. *12. Tussiculosarum.*

CIX. 13. *Catarrhales Febres* debentur *Humoribus in Capite* paulatim *collectis*, atque ab Intermittentis Febris Causa eò delata solutis, & ad sui Distillationem ac defluxum quaquaversùm commotis. *13. Catarrhalium.*

CX. 14. *Arthriticas Febres* quæro in *Succo Pancreatico ita corrupto*, ut *Articulis* potissimùm sit infestus, sive *Acrimonia* simul, quod frequentissimum, insigni præditus *Bilem*, cum qua vitiosè efferbuit, unà secum eò deducat, & Dolorem atrocissimum producat; sive *minùs Acer*, atque *Pituitam Viscidam* non item Bilem Acrem offendens ab eadem assumpta plurimum obtundatur, atque Tumore OEdematoso, quàm Dolore acuto affectæ partis Motum potiùs impediat. Vbi notandum sæpenumerò; indies, alternisve diebus qui repetunt, Paroxysmos Febriles nullo vel notabili, vel molesto Frigore, Caloreve, at potiùs levi Capitis Dolore, ac subinde Siti Ægros urgere, concurrente Pulsu aliquantò Frequentiore, atque Minore primùm, deinde aliquantò Majore: ex quibus quoque Paroxysmus novus notatur; exacerbatis post aliquot demùm horas Doloribus Arthriticis, & quidem ita, ut quamvis tardiùs, citiùsve ipsi ex parte iterum remittant, non tamen in totum intermittant, verùm sublatò licèt Paroxysmo Febrili persistant nihilominus Articulorum Dolores nunc graviores, nunc leviores, donec tandem aut sponte, aut arte discedant. *14. Arthriticarum.*

CXI. 15. *Insanas Febres Bili* præsertim jam per se *satis Acri*, ad occursum tamen *Succi Pancreatici* novum Paroxysmum Febrilem parientis *Acriori factæ* tribuendas cætera Symptomata ipsas ferè comitantia evincunt. *15. Insanarum.*

CXII. 16. *Vomitorias Febres* ab eadem *Bile* valdè *Volatili*, & quandoque simul *Acri* ad prædictum *Succi Pancreatici* affluxum, ipsumque consequentem vitiosam Effervescentiam multum agitata & ad Ventriculum assurgente petendas nemo non videt; quod Bilis nunc flava, nunc Æruginosa simul excreta confirmat. *16. Vomitoriarum.*

CXIII. 17. *Cacatorias Febres Bili* quoque, sed minùs Volatili, & *magis Acri*, ad notatum vero *Succi Pancreatici* accessum adhuc *Acriori* factæ; hinc & post solutam Intestinalem Pituitam ipsa Intestina mordenti & ad Contentorum propulsionem deorsùm irritanti & cogenti omnino puto assignandas. *17. Cacatoriarum.*

CXIV. 18. *Sudatorias Febres* ipsi *Succo Pancreatico magis Volatili*, *quàm Acri*, & ideò Sanguinis Massam solventi potiùs, quàm coagulanti existimo adjudicandas. *18. Sudatoriarum.*

CXV. 19. *Vreticas Febres* ab eadem Causa, sed minùs Volatili produci sum persuasus, postquam non tantùm eadem est Sudoris, quæ Vrinæ Materia, verum ab externo frigore impeditus Sudor Vrina reddere solet copiosiores. *19. Vreticarum.*

CXVI. 20. *Sputatorias Febres* ab eodem deduco *Succo Pancreatico*, stagnatione sua ita vitiato, ut in Paroxysmi Febrilis productione ad Salivares Glandulas copiosus deferatur & Salivæ cum copiosiori materiam, tum fluidiori ansam præbeat. *20. Sputatoriarum.*

CXVII. Plurium aliarum Intermittentium Febrium cum gravissimo *Capitis*, *Dentium*, aliarumve partium Dolore, aut alio Symptomate notabili molestarum Causas ex iis, quæ nunc dicta sunt, non ita difficulter ab Ingeniosis elici posse confido, quapropter, antequam ad omnium, singularumque jam propositarum, expositarumque Febrium Curationem accedam, Earundem secundùm Accessuum, & Paroxysmorum Intervallis nunc brevioribus, nunc longioribus redeuntium diversitatem in Quotidianas, Tertianas, Quartanas, *Reliquarũ.* *Ratio & Causa Febrium Intermittentium secun-*

Paroxysmorum intervalla.

nas, Quintanas, cæterasque distinctarum Rationem, Causasque, quas puto verissimas, proferam explicatasque Opinioni meæ applicabo.

Humores hic considerandi.

CXVIII. Quamvis autem Typorum horumce rationem diversam Humoribus diversis vulgo adscriptam in totum haud sequar, non puto tamen Humores illos diversos hic negligendos, cùm, si, non immediatè illam diversitatem producant faciant tamen multùm, aut mediatè tantùm, ad illius productionem, sicut patebit ex dicendis.

Differentia Paroxysmorum causa.

CXIX. Quemadmodum ergò Cujusvis Febris Intermittentis Paroxysmus novus secundùm ea, quæ docui, excitatur toties, quoties à Succo Pancreatico propter stagnationem suam Acriore facto perforatur Pituita Ductum ejus Lateralem obstruens, transitque nominatus Succus ad tenue Intestinum, hinc post qualitercunque vitiatam cum Bile Effervescentiam & alia Symptomata ibidem ac in vicina producta per Lacteas Venas, Ductumque Thoracicum, ac Venam Cavam superiorem in Dextrum Cordis Ventriculum, & sic porrò: ita *citiùs*, *tardiùsve excitatur* idem *Paroxysmus novus*, prout *citiùs*, *tardiùsve penetratur*, *perforaturque* à memorato *Succo Pancreatico Pituita Ductum* ipsius *Lateralem obstruens*.

CXX. Hæc autem *Pituitæ Obstruentis* Penetratio ac *Perforatio citiùs*, *vel tardiùs* contingit tum ratione ipsius *Pituitæ Ductum Obstruentis* tum ratione *Succi Pancreatici eam Perforantis*.

CXXI. Quò namque *Viscidior & Copiosior* existit illa *Pituita*, eò difficiliùs, adeóque *tardiùs* eadem *perforabitur*: & contrà, quò eadem *minùs* existit *Glutinosa & Paucior*, eò *perforabitur* faciliùs, adeoque *citiùs*.

CXXII. Quò rursus existet *Succus Pancreaticus* per se *Acidior*, simulve *Copiosior*, eò citius acquiret stagnatione sua majorem, atque *Pituitæ Obstruenti faciliùs*, *citiùsque perforandæ* sufficientem Acrimoniam: & contrà, quò *Succus* idem *magis* existet *Obtusus* vel *Austerus & Paucus* eò difficiliùs & *tardiùs* eidem Pituitæ perforandæ sufficientem acquierat Acrimoniam.

Causa Febris Quotidianæ.

CXXIII. Quò igitur *Pituita* Obstruens *Paucior* erit & *minùs Glutinosa*, *Succus* vero *Pancreaticus Acidior*. *& Copiosior*, eò *citiùs* continget novus Intermittentis Febris Paroxysmus, adeóque *Quotidianus*, hoc est, intra horas circiter quatuor & viginti recurrens.

Quartana, vel Quintana.

CXXIV. Quo verò *Pituita Obstruens Viscidior* erit *& Copiosior*, *Succusque Pancreaticus Obtusior vel Austerior & Paucior*, eò *tardiùs* eveniet novus Intermittentis Febris Paroxysmus, adeoque *Quartanus* vel *Quintanus*, & sic porrò.

Tertiana.

CXXV. Quoties autem 1. *modo medio* se habebunt *Pituita Obstruens*, *Succusque Pancreaticus*, vel 2. cum *Pituita Obstruente Viscidiore aut Copiosiore* concurret *Succus Pancreaticus per se Acidior aut Copiosior*, vel 3. cum *Pituita minùs Glutinosa*, *Paucave Succus Pancreaticus* existet itidem *minùs Acidus*, *Paucusve*, toties alternis ferè diebus recurrent novi Febrium Paroxysmi, producentunque *Tertianæ*, supra cæteras Febres Intermittentes omnes multùm in suis Symptomatibus differentes: & quidem propter triplicem modò memoratum pituitæ Obstruentis, Succique Pancreatici eam Perforantis respectum possibilem.

Febrium Anticipatio & Postpositio.

CXXVI. Notandum autem, non nisi raró Febres Intermittentes intervallis naturalium Dierum, horis quatuor & viginti terminatorum exactis recurrere; quin sæpiùs aut citiùs, aut tardius reverti: quocirca tunc horis aliquot tempus constiturum, expectatumque *anticipare* dicuntur, quod culpatur, vel *postponere*, quod laudatur: quamvis parum referat sive postponant, sive anticipent *Paroxysmi*, dummodò eorundem *duratio*, *Symptomatumque* comitum *gravitas* in dies minuatur; ad quod imprimis attendendum Medico ad prognosin ex arte formandam, & mutationem futuram certò prædicendam.

CXVII. Ex iis, quæ jam dicta sunt, non ita difficulter Intermittentium Febrium & *Multiplicium*, & *ex variis Compositarum Causæ* poterunt inveniri ac reddi, *Obstructionem* puta tum *variæ*, tum *in variis* Pancreatis *Ductibus* Lateralibus *simul productæ*.

Febrium Compositarum causa.

Causa mutationis Febris Simplicis in Multiplicem.

CXXXVIII. Difficultas verò haud contemnenda superest magis urgens in explicanda *cujusvis Febris Intermittentis Simplicis*, Quartanæ scilicet, aut Tertianæ *Multiplicatione*, hoc est, in Duplicem, Triplicemve Mutatione: quam ego arbitror accedere, quoties ob *erratum in Diæta*, *Medicamentisve*, aut *Venenis* potiùs perperam usurpatis patratum *Pituita nova* in Corpore ac intestino tenui præsertim solvitur, hinc & unà cum Sanguine quaquaversùm, ergò ad Pancreas quoque propellitur: Quæ in uno pluribusve ipsius Ductibus priùs non affectis quacunque de causa iterum coagulata, Obstructionem à priore magis, vel minùs differentem producens, Febrem quoque producet priore magis vel minùs gravem. Atque hoc ita fieri quotidiana si non evincit, certè abundè confirmat Experientia.

Curatio Febrium Intermittentium.

CXXIX. Postquam verò nullà nunc observatur ampliùs menti meæ circa Intermittentium Febrium Causas difficultas notabilis, quam putem posse Ingenio, Iudicioque pollentibus, atque ad ea, quæ hactenus dicta sunt, attentis & imprimis rerum naturalium ipsarum observatoribus accuratis facere ullam remoram: conferam me recta ad Earundem *Curationem*.

CXXX. Quemadmodum verò in verarum Causarum investigatione & assignatione *Febres Intermittentes* consideravimus, & quà sunt *Intermittentes*, & quà *his vel illis comitatæ* sunt *Symptomatibus* & quà *his vel illis revertuntur Intervallis*, ita nunc in *Earundem Curatione Dogmatica* proponenda Methodum servabimus eandem, attendemusque ad eadem, postquam illis accuratè ac ritè observatis Cura sequetur ex Arte tum facilior, tum fœlicior.

Qua ratione peragenda.

CXXXI. Quoniam igitur *Febrium Intermittentium, quà Intermittentium*, *Causa* nobis est visa & constituta *Succus Pancreaticus* propter Ductuum suorum Lateralium à Pituita in ipsis coagulata productam Obstructionem *factus* stagnatione *Acidior*, *Acriorque*, hinc post per terebratam obstruentem Pituitam in tenue Intestinum delatus, ibidemque *vitiose cum* occurrente *Bile atque Pituita Intestinali Effervescens*, mox cum iisdem quavis demùm forma usque ad dextrum Cordis Ventriculum serpens, ac in eo non tantùm Acrimonia sua vel Flatulenta *Cor irritando Frequentiorem Pulsum excitans*, verùm insuper *Vitalem Effervescentiam*, ipsamque *Sanguificationem* modis variis *alterans & turbans*, tum cætera *Symptomata* omnia superiùs notata, explicataque variis in locis proferens, *Curatio* illarum absolvetur, si 1. *Pituita obstruens* plùs, minùsve glutinosa & coagulata *Incidatur*, *solvaturque*, quin *inde*, loco nimirum peccans, *removeatur*, & *ad tenue saltem Intestinum deducatur*, *aut in totum è Corpore educatur* 2. *Succi Pancreatici Aciditas & Acrimonia aucta Temperetur & Corrigatur*. 3. *Ejusdem ac Bilis Effervescentia* in tenui Intestino *vitiosa Impediatur aut Emendetur*.

1. Pituita Obstruente incidendo.

CXXXII. 1. *Pituita Obstruens Incidetur* commodissimè *Aromaticis & Sale volatili quovis*, sed ita præsertim usurpatis, ut *Corpus* universum vel *Motu*, vel *Igne*, *Balneove* vel *Tegumentis* simul *incalescat*, quò Medicamenti vis quaquaversum dispersa pertingat quoque ad ipsum Pancreas, ejusque ductus Laterales, Locumque adeò Affectum & Morbi Focum: Quæ conducunt imprimis *Melancholicis & Pituitosis*.

Mistura Melancholicis & Pituitosis utilis.

CXXVIII. Exempli loco esto Mistura sequens aliquoties in die ad Cochleare unum assumenda, duabus verò, tribusve ante novi Paroxysmi adventum horis ad Cochlearia tria usurpanda; Corporis calorem, sicut dictum, blandè simul augendo, etiam usque ad Sudoris mediocris eductionem: sic

enim

enim plus præstabit, & nonnunquam Febrem fœliciter tollet,

℞. *Aq. Petroselin.* ℥ ij.
Fœniculi, ℥ i.
Theriacal. simpl.
vel *Vitæ Matthiol.* ℥ jß.
Salis Volatilis Succini, ℈ i.
Syr. Cardui bened. ℥ j.
M.

Alia Biliosis conducens. CXXXIV. Quoties *Constitutio Ægri* vel *Naturalis*, vel *Præternaturalis* Observatur *Biliosa*, usurpari poterunt *Solventia*, *Incidentiaque Acida*, Ex. gr.

℞. *Aq. Fumariæ unc.* iij.
Salis Armoniac,
vel *Tartari Vitriolat.* ℥ j.
Antimon. Diaphoret. ℥ ß.
Syr. fœniculi, unc. j.
M.

Alia Pituitosis & Biliosis utilis. CXXXV. Quoties simul *Pituitosi & Biliosi Humores* in eodem abundant Ægro, *ex binis modò laudatis Subcontrariis* parari poterunt hæ misturæ. Ex. gr.

℞. *Aq. Card. bened.*
Cichorei, an. unc. jß.
Theriac. simp.
Aceti stillatit. an. ℥ vj.
Ocul. Cancr. pulver. ℥ ß.
Syr. 5. rad. unc. j.
M.

CXXXVI. Si *Obstruens Pituita non* fuerit *valdè glutinosa*, una sæpè Sudatione tali solvitur in totum Obstructio, deducitur que ipsius Causa in tenue Intestinum, & Curatur Febris.

Pituitam obstruentem removendo. CXXXVII. Potest in Corpore *Pauca Pituita*, sed *copiosiore Bile* scatente quatuor, tribusve ante Paroxysmi reditum horis *Vomitorium* exhiberi; cujus ope non tantum *Bilis redundans*, sed simul *Pituita obstruens* ad tenue Intestinum, hinc ad Ventriculum, & tandem per Gulam & Os expellitur, Febrisque sic jugulari dicitur, quia tollitur. In quem finem usurpavi sæpè cum fœlici successu *Sapam Vomitoriam* ex *Antimonii Vitro* a Me paratam, & alia ex Antimonio hic præ aliis omnibus convenient similiter paranda medicamenta.

Purgando per alvum. CXXXVIII. Idem præstant subinde *Purgantia per alvum*, sed additis semper, quæ simul incidant & edoant Pituitam viscidam. Ex. gr.

Pilulis. ℞. *Mass. pilul. fœtid. maj.* ℈ ß.
Troch. albandal,
Mercur. dulcis, an. Gran. v.
Ol. succini, Gutt. ij.
M. f. Pilul. N. v.

Earum Usus. Inaurentur, & quatuor vel quinque ante futurum Paroxysmum horis assumantur, Corpusque blandè moveatur.

2. Succi Pancreatici Aciditatem temperando CXXXXI. 2. *Aucta Succi Pancreatici Aciditas* & *Acrimonia Temperabitur* fœlicissimè *Salibus Volatilibus*, & *Aromaticis* omnibus, non neglectis *Opiatis*. Conveniet proinde in hunc finem mistura §. 133. proposita, eritque magis efficax, si eidem addantur,

Laud. Opiat. Gran. iij.
& *Ol. Garyophyll.* Gutt. ij.

3. Succi ejusdem & Bilis Effervescentiam impediendo CVL. 3. Ejusdem *Succi Pancreatici & Bilis Effervescentia vitiosa Impedietur*, emendabitur saltem ac *Corrigetur* laudata modò Mistura, & imprimis propter *Opium* Oleositate sua utrumque Acre mirè liniens, ac temperans.

C X L I. Atque ex paucis hisce formulis facilè quivis junior Practicus alias excogitabit pro re nata præscribendas & in nonnullis variandas; si præsertim attentus fuerit ad omnia, quæ hic offendet tum Præcepta, tum Formularum Exempla.

Symptomatum curatio. CXLII. Postquam verò præmisimus Febrium intermittentium, quà Intermittentium Curationem Rationalem multiplici Experientia confirmatam, videndum quid ad sui *Curam indicent*, desiderentque *Symptomata* insigni sua diversitate notabilia, Ægrisque tam sæpè tam molesta.

CXLIII. *Frigori*, *cæterisque Symptomatibus* ipsum comitari solitis conducet Mistura §. 133. præscripta, sed additis; quæ §. 139. laudavimus; postquam nil observavi hactenus æquè Frigus temperare, atque *Garyophillorum Oleum*. Potest autem, quandiu Frigus angit, ter, quaterve in hora memoratæ Misturæ, aut similis cochleare unum assumi ab Ægro. *1 Frigoris.*

CXLIV. 2. *Calori*, *comitibusque Symptomatibus* temperandis conferent Misturæ hinc inde positæ, ut & Apozemata cap. 29. §. 40. & seq præscripta, ad quorum imitationem facilè concinnabuntur plura. *2. Caloris.*

CXLV. 3. In *Epialis Febribus*, Medicamenta convenient ex prædictis subcontrariis composita, qualis Mistura §. 135. proposita; cui plures similes hinc inde habemus in hoc Tractatulo. & facilè est unicuique pro Symptomate magis urgente, atque post assumptum medicamentum Successu diverso quodvis mutare, aliudve fingere. Attendendum enim semper ad Juvantia & Nocentia, quin secundum ipsa non raro alteranda & innovanda sunt remedia; postquam in hoc etiam elucet Medicorum Iudicium ac Ingenium. *3. Epialarum.*

CXLVI. 4. Ad *Sitim leniendam*, *tollendamque* laudo, quæ cap. 29. §. 47. commendavi, & adjeci. Notandum autem licere durante Calore Potum assumere copiosiorem, quod cavendum urgente Frigore; quo tempore satiùs est Os Aqua pura, & subinde Vino mista colluere, atque Sitim fallere, quàm multùm bibere: quin tunc juvat Prunellæ lapis Potui additus, & quantitate parva sæpiùs sumptus. *4. Sitis.*

CXLVII. 5. Ad *Famem* Animi Deliquium minantem *compescendam* conveniunt omnia, quæ Acidum potenter infringunt, concentrantque, *Oculi Cancri*, *Margaritæ*, *Corallia*, *Creta*, &c. in pulverem duntaxat redacta, & Misturis aliàs conducentibus addita, vel seorsum ex aliu Liquore, Vino, Cerevisia, Iusculove ad aliquot grana subinde, donec Fames minui observetur, exhibita. *5. Famis.*

CXLVIII. *Cardialgia* toties tam acerba *Curabitur* imprimis *Opiatis*; quæ pro cæterorum Symptomatum simul concurrentium diversitate Medicamentis diversis erunt addenda; quoniam utrumque acre, unde ille Dolor Ventriculi ortum habet, demulcent ac leniunt. Assomentur autem illa sæpiùs & quantitate minore, donec, quod quæritur, obtineatur beneficium & Doloris diminutio, vel sublatio. *6. Cardialgia.*

CXLIX. In *Febribus Torminalibus* & *Colicis* conducet Mistura Cap. 29. §. 69. proposita & subinde cochleatim assumpta. Huc revocanda sunt, quæ cap. 14. §. 45. & seq. alibique pluribus sunt à me proposita. *7. Torminum.*

CL. 8. *Syncope* ut *præcaveatur*, commendo Misturam cap. 19. §. 74. præscriptam vel similem, aliquot ante Paroxysmum horis sæpiùs cochleatim usurpatam, & cætera ibidem laudata. *8. Syncopes.*

CLI. 9. *Suffocationes Hypochondriacæ* Febribus Intermittentibus junctæ minuentur, & curabuntur Medicamentis tum alibi, tum cap. 19. §. 71. & seq. à me propositis. *9. Suffocationis uterinæ.*

CLII. 10. *Anxietas Anhelosa* Febribus iisdem copulata cum eandem, ast leviorem agnoscat Causam, Medicamentis Curabitur, Minueturve similibus, tam instante, quàm incipiente Paroxysmo sæpiùs minore quantitate usurpatis. *10. Anxietatis Anhelosa.*

CLIII. 11. *Asthma* Intermittentis Febris comes Curabitur fœliciter post Humoris Pituitosi Glutinosi Incisionem *Vomitorio* aliquot ante paroxysmum futurum horis, & quandoque die ipsum præcedente assumpto, ac præcipuè in facilè vomentibus: Possunt enim aliàs *Phlegmagogis* potentioribus ac efficacioribus, (qualia sunt Mercurialia omnia, Colocynthis, Hermodactyli, &c.) per alvum evacuari per epicrasin. *11. Asthmatis.*

CLIV. Quoad *Humores Pituitosos è Capite* nonnunquam tunc simul *delabentes*, *atque asperam arteriam implentes* conducent eadem *Phlegmagoga* sæpiùs minore quantitate una cum incidentibus, pituitamque corrigentibus usurpata, & imprimis forma *Pilularum*, quales non semel præscripsimus in superioribus.

CLV. Quoad *Halitus Flatulentos* Asthma tam frequenter, si non in totum producentes, magnoperè saltem augentes, convenient omnia, quæ tum *illorum materiam*, *efficientemque causam emendant*, tum *illorum exortum impediant*, tum *eosdem productos discutiunt ac dissipant*, de quibus vide Capit. 14. in quo plurima continentur, quæ huc faciunt.

12. Tussis. CLVI. 12. *Tussim Febrilem* Curant, quæ *Halitus acriores* tum *temperant*, tum *discutiunt*. Id autem faciunt Opiata Volatilibus, Oleosisque Salibus juncta, sæpiùsque instantibus Paroxysmis quantitate parva usurpata, quò fœliciùs, citiùs, tutiùs, certiùsque id præstent. In eum finem Formula sequens laudanda.

Mistura. ℞ *Aq. Menthæ*, ℥ iii.
Spir. Carminant. nostr. ℥ i.
Salis Armoniac. Gutt. xx.
Laud. Opiat. Gr. iii.
Syr. Fænicul. ℥ i ß.
M.

CLVII. 13. *Catarrhi* unà *cum Febrili Paroxysmo* ad sui delapsum concitati, prout *Materia* constant *diversa* & *Partes* afficiunt *diversas*, Medicamenta desiderant diversa. In genere *corrigenda* eorum *qualitas vitiosa*, *minuenda* eorundem *copia*, & *corroborandæ Partes* ab ipsis affici solitæ.

13. Catarrhi.

CLVIII. *Catarrhi* proinde *crassi* & *viscosi* attenuandi & incidendi Aromaticis sæpiùs laudatis: *Serosi* verò & *Salsi* temperandi Oleosis & Opiatis passim propositis.

CLIX. *Evacuandi* crassi Phlegmagogis, Serosi Hydragogis.

CLX. *Corroborandæ Partes* affectæ, afficiendæve contra *Pituitam viscosam* & crassam per Aromatica ipsis grata; contrà *Serum Salsum* per Glutinosa, tum externa Emplastri, Unguenti, vel Linimenti; tum interna Pilularum, Tabellarum, Conditorumve &c. forma usurpata. Eorundem exempla non uno in loco exhibuimus.

13. Arthritidis. CLXI. 14. *Arthritidis* Febres Intermittentes comitantis *Curatio* consistet 1. in *Succi Pancreatici Emendatione Universali* in Superioribus satis proposita. 2. In *Bilis* per se, aut per accidens vitiosæ *Correctione* aut *Eductione* alibi data. 3. In *Pituitæ* qualiscunque simul peccantis *Alteratione* aut *Diminutione* itidem non semel in hoc Tractatulo exhibita. 4. Denique in *Articulis Affectis* tam contra *Futurum dolorem muniendis*, quàm *præsente ac urgente Dolore liberandis*.

Articuli contra futurum dolorem muniendi. CLXII. *Contra futurum Dolorem muniuntur Articuli* Medicamentis externis secundùm Humores varios Dolorem varium parientes variandis: Quæ cùm minùs efficacia desiderentur, quàm illa, quæ urgentes Dolores superare oportet, facilè ex ipsis ordine proponendis seligentur.

Dolores præsentes qui tollantur. CLXIII. *Præsentibus* igitur ac *Urgentibus Doloribus ut Dogmaticè*, hoc est, tam secundùm Rationem, quàm secundùm Experientiam *liberentur Arthritici*, cùm non semper iisdem Medicamentis, ne quidem in eodem Paroxysmo, liberentur iidem, nedum omnes Arthritici, considerandum illud evenire, quatenus non tantùm in diversis Ægris, sed in iisdem quoque diverso Paroxysmi tempore Causæ Dolorum existunt sæpenumerò diversæ.

In diversis Ægris. CLXIV. In *Ægris diversis* existunt Causæ Diversæ, quatenus aliàs *Bilis*, & quidem diversa, aliàs *Pituita*, itidem diversa copulatur primariæ Arthritidis Causæ, *Succo Pancreatico* similiter plurimùm diverso.

In Eodem Ægro. CLXV. In *eodem Ægro* sed diverso Paroxysmi tempore Causæ Dolorum Arthriticorum existunt diversæ, quatenus in principio nocet imprimis atque Acrimonia sua Acida Dolorem parit *Succus Pancreaticus*, posteà vero ipsi copulatur, ipsiusque Acrimoniam vel infringit, vel immutat *Bilis*, pro vitii sui diversitate Dolorem pariens diversum, & imprimis *Ardore* summo molestum; cùm à Succo Pancreatico excitetur Dolor magis *Rodens*, quàm Ardens: quod accuratè observandum ad Dolorem utrumque specialibus præsertim Medicamentis potenter corrigendum; potest namque blandioribus & imprimis *Oleosis* utraque Acrimonia commodè ac fœliciter demulceri, sicque Dolor leniri.

CLXVI. Hinc est, quòd *Cataplasmata* ex Farinaceis & Lacte Bubulo parata conducant omnibus penè Arthriticis quovis Dolore Laborantibus. Ex. gr. *Omnibus Arthriticis utile Cataplasma.*

℞. *Farin. rad. Althææ*,
Sem. Lini,
Hordei, *an.* ℥ i.
Coq. cum Lacte Bubulo ad Pultis consistentiam.
F. Cataplasma; *quod mediocriter calens applicetur.*

CLXVII. Ubi *Ardor* Summus concurrit, & *Bile* corpus scatet *Acri*, loco Lactis dulcis substitui potest *Lac Ebutyratum*. *In Ardore.*

CLXVIII In *constitutione pituitosa* addentur commodè Farina Fabarum, Flores Chamæmeli, Sambuci, & alia leniter *Incidentia*. *In Constitutione Pituitosa.*

CLXIX. Laudatur meritò à multis Cataplasma ex Triticei panis optimi, hoc est, ex farinæ flore solo parati mica, Croco & lacte Bubulo decoctum, dolores quosvis admodùm demulcens. *Cataplasma.*

CLXX. Cui *Epithemata* placent magis, ei sequens commendo in *Ardore* summo tepidè applicandum, & ubi exsiccatur renovandum. *Epithema in Ardore.*

℞. *Aq. Sambuci*,
Fumariæ, *an.* ℥ iv,
Aceti Calendulæ; ℥ ii,
Opii Thebaic. ʒ ß.
M.

CLXXI. Quoties *Dolor magis Rodens*, quàm *Ardens* urget, toties laudo *Epithema* sequens similiter usurpandum. *Aliud in Dolore erodente.*

℞ *Aq. Petroselini*, ℥ v.
Aq. Theriac. simp. ℥ i.
Opii Thebaic. ℈ i.
F. M. Epithema.

CLXXII. Quoties in Corpore valdè Pituitoso minùs Dolor, magis *Motus Impotentia* Ægrum molestat, toties commodè usurpabuntur magis Aromatica, tum in Cataplasmatibus, tum in Epithematibus, tum Emplastris, Unguentis, aut Linimentis, missis tunc ferè Opiatis; utpote tunc minùs requisitis, vel utilibus. Ex. gr. *In Motus impotentia.*

℞ *Rad. Iridis Florent. pulverat.* ℥ i.
Fol. Menth.
Summ. Absinth.
Flor. Chamem. an. M. ii.
Sem. Cumini pulv. ℥ i ß.
Farinæ Fabar. ʒ ii.
Coq. ex Aqua pura ad Cataplasmatis consistentiam, addendo sub finem *Cataplasma.*
Aquæ Theriac. Simpl. unc. ij.
M. f. Cataplasma, quod calidè applicetur.

CLXXIII. Quorum Cutis ferre potest pinguia; illis Unguenta & Olea possunt applicari, qualia sunt in *Ardore* urgente Populeon, Album Camphoratum, Rosatum, Refrigerans Galeni & similia. In *Dolore* autem *Rodente* Aregon & Martiatum. Juvat verò aliquando ista diversa commiscere, atque magis temperata reddere. *Quænam Unguenta & Olea sint applicanda.*

CLXXIV. Non ita pridem in *Dolore Podagrico valdè rodente* cum admiratione summa expertus sum vim stupendam *Balsami Sulphuris Succinati*, ad paucas guttas dolenti parti illiti, unde confestim Effervescentia in parte affecta excitata est calens, imò urens, at mox iterum cessans unà cum Dolore atrocissimo in momento quasi sublato. An verò idem sit futurus in omnibus successus meritò dubito, quandoquidem omnes oleosa; & impri- *Balsami Sulphuris Succinati Vires in Dolore Rodente.*

imprimis per distillationem parata ferre non possunt, ac Bilis Acrior in multis reperitur; existimo tamen eos, in quibus Acidum exuperat, & pituita redundat, illum Balsamum faciliùs toleraturos & commodum inde habituros. Cavendum interim ne diutiùs ejusdem usus continuetur, sed sublato dolore aliud medicamentum blandius porrò usurpetur ad partes membraneas iterum leniendas & paulatim restaurandas.

Salia Volatilia. CLXXV. Possent in eundem finem parari Vnguenta, vel Linimenta ex *Salibus Volatilibus* Axungia Porcina, Butyro, aliave Pinguedine exceptis.

Caphura. CLXXVI. Nec immeritò laudatur à multis *Caphura* tum Emplastris, tum Vnguentis, tum Linimentis, tum Epithematibus Spirituosis admista, postquam cuivis Acri temperando mirè conducit.

Saliva. CLXXVII. Nec desunt, qui ad partem affectam contra novos insultus muniendam commendant *Salivam* propriam ipsi manè inlinicatam: quod acceptum ferendum Salivæ, Humori Corporis nostri maximè temperato, & ideo utrique Acri temperando, Partibusque contra utrumque roborandis aptissimo.

CLXXVIII. Atque ex his paucis observationibus non ita difficile erit cætera Curandæ Arthritidi necessaria ex Scriptis Practicorum seligere atque in usum revocare.

15. Curatio Delirii. CLXXIX. 15. *Insanas Febres Curabunt* quæcunque Bilis Acrimoniam tum potenter, tum blandè corrigunt, temperantque, qualia sunt imprimis *Oleosa*, *Emulsiones*, & *Opiata* internè usurpata; eademque Capiti externè quovis modo applicata: quorum Formulæ hinc inde continentur in hoc Opusculo.

16. Vomitionis. CLXXX. 16. *Vomitorias Febres* optimè *Curabunt* omnia *Bilem figentia* & ad potenter Effervescendum ineptam reddentia, uti sunt quævis *Austera* ipsam inspissantia & coagulantia; ut & *Opiata* ipsam obtundentia.

17. Cacatoriarum. CLXXXI. 17. *Cacatorias Febres Curabunt* eadem simul juncta & partitis vicibus quantitate parva sæpiùs usurpata. Ex. gr.

Conditum.

℞. *Conf. ros. rub. unc. ij.*
Diascor. Frac. ʒj.
Conf. hyacinth ℈j.
Terræ sigill. ℈j.
Saug. draconis, ℈ß.
M. f. Conditum, ad Nucis Avellanæ quantitatem aliquoties in die devorandum.

Observatio. CLXXXII. Sunt autem hic præferenda Medicamenta forma ficciore parata & usurpata; quoniam Humida diluunt nimiùm Bilem, Succumque Pancreaticum, ac eorundem excitant, promoventque potiùs, quàm sistunt Effervescentiam. Unde tam in Vomitu, quàm Alvi fluxu compescendo juvat Potus parciùs assumptus, & imprimis Chalybeatus; vel Auro candente Auratus factus: sive is fuerit Cerevisia sive Vinum, & maximè rubellum, sive Lac bubulum, &c.

18. Sudatoriarum. CLXXXIII. 18. *Curatu* difficiliores sunt *Febres Sudatoriæ*, haud facilè nisi *Austeris* cessare. Usurpanda sunt autem illa in pauco liquore soluta, & quidem tum sæpiùs in die, tum quantitate parva, quò *Succi Pancreatici volatilitatem* paulatim atque continuò emendent ac corrigant. Ex. gr.

Mistura.

℞. *Aq. plantagin. unc.* iij.
Cinnamomi,
Aceti stillat. an. ℥ß.
Syr. portulacæ, unc. j.
Coral. rub. pulv. ʒj.
M.

Ejus Usus. Hæc Mistura cochleatim exhiberi potest, quam si quis velet potentiorem, addet ipsi *Acaciæ*, aut *Succi Hypocistidis* Scrupulum dimidium, vel etiam integrum.

19. Urticariarum. CLXXXIV. 19. *Urticis Febribus* conducent modò memorata Medicamenta, postquam utrarumque Causæ gradibus duntaxat differunt.

20. Sputatoriarum. CLXXXV. 20. *Sputatorias Febres* vix puto aliter *Curari* posse, quam Succum Pancreaticum vel ad Alvum, vel ad Vesicam, vel ad Corporis Superficiem Hydragogis, Diureticis, Sudoriferisve in tempore, hoc est, ante Paroxysmi adventum aut eodem inchoante assumptis deducendo ac educendo.

Odontalgiæ Curatio. CLXXXVI. Quamvis *Febrium Odontalgicarum* enarrationem in superioribus non addiderim, lubet tamen aliquid de earundem Cura hic adnectere. Consistet autem ipsa, præter generalia Intermittenti Febri debita remedia, in *Humoris Acidioris* Odontalgiam excitantis per Misturas sæpiùs ante Paroxysmi accessum, imò durante Paroxysmo cochleatim assumptas *temperatione*, atque blanda temperati tempore intermissionis *eductione*.

Mistura. CLXXXVII. In hunc finem conveniet Mistura sequens.

℞. *Aq. Betonicæ,*
Fœniculi, an. unc. ij.
Theriac. simpl. unc. iß.
Laud. opiat. Gr. iij.
Ol. caryophyl. Gutt. iv.
Syr. stœchad. unc. j.
M.

Theriacæ Vires. CLXXXVIII. Sæpiùs fœliciter ad Dolorem cum Lancinationibus repetentem minuendum applicui Regioni dolenti (nam rarò unùs Dens solus dolet) *Theriacam* recentem Corio Emplastri forma illitam.

Humor educendus Hydragogis. CLXXXIX. Humorem ex parte saltem modò laudata, similive Mistura temperatum educunt *Hydragoga* forma Ægro maximè accepta, & quidem minore dosi, sed vicibus iteratis exhibita. Sic enim fœliciùs tales tolluntur Dolores, quàm si potentissima dosi majore sumantur semel purgantia.

Febrium Quotidianarum, Tertianarum, Quartanarum, &c. Curatio. CXC. Atque ex hactenus prolatis arbitror unicuique patere, qui secundùm Symptomata molestiora succurrendum & occurrendum sit Febribus Intermittentibus ipsorum ratione tantam diversitatem patientibus. Restat, ut quædam de *Quotidianarum*, *Tertianarum*, *Quartanarum*, &c. *Cura* moneamus, postquam Ipsas non tam Humoribus diversis Pituitæ, Bili, Succoque Melancholico, quàm Pituitæ Obstruenti, Succoque Pancreatico diversimodè se habentibus adscripsimus.

Attendendum ad Symptomata comitantia. CXCI. In harum proinde Curatione non tam erit attendendum ad Recursus uniuscujusque Intervallum, quàm Symptomatum comitantium, & Frigoris præsertim, Calorisque diversitatem: nam secundùm hæc si, prout in superioribus docuimus, instituatur Cura, erit procul dubio illa fœlix, quemadmodùm contrà eandem observavimus sæpenumero infœlicem aut nullam, si ex imaginariorum Humorum tunc peccare creditorum præjudicio Cura instituatur Humoribus verè tunc peccantibus minimè conveniens.

Quod in Tertianis ex. gr. ostenditur. CXCII. Quamvis enim, ut exemplo rem illustrem, *Tertianæ* utplurimùm contingant *Æstate*, & quidem urgente solis æstu, in *Ætate Iuvenili* ac *Virili*, & maximè *Biliosis*; unde tunc meritò in earundem Curatione habetur simul *Bilis* tum per se, tum ratione Paroxysmi Febrilis mutuùm peccantis ratio exacta: non desunt tamen *Tertianæ*, quæ *Hyeme*, urgente gelu, *Senes*, *Pituitosósve* corripiunt, in quibus scatet *Pituita*; in quo casu, si quis ad *Bilis* temperationem aut eductionem imprimis attenderet, toto cœlo erraret. Nam sicut in plerisque Tertianis, *Æstus magnus*, Bilis tunc simul peccantis effectus, observatur, ita in nonnullis *nullus* vel *paucus* notatur *Æstus* Ægris molestus; pro hujus itaque nunc *præsentis*, non *absentis* varietate curam quoque variabit Medicus prudens, ac omni præjudicio liber.

CXCIII. Quod de Tertianis jam dixi, verum etiam comperiet in *Quotidianis*, *Quartanis*, &c. Medicus quivis ad Ægrorum querelas, & Practicorum accuratiorum Observationes, quàm Theo-

Theoreticorum Auctorum figmenta magis attentus, considerabitque in ipsis magnam tum Frigoris, tum Caloris, tum cæterorum pluribus ordine in superioribus notatorum Symptomatum diversitatem; secundùm quam sicut hactenus Deo benedicente longè fœliciùs, quàm multi alii præjudiciis suis vel alienis occœcati Medici fecerunt, meos curavi Ægros, ita ut eandem methodum servent ac sequantur seriò meos hortor Discipulos, imò Lectores quosvis Veritati & suorum Ægrorum Bono unicè addictos.

Attendendum ad Humores peccantes. CXCIV. Attendendum, inquam, semper in Febrium Intermittentium quarumvis Curatione Dogmatica & Rationali ad *Humores quosvis quovis modo in Corpore simul peccantes*, cùm ipsi *Causa* sint, cur *Pituita Obstruens* magis vel minùs existat glutinosa, cur *Succus Pancreaticus* sit magis, vel minùs acer, ac proinde *Paroxysmus* in omnibus suis *variet* circumstantiis, & *Symptomatibus*.

Bilem. CXCV. Quoties namque *Bilis* habet in corpore dominium, toties *Pituita* erit minùs viscosa, *Succusque Pancreaticus* minùs acer: ideoque faciliùs, citiùsque Curabitur hactenus Febris, dummodo curetur ritè.

Pituitam. CXCVI. Quoties autem *Pituita* in corpore Humoribus dominabitur cæteris, toties obtusiores erunt & *Succus Pancreaticus* & *Bilis*, adeóque *Pituita* ipsa *obstruens* magis glutinosa; unde segniùs, licèt satis facilè, curabitur illa Febris, leviora ferè habens omnia Symptomata.

Acidum. CXCVII. Quoties tandem *Acidum* redundans in Corpore Humoribus cæteris præcellit, toties *Bilis* erit magis fracta & iners, *Pituita* verò nunc glutinosior, & imprimis quando ad *Austeritatem* vergit Acidum; nunc fluidior & serosior, præsertim quando *Acrius* existit Acidum, & Bilis parti Salinæ penitiùs unctum, atque unà cum Pituita fluidiore *Serum* efformans *Salsum* sed *Muriaticum*: Unde tum segniùs, tum difficiliùs curabitur tunc Febris.

Quomodo Febres multiplices curentur. CXCVIII. Quà ratione autem procedendum sit in harum tot modis inter se differentium Febrium Cura Dogmatica, non minùs Experientia multiplici confirmata, quàm solida Ratione nitente, ex supradictis colliget facilè quivis tam Ingenio, quàm Iudicio præstans. Jubemus enim à Dogmatica Medicina recedere omnes laudatis Animæ dotibus destitutos.

Remissionis intervallū observandum. CXCIX. Quemadmodum Febres Intermittentes *Simplices*, ita curari debent *Multiplices*, nisi quod hic propter Intervallum Intermissionis, aut Remissionis brevius majore opus sit Medico circumspectione, exactaque occasionum idonearum observatione, postquam tum breviores, tum rariores solent illæ occurrere; quibus neglectis negligitur ferè simul, aut pervertitur ipsa Cura.

In Evacuationibus. CC. Dixi non tantùm Intermissionis, sed etiam *Remissionis Intervallum brevius* esse in Febribus Intermittentibus Multiplicibus, quàm Simplicibus; quoniam ob Paroxysmorum novorum duplicationem ac multiplicationem nulla sæpè observatur Febris plena Intermissio, sed Remissio duntaxat; quo tempore agenda sunt illa præsertim, quæ cum aliqua Corporis utriusque conturbatione peragi debent aut solent; quò spectant imprimis *Evacuationes per Alvum, & Vomitum*: quæ nisi tempore conveniente instituantur, nocent sæpè multùm, prosunt nihil: ut cum suo damno insigni experiuntur indies multi Ægri. Est igitur verè ille Medicus

Fœlix, quem faciunt aliena pericula cautum.

CAPUT XXXI.

De Febribus Synechis, vel Continuis in specie dictis.

Febris Synecha & Continua. I. SUperiùs, Cap. 27, §. 12. docuimus *Febres* occurrere *continuò* quidem *permanentes*, at *quotidie, aut tertio, quarto, aliove die novas Exacerbationes habentes*; quas vulgò ac benè *Quotidianas-Continuas, Tertianas-Continuas, Quartanas-Continuas*, &c. vocant, postquam revera ex *Continuis & Intermittentibus concurrentibus componuntur*; licèt aliter judicent, ac doceant multi Medici, Auctorum suorum placitis, quàm Ægrorum observationi magis attenti; unde ipsas subinde haud composito, sed simplici nomine *Synechas* & *Continuas* indigitant.

II. Utplurimùm autem in quavis Exacerbatione nova *nullum* observatur *Frigus*, quia Synocharum Calor perdurans illud infringere, atque Succi Pancreatici Aciditatem minorem superare solet Bilis Acrimonia & Oleositas excedens. *In ea nullum Frigus.*

III. Aliquando tamen vel *Horror*, vel *Rigor exiguus* in quavis sentitur Exacerbatione; quoties nempe Succi Pancreatici Aciditatem majorem undecunque ortam supprimere nescit Acrimonia Bilis remissior, quin quodammodo saltem per frigusculum, partiumve membranearum rosionem, hancque subsequentem Panniculi carnosi concussionem levem illa se manifestat. *Aliquando Horror vel Rigor exiguus.*

IV. *Plerumque* quidem sic Continuis copulatæ Febres Intermittentes sunt *Tertianæ*; *rariùs Quotidianæ*; *varissimè Quartanæ*. *Quænam Febres Continuis copulentur.*

V. Notabilis & gravissima Febrium harumce Tertianarum species *Causos* vocatur, sive *Febris Ardens*, in qua summus angit, ægrosque torquet *Æstus* ad finem usque perseverans, per intervalla licet tantillum remittens, hinc & graviùs iterum affligens. *Quin* præter illum *Æstum molestissimum* solet tunc *Ægros* vehementer urgere *Sitis*, uti contrà prosterni *Fames*. His accedit sæpenumerò *Linguæ Ariditas & Nigredo* cum *Labiorum Fissuris* atque *Exulceratione fœda*, supervenientibus tandem *Crustis horrendis*. Nec infrequens in hisce Febribus *Capitis Dolor gravis* una cum *Delirio* satis *vehementi*. In quibusdam primarium Symptoma est *Cardialgia difficilis*, *cum* vel *sine Vomitu* Ægris valdè molesto. *Singultus* quoque multis gravis quosdam torquet. *Alvi Fluxus* aliis evenit, aut *Hæmorrhagia* diversa. Quin non rarò *Sudores* copiosi unà cum exacerbatione quavis profunduntur, vel *Vrinæ* uberiùs effunduntur, unde corpora Ægrorum brevi colliquescunt, Febrisque ista in specie vocatur *Colliquans*. *Causos sive Febris Ardens.* *Ejus Symptomata.*

VI. In *Quotidianis* verò *Continuis Contundens Dolor Ægrorum Lumbos*, & *Dorsum Artusque* satis frequenter quassat. Quin nonnunquam cum Febris exacerbatione noua in *Animi Deliquium*, vel *Syncopen* quoque incidunt ipsi, unde tunc *Syncopalis* vocatur hæc Febris. *Quotidianarum continuarum Symptomata.*

VII. Quemadmodum igitur tam *Synochæ*, quàm *Intermittentes*, ita ex utrisque *Compositæ Febres*, à comitibus Symptomatibus gravibus denominationem singularem acceperunt tum apud Plebejos, tum apud Medicos praxim exercentes, atque in Cura ipsis meritò attentos. *Compositarū Febrium denominatio à Symptomatibus.*

VIII. *Primaria* quidem harumce *Febrium Synecharum, quæ cum calore insigni & continuo sunt Ægris molestæ*, *Causa* existit *Bilis* & *Acrimonia* & *Inflammabilitate* nimia peccans; unde non tantùm in dextro Cordis Ventriculo perpetuo vitiosam excitat Effervescentiam, sed in tenui quoque Intestino, ac præsertim accedente per Intervalla *Succo Pancreatico* propter sui stagnationem acriore facto atque paroxysmum obscurum producente. *Earum causa primaria quatenus ardore sunt molesta.*

IX. Earundem Febrium perpetuò ferè *Frigusculo* vel *Horrore* molestarum *Causa* primaria censetur mihi *Lympha* & imprimis *Succus Pancreaticus omnis Acrimonia Acida* peccans, & tum continuò, tum præsertim ad novi paroxysmi productionem *Halitus Acidusculos* ex Intestino tenui quaquaversùm propellens, atque Frigoris Sensum vagum excitans. *Quatenus Frigore vel horrore sunt molesta.*

X. *Symptomatum* cæterorum has Febres subinde *Earum Symptomata reliqua.*

inde cogitantium Causa & Ratio ex iis, quæ Capitibus præcedentibus dicta sunt, facilè capi potest, ut non videatur necessum illi rei amplius immorari.

Ut & Curatio.

XI. Sic & Ipsarum Curandi ratio ex prædictis non ita difficulter poterit peti, sequendo in plerisque Synocharum Curationem atque convenienter tempore usurpando insuper illa, quæ Obstructionem in uno pluribusve Pancreatis Ductibus existentem blandè solvant, Ipsumque Succum hactenus Acriorem corrigant.

Per Venæ sectionem. Sudorem. Purgationem.

XII. *Venæ sectio* quidem conducit tunc imprimis, quando *Ardor adest summus*; *Sudoris* autem excitatio, & quidem per Aromatica blandiora & Salia Volatilia, quando Acidi quovis modo molesti occurrunt signa; *Purgatio* denique per *Alvum* vel *Vomitum*, quando *Bilis* turget, urgetve copiosa.

CAPUT XXXII.

De Febre Hectica.

Febris Hectica quanam;

I. MUltùm celebratur apud Medicos *Febris Hectica* dicta, in qua præter *Pulsum Frequentiorem*, simulque *Parvum*, *Debilem*, ac quodammodo *Durum*, *Calor Ægris parùm molestus* deprehenditur; qui tamen *unâ*, *duabusve post assumptum Alimentum horis tantillum exacerbatur* & augetur, iterumque paulò post ad pristinam æqualitatem redit, atque *circa arterias*, quàm cæteras corporis partes, *major sentitur*. Huic accedit *continua*, *lentaque Corporis Emaciatio*, qua ad extremum deducta Febris hæc vocatur *Marasmodes*.

Eam à Salivæ vitio pendere.

II. Cùm semper *paulò post Alimentorum quorumvis assumptionem*, adeòque partis eorundem fluidioris ad Intestina deductionem plus minùs *exacerbetur hæc Febris*, non sine causa *semper Salivæ vitium notabile ad Ipsius productionem concurrere*, *aut ab ipso ipsam pendere* quis credat.

Ejus alia causa.

III. Ex *Rebus Non-naturalibus* dictis observantur Febres Hecticæ nonnunquam immediatè à *nimio Corporis exercitio*, *laboreve continuato*; quandoque *ab Ira vehementissima*, & imprimis à *Tristitia & Animi Mœrore immoderato*; quandoque à *Vigiliis multùm protractis*; subinde ab *Inedia diuturniore*, ut & *Alimentis parvi*, *pravive Succi*, & similibus ortum trahere.

Eam alios Affectus consequi.

IV. Sed observantur quoque Hecticæ Febres alios Affectus consequi, ac præsertim *Febres Diarias* errato in Diæta grandi debitas, ut & *Continuas*, *Intermittentesque* morosiores aut vehementiores; ac frequentissimè *Viscerum plerorumque*, maximè *Pulmonum Inflammationes*, hasque subsequentia *Apostemata*, & *Ulcera*.

Quinam Humores in Hectica peccent.

V. Cùm autem in Hectica Febre *Calor* sit *exiguus* ideòque rarò Ægris molestus, *Pulsusque Parvus*, *Debilisque*, judico peccare tunc imprimis *Glandularum Conglomeratarum Liquorem*, non *Salivam* duntaxat, sed ipsum quoque *Succum Pancreaticum*, & quidem *Viscidıtate aucta*, non item *Acrimonia* vel *Acida* vel *Austeritate molesta*, quamvis aliquandu *hanc* simul offenderim *gravem*: Unde *Bilem* simul concurrere *inertiorem* quis mirabitur, aut negabit; sed *Lympham* quoque tunc *obtusiorem* futuram nemo non videt.

Causa Contabescentiæ.

Exacerbationis.

VI. *Contabescentiæ* proinde in *Hectica Febre* molestæ *Causam* existimo *Viscositatem nimiam Humorum omnium*, ipsiusq; adeò *Sanguinis*, propter quam Partium Nutritio indies minuitur: *Exacerbationis* autem una vel duabus post Alimentorum assumptionem horis contingentis *Salivam* itidem *nimis Glutinosam*. propter quam fluidior Alimentorum pars citiùs ad Intestina descendens, ac Bili occurrens in Halitus similes ex parte saltem diducta & ad Cor deducta, ibidemque ampliùs rarefacta *Pulsum solito adhuc Frequentiorem*, inua quaqua versùm propulsa in *Facie* quidem *Ruborem levem*, ac in *Cute* reliqua *Calorem blandum*, quin alibi alia *Symptomata* pro soliquorum Humorum & Partium constitutione diversa excitat.

Pulsus Frequentioris. Ruboris. Caloris.

Appetitus prostrati.

VII. Propter notatam *Humorum* omnium *Tenacitatem Viscosam* minuitur, & tandem prosternitur *Alimentorum* omnium *Appetitus*, accedente ipsorum quoque *Fastidio*; quin eorundem impeditur & labefactatur *Fermentatio*, *Partium Utilium ab Inutilibus Secretio*, *Sanguificatio*, *Spirituum Animalium Generatio*, &c. Unde augetur in dies Bilis, Salivæ, Succi Pancreatici, & Lymphæ Glutinositas & Inertia, redditurque sic paulatim Malum gravius, tandem incurabile.

Fastidii. Fermentationis Alimentorum Sanguificationis. Generationis Spirituum Animalium.

Quando à nimio corporis motu est Hectica, quænam sit Humorum constitutio.

VIII. Quoties à *Nimio Corporis Motu* ac *Defatigatione* diuturniore producitur Hectica Febris, toties arbitror non tantùm *Spiritus Animales*, sed partem quoq; Sanguinis *Aqueam* nimiùm exhauriri, atque idcircò penitiùs unito *utroque Aeri Acriore facto* Humores omnes Viscosiores fieri, quin Functiones Naturales omnes, sicut modo dictum labefactari.

Ut & quoties est ab Ira.

IX. Quoties ab *Ira vehementissima* ortum habet Febris Hectica, toties à *Bile* tunc *Acrimoniam excedentem* nacta in consensum trahi *Acidum*, idemque itidem acrius factum notatam Unionem utriusque Aeris penitiorem promovere autumo.

Nec non quoties est à Mærore.

X. Quoties à *Tristitia & Animi Mærore immoderato* excitatur Febris Hectica, toties à *Succo Pancreatico Austeriore* facto Humores omnes Glutinosiores fieri existimo.

Et quoties est a Vigiliis nimiis.

XI. Quoties à *Vigiliis protractis* Febris Hectica efficitur, toties ob *Animales spiritus* nimiùm consumptos *Acrimonia in utroque Aeri aucta* eorundem *Unionem arctiorem* fieri, atque Humores omnes Interiores ac tenaciores produci censeo.

Quoties est ab Inedia.

XII. Quoties *Inediam diuturniorem* Hectica consequitur Febris, toties Alimentorum utrumque *Aere* demulcentium defectu *Acrimoniam utriusque intendi*, atque porrò *Unione intimiore* facta Humores viscosiores gigni judico.

Quoties est ab alimentis, parùm Nutrientibus.

XIII. quoties ab *Alimentis parùm Succi Nutritii blandi* continentibus eadem contingit Hectica Febris, toties idem, quod modò dictum, sed segniùs, evenit.

Quoties est ab alimentis pravis.

XIV. Quoties meliorum defectu, aut propter Picam neglectu ab *Alimentis pravi*, hoc est, *Glutinosi*, vel an às *Pinguis*, *Acrisve Succi* diutiùs usurpatis Febris oritur Hectica, toties aut per se, aut per accidens, sicut jam pluribus explicatum, Humores, citius tardiùsve fiunt nimis glutinosi.

Quoties Diariis succedit.

XV. Quoties *Diariis Febribus* succedit Hectica, toties secundùm varia Diætæ vitia ipsas producentia, prout modò deductum, hujus Origo petenda.

Quoties Synochum Febrem sequitur.

XVI. Quoties *Synochus Febres* sequitur Hectica, toties, ubi à *Bile vitiosa* istæ duxerunt ortum, partim *Acrimoniæ* ipsius secundùm § 9. partim *Medicamentis* eandem *alterantibus*, sed diutiùs & copiosiùs usurpatis, adeòque *Humores cæteros simul corrumpentibus* & *inspissantibus* ipsa est adscribenda.

Quoties Febrem intermittentem.

XVII. Quoties *Intermittentes Febres* abeunt in Hecticam, toties *Humores* tunc *maximè peccantes* plures; pauciores ve secundùm ea, quæ dicta sunt, eandem gignunt.

Quoties est ab Apostemate.

XVIII. Quoties denique *Viscerum* primariorum, ac præsertim *Pulmonum Inflammatio in Apostema deducta* Hecticam Febrem parit, toties à *Pure* tota *Sanguinis massa* inficitur & *Glutinositatem singularem* nanciscitur, quæ *Humoribus cæteris* communicata eosdem simili labe inquinat & ad Functiones Naturales ritè obeundas ineptos reddit.

Hectica Curatio.

XIX. Quamuis in *Corporis Contabescentia* conveniant omnes *Hecticæ Febris* species, non parùm differet tamen Singularum secundùm *Causarum* tam *diverse ipsam producentium diversitatem Curatio*.

Quomodo & quibus fiat.

XX. In Genere tamen propter *Humorum omnium Tenacitatem atque Glutinositatem noxiam* usurpanda erunt *Medicamenta*, quæ blandè ipsam

emen-

emendent ac corrigant, omnia nempe *Aromatica benigniora*, & *Salia Volatilia Oleosa*; quippe quæ Viscosum omne incidunt, alterant, & in statum naturalem deducunt.

Et qualibus.

XXI. Seligenda sunt autem talia, quæ Uniuscujusque Ægri *Constitutioni tum naturali, tum præsenti* maximè conducant & conferant; quod ex Juvantibus & Nocentibus facilè comperiet ac dignoscet Medicus.

In Diæta cora habenda. 1. Aeris. 2. Alimentorum.

XXII. In *Diæta* ritè regenda & dirigenda curandum sedulò, ut 1. *Aer* sit maximè temperatus vel natura, vel arte.

XXIII. 2. *Alimenta* sint *facilis fermentationis*, *Lac* puta vel *Muliebre*, vel *Asininum*, vel *Caprinum*, vel etiam, sicut hodie Mos invaluit, *Bubulum*, idque adhuc calens assumptum; *Juscula varia i Ovorum Vitelli*; *Caro Juniorum Animalium*; *Panis Triticeus* ritè fermentatus & coctus; *cerevisia* mediocris ac fermentata; *Vinum* maturum & oliogophorum, paucaque aqua dilutum, &c.

3. Animi Motus.

XXIV. 3. *Animi motus* sunto Moderati, cavendo imprimis ab iis, à quibus ortum habuit Febris Hectica.

4. Corporis Motus.

XXV. 4. *Corporis Motus* esto Blandus, & maximè, quando ab ejusdem excessu excitata est Febris Hectica.

5. Somni & Vigiliarum.

XXVI. 5. *Somnus & Vigiliæ* mediocritatem servent, tùm hic omnis excessus sit valdè noxius.

6. Excretionis.

XXVII. 6. *Excretiones solitæ*, ac imprimis *naturales*, atque *Individuo servientes*, nec Ægrum debilitantes, si segniùs procedant, promoveantur; cæteræ omnes vitentur, quales sunt Sanguinis, Seminis, Lactis Effusiones omnes.

Pro ratione Synocharum, aut Intermittentium Febrium curatio varianda.

XXVIII. Quoties *Synochis* aut *Intermittentibus Febribus* accedit, aut succedit Hectica, toties illarum ratione Cura erit varianda, & quidem pro Humorum diversorum diversimodè peccantium vitio diverso: quæ omnia ex Capitibus præcedentibus petenda.

Hectica ab Inflammatione, Abscessu, Ulcere, &c. incurabilis.

XXIX. *Inflammationes*, *Abscessus*, *Ulcera & Fistulas* consequentem Hecticam nemo curabit unquam, qui præter jam memorata remedia non usurpaverit quoque *Medicamenta potenter Ulcera Fistulasque mundantia*: hinc & *consolidantia*. Inter quæ haud postremum locum occupant *Sulphuris Balsamus Anisatus*, vel aliàs quivis Aromaticus; ut & omnia ex *Antimonio* parata *Medicamenta fixiora*, *nec proinde* Vomitum, Sedesve promoventia. Inter vulgaria cluent omnia, quæ *Plantarum Vulnerariarum* nomine innotuerunt, atque in Decoctis tam Ulcerum, quàm Fistularum Curationi dicatis usurpari solent.

XXX. Atque sic observatis exactè omnibus, in quibus secundùm agendi modum conveniunt aut differunt Febrium Hecticarum Causæ diversæ, longè faciliùs in earum Curatione ad optatum finem perveniet Medicus, dummodò tum obsequentes, tum patientes, quod raró evenit habeat Ægros, nec malum ad extremum fuerit deductum.

CAPUT XXXIII.

De Febribus Malignis.

Febris maligna quænam.

I. Quemadmodum aliàs Morbus vel affectu quivis, ita *Febris* nomen *Maligni* sortitur quoties *subitò ac inexpectatò Vires Ægri prosternuntur, aut Symptomata occurrunt, quàm in Affectu simili observari solent, longè graviora.*

Vires ex Pulsu dignosci.

II. *Vires* in Malignis Febribus prosterni solitæ sunt *Vitales dictæ*, ex *Pulsu* vel mox à principio nimis *Debili*, vel subitò multum *Debilitato*, ue & *inopinata Morte* Ægros obruente dignoscendæ ac djiudicandæ.

Febris maligna Divisio.

III. Malignæ Febres aliàs *Epidemicæ* sunt atque in plures eodem tempore sævientes, *Causamque communem Aerem* puta, vel *Alimenta* vitiata habentes; aliàs *Privatæ*, hunc vel illum hominem duntaxat & quidem ob *Causam singularem*, ac *Veneni* nomine ferè tunc notam afficientes. *Epidemica vel Privata*

IV. Rursus vel *Contagiosæ* sunt, quæ alios inficiunt, vel *minimè Contagiosæ*, adstantibus nullam noxam afferentes. *Contagiosa vel non Contagiosa.*

V. Iterum vel *Acutiores* sunt, paucis diebus ad finem tendentes, vel *Longiores*, ac pluribus diebus durantes. *Acutiores vel Longiores.*

VI. In Malignis Febribus observatur plerumque *Horror* levis præcedere, ipsumque *Calor* mox subsequi, raró quidem magnus, sæpiùs mitior, adeò ut de ipso vix soleant conqueri Ægri. *Urinæ* ab urinis sanorum parùm vel nihil utplurimùm differunt. *Pulsus Frequens* quidem est, ast simul *Parvus ac Debilis*, & modis omnibus *Inæqualis*, quandoque *Intermittens*, aut *Deficiens*. Sæpiùs *Sopor* aut *Veternus*, rariùs *Vigiliæ* urgent. *Insomniis turbulentis* anguntur crebrò Ægri, *Corporisque Inquietudine*. *Cardialgia* frequenter adest molesta, & quandoque *Nausea*, quin subinde *Vomitus* quoque; ut & *Capitis Dolor*, & nonnunquam *Delirium* aut *Vertigo*. *Sitis* major sæpè, quàm Corporis Fauciumque Ardor. *Membra* omnia videntur aliquando labore multo *defatigata*, & præ lassitudine quasi quassata. *Biliosi*, *fœtidique Alvi fluxus* quandoque accedunt, *Sanguinis e naribus*, *uterove stillicidium*, vel *fluxus copiosior* subinde concurrit: eductusque aut effluens sponte *Sanguis* plerumque *coagulari nescit*. *Maculæ*, atque *Vesiculæ* tum colore, tum magnitudine multifariæ nonnunquam erumpunt in corporis superficie; *Tumores* autem in *Glandulis*. Aliquando *Extrema* subitò *incalescunt*. mox iterum *refrigerantur*. *Sudores* vel nulli, vel satis copiosi sponte prodeunt, à quibus ni leventur Ægri, præsertim quando arte promoventur, conclamatum est. *Febris maligna Symptomata & signa.*

VII. Ex quibus *Symptomatibus* omnibus ritè consideratis, & cum iis, quæ tum *Malignitati resistere*, tum *eandem superare* notum est per Experientiam, simul collatis judico, *Malignarum Febrium Causam*, si non semper, utplurimùm saltem *Sal* esse tum *Volatile*, tum *Acre*, quod *Glandularum Liquorem Subacidum* concentratione noxia *enervet*, atque inertem, invalidumque præstet: unde *Sanguinis Consistentia naturalis Minuatur*, ac proinde ejusdem *Rarefactio eludatur*, quin non raro *Animalium Spiritum Secretio impediatur*; hinc & reliqua *Symptomata* modò enumerata *producantur*; prout nimirum *Sal* illud *Volatile Acre* aut *cum Aere* in pulmones, hinc & Sanguinem. quoque Inspiratione allicitur, aut cum *Alimentis vel Saliva* in Ventriculum deglutitur, aut *per Corporis poros* sese insinuans vel *Glandularum Liquores primùm*, vel *unà cum Sanguine ipsos inficit*, *enervat & vitiat*. Hinc namque Symptomatum variorum modis variis in Malignis Febribus observatorum varietas pendet; ut & à cæteris Humoribus in corpore cujusvis repertis. *Causa.*

VIII. Sanguis ergò minùs consistens rarefactionem sustinet minorem; unde non tantum *Pulsus* sequitur *Parvus*, sed insuper *Languidus*, quin prætereà *opprimitur*, *extinguiturque faciliùs Ignis Vitalis* in Sanguine accensus & sustentatus, *obruitque* tam sæpe imparatos *Mors inexpectata*. *Pulsus Parvus & Languidus unde.*

IX. Febrium Malignarum omnium *Causam* existimo *forisecùs advenire*, nunquam per se in corpore ex corruptis sponte Humoribus produci: quia Solus Ignis vehementior Causa esse potest Acrimoniæ auctæ in Sale Volatili; qualis in nobis nullus excitatur sine Bile, ratione sui Salis Volatilis, sed Oleosi. *Causam Febrium Malignarum forisecùs advenire.*

X. Corpus humanum tam Continens, quàm Contentum contra Malignitatem talem omnem in Sale Volatili Acri consistentem munitur ac *Conservatur* frequenti & moderato *Acidorum*, ac præsertim *Austeriusculorum* usu. *A Malignitate præservatio.*

IX.

Malignitatis causa qui corrigatur,

XI. Ipsum verò *Sal Volatile & Acre*, Malignitatis nempe notatæ Causa, *Corrigitur ac Emendatur iisdem*, ut & *Oleosis*, sed imprimis *Acido vel Austero Terreo permistis*: quò pertinent *Argillaceæ* atque *Sigillatæ Terræ* omnes, *Bolus Armena*, *Terra Lemnia*, &c. Ipsumque adeò *Sulphur Minerale aut Metallicum* omne, sed ritè præparatum, *Vitrioli*, *Antimonii*, &c. Huc spectant ex vulgò notis *Theriaca*, *Diascordium*, &c. Quin ad hujus *Salis* correctionem faciunt quoque *Salia Volatilia*, sed blanda & *Oleosa*, quippe quæ Acrimoniam istius noxiam leniunt ac demulcent.

Quibus è corpore propellitur.

XII. Eundem *Salem Volatilem Acrem* plùs, minùsve temperatum, aut à se saltem simul temperandum *foràs e corpore propellunt* ac eliminant tutissimè ac commodissimè *Sudorifera*. Notum enim est per Experientiam multiplicem Malignarum Febrium Curationem hac ratione ac via institui felicissimè.

XIII. Laudantur autem non tantùm simplicia *Sudorifera*, sed composita quoque; Theriaca, Mithridatium, Diascordium & infinitæ aliæ Confectiones Opiatæ ad priorum imitationem à variis excogitatæ, atque in usum revocatæ. Ubi hoc à me notandum, præferenda semper illa, quæ simul Salis Volatilis Acrimoniam temperare possunt, quæ idcircò aliis addi utile. Ex. gr.

Mixtura.

℞. *Theriac. Veteris.* ℥ſ
Antimon. Diaphor. ʒj.
Syr. Card. bened. unc. ij.
Aq. prophylact. nostr. unc. j.
Aq. Cinnamom. unc. ß.
Scabiosæ, unc. ij.
M.

Ejus Usus.

Hujus Misturæ partem quartam vel quintam sumat Æger, atque Corpus ad Sudorem disponat, quin post horæ dimidium ejusdem unum vel duo cochlearia iterum capiat, sicque pergat, donec commodus sequatur Sudor. Intereà, si valdè Sitiat & Lingua sit arida, subinde jusculi aliquid superbibat, sed Acido aliquo, Succo Citri, Arantiorum, Omphacio, Aceto, &c. priùs ad gratiam temperati; quò non tantùm promovebitur Sudoris eruptio, sed insuper corrigetur Salis peccantis Acrimonia noxia.

Sitis & Linguæ Ariditas quomodò curanda.

Quando Vomitorium adhibendum & quodnam. Antimonii Sulphur Mirabile.

XIV. Rariùs, nec nisi, quando *in Ventriculo, aut Intestinis* hæret pars noxii Salis, urgetque simul *Nausea*, *Vomitorio* excludi debet hoc *Venenum*: atque tunc cæteris omnibus præfero *Antimonialia Vomitoria*, sed blandiora & fixiora, quippe quæ *Sulphur* habent in se mirabile, à quo mirè temperatur quodvis acre.

XV. Hujus Sulphuris ratione Sudoriferis cæteris vel Mixturis Alterantibus addo plerunque *Antimonium. Diaphoreticum*, *Bezoardicumve Minerale* tam simplex, quàm modis variis compositum, aliave ex Antimonio parata Sudorifera.

Quibus & quomodo sanguini sua consistentia restituatur.

XVI. Postquam per Sudorifera sufficienter ac ritè usurpata sublatum est è Corpore Malignum illud Venenum in Sale Volatili & acri repertum, perseverandum aliquandiu in moderato Acidorum Subausterorum Potulentis admistorum usu, quò *Sanguini Consistentia* pristina sensim restituatur. Conducunt proinde hic Omphacium, Mala Granata, Cytonea, Arantia, Berberi, &c.

XVII. Plura de Salis volatilis & acris natura, noxis, ac cura proponemus, quando nostras de Peste Cogitationes, Observationesque peculiari Tractatione publici juris faciemus; hæc interim sedulis operum Naturæ Scrutatoribus plura inveniendi, eruendique ansam præbebunt.

CAPUT XXXIV.

De Languore Universali, ut & Leipothymia & Syncope.

In Virium examine ad Sanguinem respiciendum

I. Cum ex assumptis Alimentis Chylus, ex Chylo Sanguis, ex Sanguine tum reliqua Corporis Contenta omnia eliciantur, tum omnes Corporis universi partes Continentes nutriantur & augeantur, meritò *ad Sanguinem respicitur*, *ubi jam Vires*, *quùm earundem Rationes* examinantur, expenduntur, determinanturque.

Ex Sanguinis mutatione malè affectu plurima oriri mala.

II. Cùm proinde in dextro Cordis Ventriculo inchoetur, in sinistro verò absolvatur Sanguinis tum ex Chylo generatio & confectio prima, tum ejusdem plùs minùs effœti atque variis partibus hinc inde privati & ideò ad Cor refluentis reparatio ac renovatio, plurima ex intricata etiam nunc, quæ in Cordis Ventriculis Sanguini contingit, Mutatione malè affecta eveniunt necessario homini mala: quæ Pulsu variè mutato cumprimis se unicuique ac Medicis præsertim manifestant.

III. Febres quidem hactenus ex Pulsu præter naturam frequentiore, utpote unico Febribus omnibus & communi, & proprio, adeòque Pathognomonico Signo deduximus; accedentibus Symptomatibus aliis species ipsarum singulas, earundemque gradus ab invicem distinguentibus: proximum jam est, ut alios *Affectus à Pulsu Parvo & Languido* deducamus & paucis explicemus.

Affectus à pulsu parvo & languido quibus nominibus indigitentur.

IV. Hi autem Affectus, qui tum comitantium Symptomatum ratione varii, tum gradibus distincti observantur, in genere *Imbecillitatis*, aut *Debilitatis*, in specie *Animi Deliquii* ἐκλύσεως, λειποθυμίας, λειποψυχίας, ἀποψυχίας, ἀσφυξίας, *Syncopes* & aliis nominibus designantur.

In quæ non inquirendum, sed in Affectuum naturam & causas.

V. Non inquiremus hic anxiè in horumce Vocabulorum singulorum originationes singulares, cùm, quidquid se, aliosque torqueant multi, usu tantùm valeant verba; sed in Affectuum ipsorum nominibus istis denotatorum, & in praxi Medicis Curationi eorundem attentis negotium facessentium naturam, essentiam & causas veras.

Languor connatus vel adventitius.

VI. Observatur ergò aliquando Universalis *Partium*, *Functionumque ac Virium* omnium *Languor*, vel *à Nativitate* connatus, vel *post eam* sensim ac insensibiliter obortus, aut *post affectum alium* præcedentem accedens, remanensve. Hunc *Infirmitatem*, *Imbecillitatem*, aut *Debilitatem* nominant. Eidem comes adesse solet *Pulsus* tum *Parvus* & justo Minor, tum *Debilis* & justo Languidior, tum plerumque *Rarior*, tum quandoque semel aut sæpiùs per intervalla certa vel incerta *Intermittens*, tùm aliquando secundùm arteriæ ductum magis magisque deficiens, *Myurus* dictus, tum subinde *Formicans* aut *Vermiculans*.

Ejus quinam Pulsus comes.

In eo concurrere Sensuum Hebetudinem, & Corporis Lassitudinem.

VII. Concurrunt ferè simul in Affectu graviore *Sensuum* tam *Internorum*, quàm *Externorum Hebetudo*, atque *Motus Corporis*, *Animalis* vocati; *Defectus*, *Lassitudinis* nomine notus.

Ejus varia genera.

VIII. Observatur quoque aliquando non permanens quidem, aut continuò perseverans, sed ordinatè, inordinatève, adeoque per intervalla nunc certa, nunc incerta repetens, atque nunc leviùs, nunc graviùs Ægros afficiens *Imbecillitas*, eademque iterum aliàs citiùs, aliàs segniùs recedens, ni Ægros simul è medio tollat & occidat.

Duæ species.

IX. *Imbecillitatis ac Debilitatis* hujus si quis duas duntaxat species gradibus maximè differentes ac Medicinæ faciendæ haud ineptas constituere volet, *speciem leviorem Animi Deliquii ac Leipothymias*, *graviorem Syncopes*, *Leipopsychias vel Asphyxias* nomine indigitare poterit.

X. In

In Animi Deliquio quænam occurrant. X. In omni *Animi Deliquio Pulsus Minor* fit ac *Debilior*, adeò ut in leviore ipsius specie vix, & in graviure minimè possit percipi. *Sensus Externi, & Interni* plerumque simul *offuscantur*, aut etiam *operari desinunt*. *Animalis* quoque, sive *Voluntarius Motus debilis* existit, aut *nullus*: ipsaque adeò *Respiratio* vel *obscura* depreheoditur, vel planè *deficit*.

Illud quænam præcedant & prænuncient. XI. *Animi Deliquium* præcedere ac prænunciare solent utplurimùm *Cardialgia* vel *Titillatio in Orificio Ventriculi superiore*. *Cordisve compressio*, & *Oscitatio*; & aliquando *Ventris Distensio*, *Rugitus*, *vel Tormina*; *Caligines aut Tenebræ ab oculos versantes*, cum comitante, aut mox subsequente ipsas *Vertigine*, *Auriumque Tinnitu*; *Pandiculationes*, & subinde *Motus Convulsivi*. Notandum enim, cùm non tantùm *gradibus*, sed *Symptomatum* quoque *numero ac vehementia differant* Animi Deliquia, non semper modo eodem aut omnes hisce corripi.

Quanam sequantur. XII. Ubi *Animi Deliquium* iterum *solvitur*, & ad se redire incipiunt *Ægri*, tunc *Cor* rursus *agitari*, imò sæpiùs *palpitare* solet; quin *Pulsus* nuǹ tantùm sensim *Major*, & *Robustior*, sed simul *Frequentior* deprehenditur: atque *Sensibus Externis*, unà cum *Internis*, utut Languidis adhuc, sensim *restitutis*, *Cordis* quoqua *anxietas & compressio*, cæteraque *Symptomata* minui, tandemque evanescere observantur; nisi quòd *Lassitudo*, & *universi corporis Defatigatio* segniùs recedat.

In Syncope quænam occurrant. XIII. Gravissima & singularis Animi Deliquii species est *Syncope*, in qua præcedente aliquandu *Aurium Tinnitu* subitò ac penè inopinato corruunt *Ægri* Aura frigida quasi correpti; *Pulsus* mox *nullus* observatur, *nulla Respiratio*; quod Syncopæ & Suffocationi Hypochondriacæ gravissimæ pruprium: Interim *Sudor & Frigidus & Glutinosus* erumpit; *Partesque corporis omnes Frigent & Pallent*; quio sæpè *Vrina & Alvi excrementa effluunt*; adeò ut mortuis, quàm vivis existant similiores.

Languorem Animi deliquium & Syncopen esse Functionis Vitalis Symptomata. XIV. Hi Affectus omnes cùm per *Pulsum & Minorem*, & *Languidiorem dignoscantur*, revocanda sunt in memoriam, quæ Cap. 26. de variis, Pulsuum Differentiis, earundemque Causis attigi; quò faciliùs capi queat, quod hic maximè observandum, *Languorem* nimirum *Vniversalem*, ut & *Animi Deliquium* ac *Syncopen Functionis Vitalis*, hoc est, Vitam proximè spectantis esse *Symptomata*.

Eorum causa. XV. Cùm igitur in notatis Affectibus omnibus pulsus observetur Naturali & Minur & Languidior, *Causam* ipsorum censeo tum semper *Glutinositatem Auctam* io *Sanguine*, cæterisque ex ipso secretis *Humoribus*; tum simul aliquando *Aciditatem Auctam in Succo Pancreatico*, *Lympha* & forsan ipsa quoque *Saliva*.

Causa Languoris Universalis connati. XVI. Quoties autem aut ex *Glutinosiore Parentum Semine*, aut *Moris* saltem *Sanguine* similem Sanguinem, similesque Humores adeptus est in materno utero *Infans*, toties *Connatum* habebit *Vniversalem Languorem*, non raro in praxi occurrentem.

Acquisiti. XVII. Quoties verò, licèt sanus fuerit natus Infans, citius aut seriùs ex *Diætæ* oon semel in superioribus notatæ *vitiis paulatim* noxam similem in *Sanguine*, *Humoribusque* omnibus contraxerit homo, toties *Languor* iste *Vniversalis* vocabit *Acquisitus*, itidem in praxi haud rarus.

Symptomatici. XVIII. Quoties denique per *Affectum* quemvis non lente, ast properè ac *nuper ortum*, Medicique, Ægri, Adstantiumve culpa *non rite curatum accedit*, *remanetve Glutinositas in Sanguine*, *Humoribusque nimia*, toties *Languor* ille *Vniversalis* dicetur *Symptomaticus*, nimis frequens in praxi.

Culpa Medici. XIX. Dixi *post Affectum Medici*, *Ægri*, *Adstantiumve culpa non ritè curatum*, Nam & *Medicus falli potest ac perperam Ægrum curare*, maximè quando præjudiciis excæcatus & turgens noo satis attendit ad Juvantia & Nocentia, quin mavult perire suum Ægrum, quàm mutare suam sententiam; ut ut erroneam & Ægri statu indies in deterius vergente confutatam.

Ægri. XX. *Potest* hic quoque *in culpa versari Æger*; quando non tantùm negligit aut spernit prudentis Medici consilium salutare, sed imprimis cum sui detrimento abutitur rebus noxiis.

Adstantium. XXI. Sed *possunt* etiam *peccare Adstantes* quando sunt non tantùm indulgentiores Ægris morosis, sed insuper avocant ipsos à Medicorum peritorum præscriptis optimis, quorum loco audent nonnunquam ipsi exhibere noxia & vetita.

Glutinositas nimia in Sanguine quando accedit, Quando Remanet. XXII. Addidi *accedere*, *aut remanere Glutinositatem in Sanguine atque Humoribus nimiam*. *Accedit* namque illa, quoties usurpantur nimiùm, vel diutiùs Medicamenta Humores fluidos ac tenues Incrassantia & Inspissantia. *Remanet* autem, quoties in Affectibus à Glutinositate Humorum ortis non adhibentur satis potentia, vel satis diu Medicamenta Incidentia & Attenuantia.

Quare Languori Universali jungatur Animi deliquium, aut Syncope. XXIII. Quoties *Humorum omnium Glutinositati copulatur Aciditas* ex insigni Diætæ vitio in *Glandularum* quarumvis, ac præsertim *Pancreaticis Liquoribus aucta*, toties *Languori Universali* jungitur facilè aut *Animi Deliquium*, aut etiam *Syncope*, prout nimirum levius, graviusve fuerit utrumque vitium: quamvis non novum absque notabili *Humorum Lentore* produci *Animi Deliquium*, non item *Syncope*; quam sine illo vix putem unquam observatam, quin potiùs Causa externa existente gravissima *Mortem*: plura siquidem ad Syncopen, quàm Mortem inferendam requiruntur.

Unde in Languore Universali Pulsus minor & debilior. XXIV. In Languore Universali quoniam propter Humorum omnium Sanguinem constituentium aut producentium Glutinositatem auctam exilior fit Sanguinis ejusdem Rarefactio, & idcircò *Pulsus Minor*, contingit quoque idem necessariò *Debilior*; nisi enim expandantur multùm Cordis Ventriculi, non poterunt iidem constringi valdè, nec proinde potenter. Adde quòd Sanguis tenax & lentus ineptus est Spiritibus Animalibus copiosis ac subtilibus ex se promendis: qua de causa quoque Pulsus existet naturali Debilior.

Unde rarior. XXV. *Rarior* erit tunc etiam *Pulsus* propter *Humores* omnes *Blandiores* dicam an *Hebetiores*, atque idcircò *imbecilliùs effervescentes*, minùsque aut *Acrimoniæ* propriæ, aut Effervescentiæ, atque ideò *exurgentium Halituum* ratione ad sui Contractionem Cor irritantes; ni forsan *Externæ* cujusdam *Causæ* respectu ad tempus breve *Concitatior* fiat *Pulsus*.

Animi deliquii & Syncopes causa. XXVI. Atque ità penè se habet Languoris Universalis Generatio; *Animi* verò *Deliquii & Syncopes*, Affectuum certè cognitu, explicatuque difficiliorum *Productio*, sicut vulgò per Vitales Spiritus traditur, quoniam mihi non satisfacit, conabor illam ex Causis eorundem manifestis, tanquam principiis notioribus, gradatim & paucis aliter deducere.

1. Certi Odores. XXVII. Observatur ergo tum Animi Deliquium, tum & aliquando Syncope consequi 1. *Certos Odores* nunc per se gratos, nunc ingratos cum Aere inspiratos, Moschi puta, Zibethæ, Rosarum, Cinnamomi, &c. Fumi candelæ extinctæ, &c.

2. Rerum & Personarum conspectus. XXVIII. Sic 2. *Rerum Personarumve ingratarum* & invisarum *Conspectus* Animi Deliquium in nonnullis parit.

3. Rerum ingratarum assumptio. XXIX. Idem observatur 3. fieri à *Rerum* quovis modo *ingratarum Assumptione*.

4. Inedia protracta. XXX, Sed & 4. *Inedia protracta* non infrequens Animi Deliquii Causa existit.

5. Animi Affectus. XXX. Quio & 5. Inter *Animi Affectus Effusum Gaudium* Animi Deliquium, vel Syncopen, & aliquando ipsam Mortem produxisse observatum est. A *Terrore Vehementi* idem non se-

mel accidisse notum. A *Mærore* autem, ut & *Ira* non tam videtur effici Animi Deliquium, quàm ad ipsum disponi homo; qui faciliùs in hoc incidet malum, si successivè ac subitò utroque hoc contrario agitetur Animi Affectu; hoc est, si valdè *Mærenti* aut *Timenti Gaudium* circa idem objectum eveniat inopinatum & magnum; si valdè *Irato Terror*, & *Metus*, ac proinde *Mæror* incutiatur maximus.

6. Magna Sanguinis effusio.

XXXII. Animi quoque Deliquium, vel Syncope supervenire solet 6, *Magnæ Sanguinis Effusioni* per Nares, Uterum, Hæmorroides, Vasave alia vel arte, vel casu aut per infortunium aperta & sauciata, &c.

7. Nimia Seminis Effusio.

XXXIII. Idem accidit 7. *Nimiæ Seminis Effusioni*, tum spontè evenienti, tum præcipuè ob Venerem immodicam.

8 Nimia Humorum evacuatio.

XXXIV. Idem contingit non rarò 8. post *nimiam Humorum* per Vomitum, Alvum, Urinas, Sudores, &c. *Evacuationem*, & imprimis, quando id cum magnis fit Doloribus, Corporisque Agitatione vehementi.

9. Vt & Hydropicorum aqua vel Empycorum puris.

XXXV. Idem accidit 9. ubi vel *Hydropicorum Aqua*, vel *Empycorum Pus effunditur confertim*.

10. Ictus vel Morsus Animalium Venenatorum.

XXXVI. Idem observatur evenire 10. ab *Ictu* vel *Morsu* quorundam *Animalium Venenatorum*.

11. Febrium Itermittentium Paroxysmi.

XXXVII. Hoc ipsum malum comitatur 11. Quarundam *Febrium Intermitentium Paroxysmos*, & quidem aut mox in *Principio*, aut sæpiùs in *Augmento*, aut subinde in *Vigore*, rariùs in *Declinatione*, nisi forsan ob Sudores copiosiores.

12. Dolor vehementior.

XXXVIII. Sic 12. *Doloribus* quibusdam vehementioribus *Dentium*, *Orificii superioris Ventriculi*, *Intestinorum*, *Vesicæ*, &c. supervenit aliquando Animi Deliquium.

13. Nimius Corporis motus.

XXXIX. Idem Animi Deliquium opprimit 13. nonnullos post *nimium Corporis Motum ac Defatigationem* extremam,

14 Æstus summus.

XL. Sed & 14. producitur nonnunquam Animi Deliquium ab *Æstu summo* vel *Solis*, vel *Ignis*, vel *Balnei*, vel *Febris*.

15. Fames vel Sitis urgens.

XLI. Nec infrequens, ut 15. *Fame*, *Sitive diutiùs & valde urgente* Animi accidat Deliquium.

16. Nimia Lactis deperditio.

XLII. Quin aliquando 16. quibusdam *Fœminis Lactantibus* evenit Animi Deliquium ob *nimiam Lactis deperditionem*, imprimis à *robustioris Infantis potenti Suctu* pendentem; ut & nonnunquam propter Dolorem Papillarum fissarum, vel aliter malè affectarum prægravem.

Animi Deliquii causa proxima unde.

XLIII. Ex enumeratis autem ac similibus Causis manifestis sedulò expensis, atque cum iis, quæ in superioribus proposuimus, diligenter collatis arbitramur, *omne Animi Deliquium* deduci debere proximè ac immediatè *ab ipso Sanguine ad Cor utrinque accedente*. atque *iis omnibus, quæ tam secundùm, tum præter naturam ipsi conjunguntur, & una cum ipso ad Cor deferuntur, ipsiusque Effervescentiam naturalem ita turbant & immutant; ut* non tantùm *Sanguinis Rarefactio minuatur*, sed *Cor* ipsum *non satis expandatur, contrahaturque, Sanguisque insufficienter in Arterias effundatur*, ideoque *Pulsus Minor*, & *Languidior*, quin aliquando *Nullus sentiatur*.

Quænam ad Pulsum laudabilem requirantur.

XLIV. Si enim ad *Pulsum* laudabilem efficiendum requiratur, sicuti omninò requiri arbitramur, tum 1. *Sanguis* undique & utrinque ad dextrum Cordis Ventriculum *refluens*; tum 2. *Bilis* Ascendenti Sanguini juncta, tum 3. *Lympha* undequaque cum Descendente Sanguine affluens; tum 4. Singularis ex continuò *Bilis*, *Succique Pancreatici & Salivæ* in tenui Intestino confluxu post sui Effervescentiam ortus & mox per Lacteas Venas translatus *Liquor*; tum forsan 5. *Aer Inspiratione in Pulmones attractus* & aliqua sui parte Sanguini per Ipsos circulanti admistus, dum in subsequente mox Expiratione excluditur iterum reliqua; tum aliquando 6. *Chylus*, quamvis non semper is, sed post assumpta demùm Alimenta propellatur ad Cor. Si hæc omnia, inquam, requirantur ad laudabilem Pulsum efficiendum; utique singula tum *adesse*, tum *ritè disposita esse* oportet: quod si *horum unum* vel *plura in totum* aut *ex parte desint*, aut *copia majore adsint*, aut *aliena qualitate donata* eò accedant; vel *alia* insuper *non requisita*, ideòque necessariò *noxia* simul confluant, continget dubio procul, præter aliarum in Corde fieri solitarum Functionum labefactationem, aliqua *Pulsus læsio*.

Pulsus deficit in magnitudine & Robore.
1. Ob Sanguinis defectum.

XLV. Ut autem in præsenti maneamus negotio, *Pulsus deficiet plus, minùsve in Magnitudine ac Robore*, 1. propter universalem *Sanguinis Defectum* post *Hæmorrhagiam* notabilem, aut *Inediam* diu protractam: unde non tantum deficiet Sanguis, verùm alii quoque in Corpore Humores, Bilis, Succus Pancreaticus, Lympha, & cæteri ad Vitalem Sanguinis rarefactionem, Pulsumque adeò Magnum efficiendum necessarii.

2. Ob Bilis defectum.

XLVI. Deficiet idem in Magnitudine, hinc & in Robore Pulsus 2. propter *Bilis Defectum* in *Alvi fluxu & Vomitu enormi*, ac præsertim Cholera Morbo; unde quantitate minore, tandemque forsan nulla si ad Cor deferatur Bilis, an mirum, si minor vel nulla excitetur in Ipso Effervescentia? si minor, vel nulla fiat Sanguinis rarefactio? si minor, vel nulla sequatur Ventriculorum Cordis tum Expansio, tum Contractio, Pulsusque sentiatur vel Minor, vel Nullus?

3. Ob Lympha defectum.

XLVII. Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus 3. propter *Lymphæ Defectum à Sudore nimio*; cum quo, præter Spiritus Animales, Lympham quoque minui evincere videntur Acida non minùs, quàm Spirituosa Volatilia multùm Sudantes recreantia & restituentia. Defectu autem Lymphæ Subacidæ tum Sanguinis Consistentia mediocris, tum ejusdem Effervescentia deficiet; unde idem nec satis rarefiet in Corde, nec ejus Explicatio, Complicatioque fiet satis magna; unde Pulsus etiam observabitur necessariò Naturali Minor.

4. Ob Liquoris Triumviralis defectum.

XLVIII. Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus 4. propter *Liquoris ex Intestinali Triumvirata exurgentis Defectum in Vomitu & Alvi fluxu molesto, ac imprimis continuo*. Hoc enim ex parte, aut in totum excluso, carebit necessariò Sanguis ejus beneficio; censuimus autem alibi facere ipsum ad *Coagulationem naturalem Sanguini conciliandam*; ea proinde si plus vel minùs destituatur Sanguis, nec hujus defectus reparetur continuò, sicut modò dictum, minùs aptus erit ad rarescendum, Cordisque ventriculos explicandum Sanguis, sequeturque Pulsus necessariò Minor.

5. Ob Inspirandi Aeris defectum.

XLIX. Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus 5. propter *Inspirandi Aeris Defectum in Oris, Narimnque, Fauciumve*, aut *Asperæ Arteriæ Angustia* qualicumque; ob quam minori copia accedens Aer desideratum Sanguini refrigerium, vel quamcunque tandem Mutationem satis nequit conferre; quocirca segniùs propulsus per Pulmones Sanguis, nec sufficientem novo ex dextro Cordis Ventriculo succedenti locum faciens, Cordis Contractionem impedit, & hactenus Pulsus Minoris Causa existit.

6. Ob Chyli defectum.

L. Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus 6. propter *Chyli Defectum*, & in præpostera *Inedia*, sive voluntaria, sive coacta, & in *Alimentorum Fermentatione*, aut *Secretione*, aut *Transcolatione*, aut *Translatione* quovis modo impedita. Nisi enim quotidie, ac imprimis consueto tempore assumantur Alimenta, ex quibus electus Chylus ad Cor deferatur, non tantùm non resarcietur Sanguis continuò deperditus, sed in se, Sanguinemque reliquum nimiùm, perperamve agent Humores in Corde, ac Intestino tenui confluentes, ac nonnunquam præstabunt Sanguinem magis, vel minùs consistentem, hactenusque ad debitam, sufficientemve sui Rarefactionem, Cordisque

Ven-

Ventriculorum Explicationem, Complicationemque ineptum; unde necessariò sequetur Minor, & Debilior Pulsus.

Pulsus Minor & Languidior. 1. Ob Sanguinis redundantiam.

LI. Non tantùm ex enumeratorum *Humorum* Defectu, verùm aliquando *Excessu* quoque *Minor & Languidior* continget *Pulsus*. Nam 1. *Sanguinis Redundantia*, *Plethora* dicta, impedit, ne spatii & loci defectu copiosus in Arterias expelli possit Sanguis, nec proinde idem in dextro Cordis Ventriculo valde, satisque rarefieri, Cordisque parietes multùm explicari, rursumque complicari queant.

2. Ob Bilis copiam.

LII. Quin 2. *Bilis majori copia ad Cor delata*, in *Febribus Ardentibus* præsertim, non tantùm Sanguinem solito magis, potentiùsque rarefacit, cum Pulsu Maiore ac Robustiore; sed postquam ista rarefactione nimia tandem Vasa multùm distendendo, & *Plethoram ad Vasa* dictam; dicendamve constituendo spatia ipsorum omnia replevit, utut *Ardorem conservet noxium*, *non potest* tamen Loci defectu æquè ac priùs *Sanguinem diducere*, atque *Pulsum Magnum*, *Robustumque producere*; qui potiùs sensim observatur *Minor ac Debilior* ob deficientem Sanguinis Rarefactionem, Cordisque Ventriculorum Explicationem, Complicationemque; donec Sanguinis effusione qualicumque Locus paretur novus reliquo ampliùs rarefacto excipiendo, unà cum Pulsu & Majore & Robustiore mox simul concurrente.

3. Ob Lymphæ subacidæ copiam.

LIII. Pulsum Minorem, ideoque Languidiorem quoque producet 3. *Lympha Subacida*, *si copia majore accedat ad Cor*; quoniam *Consistentiam tribuet Sanguini firmiorem ac solidiorem*, quàm ut debitè, satisque possit idem rarefieri ad Cordis Ventriculos sufficienter dilatandos, quò succedat notabilis eorundem constrictio ad Pulsum Magnum & Robustum constituendum omninò necessaria.

4. Ob Liquoris triumviralis copiam.

LIX. Idem dicendum 4. de *Liquore* illo *Intestinorum tenuium Triumvirali*, si præsertim ejus minus fit, coagulationem naturalem, ab acido subaustero pendentem, Sanguini præstare: Hoc enim auctu, augebitur quoque Sanguinis coagulatio, minuetur contrà ejusdem aptitudo ad rarescendum, ac Minuetur proinde Pulsus, fietque simul Debilior.

LV. Cùm *Aeris laudabilis copia magna* in Pulmones allecta non possit non esse utilis, non poterit ab ipsa expectari, nec deduci Pulsus Minor vel Languidior.

5. Ob Chyli copiam.

LVI. Potest tamen 5. *à Chylo majori copia* quovis modo *ad Cor delato* Pulsus reddi & Minor & Debilior, quatenus Sanguinea Vasa nimiùm replet, ac Plethoram tum efficit, tum auget.

Pulsus minor & languidior. 1. Ob Sanguinem peccantem.

LVII. Si *quantitate* aut *deficiente*, aut *excedente Pulsum Minorem*, *Languidioremque* producere potuerunt & *Sanguis*, & alii memorati *Humores* ad Cor cum ipso delati, certè non minùs idem præstabunt iidem, quoties *qualitate peccant noxia*. *Sanguis* namque 1. vel *fluidior*, vel *solidior* ineptus est laudabili suæ rarefactioni, qua deficiente ostensum jam est non semel Pulsum consequi Minorem, Languidioremque.

2. Ob Bilem Glutinosam & minùs acrem.

LVIII. Sic 2. *Bilis Glutinosa*, *minùsque Acris* effervescet minùs, partesque Igneas de se promet parciùs, unde Sanguis rarescet minùs, & tandem Pulsus fiet Minor ac Debilior.

3. Ob Lympham acidiorem vel austeriorem.

LIX. 3. *Lympha vel Acidior*, *vel Austerior* non tantùm Sanguinem præstabit Glutinosiorem, ideoque ad rarescendum ineptiorem, sed insuper non parùm obtundet Bilem, partesque Igneas undecunque erumpentes, atque sic Pulsui & Minori, & Languidiori dabit ansam.

4. Ob Liquorem Triumviralem acidiorem.

LX. 4. Idem sentiendum, dicendumque de *Liquore laudato Triumvirali* vel *Acidiore*, vel *Austeriore*.

5. Ob Aerem Borealem & asperiorem.

LXI. 5. *Aer Borealis & Asperior* facit multùm ad Sanguinem valdè coagulandum, ipsiusque rarefactionem impediendam.

Deleboe Opera.

6. Ob Chylum acidiorem & austeriorem.

LXII. Si 6. Alimenta assumantur *Acidiora* vel *Austeriora*, *Chylus* quoque parabitur similis, à quo notata incommoda sunt expectanda cum Pulsu Minore ac Debiliore.

Pulsus Minoris & debilioris causæ aliæ.

LXIII. *Pulsus Minor ac Debilior* debetur quoque aliis *Rebus præter Naturæ leges ad Cor delatis*, quoties aut *Humores* in corpore corrupti, aut *Halitus*, *Flatusve* ex ipsis producti, aut *Venena* per Os, Nares, Cutisve Poros, vel quamcunque aliam viam in Corpus penetrantia, unà cum Sanguines Cor accedunt, & Sanguinem aut nimis solvunt ac dissolvunt, aut nimis coagulant, coguntve, aut quovis modo alio ad debitam sui rarefactionem ineptum reddunt, sicut pluribus explicatum in præcedentibus.

In Animi Deliquio & Syncope ab eadem Causa diversi affectus.

LXIV. Ut autem omnia, quæ hactenus præmisimus, *Animi Deliquio* atque *Syncope* pressiùs applicemus, & utriusque Affectus naturam, generationemque clariùs deducamus, quoniam non tantùm *Pulsus* in utroque observatur *Minor*, *ac Debilior*, vel *Nullus*; sed *Animales* quoque *Functiones*, *Sensus & Motus* non parùm labefactantur, videndum an, & qui ab una, & eademque Causa tam diversi Affectus possint produci.

Gradibus differre hos affectus.

LXV. Consideranda verò & distinguenda sunt Symptomata, quæ utrique Affectui solent esse communia, ab iis, quæ Syncopi sunt peculiaria; *Sudor* enim tum *frigidus*, tum *glutinosus erumpit in Syncope*, *non item in Animi Deliquio*; in quo ut quidem *Corporis universi Frigus* semper observatur, quamvis perpetuum sic Syncope; cætera verò Symptomata in Affectu utroque solent subinde notari. Unde patet partim *gradibus differre hos Affectus*, partim *aliquid gravius Syncopen continuò comitari*.

Oriri ab acido majori copiam ad Cor deducto.

LXVI. *Symptomata* autem omnia superiùs enumerata, ut & *Causas Externas* sive *Manifestas* si qui attenta mente trutinatus fuerit, & cum iis, quæ modò de *Pulsu* tam *Minore*, quàm *Debiliore* pluribus deduximus, contulerit, concludet facilè *Affectum utrumque*, ac præcipuè *Syncopen ortum habere* imprimis *ab Acido majori copia ad Cor deducto*, & imperium in Sanguine obtinente; non neglecta interim Humorum variorum *Glutinositate*.

LXVII. Hoc ut fiat evidentius, libet ordine tum *Symptomata* notata, tum Causas memoratas expendere, atque in Juniorum Medicorum, ac Tyronum præsertim gratiam omnia *Exuperanti Acido & Glutinoso* astruere.

Exuperans Acidum & Oleosum causa 1. Cardialgia.

LXVII. Diximus autem Signum Instantis Animi Deliquii esse utplurimùm 1. *Cardialgiam* vel *Titillationem in Orificio Ventriculi superiore*. Quid verò aptius est utrumque (hunc Affectum excitare, quàm *Acidum*? Illud enim *blandius* si fuerit, & ad superius Ventriculi Orificium *Halitus* forma ascenderit, partem dictam *titillabit* duntaxat & vellicabit; sin *acriùs* extiterit, mordebit eandem, atque *Dolorem* pariet molestum, *Cardialgiæ* nomine notum.

2. Compressionis Cordis & Oscitationis.

LXIX. Addidimus 2. præcedere quandoque *Cordis Compressionem & Oscitationem*. Quamvis autem *Pituitoso Humori* tum *Copioso*, tum *Glutinoso* debeatur Cordis Compressio, & *Halitibus Flatulentis* Oscitatio: quoniam verò hi Affectus observantur non tam perpetuò Ægros urgere, quàm ipsos ante mox secuturum Animi Deliquium infestare, ac proinde Causam insuper aliam, & quidem vel Pituitam otiosam in actum dedocentem, vel Halitus Flatulentos ex eadem producentem agnoscere; facilè patet tum ad Pituitæ vim excitandam & augendam, tum ad Oscitationem gignentes Halitus efficiendos requiri *Acidum*; quippe quod, *Austeriusculum* præsertim si fuerit, *Glutinosiorem* præstet *Pituitam*, quæ *Gravitatis & Compressionis Sensum* citiùs & potentiùs producat; cum *Bile autem vitiosè ac violentiùs effervescens*, sicut in *Febrium Intermittentium* plerarumque *initiis* evenire docuimus, *Flatulentis Halitibus*, adeòque ipsi *Oscitationi* ansam præbeat.

3. Distensionis ventris, Rugituum, & Torminum

LXX. Diximus 3. præcedere aliquandò Animi Deliquium *Ventris Distensionem*, *Rugitus*, vel *Tormina*: quæ omnia cùm ortum habeant à *Flatibus* vel Blandioribus, vel Accioribus, ex *Pituita* vel *Viscosa* duntaxat, vel simul *Acida* certo tempore, ac paulò ante Animi deliquium deductis & diductis, Veritas dictorum nostrorum patet abundè.

4. Tenebrarum ob oculos versantium, Vertiginis, auriumque Tinnitus.

LXXI. Docuimus 4. præcedere nonnunqoam ipsum Animi Deliquium *Caligenes*, aut *Tenebras ob oculos versantes*, una cum *Vertigine Auriumque Tinnitu*. Hæc autem omnia quis ignorat ortum suum debere *Halitibus* ex partibus inferioribus ad Cerebrum assurgentibus, nunc blandis, nunc acribus, atque semper *Pituitam Viscidam*, subinde eandem simul *Acidam* pro *Materia* habentibus, atque *Spirituum Animalium Motum mirè conturbantibus*?

5. Panditulationum, & Motuum Convulsivorum

LXXII. Observavimus denique 5. præcedere quoque aliquandò Animi Deliquium *Pandiculationes*, *Motusque Convulsivos*. Quoniam verò eadem esse solet *Pandiculationis*, quæ *Oscitationis causa efficiens*, differuntque tantùm parte affecta, quæ modò de Oscitatione monuimus, huc transferri poterunt *Motus* autem *Convulsivi* cùm ortum habeant (sicut in sequenti Libro, si Deus sinet, pluribus ostendemus) ab *Humore*, *Halitave acri*, *sed Acido Nervorum initia alternatim rodente ac vellicante*, non parum nostra sic confirmatur Sententia.

Symptomata Animi Deliquium comitantia. Pulsus Minor & Languidior, vel Nullus.

LXXIII. Postquam Symptomata enucleavimus Animi Deliquium præcedere solita, percurramus quoque alia, quæ Ipsum solent comitari valdè notabilia: Inter quæ quamvis haud postremum locum occupet *Pulsus vel Minor & Languidior, vel Nullus*, Sensui saltem manifestus, quoniam tamen in eum finem jam plura de ipsius Caussis protulimus, ne actum agamus, ad cætera pergemus Symptomata.

Sensus Internus, & Externus affecti,

LXXIV. Trahuntur autem in Animi Deliquio omni in consensum *Sensus* tam *Interni*, quàm *Externi*, atque *offuscantur* quidem semper plus minùs, quin aliquando *cessant ab omni sua operatione*. Ut autem hujus Effectus ac Eventus miri ratio magis pateat, velim Juniores considerare (nam Seniores, Consummatique in Arte Medica Viri mea non indigent, informatione) in *Vertigine* omni, quam monuimus præcedere utplurimùm Animi Deliquium; ac præsertim graviorem ipsius speciem, *turbari & offuscari* quodammodò *Sensus* tam *Internos*, quàm *Externos*; Postquam verò per manifestam Experientiam notum *Gyros rei Externæ visæ* aut ipsius *Corporis* prodocere Vertiginem, agitatis, & itidem *in gyrum*, *confuse saltem*, *actis Animalibus Spiritibus*; cur dubitabimus, quoties in Corpore ab Halitibus valdè agitatis & ad Cerebrum assurgentibus similiter agitantur, conturbantur, & in gyrum forsan coguntur iidem Spiritus, non tantùm turbari & conturbari, sed etiam offuscari, tandemque ita obnubilari Sensus tàm Internos, quàm Externos, ut ad tempus cessare videantur? Nam, si qoid tonc operati fuerint, quod ignoratur, eorum tamen Memoriam nullam servavit Mens conturbata & confusa, nec sui cumpos.

Animalis Motus diminutus & abolitus.

Respiratio obscurata vel deficiens

LXXV. His ita constitutis, non mirum, si in Animi Deliquio *Animalis* quoque sive *Voluntarius Motus Minuatur* vel *Aboleatur*; ipsamqs *Respiratio* vel *Obscuretur*, vel *Deficiat*, Sequitur namque Motus Animalis tum ordinatum ae perpetuum, tum à Voluntate pro re nata & affectu vario determinatum Spirituum Animalium Motum per Nervos ad Musculorum omnium, selectorumve fibras; quorum Motuum neuter cùm integer coosistere possit cum conturbato, perversoque Spirituum Animalium Motu, necessum, ut in tali casu luxetur, laxeturque, aut in totum tollatur Motus Animalis, & ipsa quoque Respiratio.

Horum Symptomatum causa.

LXXVI. Non tantùm autem *ad tempus cessabunt Sensus Externi*, *& Interni*, *Motusque Animalis* propter conturbatum Spirituum Animalium Motum, verùm etiam propter *Motum eorundem impeditum vel sublatum*; quod fiet, quando iidem *produci atque à Sanguine secerni desinent*, *propter coagulatam & immobilem factam ab Acido* quovis, & imprimis *Austeriore Sanguinis massam*. Opus enim est ad Sensus tam Internos, quàm Externos, & Animalem Motum absolvendum Spiritibus Animalibus liberè ac copiosè ad singulorum Organa motis;

Internorum Sensuum Organa.

quamvis quænam illa sint, quæ Internis Sensibus peculiariter inserviant, pro lubitu fingere sit facilius quàm solidè designare ac demonstrare: observamus tamen in quavis Mentis Functione attenta tendi quasi Cerebrum & Animales Spiritus multos perire ac consumi, quod tantisper sufficiat ad Organum aliquod Internis Sensibus assignandum, donec distinctius queant hæc omnia Sensibus Externis capi, & aliis explicari, ac tandem singulorum assensus ad sensum eundem habendum blandè cogi.

Quando Animi deliquium solvitur Cor agitari & palpitare.

LXXVII. Sed Causam propositam confirmemus adhuc per ea, quæ observari solent, quando *solvitur* Animi Deliquium. Diximus enim tunc *Cor* paulatim denuo *agitari*, atque *palpitare* Fuit ergo Animi Deliquii talis Causa, quæ Cordis Motum impedivit, quaque *superata* & devicta Motus ipsi restituitur.

Causa cessationis & restitutionis Motus in Corde.

LXXVIII. Si proinde Motus Cordis Causam veram & in compendio dedimus supra Cap. 28. §. 3. & pluribus deduximus in Disquisitione nostra de Febribus prima, utique Humorum Sanguini confusorum Glutinositati, vel Aciditati, vel utrique tribuenda erit tum Effervescentia in Corde ad Sensum Cessans, tum Partium Ignearum Eruptio valdè Diminuta, tum Sanguinis universi Rarefactio Deficiens, tum proinde Cordis Motus & Pulsus Desideratus: qui actutum redintegratur, ubi ex parte saltem correcta devictave est extrema Glutinosi, Acidique vis & noxa, & quidem à *Bile*, vel quovis *Aromatico* Naribus admoto, vel potiùs Ori infuso, vel deoique alibi forinsecùs applicato, & ad Coruique, aliumve Mali focum, fomitemque penetrante.

LXXIX. Tunc enim à *Bile*, usurpatisve *Aromaticis* successivè dominium in Glutinosum & Acidum obtinentibus non tantùm *Sanguis* deouo *rarefit* magis, magisque, sed insuper *Halitus*, *Flatusve producuntur*, à quibus omnibus *Expanduntur* iterum *Cordis Ventriculi*, *Excitantur Spiritus Animales* torpidi ac ignavi, mox & *Complicantur iidem Ventriculi*, atque sic *Restituitur Sanguini* suus *Motus*, *quin redditur* idem *Concitatior* & *Conturbatus*, hoc est, fit *Cordis Palpitatio*; de qua pluribus agemus Capite proximè sequente

Pulsum paulatim recipere magnitudinem & robur.

LXXX. Nec tantùm, quando solvitur Animi Deliquium, restituitur Cordi Motus, qui plerumque contingit inordinatus & palpitans, sed recipit *Pulsus* paulatim *Magnitudinem* amissam, *Roburque* pristinom, licet in principio existat simul *Frequentior*: quorum omnium causa & ratio data est modò.

Correcta Causa, tolli Symptomata.

LXXXI. Correcta verò, debellataque paulatim, uti dictum, tot malorum Causa, non mirum si cætera quoque gradatim leventur, tollanturque Symptomata; postquam sublata causa tollitur effectus.

Ordinem esse in Functionum labefactatione & restitutione.

LXXXII. Quæ autem Functiones posteriùs fuere labefactatæ, tardiùs quoque videntur restitui; quamvis pro mali foco & fomite diverso hæc omnia varient non parùm: quæ quivis mediocriter in praxi versatus, & ad omnia attentus facilè tum observabit, tum assequetur ex jam dictis.

Syncopes Symptomata.

LXXXIII. *Symptomata Syncopi omni ac semper conjuncta*, & hic quoque paucis expendenda docuimus non tantùm esse *Partium corporis omnium Frigus & Pallorem*, sed imprimis *Sudorem* quoque tam *Frigidum*, quàm *Glutinosum*; cui

copu-

copulatur perpetuò *Anxietas Cordis extrema*, Ægrosque non minùs, ac si Mors instaret, turbans; nec mirum; cùm sæpè sit certa Mortis properantis prænuntia.

Partium Corporis omnium frigus, & sudor algidus.

LXXXIV. *Frigus* illud & in *Corpore*, & in *Sudore algidum* qui ratiocinatione solida & catenata aliunde, quàm ab *Humore Acido* deducet in Homine, non parùm me rapiet in sui admirationem, postquam in continua & solicita aliquot lustrorum praxi & omnium externarum Causarum observatione laboriosa nihil reperi hactenus in rerum natura, quod manifestè Frigus pariat in Homine præter Acidum, & quicquid de Acido participat, quomadmodum id variis exemplis testatus sum in hoc Opusculo & alibi.

Verum causa.

LXXXV. Ab Acido igitur, & tantùm ab Acido Frigus in homine produci posse ac solere cùm constet mihi certò, puro meritò me *Frigidi Sudores*; *Corporisque in Syncope Causam* existimare *Acidum Humorem*, *Halitumve* Sanguini aliunde admistum, ad Cor delatum, & unà cum Sanguine quaquaversum propulsum, atque in Corporis superficie hærentem, ac ibidem tum Ægris, tum Abstantibus, Medicisque ipsis sui Sensum præbentem. Hoc autem sentiam & opinabor tamdiu, donec alius aliam evidentem satis ejus demonstret Causam.

Sudor Glutinosus.

LXXXVI. *Glutinosus* existit *Sudor* idem ratione *Humoris Pituitosi* à notato *Acido soluti*, & unà cum ipso foràs expulsi atque *sponte* iterum extra corpus *concrescentis* ac *coagulati*.

Pallor corporis.

LXXXVII. *Pallor* accidit *Corpori universo* ratione ejusdem *Acidi* dominium ubique nacti, accedente imprimis *Glutinosa Pituita*, Acidi æmula & socia.

Anxietas Cordis ac Præcordiorum extrema.

LXXXVIII, *Anxietas Cordis Præcordiorum extrema*, *Ægrisque inexplicabilis* partim *Mali Focum*, *Abdomen*, Partesque in tenue Intestinum se exonerantes, ac imprimis *Pancreas*; partim *Mali Fomitem* manifestat, *Humorem* non tantùm *Acidum*, qui Dolores Lancinantes, Rodentesve, aut *Perterebantes pareret*, sed *insuper Glutinosum*, qui Partibus omnibus firmiter adhærens ab iisdem recedit lentiùs ac difficiliùs, ac proinde urget pertinaciùs; quin à *Bile* oppressa in *Halitus*, *Flatusque Viscosos*, *ieatosque* diductus notatam auget anxietatem.

LXXXIX. Atque sic videor mihi satis luculenter tum *Languoris Universalis*, tum *Animi Deliquii*, tum *Syncopes ortum* deduxisse partim à *Pituita leata & Glutinosa*, partim à *Succo Acido*, & quandoque *simul Austero* ipsi admisto; superest, ut prolixitatem brevitate compensando Affectuum istorum Curandi Methodum & rationem paucis subjungamus, Non videtur enim necessum hic labore vano & inutili repetere multa, quæ tradidimus in superioribus; postquam ex ritè descripto & cognito Affectu ejusdem Cura facilè capitur & instituitur.

Languoris Universalis, Animi Deliquii & Syncopes curatio quomodo differant,

XC. *Languoris* autem *Universalis Cura* semper potest sui ratione institui partis, quod de Animi Deliquii aut Syncopes Cura dici nequit, quoniam per Paroxysmos redeunt hi Affectus, & tunc valde infestant Ægros, extra quos inducias dant iisdem, uti Medicis novos præveniendi occasionem optimam, minimèque, cùm sæpe soleat esse præceps, negligendam,

Quomodo eadem fiat.

XCI. *Languori* ergò *Universali* semper, tum etiam metuendo *Animi Deliquio & Syncope*, debetur *Humoris Glutinosi & Pituitosi* continua lentaque *Correctio ac Emendatio*; ut & ejusdem, ubi simul redundaverit, aut in totum emendari nequiverit, per repetitas vices *Evacuatio*, imprimis per *Alvum & Urinas*.

XCII. Quoniam verò sæpiùs in superioribus egimus de *Pituitosi Humoris correctione ac Evacuatione*, quò remittimus Lectorum studiosum, aliquot duntaxat in Juniorum Medicorum gratiam subnectemus hic Medicamentorum selectiorum formulas.

Deleboe Opera.

Ad emendandum Humorem pituitosum glutinosum Vinum Medicatum.

XCIII. Ad Emendandum igitur in Universo tum Corpore, tum Sanguine scatentem Humorem Pituitosum Glutinosum conducet *Vinum vel Cerevisia Medicatum*, & quidem per varias Plantarum variarum partes Aromaticas præparatum & quotidie tum inter prandendum, cœnandumque, tum aliàs mediocri quantitate, pro Ætatis, Sexus, Languorisque ipsius diversitate usurpandum. Ex. gr. ex solis Radicibus.

℞. *Rad. Angelicæ,*
Galangæ,
Acori, an. ℥j.
Apii,
Eaul. camp.
Fœniculi, aa. ℥ij.
Levistici, ℥j.

Concisæ & crassè Contusæ insuantur Sacculo oblongo, imponanturque Vasi Lapideo Vitreove angustioris orificii, mox Vinum affundatur laudabile ad Uncias xxx. vel circiter, maneatque in Cella per noctem, quo tempore vis Radicum Aromatica communicabitur Vino, cujus haustulus, sicut dictum, bis, terve sumetur in die, atque Vinum aliud in ebibiti locum affundetur tamdiu, donec Vis Aromatica penè omnis fuerit extracta; tunc enim novæ sumentur Radices, sed priùs in umbra siccatæ; quod semper observandum in omnibus Plantarum partibus Aromaticis per infusionem usurpandis.

Ejus Usus.

Cerevisia Medicata.

XCIV. Quòd si cui lubeat *Cerevisia* uti *Medicata*, tunc Vini loco similiter Radicibus prædictis affundat Cerevisiam usualem, quamvis tunc præferam Dulci-Amaricantem: Observandum verò satius esse singulis noctibus tantum affundere Radicibus Cerevisiæ, quantum sequenti die bibendum, quoniam Cerevisiæ vis evanescit facilè, nisi Dolio claudatur: unde nonnunquam in usum diuturnum integra, eaque nunc majora, nunc minora non tantùm Cerevisiæ, ast Vini quoque sic Medicati parantur Dolia? si Radices tantùm, sive aliæ quoque Plantarum partes illis indantur, sed copia etiam majore.

Aliud vinum aut Cerevisia medicata.

XCV. Cui proinde *Folia* præferuntur *Aromatica*, is sequenti, aut simili utatur Formula,

℞. *Fol. Rorismarin,*
Majoranæ,
Hyssopi,
Salviæ,
Rutæ hortens.
Calaminth. Mont.
Menthæ crisp.
Serpilli, an. M. ß.

Concisa similiter includantur sacculo, ipsisque affundatur Vinum, aut Cerevisia, & sicut dictum usurpetur quotidie.

Absinthites.

XCVI. Cùm multis laudetur *Absinthites* Vinum, poterit, quoties Absinthii sapor placet magis, aliquid ejus addi cæteris.

Ad Flatus vinum vel Cerevisia medicata.

XCVII. Quoties *Flatibus* urgentur simul Languore Universali detenti Ægri, toties præ aliis Plantarum partibus usurpari poterunt *Semina* itidem *Aromatica*, & ad sequentis Formulæ formam & imitationem plures præscribi.

℞. *Sem. Coriandri,*
Fœniculi dulcis,
Anisi, aa. ℥ij.
Apii,
Petroselini, an. ℥iß.
Cardamomi,
Carvi, aa. ℥j.

Crassè cuntusa indantur Sacculo, & affundatur Vinum aut Cerevisia pro usu quotidiano.

Aliud.

XCVIII. Sed possunt quoque commodissimè ex variis Plantarum partibus simul junctis talia Medicata Vina & Cerevisiæ parari ad sequentis Formulæ exemplar.

℞. *Rad. Calam. aromatic.*
Helenii; aa. ℥ij.
Fol. Majoranæ,
Salviæ, aa. M j.

Flor. Rorismar.
Garyophyllor.
Stœchad. Arab. an. P. ij.
Sem. Polii montan.
Fœnicul. dulc.
Cinnamom. acut. an. ʒij.
Nucis Moschat.
Cort. arant. sicc. an. ℥j.

Concidantur, & crassè Contundantur, sacculoque includantur, mox in Vase conveniente Vinum aut Cerevisia supersundatur ad Usum.

Aliis etiam uti licere formulis medicamentorum.

XCIX. Quamvis autem Vini, aut Cerevisiæ forma commodissimè possint continuari aliquandiu Medicamenta Pituitam Glutinosam Emendantia, licet tamen eadem *Pulveris*, *Electuarii*, *Tabellarum*, *Apozematis*, *Pilularum* vel alia quavis Ægro magis placenti forma tum præscribere, tum usurpare. Sic plures circumferuntur apud Practicos *Species Aromaticæ*, in hoc Casu convenientissimæ, quales sunt *Diacalaminthes*, *Diagalangæ*, *Dialaccæ major*, *Diambræ*, *Dianthos*, &c. Quibus si quadruplum, sextuplum, vel octuplum Sacchari convenienti Aqua dissoluti addatur, facilè in *Tabellas* redigi poterunt Eædem si Melle, Syrupove apto excipiantur, *Electuaria* proment convenientia; quibus etiam addi possunt Conservæ variæ. Ex. gr.

Species Aromatica. — *Tabella.* — *Electuaria.* — *Conditum.*

♃. *Conserv. fl. Betonicæ* ℥j.
Rorismarin.
Euphrag. an. ℥ß.
Spec. Diambræ, ʒij.
Diagalang. ʒj.
Syr. Menthæ, q. s.
M. f. Conditum.

Conditum hoc aliquoties in die ad Nucis Moschatæ quantitatem comedendum.

Cavendum à copioso Sacharo in Pituita Glutinosa correctione.

C. Non possum autem me continere, quin moneam hic Medicos Iuniores, ut in Pituitæ Glutinosæ Correctione caveant sedulò, ne multo utantur Saccharo & valdè Saccharatis medicamentis; cùm inde non tam emendetur, solvaturque, quàm augeatur Pituita, quin reddatur in dies Glutinosior. Unde more malo, imò pessimo, etiam hic in Belgio ubere Pituitæ omnigenæ parente, multi Medici Nocentium negligentes in quavis penè Tussi aliquandiu protracta & Phthisin minante, quin imò productam sovente utuntur dicam, an abutuntur *Conserva Rosarum Rubrarum* copiosa in dies devorata; unde non tantùm non abstergetur, exsiccatur, consolidaturque *Ulcus in Pulmonibus* ortum, sed insuper *Gravitatis Sensus* ac *intolerabile Frigus* excitatur *in Ventriculi regione*, unà cum *Appetitu prostrato*, redditurque tandem hac arte Malum immedicabile Quem quorundam morem malum imitantur quotquot ritu pecorum sequuntur antecedentium gregem, ac eunt, quà itur, non quà eundum est.

Conserva Rosarum rubrarum abusus in Ulcere Pulmonum.

Ut & Emulsionum.

CI. Quod dictum modò de Rosarum rubrarum Conserva, intelligendum quoque de *Emulsionibus* à quibusdam Medicis, etiam Senioribus in hoc casu perperam usurpatis. sive parentur ex *Hordeo mundato*, & *Seminibus frigidis majoribus* dictis, vel *Amygdalis dulcibus*; quippe quæ non nisi rarò ad quædam Symptomata lenienda usurpari debent, ac postea iterum omitti. Atque sic se rem habere unumquemque sapere cupientem docebit Stultorum quoque Magistra Experientia.

Ad corrigendam Pituitam Glutinosam Pilula.

CII. Cui *Pillulæ* magis placent, quàm Formæ aliæ, illi sequentes ac similes poterunt præscribi.

♃. *Gum. Galbani aceto præparati*, ℈ij.
Saccini albi,
Mastich. el an. ℈j.
Olibani,
Myrrhæ rub.
Castorei opt. an. ℈ß.
Vitriol. Martis ad albedinem igne lento exsiccati, ʒß.
Ol. macis stillat. Gutt. viij.
M. F. pilul. N. 40.
Inaurentur.

Earum Usus.

Possunt harum Pilularum tres aut quinque omni tempore assumi, ac præsertim manè stomacho vacuo, aut vesperi una hora post cœnam, aut utroque tempore; quò Humores Pituitosos citiùs & potentiùs, aut segniùs, blandiùsque corrigant, & tandem idem homini beneficium præstent.

Apozema.

CIII. Si quem quorundam Medicorum Seniorum Apozematibus unicè gaudentium veneratio tenet anilis, potest is hic quoque ipsos imitari, ac sequente, similive uti præscriptionis formula.

♃. *Rad. valerianæ,*
acori, an. ℥ij.
apii, ℥j.
Herb. betonicæ,
melissæ,
marrub.
saturejæ,
scabiosæ,
Sum. centaur. min. an. M. ß.
Flor. rorismarin.
chamæm Rom.
Stœchad. Arab. an. P. j.
Sem. fœnicul. dulcis,
amomi, an. ʒij.
Bacc. Iuniper. ℥j.
Lauri, ʒjß.
Coquantur igne lento, & vaso clauso in Aqua pura ad Colaturæ ℥xi.
addendo Syr. Botryos,
Hyssop.
Artemisiæ Fernel.
Stœchados, an. unc. j.
Tinct. Cinnamom. unc. jß.
M.

Ejus Usus.

Hujus Apozematis Unciæ duæ aut tres poterunt semel aut bis quotidie quovis tempore assumi: ne quis frustra se torqueat, existimando cum multis ratione minùs, quàm more motis *Medicamenta omnia Ventriculo tantùm cibis vacuo tutò assumi*, cùm contrarium in multis deprehenderim verum, præsertim quoad Alterantia & Corrigentia Humores Observavi namque millies *Alterantia*, sed blanda, quibus solis velim uti Medicos *sæpe cum majore Ægrorum commodo usurpari paulò ante, aut post assumpta Alimenta, quin unà cum ipsis, quàm tempore alio*: Nec huic Experientiæ contraria est Ratio, sic enim Medicamenti vis se blandè admiscet ac insinuat non tantùm Salivæ in Ventriculo, sed confluentium Humorum Ternario in tenui Intestino, quin Sanguini quoque universo ac cæteris Humoribus omnibus in dextro Cordis Ventriculo, & cunctis Arteriis, Venisque: quo ipso citiùs, faciliùs, fœliciùsque absolvitur quæsita Ipsius, aut Ipsorum Emendatio & Correctio.

Medicamenta non tantum Ventriculo cibis vacuo assumi posse.

Medicamenta Chymica.

CIV. Hactenus quidem proposuimus Medicamenta vulgò nota & omnibus laudata; quòd si quis supra vulgus sapere doctus ad *præparationes Chymicas*, Medicamentaque magis efficacia, ideòque magis tuta, dummodò ritè tum parentur, tum administrentur, animum erexerit, commendabimus ipsi tum *Tincturas*, *Extractaque*, tum *Olea* ea prædictis artificiosè confecta, tum *Salia Volatilia*, & imprimis *Oleosa* ex plerisque Animalium partibus arte paranda & convenienter usurpanda: quæ cùm ferè sint vulgaribus Medicamentis minùs ingrata, assumantur quantitate longè minore, operenturque tum citiùs, tum blandiùs, tum efficaciùs, exoptantur meritò ab Ægris per se satis afflictis; ut Medico Gratiosi nomine gaudente videatur indignum, quin planè inhumanum non velle, cùm maximè possit, Ægrorum infirmitati, Fastidio & Nauseæ gratiore medicamento succurrere, quin malle Afflictum affli-

Tinctura, Extracta, Olea, Salia Volatilia. — *Eorum laus.*

ctione

ctione nova continuò affligere. Quapropter istis morosis Medicis præferendos existimo benigniores, atque quovis modo Ægrorum infirmitati naturali, & quandoque morositati se ac medicamenta sua accommodantes. Longè namque facilius ac decentius est, labore aliquo, licet subinde satis magno, Medicum quemvis excogitare, ac tentando invenire gratiora Ægris medicamenta, quàm singulos Ægros, etiam delicatiores, atque affectibus suis afflictissimos, ideòque nonnunquam quævis gratissima, ciboſque adeò & potus delicatissimos fastidientes, quin ad Medicamentorum conspectum vel olfactum mox nauseantes, & quandoque vomentes vi naturæ facta quævis medicamenta, etiam nauseosa, & quidem magna copia sumere ac in Ventriculo nauseante continere. Quod quàm sit Rationi sanæ adversum, qui ratione pollet, sane judicet; quàm idem cum multorum Ægrorum querelis ac detrimento à nonnullis Medicis ferreis tentetur, ac præfractè tueatur, nulli amplius ignotum; & imprimis, postquam via commodior & facilior, imò tutior in usum revocata, & diu jam continuata est ab aliis Medicis non minùs doctis & in praxi fœlici bene versatis.

Nec non Utilitas in Languore Universali.

CV. In Languore autem Universali, de quo agimus, quàm utiliter, quàm fœliciter usurpentur *Medicamenta chymice parata*, cùm diutiùs in eorum usu sit tunc pergendum, norunt optimè, qui aliquandiu iis sunt usi, eademque aliis commendant meritò; sic enim cum minori molestia ac penè insensibiliter obtinetur, recuperaturve Sanitas desiderata, & bonis terrenis omnibus præferenda.

Humores Glutinosi non tantùm corrigendi, sed & minuendi, ac educendi.

CVI. Non tantùm corrigi possunt ac debent *Humores Pituitosi & Glutinosi*, Languorem Universalem producentes. verùm quando simul redundant, vel in totum emendari nequeunt, *Minuendi* quoque, ac *Educendi e Corpore*; & maximè *per Alvum & Urinas*; quod faciliùs; fœliciùsque absolvitur, postquam ex parte saltem fuerint modo prædicto correcti.

Decoctum Pituitam per Urinas evacuans.

CVII. *Medicamentorum Pituitam Viscosam per Alvum Evacuantium Formulas* plures dedimus in superioribus; quo circa illis impræsentiarum supersedentes unam hic addemus, quæ *ipsam deducat ad Renes ac educat cum Urina*, & quidem forma *Decocti*.

℞. Rad. apil,
Eringii,
Asari, aa. ℥j.
Fol. Eupator. Cannab.
Urticæ,
Cerefol. an. M. j.
Sem. fœnic. dulc.
Seselios,
Saxifragiæ, an. ʒij.
Coq. ex Aqua pura ad Colat. ℥xxx.
addendo Syr. 5. *rad.* ℥iij.
Spir. salis dulcis,
vel Salis Volatilis Succini, ʒj.
M.

Ejus Usus.

Bibat Æger bis in die Haustum ad ℥iij. iv. vel v stomacho cibis vacuo, hoc est, quinque ad minimum post assumptum cibum horis. Præstabit, si calens, aut tepidum saltem usurpetur.

Salium Volatilium vires.

CVIII. Idem efficiunt *Salia Volatilia* diutinè, etiam unà cum Alimentis assumpta; quippe quæ non tantùm Pituitam Glutinosam incidunt ac emendant, sed ejusdem partem ad Urinæ vias propellunt, ac Sedimenti forma expellunt: quod tamen paulatim in Urinis deficit, atque eo ipso Pituitam maximam partem correctæ ac superatæ signum præbet indubitatum: quod vel idcircò in Juniorum Medicorum gratiam hic monendum, quoniam non desunt Seniores, qui tum in Salium Volatilium præstantiorum præparatione minùs versati, tum in eorundem administratione minùs exercitati, tum proinde in eorundem viribus observandis minùs assueti eadem non sine aliqua Invidiæ suspicione

Ea à Senioribus Medicis sufflaminari.

indirectè magis, quàm directè sufflaminant. Sic culpant multi ea, quæ ignorant, & labore manuario addiscere nolunt: quasi sufficeret ad solidam rerum Naturalium, Medicarumque notitiam comparandam Scripta quorumvis evolvere, atque pro lubitu citra experientiam hujus vel illius Sententiam cæteris præferre ac imperitè laudare. Rident autem tales Censores inexpertos ac Theoreticos, licèt valdè Suffenos, non tantùm in Ægrorum curatione, verùm in Remediorum quoque præparatione peritì Practici. Expertus hæc omnia loquor, ringentibus licèt Adversariis, cæterisque malevolis; quorum quoque causa non pauca reticeo, quæ aliàs liberaliter patefacerem.

Animi Deliqui & Syncopes Curatio.

CIX. Atque hæc sufficere poterunt Languoris Universalis Curationi: quoniam verò ad *Animi Deliqui & Syncopes productionem* docuimus concurrere cum *Pituita Glutinosa Liquorem Acidum*, & imprimis *Pancreaticum*, merito in horum curatione utriusque Humoris habenda erit ratio: quapropter *Acidi* quoque *Correctio* semper, ac *Eductio* subinde erit tunc instituenda, & quidem in Affectuum istorum *Præcautione*, atque *extra* ipsum *Paroxysmum*; quo *præsente ac urgente* usurpanda erunt Medicamenta magis efficacia & Spirituosa, quæ nimirum ad partes maximè affectas mox penetrare atque instans vitæ periculum citò amovere possint.

Ante Paroxysmum, in Paroxysmo.

Aromatica & Sale Volatili abundantia Pituitam emendare. & acidum temperare.

CX. Quæ autem diximus Viscosam Pituitam emendare posse *Aromatica & Sale Volatili abundantia*, eadem docuimus non semel in superioribus conducere similiter *Acido temperando & corrigendo*: utroque proinde nomine convenient in varias formulas præscripta modo Medicamenta; quod uno verbo nunc monuisse sufficiat.

Acidum Humorem evacuare Hydragoga.

CXI. *Acido Humori temperato Educendo* inserviunt *Hydragoga* vulgò dicta; quæ non semel laudavimus & præscripsimus in superioribus, quapropter unicam duntaxat ipsorum formulam hic addemus.

Pilula

℞. Gumm. Sagapen. aceto soluti & iterum inspissat. ʒß.
Resinæ Ialapp. ℈j.
Magist. Gum. Gotte, ℈ß.
Ol. Bacc. Iunip. G. iij.
M. f. pilul. N. 15.
Inaurentur, aut Glycyrrhizæ pulvere conspergantur.

Earum Usus.

Sumat Æger quinque, aut plures, paucioresve, prout difficiliùs, aut faciliùs ipsi solvi potest alvus.

Aloes vitium.

CXII. Data opera omitto in plerisque Pilulis à me præscribendis *Aloen*; quoniam in multis cum molestia, & quandoque cum noxa Hæmorrhoides aperire solet.

Animi Deliquium & Syncope qui præcaveantur.

CXIII. *Paroxysmo Animi Deliquii & Syncopes instante*, atque adventus sui signa superiùs memorata promente, exhibenda sunt, quæ *Halitus, Flatusque Acidiusculos*, & quandoque simul *Glutinosos* tum potenter concentrare, tum discutere apta sunt nata; quæ diximus modò desiderari multùm efficacia & subtilia, quò quaquaversum penetrare possint & Ipsis jungi. Sunt autem talia & *Spirituosa*, & *Salina Volatilia*, & *Oleosa* intimè Artis ope unita.

Ex quibus.

CXIV. Conducunt proinde omnia *Salia Volatilia Oleosa* ex variis *Animalium* præsertim, vel *Plantarum* quarundam partibus arte parata: Conducunt *Tincturæ Aromaticæ Spiritus Vini* rectificati beneficio ex variis *Aromatibus*, *Plantarumve*, ut & *Animalium partibus* quibusvis *aromaticis* vel *Infusione* sola; vel *Distillatione* insuper eductæ. Quæ omnia convenientibus Liquoribus solvi debent, ac Ægris sæpius exhiberi. Exempli gratia ex solis Plantarum partibus.

Mistura.

℞. Aq. Menthæ,
Fœniculi, an. unc. ℔
Cochleariæ,

Vitæ Matthiol. an. ℥ ß.
Laud. Opiat. Gran. ij.
Syr. Menthæ, ℥j.
Ol. Caryophyll.
Macis stillat. an. Gutt. ij.
M.

Opii Vires. CXV. In proposita Mixtura cochleatim, & sæpius assumenda nemo miretur addi *Laudanum Opiatum*, postquam non semel asseruimus in superioribus Opium vim habere summam impediendi, compescendique vitiosam Humorum Acrium Effervescentiam tum in tenui Intestino, tum in Corde, tum alibi; sine qua non solent excitari facilè Halitus noxii & Acidiusculi, eorundemque Affectus producentes.

Salium Volatilium & Oleorum Vires. CXVI. Prædictæ, aut simili Misturæ addi possunt varia ex Animalium partibus parata & valdè efficacia, *Tinctura Castorei*, *Spiritus salinus Salis Armoniaci*, vel *Urinæ*, *Sal Volatile ac Oleum Sanguinis*, *Ossium*, *Cornuum*, *Ungularum*, &c. Olea rectificari debent, atque non tantùm suo empyreumate ex parte liberari, verùm insuper penetrantiora reddi, & magis potentia. Rectificatio autem ista commodè fit cum Spiritu Vini Tartarisato.

Eorum Usus. CXVII. Possunt quoque laudata modò Salia Volatilia, & Olea exhiberi ex cochleari cujusvis Liquoris, Aquæ, Vini, Cerevisiæ, Jusculi, &c.

Ante & in Paroxysmo. CXVIII. Nemo autem, nisi expertus, persuadebitur facilè de mirabili prædictorum Medicamentorum efficacia, & vi summa non tantum in præcavendis, sed insuper in minuendis ac citò curandis Animi Deliquiis & Syncope. Possunt enim non tantùm ante Paroxysmum, aut ipso instante, verùm eodem urgente usurpari laudata Remedia, tum cautè infundendo eorum pauxillum in os, tum ipsa applicando, illinendove naribus: Vis namque ipsorum volatilis quaquaversum dispergitur & ad intima penetrans suo simili, hoc est, Halitibus Volatilibus facilè jungitur, atque eosdem alterat, mutat, temperat, corrigitque, adeo ut desinant Aciditate sua non tantùm partes Sensiles irritare aut vellicare, Frigorisve sensu afficere, sed imprimis Sanguinem nimis condensare, atque hactenus Vitam obnubilare ac penè obliterare.

In Animi Deliquio & Syncope etiam usurpanda externa. CXIX. Possunt quoque urgente Animi Deliquio aut Syncope alia, sicut vulgò fieri solet, usurpari, quæ Sensus externos quosvis excitent, qualia sunt Frictiones partium externarum, Vociferationes, Applicatio rerum Acrium circa Nares & Os, Aceti, Vini Rhenani, Aquæ Cinnamomi, Aquæ Vitæ Matthioli, Apoplecticæ; Antepilepticæ, Theriacalis, &c. Suffitus multifarius tam humidus, quàm siccus, Aceti tum solius, tum Cinnamomo, Garyophyllis, aliisve juncti, Succini, Plumarum Perdicis, & similium ipsi plebi satis notorum.

Curatio post Paroxysmum. CXX. Soluto vel sponte, vel arte Paroxysmo recreandæ sunt *Vires* tum *Animales*, tum *Vitales* utplurimùm prostratæ tam *Spirituosis*, quàm *Aromaticis*. Non parùm enim solent exindè languere *Vires Animales*, an quia non producti sunt paroxysmo durante Spiritus in Cerebro? Restituuntur autem illi confestim Vino generoso, ejusdemve Spiritu parcè usurpato.

Aromaticorum Vires. CXXI. *Aromatica* verò reparare solent *Vitales* dictas *Vires*, an. quia cum *Bile* magis conveniunt, quæ non parùm ab *Acidis Halitibus* fracta est ac debilitata tum in tenui Intestino, tum in Corde? Si proinde Vino jungantur quædam Aromatica, vel usurpetur Spiritus Vini Aromaticus, una, eademque Opera Debilitati utrique succurretur. Ex. gr.

Mixtura, ℞. *Aq. Betonicæ*, ℥ii.
Vitæ Matthiol ℥j.
Conf. AlKermes, ʒj.
Syr. borragin. ℥j
F. Mixtura sæpiùs cochleatim usurpanda.

CAPUT XXXV.

De Cordis Palpitatione.

I. AD *Cordis* Motum & Pulsum præter naturam vitiatum refertur meritò ejusdem *Palpitatio*, quam pro *Motu ipsius Convulsivo* habendam censeo, cùm revera sit *Motus Cordis inordinatus, coactus ac sæpenumerò simul vehemens*. Nam non semper adest notabilis vehementia, unde gradibus non parùm differre solet Cordis Palpitatio. *Cordis Palpitatio quid.*

II. Inordinatus hic Cordis Motus ex parte quidem ac quodammodò, non tamen planè ac plenè ex Arteriarum Pulsu dignosci potest; unde opus est, ut plerumque admoveatur sub mamilla sinistra manus: quamvis in Cordis Palpitatione vehementi Motus idem Oculis usurpari queat, ut & ad distantiam sæpe notabilem Auribus percipi. *Qui dignoscatur.*

III. Accidit enim nonnunquam, ut tam vehemens fiat Cordis Palpitatio, Costarumque tanta percussio, ut propter eam eædem confringantur, aut in junioribus ac tenuioribus foràs propellatur, protuberantesque maneant. *Ejus vehementia & effectus.*

IV. Sunt autem, sicut jam innuimus, aliqui ratione majoris, aut minoris vehementiæ in Cordis Palpitatione gradus; unde aliquando nisi applicata Pectori manu observari ac dignosci nequit; aliquando Visui quoque; Audituique mox patet. *Gradus.*

V. Palpitationis Cordis *Causam* puto esse, quicquid *absque intermissione Ipsum ad sui Contractionem inordinatam & quandoque simul vehementem aptum est incitare*; sive illud *intra Cordis Ventriculos*, aut *in ejusdem Substantia* contineatur, sive *extra Cor* existens, ipsum tamen ad tempus aut semper continuò vellicat; mordet, pungitve. Unde notatur quædam Cordis Palpitatio perpetuò Ægrum infestans, quædam pro tempore urgens, ac denuo remittens, aut in totum recedens. *Causa.* *Diversitas.*

VI. Quicquid ex Venis & Auriculis affunditur in Cordis Ventriculos, ac mox iterum ejusdem Contractione expellitur in Arterias, fit quidem aliquando Pulsus Majoris, Potentiorisve Causa, non item Palpitationis; ad quam producendam opus est, ut ejus Causa Cordi adhæreat, vel inhæreat, ipsumque continuo ad sui Contractionem irritet, quæ proindè fiet tum inordinata, tum inæqualis, ac subinde simul vehemens, *Requisitum in causa.*

VII. Examinatis proinde, expensisque iis, quæ tum Ego in Ægris Cordis palpitatione laborantibus observavi, tum ab aliis Medicis notata vidi, judico Palpitationem hanc utplurimùm ortum suum habere ab *Humoribus*, *Flatibusve multùm Viscosis*, *ac simul Acribus ad Cordis Ventriculos delatis*, *& in ipsis hærentibus*, atque ipsum ad inordinatam, inæqualemque sui Contractionem *continuò irritantibus*. *Eam oriri à Flatibus & Humoribus Viscosis.*

VIII. Hi Humores, atque Flatus frequentiùs ex tenui Intestino deferentur ad Cor, sive *sponte* ob vitiosam sui effervescentiam commoti eò propellantur, sive ob *Corporis Motum* concitationem, maximè in ascensu, vel *Animi Affectum* gravem, Iram, Metum, Tristitiam, Gaudiumve agitati eò transferantur; sive ab *Externa Causa*, *Aeris* puta æstu aut frigore acri; *Alimentis* dulcibus aciditve; *Rerum quarumvis Odore* potenti, eoque nunc suavi, nunc ingrato, &c. similiter ad effervescendum, Halitusque tam glutinosos, quàm acres producendos, & ad Cor transmittendos adigantur & urgeantur. *Hi unde & quomodo deferantur ad Cor.*

IX. Hinc est, quòd in plerisque *Affectionis Hypochondriacæ* speciebus tam frequens, familiarisque sit Cordis Palpitatio, *Palpitatio frequens in Affectione Hypochondriaca.*

X. Hinc est, quòd tam sæpe circa *Febrium Intermittentium initia*, urgente adhuc, aut remitente Frigore; ut & in earundem *vigore*, Æstu existente summo, Palpitatio sentiatur Cordis molesta. *Ut & in Febribus Intermittentibus.*

XI. Præ-

Eandē etiā oriri à Tumoribus Carneis, &c. in cordis Substantia. Uti & à Vermibus, Humore acri, ac Vulnere Ac talē esse incurabilē.

XI. Præter notatos Humores, Flatusque observati sunt aliquando in *Cordis substantia Tumores Carnei*, aut *Excrescentiæ Osseæ, Cartilagineæve.*, quibus *Palpitatio* ad mortem usque conjuncta non immeritò fuit adscripta.

XII. *Vermes in Pericardio* reperti Cor pungendo, vel *Humor acris* mordendo *Palpitationis* raræ Causa esse possunt, ut & *Vulnus Cordis inflictum*.

XIII. Causæ binis paragraphis postremis notatæ sicut cognitu sunt difficiles, si non impossibiles, ita curari non possunt.

In Paroxysmo quomodo curetur, quæ est à Flatibus.

XIV. Frequentissima Cordis Palpitationis species priori loco memorata urgente paroxysmo *Curabitur*, si à *Flatibus* habeat ortum, Medicamentis tum *Incidentibus*, & *Discutientibus*, tum *Acrimoniam Acidam* præsertim *Temperantibus* ; sæpiùs suprà propositis. Ex. gr.

Mixtura.

℞ *Aq. Petroselin.*
Fœniculi, an. ℥ i ß.
Vitæ Matthiol. ℥ j.
Ol. macis stillat. Gutt. iv.
Spir. Salis Armoniac. Gutt. xx.
Laud. Opiat. Gr. iij.
Syr. menthæ, ℥ j.
M.

Ejus Usus.

Hujus Misturæ Cochleare unum singulis horæ quadrantibus assumat Æger, donec aliquod sequatur levamen.

Quomodo curetur, quæ est ab Humore Viscoso & Acri.

XV. *Si ab Humore Viscoso & Acri* putetur producta Cordis palpitatio, iisdem utendum *Medicamentis Alterantibus* modò laudatis, *Incidentibus & Acrimoniam temperantibus*, quin nonnunquam, perseverante diutius (quod ferè fieri solet) Paroxysmo, Humorem ipsum *Evacuantibus*.

XVI. Ad Incidendum, Temperandumque Humorem notatum conducet Mixtura modò præscripta, vel alia similis: Ad eundem autem Educendum cæteris omnibus præfero *Pilulas* ex Gummatibus parandas; cùm & Ipsæ Glutinosos Humores solvant, & ad faciliorem sui eductionem disponant. *Ex. gr.*

Pilulæ.

℞ *Gumm. Galbani aceto squillitico soluti & iterum inspissati*, ʒ ß.
Vitriol. Martis ad albedinem calcinat. ℈ j.
Troch. albandal, ʒ ß.
Diagrid. Gran. xv.
Ol. carvi, Gut. vj.
M. F. Pilulæ, N. xxv. Inaurandæ.

Earū Usus.

Sumantur 5. aut 7. matutino tempore, ac Ventriculo vacuo; superbibendo post sesquihoram jusculum, vel Cerevisiam cum pauco pane coctam, & macere aromatisatam.

XVII. Qui abhorrent à Pilulis, *Apozema* usurpent ex Incidentibus, Aromaticis & Purgantibus paratum; in quem finem laudamus sequens valdè amaricans & efficax.

Apozema.

℞. *Rad. Apii*, ℥ j.
Angelic, ʒ j.
Ras. Ligni Sancti, ʒ iij.
Bacc. Lauri, ʒ ij.
Pulp. Colocynthid. ʒ j.
Sem. Carvi. ℈ ij.
Cort. Aurantior ʒ ij.
Coq. s. a. in Aq. pura.
In Colaturæ ℥ xxx. *dissolve.*
Syr. ros. sol. cum senna, ℥ iij.
Spir. Vini rectific. ℥ i j.
M.

Ejus Usus.

Sumat Æger hujus Apozematis ℥ iij. iv. vel v. Quòd si assumptione tali parùm vel nihil dejiciat poterit aut eodem die, aut sequenti saltem tantundem, aut plùs pro Medici judicio bibere, atque sic per *intervalla* humorem noxium minuere ac educere.

Extra Paroxysmum quo curetur.

XVIII. *Extra Paroxysmum* similia usurpari possunt ac debent tum *Alterantia*, tum *Evacuantia*, & quidem indies. Nam nonnisi temporis tractu, perseverantiaque debellari possunt pertinaciores Humores: qui per intervalla etiam educendi pertinaciores scilicet, ac inemendabiles: ubi satiùs iteratis vicibus, sensimque illos evacuare, quàm simul ac semel idem tentando in graviores Affectus Ægros conjicere.

CAPUT XXXVI.

De Sanguinis e Sinistro Cordis Ventriculo per Arteriam Aortam ad omnes Corporis, Partes Fluxu læso.

Usus Motus Sanguinis ad omnes corporis partes.

I. SAnguis in utroque Cordis Ventriculo ac intermediis Pulmonibus perfectus transfertur tandem per Arteriæ Aortæ ramos infinitos ad omnes *Corporis partes*, quò tum *Ipsæ illo Nutriantur*, tum ex eodem *Liquores* Humanæ Oeconomiæ ampliùs *Utiles*, *Inutilesve* variis in locis *Secernantur*, iterumque *ad Sanguinis massam ecmittantur*, aut è *Corpore prorsus excludantur*.

Quot modis hic motus lædatur.

II. Hic Sanguinis per Arterias *Fluxus læditur* aliquando, vel *Universe*, vel *Particulatim*; & quidem quando aut 1. *segniùs, vel minime fluit*; aut 2. *celeriùs, potentiùsve movetur*; aut 3. *in partium Substantiam, Cavitasve* ita fluit, ut *ibi hæreat*, vel *foras effluit e Corpore*.

Universè segniùs fluit Sanguis. 1. in Plethora.

III. *Universe fluit segniùs Sanguis*, aut etiam in motu suo planè *sistitur & stagnat* idem 1. in *Plethora quoad Vasa* dicta, & quidem *defectu spatii sufficientis ad excipiendum Sanguinem* in Cordis Ventriculis perfectum, ideoque simul *ampliùs rarefactum*.

2. In Animi Deliquio, Syncope & languore universali.

IV. In *Animi Deliquio & Syncope* ; ut & *Languore Corporis Universali* propter *Sanguinem ad rarefiendum minùs aptum*; sicut pluribus dictum ac deductum Cap. 34.

Particulatim id influit segniùs ob Angustia Arteriarū,

V. *Particulatim segniùs per Arterias fluit* vel aliquando etiam *sistitur & stagnat* idem *Sanguis* propter *Angustiam* qualemcunque in *alicujus Partis Arteriis* existentem, ac imprimis *Compressionem* aut *Obstructionem*: vix enim capere possum in Arteriis locum habere posse Constipationem Coalescentiam, vel Subsidentiam.

Ob Arteriarum cōpressionem. Ob earundem Obstructionem

VI. *Comprimi* possunt Arteriæ à *Tumore duriore* ipsis vicino, *Vinculis*, &c.

VII. *Obstruentur* Arteriæ, ac imprimis *Capillares*, tum à *Pituita Glutinosa* unà cum Sanguine per Ipsas delata, & aut *sponte* ac sensim denuò *coalescente*, aut propter *Frigus Aeris* per Cutis poros eò penetrans *coagulata*, tum ab Ipso *Sanguine* propter *Frigus* vel *Acidum* externum eò se insinuans *concreto*.

Idem Universè movetur celeriùs vel potentiùs in Febribus ardentibus.

VIII. *Universè movetur* per Arterias *celeriùs, potentiùsve Sanguis* in *Febribus Ardentibus* omnibus, tam *Continuis*, quàm *Intermittentibus*, quamdiu *permanet Pulsus* non tantùm *Frequentior*, sed simul *Major & Robustior*: nam postquam eousque rarefactus est tunc Sanguis, ut Vasa nimiùm distendat, & Plethoram ad Vasa constituat, sensim tum *Minor*, tum *Debilior* fieri solet *Pulsus* ; donec *Sanguinis* per Venam sectam *missione spatium* paretur *Sanguini excipiendo amplius*, simulque *Suffocationi proximus recreetur* quasi, exciteturq; opera eadem *Ignis Vitalis* ; unde *Pulsus* quoque fit tunc iterum & *Major* & *Robustior*.

In Cordis Palpitatione,

IX. Movetur itidem potentiùs, celeriùsque Sanguis Universè in *Cordis Palpitatione*, propter Cor ad frequentiorem sui contractionem tam coactum quàm irritatum.

Post notabilem Sanguinis effusionem.

X. Accidit idem post notabilem, non tamen extremam *Sanguinis Effusionem*, eamque aut *spontaneam*, aut *artificialem*, aut *fortuitam*, per *vulnus* nempe casu, vel vi acceptum.

Particulatim idē movetur ob Sanguinē ex ea effusum.

XI. *Particulatim*, hoc est, *ad certam, determinatamque Partem movetur celeriùs ac potentiùs Sanguis*, ob *Sanguinem ex eadem effusum*, non tamen quantitate nimia, vel summa; quoniam, ubi hoc evenit, reliquus quoque Sanguis eò fertur; imò offertur adeò, ut ejus defectu minuatur quoque Vita-

Vitalis in Corde Ignis, & Sanguis deficiens pauculque, utut ibi rarefactus, minùs expandat Cordis Ventriculos, ideoque minùs irritet Musculosum ejusdem Parenchyma ad sui contractionem minùs proinde propellatur quaquaversum Sanguis deficiente tandem, ni brevi succurratur, post Languorem Universalem Vita.

In Partium Substantiā & è corpere fluit Sāguis ex apertis arteriis.

XII. In *Partium Substantiam*, vel *Corporis Cavitates fluit & ibi colligitur ex Arteriis* quovis modo *internè apertis* & patentibus effusus *Sanguis*: quemadmodum idem ex iisdem *circa Corporis superficiem læsis effluit è Corpore*.

Causa Plethora ad Vasa.

XIII. *Plethora ad Vasa* pro *Causis* agnoscit *Constitutionem Corporis sanam*, *usumque Alimentorum optimorum liberaliorem*, *Animum Curis vacuum*, *Exercitium Corporis paucum*, *Somnum multum*, & similia.

XIV. De *Sanguinis ad rarefiendum minùs apti Causis & Cura* egimus Cap. 34. unde sunt petenda, quæ huc faciunt.

XV. De *Tumorum variorum Ortu*, *Causis & Curatione* dicendum alibi; de *Obstructione autem Vasorum Sanguineorum*, ipsiusque *Causis*, *Effectis & Curandi* modo plura proponemus. Capite 40.

XVI. De *Febribus*, ut & *Cordis Palpitatione* ex professo tractavimus in superioribus; sed de variis *Vulnerum* differentiis, & *Causis*, *Curaque* aliàs forsan, si Deus volet, commentabimur.

Ejusdem Curatio.

XVII. Inter plurima igitur ad notatorum ex læso Sanguinis per Arterias Fluxu Affectuum *Curationem* facientia unicum tantùm de *Plethora ad Vasa* dicta citò, tutòque *Curanda* monebimus; ipsam nimirum absolvi *Sanguinis eductione sufficiente per apertam Venam*: ubi tamen observandum, ut pro cujusque Curandi constitutione propria eliciatur *una*, *pluribusve vicibus*, & quidem *copia nunc majore*, *nunc minore* Sanguis.

Augmentū præcaveter. 1. Alimenta minuendo.

XVIII. Ejusdem *Plethoræ augmentum præcavebitur*, 1. *minuendo Alimentorum multi & laudabilis Succi quantitatem*; quin *substituendo* in eorum locum *Alimenta fermentationis difficilioris*, atque *minùs Succi nutritii continentia*.

2. Corpus exercendo.

XIX. 2 *Corpus indies magis exercendo*, ac defatigando.

3. De Somno detrahendo

XX. 3. De *Somno* aliquid paulatim *detrahendo*.

4. Mētis occupationes augendo.

XXI. 4. *Accersendo & Augendo Curas*, *Mentisque Occupationes* serias, non tamen nimis angentes.

5. Venam aperiendo.

XXII. 5. Quamdiu laudatis mediis nequeunt satis potest impediri Sanguinis augmentum nimium, danda est opera, ut subinde *Sanguis* nihilominus *au Œior* secta vena *minuatur* in tempore.

CAPUT XXXVII.

De Partium omnium Nutritione læsa; & in specie de Atrophia, sive Tabe.

Nutritio & Accretio quid.

I. GEneralis *Sanguinis* ad *Partes* omnes ac singulas delati *Usus* est Ipsarum *Nutritio*, sive Particularum sensim ab ipsis recedentium ac pereuntium reparatio; ut & in Juventute Earundem ad molem, magnitudinemque decentem *Accretio*.

Quot modis lædantur.

II. Hæc *Partium* omnium & *Nutritio*, & *Accretio læditur* aliquando vel *Universe*, vel *Particulatim*, & quidem frequentiùs secundùm *Carnes Musculorum*, & *Pinguedinem*, rariùs secundùm *Viscerum Parenchymata*, & *Ossa*.

III. Læsio hæc contingit quando 1. Nutritio ista *Deficit* in *Atrophia* vel *Tabe*. 2. quando eadem *Ntmia* fit, speciatim in *Carnositate*, aut *Obesitate*. 3. quando eadem *Inæqualiter* aut *Perperam* evenit in *Cachexia*, *Anasarca*, *Leucophlegmatia*, *Rachitide*, &c.

Atrophia.

IV. Hoc quidem Capite agemus de *Atrophia* sive *Nutritionis Defectu*; sequentibus verò de cæteris.

Defectus nutritionis quoad rationem cōtingat.

V. *Deficere* solet *manifestè Corporis Nutritio* imprimis, ut dictum, ratione *Pinguedinis* & *Carnis Musculosæ*; non item ratione *Cartilaginum*, *Ossium* vel *Parenchymatis Viscerum*.

Quid Macies. Quid Tabes.

VI. Ubi *Pinguedo sola* consumitur, nec æquè reparatur, *Macies* dici queat; ubi *Caro simul* minuitur, nec restituitur. *Tabes*. Neque novum est observare homines, quibus sola Pinguedo perit; sed & aliquando, quibus Caro magis, quàm Pinguedo.

Atrophia duplex.

VII. Hæc Atrophia gemina sæpiùs existit *Universalis*, per universum Corpus; infrequentiùs *Particularis* & in determinatis tantùm Partibus *Artubus* præsertim.

Ejus causa.

VIII. Accidit hæc Atrophia crebiùs *Sanguinis*, rariùs *Partis affectæ vitio*.

1. Sanguis.

IX. *Sanguinis culpa* evenit Atrophia, quando is aut *deficit* in corpore universo, vel parte aliqua; aut *ineptus* est Partibus contabescentibus reparandis.

Deficiens in universo corpore.

X. *Deficit Sanguis in Corpore universo* tum propter *Inediam* voluntariam, coactamve; tum propter *Sanguinis Effusionem* qualemcumque notabilem; tum propter *Alimentorum convenientium* defectum; tum propter *Corporis Motum* nimium tum propter *Vigilias* diutiùs continuatas; tum propter *Curas permanentes*; tum propter *Aeris æstum* nimium & diuturnum; tum propter *Alvi Fluxum* protractum.

In parte aliqua.

XI. *Deficit* ferè *sanguis in parte aliqua* propter *impeditum ejus ad vel in Ipsam Fluxum Arteriarumque* adeò *ad* ipsam tendentium *Dissectionem* aut *Compressionem* qualemcunque, ob *Luxationem Ossium*, *Tumores duros*, *Vincula*, &c.

Ineptus.

XII. *Corpori Continenti*, ejusdemque *Partibus* pluribus, paucioribusve *nutriendis* ac reparandis *ineptus est Sanguis* propter *Qualitatem vitiosam*, *Humoresve Vitiosos*, *Salsos*, *Viscosos*, *Purulentos*, &c. ipsi admistos.

Ob qualitatem vitiosam.

XIII. *Qualitatem vitiosam* retinet sæpe *Sanguis* post *Affectus & Morbos graves* prægressos, *Febres Ardentes*, *Dysenteriam*, &c. aut præsentes adhuc, *Febrem Hecticam* tum *simplicem*, tum *Phthisicam*, lentè *Colliquantem*, vel subitò Corpus consumentem: quamvis & tunc existimem considerandos *Humores vitiosos*, qui notatas *Febres producant*, atque *Sanguinem* insuper *vitiant*, corporique nutriendo *ineptum* reddunt, maximè in *Phthisi Pus* Sanguinem inficiens ac corrumpens.

Ob Humores vitiosos

XIV. *Humorum vitiosorum*, *Salsorum*, *Viscosorum*, *Purulentorum*, &c. *ortum* variis in locis proposuimus, aut proponemus adhuc in hoc Tractatulo, unde peti potest.

2. Pars nutrienda affecta.

XV. *Partium Nutriendarum vitio* accidit Tabes, quoties Ipsæ à quacumque demum *Causa*, & imprimis *Externa*, *Fortuitaque* aliquam sunt p.r'æ noxam, ex *Casu* nempe, *Contusione*, *Vulnere gravi*, &c. unde non tantùm *vasa* per Ipsas delata *rupta* sunt, aut *dissecta*, verùm *Carnes* ipsæ ac *Membranæ*, &c. labefactatæ sunt & vitiatæ; quocirca non tantum *deficit*, verùm *corrumpitur* quoque accedens ipsis *Alimentum*, *Sangais*.

Tabis causa varia.

XVI. Quam nonnulli *Tabis Causam* quærunt vel ponunt in *Humidi Primigenii*, *Calidive Innati defectu*, aut *Temperamento Insito in calidius*, *sicciusque mutato*, illam ego in *Bile*, *Lympha* quin & *Saliva*, *Succoque Pancreatico* haud fictis, & commentitiis, adeoque Chimæricis, verùm actu existentibus; à multis observatis, sensilibusque Humoribus, sed variis modis mutatis & vitiatis quærendam, inveniendamque arbitror.

Constitutio corporis in extrema Tabe.

XVII. In *extrema Tabe*, præter *Faciem Hippocraticam* dictam, *in Temporibus collapsis Oculorum sedibus concavis*, *Naribus acutis*, *Malis prominentibus & Ore biante* consistentem, *Costæ* in Thorace protuberant, *Ensiformisque Cartilago* incurvata cernitur; *Scapulæ* alarum, & *Claviculæ* arcuum ad instar eminent; *Dorsi spina* se exerit, *Venter* collapsus, contractusque apparet, *Clunes* pendulæ sunt, vel consumptæ; *Crura*, *Brachia*, *Pedes*, *Manusque* cum *Digitis* aridæ spectantur, & circa *Articulos* Protuberantiæ attolli videntur; *Ungues* curvantur; Pili excidunt;

Cutis-

Cutisque flaccida, corrugata, fusca, & arida existit; *Venæ* interim prominent, undique conspicuæ ac lividæ; *Corpusque* universum tantum non transparens ac pellucidum in quibusdam observatur.

Tabes curatu difficilis. XVIII. Semper *Curatu difficilem*, ac subinde *Incurabilem Tabem*, imprimis, postquam duravit aliquandiu, testantur Medici omnes, ipsique suffragatur Experientia; licèt censeant plerique ipsam in principio haud ita difficulter curari posse, dum innotescat.

Curatur. 1. Sanguinis defectum reparando. XIX. *Curabitur* autem *Tabes* 1. *Reparando Sanguinis Defectum* vel *Universalem*, vel *Particularem*; tum *usurpando Alimenta* optima, & quidem quantitate moderata, tum *amovendo, emendandove* singulas Defectus istius *Causas*: de quibus actum est agendumve alibi.

2. Sanguinis vitium corrigendo. XX. Curabitur eadem Tabes 2. *Corrigendo vitium Sanguinis* qualecumque, *Amovendoque* ab ipso *Humores Vitiosos* singulos ipsi admistos per *Evacuantia singulis convenientissima*, *Vomitoria*, *Purgantia* per alvum, & imprimis *Diuretica*, *Sudoriferave*, ut & subinde *Salivantia*: de quibus actum est aliis in locis, unde seligenda sunt quæ hic maximè prosint.

XXI. *Correctio Sanguinis* variis modis alterandi & vitiandi pro vitii varietate variabitur, usurpando medicamenta unicuique vitio maximè apta, ni habeantur ad manus *Corrigentia Universalia*, qualia ex *Mineralibus* & *Metallis*, aliisque ad Animalium partes minùs determinatis parantur efficacissima, ideòque optima, & in specie ex *Antimonio*, *Auro*, *Ferro*, *Vitriolo*, *Coraliis*, *Margaritis*, *&c.* unde non immeritò laudantur, commendanturque *Tincturæ*, *Sulphura*, *&c.* ex enumeratis paranda.

3. Partium alendarum noxam reparando. XXII. Curabitur eadem Tabes 3. *Reparando Partium alendarum noxam* per infortunium ipsis factam; de qua re agendum ex professo in Parte Medicinæ Chirurgica.

CAPUT XXXVIII.

De Carnosiore ac Obesiore Corporis Constitutione.

Nutritioni nimiæ in quibus fiat. I. N*Utritionem* diximus Capite præcedente *nimiam* fieri notabiliter, tum in *Carnosa Musculorum Excrescentia*, tum in *Obesitate* unde totum Corpus observatur amplius; quod æquè non fit, quoties *Viscerum Parenchymata*, vel *Glandulæ* in molem accrescunt nimiam propter quam *Tumores* duntaxat hinc inde producti censentur.

Musculorum carnositas unde. II. Redditur verò *magis carnosus* Corporis Habitus Musculosus à *Sanguine multo & laudabili*; concurrente *Corporis Motu*, exercitioque moderato; *Vita Curis* anxiis vacua; *Somno* mediocri vel protractiore; *Alimentorum* multi Succi ac fermentationis facilis assumptione largiore.

Obesitatis causa. III. *Pinguius* verò & *magis Obesum* tam in habitu ac superficie, quàm interioribus fit Corpus à *Sanguine pinguiore*, ad cujus productionem facit *Corporis Constitutio sana* quidem, concurrente tamen *Succo Acido satis copioso, sed blando, temperatoque*; *Bile* autem *parciore*, *minùsque acri*; *Motu Corporis* pauco; *Vita* itidem sine *Curis* rodentibus; *Somno* placido & longiore: *Alimentorumque pinguium* assumptione continua & multa.

IV. Rarius quidem gravatur Carne multa vel nimia Corpus, frequentiùs Pinguedine.

Musculorum carnositatis curatio. V. *Curabitur carnis* Musculosæ *Augmentum nimium*, 1. *Minuendo* subinde *Sanguinem* aperta Vena. 2. *Exercendo valde* ac solito *diutiùs Corpus* ad Defatigationem satis notabilem. 3. Occupando, vexandoque *Animum Curis* gravibus & solicitis. 4. Augendò *Vigilias*, detrahendoque aliquid *Somno*. 5. Usurpando parciùs *Alimenta* multi optimique Succi, horumve loco sumendo, quæ minùs nutriunt, aut difficiliùs fermentantur.

Obesitatis curatio. VI. *Curabitur* autem *Corporis Obesitas*, 1. Usurpando sæpius, satisque abundanter *Condimenta* quævis *acria*, tum *Acida*, tum *Aromatica*, hoc est, *Salsa*, vel *Amara*, quæ tam *Liquores Glandulosos* præstent *Acidiores*, quàm *Bilem* magis *Amaram* & acrem. Talia vero sunt Acetum, Succus Citri, Spiritus Salis, &c. Piper, Garyophylli, Cinnamomum, Macis, Zinziber, Nasturtium, Eruca, Sinapi, Raphanus quivis, & imprimis Rusticanus, &c. 2. *Corpus Movendo* multùm. 3. *Animum torquendo* Curis. 4. *Somno* in dies aliquid detrahendo. 5. Ab *Alimentis Oleosis & Pinguibus* in totum abstinendo: sic enim paulatim non tantùm consumetur Pinguedo superflua sed ejusdem impedietur augmentum novum.

CAPUT XXXIX.

De Cachexia, & in specie, Anasarca, Leucophlegmatiaque.

Cachexia quid. I. Q*Ualitate peccans Corporis Nutritio* & potest, & solet *Cachexia* vocari, in qua *Nativus Cutis* & imprimis *Faciei Color languescit*, mutaturque in *pallidum*, & aliquando *flavum* vel *lividum & luridum*, sicut in nonnullis in *rubidum* vel *rubicundum*, exurgentibus tunc ferè simul in *Naso*, *Genisque* varii generis *Pustulis*.

In ea corporis constitutio, & Signa. II. Concurrit in plerisque Cachexiæ speciebus *Dyspnœa*, quæ augetur magis, quoties corpus movetur, imprimis concitatiùs, & in ascensu. Quin tunc sæpiùs *Cordis Palpitatio*, *Arteriarumque circa Iugulum*, *Temporaque Pulsatio*, Visui quoque manifesta, producitur. Accedit frequenter *Universi Corporis*, & *Crurum* præsertim *Lassitudo*. Urget quoque non raró *pressans & angens Cordis Dolor*, qui post assumpta Alimenta intendi solet. Quin adest utplurimum *Febris lenta*, eaque vel *Continua*, vel *Intermittens*, vel *ex utraque Composita*, *Urinæ* sæpiùs *Crudæ*, *Aqueæve* prodeunt, rariùs *Crassæ*, *Turbidæve* ni ab Affectu alio comite, aut externa Causa turbentur ac mutentur. Tandem *Macrescit* & *Contabescit* nonnullis *Corpus* Universum, sicut idem aliis sensim *Turget ac Tumet*, fitque à *Seroso* quidem *Humore Anasarca*; uti à *Pituitoso*, magisque viscoso *Leucophlegmatia*; & ab utroque, priore saltem, quando *Abdomen cum Cruribus* tantùm occupatur, *Ascites*. *Anasarca. Leucophlegmatia. Ascites.*

Quos invadat Cachexia. III. Nullis, ac nulli ætati parcit *Cachexia* licèt *Fœminas* propter *diutiùs Morantem*, *Impeditumque*, aut quovis modo *Suppressum Menstruorum Fluxum* corripiat frequentissimè; soleatque fat sæpè comitari *Affectionem Hypochondriacam*, notabilemque ipsius speciem, *Scorbutum*. *Ejus comes.*

Ejus Causa Sanguinis vitium. IV. *Cachexiæ* omnis *Causa* est *Sanguis qualitate vitiosa præditus*, propter quam licèt aliquantùm, & aliquandiu nutriantur Corporis partes non nutriuntur tamen, uti oportebat; sed pro *qualitatis peccantis varietate* modis variis læditur ipsarum nutritio: unde *plures* quoque observantur *Cachexiæ species*, *Coloris mutati*, tum præsertim secundùm *Symptomatum* conjunctorum diversitatem distinguendæ.

Vitiatur Sanguis dupliciter. V. *Vitiatur Sanguinis Qualitas* & ab *Humoribus Naturalibus* ad Sanguinis Constitutionem in Corde concurrentibus, sed qualitate vitiosa præditis; & à *Rebus Non-Naturalibus* dictis aliquem ex notatis Humoribus, ipsumque Sanguinem vitiantibus, & ita corrumpentibus, ut prava sequatur Corporis Nutritio.

1. Ab Humoribus vitiosis. VI. *Humores Naturales*, Sanguini consundi soliti, & hactenus noti, sunt *Bilis*, & Glandularum Conglobatarum, cæterarumque Corporis partium *Lympha*, ut & *Saliva*, *Saccusque Pancreaticus*, unà cum *Bile* in tenui Intestino juncti, atque Liquorem singularem Lymphæ admiscendum componentes, Ipsique adeò *Spiritus Animales*

tes quovis modo Sanguini redditi; quos omnes qualitate vitiosa tum affici, tum eandem Sanguini communicare posse vix putem aliquem in Arte Medica vel mediocriter versatum, atque Veritati addictum negaturum.

VII. Horum vitia plura notavimus in superioribus, & proferemus adhuc in sequentibus: unde poterunt peti, quæ huc faciunt.

2. A Rebus Non-naturalib.

VIII. Quemadmodum verò varia *Humorum Vitia* nonnunquam *sensim ac sine sensu* producuntur in Corpore, ita eadem quandoque *subitò ac sensibiliter* gignuntur à *Rebus Non-Naturalibus*, aliisve *Venenorum* nomine notandis notabili excessu peccantibus, omniaque in corpore valdè turbantibus, aut corrumpentibus.

Eorum vitia frequentissima.

IX. *Vitia* ista frequentissima & manifestissima sunt *Acrimonia* tum *Acida*, tum *Salsa Muriatica*, tum aliquando *Salsa Lixiva*, & *Viscositas*, vel *Fluiditas nimia*: quorum *Causas*, *Generandique modum* non semel proposuimus; explicuimusque in superioribus; quò remittimus Lectorem Studiosum, ne crambe non bis tantùm, ast sæpiùs cocta Mors sit, & nauseam moveat delicatis.

Ratio Symptomatum.

X. Memoratorum *Symptomatum ratio* facilè patebit unicuique cogitanti, expendentique, quoties *Sanguis* undecunque tandem fuit factus *Vitiosus* & Cachexiam producens, toties *Humores* nominatos omnes, cùm ex Sanguine ortum habeant, gigni quoque *Vitiosos*; unde non tantùm *Alimentorum Appetitus* uterque similiter vitiatur, sed ipsorum præterea *Fermentatio*; quapropter *Anxietates circa præcordia*, *Cordisque Dolor pressans* sequuntur tam ante, quàm post ipsorum assumptionem.

Humorum Vitiosorum. Alimentorũ appetitus vitiati. Fermentationis. Anxietatũ. Cordis Doloris.

Partium Secretionis vitiata.

XI. Dum verò perperam Fermentatorum Alimentorum pars, vel massa tota per Intestinum tenue propellitur, qui confunduntur ipsi *Succus Pancreaticus & Bilis* pariter vitiosi, non tantùm exspectatam *utilium, inutiliumque* partium *Secretionem* corrumpunt; verùm contingit quoque vitiosa horumce *Effervescentia*; quin non rarò *Halitus Flatusve* multifarii ex illa vitiosa miscella excitati non tantùm descriptam modò *Anxietatem* augent, verùm ad Cor delati ejusdem *Palpitationem* producunt; atque ad Pulmones translati *Dyspnœam* efficiunt; & quaquaversùm propulsi *Lassitudinem* pariunt notatam.

Effervescentia vitiosa. Anxietatis. Palpitationi Dyspnœa. Lassitudinis

Febris Continua & Lenta. Pulsus frequentioris.

XII. Ex eodem Humorum omnium vitio pendet *Continua*, *Lentaque Febris*, quatenus vitiosè in dextro Cordis Ventriculo effervescentes inter alia Symptomata plura *Pulsum* quoque creant solito *Frequentiorem*, adeòque *præternaturalem*.

Intermittẽtis Febris.

XIII. Cùm autem propter Inquietudinem Corpus stragulis tectum sæpiùs denudant Ægri, facilè contingit, ut per Pancreatis Vasa Pituita delata ibidem coaguletur, Obstructionemque pariat; propter quam Succus stagnans *Intermittentis Febris* multifariæ Causa existet. Illud autem fiet citiùs, faciliùsque, si Corpus sudore diffluat, porique Cutis pateant, vel Aer occurrat frigidior & asperior.

Urina vitiata.

XIV. *Crudæ*, *minùsque Tinctæ*, *Crassæve prodeunt Urinæ* propter *Humores* dictos *Acriores* intimiùs cum Sanguine concrescentes, *Aquosve* abundantes, ac desideratam Effervescentiam minuendantes, adeò ut non sequatur requisita & utilis partium excrementitiarum, unaque cum Urinis excernendarum Secretio, multò minùs Excretio.

Coloris Varii in Facie.

XV. Quemadmodum autem *Partes* omnes tunc *malè Nutriuntur*, ita *Cutis Faciei* Aeri & Visui præ aliis omnibus exposita noxæ suæ signa promit per *Colorem* pro Humorum maximè peccantium varietate *varium*.

Dolorum.

XVI. Quoties autem *Acrimonia Humorum* concurrit, toties illa internè *Doloribus*, aut externè *Pustulis* manifestatur.

Pustularum Hydropis.

XVII. Quoties redundant *simul Copia Humores* vitiosi, toties variæ *Hydropis* species tandem succedunt; sin minùs, *Contabescit* paulatim universum *Corpus*.

Tabis.

XVIII. Quæ in specie solet ob *Menstrua minùs commodè aut tempestivè fluentia Fœminis* accidere *Cachexia*, illius rationem, ac generationem dabimus, si Deus volet, Praxeos hujus Lib. 3. Cap. 3.

Cachexia

Hypochondriaca productio.

XIX. Ex iis autem, quæ hic & alibi sunt dicta *Cachexiæ Hypochondriacæ* omnis, atque Scorbuticæ productio ab Ingenioso & Judicioso Medico deducetur facilè.

Cachexia Curatio.

XX. Ut proinde ad *Cachexiæ Curationem* transeamus, sciendum, si ullibi, certè hic observandum accuratè aureum illud disticho sequenti propositum Præceptum:

Principiis obsta, serò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Nisi enim succurratur in tempore Cachexiæ, non rarò ea sensim tam pertinax, rebellisque fit, ut serò tantùm, vel nunquam curari possit. Monendi proinde à Medicis ordinariis, etiam non rogatis, Ægri, ipsorumque Parentes, aut Consanguinei & Amici, quamprimùm incipientis Cachexiæ signa se manifestant in Colore Faciei mutato, ne malum hoc, sicut est in proverbio, negligatur in herba, postquam & altas & eradicatu difficiles mox agere solet radices, quas postmodum non nisi Herculeo labore superare licet.

In quo consistat.

XXI. *Cachexiæ* autem omnis *Curatio* consistet in *Sanguinis quovis modo vitiosi Correctione ac Emendatione*. Ubi observanda *Vitii species atque Causa* vera, sive illa una sit, vel multiplex.

Humor vitiosus & Sanguis corrigendus, aut evacuandus.

XXII. Prout igitur hic vel ille Humor primariò & maximè hoc vel illo modo peccans, & ab hoc vel illo in Rebus Non-naturalibus commisso errato pendens Sanguinem vitiavit, Cachexiamque produxit, ita seligenda sunt *Medicamenta* quæ *blandè paulatimque* tum notatum *Humorem*, tum *Sanguinem* ipsum *alterare*, atque ad *Constitutionem naturalem redigere* possint, aut, si planè ac in totum emendari nequeant, eundem *quodammodo saltem Correctum sensim evacuent*: non neglectis interim *Rebus Non-naturalibus*, *aliisve* mala hæc producentibus, aut foventibus; quæ nisi *Corrigantur*, *Caveanturve*, frustra expectabitur optata Curatio fœlix, & Successus agendorum laudabilis.

XXIII. Quibus *Medicamentis* & Formulis laudatæ Humorum variorum Correctiones ac Evacuationes perfici possint, debeantque, non semel ostensum in superioribus; ubi videri poterunt.

Ac in eo perseverandum.

XXIV. *Perseverandum* est autem aliquandiu in *Medicamentorum convenientium usu*, ac præsertim, ubi duravit aliquandiu, radicesque fixit Cachexia, segniùs recessura; & quidem in cujusvis Medicamenti proficientis usu, quandiu non tantùm ab ipso bene habet Æger, sed idem absque nausea, & fastidio usurpat: Quamprimùm autem desinit placere, aut prodesse gratissimum licèt, aut optimum etiam medicamentum, mox aliud præscribendum, aliave forma exhibendum.

Diutina Cachexia quibus curetur.

XXV. In *Diutina* verò *Cachexia* semper conveniunt *Medicamenta Pituitam tenacem ac Glutinosam Corrigentia*, *Evacuantiaque*, postquam omnes *Affectus Diuturni* ab illa vel in totum, vel ex parte saltem pendent.

XXVI. Quòd si *Glutinosæ Pituitæ* copuletur *Humor Acidus*, vel *Salsus Muriaticus*, quod frequentiùs contingit, aut *Salsus Lixivus*, sive *Biliosus*, quod rariùs evenit, conjungenda sunt Medicamenta utrique Indicationi satisfacientia, sæpiùs proposita & laudata, quorum ope nunc citiùs, nunc tardiùs expectari potest Sanitatis amissæ recuperatio.

CAPUT XL.

De Sanguinis à Partibus omnibus ad dextrum Cordis Ventriculum per Venas Refluxu læso, & in specie de Inflammatione.

Sanguinis Motus à

I. Quemadmodum à *Corde Sanguis* universus per *Arterias* defertur ad *Corporis Partes* Communi-

Corde versus Corporis partes, & ab iisdem, versus Cor.

Continentes omnes ac singulas, tum ad earundem *Vivificationem* ac *Nutritionem*, *Augmentumque*, tum ad *Humores*; omnes, sive *Contenta* utilia & inutilia quovis modo à reliqua Massa *secernenda*; ita idem post beneficium hoc multifarium multifariè in Corpus utrumque collatum *residuus* ac superstes, quin multis modis *parte sui aliqua destitutus* aut *effœtus* iterum *ab iisdem Partibus Continentibus* omnibus ac singulis per *Venas* fertur ad *Cor*, ibidem mutua concurrentium Partium variarum *Mistura*, mox *Effervescentia*, & *Rarefactione Vitali renovandus*.

Huius Motus Circularis quid,

II. Atque hic *Sanguinis Fluxus* ac *Refluxus* reciprocans & alterans *Motus Circularis* nomine jam cluet & claret.

Quot modis ladatur Sanguinis refluxus.

III. *Impeditur* autem nonnunquam in *suo Refluxu Sanguis*, quoties is vel *Stagnat*, subsistitque in suis Vasis & viis, vel *Effunditur* extra ipsa, sive hoc fiat *intra vicinarum partium Substantiam* vel *Corporis Cavitates*, sive id accidat *extra Corpus ipsum*.

Quot modis stagnet in Vasis.

IV. *Stagnat in Vasis* suis *Sanguis*, vel ob *Plethoram* summam & ad *Vasa* dicta, vel ob *Angustiam* nunc Ipsorum *Compressione*, nunc *Obstructione* factam.

1. Ob Plethoram ad Vasa.

V. *Plethoræ ad Vasa* mentionem sufficientem fecimus Cap. 36. quæ ibi poterit videri.

2. Ob Compressionem venarum.

VI. *Comprimuntur* ad Sanguinis Refluxum impediendum *Venæ* nunc à *Tumoribus* vicinis durioribus, nunc à *Vinculis* partibus circumjectis, Venasque, quàm Arterias, arctiùs stringentibus.

3. Propter earundem obstructionem

VII. *Obstruuntur Venæ* nunc ab ipso *Sanguine*, *Pituitave* in ipsis *Coagulatis* ac concretis, nunc quamvis rarissimè, à *Calculo* in ipsis *genito*, sensimque ampliùs aucto.

Cavernosā partium substantiam ad venas referri.

VIII. Ad Venas referri velim *Cavernosam singularum partium substantiam*, per quam ex Arteriis Sanguinem in Venas existimo cum multis maxima sui parte transmeare.

A quibus Sanguis coaguletur.

IX. *Sanguis Coagulatur* & à *Frigore Aeris* vel *Aquæ* intenso partes valdè afficiente; & à *Medicamentis* potenter *Astringentibus*, *Austerisque forinsecùs*, aut *intrinsecùs* Sanguini communicatis, & ipsum Congelantibus,

A quibus Pituita.

X. *Pituita Coagulatur* in dictis Vasis ab iisdem *Causis*, frequentissimè tamen à *Frigore Aeris*, *Aquæ*, *Potus*; aliorumve Partes priùs calentes aut externè, aut internè *subitò infestante*; atque *Pituitam*, *Viscosam* imprimis, quacunque tandem de Causa *in tenui præsertim Intestino solutam*, hinc ad *Sanguinem deductam*, & unà cum ipso *quaquaversùm propulsam* iterum inibi *cogente ac inspissante*.

Quanam Pituitam solvant.

XI. *Pituitam* in tenui Intestino *Solvere* solent 1. *Aer* à Sole, Igne, Balneo, &c. æstuans. 2. *Alimenta*, & ut *Medicamenta* Spirituosa & Aromatica Volatilive Sale abundantia. 3. *Corporis Motus* vehemens; quò Frictiones, ac Tegumenta refero. 4. *Ira* immoderata. 5. *Vigiliæ* protractæ.

Sanguinis è vasis suis effusio.

XII. Ubi notandum, quò plures Causæ concurrunt, peccantque excessu majore, eò faciliùs citiùs, & copiosiùs solvitur & Sanguinem versùs transfertur notata Pituita.

XIII. *Sanguis* autem in nominatis suis *Vasis stagnans* & paulatim *collectus* eadem magis magisque *distendit*, & ita quidem, ut aliquando *rumpantur*, aut quovis modo alio *exitum ipsi concedant*; unde contingit tunc *Sanguinis e Vasis suis Effusio*, sive idem *hæreat in Partium adjacentium Substantia*, sive *colligatur in Cavitate Corporis propinqua*, sive *effundatur in totum extra Corpus*.

Productio Inflammationis & Abscessus.

XIV. In *Vasis Capillaribus*, & forsan *intermedia* quoque ipsis *partium* quarumvis *substantia sinuosa Conclusus* adhuc & *Subsistens*; aut *extra easdem Vias suas consuetas*, sed *apertas* & patentes in qualemcunque *partium ipsarum*, *vicinarumve substantiam porosam*, & *carneam* præsertim, *membraneamve*, aut earundem *interstitia Effusus* & copia mediocri saltèm *Collectus Sanguis* sponte mox *Excandescit* & *Caloris Sensum molestum* in parte sensili producit, ac sensim *corruptus* in *Pus* vel *Saniem abire* solet. Unde prior quidem Mutatio vocatur *Inflammatio*, sicut posterior, *Abscessus* vel *Apostema*.

Inflammatio qui fiat.

XV. Arbitror autem *Incendi ac Inflammationem parere Sanguinem*, quatenus *ex ipso* in Vasis suis valdè distentis, Partibusve quibusvis aliis *subsistente*, hoc est, *stagnante* mox incipiunt *evanescere partes Spirituosæ*, *magisque Volatiles ac subtiles*, tum *Acidas*, tum *Salinas temperare solitæ*; undè *utræque Acriores* factæ *acriùs in se mutuò insurgunt*, *Effervescentiamque ob partes* Sanguinis *Oleosas* prætentes *Calidam* excitant, quin paulatim *Sanguinem* ita *corrumpunt*, ut in *Pus* vertatur, & quidem pro Sanguinis corrupti varietate planè *varium*.

Pus quomodo generetur.

Empyema qui fiat.

XVI. *Sanguis* in *Cavitatem* aliquam *Humoribus* naturaliter *vacuam*, Pectoris puta, vel *Abdominis Effusus*, ibidemque Collectus & in *Pus* Corruptus *Empyema* constituit.

Sanguis in corporis partes cavas effusus variè mutatur.

XVII. Idem *Sanguis* in *Partes Corporis cavas Ventriculum*, *Intestina*, *Vesicamve*, *Urinariam Effusus*, ob admistos ipsi tunc Humores Varios *mutationem subit variam*, ni brevi ex ipsis expellatur.

Quid Hæmorrhagia.

XVIII. Ejusdem *Sanguinis extra Corpus Effusio*, in genere vocatur *Hæmorrhagia*; licet in specie tribuatur hoc nomen Sanguini è Naribus erumpenti; quemadmodum idem ex Ani vasis effluens dicitur *Hæmorrhois*: Sanguis autem singulis mensibus Fœminis ex Utero stillans, *Mensium Menstruorum*, & *Fluxus Menstrui* nomine gaudet qui verò post partum hac via copiosior evacuari solet, *Lochiorum*,

Hæmorrhois

Menses & Menstrua.

Lochia.

Quinam Sanguinis Effluxus Naturalis.

XIX, Ubi notandum, *nullum esse naturalem Sanguinis Effluxum* præter utrumque modò memoratum Fœminis proprium, de quo variis modis lædi solito pluribus agemus, si Deus sinet, Opusculi hujus Libro tertio. Nam Hæmorrhagia omnis alia, sive sponte accidat, sive fortuito eveniat, sive arte procuretur; sive noxia sit, vel utilis; præter ordinarium Naturæ cursum semper contingit, cùm talis à perfectè sanis nulla sit expectanda.

Sanguinis Effluxus causa.

XX. *Causa* proinde omnis *Sanguinis Effluxus* est *Apertio Vasorum* qualiscunque, sive illa fiat ex nimia *Vasorum* à copioso, valdè rarefacto aut retardato Sanguine, Flatibusve, *Distensione*: sive ab Humoris aut in Vasis, aut extra ipsa subsistentis *Acrimonia rodente*, sive à *re dura & acuta vulnerante*, *obtusave contundente*, aut quovis alio idem contingat modo.

XXI. De plerisque Sanguinis præter naturam è Vasis suis Effusi Causis & Curatione agendum alibi; hoc Capite *Inflammationis Essentiam* persequemur, ac *Curam*.

Inflammationis curatio.

XXII. Ad *Inflammationis* ergò, hinc & *Abscessus* secuturi *Curationem* requiritur 1. ut *Compressio vel Obstructio Vasorum tollatur*. 2. ut *Subsistentis*, *stagnantisque Sanguinis Motus restituatur*. 3. ut *Sanguis* è Vasis suis *effusus*, si fieri potest, antè sui suppurationem inde *removeatur*. 4. si removeri, atque adeò *Suppuratio* impediri nequeat, ut eadem *maturetur*, *promoveaturque*. 5. ut *Puris producti Eductio festinetur*. 6. ut *Ulceris mundatio & consolidatio* quàm citissimè *absolvatur*.

1. Vasorum Compressio qui tollatur

XXIII. I. *Vasorum Compressio* à *Vinculis* arctiùs partibus circumjectis tolletur, illis sublatis; à *Tumore duro*, eodem curato, de quo alibi docendum.

Ut & earundem obstructio.

XXIV. *Obstructio verò Vasorum à Pituita Viscosa* vel *Sanguine* in ipsis *Coagulatis Curabitur* usurpandu tam internè, quàm externè *Medicamenta* peccantem Humorem *solventia*, iterumque *fluxilem facientia*.

Internè Salibus Volatilibus.

XXV. Inter *Interna* conducunt præ aliis omnibus *Salia Volatilia* ex variis Animalium partibus parata, quippe quæ omnia & singula vi egregia pollent Coagulata & Conglutinata omnia in corpore humano dissolvendi, eademque ad pristinam

nam

nam fluiditatem reducendi, atque insuper Sudorem movendi; quo simul blandè promoto multò faciliùs, citiùs, fœliciùsque obtinetur desiderata illa & amabilis Coagmentatorum Resolutio.

Pleuritis Sudorifero curata.

XXVI. Hinc est, quòd exhibito tempestivè unico sæpè Sudorifero ex laudatis Salibus Volatilibus, aut similibus parato, Pleuritis, Lateris nempe Inflammatio, absque ulla Venæ apertione, Sanguinisque missione fuerit fœlicissimè curata.

Ut & Peripneumonia.

XXVII. Hinc est, quòd Misturæ ax similibus paratæ, atque cochleatim per intervalla brevis in tempore usurpatæ tum Pleuritidem, tum Peripneumoniam, tum aliarum partium Inflammationes citò, tutò & jucundè curaverint.

Mistura Sudorifera in Inflammatione.

XXVIII. Eaemplum Misturæ talis Sudoriferæ in Iuniorum Medicorum gratiam sequentem dabo, quæ.

♃. *Aq. Petroselin,*
Hyssopi,
Fœniculi, aa. unc. j.
Theriac. Simpl. unc. ß.
Spir. Salis Armoniac. ʒß.
Laud. Opiat. Gran. iiij.
Syr. Papav. errat. unc. j.
M.

Ejus Usus.

XXIX. Potest Spiritus Salis Armoniaci loco usurpari Sal Volatile Cornu Cervi, vel aliud quodvis, ac pro ejus acrimonia minore, majoreve ipsius plus, vel minus Misturæ addi, atque quantitate majore, minoreve vicibus singulis capi, corpusque in loco calido, lecto præsertim, contineri ad Medicamenti vim quaqua versùm promovendam & Subinde Sudorem facilitandum; quamvis haud sit opus Sudorem continuò excitare; cùm non prosit, nisi quatenus tunc faciliùs, citiùsque ad locum affectum & obstructum penetrant vis Medicamenti volatilis & salina.

Quanâ ad Salem Volatilem referenda.

XXX. Ad Salem Volatilem referri possunt ac debent Oculi Cancri, Mandibulæ Lucii, Os de Corde Cervi, &c. cùm ipso abundent.

Inflãmationi cõducere Sulphura Metalica et Mineralia.

XXXI. In hoc casu conducunt quoque Omnia *Sulphura Metallica & Mineralia, sed fixa*; quocirca etiam huc refertur *Antimonium Diaphoreticum* ad fixitatem aliquam deductum; quamvis hæc pluribus nominibus hìc conveniunt.

Ut & Salia Volatilia ex Plãtis Scorbuticis.

XXXII. Nec tantùm conferunt hic *Animalium Salia Volatilia*, sed omnia ex variis *Plantarum Scorbuticarum* dictarum & acrium partibus petita, eorundemque vim æmulantia, uti sunt Succi Erysimi, Cochleariæ, Nasturtii & hortensis & aquatici, Taraxaci, &c. Aquæ Theriacales dictæ, &c. dummodò vim habeant Pituitam Coagulatam vel Sanguinem Concretum solvendi & dissolvendi.

Obstructio externè tollitur Unguentis & Oleis, & Spiritu Vini.

XXXIII. Inter *Externa* conveniunt *Unguentum* Martiatum, Althææ compositum, &c. *Oleum* Liliorum alborum, Chamæmelinum, Anethinum Laurinum, Laterinum, vulgò Philosophorum dictum, &c. quæ commodè possunt simul misceri & affectæ parti externæ inungi; præmittendo vel addendo subinde *Spiritum Vini* rectificatum, tam simplicem, quàm compositum, modisque variis Aromaticum.

Et Cataplasmatis Dissolventibus.

XXXIV. Possunt quoq; in hoc Casu applicari externè *Cataplasmata*, sed magis *Dissolventia*, quàm Emollentia, vel Maturantia dicta; quænimirum Humorem Coagulatum, Sanguinem, Pituitamve Incidant & Solvant, ex partibus nempe Plantarum Acrium & Aromaticarum parata. Exempli loco esto sequens.

Cataplasma.

♃. *Cœparum sub Cineribus aut fictili vase assarum & contusarum,* ℥ij.
Fol. Erysimi,
Cærefolli,
Nasturt. hort.
Sambuci, aa. M. ß.
Farinæ Fabar.
Lupinor. an. ℥j.
Nidi hirundin. N. j.
Albi græci, ʒj.
F. s. a. Decoctio in Lacte ebutyrato ad Cataplasmatis Consistentiam.

Ejus Usus.

Hoc Cataplasma mediocriter calens affectæ parti externè applicandum; cujus ope internæ quoque Obstructiones solvi poterunt: Observandum verò, renovandum ipsum, quàmprimùm exsiccari occipit.

2. Sanguis Stagnans rursum moveatur.

XXXV. 2. *Sanguini Stagnanti* & in Vasis suis Subsistenti desideratus *restituitur Motus* plerumque ac fœlicissimè *Sudoriferis*, aliquando *Venæ sectione, Sanguinisque missione.*

Sudoriferis.

XXXVI. *Sudoriferis*, quatenus ipsorum ope non tantùm *fluidior, mobiliorque* fit *Sanguis*, sed insuper *actu movetur* idem magis magisque rarefactus *à Volatili Sale* iisdem inexistente, *Sanguinemque* sola sui mora sensim plùs minùs ab *Acido suo Spiritu concrescentem* iterum *solvente, diducente*, ac proindè *agitante*.

Sudori comes Pulsus frequentior & robustior

XXXVII. Hinc est, quòd *Sudori comes* soleat esse *Pulsus* tam continuò *Frequentior*, quàm subinde simul *Major & Robustior*; ni concurrat extrema Virium dejectio: tunc enim *& Minor*, & *Languidior* Pulsus Frequentiori jungitur.

XXXVIII. Dum enim ad dextrum Cordis Ventriculum pertingit Sudoriferorum Sal Volatile, ibidem ampliùs, potentiùsque rarescit Sanguis, ac non tantùm sponte sibi quærit exitum verùm Cordis Ventriculum ampliùs expandendo ipsum & ad Frequentiorem, & ad Validiorem sui Contractionem, Sanguinisque adeò expulsionem ac propulsionem irritat & cogit Sanguinemque ideò priùs in Motu suo paulatim deficientem suscitat, commovet, & quaquaversùm à Corde promovet.

XXXIX. Ubi autem laudata illa Sudoriferorum Vis usque ad Obstructionis locum pervenit, Materiam obstruentem quamcunque aggreditur, incidit, attenuat, solvit, fluxilemque facit; unde accedente Sanguinis potentiùs agitati & adpulsi impetu faciliùs, fœliciùsque unà cum ipso propellitur ulteriùs.

Sanguis Stagnans ad motum impellitur Venæ Sectione.

XL. *Venæ sectione* autem, *Sanguinisque missione restituitur Stagnanti Sanguini suus Motus*, quatenus in educti locum transfertur vicinior, atque facto sic Universo Sanguini spatio ampliore movetur quoque Sanguis omnis tum celeriùs tum potentiùs; quocircà & ille, qui priùs in Vasis suis stagnans subsistebat, nunc verò sublata Plethora non sistitur ampliùs, ad motum interruptum, valdè saltem diminutum redintegrandum potentiùs concitatur, & juvatur; ni hoc impediat Obstructio gravior, & Soli Sanguini vehementiùs moto cedere nescia, sed insuper incidentium & obstruentem humorem dissolventium indiga.

XLI. Tunc autem post Sanguinis detractionem sufficientem utile est vicibus paribus & cochleatim exhibere Misturam Sudoriferam, & Incidentem, qualem §. 28. notavimus; sive ad ejus assumptionem levis aut nullus sequatur Sudor, dummodò rebellis solvatur, tollaturque Obstructio.

3. Sanguis in partium Substantium effusus inde removetur.

XLII. 3. *Sanguis è Vasis suis Effusus*, ac per *Vicinorum partium Substantiam dispersus*, si removeri queat, in totum aut ex parte quantocyùs *inde removendus*, *impediendo* idcircò ipsiùs *coagulationem*, atque potenter *dissolvendo partes* ipsius *crassiores*, *discutiendoque tenuiores*, ac *temperando* in simul *acriores*; idque tam internis medicamentis; quàm externis.

Ejus Coagulationem impediendo & dissolvendo.

XLIII. *Sanguinis Coagulationem impediunt* Oculi Cancri. Antimonium Diaphoreticum, Mumia, Sperma Ceti, Gummi Galbanum, Sagapenum, &c. Opium, Cerevisia Joppensis dicta, &c. Quin ex nominatis pleraque *dissolvunt* prætereà *Crassiores Sanguinis partes*, *discutiuntque Tenuiores*, ac insuper *temperant Acriores*, imprimis ubi aliis junguntur, quæ ipsorum vim promovent, augentve. Ex. gr.

♃. *Aq.*

Mixtura.

℞. *Aq. Hyssopi,*
Fœniculi, an. ℥ ij.
Aceti stillat. ʒ vj.
Spiritus Vini rectificati, vel cujusvis Aromatici, unc. ß.
Ocul. Cancri, ʒ j.
Spermat Ceti,
Mumiæ Alexandr. an. ℈ j.
Laud. Opiat. Gran. iv.
Syr. 5. rad. unc. i ß.
M.

Ejus Usus, & Vires. Hujus Misturæ assumat sæpiùs Æger Cochleare unum: Cujus ope non tantùm impedietur Sanguinis Effusi Concretio, sed partes ipsius Crassiores incidentur, attenuabunturque paulatim; Tenuiores autem unà cum Sudore aut insensili Transpiratione Discutientur continuò; quin temperatis ejusdem partibus acrioribus Dolor lenietur, *Et Laus.* tandemque in totum tolletur; ipsaque adeò solvetur ac dissolvetur Obstructio: Quali sola in tempore, atque diligenter usurpata curatæ sunt non semel incipientes Pleuritides, ac Peripneumoniæ, aliarumque Partium Inflammationes satis graves, atque anxietatibus, doloribusve acutis molestæ.

Unguenta; XLIV. Parti affectæ inungi post *Unguentum* Martiatum, de Althæa compositum, aliudve Aromaticum quodvis; quò referendum quorundam Butyrum Majale dictum, atque cum Plantarum Aromaticarum Succo paratum; additis quandoque *Oleis* itidem Aromaticis, Laurino, Anethino, aliisve potentioribus, aut stillatitiis, Tetræ, Terebinthinæ, Succini, Laterino, &c. sed minori quantitate. *Olea,*

Emplastrū de Spermate Ceti, XLV. Inter *Emplastra* meritò laudatur *de Spermate Ceti* dictum, quod.

℞. *Ceræ albæ,* ℥ iv.
Spermat. Ceti, ℥ ij.
Gum. Galb. aceto dissol. ℥ j.
M. f. s. a. Emplastrum, per quod liquatum trahatur tela, fiatque vulgò dictum Spanadrapum, utrimque alternatim applicandum. *Spanadrapum.*

Ejus vires, Hoc Emplastrum egregium non tantùm sanguinem in externis corporis partibus omnibus sed Lac quoque in Mammis à coagulatione præservat quin non ratò mediocriter coagulatum iterum solvit & discutit, aut restituit.

Fotus, XLVI. *Fotus* quoque conducere possunt ex Plantis Aromaticis & potenter discutientibus in Aqua, Vinove coctis parati, addendo subinde usus tempore aliquid Spiritus Vini. Ex. gr.

℞. *Rad. Bryoniæ,*
Apii,
Filicis, an. ℥ ij.
Fol. Sambuci,
Eupator. Cannab.
Chamædryos,
Menthæ,
Absinth. an. M j.
Flor. Melilot.
Chamæm. Rom. an. M j ß.
Sem. Cumini,
Bacc. Lauri, an. ℥ j.

Ejus Usus. Crassè contusa omnia Coquantùr ex Aqua pluviali, sed igne lento, atque vase clauso. Serventur ad Usum.

XLVII. Usurpari potest hic Fotus, insuendo sacculo, sacculisve contusas plantarum partes, atque post coctionem exprimendo liquorem superfluum, applicandoque Sacculos mediocriter calentes parti affectæ; ubi tamdiu relinqui debent, quamdiu calent; postquam verò à tepore deficiunt removendi sunt, & alii calentes applicandi. Potest etiam Pannus laneus, vel Spongia mollis & partem affectam tegere apta Fotui calenti imponi mox expresso liquore superfluo parti dolenti applicari, atque, sicut modo dictum, aliquoties renovari. Quin potest quoque Vesicæ bubulæ ab urethra sua relectæ ac in aqua tepida emollitæ infundi Fotus tantum quantum requiritur, ut, postquam funiculo revincta est pars collo suo privata cuivis parti laxè applicari possit Vesica fotu turgidula, non tamen plena vel distenta: sic enim prævenitur omnis noxa e madentibus, moxque frigentibus indusiis, aliisve linteis corpori contiguis facilè contingens.

XLVIII. Horum ergò medicamentorum variorum ope commemoratis satisfiet Indicationibus; neque ipsis præcavebitur duntaxat, reparabiturve Sanguinis Coagulatio; sed insuper attenuabuntur partes ipsius crassiores, incrassatæve; discutienturque ac per insensibilem transpirationem educentur foràs tenuiores; quin temperabuntur acriores si quæ tales mox simul dissipari nequeant, quò & tandem evanescant ipsæ paulatim, possint saltem faciliùs, feliciùsque ad suppurationem perduci.

XLIX. 4. Ubi in talem, tamve profundum locum effusus est Sanguis, ex quo citra Suppurationem & Abscessum amoveri nequeat commodè promovenda erit & acceleranda *Puris confectio ac generatio.* *4. Sanguinis in Pus mutatio promovetur.*

L. Hoc præstant omnia *Medicamenta Emollientia & Maturantia* vulgò dicta, *Radices & Folia* Althææ, Malvæ, Liliorum alborum, Branca Ursina, Atriplex, Mercurialis, &c. *Semina* Lini, Fœnugræci, Althææ, &c; horumve *Farinæ* ut & Hordei, *Caricæ* pingues, *Axungia* humana, suilla &c. *Pinguedo* Anseris, Gallinæ, Vitulina, &c. *Ossium* omnium *Medula*, *Butyrum* quodvis, *Oleum* Olivarum, Amygdalarum dulcium, ac penè omne ex variis seminibus, nucleisve expressum, aut cum floribus emollientibus decoctum, &c. *Emollientia & Maturantia Medicamenta.*

LI. Ubi *Humores Pituitosi & Viscosi* conjuncti sunt Sanguini, præcedentibus addenda sunt Cæparum, Squillæ, &c. Bulbi, & aliquando Gummi Bdellium, Galbanum, Ammoniacum, &c. Styrax liquidus, Cera, Terebinthina, Mel, & similia plura. *Humo es Pituitosi & Viscosi Sanguini conjuncti quid insuper requirant,*

LII. Ex his autem commodissimè parari solent *Cataplasmata.* Ex. gr. *Cataplasma*

℞. *Farin. rad. Althææ,*
Hordei, an. ℥ ij.
Fol. Malvæ,
Brancæ ursinæ, an. M. iij.
Sem. lini, ejusve farinæ, ℥ i ß.
Caricarum ping. concis. N. x.

Coquantur igne lento ex Aqua pura, Cerevisiave tenui, aut, *urgente Ardore summo*, ex Lacte ebutyrato ad Humiditatis consumptionem ac Decoquendorum emollitionem; tunc Contusis exactè omnibus adde.

Axungiæ porcinæ,
Butyri recentis, an. ℥ i ß.
M. f. Cataplasma.

LIII. Ubi *Glutinosa Pituita* immixta est Sanguini, & *Ardorem* in parte parit *leviorem*, tunc sequens paretur. *Aliud Cataplasma.*

℞. *Cæparum sub Cineribus coctarum, hinc & contusar. unc.* iv.
Farinæ Fabarum,
Sem. Fœnugræci, an. unc. iij.
Flor. Chamæmel. Roman.
Sambuci, an. M. i ß.
Coq. f. a. ex Cerevisia tenui, vel Aqua pura, ut fiat Cataplasma.

LIV. Ubi æstus magnus adest in parte Inflammata, *nec pinguia ferre possunt Ægri*, cavendum sedulò ab omnibus Oleis, & Oleosis; quin tunc semper utile observavi *Lac ebutyratum*, hoc est, Lactis Cremoris ebutyrati serum, in quo si fiat Decoctio, Cataplasma hujus vi Æstum temperabit egregiè, quinnè *Inflammationi facilè copuletur Erysipelas*, impediet. *Lactis Ebutyrati Vires.*

LV. Si magis arrideant Ægris *Unguenta*, *Emplastrave*, nec à pinguibus lædantur; inungi poterit semel aut sæpiùs pars dolens *Unguentis* Agrippæ, de Althæa simplici, vel Composito, Pectorali, &c. aut solis, aut additis *Oleis* convenientibus, Lilior. alb. Amygdalar. dulc. & similibus ad Linimenti consistentiam redactis; ac mox ei imponi *Unguenta, vel Emplastra.*

poni

poni *Emplastrum* Diachylon simplex, & aliquando cum Gummi, ut & Mucilaginum, imprimis ubi multa Pituita, eaque viscosa scatet Corpus, & Sanguis.

5. Pus educitur.

LVI. 5. His aut similibus medicamentis prompta & absoluta *Puris* Generatione, *non est procrastinanda Ejusdem Eductio*, cùm ipso præsente Dolor perseveret, educto minuatur; quin Pus morâ reddatur acrius, ideòque nocentiùs, atque ab ipso partes vicinæ magis, magisque corrumpantur, sicque Ulcus majus, adeòque curatu difficilius efficiatur: imprimis quando Vasa vicina corroduntur à Pure illo acriore facto, & natura sua existente acido.

Apostema in parte affecta.

LVII. Rariùs quidem sponte, nec nisi tempore longiore aperitur Apostema profundiùs hærens: quapropter, ubi ex partis affectæ Mollitie tactui manifesta, ut & Rubedine ac Dolore diminutis Puris perfecti præsentia innotuit quoties licet, aut *Cultello* acuto, aut potentiali *Cauterio* parandus Puri exitus, & quidem in loco Tumores maximè molli ac declivi.

Facta Cultello, vel Cauterio potentiali.

LVIII. Quòd si neutrum admittat Æger, aut delicatulus, aut morosus, danda opera, ut versùs corporis superficiem alliciatur Pus, quò citius ab Ipso perforetur corrosa Cutis, cui usui serviet Emplastrum sequens mihi sæpè probatum quod,

Vel Emplastro.

℞ *Mellis Opt.*
Farinæ secal. an. ℥j.
Vitell. Ovi N. j.

Ejus Usus.

Imponantur igni blando, & agitentur ad Emplastri consistentiam: Extendatur supra linteum densum, & applicetur parti affectæ, indies renovando.

Ficus contusi.

LIX. Possunt *Ficus* etiam contundi & Cataplasmatis modo calidæ applicari loco Tumoris maximè molli ac eminenti, quò sic facilitetur & promoveatur Abscessus apertio.

Qua ratione Pus educendum.

LX. Ubi autem Puris multùm continetur in Abscessu, cavendum sedulò, ne omne una vice educatur, sed partitim; quoniam vires Ægrorum non parùm prosternuntur aliàs. Ubi vero Puris parùm adest, nil nocet omne effluere, quo aptum est, paratumque, ut effluat; omissa pressione forti, vel diutina, multis Chirurgis familiari à qua nunquam observavi aliquid commodi evenisse Ægris, sæpiùs multum commodi. Quoties autem in loco ab apertione remotiore Pus hæret, aut sinuoso duntaxat ductu ad locum apertionis fertur, toties licet, convenitque partium pressione blanda ipsum propellere foràs.

6. Ulcus mundatur & consolidatur. Bals. Sulphuris compositi vires.

LXI. 6. Via Puri facta & aperta pergendum statim ad *Ulceris Mundationem* ac *Consolidationem*; in quem finem varia solent adhiberi medicamenta, quæ omnia nec culpo, nec carpo. Ego sæpiùs cum admiratione consideravi *Balsami Sulphuris* Terebinthinatii, Anisati, &c. effectum in hoc casu laudabilem, multisque incredibilem, si ejus aliquid Ulceri instilletur, aut illinatur. Mox enim novi Puris generatio ita fuit inde diminuta, ut non rarò hujus unius Balsami ope intra paucos dies plenè curata fuerint & in Mammis & alibi excitata post Inflammationes Apostemata notabilia.

In quo consista Ulceris Mundatio & Consolidatio.

LXII. Ex hoc autem Experimento haud parvi pendendo censui Ulcerum Apostemata consequentium Mundationem ac Consolidationem consistere in *Correctione Puris acidi*, *rodentisque* Ulceratæ parti adhærentis, atque Sanguinem ipsi nutriendæ dicatum ex parte saltem corrumpentis, ac in novum Pus vertentis: *Corrigi* verò illud *Pus* parti affectæ adhærens à *Sulphuris Balsamo* laudato imprimis ratione *Olei Aromatici*, adeòque *Sale Volatili Oleoso* abundantis; à quo Spiritus Acidus in Pure luxurians, quin Sanguinem in Pus indies corrumpens non tantùm obtundatur, sed insuper mitigetur, emendeturque ita, ut affluens Sanguis partes priùs consumptas brevi reparet, Consolidationemque ultimam expediat.

Qua ratione Pus corrigatur à Sulphuris Balsamo.

LXIII. Quid ex hoc Experimento ampliùs deduci queat ad Medicinam in aliis quoque perficiendam expendant, judicentque tum Medici tum Chirurgi & Ingeniosi, & Judiciosi. Adderem libens plura, ni multa, operosaque negotia mea denegarent mihi ad rem hanc, & alia peragenda otia necessaria.

CAPUT XLI.

De Spirituum Animalium in Cerebro, ac Cerebello Generatione aut Secretione læsa.

Sanguis non tantù Partium Continentium sed etiam Contentorum materia.

I. NOn tantùm *Partibus* corporis consistentibus ac *Continentibus* nutriendi ac restaurandis, verùm fluidis quoque ac *Contentis* ubivis *præparandis ac reparandis materiam subministrat Sanguis.*

In Cerebro Spiritus Animales a Sanguine secerni.

II. In *Cerebro* namque, ac *Cerebello* (sicut docuimus Disput. nostr. Med. IV. §. 28. & seq.) *Secernitur à reliqua Sanguinis massa Spiritus Volatilis Animalis* nomine mox indigitandus; qui quamvis Oculis corporis forsan non cernitur, ac sentitur. Ratiocinatione tamen solida, eaque multiplici demonstratur Menti.

Hæc Secretio quot modis lædatur.

III. Hæc *Spirituum Animalium Secretio*, vulgò Generatio dicta, læditur, 1. quando *Nulla*, vel *Parcior* saltem contingit, 2. quando *Nimia* forsan, vel *Copiosior* fit. 3. quando *Malè affecti* prodeunt Spiritus.

1. Quando Nulli secernuntur Spiritus.

IV. 1. Si aliquando *Nulli* secernantur Spiritus Animales, Hominem diu superesse posse haud fit mihi verosimile, quin mox ipsum Motu, Cordis præsertim atque Thoracis, Diaphragmatisque destitutum extingui arbitror.

Vel Pauciores.

V. Sæpiùs *Pauciores* à Sanguine secerni Animales Spiritus satis manifestum, & quidem nunc *Sanguinis*, nunc *Cerebri*, *Cerebellive culpa*.

Quod fit quando Sãguis parum Spiritus in se continet. Vel ei penitius inhæret.

VI. *Sanguinis* culpa hoc fit, 1. si is *parum Spiritus Volatilis in se contineat*, propter *Alimenta similia* diutiùs vel ultrò, vel fortuitò, vel vi usurpata.

VII. 2. Si massæ *Sanguineæ is penitùs inhæreat*, propter *Alimentorum Fermentationem in Ventriculo deficientem*, aliudve simul assumptum *Spiritus cum Sanguine intimiùs uniens*, quale puto *acerbum* omne atque *austerum*; quò etiam videntur facere inter Causas evidentes, 3. *Animi Mœror*, ac *Metus* magnus, & imprimis permanens; 4. *Pigritia*, *Desidia*; & *Corporis quies*; 5. *Animus laxus* & nulla re occupatus; 6. *Somnus longior & profundior*, &c.

Quando Cerebri Substantia extima non satis est patula.

VIII. Si clarè ac distinctè assequeremur, ac conciperemus, quo modo & ratione sit affectum *Cerebrum ac Cerebellum* ad Spirituum Animalium Secretionem ritè absolvendam, non ita difficulter forsan determinare possemus, quo vitio idem laboret, quoties ipsius culpa læditur ac minuitur illa Secretio.

IX. Utique *patulum & satis patulam desiderari extimam Cerebri, Cerebellique Substantiam* quò per ipsam *penetret, coleturque* quasi *Sanguinis pars maximè spirituosa*, qui concesserit, *eandem solito compactiorem percolationi laudatæ ineptam* futuram concedet idem me judice.

Et quidem ob Frigus.

X. Hanc Causam videtur confirmare, quin probare *Frigus Aeris*, *Aquæ*, *Nivisve* caput vehementer afficiens; à qua non tantum Gravedo sed parcior quoque Spirituum Animalium productio sequi solet. Quemadmodum autem in Gravedine Glandulas Cerebri observamus affici & cogi à Frigore haud semper valdè magno; ita in Animalium Spirituum Secretione diminutâ existimem ipsum Cerebrum ac Cerebellum affici malè à Frigore valdè intenso substantiam ipsius mollem compingente, ac secundùm ejus porosos ductus ipsam cogente & coarctante.

Non semper tamen modo affici à Frigore.

XI. Quamvis autem non negem à Frigore externo, eoque magno affici posse malè ipsum quoque Sanguinem ad Cerebrum tendentem, quin

que caput, Cerebrum, et Sanguinem in capite existentem.

quin coagulari eundem aliquando tunc in suis vasis; non sequetur autem in tali Sanguinis Coagulatione Spirituum Animalium Secretio diminuta duntaxat; quin maximè Sanguinis motus impeditus, mox & Inflammatio, & quicquid talem in Capite Inflammationem solet comitari valdè grave; quod tamen in Animalium Spirituum Secretione à frigore impedita non observatur semper: unde patet non semper modo eodem affici à frigore Caput, atque Cerebrum, aut Sanguinem in Capite repertum.

Frigus tam externum quàm internum hanc secretionem impedire.

XII. Quemadmodum verò *Frigus externum* (hoc est, quod frigus in nobis producit, atque in Aere, Aqua & Nive reperitur) Animalium Spirituum Secretionem impedit; ita videtur *Frigus internum* (hoc est, quicquid existens in nobis Sensum frigoris producit ibidem, in febrium putà Intermittentium initiis) *Secretionem Spirituum Animalium itidem impedire*, unde ad Animalem Motum, quin omnes Functiones Animales dictas obeundas plerumque inepti sunt frigore febrili vehementi correpti; Quod arbitror

Et qua ratione.

Ego fieri à frigus parientibus halitibus unà cum sanguine ad Caput delatis, & partim Sanguinem quidem austeritate sua cessioni partium spirituosarum ineptum reddentibus, partim Cerebri substantiam externam compingentibus, porosve ipsius sinuosos angustantibus, sicque parti sanguinis maximè Spirituosæ transitum ex parte saltem denegantibus.

2. Quando copiosiùs secernuntur Spiritus.

XIII. 2. *Copiosiùs* videntur *Secerni à Sanguine Spiritus Animales* in Hominibus Corpore, Animove Gaudio præsertim & Ira vehementer agitatis.

XIV. Hujus auctæ Spirituum Animalium Secretionis *Causa* quærenda, inveniendaque nunc in ipso *Sanguine*, nunc in *Cerebri*, *Cerebellique Poris* sinuosis.

Quod fit quando Sanguis abundat partibus Spirituosis.

XV. In *Sanguine*, quoties idem *abundat partibus spirituosis*, *Potui* præsertim generoso & spiritu volatili turgenti liberaliùs usurpato debitis; & ab *Aere sereno ac mediocriter æstuante* ad spirituosarum partium secessum aptior redditur; accedente imprimis *Corporis motu concitatiore*, *Animive Affectu graviori* nimia vehementiùs in Corpore foràs propellente; quales sunt præ aliis *Gaudium & Ira* mediocritatem excedentia.

Et Cerebri Sinus porosi sunt patentiores.

XVI. A quibus non tantùm Sanguis ad Spirituosæ partis secessum copiosum fit aptissimus, sed *Cerebri* quoque *Sinus porosi vel Pori sinuosi* redduntur *patentiores*, ideòque ad Spiritum Animalium copiam majorem faciliùs transmittendam convenientiores.

3. Quando malè sunt affecti.

XVII. 3. *Malè effecti*, *Depravative* censendi Animales Spiritus, quando 1. *nimiùm Torpidi*, *Agitative* sunt, aut etiam *perperam Moti*; quando 2. *Impuri* sunt & à re quavis præter naturam ipsis admista *Inquinati*.

In quibus id observes.

XVIII. Animalium Spirituum Torpor, vel Agitatio nimia, Motusve inordinatus observatur facillimè in *Animali Motu* tunc simul læso, uti eorundem Impuritas & Inquinatio in *Sensibus* tam *Internis*, quàm *Externis* inde læsis.

Torpidi.

XIX. *Torpidi* & ad Motum inepti sunt Animales Spiritus ob *Vim Narcoticam* ipsis admistam, vel in *Corpore* paulatim *productam*, vel forinsecùs *introductam* nunc ex *Aere inspirato* & Carbonum fumo inquinato, nunc ab *Alimentis Medicamentosis*, Potu generoso præsertim ac inebriante, ipsisve *Medicamentis*, Opio puta, omnibusque Opiatis perperam, hoc est, immodicè cujusvis respectu assumptis, vel applicatis

Agitatiores

XX. *Agitatiores*, nimisque moti occurrunt Animales Spiritus, & ob *Aerem* valdè *æstuantem*, & ob *Alimenta* multùm *Spirituosa* copiosiùs, non tamen in excessu maximo usurpata, & ob *Defatigationem Corporis* continuatam, & ob *Vigilias* diutiùs *Protractas*, & ob *Animi solicitudinem perseverantem*, & ob *Iram vehementiorem*.

Perperam moti.

XXI. *Perperam Moventur* Animales Spiritus frequentiùs in *Vertiginosis*, dum subinde *Objecta*

Delebos Opera.

ipsa, subinde *Locus*, in quo stat, sedet, aut decumbit Æger, subinde lapsus *Æger*, subinde hæc omnia simul creduntur in orbem verti ac circumgyrari. Huc referendus quoque *Affectus*, in quo se aut reverà *præcipitari & cadere*, aut saltem *in casus ac præcipitationis periculo versari* existimant Ægri, rogantque, ut prehensi firmentur contra præcipitationem, casumque me tutum non tantùm infantes, sed adulti quoque.

XXII. *Vertiginosi* Animalium Spirituum *Motus* causa nunc est *Externa*, attentus nimirum Objecti rotati visus, vel etiam aspectus itidem attentus rerum valdè remotarum, vel sublimium vel profundarum: nunc *Interna*, Corporis ipsius Gyratio diutina; quæ Causæ omnes sunt *manifestæ*: præter quas nonnunquam occurrunt aliquæ magis *occultæ*, Halituum puta, Flatuumque ascensus ad Caput, à quibus parti Sanguinis spirituosæ junctis, & unà cum Animalibus Spiritibus in Cerebri, Cerebellique Ductus translatis Motus rotationis (quo agitati sunt) communicatur Spiritibus Animalibus, sicque produci videtur Vertigo. *Vertiginosi.*

XXIII. Aliquando vehementer conturbata atque *panico* præsertim & *vano terrore concussa Mente* conturbantur quoque Spiritus Animales, agitatique nimiùm corpus reddunt vacillans, producuntque illum, de quo mox, Casus metum nulli rationi, vel ratiocinationi cedentem. *Conturbati.*

XXIV. *Impuri* redduntur Spiritus Animales, tum ab *Aere* impuro, nebuloso, variisve Plantarum sponte, suive ustione graveolentium Cadaverum humanorum & brutorum, Mineralium accensorum, vel aliàs ignis vi actorum, & de Sulphuris natura plus minus participantium exhalationis inquinato; tum ab *Alimentis* noxiis & corruptis, tempore nimium arctioris annonæ, obsidionum, navigationum longinquarum, &c. tum ab *Animo* variis ac sæpè contrariis Affectibus simul & potenter agitato, unde ex Humoribus variis malè affectis excitantur necessariò halitus in abdomine diversi, moxque transferuntur inde ad cor, hinc & ipsum Cerebrum Spiritus Animales infecturi. *Impuri.*

Parcior Spirituum Secretio curatur.

XXV. 1. *Parcior* Spirituum Animalium *Secretio Curabitur*, 1. usurpando *Alimenta multa*, *& soluto spiritu Volatili abundantia*, Vinum Generosum ritè fermentatum, ipsumque aliquando Spiritum Vini rectificatum, aut simplicem, aut Aromaticum.

1. Alimentis Spiritu volatili abundantibus.

2. Promovendo eorum Fermentationem.

XXVI. 2. *Promovendo*, *Restituendove Alimentorum Fermentationem* in Ventriculo *deficientem*, per Medicamenta Cap. 7. §. 26. & 33. proposita; inter quæ cluet modò laudatus *Vini Spiritus*, ut & *Sal Volatile* quodvis cum tantillo Vini, alteriusve potus ordinarii semel, aut sæpiùs inter prandendum, cœnandumque ad aliquot guttas usurpatum: postquam corrigit quoque omnem assumptorum, vel aliàs in corpore corruptorum austeritatem.

3. Liberando Animum à Tristitia.

XXVII. 3. *Liberando Animum à Tristitia & Metu*, idque Rationibus undecunque petitis, atque mentem afflictam excitantibus, recreandibusque.

4. Corpus exercendo.

XXVIII. 4. *Abigendo Pigritiem, corpusque moderate exercendo.*

5. Animum rebus gratis occupando.

XXIX. 5. *Animum in rebus seriis, gratis tamen occupando.*

6. Somnum minuendo.

XXX. 6. *Somnum paulatim ac indies minuendo.*

Cerebri frigus curatur sudorifero

XXXI. Quoties ab *externo Frigore Aeris*, *Aquæ*, *aut Nivis* malè fuit affectum caput, sive *Gravedo* simul fuerit producta, sive *Animalium Spirituum Defectus* imprimis urgeat, toties observavi fœliciter ac brevi curari Ægros, si quàm citissimè fieri potest foràs propellatur iterum, quicquid penetravit in Caput, aliasve corporis partes noxam ipsis afferens, idque per Sudorifera semel, aut, quod præfero, sæpiùs & partitis vicibus af-

ſumpta, ſed ſpirituoſa & volatilia; quippe quæ non tantùm alterant, corriguntque Frigoris aliorumque ipſum comitantium malorum Cauſam, verùm emendant quoque noxam in Corpus *Continens*, *Contentumque introductam*.

XXXII. In hunc finem formulam commendo ſequentem.

Mixtura.

℞. *Aq. fumariæ*,
Fœniculi, *an.* ℥ ij.
Theriac. ſimpl. vel
Alterius Aromaticæ cujuſvis, ℥ j.
Spiritus Salis Armoniac. Gutt. xx.
Ol. Garyophyll. Gutt. iij.
Bezoard. Miner. ʒ ß.
Laud. opiat. Gr. ij.
Syr. papav. errat. ℥ j.
M.

Ejus Uſus.

Hujus Medicamenti Cochlearia duo ſumat Æger, atque mediocriter factus expectet Sudorem; quem facilitabit, exoptatumque experietur, ſi ſemper poſt horam dimidiam tantundem ipſius aſſumpſerit, donec erumpat ſudor: tunc enim rariùs & parciùs eo utetur; uſurpando ſubinde aliquid juſculi puri, aut cum tantillo vini ei admiſti, quò Vires recreentur, & ad ſudorem diutiùs ferendum aptiores reddantur Nil enim æquè juvat ipſos, ac ſudor aliquandiu blandè prolectus; quod me docuit ſæpiùs Experientia.

XXXIII. Quoties ab *Interno Frigore*, aut Febrili, aut alio abſque febrili paroxyſmo ſubinde Homines corripiente, *Spirituum Animalium Secretio naturalis & ſufficiens impeditur*, toties ſimili Sudorifero, ſicut jam dictum, ritè uſurpato nunc citiùs, nunc tardiùs prodeunte ſudore reſtituitur citiùs, tardiùſve deſiderata Spirituum Animalium Secretio humanæ fœlicitati tam utilis, ac neceſſaria.

XXXIV. Hujus namque, aut ſimilis Medicamenti & Spirituoſi, & Volatilis, & Aromatici ope cum ſudore, aut inſenſili tranſpiratione diſcutiuntur, diſſipanturque Halitus & Flatus noxium & moleſtum homini Frigus, quin Senſuum omnium Stuporem, Motuſque Torporem producentes.

Non ritè curatur Venæſectione, nec Vomitu.

XXXV. Quotquot antem urgente tali externo, internove Frigore Sanguinem mittunt aut per vomitum, ſeceſſumve mali cauſam ſe putant educturos, in vitæ, graviorum ſaltem malorum periculum conjiciunt ægros, ſicut non ſemel hoc vidi factum à Viris in Librorum lectione, quàm Symptomatum ægris obvenientium obſervatione magis verſatis, & idcircò ſibimetipſis æquè, ac aliis ſæpiùs nocentibus. Tantum poteſt falſis præjudiciis præoccupata, ideòque rebus ex æquo expendendis, decernendiſque inepta Mens.

Copioſior Spirituum Secretio Minuitur.

XXXVI. II. *Copioſior Spirituum Animalium Secretio* ac Proventus *Minuetur* 1. *Subtrahendo Potum valdè Spirituoſum*, ejuſque loco ſubſtituendo magis *Aquoſum*.

1. Subtrahendo Potũ Spirituoſũ.

XXXVII. 2. *Fruendo paulatim Aëre magis frigido*, qualis montanus, vel marinus, imprimis Borealis, & Subterraneus.

2. Fruendo Aëre frigido.

XXXVIII. 3. *Minùs agitando, exercendoque Corpus*, adeòque ipſum quieti & ſomno dando.

3. Corpus minùs exercendo.

XXXIX. 4. *Animum ab omni concitatione vehementi Gaudii* præſertim aut *Iræ liberando*, ipſumque pacatum, tranquillum ac penè otioſum ſervando.

4. Animum a gaudio & Ira liberando.

XL. Quoniam verò omnis mutatio ſubita eſſe ſolet ſimul periculoſa, ſedula eſt danda opera, ut paulatim contingant hi in notatis rebus nonnaturalibus deſideratæ mutationis.

Et hoc paulatim mutando.

XLI. Quemadmodum autem memorata Diætæ vitia conſequuntur patentiores Cerebri, ac Cerebelli Tubuli tranſcolandis Animalibus Spiritibus deſtinati & ordinati, non dubitandum, quin ſimiliter Diæta priori ſubcontraria eoſdem ad naturalem, laudabilemque anguſtiam redigat reducatque.

Diæta etiã mutanda.

Torpidi Spiritus quibus ad motum excitantur.

XLII. III. *Torpidi & ad Motum ineptiores Spiritus Animales excitabuntur, & à vi narcotica ipſis admiſta liberabuntur* per *Salia Volatilia*, ſed *Acriora*, *Medicamentaque* omnia *mordacitate Aromatica* prædita, Piper, Garyophyllos, Caſtoreum, Allium, Raphanum ruſticanum, Sinapi, Cochleariam, Eryſimum, & ſimilia ſæpiùs minore quantitate uſurpata. Ex. gr.

Mixtura.

℞. *Aq. Cochleariæ*,
Eryſimi, *an.* ℥ j.
Tinct. Caſtorei, ʒ j.
Ol. Garyophyll. Gutt. ij.
Syr. Cochleariæ, ℥ vj.
M.

Ejus Uſus.

Hujus miſturæ Cochleare unum accipit ſæpenumerò Æger.

XLIII. Quòd ſi alicui ſuffeno Medico Mixturæ nomen ſordeat, Decoctum paretur ad ſequentis formulæ normam.

Decoctum.

℞. *Rad. Galangæ*, ʒ ij.
Raphani ruſticani, ℥ ij.
Fol. Eryſimi, M. ij.
Garyophyllor. ʒ ß.

Fiat Decoctio in vaſe clauſo ex Aquæ & Vini albi ana q. ſ.

In Colat. ℥ *xx.* diſſolv.
Syr. Cochleariæ. ℥ iij.
Tinct. Cinnamom. ℥ j.
M. f. Apozema.

Ejus Uſus.

Hujus Apozematis Cochlearia quinque aut ſex aliquoties in die uſurpet Æger in lecto decumbens ac mediocriter tectus, quò, ſi poſſibile ſudor erumpat levis, ægrum levaturus.

Vis narcotica Spirituũ quibus corrigitur.

XLIV. Horum autem Medicamentorum ope non tantùm Animales Spiritus liberabuntur à ſuo Torpore, verùm ipſa *vis narcotica* vel in corpore tractu temporis genita, vel forinſecùs admiſſa quoque *corrigetur & tandem ſuperabitur*.

A Sopore ac Stupore quomodò Ægri excitentur.

XLV. A Sopore ac Stupore Torporis ferè comite excitabuntur Ægri Objectis externis potentibus Senſus externos acriter moventibus, eorum interim organa non lædentibus. Sic Lux magna Oculis objiciatur; Sonus fortis excitetur Auribus propinquus; Odorata acria Naribus admoveantur, Spiritus Salis Armoniaci, Cornu Cervi, & ſimiles; Aromata itidem acria, vel Salia Ori indantur; Corporis Cutis aſperis pannis confricetur; Igni, Aeriſque æſtui, non item Frigori exponatur Corpus: poſtquam externo frigore excitari Torporem notum. Non ſequitur tamen inde Opium ſimiliter torporem producens pro frigido habendum, quoniam effectus idem procedere poteſt à Cauſis variis, ſed variè agentibus adde quod amaricat Opium, natura pingui dotatum, quæ caloris volunt eſſe indicia: de qua re propriè agendum in phyſica ſcientia, de cujus poſſeſſione licèt glorientur multi, nullum reperi hactenus qui Mathematicorum more diſſentientium cogeret aſſenſum.

Agitatiores Spiritus quomodo ad blandũ motum reducantur.

XLVI. *Agitatiores, nimiùmque moti Animales Spiritus componentur & ad naturalem, blandumque motum reducentur*, emendando, removendove Res non-naturales motui nimio anſam præbentes Mutando ſcil. *Aerem* æſtuantem in frigidiuſculum Minuendo *Alimentorum* Spirituoſorum uſum, ac in eorum locum aſſumendo, quæ Pituitam præbent parùm tenacem; Concedendo *quietem corpori* defatigato; *Somnumque* excitandu blandum per Anodyna, & ubi res videtur exigere, Narcotica Exuendo Animum omni *ſollicitudine* anxia & mordaci, ac imprimis reſiſtendo *Iræ* acerbæ, conciliandoque Animo *tranquillitatem* amœnam & amabilem.

XLVII. Ipſos autem *Spiritus nimiùm agitatos ad decentem, compoſitamque motum reducent* blandè Muſicorum Sonorum modulamina, ſed potentiùs Anodyna, & tandem Narcotica prudenter, hoc eſt, partitim & quantitate parva uſurpata.

XLVIII.

XLVIII. *In gyrum acti Animales Spiritus reducentur in ordinem* remotis Caufis externis, ac correctis internis, denique ad quietem aliqualem Spiritibus ipfis blandè deductis.

In gyrum acti Spiritus quomodo in ordinem reducantur.

XLIX. *Definant* igitur *Ægri aſpectare Objecta rotata, Remotiora, Sublimia & Ima*: definant *corpus ſuum rotare*: quin potiùs omnem operam dent, ut *ſomnum capiant* Medicamentis non femel in hoc capite laudatis, & alibi in formulis convenientes præfcriptis.

L. Quoties abfque notatis Caufis manifeftis ab occultis & quidem internis Caufis pendet Animalium Spirituum gyratio, ac Vertigo, toties *Halituum*, *Flatuumque Productio & Aſcenſus impediri* debent, aut iidem *ſuffocandi* funt, *diſcutiendive*.

Flatuum productio quibus impediatur. Quibus eorum Aſcenſus. Quibus iidem ſuffocentur. Et quibus diſcutiatur.

LI. Illorum *Productio impeditur* per Medicamenta *Humores Acrimonia & Glutinoſitate* peccantes *Corrigentia*, & *Minuentia*, quæ fæpiùs in fuperioribus funt propofita.

LII. Eorundem *Aſcenſus impeditur* imprimis per Anodyna, & Narcotica fæpiùs laudata & commendata.

LIII. Iidem *Suffocabuntur* affumptione liberali Apozematum ex aromaticis blandioribus & gratioribus paratorum.

LIV. *Diſcutientur* iidem per Olea præfertim ex Seminibus carminantibus vulgò dictis deftillatione elicita; & Tincturas cum Vini Spiritu rectificato ex quibufvis Plantarum Aromaticarum partibus per folam infufionem, aut fubfequentem infuper deftillationem eductas; additis ad majorem gratiam tum Syrupis, tum Aquis vulgaribus quantitate conveniente. Quales formulas plures hinc inde habemus in hoc libello in gratiam Tyronum.

Terrore conturbati Spiritus quomodo ſedentur.

LV. Quoties à *Terrore vano & panico conturbati ſunt cum Animo Spiritus Animales*, toties, quandiu fibi adhuc conftat Mens, danda eft opera, ut *averruncetur rationum potentium pondere iſte pavor Lymphaticus*, & tam multis lethalis, utque *Somnus mox cuulans* quibufvis auxiliis adeoque ipfis narcoticis quamprimùm *reducatur*: nifi enim hoc fiat ocyffimè, brevi Medicina fero parabitur.

Impuri à rebus externis quomodo depurificentur.

LVI. *Impuri redditi Animales Spiritus à rebus externis haud purificabuntur*, nifi remotis iifdem poftquam pofita, & manente caufa, ponitur & manet effectus. Removeantur proinde Aer quovis modo inquinatus, Alimentaque corrupta eadem faltem vitet homo: qui præterea ufurpet medicamenta noxam plùs, minùfve in corpus introductam emendantia, expellentiaque.

LVII. Ubi notandum 1. *noxas* cum *Aere* ad miffas commodiùs *Sudoriferis*, cum *Alimentis* autem affumptas *Vomitoriis* & *Purgantibus per alvum* protrudi foras.

LVIII. 2. *Emendantia* Medicamenta utiliter ufurpari poffe tunc etiam, cùm laudatæ inftituuntur Evacuationes: quæ continuari debent etiam, poftquam inftitutæ funt iftæ Evacuationes uti non tutò, antequàm inftituantur.

Cur Auctor Salia Volatilia toties commendet.

LIX. Cùm ex hominis partibus omnibus levi artificio eliciantur Salia Volatilia (quibus proinde illas conftare concludo) nulli debet videri mirum fi tam fæpè inter *Alterantia*, *Hominumque Humores depravatos Emendantia* Medicamenta commendem, laudemque *Salia Volatilia*, *ſed blanda*; quibus etiam nunc primas meritò tribuo in corrigendis, emendandifque noxis ab Aere quovis modo inquinato, aut Alimentis pravis corpori contento præfertim communicatis. Nec dubito, quin quotquot nunc ex iniquo præjudicio, aut petulantia mera me culpant vel rident Salia Volatilia toties extollentem, fi aliquando experiantur, quantùm ad hominum Valetudinem confervandam, reftituendamve poffint Salia ifta ipfis nunc ita exofa, vel ridicula, pudore confufi rubore fuffundantur obfpreta, contemptaque non tam mea dicta quàm vindicis Dei dona.

Dekker Opera.

Impuri à rebus internis Spiritus qua ratione emendentur.

LX. Quoties denique ab *Animi Affectibus variis & ſub-contrariis hominem ſimul ac potenter agitantibus* (quod fæpiffimè habet locum) Humores varii afficiuntur malè, atque ita, ut ex fuo in tenui Inteftino confluxu ac Effervefcentia vitiofa excitentur Halitus multifarij ad Cor ac Cerebrum quoque translati, atque Spiritus Animales inquinantes ac impuros reddentes, toties 1. *Componendi* funt *Animi motus immoderati*. 2. *Corrigendi* funt *Humores vitiati*, 3. *Emendandi*, *Diſcutiendive ſunt Halitus noxii*. 4. *Depurgandi ſunt Animales Spiritus ab impuritatibus acquiſitis*. Quæ omnia qui debeant obtineri, fæpiùs dictum in fuperioribus; ubi Salia Volatilia, fed blandiora, plurimùm præftare poterunt: quicquid ob, ftrepant & garriant in hoc Belgio multi Medici, rerum plerarumque naturalium Ignari, utut inani Doctorum titulo & aliquot annorum praxi qualicumque tumidi.

CAPUT XLII.

De Spirituum Animalium per Nervos Motu læſo.

Spiritus Animales non tantùm Senſibus, & motui Animali, ſed etiam humoribus temperandis inſervire.

I. SEcreti à Sanguine in Cerebro ac Cerebello Spiritus Animales per continuatam ipforum in Nervos Tubulatam Medullam deferuntur quaquaversùm, non tantùm ad *Senſus*, *Externos*, & *Motum Animalem exercendos*, fed infuper mea faltem conjectura, imo fententia, ad *temperandos Humores quoſvis*, *Bilem*, *Salivam*, *Succum Pancreaticum*, five *Melancholicum Glandularumque Conglobatarum Lympham*, & fortè ad *primariam Seminis generando materiam* fuppeditandam.

Spirituum per Nervos motus qualis.

II. Hic Animalium Spirituum per Nervos Motus fecundùm naturam, me judice, *Continuus* eft ac *Æqualis*, pro *Animi* tamen *Affectibus diverſis mutabilis*, ac *Inæqualis*.

Quot modis lædatur.

III. *Læditur* autem hic Animalium Spirituum *Motus* 1. quando *Nulli*, vel *ſolito Pauciores*; 2. quando *Plures* ac decebat expediebatque; 3. quando *Inæqualiter*, *Inordinate*, *ac præter*, *contrave Voluntatem* ad *partes quaſdam*, *vel omnes* moventur per Nervos Spiritus.

1. Quando Nulli ferunter ad Organa Spiritus.

IV. I. Ubi *Nulli* feruntur ad Senfuum externorum, Motufve Animalis Organa Spiritus Animales, *Ceſſant toto illo tempore memoratæ Functiones*, Vifus, Olfactus, Auditus, Guftus, Tactus, & Caloris Senfus, ut & in Apoplexia & Paralyfi Motus.

Et quando ſolito pauciores.

V. Ubi autem *ſolito Pauciores* deferuntur ad eadem Organa Spiritus Animales, *Imperfectæ ac Imbecillæ* obfervantur fieri eædem *Functiones*, in Motu tremulo & infirmo, nec diu durante, in Vifu debili ac mox defatigato, &c.

Utrumque hi culpa.

VI. *Nulli*, *ſolitove Pauciores* feruntur per Nervos Spiritus Animales nunc *ſua*, nunc *Nervorum* culpa.

Vel Spirituum.

VII. *Spirituum Animalium* culpa id evenit, quoties illi *plùs*, *minùſve Deficiunt*, aut *Torpidi* funt: de quibus actum eft capite proximè præcedente.

Vel Nervorum.

VIII. *Nervorum* culpa Deficit Animalium Spirituum in totum, aut ex parte Motus ad partes, quando illi funt *Diſſecti*, *Compreſſi*, *Obſtructi*, (dummodò queant obftrui) aut *Subſidentes*.

In eorum diſſectione.

IX. *Diſſecantur Nervi* à rebus quibufvis acutis, & Corpus vulnerare aptis.

Compreſſione.

X. *Comprimuntur* Nervi à *Vinculis*, *Tumoribus duris*, aut *Humoribus compactis*, nervifque incumbentibus.

Obſtructione.

XI. Haud poffe Obftrui Nervos vel ideò cenfeo, quia ipforum Tubuli, cùm fint anguftis Cerebri, Cerebellique Tubulis continuati, nil admittent, quod non fit tenuiffimum, ac in Cerebri Cerebellive tubulos priùs penetraverit. In quos fi quis Halitus, Flatufve unà cum Spiritibus ingredi mox & in Nervos penetrare poffe contendat non video

video qua ratione & vi judicet idem Halitus, Halitusve notatos iterum concrescere posse, ut Obstructionem ibidem pariant.

Et subsidentia.

X I I. *Humores Pituitosos & Aquosos* circa *Nervos* hærentes ipsorum *Tunicas*, *Membranasque*, hinc & *Medullam* humectare, ac forsan eatenus laxare posse, ut *ipsa per subsidentium collabens* Tubulos suos transmittendis Animalibus Spiritibus ineptos reddat, evincere videtur Paralysis à pluvia frigidiore post vestes inde madentes hanc aut illam partem ita afficiente orta, ut nunc una, nunc plures partes Motum, ac Sensum plus minùs amittant.

1. Quando Nimii moventur per nervos Spiritus. Propter Animi Motum. Et irritationem.

XIII. II. *Plures*, quàm Externi Sensus, vel Animalis Motus ad sui perfectionem exigebant, *moventur per Nervos Animales Spiritus*, 1. propter *Animi Motum vehementem*, *Hominemque valde angentem, torquentemque*; *Iram* præsertim, *Motum*, *Gaudiumve* immoderatum. 2. propter *Irritationem continuam & gravem* circa *Spinalis medullæ caput* in Convulsione Universali, aut in *partis affectæ parte sensili*, ejusve *Nervo* in Convulsione Particulari urgentem.

Qua in Universali Convulsione oritur à Spiritu Acido et Acri.

XIV. Irritatio hæc ut plurimùm, & fortassis semper in Universali Convulsione primariò afficiente, ortum habet à *Spiritus Acido & Acri Halitue forma* in *Medullæ Spinalis exortum* propulso, ipsamque nunc sine notabili, nunc cum ingenti dolore mordente; prout scilicet partem afficiendam minùs, vel magis offendit.

XV. *Halitus* hos *Acidos* ex *tenui Intestino*, si non semper, ut plurimùm saltem assurgere confirmabunt Symptomata concurrentia attento animo considerata & expensa.

XVI. *Halitus* eosdem *Acrimonia* peccare *Acida* evincent Symptomata eadem, ut & Curatio per simplicissima & notissima instituta.

XVII. Convulsionis Universalis secundariò afficientis: ac imprimis Particulari supervenientis Causa vera videtur mihi *Motus Spirituum Animalium* ratione Partis primariò affectæ *auctus*, & *impetuosus*, sensimque ob irritantis Causæ continuationem *auctior & impetuosior*, tandem malo pertinaciùs urgente quaqua versùm *impetuosissimus*; quam ob rem omnes in universo corpore Musculi contrahuntur vehementissimè, producuntque Convulsionem Universalem.

In particulari verò convulsione à causis variis.

XVIII. Eadem irritatio in Convulsione Particulari produci potest 1. Ab *Humore*, *Halituve Acri Acidoque Nervum* ad Musculum convulsione laborantem delatum, aut *Membranas*, *Tendinemve rodente*: 2. Ab ejusdem *Nervi*, *Membranæ*, *Tendinisve Punctura* qualicunque nunc externæ Causæ, nunc internæ, *Ossis* puta *fragmento* acuto, debita: 3, à quavis alia Causa in *Musculi affecti* parte magis sensili, ac *Tendine* imprimis *Dolorem acutum* producente. Inflammatione putà, Erysipellate, &c.

3. Quando inæqualiter, et præter voluntatem moventur Spiritus.

XIX. III. *Inæqualiter*, *Inordinatè*, *ac præter*, *contrave Voluntatem moventur Spiritus Animales per Nervos* ad Partes mobiles in *Motu Convulsivo*, ac *Tremore*, *Quassuve membrorum coacto*. Distinguendus namque hic *Tremor* quiescente licèt ac decumbente corpore molestus à *Motu Tremulo*. de quo dictum §. 5. quique quiescente corpore cessat, eodemque iterum moto repetit.

Motus convulsivi causa.

X X. *Motus Convulsivus* debetur *Spirituum Animalium in oppositos Musculos Motui auctiori*, *sed alternanti*, sive sit *Universalis*, sive *Particularis*.

XXI. Hic alternans Spirituum Animalium Motus consequitur *alternantem Irritationem ut Nervis Animales Spiritus ad oppositos musculos deferentibus*.

Vbinam in Motu Convulsivo Universali fiat irritatio.

XXII. In *Motu Convulsivo Universali*, qualis frequenter occurrit in principio paroxysmi *Epileptici*, (nam succedere solet tandem Convulsio) *Irritatio* statuenda *circa primam Nervorum* ad Musculos varios tendentium *divaricationem*.

Vbinam in Particulari.

XXIII. In *Motu Convulsivo Particulari*, qualis subinde in alterutro Brachio, vel Crure, alibive observatur, ponenda *Irritatio circa Nervorum ad oppositos* ejusdem Membri *musculos* delatorum *exortum*.

Irritationis causa.

XXIV. *Irritatio* autem illa omninò adscribenda *rei valde mobili & alternatim oppositos Nervos vellicare aptæ*, adeòque *Halitibus Acribus & Acidis*, frequentissimè à tenui Intestino assurgentibus & ad Nervorum originem penetrantibus.

Coacti Tremoris causa.

XXV. *Coactus Tremor* debetur *Animalibus Spiritibus inordinate ac continuò cum aliquo impetu* ad trementium membrorum musculos per nervos propulsis: sive fuerit is *Universalis*, sive *Particularis*, sive corpus fuerit adhuc robustum, sive debile.

Inordinati Spirituum Motus causa

XXVI. *Inordinati* autem illius ac *Continui cum Impetu Animalium Spirituum Motus* Causa quærenda frequentiùs in ipsis *Spiritibus inordinatè agitatis*, ac præsertim in Tremore Universali; aliquando etiam in *Nervis continua*, *sed minùs gravi Irritatione* (aliàs Motus Convulsivus contingeret) *vexatis*, quod existimo habere imprimis locum in Tremore particulari.

XXVII. *Inordinatè agitantur Spiritus Animales Flatibus & Halitibus continuò ad Caput cum Sanguine ascendentibus*, atque unà cum Spirituosa Sanguinis substantia *in Cerebri*, *Cerebellique*, *mox Nervorum* quoque Tubulos pergentibus, Animalesque Spiritus inordinatè, ac impetuosè agitantibus.

XXVIII. A Nervorum Irritatione leviore produci aliquando Tremorem vel inde patet, quod aliquando ipsum sequatur, aliquando in ipsum desinat Motus Convulsivus.

Spirituum defectus ob dissectos nervos incurabilis.

XXIX. 1. *Dissecti Nervi* cùm nequeant curari, hactenus *reparari nequit Spirituum Animalium Defectus* in parte quavis. Quoniam vero plures, plerumque Nervi ad eandem feruntur partem tum ad Sensum, tum ad Motum ipsi largiendum, non mirum; si uno, pluribusve Nervis dissectis in parte aliqua permaneat sæpenumerò in ipsa Sensus, & Motus, quamvis non partùm Diminutus, cum aliquo Partis Stupore ac Torpore.

Ob compressos Nervos restituuntur per remotionem Vinculorum.

XXX. *Restituetur* Spiritibus Animalibus Motus per *compressos Nervos*, 1. solutis, remotisve *Vinculis* eos augustantibus.

Per Curationem Tumorum.

XXXI. 2. *Curatis Tumoribus Durioribus* per Medicamenta *Incidentia*, *Emollientia*, ac *Resolventia* vel *Maturantia*: de quibus agendum alibi.

Per eductionem Humorum tenacium Salium Volatilium usus.

XXXII. 3. *Incisis*, *Emollitis*, *ac Resolutis*, aut *in Puris imperfecti speciem deductis*, ac *eductis Humoribus tenacibus & compactis* per medicamenta descripta Cap. 40. §. 33. 34. 44. & seq. 50. & seq. Ubi unum incidit addendum, *Salia Volatilia* hic externe usurpari posse cum magno successu, si usus tempore jungantur fotibus, & cataplasmatibus, aut permisceantur Unguentis quantitate parva; quorum beneficium incredibilè mirabuntur, celebrabuntque probi ac Deum timentes.

Defectus Spirituum propter Nervos Obstructos qui curetur.

XXXIII. Si possent *Obstrui Nervi*, ac reverà notarentur Obstructi, conducerent præ aliis omnibus *Salia Volatilia* tum internè, tum externè usurpata, & sepiùs in hoc Libello à me laudata & præscripta.

Vt et propter Nervos subsidentes.

XXXIV. *Humores Pituitosos & Aquosos circa Nervos hærentes*, *ipsorumque Membranas*, *Medullamque nimis humectantes*, *laxantesque Corrigent ac Tollent* tum interna *Sudorifera*, imprimis Aromatica, tum externa *Incidentia*, *& Discutientia*, inter quæ iterum laudo *Salia Volatilia*; quòd si multùm in Corpore redundent iidem, convenient quoq; *Phlegmagoga*, & *Hydragoga* per vices usurpata: quorum formulas pluries dedimus in superioribus.

Quomodo curetur Spirituum Motus nimia copia per Nervos factus.

1. Propter Animi Affectum.

XXXV. 2. Quoties *majori*, ac decebat, oportebatque, *copia feruntur per Nervos Animales Spiritus* 1. propter *Animi Affectum vehementem*, toties idem *componendus*, ad *mediocritatem saltem reducendus*,

Cor-

Corporique Somnus, etiam per *Narcotica*, ubi res desiderat, sed quantitate parva per vices usurpata, conciliandus.

1. Propter Irritationem.

XXXVI. Quoties idem contingit 1. propter *irritationem continuam & gravem* circa *Spinalis Medullæ caput* in Convulsione Universali, & quidem *Spiritu Acido & Acri ab Intestino tenui* eò delato, toties, 1. *Humores Acidi emendandi* sunt; 2. *Halituum proventus impediendus*; quin 3. *Acrimonia* eorundem *Minuenda*, *Temperandaque*; ac 4. ipsorum *Expulsio per Sudores*, aut *insensilem transpirationem* procuranda; denique 5. *Pars ab ipsis affecta restituenda*, & *Dolore liberanda*; Ipsorumque 6. *Spirituum Animalium Motus nimius coercendus*, & *ad tranquillitatem*, hoc est, *Motum pacatiorem deducendus*. Quæ omnia qui obtineri queant, non semel dictum est in superioribus, additis Medicamentorum formulis convenientibus.

In particulari Cõvulsione quando fit ab humore vel halitu acri.

XXXVII. Quoties autem notata Irritatio in Particulari Convulsione est in *Partis affectæ parte Sensili*, *ejusve Nervo* ab eodem *Humore Halituve Acido & Acri* facta, toties conducunt modò laudata remedia, nisi quòd tunc *Externa* cum successu magno simul usurpari queant ex *Aromaticis & Volatilibus Salibus* parata; quæ similiter non semel proposita.

Quando fit à Nervi, Tendinisque Punctura.

XXXVIII. Quoties verò eadem Particularis Convulsio habet ortum à *Nervi*, *Tendinisve Punctura*, sicut aliquando id per Chirurgi imperitiam, præcipitantiam vel infortunium, Animumve turbatum in Venæ apertione fieri notum toties quàm citissimè *Oleum Terebinthinæ calens cum Vini rectificato spiritu* in vulnus mittatur, sicut cum optimo successu in Carolo IX. Galliarum Rege factum ex consilio suo scripsit Ambrosius Pareus Oper. Chirurg. Lib. 9. Cap. 38.

XXX. Quòd si seriùs hoc fiat, vel non auscultet huic Medicamento *Nervi*, *Tendinisve vulnus*, idem mox *dissecandus transversim*; cùm satiùs sit alicui parti actionem suam perire, quàm lethiferæ Convulsionis periculo Ægrum exponi.

XL. Sic quoties ab *Ossium fractorum fragmentis acutis Nervi*, *Tendinesve*, *Musculorum punguntur*; succedente mox Doloribus gravibus *Convulsione Particulari*, & tandem *Universali*, toties, ubi possibile; rescindenda sunt fragmenta Ossium extrema & acuta, vel, si hoc neglectum fuit, aut fieri nequivit, & ad Universalem Convulsionem omnia inclinant, festinandum ad partis affectæ loco circa ossis fracturam commodissimo amputationem; cum aliàs moriendum sit Ægro necessario per Convulsionem Universalem.

Quando fit ab Inflammatione, aut Erysipelate, &c.

XLI. Quoties ab *Inflammatione*, *aut Erysipelate*, &c. *Dolor acutus* excitatus *in Musculi parte magis sensili* ansam præbet *Particulari Convulsioni*, toties ellaborandum sedulò, ut *Dolor* ille *Anodynis*, *vel Narcoticis* quoque tam *internis*, quàm *externis minuatur*, ejusdemque Causa, *Inflammatio*, aut *Erysipelas*, &c. citissimè & suavissimè *curetur*, non omissis interim medicamentis auctiori Animalium Spirituum Motui minuendo & sedando utilibus, jam laudatis.

Motum Convulsivũ Epilepsiam & Convulsionem iisdem remediis curari.

XLII. III. Cùm *Motus Convulsivi*, adeòque ipsius *Epilepsiæ Causa* in corpore *remotior* non differat à *Convulsionis Causa* itidem *remotiore*, nisi *agendi modo hic continuo, ibi alternatim Nervorum initia rodente ac irritante*, non mirum, si plerumque *hi Affectus se consequantur*, & *iisdem remediis* §. 36. laudatis *curentur*.

Motus Convulsivi recursus.

XLIII. Solet autem *Motus Convulsivus* plerumque *per intervalla nunc longiora*, *nunc breviora recurrere*, nec nisi *raro permanenter affigere*, atque tunc, non secùs ac *Convulsio* ut plurimùm *perdurare solita*, citiùs necare.

Tremoris Coacti curatio.

XLIV. *Tremoris Coacti* ab Inordinato, Perpetuo ac cum impetu facto Spirituum Animalium *Deleboe Opera*. ad trementes partes motu, Flatibus, Halitibusque ipsis se admiscentibus; eosdemque ita perperam concitantibus adscripto pendentis *Curatio* instituetur *Rationalis & dogmatica*, si 1. *Causa & Flatuum, et Halituum Materialis ac Efficiens Alteratione convenienti corrigatur*, & si quantitate aucta simul peccaverit, *Evacuatione per Alvum* & quandoque per *Vomitum*, *Urinas vel Sudoris minuatur*; in quos fines utilia medicamenta, eorundemque formulæ in superioribus passim reperientur.

1. Causas ejus corrigendo, & evacuando.

XLV. Si 2. Eorundem *Flatuum*, *Halituumque productio impediatur* per medicamenta sæpiùs proposita.

2. Flatuum generationẽ impediendo.

XLVI. Si 3. *Flatus Halitusque jam producti* & ubivis occurrentes *discutiantur*, aut ad *subsidendum cogantur* per medicamenta itidem non semel laudata.

3. Eosdem productos discutiendo.

XLVII. Si 4. *Animales Spiritus ad Inordinatum Involuntarium, Impetuosumque Motum ab ipsis coacti*, paulatim ab *ipsis liberentur* & ad *motum placidum, ordinatum & voluntarium reducantur* Quorum prius fiet per Medicamenta *subtilissima & maxime Volatilia*, *Spirituosaque* Sudorem, Insensilem saltem Transpirationem promoventia eosdemque sic foras expellentia; posterius verò per Medicamenta tum *Anodyna*, tum *Narcotica* minore quantitate, partitisque vicibus usurpata quæ bina simul exhibere nil impedit, quin expedit, cùm sic faciliùs ad Spirituum Animalium, noxiorumque Halituum & Flatuum locum pertingant, fœliciùsque opus utrumque absolvant commendata modò medicamenta, quorum formulas plures in hoc Libello reperies.

4. Animales Spiritus ad Motum placidum reducendo.

XLVIII. Qui à *leviore Nervorum* Spiritus Animales ad musculos deferentium *irritatione* producitur *Tremor*, *Curabitur* modo eodem quo *Motus Convulsivus*, de quo jam dictum.

CAPUT XLIII.

De Sanguinis Plusquam-perfectione in Liene læsa.

Sanguinem & Spiritus ad Lienem deferri, Sãguinem & Lympham a Liene efferri.

I. AD *Lienem* per Arterias *Sanguinem*, atque per Nervos *Spiritus Animales* adferri iterumque à *Liene* per Venas quidem *Sanguinem*, per Vasa Lymphatica verò *Lympham* efferri per Anatomica Experimenta Cupientibus omnibus notum esse potest, at Operi manum adhibentibus, ac ingenuis Veritatis Scrutatoribus ignotum esse nequit.

Unde Functio Lienis elicitatur.

II. Cùm autem præter quadruplicia nunc memorata Vasorum genera nulla sint hactenus observata, quæ aliquid ad Lienem transferant aut è Liene auferant, meritò ex illis, ac imprimis secundùm id, in quo aliquid acceperunt singularis, *Functio Lienis naturalis* eruitur.

Vas breve à Liene ac Ventriculo Sanguinem revehere.

III. Utique *Vas breve* dictum non esse diversum à *Venæ Splenicæ* ramis Vas, utrinque à *Liene ac Ventriculo Sanguinem revehens*, ad neutrum advehens, jam pridem evicimus per autopsiam.

Sanguinem in Liene plusquam-perfici.

IV. *Mirabilis Nervosarum Fibrarum* circa vasorum omnium in Lienem Ingressum *Textura*, hoc sæculo à solertibus Anatomicis detecta, non parùm meam de *Sanguine* ibidem *a Spiritibus Animalibus* copiosè appellentibus *subtiliore*, *ac spirituosiore præstando*, adeòque *Plusquam-perficiendo* confirmat Conjecturam.

V. Cùm enim *nec Sensui*, *nec Motui serviat Lien*, in alium finem notabili copia Spiritus excipit Animales, cui bono autem, nisi ut Sanguini affluenti jungantur, ac intimè misceantur, eundemque faciant solito magis subtilem ac spirituosum, hoc est, reliquo Sanguine (qui perfectus) perfectiorem, adeòque plusquàm-perfectum?

Canes sine Liene vivere.

VI. Nec obstat, quòd aliqui Canibus superstitibus exsecuerint Lienem: potest namque

Vitæ Matthiol. an. ℥ ß.
Laud. Opiat. Gran. ij.
Syr. Menthæ, ℥j.
Ol. Caryophyll.
Macis stillat. an. Gutt. ij.
M.

Opii Vires.

CXV. In proposita Mixtura cochleatim, & sæpius assumenda nemo miretur addi *Laudanum Opiatum*, postquam non semel asseruimus in superioribus Opium vim habere summam impediendi, compescendique vitiosam Humorum Acrium Effervescentiam tum in tenui Intestino, tum in Corde, tum alibi; sine qua non solent excitari facilè Halitus noxii & Acidiusculi, curandotque Affectus producentes.

Salium Volatilium & Olearum Vires.

CXVI. Prædictæ, aut simili Mixturæ addi possunt varia ex Animalium partibus parata & valdè efficacia, *Tinctura Castorei, Spiritus salinus Salis Armoniaci*, vel *Urinæ*, *Sal Volatile ac Oleum Sanguinis*, *Ossium*, *Cornuum*, *Ungularum*, &c. Olea rectificari debent, atque non tantùm suo empyreumate ex parte liberari, verùm insuper penetrantiora reddi, & magis potentia. Rectificatio autem ista commodè fit cum Spiritu Vini Tartarisato.

Eorum Usus.

CXVII. Possunt quoque laudata modò Salia Volatilia, & Olea exhiberi ex cochleari cujusvis Liquoris, Aquæ, Vini, Cerevisiæ, Jusculi, &c.

Ante & in Paroxysmo.

CXVIII. Nemo autem, nisi expertus, persuadebitur facilè de mirabili prædictorum Medicamentorum efficacia, & vi summa non tantum in præcavendis, sed insuper in minuendis ac citò curandis Animi Deliquiis & Syncope. Possunt enim non tantùm ante Paroxysmum, aut ipso instante, verùm eodem urgente usurpari laudata Remedia, tum cautè infundendo eorum pauxillum in os, tum ipsa applicando, illinendove naribus: Vis namque ipsorum volatilis quaquaversum dispergitur & ad intima penetrans suo simili, hoc est, Halitibus Volatilibus facilè jungitur, atque eosdem alterat, mutat, temperat, corrigitque, adeo ut desinant Aciditate sua non tantùm partes Sensiles irritare aut vellicare, Frigorisve sensu afficere, sed imprimis Sanguinem nimis condensare, atque hactenus Vitam obnubilare ac penè obliterare.

In Animi Deliquio & Syncope etiam usurpanda externa.

CXIX. Possunt quoque urgente Animi Deliquio aut Syncope alia, sicut vulgò fieri solet, usurpari, quæ Sensus externos quosvis excitent, qualia sunt Frictiones partium externarum, Vociferationes, Applicatio rerum Acrium circa Nares & Os, Aceti, Vini Rhenani, Aquæ Cinnamomi, Aquæ Vitæ Matthioli, Apoplecticæ; Antepilepticæ, Theriacalis, &c. Suffitus multifarius tam humidus, quàm siccus, Aceti tum solius, tum Cinnamomo, Caryophyllis, aliisve juncti, Succini, Plumarum Perdicis, & similium ipsi plebi satis notorum.

Curatio post Paroxysmum.

CXX. Soluto vel sponte, vel arte Paroxysmo recreandæ sunt *Vires* tum *Animales*, tum *Vitales* utplurimùm prostratæ tam *Spirituosis*, quàm *Aromaticis*. Non parùm enim solent exindè languere *Vires Animales*, an quia non producti sunt paroxysmo durante Spiritus in Cerebro? Restituuntur autem illi confestim Vino generoso, ejusdemve Spiritu parcè usurpato.

Aromaticorum Vires

CXXI. *Aromatica* verò reparare solent *Vitales* dictas *Vires*, an quia cum *Bile* magis conveniunt, quæ non parùm ab *Acidis Halitibus* fracta est ac debilitata tum in tenui Intestino, tum in Corde? Si proinde Vino jungantur quædam Aromatica, vel usurpetur Spiritus Vini Aromaticus, una, eademque Opera Debilitati utrique succurretur. Ex. gr.

Mixtura.

℞. *Aq. Betonicæ*, ℥ij.
Vitæ Matthiol ℥j.
Conf. AlKermes, ʒj.
Syr. borragin. ℥j
F. Mixtura sæpiùs cochleatim usurpanda.

CAPUT XXXV.

De Cordis Palpitatione.

Cordis Palpitatio quid

I. AD *Cordis* Motum & Pulsum præter naturam vitiatum refertur meritò ejusdem *Palpitatio*, quam pro *Motu ipsius Convulsivo* habendam censeo, cùm revera sit *Motus Cordis inordinatus*, *coactus ac sæpenumerò simul vehemens*. Nan non semper adest notabilis vehementia, unde gradibus non parùm differre solet Cordis Palpitatio.

Qui dignoscatur.

II. Inordinatus hic Cordis Motus ex parte quidem ae quodammodò, non tamen planè ac plenè ex Arteriarum Pulsu dignosci potest; unde opus est, ut plerumque admoveatur sub mammilla sinistra manus: quamvis in Cordis Palpitatione vehementi Motus idem Oculis usurpari queat, ut & ad distantiam sæpe notabilem Auribus percipi.

Ejus vehementia & effectus.

III. Acicdit enim nonnunquam, ut tam vehemens fiat Cordis Palpitatio, Costarumque tanta percussio, ut propter eam eædem confringantur, aut in junioribus ac tenuioribus foràs propellatur, protuberantesque maneant.

Gradus,

IV. Sunt autem, sicut jam innuimus, aliqui ratione majoris, aut minoris vehementiæ in Cordis Palpitatione gradus; unde aliquando nisi applicata Pectori manu observari ac dignosci nequit; aliquando Visui quoque; Audituique mox patet.

Causa.

V. Palpinationis Cordis *Causam* puto esse, quicquid *absque intermissione Ipsum ad sui Contractionem inordinatam & quandoque simul vehementem aptum est incitare*; sive illud *intra Cordis Ventriculos*, aut *in ejusdem Substantia* contineatur, sive *extra Cor* existens, ipsum tamen ad tempus aut semper continuò vellicat; mordet, pungitve. Unde notatur quædam Cordis Palpitatio perpetuò Ægrum infestans, quædam pro tempore urgens, ac denuò remittens, aut in totum recedens.

Diversitas.

Requisitum in causa.

VI. Quicquid ex Venis & Auriculis affunditur in Cordis Ventriculos, ac mox iterum ejusdem Contractione expellitur in Arterias, fit quidem aliquando Pulsus Majoris, Potentiorisve Causa, non item Palpitationis; ad quam producendam opus est, ut ejus Causa Cordi adhæreat, vel inhæreat, ipsumque continuò ad sui Contractionem irritet, quæ proindè fiet tum inordinata, tum inæqualis, ac subinde simul vehemens,

Eam oriri à Flatibus & Humoribus viscosis.

VII. Examinatis proinde, expensisque iis, quæ tum Ego in Ægris Cordis palpitatione laborantibus observavi, tum ab aliis Medicis notata vidi, judico Palpitationem hanc utplurimùm ortum suum habere ab *Humoribus*, *Flatibusve multùm Viscosis*, *ac simul Acribus ad Cordis Ventriculos delatis*, *& in ipsis hærentibus*, atque ipsum ad inordinatam, inæqualemque sui Contractionem *continuò irritantibus*.

Hi unde & quomodo deferantur ad Cor.

VIII Hi Humores, atque Flatus frequentiùs ex tenui Intestino deferentur ad Cor, sive *sponte* ob vitiosam sui effervescentiam commoti eò propellantur, sive ob *Corporis Motum* concitationem, maximè in ascensu, vel *Animi Affectum* gravem, Iram, Metum, Tristitiam, Gaudiumve agitati eò transferantur; sive ab *Externa Causa*, *Aeris* puta æstu aut frigore acri; *Alimentis* dulcibus aciditve; *Rerum quarumvis Odore* potenti, eoque nunc suavi, nunc ingrato, &c. similiter ad effervescendum, Halitusque tam glutinosos, quàm acres producendos, & ad Cor transmittendos adigantur & urgeantur.

Palpitatio frequens in Affectione Hypochondriaca.

IX. Hinc est, quòd in plerisque *Affectionis Hypochondriacæ* speciebus tam frequens, familiarisque sit Cordis Palpitatio,

Ut & in Febribus Intermittentibus.

X. Hinc est, quòd tam sæpe circa *Febrium Intermittentium initia*, urgente adhuc, aut remitente Frigore; ut & in earundem *vigore*, Æstu existente summo, Palpitatio sentiatur Cordis molesta.

XI. Præ-

Eandē etiā oriri à Tumoribus Carneis, &c. in cordis Substantia. Itē & à Vermibus, Humore acri, ac Vulnere. Ac tali esse incurabilē.

XI. Præter notatos Humores, Flatusque observati sunt aliquando in *Cordis substantia Tumores Carnei*, aut *Excrescentiæ Osseæ*, *Cartilagineæve*, quibus *Palpitatio* ad mortem usque conjuncta non immeritò fuit adscripta.

XII. *Vermes in Pericardio* reperti Cor pungendo, vel *Humor acris* mordendo *Palpitationis* raræ Causa esse possunt, ut & *Vulnus Cordi inflictum*.

XIII. Causæ binis paragraphis postremis notatæ sicut cognitu sunt difficiles, si non impossibiles, ita curari non possunt.

In Paroxysmo quomodo curetur, quæ est à Flatibus.

XIV. Frequentissima Cordis Palpitationis species priori loco memorata urgente paroxysmo *Curabitur*, si à *Flatibus* habeat ortum, Medicamentis tum *Incidentibus*, & *Discutientibus*, tum *Acrimoniam Acidam* præsertim *Temperantibus*; sæpiùs suprà propositis. Ex. gr.

Mixtura.

℞ *Aq. Petroselin.*
Fœniculi, *an.* ℥ i ß.
Vitæ Matthiol. ℥ j.
Ol. macis stillat. Gutt. iv.
Spir. Salis Armoniac. Gutt. xx.
Laud. Opiat. Gr. iij.
Syr. menthæ, ℥ j.
M.

Ejus Usus.

Hujus Misturæ Cochleare unum singulis horæ quadrantibus assumat Æger, donec aliquod sequatur levameo.

Quomodo curetur, quæ est ab Humore Viscoso & Acri.

XV. *Si ab Humore Viscoso & Acri* putetur producta Cordis palpitatio, iisdem utendum *Medicamentis Alterantibus* modò laudatis, *Incidentibus & Acrimoniam temperantibus*, quin nonnunquam, perseverante diutius (quod ferè fieri solet) Paroxysmo, Humorem ipsum *Evacuantibus*.

XVI. Ad Incidendum, Temperandumque Humorem notatum conducet Mixtura modò præscripta, vel alia similis: Ad eundem autem Educendum cæteris omnibus præfero *Pilulas* ex Gummatibus parandas; cùm & Ipsæ Glutinosos Humores solvant, & ad faciliorem sui eductionem disponant. *Ex. gr.*

Pilulæ.

℞ *Gumm. Galbani aceto squillitico soluti & iterum inspissati*, ʒ ß.
Vitriol. Martis ad albedinem calcinat. ℈ j.
Troch. albandal, ʒ ß.
Diagrid. Gran. xv.
Ol. carvi, Gut. vj.
M. F. Pilulæ, N. xxv. Inaurandæ.

Earū Usus.

Sumantur 5. aut 7. matutino tempore, ac Ventriculo vacuo; superbibendo post sesquihoram jusculum, vel Cerevisiam cum pauco pane coctam, & macere aromatisatam.

XVII. Qui abhorrent à Pilulis, *Apozema* usurpent ex Incidentibus, Aromaticis & Purgantibus paratum; in quem finem laudamus sequens valdè amaricans & efficax.

Apozema.

℞. *Rad. Apii*, ℥ j.
Angelic. ʒ j.
Ras. Ligni Sancti, ʒ iij.
Bacc. Lauri, ʒ ij.
Pulp. Colocynthid. ʒ j.
Sem. Carvi. ℈ ij.
Cort. Arantior ʒ ij.
Coq. s. a. in Aq. pura.
In Colaturæ ℥ xxx. *dissolv.*
Syr. ros. sol. cum senna, ℥ iij.
Spir. Vini rectific. ℥ i j.
M.

Ejus Usus.

Sumat Æger hujus Apozematis ℥ iij. iv. vel v. Quòd si assumptione tali parùm vel nihil dejiciat poterit aut eodem die, aut sequenti saltem tantundem, aut plùs pro Medici judicio bibere, atque sic per ἐπικρασιν humorem noxium minuere ac educere.

Extra Paroxysmum qui curetur.

XVIII. *Extra Paroxysmum* similia usurpari possunt ac debent tum *Alterantia*, tum *Evacuantia*, & quidem indies. Nam nonnisi temporis tractu, perseverantiaque debellari possunt notati Humores: qui per intervalla etiam educendi pertinaciores scilicet, ac inemendabiles: ubi satiùs iteratis vicibus, sensimque illos evacuare, quàm simul ac semel idem tentando in graviores Affectus Ægros conjicere.

CAPUT XXXVI.

De Sanguinis è Sinistro Cordis Ventriculo per Arteriam Aortam ad omnes Corporis, Partes Fluxu læso.

Usus Motus Sanguinis ad omnes corporis partes.

I. SAnguis in utroque Cordis Ventriculo ac intermediis Pulmonibus perfectus transfertur tandem per Arteriæ Aortæ ramos infinitos ad omnes *Corporis partes*, quò tum *Ipsæ* illo *Nutriantur*, tum ex eodem *Liquores* Humanæ Oeconomiæ ampliùs *Utiles*, *Inutilesve* variis in locis *Secernantur*, iterumque *ad Sanguinis massam remittantur*, aut è *Corpore prorsus excludantur*.

Quot modis hic motus lædatur.

II. Hic Sanguinis per Arterias *Fluxus Læditur* aliquando, vel *Universe*, vel *Particulatim*; & quidem quando aut 1. *segniùs*, *vel minime fluit*; aut 2. *celeriùs*, *potentiùsve movetur*; aut 3. *in partium Substantiam*, *Cavitatesve* ita fluit, ut *ibi hæreat*, vel *foras effluit e Corpore*.

Universè segniùs fluit Sanguis. 1. in Plethora.

III. *Universe fluit segniùs Sanguis*, aut etiam in motu suo planè *sistitur & stagnat* idem 1. in *Plethora quoad Vasa* dicta, & quidem *defectu spatii sufficientis ad excipiendum Sanguinem* in Cordis Ventriculis perfectum, ideoque simul *ampliùs rarefactum*.

2. In Animi Deliquio, Syncope & languore Universali.

IV. In *Animi Deliquio & Syncope*; ut & *Languore Corporis Universali* propter *Sanguinem ad rarefiendum minùs aptum*; sicut pluribus dictum ac deductum Cap. 34.

Particulatim id influit segniùs ob Angustiā Arteriarū.

V. *Particulatim segniùs per Arterias fluit* vel aliquando etiam *sistitur & stagnat* idem *Sanguis* proper *Angustiam* qualemcunque in *alicujus Partis Arteriis* existentem, ac imprimis *Compressionem* aut *Obstructionem*: vix enim capere possum in Arteriis locum habere posse Constipationem Coalescentiam, vel Subsidentiam.

Ob Arteriarum cōpressionem. Ob earundem Obstructionem.

VI. *Comprimi* possunt Arteriæ à *Tumore duriore* ipsis vicino, *Vinculis*, &c.

VII. *Obstruentur* Arteriæ, ac imprimis *Capillares*, tum à *Pituita Glutinosa* unà cum Sanguine per Ipsas delata, & aut *sponte* ac sensim denuò *coalescente*, aut propter *Frigus Aeris* per Cutis poros eò penetrans *coagulata*, tum ab Ipso *Sanguine* propter *Frigus* vel *Acidum* externum eò se insinuans *concreto*.

Idem Universè movetur celeriùs vel potentiùs in Febribus ardentibus.

VIII. *Universè movetur* per Arterias *celeriùs*, *potentiùsve Sanguis* in *Febribus Ardentibus* omnibus, tam *Continuis*, quàm *Intermittentibus*, quamdiu *permanet Pulsus* non tantùm *Frequentior*, sed simul *Major & Robustior*: nam postquam eousque rarefactus est tunc Sanguis, ut Vasa nimiùm distendat, & Plethoram ad Vasa constituat, sensim tum *Minor*, tum *Debilior* fieri solet *Pulsus*; donec *Sanguinis* per Venam sectam *missione spatium* pateat *Sanguini excipiendo amplius*, simulque *Suffocationi proximus recreetur* quasi, exciteturq; opera eadem *Ignis Vitalis*; unde *Pulsus* quoque fit tunc iterum & *Major & Robustior*.

In Cordis Palpitatione.

IX. Movetur itidem potentiùs, celeriùsque Sanguis Universè in *Cordis Palpitatione*, propter Cor ad frequentiorem sui contractionem tam coactum quàm irritatum.

Post notabilem Sanguinis effusionem.

X. Accidit idem post notabilem, non tamen extremam *Sanguinis Effusionem*, eamque aut *spontaneam*, aut *artificialem*, aut *fortuitam*, per *vulnus* nempe casu, vel vi acceptum.

Particulatim idē movetur ob Sanguinē ex eo effusum.

XI. *Particulatim*, hoc est, *ad certam*, *determinatamque Partem movetur celeriùs ac potentiùs Sanguis*, ob *Sanguinem ex eadem effusum*, non tamen quantitate nimia, vel summa; quoniam, ubi hoc evenit, reliquus quoque Sanguis eò fertur; imò offertur adeò, ut ejus defectu minuatur quoque Vita-

Vitalis in Corde Ignis, & Sanguis deficiens paucusque, utut ibi rarefactus, minùs expandat Cordis Ventriculos, ideoque minùs irritet Musculosum ejusdem Parenchyma ad sui contractionem minùs proinde propellatur quaquaversum Sanguis deficiente tandem, ni brevi succurratur, post Languorem Universalem Vita.

In Partium Substantiã & è corpore fluit Sãguis ex apertis arteriis.

XII. In *Partium Substantiam*, vel *Corporis Cavitates fluit & ibi colligitur ex Arteriis* quovis modo *internè apertis* & patentibus effusus *Sanguis* : quemadmodum idem ex iisdem *circa Corporis superficiem læsis effluit è Corpore*.

Causa Plethora ad Vasa.

XIII. *Plethora ad Vasa* pro *Causis* agnoscit *Constitutionem Corporis sanam*, *usumque Alimentorum optimorum liberaliorem*, *Animum Curis vacuum*, *Exercitium Corporis paucum*, *Somnum multum*, & similia.

XIV. De *Sanguinis ad rarefiendum minùs apti Causis & Cura* egimus Cap. 34. unde sunt petenda, quæ huc faciunt.

XV. De *Tumorum variorum Ortu*, *Causis & Curatione* dicendum alibi; de *Obstructione autem Vasorum Sanguineorum*, ipsiusque *Causis*, *Effectis & Curandi* modo plura proponemus, Capite 40.

XVI. De *Febribus*, ut & *Cordis Palpitatione* ex professo tractavimus in superioribus; sed de variis *Vulnerum* differentiis, & *Causis*, *Curaque* aliàs forsan, si Deus volet, commentabimur.

Ejusdem Curatio.

XVII. Inter plurima igitur ad notatorum ex læso Sanguinis per Arterias Fluxu Affectuum *Curationem* facientia unicum tantùm de *Plethora ad Vasa* dicta citò, tutòque *Curanda* monebimus; ipsam nimirum absolvi *Sanguinis eductione sufficiente per apertam Venam*: ubi tamen observandum, ut pro cujusque Curandi constitutione propria eliciatur *una*, *pluribusve vicibus*, & quidem *copia nunc majore*, *nunc minore* Sanguis.

Augmentũ præcavetur. 1. Alimento minuendo.

XVIII. Ejusdem *Plethoræ augmentum præcavebitur*, 1. *minuendo Alimentorum multi & laudabilis Succi quantitatem*; quin *substituendo* in eorum locum *Alimenta fermentationis difficilioris*, atque *minùs Succi nutritii continentia*.

2. Corpus exercendo.

XIX. 2. *Corpus indies magis exercendo*, ac defatigando.

3. De Somno detrahendo.

XX. 3. De *Somno* aliquid paulatim *detrahendo*.

4. Mẽtis occupationes augendo.

XXI. 4. *Accersendo & Augendo Curas*, *Mentisque Occupationes* serias, non tamen nimis angentes.

5. Venam aperiendo.

XXII. 5. Quamdiu laudatis mediis necdum satis potest impediri Sanguinis augmentum nimium, danda est opera, ut subinde *Sanguis* nihilominus *ex Arter* secta vena *minuatur* in tempore.

CAPUT XXXVII.

De Partium omnium Nutritione læsa; & in specie de Atrophia, sive Tabe.

Nutritio & Accretio quid.

I. GEneralis *Sanguinis* ad *Partes* omnes ac singulas delati *Usus* est Ipsarum *Nutritio*, sive Particularum sensim ab ipsis recedentium ac pereuntium reparatio; ut & in Juventute Earundem ad molem, magnitudinemque decentem *Accretio*.

Quot modis lædantur.

II. Hæc *Partium* omnium & *Nutritio*, & *Accretio læditur* aliquando vel *Universe*, vel *Particulatim*, & quidem frequentiùs secundùm *Carnes Musculorum*, & *Pinguedinem*, rariùs secundùm *Viscerum Parenchymata*, & *Ossa*.

III. Læsio hæc contingit quando 1. Nutritio ista *Deficit* in *Atrophia* vel *Tabe*. 2. quando eadem *Nimia* fit, speciatim in *Carnositate*, aut *Obesitate*. 3. quando eadem *Inæqualiter* aut *Perperam* evenit in *Cachexia*, *Anasarca*, *Leucophlegmatia*, *Rachitide*, &c.

Atrophia.

IV. Hoc quidem Capite agemus de *Atrophia* sive *Nutritionis Defectu*; sequentibus verò de cæteris.

Defectus nutritionis quorũ ratione cõtingat.

V. *Deficere* solet *manifestè Corporis Nutritio* imprimis, ut dictum, ratione *Pinguedinis* & *Carnis Musculosæ*; non item ratione *Cartilaginum*, *Ossium* vel *Parenchymatis Viscerum*.

Quid Macies. Quid Tabes.

VI. Ubi *Pinguedo sola* consumitur, nec æquè reparatur, *Macies* dici queat; ubi *Caro simul* minuitur, nec restituitur, *Tabes*. Neque novum est observare homines, quibus sola Pinguedo perit; sed & aliquando, quibus Caro magis, quàm Pinguedo.

Atrophia duplex.

VII. Hæc Atrophia gemina sæpiùs existit *Universalis*, per universum Corpus; infrequentiùs *Particularis* & in determinatis tantùm Partibus *Artubus* præsertim.

Ejus causa.

VIII. Accidit hæc Atrophia crebiùs *Sanguinis*, rariùs *Partis affectæ vitio*.

1. Sanguis.

IX. *Sanguinis culpa* evenit Atrophia, quando is aut *deficit* in corpore universo, vel parte aliqua; aut *ineptus* est Partibus contabescentibus reparandis.

Deficiens in universo corpore.

X. *Deficit Sanguis in Corpore universo* tum propter *Inediam* voluntariam, coactamve; tum propter *Sanguinis Effusionem* qualemcumque notabilem; tum propter *Alimentorum convenientium* defectum; tum propter *Corporis Motum* nimium tum propter *Vigilias* diutiùs continuatas; tum propter *Curas permanentes*; tum propter *Aeris æstum* nimium & diuturnum; tum propter *Alvi Fluxum* protractum.

In parte aliqua.

XI. *Deficit* ferè *sanguis in parte aliqua* propter *impeditum ejus ad vel in Ipsam Fluxum Arteriarumque* adeò ad ipsam tendentium *Dissectionem* aut *Compressionem* qualemcunque, ob *Luxationem Ossium*, *Tumores duros*, *Vincula*, &c.

Ineptus.

XII. *Corpori Continenti*, ejusdemque *Partibus* pluribus, paucioribusve *nutriendis* ac reparandis *ineptus est Sanguis* propter *Qualitatem vitiosam*, *Humoresve Vitiosos*, *Salsos*, *Viscosos*, *Purulentos*, &c. ipsi admistos.

Ob qualitatem vitiosam.

XIII. *Qualitatem vitiosam* retinet sæpe *Sanguis* post *Affectus & Morbos graves* prægressos, *Febres Ardentes*, *Dysenteriam*, &c. aut præsentes adhuc, *Febrem Hecticam* tum *simplicem*, tum *Phthisicam*, lentè *Colliquantem*, vel subitò Corpus consumentem: quamvis & tunc existimem considerandos *Humores vitiosos*, qui notatas *Febres producant*, atque *Sanguinem* insuper *vitiant*, corporique nutriendo *ineptum* reddunt, maximè in *Phthisi Pus* Sanguinem inficiens ac corrumpens.

Ob Humores vitiosos

XIV. *Humorum vitiosorum*, *Salsorum*, *Viscosorum*, *Purulentorum*, &c. *ortum* variis in locis proposuimus, aut proponemus adhuc in hoc Tractatulo, unde peti potest.

2. Pars nutrienda affecta.

XV. *Partium Nutriendarum vitio* accidit Tabes, quoties Ipsæ à quacumque demum *Causa*, & imprimis *Externa*, *Fortuitaque* aliquam sunt passæ noxam, ex *Casu* nempe, *Contusione*, *Vulnere grandi*, &c. unde non tantùm *vasa* per Ipsas delata *rupta* sunt, aut *dissecta*, verùm *Carnes* ipsæ ac *Membranæ*, &c. labefactatæ sunt & vitiatæ; quocirca non tantum *deficit*, verùm *corrumpitur* quoque accedens ipsis *Alimentum*, *Sanguis*.

Tabis causa varia.

XVI. Quam nonnulli *Tabis Causam* quærunt vel ponunt in *Humidi Primigenii*, *Calidive Innati defectu*, aut *Temperamento Insito in calidius*, *sicciusque mutato*, illam ego in *Bile*, *Lympha* quin & *Saliva*, *Succoque Pancreatico* haud fictis, & commentitiis, adeoque Chimæricis, verùm actu existentibus; à multis observatis, sensilibusque Humoribus, sed variis modis mutatis & vitiatis quærendam, inveniendamque arbitror.

Constitutio corporis in extrema Tabe.

XVII. In *extrema Tabe*, præter *Faciem Hippocraticam* dictam, *in Temporibus collapsis Oculorum sedibus concavis*, *Naribus acutis*, *Malis prominentibus & Ore biante* consistentem, *Costæ* in Thorace protuberant, *Ensiformisque Cartilago* incurvata cernitur; *Scapulæ* alarum, & *Claviculæ* arcuum ad instar eminent; *Dorsi spina* se exerit, *Venter* collapsus, contractusque apparet, *Clunes* pendulæ sunt, vel consumptæ; *Crura*, *Brachia*, *Pedes*, *Manusque* cum *Digitis* arida spectantur, & circa *Articulos* Protuberantiæ attolli videntur; *Ungues* curvantur; Pili excidunt;

Cutis-

Cutisque flaccida, corrugata, fusca, & arida existit; *Venæ* interim prominent, undique conspicuæ ac lividæ; *Corpusque* universum tantum non transparens ac pellucidum in quibusdam observatur.

Tabes curatu difficilis. XVIII. Semper *Curatu difficilem*, ac subinde *Incurabilem Tabem*, imprimis, postquam duravit aliquandiu, testantur Medici omnes, ipsique suffragatur Experientia; licèt censeant plerique ipsam in principio haud ita difficulter curari posse, dum innotescat.

Curatur. 1. Sanguinis defectum reparando. XIX. *Curabitur* autem *Tabes* 1. *Reparando Sanguinis Defectum* vel *Universalem*, vel *Particularem*; tum *usurpando Alimenta* optima, & quidem quantitate moderata, tum *amovendo*, *emendandove* singulas Defectus istius *Causas*; de quibus actum est agendumve alibi.

2. Sanguinis vitium corrigendo. XX. Curabitur eadem Tabes 2. *Corrigendo vitium Sanguinis* qualecumque, *Amovendoque* ab ipso *Humores Vitiosos* singulos ipsi admistos per *Evacuantia singulis convenientissima*, *Vomitoria*, *Purgantia* per alvum, & imprimis *Diuretica*, *Sudoriferave*, ut & subinde *Salivantia*: de quibus actum est aliis in locis, unde seligenda sunt quæ hic maximè prosint.

XXI. *Correctio Sanguinis* variis modis alterandi & vitiandi pro vitii varietate variabitur, usurpando medicamenta unicuique vitio maximè apta, ni habeantur ad manus *Corrigentia Universalia*, qualia ex *Mineralibus* & *Metallis*, aliisque ad Animalium partes minùs determinatis parantur efficacissima, ideòque optima, & in specie ex *Antimonio*, *Auro*, *Ferro*, *Vitriolo*, *Coraliis*, *Margaritis*, &c. unde non immeritò laudantur, commendaturque *Tincturæ*, *Sulphura*, &c. ex enumeratis paranda.

3. Partium alendarum noxam reparando. XXII. Curabitur eadem Tabes 3. *Reparando Partium alendarum noxam* per infortunium ipsis factam; de qua re agendum ex professo in Parte Medicinæ Chirurgica.

CAPUT XXXVIII.

De Carnosiore ac Obesiore Corporis Constitutione.

Nutritio nimia in quibus fiat. I. NUtritionem diximus Capite præcedente *nimiam* fieri notabiliter, tum in *Carnosa Musculorum Excrescentia*, tum in *Obesitate* unde totum Corpus observatur amplius; quod æquè non fit, quoties *Viscerum Parenchymata*, vel *Glandulæ* in molem accrescunt nimiam propter quam *Tumores* duntaxat hinc inde producti censentur.

Musculorum carnositas unde. II. Redditur verò *magis carnosus* Corporis Habitus Musculosus à *Sanguine multo & laudabili*; concurrente *Corporis Motu*, exercitioque moderato; *Vita Curis* anxiis vacua; *Somno* mediocri vel protractiore; *Alimentorum* multi Succi ac fermentationis facilis assumptione largiore.

Obesitatis causa. III. *Pinguius* verò & *magis Obesum* tam in habitu ac superficie, quàm interioribus fit Corpus à *Sanguine pinguiore*, ad cujus productionem facit *Corporis Constitutio sana* quidem, concurrente tamen *Succo Acido satis copioso*, *sed blando*, *temperatoque*; *Bile* autem *parciore*, *minùsque acri*; *Motu Corporis* pauco; *Vita* itidem sine *Curis* rodentibus; *Somno* placido & longiore: *Alimentorumque pinguium* assumptione continua & multa.

IV. Rarius quidem gravatur Carne multa vel nimia Corpus, frequentiùs Pinguedine.

Musculorũ carnositatis curatio. V. *Curabitur carnis* Musculosæ *Augmentum nimium*, 1. *Minuendo* subinde *Sanguinem* aperta Vena; 2. *Exercendo valde* ac solito *diutiùs Corpus* ad Defatigationem satis notabilem. 3. Occupando, vexandoque *Animum Curis* gravibus & solicitis. 4. Augendò *Vigilias*, detrahendoque aliquid *Somno*. 5. Usurpando parciùs *Alimenta* multi optimique Succi, horumve loco sumendo, quæ minùs nutriunt, aut difficiliùs fermentantur.

Obesitatis curatio. VI. *Curabitur* autem *Corporis Obesitas*, 1. Usurpando sæpius, satisque abundanter *Condimenta* quævis *acria*, tum *Acida*, tum *Aromatica*, hoc est, *Salsa*, vel *Amara*, quæ tam *Liquores Glandulosos* præstent *Acidiores*, quàm *Bilem* magis *Amaram* & acrem. Talia vero sunt Acetum, Succus Citri, Spiritus Salis, &c. Piper, Garyophylli, Cinnamomum, Macis, Zinziber, Nasturtium, Eruca, Sinapi, Raphanus quivis, & imprimis Rusticanus, &c. 2. *Corpus Movendo* multùm. 3. *Animum torquendo* Curis. 4. *Somno* in dies aliquid detrahendo. 5. Ab *Alimentis Oleosis & Pinguibus* in totum abstinendo: sic enim paulatim non tantùm consumetur Pinguedo superflua sed ejusdem impedietur augmentum novum.

CAPUT XXXIX.

De Cachexia, & in specie, Anasarca, Leucophlegmatiaque.

Cachexia quid. I. QUalitate peccans Corporis Nutritio & potest, & solet *Cachexia* vocari, in qua *Nativus Cutis* & imprimis *Faciei Color languescit*, mutaturque in *pallidum*, & aliquando *flavum* vel *lividum & luridum*, sicut in nonnullis in *rubidum* vel *rubicundum*, exurgentibus tunc ferè simul in *Naso*, *Genisque* varii generis *Pustulis*.

In ea corporis constitutio, & Signa. II. Concurrit in plerisque Cachexiæ speciebus *Dyspnæa*, quæ augetur magis, quoties corpus movetur, imprimis concitatiùs, & in ascensu. Quin tunc sæpiùs *Cordis Palpitatio*, *Arteriarumque circa Iugulum*, *Temporaque Pulsatio*, Visui quoque manifesta, producitur. Accedit frequenter *Universi Corporis*, & *Crurum* præsertim *Lassitudo*. Urget quoque non raro *pressans & angens Cordis Dolor*, qui post assumpta Alimenta intendi solet. Quin adest utplurimum *Febris lenta*, eaque vel *Continua*, vel *Intermittens*, vel ex utraque *Composita*, *Urinæ* sæpiùs *Crudæ*, *Aqueæve* prodeunt, rariùs *Crassæ*, *Turbidæve* ni ab Affectu alio comite, aut externa Causa turbentur ac mutentur. Tandem *Macrescit* & *Contabescit* nonnullis *Corpus* Universum, sicut idem aliis sensim *Turget ac Tumet*, fitque à *Seroso* quidem *Humore Anasarca*; uti à *Pituitoso*, magisque viscoso *Leucophlegmatia*; & ab utroque, priore saltem, quando *Abdomen cum Cruribus* tantùm occupatur, *Ascites*. *Anasarca Leucophlegmatia. Ascites.*

Quos invadat Cachexia. III. Nullis, ac nulli ætati parcit *Cachexia* licèt *Fœminas* propter *diutiùs Morantem*, *Impeditumque*, aut quovis modo *Suppressum Menstruorum Fluxum* corripiat frequentissimè; soleatque sat sæpè comitari *Affectionem Hypochondriacam*, notabilemque ipsius speciem, *Scorbutum*. *Ejus comes.*

Ejus Causa Sanguinis vitium. IV. *Cachexiæ* omnis *Causa* est *Sanguis qualitate vitiosa præditus*, propter quam licèt aliquantùm, & aliquandiu nutriantur Corporis partes non nutriuntur tamen, uti oportebat; sed pro *qualitatis peccantis varietate* modis variis læditur ipsarum nutritio: unde *plures* quoque observantur *Cachexiæ species*, *Coloris mutati*, tum præsertim secundum *Symptomatum* conjunctorum diversitatem distinguendæ.

Vitiatur Sanguis dupliciter. V. *Vitiatur Sanguinis Qualitas* & ab *Humoribus Naturalibus* ad Sanguinis Constitutionem in Corde concurrentibus, sed qualitate vitiosa præditis; & à *Rebus Non-Naturalibus* dictis aliquem ex notatis Humoribus, ipsumque Sanguinem vitiantibus, & ita corrumpentibus, ut prava sequatur Corporis Nutritio.

1. Ab Humoribus vitiosis. VI. *Humores Naturales*, Sanguini confundi soliti, & hactenus noti, sunt *Bilis*, & Glandularum Conglobatarum, cæterarumque Corporis partium *Lympha*, ut & *Saliva*, *Succusque Pancreaticus*, unà cum *Bile* in tenui Intestino juncti, atque Liquorem singularem Lymphæ admiscendum componentes, Ipsique adeò *Spiritus Animales*

les quovis modo Sanguini redditi; quos omnes qualitate vitiosâ tum affici, tum eandem Sanguini communicare posse vix putem aliquem in Arte Medica vel mediocriter versatum, atque Veritati addictum negaturum.

VII. Horum vitia plura notavimus in superioribus, & proferemus adhuc in sequentibus: unde poterunt peti, quæ huc faciunt.

2. A Rebus Non-naturalib s. VIII. Quemadmodum verò varia *Humorum Vitia* nonnunquam *sensim ac sine sensu* producuntur in Corpore, ita eadem quandoque *subitò ac sensibiliter* gignuntur à *Rebus Non-Naturalibus*, aliisve *Venenorum* nomine notandis notabili excessu peccantibus, omniaque in corpore valdè turbantibus, aut corrumpentibus.

Eorum vitia frequentissima. IX. *Vitia* ista frequentissima & manifestissima sunt *Acrimonia* tum *Acida*, tum *Salsa Muriatica*, tum aliquando *Salsa Lixiva*, & *Viscositas*, vel *Fluiditas nimia*: quorum *Causas*, *Generandique modum* non semel proposuimus; explicuimusque in superioribus; quò remittimus Lectorem Studiosum, ne crambe non bis tantùm, ast sæpiùs cocta Mors sit, & nauseam moveat delicatis.

Ratio Symptomatum. X. Memoratorum *Symptomatum ratio* facilè patebit unicuique cogitanti, expendentique, quoties *Sanguis* undecunque tandem fuit factus *Vitiosus* & Cachexiam producens, toties *Humores* nominatos omnes, cùm ex Sanguine ortum habeant, gigni quoque *Vitiosos*; unde non tantùm *Alimentorum Appetitus* uterque similiter vitiatur, sed ipsorum prætereà *Fermentatio*; quapropter *Anxietates circa præcordia*, *Cordisque Dolor pressans* sequuntur tam ante, quàm post ipsorum assumptionem. *Humorum Vitiosorum. Alimentorū appetitus vitiati. Fermentationis. Anxietatū. Cordis Doloris.*

Partium Secretionis vitiata. XI. Dum verò perperam Fermentatorum Alimentorum pars, vel massa tota per Intestinum tenue propellitur, qui confunduntur ipsi *Succus Pancreaticus & Bilis* pariter vitiosi, non tantùm exspectatam *utilium*, *inutiliumque* partium *Secretionem* corrumpunt; verùm contingit quoque vitiosa horumce *Effervescentia*; quin non rarò *Halitus Flatusve* multifarii ex illa vitiosa miscella excitati non tantùm descriptam modò *Anxietatem* augent, verùm ad Cor delati ejusdem *Palpitationem* producunt; atque ad Pulmones translati *Dyspnœam* efficiunt; & quaquaversùm propulsi *Lassitudinem* pariunt notatam. *Effervescentia vitiosa. Anxietatis. Palpitationi. Dyspnaa. Lassitudinis.*

Febris Continua & Lenta. Pulsus frequentioris. XII. Ex eodem Humorum omnium vitio pendet *Continua*, *Lentaque Febris*, quatenus vitiosè in dextro Cordis Ventriculo effervescentes inter alia Symptomata plura *Pulsum* quoque creant solito *Frequentiorem*, adeòque *præternaturalem*.

XIII. Cùm autem propter Inquietudinem Corpus stragulis tectum sæpiùs denudant Ægri, facilè contingit, ut per Pancreatis Vasa Pituita delata ibidem coaguletur, Obstructionemque pariat; propter quam Succus stagnans *Intermittentis Febris* multifariæ Causa existet. Illud autem fiet citiùs, faciliùsque, si Corpus sudore diffluat, porique Cutis pateant, vel Aer occurrat frigidior & asperior. *Intermittentis Febris.*

Urina vitiata. XIV. *Crudæ*, *minùsque Tinctæ*, *Crassæve prodeunt Urinæ* propter *Humores* dictos *Acriores* intimiùs cum Sanguine concrescentes, *Aquosve* abundantes, ac desideratam Effervescentiam minuentes, adeò ut non sequatur requisita & utilis partium excrementitiarum, unaque cum Urinis excernendarum Secretio, multò minùs Excretio.

Coloris Varii in Facie. XV. Quemadmodum autem *Partes* omnes tunc malè *Nutriuntur*, ita *Cutis Faciei* Aeri & Visui præ aliis omnibus exposita noxæ suæ signa promit per *Colorem* pro Humorum maximè peccantium varietate *varium*.

Dolorum. XVI. Quoties autem *Acrimonia Humorum* concurrit, toties illa internè *Doloribus*, aut externè *Pustulis* manifestatur. *Pustularum.*

Hydropis. XVII. Quoties redundant *simul Copia Humores* vitiosi, toties variæ *Hydropis* species tandem succedunt; sin minùs, *Contabescit* paulatim universum *Corpus*. *Tabis.*

XVIII. Quæ in specie solet ob *Menstrua minùs commodè aut tempestivè fluentia Fœminis* accidere *Cachexia*, illius rationem, ac generationem dabimus, si Deus volet, Praxeos hujus Lib. 3. Cap. 3. *Cachexia*

XIX. Ex iis autem, quæ hic & alibi sunt dicta *Cachexiæ Hypochondriacæ* omnis, atque Scorbuticæ productio ab Ingenioso & Judicioso Medico deducetur facilè. *Hypochondriaca productio.*

XX. Ut proinde ad *Cachexiæ Curationem* transeamus, sciendum, si ullibi, certè hic observandum accuratè aureum illud disticho sequenti propositum Præceptum: *Cachexiæ Curatio.*

Principiis obsta, serò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Nisi enim succurratur in tempore Cachexiæ, non rarò ea sensim tam pertinax, rebellisque fit, ut serò tantùm, vel nunquam curari possit. Monendi proinde à Medicis ordinariis, etiam non rogatis, Ægri, ipsorumque Parentes, aut Consanguinei & Amici, quamprimùm incipientis Cachexiæ signa se manifestant in Colore Faciei mutato, ne malum hoc, sicut est in proverbio, negligatur in herba, postquam & altas & eradicatu difficiles mox agere solet radices, quas postmodum non nisi Herculeo labore superare licet.

XXI. *Cachexiæ* autem omnis *Curatio* consistet in *Sanguinis quovis modo vitiosi Correctione ac Emendatione*. Ubi observanda *Vitii species atque Causa* vera, sive illa una sit, vel multiplex. *In quo consistat.*

XXII. Prout igitur hic vel ille Humor primariò & maximè hoc vel illo modo peccans, & ab hoc vel illo in Rebus Non-naturalibus commisso errato pendens Sanguinem vitiavit, Cachexiamque produxit, ita seligenda sunt *Medicamenta* quæ *blandè paulatimque* tum notatum *Humorem*, tum *Sanguinem* ipsum *alterare*, atque ad *Constitutionem naturalem redigere* possint, aut, si planè ac in totum emendari nequeant, eundem *quodammodo saltem Correctum sensim evacuent*: non neglectis interim *Rebus Non-naturalibus*, *aliisve* mala hæc producentibus, aut foventibus; quæ nisi *Corrigantur*, *Caveanturve*, frustra expectabitur optata Curatio fœlix, & Successus agendorum laudabilis. *Humor vitiosus & Sanguis corrigendus, aut evacuandus.*

XXIII. Quibus *Medicamentis* & Formulis laudatæ Humorum variorum Correctiones ac Evacuationes perfici possint, debeantque, non semel ostensum in superioribus; ubi videri poterunt.

XXIV. *Perseverandum* est autem aliquandiu in *Medicamentorum convenientium usu*, ac præsertim, ubi duravit aliquandiu, radicesque fixit Cachexia, segniùs recessura; & quidem in cujusvis Medicamenti proficientis usu, quandiu non tantùm ab ipso bene habet Æger, sed idem absque nausea, & fastidio usurpat: Quamprimùm autem desinit placere, aut prodesse gratissimum licèt, aut optimum etiam medicamentum, mox aliud præscribendum, aliave forma exhibendum. *At in eo perseverandum.*

XXV. In *Diutina* verò *Cachexia* semper conveniunt *Medicamenta Pituitam tenacem ac Glutinosam Corrigentia*, *Evacuantiaque*, postquam omnes *Affectus Diuturni* ab illa vel in totum, vel ex parte saltem pendent. *Diutina Cachexia quibus curetur.*

XXVI. Quòd si *Glutinosæ Pituitæ* copuletur *Humor Acidus*, vel *Salsus Muriaticus*, quod frequentiùs contingit, aut *Salsus Lixivus*, sive *Biliosus*, quod rariùs evenit, conjungenda sunt Medicamenta utrique Indicationi satisfacientia, sæpiùs proposita & laudata, quorum ope nunc citiùs, nunc tardiùs expectari potest Sanitatis amissæ recuperatio.

CAPUT XL.

De Sanguinis à Partibus omnibus ad dextrum Cordis Ventriculum per Venas Refluxu læso, & in specie de Inflammatione.

I. QUemadmodum à *Corde Sanguis* universus per *Arterias* defertur ad *Corporis Partes* *Sanguinis Motus à*

Conti-

Corde versus Corporis partes, & ab iisdem, versus Cor.

Continentes omnes ac singulas, tum ad earundem *Vivificationem* ac *Nutritionem*, *Augmentumque*, tum ad *Humores*; omnes, sive *Contenta* utilia & inutilia quovis modo à reliqua Massa *secernenda*; ita idem post beneficium hoc multifarium multifatiè in Corpus utrumque collatum *residuus* ac superstes, quin multis modis *parte sui aliqua destitutus* aut *effœtus* iterum *ab iisdem Partibus Continentibus* omnibus ac singulis per *Venas* fertur ad *Cor*, ibidem mutua concurrentium Partium variarum *Mistura*, mox *Effervescentia*, & *Rarefactione Vitali renovandus*.

Hujus Motus Circularis quid.

II. Atque hic *Sanguinis Fluxus* ac *Refluxus* reciprocans & alterans *Motus Circularis* nomine jam cluet & claret.

Quot modis lædatur Sanguinis refluxa.

III. *Impeditur* autem nonnunquam in *suo Refluxu Sanguis*, quotiesquis vel *Stagnat*, subsistitque in suis Vasis & viis, vel *Effunditur* extra ipsa, sive hoc fiat *intra vicinarum partium Substantiam* vel *Corporis Cavitates*, sive id accidat *extra Corpus ipsum*.

Quot modis stagnet in Vasis.

IV. *Stagnat in Vasis* suis *Sanguis*, vel ob *Plethoram* summam & ad *Vasa* dicta, vel ob *Angustiam* nunc Ipsorum *Compressione*, nunc *Obstructione* factam.

1. Ob Plethoram ad Vasa.

V. *Plethoræ ad Vasa* mentionem sufficientem fecimus Cap. 36. quæ ibi poterit videri.

2. Ob Compressionem venarum.

VI. *Comprimuntur* ad Sanguinis Refluxum impediendum *Venæ* nunc à *Tumoribus* vicinis durioribus, nunc à *Vinculis* partibus circumjectis, Venasque, quàm Arterias, arctiùs stringentibus.

3. Propter earundem obstructionem.

VII. *Obstruuntur Venæ* nunc ab ipso *Sanguine*, *Pituitave* in ipsis *Coagulatis* ac concretis, nunc quamvis rarissimè, à *Calculo* in ipsis *genito*, sensimque ampliùs aucto.

Cavernosa partium substantiam ad venas referri.

VIII. Ad Venas referri velim *Cavernosam singularum partium substantiam*, per quam ex Arteriis Sanguinem in Venas existimo cum multis maxima sui parte transmeare.

A quibus Sanguis coaguletur.

IX. *Sanguis Coagulatur* & à *Frigore Aeris* vel *Aquæ* intenso partes valdè afficiente; & à *Medicamentis* potenter *Astringentibus*, *Austrisque forinsecùs*, aut *intrinsecùs* Sanguini communicatis, & ipsum Congelantibus.

A quibus Pituita.

X. *Pituita Coagulatur* in dictis Vasis ab iisdem *Causis*, frequentissimè tamen à *Frigore Aeris*, *Aquæ*, *Potus*; aliorumve Partes priùs calentes aut externè, aut internè *subitò infestante*; atque *Pituitam*, *Viscosam* imprimis, quacunque tandem de Causa *in tenui præsertim Intestino solutam*, hinc ad *Sanguinem deductam*, & unà cum ipso *quaquaversùm propulsam* iterum inibi *cogente ac inspissante*.

Quænam Pituitam solvant.

XI. *Pituitam* in tenui Intestino *Solvere* solent 1. *Aer* à Sole, Igne, Balneo, &c. æstuans. 2. *Alimenta*, & ut *Medicamenta* Spirituosa & Aromatica Volatilive Sale abundantia. 3. *Corporis Motus* vehemens; quò Frictiones, ac Tegumenta refero. 4. *Ira* immoderata. 5. *Vigiliæ* protractæ.

Sanguinis è vasis suis effusio.

XII. Ubi notandum, quò plures Causæ concurrunt, peccantque excessu majore, eò faciliùs citiùs, & copiosiùs solvitur & Sanguinem versùs transfertur notata Pituita.

XIII. *Sanguis* autem in nominatis suis *Vasis stagnans* & paulatim *collectus* eadem magis magisque *distendit*, & ita quidem, ut aliquando *rumpantur*, aut quovis modo alio *exitum ipsi concedant*; unde contingit tunc *Sanguinis e Vasis suis Effusio*, sive idem *hæreat in Partium adjacentium Substantia*, sive *colligatur in Cavitate Corporis propinqua*, sive *effundatur in totum extra Corpus*.

Productio Inflammationis & Abscessus.

XIV. In *Vasis Capillaribus*, & forsan *intermedia* quoque ipsis *partium* quarumvis *substantia sinuosa Conclusus* adhuc & *Subsistens*; aut *extra easdem Vias suas consuetas*, sed *apertas* & patentes in qualemcunque *partium ipsarum*, *vicinarumve substantiam porosam*, & *carneam* præsertim, *membraneamve*, aut earundem *interstitia Effusus* & copia mediocri saltèm *Collectus Sanguis* sponte mox *Excandescit* & *Caloris Sensum molestum* in parte fensili producit, ac sensim *corruptus* in *Pus* vel *Saniem abire* solet. Unde prior quidem Mutatio vocatur *Inflammatio*, sicut posterior, *Abscessus* vel *Apostema*.

Inflammatio qui fiat.

XV. Arbitror autem *Incendi ac Inflammationem parere Sanguinem*, quatenus *ex ipso* in Vasis suis valdè distentis, Partibusve quibusvis aliis *subsistente*, hoc est, *stagnante* mox incipiunt *evanescere partes Spirituosæ*, *magisque Volatiles ac subtiles*, tum *Acidas*, tum *Salinas temperare solitæ*; undè *utræque Acriores* factæ *acriùs in se mutuò insurgunt*, *Effervescentiamque ob partes* Sanguinis *Oleosas* prævalentes *Calidam* excitant, quin paulatim *Sanguinem* ita *corrumpunt*, ut in *Pus* vertatur, & quidem pro Sanguinis corrupti varietate planè *varium*.

Pus quemodò generetur.

Empyema qui fiat.

XVI. *Sanguis* in *Cavitatem* aliquam *Humoribus* naturaliter *vacuam*, Pectoris puta, vel *Abdominis Effusus*, ibidemque Collectus & in *Pus* Corruptus *Empyema* constituit.

Sanguis in corporis partes cavas effusus variè mutatur.

XVII. Idem *Sanguis* in *Partes Corporis cavas Ventriculum*, *Intestina*, *Vesicamve*, *Urinariam Effusus*, ob admistos ipsi tunc Humores Varios *mutationem subit variam*, ni brevi ex ipsis expellatur.

Quid Hæmorrhagia.

XVIII. Ejusdem *Sanguinis extra Corpus Effusio*, in genere vocatur *Hæmorrhagia*; licet in specie tribuatur hoc nomen Sanguini è Naribus erumpenti; quemadmodum idem ex Ani vasis effluens dicitur *Hæmorrhois*: Sanguis autem singulis mensibus Fœminis ex Utero stillans, *Mensium Menstruorum*; & *Fluxus Menstrui* nomine gaudet qui verò post partum hac via copiosior evacuari solet, *Lochiorum*.

Hæmorrhois

Menses & Menstrua.

Lochia.

Quinam Sanguinis Effluxus Naturalis.

XIX. Ubi notandum, *nullum* esse *naturalem Sanguinis Effluxum* præter utrumque modò memoratum Fœminis proprium, de quo variis modis lædi solito pluribus agemus, si Deus sinet, Opusculi hujus Libro tertio. Nam Hæmorrhagia omnis alia, sive sponte accidat, sive fortuito eveniat, sive arte procuretur; sive noxia sit, vel utilis; præter ordinarium Naturæ cursum semper contingit; cùm talis à perfectè sanis nulla sit expectanda.

Sanguinis Effluxus causa.

XX. *Causa* proinde omnis *Sanguinis Effluxus* est *Apertio Vasorum* qualiscunque, sive illa fiat ex nimia *Vasorum* à copioso, valdè rarefacto aut retardato Sanguine, Flatibusve, *Distensione*: sive ab Humoris aut in Vasis, aut extra ipsa subsistentis *Acrimonia rodente*, sive à *re dura & acuta vulnerante*, *obtusave contundente*, aut quovis alio idem contingat modo.

XXI. De plerisque Sanguinis præter naturam è Vasis suis Effusi Causis & Curatione agendum alibi; hoc Capite *Inflammationis Essentiam* persequemur, ac *Curam*.

Inflammationis curatio.

XXII. Ad *Inflammationis* ergò, hinc & *Abscessus* secuturi *Curationem* requiritur 1. ut *Compressio vel Obstructio Vasorum tollatur*. 2. ut *Subsistentis*, *stagnantisque Sanguinis Motus restituatur*, 3. ut *Sanguis* è Vasis suis *effusus*, si fieri potest, antè sui suppurationem inde *removeatur*. 4. si removeri, atque adeò *Suppuratio* impediri nequeat, ut eadem *maturetur*, *promoveaturque*. 5. ut *Puris producti Eductio festinetur*. 6. ut *Ulceris mundatio & consolidatio* quàm citissimè *absolvatur*.

1. Vasorum Compressio qui tollatur

XXIII. I. *Vasorum Compressio* à *Vinculis* arctiùs partibus circumjectis tolletur, illis sublatis; à *Tumore duro*, eodem curato, de quo alibi docendum.

Ut & earundem obstructio.

XXIV. *Obstructio* verò *Vasorum* à *Pituita Viscosa* vel *Sanguine* in ipsis *Coagulatis Curabitur* usurpando tam internè, quàm externè *Medicamenta* peccantem Humorem *solventia*, iterumque *fluxilem facientia*.

Internè Salibus Volatilibus.

XXV. Inter *Interna* conducunt præ aliis omnibus *Salia Volatilia* ex variis Animalium partibus parata, quippe quæ omnia & singula vi egregia pollent Coagulata & Conglutinata omnia in corpore humano dissolvendi, eademque ad pristi-

nam

ſnam fluiditatem reducendi, atque inſuper Sudorem movendi; quo ſimul blandè promoto multò faciliùs, citiùs, fœliciùſque obtinetur deſiderata illa & amabilis Coagmentatorum Reſolutio.

Pleuritis Sudorifero curata.

XXVI. Hinc eſt, quòd exhibito tempeſtivè unico ſæpè Sudorifero ex laudatis Salibus Volatilibus, aut ſimilibus paratn, Pleuritis, Lateris nempe Inflammatio, abſque ulla Venæ apertione, Sanguiniſque miſſione fuerit fœliciſſimè curata.

Ut & Peripneumonia.

XXVII. Hinc eſt, quòd Miſturæ ex ſimilibus paratæ, atque cochleatim per intervalla brevis in tempore uſurpatæ tum Pleuritidem, tum Peripneumnniam, tum aliarum partium Inflammationes citò, tutò & jucundè curaverint.

Miſtura Sudorifera in Inflammatione.

XXVIII. Exemplum Miſturæ talis Sudnriferæ in Iuniorum Medicorum gratiam ſequentem dabn, quæ.

℞. Aq. Petroſelin,
Hyſſopi,
Fœniculi, an. unc. j.
Theriac. Simpl. unc. ß.
Spir. Snlis Armoniac. ʒß.
Laud. Opiat. Gran. iiij.
Syr. Papav. errat. unc. j.
M.

Ejus Uſus.

XXIX. Poteſt Spiritus Salis Armoniaci loco uſurpari Sal Volatile Cornu Cervi, vel aliud quodvis, ac pro ejus acrimonia minore, majoreve ipſius plus, vel minus Miſturæ addi, atque quantitate majore, minnreve vicibus ſingulis capi, corpuſque in loco calido, lecto præſertim, contineri ad Medicamenti vim quaqua versùm promovendam & Subinde Sudnrem facilitandum; quamvis haud ſit opus Sudorem continuò excitare; cùm non proſit, niſi quatenus tunc faciliùs, citiùſque ad locum affectum & obſtructum penetrant vis Medicamenti volatilis & ſalina.

Quanā ad Salem Volatilem referenda.

XXX. Ad Salem Volatilem referri poſſunt ac debent Oculi Cancri, Mandibulæ Lucii, Os de Corde Cervi, &c. cùm ipſo abundent.

Inflāmationi cōducere Sulphura Metalica et Mineralia.

XXXI. In hoc caſu conducunt quoque Omnia *Sulphurn Metallicn & Mineralia, ſed fixn*; quocirca etiam huc refertur *Antimonium Diaphoreticum* ad fixitatem aliquam deductum; quamvis hæc pluribus nominibus hic conveniunt.

Ut & Salia Volatilia ex Plātis Scorbuticis.

XXXII. Nec tantùm conferunt hic *Animalium Salia Volatilia*, ſed omnia ex variis *Plantarum Scorbuticarum* dictarum & acrium partibus petita, eorundemque vim æmulantia, uti ſunt Sncci Eryſimi, Cochleariæ, Naſturtii & hortenſis & aquatici, Taraxaci, &c. Aquæ Theriacales dictæ, &c. dummodò vim habeant Pituitam Coagulatam vel Sanguinem Concretum ſolvendi & diſſolvendi.

Obſtructio externè tollitur Unguentis & Oleis, & Spiritu Vini.

XXXIII. Inter *Externa* cnnveniunt *Unguentum* Martiatum, Althææ compoſitum, &c. *Oleum* Liliorum alborum, Chamæmelinum, Anethinum Laurinum, Laterinum, vulgò Philoſophorum dictum, &c. quæ commodè poſſunt ſimul miſceri & affectæ parti externæ inungi; præmittendo vel addendo ſubinde *Spiritum Vini* rectificatum, tam ſimplicem, quàm compoſitum, modiſque variis Aromaticum.

Et Cataplaſmatis Diſſolventibus.

XXXIV. Poſſunt quoq; in hoc Caſu applicari externè *Cataplnſmata*, ſed magis *Diſſolventia*, quàm Emollentia, vel Maturantia dicta; quæ nimirum Humorem Coagulatum, Sanguinem, Pituitamve Incidant & Solvant, ex partibus nempe Plantarum Acrium & Aromaticarum parata. Exempli loco eſto ſequens.

Cataplaſma.

℞. Cœparum ſub Cineribus aut fictili unſenſarum & contuſnrum, ℥ij.
Fol. Eryſimi,
Cærefolli,
Naſturt. hort.
Sambuci, an. M. ß.
Farinæ Fabar.
Lupinor. an. ℥j.
Nidi hirundin. N. j.
Albi græci, ʒj.
F. ſ. a. Decoctio in Lacte ebutyrato ad Cataplnſmatis Conſiſtentiam.

Ejus Uſus.

Hoc Cataplaſma mediocriter calens affectæ parti eaternè applicandum; cujus npe internæ quoque Obſtructiones ſolvi poterunt: Obſervandum verò, renovandum ipſum, quàmprimùm exſiccari occipit.

2. Sanguis Stagnans rurſum moveatur.

XXXV. 2. *Sanguini Stagnanti* & in Vaſis ſuis Subſiſtenti deſideratus *reſtituitur Motus* plerumque ac fœliciſſimè *Sudoriferis*, aliquando *Venæ ſectione, Sanguiniſque miſſione*.

Sudoriferis.

XXXVI. *Sudoriferis*, quatenus ipſorum ope nnn tantùm *fluidior, mobiliorque* fit *Sanguis*, ſed inſuper *actu movetur* idem magis magiſque rarefactus *à Volatili Sale* iiſdem inexiſtente, *Sanguinemque* ſola ſui mora ſenſim plùs minùs ab *Acido ſuo Spiritu concreſcentem* iterum *ſolvente, diducente*, ac proindè *agitnnte*.

Sudori comes Pulſus frequentior & robuſtior

XXXVII. Hinc eſt, quòd *Sudori comes* ſoleat eſſe *Pulſus* tam continuò *Frequentior*, quàm ſubinde ſimul *Major & Robuſtior*; ni concurrat extrema Virium dejectio: tunc enim & *Minor*, & *Languidior* Pulſus Frequentiori jungitur.

XXXVIII. Dum enim ad dextrum Cordis Ventriculum pertingit Sudnriferorum Sal Volatile, ibidem ampliùs, potentiùſque rareſcit Sanguis, ac non tantùm ſponte ſibi quærit exitum verùm Cordis Ventriculum ampliùs expandendo ipſum & ad Frequentiorem, & ad Validiorem ſui Contractionem, Sanguiniſque adeò expulſionem ac propulſionem irritat & cogit Sanguinemque ideò priùs in Motu ſun paulatim deficientem ſuſcitat, commovet, & quaquaversùm à Corde promovet.

XXXIX. Ubi autem laudata illa Sudoriferorum Vis uſque ad Obſtructionis locum pervenit, Materiam obſtruentem quamcunque aggreditur, incidit, attenuat, ſolvit, fluxilemque facit; unde accedente Sanguinis potentiùs agitati & adpulſi impetu faciliùs, fœliciùſque unà cum ipſo propellitur ulteriùs.

Sanguis Stagnans ad motum impellitur Venæ Sectione.

XL. *Venæ ſectione* autem, *Snnguiniſque miſſione reſtituitur Stagnanti Sanguini ſuus Motus*, quatenus in educti locum transfertur vicinior, atque facto ſic Univerſo Sanguini ſpatio ampliore mnvetur quoque Sanguis omnis tum celeriùs tum potentiùs; quocircà & ille, qui priùs in Vaſis ſuis ſtagnans ſubſiſtebat, nunc verò ſublata Plethora non ſiſtitur ampliùs, ad motum interruptum, valdè ſaltem diminutum redintegrandum potentiùs concitatur, & juvatur; ni hoc impediat Obſtructio gravior, & Soli Sanguini vehementiùs moto cedere neſcia, ſed inſuper incidentium & obſtruentem humorem diſſolventium indiga.

XLI. Tunc autem poſt Sanguinis detractionem ſufficientem ntile eſt vicibus paribus & cochleatim exhibere Miſturam Sudnriferam, & Incidentem, qualem §. 28. notavimus; ſive ad ejus aſſumptionem levis aut nullus ſequatur Sudor, dummodò rebellis ſolvatur, tollaturque Obſtructio.

3. Sanguis in partium Subſtantiam effuſus inde removeatur.

XLII. 3. *Snnguis è Vaſis ſuis Effuſus*, ac per *Vicinorum partium Subſtantiam diſperſus*, ſi removeri queat, in totum aut ex parte quantocyùs *inde removendus*, *impediendo* idcircò ipſiùs *coagulationem*, atque potenter *diſſolvendo partes* ipſius *craſſiores, diſcutiendoque tenuiores*, ac *temperando* inſimul *acriores*; idque tam internis medicamentis; quàm externis.

Ejus Coagulationem impediendo & diſſolvendo.

XLIII. *Sanguinis Coagulationem impediunt* Oculi Cancri. Antimonium Diaphoreticum, Mumia, Sperma Ceti, Gummi Galbanum, Sagapenum, &c. Opium, Cerevisia Joppenſis dicta, &c. Quin ex nominatis pleraque *diſſolvunt* prætereà *Craſſiores Snnguinis partes*, *diſcutiuntque Tenuiores*, ac inſuper *temperunt Acriores*, imprimis ubi aliis junguntur, quæ ipſorum vim promovent, augentve. Ex. gr.

℞. Aq.

Mixtura.

℞. *Aq. Hyssopi,*
Fœniculi, aa. ℥ ij.
Aceti stillat. ʒ vj.
Spiritus Vini rectificati, vel cujusvis Aromatici, unc. ß.
Ocul. Cancri, ʒ j.
Spermat Ceti,
Mumiæ Alexandr. aa. ℈ j.
Laud. Opiat. Gran. iv.
Syr. 5. rad. unc. i ß.
M.

Ejus Usus, & Vires. Hujus Misturæ assumat sæpiùs Æger Cochleare unum: Cujus ope non tantùm impedietur Sanguinis Effusi Concretio, sed partes ipsius Crassiores incidentur, attenuabunturque paulatim; Tenuiores autem unà cum Sudore aut insensili Transpiratione Discutientur continuò; quin temperatis ejusdem partibus acrioribus Dolor lenietur, *Et Laus.* tandemque in totum tolletus; ipsaque adeò solvetur ac dissolvetur Obstructio: Quali sola in tempore, atque diligenter usurpata curatæ sunt non semel incipientes Pleuritides, ac Peripneumoniæ, aliarumque Partium Inflammationes satis graves, atque anxietatibus, doloribusve acutis molestæ.

Unguenta. XLIV. Parti affectæ inungi post *Unguentum* Martiatum, de Althæa compositum, aliudve Aromaticum quodvis; quò referendum quorundam Butyrum Majale dictum, atque cum Plantarum Aromaticarum Succo paratum; additis quandoque *Oleis* *Olea.* itidem Aromaticis, Laurino, Anethino, aliisve potentioribus, aut stillatitiis, Terræ, Terebinthinæ, Succini, Laterino, &c. sed minori quantitate.

Emplastrū de Spermate Ceti. XLV. Inter *Emplastra* meritò laudatur *de Spermate Ceti* dictum, quod.

℞. *Ceræ albæ,* ℥ iv.
Spermat. Ceti, ℥ ij.
Gum. Galb. aceto dissol. ℥ j.
M. f. s. a. Emplastrum, per quod liquatum trahatur tela, fiatque vulgò dictum Spanadrapum, utrimque alternatim applicandum.

Spanadrapum.

Ejus vires. Hoc Emplastrum egregium non tantùm sanguinem in externis corporis partibus omnibus sed Lac quoque in Mammis à coagulatione præservat quin non ratò mediocriter coagulatum iterum solvit & discutit, aut restituit.

Fotus. XLVI. *Fotus* quoque conducere possunt ex Plantis Aromaticis & potenter discutientibus in Aqua, Vinove coctis parati, addendo subinde usus tempore aliquid Spiritus Vini. Ex. gr.

℞. *Rad. Bryoniæ,*
Apii,
Filicis, an. ℥ ij.
Fol. Sambuci,
Eupator. Cannab.
Chamædryos,
Menthæ,
Absinth. an. M j.
Flor. Melilot.
Chamæm. Rom. an. M j ß.
Sem. Cumini,
Bacc. Lauri, an. ℥ j.

Ejus Usus. Crassè contusa omnia Coquantùr ex Aqua pluviali, sed igne lento, atque vase clauso. Serventur ad Usum.

XLVII. Usurpari potest hic Fotus, infuendo sacculo, sacculisve contusas plantarum partes, atque post coctionem exprimendo liquorem superfluum, applicandoque Sacculos mediocriter calentes parti affectæ; ubi tamdiu relinqui debent, quamdiu calent; postquam verò à tepore deficiunt removendi sunt, & alii calentes applicandi. Potest etiam Pannus laneus, vel Spongia mollis & partem affectam tegere apta Fotui calenti imponi mox expresso liquore superfluo parti dolenti applicari, atque, sicut modò dictum, aliquoties renovari. Quin potest quoque Vesicæ bubulæ ab urethra sua resectæ ac in aqua tepida emollitæ infundi Fotus tantum quantum requiritur, ut, postquam funiculo revincta est pars collo suo privata cuivis parti laxè applicari possit Vesica fotu turgidula, non tamen plena vel distenta: sic enim prævenitur omnis noxa e madentibus, moxque frigentibus indusiis, aliisve linteis corpori contiguis facilè contingens.

XLVIII. Horum ergò medicamentorum variorum ope commemoratis satisfiet Indicationibus; neque ipsis præcavebitur duntaxat, reparabiturve Sanguinis Coagulatio; sed insuper attenuabuntur partes ipsius crassiores, incrassatæve; discutienturque ac per insensibilem transpirationem educentur foràs tenuiores; quin temperabuntur acriores si quæ tales mox simul dissipari nequeant, quò & tandem evanescant ipsæ paulatim, possint saltem faciliùs, fœliciùsque ad suppurationem perduci.

XLIX. 4. Ubi in talem, tamve profundum locum effusus est Sanguis, ex quo citra Suppurationem & Abscessum amoveri nequeat commodè promovenda erit & acceleranda *Puris confectio ac generatio.* *4. Sanguinis in Pus mutatio promovetur.*

L. Hoc præstant omnia *Medicamenta Emollientia & Maturantia* vulgò dicta, *Radices & Folia* Althææ, Malvæ, Liliorum alborum, Branca Ursina, Atriplex, Mercurialis, &c. *Semina* Lini, Fœnugræci, Althææ, &c; horumve *Farinæ* ut & Hordei, *Caricæ* pingues, *Axungia* humana, suilla &c. *Pinguedo* Anseris, Gallinæ, Vitulina, &c. *Ossium* omnium *Medula*, *Butyrum* quodvis, *Oleum* Olivarum, Amygdalarum dulcium, ac penè omne ex variis seminibus, nucleisve expressum, aut cum floribus emollientibus decoctum, &c. *Emollientia & Maturantia Medicamenta.*

LI. Ubi *Humores Pituitosi & Viscosi* conjuncti sunt Sanguini, præcedentibus addenda sunt Cæparum, Squillæ, &c. Bulbi, & aliquando Gummi Bdellium, Galbanum, Ammoniacum, &c. Styrax liquidus, Cera, Terebinthina, Mel, & similia plura. *Humo es Pituitosi & Viscosi Sanguini conjuncti quid insuper requirant.*

LII. Ex his autem commodissimè parari solent *Cataplasmata.* Ex. gr. *Cataplasma*

℞. *Farin. rad. Althææ,*
Hordei, aa. ℥ ij.
Fol. Malvæ,
Brancæ ursinæ, an. M. iij.
Sem. lini, ejusve farinæ, ℥ i ß.
Caricarum ping. concis. N. x.

Coquantur igne lento ex Aqua pura, Cerevisiave tenui, aut, *urgente Ardore summo*, ex Lacte ebutyrato ad Humiditatis consumptionem ac Decoquendorum emollitionem; tunc Contusis exactè omnibus adde.

Axungiæ porcinæ,
Butyri recentis, an. ℥ i ß.
M. f. Cataplasma.

LIII. Ubi *Glutinosa Pituita* immixta est Sanguini, & *Ardorem* in parte parit *leviorem*, tunc sequens paretur. *Aliud Cataplasma.*

℞. *Cæparum sub Cineribus coctarum, hinc & contusar. unc.* iv.
Farinæ Fabarum,
Sem. Fœnugræci, an. unc. iij.
Flor. Chamæmel. Roman.
Sambuci, an. M. i ß.
Coq. s. a. ex Cerevisia tenui, vel Aqua pura, ut fiat Cataplasma.

LIV. Ubi æstus magnus adest in parte Inflammata, *nec pinguia ferre possunt Ægri*, cavendum sedulò ab omnibus Oleis, & Oleosis; quin tunc semper utile observavi *Lac ebutyratum*, hoc est, Lactis Cremoris ebutyrati serum, in quo si fiat Decoctio, Cataplasma hujus vi Æstum temperabit egregiè, quinnè *Inflammationi facile copuletur Erysipelas*, impediet. *Lactis Ebutyrati Vires.*

LV. Si magis arrideant Ægris *Unguenta*, *Emplastrave*, nec à pinguibus lædantur; inungi poterit semel aut sæpiùs pars dolens *Unguentis* Agrippæ, de Althæa simplici, vel Composito, Pectorali, &c. aut solis, aut additis *Oleis* convenientibus, Lilior. alb. Amygdalar. dulc. & similibus ad Linimenti consistentiam redactis; ac mox ei imponi *Unguenta, vel Emplastra.*

poni

poni *Emplastrum* Diachylon simplex, & aliquando cum Gummi, ut & Mucilaginum, imprimis ubi multa Pituita, eaque viscosa scatet Corpus, & Sanguis.

5. Pus educitur.

LVI. 5. His aut similibus medicamentis promota & absoluta *Puris* Generatione, *non est procrastinanda Ejusdem Eductio*, cùm ipso præsente Dolor perseveret, educto minuatur; quin Pus morâ reddatur acrius, ideòque nocentiùs, atque ab ipso partes vicinæ magis, magisque corrumpantur, sicque Ulcus majus, adeòque curatu difficilius efficiatur: imprimis quando Vasa vicina corroduntur à Pure illo acriore facto, & natura sua existente acido.

Apostema in parte affecta.

LVII. Rariùs quidem sponte, nec nisi tempore longiore aperitur Apostema profundiùs hærens: quapropter, ubi ex partis affectæ Mollitie tactui manifesta, ut & Rubedine ac Dolore diminutis Puris perfecti præsentia innotuit quoties licet, aut *Cultello* acuto, aut potentiali *Cauterio* parandus Puri exitus, & quidem in loco Tumores maximè molli ac declivi.

Valla Cultello, vel Cauterio Potentiali.

LVIII. Quòd si neutrum admittat Æger, aut delicatulus, aut morosus, danda opera, ut versùs corporis superficiem alliciatur Pus, quò citius ab Ipso perforetur corrosa Cutis, cui usui serviet Emplastrum sequens mihi sæpè probatum quod,

Vel Emplastro.

℞. *Mellis Opt.*
Farinæ secal. an. ℥j.
Vitell. Ovi N. j.

Ejus Usus.

Imponantur igni blando, & agitentur ad Emplastri consistentiam: Extendatur supra linteum densum, & applicetur parti affectæ, indies renovando.

Ficus contusi.

LIX. Possunt *Ficus* etiam contundi & Cataplasmatis modo calidæ applicari loco Tumoris maximè molli ac eminenti, quò sic facilitetur & promoveatur Abscessus apertio.

Qua ratione Pus educendum.

LX. Ubi autem Puris multùm continetur in Abscessu, cavendum sedulò, ne omne unâ vice educatur, sed partitim; quoniam vires Ægrorum non parùm prosternuntur aliàs. Ubi verò Puris parùm adest, nil nocet omne effluere, quo aptum est, paratumque, ut effluat; omissa pressione forti, vel diutina, multis Chirurgis familiari à qua nunquam observavi aliquid commodi evenisse Ægris, sæpiùs multum commodi. Quoties autem in loco ab apertione remotiore Pus hæret, aut sinuoso duntaxat ductu ad locum apertionis fertur, toties licet, convenitque partium pressione blanda ipsum propellere foràs.

6. Ulcus mundatur & consolidatur. Bals. Sulphuris compositi vires.

LXI. 6. Via Puri facta & aperta pergendum statim ad *Ulceris Mundationem* ac *Consolidationem*; in quem finem varia solent adhiberi medicamenta, quæ omnia nec culpo, nec carpo. Ego sæpiùs cum admiratione consideravi *Balsami Sulphuris* Terebinthinatii, Anisati, &c. effectum in hoc casu laudabilem, multisque incredibilem, si ejus aliquid Ulceri instilletur, aut illinatur. Mox enim novi Puris generatio ita fuit inde diminuta, ut non rarò hujus unius Balsami ope intra paucos dies plenè curata fuerint & in Mammis & alibi excitata post Inflammationes Apostemata notabilia.

In quo consista Ulceris Mundatio & Consolidatio.

LXII. Ex hoc autem Experimento haud parvi pendendo censui Ulcerum Apostemata consequentium Mundationem ac Consolidationem consistere in *Correctione Puris acidi, rodentisque* Ulceratæ parti adhærentis, atque Sanguinem ipsi nutriendæ dicatum ex parte saltem corrumpentis, ac in novum Pus vertentis: *Corrigi* verò illud *Pus* parti affectæ adhærens à *Sulphuris Balsamo* laudato imprimis ratione *Olei Aromatici*, adeòque *Sale Volatili Oleoso* abundantis; à quo Spiritus Acidus in Pure luxurians, quin Sanguinem in Pus indies corrumpens non tantùm obtundatur, sed insuper mitigetur, emendeturque ita, ut affluens Sanguis partes priùs consumptas brevi reparet, Consolidationemque ultimam expediat.

Qua ratione Pus corrigatur à Sulphuris Balsamo.

LXIII. Quid ex hoc Experimento ampliùs deduci queat ad Medicinam in aliis quoque perficiendam expendant, judicentque tum Medici tum Chirurgi & Ingeniosi, & Iudiciosi. Adderem libens plura, ni multa, operosaque negotia mea denegarent mihi ad rem hanc, & alia peragenda otia necessaria.

CAPUT XLI.

De Spirituum Animalium in Cerebro, ac Cerebello Generatione aut Secretione læsa.

Sanguis non tantum Partium Continentium sed etiam Contentorum materia.

I. NOn tantùm *Partibus* corporis consistentibus ac *Continentibus* nutriendi ac restaurandis, verùm fluidis quoque ac *Contentis* ubivis *præparandis ac reparandis materiam subministrat Sanguis.*

In Cerebro Spiritus Animales a Sanguine secerni.

II. In *Cerebro* namque, ac *Cerebello* (sicut docuimus Disput. nostr. Med. IV. §. 28. & seq.) *Secernitur à reliqua Sanguinis massa Spiritus Volatilis Animalis* nomine mox indigitandus; qui quamvis Oculis corporis forsan non cernitur, ac sentitur. Ratiocinatione tamen solida, eaque multiplici demonstratur Menti.

Hæc Secretio quot modis lædatur.

III. Hæc *Spirituum Animalium Secretio*, vulgò Generatio dicta, læditur, 1. quando *Nulla*, vel *Parcior* saltem contingit, 2. quando *Nimia* forsan, vel *Copiosior* fit. 3. quando *Male affecti* prodeunt Spiritus.

1. Quando Nulli secernuntur Spiritus.

IV. 1. Si aliquando *Nulli* secernantur Spiritus Animales, Hominem diu superesse posse haud fit mihi verosimile, quin mox ipsum Motu, Cordis præsertim atque Thoracis, Diaphragmatisque destitutum extingui arbitror.

Vel Pauciores.

V. Sæpiùs *Pauciores* à Sanguine secerni Animales Spiritus satis manifestum, & quidem nunc *Sanguinis*, nunc *Cerebri*, *Cerebellive culpa*.

Quod fit quando Sanguis parum Spiritus in se continet. Vel ei penitus inhæret.

VI. *Sanguinis* culpa hoc fit, 1. si is *parum Spiritus Volatilis in se contineat*, propter *Alimenta similia* diutiùs vel ultrò, vel fortuitò, val vi usurpata.

VII. 3. Si massæ *Sanguineæ is penitùs inhæreat*, propter *Alimentorum Fermentationem in Ventriculo deficientem*, aliudve simul assumptum *Spiritus cum Sanguine intimiùs uniens*, quale puto *acerbum* omne atque *austerum*; quò etiam videntur facere inter Causas evidentes, 3. *Animi Mœror*, ac *Metus* magnus, & imprimis permanens; 4. *Pigritia*, *Desidia*; & *Corporis quies*; 5. *Animus laxus* & nulla re occupatus; 6. *Somnus longior & profundior*, &c.

Quando Cerebri Substantia extima non satis est patula.

VIII. Si clarè ac distinctè assequeremur, ac conciperemus, quo modo & ratione sit affectum *Cerebrum ac Cerebellum* ad Spirituum Animalium Secretionem ritè absolvendam, non ita difficulter forsan determinare possemus, quo vitio idem laboret, quoties ipsius culpa læditur ac minuitur illa Secretio.

IX. Utique *patulum & satis patulam desiderari extimam Cerebri, Cerebellique Substantiam* quò per ipsam *penetret, coleturque* quasi *Sanguinis pars maximè spirituosa*, qui concesserit, *eandem solito compactiorem percolationi laudatæ ineptam* futuram concedet idem me judice.

Et quidem ob Frigus.

X. Hanc Causam videtur confirmare, quin probare *Frigus Aeris*, *Aquæ*, *Nivisve* caput vehementer afficiens; à qua non tantum Gravedo sed parcior quoque Spirituum Animalium productio sequi solet. Quemadmodum autem in Gravedine Glandulas Cerebri observamus affici & cogi à Frigore haud semper valdè magno; ita in Animalium Spirituum Secretione diminutà existimem ipsum Cerebrum ac Cerebellum affici malè à Frigore valdè intenso substantiam ipsius mollem compingente, ac secundùm ejus porosos ductus ipsam cogente & coarctante.

Non semper eodè modo affici à Fri-

XI. Quamvis autem non negem à Frigore externo, eoque magno affici posse malè ipsum quoque Sanguinem ad Cerebrum tendentem, quin

que caput, Cerebrum, et Sanguinem in capite existentem.

quin coagulari eundem aliquando tunc in suis vasis; non sequetur autem in tali Sanguinis Coagulatione Spiritnum Animalium Secretio diminuta duntaxat; quin maximè Sanguinis motus impeditus, mox & Inflammatio, & quicquid talem in Capite Inflammationem solet comitari valdè grave; quod tamen in Animalium Spirituum Secretione à frigore impedita non observatur semper: unde patet non semper modo eodem affici à frigore Caput, atque Cerebrum, aut Sanguinem in Capite repertum.

Frigus tam externum quàm internum hanc secretionem impedire.

XII. Quemadmodum verò *Frigus externum* (hoc est, quod frigus in nobis producit, atque in Aere, Aqua & Nive reperitur) Animalium Spirituum Secretionem impedit; ita videtur *Frigus internum* (hoc est, quicquid existans in nobis Sensum frigoris producit ibidem, in febrium purà Intermittentium initiis) *Secretionem Spirituum Animalium itidem impedire*, unde ad Animalem Motum, quin omnes Functiones Animales dictas obeundas plerumque inepti sunt frigore febrili vehementi correpti.; Quod arbitror

Et qua ratione.

Ego fieri à frigus parientibus halitibus unà cum sanguine ad Caput delatis, & partim Sanguinem quidem austeritate sua cessioni partium spirituosarum ineptum reddentibus, partim Cerebri substantiam externam compingentibus, porosve ipsius sinuosos angustantibus, sicque parti sanguinis maximè Spiritosæ transitum ex parte saltem denegantibus.

2. Quando copiosiùs secernuntur Spiritus.

XIII. 2. *Copiosiùs* videntur *Secerni à Sanguine Spiritus Animales* in Hominibus Corpore, Animove Gaudio præsertim & Ira vehementer agitatis.

XIV. Hujus auctæ Spirituum Animalium Secretionis *Causa* quærenda, inveniendaque nunc in ipso *Sanguine*, nunc in *Cerebri*, *Cerebellique Poris* sinuosis.

Quod fit quando Sanguis abundat partibus Spirituosis.

XV. In *Sanguine*, quoties idem *abundat partibus spirituosis*, *Potui* præsertim generoso & spiritu volatili turgenti liberaliùs usurpato debitis; & ab *Aere sereno ac mediocriter æstuante* ad spirituosarum partium secessum aptior redditur; accedente imprimis *Corporis motu concitatiore*, *Animive Affectu gravi* omnia vehementiùs in Corpore foràs propellente; quales sunt præ aliis *Gaudium & Ira* mediocritatem excedentia.

Et Cerebri Sinus porosi sunt patentiores.

XVI. A quibus non tantùm Sanguis ad Spirituosæ partis secessum copiosum fit aptissimus, sed *Cerebri* quoque *Sinus porosi vel Pori sinuosi* redduntur *patentiores*, ideòque ad Spiritum Animalium copiam majorem faciliùs transmittendam convenientiores.

3. Quando malè sunt affecti.

XVII. 3. *Malè affecti*, *Depravative* censendi Animales Spiritus, quando 1. *nimiùm Torpidi*, *Agitative* sunt, aut etiam *perperam Moti*; quando 2. *Impuri* sunt & à re quavis præter naturam ipsis admista *Inquinati*.

In quibus id observes.

XVIII. Animalium Spiritunm Torpor, vel Agitatio nimia, Motusve inordinatus observatur facillimè in *Animali Motu* tunc simul læso, uti eorundem Impuirtas & Inquinatio in *Sensibus* tam *Internis*, quàm *Externis* inde læsis.

Torpidi.

XIX. *Torpidi* & ad Motum inepti sunt Animales Spititus ob *Vim Narcoticam* ipsis admistam, vel in *Corpore* paulatim *productam*, vel forinsecùs *introductam* nunc ex *Aere inspirato* & Carbonum fumo inquinato, nunc ab *Alimentis Medicamentosis*, Potu generoso præsertim ac inebriante, ipsisve *Medicamentis*, Opio puta, omnibusque Opiatis perperam, hoc est, immodicè cujusvis respectu assumptis, vel applicatis

Agitatiores

XX. *Agitatiores*, nimisque moti occurrunt Animales Spiritus, & ob *Aerem* valdè *æstuantem*, & ob *Alimenta* multùm *Spirituosa* copiosiùs, non tamen in excessu maximo usurpata, & ob *Desatigationem Corporis* continuatam, & ob *Vigilias* diùtiùs *Protractas*, & ob *Animi solicitudinem perseverantem*, & ob *Iram vehementiorem*.

Perperam moti.

XXI. *Perperam Moventur* Animales Spiritus frequentiùs in *Vertiginosis*, dum subinde *Objecta*

Deleboe Opera,

ipsa, subinde *Locus*, in quo stat, sedet, aut decumbit Æger, subinde lapsus *Æger*, subinde hæc omnia simul creduntur in orbem verti ac circumgyrari. Huc referendus quoque *Affectus*, in quo se aut reverà *præcipitari & cadere*, aut saltem *in casus ac præcipitationis periculo versari* existimant Ægri, rogantque, ut prehensi firmentur contra præcipitationem, casumque me tutum non tantùm infantes, sed adulti quoque.

XXII. *Vertiginosi* Animalium Spirituum *Motus* causa nunc est *Externa*, attentus nimirum Objecti rotati visus, vel etiam aspectus itidem attentus rerum valdè remotarum, vel sublimium vel profundarum: nunc *Interna*, Corporis ipsius Gyratio diutina; quæ Causæ omnes sunt *manifestæ*: præter quas nonnunquam occurrunt aliquæ magis *occultæ*, Halituum puta, Flatuumque atcensus ad Caput, à quibus parti Sanguinis spirituosæ junctis, & unà cum Animalibus Spiritibus in Cerebri, Cerebellique Ductus translatis Motus rotationis (quo agitati sunt) communicatur Spiritibus Animalibus, sicque produci videtur Vertigo. *Vertiginosi.*

XXIII. Aliquando vehementer conturbata atque *panico* præsertim & *vano terore concussa Mente* conturbantur quoque Spiritus Animales, agitatique nimiùm corpus reddunt vacillans, producuntque illum, de quo mox, Casus metum nulli rationi, vel ratiocinationi cedentem. *Conturbati.*

XXIV. *Impuri* redduntur Spiritus Animales, tum ab *Aere* impuro, nebuloso, variisve Plantarum sponte, suive ustione graveolentium Cadaverum humanorum & brutorum, Mineralium accensorum, vel aliàs ignis vi actorum, & de Sulphuris natura plus minùs participantium exhalationis inquinato; tum ab *Alimentis* noxiis & corruptis, tempore nimium arctioris annonæ, obsidionum, navigationum longinquarum, &c. tum ab *Animo* variis ac sæpè contrariis Affectibus simul & potenter agitato, unde ex Humoribus variis malè affectis excitantur necessariò halitus in abdomine diversi, moxque transferuntur inde ad cor, hinc & ipsum Cerebrum Spiritus Animales infecturi. *Impuri.*

XXV. 1. *Parcior* Spirituum Animalium *Secretio Curabitur*, 1. usurpando *Alimenta multo, & soluto spiritu Volatili abundantia*, Vinum Generosum ritè fermentatum, ipsumque aliquando Spiritum Vini rectificatum, aut simplicem, aut Aromaticum. *Parcior Spirituum Secretio curatur. 1. Alimentis Spiritu Volatili abundantibus.*

XXVI. 2. *Promovendo*, *Restituendove Alimentorum Fermentationem* in Ventriculo *deficientem*, per Medicamenta Cap. 7. §. 26. & 33. proposita; inter quæ cluet modò laudatus *Vini Spiritus*, ut & *Sal Volatile* quodvis cum tantillo Vini, alteriusve potus ordinarii semel, aut sæpiùs inter prandendum, cœnandumque ad aliquot guttas usurpatum: postquam corrigit quoque omnem assumptorum, vel aliàs in corpore corruptorum *austeritatem*. *2. Promovendo eorum Fermentationem.*

XXVII. 3. *Liberando Animum à Tristitia & Metu*, idque Rationibus undecunque peritis, atque mentem afflictam excitantibus, recreantibusque. *3. Liberando Animum à Tristitia.*

XXVIII. 4. *Abigendo Pigritiem, corpusque moderatè exercendo*. *4. Corpus exercendo.*

XXIX. 5. *Animum in rebus seriis, gratis tamen occupando*. *5. Animum rebus gratis occupando.*

XXX. 6. *Somnum paulatim ac indies minuendo*. *6. Somnum minuendo.*

XXXI. Quoties ab *externo Frigore Aeris*, *Aquæ*, *aut Nevis* malè fuit affectum caput, sive *Gravedo* simul fuerit producta, sive *Animalium Spirituum Defectus* imprimis urgeat, toties observavi fœliciter ac brevi curari Ægros, si quàm citissimè fieri potest foràs propellatur iterum, quicquid penetravit in Caput, aliasve corporis partes noxam ipsis afferens, idque per Sudorifera semel, aut, quod præfero, sæpiùs & partitis vicibus as- *Cerebri frigus curatur sudorifero*

sumpta, sed spirituosa & volatilia; quippe quæ non tantùm alterant, corriguntque Frigoris aliorumque ipsum comitantium malorum Causam, verùm emendant quoque noxam in Corpus *Continens*, *Contentumque introductam*.

XXXII. In hunc finem formulam commendo sequentem.

Mixtura.

℞. *Aq. fumariæ*,
Fœniculi, *an.* ℥ ij.
Theriac. simpl. vel
Alterius Aromaticæ cujusvis, ℥ j.
Spiritus Salis Armoniac. Gutt. xx.
Ol. Garyophyll. Gutt. iij.
Bezoard. Miner. ʒ ß.
Laud. opiat. Gr. ij.
Syr. papav. errat. ℥ j.
M.

Ejus Usus.

Hujus Medicamenti Cochlearia duo sumat Æger, atque mediocriter factus expectet Sudorem; quem facilitabit, exoptatumque experietur, si semper post horam dimidiam tantundem ipsius assumpserit, donec erumpat sudor: tunc enim rariùs & parciùs eo utetur; usurpando subinde aliquid jusculi puri, aut cum tantillo vini ei admisti, quò Vires recreentur, & ad sudorem diutiùs ferendum aptiores reddantur. Nil enim æquè juvat ipsos, ac sudor aliquandiu blandè prolectus; quod me docuit sæpiùs Experientia.

XXXIII. Quoties ab *Interno Frigore*, aut Febrili, aut alio absque febrili paroxysmo subinde Homines corripiente, *Spirituum Animalium Secretio naturalis & sufficiens impeditur*, toties simili Sudorifero, sicut jam dictum, ritè usurpato nunc citiùs, nunc tardiùs prodeunte sudore restituitur citiùs, tardiùsve desiderata Spirituum Animalium Secretio humanæ fœlicitati tam utilis, ac necessaria.

XXXIV. Hujus namque, aut similis Medicamenti & Spirituosi, & Volatilis, & Aromatici ope cum sudore, aut insensili transpiratione discutiuntur, dissipanturque Halitus & Flatus noxium & molestum homini Frigus, quin Sensuum omnium Stuporem, Motusque Torporem producentes.

Non ritè curatur Venæsectione, nec Vomitu.

XXXV. Quotquot autem urgente tali externo, internove Frigore Sanguinem mittunt aut per vomitum, secessumve mali causam se putant educturos, in vitæ, graviorum saltem malorum periculum conjiciunt ægros, sicut non semel hoc vidi factum à Viris in Librorum lectione, quàm Symptomatum ægris obvenientium observatione magis versatis, & idcircò sibimetipsis æquè, ac aliis sæpiùs nocentibus. Tantum potest falsis præjudiciis præoccupata, ideòque rebus ex æquo expendendis, decernendisque inepta Mens.

Copiosior Spirituum Secretio Minuitur.

XXXVI. II. *Copiosior Spirituum Animalium Secretio* ac Proventus *Minuetur* 1. *Subtrahendo Potum valdè Spirituosum*, ejusque loco substituendo magis *Aquosum*.

1. Subtrahendo Potũ Spirituosũ.

XXXVII. 2. *Fruendo paulatim Aere magis frigido*, qualis montanus, vel marinus, imprimis Borealis, & Subterraneus.

2. Fruendo Aere frigido.

XXXVIII. 3. *Minùs agitando, exercendoque Corpus*, adeòque ipsum quieti & somno dando.

3. Corpus minùs exercendo.

XXXIX. 4. *Animum ab omni concitatione vehementi Gaudij* præsertim aut *Iræ liberando*, ipsumque pacatum, tranquillum ac penè otiosum servando.

4. Animum à gaudio & Ira liberando.

Et hoc paulatim mutando.

XL. Quoniam verò omnis mutatio subita esse solet simul periculosa, sedula est danda opera, ut paulatim contingant hi in notatis rebus nonnaturalibus desideratæ mutationis.

Diæta etiã mutanda.

XLI. Quemadmodum autem memorata Diætæ vitia consequuntur patentiores Cerebri, ac Cerebelli Tubuli transcolandis Animalibus Spiritibus destinati & ordinati, non dubitandum, quin similiter Diæta priori subcontraria eosdem ad naturalem, laudabilemque angustiam redigat reducatque.

Torpidi Spiritus quibus ad motum excitantur.

XLII. III. *Torpidi & ad Motum ineptiores Spiritus Animales excitabuntur, & à vi narcotica ipsis admista liberabuntur* per *Salia Volatilia*, sed *Acriora*, *Medicamentaque* omnia *mordacitate Aromatica* prædita, Piper, Garyophyllos, Castoreum, Allium, Raphanum rusticanum, Sinapi, Cochleariam, Erysimum, & similia sæpiùs minore quantitate usurpata. Ex. gr.

Mixtura.

℞. *Aq. Cochleariæ*,
Erysimi, *an.* ℥ j.
Tinct. Castorei, ʒ j.
Ol. Garyophyll. Gutt. ij.
Syr. Cochleariæ, ʒ vj.
M.

Ejus Usus.

Hujus misturæ Cochleare unum accipit sæpenumerò Æger.

XLIII. Quòd si alicui suffeno Medico Mixturæ nomen sordeat, Decoctum paretur ad sequentis formulæ normam.

Decoctum.

℞. *Rad. Galangæ*, ʒ ij.
Raphani rusticani, ℥ ij.
Fol. Erysimi, M. ij.
Garyophyllor. ʒ ß.

Fiat Decoctio in vase clauso ex Aquæ & Vini albi ana q. s.

In Colat. ℥ xx. dissolv.
Syr. Cochleariæ. ℥ iij.
Tinct. Cinnamom. ℥ j.
M. f. Apozema.

Ejus Usus.

Hujus Apozematis Cochlearia quinque aut sex aliquoties in die usurpet Æger in lecto decumbens ac mediocriter tectus, quò, si possibile sudor erumpat levis, ægrum levaturus.

Vis narcotica Spirituũ quibus corrigitur.

XLIV. Horum autem Medicamentorum ope non tantùm Animales Spiritus liberabuntur à suo Torpore, verùm ipsa *vis narcotica* vel in corpore tractu temporis genita, vel forinsecùs admissa quoque *corrigetur & tandem superabitur*.

A Sopore ac Stupore quomodò Ægri excitentur.

XLV. A Sopore ac Stupore Torporis ferè comire excitabuntur Ægri Objectis externis potentibus Sensus externos acriter moventibus, eorum interim organa non lædentibus. Sic Lux magna Oculis objiciatur; Sonus fortis excitetur Auribus propinquus; Odorata acria Naribus admoveantur, Spiritus Salis Armoniaci, Cornu Cervi, & similes; Aromata itidem acria, vel Salia Ori indantur; Corporis Cutis asperis pannis confricetur; Igni, Aerisque æstui, nun item Frigori exponatur Corpus: postquam externo frigore excitari Torporem notum. Non sequitur tamen inde Opium similiter torporem producens pro frigido habendum, quoniam effectus idem procedere potest à Causis variis, sed variè agentibus adde quòd amaricat Opium, natura pingui dotarum, quæ caloris volunt esse indicia: de qua re propriè agendum in physica scientia, de cujus possessione licèt glorientur multi, nullum reperi hactenus qui Mathematicorum more dissentientium cogeret assensum.

Agitatiores Spiritus quomodo ad blandũ motum reducantur.

XLVI. *Agitatiores, nimiùmque moti Animales Spiritus componentur & ad naturalem, blandumque motum reducentur*, emendando, removendove Res non-naturales motui nimio ansam præbentes Mutando scil. *Aerem* æstuantem in frigidiusculum Minuendo *Alimentorum* Spirituosorum usum, ac in eorum locum assumendo, quæ Pituitam præbent parùm tenacem; Concedendo *quietem corpori* defatigato; *Somnumque* excitando blandum per Anodyna, & ubi res videtur exigere, Narcotica Exuendo Animum omni *sollicitudine* anxia & mordaci, ac imprimis resistendo *Iræ* acerbæ, conciliandoque Animo *tranquillitatem* amœnam & amabilem.

XLVII. Ipsos autem *Spiritus nimiùm agitatos ad decentem, compositumque motum reducent* blandè Musicorum Sonorum modulamina, sed potentiùs Anodyna, & tandem Narcotica prudenter, hoc est, partitim & quantitate parva usurpata.

XLVIII. *In gyrum acti Animales Spiritus reducentur in ordinem* remotis Causis externis, ac correctis internis, denique ad quietem aliqualem Spiritibus ipsis blandè deductis.

In gyrum acti Spiritus quomodo in ordinem reducantur.

XLIX. *Desinant* igitur Ægri *aspectare Objecta rotata, Remotiora, Sublimia & Ima*: desinant *corpus suum rotare*: quin potiùs omnem operam dent, ut *somnum capiant* Medicamentis non semel in hoc capite laudatis, & alibi in formulas convenientes præscriptis.

L. Quoties absque notatis Causis manifestis ab occultis & quidem internis Causis pendet Animalium Spirituum gyratio, ac Vertigo, toties *Halituum, Flatuumque Productio & Ascensus impediri* debent, aut iidem *suffocandi* sunt, *discutiendive*.

Flatuum productio quibus impediatur.

LI. Illorum *Productio impeditur* per Medicamenta *Humores Acrimonia & Glutinositate* peccantes *Corrigentia*, & *Minuentia*, quæ sæpiùs in superioribus sunt proposita.

Quibus eorum Ascensus.

LII. Eorundem *Ascensus impeditur* imprimis per Anodyna, & Narcotica sæpiùs laudata & commendata.

Quibus iidem suffocentur.

LIII. Iidem *Suffocabuntur* assumptione liberali Apozematum ex aromaticis blandioribus & gratioribus paratorum.

Et quibus discutiātur.

LIV. *Discutientur* iidem per Olea præsertim ex Seminibus carminantibus vulgò dictis destillatione elicita; & Tincturas cum Vini Spiritu rectificato ex quibusvis Plantarum Aromaticarum partibus per solam infusionem, aut subsequentem insuper distillationem eductas; additis ad majorem gratiam tum Syrupis, tum Aquis vulgaribus quantitate conveniente. Quales formulas plures hinc inde habemus in hoc libello in gratiam Tyronum.

Terrore conturbati Spiritus quomodò sedentur.

LV. Quoties à *Terrore vano & panico conturbati sunt cum Animo Spiritus Animales*, toties, quandiu sibi adhuc constat Mens, danda est opera, ut *averruncetur rationum potentium pondere iste pavor Lymphaticus*, & tam multis lethalis, atque *Somnus mox exulans* quibusvis auxiliis adeoque ipsis narcoticis quamprimùm *reducatur*: nisi enim hoc fiat ocyssimè, brevi Medicina sera parabitur.

Impuri à rebus externis quomodo purificentur.

LVI. *Impuri redditi Animales Spiritus à rebus externis haud purificabuntur*, nisi remotis iisdem postquam posita, & manente causa, ponitur & manet effectus Removeantur proinde Aer quovis modo inquinatus, Alimentaque corrupta eadem saltem vitet homo: qui prætereà usurpet medicamenta noxam plùs, minùsve in corpus introductam emendantia, expellentiaque.

LVII. Ubi notandum 1. *noxas* cum *Aere* admissas commodiùs *Sudoriferis*, cum *Alimentis* autem assumptas *Vomitoriis & Purgantibus per alvum* protrudi foras.

LVIII. 2. *Emendantia* Medicamenta utiliter usurpati posse tunc etiam, cùm laudatæ instituuntur Evacuationes: quæ continuari debent etiam, postquam institutæ sunt istæ Evacuationes uti non raro, antequàm instituantur.

Cur Auctor Salia Volatilia toties commendet.

LIX. Cùm ex hominis partibus omnibus levi artificio eliciantur Salia Volatilia (quibus proinde illas constare concludo) nulli debet videri mirum si tam sæpè inter *Alterantia, Hominumque Humores depravatos Emendantia* Medicamenta commendem, laudemque *Salia Volatilia, sed blanda*; quibus etiam nunc primas meritò tribuo in corrigendis, emendandisque noxis ab Aere quovis modo inquinato, aut Alimentis pravis corpori contento præsertim communicatis. Nec dubito, quin quotquot nunc ex iniquo præjuditio, aut petulantia mera me culpant vel rident Salia Volatilia toties extollentem, si aliquando experiantur, quantùm ad hominum Valetudinem conservandam, restituendamve possint Salia ista ipsis nunc ita exosa, vel ridicula, pudore confusi rubore suffundantur obspreta, contemptaque non tam mea dicta quàm vindicis Dei dona.

Impuri à rebus internis Spiritus qua ratione emendentur.

LX. Quoties denique ab *Animi Affectibus variis & sub-contrariis hominem simul ac potenter agitantibus* (quod sæpissimè habet locum) Humores varii afficiuntur malè, atque ita, ut ex suo in tenui Intestino confluxu ac Effervescentia vitiosa excitentur Halitus multifarij ad Cor ac Cerebrum quoque translati, atque Spiritus Animales inquinantes ac impuros reddentes, toties 1. *Componendi* sunt *Animi motus immoderati*. 2. *Corrigendi* sunt *Humores vitiati*, 3. *Emendandi, Discutiendive sunt Halitus noxii*. 4. *Depurgandi sunt Animales Spiritus ab impuritatibus acquisitis*. Quæ omnia qui debeant obtineri, sæpiùs dictum in superioribus; ubi Salia Volatilia, sed blandiora, plurimùm præstare poterunt: quicquid obstrepant & garriant in hoc Belgio multi Medici, rerum plerarumque naturalium Ignari, utut inani Doctorum titulo & aliquot annorum praxi qualicumque tumidi.

CAPUT XLII.

De Spirituum Animalium per Nervos Motu læso.

Spiritus Animales non tantùm Sensibus, & motui Animali, sed etiam humoribus temperandis inservire.

I. SEcreti à Sanguine in Cerebro ac Cerebello Spiritus Animales per continuatam ipsorum in Nervos Tubulatam Medullam deferuntur quaquaversùm, non tantùm ad *Sensus, Externos, & Motum Animalem exercendos*, sed insuper mea saltem conjectura, imo sententia, ad *temperandos Humores quosvis, Bilem, Salivam, Succum Pancreaticum*, sive *Melancholicum Glandularumque Conglobatarum Lympham*, & fortè ad *primariam Seminis generando materiam* suppeditandam.

Spirituum per Nervos motus qualis.

II. Hic Animalium Spirituum per Nervos Motus secundùm naturam, me judice, *Continuus* est ac *Æqualis*, pro *Animi* tamen *Affectibus diversis mutabilis*; *ac Inæqualis*.

Quot modis lædatur.

III. *Læditur* autem hic Animalium Spirituum *Motus* 1. quando *Nulli*, vel *solito Pauciores*; 2. quando *Plures* ac decebat expediebatque; 3. quando *Inæqualiter, Inordinatè, ac præter, contrave Voluntatem* ad *partes quasdam*, vel *omnes* moventur per Nervos Spiritus.

1. Quando Nulli feruntur ad Organa Spiritus.

IV. I. Ubi *Nulli* feruntur ad Sensuum externorum, Mõtusve Animalis Organa Spiritus Animales, *Cessant toto illo tempore memoratæ Functiones*, Visus, Olfactus, Auditus, Gustus, Tactus, & Caloris Sensus, ut & in Apoplexia & Paralysi Motus.

Et quando solito pauciores.

V. Ubi autem *solito Pauciores* deferuntur ad eadem Organa Spiritus Animales, *Imperfectæ ac Imbecillæ* observantur fieri eædem *Functiones*, in Motu tremulo & infirmo, nec diu durante, in Visu debili ac mox defatigato, &c.

Utrumque fit culpa.

VI. *Nulli, solitove Pauciores* feruntur per Nervos Spiritus Animales nunc *sua*, nunc *Nervorum* culpa.

Vel Spirituum.

VII. *Spirituum Animalium* culpa id evenit, quoties illi *plùs*, *minùsve Deficiunt*, aut *Torpidi* sunt: de quibus actum est capite proximè præcedente.

Vel Nervorum.

VIII. *Nervorum* culpa Deficit Animalium Spirituum in totum, aut ex parte Motus ad partes, quando illi sunt *Dissecti, Compressi, Obstructi*, (dummodò queant obstrui) aut *Subsidentes*.

In eorum dissectione.

IX. *Dissecantur Nervi* à rebus quibusvis acutis, & Corpus vulnerare aptis.

Compressione.

X. *Comprimuntur* Nervi à *Vinculis*, *Tumoribus duris*, aut *Humoribus compactis*, nervisque incumbentibus.

Obstructione.

XI. Haud posse Obstrui Nervos vel ideò censeo, quia ipsorum Tubuli, cùm sint angustis Cerebri, Cerebellique Tubulis continuati, nil admittent, quod non sit tenuissimum, ac in Cerebri Cerebellive tubulos priùs penetraverit. In quos si quis Halitus, Flatusve unà cum Spiritibus ingredi mox & in Nervos penetrare posse contendat non

video qua ratione & vi judicet idem Halitus, Halitusve notatos iterum concrescere posse, ut Obstructionem ibidem pariant.

Et subsidentia.

XII. *Humores Pituitosos & Aquosos* circa *Nervos* hærentes ipsorum *Tunicas*, *Membranasque*, hinc & *Medullam* humectare, ac forsan eatenus laxare posse, ut *ipsi per subsidentiam collabens* Tubulos suos transmittendis Animalibus Spiritibus ineptos reddat, evincere videtur Paralysis à pluvia frigidiore post vestes inde madentes hanc aut illam partem ita afficiente orta, ut nunc una, nunc plures partes Motum, ac Sensum plus minùs amittant.

2. Quando Nimij moventur per nervos Spiritus. Propter Animi Motum. Et irritationem.

XIII. II. *Plures*, quàm Externi Sensus, vel Animalis Motus ad sui perfectionem exigebant, *moventur per Nervos Animales Spiritus*, 1. propter *Animi Motum vehementem*, *Hominemque valde angentem*, *torquentemque*, *Iram* præsertim, *Motum*, *Gaudiumve* immoderatum. 2. propter *Irritationem continuam & gravem* circa *Spinalis medullæ caput* in Convulsione Vniversali, aut in *partis affectæ parte sensili*, ejusve *Nervo* in Convulsione Particulari urgentem.

Qua in Universali Convulsione oritur à Spiritu Acido et Acri.

XIV. Irritatio hæc ut plurimùm, & fortassis semper in Universali Convulsione primariò afficiente, ortum habet à *Spiritus Acido & Acri Halitus forma* in *Medullæ Spinalis exortum* propulso, ipsamque nunc sine notabili, nunc cum ingenti dolore mordente; prout scilicet partem afficiendam minùs, vel magis offendit,

XV. *Halitus* hos *Acidos* ex *tenui Intestino*, si non semper, ut plurimùm saltem assurgere confirmabunt Symptomata concurrentia attento animo considerata & expensa,

XVI. *Halitus* eosdem *Acrimonia* peccare *Acida* evincent Symptomata eadem, ut & Curatio per simplicissima & notissima instituta.

XVII. Convulsionis Universalis secundariò afficientis: ac imprimis Particulari supervenientis Causa vera videtur mihi *Motus Spirituum Animalium* ratione Partis primariò affectæ *auctus*, & *impetuosus*, sensimque ob irritantis Causæ continuationem *auctior* & *impetuosior*, tandem malo pertinaciùs urgente quaqua versùm *impetuosissimus*; quam ob rem omnes in universo corpore Musculi contrahuntur vehementissimè, producuntque Convulsionem Universalem,

In particulari verò convulsione à causis variis.

XVIII. Eadem irritatio in Convulsione Particulari produci potest 1. Ab *Humore*, *Halituve Acri Acidoque Nervum* ad Musculum convulsione laborantem delatum, aut *Membranas*, *Tendinemve rodente*: 2. Ab ejusdem *Nervi*, *Membranæ*, *Tendinisve Punctura* qualicunque nunc externæ Causæ, nunc internæ, *Ossis* puta *fragmento* acuto, debita: 3. à quavis alia Causa in *Musculi affecti* parte magis sensili, ac *Tendine* imprimis *Dolorem acutum* producente. Inflammatione putà, Erysipellate, &c.

3. Quando inæqualiter, et præter voluntatem moventur Spiritus

XIX. III. *Inæqualiter*, *Inordinatè*, *ac præter*, *contrave Voluntatem moventur Spiritus Animales per Nervos* ad Partes mobiles in *Motu Convulsivo*, ac *Tremore*, *Quassuve membrorum concusso*. Distinguendus namque hic *Tremor* quiescente licèt ac decumbente corpore molestus à *Motu Tremulo*. de quo dictum §. 5. quique quiescente corpore cessat, eodemque iterum moto repetit.

Motus convulsivi causa.

XX. *Motus Convulsivus* debetur *Spirituum Animalium in oppositos Musculos Motui auctiori*, *sed alternanti*, sive sit *Universalis*, sive *Particularis*,

XXI. Hic alternans Spirituum Animalium Motus consequitur *alternantem Irritationem ut Nervis Animales Spiritus ad oppositos musculos deferentibus*.

Vbinam in Motu Convulsivo Universali fiat irritatio.

XXII. In *Motu Convulsivo Universali*, qualis frequenter occurrit in principio paroxysmi *Epileptici*, (nam succedere solet tandem Convulsio) *Irritatio* statuenda *circa primam Nervorum* ad *Musculos* varios tendentium *divaricationem*.

Vbinam in Particulari.

XXIII. In *Motu Convulsivo Particulari*, qualis subinde in alterutro Brachio, vel Crure, alibive observatur, ponenda *Irritatio circa Nervorum ad oppositos* ejusdem Membri *musculos* delatorum *exortum*.

Irritationis causa.

XXIV. *Irritatio* autem illa omninò adscribenda *rei valdè mobili & alternatim oppositos Nervos vellicare aptæ*, adeòque *Halitibus Acribus & Acidis*, frequentissimè à tenui Intestino assurgentibus & ad Nervorum originem penetrantibus,

Coacti Tremoris causa.

XXV. *Coactus Tremor* debetur *Animalibus Spiritibus inordinate ac continuò cum aliquo impetu* ad trementium membrorum musculos per nervos propulsis: sive fuerit is *Universalis*, sive *Particularis*, sive corpus fuerit adhuc robustum, sive debile.

Inordinati Spirituum Motus causa

XXVI. *Inordinati* autem illius ac *Continui cum Impetu Animalium Spirituum Motus* Causa quærenda frequentiùs in ipsis *Spiritibus inordinatè agitatis*, ac præsertim in Tremore Universali; aliquando etiam in *Nervis continua*, *sed minùs gravi Irritatione* (aliàs Motus Convulsivus contingeret) *vexatis*, quod existimo habere imprimis locum in Tremore particulari.

XXVII. *Inordinatè agitantur Spiritus Animales Flatibus & Halitibus continuò ad Caput cum Sanguine ascendentibus*, atque unà cum Spirituosa Sanguinis substantia *in Cerebri*, *Cerebellique*, *non Nervorum* quoque Tubulos pergentibus, Animalesque Spiritus inordinatè, ac impetuosè agitantibus.

XXVIII. A Nervorum Irritatione leviore produci aliquando Tremorem vel inde patet, quod aliquando ipsum sequatur, aliquando in ipsum desinat Motus Convulsivus.

Spirituum defectus ob dissectos nervos incurabilis.

XXIX. 1. *Dissecti Nervi* cùm nequeant curari, hactenus *reparari nequit Spirituum Animalium Defectus* in parte quavis. Quoniam vero plures, plerumque Nervi ad eandem feruntur partem tum ad Sensum, tum ad Motum ipsi largiendum, non mirum, si uno, pluribusve Nervis dissectis in parte aliqua permaneat sæpenumerò in ipsa Sensus, & Motus, quamvis non parùm Diminutus, cum aliquo Partis Stupore ac Torpore.

Ob compressos Nervos restituuntur per remotionem Vinculorum.

XXX. *Restituetur* Spiritibus Animalibus Motus per *compressos Nervos*, 1. solutis, remotisve *Vinculis* eos augustantibus:

XXXI. 2. *Curatis Tumoribus Durioribus* per Medicamenta *Incidentia*, *Emollientia*, ac *Resolventia* vel *Maturantia*: de quibus agendum alibi.

Per Curationem Tumorum. Per eductionem Humorum tenacium Salium Volatilium usus.

XXXII. 3. *Incisis*, *Emollitis*, *ac Resolutis*, aut *in Puris imperfecti speciem deductis*, ac *eductis Humoribus tenacibus & compactis* per medicamenta descripta Cap. 40. §. 33. 34. 44. & seq. 50. & seq. Ubi unum incidit addendum, *Salia Volatilia* hic externe usurpari posse cum magno successu, si usus tempore jungantur fotibus, & cataplasmatibus, aut permisceantur Unguentis quantitate parva; quorum beneficium incredibilè mirabuntur, celebrabuntque probi ac Deum timentes.

Defectus Spirituum propter Nervos Obstructos qui curetur.

XXXIII. Si possent *Obstrui Nervi*, ac reverà notarentur Obstructi, conducerent præ aliis omnibus *Salia Volatilia* tum internè, tum externè usurpata, & sepiùs in hoc Libello à me laudata & præscripta.

Vt et propter Nervos subsidentes.

XXXIV. *Humores Pituitosos & Aquosos circa Nervos hærentes*, *ipsorumque Membranas*, *Medullamque nimis humectantes*, *laxantesque Corrigent ac Tollent* tum interna *Sudorifera*, imprimis Aromatica, tum externa *Incidentia*, *& Discutientia*, inter quæ iterum laudo *Salia Volatilia*; quòd si multùm in Corpore redundent iidem, convenient quoq; *Phlegmagoga*, & *Hydragoga* per vices usurpata: quorum formulas pluries dedimus in superioribus.

Quomodo curetur Spirituum Motus nimius, copia per Nervos factus. 1. Propter Animi Affectum.

XXXV. 2. Quoties *majori*, ac decebat, oportebatque, *copia feruntur per Nervos Animales Spiritus* 1. propter *Animi Affectum vehementem*, toties idem *componendus*, ad *mediocritatem saltem reducendus*,

Cor-

Corporique Somnus, etiam per *Narcotica*, ubi res desiderat, sed quantitate parva per vices usurpata, conciliandus.

2. Propter Irritationem.

XXXVI. Quoties idem contingit 2. propter *irritationem continuam & gravem circa Spinalis Medullæ caput* in Convulsione Universali, & quidem *Spiritu Acido & Acri ab Intestino tenui* eò delato, toties, 1. *Humores Acidi emendandi* sunt; 2. *Halituum proventus impediendus*; quin 3. *Acrimonia* eorundem *Minuenda*, *Temperandaque*; ac 4. ipsorum *Expulsio per Sudores*, aut *Insensilem transpirationem* procuranda; denique 5. *Pars ab ipsis affecta restituenda*, & *Dolore liberanda*; Ipsorumque 6. *Spirituum Animalium Motus nimius coercendus*, & *ad tranquillitatem*, hoc est, *Motum pacatiorem deducendus*. Quæ omnia qui obtineri queant, non semel dictum est in superioribus, additis Medicamentorum formulis convenientibus.

In particulari Convulsione quando fit ab humore vel halitu acri.

XXXVII. Quoties autem notata Irritatio in Particulari Convulsione est in *Partis affectæ parte Sensili*, *ejusve Nervo* ab eodem *Humore Halituve Acido & Acri* facta, toties conducunt modò laudata remedia, nisi quòd tunc *Externa* cum successu magno simul usurpari queant ex *Aromaticis & Volatilibus Salibus* parata; quæ similiter non semel proposita.

Quando fit à Nervi, Tendinisque Punctura.

XXXVIII. Quoties verò eadem Particularis Convulsio habet ortum à *Nervi*, *Tendinisve Punctura*, sicut aliquando id per Chirurgi imperitiam, præcipitantiam vel infortunium, Animumve turbatum in Venæ apertione fieri notum toties quàm citissimè *Oleum Terebinthinæ calens cum Vini rectificato spiritu* in vulnus mittatur, sicut cum optimo successu in Carolo IX. Galliarum Rege factum ex consilio suo scripsit Ambrosius Pareus Oper. Chirurg. Lib. 9. Cap. 38.

XXX. Quòd si seriùs hoc fiat, vel non auscultet huic Medicamento *Nervi*, *Tendinisve vulnus*, idem mox *dissecandus transversim*; cùm satiùs sit alicui parti actionem suam perire, quàm lethiferæ Convulsionis periculo Ægrum exponi.

XL. Sic quoties ab *Ossium fractorum fragmentis acutis Nervi*, *Tendinesve*, *Musculorum punguntur*; succedente mox Doloribus gravibus *Convulsione Particulari*, & tandem *Universali*, toties, ubi possibile, rescindenda sunt fragmenta Ossium extrema & acuta, vel, si hoc neglectum fuit, aut fieri nequivit, & ad Universalem Convulsionem omnia inclinant, festinandum ad partis affectæ loco circa ossis fracturam commodissimo amputationem; cum aliàs moriendum sit Ægro necessario per Convulsionem Universalem.

Quando fit ab Inflammatione, aut Erysipelate, &c.

XLI. Quoties ab *Inflammatione*, *aut Erysipelate*, &c. *Dolor acutus* excitatus *in Musculi parte magis sensili* ansam præbet *Particulari Convulsioni*, toties ellaborandum sedulò, ut *Dolor ille Anodynis*, *vel Narcoticis* quoque tam *internis*, quàm *externis minuatur*, ejusdemque Causa, *Inflammatio*, aut *Erysipelas*, &c. citissimè & suavissimè *curetur*, non omissis interim medicamentis auctiori Animalium Spirituum Motui minuendo & sedando utilibus, jam laudatis.

Motum Convulsivũ Epilepsiam et Convulsionem iisdem remediis curari.

XLII. III. Cùm *Motus Convulsivi*, adeòque ipsius *Epilepsiæ Causa* in corpore *remotior* non differat à *Convulsionis Causa* itidem *remotiore*, nisi *agendi modo hic continuo, ibi alternatim Nervorum initia rodente ac irritante*, non mirum, si plerumque hi *Affectus se consequantur*, & *iisdem remediis* §. 36. laudatis *curentur*.

Motus Convulsivi recursus.

XLIII. Solet autem *Motus Convulsivus* plerumque *per intervalla nunc longiora*, *nunc breviora recurrere*, nec nisi *raro permanenter affligere*, atque tunc, non secùs ac *Convulsio* ut plurimùm *perdurare solita*, citiùs necare.

Tremoris Coacti curatio.

XLIV. *Tremoris Coacti* ab Inordinato, Perpetuo ac cum impetu facto Spirituum Animalium *Deleboe Opera.* ad trementes partes motu, Flatibus, Halitibusque ipsis se admiscentibus, eosdemque ita perperam concitantibus adscripto pendentis *Curatio* instituetur *Rationalis & dogmatica*, si 1. *Causa & Flatuum, et Halituum Materialis ac Efficiens Alteratione convenienti corrigatur*, & si quantitate aucta simul peccaverit, *Evacuatione per Alvum* & quandoque per *Vomitum*, *Urinas vel Sudoris minuatur*; in quos fines utilia medicamenta, eorundemque formulæ in superioribus passim reperientur.

1. Causas ejus corrigendo, & evacuando.

2. Flatuum generationẽ impediendo.

XLV. Si 2. Eorundem *Flatuum*, *Halituumque productio impediatur* per medicamenta sæpiùs proposita.

3. Eosdem productos discutiendo.

XLVI. Si 3. *Flatus Halitusque jam producti* & ubivis occurrentes *discutiantur*, aut ad *subsidendum cogantur* per medicamenta itidem non semel laudata.

4. Animales Spiritus ad Motum placidum reducendo.

XLVII. Si 4. *Animales Spiritus ad Inordinatum Involuntarium, Impetuosumque Motum ab ipsis coacti*, paulatim ab *ipsis liberentur* & *ad motum placidum, ordinatum & voluntarium reducantur* Quorum prius fiet per Medicamenta *subtilissima & maxime Volatilia*, *Spirituosaque* Sudorem, Insensilem saltem Transpirationem promoventia eosdemque sic foràs expellentia; posterius verò per Medicamenta tum *Anodyna*, tum *Narcotica* minore quantitate, partitisque vicibus usurpata quæ bina simul exhibere nil impedit, quin expedit, cùm sic faciliùs ad Spirituum Animalium, noxiorumque Halituum & Flatuum locum pertingant, fœliciùsque opus utrumque absolvant commendata modò medicamenta, quorum formulas plures in hoc Libello reperies:

XLVIII. Qui à *leviore Nervorum* Spiritus Animales ad musculos deferentium *irritatione* producitur *Tremor*, *Curabitur* modo eodem quo *Motus Convulsivus*, de quo jam dictum.

CAPUT XLIII.

De Sanguinis Plusquam-perfectione in Liene læsa.

Sanguinem & Spiritus ad Lienem deferri, Sãguinem & Lympham à Liene efferri.

I. AD *Lienem* per Arterias *Sanguinem*, atque per Nervos *Spiritus Animales* adferri iterumque à *Liene* per Venas quidem *Sanguinem*, per Vasa Lymphatica verò *Lympham* efferri per Anatomica Experimenta Cupientibus omnibus notum esse potest, at Operi manum adhibentibus, ac ingenuis Veritatis Scrutatoribus ignotum esse nequit.

Unde Functio Lienis eliciatur.

II. Cùm autem præter quadruplicia nunememorata Vasorum genera nulla sint hactenus observata, quæ aliquid ad Lienem transferant aut è Liene auferant, meritò ex illis, ac imprimis secundùm id, in quo aliquid acceperunt singularis, *Functio Lienis naturalis* eruitur.

Vas breve à Liene ac Ventriculo Sanguinem revehere.

III. Utique *Vas breve* dictum non esse diversum à *Venæ Splenicæ* ramis Vas, utrinque à *Liene ac Ventriculo Sanguinem revehens*, ad neutrum advehens, jam pridem evicimus per autopsiam.

Sanguinem in Liene plusquam-perfici.

IV. *Mirabilis Nervosarum Fibrarum* circa vasorum omnium in Lienem Ingressum *Textura*, hoc sæculo à solertibus Anatomicis detecta, non parùm meam de *Sanguine* ibidem à *Spiritibus Animalibus* copiosè appellentibus *subtiliore*, *ac spirituosiore præstando*, adeòque *Plusquam-perficiendo* confirmat Conjecturam.

V. Cùm enim *nec Sensui*, *nec Motui serviat Lien*, in alium finem notabili copia Spiritus excipit Animales, cui bono autem, nisi ut Sanguini affluenti jungantur, ac intimè misceantur, eundemque faciant solito magis subtilem ac spirituosum, hoc est, reliquo Sanguine (qui perfectus) perfectiorem, adeòque plusquàm-perfectum?

Canes sine Liene vivere.

VI. Nec obstat, quòd aliqui Canibus superstitibus exsecuerint Lienem: potest namque

Lien non tam ad vitam, quàm ad commodiorem vitam datus.

Animal quodvis, quamvis ejus sanguis non sit valdè spirituosus, vivere. Non videtur enim tam simpliciter ad vitam, quàm commodiorem vitam datus Animalibus Lien; sicut Respirantibus tantùm dati Pulmones unà cum dextro Cordis Ventriculo. Adde quòd necdum constat num absque ullo sanitatis detrimento diù queant sic supervivere Canes.

Sanguinis plusquam perfectio in Liene quot modis lædatur.

VII. Hanc proinde nondum ab ullo eversam, sed ab Animalibus Spiritibus petendam, pendentemque *Sanguinis Plusquam-perfectionem* in Liene absolutam *lædi* autumo, dum eadem aut *Minuitur*, aut etiam subinde *Augetur*, *postquam in mediocritate consistit Virtus*.

Quando ea minuitur, quid Sãguini eveniat.

VIII. Quando *Minuitur Sanguinis Plusquam-perfectio Splenica*, metus est, ne tota *Sanguinis Massa* reddatur paulatim *valdè Glutinosa & multùm Tenax*; qualem tam sæpè observamus in hoc Belgio mirè *Crassosam*, nimiùmque in superficie cohærentem, adeò ut vix acuto dividi possit cultro; sicut contrà, ubi *Aucta* est eadem *Sanguinis Plusquam perfectio*, metus est, ne *minùs Consistens* evadat *Universus Sanguis*, *nec satis concrescat, cohæreatque*; ni ab opposito id compensetur *Acido austeriusculo*, à quo imprimis pendere videtur ipsius *Coagulatio naturalis*. Hanc ob causam putem *non Lymphæ cum Descendente Sanguine ad Cor pergenti*, atque Acidas, Austerasque Humorum partes secum vehenti, *verùm Bili cum Ascedente Sanguine ad Cor delatæ*, atque Consistentiam humorum impedienti *jungi* hunc *Sanguinem Lienosum in Hepate*.

Ut & Quãdo augetur.

Quibus jungatur Sanguis Lienosus in Hepate.

Minuitur hæc Sanguinis plusquãperfectio, 1. Propter Spirituum Animaliũ Defectum. 2. Propter Sanguinem Glutinosiorem & Viscosiorem. 3. Propter Lienẽ malè affectum.

IX. Videtur autem *Minui* posse hæc in scenam à Me producta *Plusquam perfectio Sanguinis Splenica* 1. propter *Spirituum Animalium Defectum* tam *Universalem*; (de quo actum Cap. 41.) quàm subinde in *Liene Particularem* propter ipsius Nervos vel Pauciores, vel quavis de causa in opere suo impeditos.

X. 2. Propter *Sanguinem Glutinosiorem* ac *Viscosiorem*, undè minùs aptus est suæ Plusquam-perfectioni suscipiendæ.

XI. Minui quoque posse videtur. 3. Sanguinis Plusquam-perfectio *Lienis malè affecti culpa*. Cùm enim per Lienis Vasa penetrare, atque aliquam in ipsis mutationem subire debeat cum Animalibus Spiritibus copulatus Sanguis, quin *ab ipso Lienis Parenchymate singulari aliquid ei expectandum veniat*, non est dubium. Nam si *solidius & firmius* ejus *Parenchyma*, non tantùm segniùs ac impeditiùs per ipsius vasa movebitur Sanguis, sed insuper *minùs promovebitur ejusdem attenuatio, & exaltatio*.

Augetur contra. 1. A Spirituum Animalium Abundantia.

XII. *Augebitur* contrà eadem *Sanguinis Exaltatio & Attenuatio in Liene* 1. à *Spirituum Animalium* vel *Universali*, vel *in Liene* saltem *Particulari abundantia*, *Nervos multos*, *grandesve* in ipsum insertos consequente.

2. A Sanguine Spirituosiore.

XIII. 2. A *Sanguine Universo* propter *immoderatiorem Spirituosorum & Aromaticorum usum Tenuiore atque Spirituosiore*.

3. A Lienis Parenchymate Teneriore.

XIV. 3. A *Lieni Parenchymate Teneriore Laxioreque* non tantùm Vasis locum liberum concedente, ast ipsius *Sanguinis attenuationem exaltationemque facilitante*.

Quomodo curetur Diminuta hæc Plusquam-perfectio. 1. Propter Spir. Animal Defectum Universalem & Particularem.

XV. *Curabitur* 1. propter *Spirituum Animalium Defectum Universalem Diminuta* in Liene *Sanguinis Exaltatio & Plusquam perfectio*, usurpando *Potum Generosum* ac *Spirituosum* satis fermentatum, ipsumque adeò *Vini spiritum*, ac imprimis *rectificatum*, tam *simplicem*, quàm *Aromaticum*, cum *Sale Volatili* mistum.

XVI. *Spirituum Animalium Defectus* in *Liene Particularis* ob *Nervos pauciores* ad ipsum delatos *Incurabilis* est; ast ubi *impediti* sunt *Nervi expediendi* sunt *Medicamentis subtilibus & abstergendi vi præditis*, quæ nullibi magis elucet, quàm in *Salibus Volatilibus*, magno mortalium malo hactenus tam parùm notis, ideòque tam tarò in usum revocatis.

2. Propter Sanguinem Glutinosiorem.

XVII. 2. *Sanguinem Glutinosiorem*, *Viscosiorem ac Tenaciorem* nil æquè *incidit ac emendat*, quàm quovis *Sal Volatile* diutine quovis tempore, ast præcipuè inter prandendum, ac cœnandum cum vino, aliove liquore conveniente usurpatum.

3. Propter Lienis Parenchyma solidius & firmius.

XVIII. 3. *Lienis Parenchyma solidius & firmius*, reddetur *Laxius ac Tenerius* per toties laudata *Volatilia Salia & Aromatica Blandiora* longiori tempore continuata; postquam omnis *affectus chronicus* & moram nectens ab *Humore Pituitoso* suam originem trahit, eundem saltem Causæ suæ conjunctum habet, qui nulli remedio faciliùs citiùs, aut tutiùs cedit, quàm Volatili Sali ex arte usurpato.

Quomodo curetur Aucta Sanguinis Exaltatio. 1. Propter Spirituum Animaliũ redũdantiã.

XIX. *Aucta* verò *Sanguinis Exaltatio* in Liene 1. propter *Universalem Spirituum Animalium* in corpore universo *redundantiam*, *Curabitur* Medicamentis *Subausteris* ex arte quantitate parva subinde usurpatis, & abstinendo à Potus Generosioris, omniumque adeò Spirituosorum quotidiano & notabili usu.

XX. Eadem ubi solùm *Grandibus Nervis* ad Lienem delatis debetur, non video, qui satis tutò usurpari queant medicamenta modò laudata, nisi quantitate minima,

2. Propter Sanguinem Spirituosiorem.

XXI. Eadem Exaltatio *Sanguinis* aucta 2. in *Liene* propter *ipsum* ex immoderatione Spirituosorum & Aromaticorum usu *Tenuiorem* atque *Spirituosiorem Curabitur*, partim valedicendo paulatim usui notatorum immoderato, partim usurpando prudenter Subaustera medicamenta & condimenta,

3. Propter Lienis Parenchyma Tenerius & Laxius.

XXII. Exaltatio eadem aucta 3. propter *Lienis Parenchyma Tenerius & Laxius*, *Curabitur*, si curari queat, per Medicamenta subaustera non semel à me laudata tum interna, tum externa sat diu usurpata.

CAPUT XLIV.

De Bilis Generatione læsa.

Tractatio de Bilis generatione ardua?

I. LOcum & *Modum Generationis*, *Secretionisve* ut & *Visum*, *Modumque Motus Bilis* verum cum singulorum *Læsionibus*, *Causis & Curatione* tractare aggredior, rem profectò præ cæteris omnibus forsan etiam nunc in Medicina obscuram, ideòque arduam, quin dissidiorum, & contradictionum plenam.

Bilis Materia & generationis modus.

II. *Suspicatus sum* quidem Disput. Med. 6. §. 36. secundùm Experimenta mihi tunc nota, *Generari Bilem ex Sanguinis per Arterias Cysticas ad Bilariam Vesiculam delati partibus ipsi maximè similibus, & per ejusdem Tunicæ poros in Cavitatem ipsam sensim penetrantibus, atque ibidem mox in eandem cum reliqua Bile naturam abeuntibus*.

Et per varias vias

III. Eandem *Bilem* censui ex *Folliculo suo propelli per Ductum Cysticum in Communem dictum hinc partim per Intestinalem ad tenue Intestinum, partim per Hepaticum ad Venæ Portæ atque Cavæ ramos, inde unà cum ascedente Sanguine ad Cor in Usus notabiles* in eadem Disputatione propositos, & in sequentibus hic Capitibus ampliùs proponendos,

Adversus quæ varia objectiones producta.

IV. Contra has meas de *Bilis Ortu*, *Motu* & *Usu* cogitationes à diversis varia quæsita, excogitataque sunt, aut sponte occurrentia in medium prolata experimenta & argumenta; quorum pleraque tamen ipsas (quantum ego saltem judicare possum) non tam falsitatis arguunt, quam dubias reddunt; excepto uno, de quo mox.

Non tantũ à Viris Doctis sed etiã ab Auctoris Discipulis quibusdam.

V. Nec tantùm alibi à Viris Celebribus & Doctis mota mihi est publicè super hac re controversia, sed, quod mireris, & de quo mei exultent Adversarii, etiam hic à nonnullis ex discipulis meis Laureolam in mustaceo quærentibus, ne dicam triumphum insuper ante partam victoriam sibi canentibus non tam indictum est mihi,

quàm

quàm illatum bellum, non apertum, sed opertum, tectumque, quo sperabant forsan aliqui me prius iri oppressum, quàm de pugna imminente subeundaque certiorem factum.

VI. Verùm enim verò, qui uni Veritati eruendæ, communibusque hominem commodis promovendis unicè addictus, didici etiam Victus triumphare cum Victoribus, tot diversæ armaturæ agminibus neutiquam sui à proposito meo deterritus, quin potiùs in eodem alacriùs prosequendo plurimùm excitatus ac roboratus.

Qui pro fideli informatione ejus existimationi & fortunæ plurimùm detrahere, conabantur.

VII. Quamvis autem hactenus speraverim omnes, quibus informatione & manuductione ad praxin fideli (ut alia nunc reticeam amoris ac benevolentiæ clara testimonia) Parentis loco fui, juramenti sui, sponsionisve, quando hic Medicinæ Doctores fuerunt creati, solenniter præstiti memores vicissim Me Parentis loco habituros, atque, si quid veritati, utilitative mortalium in meis vel dictis, vel scriptis existimarent se observasse minùs consentaneum (sicut ipsos, cæterosque Auditores meos rogavi sæpiùs) de eo me humanè monituros: Contrarium tamen hic factum; quin Adversariis meis (qua Promotionis spe nondum assequor) innotuerunt priùs, quàm mihi consilia ipsorum & artes, quibus existimationi meæ qualicunque ac penè fortunæ quoque gloriabantur aliqui plurimùm iri detractum. Idcircò de bono eventu securus, ubi per Amicos in Urbibus vicinis, mox in hac quoque degentes ac de me, honoreque meo sic vacillante solicitos significatum est mihi, in quanto videretur multis versari fama mea periculo, ut cum majore nominis sui laude, inusitatique animi grati commendatione solennem ac publicam de me superato, prostratoque reportarent Filii mei Medici exoptatam victoriam, in Disputatione sub meo præsidio in Auditorio nostro Medico publicè habendam curavi sequens inseri Corollarium, quo primaria eorum argumenta continebantur.

Corollarii illorum Argumentis oppositum.

VIII. *Bilis humanæ Motum ex Folliculo suo per Ductus Hepatici ramos ad Cor, nec 1. Folliculi defectus in Equis, Cervis, aliisque brutis; nec 2. Ductus Cystici cum Intestinali ad obtusum, cum Hepatico verò ad acutum angulum insertio; nec 3. Cystici Ductus ligatura, quin Folliculi exsectio, Bilisque, (sed pallidioris, fluidioris, & minùs amaræ, quàm ex Folliculo ipso excipiebatur) in vase vitreo Intestinali Ductui alligato collectio evertunt.*

Acriter oppugnatū & defensum.

IX. Contra quàm meam positionem pugnatum est acriter 15. & 19. Decembris Anni 1668. à notatis Liberis meis Academicis ad epulum hoc invitatis; qui, secùs ac ego, arbitrabantur pro se stare tum memoratas in Corollario Observationes Anatomicorum, tum Regulas de Motu singulares Mathematicorum, tum Ingenii subtilis technas Logicorum; quo verò successu editum sit prælium illud, soli judicare potuerunt ac debuerunt Viri docti tunc præsentes ac præjudiciorum expertes. Ego saltem istius dimicationis superstes quovis tempore novum pro veritate in hac de Bilis Motu vero Controversia etiam nunc multùm latente ampliùs eruenda certamen qualecunque privatum, vel publicum, scripto vel viva voce cum quocunque honestè pugnaturo sum inire paratus.

De Bilis Ortu & Motu sola consideratione digna rationes M. Malpighii.

X. Sed, ut hanc rem ad Veritatis illustrationem majorem altiùs repetam, ultrò fateor inter argumenta contra meas de *Bilis Ortu, Motuque* Conjecturas à variis prolata & mihi communicata, me nulla offendisse, quæ valdè urgerent, præter ea, quæ in eximio suo *de Hepate Tractatu* 1666. Bononiæ edito, & anno sequente ad me misso habet *Vir multis nominibus Excellentissimus nec tantùm in Naturæ arcanis per anatomen retegendis solertissimus, verùm in secùs Sentientium opinionibus amicè atque placidè refutandis ad exemplum Delebos Opera.* *candidissimus & humanissimus Marcellus Malpighius.*

Iecur constare multiplicibus lobulis, ad eosque terminari Vasorum extrema.

XI. Hic ex suis experimentis (quæ licet ob negotiorum multitudinem nondum similiter ipsemet capere potui, pro veris tamen à Viro tam ingenuo accipio) *totum Iecur* docet *multiplicibus constare lobulis, qui glandulosis coagmententur globulis; ad quos terminentur omnium vasorum afferentium ac efferentium, Venarum Portæ* atque *Cavæ, Arteriæ Hepaticæ, Nervorum, Ductusque Bilarii Hepatici*, quin & *Radicum ex Folliculo Fellis propagatarum extrema*: quæ omnia, quippe minima, licet non attingat *Sensus*, ita tamen se habere, sicut monet idem, *Rationi* videtur consentaneum.

Secretionem Bilis fieri in Acinis Glandulosis

XII. Quibus sic observatis, suppositis vel concessis, *Secretio Bilis expectanda veniet in laudatis Acinis Glandulosis*; quemadmodum valdè probabiliter idem Vir *Ingeniosissimus* existimat *omnem Depurationem, Secretionemque Succi, sive Excrementitii, sive Proficui è Sanguinis massa solis Glandulis haberi.*

Quamvis locus modusque secretionis Bilis Auctori esset mutandus, non tamen usus ab ipso assignatus evertitur.

XIII. Quamvis autem secundùm admissa *Illustris Malpighii* experimenta videam *Locum, Modumque Secretionis aut Generationis Bilis* à me hactenus creditum & assignatum, quin *Modum*, quo existimavi *moveri Bilem*, ex parte saltem mutandum; non video tamen, quod ad Medicum ædificium perficiendum censeo primarium, & quò collimo, *Usum Bilis* à me propositum idcircò everti.

XIV. Nam, etsi suppositis ejus experimentis secerneretur Bilis in Glandulosis Hepatis Acinis, ferreturque ipsius pars aliqua recta per Ductus Biliarios Hepaticos versùs eorum Truncum ad Intestinalem, & pars alia per Folliculi radices ad ejusdem Cavitatem, atque inde per Ductum Cysticum ad eundem Intestinalem, ipsumque Intestinum: *non sequitur* tamen inde 1. *Nil ejusdem Bilis transire ex iisdem Acinis ad Venæ Cavæ ramos minimos Acinis quoque implantatos*. 2. *Nil ejusdem Bilis per notatos Ductus Bilarios Hepaticos delatæ transire in Ramos Venæ Portæ ipsis arctè conjunctos*. Siquidem nec ab Ipso, nec à quovis alio, quod sciam, probatum est hactenus *Bilem secerni è Sanguine Venoso, non verò ex Arterioso*. Dicitur quidem, ast itidem non probatur ab Ipso, vel ullo alio *Venam Portæ munus explere Arteriæ*; quæ haud desideratur, sed adest *Hepatica*.

Ortus Bilis geminus.

XV. Antequam ad *Bilis* Motum pergam unum de ipsius *Ortu* habeo monendum, etiam secundùm laudati Malpighii experimenta, geminum illum statuendum, alterum *simplicem per Ductus Bilarii Hepatici ramos minimos ex Glandulosis Acinis exceptæ*, atque recta versùs Truncum majorem propulsæ, alterum *duplicem per Folliculi radices ex iisdem Glandulosis Acinis admissæ, moxque ad Folliculum ipsum delatæ, ibidemque aliquandiu* morantis, & *mutationem, si non novam, ulteriorem saltem subeuntis* ante, quàm per Ductum Cysticum effundatur. Unde fortassis (quod §. 8. extat) quæ *ex solo Ductu Bilario* excipitur *Bilis*, *pallidior*, *fluidior & minùs amara* est, quàm quæ colligitur *in Folliculo*.

Cur Bilis quæ ex solo Ductu Bilario excipitur, pallidior, fluidior, & minùs amara sit, quā quæ ex folliculo.

Bilem ad Intestinum tenue, & per ductum Hepaticum ad Cor moveri.

XVI. *Bilem ad Intestinum tenue moveri*, nemo negavit unquam, cùm facilè id evidentibus evinci queat experimentis; sed *Ipsam sursum per Hepar & Cavæ Venæ propagines ad ejusdem Truncum, & sic cum Sanguine ad Cor ferri* negant multi; Ego verò etiam nunc asserere haud dubito, duobus præsertim, ne nimis longus sim, argumentis motus; quorum alterum *Motum illum possibilem*, alterum *necessarium arguit*, etiam per *Ductum Bilarium Hepaticum*.

Probatur 1. Experimento.

XVII. *Posse Bilem per Ductum Hepaticum ad Cor ferri* nemo negabit, qui noverit *apertum esse ipsi per hunc Ductum, hinc & Cavam Venam viam* quod evincit Experimentum à me, aliisque factum, & Disp. Med. 6. §. 51. descriptum, quod sit Tubu-

lum, hinc & Flatum immittendo in Ductum memoratum, ex quo sensim observatus est Flatus penetrasse ad Venæ Cavæ Truncum, dextrumque Cordis Ventriculum, ipsosque adeò Pulmones: postquam istæ partes omnes tumefactæ sunt ab illo flatu.

2. En Ictero

XVIII. *Ferri necessariò Bilem en Hepate versùs Cor*, non tantùm ex Glandulosis ejus Acinis, verùm *ex ipso etiam Folliculo per Ductum Hepaticum* demonstrat *Icterus*; sive is adscribatur *Ductui Intestinali Obstructo*, quemadmodum est vulgaris Medicorum Sententia, sive is debeatur *universæ Bilis, ac præcipuè Cysticæ*, hoc est, *in Folliculo suo elaboratæ* (secundùm §. 15.) *Spirituositati auctæ*, quod ego existimo veritati maximè consentaneum ob rationes Cap. 46. passim proinde proferendas.

XIX. Quemadmodum igitur *in Ictero*, statu hominis præternaturali, *fertur manifestè Bilis vel universa, vel saltem plurima versùs Sanguinem*, ita *in media sanitate*, statuque homini naturali, *ejus multum eò ferri* omninò statuendum est: cùm præsertim ne unica quidem ratio solida & assensum cogens contra hunc motum, quod sciam, prolata sit hactenus à quoquam.

Quot modis Bilis Secretio lædatur.

XX. Atque his de *Bilis Ortu*, *& Motu* quodammodo secundùm Experientiam immutatis, permanente interim *Usu* à Me ipsi assignato videndum quot & quibus modis *lædi* soleant singuli; & *Secretio* quidem, sive *Generatio Bilis læditur* 1. quando ipsa plus, minùsve *Deficit*. 2. quando *Nimia* sit. 3. quando variis modis qualitate *Vitiosa* producitur.

1. Defectu generationis.

XXI. 1. *Deficit* plùs, minùsve *Bilis novæ productio* tum *Sanguinis*, tum *Glandulosorum Acinorum* culpa.

Culpa Sanguinis.

XXII. *Sanguinis* culpa hoc fit, quoties desiderantur in ipso *partes reparandæ*, *restaurandæque Bili utiles ac necessariæ*, ipsique implexæ atque implicatæ, adeoque ipsius Secessum impedientes.

Quænam reparandæ Bili conducunt.

XXIII. *Reparandæ Bili* conducunt *Aromatica* omnia & imprimis *amaricantia*, ipsaque *Salia Volatilia*, & maximè *Oleosa*.

Bilis contraria.

XXIV. *Contraria Bili* sunt *Acida*, & præsertim *Austera*, ut & *Viscosa*, *Terreaque* ipsius Secretionem impedientia.

Quanā Sāguinem ad Bilis Secretionem ineptū reddāt.

XXV. Sanguinem autem talem præstant 1. *Aer* nebulosus & frigidus, adeòque Borealis. 2. *Alimenta* viscosa, & austera. 3. *Somnus* multus & profundus. 4. *Animi mœror ac terror* 5. *Corporis quies* nimia. 6. *Alvus adstrictior*, & aliquando *laxior*.

Quando Glandulosorum Acinorum culpa deficiat Bilis.

XXVI. *Glandulosorum Acinorum* vitio *Deficiet Bilis*, quoties illi *ad promovendam ejus Secretionem minùs sunt apti*: quamvis quales in eum finem requirantur, necdum constet.

Inter Sanguinis partes, & secernendos humores esse affinitatem.

XXVII. Id saltem hactenus observavi, *Medicamenta, quæ Sanguinem ad cujus Humoris Secretionem aptum reddunt*, *reddere simul Partes*, *in & à quibus fiunt singulæ Secretiones*, *ad eandem Secretionem absolvendam aptas*: unde concludo talem inter Partes, Secernendosque in ipsis Humores esse affinitatem, ut ab eadem re aut juventur, aut lædantur Sanguis, & Partes illi muneri dicatæ: Ex qua affinitate spero futurum, ut aliquando excogitetur à quovis ad id vocato Natura cujusvis Partis cuivis Functioni aut Secretioni servientis.

2. Læditur Bilis Secretio ejus nimietate. Culpa Sanguinis.

XXVIII. 2. *Augetur Bilis* à Sanguine *Secretio* itidem nunc *Sanguinis*, nunc *Glandulosorum Acinorum* vitio.

XXIX. *Sanguinis* culpa id evenit, quoties idem *abundat Bili constituendæ partibus valdè convenientibus*; nec *impeditur à contrariis* §. 24. notatis, propter Causas externas omnes, pleraque saltem ac potiores simul aliquandiu concurrentes.

XXX. *Abundat Bili producendæ* aptis partibus *Sanguis* 1. propter *Aerem calidiorem* ac æstuantem, atque adeò æstivum. 2. propter *Alimenta Spirituosa*, *& Pinguia*, imprimis *Sale Volatili Oleoso* abundantia, qualia sunt Vina potentia dulcia, Carnes pinguiores, Panis optimè Fermentatus, Cerevisia potentior & amaricans; &c. Huc faciunt Condimenta omnia tum aromatica, tum præsertim amarescentia 3. propter *Vigilias* diuturnas. 4. propter *Iram* frequentem. 5. propter *Corporis motum* vehementem, aut multum. 6. propter *Alvum adstrictiorem*, Bile in corpore retenta, vel *laxiorem*, ipsa exuperante, exitumque quaquaversùm quærente. *Quænam Sanguinem Bili producendæ aptē reddunt.*

XXXI. *Condimenta dulcia & saccharata*, *mellitave non* tam videntur mihi *augere*, *quàm turbare*, atque ad *vitiosè effervescendum excitare*, *ac cogere Bilem*: unde raro ipsorum usum nimiùm, adeòque abusum sequi solet *Vomitus* & *Alvi fluxus* noxius, quin aliquando simul lethalis. *Dulcia Bilē turbare, & Vomitum et Alvi fluxū ciere.*

XXXII. *Glandulosorum Acinorum* vitio *augebitur Bilis Secretio*, quando vitiosam & copiosæ Bili separandæ convenientem dispositionem ob eadem modò memorata Diætæ vitia primaria diutiùs continuata novam, vel saltem auctam sunt nacti. *Quando Glandulosorum Acinorum culpa Bilis Secretio augetur.*

XXXIII. 3. *Qualitate vitiosa* producitur *Bilis*, quoties 1. secundùm *qualitates suas sensiles proprias Colore* est dilutiùs, vel obscuriùs flavescens; *Sapore* autem magis, vel minùs amara; *Odore* plus vel minùs acris aut fœtens; *Duritie*, quoties in calculos concrescens consistentia & firmitate prædita est notabili: vel 2. secundùm *qualitates sensiles communes*, naturali nunc *consistentior* est, aut *fluidior*; ac proinde nunc *glutinosior* nunc *liquidior*, ut de *copia* mutata & jam proposita nil addam. *3 Qualitate vitiosa producitur Bilis.*

XXXIV. Cùm & *Colores* & *Sapores* & *Odores* observentur *a rebus diversissimis mutationes incredibiles pati*, ultrò fateor me hactenus veras ipsarum Causas & Rationes accuratas exactè assignare non posse; hilari & grato animo à quovis tam felice illas acceptaturus. Quibus in opaco latitantibus, observationum tamen multitudine inveniendis, & ingenii ope in apricum proferendis utinam utilem Reip. laborem impendere haud detrectarent Magnorum Regum auctoritate institutæ ac necessariis ad rem talem absolvendam adminiculis haud dubiè abundè instructæ Societates Regiæ. *Colores & Sapores & Odores à rebus diversissimis mutari.*

XXXV. *Consistentiam*, hinc & *Glutinositatem Bilis*, ut & aliorum Humorum in corpore *Augeri* frequenti *Austerorum* usu, easdem contrà *Minui* à continuata *Volatilium Salium* & *Acrium Aromaticorum* usurpatione aliquot annorum observationibus sum edoctus. *Quænam consistentiam Bilis augeant, quænam minuant.*

XXXVI. *Deficiens Bilis Secretio* major aut minor, vel Sanguini, vel Glandulosis Hepatis Acinis debita *Curabitur* 1. *Aere* natura vel arte Calente. 2. *Alimentis* & *Condimentis* Sale & Spiritu volatili abundantibus; & imprimis amaricantibus 3. *Vigiliis* modum parùm excedentibus. 4. *Iracundia* moderata. 5. *Corporis exercitio* aliquantò vehementiore. 6. *Alvo* servata tenera, non item fusa, vel fluente. *1. Deficiens Bilis Secretio qui curetur.*

XXXVII. Inter *Medicamenta* expertus commendo frequentem usum *Salium Volatilium Oleosorum*; ut & *Aromaticorum amarescentium* & imprimis *Absynthii* & similium quovis modo usurpatorum.

XXXVIII. 2. *Aucta plùs, minùsve Bilis Secretio Curabitur* 1. *Aere* frigidiore ac Boreali. 2. *Alimentis*, *Condimentisque* Austeris, Glutinosis & parùm Spirituosis. 3. *Somno* etiam arte aucto. 4. *Animi mœrore* mediocri. 5. *Corporis quiete*. 6. *Alvo* servata subadstricta post subductam subinde Rhabarbaro Bilem. *2. Eadem Aucta qui curetur.*

XXXIX. *Medicamenta* hic conducent omnia Consistentiam Sanguinis augentia, & *Austera*

Ter-

Terreaque, quò spectant omnes Terræ pingues & sigillatæ, Bolus Armena, ut & Corallia, Margaritæ, &c. In quorum usu cavendum, ne incidet in Scyllam cupiens vitare Charybdim; usurpanda sunt ergò quantitate parva, & vicibus repetitis, quo sic paulatim emendetur Biliosis particulis turgens Sanguis.

3. Bilis Sapor minùs amarus qui corrigatur.

XL. 3. *Bilis Sapor minùs amarus* corrigetur frequenti usu *Condimentorum*, *Medicamentorumve blandè amarorum*, *Absinthii* præsertim, & ex ipso parati *Absinthitis*, & similium.

Ut & Ejusdem durities.

XLI. *Durities Bili* in calcolos concrescenti conciliata *Curabitur* Graminis Succo & Decocto, ut & Nitri Spiritu tam puro, quàm dulci ex Vino, Cerevisia, &c. usurpato,

Nec non eius Aucta Glutinositas.

XLII. *Aucta Bilis Consistentia & Glutinositas Curabitur Aromaticis* subacribus, & imprimis *Salibus Volatilibus* omnibus, sed maximè Oleosis.

Et contra ejus Aucta Fluiditas.

XLIII. *Aucta Bilis Fluiditas & Liquiditas Curabitur* prudenti ac continuato Usu *Austerorum*, sed blandiorum, Omphacii, Cydoniorum, Mespilorum, Prunorum Sylvestrium, &c.

CAPUT XLV.

De Bilis in Folliculo suo Retentione aut Excretione læsa.

In causas, cur Bilis præter naturam in suo foliculo vel retineatur vel excernatur, inquirendum.

I. CUm in omnibus Animalibus *Vesiculam Bilariam* habentibus observetur semper *Bilis* satis multa eadem Sanitatis tempore concervari ac *retineri* (quæ si non perpetuò, per intervalla saltem *excernatur* per Ductum Cysticum, quocunque tandem ulteriùs amandanda) meritò in ejus ibidem præter naturam *Retentæ*, aut inde *Excretæ* Causas, & Curationem inquiritur.

Nimiùm Retinetur Bilis.

II. *Nimiùm Retinetur* ac proinde *accumulatur* in Folliculo suo *Bilis*, vel *sua* vel *Folliculi* culpa.

Sui culpa.

III. *Sui culpa Retinetur diutiùs* in sua Vesicula Bilis, quoties *Glutinosior* existit, adeòque ad motum ineptior, aut *in Calculos concreta*, ideòque ad excretionem ineptissima: neque tam potens videtur Vesiculæ motus & contractio, ut inexistentes sibi Calculos queat expellere.

Ob glutinositatem.

IV. *Glutinosior* redditur *Bilis* ab *Alimentis* similibus vel *austeris Condimentis*, diu usurpatis; ut & *Aere* frigido & aspero; *Animique Mærore*: à quibus præsertim Succus Pancreaticus, hinc & Sanguinis Massa universa, mox & Humores omnes fiunt nimis Glutinosi.

& in calculos concretionem.

V. *In Calculos concrescit & coagulatur Bilis à Succo Lapidescente* quibusdam dicto, vel *Lapidem faciente* potiùs dicendo, quem ab *Acido austero* vim suam obtinere suspicor, postquam ab *Acido subtili & acri solvuntur Lapides, Calculique.*

Vel Folliculi culpa.

VI. *Folliculi* sui culpa *diutiùs* in eodem *Retinebitur Bilis*, quoties ob Bilis collectionem summam ipsius *Fibræ laxiores* fient, aut *deficient in eis Animales Spiritus*, imprimis propter ipsius *Nervos* malè affectos (quamvis rariùs Causam hic alterutram locum habere putem) aut *obstructus* erit ejus *Exitus* à *Bile in extremè Glutinosum Humorem, Calculumve concreta.*

Nimiùm contra ea cernitur Bilis.

VII. Eadem *Bilis excernitur nimiùm è suo Folliculo* itidem vel *sui*, vel *Folliculi* culpa.

Sua culpa.

VIII. *Sui* culpa, ubi *fluidior & liquidior Bilis* existit, ex nimio usu *Condimentorum*, *Medicamentorumve Aromaticorum*, *acriorum & amarorum*, ipsiusque *Salis Volatilis cujuscunque*; è quibus ante omnia redditur Bilis valdè Liquida & fluida, quin universus quoque Sanguis, mox & Humor quivis ex ipso secretus.

vel folliculi culpa.

IX. Huc faciunt quoque *Aer fervidus* ac æstivus, *Ira* frequens, *Corporis motus* satis vehemens diu continuatus, & *Vigiliæ* protractæ.

X. *Folliculi culpa nimiùm ex ipso excernitur Bili*, quoties idem *ad sui contractionem irritatur* valdè; quod videtur habere locum, quando ab *humoribus acribus & multùm volatilibus*, ipsisque adeò *Venenis* talibus, arsenico puta & similibus, vel in tenui Intestino priùs cum Bile vitiosè effervescentibus, atque halitus sui similes per Lacteas Venas versùs Cor, hinc cum Sanguine quaquaversùm & ad dictum Folliculum emittentibus, vel aliàs quovis modo eò delatis, ac rodentibus irritatur Folliculus, excitaturve in eodem Vitiosa cum Bile Effervescentia, unde ab elevatis tunc halitibus propter ipsorum copiam vel acrimoniam itidem irritatur ad sui Contractionem Folliculus.

Bilis Glutinositas qui curetur.

XI. *Curabitur Bilis Glutinositas nimia* mutando, quantùm licet, *Diætam* §. 4. notatam in subcontrariam, usurpandoque *Condimenta*, *Medicamentaque Aromatica subacria & amaricantia*, & imprimis *Salia Volatilia Oleosa*; quorum ope curavi sæpiùs Bilis tenacitatem excedentem.

Calculos ex Bile ortos esse, quomodò dignoscatur

XII. Cùm difficile sit Calculos ex Bile ortos dignoscere, non mirum si eorundem Curatio res inaudita videatur multis Medicis. Quoniam tamen, ubi Calculi post obitum reperiuntur in Fellis Folliculo, reliqua Bilis amurcam imitatur sordibusque scatet ac fæcibus subsidentibus; qualem non semel vomitu excretam observavi; existimarem in talibus metum esse, ne aliqua Bilis pars concrescat in calculus, dum in tales fæces abit alia; ideòque usurpanda tunc *Medicamenta* hosce *Biliosos Calculos solventia*, ut & *Concretionem quamvis impedientia.*

Calculos Biliosos dissolvit Gramen

XIII. Inter Calculos Biliosos dissolventia medicamenta non dubito referre (quod uno verbo attigi Cap. præced §. 41.) *Graminis radices ac herbam*, vel distillatam, vel, quod præfero, decoctam, contusamve, Succumque ex ipsa expressum, addito saccharo vel melle ad gratiam postquam notum est multiplici experientia Boves & Oves, quibus hyeme alimentum est fœnum atque concrescit in Ductu Bilario lapidea, vel calculosa crusta, ubi Majo mense iterum gramine utuntur viridi, sensim ab illo liberari affectu; certo argumento inesse viridi ac recenti Gramini calculos dissolvendi vim, quæ perit, quando idem in fœnum exsiccatur.

Et Spiritus Nitri.

XIV. Solvendis Calculis conducit quoque *Spiritus Nitri*, quem proinde commendo similiter in hoc casu, & imprimis, postquam cum spiritu vini factus est dulcis & blandus; qui tutò ex vino, cerevisia, aliove potu qualicunque, etiam medicato usurpari poterit ad Guttas x. xij. vel plures idque aliquoties in die.

Concretionem calculorum quænam impediant.

XV. *Concretionem novam impedient Salia Volatilia quævis*, sed imprimis *Oleosa*; quippe quæ Bilem puram præstant, defæcatamque, sicut multiplici sum edoctus experientia.

Folliculi distensio qui curetur.

XVI. Si post Bilis collectionem magnam *Folliculique* Distensionem summam, ejusdem *Fibræ laxentur valde*, non video ipsas nisi sensim restitui posse, usurpatis aliquandiu tam internè, quàm externè *Aromaticis* blandioribus.

Animalium Spirituum defectus qui curetur.

XVII. *Animalium Spirituum Defectus* reparandus *Spirituosis Alimentis* prudenter, hoc est, quantitate parva, sed diutinè usurpatis.

Ut & Obstructio in Folliculi ductu.

XVIII. *Obstructio in Folliculi Exitu aut Ductu* existens, & à *Bile in tenacissimum humorem aut calculum concreata* ortum habens *Curabitur* solvendo illum Humorem, Calculumve per Succum recentem, aut depuratum, Decoctum, Aquamve Graminis sæpiùs exhibitum, addendo ad gratiam Spiritum Nitri aut simplicem aut dulcem, unà cùm saccharo, aut melle.

Bilis fluidior qui emendetur.

XIX. Contrà *Bilis Fluidior ac Liquidior Emendabitur*, ejusdemque *Nimia Excretio Curabitur* vitando *Medicamenta*, *Condimentaque Aromatica*, omniaque *Salia Volatilia*, & ipsorum loco usurpando quævis *Subaustera*, Omphacium, Pruna sylvestria, eorundemve Succum, Terras pingues

varias, Bolum Armenam, Terram Lemniam, Sigillatamve quamvis.

Ejusdem copiosa excretio à Venenis qui curetur. Venenorum acrimonia quibus temperetur.

XX. *Aer calidus* in *frigidum* mutandus; *Ira* in *Mœrorem*; *Corporis Motus* in *Quietem*; *Vigilia* in *Somnum*, quibus aliquid indulgendum.

XXI. Quoties ab assumptis *Venenis* facta est Folliculi Fellis magna irritatio, *Bilisque copiosa Excretio*, toties modis omnibus *temperanda* Venenorum *Acrimonia*, quin ipsa per *Vomitum vel Alvum* quantocyùs *expellenda*.

XXII. *Temperant & Obtundunt Acrimoniam Venenorum* præ omnibus aliis fœlicissimè *Penguia*: Unde in vulgari etiam usu sunt *Lac dulce*, imprimis calens, calefactumve, Oleum Olivarum, vel Amygdalarum dulcium, Juscula pinguia, Decoctum Ficuum, & similia, quæ sola, vel cum Aqua tepida copiosè, ac sæpiùs assumpta obtundunt, diluunt & ad evacuationem sursum, deorsumve apta reddunt Venena voluntariè, fortuitòve admissa.

XXIII. Possunt, ubi hæc non sufficiunt, exhiberi aliquando blanda Vomitoria, vel Purgantia per alvum.

XXIV. Ad *Obtundendam* verò *Veneni acrimoniam*, eandemque ad interiora serpentem foràs *per corporis habitum propellendam* conducunt *Opium*, omniaque *Opiata*, Theriaca, Mitridatium, Diascordium, Orvietanum, &c.

Bilis effervescentia vitiosa qui temperetur.

XXV. *Bilis Effervescentia vitiosa* tum *in tenui Intestino*, tum in *Fellis Folliculo impedietur*, *temperabitur*, *tandemque compescetur* per modò laudata *Opiata*, imprimis Diascordium, ut & *Subaustera terrea* itidem modò laudata, Terram Lemniam, & Sigillatam, Bolum Armenam, Sanguinem Draconis, Lapidem hæmatitem, Oculos cancri, Margaritas, Corallia, Cretam, &c.

XXVI. Formulas Medicamentorum ubique non addo, cùm facile sit vel Tyroni Medico ex plurimis jam in superioribus propositis novas & unicuique Indicationi satisfacientes concinnare.

CAPUT XLVI.

De Bilis Motu ad Intestinum impedito, ac in specie de Ictero.

Bilem ad tenue Intestinum defluere.

I. Bilem in statu maximè sano *ad tenue Intestino per ductum ipsius Intestinalem defluere* non tantùm Partium harumce omnium Fabrica, & Structura, verùm ipsa Bilis in dicto Intestino reperta, quin alvi fæces ab ipsa tinctæ satis, superque probant; ne argumenta proferam ab eadem Bile in statu non-naturali aut præternaturali per Alvum, vel Os satis meraca, & quidem copia notabili excreta desumpta.

Hic Bilis motus quot modis impediatur.

II. *Impeditur* aliquando *Bilis ad Intestinum Motus*, quando Ipsa *glutinosior* est ac *viscosior*, adeòque ad motum ineptior, de quo vitio actum Capite præcedente; vel quando aliqua in *Ductu Cystico*, vel *Intestinali* existit *Angustia*, propter quam difficiliùs, adeòque segniùs, parciùsque per ipsos movetur Bilis; quod tum à *Bile valde glutinosa* Ductuum notatorum parietibus agglutinata, tum ab eadem *in calculosam materiam* concrescente, itidemque notatis parietibus sensim adhærente fiet. Nam non videtur impossibile accidere aliquando hominibus, quod tam frequenter hyemis tempore observatur evenire pecudibus ac pecoribus.

Quomodò in totum tollatur.

III. *Tolletur in totum* Bilis descensus ad Intestinum ab *Obstructione Bilarii Ductus Intestinalis*; vel propter ipsam *Bilem maximè glutinosam* Ductum illum paulatim magis, magisque obducentem atque tandem in *totum opplentem*, vel propter eandem *Bilem lapidescentem* atque totum Ductum similiter *obturantem* orta.

Icteri causa vulgaris.

IV. *Ab Obstructione* notata Ductus Intestinalis docent vulgò *Bilem in descensu suo naturali planè impeditam ascendere vi ad Hepar*, sicque *ferri ad Sanguinem*, mox cum ipso transferri *ad corporis habitum & superficiem*, ibidemque *parere Icterum*.

Non sufficiens.

V. Quamvis autem existimem posse aliquando *ab Obstructione* dicta excitari *Icterum*, non puto tamen sufficere istam obstructionem ad illum producendum, nisi *novam mutationem subeat in suo* præsertim *Folliculo tunc subsistens Bilis*.

Ejus rationes. Experimenta Anatomica, & Practica conjungenda.

VI. Id ut sentiam, plurima me movent, ac quodammodo cogunt Experimenta tum Anatomica, tum Practica; quæ optarem conjungi semper, quoties licet, ab iis, qui rem utilem cupiunt præstare mortalibus, adeòque ipsi Medicinæ in rerum Naturalium, Medicarumque obscuriorum illustratione. Nam sæpenumero evenit, ut quædam Experimenta Anatomica videantur contradicere Practicis, unde ex diutina illorum collatione inter se, atque circùmstantiarum omnium pensitatione accurata Veritas fœliciùs & utiliùs elucescit. Hoc verò si negligatur, obscuratur potiùs nostra notitia, & confunduntur magis res jam per se minùs distinctè nobis occurrentes.

In Ictericis non semper esse Ductuum Obstructionem.

VII. Observavi autem 1. in *dissectione Ictericorum non semper obstructum esse ductum aut Intestinalem aut Cysticum*.

Non semper pallere Alvi excrementa.

VIII. Observavi 2. *non semper in Ictero pallere Alvi excrementa*, licèt solito essent minùs tincta.

Icterum ab Animi Mœrore produci.

IX. Observavi 3. non tantùm à *Veneno* peculiari, verùm *ab Animi mœrore gravi & inexpectato sæpe citiùs productum Icterum*, quàm ut quis aut sibi, aut aliis persuadere possit *productum* tam subitò à quacunque demùm Causa tunc præsente atque agente *in Ductibus Bilariis Obstructionem*.

Curari à Medicamentis Obstructionem non solventibus.

X. Observavi 4. *Curari* & quidem *sat citò Icterum à Medicamentis*, *quorum ope solutam*, vel tam *citò solutam Obstructionem vix aliquis credat*, nisi præjudicio præoccupatus. In hunc censum refero cum *Cannabis semine decoctum Lac bubulum*, cujus tamen unius beneficio plures curavi, & à plebeijs novi curatos: huc refero *Saponem* tum cum *Olivarum*, tum cum *Raparum Oleo*, vel *Balænarum pinguedine* paratum, itidemque *Lacte solutum* & assumptum.

Infantes cum Ictero nasci, aut primùm natos non absque Ductus Bilarii Obstructione.

XI. Observavi 5. *Infantes multos nasci cum Ictero*, *aut mox post partum ipsis erumpere Icterum*.

Eam produci absque Ductus Bilarii Obstructione.

XII. Ex his Observationibus cum pateat *Icterum posse produci absque Ductus Bilarii Obstructione*, quæritur meritò, quænam vera sit, aut esse possit ejus Causa?

Symptomata Icterum instantem aut præsentem indicantia.

XIII. Hæc ut fœliciùs & faciliùs eruatur, præmittam Symptomata Icterum instantem aut præsentem indicantia vulgo nota, mox alia quædam jungam à paucis forsan notata.

Dolor compressivus. Anxietates & Lancinationes.

XIV. Solet igitur *Icterum frequentiùs præcedere ac in principio* etiam *comitari Compressivus Cordis Dolor* dictus, & *circa Ventriculi regionem inferiorem maxime molestus*, concurrentibus *anxietatibus*, *atque obscuris in dextro hypochondrio*, ubi & *Bilis Folliculus*, & *ejus Ductus* existit, *Lancinationibus*.

Alvi Excrementa alba. Alvus segnior.

XV. *Alvi excrementa ferè albent*; suntve *coloris cineritii*, nec è Bile, uti aliàs, diversimodè tincta; quin *segniùs ad dejiciendum* Ægri solicitantur.

Urina obscurè rubentes, & lintea colore croceo tingentes.

XVI. Mox *Urinæ* prodeunt *obscurè rubentes*, atque immissa lintea vel chartam *colore croceo inficientes*.

Color Citrinus in facie, collo, adnata Oculorum tunica, & universa corporis cute.

XVII. Tandem in *facie ac collo*, & magis evidenter in *adnata Oculorum tunica*, eorum album constituente, hinc per *universam corporis cutim Color Citrinus & flavus*, quin aliquando ad *viriditatem obscuram vergens* exurgit; unde tunc *flavus* nunc *niger* vocatur *Icterus*.

Pruritus.

XVIII. Ubi inclinat Icterus, nonnunquam *pruritus magnus* sentitur *in tota corporis superficie*.

Icterus à Spiritus Vini abusu, & Ascites.

XIX. Inter causas externas non rarò vidi ex *Spiritus Vini*, aliorumque *Potuum generosiorum abusu* productum *Icterum*, & huic succedentem *Ascitem*, utplurimùm lethalem.

XX.

Bilem in Ictero Sanguini solitò minùs permisceri.

XX. Quibus omnibus ritè expensis censeo, sive locum habeat cujusvis Ductus Bilarii Obstructio, sive talis Obstructio fingi nequeat, *Bilem* tunc *subire mutationem notabilem, propter quam moveatur & feratur impetuosiùs & copiosiùs versùs Sanguinem*, cui tamen *solitò minùs permisceatur*, sed ipsi duntaxat *confundatur*, ideòque faciliùs ab eodem recedat, & non tantùm Cuti; partibusque externis, verùm Musculis quoque, atque Visceribus se jungar, & illa Calore suo inficiat & tingat.

Secundum Naturam verò intimè uniri humoribus.

XXI. Bilis enim naturaliter se habens tum in tenui Intestino, tum etiam Cordis Ventriculo dextro haud laxè tantùm, sed intimè admiscetur ac permiscetur occurrentibus Humoribus, & ità quidem, ut ab illis ampliùs separari nequeat: quæ unio fit propter ipsius Effervescentiam in loco memorato utroque cum confluente Acido institutam.

Quid ad bilis effervescentiam cū Humoribus requiratur.

XXII. Quoniam igitur *desiderari* videtur *in Ictero istu Bilis cum cæteris Humoribus intima conjunctio ac secundùm aliquas sui partes permistio*, ut & laudata illa *Effervescentia*, si non in totum, ex parte saltem *impedita*, videndum, quò utriusque hujus effectus, quin & Icteri quoque Causa innotescat, *quid requiratur in Bile ad Effervescentiam utramque perficiendam, quidque illi advenire possit, ut ipsam minuat vel tollat.*

Inter quæ Effervescentia contingat.

XXIII. Jam verò cunctis, imò lippis & tonsoribus notum, *Effervescentiam omnem contingere inter Acidum & Salem Lixivium, quodve de Sale lixivo participat*, & in quantum de ipso participat.

Ratione cujus Bilis ad Effervescentiam concurrat.

XXIV. Quisquis autem *Bilem* examinaverit, & tam cum *Acidis liquoribus*, quàm cum *Salibus lixivis* qualibusque confuderit, facilè capiet *Bilem concurrere ad excitandam Effervescentiam ratione Salis Lixivi*, sed *multis modis in ipsa multùm temperati*; ne fiat in corpore potens ac vehemens, adeòque nocens, quin blanda potiùs & naturæ amica Effervescentia.

Bilis Sal qui ineptum ad Effervescentiam reddatur.

XXV. Quòd si Salis Lixivi rationem habeat in Effervescentia excitanda *Bilis*, ulteriùs pergendum, ac videndum, qui affici queat Ejus *Sal*, ut minùs sit ad Effervescendum aptus.

Quodnam Sal lixivum ad Effervescendum aptum, quodnam ineptum sit.

XXVI. Notum autem iterum per Experientiam *Salem Lixivium purissimum*, adeòque *acerrimum* esse *ad Effervescendum aptissimum*; eundem contrà *quomodocunque obtusum ad Effervescendam* reddi *plùs minùsve ineptum*.

Quænam ejus Acrimoniam obtundant.

XXVII. *Obtundunt* verò *Lixivi Salis acrimoniam* plura, & 1. quidem omne *Oleosum*, & *Pingue*; quod testatur Sapo quivis. 2. omne *Spirituosum Volatile*; quod testatur Tartari Sal cum Spiritu Vini rectificatissimo volatile factum. 3. *Terreum*; quod testantur Coralia, Margaritæ, Oculi Cancri, Creta, & alia plura.

Quænam acuant.

XXVIII. Lixivi Salis Effervescentiam *promovet, facilitatque Aqua*, si *pauca* ipsi jungatur; eandemque *infringit & offuscat*, si *multa* ei affundatur.

XXIX. *Solus Ignis* ejusdem *Lixivi Salis Acrimoniam acuit & auget*; unde quò diutiùs illud Ignis urgetur vi & flamma, eò redditur idem acrius & ad potenter ac vehementer effervescendum convenientius.

Bili non parùm Oleosi & pinguis esse admistum.

XXX. Hæc omnia ut negotio præsenti accommodemus, atque Doctrinæ de Ictero satis obscuræ optatam lucem pro virili afferamus, Quisquis attentè *Bilem* consideraverit, agnoscet facilè *non parum Oleosi & Pinguis ei secundùm naturam esse admistum*; propter quod, utpote potentissimum ac efficacissimum, adeòque primarium Acrimoniæ Salinæ obtundens, nunquam acris vel magna durante sanitate observatur Bilis aut in Corde, aut in tenui Intestino Effervescentia.

Et parum Spiritus Volatilis.

XXXI. Eidem *Bili* admistum esse *Spiritus Volatilis aliquid* agnoscet, quisquis non tantùm Nervos satis grandes viderit ad Hepar deductos, sed insuper ipsam cognoverit rebus quibusvis facilè admisceri; quod non fieret, nisi ei permistus esset notabili quantitate Spiritus Volatilis: nam propter Oleositatem comitem difficiliùs admiscetur rebus omnibus Sal lixivus, cui quoties junctus est Spiritus Volatilis, toties aptior fit ad illam cum singulis commistionem absolvendam. Sed eo ipso redditur insuper Bilis Sal temperatius; unde hactenus quoque blandior existit ejusdem in statu naturali Effervescentia.

Ut & parum Terræ.

XXXII. *In Bile aliquid reperitur Terræ*, non tamen tantùm, ac multi malè putant, quia vel malè operantur, vel malè ratiocinantur; aliàs minùs esset mobilis, & fluida, minùsque aliis se insinuans, quin eadem mobilia præstans; sicut id peculiariter patet in Colorum materia, quæ à Bile admista redditur fluidior, & ad pingendum aptior. Ab admista verò Terra etiam pauca, infringitur Bilis Effervescentia, ne in statu sanitatis contingat potens, acrisque.

Ignem non solum esse in rebus naturalibus agens.

XXXIII. Non possum silentio hic præterire quorundam in rerum naturalium notitia per Chymiam comparanda errorem satis crassum & noxium: Existimant enim omnia, quæ rebus naturalibus insunt, sola patere distillatione, nilque ipsis contineri, quod distillatione non prodeat; ac si solus Ignis; ut aliqui perperam putant, esset Agens, & quidem universale, quod rebus naturalibus omnem afferat mutationem; quod qui asserunt, quàm parùm sint in experimentis Chymicis sumendis versati, eo ipso plus satis testantur; postquam infinitæ mutationes occurrunt, quæ ab Igne deduci nequeunt, & non paucæ, quæ Igni adversantur. De qua re plura proferam, si aliquando mihi otium, aliaque ad id opus condendum necessaria concedat Deus; quò quam sex ac triginta annis mente volvi Naturalium rerum Scientiam, scripto consignare, atque publico communicare valeam.

Sal Bilis Lixivus ab igne in nostro corpore acrior fieri nequit.

XXXIV. *Ignis certè in humano corpore talis tantusque* à mentis sanæ homine *fingi non potest, à quo uri, acriorque fieri queat Bilis Sal Lixivus*; ac quidem in statu recedente maximè à naturali; cùm, si quis rem ritè examinaverit, primaria intensioris Caloris in statu nonnaturali, aut præternaturali-Causa in corpore ipso existens sit à Bili petenda, deducendaque.

Bilis Caloris Causa interna in nobis. Externa verò Ignis vel Sol.

XXXV. Dixi Caloris Causam primariam in corpore existentem, sive Internam; quò distinguam ipsam ab Externa quavis, quam nil impedit posse aut *Ignem* vulgarem quovis pabulo sustentatum esse, aut *Solem*; à quibus Humores omnes ac præcipuè Bilem acriores fieri nulli non notum.

Acrimonia. Propria Bilis ab externo igne.

XXXVI. Quoties proindè Acrior redditur in humano corpore Bili, & quidem acrimonia propria, & in Sale Lixivo consistente, toties acrimonia illa quærenda, deducendaque ab externo Igne nunc Solis, nunc Foci.

Accidentalis ab Acido acri.

XXXVII. Dixi acrimonia Propria, quò distinguatur ab Accidentali, quæ ipsi ex admisto Acido acri contingit, quod Bilem producit nunc Æruginosam, nunc Atram, prout nimirum minùs, vel magis acre Acidum Bili admiscetur, & compositum Humorem constituit, uno licet Bilis nomine notum.

Bilis incendium cui adscribendum.

XXXVIII. Cùm proinde inter ea, quæ in corpore inveniuntur, atque inter Causas Internas referri possunt ac debent, nil occurrat, quod *Bilem* possit *reddere Acriorem*, præter *Succum Acidum*, facilè quoque patet, cui adscribi debeat *Bilis Incendium* vulgò magis celebratum, quàm intellectum, aut explicatum.

Causa ineptitudinis Bilis se Humoribus intimè uniendi.

XXXIX. His ita præmissis, quærendum porrò, *Cuinam præsertim debeat suam in Ictero se Humoribus cæteris permiscendi, ac intimè uniendi ineptitudinem Bilis.*

Icterum excitari à Vipera morsu. Ejus Venenum natura volatilis & spirituosa.

XL. Hoc ut faciliùs, evidentiùsque pateat, considerandum sæpennumerò Icterum brevi temporis spatio excitari à *Viperæ* morsu: cujus *Venenum*, quoniam celeriter opus suum absolvere solet, *valdè mobile*, adeòque *subtile*, quin *naturæ Volatilis, & Spirituosæ* omninò censendum.

XLI.

A Spiritu volatili Icterum produci.

XLI. A *Spiritu valde Volatili copiosiùs Bili admisso, ipsamque Spirituosiorem faciente Icterum produci posse* confirmare, quin probare videtur *Icterus* sat sæpè *Vini generosioris*, ac præsertim ejusdem *Spiritus potatoribus* propter neglecta simul alia alimenta solidiora *superveniens*; ac imprimis quando aliquis *Animi mœror* præcessit, permanetque.

Bilem ad Icterum producendum aptam reddi à Viperæ veneno, & à potu generosiore.

XLII. Adeò ut non videatur mihi absurdum vel improbabile, *Bilem ad Icterum producendum reddi* nunc à *Veneno Viperæ* penetrantissimo & spirituosissimo brevi tempore, nunc à *Potu generosiore* diutinè usurpato, sed longiori tempore *nimiùm Spirituosam & ad* convenienter *cum Acidis effervescendum*, hinc & *Humoribus cæteris se intime jungendum minus aptam*.

XLIII. Sed dicat aliquis rei attentus, Si à Veneno Viperæ, aliove, ut à Potu generosiore ita immutari potest Bilis, aut absque Obstructione in Ductibus Bilariis existente produci queat Icterus, non desinet saltem ad tenue Intestinum deduci Bilis; à quà licet minor ac debilior contingat ibidem cum Succo Pancreatico Effervescentia, quid ni ab eadem saltem tinguntur alvi Excrementa, uti aliàs fieri solet?

In omni Ictero non æquè alba esse Excrementa.

XLIV. Cui difficultati ut satisfaciam, Respondeo 1. In omni Ictero haud æquè albicantia, ideòque minùs flavo Bilis colore tincta occurrere Alvi Excrementa: unde judico aliàs plùs, aliàs minùs Bilis admisceri quoque in Ictero Alvi Excrementis, à quibus plùs, vel minùs tingantur.

Nec æquè male affectam Bilem.

XLV. Respondeo 2. In omni Ictero haud æquè affectam esse malè Bilem, unde hactenus quoque magis vel minùs ipsa Excrementis Alvi admisceri potest, eademque tingere.

Ad tingenda Excrementa requiri effervescentiam Bilis & Succi Pancreatici.

XLVI. Respondeo 3. Ut à Bile ritè tingantur Alvi Excrementa, desiderari præviam & sufficientem ejusdem cum Succo Pancreatico Effervescentiam, propter quam ejus partes diversæ ab invicem secedunt, ac Tincturam habentes Excrementis junguntur.

Bilem posse ad hepar ferri neglecta sua ad intestinum via.

XLVII. Respondeo 4. Si durante Ictero Spirituosior & volatilior, ideòque fluidior & mobilior existat Bilis, poterit eadem faciliùs penetrare ex glandulosis Hepatis acinis per minimos suos Ductus ad Venæ Cavæ radices atque cum Sanguine ad Cor; maximè, si ab eadem Bile spirituosiore irritatus arctiùs Contrahatur, aut aliquando etiam Obstruatur Ductus Bilarius Intestinalis; quam ob rem facto ad Hepar impetu, in eodem persistat Bilis, neglecta ordinaria sua, licet ampla, versùs Intestinum tenue via.

Qui Ductus Bilarius possit angustari.

XLVIII. Potest namque fieri, ut, si non obstruatur in totum, angustetur saltem Ductus Bilarius Intestinalis à Pituita, imprimis post Mœrorem gravem viscosiore facta, ipsum quovis modo obducente; vel à Bile Spirituosiore facta, ideòque turgente ac è suo Folliculo effusa irritetur idem Ductus ad sui contractionem arctiorem; propter quam Ipsi transitus denegetur liber ad Intestinum, atque ideò ipsa fursùm ad Hepar feratur penè tota per Ductum Hepaticum, mox cum Sanguine ad dextrum Cordis Ventriculum delata cum Descendente ac Lymphatico Sanguine solito minùs effervescat, ideòque *Sanguinis massæ toti magis confundatur, quàm permisceatur*, mox ubique à Sanguine recedens Partes quasvis colore suo inficiat; & ad nutritionem naturalem minùs aptas reddat; quocircà sensim succedat Ictero vel Atrophia, vel Hydrops, ni brevi curetur.

Etiam ab Obstructione Ductus Bilarii posse produci Icterum.

XLIX. Quamvis enim non putem requiri necessariò ad Icterum producendum Bilarii Ductus *Obstructionem*, non video tamen, cur non possit aliquando ipsa Ictero præbere ansam, dum sistendo Bilem in naturali suo effluxu in tenue Intestinum causa est, quòd Bilis moram ibidem nectens alteretur, &, si ita loqui fas est, spiritualascat tum accessu majore Spiritus Animalis, tum exaltatione atque attenuatione ulteriore partium ipsam constituentium.

Quod patet

L. Hoc vel inde patere videtur, quòd multis, antequam Icterum patiantur, soleat summa in dextro hypochondrio, ubi observatur Intestinalis Ductus insertio in tenue Intestinum, sentiri Anxietas, præcedente nonnunquam Mœrore gravi, Alimentorumve Pituitosorum abusu.

ex Dolore in dextro hypochondrio.

A Mœrore humores reddi glutinosos.

LI. A Mœrore autem solent Humores omnes reddi glutinosi ac viscosi, maximè in tenui Intestino, & quidem propter Succum Pancreaticum idcircò factum austeriorem.

Pituitam Viscosam Bilarii Ductus Orificium posse obstruere.

LII. Undecumque autem Pituita existat glutinosa & viscosa, eadem apta est nata in tenui Intestino Ductus Bilarii Orificium obducere, atque obstruere, sicque Bilis descensum, exitumque impedire, quapropter Angustia excitabitur ibi loci à Bile in notatam Pituitam vim suam exerente, atque Flatus ex ipsa producente, dum pars reliqua in temetipsam agens attenuatur, spiritualscit, & tandem Icterum excitat.

Auctam Bilis Spirituositatem esse Icteri causam.

LIII. Ex iis, quæ hactenus in medium protuli, videor mihi non improbabilem *Icteri* absque Bilarii Ductus Intestinalis Obstructione necessaria *generandi modum* & rationem invenisse ac dedisse, *auctam* scilicet *Bilis tenuitatem, & spirituositatem*, ideòque *ad ritè & satis effervescendum ineptitudinem*; quam idcircò in Bile notavi, quoniam observatur ipsa tunc Sanguini non tam permisceri, quàm confundi.

Ut & ejus Symptomatum.

LIV. Videndum porrò, an *Symptomata Ictero* familiaria & in superioribus notata *deduci* queant *à modo assignata ejus Causa*; denique an *nota* ejusdem *Curatio eidem quadret?*

Compressivi Cordis Doloris.

LV. *Compressivi Cordis Doloris* eadem *Causa* est, quam §. 52. dixi esse *Anxietatum circa Ventriculi regionem inferiorem in tenui Intestino excitatarum*, *Pituita glutinosa* ibidem coacervata & in *Flatus* ex parte deducta, Continentesque Partes diducens, angens ac premens.

Lancinationum in dextro Hypochondrio.

LVI. *Lancinationes in dextro Hypochondrio* adscribendæ *Humori Acido & Pancreatico* à Bile parciùs accedente minùs fracto, adeòque puriori, noxamque suam potentiùs exerenti, partesque Sensiles pungenti & lancinanti.

Coloris albescentis in Alvi excrementis.

LVII. *Alvi Excrementa* solito sunt *minùs tincta* tum ob *Bilem parciùs accedentem*, tum ob eandem *minùs effervescentem*, ideòque *partes suas tingentes minùs* ad ipsa inficienda *deferentem*.

Alvi segnitiei.

LVIII. *Segniùs ad dejiciendum solicitantur Ægri* propter Causam eandem, minùsque acrem Bilem.

Urinæ obscurè rubescentis.

LIX. *Urinæ obscurè rubent* ob Bilem copiosam & tinctura multa prægnantem ipsis admistam.

Coloris flavi in variis corporis partibus.

LX. *In Cute tota*, sed imprimis magis tenera, qualis est *faciei, colli, manuum*; quin *Carne* universa *cernitur diversus Color Flavus* ab eadem *Bile* propter auctam suam Spirituositatem, partiumque suarum unionem intimiorem minùs quoque in Corde effervescente, minùs proindè Sanguini se permiscente, quin potiùs ipsi duntaxat confusa, ideòque notatis Partibus ubique, dum transfluit cum ipso, adhærente, atque colore suo flavo nunc pallidiore, nunc obscuriore, atque ad viriditatem quandoque vergente ipsas inficiente.

Pruritus.

LXI. Inclinante Ictero sentitur *in corporis superficie Pruritus* propter effervescentiam ubique resuscitatam & halitus subacres inde erumpentes, atque Partes sensiles blandè mordicantes. Fieri enim nequit, quin, postquam usu medicamentorum convenientium correcta est, non tantùm in suo Folliculo, in quo multa est Collecta, verùm in Universa quoque Sanguinis massa, cui est Confusa, quin Partibus Continentibus & solidis omnibus, quibus adhæret, Bilis ubique ad occursum Succi Pancreatici & Lymphæ, imò ipsius Sanguinis solitò acidioris (quod in cujusdam Icterici mortui sectione memini me aliquando observasse) excitetur, quàm priùs, potentior Effervescentia; ex qua proinde Halitus attollantur subacres, qui ad sensiles Partes, ac præsertim Cutim delati Pruritum ibi pariant.

LXII.

Icteri curatio accelera[n]da.

LXII. Quæ modò dixi, confirmabuntur ampliùs ex *Icteri Curatione*, quæ haud negligenda est, quin potiùs *acceleranda*, quoniam ipsi facilè *succedit*, *Cachexia & Hydrops*, *vel Tabes Lethalis*.

Et quibus agenda.

LXIII. In eo autem consistet Icteri Curatio, ut 1. *Remotiores Causæ*, *Animi Mœror*, *Alimentorum Viscosorum*, *Potusve Generosioris abusus tollantur*. 2. *Mediæ Causæ*, *Pituita Glutinosa Ductum Bilarium obducens*, *aut obstruens* quoties locum habet, aut *Venenum qualecunque Bilem immutans & vitians*, *Corrigantur ac Emoveantur*. 3.*Causa Proxima*, *Bilis Corrupta & Vitiata*, *nimium scilicet Spirituosa*, & ad ritè effervescendum ineptior facta *Emendetur*, *& ad Intestinum iterum Deducatur*. 4. denique *Color Cutis fœdus Separetur*, & naturalis restituatur.

1. Animi Mœror tollendus.

LXIV. 1. *Animi Mœror* superatur & tollitur ritè de quibusvis rebus molestis ratiocinando, Animumque ad quævis adversa fortiter ferenda, perferendaque firmando, & obdurando.

Alimentorum Glutinosorum abusus mutandus.

LXV. *Alimentorum Glutinosorum abusus* paulatim mutandus, eorundemque loco alia minùs glutinosa usurpanda; vitandi proinde pisces, ac præsertim marini; ut & Animalium extrema: Condimentisque utendum subacribus & aromaticis, sinapi, raphano rusticano, &c. similibus Viscosos humores corrigentibus; quò referri debent Salia Volatilia toties à me passim commendata, & potui ordinario, sed commodissimè Vino addita & in prandio ac cœna utilissimè usurpata; licèt possint quoque quovis alio tempore assumi.

Potus Generosioris minuendus.

LXVI. *Potus Generosiores* indies minuendi; & tandem in totum omittendi, ac præ aliis omnibus Vini Spiritus: Concedendum tamen assuetis potum Vini benè maturi & subdulcis, adeòque subpinguis, ob rationes paulò post secuturas.

2. Pituita Glutinosa corrigenda & educenda.

LXVII. 2. *Pituitam Glutinosam* sæpiùs docui *Corrigi* & *Incidi* Aromaticis & Salibus Volatilibus, quorum usum etiam nunc commendo.

LXVIII. Eandem ex parte correctam; aut eadem opera, eodemque medicamento corrigendam, educunt Phlegmagoga sæpiùs in superioribus laudata & præscripta: libet tamen Formulam hic addere Apozematis alterantis & purgantis, cujus aut similis tempestive usurpari ope pluries brevi curavi Ictericos.

Apozema.

℞. *Rad. Rubiæ tinctorum*,
Chelidoniæ maj.
Apii, *an.* ℥ß.
Fl. genistæ, M. ß.
Sem. Aquilegiæ,
Petroselin.
Anis. an. ʒij.
Tartar. Crudi, ʒiss.
Coq. ex vini albi & aquæ puræ, *an. q. s.*
In Colat. ℥xx. *dissolv.*
Syr. diacnicu,
de cichor. cum rheo, *an.* ℥iß.
M.

Ejus Usus.

Assumat bis, tèrve in die tantum hujus Apozematis Æger, ut bis, terve inde dejiciat, & unà cum Pituita Bilem excernat.

Venenum corrigendam expellendamque.

Quoties à *Veneno Viperæ*, aliove qualicunque productus est Icterus, toties ad illud *Corrigendum*, *Expellendumque* conducunt omnia Sudorifera volatili sale abundantia, quippe quæ utrique satisfaciunt Indicationi; nec sine causa hic laudantur Theriaca, viperarum trochiscos in se continens, variaque ex Viperis, Sale Volatili abundantibus, parata.

Theriaca.

Antimonio diaphoretico, & Bezoardico minerali.

LXIX. Huc facit Antimonium Diaphoreticum, ad grana xv. ipsoque longè præstantius Bezoardicum Minerale ad scrupulum dimidium ex quovis liquore assumptum.

Sale Volatili c.

LXX. Huc facit Sal Volatile Cornu Cervi aut ex quavis Animalis parte distillatione prolectum, & si potentiùs fuerit ad guttas vel grana v. aut vj. ex Liquore conveniente aliquoties usurpatum. Ex. gr.

Haustus sudorificus.

℞. *Theriac. Veter* ℈ij.
Bezoard. min. ℈ß.
Salis Cornu Cervi, Gran. iv.
Vel *Spir. Sal. Armoniac.* Gutt. v.
Syr. papav. errat.
Aq. fœniculi, *an.* ℥ss.
Card. bened. ℥j.
M. F. Haustus, unà vice assumendus; quo assumpto tegatur mediocriter Ictericus, quò Sudor promoveatur.

Ejus Usus.

Mistura Sudorifica.

LXXI. Quòd si malit Æger vicibus partitis & cochleatim assumere aliquod Sudoriferum liquidius, atque sic paulatim expectare Sudorem, utatur sæpiùs Mixtura sequente, cujus ope blandus excitabitur Sudor.

℞. *Aq. fumariæ*, ℥iij.
Theriac. simplic. ℥j.
Tinct. Croci, ʒij.
Laud. Opiat. Gran. iv.
Salis Cornu Cervi, ℈j.
Bezoard. mineral. ʒß.
Syr. Card. bened ℥iß.
M.

Apozema Sudoriferum.

LXXII. Cui Apozematis forma placet magis, ei sequens aut simile poterit præscribi, quod

℞. *Rad. Scorzoneræ*, ℥j.
Imperator. ʒß.
Rad. Ligni juniperin. ℥ij.
Sassafras, ℥ij.
Fol. Card. bened.
Scabiosæ,
Scordii, *an.* M. j.
Bacc. juniper. ℥ij.
Sem. aquilegiæ,
Urticæ,
Ras. Cornu Cervi, *an.* ʒiij.
Coq. s. a. ex aqua pura,
In Colat. unc. xxx. *dissolv.*
Syr. Card. bened. unc. iij.
Aq. Theriacalis cujusvis, *unc.* iß.
Salis Tart. Vitriolat. ℈ij.
M.

Ejus Usus.

Hujus Apozematis sumat Æger simul aut partitè tantum, quantum ad sudorem blandè propellendum requiritur: quo subinde, haud profluente Urina excernitur satis copiosa, quæ itidem juvare solet.

3. Bilis nimiam Spirituosa emendanda.

LXXIII. 3. *Bilis depravata & vitiata*, *nimiùmque Spirituosa facta Ictericorum Emendabitur* potissimum per *Oleosa & Pinguia*, quorum ope videtur insuper *Bilis ad ritè effervescendum aptitudo restitui*.

Cannabis semen Icterum curat.

LXXIV. Sic à solo *Cannabis semine* in lacte bubulo itidem pingui ad crepaturam circiter cocto, & colato, atque bis, terve in die ad *unc.* v. aut vj. sumpto plures curavi, ac vidi curatos Ictericos, sicut jam supra §. 10. monui.

Ut & Sapo quivis.

LXXV. Sic à quovis *Sapone* ad Drachmam circiter unam in calente lacte dissoluto, & Sacchari tantillo edulcato, atque bis aut semel saltem in die usurpato aliquoties curavi fœliciter Icterum post præmissa medicamenta superius §. 68. laudata.

& qualdem qua virtute.

LXXVI. Existimavi quidem olim hactenus prodesse Saponem in curando Ictero, quatenus Sale suo lixivo solveret in Ductu Bilario Intestinali Obstructionem; quod quia de Cannabis semine eundem affectum fœliciter curante dici non potest, censeo nunc duplici nomine conducere saponem, tum ratione sui Salis Lixivi, sed fixi, ex quo paratur; tum ratione suæ Pinguedinis vel olei, cum quo conficitur.

LXXVII. Ratione Lixivi Salis, sed fixi, quatenus idem Bili secundùm spirituositatem auctam corruptæ junctus ejusdem Volatilitatem & Spirituositatem nimiam minuit & corrigit, assumendo in se Spiritus Volatilis in eadem luxuriantes partem aliquam.

LXXVIII. Ratione Pinguedinis vel Olei, sed crassi, ac minimè volatilis vel aromatici, cujus

ope

ope obtundit acumen Salis Uolatilis & Spirituosi in Bile dominium habentis.

In quo potissima consistat Icteri curatio.

LXXIX. Atque hoc Experimento gemino curati per Saponem atque Cannabis semem Icteri patere videtur, in quo ejus potissima consistat Curatio, & à quibus, qualibusve possit, debeatque illa sperari. ac expectari.

Crocus Icterum curat, & qua ratione.

LXXX. In ejusdem afferti mei confirmationem *Crocum* produco in Curatione Icteri familiarem, qui cùm laudetur pinguis, eo ipso meæ favet opinioni; Crocus enim facilè jungitur Spiritui Volatili, cujus ope Tinctura, Extractumque paratur egregium; à quibus cùm præterea deduci soleant Spiritus Animales ad quietem, tranquillitatemque, quin torporem forsan, succedente somno tum blando, tum aliquando satis profundo, res omnis redditur tantò manifestior.

Opii vires.

LXXXI. Ipsum *Opium*, potentissimus Spirituum Animalium Domitor Soporifer, Oleosum est ac pingue, motum ipsis lentum ac difficilem concilians; quin penè tollens,

Pinguia & Oleosa vincire Spiritus Volatiles, & catenùs Icterum curare.

LXXXII. A *Pinguibus* Igitur *& Oleosis cogi & vinciri possunt Volatiles Spiritus & ad quietem tranquillitatemque deduci*; unde patere videtur, si quoties quantitate nimia Bili junguntur, aut in ipsa exaltantur, hoc est, in potentia sua, efficaciaque roborantur Animales Spiritus, ipsam volatiliorem, mobilioremque faciendo, Icterum producunt, toties superata per Oleosa, somnumque blandè conciliantia medicamenta ipsorum volatilitate ac mobilitate notata curandum eundem Icterum.

Et & Mineralium & Metallorum Sulphura.

LXXXIII. Hoc ipsum videntur confirmare *Mineralium, Metallorumque Sulphura fixa & Anodyna, Volatiles Spiritus blandè figentia & tranquillantia*, non sine causa multùm à Chymicis peritioribus celebrata.

Bilis ad tenue Intestinum deducenda.

LXXXIV. Eadem *Bilis* plùs minùs correcta iterum *ad tenue Intestinum deducenda* per Cholagoga, imprimis per usitatissimum Rhabarbarum quovis modo usurpatum; quare laudo rursus Decoctum §. 68. præscriptus

4. Cutis color flavus tollendus.

LXXXV. 4. *Cutis Color fœdus* & in Ictero nunc *flavus*, nunc *obscurè viridicens* sponte quidem, paulatimque obliteratur, aboleturque, citiùs autem tollitur per Sudorifera subtilia, & Volatili Sale prædita, sive blandus sequatur Sudor, sive nullus Parum enim refert, an Sudor tunc simul erumpat, nec ne, dummodò à dictis Salibus Volatilibus Sudorem propellere aptis abstergatur, & cum insensili transpiratione abigatur foràs Bilis hæc Partibus quibusvis præter naturam inhærens.

Mistura Colorem cutis flavū in Ictero tollens.

LXXXVI. Exempli gratia usurpet Ictericus, cui Alvi excrementa solito sunt prædita colore, cui Appetitus restitutus est, cui colore rubeo minùs tinctæ sunt Urinæ, cui Color aureus in cute ampliùs non intenditur, sed potiùs tantillum remittit, usurpet, inquam, sæpiùs in die unum sequentis Potionis Cochleare, à quo si Sudor erumpat, citiùs plena curatio erit expectanda; sin per Urinas potiùs plus deponatur materiæ rubentis, & paulò post subsidentis, segnior erit expectanda, non minùs tamen bona vitiosi coloris remotio à Cute.

℞. *Aq. graminis*,
Absinthii, *an.* ℥ij.
Tinct. Croci, ℥iij.
Spir. sal. armeniac. Gut. xxx.
Bezoard. miner. ʒß.
Laud. opiat. Gran. iiij.
Syr. fœniculi, ℥j.
M.

CAPUT XLVII.

De Bilis ad Sanguinem Motu per Hepar læso.

Bilem cum Sanguine versus Cor ferri.

I. SEcundùm ingeniosas *Illustris Malpighii* de vero Secretionis Bilis loco (quas Cap. 44. sum amplexus) Observationes judicavi ejusdem Capitis §. 16. & seq. à *Glandulosis Iecinoris Acinis ferri* quoque *Bilem sursùm versùs Cor cum Sanguine ab Hepate eò tendente*.

Motus dictus rarò læditur, nisi in Cholera Morbo Eius causa.

II. Hunc *Bilis Cor versùs Motum* rariùs existimo *lædi*, hoc, est, *tolli* aut *inverti*, nisi forsan subinde in *Cholera Morbo*; quid ni tam sæpè idcircò lethali?

III. Hic *Universæ*, *Plurimæ* saltem *Bilis Raptus aut Impetus deorsùm*, si verè habeat unquam locum, adscribendus erit, mea saltem conjectura, *vitiosæ Biliosarum Sanguinis partium in suis vasis ab horariis fructibus, aliisve consimilibus rebus noxiis assumptis, atque ad Sanguinis massam deductis excitatæ Effervescentiæ*; propter quam *sine convenienti sui in glandulosis Hepatis globulis secretione præcipitentur, si non omnes, pleræque saltem ad tenue Intestinum, atque inde partim sursùm, partim deorsùm magna vi expellantur*; concurrentibus inexplicabilibus *Ventriculi & Intestinorum Anxietatibus*, *ob novam fortassis cum Pancreatico Succo in tenui Intestino factam Effervescentiam itidem vitiosam & molestissimam*.

Curatio.

IV. Hic *Motus Bilis perversus ac ex parte inversus Curari* nequit, ni *compescatur* vitiosa *Bilis* tum in massa Sanguinea, tum in tenui Intestino *Effervescentia*, solis *Opiatis* cedens, sicut Cap. 15. §. 34. a me dictum.

CAPUT XLVIII.

De Bilis cum Sanguine in Hepate Mistione læsa.

Bilis cum Sanguine mistio.

I. QVæ *Bilis* ex glandulosis Hepatis globulis Cor versùs creditur mihi amandari, eadem priùs *Sanguini per Cavæ ramos Iecinori implantatos ad truncum suum refluenti admiscenda videtur*, qui sic fœliciùs in dextro Cordis ventriculo excitetur inter ascendentem ac descendentem Sanguinem vitalis Effervescentia.

Quot modis lædatur.

II. *Lædi* posse videtur hæc Bilis cum Sanguine Mistio, 1. quando illa est *laxior & minor*. 2. quando illa est *arctior & major*. 3. quando ipsa est *inæqualis*.

Nullam non fieri.

III. Planè *Nullam* fieri unquam Bilis cum Sanguine Mistionem haud puto.

1. Quando minus & laxius fit.

IV. 1. *Minùs & laxiùs Sanguini admisceri, adeòque confundi potiùs Bilem* arbitror, quando ipsa est *valde Spirituosa*, ut in Ictero (de quo actum abundè Cap. 6.) vel valdè *viscosa*, *terreave*; unde difficiliùs, segnius, adeòque imperfectiùs & minùs Sanguini unietur.

2. Quando magis & arctius fit.

V. 2. *Magis & arctiùs Sanguini admisceri Bilem* judico, quando eadem *magis est Salina & acris*, & forsan *pinguior*: quod videtur confirmari per Febres ardentes.

3. Quando inæqualiter fit.

VI. 3. *Inæqualiter admiscetur Sanguini in Hepate Bilis*, quando ipsa non est *Homogenea*, sed *Heterogenea*, diversis constans partibus, aliis *acrioribus*, aliis *obtusioribus*; quod in Icteri principio, aliisque casibus nondum satis observatis putem habere locum; elicimus enim sat sæpè diversam ex eodem Folliculo Bilem.

Harum læsionum signa incerta.

VII. Dum hic Affectus describimus needum satis à Practicis observatos, investigatosque, non mirum, si eorum signa sint adhuc incerta, & plura alia eò facientia etiam nunc obscura, quæ plurium diligentia eruentur ac determinabuntur aliquando: interim aperimus ea, quæ Ingeniis felicioribus servitura speramus.

1. Curabilis aucta spirituositate peccantis.

VIII. 1. *Bilis auctâ spirituositate peccantis Curam* dedimus Cap. 46. §. 73. & seq.

Ut et aucta Viscositate peccantis.

IX. *Bilis auctâ viscositate peccantis Curatio* instituetur felicissimè usu diutino *Aromaticorum acriorum*, *Saliumque Volatilium* quorumvis.

Nec non Terrestris et Lapidescentis.

X. *Bilis Terrestrior & ad Lapidescendum prona curabitur spiritu nitri dulci* aliquandiu ad guttas aliquot ex vino, cerevisia, vel quovis alio liquore aliquoties quotidie assumpto.

2. Cura Bilis Salinæ et Acris.

XI. 2. *Bilis Salina nimis & acris Curabitur* aliquando per *Oleosa*, aliquando per *Viscosa*, aliquando

quando per *Spirituosa*, aliquando per *Acida*, sed blandiora; quæ cùm inter se plurimùm differant, prudentia opus erit Medico, ut pro cæterorum humorum in corpore tunc simul existentium diversitate seligantur & in usum revocentur maximè convenientia. Unde mirum non est, si non semper habent omnes Medici eundem successum, quamvis utantur iisdem medicamentis, sed non eodem tempore, ut nec in iisdem aut Affectibus, aut Causis; quorum dei*erm*inatio pendet à Iudicio Practico singula singulis suo tempore, ac loco, ac mensura ritè adjudicante.

*Ut & au*cta* pinguedine peccantis.*

XII. *Bilis aucta Pinguedine peccans Curabitur & Acidis temperatioribus*; & *Sale Lixivo* tum *puriore* Absinthii, Cardui benedicti, &c. tum *magis terrestri*, Oculis Cancri, Coralliis, Conchis, &c. adeòque *Plantis aromaticis*, sed imprimis amaricantibus; & *mixtis ex utriusque*, *Sale Tartari Vitriolato*, *Sale Tartari* post Spiritus Salis Armoniaci abstractionem in cucurbita remanente, atque *à coniuncto Salis spiritu* vini egregiam nacto, & similibus.

3. Nec non heterogeneæ & partibus dissimilibus turgentis.

XIII. 3. Si Symptomatibus dissimilibus à Bile tamen ac rantùm deducendis urgeatur brevibus intervallis Æger, ideòque valdè probabiliter conjectetur *Bilis heterogenea & partibus dissimilibus turgens*, danda est in Casu anxio & dubio magna opera, ut, quæ noxam Homioi afferunt *Bilis partes à statu naturali maximè recedentes*, *potenter ac blandè corrigantur*, *emendenturque*: quod imprimis petendum à Symptomatibus tunc maximè urgentibus, ac nonnunquam subitam mortem prima, secunda, tertiave sua invasione afferentibus.

Causæ Affectuum investiganda.

XIV. Utinam proinde, quotquot *Divinum Medici nomen* profitentur, superata & conculcata illa verè *Diabolica*, *Medicisque ideò indigna*, *licet ipsis pene propria*, *Invidia*, utilem laborem impenderent Causis veris Affectuum obscuriorum indies in praxi facienda occurrentium eruendis, atque in commune mortalium bonum proponendis! Nullus enim dubito, quin tunc multa etiam ouoc de Bilis oatura, & utilitatibus omnibus forsan ignota sensim Deo ingenuis & ingeniosis benedicente sint proditura in lucem. Ego saltem hic coram Deo sanctè profiteor ac testor, me multis annis laborem sustinuisse hominibus plerisque incredibilem, quò Bilis naturam & in humano corpore utilitates assequerer, atque tum Ægris, tum postmodum Auditoribus meis secundum ea, quæ mihi supernè concessa sunt, maximè prodessem: in quo etiam nunc inter multas multorum etiam iniquas criminationes, contradictiones atque calumnias lætatur meus omnis gloriæ inanis cupiditate vacuus & liber, adeòque tranquillus, ac de bono eventu securus Animus.

Ut & Bilis natura, & Usus.

CAPUT XLIX.

De Lymphæ Glandulosæ in Conglobatis Glandulis Præparatione læsa.

Lympha unde, & ex quibus præparetur.

I. EX *singulis Glandulis Conglobatis*, non item ex Conglomeratis, *Vasa Lymphatica prodire* constat Experientia: quapropter *Lympham in istis præparari* sum arbitratus, & quidem partim *ex parte Sanguinis Acidiore* in laudatis Glandulis à reliqua massa *secreta*, partim ex *Spiritibus Animalibus* per Nervos ad Ipsas delatis, atque *illi permistis*,

Ejus Materia.

II. Quamvis autem putem *partem Sanguinis Acidiorem* potissimam esse Lymphæ materiam, non puto tamen illam puram putam, sed *Aqua dilutam* huic usui servire: quam tunc demum voco *Impuram*, quando alia insuper Sanguinis pars eidem occurrit admista, redditque *Lympham Minùs Acidam*, *Viscosioremve*, & quandoque forsan *Subsalsam*,

Serum Insipidum.

III. Quemadmodum enim *Serum Sanguinis* existit naturaliter *Insipidum*, in Belgio autem dimidiæ fortassis hominum parti (quantùm Ego saltem ex sanorum ac ægrorum educto sanguine gustu potui deprehendere) *Subsalsum* reperitur; ita mirum videri debet nemini, si paretur ibidem quoque Lympha diversa: *Secernitur* enim admodùm *difficulter Spiritus Acidus à Sale lixivo Fixo*, *faciliùs* autem *à Volatili*; *qualem Volatilem in legitimo Sanguinis Sero ex Bile laudabili contineri* planè inclino, ut credam: In quo eodem *Sanguinis Sero Acidum Spiritum* Lymphæ materiam præbiturum itidem *occurrere* arbitror.

Subsalsum

In sero Spiritus Acidus Lymphæ materia.

Pro seri diversitate Lympha diversa.

IV. Prout igitur existet in corpore Sanguinis *Serum laudabile*, aut idem ab externis causis, *Aere*, *Alimentis*, &c. vel internis, *Animi*, *Corporisve Motu*, *Vigiliis*, &c. *variè mutabitur*; ita producetur quoque ex ipso *Lympha* nunc *Acidior*, nunc *Subsalsa*, nunc *Dilutior & Aquosior*, nunc *Viscosior*, & sic porrò.

Pro Animalium Spirituum copia vel Paucitate, &c. Lympha varians.

V. Prout rursus *Animales Spiritus* existent in Corpore *Copiosi*, *vel Pauci*, *Puri*, vel *Impuri*; *Eorumque Motus ad Glandulas Conglobatas Liber* erit, aut *Impeditus*; ita non parùm hactenus *varians* producetur *Lympha*.

Ut & pro glandularum varia consistentione.

VI. Prout denique *Glan*d*ulæ* ipsæ *Conglobatæ* occurrent in Corpore aut *Integræ*, aut *modis variis malè Affectæ*; ita & ipsarum culpa tum *Spiritus Acidi* à Sanguine, ejusve Sero *Secretio*, tum *ejusdem cum Volatili & Animali Permistio* fiet diversa.

Variantes Vitiatæ Lymphæ Species.

VII. Unde quàm multis modis variantes possint exurgere Vitiatæ Lymphæ Species nemo non videt, quas omnes hic ordine in re nova persequi ac enumerare longum foret, ac forsan impossibile.

VIII. Sufficiat igitur impræsentiarum Vitiatæ Lymphæ fontes indicasse, & aliquot in praxi observatas Species attigisse, quin ipsas Curandi modum designasse.

Quot modis lædatur Lymphæ præparatio.

IX. *Læditur* autem Lymphæ Glandulosæ Præparatio 1. quando *Parcior* 2. quando *Copiosior*. 3. quando variis modis *qualitate vitiata* producetur, naturali *Acidior*, vel *minùs Acida*, & aliquando *Subsalsa* vel *Glutinosa*, & si quæ plura observabuntur aliquando Lymphæ vitia.

Requisita Lymphæ quantitas, & qualitas.

X. Cùm per vasa propria, Lymphatica ideò dicta, deferatur Lympha omnis per Truncum Thoracicum vocatum ad Descendentem Sanguinem, ac cum ipso ad dextrum Cordis ventriculum, quò cum Ascendente, ac Bile imbuto Sanguine ibidem Effervescentiam excitet Vitalem, *Lympham notabili Quantitate atque Subacidam* requiri etiam nunc existimo.

Lymphæ proportio cum suo opposito.

XI. Hæc *Lymphæ Quantitas* debita proportione suo debet opposito respondere, quò laudabilis contingat Effervescentia; unde si *major* sit *Lymphæ qamitas*, obruetur Bilis, accidetque minor ac inefficax Effervescentia, sentieturque Pulsus hactenus mioor; sin contrà *minor* sit *Lymphæ quantitas*, efficacior erit tunc Bilis & major Sanguinis Effervescentia, sentieturque Pulsus hactenus major.

Ejusdem Aciditas aucta & diminuta.

XII. Quod major facit Lymphæ naturalis quantitas, idem potentiùs efficit ejusdem *Aciditas aucta*; sicut contrarium ejus *Aciditas diminuta*.

Horum consideratio magnæ est utilitatis.

XIII. Hæc cùm magnam in facienda Medicina habeant utilitatem, digna sunt, ut à singulis Medicis expendantur attentè, atque in usus revocentur practicos. Sic enim paulatim multa in Arte adhucdum obscurissima & confusissima illustrabuntur, explicabunturque utilissimè: ad quod beneficium proximis ac sibi aut suis tam in hoc, quàm similibus casibus pluribus conferendum, ex animo Medicos ingenio & judicio præstantes hortor ad unum omnes.

Plurimis aquam Medicis hærere

XIV. Bone Deus! quàm sæpè Doctissimis experientissimisque aqua hæret Medicis, ubi Pulsus parvi, debilisque toties inopinatò in Ægris observati ratio vera reddenda est! quàm sæpè ad oppressam, deficientemve Naturam, vel occultas recur-

ritur

ritur qualitates, malignitatemve, quò apud rei ignaros patens occoltetur ignorantia? Ex cujus ignorantiæ noceotis tenebris ut aliquando plurium opera Lux exurgat hominibus omnibus salutaris, non detrectavi pro virili parte laborem in hoc etiam negotio sustinere immaoem, ac invidiosum; quem agnoscent laudabuntque magis exteri acposteri, quàm præsentes mihi Medici ob ratioones ipsorum conscientiæ satis notas, oec prudentibus ignotas.

Lympha Subsalsa vel viscosa efficia.

XV. Si parcior, vel copiosior, acidior, vel minùs acida Lympha non parùm immutat vitalem Sanguinis Effervescentiam, mutatio itidem haud levis expectanda est ab eadem *Subsalsa*, vel *Viscosa*; impedietur namque hacteous quoque ipsa, unde mutatio in Pulsu cootinget notabilis, & vita periclitabitur oon raro.

Parcioris Lympha productio unde.

X V I. *Parcioris* autem *Lymphæ Productio* debebitur præsertim *parciori usui Alimentorum, Condimentorumque Liquidorum & Subacidorum*, à quibus ortum suum habet haud dubie Lympha.

XVII. *Copiosioris* verò *Lymphæ* Generatio adscribenda erit *uberiori eorundem usurpari usurpationi*.

Copiosioris unde. Acidioris unde.

X V I I I. *Acidioris Lymphæ* præparatio petenda ex *usus frequenti & multo Condimentorum* aut *Medicamentorum*, imò *Alimentorum Acidiorum*. Nam si Lympha sit secundùm naturam subacida, si Succus Pancreaticus sit secundùm naturam subacidus, urerque humor necessarius & ad vitam beatam utilis, utique utriusque consumptio indies facta sui eget reparatione, Alimento absolvenda; requiretur proinde Alimentum quoque Acidas in se continens particulas, & hactenus plùs minùs acidum; ne quis omnem à Condimentis, aut Medicamentis expectet aciditatem.

XIX. Ut *Acidior* existat Lympha, in causa esse potest quoque *Spiritus Animalis paucus* vel in corpore toto repertus, vel saltem *ad Conglobatas delatus Glandulas*, ideòque Lympham mioùs temperans & magis acidam relinquens.

Minùs Acide unde.

XX. *Minus Acidæ Lymphæ* productio expectanda erit ab *usu raro, parcoque Alimentorum, Condimentorum, Medicamentorumque Acidorum*: ut & à *Spiritibus Animalibus* in corpore universo *abundantibus, abundanter saltem ad Conglobatas Glandulas propulsis*, ibidemque blandiorem, ac mioùs acidam Lympham efficientibus.

Subsalsa unde.

XXI. *Subsalsa* producetur Lympha propter usum frequentiorem, nimiumque Alimentorum Salsorum, vel Sale, Muriave conditorum, aut fumo exsiccatorum, ut & Condimenrorum similium; quibus nimiùm indulgent multi Belgæ, Sanitatis laudabilis negligentiores. Quod malum vitare nequeunt, qui longum per mare faciunt iter, Sale conditis carnibus, & similibus uti coacti.

Viscosioris unde.

X X I I. *Viscosiorem* pariunt Lympham Animalium extrema, Capita, Pedesque, ut & Pisces marini plerique, si sæpiùs, multùmque vsurpentur: ut & alimenta quævis quantitate nimia ingurgitata, nec proinde in ventriculo satis fermentata, quin potiùs idcircò tenacitate noxia prædita, & similem Chylum, hinc & Sanguinem, mox & Humores alios itidem similes efficientia.

Alia Lymphæ vitia unde.

XXIII. Si quæ alia observentur aliquando in Lympha vitia, non ita difficulter ipsorum quoque Causæ tum ex Alimentis, tum ex reliquis Rebus Non noturalibus plùs mioùs peccantibus eruentur. De quibus quæ non semel attigimus in superioribus, huc quoque transferri possunt, ac debent, quò evidentior fiat hæc doctrina.

Glandularum requisita constitutio ignota.

XXIV. Qualis sit *Glandularum Conglobatarum Constitutio Lymphæ* laudabili parandæ comparata cùm non satis adhuc liqueat; nil habeo, quod vitiis ejusdem ounc addam.

Pororum Figura rejecta.

XXV. Utique animum meum veritatis avidum non explet indeterminata & Authoribus tamen suis valdè placens *Pororum Figura*, non tantùm ratione cogente haud evicta, sed ne quidem manifesta experientia unquam ab ullo facta probabilis. Quod enim de rebus solidis aut siccis per cribrum variæ figuræ foraminibus donatum transmissis affertur à quibusdam, nil urget quoad liquida & humida; sed ne quidem verum quoad corpuscula solida, quæ per foramina rotunda feruntur æquè, si fuerint Sphærica, vel Cylindrica, vel quavis alia forma oblonga & rotunda; ne nunc dicam quævis corpuscula, cujuscunque tandem fuerint figuræ, transire cujusvis figuræ foramina, quoties ipsis existunt minora. In corporis autem nostri Partibus aut Visceribus gratis assumere aut ponere pro lubitu nescio quas, quippe à nullo determinatas, Pororum itidem fictorum Figuras, per quas Sanguinis secundùm omnes sui partes, partiumque particulas fluidi; & per insensiles arteriolas, venulasque continuò fluentis nonnullæ particulæ transeant, plures transitu intercludantur, an non sit novas explosarum loco credulis hominibus obtrudere Chimæras credendas, judiceot Viri judicio & ingenio præstantes.

Chymicæ Operationes magis hic quadrare.

XXVI. Quapropter videntur mihi, quos idcircò & Ego secutus sum, aptiùs & naturalibus rebus accommodatiùs philosophari; qui in rebus obscuris & ab externis Sensibus abstrusis secundùm Chymicas mutationes Sensibus patentes Operationes in corpore nostro factas explicant, licèt ne sic quidem omnem tollant difficultatem: plus tamen luminis afferunt nostris teneliris, quàm cæteri, qui, utut similibus sensilibus utantur, non utuntur tamen talibus, quæ satis quadrant cum iis, quæ fiunt in corpore nostro.

In naturalibus mutationibus explicandis Quantitatis Affectiones non sufficere sed Qualitatum etiã addi debere Quarum natura investiganda.

XXVII. Et ut candidè dicam, quod sentio, & desidero in eorundem placitis, Naturales mutationes nimis arctis cogunt cancellis, dum io solis Quantitatum hærent affectionibus, non satis expendentes loogè plures atque à prioribus multùm diversas existere, Qualitatum affectiones, secundùm quas memoratæ fiunt io rebus naturalibus mutationes. Quarum Qualitatum naturam, essentiamque atque diversitatem, quin agendi modum multifarium Sensibus aut Mente assequi, aliisque clare, ac distinctè explicare licè sit valdè arduum, non desperandum tamen de successu bono, quin potiùs labore improbo tentandum ab Ingeniosis hoc vadum adhuc in multis latens, quò vera comparetur novo inventori gloria, promoveaturque bonum publicum.

Et investigaretur ab Auctore, si otium suppeteret.

XXVIII. Si plùs quàm hactenus otii largiretur mihi quacunque demùm via Deus, tentarem & Ego in ætate jam provectiore fortunam, nullus dubitans, quin multa essem hoc labore & magno & amœno detecturus & observaturus, quæ aliis ad ulteriora pergentibus viam præpararent, pararentque faciliorem. Non desunt enim jam nonnulla, quæ otii defecto nequeo chartæ committere, atque proximo meo communicare. Sed ista & alia plura pendent à providentia, & auxilio Divino, sioe quo nil possumus, nil præstamus laudabilis.

Glandularum Conglobatarum Vitia.

X X I X. Quamvis autem, ut in viam redeam, Constitutionem Glandularum Conglobatarum exactam non sumus hactenus assecuti, aliquid tamen addemus de earundem Vitiis, propter quæ non raro, nec parùm vitiatur ipsius Lymphæ productio. *Tumoris* saltem, *ac Indurationis*, ut & *Inflammationis* earum sensu manifestorum ac sæpiùs simul concurrentium faciemus hic mentionem.

Tumor, Durities & Inflammatio.

XXX. Glaodularum harum & *Tumor*, sive *Moles aucta*, & *Durities*, & *Inflammatio* etiam in vivis ad sensum apparent (nam post mortem latentes quoque ootari possunt) tum in faucibus, tonsillæ dictæ, tum in colli partibus variis, aliisve locis multa pinguedine aut carne minimè tectis, ubi aliquando visu, semper tactu, calorisve sensu dignoscuntur notata illarum vitia.

Tumor à Duritie distinguendus.

X X X I. Distinguendus est Glandularum Tumor ab earundem Duritie, cùm & Tumor absque Duritie, & Durities absque Tumore possit existere,

quin

quin imò subinde existat: licèt sæpius jungatur Tumori Durities.

Quando fiat.

XXXII. Intumescunt Glandulæ Conglobatæ, tum quando ipsæ aluntur augenturque copiosiùs in statu optimo, tum quaodo ipsæ coacervaot præter naturam in sua substantia continuò allabentem Sanguinem: qui faciliùs per ipsam molliorem atque flaccidiorem dispergitur, quam per substantiam carnium firmiorum ac solidiorum.

Quando Sanguis in Glandulis coacervetur

XXXIII. Coacervatur autem præter naturam in Conglobatis Glandulis Sanguis propter impedimentom illius refluxui positum, & imprimis obstructionem in Venis capillaribus, Canalibusve Arteriis, Venisque interpositis à Pituita concrescente frequentiùs, Sanguioe autem coagulato rariùs contingentem.

Quando in iisdem coaguletur Pituita, vel Sanguis.

XXXIV. Quoties namque vel ab Aere tum natura, tum arte æstuante, vel ab Alimentis, Condimentisve aut Spiritnosis, aut Aromaticis, aut Volatili Sale abundantibus, vel à Corporis, Animive Motu, Ira præsertim vehemente, vel à Vigiliis solito magis soluti & fluidi facti sunt in corpore una cum Sanguine Humores omnes, & maximè Pituita, quin quaqua versùm deferuntur iidem abundantiùs, toties superveniente Aeris Aquæve frigore, vel usurpatis Alimentis, Condimentis, Medicamentisve actu frigidis, aliisve coagulandi vi præditis, vel ad quietem summam devoluto corpore, vel Tristitia extrema, Metuve panico, inexpectatoque homines opprimente, quemadmodum in aliis partibus, ita in Glandulis Conglobatis Coagulari solet tum Pituita, tum Sanguis; unde ad motum inepti facti hærent io vasis, vel intermediis Canalibus, Sanguinemque affluentem; ne per impeditas vias ulteriùs porgat, sistunt, qui per Glandularum substantiam vicinam dispersus eandem in molem majorem, hoc est, *Tumorem* distendit.

Unde oriatur Duritus.

XXXV. Idem humor si Glandularum substantiæ arctiùs impingatur, aut post partium suarum fluidiorum ac molliorum discussionem solidior fiat & compactior, *Duritiem* in Glandulis afficit.

Unde Inflammatio.

XXXVI. Sanguis notatus quoties in Vasis suis & Ductibus subsistens, aut ex iisdem in Glandularum substantiam effusus incenditur, toties *Inflammationem* patit satis frequentem, apparentemque io Tonsillis.

Unde Gravedo & Coryza.

XXXVII. Quoties autem ita ab externo frigore affectæ sunt malè Glandulæ Conglobatæ circa Choroeidem Plexum in Cerebri Ventriculis lateralibus & alibi observabile, toties consequi solet Gravedo; qua urgente producta Lympha existit Salso-acida, talisque gustatur in Coryza.

Unde Lympha fiat Salso-acida.

XXXVIII. Unde probabiliter licebit concludere, quocumque demum modo tunc lædantur notatæ Glandulæ, Lympham deflectere à suo statu & qualitate naturali, generarique Salso acidam: cùm ab ipsa non tantùm per nares effluente corrodatur interna ipsarum superficies, ot & faciei cutis, verùm quaquaversùm intra corpus delata, vel distillante *Dolores* producantur nunc laviores, nunc graviores, prout nimirùm ejusdem Vitium existit levius, graviusve.

Unde oriantur dolores.

XXXIX. Hi Dolores sicut adscribuntur vulgò *Catharris* non satis explicatis, ita variùs deducuntur à viriata, sicut dictum, *Lympha* ex vasis suis effusa, & in partes vicinas, quin aliquando remotas quoque viam reperiente, aut acrimonia sua sibi faciente.

Unde phthisis.

XL. Ab eadem Lympha vitiata & acriore in asperam Pulmonum arteriam per fauces delabente, atque post excoriarionem paulatim ulcus pariente, ortum habet utplurimùm *Phthisis* plerisque exitialis, utpote in suo exortu, quando facilè curatur, ferè ab omnibus neglecta.

XLI. Plura ipsarum Conglobatarum Glandularum Vitia evidentia nunc non suggerit mea Memoria, quibus Lymphæ vitiatæ causa queat adscribi; aliàs, si à me observentur, & Deus sinet additurus.

Delebor Opera.

1. Parcior Lympha qui curetur.

XLII. Notatorum Lymphæ Vitiorum Curam quod attinet; si 1. *Parcior* io corpore producatur *Lympha*, eadem uberiore Sub-Acidorum & Alimentorum, & Condimentorum usu poterit aogeri. In hunc finam usurpari potuerunt in Condimentis Omphacium, Acetum, Succus Citri, Arantiorum, &c. Inter fructus gratiores Cerasa tum acido-dulcia, tum acidiora, Ribesia, Berberi, &c. Inter Plantas Acetosa, Acetosella, &c. Ioter Potus Vinum Mosellanum, vel quodvis aliud subacidum, maturum tamen. Cavendum enim à Vinis immaturis, ut & Cerevisia multùm acida facta, cùm ab ipsis Tormina excitentur. Inter magis Medicameotosa conveniunt Spiritus Salis, & Nitri dulces facti, & unà cum potu ordinario usurpati.

2. Qui Copiosior.

XLIII. Si contrà 2. *Copiosior* generatur in Corpore *Lympha*, minuendus erit Sub acidorum Alimentorum, Condimentorumque Usus; ac eorundem loco usurpanda erunt pro re nata, hoc est, diversitate Constitutionum, & Functionum singulari ounc magis Spirituosa, nunc magis Aquea, nunc magis Aromatica, & Sale Volatili abundantia.

3. Qui Acidior.

XLIV. Si 3. *Acidior* axistat & paretur in Glandulis Conglobatis Lympha, ejusdem Aciditas excedens minuetur ac temperabitur potiùs, quin ejusdem Temperatioris Generatio procurabitur imprimis Usu Salium Volatilium forma liquida præparatorum, & unà cum Alimentis cæteris indies quantitate mediocri assumptorum.

Salia Volatilia.

XLV. Plura possunt io hunc finem parari, & usurpari Salia Volatilia, tum Simplicia, tum Composita, prout Uniuscujusque industria & fœlicitas erit major, vel minor. Plurimùm namque differunt inter se laudata Salia tum ratione materiæ, tum ratione præparationis multifariæ.

XLVI. Si cui desit occasio manibus propriis Salia Volatilia parandi, adeòque in gratiora, & efficaciora inquirendi, utatur, Salis Armoniaci Spiritu vel puro, vel aliis admisto, quem ad guttas plures, pauciorelve ex Vino, Cerevisia, vel alio liquore inter prandendum, cœnandumque accipient Ægri, atque in ejusdem usu quotidiano continuabunt aliquandiu, donec Lymphæ Acidioris Effectus mali fuerint in totum sublati & superati.

Mixtura.

XLVII. Quòd si malit Æger Potu ordinario uti puriore, atque in mixtora potiùs medicata usurpare Salem Volatilem: illi sequens aut similis præscribatur Formula, sumatque sæpiùs in die, etiam mox ante aut post assumptos cibos, hujus Mixturæ Cochleare unum.

℞. Aq. Menthæ,
Fœniculi, an. ℥.ii.
Vitæ Matthioli, ℥.i.
Spir. Salis Armoniac. Gutt. xxx.
Syr. Menthæ, ℥ i.
M.

4. Minùs Acida Lympha qui curetur.

XLVIII. Si 4. *minùs Acida* producatur in homine *Lympha*, ejusdem aciditas intendetur à Condimentis, Medicamentisve aciditate notabili præditis, atque satis bona copia usurpatis; Aceto acriore, Succo Citri, & Granatorum Acidorum; Spiritu Salis, Vitrioli, Nitri, Oleo Sulphuris per Campanam parato, &c. quæ omnia ordinario potui, vel cuivis julapio, vel jusculis quoque ad gratam Ægro aciditatem addi possunt, & sic tamdiu indies usurpari, donec Aciditatis in Lympha restitutæ compareaot signa.

XLIX. Quoniam verò Stulti, dum vitant vitia; in contraria currunt, & facilè abusus fieri potest in Acidorum usu nimio, quò plerique inclinare solent homines, movendi sedulò, ne diutiùs perseverent in Acidorum spirituum usurpatione, sibique sic plùs noceant, quàm prosint.

L. Quoties *Spirituosorum nimio usu* diminuta & fracta est Lymphæ aciditas, toties minuendus paulatim eorundem usus, quò sic purior, acriorque reddatur Lymphæ aciditas.

5. Qui curetur Subsalsa.

LI. Si 5. *Subsalsa* existat *Lympha*, abstinendum à Salsorum, Salitorumve Alimentorum quotidiano usu; quod paulatim tentandum, cùm plerique salitis addicti admodum difficulter dimoveri queant a suo proposito, & more malo, qui legis habet rationem.

6. Qui Viscosior.

LII. Si 6. *Viscosior*, ideòque inertior producatur *Lympha*, cavendum ab usurpatione multa & Piscium, præsertim marinorum, & Capitum, Pedumque Animalium terrestrium: quin imò inter Condimenta in quotidiano usu adhiberi debent Aromatica quævis, atque Sale Volatili abundantia, qualia sunt pleraque Antiscorbutica, Cochlearia, Sinapi, Raphanus uterque, Nasturtium tum hortense, tum aquaticum, &c.

7. Qui Salso-Acida.

LIII. Si 7. à Diætæ vitiis §. 29. & seq. notatis *Glandulæ Conglobatæ Vitientur*, *Lymphaque* producatur *Salso-Acida*, sicut dictum §. 37. emendandum erit Glandularum æquè, ac ipsius Lymphæ vitium.

Glandularum Tumor & Durities qui curentur.

LIV. Et *Glandularum*, quidem *Tumor*, tum & *Durities Pituitæ* in viis suis coagulatæ debita Curabuntur per medicamenta incidentia & attenuantia, & imprimis sudorem simul moventia, quò foras propellatur, quod forinsecùs penetravit per cutis poros, aliasque apertiones in corporis interiora, vel com ipso habet affinitatem. In quem finem conducet mixtura sequens cochleatim sæpiùs assumpta, corpore, ubi decumbit Æger, ad Sudorem promovendum mediocriter recto,

Mixtura.

℞. *Aq. fumariæ.*
Fœniculi, an. ℥ i ß.
Theriac. simpl. ʒ vj.
Spir. Sal. armon. Gutt. xx.
Bezoard. mineral. ʒ ß.
Vel *Antimon. Diaphor.* ʒ j.
Syr. Card. bened. ℥ j.
M.

Quid efficiat.

LV. Tali remedio & solvitur denuò Pituita in Glandulis coagulata, & eadem soluta, mobilisque facta removetur à loco, in quo præternaturam hæret, quin non raro reducitur denuò in Vasa sua, moxque aut emendatur in totum, Sanguinique admiscetur, aut, ubi emendari nequit, Sanguini tantùm confunditur, & nunc per Corporis poros cum Sudore, nunc per Renum Vasa & Urethram cum Urinis, nunc per intestina cum Alvi fæcibus excernitur. ac nocere desinit.

Suffitus.

LVI. In eundem finem ex parte saltem conducit Suffitus ex Carabe, Mastiche & similibus, quoties Capitis Glandulæ sunt malè affectæ, naribus & ore patulo cum aere inspirato exceptus, & ad interiora penetrans; nec tantùm Humorem Pituitosum in ipsis hærentem solvens, verùm Glandulas ipsas in pristinum statum reducens, quin adversùs novas Aeris injurias muniens ac roborans.

Frictiones Linimenta.

LVII. Eodem Suffitu linteis excepto Glandolæ superficiales per frictionem blandam restitui possont in integrum: In quem finem usurpari quoque potest Unguentum Martiatom, & Althææ compositum parti affectæ illitum.

Glandularum inflammationes qui curentur.

LVIII. Si præter Tumorem ac Duritiem *Inflammatione* quoque laborent *Glandulæ*, in specie *Tonsillæ*; Gargarismis emollientibus & incidentibus blandioribus, neutiquam adstringentibus, sed tepidè usurpatis corrigendus & Humor Pituitosus obstruens, & Sanguis aut in Vasis subsistens, aut in Glandularum substantiam effusus, accensusque: quibus si nequeat impediri, emollientibus præsertim & blandè incidentibus Aromaticis promovenda ejus Suppuratio, hinc & Apostematis apertio, Purisque adeò effusio, hinc & Ulceris mundatio & consolidatio: de qua re plura videantur Cap. 40. §. 50 & seq.

Gargarismus emolliens, & incidens.

LIX. Gargarismi emollientis & blandè incidentis formula esto sequens.

Rad. Apii,
Althææ, an. ℥ ß.
Fol. Malvæ, M. j.
Passul. maj. incis. unc. ij.
Coq. ex Aq. hordei.
In Colat. ℔ i. *dissolv.*
Syr. Violac. simpl.
5. *rad. an. un. ß.*
M. F. Gargarismus.

Raparum Succus.

LX. Posset quoque Gargarismi loco usurpari solus Raparum assarum, vel in Aqua pauca coctarum Succus expressus.

Glandularum Constitutio vitiata corrigenda.

LXI. Curata Inflammatione, si sui negligentiores non fuerint Ægri, Gargarismo ex subadstringentibus & Aromaticis minùs acribus parato, & aliquoties in die calidè usurpato reparanda vitiata priùs Glandularum Substantia & Constitutio.

Ex. gr. esto sequens formula.

Gargarismus adstringens.

℞. *Rad. Bistortæ,*
Imperator. an. ʒ ij.
Fol. Veronicæ, M. j.
Salviæ,
Fl. Ros. rub. an. M. ß.
Coq. ex Aq. hordei ad Colat. ℔ j.
add. Mellis rosat. ℥ j.
M. pro Gargarismo.

LXII. Reliqua Diætæ vitia vitari, aut, si inevitabilia fuerint, emendari debent non semel recensitis passim superiùs modis.

CAPUT L.

De Lymphæ Glandulosæ per Vasa Lymphatica & Ductum Thoracicum ad Venam Jugularem, Axillaremve sinistram Motu læso: ut & Thoracis Hydrope.

Lympha motus per vasa & ductum Thoracicū ad venam jugularem.

I. GLandulosam Lympham imprimis ab ea distinguo, quam tum à Musculis tum ab aliis Partibus ex Spiritibus Animalibus eò delatis, ac superstitibus eorum habere suspicor, cum qua tamen confusa per eadem Vasa Lymphatica pergit ad Ductum Lymphæ, Chyloque Communem, ac per Universum Thoracem ad dorsi Spinam situm, ideoque Thoracicum vocatum, donec tandem exoneretur omnis in Venam Jugularam, Axillaremve sinistram, ubi Sanguini conjuncta descendit cum ipso per Cavam Venam superiorem ad dextrum Cordis Ventriculum.

Quot modis lædatur.

II. Hic naturalis *Lymphæ* per Vasa Lymphatica, Ductumque Thoracicum *Motus* lædi potest 1. quandò *in totum*, vel *quodammodo* saltem *impeditur*. 2. quando *alia via*, & *aliò*, quam versùs laudatas Venas *Lympha movetur*.

Diu in totū impeditus Ægrum occidit.

III. Si unquam *in totum impeditur Lymphæ Motus per Ductum Thoracicum*. diu non putem superfuturum Ægrum.

Impeditur ab Obstructione

IV. *In totum impediri* potest per plura, vel pauciora *Lymphatica Vasa Lymphæ Motus* imprimis ob eorundem *Obstructionem*.

Qua unde oriatur.

V. *Obstructio* hæc fiet à *Pituita Glutinosa* unà cum Lympha per ejusdem Vasa delata, & in iisdem concrescente ac *coagulata*, ideòque in ipsis hærente, mox & ipsa opplente.

Quando Pituita Glutinosa per vasa Lymphatica deferatur.

VI. Deferri solet Pituita Glutinosa per Vasa Lymphatica, quoties ipsa in tenui Intestino præsertim ab Aeris æstu qualicunque, Corporisve Moto vehementiore, aut Potu Spirituoso, Aquosove imprimis tepido, vel calente copiosiùs ingurgitato solvitur, vel dissolvitur, & primò quidem per Lacteas Venas, mox & Ductum Thoracicum Sanguini confunditur, ac posteà unà com ipso quaquaversùm, Ergò ad Conglobatas quoque Glandulas, hinc & Vasa Lymphatica propellitur.

Quando in iisdem coagulatur.

VII. *Coagulari* solet *Pituita* eadem in *Vasis Lymphaticis* frequentius ab *Aere* externo, *Pluvia*, *Aqua frigidis*, aut *Nive* quoque quovis modo superficiem Corporis molesto frigore afficientibus, ac simul fluida quævis facilè coagulabilia in ipso ubivis coagulantibus atque ad concrescendum cogentibus.

An Pituita mœrore concrescat.

VIII. An sicut Sanguis, ita Pituita quoque à Mœrore aut Terrore summo & inopinato queat concrescere, non ausim asserere, ut nec negare; licet id minùs videatur mihi probabile.

IX. Quo-

Qui motus Lymphæ quodammodò impediatur.

IX. *Quodammodo impeditur Lymphæ Motus* per vasa Lymphatica; tum, quando ipsa est *glutinosior*, adeòque ad motum lentior ac ineptior, tum, quando *ex parte compressa*, vel quovis modo alio *angustata* sunt *vasa* ipsa.

Quando Lympha in loca vicina effunditur.

X. Quoties *in vasis* suis *obstructis subsistit*, & magis, magisque accumulata *nimiam ipsa distendit*, & tandem *rumpit Lympha*, toties eadem in *Loca vicina*, vel *Cavitates propinquas* effunditur atque tunc *alia via & alió*, quam decebat, *movetur Lympha*.

Unde Dolores & Tumores.

XI. Ex hac *Lymphæ per vasa sua in corporis habitu* distributa & obstructa, hinc rupta *effusione in partes vicinas* producuntur *Dolores* varii & *Tumores* quoque, *Catarrhis* vulgò adscripti: Inter quos haud postremum locum tenent, qui partem brachii superiorem usque ad humerum ipsum occupant, & quandoque Collum simul affligunt; ad quos etiam referendi, qui dolorem Ischiaticum mentiuntur atque incessum impediunt in natibus hærentes.

Eorum diversitas.

XII. Horum dolorum quidam patiuntur partes affectas vestimentis multis tegi, & ab ipsis incalescere; alii à tegumentis exacerbantur: unde quoque difficiliùs cedunt, & curantur, quàm priores.

Unde oriantur.

XIII. Oriuntur ferè ab externo frigore partes illas priùs ad Sudorem usque calentes ac in somno sæpiùs denudatas penetrante, atque post coagulatam in Lymphæ vasis Pituitam, obstructionemquè in ipsis, mox & ruptionem factam pro Lymphæ diversitate Dolores varios, & variis duntaxat medicamentis cedentes producente.

XIV. Quæ namque Acidior est Lympha, dolores magis rodentes, atque aromaticis oleis & unguentis cedentes parit; quæ verò magis est Salsa muriatica, dolores minùs aromaticis oleis & unguentis, quale populeon, ausculantes excitat.

Hydrops Thoracis unde.

XV. Ex hac *Lymphæ* è Thoracis Vasis Lymphaticis lateralibus obstructis, mox & ruptis effusione, atque per tegentem costas membranam in Thoracis cavitatem penetratione *Hydropem Thoracis* plerumque, si non semper, ortum habere autumo.

Obstructio Vasorum Lymphaticorum in Thorace qui præveniatur.

XVI. *Prævenietur Vasorum Lymphaticorum* In Thoracis interioribus *Obstructio*, cavendo 1. ne corpus nimiùm incalescat, & hoc si caveri nequeat, 2. ne thorace denudato idem mox refrigeretur, ac per consequens Pituita fusa & quaquaversùm diffusa potenter in Vasis variis, ergò & Lymphaticis, concrescat & coaguletur.

Qui Curetur.

XVII. *Curabitur* eadem *Obstructio*, si quantocyùs, quando locum habuerunt Causæ ipsiùs memoratæ, atque metus est, ne notatum malum fuerit productum, assumatur simul ac semel, aut vicibus partitis *Sudoriferum attenuans & incidens*, quale præbent Aquæ Theriacales

& quibus.

plures cum vini spiritu præsertim paratæ, ut & Aromaticæ aliæ, Decocta ex Lignis Guajaco, Juniperino, Sassafras, &c. Radicibus Imperatoriæ, Chinæ, Sarsæparillæ, Petasitidis, &c. Foliis Scordii, Cardui Benedicti, Cardui Mariæ, Scabiosæ, Taraxaci, &c. Floribus Papaveris erratici, Sambuci, Chamæmeli, &c. Baccis Iuniperi, Lauri, Sambuci, &c. Seminibus Milii, Cardui Benedicti, &c. parata; Salia Volatilia Succini, Cornu Cervi, &c. Antimonium Diaphoreticum, Bezoardicum minerale, Oculi Cancri, &c.

Ex. gr. esto sequens Mixtura, sicut dictum sæpiùs, ad unum vel plura Cochlearia, donec Sudor erumpat. usurpanda.

Mistura.

℞. *Aq. fumariæ*,
Taraxaci; *an.* ℥ii.
Theriacalis simplicis, vel
Vitæ Matthioli, ℥j.
Spir. Salis armoniac. Gutt. xxx.
Laud. Opiat. Gutt. iij.
Antimon. Diaphoret. ʒß.
Syr. Cardui Benedicti, ℥j.
M.
Deleboe Opera.

XVIII. Cui Decocti forma magis placet, is sequenti utatur sæpiùs ad ℥iij. vel iv. ac benè tectus ad Sudorem se componat.

Decoctum.

℞. *Rad. Sarsæparillæ*,
Apii, *an.* ℥j.
Ras. ligni Guajaci,
Iuniperini, *an.* ℥iß.
Fol. Cardui Mariæ,
Scabiosæ,
Scordii, *an. M.j.*
Flor. Sambuci, *M.ß.*
Sem. Milii, ℥j.
Coq. s. a. ex aqua pura ad Colatur.æ ℔iij.
addendo Syr. papav. errat. ℥iv.
M.

XIX. Si anni tempestas fuerit frigida, vel multa scateat Æger pituita, Decocto præcedenti commodè addi poterunt Aquæ vitæ Matthioli, vel cujusvis alterius Aromaticæ, ℥j. quò pluribus Indicationibus simul satisfiat.

Pituitæ & Lymphæ viscositas corrigenda.

XX. Iisdem propositis jam medicamentis, etiam ubi superatum videtur notatum malum, sed minore quantitate, atque rariùs assumendis *Corrigetur Pituitæ*, hinc & *Lymphæ viscositas & tenacitas*: ubi non erit opus Sudorem urgere, ast Pituitam, & Lympham solùm alterando sensim emendare.

Vasa Lymphatica rupta spontè consolidantur.

XXI. *Vasa Lymphatica rupta*, postquam Obstructione notata fuerint medicamentis laudatis liberata, consolidabuntur sponte, sicut observamus evenire in vasis sanguineis; cùm conglutinandi vi præditum sit cujusvis partis alimentum proprium, quippe plùs minùs tenax & glutinosum.

Dolores qui curentur.

XXII. Dolores in Artubus, ac præsertim Brachii parte superiore orti, atque noctu maximè molesti, postquam Humoris Serosi redundantia, si quæ adsit, fuerit Hydragogis, & Sudoriferis quoque diminuta, tollentur illinendo partem affectam sequente linimento.

Linimentum.

℞. *Unguenti Martiat.*
Ol. lumbricor. an. ʒß.
Succini, ℈j.
M.

XXIII. Quòd si Dolores ab hoc linimento, vel solis tegumentis augeantur, sequenti utendum.

Aliud.

℞. *Vnguent. Populeon*,
Nervini, *an.* ʒij.
Ol. liliorum. alb. ʒiij.
M.

Balsamus Sulphuris Terebinthinatus.

XXIV. Quòd si Dolores iidem Coxendicem affecerint, & imprimis partem spinæ inferiorem ita occuparint, ut vix erigi queat corpus & ad motum deduci, præstantissimus erit Balsamus Sulphuris Terebinthinatus, si paucis ejus guttis pars affecta illinatur, quo sæpiùs una nocte curavi homines miseros.

Hydrops Thoracis qui curetur.

XXV. *Hydrops Thoracis* cognitu admodùm difficilis, utut satis frequens in hisce locis, *Curabitur* tutissimè (post præmissam Lymphaticorum Vasorum obstructorum reserationem, ac consolidationem, quò ipsius non foveatur ampliùs) continuato tam per laudata medicamenta, quàm per stupham siccam Sudore, sicque paulatim evacuatis per corporis poros Aquis præter naturam in pectore stagnantibus: quibus si nil efficiatur, & de Thoracis Hydrope satis constet, non video, cur non liceat per acum argenteam cavam in thorace innoxiam instituere Paracenthesin; ex tali namque vulnere parvo nil periculi imminet Ægro.

CAPUT LI.

De Salivæ in Glandulis Maxillaribus Conglomeratis tam superioribus, quàm inferioribus, Præparatione læsa.

Glandulis omnibus conglomeratis liquor.

I. Quemadmodum in Glandulis Conglobatis omnibus Lympha, ita in *Conglomeratis* omni-

omnibus *Liquor peculiaris* generatur; qui haud io communes omnibus, verùm *peculiares singulis Ductus*, eosdemque in *determinatas* unicuique *Cavitates* desinentes defertur.

Salivales Ductus bini. *& infiniti canaliculi.*

II. *In Os* quidem sese duplices exonerant utrinque *Ductus bini*, à *Saliva* per ipsos deportata *Salivales*, *Salivaresve* dicti, & à Glandulis Maxillaribus Conglomeratis tam superioribus, quàm inferioribus oriundi: ut taceam *infinitos caniculos* ex similibus Glandulis ortos & itidem *in Os patentes*, ac conteotum Liquorem effundentes, à Diligentissimo & Accuratissimo Anatomico *Nicolao Stenonio* primùm, quantùm ego saltem novi, observatos.

Saliva unde.

III. *Salivam* omnem *ortum* habere judico partim ex *Sanguinis parte*, quam quæ Lymphæ servit, magis glutinosa per *Arterias*, partim ex *Animalibus Spiritibus* per *Nervos* ad memoratas Glandulas Conglomeratas deductis.

Salivæ generatio quot modis lædatur.

IV. Hanc *Salivæ* naturaliter *Insipidæ* ac omoibus Liqnoribus permiscibilis *Generationem lædi* censeo 1. quando *Parcior* fit. 2. quando *Copiosior* producitur. 3. quando *multifariè qualitatibus sensilibus peccans* præparatur.

Parcior fit 1 Defectu materiæ.

V. *Parcior*, quàm decebat, *generatur Saliva* 1. *defectu materiæ*, quoties illa *non reponitur*, Alimentis convenientibus, qualia videntur esse potissima Jusculа ex Brutorum carnibus parata, Lac, Potus crassior, Cerevisia putà potentior, Vinum rubellum, &c. vel aliò deducitur, sive intra corpus remaneat in Hydrope vario, sive extra corpus effundatur io Alvi fluxu, vel Urinæ, aut Sudoris excretione nimia.

2 Viarum vitio.

VI. 2. *Vitio Viarum, per quas defertur ad Glandulas dictas requisita Materia*, dissectis, obstructis, compressisve Arteriis grandioribus, & aliquando Nervis quoque; unde aliquis saltem accidere potest Salivæ Defectus.

3 Glandularum vitio.

VII. 3. *Glandularum ipsarum Vitio*, quando ineptæ fiunt transcolandæ, admittendæve laudatæ materiæ, aut eidem immutandæ & in Salivam deducendæ. Quamvis, quomodo affectæ sint ac secundùm naturam constitutæ istæ Glandulæ ad muous hoc absolvenduoi, nondum satis constet.

Copiosior fit

VIII. *Copiosior* contrà *producitur* aliquando *Saliva*, (quemadmodum in Melancholicis quibusdam & Sputatoribus inde dictis continuò, & nonnullis Ægris Salivatione spontanea, eaque abundantiore aut pauciore laborantibus accidere notum) 1. ob *Materiæ Salivaris redundantiam*, nunc ex ubere usu Alimentorum Liquidiorum, Vini præsertim aciduscuIi; nunc ex Urinæ, aut Sudoris consueti excretione parciore.

1 Ob Materiæ Salivaris redundantiam. *2 Ob viarum amplitudinem & multitudinem.*

IX. 2. Ob *Viarum Sanguinem Spiritusque Animales ad Salivares Glandulas deferentium amplitudinem aut multitudinem*; propter quam plùs materiæ in Salivam mutandæ affertur dictis Glandulis.

3 Ob Glandularum vitium.

X. 3. Ob *Glandularum ipsarum Salivam conficientium vitium*, propter quod Salivaris materiæ plus, quàm decebat, excipitur è Sanguine, mutaturque in Salivam; licèt illud vitium quale sit aut esse possit, hactenus determinare non possim.

Qualitatibus sensilibus peccantem Salivā testatur sapor ejus.

XI. *Qualitatibus sensilibus*, tam *propriis*, quàm (prætor Quantitatem, de qua nunc actum) *communibus vitiosam* produci quandoque *Salivam*, testatur *Sapor* ejus aliquando *Salsus*, aliquando *Acidus*, aliquaodo *fastidiosè Dulcis*, aliquando *Amarus*, dummodò hic à Bile ad Os assurgente non habuerit ortum: Arguit idem *major* vel *minor* quandoque ipsius *Glutinositas vel Aquositas*, & si quæ aliæ observatæ sunt uoquam, observabunturve imposterum Mutationes in *Colore*, *Odore*, *Sapore*, *Calore*, *Frigore*, ac similibus Qualitatibus.

Salsus.

XII. *Salsus Salivæ Sapor* debetur haud dubiè *Sero in Sanguine Salso*, concurrente forsan simul *Glandularum Salivarium vitio*, propter quod minùs aptæ sunt amovendæ à se, superandæve istius Seri Salsitudini.

XIII. Sic *Acidus Salivæ Sapor* acceptus erit *Acidus.* ferundus *excedenti copiæ Humoris Acidi* tum in *Corpore*, tum in *Sanguine* ac fortè subinde alicui *Defectui Animalium Spirituum* vel *Universali*, vel *Particulari* saltem in Glandulis Salivaribus.

XIV. *Sapor Salivæ fastidiosè Dulcis*, & Saturni saccharum æquans vel superans quærendus *Fastidiosè Dulcis.* *in Sero simili* undecunque tandem orto. Nam difficile est admodum omnes in corpore nostro Humorum secundùm Qualitates penè innumeras obvenientes Mutationes exactè explicare, cùm ignoremus plerunque, quibus, qualibusque Alimentis fuerint usi Ægri, & imprimis à quibus, qualibusque tam mirè alterentur Sapores, Odores, Colores, ac cæteræ Humorum nostrorum Qualitates; & quidem, meo saltem judicio; propter neglectam à plerisque Chymiam, ut ita dicam, Experimentalem, ac Præjudicia Experimentorum ac Postulatorum loco passim à plerisque habita, & imprudenter aliis, nedicam impudenter, obtrusa.

XV. *Amarus Salivæ Sapor* vel à *Bile* sursùm *Amarus.* ructata & aliquandiu in Ore sui reliquias relinquente, ideòque Salivam omnem aliquandiù inquinante oritur; vel, ubi talis eructatio Bilis locum non habuit, ab eadem forsan Bile puriore in Sero existente, atque in Salivaribus Glandulis Salivæ materiæ admista: utut de hoc postremo modo valdè dubitem, cùm vix unquam observaverim Sanguinis Serum amarum.

XVI. *Glutinosior Saliva* ortum suum debebit, *Glutinosior & Aquosior Saliva.* *Sanguini multa Pituita* itidem *glutinosa scatenti*; uti *Aquosior & Fluidior ejusdem defectui*.

XVII. *Curabitur Parcior Salivæ proventus* 1. *Parcior Salivæ Proventus qui curetur, quando fit. 1 Ob defectum materiæ.* *defectui materiæ aptæ*, atque *Alimentorum convenientium* adscribendas *liberaliore eorundem Usu*: sicut Curato Hydrope, quoties ipsius materia ipsi fovendo insumitur vel avertitur; ut & Curato Alvi fluxu, quandò per ipsum materia ejus evacuatur; denique sublato nimio Urinæ aut Puris effluvio, quando ipsius culpa evenit. Horum autem Affectuum Curatio alibi & quidem suo tradenda loco.

XVIII. 2. *Dissecti Arteriæ aut Nervi* non curantur, *damnumque* inde ortum non nisi tardiùs *2 Ob dissectam Arteriam, aut Nervum.* *ex parte saltem reparatur*, quatenus Arteriæ ac Nervi reliqui ad easdem partes tendentes paulatim ferè augentur, atque sic tandem jacturam dissectis debitam quodammodò resarciunt.

XIX. Qui *Vasorum horumce Obstructio & Compressio* curari debeat & possit, alibi non semel di- *3 Ob glandularum vitium.* ctum est ac doctum.

XX. 3. *Glandularum ipsarum Vitium* quale sit, propter quod parcior producatur Saliva, postquam innotuerit, non ita difficulter illi aptum invenietur remedium: quamvis, dum ignoratur adhuc utrumque, possit Medicus prudens talia usurpare imprimis externè medicamenta, quæ vocantur vulgò roborantia, suntque pleraque Aromatica, Ex. gr. Unguentum martiatum, quo inungi poterit maxillæ utriusque regio, in qua sitæ sunt Salivares Glandulæ; à quo si commodum accipiat Æger, illa observatio erit notanda; & alio tempore in alio Ægro, aut in eodem, si ferre non possit pinguia, Fotus aliquis paretur ex plantis aromaticis, addito quandoque Spiritu vini, & nonnunquam egregio Sale Volatili; cujus itidem ope si meliùs habeat Æger, hactenus utilis erit tum aliis curandis, tum Glandularum constitutioni naturali, atque vitio eruendis observatio. Sic paulatim augetur notitia humana, perficiturque indies Ars Medica, non nisi labore improbo, iteratoque comparanda.

XXI. *Copiosior Salivæ proventus Curabitur* 1. *Copiosior Salivæ proventus curatur 1 Minuendo ejus Materiam.* *minuendo ejus materiam*, tum *detrahendo* indies aliquid de Alimentis liquidioribus, tum *evacuando* ipsam per *alvum*, ut cum *urinis* vel *sudoribus*,

XXII.

XXII. Inter *alvum moventia* conducent *Phlegmagoga & Hydragoga* simul mixta & sæpiùs minore quantitate assumpta.

Exempli gratia sunto Pilulæ sequentes bis aut semel tantùm in septimana usurpandæ.

Pilulæ. ℞. *Mass. pilul. mastichin.* ʒj.
Resinæ Jalappæ, ℈j.
Ol. succini, Gutt. iij.
M. F. pilulæ ℞. *xx.*
Inaurentur.

Earũ Usus. Sumat Æger cubitum iturus tres, quatuorve, ut bis aut ter ad summum inde purgetur.

XXIII. Inter *Diuretica & Sudorifera* convenient imprimis Decocta minùs ingrata aliquoties in die, aut potùs ordinarij loco fœliciter usurpanda. Ex. gr.

Decoctum. ℞. *Rad. Chinæ in taleolas sectæ,*
Apij, *an.* ʒj.
Ras. ligni Iuniperini, vel
Guajacini, ℥ij.
Sassafras, ʒj.
Passul. major. incis. ℥iv.
Coq. s. a. ex Aqua pura,
In Colat. ℥xxx. *dissolv.*
Syr. 5. rad. ℥j.
Spir. Sal. Armoniac. G. xxx.
Aq. Cinnamomi, ℥j.
M.

Eius Usus. XXIV. Quòd si quis eodem medicamento per plures vias nptet Pituitam & Serum evacuare, is semel aut bis in septimana poterit in Decocti modo præscripti ℥ij. dissolvere Electuarii Hydragogi nostri ʒij. vel iij. prout Æger faciliùs aut difficiliùs purgabitur, aut Medico animus fuerit plùs vel minùs eundem expurgare.

2. Viarum amplitudo qui curetur. XXV. 2. *Viarum Salivæ materiam* afferentium *amplitudo nimia* Curabitur imprimis Fomentatione *subadstringente & blandè aromatica* in vino rubello parata & maxillis per pannum laneum sæpiùs calidè applicata: cujus ope paulatim arctari ac roborari poterunt viæ ampliores.

3. Qui Glandularum Vitium. XXVI. 3. In ipsis *Glandulis* quoties aliquod *Vitium* simul concurrere rationali conjectura concluditur, quamvis necdum vitium tale satis innotuerit, existimo tamen posse modo laudata *subadstringentia & blandè aromatica* tum externè tum internè commodè usurpari. Ex. gr. esto Apozema sequens,

Apozema. ℞. *Rad. Garyophyllatæ,*
Bistortæ, *an.* ʒj.
Imperatoriæ, ʒij.
Chinæ select. ʒj.
Glycyrrhiz. rasæ ʒj. ß.
Coq. s. a. ex vino rubello ad Collat. ℔ij.
Addendo Aq. Cinnamom.
Syr. Myrtini,
Ros. Rubr. an. ℥j.
M.

Eius Usus. Hujus Apozematis ℥ij. aut iij. assumat bis, terve in die Æger.

Quomodò curetur Salivæ Salsitudo. XXVII. *Salsitudo Salivæ* tolletur tam abstinendo à multo Salsorum usu, quàm emendando Seri salsitudinem per Oculos Cancri, Coralia, Margaritas, Conchilia & similia mediocriter calcinata, imprimis per pilulas de Cynoglossa, vel de Styrace ad grana ij. vel iij. indies, aut diebus alternis devoratas.

Quomodo ejus Aciditas. XXVIII. *Salivæ Aciditas Curabitur* iisdem, ut & Creta, Sanguine Draconis, Lapide Hæmatite, Salibus fixis, & maximè volatilibus, quippè blandiùs, licèt simul lentiùs, quod itidem magis laudandum) in corpore nostro Humores quovis alterantibus & corrigentibus.

Quomodò Dulcedo fastidiosa. XXIX. *Dulcedo Salivæ fastidiosa Curabitur* fortassis per Conchilia & similia mediocriter calcinata, ut & Salia Volatilia aliquantò acriora, quin Salia quoque fixa, nec non Acida satis acria, denique Salia cum Acidis juncta, Salem puta Tartari Vitriolatum & similia; licèt hactenus illis non sim in hunc finem usus, quoniam nullus mihi talis evenit Casus curandus, à quo in ejus naturam & curandi modum inquisivi accuratiùs, præsentesque formavi conceptus.

Delebor Opera.

XXX. *Amaritudo Salivæ* à Bile in Os assurgente producta sponte atque paulatim recedet, ipsa iterum deorsum propulsa, expulsaque cholagogo per anum; poterit tamen simul ejus amaror pertinacior, ipsum Os colluendo vino acidiusculo puro, vel cum aqua misto, cujus etiam loco usurpari poterit modo simili acetum. *Quomodò Amaritudo.*

XXXI. Quod si *purior Bilis permanserit in Sanguine, ipsiusve Sero*, eadem minuenda erit per cholagoga blanda, reliquaque corrigenda per Acida temperatiora & gratiora.

XXXII. *Salivæ Glutinositas nimia emendabitur* tum per assumpta Medicamenta incidentia aromatica sæpiùs laudata & præscripta, imprimis Salia Volatilia inter prandendum, cœnamdumque cum vini tantillo usurpata; tùm per similia ore contenta, mox & post ejus collutionem iterum excreta; tum per Alimenta similia cautè omissa ac neglecta; tum per Pituitam tenacem, si copia simul aucta peccaverit, post sui præparationem præviam, blandè ac lentè phlegmagogis ex parte eductam. *Quomodò Glutinositas.*

XXXIII. *Salivæ Fluiditas & Aquositas nimia* emendabitur usurpatione iterata Glutinosiorum, & quandoque Subausterorum Alimentorum, qualia sunt Mespila, Sorba, Mala Coronea, &c. quibus pro re nata jungi possunt aliquando Pilulæ de Cynoglossa, &c. *Quomodò Aquositas.*

CAPUT LII.

De Salivæ in Os, ac Œsophagum Motu læso.

I. SAlivam unicuique non cogitanti sponte *in Os confluere*, atque ad voluntatis arbitrium copiosiùs eò allici posse, quin eandem mox *deglutiri*, facile est unicuique experiri atque observare. *Fluxus Salivæ in Os.*

II. Hic *Salivæ in Os Motus læditur* 1. quando *parciùs*, vel *difficiliùs*; 2. quando *copiosiùs*, vel *faciliùs* eò effertur. *Quot modis lædatur.*

III. *Parciùs* in Os affluit *Saliva*, 1. propter sui *defectum*, de quo capite actum præcedente. 2. propter *Salivares Ductus Obstructos, vel Compressos, vel Discissos.* *Quando parcius affluit.*

IV. *Difficiliùs* ad Os effluit Saliva, propter sui *Glutinositatem*, de qua itidem capite dictum superiore. *Quando difficiliùs.*

V. *Copiosius* in Os fertur eadem *Saliva*, 1. propter sui *redundantiam*; de qua vide similiter caput præcedens. 2. propter *Ductus Salivares patentiores, laxioresve*; quocirca in ipsis moram debitam minimè nectit Saliva, quia continuò effluens locum facit modò secuturæ qualicunque Salivæ, ut plurimùm idcircò magis aquosæ aut fluidæ. Ista verò Ductuum Salivarium amplitudo & laxitas debetur non rarò *Sputationi continuæ* more malo sensim contractæ. Quò enim quis magis vel minùs Functionem quamvis exercet, eò partes illi ministrantes ad eandem faciliùs & hic quoque abundantiùs, vel difficiliùs & hic etiam parciùs perficiendam vel aptiores, vel ineptiores facit. *Quando Copiosius.*

VI. *Faciliùs* in Os defertur *Saliva* propter sui *Tenuitatem ac Fluiditatem* capite præcedente propositam. *Quando faciliùs.*

VII. *Salivæ* in Os admissæ *Deglutitio* læditur, quoties ipsa vel *planè non* potest fieri, vel non nisi *cum magna difficultate*. *Salivæ Deglutitio quot modis lædatur.*

VIII. Utraque hæc læsio accidit præsertim propter Faucium, aut Œsophagi angustiam, nunc Tonsillarum Tumori, nunc Anginæ, rariùs Tumori in Œsophago ipso existenti, vel Carni ex ipso excrescenti adscribendam: unde cum difficultate fit, dummodò fieri possit, Œsophagi Contractio, ac Deglutiendorum detrusio. *Ejus læsionis causa.*

IX. Lædi quoque potest *Œsophagi* Motus

propter *Paralysin*; aut *Convulsionem* propriam, *Motumve Convulsivum* in Suffocatione Hypochondriaca frequentem.

X. Quæ proxime præcedente capite de variorum hic memoratorum Curatione dicta sunt, inde peti poterunt. ut & ex aliis locis, quæ ibi sunt tradita, vel tradentur.

Ductus Salivares dissecti incurabiles. Obstructi & Compressi qui curantur.

XI. *Ductus Salivares Dissecti* Curari nequeunt: *Obstructi* autem, *Compressive* curabuntur imprimis medicamentis *attenuantibus & incidentibus*, tam *Collutionis*, quàm *Fomenti* forma usurpatis.

Ut & patentiores & laxiores.

XII. Ductus Salivares patentiores, laxioresque Curabuntur similiter Oris Collutione, Maxillarumque Fomentatione ex sub-adstringentibus & blandè aromaticis parato decocto; quale Cap. præced. §. 26. descriptum habetur. Sed danda quoque opera, ut sensim desuescant Ægri à continua Sputatione in consuetudinem perperam ascita.

CAPUT LIII.

De Succi Pancreatici Generatione læsa,

Quis vocetur Succus Pancreaticus.

I. H*Umorem in Conglomeratis Pancreatis Glandulis præparatum*, ac per *Ductum* ejusdem *in tenue Intestinum* effusum *Pancreatici aut Melancholici Succi* nomine indigitamus.

Ejus Sapor.

II. Eundem affinitatem habere magnam cum Saliva, sed *Sapore subacido* ab illa insipida, licèt facilè acescente, distingui non suspicamur ampliùs, verùm post *Regneri de Graaf*, verè industrij, fœlicisque Anatomici, & quondam Discipuli nostri carissimi observationem ingeniosam non tantùm in Canibus, sed in Homine quoque factam, collectumque Succum, certò asseveramus.

Ejus descriptio.

III. Est igitur *Succus Pancreaticus naturaliter sapore Subacidus in Conglomeratis Pancreatis Glandulis ex parte Sanguinis maximè consimili & Spiritibus Animalibus paratus*; atque *continuò ex Ductibus minoribus in majores, tandemque in maximum & medium, plerumque simplicem, rarò duplicem, hinc & Intestinum tenue confluens*.

Ejus Generatio quot modis læditur.

IV. Succi hujus *Generatio læditur*, 1. quando *Parcior*. 2. quando *Copiosior*. 3. quando *multifariis qualitatibus sensilibus, sapore, odore, colore, Glutinositate*, &c. *Vitiosus* producitur.

Parcior fit, 1. Defectu materiæ.

V. *Parcior* efficitur hic Succus, 1. *defectu Materiæ aptæ in Sanguine*, propter *Alimenta* minimum Acidi continentia diutius usurpata, vel propter ipsam *aliò delatam* in *Hydrope*, aut *e corpore effusam* in *Sudore subacido*, *Urinaque* itidem *acidiore*; *Alvive fluxu Lienterico*, ac *Cœliaco*, Qui namque cum Torminibus conjunctus est, atque ab Acido acri ortum habet, is censetur mihi plerumque ab ipso Succo Pancreatico Acidiore habere ortum, qui quamvis effundatur simul è corpore, paratus tamen fuit in Pancreate.

2. Vitio viarum.

VI. Parcior generatur idem Succus 2. *vitio viarum*, & imprimis *Arteriarum*, per quas defertur ad Pancreatis Glandulas Sanguis, si aliquando ipsas *obstrui*, vel *comprimi* contingat.

3. Vitio glandularum pancreatis.

VII. 3. Ipsarum *Pancreatis Glandularum ad subacidam Sanguinis partem* à reliqua commodè *secernendam* & amplius *cum Animalibus Spiritibus* in laudatum Succum *præparandam ineptarum* culpa.

Copiosior fit, 1. Propter materiæ abundantiã.

VIII. *Copiosior* generatur Succus Pancreaticus 1, propter *materiæ* ad ipsum producendum aptæ in corpore atque Sanguine *abundantiam*, tum *Alimentis* similibus diu & multùm assumptis; tum *Evacuationibus subacidorum consuetis suppressis* debitam.

2. Propter arteriarum & Nervorum copiã & magnitudinem.

IX. 2. Propter *Arteriarum Nervorumque* ad Pancreas delatorum *copiam & magnitudinem*; quocirca multum quoque Succo Pancreatico parando aptæ affertur materiæ.

3. Propter glandularum pancreaticarum dispositionem.

X. 3. Propter ipsarum *Glandularum Pancreaticarum constitutionem peculiarem* Succo Melancholico multo præparando faventem, quamvis & hic quoque adhuc dum hæreamus in notata Constitutione vitiosa, æquè ac naturali & laudabili determinanda & describenda.

Sapore vitiosus fit. 1. Quando nimis acidus efficitur.

XI. *Sapore vitiosus* producitur Succus Pancreaticus 1. quando idem *nimis Acidus* efficitur, & quidem tum propter *Acidorum Alimentorum, Condimentorum, Medicamentorumve assumptionem nimiam*; tum propter *Succi laudabilis moram in ductibus ejus quibusdam minoribus obstructis* factam, unde mox idem acidior evadit, & reliquo iterum junctus universum eo saltem tempore inficit, & similiter solito acidiorem facit? quemadmodum id plerunque notabiliter observatur in principio Febrium Intermittentium cum Frigore, Acidi acrioris progenie, paroxysmos suos inchoantium.

2. Quando contrà minùs Acidus.

XII. 2. Quando idem paratur *minùs Acidus*, & quidem tum ob *Acidorum Alimentorum, Condimentorumque usurpationem parciorem* aut *nullam*; tum *ob adversorum* (qualia sunt sæpiùs memorata Creta, Oculi Cancri, Margaritæ, Corallia, & similia, ut & Salia & fixa & volatilia) *usum frequentem aut copiosam*; tum ob *Humoris Acidi per Sudores*, *aut Urinas evacuationem multam*.

3. Quando muriatice Salsus.

XIII. 3. Quando idem *Muriatico Salsus* generatur, ob *Serum simile* in corpore abundans, tum propter *Alimenta* cum *multo Sale condita* diutiùs assumpta, tum propter *Gravedinem* molestam, perseverantemque humores laudabiles in Salsos-muriaticos, sive Lympham similem corrumpentem,

4. Quando Austerus.

XIV. 4. Quando idem Succus producitur *Austerus*, & quidem tum propter *Alimenta*, *Medicamentaque similia* copiosiùs aut diutiùs assumpta, tum propter *Animi Mœrorem summum*, & imprimis non expectatum, *Terroremque magnum* inopinatum,

5. Quando fœtidus.

XV. 5. Quando idem Succus gignitur *fœtidus*, quod imprimis accidit, ubi aliqua existit *in Pancreate Corruptio*, *Puris* puta post Inflammationem *confectio*, cujus aliquid quoties Succo Pancreatico jungitur, toties fœtorem ipsi suum conciliare potest.

6. Quando color ejus vitiatur.

XVI. 6. Quando ejusdem Succi *Color Pituitæ*, *Aquæve similis* mutatur in alium qualemcumque naturali dissimilem; quod fieri potest, quando illi *aliquid Sanguinis puri*, vel *corrupti admiscetur*, & colorem ipsius naturalem plùs minùs perdit.

7. Quando fit Glutinosior.

XVII. 7. Quando Succus Pancreaticus efficitur *Glutinosior*, & quidem propter *Pituitam similem multam* in corpore existentem, Sanguinique conjunctam, & tum Humores alios, tum præsertim hunc viscositate sua inficientem.

XVIII. Cùm plures Qualitates Succi hujus vitiosæ non occurrant impræsentiarum, pergemus rectà ad enumeratorum in ipsius generatione vitiorum Curationem.

Parcior Succi Pancreatici generatio curatur. 1. Utendo subacidis.

XIX. *Parcior Succi Pancreatici Generatio Curabitur*, 1. *utendo* abundantiùs *Alimentis*, *Condimentisque Subacidis*, ubi eorum defectu hoc accidit malum; vel curando *Hydropem*, *Sudoremve*, aut *Mictum acidum*, *Alvive fluxum Lientericum*, *Cœliacumve*, quando illis suum debet ortum; de quibus actum est in superioribus, vel agetur adhuc in sequentibus.

2. Reserando Arteriarum Obstructionem.

XX. 2. *Reserando Arteriarum Obstructionem* per incidentia & attenuantia sæpiùs jam proposita, *tollendove ipsarum Compressionem*, liberando ipsas à Vinculis vel Tumoribus Cavitatem ipsarum arctantibus,

3. Emendãdo Glandularum Pancreaticarum vitium

XXI. 3. Qui *Glandularum Pancreaticarum vitium*, propter quod parcior in ipsis producitur Succus, *Curari* debeat, dictu erit arduum, postquam ipsum necdum patet, ignorata nempè Glandularum Constitutione naturali præpa-

rando

rando laudato Succo debita: Quoniam tamen Succus Subacidus separatur, conficiturve in Ipsis, existimo *Medicamenta blandè Aromatica & imprimis Salia Volatilia Subacidis juncta* valdè probabili conjectura hic futura utilia, Ex. gr. Sal Volatile Succini; Sal Armoniacum sublimatione iterata purius factum, & plura similia industriè parata.

Observati. XXII. Ubi notandum, postquam omnis Mutatio à Medicamentis alterantibus expectanda sensim absolvi debet; aliquandiu perseverandum esse in talium usurpatione, quò successus habeatur optatus, ac lentè hic festinandum.

Copiosior ejusdem generatio curatur. 1. Parcius utendo acidis. XXIII. *Copiosius generatus* hic Succus ad sui *Curationem* indiget 1. ut Æger *omittat*, *diminuat* saltem *Alimentorum*, *Condimentorumque Acidorum Usum*, quoties idem illi dedit ansam, & Succo abundantiori suppeditavit materiam: quæ poterit quoque in corpore jam existens *minui per Hydragoga*, & *Sudorifera*, & *Diuretica*: quæ tantò erunt magis utilia, si consueta Humorum Acidorum Evacuatio qualiscunque fuerit suppressa.

XXIV. Inter Sudorifera & Diuretica laudo in hoc Casu quævis *Acidum* insuper *contemperantia*, *obtundentia*, *& concentrantia*, sæpiùs in hoc opusculo recensita & in formulas quoque redacta.

2. Coarctando Arterias & Nervos. XXV. 2. Si commodè internis, externisve remediis coarctari possent (minui namque non possunt) *Arteriæ ac Nervi* Pancreati inserti, eorundem *angustatione* prudenti, lentissimaque, à solis *blandè adstringentibus* quærenda.

3. Corrigendo constitutionem Glandularum præternaturalem. XXVI. 3. Si aliquando *Glandularum Pancreaticarum Constitutio Naturalis ac Præternaturalis innotesceret; hujus Correctione per medicamenta ipsi subcontraria*; quibus adhucdum ignoratis tentari possent forsan, etiam ad Constitutionem utramque aliquando pernoscendam, quæ *adstringunt blandè*, *acidumque simul concentrant*, inter quæ elucent Lapis hæmatites, Sanguis Draconis, Creta alba, &c. quæ, sicut dicebam modò de Alterantibus omnibus; quantitate parva usurpari possent aliquandiu, & à Prudentibus Medicis observari accuratè successus; effectusque Ipsorum.

Acidioris Succi præparatio curatur. 1. Minuendo usum acidorum. 2. Tollendo obstructiones. XXVII. *Acidioris Succi præparatio Emendabitur* 1. *minuendo* indies, & quandoque *tollendo in totum*, ad tempus saltem, *Alimentorum*, *Condimentorum*, *Medicamentorumque manifestè Acidorum usum*.

XXVIII. 2. *Tollendo in Ductibus Pancreatis lateralibus & minoribus* à Pituita glutinosa in ipsis coagulata *Obstructionem* factam, tum per *incidentia & attenuantia*, tum per *propellentia* ipsam vel *in tenue Intestinum* duntaxat, vel simul *extra corpus per vomitum*, aut *secessum*, & aliquando *per Urinæ*, *Sudorisve vias*. In quem finem multiplicem convenientia remedia præscripta sunt sæpiùs in superioribus, ut non videatur necessum toties acta iterum hic agere.

Minùs Acidi Succi Generatio qui curetur. 1. Quando fit ob defectum Acidorum usum. XXIX. *Minùs Acidus* ubi producitur 1. Succus Pancreaticus *defectu Alimentorum*, *Condimentorumque similium*; *reddetur idem Acidior* usurpando *Alimenta*, *Condimentaque subacida*, *& grata*, & quidem non vi, & quantitate magna, sed diutinè, atque quantitate mediocri; ne nimiùm festinando plùs detrimenti afferatur Ægris, quàm emolumenti.

2. Quando fit ob adversorum usu. XXX. 2. Ubi idem *minùs Acidus* existit ob præposterum *adversorum*, Cretæ, Coraliorum, &c. ut & Salium fixorum, volatiliumve *usum*; *abstinendum* ab ulteriore ipsorum usu; idem saltem *moderandus ac minuendus*.

3. Quando fit ob humoris acidi copiosam excretionem. XXXI. Ubi 3. Idem contingit propter *Humoris Acidi per Sudores*, *Urinasve copiosam excretionem*, opera danda, ut Acidi humoris à Sanguine Secretio, hinc per Sudores, Urinasve Excretio paulatim minuatur: quod efficiet convenientissimè Conditum sequens in hunc finem valdè efficax.

Delebæ Opera.

℞. *Conf. rof. rubr.* ℥ij. *Conditum.*
Pallid. ℥j.
Diascordii Fracastorii, ʒiij. vel nostri (cujus descriptio sub finem hujus Libri habebitur) ʒj.
Coral, rubr. præp.
Margarit. præp. an. ℈iv.
Syr. Granat. acid. q. s.
M. F. Conditum.

Ejus Usus. Hujus Conditi ʒj. vel circiter assumat Æger manè stomacho jejuno, tantundem horis duabus ante cœnam, & tantundem iturus cubitum, Os eluendo; si volet, tantillo vini, alteriusve potus grati, & illud superbibendo.

Sapor Succi Salsomuriaticus qui emendetur. XXXII. *Sapore Salso muriaticus generatus Succus Pancreaticus*, quod ex similis humoris vomitione cognosci potest, *Emendabitur* diutina & parca medicamentorum Serum simile in corpore nostro existens corrigentium, & Cap. superiore 51. §. 27. & alibi à me passim descriptorum usurpatione: ut & *Salsamentorum abstinentia*, *Gravedinisque*, si quæ urgeat, *Curatione* festinata, ne plura ipsi neglectæ succedant mala.

Qui Austerus. XXXIII. *Austerus si producatur Pancreaticus Succus*, (quod frequens Suffocatio Hypochondriaca, cum Strangulationis metu, ut & Austerorum humorum vomitus arguit) *Abstinendum* 1. ab ulteriore *Austerorum fructuum*, *medicamentorumve* usu. *Vitandæ* 2. omnes *summi Mæroris*, *& gravis Terroris* occasiones, quin adversus ipsorum noxas *muniendus Animus*, *& firmandus*, *regendusque* Denique 3. usurpanda sunt frequenter *Salia Volatilia*, & præsertim *Aromatica*, & quidem quantitate parva, ad guttas puta iv. v. vj. ex vini cochleari; postquam nil hactenus, quod sciam, tam potenter, ac efficaciter, tamque citò emendat in nobis & corrigit Austerum, quàm Sal Volatile quodvis, sed imprimis Aromaticum, quod millies fœliciter expertus testor, & omnibus Medicis junioribus informatione fideli egentibus intimè commendo.

Qui Fœtidus. XXXIV *Succus Pancreaticus Fœtidus* si reddatur *à Pure proprio* Ipsi admisto, exacta & diu continuata opera est danda, *ut in Pancreate Ulcus post Abscessum relictum tandem plane ac plenè curetur*, assumptis indies *Antimonio Diaphoretico*, *Bezoardico minerali*, vel quovis alio magis efficaci & *fixo medicamento ex Antimonio parato*; Cujus *magisterium*, *elixir*, aut *quinta essentia* si habeatur, mirabilia, plerisque licet incredibilia visa, non tantùm in hoc malo periculoso, & curatu difficillimo, sed & similibus, in aliis quoque visceribus aliquando repertis; curandis præstabit.

Qui color vitiosus. XXXV. *Color Succi Pancreatici ab admisto ipsi Sanguine mutatus Curabitur Consolidatione Vasorum Sanguineorum ab acri acido erosorum* per modò laudata medicamenta excellentia ex Antimonio præsertim parabilia; quæ humorum quoque Acrimoniam omnem corrigunt, temperantque, ac longè plura præstant, quàm ignava Misochymicorum turba mente sua præjudiciis excæcata potest assequi vel admittere. Pro quibus orandum serio, ut tandem aliquando sit ipsis mens sana in corpore sano, dum illud saltem ipsis contigerit sanum.

Qui Glutinositas. XXXVI. *Glutinosior si producatur in Pancreate Succus*, *corrigetur* hoc vitium *continua & continuata usurpatione Aromaticorum acriorum* ut & *Salium Volatilium* quorumvis, & quandoque *Acidiusculorum* quoque *magis Spirituosorum*, aut *cum Spirituosis artificiose paratorum ac elaboratorum*, quæ itidem fugiunt Chymiæ osores, quippe ignorantes. Talia verò quia sæpiùs laudavi & descripsi suprà, eò ignavos & dignos Medicinæ Alumnos remitto.

CAPUT LIV.

De Succi Pancreatici ad tenue Intestinum Motu, ac eam Bile Effervescentia læsis.

Succi Pancreatici motus.

I. SUccum Pancreaticum continuò & in Glandulis suis à Sanguinis massa secerni, & cum Animalibus Spiritibus ampliùs elaborari, perficique, & *in Ductus majores, ac Medium* tandem, hinc & *ad Tenuis Intestini Cavitatem* secundùm naturam *Moveri* arbitror.

Quot modis lædatur.

II. Hic *Succi Pancreatici per Ductus minores, majores, maximumque ad Intestini tenuis Cavitatem usque Motus vitiari potest modis variis*, & quidem aliquando secundùm *totam Succi massam*, aliquando secundùm *aliquam duntaxat ejus partem*: dum vel *Nullus* fit, vel *lentiùs & difficiliùs*, vel *ocyùs, quippe faciliùs* procedit.

Ejus defectus universus.

III. Existimo vel *rarò*, vel *nunquam in universum deficere Succi Pancreatici Motum* per suos Ductus ad tenue Intestinum: quod eveniet duntaxat, si eveniat, *ex Ductus Maximi, mediique Obstructione à Pituita glutinosissima circa ipsius Orificium hærente, itidemque coagulata & impacta*; quæ vix permanebit aliquandiù ibidem, quin à Succo perpetuò accedente mox iterum solvatur, aut in præsens vitæ periculum conjiciatur Æger: Cui an non inde Mors inexpectata superveniat subinde, quis prudens negabit, aut observatione accurata in mortuorum cadavere, hocque Ductu in antecessum facta temerè asseverabit?

IV. Memini certè visam mihi aliquando glutinosam, copiosamque in hoc Ductu hærentem, adhærentemque Pituitam, nec facilè inde cedentem ac removendam.

Aliquam Succi partem in motu sisti.

V. *Aliquam Succi Pancreatici partem in Motu suo per Ductus Minores & laterales*, ad Medium, maximumque *sæpiùs in totum* ad tempus saltem *impediri* propter *Obstructionem à Pituita Viscosa* in ipsis concrescente ortam nemo facilè negabit, qui ea, quæ hujus Lib. Cap. 30. §. 61. & seq. secundùm experientiam conclusi, mente attenta legerit, atque ad experientiam propriis Sensibus eadem usurpaturus revocaverit.

Parciùs moveri.

VI. Quoties in Ductibus quibusdam sistetur modo dicto *Succus Pancreaticus*, toties *Parciùs universum ad tenue Intestinum iri motum*, nemo non videt.

Vt & difficiliùs ac lentiùs.

VII. *Difficiliùs, ideòque lentiùs* quoque Movebitur Succus Pancreaticus, per suos Ductus ad Intestinum tenue, quoties idem existit *glutinosior*: de quo Capite actum præcedente.

Faciliùs & Ocyùs.

VIII. *Faciliùs, adeòque Ocyùs Movebitur idem*, quando solito erit *Aquosior & Fluidior*, cujus Causa erit *multus potus aqueus & diureticus*, qualem præbent *Salia Volatilia & Acidulæ* multæ, Spadanæ, Svvalbacenses, &c. Unde deducendus forsan inter alios ipsarum effectus mirabiles Alvi quoque fluxus tam frequens, utplurimùm Ægris conveniens, rarò noxius; quatenus properant non tantùm per Renes ad vesicam, verùm per Pancreas quoque ad tenue Intestinum, nec tantùm fluidiorem præstant Succum pancreaticum, sed ipsum reddunt quoque minùs acidum vel austerum, frequentissimam segnioris & adstrictæ alvi causam; quocirca & diluuntur facilè alvi excrementa, & ad descensum præcipitatur magis solito ipsa Bilis.

Defectus Succi universalis cura.

IX. Si aliquando Medicum subeat cogitatio Pituitam glutinosam copiosissimam non tantùm redundare in corpore, verùm eandem quaquaversùm, ipsumque adeò Pancreas delatam multam, ita ut non tantùm metus sit, posse ab ipsa in totum obstrui Ductum Pancreaticum medium & communem, verùm ab ipsa esse obstructum, ob summas Ægrum subitò afficientes Angustias; non putem tunc malè ad malum tantum tollendum in usum revocari *Acidum Spiritum, Nitri præsertim*, utpote *penetrantissimum*, sed *vino generoso*, ejusve *spiritus* admistum; quo non tantùm *Solvatur notata Obstructio*, sed insuper *Pancreatici Succi Defectus* in Effervescentia cum Bile perpetuanda *suppleatur*.

Obstructio Ductus Pancreatici qui tollatur.

X. *Obstructionem* circa *Ductus Pancreatici orificium in tenue Intestinum* hians sitam Medicamento laudato per Os assumpto, & ad tenue Intestinum delato (sine ulteriore per Lacteas Venas, Ductum Thoracicum, Cavam Venam superiorem, Cordis Ventriculum dextrum, Arteriam, Venamque Pulmonalem, hinc post sinistrum Cordis Ventriculum Arteriam Aortam ad ipsum Pancreas transmissione) posse immediatè propter Spiritus Acidi cum Pituita commercium tolli, dum Pituita hæc ab ipso eò penetrante solvitur ac dissolvitur, facile admiserim.

Ocyor Motus qui curatur.

XI. Ex *Obstructione Ductuum Pancreaticorum minorum* ortus *Succi Melancholici Motus parcior* restituetur Remediis Cap. jam citato 30. §. 132. & seq. ut & Cap. 50. §. 16. & seq. propositis.

XII. *Ocyor Succi Pancreatici Motus* ob ejusdem *Aquositatem & Volatilitatem* forsan vel *Acidulis* vel *Volatilibus Salibus abundantiùs* assumptis debitam factus Sedabitur *abstinendo ab ulteriore eorundem usu*, atque *usurpando* intereà, quæ aliquam conciliare valent ipsis consistentiam majorem, qualia sunt *acerba & austera*, sed quantitate parva sæpiùs assumpta.

XIII. *Succi Pancreatici, sed vitiosi* ad tenue Intestinum Motum consequitur ejusdem *cum Bile* itidem *vitiosa Effervescentia*; de qua quoniam ex professo jam est actum hujus Libri Cap. 11. quæ ibi sunt dicta, ex parte huc possent transferri, ac proinde ibi poterunt legi.

CAPUT LV.

De Vrinæ in Renibus Secretione læsa.

Urinæ in Renibus Secretio.

I. QVemadmodum ab assumptis, atque in Ventriculo fermentatis Alimentis secernitur Pars optima & corpori utilis, sed fluida, & colore lacteo prædita, Chylique nomine per Lacteas Venas Cor versùs deducta, secedentibus ad alvum partibus inutilibus ac feculentis, crassiorem consistentiam servantibus; ita rursùm *ex Chylo in Sanguinem mutato secernitur in Renibus pars Seri superflui*, quæ, dum ad reliquam massam refluit Sanguinis portio præcipua, per papillares ipsorum carunculas destillat in Pelvim, amandaturque hinc per Ureteres ad Vesicam Urinariam, à memorato Sero Urinam tunc constituente denominatam; in qua coacervatur paulatim, donec iterum excernatur subinde.

Glandulosæ Renum Carunculæ.

II. *Glandulosæ* observantur in Renum Parenchymate conclusæ, atque in Tubulos membraneos Pelvi continuatos protensæ, quin Ductibus peculiaribus Lotii stillicidio dicatis donatæ *Carunculæ*.

Urinæ secretio ubinam præparetur, & ubi perficiatur.

III. Hoc *Lotium* quoniam in iis quoque, (in quibus Sanguinis serum deprehenditur insipidum) observatur plerumque *Salsum*, non sine causa quis suspicari queat *Mutationem aliquam singularem subire in Renibus Lotii materiam*; *dum per laudatas colatur Carunculas*: licèt mihi saltem valdè videatur probabile ad Seri Vrinarii Secretionem in Effervescentia sua vitali præparari Sanguinem æquè ac Chylum in Corde ipso eandemque absolvi in Renibus; quamvis ejus rationem necdum satis assequar, utut existimem per modum *Præcipitationis* eam contingere.

Quot modis lædatur.

IV. Hæc *Urinæ Secretio læditur* 1. quando *Nulla* fit 2. quando *Parcior*. 3. quando *Copiosior*. 4. quando tum *Liquoris*, tum *Contentorum* ratione 1. *Colore, Odore, Sapore, Crassitie*, &c. variis modis vitiosa contingit.

Quando nulla fit.

V. *Nulla* fit *Urinæ* in Renibus *Secretio* sæpiùs ipsarum *Carunculàrum Obstructarum*, *aliterve malè affectarum* vitio; rariùs forsan ipsius *Sanguinis*,

nis, *Serive* culpa, *inepti putis ad sui Secretionem* & quidem *intimiorem partium heterogenearum per mistionem*.

Propter Carunculavum obstructionem à Pituitâ.

XI. *Obstrui* possunt *Carunculæ* à *Pituita multa & glutinosa* in tenui Intestino quavis ratione soluta & Sanguini confusa, postea vero *in Renibus ab externo frigore* imprudenter admisso, ipsorumque *Carunculas simul vitiante iterum coagulata*, & ibidem cum Sero Urinario à *Sanguine* ex parte saltem *secedente*, *inque Carunculis hærente*, atque *ipsarum Ductus paulatim opplente* ac obstruente.

Ab externo frigore.

VII. *Vitium Carunculis ab externo Frigore* Introductum, *Coarctatio* erit forsan & *Constrictio Substantiæ ipsarum spongiosæ*, propter quam in ipsis hærebit, & sistetur faciliùs Pituita Sero perfluente dissoluta, donec tandem ipsarum Ductus replens impediat ulteriorem Lotii per ipsos transitum.

Propter nimiam Sanguinis concretionem.

VIII. *Intimiùs permiscentur partes Sanguinis heterogeneæ*, sicque *ineptus* fit idem *ad Seri sui Secretionem*, quoticicunque *Lymphæ* ad Cor tendentis *Aciditas* exsistit *acrior*, adeout nimiùm *concrescat universus Sanguis*, *sola ipsius superstite fluiditate*.

A Lympha aciditate acriore.

IX. Hæc *Lymphæ Aciditas* reddi potest *acrior* tum in *Glandulis Conglobatis*, tum in *Glandulis Pancreatis Conglomeratis* ab *externo Frigore valde acri*, vel *Animi Mœrore aut Terrore magno*, *ac inopinato*. imprimis concurrente ac præcedente *rerum Acidarum* & hactenus *valdè acrium abusu notabili*.

Quando parcior fit Urinæ secretio.

X. *Parcior* fit *Urinæ Secretio*, propter *Causas easdem*, at leviores; ut *Alvi fluxum*, & imprimis *sudorem copiosum*.

Quando copiosior.

XI. *Copiosior* fit *Urinæ Secretio* ratione assumpti Potus & Consuetudinis (quòd semper observandum) vel ob *Renum Carunculas*, si non *secundùm canales suos nimis patentes*, sic *saltem constitutas*, *ut Seri plùs secernant à Sanguine*, *quàm decebat*, quemadmodum evenit in *Diabete*; vel ob *Sanguinem ad Seri solito abundatioris Secretionem ac dimissionem male affectum*; vel ob *suppressos Sudores*, *Alvive fluxum Serosum* assuetos.

XII. Afficitur malè Sanguis ad copiosiorem sui dimissionem ab *Effervescentia vitali per Salia Volatilia & alia Diuretica* ubertim quovis tempore assumpta *quodammodo vitiata*; unde non tantùm *redditur Sanguis* fluidior, sed insuper *minus coactus*, *& secundum partes suas serosas cum cæteris minus coadunatus*: quapropter & faciliùs & abundantiùs secedit ab ipso in Renibus Lotium.

Quando Ratione Liquoris vitiata est Urina. 1. in Colore,

XIII. *Ratione Liquoris* sui observantur *Urinæ 1. in Colore suo vitiata*, ubi prodit eadem *Aquea*, hoc est *consistentia* & *colore Aqueo* prædita, quod fit *defectu partis Salinæ & Biliosæ Urinam plus minus tingentis colore subflavo*. Id enim notandum, geminis partibus constitui Urinam ipsam & Aquea & Salsa, quæ simul junctæ Urinæ componunt Liquorem, colore citrino & consistentia mediocri donatum. Unde postquam copiosus ac præsertim penetrans, ideòque Diureticus assumptus est Potus, qualis est Aqua, sed maximè Acidularum, Vinum tenue ac diureticum, Cerevisia similis, &c. quæ primùm & paulò post excerni solet Urina, non tantùm Colore, ast quoque Sapore observatur Aquea, & insipida: sicut ea, quæ post absolutam in Ventriculo Esculentorum fermentationem prodit, non tantùm Colore plus minùs flavescente tincta est, ast insuper Salsa.

Non-naturalis. Præternaturalis in Principio Febriū Continuarum et Paroxysmorum Febrium Intermittentium.

XIV. Quemadmodum autem hic *Color Aqueus* consequitur assumptionem Potus quantitate notabili nuper usurpati, & maximè Diuretici, estque *Non-naturalis*; ita similis observatur *in principio Febrium Continuarum*, & *Paroxysmorum Febrium Intermittentium*, estque tunc *Præter-naturalis*; *Cruditatem* denotans, hoc est, intimiorem partium Sanguinis, commixtionem, impeditamque Salinarum cum Lotio Secretionem; cujus Causa est Vitalis Effervescentia propter Humorum confluentium Acrimoniam excedentem acrior, Sanguinisque partes omnes, aqueis exceptis, nimiùm cogens. Hoc patet imprimis ex Intermittentium Febrium Paroxysmis plerumque cum Frigore molesto excitatis; Cùm autem producatur in corpore nostro frigus ab humore Acidiore; idemque ad Febrem Intermittentem pariendam deferatur necessariò ad Cor; ac ibidem ita turbet vitalem Effervescentiam, ut non tantùm minor, debiliorque fiat Pulsus, (quod à coagulato nimiùm per Acidum excedens Sanguine pendet) verùm Sanguinis partes omnes commisceantur penitiùs, nec nisi partem Aquosam tunc à se dimittant in Renibus, cæteris, Salinis præsertim, in universa ejus massa permanentibus tamdiu, donec paulatim ex parte saltem domito humore Acido, eodemve minore copia, vel magis temperato ad Cor affluente restituatur Effervescentia vitalis, regatque ipsam potentior vel copiosior Bilis; à qua Humorum laxior unio, mox & Salinarum muriaticarum Secretio pendet facilior, & uberior, quin quandoque nimia.

Cruditatis & Coctionis Causa & Modus,

XV. Ex quibus tantoperè in Medicina decantatæ *Cruditatis Natura*, *Causa vera*, quin & *Modus* quo illa plerunque producitur, redditur manifestior; sed insuper *Coctionis* quoque tantoperè optatæ *Natura*, & *Causa vera*, *Modusque* quo absolvitur, non parum illustratur: quod paucis hac occasione hic explicare conabor.

Cruditas et Coctio Humorum in Sanguine, quando intelligatur.

XVI. *Cruditatem*, *Coctionemque Humorum Sanguinis massam confluentium*, *ipsive admistorum* intelligunt Medici, quando in *Morborum Acutorum* præsertim examine ac *Curatione* de ipsis legunt, & ut illa ex voto cedat, *Coctionem Humorum* tantoperè, ac meritò exoptant. Quoties namque *immediatè*, aut per *intermedios Humores* extra Sanguinis massam in corpore contentos, *Bilem Succum Pancreaticum*, *Lympham & Pituitam*, *inficitur afficiturque malè Sanguis*, toties *vitalis Effervescentia ipsi peculiaris alteratur similiter*, *vitiaturque*, & quidem *ita*, ut confestim *plus minùsve turbetur naturalis & laxa Humorum continuò ad Cor confluentium confusio cum Sanguine*, *sive arctiùs & intimiùs*, *sive laxiùs & minùs intimè tunc ipsi jungantur*.

Urina crudaquænam.

XVII. Quoties autem solitò intimiùs, arctiùsque Sanguini junguntur Humores reliqui, toties *Urinæ magis Aqueæ* prodeunt, *minùsque Tincturæ ac Contentorum cæterorum habentes*; quas vocant *Crudas*, hoc est, *Cruditatis testes*.

Cocta quænam,

XVIII. Postquam verò *Urinæ* vicissim paulatim redduntur *magis Tinctæ*, ac plus *Contentorum ferentes*, laudantur, vocanturque *Coctæ*, *Coctionem* videlicet plus, minùsve *captam*, *promotamve significantes*: quod fit, quoties Humores notati, tanquam excrementitii & priùs Sanguini arctiùs, intimiùsque uniti, ab eodem iterum sensim secernuntur, atque unà cum Urina ex parte Excernuntur: quod homini bonum est, ac utile; sicut alterum malum erat, & noxium. Secundùm naturam enim &. in statu Sano Tinctura saltem aliqua Urinæ conciliatur citrina; nullum verò Contentum, nisi aliquod in Diæta committatur erratum, vel à statu Sanitatis perfecto deflectat plus minùs hominis constitutio, reperitur in Urinis.

Humorum in Sanguine unio unde

XIX. Si quis autem attento animo expenderit omnes in corpore *Humores Sanguinis confundendos*, ut & singulorum *qualitates proprias* is facilè nobis accedet, concedetque *arctiorem ipsorum cum Sanguine unionem Acido deberi*, ac proinde *Succo Pancreatico vel Lymphæ malè affectis*; contrà *eorundem unionem cum Sanguine laxiorem*, adeòque *arctioris solutionem à Salso Lixivo*, & imprimis *Volatili*, adeòque *Amaro*, ac proinde *Bile* potentiore, ac dominium habente *sperandam*, *expectandamque*.

XX.

Quibus humorum coctio impediatur & promoveatur.

XX. Quàm vera, imò verissima sint, quæ jam dixi, confirmat Experientia quotidiana, cùm unicuique ea, quæ Sanos in Ægritudines varias conjiciunt, easdemque augent, & vice-versa Ægris Sanitatem amissam restituit, exploranti notum esse possit *Acidorum, sed excedente aciditate præditorum vi Coctionem illam in Sanguine impediri; Aromaticorum* autem, *atque in specie Amarorum, aut Salium Volatilium, sed temperatiorum ope eandem promoveri, ac obtineri.*

2. Ratione coloris Urina rubea, Tenuis.

XXI. Ratione *Coloris* observatur sæpenumerò *Urina 2. Rubea*, quæ si præterea *Tenuis* existat, ortum habet *ab æstu summo* in Sanguine existente, *pauca, nec nisi maximè Volatili Fellis parte Lotio admista*; impedita adhuc Partium Sanguinis Salinarum, excrementitiarumque Secretione, atque Excretione ad modò laudatam Coctionem inchoandam, & absolvendam necessaria. Licet enim tunc dominium supra cæteros humores obtineat Bilis, quod ex summò patet Corporis Ardore, non habet tamen dominium paccatum, sed turbulentum, quandoquidem acrior ac præternaturalis excitatur Effervescentia in Corde, Humores confluentes intimiùs & inter se & cum Sanguine uniens.

crassa.

XXII. Eadem *Urina Rubea, si crassa simul* existat *in Febribus ardentibus* tam Continuis, quàm Intermittentibus, debetur *copiosiori partium Salinarum, aliarumque Excrementitiarum, sive priùs in Effervescentia præternaturali Corruptarum à reliqua Sanguinis massa Secretioni, ac cum Aqueis Excretioni*, adeòque *inchoatæ Coctioni*: quod fit, quoties quacunque de causa contemperati sunt, ex parte saltem, Humores subcontrarii, Acidi, & Salsi, Amarive vitalem in Sanguine ac Corde Effervescentiam producere soliti: unde quæ priùs fiebat acrior, nunc blandior fit Effervescentia; quæque priùs arctiùs fuerant unitæ Sanguini, nunc paulatim ab ipso secedunt denuò partes Salinæ, qui verò nunc effervescunt, laxiùs inter se ac cum Sanguine uniuntur; donec tandem universus Sanguis, omnesque oriundi ex ipso, & confluxuri denuò ad ipsum Humores restituantur paulatim pristinæ suæ atque laudabili constitutioni, repareturque tractu temporis amissa homini Sanitas.

Obscurè rubens & subcrassa.

XXIII. *Urina obscurè rubens & subcrassa, nullum tamen notabilem in corpore ardorem comitem habens, Icterum* denotare solet, imprimis quando immissum in eam linteum croceo inficitur ab ipsa colore, ni hoc ab aliquo fiat assumpto.

Sanguineo colore tincta.

XXIV. *Urina* verè *Sanguineo colore tincta* dignoscitur facilè à supradictis, & imprimis Sedimento fœdo & subnigricante, aut grumescente; quod Sanguinis admisti certum signum.

Alii Urinæ colores.

XXV. Alii *Urinæ colores* singulares & rariores, *Viridis, Lividus, Niger*, &c. sicut Causas plerunque agnoscunt externas vel internas singulares, atque gravissimas, ita cum Symptomatibus in ægris simul concurrentibus conferri debent ad ipsos Affectus ritè dignoscendos & prognosin exinde formandam: quæ omnia hic pertractare nimis longum foret.

Urina varia respectu Pelluciditatis & Opacitatis.

XXVI. Non tantùm ratione Coloris varii variant Urinæ, verùm etiam *Pelluciditatis & Opacitatis respectu*. Nam aliæ sunt *Pellucidæ*, vulgò *Claræ* dictæ; aliæ *Opacæ*, vulgò *Turbidæ* aut *Turbatæ* vocatæ. Ubi notandum *alias reddi manereque claras, sive Pellucidas*; & contrà *mitti & manere alias Turbidas vel Opacas*: rursus *alias reddi claras, pellucidasque, & postmodum Turbari & Opacas fieri*, talesque aut *permanere*, aut *iterum clarescere*: sic *alias excerni Turbidas & Opacas, iterumque clarescere*, quod ferè fit Sedimenti subsidentia.

XXVII. *Claræ atque Pellucidæ mittuntur* pleræque *Aqueæ*, ut & *Flavæ*, atque *Rubeæ*: quàm *Pelluciditatem varissime amittunt Aqueæ, nonnumquam Flavæ, sæpiùs Rubeæ*: quod frequentissimum in *Gravedine*, ac *Febribus* à simili causa oriundis, & à multis *Catarrhalium* nomine donatis: atque hæ Urinæ sic Turbatæ non raròiterum clarescunt sedimento subsidente; quandoque Turbatæ manent, quando nimirum in augmento versatur adhuc Gravedo, nec ad vigorem ascendit ei comes Febris, vel alia quævis.

XXVIII *Ab Odore* naturali deflectunt Urinæ, quando existunt *Inodoræ*, aut *Suaveolentes*, aut *Fœtentes*. *Ab Odore Urina.*

XXIX. *Inodoræ* sunt plereque *Urinæ Crudæ*, aut *Aqueæ*, de quibus actum §. 13. & seq. *Inodora.*

XXX. *Suaveolentes Urinæ* rariùs excernuntur nisi post assumpta quædam, Terebinthinam puta, unde Violaceum odorem nanciscuntur: an ab internis causis tale quid aliquando eveniat, nunc saltem non memini. *Suaveolētes.*

XXXI. *Graveolentes ac Fœtentes Urinæ* agnoscunt itidem aliquando *Causam externam*, Asparagorum exempli gratia usum; verum frequentiùs *Causam internam, Corruptionem* puta in Sanguine, sed talem, obquam in laxa unione maneant ipsius partes, quin una cum Salinis secedant *corruptæ pingues*, odorum, & ideò fœtorum quoque subjectum primarium. Ubi notandum, Urinam Fœtorem non tam in ipsarum Liquore, quàm Contentis residere. *Graveolentes.*

Respectu Saporis est. 1. Insipida.

XXXII. *Sapor Urinæ* naturaliter *Subsalsus* mutatur 1. quando illa excernitur *Insipida*, quod evenit non tantùm paulò post assumptum potum copiosum, & maximè diureticum estque talis saporis mutatio non-naturalis; verùm etiam, ubi Urina existit præter-naturalis & cruda; de qua vide §. 13. & seq.

XXXIII. 2. Quando *Urina* prodit *Amara*, quod debetur *multæ Bili* ad Cor delatæ, atque *admodum laxæ Sanguinis admistæ*, quin *amarore* ipsius *Serum*, hinc & *Lotium inficienti*. *2. Amara.*

XXXIV. 3. Quando *Urina* redditur *Acida*; quod evenit aliquando valdè tristibus & Melancholicis propter *Succum Pancreaticum*, vel *Lympham Acidiores*, atque *Sanguinis Serum*, mox & *Lotium* quoque *aciditate sua contaminantes*. *3. Acida.*

Urinæ tenuitas & crassities.

XXXV. De *Urinæ Tenuitate & Crassitie* aliquid §. 13. 21. & seq. jam dictum, & utriusque Causa ibidem proposita.

Urinæ contenta.

XXXVI. *Contenta Urinæ* varia enumerantur, quorum quædam *innatant in superficie*, alia *Fundum petunt*, alia *in ejus Liquore*, & quidem nunc in *parte superiore*, nunc in *media*, nunc in *inferiore feruntur*, alia denique *Vasis lateribus & fundo adhærent*: quorum nullum secundùm naturam in Urina reperitur.

XXXVII. In Urinæ superficie occurrunt *Bullæ ac Spuma, Pinguedo, & Arenulæ*. *In ejus superficie.*

XXXVIII. *Urinæ Fundum* petunt *Sedimentum ordinarium*, atque rariùs *farinaceum*, vel *furfuraceum*, ut & *Filamenta, Squammulæ, Arenulæ, Calculi, Caruncula, Sanguinis grumi, Pus, Sanies, Vermes*. *In fundo.*

In parte superiore, media, & infima.

XXXIX. In *Urinæ parte superiore* fertur *Nubecula*; *in media Enæorema, sive Suspensio*; *in inferiore Hypostasis, sive Sedimentum*: quibus nonnunquam insunt *Arenulæ* multæ, paucæve.

Triplex hoc contentum cōsideratur. 1. Ratione quantitatis.

XL. Atque hoc triplex Contentum, frequentissimum nempe in Urinis Ægrotorum, consideratur 1. ratione *Quantitatis*, estque *paucum*, vel *multum*.

XLI. 2. Ratione *Coloris Album* est, aut *Rubrum* aut *Colore alio tinctum*. *2. Coloris*

XLII. 3. Ratione suæ *Substantiæ*, aut *Æquale*, quando partes omnes sunt æquè crassæ ac tenues; aut *Inæquale*, quando partes aliæ sunt tenuiores, aliæ crassiores. *3. Substātia*

XLIII. 4. Ratione *Connexionis*, aut *Continuum*, quando partes omnes sunt sibi conjunctæ; aut *Divulsum*, quando partes quædam desjunctæ sunt à cæteris. *4. Connexionis.*

Arenulæ in Urina, undique dispersa.

XLIV. *Arenulas* ubique in Urinis à me visas observavi frequentissimè ortum habere *à læsis ab externo Frigore Glandulis Conglobatis*: & non

nonnunquam *ex longo in dorsum decubitu*; propter quem aliquandu concrescunt in *Calculos* tam *rubeos friabiles & molliores*; quam *subflavos vel magis pallidos & cinereos*, plerumque *duriores* ac *solidiores*.

Pinguedo Urinæ innatans.

XV. *Pinguedo Urinæ innatans*, nisi ab *oleo* epoto habeatortum, debetur sæpiùs *Humori Salso muriatico acriori partim Sanguinis Oleosam* præter naturam à reliqua massa *secernenti* ac imbibitam in *Serum*, hinc & *Lotium transferenti*: unde tam frequens observatur ipsa in *Urinis Scorbuticorum*, aliorumque similibus Humoribus Salsis scatentium, eorumque culpa nonnunquam *Contabescentium*: *Quòd* si ab Humoribus ejusmodi excitentur aut foveantur *Febres*, vocantur istæ tunc *Colliquativæ*, quia non tam extra vasa repertus adeps tunc solito magis consumitur, quàm intra vasa Oleosum Sanguinis à notato Humore corrumpitur, & partim cum Urinis excernitur, partim ad Pinguedinis cujusvis reparationem ineptum redditur.

Spuma & Bullæ.

XLVI. *Spumæ*, *Bullarumque* originem aliquando *Flatibus* deberi non negavero: quamvis sæpiùs *Gravedinem* atque *Catarrhos* in Cerebro genitos ipsas comitari observaverim.

Sedimenta varia.

XLVII. Inter rariora *Sedimenta furfuraceum*, *farinaceum*, *squammosum* & similia in *ardentibus Febribus* subinde occurrentia *summo æstui* veniunt adscribenda, propter quem *particulæ quædam Sanguinis terrestriores ampliùs torrentur*, atque ideò à reliqua ejus massa secretæ unà cum Lotio excernuntur, atque, dum illud paulatim refrigeratur, ipsum deferunt & fundum petunt.

Filamenta.

XLVIII. *Filamenta* Urinis observata videntur similem pilis agnoscere materiam, *Salem* puta *Volatilem ac Oleosum* in talia filamenta oblonga concrescentem; quod non infrequens in Mutationibus Chymicis.

Arenulæ in fundo.

XLIX. *Arenulæ fundum Lotii petentes* sunt omnis generis, tum exiguæ, tum grandiores; tum friabiles, tum solidæ, tum rubræ, tum flavescentes, aut subcinereæ, adeòque ad *Calculorum* naturam propiùs accedentes, quin *ortum illis primum* plerumque dantes, atque ipsos in dies *foventes & augentes*; accrescit namque Calculis Arenularum substantia in calente Lotio segniùs & arctiùs concrescens, quàm in eodem frigefacto.

Calculorũ causa.

L. In quo hæc concrescendi & *Calculos efficiendi vis* consistat, necdum satis innotuit; quid ego hic conjectem in re obscura, quò alios Ingeniosos magis ad veritatem latentem eruendam pro virili juvem, aperiam lubens. *Solvuntur* autem *Calculi omnes*, quales Ego saltem hactenus offendi, *in Salis petræ, aut Nitri Acido spiritu*; unde concludo *à Spiritu Acido*, qua tali, *non posse Calculorum expectari Coagulationem*; ergo ab alio illi ex parte saltem subcontrario. Quòd si quis varia consideret, quæ *Concretionem naturalium rerum promoveant*, reperiet *Austeris eam inesse vim*; unde ab illis *Glutinositas & Tenacitas rerum fluidarum* produci solet; quibus *si jungantur Terreæ, Salinæque volatiles partes*, *aliquid Calculis* non multum absimile exurget. Propendeo itaque in hanc sententiam, *Concrescere materiam Terream & Salinam volatilem Glutinosæ junctam Humoris Austeri ope in Calculos*: Infringitur autem coagulantis Austeri vis ab Acido acri, quale in Spiritu Nitri reperitur.

Carunculæ.

LI. *Carunculæ* in Urinis repertæ ortum ferè suum debent Ulcere laborantibus Renibus, eorundemque partibus à corpore reliquo separatis & unà cum Lotio excretis.

Sanguis ejusque Grumi.

LII. *Sanguis*, *ejusque Grumi* in Urinis occurrentes *vas aliquod Sanguineum* in *Renibus*, *Ureteribus*, *Vesica* vel *Urethra ruptum*, *erosumve* testantur.

Pus & Sanies.

LIII. *Pus & Sanies* utplurimum in *Renibus*; *Vesica*, ipsiusve *Collo ac Sphinctere*, aut *Urethra ruptum Abscessum* sequuntur; rariùs ex *Pleuritide*, aut *Peripneumonia*, similive *Inflammatione in Apostema versa* originem habent.

Vermes.

LIV. *Vermes* in Renibus ferè à corrupto ibidem Sanguine oriuntur, & unà cum Urina in Vesicam depulsi excernuntur.

Unde cõstet Nubecula.

LV. Inter *Contenta Urinæ ordinaria* & *ortum suum à Sanguinis parte* nutriendo quidem corpori minùs apta, sed insuper ab ejusdem constitutione laudabili minimum recedente ducentia. *Nubecula* constat ex parte ipsius maximè pingui & minimè terrea, adeòque leviore; *Sedimentum* contrà ex parte ipsius minimè pingui, verùm maximè terrea, ideòque graviore; *Enæorema* denique ex parte media, hoc est, de utraque participante. Unde prout Contenti cujusvis materia fuerit purior, ita locum suum accuratiùs servabit; & prout eadem fuerit impurior, & de reliqua plus vel minus participans, ita à loco suo magis vel minùs deflectet unumquodque.

Sedimentũ. *Enæorema.*

Contentorũ quantitas, quid significet.

LVI. *Contentorum quantitas major* significat *multum* esse in Sanguine *Materiæ inutilis*, adeòque *secernenda*, sicut *minor minùs*, esse istius materiæ: dummodò cætera signa consentiant.

Quid eorũ colores.

LVII. *Contenta* hæc *quò magis sunt alba eò magis laudantur*, suntque *signa Coctionis laudabilis*, hoc est, Alterationis, sive Correctionis, hinc & Secretionis optatæ Humorum noxiorum in Sanguine: *quò eadem ab albedine recedent magis* qualia sunt *rubea*, & *maximè*, *nigra*, *eò culpantur magis*, suntque *signa Coctionis deficientis*, adeòque *periculi majoris*.

Quid Æqualitas.

LVIII. Sic *Æquale Contentum*, & *Continuum Coctionis desideratæ* signum dat, uti *metuenda Inæquale* ac *Divulsum*.

Curatio Urinæ Secretionis deficientis propter Carunculorum obstructionem.

LIX. Ut autem ad Notatorum Vitiorum *Curationem* nos accingamus, *Urinæ Secretio deficiens* propter *Carunculas* Renum *obstructas restituitur* Medicamentis *Glutinosam Pituitam incidentibus*, *attenuantibus*, & *fluidam reddentibus*, mox *Diureticis*, & *Urinam propellentibus*.

Diuretica.

LX. Quæ *Pituitam incidunt & fluidam reddunt* sæpiùs jam suprà sunt memorata, inter quæ hic præstant, quæ simul dicuntur *Diuretica* quò citiùs faciliùsque vim suam exerant suntque Rad. Apii, Fœniculi, Eringii, Petroselini, &c. Fol. Chærefolii, Rutæ, Urticæ, Eupatorii, &c. Sem. Seselios, Milii solis, Saxifragiæ, Petroselini, Fœniculi, &c. Baccæ Juniperi, Sambuci, Ebuli, &c. Nuclei Persicorum, Amygdalæ Amaræ, &c. Spiritus Salis, & Nitri, &c. Sal Volatile quodvis, Ex quibus varia forma præparari, exhiberique possunt pro Ægrorum placito, & constitutione diversa Medicamenta efficacia.

Apozema.

LXI. Exempli gratia Apozema sequens ad unc. ij. aut iij. usurpari poterit aliquoties in die.

℞. Rad. Apii,
Eringii, an. ℥ j.
Fol. Eupatorii Aquatici,
Chærefolii, an. M. j.
Bacc. Juniper. rec. & cont. ℥ ij.
Coq. in Aq. pura ad Colat. ℥ xx.
addendo Syr. 5. radic. ℥ iij.
Spir. Nitri, vel Salis, q. s. ad aciditatem gratam.
M.

LXII. Cui præfertur Medicamentum minore quantitate sumendum, ei sequens præscribatur Mistura.

℞. Aq. Petroselin.
Fœniculi, an. ℥ iij.
Vitæ Matthioli, vel
Antinephrit. Amstelod. ℥ j.
Spir. Sal. Armoniac. Gutt. xx.
Ol. Bacc. Juniper. Gutt. x.
M.

Ejus Usus.

Accipiat Æger sæpiùs in die Cochleare unum: quòd si urgeant ipsum vigiliæ, aut dolores, addantur Mixturæ Laudani Opiat. Grana iij.

et Vires.

LXIII. His Medicamentis non tantùm incidetur Pituita Glutinosa Renum Carunculas obstruens, verùm eadem opera Fluida denuò facta propelletur blandè ad pelvim.

XLIV.

Acidula Diuretica.

LXIV. Quòd si segniùs procedat Urinæ Excretio, ubi per plures horas assumptum fuerit alterutrum laudatorum medicamentorum, commodè hauriet Æger Acidularum Diureticarum, (quales Spadanæ, Swalbacenses, aliæque) quantitatem bonam; sive puras illas usurpet, sive vini maturi & itidem Diuretici partem quartam, quintamve illis admisceat.

Pituita glutinosa copiosa educenda.

LXV. Quoties *Copiosa* in corpore *Pituita glutinosa* simul existit, toties ipsa sic *præparata & soluta Phlegmagogis* convenientibus, de quibus sæpiùs actum in superioribus, *minuetur ac educetur*.

Renum caruncularum mala constitutio emendanda.

LXVI. Si *externum frigus regionem lumbarem* ac in ea *Renum Carunculas male affecerit*, *Constitutio* ipsarum *mala emendabitur* iterum per *Sudorifera*, *Aromatica & Salia volatilia*, sed iteratis potiùs vicibus, quàm simul ac semel duntaxat usurpata sic enim non tantùm Humores fluidos evacuant, sed insuper Partes Continentes alterant, emendantque Sudorifera.

Lympha & Succi Pancreatici acor auctus minuenda.

LXVII. *Aciditas Lymphæ*, *Succique Pancreatici* quomodocunque tandem *aucta*, corrigetur ac minuetur iterum *frequenti Salium Volatilium* quantitate parva indies usurpandorum *assumptione*.

Et si est ob externum frigus noxa tollenda.

LXVIII. Ubi tamen ab *externo frigore* ansa est data illi *Aciditatis augmento* præternaturali danda est vicissim opera, ut noxa per cutis poros in partes vicinas, ipsumque Sanguinem, ac imprimis Glandulas utrasque introducta per modò laudata *Sudorifera* prudenter ac per vices usurpata vicissim superetur, tollaturque:

Si à Mœrore aut Terrore, animus ab illis liberandus.

LXIX. Ubi vero idem factum ab *Animi Mœrore aut Terrore magno* ac inopinato, *Animus affectu liberandus est utroque*, ac præterea, contra similes insultus *roborandus & muniendus*, & quidem Rationibus solidis Animum regentibus.

Si est ab acidorum usu ab illis abstinendum.

LXX. Quoties *nimis Acidorum Alimentorum*, *Condimentorum*, *aut Medicamentorum abusum* consequitur *Lymphæ*, *Succique Pancreatici Aciditas aucta*, toties *abstinendum* ab illis, *usus* saltem valdè *minuendus*, & *usurpanda*, quæ *Acidum* omne *temperant*, *obtundunt*, *infringunt*, aut *concentrant*, quæ proposuimus sæpiùs in superioribus.

Parcior Urinæ Secretio qui curetur.

LXXI. *Parcior Urinæ Secretio* sicut easdem, quas ipsius Defectus, agnoscit aliquando Causas sed leviores; ita iisdem *Curabitur remediis*, sed itidem *blandioribus*, aut *minori copia*, *breviorive*, *tempore* usurpandis.

LXXII. Ubi autem propter *Alvi fluxum*, vel *Sudorem copiosum parcior fit Urinæ Secretio*, *curabitur* eadem curato alterutro, vel utroque: de quibus actum est supra, ageturque infrà.

Copiosior urinæ Secretio ob vitiosam canalium Substantiæve Carunculariū constitutionē qui curetur. Earum laxitatem quæ jam coarctent.

LXXIII. *Copiosior Urinæ Secretio vitiosæ Carunculariarum Renalium* secundùm *Canales*, *Substantiamve Constitutioni debita Curabitur* medicamentis *Canalium laxitatem coarctantibus*, *Substantiæque Carunculariarum vitium* emendantibus:

LXXIV. *Canalium in Carunculis Renalibus laxitatem coarctabant* maximè opportunè *externa* Emplastri forma Lumbari regione, ubi Renes siti sunt, imposita atque ex *roborantibus & adstringentibus blandioribus* parata: quorum ope Caruncularum earundem vitium corrigi poterit ac emendari.

Sanguis malè affectus qui restituatur.

LXXV. *Sanguis per Salia Volatilia* & alia *Diuretica* nimiùm assumpta fluidior & *ad Seri sui copiosiorem dimissionem male affectus* restituetur partim *abstinendo* ab ulteriori notatorum abusu, partim *usurpando Austera temperatiora*. Ex. gr.

Mixtura.

℞. *Aq. Plantag.* ℥iij.
Cinnamomi, unc. j.
Spir. Aluminis, Gutt. xx.
Syr. Myrtini, unc. j.
M.

Ejus usus.

Hujus misturæ assumat Æger indies bis terve Cochleare unum.

In Sudoribus aliis suppressis, ut & alvi fluxu seroso quid agendum.

LXXVI. *Suppressi Sudores soliti*, *Alvive fluxus Serosus* fieri possunt, quandiu noxam nullam Ægris afferunt, nec incommodum patiuntur ipsi ab Urinarum Excretione parciore: Possunt alias *Diuretica* pro Humorum in corpore existentium constitutione diversa exhiberi varia, quò ad Renes Seri copia major reducatur, & aliæ noxæ vitentur.

Quid agendum Urina est aquea ob assumptum potum copiosiorem.

LXXVII. *Urina Aquea* paulò post assumpta alimenta, & imprimis Potum copiosiorem, Diureticumque reddita, cùm plerùmque nil mali portendat, producatve, nullam Curam exigit.

LXXVIII. Quæ autem *Cruditatis*, hoc est, *Coctionis* in Sanguinis Humoribus deficientis est signum, *Urina Aquea*, quoties frustra, seriusve venit expectanda spontanea & à Natura illa *Coctio*, toties *Arte promovenda* est, & quidem *Medicamentis omnem Humorum Acrimoniam*, *& imprimis Acidam*, (unde illa penitior Humorum in Sanguinis massa permistio effici solet) *blandè temperantibus*; *atque arctam Humorum unitionem iterum solventibus*.

Humorum Acrimoniā temperare sulphura Mineraliū & Metallorum. Salium Volatilium Oleosorum & Aromaticorum vires.

LXXIX. Præ omnibus aliis *blandè Acrimoniam* omnium Humorum, & Acidam quoque *temperant Sulphura Mineralium & Metallorum fixa*, *& ad summam sui perfectionem exaltata*: Quibus proximè accedunt *Salia Volatilia Oleosa*, & ex his *Aromatica*: quorum prudenter usurpatorum vi captum humanum in multis superante non tantùm Naturæ humanæ convenientissima conciliatur in tenui Intestino, atque Corde Humorum Subcontrariorum Effervescentia; verùm *dissolvitur* iterum in Sanguine *Concretio & Coadunatio* præternaturalis *Humorum acriorum*, sed priùs ab ipsis moderatorum. Hæc magni in facienda Medicina momenti loquor expertus, ac veris Medicinæ Cultoribus commendo.

LXXX. *Urina rubea*, *tenuisque à Bile volatiliore*, *atque acriore*, similive Causa externa ortum habens *corrigetur* præter *causarum* externarum *æstum in corpore augentium vitationem*, *medicamentis volatilitatem*, *& acrimoniam Bilis auctiores temperantibus*; quod præstant omnia *Subaustera* & *Acida benigniora* sæpius & aliquandiu quantitate parva usurpata.

Urina rubea & tenuis à Bile qui curetur.

LXXXI. *Urina rubea & crassa* in Febribus ardentibus superveniens, sicut coctionem inchoatam significat, ita medicamentis turbari vel mutari non debet; quin potiùs, quando segniùs pergit hoc Naturæ opus, adjuvandum est laudatis §. 79. medicamentis, pro Symptomatum & Humorum diversitate seligendis.

Nec non ea, quæ Icterum denotat.

LXXXII. *Urina obscure rubens & subcrassa* Icterum denotans, emendatur sponte curato Ictero.

Urina sanguinea quomodo curetur.

LXXXIII. *Urina Sanguinea*, in Renibus, Vesica Urinaria; hujusve Collo, aut Urethra læsi Vasis Sanguinei testis, emendabitur sanato & consolidato Vase saucio: in quem finem conducet Mixtura sequens cochleatim sæpiùs assumpta.

Mixtura.

℞. *Aq. Petroselin.*
Plantag. an. unc. iß.
Cinnamom. unc. ß.
Sang. Draconis, ℈ ß.
Laud. Opiat. Gran. ii.
Spir. Nitri dulcis, Gutt. x. vel
Aceti stillat. ʒ ii.
Syr. Myrtini unc. j.
M.

Urina clara & rubea reddita, ac paulò post turbida facta quid indicet.

LXXXIV. *Urinæ claræ*, *atque plùs minùs Rubentes redditæ*, *at paulò post Turbidæ factæ* sicut Gravedinis, Febriumque Catarrhalium testes sunt satis certi, ita earundem Curationem instituendam indicant, & illa absoluta restituuntur.

Odoris Urinarum cura.

LXXXV. *Odor Urinarum* ab assumptis variis variè mutatus, iisdem omissis redit ad statum naturalem.

LXXXVI.

Fœtens Urina qui curetur.

LXXXVI. *Fœtentes Urinæ* propter Sanguinis corruptionem ipsis cum Sanie aut Pure communicatam corrigentur correcta Sanguinis corruptione, curatoque Ulcere Saniem, Pusve promente.

Qui Urina insipida & cruda.

LXXXVII. *Urina Insipida*, ubi simul existit *Cruda*, corrigetur sublata Humorum in Sanguine Cruditate: de qua vide §. 78. & 79.

Qui Amara.

LXXXVIII. *Amara Urina* corrigetur *Bilis per Alvum deductione abundantiore* per Cholagoga; de quibus sæpiùs actum in superioribus.

Qui Acida.

LXXXIX. *Acida Urina* corrigetur continuato aliquandiù moderato usu *Salium Volatilium* quorumvis, ac imprimis *Aromaticorum* Melancholicis valdè convenientium.

Arenula per Urinam dispersa qui curentur.

XC. *Arenalæ ubi in Urina* occurrentes atque *Conglobatarum Glandularum ab externo frigore frequenti, Acidiusve assumptis malè affectarum* testes disparebunt curato Glandularum notatarum affectu, idque per *Aromatica temperatiora* & *Salia Volatilia* tempore satis longo usurpata; cùm temporis quoque tractu produci, augerique soleat hoc malum.

Quomodo grandiores Urinæ fundum petentes.

XCI. Ubi autem *Grandiores* prodeunt *Arenulæ, Urinæ fundum petentes, Calculorumque productionem inchoantes, ac foventes*, usurpanda sunt, præter *Salia Volatilia oleosa*, quæ *Calculos queunt solvere*; inter quæ locum primum meritò tribuimus *Spiritui Nitri*, cùm in ipso tam facilè & tam manifestè dissolvantur & diffringantur Calculi.

XCII. Potest autem commodè in Potu ordinario, Cerevisia, Vino, Iusculis, &c. ad levem aciditatem Spiritus Nitri admisceri, atque sic diutinè usurpari: cujus effectum egregium mirabuntur omnes.

Quomodo Pinguedo Urinæ innatans tollatur.

XCIII. *Pinguedo Urinæ innatans*, & individua penè *Scorbuti gravioris comes* tolletur, emendato *Humores Salso-Muriatico acriore*, per *Salia Volatilia* quævis, sed imprimis per *Oleosa & Aromatica* inter prandendum, cœnandumque ex vini haustu ad guttas aliquot assumenda.

Quomodo curetur Spuma à Flatibus.

XCIV. *Spuma in Urinæ superficie permanens*: quando *Flatibus* ortum debet, quod patet ex aliis insuper Flatuum indiciis, recedet curatis Flatibus de quo suprà Cap. 14. §. 56. & Sal ibique.

Quomodo eadem quando est à Catarrhis.

XCV. Quòd si *Spuma* sit *Catarrhorum in Capite subsistentium* signum, quod ex aliis quoque signis collatis concludi debet, illis adhibenda erit Cura, tum per Humorem *qualitate vitiosum* alterantia & caput roborantia, tum per Humorem loco peccantem removentia, & emoventia Hydragoga.

Quomodo Sedimenta Furfuracea Farinacea.

XCVI. *Sedimentum Furfuraceum, Farinaceum, aut simile* in Febribus Ardentibus observatum, his curatis, paulatim desinet prodire.

Quomodo Filamenta.

XCVII. *Filamenta* cum Urinis excreta cedent *Acidis Volatilibus* cautè usurpatis, qualia sunt Spiritus Nitri, Salis, &c.

XCVIII. De *Arenularum & Calculorum Curatione* pauca posuimus §. 91. & 92. quæ ibi videantur.

Quomodo Caruncula subsidentes.

XCIX. *Caruncularum in Urinis subsidentium* Curatio pendebit ab *Ulceris in Renibus existentis curatione*; quæ absolvetur forsan fœliciùs quotidiana Balsami Sulphuris Succinati, vel Iuniperini ad Guttas iij. vel iv. assumptione, quàm ullo alio Medicamento hactenus noto.

Quomodo Urina cruenta.

C. *Urinæ Cruentæ, Grumorumque Sanguinis fundum ejus petentium Cura* §. 83. jam data.

Quomodo Pus & Sanies.

CI. *Pus & Sanies* desinent in Urina subsidere Curato Ulcere ubivis existente; cui rei serviet *Balsamus Sulphuris* §. 99. laudatus; donec *Olea ex Antimonii Sulphure distillatione* parata prostent venalia.

Quomodo Vermes.

CII. *Vermium Curationi* serviunt omnia *Corruptioni contraria*, tum *Aromatica* & imprimis *Amara* tum *Acida*, sed *Blandiora* diutinè usurpata, inter quæ hic præferenda, quæ sunt simul Diuretica.

Nubecula copiosa & obscurè rubea qui emendetur.

CIII. Inter *Contenta magis ordinaria, Nubecula Copiosa & ad Rubedinem aut Nigredinem inclinans* sicut *Partem Sanguinis Excrementitiam & pinguiorem abundare, ac segniùs emendari & coqui monstrat*, ita *Medicamenta* eandem *Corrigentia & Minuentia indicat*, *Subacida* putà & *Diuretica* vel *Sudorifera debiliora*.

Qui Enæorema copiosum subrubrum, &c.

CIV. *Enæorema* in Urinæ medio suspensum *Copiosum, Subrubrum, Nigrumve*, ac *Inæquale*, *Divulsamque Humorem Excrementitium naturæ mediæ tum redundare*, tum *coqui cœptum, segniùs* tamen, *corrigi* docens, ipsius *Alterationem*, hinc & *Secretionem, Excretionemque* per *Alvum Urinas*, vel *Sudores* indicat, quod fiet per *Subacida Salibus Volatilibus*, vel *Aromaticis blandioribus juncta*, hinc & *Purgantia* pro Affectuum & Symptomatum diversitate variè mista, *Cholagoga*, *Phlegmagoga & Hydragoga*; ut & *Diuretica*, *Sudoriferave* similiter mista, temperatave.

Ut & Sedimentum copiosum subrubrum, nigrum, inæquale, ac divulsum.

CV. *Sedimentum* denique Urinæ fundum petens, atque similiter *Copiosum*, *ad Rubedinem Nigredinemve propendens*, *Inæquale ac Divulsum*, quemadmodum testatur *Excrementitium Humorem magis terreum, & glutinosum* in Sanguine tam exsuperare, quàm *segniùs ab ipso secedere*, ita eundem *Incidentibus & Attenuantibus, Aromaticis* præsertim & *Salibus Volatilibus*, rariùs *Subacidis corrigendum*, & *ad sui Secessum præparandum*, quin *Phlegmagogis* posteà *minuendum*, & quandoque *Diureticis*, & *Sudoriferis* non vi, at vicibus partitis assumptis lentè, blandèque *ad Urinas* potissimùm propellendum indicat.

CAPUT LVI.

De Urinæ à Renibus per Ureteres Defluxu, atque in Vesicam Transitu læso.

Urina à Renibus in Vesicam defluxus.

I. URina in Renum Carunculis à refluo Sanguine Secreta & *in Pelvim Colata Defluit* naturaliter *per Ureteres in Vesicam Urinariam* inde dictam.

Qui impediatur.

II. Hic *Urinæ* in Vesicam suam ex Renibus *Defluxus* & Translatio *impeditur* aliquando & imprimis ob *Angustiam in Ureteribus*, tam ubi *Pelvi continuatur*, quàm ubi *Vesicæ* inter binas ejus tunicas *implantantur* Ureteres.

Obstructio in Pelvi à Calculo.

III. *Angustia* Urinæ transitum *per* Ureteres impediens sæpiùs *Obstructio* est à *Calculo in Pelvi hærente* atque *Ureterum ingressum obturante*; rariùs ab eodem *ipsorum cum Vesica commissuram opplente* nonnunquam ab uno magno, pluribusve *Calculis* mediocribus *Vesicæ cavitatem replentibus* sistitur diutiùs in Ureteribus Urina; à qua non semel vidi tunc sensim amphatos ac distentos Ureteres, pollicem non rarò admittentes, atque Urinam usque ad Renes ipsos in se continentes.

In ipsis Ureteribus ab eodem.

IV. *A Calculo in Ureteribus ipsis hærente* vix putem impediri unquam, diù saltem, hunc Urinæ transitum; postquam inveni aliquando in Ureteris medio, ibidem quàm alibi magis explicato Calculum Ovi Columbini molem penè æquantem, ad cujus latera descendebat Urina liberè; quod inde patebat, quòd nulla in eodem Uretere continebatur Urina & nullibi, præterquam ubi hærebat Calculus, distentus erat Ureter.

A Tumore.

V. Potest quoque Urinæ hic Transitus impediri à *Tumore quovis Ureteris cum Vesica commissi locum occupante*, atque ingressum ibi secundùm naturam satis angustum amplius angustante.

Curatio.

VI. Hæc *Angustia* omnis & à *Calculo*, & à *Tumore* orta, cùm nonnisi curatis ipsis possit curari, ejus *Curatio* ab illorum Curatione erit expectanda, licèt omnes Tumores insignes ibidem curentur rarius, tum quia brevi pereunt homines suppressa urinque Urina, tum quia difficulter eò dirigi possunt Medicamenta efficacitatem suam servantia.

CAPUT LVII.

De Urinæ Retentione in Vesica, & Excretione per Urethram læsis.

Urinæ Retentio in Vesica.

I. URina coacervatur aliquandiu secundùm naturam in sua Vesica, donec copia vel qualitate gravis excitet ipsam ad sui Exonerationem per Urethram.

A quo fiat.

II. *Retentioni* huic Lotii voluntariæ inservit *Musculus Sphincter* Orificio Vesicæ circumpositus ipsumque constringens, sicut *Excretioni* ejusdem *Fibrosa Vesicæ Tunica* totam ipsius Substantiam corrugans & Cavitatem coarctans, sicque contentam in ipsa Urinam per Urethram exprimens.

Quomodo lædatur. Urina Excretio quot modis lædatur.

III. *Læditur hæc Urinæ Retentio*, quando *involuntariè* in *Urinæ Incontinentia effluit* læditur ipsius *Excretio*, quando 1. *excerni nequit*, etiamsi maximè id conetur Æger, in *Ischuria* & Urinæ suppressione; vel 2. *non nisi cum conatu magno*, *ardore ac dolore in Dysuria & Urinæ Ardore* dicto expellitur satis copiosa, vel 3. *urgente* licet *irritatione* ad mejendum assidua, *profluit* duntaxat *Urina guttatim & paulatim* in *Urinæ Stillicidio*, sive *Strangaria*; vel 4. haud per Urethram verùm *per aliam viam vulnus*, *ulcusve* in *Vesica*, vel *Urethra* existens nunc in Abdominis cavitatem, nunc extra corpus effunditur.

Ischuria, Dysuria, Urinæ ardor, Stranguria.

Involuntarii Urinæ effluxus causa.

IV. *Involuntarium Urinæ Effluvium* agnoscit sæpius pro *Causa* sua *Sphincteris Paralysin*, *aut Vulnus grande*; unde desinit contrahi Sphincter ac Vesicæ Orificium claudi; quocirca exstillat sponte, propelliturve foràs à contracta Vesica Urina.

V. Idem fit aliquando in Affectibus gravibus *Epilepsia*, *Apoplexia*, *Syncope*, *Consternatione*, ut & *Ebrietate*, in quibus Sensus omnes, Interni præsertim, turbantur, labefactanturve ita, ut ad Vesicæ Sphincterem & Tunicam fibrosam nulli, vel conturbati tantùm ferantur Animales Spiritus; quocirca vel non retinetur, vel non nisi confusè ac inordinatè, adeòque involuntariè tum retinetur, tum vicissim exprimitur Urina.

Ischuria causa.

VI. In *Ischuria* supprimitur in totum Vrina 1. quando extremè *Angustatum* est *Vesicæ Orificium* vel *Urethræ Canalis* propter *Obstructionem*, *Compressionem*, aut *Coalitum*.

Obstructio.

VII. *Obstruitur* utrumque sæpiùs à *Calculo* ipsi impacto; rariùs à *Concreta Pituita*, vel *Sanguinis Grumis*, vel *Carne ex Vesicæ fundo per ipsam Urethram excrescente ipsamque obturante*, (sicut ejus rei stupendum exemplum vidi ante plures annos Amstelodami in femina ex hoc affectu propter Sanguinis deperditionem conjunctam tandem miserè defuncta) subindè à *succrescente in Urethræ canali Caruncula*, ipsumque opplente.

Compressio.

VIII. *Comprimitur* Vesicæ Orificium, vel Urethræ Canalis à *Tumore* vicino & imprimis *duro*, *Inflammatione*, *Schirro*, &c. ut & à *Vinculis*, Membrum Virile arctiùs constringentibus.

Coalescentia

IX. *Coalescunt* facilè tam *Vesicæ Orificium*, quam *Urethræ Canalis*, ubi *vulnerata* fuerunt, aut *derasa* tum à *Calculis asperioribus*, tum ab *Humoribus acrioribus*.

Quando Vesica contrahi nequit.

X. *Supprimitur* 2. *Urinæ Exclusio*, quando *nulla fieri potest Vesicæ contractio*, & propter ipsius *Paralysia*, & propter *ipsius Repletionem*, *Distensionemque ab Urina* diutius retenta *extremam*; quæ non tantùm ob *Ebrietatem*, aut *Morbum gravem delirantibus* venit, sed aliquando etiam *mente constantibus*, aut præ pudore infante, noxioque tandiu lotium præposterè cohibentibus, donec ad ejus Expulsionem amplius contrahi nequeat Vesica nimiùm ab ipso distenta.

Dysuria quomodo & à quo fiat.

XI. In *Dysuria* conatu magno, sed ardore ac dolore comitibus, exprimitur satis bona copia Vrina, propter *Orificium Vesicæ*, aut *Urinarium meatum erosum*, vel *ulceratum*, ad Vrinæ autem transitum *ardente dolore* affectum, ipsamque non nisi cum difficultate transmittens.

XII. *Erodi*, *Ulcerarique* solent istæ partes tum ab *Humoribus acribus* Vrinæ junctis, & ipsas rodentibus, tum à *Calculis asperis grandioribus* ipsas in transitu difficili radentibus, & Vlceri sponte mox subsecuturo ansam præbentibus.

Nec non Stranguria

XIII. In *Stranguria* irritatio perpetua est ad Vrinæ vix tantillum allabentis extrusionem, ab interna *Vesicæ superficie abrasa*, *ulceratave*, atque nullius rei accedentis contactum nisi cum dolore summo atque molestia insigni ferente, quin totum Vesicæ Corpus ad sui coarctationem, admissique licet paucissimi expulsionem mox guttatim & cum stillicidio faciendam continuò excitante, ac cogente.

XIV. *Abraditur*, *Ulceraturque interna Vesicæ superficies* ab *Humoribus Acribus* eò delatis, & à *Calculis asperioribus* præsertim ibi hærentibus, atque ad corporis motum vehementem, agitationem ac concussionem ipsam sensim sauciantibus.

Per insolitas vias effluit Urina.

XV. Per *insolitas vias* effluit è *Vesica* sua Vrina, quando ipsa vel *disrupta*, vel aliàs *Vulnerata*, vel *Ulcere perforata* est.

Quando Vesica est disrupta.

XVI. *Disrumpitur* facilè ex *Casu* in Ventrem, quando Vrina turget Vesica.

Vulnerata.

XVII. *Vulneratur* eadem *fortuitò*, vel *studio & arte*. Fortuitò per Gladium, Cultrum, Bombardam, &c. idque malitiosè aut casu. Studio per Lithotomi cultellum.

Ulcere perforata.

XVIII. *Ulcera* vel succedunt præcedentibus vulneribus, vel ortum habent ab Humorum Acrimonia rodente, Calculove conterente, aut Inflammatione aperta.

Urinæ Effluxus in Abdominis cavitatem.

XIX. Quoties autem *per Vesicam* penetrant *Vulnera*, *Ulcerave*, toties in *Abdominis cavitatem* confluit Vrina.

Extra corpus.

XX. Sic quoties in *Vesicæ collo* existunt *Vulnera*, vel *Ulcera*, nec internè, ast externè patent ipsa; toties foràs *extra Corpus* effunditur eadem Vrina; ut & quando in *Urethra Vulnus* est, aut *Ulcus* per ipsam penetrans.

Curatio.

XXI. *Curationem* malorum enumeratorum quod attinet, quando *Sphincteris Paralysis*, aut *Vulnus* debeat *curari*, docebitur alibi.

XXII. Sic etiam hujus loci non est, sed alterius, *Epilepsiæ*, *Apoplexiæ*, *Syncopes*, *Consternationis*, *Ebrietatisve curationem* tradere.

Calculi Vesicæ Orificium obturantes qui tollantur. Vt & qui in Urethra sunt impacti.

XXIII. *Calculi Vesicæ Orificium obturantes*, aut repelli debent Cathetere, si fuerint majores aut assumpto potu liberaliore, & quidem Diuretico, expellendi sunt foràs.

XXIV. Iidem *in Urethram impacti emollita & laxata eadem* fotu conveniente *promovendi* sunt *potu diuretico* ubertim assumpto, aut si *grandior* fuerit *Calculus*, eadem aperienda; & *Calculus* educendus, *consolidato* exinde *Vulnere*.

Pituita obstruens qui removenda

XXV. *Pituita Concreta* & *Vesicæ Orificio* sæpiùs, quàm *Urethræ Canali impacta* conveniente Liquore per syringam immisso *incidenda* est & *attenuanda*, quò faciliùs tunc unà cum Urina excerni queat.

XXVI. In hunc finem conducent *Aromatica* in Aqua vel Vino decocta, quibus *Salia Volatilia* commodè poterunt admisceri.

Sanguinis grumi quibus solvantur.

XXVII. *Sanguinis Grumi solvantur iisdem*; dummodo simul opera detur; ne novus continuò accedat; quòd fiet Sanguinis effluxum impedientibus, vasaque læsa Consolidantibus Medicamentis: qualia sæpiùs dedimus supra, & in specie Cap. 55. §. 83.

Carnis excrescentia qui tollatur

XXVIII. *Carnis ex Vesicæ fundo excrescentia* difficulter curabitur, nisi consolidans decoctum immittendo in Vesicam per Syringam.

Compressio à Tumore qui curetur

XXIX. *Compressio* tam *Orificii Vesicæ*, quàm *Canalis Urethræ* à *Tumore* quovis curabitur sponte curato Tumore noxio: ut & à *Vinculis* producta, horum *solutione*.

Qui coalescentia.

XXX. Vbi *Coaluit Urethræ Canalis*, *aut Vesicæ Orificium*, Instrumento apto blandè immisso perforatio facienda; idemque, si cavum fuerit, consolidante unguento, emplastrove incrustatum

tum

tum tandiu ibi relinquendum, donec novi coalitus metus fuerit sublatus.

Vesica ab urina retenta distensio quomodo curetur.

XXXI. Ipsius *Substantiæ Vesicæ Paralysis* & laxitas Curabitur Medicamentis in sequente Libro præscribendis.

XXXII. *Extrema Vesicæ ab Urina diutiùs retenta Distentio curabitur* immittendo per Urethram usque ad ipsius Cavitatem *Candelam ceream* oleo priùs illitam, eandemque mox iterum extrahendo; vel si res sic non succedat, immitendo in Vesicam *Catheterem argenteum*, *Coriaceum*, aut *ex Balænarum setis* veriùs, quàm ossibus paratum, oleo itidem inunctum, atque Urinam per ipsum emittendo.

Ul & Ulcus in Vesicæ orificio, aut ductu Urinario.

XXXIII. In *Dysuria Erosum*, *Ulceratumve Vesicæ Orificium*, *Meatusve Urinarius curabitur* tam *interne* Balsamo Sulphuris anisato, succinato, juniperinove ad guttas duas, tresve, bis terve indies ex conveniente liquore, Hydromelite, Vino Hispanico, aut Decocto vulnerario, assumpto, quàm *externe* immisso eodem ad plures guttas ex simili Decocto per Syringam, & aliquandiu in Meatu læso circa glandem manu presso, aut Vesica retento, idque aliquoties indies renovando.

Humores rodentes quibus temperentur.

XXXIV. *Humores* autem *rodentes*, *Acidique* aut *Salsi muriatici* si deferantur adhuc in Vesicam, *corrigendi* sunt Oculis Cancri, Margaritis &c. & imprimis Salibus Volatilibus sæpiùs indies quantitate parva ex liquore apto usurpatis.

Quibus Evacuentur.

XXXV. *Iidem* ex parte saltem temperati, si abundent insuper in corpore, *minuendi*, *evacuandique* sunt *Hydragogis*.

Stranguriæ curatio.

XXXVI. Quæ modò laudata sunt, conducent quoque in *Stranguiæ curatione*.

Disrupta vulnerata, aut ulcerata Vesica ad interiora incurabilis. Ad Exteriora qui caretur.

XXXVII. *Disrupta*, vel *Vulnerata*, *Ulceratave* ad interiora *Vesica Incurabilis* est.

XXXVIII. *Vulnerata*, *Ulcerataue ad exteriora Vesica curari* poterit Medicamentis consolidandis Vulneribus, mandandisque Ulceribus dicatis, & alibi proponendis. Quod intelligendum quoque de *Urethræ Vulnere*, aut *Ulcere curando*.

CAPUT LVIII.

De Sudoris Excretione læsa.

Sudoris Excretio quotuplex.

I. QUemadmodum Vomitus, sic & *Sudor* non videtur mihi *Excretio Naturalis*, sed aut *Non-naturalis*; aut *Præter-naturalis*; aut Medica, eaque aut *Artificialis*, aut *Critica*.

Naturalis.

II. *Excretionem Naturalem* non existimo esse *Sudorem*, quoniam in Sanis rebus non-naturalibus moderatè utentibus nullum hactenus observavi erumpentem Sudorem.

Non naturalis.

III. *Non-naturalem* judico *Sudoris Excretionem*, quoties illam movet res aliqua non-naturalis auream mediocritatem excedens, Aer puta æstuans vel pluviosus, Cibus, Potusve multus, & imprimis calens, Corporis Motus vehementior, Animi anxietas magna & urens, &c. Qua cessante, iterum cessat Sudor.

Præter-naturalis.

IV. *Præter-naturalem* censeo *Sudorem*, qui ab Humoribus corruptis, aut assumpto Veneno excitatur, hominem debilitans, aut necans.

Medicus. Criticus. Artificialis.

V. *Medicum* voco *Sudorem*, qui aut sponte ab Humoribus in homine existentibus *Criticus*, aut arte à Medicamentis intra corpus assumptis, vel Balneo, frictionibus, &c. forinsecus usurpatis *Artificialis* propellitur in Ægrorum commodum & sanationem.

Quot modis Sudoris Excretio læsa censeatur.

VI. *Læsa* verò censenda *Sudoris Excretio*, quando 1. undecunque *consuetus*, & homini *nec molestus*, *nec noxius Sudor in totum*, *aut ex parte impeditur*.

VII. Quando 2. *Non naturalis Sudor subitò sistitur*.

VIII. Quando 3. *Medicus Sudor*, vel *Criticus*, vel *Artificialis plùs*, *minùsve impeditur*.

IX. Quando 4. *Sudorem horum aliquis* adeò *urgetur & augetur*, ut inde malè habeat homo.

X. Quando 5. *Cum*, *aut sine Febre Sudor erumpit hominem plurimùm debilitans*.

XI. Quando 6. *Sudor*, qui usitatissimus & minimè noxius esse solet *Insipidus*, erumpit *Salsus* vel *Amarus*, vel *Acidus*.

1. Consuetus Sudor haud noxius, quando accidat.

XII. *Consuetus Sudor haud noxius* accidit homini *in statu neutro*, adeòque *minùs sano* existenti, sequiturque (meo saltem arbitratu) *Humorum subcontrariorum*, atque à *mediocritate laudabili recedentium constitutionem talem*, à qua excitetur *Effervescentia Sudorem utilem producens*, atque sic à corruptione morbum notabilem productura Sanguinem præservans: postquam ipso impedito, sublatove facilè gravi morbo idem corripitur homo: qui in totum, aut ex parte impeditur à Causis §. sequenti proponendis gravioribus, levioribusve.

2. Nonnaturalis Sudor à quibus subitò sistatur.

XIII. 2. *Non naturalis Sudor sistitur subitò* tum ab *externo Frigore* Aeris, Aquæ, Indusii, Lecti, aliorumve Tegumentorum, aut Vestimentorum Corpus Sudore diffluens, ac ubique patens per poros ingrediente, ipsosque non tantùm constringente, sed insuper Humoribus omnibus per vasa quævis quaquaversum valde motis Mutationem notabilem, Coagulationem puta: vel aliud quid noxium afferente; tum à *Tegumentorum*, *Vestimentorumve sola remotione*, Corporisque denudatione; tum à *subita corporis valde priùs moti quiete*; tum a *Terrore inopitato* quemvis Contentorum motum sistente aut saltem conturbante.

3. A quibus Medicus.

XIV. 3. *Medicus*, & tam *Criticus*, quàm *Artificialis Sudor impeditur plùs*, *minùsve* ab eodem *Frigore externo* imprudenter in denudatum corpus admisso, vel *Animi Motu gravi* ac inexpectato, *Mærore* imprimis aut *Terrore* consternante.

4. Sudor utilis à quibus nimiùm augeatur.

XV. 4. *Sudor* quivis *per se innoxius*, vel *utilis urgeri* potest, *augerique* nimiùm ab *Aere* natura vel arte calidiore; ab *Alimentis*, potulentis maximè, copiusè, calidève assumptis; à *Corporis motu* vehementi; ab *Ira & Solicitudine* augente; à *Tegumentis* corpus tantùm non opprimentibus; & à *Sudoriferis* potentibus imprudenter usurpatis.

5. Sudor præternaturalis, cum aut sine febre unde.

XVI. 5. *Sudor cum aut sine Febre* sponte prodiens, ac *hominem debilitans*, ideòque *præternaturalis*, ortum videtur habere ab Effervescentia copiosa Humorum ad tenue Intestinum confluentium, atque *Liquorem solventem*, *incidentemque* producentium; à quo ad Cor delato universa Sanguinis massa ita imminuetur, ac dissolvatur, ut partes ipsius Serosæ facilè à cæteris secedant & per corporis poros Sudoris forma erumpant.

XVII. *Liquorem* hunc existimo maximè affinem *Salis Volatilis subacido*, cùm à simili propellatur facilè Sudor.

6. Unde Sudor Salsus. Amarus Acidus.

XVIII. 6. *Sudor* erumpit *Salsus*, sed muriaticus à *Sero simili* existente in Sanguine: sicut *Amarus* à *Bile* amarorem suum servante, atque Sero permista *Acidus* verò à *Lympha*, *Succove Pancreatico acidiore*, atque saporem suum in Sero servante.

Utilis Sudor diminutus vel Suppressus qui augeatur vel restituatur.

XIX. *Diminutus*, vel *Suppressus* in totum innoxius, vel utilis *Sudor augebitur*, *restituetur*ve, 1. *Causas* ejus omnes *externas removendo*. 2. *Calorem in Aere excitando*. 3. *Corpus* calefactis ac sufficientibus *vestimentis tegumentisve operiendo*; 4. *Alimenta*, & imprimi *Potulenta*, *copiosa & calentia*, Juscula pura, Vinum, Cerevisiam & similia *exhibendo*. 5. *Corpus* præposterè quieti traditum iterum, quantùm vires possunt ferre, *movendo & agitando*. 6. *Mærorem ac Terrorem* magnum rationibus efficacibus ex animo *abigendo*. 7. *Sudorifera*, & maximè liquida, spirituosaque *usurpando*. 8. *Balneum* vel *humidum*, vel *siccum*, quando res sinit, *adhibendo*.

Nimius, aut per se noxius Sudor quomodo minuatur & tollatur.

XX. *Nimiùm auctus*, aut *per se noxius*, hominemque magis, magisque *debilitans Sudor minuetur*, & tandem *tolletur* 1. *servando corpus mediocriter tectum*, non tamen nudum. 2. *cavendo à Volatili Sale*, *ut & Acido spirituoso*, quale Acetum, quin 3. *usurpando*, *quæ Acidum figant*, Cretam, Corallia, &c.

XXI. Hoc fundamento non semel hoc anno 1670 variis Ægris ab Epidemi febre huic Urbi superiore anno tam infesta in *Sudorem* quotidianum & noctu præsertim molestum, viresque ipsorum

forum

sorum in dies magis, magisque prosternentem prolapsis præscripsi *Conditum* sequens, aut simile, à quo bis, terve in die ad Nucis Moschatæ quantitatem sumpto paulatim tam *Sudore* adverso, quàm *Febre* quartana & alia, si quæ remanserat, sunt liberati & robustiores facti.

Conditum.

℞. *Conf. rof. rubr.* ℥ ii.
Conf. Hyacinth ʒ i.
Diascord. Frac. ʒ ii.
Coral. rubr. præp. ℈ ii.
Syr. Myrtini q. s.
M. f. Conditum.

Diascordii Fracastorii à multis fastidiri. XXII. Sed *Diascordii Fracastorii* loco, cùm ad Drachmam unam & scrupulos quatuor exhiberi soleat, & ideò à multis ægris fastidiatur, dum hyeme superiore adhuc infirmus decumberem, aliam Diascordii præparationem ac formulam excogitavi, & ut pararetur operam dedi; Cujus dosis est à Granis xv. ad Scrupulum unum, adeòque Fracastoriani dosis longè minor, efficacia vero, effectusque in omnibus longè major: sicut experientur mecum, quotquot utroque utentur. Quapropter mei descriptionem Epimetri loco libens hic addam.

Diascordium Auctoris.

Diascordium Sylvii,

1. ℞ *Rad. Gentianæ*, ℥ ß.
Angelicæ, ʒ ii.
Fol. Sic. Scordii, ℥ ii.
Card. Bened.
Dictamn. Cret. an. ℥ ß.
Croci opt. ʒ ii.
Acaciæ veræ, ʒ iß.

Concisis & crassè contusis affundatur Spiritus vini rectificatus ad trium, quatuorve digitorum transversorum supereminentiam. Stent per horas 24. in loco tepido, Tinctura tunc effundatur, aliusque Vini Spiritus similis toties affundatur, digeratur, effundaturque, quoties ad Tincturæ omnis atque virtutis extractionem erit opus.

Tincturæ omnes confusæ post subsidentiam fæcum, si quæ sint, claræ, puræque ab ipsis lentè effundantur, atque Vini Spiritus in M. B. ad extracti liquidioris vel Julapii consistentiam iterum separetur, & abstrahatur. Qui simili usui servire poterit, aut loco Spiritus Aromatici fœliciter aliis Medicamentis admisceri.

2. ℞. *Opii Thebaici.* q. l.

Huic blandè siccato affunde Acetum stillatitium ad digitorum 4. supereminentiam. Stet in loco tepido tamdiu, donec Tinctura rubicunda eliciatur; quæ effundenda, & seorsim servanda, donec simili modo ex Opio reliquo Tinctura reliqua extrahatur.

Tincturæ omnes post subsidentiam clarescentes a subsidentibus fæcibus effundantur, & similiter ad Extracti mollioris, aut Syrupi fluidioris consistentiam igne lento deducantur.

3. *Rad. Imperatoriæ, unc. i.*
Cassiæ ligneæ,
Cinnamom. opt. ana unc. ß.
Nucis Moschatæ, ʒ iv.
M. f. Pulvis tenuissimus.
4. ℞. *Boli Armenæ veræ; unc. i ß.*
Terantur seorsim ac cribentur, mox in porphyrito lævigetur in pollinem.
5. ℞. *Gummi Arabici Vermicul. unc. ß.*
Solvatur in Aq. Fœnicul. unc. i. vel i ß.
6. ℞. *Extractum prius totum,*
Extracti Opii, dr. ii.
Pulverem utrumque.
Hæc simul misce, addendo paulatim
Gummi Arabicum solutum.
Simul terantur exactè, & si Consistentia videatur solidior, adde
Syr. Myrtini q. s.
M. f. s. a. Opiatum.

XXIII. Cui libebit, licebit hujus Opiati partem igne suavissimo in Vase stanneo, ulterove ad Pilularum consistentiam redigere, atque ita paratam seorsim servare, quò ex granis xv. præter propter formentur Pilulæ tres aut plures devorandæ; quod multi vehementer optant in Sudore movendo. *Ex eo Pilulæ.*

XXIV. Sed unicuique prudenti Medico facilè erit additis aliquot Bezoardici mineralis, Antimonii Diaphoretici, alteriusve Pulveris Sudoriferi granis Opiatum ipsum satis tenax redigere in formam Pilularum, sicque suis Ægris exhibere.

XXV. *Sudor Salsus Muriaticus* erumpens hactenus emendabitur Medicamentis Salsedinem Muriaticam Corrigentibus, sæpiùs in superioribus propositis, & quandoque per Alvum Educentibus. *Sudor Salsus muriaticus quibus emendetur*

XXVI. *Sudor Amarus* indicat Bilem minuendam per Cholagoga sæpiùs laudata.

XXVII. *Sudoris Acidi* materia Coraliis, Creta, Oculis Cancri & similibus Concentrabitur, Temperabiturve; hinc & Hydragogis deorsum per Alvum Evacuabitur ac Minuetur. *Amarus quid indicet Acidus qui curetur.*

FINIS PRIMI LIBRI.

INDEX

INDEX RERUM
In Librum Primum
PRAXEOS MEDICÆ
LOCUPLETISSIMUS
A
MARTINO CARCEO
de Karczagh-Vyszallasa, Cumano-Ungaro adornatus.

In quo Numerus Romanus Capitum est; Notę autem Arabicę Paragraphorum.

Hoc qui uti volet faciliùs, singulis paginis Capitum numerum apponat.

A

sam

Delebor Opera.

B

reti-

C

D

E

F

TABELLA FEBRIUM.

Febris est vel Continua, vel Intermittens XXVII. 8. *Continua* est, quæ à primo invasionis momento permanet ad ultimum durationis suæ momentum & integram cessationem.

Continua blandior, *Diaria* (1.) *Unius diei*, Ephemera dicta. (2.) *Plurium dierum*, Synochus non putris dicta XXVII. 9. seu Simplex pura XXVIII. 2.

Estque (1.) *Homotonos*, sive Acmastica, in eodem gradu permanens (2.) *Paracmastica*, sensim decrescens. (3) *Epacmastica* perpetim accrescens donec desinat XXVIII. 4.

Causæ sunt, Sex Res Non-naturales dictæ 6.

Continua sive Synochis *Putrida* dicta XXXIX. 1.

- *Continens*, sive Synocha, quæ sine exacerbatione perdurat usque ad ultimam sui cessationem XXIX. 3.
  - *Distinguitur*
  - I. *Ratione Causarum*, quód sit, 5.
    - 1. *Biliosa*, unde Ardentes 5. *Causa* 9. *Cura* 39.
    - 2. *Lymphatica*.
      - *Glandularis*, Capitis, Artuumque doloribus acutioribus & lancinationibus copulata. *Causa* 10. *Cura* 52.
      - *Pancreatica*, Ventris torminibus & lancinationibus conjuncta, *Causa* 13. *Cura* 65.

pars

I

Sub-

L

M

N

O

P

Q

R

S

Scor-

Spi-

Delebor Opera,

Delebot Opera.

F I N I S.



INDEX

INDEX
Materiæ Medicę, seu Medicamentorum
IN
PRAXEOS MEDICÆ
LIBRO PRIMO
Tam in Formulis, quam extra ipsas laudatorum;
A
MARTINO CARCEO
De Karczagh-Vyszallasa, Cumano-Ungaro collectus.

A

Pulegii

Colo-

Farina

F

Pru-

Styrax

Masti-

Q in

in Hy-

FINIS MATERIÆ MEDICÆ.

Sequuntur FORMULÆ.

INDI-

INDICULUS
FORMULARUM SEU PRÆSCRIPTIONUM.

A

in Diar-

F I N I S.

FRAN-

FRANCISCI DELEBOE, SYLVII

PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA.

LIBER SECUNDUS, & TERTIUS.

De Affectibus Animales & Generationi dicatas Hominis Functiones læsas vel Constituentibus, vel Producentibus, vel Consequentibus.

OPUS POSTUMUM.

Editum Cura

JUSTI CHRADERI, M. D.

Medicinæ Sanioris & Ἀπαθείας Studioso,

S. D.

JUSTUS SCHRADER.



UICQUID Antiqui Medicinæ Proceres, queis & primordia & incrementa sua debet Ars Nobilissima, in monumentis suis nobis reliquerunt Experimento & Ratione confirmatum, id omne haud mediocrem æstimationem quin grande pretium mereri, planius est, quàm ut operose hic egeat demonstrari. Attamen pari jure suus quoque constare debet honos suumque pondus recentioris ævi operibus, & Insignium Virorum, quos postremum hoc tulit seculum, laudatissimis inventis, quæ ignorare vel negligere sicut ignavi hominis est, ita eadem accuratè cognoscere, & juxta ipsorum normam philosophari, imò etiam medendi methodum perfectiorem reddere, prudentem & cordatum quemque decet, quò veritati atque mortalium valetudini sensim rectiùs consulatur. Hoc præ alijs seriò expendit, & animosè nec infeliciter præstitit Medicorum nostri temporis, dum viveret, Coryphæus, *FRANCISCUS DELEBOE, SYLVIUS*, quo tam bene merito & Illustri Professore ante quinquennium circiter carere cœpit Inclyta Academia Lugduno-Batava, notabili ac Discentium, qui peritia, & Infirmorum, qui sanitate egent, detrimento. Etenim in docenda ac facienda Arte caput altiùs extulit, raris dotibus supra communem turbam instructus; Iudicio scilicet limato, Ingenio acri, & inusitata sedulitate eundem fermè tenorem perpetim servante: quæ pulcherima virtutum triga Ipsum facili negotio ad fastigium illud evexit, præsertim quòd genuinis ad excolendam Ἰατρικὴν medijs & instrumentis uteretur. *Anatomen* intelligo & *Chemiam*, sine quibus nec Corporis nostri fabrica probè nobis innotescere, nec veræ morborum causæ determinari queunt, nec denique recta institui medicario. Quemadmodum nempe corporis Continentis sive solidi, quod artus ac viscera complectitur, texturam dividit & rimatur Anatome, sic Contenti seu fluidi intra cavitates & vasa moti compagem dissolvit ac detegit Chemia, adeòque ingentem lucem affert abstrusioribus affectuum causis eruendis, & faciliorem certioremque curandi rationem paulatim suppeditat. Omninò igitur strenuè hanc oportet excolere, ne in eodem semper Medicina consistat gradu, sed cordatior ultra Veterum doctrinam, ultra primas qualitates & elementorum quorundam chimæras, ad intima & vera mutationum principia penetret. Dudum equidem, fateor, circa Chemicas ἐγχειρήσεις versati sunt tum rudes & indocti, tum dein quoque eruditi & sapientiores; ast propter diversos fines: alijs circa metallorùm è mineris & divite gleba extractiones ac operosas repurgationes occupatis, alijs salutaria in solatium ægrorum pharmaca unicè quærentibus, alijs tandem Philosophiæ naturalis condendæ vel emendandæ ergò curiosis saltem experimentis operam impendentibus. Verùm enim verò nemo hactenus, quod sciam, ea solertia præclaram hanc artem ad Medicam Praxin applicuit, ac *Sylvius* noster, qui longè, quàm Chimicorum vulgus, prudentior, ea, quæ in eorundem hypocau-

hypocaustis Naturam arte gubernatam efficere advertit, similibus in animali, humano, præcipuè corpore evenientibus [illegible], haud in incongruè accommodare novit. Est enim in hoc Universo operationum naturalium ingens quidem diversitas, quin varietas immensa, sed tamen miranda quoqua inter mista observatur similitudo, & harmonia singularis; ubi nimirum præstò sunt corpora eadem forma seu componentium particularum habitudine, iisdemque proinde qualitatibus prædita, quæ perpetuò [ni externa quædam vis obstiterit] eosdem, similes saltem coguntur edere effectus. Undeneutiqusmest absurdum aut ridiculum, abstrusiorem rerum quarundam indolam, derivata ab aliis consimilem ferè genium ostendentibus nobisque magis obviis luca, perscrutari ac eruere; ceu faciunt ii, qui exempli gratia, Humorum in corpore nostro virtutes ac vitia, & vera quibus hæc coerceantur remedia, per ea, quæ extra hominem etiam in Artificum officinis contingere observant, indagare annituntur. Quod ipsum siquidem maturo judicio & solita circumspectione fiat, reliquas omnes inquirendi vias longè antecellit postquam hoc tramite Contenti in nobis naturam meliora successu scrutamur, & in cognitionem medicam tot nebulis adhucdum obscuratam pedetentim altiùs deducimur. Nequa hæc investigandi ratio nova censenda est, atque ab Antiquorum more omninò aliena, quippe quibus Ipsis non pauca ab arte Culinari, Chemiæ quoddam simulachrum præ se ferente, mutuari lubuit. Viderant è veteri ævo Philosophi, in Coquina carnes, legumina, olera, fructus, cæteraque esculenta omnia per ignem varia ratione directum emolliri ac cruditate sua liberari; quum ingestorum concoctiones à calore & blando viscerum fotu primariò dependere, profiterentur. Viderat Naturæ genius Hippocrates, vapores ab ebulliente humido elevatos ac frigidiori lebetis operculo allisos in guttas concrescere, pristinamque vicissim inducere speciem, quum in libello περὶ ἀδένων cerebri madorem ac depluentem inde in colli latcrumque declivia catarrhum ab exspirationibus intra capitis cavum, velut cucurbitam, condensatis originem trahere, posteritatem doceret. Imò quæcunque de succorum intra nos corruptela & putredine (cui tota febrium doctrina vulgò superstruitur) disserunt Medicorum libri, an non ab externarum rerum mutationibus ad interitum vergentibus sunt arcessita? Multò itaque magis Experimenta Chemica scopo memorato inservire possunt ac debent, utpote quæ licet artificij in se habent, tamen solius Naturæ vi & efficacia agunt, quicquid agunt. Quapropter si quis rationibus auscultare haud recuset, & doctam Antiquitatem verè imitari, hoc est, non tàm eadam cum Ipsa *sentire* quàm *agere* cupiat, necesse est, hac ratione & methodo rerum Medicarum notitiam illustret, augeat, perficiatque. Sic animi sui donis à Deo Opt. Max. concessis quilibet utetur rectiùs, nec secundùm nuda Veterum dicta, at res ipsas philosophari discet; quorum illud indignæ cujusdam servitutis signum esse autumo, hoc generosæ mentis characterem. Cæterùm abundè commonstravit noster *Sylvius*, quanta in Arte cæteroquin difficillima sibi lux affulserit, ex quo semitam hanc per Anatomen & Chemiam fuit ingressus. Humorum enim quorumvis nostri corporis proprietates inda majori accuratione exposuit, eorundemque vitia, quæ functiones affligunt, clariùs depinxit; quod præclaræ utilitatis negotium esse, facilè mecum judicabunt plerique, quando in morboso statu sæpiùs respicienda Humorum massa, rariùs verò culpanda Viscera, toties innoxia. Præterea haud vulgarem [illegible] sapiunt ab Ipso primùm si non in scenam producta, ac dilucidiùs saltem enodata & ad usum translata memoranda Acrium discrimina, quæ sicut per universam rerum naturam sese extendunt, ita quàm maximè in Homine quoque locum inveniunt. Fateor equidem, jam multis retrò seculis Hippocratem lib. *de Natura Humana* discertè docuisse, amaros, acidos, salsos in corpore humores subesse, & Medicos ab Eo conctos id scivisse, nobisque tradidisse; fateor ampliùs, Eosdem de succorum pugna, ebulitione, fermentatione, similibusque motibus in quibusdam morbis oboriri solitis jam dudum in scriptis suis esse locutos: attamen fecerunt id omnes obscurè, parcè, nec [illegible]. Quòd enim Sylvio humoris salsi, acidi, amariquegenium, & (in quo præsertim deficiunt) cuiqua illorum dicata corrigentia seu fræna distinctè calluissent, nequaquam in Affectuum causis exponendis tàm frequenter ad qualitates primas dictas, earumque intemperiem, quin potius ad perversam liquorum intra nos, quoad saporem, consistentiam, misturæque modum, dispositionem confugissent. Si porrò mutuas confluentium succorum actiones perfectiùs intellexissent, proculdubio intestinæ humorum agitationi & pugnæ non tàm confusè ac promiscuè ebullitionis, fermentationis, effervescentiæ nomina imposuissent; quæ diversa motuum genera [licet in eodem actu concurrere quandoque possunt] solicitus examinare atque a sese invicem distinguare, magni momenti est in Arte Medica. Ad hæc autem cuncta curiosè attendit Sylvius, nec tamen absolvit omnia, ne quis existimet, me Ipsius tradita Antiquorum sententiæ adeo præferre, ac si Hi imperfecta, incerta, mutila nobis reliquissent, ab Illo verò consumata, certa, integra fuissent profecta; quod ipsum de homine pronunciare, hominis esset stolidi & affectuum nebulis penitus occæcati. Certè sicut nunquam non ille Vir suam in opere isthoc imbecillitatem ipsus liberè agnovit, & innumeras in rebus Medicis tricas atque difficultates superesse, ingenuè confessus est; ita ego nullatenus audebo de Eodem majora aut meliora proferre. De Ipsius doctrina hoc saltem retinere nequeo, inniti eandem præcipuè geminæ illi Effervescentiæ, alteri inter Succum Pancreaticum & Bilem in cavo tenuis Intestini, alteri inter hanc & Lympham in Cordis ventriculo; cujus asserti veritas necdum quidem [illegible], est stabilita, neque tamen etiam (ausim dicere) evidentibus experimentis aut sufficienti argumentorum robore eversa. Imprimis verò, quod de Bilis ab Hepata motu versus Cor memoravit *Sylvius*, plurimis disceptationibus ansam dedit,

quinimò

quinimò non paucos ad brutorum Anatomen & instituandas circa fellis potissimùm officinam varias observationes impulit; queis etsi illud obtinuissent, universum biliosum laticem à jecore ad Intestinum ferri, neutiquam tamen eo ipso omnem omnino aditum ei præclusissent ad microcosmi regiam. Enimverò siquidem intestinorum contentis in venas Mesenterij sanguineas pateat ingressus, (ceu non sine causa suspicatur Solertissimus nostri temporis Anatomicus, quamprimùm fortasse idem publico persuasurus) nullam biliosi succi in Cavam & Cor commodiorem viam existere posse, quilibet etiam Artis tyro promptè intelligit.

At quò dilabor? Non enim dogmata Sylviana, eorumque valorem hìc ponderare sed potiùs quæ ad operum Illius editionem pertinent, memorare constitui. Quemadmodum igitur Affectuum corporis nostris historia ingentis est amplitudinis, latissimèque diffusa, ita eandem (præsertim si a vulgari doctrina & consueta methodo deflectat) intra breve temporis intervallum adornare, atque simul & semel in lucem emittere, vix possibile cuiquam esse judico. Hinc Cl. Vir in arduo isthoc negotio lentè cautèque procedere voluit, quando Medicam suam Praxin haud uno quasi impetu expromere, sed per parte publico communicare decrevit; id quod reipsà præstare cœpit, quin absolvisset etiam, siquidem Sapientissimo Numini placuisset longiorem Ipsi vitam indulgere. Ediderat jam pluribus abhinc annis partem priorem Libri Primi, imò & alteram antè triennium nobis dederat, quum non longè post Secundo itidem successivè evulgando se se accingeret; quoddum seriò molitur, ecce, vix inchoato opere tollitur è cœtu mortalium, qui toties aliorum fata remorari, tot perniciosos & interitum minantes morbos profligare noverat. Quam verò candidè, quàm fideliter hujus sui Operis perfectionem fuerit meditatus, vel inde apparet, quòd fragilitatis humanæ conscitus, seque vix huic rei penitùs conficiendæ superfuturum prævidens, maturè de ea supremam voluntatem calamo disertè expresserit; ubi me, quamvis nil tale conjectantem, nominare, suorumque ἀνεκδότων editionem designare haud dubitavit, ceu è Cl. Viri Testamento non longè post obitum ejusdem ab Hæredibus mihi commostrato ipse perspexi. Quamobrem quam præclaræ Testatoris voluntati morem gerere multis nominibus deceret, lubens volensque hoc suscepi negotium, quamvis difficile, operosum, & laboris plenum: quippe in tanta chartarum mihi concreditarum inordinata mole, textus ipsius quandoque ob multas ambages, quandoque brevitatem nimiam obscuritate, & non levi capitum sectionumque seu incisorum confusione, mihi ipsi, fateor, primò diffidebam, de ejusdem successus subdubitans. Attamen stimulos moranti subdiderunt Operis tum præstantia, tum utilitas, tum, quæ res Medicas plerumque comitari solet, singularis jucunditas; quibus illecebris effectum est, ut intra mediocre tempus ex hoc labyrintho feliciter emerserim. Prodeunt igitur, præter Primum ab ipso quondam Auctore editum, nunc mea cura Duo Libris posteriores; ex Ejusdem Autographo justa fidelitate exempti ac typis impressi. Dispescuit enim Ipse Sylvius totam suam Praxin in tres tantùm libros publica luce domandos. Verùm quia & Infantum morbos, & gravissimos quosdam alios affectus accuratè descripsit, eosdemque suo tempore foras dari voluit, haud alienum vel Medicorum Filiis ingratum fore judicavi, si exinde *Appendicem* efformarem; quò sic Praxis Cl. Viri, secundùm divisionem ab Ipso factam, maneret Tripartita. Hinc proinde meritò cedat spurium istud editiorum par, quarum altera Francofurtensis est, altera (si titulo habenda fides) Parisiensis, utraque inscio *Sylvio* divulgata, ceu ex Ejusdem præfatiuncula mox sequente est manifestum. Postremæ autem seu Parisiensis Magistro plus tribuerem, si Chymiam illam, quæ frigida, impolita, omnisque [illegible] expers, quin Optimo Viro falsè adscripta est, omisisset, hujus autem loco duas de Febribus disquisitiones inseruisset, sicque turpis negligentiæ crimen fuisset amolitus.

Sed non morabor Te amplius, ex inani hoc discursus mei Propylæo ad ipsam Basilicam properantem, rebus Medicis abundè locupletatem, nec ruinoso Ratiociniorum acervo, verùm stabili Experientiæ fulcro superstructam. Hanc itaque ingredere, sed vana, si qua habes, præjudicia, & inimicos veritati affectus à tergo relinque. Vale.

LECTO.

LECTORI

Æquo ac Reip, Addicto fœlicia quævis precatur,


FRANCISCUS DELEBOE, SYLVIUS.



Uoniam molestum fuit hactenus privatis meis Auditoribus exscribere Dictata mea in multis admodum vitiosè ab aliis excepta, descriptave; sed insuper me inconsultò tam in Germania, quàm in Gallia non parùm corruptus editus est Praxeos meæ Liber Secundus ac Tertius, necdum ad editionem satis locupletatus & accuratus: Ne Tyronibus Medicis, ac Ægris quoque noceant isti Libri, consultum duxi, quantum mihi ab occupationibus quotidianis permittetur otii, hoc omne illis augmentandis, & ut indies à me privatim explanari queant, simul edendis, dare; aliquando, si Deus volet, ipsos ampliùs concinnaturus, & in commune miserorum Mortalium bonum cum additamentis publici juris facturus. Deus interim meis conatibus in charitate cœptis ac perficiendis cœlitùs benedicat! Vale, hisque mecum fruere, imò meliora, si habes, hilari mente cum omnibus communica. Initium laboris hujus faciebam Lugd. Batav. xv. Sept. M.DC.LXXII.



FRAN.



FRANCISCI DELEBOE, SYLVII
PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA.
LIBER SECUNDUS,
De Affectibus Animales Hominis Functiones læsas vel Constituentibus, vel Producentibus, vel Consequentibus.

CAPUT I.

Animalium Functionum Distributio.

Auctoris Institutiones Medicæ nondum absolutæ, ut iis Praxin suâ superstruat.



NECESSARII otii defectu mihi licuit hactenus Medicinæ Institutiones ante annos duodecim publicis Lectionibus hoc in Athenæo Auditoribus meis propositas exactiùs examinare, accuratasque publici juris facere; quibus, tanquam fundamento apto & congruo, superstrui posset Praxis mea Medica.

Eam cur ediderit.

II. Hujus tamen præposteram editionem mihi extorserunt Typographi vel Bibliopolæ aliqui lucri proprii, quàm boni publici magis amantes, dum me inscio & inconsulto, licet adhuc vivente atque valente, nonnulla in multis corrupta & imperfecta non dubitarunt meo nomine in lucem mittere. Unde, quò tum meæ famæ qualicunque, tum Tyronum Medicorum, ac proinde Ægrorum quoque, quibus labor meus fuit unicè consecratus, commodis consulerem, coactus fui ordine perverso Medici mei Operis editionem à Praxi inchoare.

Cur in ea Functiones integras explicet.

III. Qua de causa in Praxeos meæ Libro primo necesse habui ubique *Functionum* singularum *Integrarum rationem* succinctam earundem *Læsionibus* præmittere; postquam veritatem tantùm quærens non potui semper idem sentire cum quocunque, qui ante me scripsit, Auctore Medico.

Quare in iis multùm ab aliis differat.

IV. Unde non pauca forsan minùs poterunt satisfacere aliis, etiam Veritati maximè addictis, ac longè minùs adhuc cuivis præjudiciis vel propriis, vel alienis laboranti, ac secundùm illa cunctorum sententias censenti, atque approbanti, vel improbanti.

Ut & in Functionibus Animalibus.

V. Cùm proinde *Animales* quoque *Hominis Functiones* in multis aliter ac plerique alii concipiam, operæ pretium videtur illas hic aliquanto explicatiùs enarrare, quin quasdam opinionum mearum singularium rationes addere.

Earum summa genera.

VI. *Animales* igitur *Hominis Functiones*, quantum ego (in summa inter magnos etiam & illustres auctores vigente hic dissensione, opinionumque discrepantia) illas se ordine consequentes in me, aliisque mihi sum visus observasse, commodè ad quatuor summa Genera revocari posse judicavi, ad *Sensus Externos*, ad *Sensus Internos*, ad *Motus Animi*, & ad *Motus Corporis*.

Eas duplici modo inservire.

VII. *Inserviunt* enim *Animales Hominis Functiones* partim *Rerum* quarumvis *Cognitioni*; partim earundem *Fruitioni*, vel potiùs *Visioni*; quandoquidem Fruitio in bonam ferè sumitur partem. Utimur siquidem utraque fortuna, fruimur tantùm prospera.

Cognitioni Sensus, Visioni Motus.

VIII. *Cognitioni* Rerum inserviunt *Sensus* tam *Interni*, quàm *Externi*; *Visioni* autem *Motus* tum *Animi*, tum *Corporis*.

Sensus externi quinam.

IX. Per *Sensus Externos* illas intelligo Functiones, quarum ope *Objecta Externa*, *Sensiliaque per Organa Corporis peculiaria sese insinuantia Menti offeruntur cognoscenda*, & ab ipsâ revera percipiuntur.

Circa objecta quid agat Mens.

X. *Objectorum* Sensibus Externis perceptorum *Simulacra*, *Notiones*, *Ideas*, *Repræsentationesque* in semet-ipsa *effingit & format*; quin multifariæ in eisdem passim observatæ *varietatis causas & rationes investigat*, *eruit aut*, *concludit*; sed & mirabiles in rebus variis & in suo præsertim corpore *mutationes* ab iisdem nunc in melius, nunc in deterius factas expendens ipsa eatenus vel *bona* vel *mala judicat*, sicque intimam eorundem notitiam consequitur *Humana mens*.

Sensus interni quinam.

XI. *Internorum* autem *Sensuum* nomine veniunt, quibus prædita hæc omnia præstat Humana Mens, Facultates, Potestates, aut quocunque tandem nomine aut vetere aut novo licebit eas in delicatulorum & sua duntaxat probantium, admirantiumque gratiam indigitare.

Eos sequuntur Affectus

XII. Hoc Mentis examen judiciumque varii mox sequuntur *Animi Motus & Affectus*, quibus Objecta illa diversimodè prosequitur Anima.

& Motus corporis.

XIII. Quin prout Objectum quodvis nobis vel aliis bonum & utile, malumve ac noxium fuit judicatum, sic ad idem consequendum, possidendumque, aut fugiendum, avertendumve variè ad Voluntatis dictamen ac imperium *Animali & Voluntario* dicto movetur Corpus *Motu*.

XIV. Sed videntur hæc omnia esse talia, quæ planiore ac pleniore indigeant interpretatione, quam aliquot sequentibus conabor absolvere Capitibus.

CAPUT II.

De Sensibus Externis.

Ad sensum externum plura concurrere, I. CUm *Externi Sensus* illæ sint Hominis Functiones, quibus Objecta Externa, sensiliaque Animæ cognoscenda offeruntur & ab ipsa cognoscuntur per Instrumenta Corporis peculiaria; in quæ modo mirabili sese illa insinuant, & ipsa penetrant; plura ad Sensum Externum ritè constituendum concurrere patet.

1. Objectum cognoscendum. & ab eo Species. II. Et 1. quidem *Objectum* ipsum *Cognoscendum*, à quo, utpote à Sentientis Hominis Corpore non parùm sæpenumerò remoto, extra ipsius Sentientia Organa certè manente, *aliquid*, quod *Speciem*, *Qualitatemve*, vocant, *emanat Sensile*, idque pro Sensuum Externorum diversitate *diversum*.

Propria & Communes, III. Nam non tantùm uno, verùm sæpè pluribus Sensibus Externis percipiuntur, si non omnia, pleraque saltem Objecta Sensilia: Unde, quæ *unum tantum Sensum* afficiunt *Species*, vocantur *Propriæ*; uti *Communes*, quæ *plures* afficiunt *Sensus*.

2. Organum Corporeum. IV. 2. *Organum Corporeum* Speciem Objecti Sensilis ac ipsi præsentis Sensilem convenienter admittens,

3. Mens sive Anima. V. 3. *Mens* ipsa, sive *Anima* sensationi, ut significanter loquar, & operi attenta, sensilemque Objecti sui Speciem in Corporeo Organo considerans, quin secundùm sensiles suas circumstantias Objectum ipsum sic percipiens.

Requisita in Objecto Cognoscendo. VI. 1. *Cognoscendum*, hoc est, ut Cognoscatur aptum, censeo *Extremum Objectum*, quando Sensiles ab ipso Species prodeunt, & ad Sensus cujusvis Externi Organum deferuntur, illud penetrant, ipsumque adeò sensibiliter afficiunt.

VII. Debent namque 1. *Species* sive *Qualitates Sensiles ab Objecto externo emanere*. 2. *ad & in Sensuum Organa deferri*, ac 3. *eadem Organa sensiliter afficere*, hoc est, sui speciem, ideam vel imaginem in ipso depingere ac simulare: liceat in re obscura mihi metaphora à Visione desumpta & optici magisterii curioso nulli non noti opera cæterorum quoque Sensuum Externorum Sensationem adumbrare ac describere.

1 Species ab Objecto emanant. VIII. *Ut* 1. *ab Objecto emanent Species sensibiles*, requiratur plerunque *aliquid*, *quod Objectum ita moveat & mutet*, *ut Species sensiles quaquaversum ex se fundat*. Sic Lux sive Lumen (neque illa hic ab invicem distinguo; cùm etiam illa non distinguant Authores Latini) Objecta Visibilia ita movet & afficit, ut Colores suos cum Figura sua è se mittant: sic Malleus Campanam ita ferit & movet, ut Sonum reddat & diffundat: sic Pruna, Succinum, aliaque Odorifera adurendo ita movet, ut Odorem de se spirent: sic Oris Saliva Dulcamaram, dum manditur, ita imbuit & movet, ut post Amarorem obvium manifestet quoque ipsius Dulcedinem latentem: sic Ferrum allisum Silicem ita movet, ut Calorem suum effundat & Ignem.

2. Ab Objecto ad sensus. IX. *Ut* 2. *ab Objecto ad Sensus Organum*, non rarò minus vel magis *ab Objecto remotum & distans deferantur Species Sensiles*, *Medio intermedio est opus*, eoque *conveniente*, hoc est ad *Specierum transmissionem rite disposito vel affecto*. Sic Visûs Medium requiritur Diaphanum ac Pellucidum: nam per Opacum transire non possunt Species Visibiles, quin ab ipso sistantur: sic Auditus Medium requiritur transmittendis, non sistendis aut confundendis, corrumpendisve Sonis aptum, sic Caloris Sensus Medium requirit transmeando Calori conveniens: sic Olfactus Medium requiritur transeundis Odoribus pervium sic aliquando Tactus Medium requiritur transferendæ Duritiei adæquatum.

X. *Ut* 3. *Sensus Organum sensibiliter afficiant Objecta externa* opus est, *ut ipsa certo spatio distent, aut contigua astent Organo*; & quidem tum ratione *Objecti Moti*, tum ratione *Organi*, pro cujusvis Individui constitutione singulari non parum sæpè *variantis*. Nam Objecta non semper Moventur æquè potenter; nec singulorum hominum Organa sunt eodem conformata modo; nec proinde ab eodem Objecto sensibili æque moventur, afficiunturve omnes. Unde aliqui etiam remotiora Vident, Audiuntve, alii tantum propinquiora. *3. Objecta Organum sensibiliter afficere.*

XI. *Distantia* proinde *conveniens* requiritur quandoque *inter Objectum & Organum*, ut hoc ab illo afficiatur sensiliter. Nam *si remota nimiùm sint ab Organo Objecta*, quàm ut ad Ipsum satis pervenire possint Motæ ac Effusæ illorum Species, utique *non sentientur Objecta*, *vel Obscure duntaxat & Confusè*; *non item Clarè ac Distinctè*: sin contrà *nimis propinqua sint eidem Organo Mota Objecta*, eadem *Confuse*, *non distinctè afficient Sensum*, *quum Sensorium simul lædent*, si potenter ipsum afficiant. *Distantia inter Objectum & Organum.*

XII. Hinc est, quòd remotiora ab Oculis Objecta vel planè non videamus, vel tantùm Obscurè ac Confusè; ad quæ dum sensim accedimus propriùs, aut illa ad nos, paulatim eadem cernimus Clariùs & Distinctiùs; donec iisdem existentibus nimis propinquis Obscuretur & Confundatur denuò Visio. Idem verum est de Objectis Sonum, Calorem, aut Odorem fundentibus, quando sunt à nobis remotiora, quæ paulatim percipiunt clarius, distinctiusque, dum nobis appropinquant. *Nec nimis remota nec nimis proxima.*

XIII. Hinc est, quòd *Objecta* oculis proxima si potenter Visum moveant, *Lucida* puta, non rarò Visum perdant: sin miniùs potenter moveant, confusè duntaxat & obscurà videantur, ac sensim, dum ab oculis removentur, distinctiùs cernantur & clariùs, donec ad decentem uniuscujusque oculi distantiam constituta observentur distinctissimè atque clarissimè. *Objecta Lucida.*

XIV. Hinc est, quod immanis *Sonus* in loco Auribus vicino excitatus non rarò tollat Auditum, vel ni tollat, confusus tantùm audiatur. Hinc est, quod Harmonia instrumentorum musicorum ope producta, sed valdè sonora, longè distinctius, ideòque suaviùs percipiatur in loco aliquantum remotiori, quàm vicino. *Sonus.*

XV. Hinc est, quod *Calor* ingens in loco corpori proximo excitatus urat vehementer, suumque corrumpat Sensorium, qui ad convenientem distantiam perceptus recreat sententiam. *Calor.*

XVI. Hinc est, quòd *Suaveolentia* licet naribus admota sæpiùs graviter afficiant plures; quos refocillant, delectantque eadem, si magis remota minùs sui odoris ad ipsos mittant, quod excipiant. *Suaveolentia.*

XVII. Hinc est, quod *Dulcia* plerorumque palato per se gratissima, si potentiùs Gustum afficiant, movendo nauseam fiant ingrata. *Dulcia.*

XVIII. Hinc est, quòd *Mollities* mediocris (cutis v.g.) tacta sit sentienti accepta, quæ pastæ ad instar cedens, ac mediocritatem ideò excedens Tactui reddatur inamœna. *Mollities.*

XIX. Requiritur proinde *certa* & unicuique homini tantùm non peculiaris *proportio in Distantia Objectorum Sensilium ac Sensoris*, ut commoda & jucunda simul fieri queat Sensatio.

XX. 2. Ut ipsius *Organi Corporei*, vulgò *Sensorii*, Objectorum species excipientis, *Requisita* determinentur, notandum ipsa pro *Sensuum diversitate* occurrere *diversa*. *Requisita in Organo.*

XXI. *Sensuum* autem *Externorum diversitas & numerus*, meo saltem judicio, elici debet *à sensilium*, *Sensuum externorum numerus unde*

rum numerus unde eliciendus. *silium, & uno duntaxat Sensu perceptibilium*, adeòque *Propriarum* dictarum *Qualitatum diversitate ac numero*: ut nunc nil addam de *Primordiorum ac Elementorum Naturalium numero certo*, minimè supponendo, verùm demonstrando, ut & aliis hanc rem satis obscuram; si non probantibus saltem illustrantibus, aut comprobantibus & confirmantibus.

Qualitates propriæ sex. XXII. Quòd si quis omnes ac singulas Sensibus Externis perceptibiles *Qualitates*, atque *Intentionales* vocari solitas, percurrat & enumeret, utique *Sex* observabit *Proprias*, & uno tantùm Sensu perceptibiles, *Colorem, Sonum, Odorem, Saporem, Duritiem, & Calorem*, cum suis *Oppositis & Adjunctis*.

Externi Sensus quotnam. XXIII. Unde, si benè observavi, *totidem erunt* constituendi *Externi Sensus, Visus, Auditus, Olfactus; Gustus, Tactus & Caloris Sensus*: quem peculiaris nominis defectu sic vocari posse autumo.

XXIV. Optarem equidem, si vera est mea assertio; uti ego illam veram esse planè nunc etiam sum persuasus, alium aliquem magni nominis & authoritas Virum eandem ante me proposuisse (ignoro namque, an id sit factum ab ullo) atque sic detilorum sannam, cui me talia sentiendo & docendo expositum satscio, à me avertisse.

XXV. Quicquid autem inde mihi oveniat, pro veritate, hominumque utilitate pugno, quorum amore motus cogor etiam contra inveteratam, si non omnium, plerorumque saltem opinionem, quod sentio, candidè proferre: non quòd existimem me aliquid novi, & aliis ignoti manifestare, quin potiùs idem, distinctiùs tamen, quàm olim explicare.

Duo sensus diversi hactenus confusi. XXVI. Videntur namque mihi *Duo sensus* sub *Unius* nomine hactenus malè *confusi*: *Tactus* nempe, qui *Duritiem, Mollitiemque*; atque *Caloris sensus*, qui *Calorem, Frigusque* percipit: quosque omninò existimo, ab invicem distinguendos.

Ejus confusionis ratio. XXVII. Confusionis autem illius hæc mihi censetur ratio, quòd *non diverso & distincto, sed eodem utatur uterque hic Sensus Organo*.

XXVIII. *Non utitur autem uterque hic Sensus Organo diverso ac distincto, quia eodem percipi potest utraque Qualitas: quæ* præterea & quidem *utraque reliquorum quoque Sensuum Organis percipitur*. Sic exempli gratia Lingua, Gustus Organum, percipit quoque Calorem ac Duritiem suorum Objectorum; nec tamen pro eodem Sensu habetur Gustus & Tactus. Idem planè accipit Naribus, Auribus, & Oculis.

XXIX. Unde confirmatur, quod modò dicebam, *Sensuum distinctionem ab Objectorum Qualitate diversa petendam, non item ab ipsius Organi diversitate*; quippe quod tum demum diversa concinnatur structura, quando ad hanc vel illam Objectorum Qualitatem ritè percipiendam diversitas aliqua requiritur.

XXX. Atque hæc paucis ac in transcursu dicta sufficiant de Sensuum Externorum Numero, cùm hic locus non sit hæc pluribus ad amussim revocare.

Quare Organa singularia. XXXI. Quoties proinde aliqua Objectorum Qualitas Sensilis, ut sentiretur, peculiarem Organi Sentientis structuram postulavit, toties *singulare Organum* in eum finem constructum est, atque collocatum in Capite, loco Cerebro, Cerebelloque proximo.

Eorum numerus. XXXII. Talia *Organa peculiaria* in homine occurrunt *quadruplicia*, 1. *Oculi* ad Videndum. 2. *Aures* ad Audiendum 3. *Nares* ad Olfaciendum, & 4. *Lingua* ad Gustandum.

Fabrica, & pars primaria. XXXIII. Horum Organorum Fabrica exacta ex Anatomicorum Sectionibus, Demonstrationibus & Observationibus peti possunt ac debent. Sufficiet hic hoc unum attigisse, *Organorum istorum om-*

Delebor Opera.

nium ac singulorum Partem primariam esse Membranam ex tenui Meninge ortam: illi saltem continuatam, in quà videtur fieri Objectorum Externorum per Species suas emissas & admissas repræsentatio ad ritè sentiendum.

XXXIV. III. Non sufficit ad *ritè Sentiendum*, ut ab Objecto Externo Species Sensiles effundantur; deferanturque ad Sensus Organum; quin ab ipso admissæ depingantur in Membrana ejusdem primaria modò laudata, (ut exemplo à Visu desumpto iterum utar) verùm opus est, ut *Anima* quoque ad Sensum perficiendum concurrat *operi huic Attenta*. *Requisita in Anima.*

XXXV. Requiritur in *Anima*, ut Objectum quodvis Sentiatur perfectè, *Attentio*, hoc est, singularum Objecti circumstantiarum exacta & accurata Consideratio atque Observatio. *Attentio.*

XXXVI. Hæc Circunstantiarum Consideratio & Observatio, prout ab Anima vel accurata, vel Oscitans fuerit facta, ita Speciei Sensilis perceptio; hoc est, Sensus erit aut perfectus, distinctus & planus; vel imperfectus, confusus & obscurus. *Pro cujus diversitate diversa perceptio.*

XXXVII. Objecti agitati Considerationi Attenta non est Anima, quoties aliò avertitur, atque aliud Objectum à priori diversum præsens aut absens ita speculatur acriter, ut illi unicè inhærens alia omnia negligat, nec ipsa Observet.

XXXVIII. Hanc necessariam in Sensu quovis perficiendo Animæ Attentionem qui parvi pendit, aut reiicit & ridet; quomodò Sensus peragatur, meo saltem arbitratu, nondum capit.

CAPUT VII.

De sensibus Internis.

I. QUomodo in Externorum Sensuum Organis ad Objectorum Sensilium perceptionem Anima se gerat, diximus capite superiore: proximum est, ut, quomodò eadem in Specierum Sensibus Externis admissarum, & attentè consideratarum examine, Objectorumque assurgente gradatim per ipsas Cognitione ulteriùs pergat, ostendamus quoque ad compendium. *Quid agat Mens in sensibus internis.*

II. Hoc ut debitè fiat, notandum *Animam* post attentam, vel supinam Specierum in Sensuum Externorum Organa admissarum contemplationem, ideas & imagines, quæ illas species ita, uti perceptæ sunt & apprehensæ, repræsentent, formare; quæ *Notiones* vocantur, & quidem *Primæ*; utpote quæ prima hac mentis operatione hanc præfatam contemplationem ejus consequens formantur. *Notiones primæ quid.*

III. Quales *Notiones Primas*, vel ad idem objectum diversis temporibus & modis subinde sensatum, vel ad varia objecta eodem aut diversis temporibus itidem sensata, formatas, quoties *inter se confert* ac comparat eadem *Anima*, toties in omnibus, vel quibusdam duntaxat, vel nullis circumstantiis inter se convenire, ac proinde in quibusdam, vel omnibus circumstantiis differre comperit; unde novas quoque. *Meas*, sibi format, *ac imagines*, eas duplices, aliàs quidem *ex circumstantiis*, in quibus inter se *conveniunt*, aliàs verò *ex circumstantiis*, in quibus ab invicem *differunt* ac distinguuntur inter se Collatæ Notiones Primæ, quæ utræque *secundarum Notionum* nomine veniunt, utpote secunda mentis operatione formatæ: quarum illæ quidem Convenientiæ, atque adeò *speciei*, hinc & gradatim *Generis* tum *subalterni*, tum *summi*, Hæ verò diversitatis, atque adeò *Differentiæ* tam *specificæ*, *Quomodo ex iis formentur Notiones secundæ.* *Species, Genus, Differentia.*

R 2 quàm

quàm *Genericæ* imò *individualis* sive *singularis* nomine innotescunt.

Imaginatio quid.

IV. Et quatenus in Notionibus illis tam Primis, quàm secundis, efformandis occupata est Mens, *Imaginationis & Phantasiæ* nomen meruit & accepit: estque hic *Internorum sensuum Primus*.

Notiones ex qualitatibus propriis & Communibus,

V. *Formantur* autem, ut hoc adhuc addam; *Notiones illæ tam Primæ, quàm secundæ ex qualitatibus sensilibus, tam cuivis sensui propriis*, quas nuper enumeravimus, *quàm pluribus sensibus Communibus*, quas hic censeo paucis enarrandas, antequam pergamus, imò verò ut faciliùs pergamus ulteriùs.

1. Numerus,

VI. Observatæ sunt autem à me sequentes, & 1. quidem *Numerus* sive Multitudo sensilium objectorum ab invicem disjuncta; eaque vel sine intermedio intervallo sibi invicem *Contigua*, vel per intermedium intervallum & spatium ab invicem *Distans*.

2. Magnitudo.

VII. *Magnitudo*, sive multitudo sensilium objectorum simul conjuncta; eaque vel sine intermedio vinculo sibi invicem *Continua*, vel per intermedium vinculum simul *Connexa*.

3. Figura,

VIII. 3. *Figura*, sive Determinata & distincta Multitudinis Numerum vel Magnitudinem constituentis Dispositio & Ordinatio externa: eaque vel *Recta*, vel *Circularis*, vel *Mista*.

Recta

IX. *Recta* pro *Angulorum* vel *Rectorum*, vel *Obliquorum*; & horum vel *Acutorum*, vel *Obtusorum* multipliciter simul concurrentium numero & diversitate observatur omninò multiplex.

Circularis,

X. *Circularis* itidem non una observatur, nec unimodus.

Mista,

XI. *Mista* denique multiplex quoque occurrit & multifaria.

4. Locus,

XII. 4. *Locus*, sive spatium à rebus Numerum constituentibus ad determinatam inter se distantiam occupatum. Adeò ut in loco designando inter plura semper fiat relatio & respectus.

5. Situs.

XIII. 5. *Situs*, sive spatium à rebus sive partibus Magnitudinem constituentibus ad determinatam inter se distantiam & positionem in variis circumstantiis observabilem occupatum.

6. Alteratio,

XIV. 6. *Alteratio*, sive Numeri, Magnitudinisve (augendo sc. vel minuendo) aut Figuræ (aliter sc. ordinando) Mutatio.

Motus. Qualitates

XV. 7. *Motus*, sive Loci situsve Mutatio.

XVI. Atque hæ sunt septem impræsentiarum occurrentes mihi qualitates sensiles communes, *Numerus, scilicet Magnitudo, Figura, Locus, Situs, Alteratio & Motus: ex quibus* (dicebam modò) *ut &* singulorum sensuum propriis qualitatibus sensilibus sex *Colore; Sono, Odore, Sapore, Duritie & Calore*, cum suis oppositis, & affinibus *formantur Notiones tàm Primæ, quàm Secundæ*.

Propriæ quos

XVII. Unum adhuc occurrit monendum, non tantùm Numero, Magnitudini, Figuræ, Loco, ac Situi *accidere mutationem*, verùm *recensitis* quoque *qualitatibus sensilibus propriis*: unde quod modò dulce erat, fit paulò post amarum, acidum, aut alio sapore præditum; quod album erat modò, fit paulò post rubrum, viride, vel alio colore affectum, & sic de cæteris.

Quibus qualitatibus accidat mutatio.

XVIII. Quæcunque namque sensibus externis percipimus objecta, *vel in eodem permanent* sensilium qualitatum *statu, vel illum mutant*. Ibi eodem modo semper offeruntur iisdem sensibus; hic & alio & diverso.

In his Notionibus non quiescere animam.

XIX. In hisce autem tàm Primis, quàm secundis notionibus à se formatis non conquiescit Anima humana, quin potiùs omnia nutata, omnium quoque tanto numero, tantaque varietate à se observatorum & notatorum *rationes atque caussas* *assequi optat*, & ut noscat *Ingenii* ope atque acumine mox allaborat.

Sed ipsarum caussas & rationes indagare.

XX. *Mens*, inquam *ab utrisque Objectorum suorum notionibus concatenata ratiocinatione gradatim assurgens, ipsarum rationes & caussas expiscatur sedulo, ac, si coeptis faverit Deus, sensim capit*.

1. Ex numero & Magnitudine, copia & abundantia Massæ.

XXI. Nam 1. ex Observatorum *Numero & Magnitudine Copiam, & Abundantiam Massæ*, ex qua omnia illa constituuntur, deducit ac demonstrat, *insignem*.

2. Ex alteratione partium diversitas.

XVII. 2. Ex omnium observatorum inter se collatorum *Diversitate notabili*, ac imprimis plerorumque, si non omnium, *Alteratione multifaria*, atque ipso etiam eorundem *Motu*, eoque *vario*, *Partium* dictam *Massam constituentium diversitatem* arguit *multiplicem*.

Qua ad Physicam spectat,

XXIII. *Quotuplex* autem sit *Partium omnium & singularum Mundi Massam constituentium Diversitas prima & simplicissima*, ad Physicæ scientiæ structuram oppido necessaria, non est hujus loci, nec instituti ostendere. Sufficiet verò hoc tempore & loco, Ingenii humani operandi modum & vias legisse atque aperuisse.

3. Ex eadem alteratione Agens & Patiens.

XXIV. Nam & 3. ex præfata *Alteratione uni, eidemque objecto contingente, nec à semetipso expectanda, ipsam aliundè, ac quidem à re ab objecto alterando diversa proficisci concludit*: ac proinde Mutationem omnem in Alteratione observabilem, *Mutans & Mutandum, Agens & Patiens* præsupponere, imò arguere arguit.

Atque hinc Partium Varietas prima & quot rerum primordia & quænam.

XXV. Plures ergo si sint, easque variantes Mundanæ Massæ Partes, ac sese invicem illius varietatis ratione variè immutantes atque alterantes, non immerito quæritur iterum 1. *Quotuplex sit illa Partium* omnium *Varietas prima* & simplicissima, 2. *Quot* proinde *mundanarum rerum omnia primordia*. Quæ scil. neque sint ex se invicem, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia & 3. denique *Quænam* illa sint, quibusque nominibus indigitanda Rerum naturalium elementa. Ex quibus tribus quæsitis debitè enucleatis & adstructis pendere puto solidæ, adeoque certæ earundem rerum scientiæ constitutionem, de qua alias & alibi.

Qua Methodo.

XXVI. Ingenium ergò humanum quo Mutationum omnium rationes & caussas expiscetur, sequenti ferè procedit methodo ac ordine.

Procedat mens cognitione,

XXVII. 1. *Perpendit, examinat & observat omnia, quæ ante mutationem, durante mutatione, & post mutationem concurrunt circa rem, & cum re quæ mutatur*.

XXVIII. 2. *Similes mutationes* eodem modo examinatas & observatas *inter se confert*, & tam ubi conveniant, quàm ubi differant, *notat*.

XXIX. 3. *Ex & Ab iis, quæ semper similibus mutationibus concurrere animadvertit*, examinandam *mutationem ortum suum ducere suspicatur & opinatur*.

XXX. De suspicione atque opinione sua ut certior fiat Mens, quoties licet ac libet, & *Mutanda, & quæ Mutatura censet, conjungit & componit Artifex; ex quo concursu si eadem mutatio consequatur, & observetur aliquoties*, utique omnis ampliùs dubitandi tollitur occasio, quin imo *confirmatur* tunc in sua sententia Homo per *Experientiam*; sine qua inanes, vani & futiles sunt à subtilissimo licet ingenio excogitati discursus omnes.

XXXI. Hunc ingenii humani in veritate eruenda processum qui seriò expenderit & secutus fuerit, quin aliquando gratos & acceptos laborum suorum fructus sit reportaturus amplissimos, nullus ambigo.

Judicium.

XXXII. Verum tempus est, ut *Judicium* quoque, internorum sensuum tertium examinemus, & illius itidem munera & officia explicemus.

XXXIII. Anima etenim, ut de ingenii sed

quæ-

Quomodo experiment. quæsitis excogitatis & prolatis, an vera sint, nec ne, certior fiat & secura, eadem incudi subjicienda & ad Veritatis trutinam Experientiam revocanda & expendenda judicio committit.

XXXIV. Nam quæcunque constare possunt Experientia, uti *experientia constare naturalia omnia debent*, pro *Veris*, *Certisque haberi nequeunt*, *donec accuratum & exactum ipsius examen sustinuerint*, & tanquam probata ex ejusdem purgatorio igne prodierint illæsa; pro falsis alias & fictis, uti modò dicebam, habenda.

Ejus duo officia. XXXV. *Judicii autem humani*, ut æquus ingenii Judex habeatur, *duo sunt officia & munera*. 1. *Rationum omnium ab Ingenio allegatarum Expensio accurata*. 2. *De earundem soliditate, valore ac pondere, Decisio æqua & justa*.

1. Expendere rationes. XXXVI. *Expedit Judicium* rationes & causas ab Ingenio prolatas, quoties, uti referebam modò, similia experimenta instituit Artifex, eaque cum Ingenii excogitatis exactè in omnibus confert, atque convenientiam cum iisdem, aut diversitatem inter ipsa observat & notat.

2. Decidere. XXXVII. *Decidit* autem idem *Judicium*, quando *Rationes ab Ingenio productas cum Experientia constantibus vel convenire, vel dissentire*, adeoque vel *veras*, *vel falsas esse pronuntiat*.

Ratiocinatio. XXXVIII. Est tamen & alia quoque, quàm præcedens, multis parasangis *Inferior Judicii Expensio & Decisio*: *quæ ratiocinationis* duntaxat ab ingenio *deductæ connexum examinat*; unde ipsum si cohærentem ac concatenatum comperiat *Probabiles quidem ac Verosimiles testatur* Rationes ab Ingenio excogitatas, *non autem Probatas & veras*; donec, uti jam dixi non semel, Experientiæ examen sustinuerint: quod diligenter observasse & notasse juvabit, *ne Probabile confundatur cum Probato, nec Verosimile cum Vero*.

Memoria. XXXIX. Occupat extremum & 4. inter sensus internos locum *Memoria*, minimè negligenda, verùm itidem breviter examinanda.

Ejus officiũ. XL. Est autem *Memoriæ officium*, & munus *omnia prædictorum sensuum internorum opera*, Immaginationis puta Notiones 1. & 2. Ingenii ratiocinationes, atque Judicii decreta *fidelitate asservare*; ut quoties opus est, illis uti queat Homo.

Eius dotes tres. XLI. Hoc suo munere ut ritè fungatur *Memoria & Felix* audiat, *tres*, in ipsa desiderantur *dotes*, quarum 1. *est* ut *concredita admittat facilè* 2. ut *retineat firmiter*. 3. verò ut *reponat promptè*.

Et totidem defectus. XLII. Quibus dotibus totidem ex adverso *Infelicis Memoriæ* observantur *defectus*; quorum 1. est Concredita *admittere difficulter*. 2. *retinere laxè*. 3. denique *reponere tardè*.

Eorum Auxilia. XLIII. *Difficilem admissionem juvat* longa & accurata concrediti contemplatio: *Retentionem laxam roborat* circumstantiarum omnium exacta & protracta expensio. *Tardam verò repositionem promovet* iterata commissorum recordatio.

Reminiscentia. XLIV. A memoriam refertur *Reminiscentia*, rei sc. penè oblitæ ex circumstantiis temporis, loci, adstantium & similium arte instituta recordatio & in memoriam revocatio.

Ingenii scrutinium. XLV. Non tantùm ratiocinia sua Memoriæ committit asservanda, verùm Ipsius etiam dotes ac defectus scrutatur illorum rationes assequi cupidum Ingenium humanum.

XLVI. Utique si convenientia Infelici Memoriæ præscripsi modò auxilia, Ingenii pervestigationi debebitur illorum inventio, utpotè quod de Memoriæ infelicitate conquerentem me monuit, 1. non satis diu me multa Memoriæ committenda contemplari, 2. pluribus attentam mentem minus diu expendere singula ac 3. rariùs recordari me concredita Memoriæ, nec ferè nisi urgente necessitate.

XLVII. Hæc autem omnia cum instituta mei examine faterer vera, remedium confitenti reo fidele, tutumque mox adjecit, quodque aliis etiam ut inserviret, candidè vobiscum communicavi. Atque sic de sensibus internis quæ nunc habebam dicenda, absolvi.

CAPUT IV.

De Animi affectibus.

I. NOn tantùm *considerantur res sensiles*, quatenus corpora constituunt naturalia, & sese mutuò alterant & immutant, verùm insuper *quatenus se habent ad viventia*, & imprimis *ad hominem*; in cujus videlicet gratiam conditus est à Deo mundus hic universus. *Res sensiles duplici modo considerari.*

II. Qui autem homini in sua integritate perseveranti futurus erat mundus omnibus modis utilis & commodus, is nunc ob ipsius peccatum maledictus, factus est eidem multis modis noxius & inutilis. *Mundus homini utilis & inutilis.*

III. Ex hac nunquam satis deplorata mundi maledictione pendet omnium morborum ortus & origo: quibus cum dum misere conflictatur homo, ad Creatorem suum precibus & supplicationibus flectendum recurrit, & nonnunquam secundùm ineffabilem Ipsius misericordiam a suis liberatur infirmitatibus, sanitatique restituitur pristinæ. *Morborum origo, & medela.*

IV. Unde per Experientiam edoctus homo, quandoque voluptate, quandoque dolore affici suos sensus ab objectis externis; quinimò quandoque recreari, quandoque confici suas ad vitam naturalem (ut de civili & spirituali nunc sileam) necessarias vires, utique alterum utpote sibi gratum bonumque *amat*, alterum ut pote sibi molestum malumque *odit*; alterum *optat & quærit*, alterum *metuit & fugit*; uno verbo, variis agitatur humana mens affectibus & animi motibus, de quibus Medicorum est tractare, cùm sit Medicorum illos curare. *Variis hominum agitur affectibus.*

V. Medicorum esse Animi motus & affectus curare, qui nescit aut dissimulat, hospes est in arte Medica, nec audiendus proinde. Utique non pauci occurrerunt mihi tales curandi, & per Dei gratiam sunt à me tales curati non pauci; & quidem non rarò ratiocinatione magis, quàm medicamentis corporeis, quibus corpus imprimis afficitur non æquè anima. *Quos curare Medici est.*

VI. Agendum, delibemus ergò *Animi motus & affectus*, corpus ipsum in consensum trahentes, uti ab ipsius affectionibus plerumque excitatos. *Animi affectus unde excitentur, & quid agant.*

VII. Veniunt autem in omnis animi affectus examine observanda tria. 1. *Objectum agens & animum movens*. 2. *Subjectum patiens, sive Homo, cujus animus movetur*. 3. *Affectus ipse* in animo motus & ab objecto excitatus. *In illis tria observanda.*

VIII. 1. Animum *movens Objectum* consideratur, quatenus Patienti homini *Bonum* est vel *Malum*, id est aliquid confert ad naturalem ipsius vitam simpliciter vel beatè transigendam vel è contra ad ejusdem vitam naturalem destruendam, vel saltem miseram efficiendam. *1. Objectum movens varium.*

IX. Objectum autem illud utrovis modo spectatum vel eidem Patienti *Præsens* est, vel *Absens*, & hoc vel *Præteritum*, vel *Futurum*.

X. Et futurum rursus, qua bonum, *comparatu*; quà malum, *superatu* spectatur vel *impossibile*, vel *dubium*, vel *possibile*, & hoc quidem vel *facile*, vel *difficulter*.

XI. Est autem objectum mundanum omne tam bonum, quàm malum, vel *inanimatum*, vel *animatum sive vivens*; & hoc vel *planta*, vel *animal*; ut & hoc iterum vel *brutum*, vel *homo*.

XII. *Homo* autem Affectuum Objectum, homini eorundem subjecto & Patienti 1. vel *notus* est vel *ignotus*. 2. vel *concivis*, vel *peregrinus*. 3. ab *Ipso liber* & solutus, vel *eidem alligatus*, & quidem aut 1. *sanguine*, Ipsique adeò vel *conjux*, vel *Parens*, vel *Natus*, aliove *consanguinitatis*, *affinitatisve vinculo conjunctus*: aut 2. authoritate, ipsique adeò vel *Præpositus* vel *Subditus*; aut 3. *affectu*, ipsique adeò vel *Amicus & Carus*, vel *Inimicus & exosus*.

1. Subjectum patiens varium.

XIII. 2. *Subjectum patiens*, sive Homo, cujus animus moveri dicitur & affectu cieri, vel *primario & per se movetur*, & quando rectà in ipsum dirigitur agentis Objecti actio, vel *secundario & per consensum*, quando rectà in aliud dirigatur, & indirectè in ipsum deflectit ejusdem Objecti actio.

XIV. Illud autem *aliud*, in quo rectà dirigitur tunc objecti actio, vel *vivens est*, vel saltem *viventis beatitudini serviens*.

XV. *Vivens* est vel *planta*, vel *brutum*, vel *homo* secundùm varias modò recensitas circumstantias consideratus & spectatus.

XVI. Viventis beatitudini serviunt, quæ viventia cùm non sint, nec proinde sensus, aut cognitionis compotia, per se nihil mali pati possunt, verùm quatenus Domino, possessori, vel Usufructuario voluptatem aliquam afferunt, vel alium in vita naturali usum. Sic e. gr. pictura, res inanimata, per se nihil patitur mali, etiamsi conspurcetur, discindatur, aut comburatur, verùm eatenus duntaxat, quatenus desinit tunc esse Domino suo utilis & grata.

3. Affectus varii.

XVII. 3. Atque pro Objecti Agentis, & Subjecti Patientis secundùm memoratas circumstantias concursu vario *varii* quoque oriuntur & exurgunt *Animi motus & Affectus*.

Amor & Odium.

XVIII. Nam primariò ab *Objecto* omni 1. sub *boni specie* considerato movetur animus ad ejusdem *Amorem*; uti vice versa ab objecto *pro malo* judicato. ad ipsius *Odium*.

Voluptas Gaudium. Dolor Tristitia vel Mæror.

XIX. 2. Ab *Objecto bono*, eoque *præsenti* excitatur *Voluptas* in sensibus, & *Gaudium sive Lætitia* in Animo; *à malo* verò producitur in sensibus *Dolor*, & in Animo *Tristitia vel Mæror*.

XX. 3. Ab *Objecto tam bono, quàm Malo*, eoque jam *præterito*, gignitur *mistus ex Gaudio & Mærore Affectus*; Et *Gaudium* quidem ex boni objecti memoria, & mali præteritione; *Mæror* verò ex boni objecti præteritione, & mali memoria.

Desiderium Abhorrentia sive Metus. Desperatio. Anxietas Solicitudo.

XXI. 4. Ab *Objecto bono futuro* generatur in animo *Desiderium*, ex malo verò *Abhorrentia* sive *Metus*.

XXII. Ab eodem autem futuro Objecto bono *comparatur impossibili* profertur *Desperatio*: ab eodem *dubio*, *Anxietas* & *Solicitudo*: ab eodem tandem *possibili*, *Spes*: cui accedit *gaudium* si facilè putetur obtinendum; vel *mæror*, si cum difficultate venit obtinendum..

Spes.

XXIII. Ab eodem verò futuro Objecto malo & *superatu impossibili* producitur similiter *Desperatio*, ab eodem autem *dubio*, itidem *Solicitudo Anxietas*; ab eodem denique *possibili Spes*; & cum *gaudio* comite, si facilè putetur superabile; aut *mærore*, si difficulter censeatur superabile.

XXIV. Ab Objecto autem secundariò *& per* alterius Patientis *consensum* motus affectus varius existit: prout *approbamus* vel *improbamus objecti boni fruitionem*, aut *mali perpessionem*.

Congaudium.

XXV. Nam 1. quoties *approbamus* fruitionem objecti boni, gaudemus, & quasi congratulamur, aut *congaudemus* subjecto fruenti objecto bono.

Invidia.

XXVI. Quoties *improbamus* ejusdem boni objecti fruitionem, *Invidemus* illi bonum illud.

XXVII. 3. Quoties *approbamus alicui perpessionem* objecti mali & noxii, toties lætamur & exultamus, & *insultamus* illi.

Insultus.

XXVIII. 4. Quoties *improbamus perpessionem objecti mali* alicui contingentem, toties condolemus Ipsi, & *misericordia* afficimur erga ipsum.

Condolentia. Misericordia.

XXIX. Ex autem & approbatio vel improbatio *ratione æquitatis vel iniquitatis* in boni, malive objecti passione; ex ea quoque varii oriuntur affectus.

XXX. Nam 1. Quoties æquum esse judicamus aliquem aut bono frui, aut malum perpeti, acquiescimus & applaudimus.

Acquiescentia vel applausus. Indignatio.

XXXI. Quoties 2. iniquum censemus illum aut frui bono, aut pati malum, toties Indignamur & *Irascimur* objecto malo, aut illi à quo movetur.

Affectuum alia differentia, Affectus reales.

XXXII. Occurrit autem alia adhuc magni in arte Medica momenti Affectuum differentia *ab objectorum realitate*, vel *ficta existentia*.

XXXIII. Nam si revera tale sit objectum, quale judicat Mens, toties Affectus inde ortus fundamentum suum & firmitatem suam habet in ipsa re, & realis dici potest.

Imaginarii.

XXXIV. Quòd si tale non sit objectum, quale judicat Mens, ipsaque tale sibi finxerit tantum, quamvis Affectus non minùs Agitet hominem, quàm alter in ipsa re fundamentum suum habens, facilis tamen superari potest, & quidem aut fallendo Mentem falsam, aut eandem meliùs informando & liberando ab Imaginatione falsa & inani.

Magnum negotium facessentes Medicis.

XXXV. Occurrunt autem non rarò tales Imaginarii Ægrorum affectus in praxi Medica, qui plurimùm negotii quandoque facessunt etiam primariis Medicis, quales sunt Amor Insanus, Terror panicus, Melancholiæ Hypochondriacæ infinitæ penè species; ut & febricitantium deliria, variis affectibus ipsos agitantia.

XXXVI. Diversos hos animi affectus nunc paucis attigisse sufficiat; ubi namque occasio feret quorundam tractationem instituere, ibi pluribus de singulis agemus ex professo, & enucleabimus accuratiùs.

CAPUT V.

De Animali Corporis Motu.

Motus Animalis quis dicatur.

I. VArios animi motus & affectus sequitur tandem ipsius quoque corporis motus, animalis.

II. Hunc ut commodè proponamus, omnis motus corporeus homini contingens videtur examinandus.

In omni motu duo.

III. In omni autem motu spectandum & *Mobile*, quod movetur, & *Movens*, quod movet.

Mobile Idque duplex.

IV. *Mobile* quod movetur, vel est hominis *corpus continens*.

V. Commodè namque puto *humanum corpus distingui posse in Continens & Contentum*.

Corpus continens quid.

VI. *Continens voco*, non tantùm quod cavitatem aliquam peculiarem constituit, in quâ continetur, aut per quam defertur aliquid: uti sunt Venæ, Arteriæ, Ventriculus, Intestina, Vesicæ tàm Bilaria, quàm Urinaria, Ureteres &c. Verùm, *quicquid consistentiam habens propriam, reliquo corpori cohæret aut continuatur*.

Contentum quid.

VII. *Contentum* verò nomino *quicquid propria caret consistentia, vel reliquo corpori non cohæret*, ac proinde in ipso verè dicitur contineri: qualis est Sanguis, qualia Alimenta in ventriculo, vel intestinis contenta; imò ipsæ fæces alvinæ, & urinæ, priusquam excretæ sint è corpore, in ipso continentur adhuc.

VIII. Con-

VIII. *Contentum* ergò corpus dicitur, *quicquid propriis terminis non continetur, aut saltem reliquo corporis conjunctum non est.*

Utrumque Mobile & Movens.

IX. *Utrumque* autem hoc corpus tam continens, quàm contentum observatur 1. *mobile, quia sæpenumero motum.*

X. Sed non tantùm Mobile observatur utrumque corpus, *verùm etiam* 2. *Movens.*

XI. Quinimò Ipsa quoque *Anima* evincitur *Movens nostri corporis*, ut mox ostendemus.

Corpus continens, à continente, & contento; ac contentū à contento & continente moveri, Ossa à quo moventur. Musculi à quibus.

XII. Ut autem à corpore faciamus initium; observandum *Corpus continens moveri & à corpore continente, & a corpore contento: ut & vice versa Corpus contentum moveri & à corpore continente & à corpore contento.*

XIII. Sic 1. *Ossa, corpora continentia, moventur à musculis; corporibus continentibus.*

XIV. Sic 2. *Musculi eorumve fibræ, Corpora continentia, moventur à Spiritibus animalibus, corporibus contentis*, sic Cordis parenchyma, ut & Arteriæ, &c. dum expanduntur, moventur à sanguine in ipsis rarefacto, vel aliàs copiosiùs impulso.

Alimenta à quo moveantur.

XV. Sic 3. *Alimenta in ore œsophago*, ventriculo, Intestinis *contenta moventur ab iisdem partibus ipsa continentibus* contractis & angustatis: sic sanguis contentus in Cordis ventriculis movetur à musculis Cordis parenchyma constituentibus & sui contractione ventriculos coarctantibus, sanguinemque contentum expellentibus.

Sanguis in Cordis Ventriculis à quo moveatur.

XVI. Sic 4. *Contentus in Cordis ventriculis sanguis movetur & rarefit ab interno, adeoque ibidem contento Cordis Igne.* Sic alimenta in ventriculo contenta moventur à saliva itidem in ipso contenta dum fermentantur. Sic bilis in corpore contenta movetur ad occursum humoris acidi itidem in corpore contenti, dum effervescit, & nunc choleram morbum, cum vomitu & alvi dejectione conjunctum, nunc febres varias producit. Sic Pituita in intestinis contenta movetur à bile ibidem contenta, quando in flatus abit, & colicum cruciatum excitat. Et sic de cæteris.

Motus hi vel naturales vel Organici.

XVII. Inter quos *motus* varios aliqui sunt *merè naturales*, qualis est motus sanguinis ab igne accensi & rarefacti; alimenti à saliva fermentati; pituitæ à bile in flatus conversæ; bilis & succi acidi effervescentiam concitantium. Alii verè *motus Organici* vocari queunt, ob peculiarem organi constitutionem ad motum illum obeundum requisitam; qui ferè per distensionem fieri solent, qualem concipimus dilatationem ventriculorum Cordis, & arteriarum à sanguine sive rarefacto, sive propulso, & distendente parietes; qualem concipimus musculosarum fibrarum ipsorumque adeò musculorum motum à spiritibus animalibus fibras replentibus & distendentibus; qualem concipimus motum intestinorum à flatibus distentorum; qualem concipimus motum eorundem intestinorum peristalticum à spiritibus animalibus ipsorum fibras replentibus, distendentibus, atque sic cavitatem ipsorum coarctantibus.

Motus Animalis & Voluntarius quisnam. Cur ita vocetur.

XVIII. Hujus posterioris *motus organici species primaria* per musculos perfici solita, *animalis* & in homine *voluntarii* nomine venit.

XIX. *Animalis* autem vocatur, quoniam ab anima creditur regi, & *Voluntarius*, quoniam ad voluntatis arbitrium observatur sic & sic immutari.

Non perficitur semper ab objecto.

XX. Non video autem, quomodò ab objecto deduci queat omnis motus voluntarius, quandoquidem eodem absente perficitur, & quidem pro animi affectu vario, in loco ab omnibus objectis remotissimo, noctu in lecto excitato admodum diversimodè.

Qui perficiatur.

XXI. Quòd si quis roget, quomodò suspicer, fieri motum animalem & voluntarium, cum ejus nullum sensibilem invenire potuerim, nec proinde hic producere queam experientiam, neque quidquam hic habeam probatum ac verum; quod probabile ac verosimile judico breviter eloquar.

XXII. Censeo ergò 1. Musculos, & imprimis ipsorum fibras animali spiritu repletas & distentas breviores reddi, ac sic alligatas sibi partes ad se trahere, aut à se complexas coarctare & per consequens contenta in ipsis propellere.

Musculi qui se habeant.

XXIII. 2. Animales spiritus in bene constituto & sano homine *continuè* à cerebro per nervos ad musculorum fibras defluere.

Qui Animales Spiritus.

XXIV. *Copiosius* tamen, quoties vel objecto externo vehementiùs afficitur, & dolore sensus externus, aut animi affectu vehementiore concutitur anima.

Eorum constitutio.

XXV. Censeo prætereà 3. *Spiritus animales* præ cæteris corporis contenti partibus omnibus ad *puritatem & simplicitatem elementarem*, (ut sic loquar) *proximè accedere*; atque ideò *anima* quoque *proximè jungi*; quinimò *per animales spiritus reliquo corpori conjungi animam*: & quidem idcirco, quod observamus pro animæ arbitrio & voluntate quaquaversùm ad sensum & animalis motus organa, ipsumque adeò cor propelli spiritus animales, & *hoc unum esse, cui proximè imperat anima; non item igni cordis interno*, quem post animales spiritus puto esse simplicissimum in corpore: Neque enim corpus continens pro simplici haberi potest, cùm manifestè ex variis machinæ ad instar compositum observetur, nec moveri queat nisi ab alio, secùs ac Ignis, aut Spiritus.

Earum ope Animam corpori conjungi. Illis Animam imperare.

Corpus continens non esse simplex corpus.

XXVI. Hæc qui ritè observaverit & perpenderit, facem sibi ad alia secretiora accensam ultro fatebitur; sed de his aliàs.

Animalis Motus definitio.

XXVII. *Animalis ergò motus is est, qui per musculos obitur, aut per fibras ad voluntatis arbitrium ab animali spiritu motas.*

XXVIII. Atque sic percurrimus quatuor functionum genera animalibus peculiaria, Sensus externos, Sensus internos, Motus animi, & Motus corporis: proximum nunc est, ut ad earundem functionum læsiones primarias transeamus; quas primò generali ratione describere, deinde specialem quoque illarum historiam annectere decrevimus.

CAPUT VI.

De Dolore.

Dolor unde producatur & quorum sit affectio.

I. UT ab Externis Sensibus faciamus initium, observandum, quemadmodum *ex objecti grati ac sensorium demulcentis sensatione Voluptas* excitatur, sic *ex ejusdem objecti sensorium lædentis perceptione, Dolorem produci*: *Dolor* enim *non tantùm Tactus*, sed *cæterorum quoque Sensuum Externorum Affectio est* & molestum ipsis Symptoma.

Ejus Causa.

II. *Causa* igitur *Doloris omnis Objectum* est *Sensile, aut intra Corpus existens, aut forinsecùs ipsi adveniens*, atque *sensorium quodvis molestè afficiens ac lædens*. Sic *lux nimia* Dolore afficit Oculos, *Sonus fortis* Aures; *Odor gravis & acer* Nares; *Sapor mordens* Linguam & Palatum; *Durities acuta* Cutim & Membranas; *Calor & Frigus Urens* itidem Cutim & Membranas.

Idem sensorium pluribus inservire.

III. Nihil enim impedit Idem sensorium pluribus inservire sensibus; sic Oculi non tantùm vident, sed simul Tactu sunt præditi; sic Lingua non tantùm sapore dignoscit; sed insuper Duritiem, Calorem, ac Frigus. Cujus rei ratio videtur, quod ad Tactum & Caloris sensum nullus requiritur sensorii apparatus, qualem desiderant Visus, Auditus, Olfactus & Gustus, idcirco peculiaribus organis alligati.

Ad doloris curationem tria requiri.

IV. Ad *Doloris Curationem* requiritur 1. *Objecti dolorem inferentis amotio*, aut saltem *emendatio*; posita enim aliàs causa, ponitur effectus. 2. *Sensorii læsi reparatio.* Urgente multùm dolore ac permanente causa *Sensus stupefactio.*

V. *Amo-*

Causa Doloris externa tollenda, vel vitanda.

V. *Amovetur Causa Doloris externa*, vel *illam tollendo*, vel illam *fugiendo & vitando*. Sic spina parti infixa detrahitur; sic solis æstum fugimus conferendo nos in aliquod antrum, vel ad umbram.

Interna qui amovetur.

VI. *Amoventur Causæ Doloris Internæ*, si *sanguis* fuerit, illum per venam sectam, vel aliter educendo; si *alii humores* fuerint, illos evacuando per vomitum, purgationem, urinas, sudores, salivationem, partis apertionem &c. si *partes solidæ* fuerint, & quidem *luxatæ*, ipsas reponendo; sin fractæ, itidem reponendo, aut fragmenta acutiora resecando, &c.

Doloris causa varia variis modis emendatur.

VII. *Emendatur Doloris Causa* varia modis variis, Lumen magnum producta umbra, objectum acre per temperantia acrimoniam, &c. de quibus albi actum vel agendum,

Sensorium læsum reparando.

VIII. *Sensorium læsum reparatur*, restituitur. que in integrum præ læsionis diversitate modis variis: aliter enim vulneratum, aliter ustum, aliter erosum, aliter contusum restituitur & curatur; de quibus alibi.

Sensui stuporem inducendo,

IX. *Sensui stupor inducitur* per *Narcotica & Opiata* omnia, prudenter ac per vices potius parciusque, quàm confertim, externè aut internè usurpata.

X. De Dolorum variis speciebus, Caussis, & Curatione videatur Libri Primi Caput XIV.

CAPUT VII.

De Primariis Visus Læsionibus,

Suffusio quid.

I. INter multifarias Visus læsiones, quæ curari possunt, quasque solas hic attingemus; haud postremum locum sibi vendicat *Suffusio* dicta, ut plurimum Visum gradatim obtenebrans & tandem tollens.

Unde oriatur,

II. Ortum enim habet hic Affectus *ex pituita viscidiores*, melancholiæ nomine vulgò veniente, à causâ quacunque genitâ, hinc & attenuata, sanguinique confusa, & una cum ipso ad Oculos per Arterias delata, & in humore Aqueo imprimis hærente, ipsumque obscurante; donec tandem magis magisque accrescens, iterumque concrescens, ac coagulata circa pupillam constituentem Uveam vel ex parte, vel in totum lumini externo, ac imprimis speciebus visibilibus transitum deneget, sicque Cæcitatem tandem inducat.

Pituitam viscidam quanam generent.

III. Hanc *pituitam viscidam* in Corpore *generant* imprimis Alimenta similia; *augent* Tristitia & Metus; *commovent* iidem affectus Iræ præsertim copulati, ut & Aere conturbatus aut æstuans, vigiliæ protractæ, solicitudines, Corporis motus vehementior, &c.

Qui paulatim suffusio accrescat.

Et medico pateat.

IV. Excitati ab hac pituitâ halitus, & humori Aqueo in Oculis confusi primùm vel nubeculam oculis obversantem, vel filamenta, festucas, muscas & similia ante oculos bolitantia repræsentant; deinde Objecta externa omnia obscuriùs, aliquando patula vel hiantia exhibent; denique lumen duntaxat obscurè admittunt: Interim Oculos affectos inspicientes primò quidem loco nigredinis ac tenebrarum secundùm naturam repræsentari solitarum, humor aqueus vitri alicujus fusi ad instar occurrit, ac sensim magis magisque albescere videtur, donec tandem foramini uveæ accescere deprehendatur, & dictam catarrhactam producere, & ipsam quidem magis vel minùs albicantem, solidamque &c.

Ejus Curatio.

V. Curatio hujus Affectus spectat eundem, dum vel producitur, vel jam est productus.

In Principio

VI. In Principio quidem, ubi halitus duntaxat in oculis observantur, laborandum, tum ut nulli ampliùs eò deferantur, tum ut, qui jam eò penetrarunt, inde rurlus removeantur & tollantur.

VII. Nulli deferentur ampliùs ad Oculos; si ipsorum Causa Materialis ac afficiens corrigatur, aut Tollatur.

Corrigenda Pituita Viscida.

VIII. *Corrigetur Ipsorum Materialis Causa, Pituita Viscida* medicamentis incidentibus & attenuantibus, uno verbo, Sale volatili præditis: Scilicet *Radicibus* fœniculi, apii, valerianæ, chelidoniæ majoris, &c. *Herbis* euphrasiæ, majoranæ, rutæ, &c. *Seminibus* fœniculi, sileris montani, carvi, &c. *Oxymelite* tàm simplici, quàm scyllitico. *Syrupo* fœniculi, absinthii, stœchados, byzantino &c.

Eadem tollenda.

IX. *Tolletur* eadem *Pituita Viscida*, quoties copia simul peccat, vel tardiùs corrigi potest tota, per Phlegmagoga tum vulgaria, tum Chymica, Mercurium præsertim quovis modo debitè præparatum: Exempli loco sunto pilulæ sequentes Magistrales variisque indicationibus inservientes, quæ.

Pilulæ.

℞. *Gummi galbani cum aceto scyllitico præp.* ℥ j.
Mastich. el. ℥ ß.
Castorei opt.
Myrrh. rubr. aa. ℈ j.
Carab. alb. gr. xv.
Croci stl. ℈ ß.
Aloes rosat. ℥ ß.
Troch. Albandal. ℈ j.
Ol. fœnicul. still. gr. vj.
M. f. pilul. num. 50. *Deaurandæ*.

Earum Usus

Harum autem accipiat æger alternis diebus, una vel altera post cœnam modicam hora 3. 4. vel 5. ut sequenti die manè semel inde alvum deponat. Satiùs enim & tutiùs est per epicrasin corrigere, & simul minuere causam morbificam, quam vehementer ipsam agitando ægrum in gravioris mali periculum conjicere.

Corrigenda Bilis Acrior

X. *Corrigetur Halituum Efficiens Causa, Bilis acrior*, medicamentis mediocriter acidis, & imprimis *Nitro*, in quo aliquid sulphurei (unde ignem concipere solet) continetur; quò spectat Sempervivum majus; Plantago, Solanum, Endivia, Lactuca, & similia plura.

Eadem tollenda,

XI. *Tollitur* eadem *Bilis acrior*, ubi quantitate nimia simul peccat, per Cholagoga, Rhabarbarum præsertim, Tamarindos, Cassiam, Tartarum & similia blanda.

Halitus discutiendi in tenui Intestino excitati.

XII. *Impeditur* quoque *Halituum* in tenui præsertim Intestino productorum *delatio ad Oculos*, si mox discutiantur, & magis, si ipsorum productio impediatur & compescatur.

XIII. *Discutientur Halitus in tenui Intestino excitati* assumptis quotidie, ac imprimis eorum productionis tempore, (quod sæpenumerò esse solet quando vel vacuus est Ventriculus, vel ad Intestina propellitur prima postremave Alimentorum fermentatorum pars, & quidem pro assumptorum alimentorum diversitate diversimodè) Medicamentis sale volatili ac præcipuè oleoso abundantibus.

Eorum productio impedienda.

XIV. *Impeditur Halituum productio* medicamentis vitiosam tunc contingentem Effervescentiam compescentibus, aut potiùs corrigentibus, Quæ qualia sin aut esse debeant, necdum mihi perspectum est satis.

Halitus ad oculos delati discutiendi.

XV. Quibus in tenui adhuc Intestino existentes, iisdem *ad oculos jam delati halitus discutientur*, quamvis segniùs, *medicamentis*, tum *internè assumptis*, tum *oculis admotis*. Notum enim est mihi per experientiam, Volatilem salem sufficiente Aquæ quantitate dilutum & Oculis applicatum discutere tandem halitus oculis conclusos, sicque humores ipsorum atque visum clarificare.

Catarrhactæ induratio expectanda.

XVI. Ubi aut neglecta est hujus Affectûs præcautio, aut impediri non potuit ejusdem productio vel cita, vel lenta, expectanda est patienter ipsius Catarrhactæ induratio, maturatio dicta.

Ac postea ipsa auferenda.

XVII. Ubi verò ad maturitatem ac requisitam soliditatem pervenit, Acu argentea rotunda per-

perforandus est in parte exteriore Oculus, atque ejusdem ope sensim ab uvea liberanda catarrhacta, deorsumque depellenda, donec tum lumen, tum objecta externa dignosci possint ab Ægro; tum mixtura ex ovi albumine atque alumine simul in vase terreo tritis parata, & cannabe excepta devinciendus est oculus, & per aliquot dies in dorsum decumbens æger quietus servandus, quò subsidens catarrhacta non elevetur denuò, ac visum iterum offuscet.

Scotoma & Visus obtenebratio. XVIII. Ad hujus Affectus prodromum evocari potest *Scotoma & Visus Obtenebratio*, quando scilicet confestim occæcari videntur homines, præeunte nonnunquam nubeculæ aut fumi oculis obversantis specie, quo malo sæpiùs redeunte suffusio subsequi solet.

XIX. Hujus Scotomatis Causas, Generationis modum, atque Curationem ex supradictis elicere quivis potest.

Senum Visio. XX. Alterius autem generis est Affectus, *Senum Visio* dictus, in quo Juvenes, quod Senibus aliàs obvenire solet, oculis vicina objecta minùs commodè assequuntur, quàm remotiora.

Ejus causa. XXI. Hujus Vitii causam esse puto Humores oculorum ob sui exficcationem aliquatenus opaciores.

XXII. Exficcationem illam pendere arbitror à defectu humoris Aquei ad Oculos cum sanguine delati.

Curatio. XXIII. Unde quodammodò malum illud emendari posse suspicor fotu Aquæ dulcis tepidæ oculis admotæ, & forsan, ubi Aqua in universo sanguine desideratur, usurpatione Alimentorum solito magis Aqueorum.

XXIV. Interim Vitio illi succurri potest perspicillis mediocriter convexis ac valdè perspicuis.

Myopia quid. XXV. Vitium prædicto contrarium est *Myopia*: qua qui laborant, propinqua perfectè, non item remotiora vident ac discernunt.

Ejus causa. XXVI. Hujus Causam censeo Humores oculorum nimis aqueos ac pellucidos; quapropter solet temporis tractu vitium illud in plerisque spontè quodammodò corrigi ac minui dum sensim exficcantur ætate humores.

Curatio. XXVII. Malum hoc emendari posse autumo usurpatis circa oculos, quæ aquosos humores blandè possint consumere, sicque Oculorum humores quadantenus exficcare.

XXVIII. Interim succurritur huic vitio & defectui perspicillis concavis.

Alia Vitiosa Visiones. XXIX. *Vitiosa* quoquè existit *Visio*, quando Ipsa *Objecta aliter affecta repræsentantur, atque actu sunt*; sive aliter *colorata*; sive aliter *inflexa & incurvata rectave*; sive *perforata*, *bifidave & biantia*, quæ solida; sive *truncata*, quæ integra; sive *multiplicia*, quæ simplicia; imò *variè mota & gyrata*, quæ quiescunt.

Coloris. XXX. *Coloris* quidem naturalis objectorum *mutatio* videtur mihi adscribenda halitibus ad Oculos delatis, & colore proprio vel ab externo lumine simul aventitio, externorum objectorum species inficientibus.

Figuræ. XXXI. *Figuram* objectorum *immutare*, atque quæ recta sunt, ac si *curva* essent, ac *viceversa* repræsentare videntur iidem halitus unam humoris Aquei partem magis occupantes, quàm cæteras; undè illa incurvatio vel falsa putatitia & ficta restitudo specierum visibilium consequantur.

Objecti Perforati. XXXII. *Perforata* putantur Objecta visa, quoties alicubi hæret in humore aqueo coagulatus & conglobatus halitus, transitum speciei hactenus denegans: Uti *bifida* vel *biantia*, quoties idem halitus in longum deorsum versus est situs ac extensus.

Truncati. XXXIII. *Capite aliave parte notabili truncata* videntur Objecta, quando in parte Aquei humoris superiore transversim, aut alibi ad latus consistit concretus ille ac tenuis halitus.

XXXIV. *Multiplicia*, & imprimis *duplicia geminaque* putantur esse *objecta eadem externa*, quoties non æqualiter moventur bini Oculi, quod Ebriis satis familiare, & febrientibus quibusdam cum delirio Ebrietati valdè consimili.

Multiplicati. XXXV. Segnities autem illa ad movendum Oculos æqualiter adscribenda videtur spiritibus animalibus multo vapore, narcotico præsertim infectis & torpentibus, atque tardiùs, segniusque ad musculos oculos moventes delatis.

Moti, unde Vertigo. XXXVI. *Movere putantur, quamvis quiescant*; tum *Objecta externa visa*, tum *pavimentum ac sedile, cui insidet æger*, tum *ipse æger* ob spiritus animales plùs minùs commotos & confusè ac vertiginosè ad Oculos, Tractusque Organa propulsos.

Horum Vitiorum Curationes. XXXVII. *Halitus*; qui *objectorum Colores* immutatos repræsentant, aliam *curam* non videntur exigere, quàm quæ absolutè Ipsis præter naturam genitis & ad Oculos delatis debetur, quamque jam proposuimus in Suffusionis Curatione.

XXXVIII. Idem omninò dicendum de iisdem halitibus *Objectorum Figuram* vitiantibus Eandemque *Perforata*, *Bifida*, vel *Truncata* repræsentantibus.

Spiritus Animales Vapore infecti qui corrigantur. XXXIX. Spiritus Animales per Ebrietatem aliamve in febribus accidentem Temulenti Delirii speciem Objecta geminantes, restituuntur in integrum cessante spontè Ebrietate, ac Temulentia morbosa, eademve arte supressa vel sublata.

XL. In hunc finem conducit Potus Aquæ puræ, ut & Acidularum: quin & Decoctum Lactucæ, Rosarumque rubrarum Tinctura cum spiritu vitrioli parata, Brassicæ Caudex. Observavi præterea saltem volarilem plurimùm in eodem casu conferre, ipsumque Castoreum, quovis modo usurpatum: singula verò peculiari ratione juvant.

Idem agitati quibus ad quietem reducantur. XLI. *Spiritus Animales nimium agitatos*, & Objecta externa, ipsumve Ægrum *Vertigine* correpta repræsentantes ad tranquilitatem reducunt Anodyna, & potentiùs Narcotica minore quantitate ac per intervalla usurpata.

XLII. Exempli loco esto sequens formula, quæ.

Mixtura.

℞. *Aq. flatiliæ*, ℥iiß.
Antiparalyticæ, aut Antepilept. cujusvis ℥i.
Laud. Opiat. Gr. iii.
Syr. stœchad. ℥i.
M.

Ejus Usus. Accipiat Æger subinde hujus cochleare unum, donec corrigatur Vertigo.

CAPUT VII.

De Præcipuis Auditus Læsionibus.

Quot modis lædatur Auditus. I. Aboletur Auditus in Surditate, Cophosi; *Diminuitur* Idem in Barycoja, sive gravi Auditu; *Augetur* in Auditu acutiore; *Depravatur* in Obauditione, Aurium que Tinnitu, Sibilo & similibus Affectibus affinibus.

Abolitus Auditus duplex. II. *Abolitus Auditus* est aliquando *nativus*, aliquando fortuitus & *adventitius*.

Nativus. III. Qui à *Nativitate Surdi* sunt, *Muti* quoque nascuntur & permanent: quoniam Voces articulatas non audiunt ab aliis, aut à se editas, nec proinde illas imitari, aut emendare norunt.

Adventitia Surditatis causa. IV. *Adventitiæ Surditatis Causa* nunc in *externa Auris Cavitate* hæret nunc in *Interna*, nunc in

in *Tympano*, nunc in *Nervo*, nunc in *Spiritibus animalibus*, nunc in *Cerebro*.

In externa cavitate. V. *In externa Auris Cavitate* hærens surditatis Causa Surdibus collectis induratisque, aut aliis rebus forinsecùs obvenientibus, Auresque obturantibus debetur.

In interna. VI. In *Auris Cavitate Interna* excitatum Apostema nonnunquam Surditatis Causa existit.

In Tympano. VII. *Tympanum* quovis modò ruptum creditur Causa existere surditatis, sive hoc fiat à sono vehementissimo, sive idem accidat ab intruso instrumento acuto, sive id sequatur ruptum ibidem apostema.

In Nervo Auditorio. VIII. *Nervi Auditorii* culpa fiet surditas, si is exsiccetur, aut non tam obstruatur ipsius medulla, quàm ab humore intra membranam ejus contento comprimatur, aut à quovis tumore vicino nimiùm coarctetur.

In Spiritibus Animalibus. IX. A *Spiritibus animalibus* torpidis ac immobilibus aliquando ad tempus surditatem excitari posse autumo in Apoplexia, Caro, aliisque similibus Affectibus soporosis.

In Cerebro. X. *A Cerebro* graviter læso, ac contuso, vulneratove aut corrupto, Auditum tolli posse arbitror.

Difficilis Auditus Causa. XI. *Difficilis, & Gravis Auditus* agnoscit plerasque Causas memoratas, sed leviores, ac insuper humores tum Caput universum, tum imprimis Aures occupantes, & Catarrhi nomine notos.

Auditus Acutus. XII. *Acutum* censeo in iis *Auditum*, qui minimos sonos etiam dormientes observant, & inde expergiscuntur.

Ejus Causa. XIII. *Acuti Auditus Causam* puto sensorium perfectissimum, imò quodam modo plusquam perfectum & simul valdè tenerum, unde ad minimum objecti cujusvis motum excitatur; & sicut objecta à talibus observantur accuratiùs & distinctiùs, quam à plerisque aliis, ita molestia sensorium afficiunt, si vel minimum recedunt ab exacta mediocritate: unde somnum talium hominum experimur levem ac continuè ferè interruptum; quod itidem illis existit valdè molestum.

Auditus Depravatus. XIV. *Depravatus dicitur Auditus*, quando aliter percipitur sonus externus, ac is editus est, aut alius sonus ipsi admistus putatur, aut absolutè sonus aliquis externus creditur audiri, quamvis nullus edatur, nisi in ipso Audiente, & quidem Tinnitus, Sibilive aut simili nomine veniens.

Ejus Causa. XV. Omnis autem Depravati Auditus Causa est sonus præter naturam in Ægri ante mutatus, vel excitatus à vaporibus & halitibus aut sursum elevatis, aut ibidem productis & falsa soni externi specie illudentibus.

Surditas adventitia quomodo curetur. XVI. *Surditas connata incurabilis* esse solet; *adventitia* non rarò curatur; imprimis quæ *Sordibus* in aure moram nectentibus, aliisve rebus forinsecùs in Aures deductus originem duxit; nam illis artificiosè eductis nonnunquam in momento restituitur Auditus.

Quomodo Difficilis Auditus. XVII. Sic *curato Apostemate* aliquando restituitur, aliquando gravis remanet Auditus, ut plurimùm incurabilis.

XVIII. Surditas à *rupto Tympano* habetur pro incurabili.

Quomodo qua est ab Auditorio Nervo surditas. XIX. *Auditorii Nervi* affectum excipiens surditas rariùs in totum curatur: Ejus autem Curatio cæterorum Affectuum ipsam comitantium, vel producentium curam sequi solet.

Ut & qua est a Spiritibus Animalibus & Cerebro. XX. Idem statuendum de surditate *Spirituum Animalium aut Cerebri* malam dispositionem consequente. Nam humores vitiosi in corpore universo ac capite præsertim existentes, corrigendi sunt & pro re nata subinde evacuandi per vias universales, & Capiti magis proprias & peculiares.

Aurium Tinnitus & Sibilus qui curetur. XXI. *Auditum Acutiorem* quæ tutò ac blandè obtundant, non novi.

XXII. *Tinnitum, Sibilumque Aurium*, cæteraque eò spectantia curant medicamenta humores halitusque ipsorum Causas Corrigentia, Evacuantia, & Discutientia, tum interna, tum externa, non semel à me proposita.

XXIII. Omnis namque Medendi methodus Dogmatica & Rationis innititur accuratæ Investigationi, ac Inventioni Causarum omnium ad hunc aut illum Affectum producendum connexarum: His namque artificiosè ac verè compertis, haud difficile erit Medico Judicio practico pollente convenientia singulis Causis pro re nata vel minuendis, vel reparandis, vel variè alterandis tum externa, tum interna præscribere auxilia, dummodo & à noxiis abstinere atque cavere, & utilia usurpare velit Æger, sine quo frustrà in consilium advocatur Medicus, in Artis operibus utut versatissimus & maximè judiciosus. *Quibus innitatur Medicina Dogmatica & rationalis.*

CAPUT IX.

De Olfactus Læsionibus.

I. NUllo sensu externo cum minori beatæ vitæ detrimento carere possumus, quàm Olfactu. *Olfactu carere possumus.*

II. *Aboletur* autem, *Imminuiturve* aliquando; quin & *Augetur*, aut *Depravatur* nonnunquam Odoratus. *Quomodo lædatur.*

III. *Abolitus* & *Diminutus* easdem agnoscit *Causas* sed gradibus differentes: sive in sensorii ineptitudine, aut gravi læsione, sive in Nervi Odoratorii, Spirituum Animalium, aut Cerebri morbis observentur ipsæ. *Aboliti & Diminuti Causa.*

IV. *Sensorii* in Naribus existentis Affectus manifesti sunt nimia *exsiccatio*, vel nimia *humectatio*, ut in gravedine accidit. *In Sensorio.*

V. *Nervi Odoratorii*, *Animalium Spirituum* & *Cerebri* vitia ex præcedentibus capitibus peti possunt, ne sæpiùs eandem recinamus Cantilenam.

VI. *Acuti Odoratus Causa* est sensorium solito teneris, atque à quovis Odore potentiùs affectum. *Acuti Odoratus, Causa.*

VII. *Depravatur Odoratus* à fœtore in corpore existente atque Odoribus externis admissis se admiscente, illosque inficiente ac vitiante; & forsan aliquando à quibusdam halitibus ad certos demùm Odores externos admissos in corpore excitatis & tunc cæteros aliundè accedentes inficientibus. *Depravati Odoratus Causa.*

VIII. Odores autem sive halitus odoratos ex rebus nullum aliquando ex se ac per se odorem spirantibus, sed simultantùm junctis excitari, testantur Sal tartari & Sal armoniacum, vel sicca, vel in Aqua soluta & confusa; elevato mox Sale Urinæ Volatili in Sale Armoniaco latente & tunc inodore, ad tartarini verò salis occursum mox erumpente atque exhalante, & Olfactum potentissimè movente *Odoris excitatio à permistione rerum, in se inodorarum*

IX. Tale quid autem in corpore nostro itidem accidere posse, atque nunc ab Odoratis, nunc ab inodoris aut per nares cum aere attractis, aut ore præsertim assumptis, deglutitis, & ad Intestina mox pergentibus, ac ibidem Effervescentiam vitiosam & molestam excitantibus, halitus fœtentes aut quovis modo odoratos per œsophagum sursùm propelli, externosque odores infici quid vetat? observamus enim quotidie ab assumptis dulcibus vel acidis suffocationem dictam produci, & quidem ab halitibus in tenui intestino vitiosè genitis ac sursùm elevatis, idque non rarò cum acri aut gravi odore, externos corrumpente. *Eam quoque in nostro corpore contingere.*

X. *Fœtor sponte ac continuè* ad nares è corpore Ægri delatus, parti alicui in naribus, Faucibus, Ore, Pulmonibus, vel alibi corruptæ aut putrescenti debetur. *Fœtoris è corpore erumpentis causa.*

XI. *Curabitur Olfactus Abolitus vel Diminutus* *Abolitus vel Diminutus.*

tus Humectando paulatim Nares ſicciores tum per interna, tum per externa medicamenta.

Olfactus qui curetur cum Gravedine conjunctus.

XII. *Curabitur idem* cum *Gravedine* conjunctus, *exſiccando* humiditatem ſuperfluam Nares occupantem, *evacuandoque* per vias Univerſales, hinc & Nares ac Os ſerum in Corpore redundans, copioſiùs ſaltem in Cerebri glandulis ſecretum; & imprimis *reſtituendo diſpoſitionem Vitioſam in Glandulis Cerebri* ab externo frigore introductam, per ſuffumigia ex Maſtiche, Carabe, Thure, Benzoino, Styrace & ſimilibus parata, & tum naribus excepta, tum linteaminibus ſimul calefactis Capiti, ac Cervici affricta.

Depravatus Olfactus qui curetur.

XIII. *Depravatus Olfactus curabitur* emendando materiam in corpore halitus fœtidos ad nares propellentem; aut impediendo, cohibendoque Effervescentiam vitioſam ſimiles halitus promentem; denique curando partium variarum putredine affectarum morbos varios, de quibus agitur alibi.

CAPUT X.

De Guſtu Læſionibus.

Quot modis Guſtus lædatur. Aboliti & Diminuti cauſa.

I. QUemadmodum cæteri Senſus Externi, ita & Guſtus aliquando *Aboletur*, vel *Diminuitur*, aliquando *Augetur*, & ſæpenumero *Depravatur*.

II. *Aboletur*, vel plùs minuſve *Diminuitur* Guſtus tum *ſenſorii*, *Linguæ* puta & *Palati* vitio; tum *Salivæ*; tum *Spirituum Animalium*, *Nervorum aut Cerebri* culpa.

In Lingua.

III. *Lingua* non rarò in variis morbis, ardentibus præſertim febribus, *arida* fit, & omnis Guſtus expers,

IV. Si non aboletur, plurimùm ſaltem minuitur quandoque Guſtus à *Pituita viſcida* Linguam & Palatum obducente, aut ab ipſa *Saliva ſolito viſcidiore & inertiore*.

V. *Exſiccatur Lingua in febribus ardentibus* ab *halitibus* è Pulmone imprimis cum expiratu Aere emanantibus, & una cum faucibus, Linguam & Palatum malè afficientibus.

Saliva.

VI. Ab iiſdem halitibus *Saliva viſcidior* reddi ſolet, quin & *Pituita ad Palatum & Fauces* naturaliter depoſita tenacitatem acquirit ac lentorem, quibus *obducta Lingua* ineptior ſit ad dignoſcendos rerum ſapores.

VII. *Salivæ* vitio etiam Diminuitur vel Aboletur Guſtus, quatenus Ipſa deſideratur ad Guſtus perfectionem. Hæc igitur non tantùm quatenus Linguam malè afficit malè affecta, ſed inſuper quatenus inepta eſt eliciendis, ac diſſolvendis miſtorum partibus ſaporem in ſe continentibus, hic peccare poteſt.

VIII. Quod enim capite præcedenti dictum de Odore latente per inodora eliciendo, & confirmatum exemplo Salium Armoniaci & Tartari unitorum: nunc quoque dici poteſt ac debet de ſapore nonnunquam eliciendo ex rebus penè inſipidis, & quidem ſalivæ utut inſipidæ ope.

Saliva conſtitutio naturalis ad Sapores eliciendos.

IX. Deſideratur autem *Saliva inſipida* quidem, attamen *fluida & ſubſpumoſa*, non item viſcida & tenax, quò partes miſtorum ſapidas diſſolvere, quinimò nonnunquam forſan vel latentes ſapores elicere, vel planè novos producere queat. Cui uſui ſervit antè omnia ſubtilis & ad dulcedinem uſque contemperatus *Spiritus acidus* in ipſa latitans.

X. Hic acidus ſpiritus obtunditur imprimis à partibus *oleoſis*, à quibus ſuam tunc nanciſcitur ſaliva *viſciditatem*: quocirca ineptior deprehenditur ſemper ad Guſtum Saliva tenax & viſcida.

Unde vitietur Aucti Guſtus cauſa.

XI. Quæ jam in ſuperioribus de *Spirituum Animalium*, *Nervorum*, *ac Cerebri* vitiis propoſui, huc quoque quadrant.

XII. *Augetur* Guſtus tum ob ſenſorii conſtitutionem valdè teneram, Linguamve delicatam, tum ob *Salivæ* temperiem exquiſitam.

Ejuſdem Moleſtia.

XIII. Moleſtus vero ſolet eſſe Auctus Guſtus, quoniam non niſi gratiſſima & exquiſitè ſapida tunc placere ſolent, qualia cum, ſi non impoſſibile, valdè ſaltem difficile ſit ſemper ac ubique habere, miſerum cenſeo illorum hominum ſtatum, qui non niſi cum moleſtia guſtare atque uſurpare poſſunt alimenta vel medicamenta, quæ vel latum unguem recedunt à delicatiſſimo ſapore.

Depravati Guſtus cauſa.

XIV. *Depravatur Guſtus*, quoties alieno ſapore prædita Cenſentur objecta externa ore aſſumpta.

XV. Quamvis ob *Linguam aridiorem* aut *muco obductam* non ſemper dignoſci poſſit verus rerum guſtandarum ſapor, non idcircò tamen ſalſus ipſis adſcribitur Sapor, ſed potiùs nullus aut minor, unde pro Depravati Guſtus cauſa hæc haberi nequit.

Saliva vitiata.

XVI. Veræ autem *Guſtus Depravati Cauſæ* à *Salivæ*, *aliorumque humorum*, *vel halituum ad Os delatorum* vitiis ſunt deducendæ. Qualis enim in Saliva cæteriſque Ori communicatis humoribus, halitibuſve Sapor continebitur, talis in totum aut ex parte aſſumptis ineſſe judicabitur.

XVII. Sic *ſalſa vel Acida* exiſtente *Saliva*, rerum aſſumptarum ſapor plùs minùs ſalſus vel acidus eſſe putabitur.

Humores ad Os delati.

XVIII. *Humores alii* ad Os delati ſunt vel *Bilis* vel *Succus Pancreaticus*, vel *Pituita*, vel *Miſtura* diverſa ex hiſce promanans, *vel aliud quid* ab *Inteſtino tenui* per Ventriculum aſcendens; vel *Pituita* multiplex à *Cerebro*, *ejuſve Glandulis* Deſcendens, vel *Humor multifariis ex Pulmonibus* prodiens.

XIX. Præter humores naturaliter in nominatis partibus obſervabiles ac ſubinde præter naturam vitiatos & ad Os delatos, occurrit quandoque ex variis partibus prodiens *Sanguis*, *Pus*, *Sanies*, aliquidve aliud hiſce affine.

Ut & Halitus.

XX. *Halitus* imprimis *ab Inteſtino tenui*, aut *Ventriculo* per œſophagum, quandoque ex *Pulmonibus* per aſperam arteriam, vel ex ipſis *Faucibus* aut *Naribus* male affectis prodeunt.

Saliva Acida.

XXI. *Salivam* ſubinde *tam acidam* generari & in os effundi, ut Dentes inde ſtudeant, experientia quotidiana teſtatur. Ab eadem tali exiſtente aſſumptorum ſaporem immutari ac depravari nemo ſanæ mentis negabit, quod eadem inſuper conſtat experientia.

Salſa.

XXII. Eandem *Salivam* non infrequenter *Salſam* obſervamus, & itidem rerum ſapores ſalſedine ſua inficientem ac depravantem.

Acida unde.

XXIII. *Acida* exiſtit *Saliva*, quoties vel *plus acidi purioris* ac cæteris deſtituti ſeparatur à ſanguine in Glandulis ſalivalibus vel *minus ſpiritus volatilis* per nervos accedit ad ipſum temperandum.

Salſa unde.

XXIV. *Salſa* verò exiſtit eadem *Saliva*, quoties ſanguinis *ſerum* non tantùm exiſtit *ſalſum*, ſed idem *copioſius* ſeccedit à reliquo ſanguine ad ſalivam generandam, prætermiſſis aut parciùs accedentibus partibus reliquis, ſimul aliàs requiſitis.

Bilis Amaritudinem creat.

XXV. *Bilis* ad os delata & ſalivam ipſam, vel alimenta, cæterave aſſumpta immediatè inficiens, *Amaritudine* ſua id præſtat & omnia amara Guſtui repræſentat.

Succus Pancreaticus Aciditatem.

XXVI. *Succus Pancreaticus* verò *Aciditate* tunc excedente idem efficit, rariùs *ſalſedine*.

XXVII. *Pituita* cùm ex ſe ſit *inſipida*, niſi à *Succo Pancreatico* admiſto reddatur acida vel ſalſa, vix unquam aſſumptorum ſaporem depravabit.

Utrumque miſtus ſaporẽ vitriolatũ.

XXVIII. *Humores* autem *ex Bile ac Succo Pancreatico vitiatis* geniti, ut plurimùm *ſaporem Vitriolatum*, aut alium *ſimilem*, rariùs valdè *Dulcem*

obti-

obtinent, ac eandem assumptis imprimunt, sicque gustum depravatum reddunt.

Pituita à cerebro delabens Acida vel Salsa.

XXIV. *Pituita* à Cerebro, ejusque Glandulis descendens ac Gustum depravans vel Acida, vel Salsa deprehenditur.

Aliquando ad nauseam dulcis. Eius causa Auctori ignota.

XXX. Rariùs, aliquando tamen, *Dulcedo nauseosa* quemadmodum ab infernis partibus assurgit, ita à supernis delabitur, & tum salivam, tum cætera assumpta inficit & gustum depravat.

XXXI. Quidnam Dulcedinem illam summam & nauseosam Saturni saccharum si non excedentem, assequentem saltem imprimis producat, me nondum capere ultro fateor: nam sola aciditatem temperantia non sufficere, planè sum persuasus.

Pituita ad Pulmones delata, & rursus ad Os propulsa.

XXXII. *Pituita multifaria ad Pulmones delata*, & mora longiore aut breviore ibi facta, plùs minusve *immutata*, dum iterum ad Os propellitur, & salivæ, & assumptorum quorumvis saporem, corumpere atque modis variis Gustum depravare potest.

Sanguinis Os delatus dulcis.

XXXIII. *Sanguis* undecunque ad Os delatus saporem subdulcem præ se fert, atque hactenus aliorum saporem pervertere, sicque Gustum depravare poterit.

Puris Sapor.

XXXIV. *Puris laudabilis* sapor forsan nullus est notabilis, ab illo tamen assumptorum saporem immutari posse puto, & Imprimis ab eodem minùs laudabili, & in *Saniem* acriorem degenerante; unde Gustus sequetur quoque Depravatio.

Halitus multifarii ad Os assurgentes Ventriculo, &c.

XXXV. Halitus, tum è Ventriculo, tum imprimis per ipsum è tenui Intestino solent Ructuum nomine multifarii assurgere, tum acidi, tum nidorosi, tum alii, atque salivæ & assumptorum quorumvis saporem naturalem non parum alterare, sicque Gustum ipsum Depravare.

Ex Pulmonibus ulcere laborantibus.

XXXVI. Ex *Pulmonibus* & *Aspera ipsorum Arteria Ulcere* in Phthisi laborantibus *Halitus* graveolentes & Gustum simul malè afficientes ac depravantes attolli clarum.

Ut & ex faucibus.

XXXVII. Ex *Faucibus itidem Ulcere fordido*, quod in Lue Venerea est admodum familiare, laborantibus fœtentes atque salivam quoque & assumpta inficientes halitus prodire satis notum.

Atque etiā ex Naribus.

XXXVIII. Denique ex *Naribus* quoque tum secundùm partes suas subcarneas, vel potius glandulosas *Ulcere*, tum secundùm Osseas vel cartilagineas *Carie* laborantibus halitus noxios una cum Aere inspirato ad fauces tendere, vel liquoris forma sensim per palatum ad Os aliquid descendere, atque salivam hinc & assumpta inquinari posse nemo negabit, qui vel mediocriter fuerit in praxi versatus.

Abolitus minutusque Gustus qui curetur.

A Linguæ Ariditate.

XXXIX. *Abolitus, Diminutusque Gustus Curatur* pro Causarum diversitate diversimode. Quando namque *à Linguæ ariditate* ortum habet, tunc & *humectantibus* & *lenientibus* opus, Aqua pura, Succo acetosæ, Sempervivi majoris & similibus vel expressis, vel destillatis, vel decoctis & linguæ impositis, aut gargarisatis, dummodo simul Affectus primarii, Ardentis Febris & similium, haberetur ratio exacta. Huc faciunt Mucilagines semina, cydoniorum, psyllii, &c.

Ab Halitus.

XL. Quòd si ab iisdem halitibus in Ardentibus febribus, aliisve Pulmonum vel Intestini tenuis Ventriculive affectibus, ad Os delatis *Pituita* quoque *Capitis* & *Saliva* inspissetur, viscidior fiat, iisdemque tanquam muco obducatur & ad Gustum ineptior fit Lingua; *incidentibus*, acidis & *humectantibus* erit utendum; quò non tantùm in ore Contenta dictorum humorum vitia corrigant, sed insuper introsumpta Pituitam ubicumque in corpore hærentem *attenuent* & *dissolvant*, & ad secuturam fortè *expurgationem* faciliorem præparent.

A Saliva Viscida.

XLI. Quòd si *Saliva Universa producatur Viscidior*, & hactenus obliteretur plus minùs ipse Gustus; cùm, uti dixi, à partibus *oleosis* pendeat imprimis illa visciditas, emendanda illa erit *Acidis*, sed cum *volatili Spiritu* contemperatis, & in specie Spiritu salis dulci cum aquis aromaticis, fœniculi, & similibus diluto & subinde parva quantitate assumpto. Nam omnis alteratio laudabilis sensim perficienda, non confestim & subitò; adeò ut, quæ prodesse solent, si minori quantitate ac sæpiùs assumantur; nocere observentur, si eadem quantitate simul exhibeantur. Tantùm interest ipsum modum servare in rebus omnibus.

Auctus Gustus qui curandus.

XLII. An, quemadmodum modò diximus Diminutum *Gustum* restitui nonnunquam assumptione Acidorum sed contemperatorum, sic idem *Auctus* obtundi queat quodammodo frequentiore usurpatione *alimentorum subpinguium*, ignoro, quippe qui hoc nondum tentavi, posset tamen id, me judice, circumspectè ac sine periculo tentari. Nam haud improbabile videtur mihi, à pinguibus non tantùm salivam reddi posse aliquantò viscidiorem, ac insuper ab iisdem obtundi posse Linguæ sensum nimis exquisitum, ideoque molestiæ magis subjectum.

Depravatus Gustus qui curetur Saliva acidior curetur Abstinentia ab Acidis.

XLIII. Ad *Depravati Gustus* species varias ritè *curandas* plurima pro Causarum diversitate occurrent agenda. Nam 1. *Saliva acidior*, si à nimio acidorum & quidem puriorum usu vel abusu potiùs habeat ortum, is mutandus, quantùm licet abstinendum ab acidis, non contemperatis saltem. Nam, ne quis fallatur, longè potentiùs in nos agunt pura, licet diversa & contraria, quam eadem inter se mista.

Usu Aciditate temperantium.

XLIV. Non tantùm abstinendum ab Acidis, sed usurpanda prætereà, quæ *Aciditatem vitiosam temperent*, at sensim & paulatim, non confestim, copiave magna simul sumpta; quemadmodum de alterantibus omnibus jam dictum.

XLV. *Temperant* verò *acida* & *Spiritus Volatilis*, & *Oleum*, & *sal lixivum*, *volatile* imprimis & *oleosum*: quorum vires nemo facilè agnoscet, nisi expertus.

Et imprimis spiritu volatili abundantia.

XLVI. Usurpanda imprimis, quæ spiritu volatili abundant, Vinum puta generosum & inter magis medicamentosa, spiritus Vini aromaticus quilibet, cum aliis tamen Aquis aromaticis & convenientibus Syrupis mistus. Exempli gratia.

Mistura.

℞. *Aq. Majoranæ, vel*
Fœnicali, ℥ ii.
Vitæ Mathioli, vel
Antapoplecticæ, vel
Antiparalyticæ, ℥ ß.
Syr. ftechad. M.

Usus.

XLVII. Talia autem spiritu volatili prædita per vices ac minori quantitate assumenda sunt, quò sensim emendent vitia quoque interna.

Salina salsa curatur.

XLVIII. Ubi *Salsa* existit *Saliva* (tum enim serum quoque salsum existere non dubito) præter jam memorata Acidæ salivæ conducentia, addenda insuper, quæ in specie salsis humoribus prodesse nos docuit Experientia, pilulæ scilicet de cynoglossa, vel styrace dictæ, gummi tragacanthum, mastiche, thus masculum, & similia plura: quæ itidem parva sunt exhibenda quantitate, ac sæpiùs, quo sensim emendent ac corrigant tum humores jam peccantes, tum humores producendos & itidem alias peccaturos.

Et evacuantibus.

XLIX. Quòd *si redundet simul in sanguine serum salsum*, minuendum id erit per hydragoga dicta medicamenta, sæpiùs memorata, subinde & quidem quantitate mediocri exhibenda.

Bilis elevata qui curetur.

L. *Bilis* potentiùs ad Os elevatur ob sui volatilitatem auctam à copiosiore spiritu volatili ipsi admixto pendentem; quapropter abstinendum tunc à Vino valdè generoso, ac spirituoso, & imprimis ab omni Spiritu Vini, tam simplici, quàm aromatico;

tico; quin tunc utile erit usurpare Vinum minùs potens, atque ad aciditatem mediocrem vergens, Mosellanum putà & Rhenanum.

Bilis Amaritudo quibus temperetur.

LI. Ejusdem *Bilis excellens amaritudo temperabitur* Medicamentis *aciditate* præditus, quorum ope sal ejus volatile magis reprimetur & paularim emendabitur. Talia sunt spiritus acidi omnes, quamvis cæteris præferam illum, qui ex *Alumine* paratur, & tum blandior existit, tum aliquid *Austeritatis* habet.

Ejus copia minuenda Emeticis, & Cholagogis.

LII. Quòd si non tantùm volatilitate, at insuper *copia peccaverit* eadem *Bilis*, educenda est & in assuetis quidem, aut nauteabundis, vel vomiturientibus per *Emetica*, ex Antimonio præsertim parata, & non semel jam à me proposita: per *Cholagoga* verò & Bilem deorsùm expellentia, Rhabarbarum, Tamarindos & similia, in iis, qui difficulter vomunt aut non nisi cum periculo vitæ aut affectus gravioris vomitionem ferre possunt; quod imprimis caveri volunt in plerisque Pectoris morbis; quamvis præter multorum Opinionem nonnulli Phthisi, ac plerique Asthmate laborantes non tantùm non malè, quin benè habeant à Vomitoriis, quod per Experientiam edoctus assevero.

Succus Pancreaticus Aciditate volatili peccans corrigitur Sale Volatili Oleoso.

LIII. *Succus Pancreaticus Aciditate Volatili* peccans curabitur præsertim *Sale Volatili Oleoso*; nam propter communem volatilitatem faciliùs invicem adunabuntur, à sale autem lixivio infrigetur nimia Aciditas, quæ ab oleo similiter obtundetur. Conducunt igitur in hoc & similibus Casibus omnibus à Succo Pancreatico Acidiore pendentibus Aromatica omnia quovis modo Ægris acceptiore usurpata.

Ejus copia minuenda Hydragogis, Sudoriferis & Diureticis.

LVI. *Idem Succus*, si *copiosius* deprehendatur ad Intestina ferti, post sufficientem ipsius Acrimoniæ contemperationem præmissam, *minuetur* per *Hydragoga* dicta Medicamenta, de quibus egimus alibi; Ut & per Sudorifera, & Diuretica Sale Volatili Oleoso constantia.

Eadem salsa qui corrigatur.

LV. Quòd si aliqua occurrant signa, ex quibus *Ipsum salsedine* quoque laborare liceat conjicere, ut si, qui sursùm eructantur aut evomuntur humores, salsi gustentur, atque interim nullum signum adsit, ex quo colligere liceat, eos tales à Capite in Ventriculum priùs descendisse, convenient illa, quæ § 48. hujus capitis in Salsæ Salivæ curatione docui usurpanda.

LVI. *Idem Succus Salsus copia simul redundans* curabitur Hydragogis, quemadmodum de Saliva dictum §. 49. & modò §. 54.

Pituita Intestinorum vitiata qui curetur.

LVII. Cùm *Pituita Intestinorum* tum *Salivæ* naturam æmuletur, tum à *Succo Pancreatico* vitioso vitietur, ab horum cura illius pendebit Curatio.

Ut & humores mixti.

LVIII. Humores mixti ex prædictis in tenui Intestino confluentibus orti, prout magis de uno vel altero participant & ideò varii existunt, Curandi methodum variam exigunt.

Humores & Halitus Austeri quibus corrigantur.

LIX. In specie *Humores* ut & *Halitus Austeri* omni Sali Volatili cedunt, & maximè illi, qui ex *Sale Aromatico* paratur, & Ejusdem *spiritus* nomine venit. Unde tàm excellens est Ipsius in dicta suffocatione Uterina Usus & Effectus; si ad guttas 3. 4. 5. vel 6. (prout purior & potentior est, aut debilior & dilutior) exhibeatur sæpiùs ex cochleari Vini, Cerevisiæ, alicujusve Mixturæ eidem malo appropriatæ.

Quibus Dulcedo Nauseosa.

LX. *Dulcedinem* humorum *nauseosam* corrigent imprimis *Acida* & subinde *Amara*, ut & Acido-Salsa, Tartarum Vitriolatum, Elixir proprietatis, &c.

Quibus Pituita à Cerebro descendens Acida vel Salsa.

LXI. *Pituita à Cerebro* ad Palatum descendens *Acida* vel *Salsa* temperabitur ac educetur Medicamentis jam propositis: Et quoties licet, derivabitur quoque ad Nares per errhina & sternutatoria.

Pituita in Pulmonibus qui curetur.

LXII. *Pituita in Pulmonibus* reperta tum Alterantibus, tum Expectorantibus indiget: Crassior quidem incidentibus; Salsa vero & tenuis incrassantibus corrigitur.

Delehoe Opera.

Qui Sanguis ad Os delatus.

LXIII. *Sanguis* undecunque ad Os delatus & Gustum depravans indicat Vasis aperti consolidationem, de qua egimus alibi: Sapor verò eluetur ex Ore collutione ipsius cum Vino, Aceto, Aqua & similibus.

Ut & Pus & Sanies.

LXIV. *Puri & Saniei* deductio ad Os, Affectus à quo procedunt Curationem necessariam arguunt, mox & Oris mundationem modò dictam.

Atque etiã Halitus à Ventriculo & Intestino. Nec non è Pectore manentes.

LXV. *Halitus à Ventriculo & Intest. no tenui* assurgentes, atque Gustum vitiantes discuti debent, ac nova Ipsorum productio impediri.

LXVI. *Acidi* quidem Sale Volatili quocunque, oleoso præsertim, discutientur; *Nidorosi* verò ac de Bile participantes spiritu Nitri; à quo flatus quoque viscidi Colicum dolorem producentes potenter dissipabuntur, ac imprimis, quando cum Aquis Aromaticis & Opio permiscetur.

Et ex Faucium Nariumque ulceribus & Carie orti.

LXVII. *Halitus è Pectore* manentes corrigi possunt quodammodò per Aromatica, illorum tum odorem, tum saporem ingratum obliterantia, tum noxam emendantia; in totum autem curari non possunt & tolli, nisi sublato Affectu primario, à quo habent illi suum ortum.

LXVIII. Idem planè statuendum de *halitus* molestis ex *Faucium*, *Nariumve Ulceribus & Carie* originem trahentibus.

CAPUT XI.

De Tactus Læsionibus.

Tactus Objectum proprium.

I. T*Actus proprium Objectum* censeo *Duritiem*, à Rerum continuarum soliditate ac Inflexilitate pendentem; Cui opposita *Mollities* Rerum Continuarum flexilitati, aut extremæ Discretarum exiguitati debetur. Sic Dura sunt Lapides, Metalla, Ligna, Arena, Glacies, &c. Mollia verò Lanæ, Folia, Pollines, Farinæ, Olea, Aquæ, Spiritus, &c.

Quot modis lædatur Tactus.

II. Hic Tactus sensus *læditur*, quoties aut in totum *aboletur*, aut ex parte *minuitur*, aut quodammodo *augetur*, aut modis variis *depravatur*.

Aboliti & diminuti causa.

III. In totum *aboletur* rariùs *in toto*, *sæpiùs in quibusdam duntaxat corporis partibus*, imprimis *Sensorii* culpa, aliquando *Spirituum Animalium*, *Nervorum*, aut *Cerebri* vitio, in gravissimis putà morbis, Epilepsia, Apoplexia, aliisque soporosis Affectibus; Quibus existentibus levioribus *Minuitur* tantùm idem Tactus, adeò ut tunc potentiùs agentia objecta sentiant duntaxat Ægri, non item mediocriter aut leviùs sensum afficientia.

Sensorium læsum.

IV. *Sensorium* læditur præsertim ab *Aquæ humiditate ac frigore*. Hinc non raro à Pluvia cum frigore juncta partes madefactæ non tantùm in Paralysin, at insuper in Tactus abolitionem aut Diminutionem incidunt.

Spirituum Animalium Vitium.

V. *Spirituum Animalium* vitio abolebitur, Diminueturve Tactus, quoties conturbati sunt à *causa quacunque*, aut *Torpidi* existunt, vel à *Narcoticis* usurpatis, vel ab *intenso Aeris frigore*. quamvis ab externo frigore simul affectum fit tunc ipsum sensorium.

Nervi læsi.

VI. *Nervorum* culpa Abolebitur, Diminuetur saltem Tactus, quoties illi *Dissecti* sunt, *Compressi* saltem, aut aliàs *ita affecti*, ut transitus nullus, aut parcus tantùm concedatur per ipsos spiritibus Animalibus ad Tactus sensoria.

Cerebrum vitiatum.

VII. *Cerebri* culpa vel Abolebitur, vel Diminuetur Tactus, quando ejus vitio *sufficiens Spirituum Animalium copia non producitur*, vel ad *singulos Nervos non propellitur*.

Auctus Tactus quis.

VIII. *Auctus* videtur mihi *Tactus*, quando non nisi cum molestia aut dolore objecta externa non tantùm acuta, vel inæqualia, & aspera, sed & politam æqualemque duritiem habentia, quin aliquando mollissima objecta tangi possunt aut contrecta-

ri: Quod non tantum in partibus ac *sensoriis tensis*, *inflammatis*, *excoriatis*, aut *aliàs dolentibus* fieri observatur, verùm in Delicatioribus quoque, ac *Cutim teneriorem* habentibus nonnunquam contingit; unde vix alicujus rei tantillùm asperæ contactum ferre possunt, quin mox de molestia tunc sibi sensatione conquerantur.

Depravatus quis. IX. *Depravatus* censetur mihi *Tactus*, quoties aliter judicatur quoad Duritiem affectum objectum externum, ac reverà est affectum; quaprópter malè huc refertur à plerisque *Dolor*, in quo plerunque ritè Judicat Tactus de Objecti Duritie, Acumine, Asperitate, &c. quamvis nil impediat, cum Depravato Tacto conjungi Dolorem, aut parti jam dolenti accidere, ut idcircò perperam judicet de Objecti tunc oblati Duritie.

Ejus causa. X. *Depravatur* autem *Tactus* propter *aliud internum externumve objectum Tactum jam afficiens*, ac *novi objecti qualitati tactili se ita immiscens*, ut falsum de ipsa fiat judicium. Unde non mirum, si dolore affectum sensorium sinistrè ac perperam judicet de omni alio objecto, etiam minimè duro, ipsi tunc oblato.

XI. Quemadmodum enim in Sensorio teneriore atque Tactu idcircò aucto, idest, non nisi cum molestia objecta mediocriter dura ferente, duriora, asperiora, acutiora putantur objecta, quàm reverà sunt; ita in eodem graviùs adhuc affecto ac dolente, ad objecti saltem mediocriter duri contactum dolorem patiente, de objecti duritie judicium fit magis adhuc iniquum, dum longè durius putatur aut fingitur esse, quàm actu existit.

Abolitus & Diminutus Tactus qui curetur. XII. *Curabitur Abolitus*, *Diminutusve Tactus* Gravissimis *Affectibus Soporosis*, ut & *Apoplexiæ* ac *Epilepsiæ* junctus, illis curatis.

Quando est à pluvia. XIII. Curabitur *idem à Pluvia cum frigore copulata* ortus, consumendo humiditatem illam uni pluribusve partibus impactam per sudorifera tum interna, tum externa, non neglectis linimentis, & quandoque Emplastis idem efficientibus atque naturalem partibus temperiem restituentibus.

Per sudorifera interna. XIV. *Sudorifera interna* sunto Aromatica, & attenuantia; Carduus benedictus, Cent. minus, Scordium, Fœniculum, Enula Campana, Lignum Guajacinum, Quernum Sassafras, Juniperinum, &c. Ex quibus & decocta parari possunt, & Electuaria, & pulveres, & alia. Huc Pertinent Aquæ theriacales dictæ ac similes.

Externa. XV. Inter *Externa sudorifera* sunt Balnea Aquæ dulcis, stuphæ siccæ, aut cum Vini spiritu, aliove liquore conveniente paratæ.

Per Linimenta. XVI. *Illiniri* possunt parti affectæ non tantùm *Olea* & *Unguenta* Aromatica, sed *Spiritus Vini* quoque tum simplex, tum Aromaticus, Aqua putà Theriacalis, Antiparalytica, Antapoplectica, &c.

Quando est à Spiritibus Animalibus agitatis. XVII. *Curabitur idem Tactus ob spiritus animales potentiùs conturbatos agitatosque Abolitus*, *Diminutus* saltem, pacando eosdem atque ad quietem, tranquillitatemque reducendo, tum per discursus acceptos, ac interdum per Musicam ex arte institutam, tum per Anodyna, & quandoque Narcotica Medicamenta, tum externa, tum interna, sæpiùs proposita.

Aut Torpidioribus. XVIII. *Idem Affectus ob eosdem spiritus torpidiores* curabitur tam externis, naribus admotis, Spiritu Salis Armoniaci, Castoreo, &c. ut & frictionibus, ligaturis, motu corporis coacto, &c. quàm internis acrioribus, imprimis eodem Spiritu Salis Armoniaci, ex spiritu vini Aromatico exhibitis.

Quando est à Nervis læsis. XIX. *Dissecti Nervi* curari nequeunt, ut nec inde Abolitus Tactus.

XX. *Compressi Nervi* restituentur, cum læso inde Tactu, sublata compressionis causa quacunque.

Quando est à Cerebri vitio. XXI. *Cerebri vitium* Spirituum Animalium generationi, aut Motui officiens tollendum, quò vel generentur vel moveantur sufficienter ad Tactus Organa Spiritus.

Tactus Auctus quicuretur. XXII. *Auctus ob sensorii teneritudinem Tactus* non nisi sensim, laboribus sensorium ipsum callositate quodammodò obducendo, aut cuivis objecto non nimis aspero assuefaciendo, emendabitur & obdurabitur.

Quando est à Sensorii teneritudine Vel præternaturali ejus constitutione. XXIII. *Auctus* autem *ob præternaturalem sensorii dolentis constitutionem Tactus curabitur* sublato dicto affectu & Doloris Causa; quæ prout varia esse potest ac solet, ita modis variis curari debet.

Tactus depravatus qui curetur. XXIV. *Depravatus Tactus Curabitur*, remoto vel ipso objecto interno, externove Sensorium occupante, vel molestia ab ipso in Sensorium introducta. Quæ cùm varia esse possint, pro singulorum diversitate Curatio instituenda erit diversimodè.

CAPUT XII.

De Sensus Caloris Læsionibus.

Caloris Sensus quis. I. C*Aloris Sensum* illum voco, cujus proprium Objectum est *Calor*, hujusque oppositum *Frigus*.

Quot modis lædatur. II. Illum itidem lædi contingit, quando vel *aboletur*, *diminuitur* saltem, vel *augetur*, vel *depravatur*.

Abolitus. III. *Aboletur* quando nec Calor, nec Frigus, etiam Urens sentitur, quod in gravi Epilepsia, & in quibusdam gravioris Soporis speciebus accidere docet Experientia.

Ejus Causa. Sensorium affectum. IV. Hujus *Abolitionis Causam* vix in *Sensorio*, nisi *Gangræna vel Sphacelo* affecto, idest demortuo, puto quærendam vel inveniendam.

Nervus læsus. V. Sæpiùs judico *in Nervo discisso*, vel aliàs *ita graviter affecto*, *ut Spiritus ad partem deferri nequeant* hujus Aboliti Sensus Causam existere.

Spiritus Animales vitiati. VI. Non infrequenter *ab Ipsis Animalibus Spiritibus ita conturbatis*, *aut torpentibus*, ut itidem ad Sensoria non deferantur, aboleri hunc Caloris sensum censeo: & imprimis in gravissima Epilepsia & Caro forsan extremè urgente ac ideò lethali.

Cerebrum malè affectum. VII. Ex *Ipsius Cerebri Conquassatione*, *aliave gravi læsione* sensum quoque Caloris quodammodo *aboleri* posse, evincit Experientia in Apoplexia.

Caloris Sensus Diminutus. VIII. Ab *iisdem Causis*, sed levioribus *Diminui* solet idem *Caloris Sensus*: cujus Causam in Sensorio malè affecto aliquando existere puto, Ex. gr. à Callo.

Auctus. IX. *Augetur* idem *Caloris Sensus*, quoties tenerius existit sensorium, adeò ut ad minimum calorem, aut frigus externum, ægrè habeant tales: quod non infrequens.

X. Puto tamen in nonnullis concurrere *humores ad externum Calorem aut frigus aliquantò immoderatiora agitatos*, *atque* eundem nunc Coloris nunc Frigoris Sensum augentes.

Depravatus XI. *Depravatur idem* nunc *Caloris*, nunc *Frigoris Sensoris*, & quidem frequentissimè in *Febribus*, hunc inprimis Sensum molestantibus, à Calore aut Frigore in Corpore ipso excitato, & sensorium ita afficiente, ut pravum de externo Calore aut Frigore instituatur plerunque Judicium, dum modò Calida, tepida saltem putantur, quæ actu sunt frigida, aut vice-versa frigida, quæ actu sunt Calida vel tepida.

XII. Hujus præternaturalis Caloris aut Frigoris in Corpore concitati Causas videre est in tractatu de Febribus.

Abolitus Caloris Sensus qui curetur. XIII. *Abolitus Caloris Sensus propter sensorii corruptionem* & gangrænam non *curatur*, nisi sublata ejus causa. In quantum proinde ipsa Corruptio

ruptio partis & gangræna curari poteſt, in tantùm Caloris ſenſus abolitus reſtitui poterit: de qua re agendum in Chirurgia.

Quando eſt à Senſorio affecto.

XIV. *Abolitum eundem ſenſum ob nervum diſciſſum arbitror incurabilem*: quamvis raró, aut nunquam forſam unus duntaxat nervus deferatur ab eadem partem Caloris ſenſum ipſi largiturus: unde licet unus & alter abſcindatur nervus, & hactenus quidem abolitus permaneat in ſenſorio Caloris ſenſus, ob cæteros tamen nervos ſuperſtites, & aliquando reſectis connexos, aliquis quoque in ipſo permanet ac conſervatur ſenſus, ſed diminutus & ſtupidior.

Quando eſt à Nervo læſo.

XV. *Abolitum* autem *ob aliam Nervi curabilem affectionem Caloris ſenſum* reſtitui cenſeo, quando reſtituitur in integrum Nervus, ſive compreſſus fuerit, ſive aliàs ita affectus, ut Spiritibus animalibus tranſitum deneget.

Quando eſt à Spiritibus Animalibus vitiatis.

XVI. *Ob conturbatos, perperam agitatos in gravi Epilepſia ſpiritus animales Abolitus Caloris ſenſus* ſenſim reſtituitur ceſſante paroxyſmo; quod itidem de Caro dicendum, ſi nquam in ipſo abolitus deprehendatur Caloris ſenſus.

Quando eſt à cerebro malè affecto.

XVII. Idem omninò dicendum *de gravi Cerebri Conquaſſatione aut læſione abolitum Caloris ſenſum* comitem habente; illa namque curata, quodammodò ſaltem diminuta, ſenſim redire obſervatur idem ſenſus.

Diminutus qui curetur

XVIII. Quemadmodum ab iiſdem, ſed levioribus cauſis *diminui ſolet Caloris ſenſus*, ita citiùs & faciliùs tunc reſtituitur.

Ut & Auctus.

XXIX. Vix *Auctum Caloris ſenſum* ad *mediocritatem redigi poſſe* puto niſi *longa conſuetudine*: qua videmus quotidie homines aſſueſcere objectis etiam per ſe cuivis moleſtis.

XX. Quòd ſi *ab objectis externis Calorem aut Frigus ea commotis tunc in Corpore humoribus produci* obſervemur, opus erit medicamentis uti, quæ illum præternaturalem noxiumque humorum motum compeſcant, obortum ſaltem ab Ipſis Calorem aut Frigus corrigant; de quibus actum in diſſertatione de Febribus & alibi.

Necnon Depravatus.

XXI. *Depravatus Caloris Senſus* cùm à *Calore aut Frigore febrili* utplurimùm pendeat, illo ex arte correcto ac ſublato, ſponte ad integritatem priſtinam revertetur,

CAPUT XIII,

De Somni & Vigiliæ Læſionibus,

Somnus & Vigilia Affectio. Senſuum externorum.

I. NOn *Senſuum Internorum*, non *Animalis Motus*, ſed *Senſuum Externorum* Affectionem *Somnum ac Vigiliam* eſſe, inde patere putamus, quod illi permaneant, permanere ſaltem poſſint durante Somno; non item Senſus exteroi, quibus operantibus vel ad opus paratis Vigilias præſtò eſt; adeò ut *durante vigilia operentur Senſus externi, feriantur verò durante Somno*.

Somnis finis.

II. Quoniam verò multi ſpiritus animales conſumuntur Senſuum Externorum operatione attenta & diu continuata, illudque damnum non parùm debilitare ſolet homioes; idcircò ferias conceſſit iiſdem Deus, Somnum; quò tunc iterum accumulari queant novi ſpiritus, novo Senſuum externorum exercitio ubi evigilarunt, ſervituri.

Quot modis peccet.

III. *Somnus* autem ad virium recuperationem homini conceſſus variis modis peccare ſolet, dum 1. *nullus*, obvenit, in *vigiliis perpetuis*: 2. *brevior* exiſtit aut *levior*. 3. *longior*, vel *gravior & profundas* contingit. 4. *cum inſomniis* conjunctus eſt, iiſque aut *gratis* aut *ingratis & moleſtis*.

Perpetua Vigilia.

IV. *Perpetuæ Vigiliæ* urgere ſolent in variis Affectibus, ac præſertim *Doloribus atrociſſimis*, *Febribuſque* quibuſdam, ut & in *magnis animi ſolicitudinibus & curis anxiis*; & quandoque *in nimia corporis defatigatione & inquiete*; quæ omni iſtarum Vigiliarum cauſæ ſolent exiſtere.

Somnus brevior.

V. *Somnus brevior* fit *ob eaſdem cauſas*, *ſed leviores*.

& levior,

VI. *Somnus levior ab iiſdem cauſis* pendere poteſt, atque *extra morbos à ſenſuum externorum uno, vel pluribus* propter ſenſorii teneritudinem *auctis*, unde à minimo objecto excitantur è ſomno ſenſus.

Longior,

XII. *Somnus longior in ſtatu naturali* conſequi ſolet tum *Animum curis vacuum*, tum *Corpus exercitio* blando & moderato mediocriter *defatigatum*, tum *Alimenta ſomnum promoventia* copioſius aſſumpta, tum *Conſuetudinem* &c. in *ſtatu præternaturali* verò *humores pituitoſos* in corpore auctos & caput petentes; quandoque *Alimenta vi narcotica prædita* copioſiùs uſurpata, *Vinum* præſertim & *alios potu inebriantes*.

Profundior,

VIII. *Somnus profundior* pro cauſa agnoſcit *Vim Narcoticam*, vel *in corpore ex humoribus vitiatis excitatam*, vel *forinſecus advenientem*, ac *intro aſſumptam*, aut *externe admotam*.

Inſomnia,

IX. *Inſomnia* utplurimùm conſequuntur *Mentem cogitationum gratarum*, vel *ingratarum vexantiumve plenam*, aliquando *Corporis valetudinem adverſam*, dum excitatis in ſomno profundiore *doloribus* vel *anguſtiis* ipſa inde angitor Anima, quæ in Somno nihilominus perſeverans miras & deliras ferè concluſiones inde elicir: Quod ſi *Cogitationes nunc gratæ, nunc ingratæ ægrum hominem inſuper corripiant*, ſomnia quoque orientur inde multifaria.

X. Singulas Somni profundioris aut Depravati ſpecies hic enarrare longius foret; quare ſufficiet impræſentiarum ſumma illius capita attigiſſe, & Curationis fontes aperuiſſe; unde reliqua patebunt facilè.

Vigilia nimia quì curentur.

XI. *Curabuntur* autem *Vigiliæ nimiæ* ſublatis, delinitis ſaltem Doloribus, curatis febribus, remotis Animi curis, quiete corpori conceſſa, & uſurpatis in eundem finem anodynis, & quandoque narcoticis: de quibus omnibus alibi actum.

Ut & Somnus brevior & levior

XII. *Somni brevioris, ac levioris Cura* ex modò dictis patet.

Nec non Longior.

XIII. *Somnus longior & protractus minuetur*, occupando Mentem utilibus ac feriis negotiis; exercendo corpus aliquanto magis; uſurpando alimenta ſomno promovendo minùs apta; aſſuefaciendo pigrum hominem ſurrectioni maturiori; corrigendo, evacuandoque humores pituitoſos; vitando, minuendo ſaltem potus inebriantes ac ſomnum augentes.

Atque etiã profundior,

XIV. *Somnus profundior curabitur*, corrigendo in corpore humores narcoſin parientes, tum per acida, tum per aromatica, tum ſeorſim, tum aliquando ſimul uſurpata, vitando externam narcoticorum applicationem, ac imprimis ipſorum aſſumptionem, corrigendo inſuper per præfata ipſorum uſurpationem noxam.

XV. *Sanis Somnis dediti* moderentur Cogitationes intenſas rerum quarumvis, ac minuant imprimis ſomnum.

XVI. *Valetudinarii* præter jam dicta uſurpent medicamenta humores in corpore noxios emendantia & educentia.

CAPUT XIV,

De Imaginationis Læſionibus,

Imaginationis munus. Notiones prima & ſecunda quænam.

I. CUm Imaginationis munus ſit, *Primas & Secundas* formare *Notiones*: Illæ quidem ſunt rerum ſenſilium ſecundùm qualitates ſenſiles tum proprias tum communes externis ſenſibus exceptarum, & quidem quatenus excepta ſunt, ſimulacra; Hæ verò novæ ex circunſtantiis, ſecundùm

quas inter se aut convenire, aut differre comperiuntur plures Primæ inter se collatæ Notiones per solam solius Mentis operationem productæ.

Earum diversitates, II. Ubi notandum, *Convenientiæ Notiones Secundas* Primis proximas *Speciei infimæ*, remotissimas *Generis Summi*, Intermedias inferiorum respectu, *Generis*, superiorum *speciei*, sed *subalterni* nomine vulgò venire: *Discrepantiæ* autem *Notiones* itidem *secundas* Primis proxima *Differentiæ Individualis*, remociores *Differentiæ specificæ aut Genericæ* nomenclatura insigniri: quemadmodum ipsa *objecta*, eorundemque *Notiones primæ*, *Individua* vocantur, ut & hæc ipsa, *Singularia*. Notiones verò secundæ communes omnes, *Universalia* dicuntur.

Imaginatio quotmodis lædatur secundùm primas notiones, III. *Læditur* autem *secundùm Primas Notiones Imaginatio*, quando vel *aliquid omittitur aut præteritur, quod in rebus ipsis existit*; vel *aliquid illis affingitur, quod in rebus ipsis non occurrit*, & quidem ratione qualitatum sensilium vel propriarum, vel communium.

Omissio alicujus circumstantiæ. Examinando res ex parte. IV. *Præteritur aliqua circumstantia* in rebus ipsis existens, quando *illæ non examinantur* ex omni parte, aut *non accurate*, aut *non distinctè*: at ex parte duntaxat, vel perfunctoriè, vel confusè.

V. *Ex parte duntaxat examinari possunt* Sensibus externis *Objecta extra hominis arbitrium, quoad ipsum sensum, posita*; unde undique considerari ab ipso nequeunt.

Vel perfunctoriè. VI. *Perfunctoriè ac minùs accuratè* considerantur, examinanturque *objecta remotiora, nimiumve agitata, aut subtiliora.*

Vel confusè. VII. *Confuse, minùsque distinctè* considerantur *objecta* tum *valde agitata*, tum *partes multum intricatas habentia, minusve*, ubi hoc requiritur, *illustrata.*

Affictio alicujus, quod non adest. VIII. *Aliquid affingitur Notionibus primis quod rebus ipsis abfuit*, quando aliquid ex præjudicio ipsis tribuitur præter aut ultra sensus externi (quo tamen solo menti innotescunt) testimonium.

Quot modis lædatur secundùm secundas Notiones. IX. *Læditur secundum secundas Notiones Imaginatio* necessariò, quoties *vitiosæ* sunt *Notiones primæ*; ut & quoties *non exactè conferuntur ac expenduntur qua parte inter se conveniant, aut differunt* eædem Notiones primæ: unde minùs accuratas & ipsis rebus convenientes fingi oportet Notiones secundas,

Imaginationis læsæ curatio. X. Cùm *Imaginatio*, sive Notiorum tum primarum, tum secundarum formatio *si purum putam Animæ sive Mentis*, nullo autem modo ipsius Corporis *opus*; mirum videri debet nulli, *si ejus vitia non curatur corporeis*, at *intellectualibus* & à ratione sana petitis *auxiliis*.

Circa primas Notiones. XI. Corrigetur proinde ac prævenietur primum Imaginationis circa primas Notiones vitium in unius pluriumve circumstantiarum rebus ipsis præsentium omissione, instituendo exactam omninm qualitatum sensilium & propriarum, & communium observationem; mox & considerando idem objectum, quoties licet, ex omni parte; denique expendendo omnes, ac singulas ipsius partes, partiumque particulas, & in singulis omnes, singulasque qualitatum propriarum & communium diversitates.

XII. Corrigetur secundùm Imaginationis circa primas notiones vitium in unius, pluriumve qualitatum sensilium propriarum, vel communium in rebus ipsis non observatarum figmento & falsa attributione: nihil concedendo aut tribuendo rei quod revera sensu externo in ipsa non fuit deprehensum.

Circa secundas Notiones. XIII. Corrigetur primum Imaginationis circa Notiones secundas vitium, è primarum Notionum vitio pendens, illud ipsum, uti jam dictum, corrigendo ac emendando.

XIV. Corrigetur secundum Imaginationis circa secundas Notiones vitium ex minus exacta qualitatum singularum sensilium tum propriarum, tum communium cum similibus collatione ac expensione ortum: instituendo exactam & accuratam singularum qualitatum prædictarum in variis objectis observatarum cum sui similibus comparationem, mox & convenientiæ ac discrepantiæ æquum judicium.

XV. Quò supradicta omnia fiant clariora, libet Qualitates sensiles tum proprias, tum communes secundùm sua capita enumerare. *Visui* ergo *propriæ* sunt *Colores*, unà cum *Luce sive Lumine*, ac *Pelluciditate*, ipsiusque oppositis *Tenebris*, ac *Opacitate*; *Auditui* vero *Soni*: *Olfactui Odores*; *Gustui Sapores*: *Tactui Duritiei* cum *Mollitie*: *Caloris Sensui Calor & Frigus* multiplex. *Qualitates sensiles propria.*

XVI. Pluribus Sensibus *Communes Qualitates sensiles* sunt 1. *Numerus*, 2. *Contiguitas*, *vel Distantia*. 3. *Locus*, *sive Situs*. 4. *Motus & Quies*. 5. *Tempus*, *existentiæ*, *mutationumque durationem determinans*, 6. *Magnitudo sive Moles*. 7. *Continuitas sive Connexio*. 8. *Consistentia & Fluiditas*. 9. *Rigiditas*, *& Flexilitas*. 10 *Soliditas & Cavernositas*. 11. *Figura multifaria*. 12. *Liquiditas & Glutinositas*. 13. *Flatulentia*, quò Vapores, Fumi, Halitus, &c. referendi. *Communes.*

CAPUT XV.

De Ingenii, sive Ratiocinationis Læsionibus.

I. MEns humana in rerum Externis Sensibus perceptarum observatione, hinc & Notionum primarum secundarumque formatione non acquiescit, quin mox & Convenientiæ & Diversitatis secundùm qualitates sensiles tàm proprias quàm communes in ipsis notatarum causas & rationes cognoscere satagit; quod Ingenii sui viribus, hoc est, *Ratiocinatione*, sive discursu elicere conatur. *Ratiocinatione quid peragatur.*

II. Nam ubi Anima considerat 1. *Numerum*, *sive Multitudinem* objectorum sensibilium, atque insuper plurium *Molem insignem sive Magnitudinem*, mox inde *Materiæ* tàm multa, & ab invicem distincta, & non rarò tàm magna objecta constituentis *Copiam notabilem* arguit. *Arguitur 1. Materiæ Copia.*

III. Ubi verò 2. *Diversitatem notabilem in iisdem objectis* tam multis considerat eadem Anima, & quidem non tantùm in *Magnitudine*, at insuper in *Figura*, *indies* præsertim *mutabili*, aliisque qualitatibus sensilibus propriis, *Colore*, *Odore*, &c. *concludit* mox eadem anima *non unam & uniformem, at diversam & diversiformem esse illam Materiam*, ex qua tàm multa & tàm diversa constituuntur objecta. *2. Diversitas.*

IV. Ubi rursus 3. *Mutationem non tantùm in Figura externa, verùm insuper in Loco integrorum Objectorum, vel Situ partium variarum, ejusdem Objecti* contingere observat, expenditque Anima, & *Tota Objecta, & plures ejusdem Objecti partes moveri elicit* eadem. *3. Motus & quies.*

V. Ubi iterum 4. *ad Objectorum integrorum loco suo motorum & concurrentium allisum* non rarò eorundem *Figuras mutari* observat Mens; *quæ in Figura sua mutantur aut mutata sunt, aliquid pati aut passa esse, quæ verò immutata permanserunt, aliquid egisse concludit eadem*; & quemadmodum hæc *Agentis*, sic & illa *Patientis* nomine indigitat, *4. Actio & Passio.*

VI Ubi verò *utraque mutationem aliquam subiisse* observat Mens, *in utrisque & Agentia & Patientia* agnoscit.

VII. Ubi autem 5. *Objectum unum idemque citra alterius objecti concursum mutari tamen in Figura, aliisve qualitatibus sensilibus vel propriis, vel communibus* observat Mens; *in uno eodemque Objecto diversas & inter se differentes materias contineri* *5. Diversitas in eodem Objecto.*

arguit,

arguit, à quibus vel agentibus, vel patientibus diversitas observata pendeat, deducaturque.

Mens diversa ad certum numerum redigit

VIII. Postquam verò sic gradatim procedendo Mens humana non tantùm in diversis Objectis, sed etiam non raro in uno eodemque Objecto, Materiam deduxit diversam, cujus diversitatis respectu contingat omnis in rebus sensilibus observabilis Mutatio; meritò *diversas illas materias ad certum, determinatumque numerum, & formam sive modum*, si possibile, *redigere allaborat* eadem Anima.

IX. Sic enim in semetipsa discurrendo differit & ratiocinatur Mens, *Materiæ illæ diversæ*, ex quibus res sensiles omnes constant, *vel definito, certoque numero comprehenduntur, vel innumerabiles existunt ac innumeræ*.

X. *Innumerabiles autem ac innumeras esse materias diversas, ex quibus res constituantur definitæ ac determinatæ, planè absurdum*; oportet proinde *illas certo ac definito contineri numero*.

XI. Cùm ergò *nec una duntaxat* & uniformis esse possit rerùm tàm diversarum *materia*; *nec quoque innumeræ possint admitti materiæ diversæ*; videndum *an binario, an ternario, aliove definito numero constitui ac evinci queant Rerum sensilium omnium Materiæ diversæ*, ex quibus postmodùm elici possint omnes in prædictis rebus contingentes atque observabiles Mutationes, sicque adornari *Rerum Naturalium Scientia*, quæ est alterius loci.

Ratiocinatio quid, & quot partes habeat.

XII. Ut proinde ad nostrum negotium revertamur, *Ratiocinatio*, quæ ingenii Functio est, cùm versetur propriè in rationibus & causis omnium affectionum rebus sensilibus accidentium aut affectarum investigandis & inveniendis, *duas videtur habere partes*, *Investigationem*, atque *Inventionem*.

Investigatio & Inventio.

XIII. *Finis & Scopus Ingenii* est *Inventio Causarum*, *Medium ad finem* illum consequendum est *Investigatio*. quam nisi quis instituerit ritè, mirum non est, si fine suo frustretur; quamvis ne tunc quidem illo semper potiatur, quando labore magno non malè causas investigat, quippe quas non raró celatas cupit ingenio humano, vel non nisi tandem ac suo tempore patere vult Deus, & quidem tunc, quando de inventinne desperat homo.

Quando Ratiocinatio lædatur. Et quot modis.

XIV. *Læsa* judicatur *Ratiocinatio*, quando *perperam instituta* est Causarum vel Rationum *Investigatio*.

1. Ingenii stupiditas. Eaque duplex.

XV. *Læditur* autem Ratiocinatio 1. in hominibus stupidis & *Ingenio hebeti præditis*, ad investigandùm planè ineptis.

XVI. *Hæc stupiditas* quibusdam est *nativa & naturalis*, & ab ipsa nativitate observata; quibusdam *adventitia & præternaturalis*, & non raró quibusdam *Affectibus gravibus*, *Soporosis* præsertim *comes*, aut *succedens*, ut & nonnunquam *immoderato & diuturno Animi mœrori* superveniens.

2. Tarditas. Eaq; duplex Lenitudo.

XVII. Læditur quoque Ratiocinatio 2. in *Tarditate Ingenii*, quæ duobus modis occurrit; Nam observantur quidam, qui *longius tempus* desiderant ad inveniendas quæsitas affectinnum rationes & causas, quas alii *ex temporo* promunt; unde quemadmodum in his laudatur *Ingenii promptitudo*, ita in illis culpatur *Ingenii Lenitudo*.

Crassities.

XVIII. Sed & nbservantur quidam, qui *Affectionum intricatarum & obscuriorum causas & rationes assequi nequeunt, quamvis ad minùs obscuras & arduas pertingant*; dum alii non ita difficulter ad abstrusissima penetrant: Unde quemadmodum in his dicitur vigere *Ingenii Acumen ac subtilitas*, ita illis dicimus contigisse *Ingenium obtusum & crassum*.

3. Hallucinatio, & Cavillatio.

XIX. Læditur adhuc 3. *Ratiocinatio*, quando *Depravatur*, & *falsæ Affectionum rationes eliciuntur ac producuntur pro veris*; quo vitio quamvis omnes forsan homines laborent in multis, aliqui tamen malitiosè id agunt non infrequenter: Unde prius quidem vitium vocari queat *Hallucinatio*, posterius verò *Cavillatio*.

XX. Accidit certè non raró (& cui quæso id non accidit aliquando?) ut quis cespitet, fallatur & hallucinetur in vera Affectionis quæsitæ causa elicienda & proponenda; quòd maximè humanum est: Hoc ubi ex humana infirmitate quis facit, excusationem meretur, meliùsque à Doctoribus se informari patietur & gaudebit.

XXI. Accidit autem itidem non raró (& utinam non accideret id tàm frequenter!) ut aliqui non tantùm ex humana infirmitate hallucinentur in vera quæsitæ Affectinnis causa eruenda, sed insuper malitiosè illam pro vera haberi cupiant, utut ipsam falsam postmodùm agnoscat vel sponte, vel per alios meliùs informata Mens.

Animam corporis mala constitutione impediri in suis functionibus

XXII. Quamvis tam unius, quàm alterius hominis Animam, Mentemque donis excellentioribus donatam putem à Deo; quoniam tamen observamus Soporosis præsertim Affectibus accedere aut succedere non ita infrequenter Ingenii stuporem, non immeritò forsan quis suspicetur, Animam, quædum Corpori est unita ejus indiget opera in suis functinnibus peragendis, ad Corporis, Animalium præcipuà Spirituum, noxas impediri quoque aut turbari in Functinnibus sibi aliàs propriis.

Ingenii Hebetis. Causa Spirituum Animalium Torpor.

XXIII. *Ingenii* proinde *plùs minùsve hebetis Causas corporeas* censemus esse *Spiritus Animales Torpidiores, minùsque agites*, cùm observamus Homines stupidos habere insuper Sensus Externos segniores, Corporisque motum tardiorem, ac esse proniores in somnum, quæ omnia Spirituum Animalium torporem arguunt; quod idem confirmatur Ingeniosorum hominum agilitate, vivacitate, & vigilantia.

Hujus torporis causa.

XXIV. Hujus *Torporis Causas* quærimus in *Pituita viscidiore*, qua tales, ut & *Senes ab ætatem Hebetiores* facti, abundare deprehenduntur, quemadmodùm contrà *Ingeniosi Bile* & quidem *mobiliore ac fluidiore*.

XXV. Prout ergò plus, vel minùs redundat in Corpore Pituita, seu plùs vel minùs viscida, ita Ingenio magis vel minùs hebeti observantur iidem laborare.

Depravata Ratiocinationis causa.

XXVI. *Depravatæ* autem *Ratiocinationis Causæ* videntur esse *Præcipitantia nimia*, ideòque non sufficiens consideratio ac expensio omnium circumstantiarum in re quæsita observabilium: Cui *Præcipitantiæ ac Inadvertentiæ* si conjungitur *Fastus & Inanis gloriæ cupido*, non item candidus unius Veritatis Amor, unà cum *Loquacitate*, tum non tantùm veri-similia, sed falsa quoque pro veris obtruduntur incautis ab hominibus pro Doctis haberi cupientibus, ac per fas, & nefas, hoc est Cavilliando & conviciando, minimè autem Cogitata sua probando & rebus ipsis convenientia demonstrando, auctoritatem atque dominium in alios affectantibus,

Stupidi Ingenii curatio,

XXVII. *Stupiditas Ingenii nativa* vix unquam *curabitur*, *adventitia* non nisi admodum difficulter, ac imprimis Medicamentis Animalium Spirituum torpori medentibus, atque Pituitam viscidam solventibus, emendantibus ac tollentibus; de quibus omnibus actum in superioribus.

XXVIII. Conducet quoque *continuum Ingenii exercitium atque Excitatio conveniens* per alios, quin & *manuductio* circa objecta sensibus proposita & artificiosè examinata; cùm & hic verè fabricando fabricamus.

Depravata Ratiocinatio quiencretur.

XXIX. *Depravata Ratiocinatio curabitur sistendo Præcipitantiam*, & *Advertendo ac Intendendo Animum* rebus examinandis, nec à labore suscepto supersedendo, donec exactè fuerint omnia expensa.

XXX. *Inanem* autem *gloriam qui exuere non pos-*

sunt, tanquam incurabiles sunt aspernandi; ac pro ipsis orandum, ut ad mentem sanam redeant.

CAPUT XVI.

De Rationis sive Judicii Læsionibus.

Judicium quid.

I. *Judicium* est Mentis functio de Ingenii Ratiocinationum soliditate ac bonitate decernens.

Ejus munera.

II. *Duo sunt Rationis sive Judicii munera*. Primum rationes ab Ingenio ratiocinando elicitas *librare atque exactè examinare*: Secundum ex æquo de illarum valore ac soliditate *statuere ac determinare*,

Examinatio quot modis fiat.

III. Examinat Ingenii opera Mens, 1. expendendo an *nihil veri omissum*, *nihil falsi admissum* sit ab Ingenio in notionum Primarum Secundarumve qualitatibus sensilibus tàm propriis, quàm communibus observandis: quod fit collatione instituta cum ipsis rebus, de quibus agitur.

IV. 2. Considerando, an *catenata sint & arctissime cohærentia Ingenii ratiocinia*, an verò dissolutæ scopæ duntaxat.

Decretio,

V. 3. Attendendo, an non *plùs vel minùs aliud sit in Conclusione, quàm erat in Præmissis*.

VI. Ubi autem exactum rigidumque instituit Ratio propriæ vel alienæ Ratiocinationis ingeniosæ examen, si volet, justam & æquam de ipsa feret sententiam,

De quibus fiat.

VII. Quemadmodum non tantùm *in Causas & Rationes Affectionum* in rebus sensibilibus observatarum inquirit humanum Ingenium, verùm insuper in earundem *rerum ad nos aliosque homines relatarum Bonitatem & utilitatem, vel malitiam & noxam*: ita non tantum de *Rationum & Causarum cum Affectionibus ipsis convenientia vel inconvenientia, disconvenientiave*; adeòque *de veritate vel falsitate*, at insuper de *ipsarum rerum bonitate vel malitia*, tum nostri, tum aliorum respectu decernit Judicium.

Quot modis lædatur judicium.

Fatuitas.

VIII *Læditur* autem *Judicium* modis variis, & 1. quidem, quando *nullum* in homine observatur, qui proinde dicitur ac est *Judicii expers, in Fatuitate, Stultitia, &c.*

Judicium debile.

IX. Læditur idem Judicium 2. quando *imbecille ac debile*, ideòque rebus levibus tantùm & facilibus determinandis sufficiens, non item abstrusis & arduis, implicatisve par existit.

Delirium,

X. Læditur quoque Judicium 3. quando *Depravatur* & sinistrum sive iniquum notatur, hoc est, cum re cogitata minimè consentiens, at *delirum* & ab ipsa re planè diversum,

Fatuitas duplex.

XI. *Judicii defectus*, Stultitia, Stoliditas, Fatuitas, vel quovis alio nomine vocatus, quibusdam est nativus, quibusdam gravium morborum, Febrium, Inflammationum, Epilepsiæ, &c. Comes, quibusdam vehementium Animi pathematum, Iræ, Mœroris, ut & Ebrietatis, aut Senii Symptoma.

Nativa,

XII. Ubi *nativus* est *Judicii Defectus*, difficilè videtur decernere, *an*, quod mihi magis probabile videtur, *Corporis aliquam consequatur noxam vix explicabilem, an ipsius Animæ culpa talis sit*.

Adventitia duplex: A Morbo.

XIII. Ubi autem *Ardentibus Febribus, certisve Inflammationibus* accidit *Judicii Defectus*, ac frequentiùs *Delirium*, utique humorum agitatorum Intemperantiæ ac fervori hoc omne vel idcircò tribuendum, quòd ad temperiem reductis humoribus redeat plerumque pristina Judicii serenitas & integritas.

Ab animi affectu.

Judicii diminuti causa.

XIV. Quamvis à *vehementibus Animi Affectibus, atque Temulentia* sæpiùs *Deliret homo*; aliquando tamen etiam ipsi *Deficit Judicium*.

XV. *Eædemat leviores* solent esse *Judicii Diminuti ac imbecillis* Causæ.

Delirii causa.

XVI. *Depravati, Delirantisque Judicii Causam* dixi modò sæpius observari *graves Animi Affectus, Iram, Mœrorem, Gaudium*, & similes ut & *Ebrietatem, ac Inflammationes nonnullas*, aut *Febres, Ardentes* præsertim.

XVII. Accidit quoque *Delirium*, quoties *erratum ab Imaginatione, aut Ingenio*, atque ab horum alterutro vel utroque falsa pro veris subministrata sunt *Judicio minùs accurate singula ponderanti & trutinanti*, sed *præcipiti* in sententia ferenda.

XVIII. Accidit etiam & sæpe Delirium ob *præjudicium & Animum opinione iniqua vel præpostera præoccupatum*, cujus causa necesse est, ut ibidem tale sequatur Judicium, hoc est, iniquum atque à recta ratione aberrans, ideoque delirium.

Judicii vitia qui curanda.

XIX. *Omnia Judicii Vitia*, quatenus à *Corpore Vitiato* dependent, *hujus emendationem* desiderant, ut *curentur*; quandoquidem sponte tunc redintegrari observantur.

XX. Idem omninò dicendum de *Ebrietate*, qua cessante mox, vel pauló post, cessare solent Judicii noxæ qualescunque.

Nativum vitium in morbo gravi correctum.

XXI. Sic *gravissimos Animi Affectus, Iram, Mœrorem*, &c. comitans vel consequens *Judicium vitiosum, iisdem sedatis aut compositis* ad integritatem redire mox aut brevi soler,

XXII. *Nativum Judicii vitium* aliquando in *morbo gravi correctum* quasi ac restitutum testantur Medicorum observationes, atque curato Ægro iterum ipsum corripuisse: unde à corporeo vitio illud extitisse arbitror, cùm illo ex morbo mutato in melius quoque mutatum fuerit, atque eodem ad totius harmoniam corpoream restituto in pejus denuò fuerit.

Judicium ob Sensuum vitium depravatum qui curetur.

XXIII. *Judicium vitiatum ob Sensuum Externorum, Imaginationis, aut Ingenii præcedentia vitia*, eademque à *Judicio non observata* non corrigetur nisi correctis observative illorum vitiis.

Ut & Judicium à præjudiciis vitiatum.

XXIV. Denique *Judicium à præjudiciis vitiatum* rarissimè curatur; cùm admodum difficile sit ac novum, admissa semel ex animo cruere præjudicia, quibus permanentibus pro incurabili habendum hactenus tale Judicium.

CAPUT XVII.

De Memoriæ Læsionibus.

Memoria quid.

I. *Memoria* videtur mihi Sensuum Internorum Operum, Notionum primarum scilic. & secundarum, ut & Ratiocinationum, sive Causarum per Ingenium inventarum, atque Decisionum sive Decretorum à Judicio factorum *Promus-condus*.

Ejus Munera.

II. *Memoriæ* namque *munus* est, 1. *Omnia prædictorum Sensuum Opera admittere vel accipere*. 2. *eadem conservare*. 3. *tandem illa ipsa*, ubi opus, *reponere*.

Ejus virtutes & vitia.

III. Quemadmodum autem *laudatur* 1. *Memoria*, quæ sibi *concredita facilè admittit*; 2. *quæ eadem firmiter retinet*; 3. *quæ ipsa fideliter ac promptè reponit*: Ita è contra *culpatur Memoria* 1. *quæ difficulter aut minimè admittit concredita*; 2. *quæ haud diu conservat admissa, sed eadem mox aut paulò post amittit, in Oblivione ac Memoria Labili*; 3. *quæ infideliter aut quocunque modo mutilata, vel segniùs & cum difficultate reponit admissa* & *conservata*.

Cur difficulter aut non admittas res.

IV. *Difficulter aut minimè admittit* Sensuum Internorum Opera Memoria, ob *Mentem cogitationum multitudine tantùm non pressam & oppressam*, ideoque singulis Memoria mandandis minùs attentam.

V. Non

Cur non satis firmiter retineant. V. *Non satis firmiter retinentur, quin citiùs, tardiùsve excedunt* Memoriæ concredita, ob *Animam oscitanter rariùsve ipsa recolentem*, adeòque *negligentem*.

Cur infideliter reponant. VI. *Infideliter ac quibusdam suis circumstantiis mutilata* repoountur Mentis Opera Memoriæ concredita, tum ob *eadem negligentiùs ac festinanter tantùm à Mente observata*, tum *ob eadem secundùm aliquas duntaxat circumstantias subinde reculta*.

Cur segniùs ac cum difficultate. VII. *Segniùs ac cum difficultate reponit concredita sibi* Memoria ob *neglecta fere loci, temporis, personarum & similium circumstantias*, sine quibus arduum est ipsarum rerum satis meminisse.

Memoriæ felicitas. VIII In quo autem quorundam *Memoriæ prodigiosæ felicitas* coosistat, fateor me hactenus assequi non potuisse.

Memoriæ & Oblivionis causa. IX. Quæ vulgò de *Memoriæ atque Oblivionis Causis à Cerebri humiditate ac siccitate* petitis dicuntur, non mihi satisfaciunt; Neque enim puto soli corpori, sed Animæ præsertim inesse Memoriam; quamvis non negem, dum in corpore degit Aoima, ad Corporeos morbos multùm variare Memoriæ affectiones; magis tamen ad Animæ affectus.

X. Interim non nego, quemadmodum *ad excedentem humoris pituitosi in humano corpore copiam*, Sensus omnes tum Externi, tum Interni non parum læduntur, ita & *Memoriam tunc plurimùm affici*; & quidem quatenus *Animales Spiritus* tunc existunt *minùs puri & mobiles*, minùsque ad animales functiones peragendas apti: quamvis & tunc simul noxium censeam Cerebrum humidius, quippe producendis, parandisve Spiritibus animalibus ineptius.

Ejus curatio. XI. Quoties proinde in *Memoria* quovis modo *læsa* observatur simul *aliquod in Corpore existens vitium*, toties *ante omnia illud erit corrigendum*.

XII. Sublato autem Corporeo vitio, si quod tunc concurrat, emendanda suot enumerata Animæ errata, & assuefacienda ipsa sensim attentiori, eidemque sæpiùs iterandæ operum suorum considerationi atque repositioni; & sic, quantum possibile, curabuntur Memoriæ vitia modò enarrata.

CAPUT XVIII.

De Animi Affectuum Læsionibus.

Affectus Animi unde. I. QUemadmodum ex Veri Falsique consideratione ac cognitione Disciplinæ formantur in Intellectu, ita ex Boni Malique observatione & apprehensione Affectus excitantur io Animo.

Eorum varietas unde. II. Prout autem quæcunque Mentis Objecta vel nobis, vel Aliis Bona vel Mala, & quidem aut Præterita, aut Præsentia, aut Futura censentur à Judicio, ita in Animo nostro varia producuntur pathemata, motus & agitationes.

Cur moderati, cur immoderati. III. *Moderati* sunt hi *Animi Motus*, quoties *justa fuit & æqua in suis decretis Ratio*; *Immoderati* verò & ad extremorum alterutrum inclinantes, quoties *injusta & iniqua, vel sibi, vel aliis tulit Ratio de Objectorum bonitate vel malitia decreta*.

IV. Verùm; ut meæ de Animi Motibus & Affectibus Cogitationes unicuique pateant clariùs, libet hoc negotium repetere altiùs, sed paucis.

Eorum diversitas. V. Varios ergo in eodem homine Affectus pariunt eadem *Objecta pro Bonis vel Malis habita*, & 1. quidem vel *Nobis*, *vel Aliis*, atque his vel nobis *acceptis & gratis*, vel *inaceptis & ingratis*.

VI. 2. Vel *Præsentia*, vel *Absentia*, & quidem aut *Præterita* aut *Futura*.

VII. 3. Vel *Superabilia*, vel *Insuperabilia*.

Septem affectuum sibi contrariorum paria. VIII. Atque secundùm hos respectus varios diversis modis concurrentes *septem Affectuum sibi contrariorum paria* deduxi. Et 1. quidem *Amorem*, vel *Odium*. 2. *Lætitiam*, vel *Tristitiem*. 3. *Spem*, vel *Desperationem*. 3. *Iram*, vel *Metum*. 5. *Clementiam*, vel *Crudelitatem*. 6. *Gratulationem*, vel *Invidentiam*, 7. *Commiserationem*, *vel Insultationem*.

Amor. IX. *Amor* enim est propensio, sive inclinatio, imò unio Animi nostri cum objecto, quod Nobis judicamus bonum.

Odium. X. *Odium* verò est Aversio & abominatio Objecti, quod Nobis judicamus malum.

Lætitia. XI. *Lætitia* est Animi voluptas consequens fruitionem Objecti, quod nobis bonum; vel liberationem ab objecto, quod nobis malum judicavimus.

Tristitia. XII. *Tristitia* contrà est Animi Dolor consequens privationem aut denegatam fruitioneoi Objecti, quod nobis bonum; vel perpessionem Objecti, quod nobis malum æstimaveramus.

XIII Lætitia hæc ac Tristitia spectant quidem propriè *Objectum* utrumque *præsens*; impropriè tamen, ac certo modo *præteritum* quoque, aut *futurum*.

Spes. XIV. *Spes* est Animi Motus alacer ad fruitionem Objecti Nobis boni judicati, sed futuri, quà superabilis, aut ad Liberationem ab Objecto nobis malo judicato, sed itidem futuro ac superabili.

Desperatio. XV. *Desperatio* contrà est Animi Motus anxius ad denegationem Objecti nobis boni judicati, sed futuri & insuperabilis, aut ad perpessionem objecti nobis mali judicati, & itidem futuri ac insuperabilis.

Ira. XVI *Ira* est Motus Animi insurgentis contra Objectum aut bene, aut malè, oostro tamen judicio ioiquè agens, acturumve.

Metus. XVII. *Metus* verò est Motus & consternatio Animi trepidantis ad potentiam & vim Objecti aliquid nobis ingratum & grave agentis vel acturi.

Clementia. XVIII. *Clementia* est Motus Animi remittentis debiliori & delinquenti suum delictum.

Quænam ad eam requirantur. XIX. Ad *Clementiam* enim requiritur 1. *Objectum malum*, & oobis quidem malum, ob delictum erga nos patratum. 2 *Potestas* in nobis puniendi hoc delictum, adeòque vindictam sumeodi de delinquente. 3. *Remissio pœnæ* justæ, & quidem ob infirmitatem aliquam in delinquente observatam, non verò innocentiam.

Crudelitas. XX. *Crudelitas* verò est Motus Animi contra innocentes, tanquam ooxios, sævientis.

Ad eam quænam concurrant. XXI. Ad *Crudelitatem* namque concurrunt 1. *Objectum*, si non planè inooxium, saltem non tam noxium, atque inflictæ pœnæ exstiit gravitas, & hactenus itidem innoxium. 2. *Potestas* in Crudelibus, non minùs, quàm voluntas sæviendi in alios & inoocentes. 3. *Augmentum & Aggravatio pœnæ* aut meritæ, aut pro merita suppositæ.

Gratulatio. XXII. *Gratulatio* est Motus Animi gaudentis alii benè esse, aut desinere ipsi malè esse.

Invidentia. XXIII. *Invidentia* contrà est Motus Animi dolentis alii bene esse, aut desinere ipsi male esse.

Commiseratio. XXIV. *Commiseratio* est Motus Animi compatientis alterius miseriæ.

Insultatio. XXV. *Insultatio* denique est Motus Aoimi exultantis ob alterius miseriam.

Affectuum alii boni, alii mali. XXVI. Horum Animi Motuum aliqui sont per se boni, dummodò sint moderati, ubi autem nimis excedunt, vitiosi fiunt, alii sunt per se mali, nec ferri possunt nisi rarissimè.

Quinam boni. XXVII. Ioter *laudabiles Animi motus* enumeraotur Amor, Odium, Lætitia, Tristitia, Spes,

Ira,

Ira, Metus, Clementia, Gratulatio, & Commiseratio.

Quænam mala. XXVIII. Inter *culpando Animi motus* sunt Desperatio, Crudelitas, Invidentia & Insultatio.

XXIX. *Vitiatur Animi motus laudabiles* quoties in ipsis observatur *excessus*, *nec conveniens aptumque de illis latum est judicium*, cujus dictamen sequitur *voluntas* & huic obsequens *Affectus*.

Vitiosorum curatio. XXX. Quapropter *Affectuum vitiosorum correctio & directio* unicè pender ab exacto singulorum Objectorum quà bonorum, vel malorum, nobis vel aliis, superabilium vel insuperabilium examine, hinc & solido de singulis circumstantiis ferendo judicio, denique moderatione servata in singulorum executione: quod præceptum generale singulis applicare non erit valdè arduum.

CAPUT XIX.

De Animalis Motus Læsionibus.

Animalis motus quis. I. ANimalem *Motum* voco, qui per Spiritus Animales perficitur; qui ubi per oppositos musculos administratur, *Voluntarii* nomine gaudet.

Quænam Animali, II. Sic *Animali motu cieri* puto omnes universi corporis *canales*, *cavitatesque* quando *secundùm naturam contrahuntur*.

Quænam Voluntario motu cieantur. III. Ut plurimùm tamen *Animalis Motus* nomine solus *Voluntarius*, aut per Musculos perfectus Motus venit; in qua significatione & nos nunc utemur.

Quot modis lædatur, IV. *Animalis* ergo sive *Voluntarius Motus læditur* 1. quando *abolctur in Paralysi*. 2. quando *diminuitur*, *in Motus imbecillitate* ac *Tremore*. 3. quando *augetur* in *Convulsione*. 4. quando *depravatur* in *Motu convulsivo dicto*.

Abolctur 1. Culpa partis movenda. V. *Abolctur Motus* 1. licet impropriè, ipsius *partis movendæ Culpa*; uti fit, quando aut luxata sunt, aut fracta, aut p.n. in sua articulatione connata ossa movenda.

2. Musculorum. VI. 2. *Musculorum* Dissectorum, Refrigeratorum, Humectatorum, Ustorum, aliterve pessimè affectorum vitio.

3. Nervorũ. VII. 3. *Nervorum* Dissectorum, Refrigeratorum, Humectatorum; Compressorum, aliterve ita affectorum culpa, ut spiritus animales per ipsos ad Musculos transferri nequeant.

4. Spirituũ Animaliũ. XIII. 4. Ipsorum *Animalium Spirituum* torpidorum aut valdè conturbatorum causa.

5. Cerebri. IX. 5. *Cerebri ac Cerebelli* graviter affectorum, ideòque ad spiritus animales parandos, & forsan propellendos quoque, ineptorum vitio.

6. Mentis. X. 6. *Mentis* ob pathemata vehementia ita conturbatæ, ut spirirus animales ampliùs quaquaversum dirigere nequeat, culpa.

Unde diminuatur, & augeatur. XI. *Diminuitur* Animalis Motus ab iisdem Caussis, sed levioribus.

XII. *Augetur Animalis Motus* ob irritationem vel in musculo, vel in nervo, vel in aliqua Cerebri, Cerebellive aut Spinalis Medullæ parte permanentem, & à punctura, erosione, aut ustione, &c. ortam; hincque consequentem nimiam, & involuntariam spirituum animalium ad certas partes propulsionem.

& depravetur. Convulsio. XIII. *Depravatur Animalis Motus*, fitque *Convulsivus*, ob irritationem non continuò, sed per intervalla duntaxat memoratas partes repetentem, aut etiam alternatim oppositas afficientem.

XIV. *Irritatio* omnis fit à re vel *dura* vel *acri* partes sensiles lædente. sive forinsecùs adveniat, sive in corpore ipso existat & talis evadat. Ita ossa fracta, suis extremitatibus acutis hoc præstare possunt. Ita Humores acres, acidi præsertim, p. n. corpore occurrentes, partes sensiles mirè afficiunt & rodunt.

Abolitus motus curatur. 1. Ossium læsorum curatione. XV. *Curabitur Abolitus Motus Animalis* 1. *Ossium luxatorum*, *fractorum*, *connatorumve* culpa iisdem repositis, consolidatis, solutisve, de quibus videndi Libri Chirurgici.

2. Musculorum læsorũ curatione. XVI. Idem contingit 2. *Consolidando musculos dissectos*, *Calefaciendo refrigeratos*, *Exsiccando humectatos*, *Sanando ustos*, &c. quibus indicationibus conducentia medicamenta non pauca præscripsimus in superioribus, & extant apud omnes Practicos.

3. Nervorum vitiosorum curatione. XVII. 3. *Nervorum* Affectus graviores attigimus quodammodo hinc inde, ac ex passim dictis eorum Curatio non ita difficilis erit ei, qui unum aut alterum adjunget Practicum egregium.

4. Spirituum Animalium læsorum curatione. XVIII. *De Spirituum Animalium corpore corrigendo*, aut *conturbatione* sedanda egimus quoque in superioribus.

5. Cerebri vitiati correctione. XIX. 5. *Cerebei ac Cerebelli graves Affectus*, *Apoplexiam* putà, & similes affectus notabiles infra tractabimus ex professo.

6. Animi motuum sedatione. XX. 6. De *Animi Motibus*, hosque graviores consequente *Mentis conturbatione* paucis actum est in paulò antecedentibus capitibus.

XXI. *Irritatio externa ob Nervi puncturam*, *in Convulsione* hinc brevi consequente, confestim curanda, cùm sit affectus acutissimus & maximè periculosus: de quo videantur Chirurgiæ scriptores & in specie Paræus.

XXII. Eadem *Irritatio ab osse fracto* facta vix curabitur nisi aut ritè repositis fragmentis, aut iisdem sera, vel aliter ablatis.

Ab acribus humoribus. XXIII. *Irritato ab acribus in corpore productis humoribus*, *aut assumptis qualibuscunque* curabitur *temperando evacuandove illa acria*, *& demulcendo partes affectas*, *sopiendove ipsum sensum* per medicamenta sæpiùs enarrata.

XXIV. Atque sic Functionum Animalium læsionibus generaliter propositis, pergimus ad earundem, & quidem præcipuarum, particularem historiam, initium faciendo ab Epilepsia.

CAPUT XX.

De Epilepsia.

Epilepsia affectus notabilis, I. CUm Epilepsia affectus sit, qui spectatores omnes non parùm turbet, & in sui admirationem trahat, ipsisque Medicis plurimum negotii facessat, operæ pretium erit, eundem accurate examinare; ut, quantùm in hac communi humanæ mentis caligine licet, facem aliquam abstruso illi affectui elucidando accendamus.

II. Describemus proinde mox in limine suis coloribus, quibus in sensus adstantium externos se prodit, hunc affectum mirabilem.

Unde ita vocetur. III. *Epilepsia* vocatur, quòd plerumque subitò ac quasi ex insidiis hominem nihil minùs cogitantem, aut sibi metuentem apprehendat; nec tantùm aliqua sui parte, aſt secundùm omnes primarias ipsius functiones hominem apprehendat & corripiat.

Symptomata. 1. Sensuum externorum abolitio. IV. Nam 1. *Sensus externi omnes*, in gravi præsertim Epilepsia, *tolluntur & abolentur*: ita ut Epilepsia correpti durante paroxysmo nihil videant, nihil audiant, nihil olfaciant, nihil gustent, nullam duritiem tangant, nullum ardorem sentiant; quamvis ad extremum corrumpantur, & vitientur ab objectis destruentibus omnia sensuum externorum organa, unde videas non raro Epilepticos in Ignem incidentes magna sui corporis parte comburi, quinimò ad mortem usque, idque absque ullo sui sensu; nisi à paroxysmo excitati tum demùm noxam suis sensoriis il-

latam

latam incipiant sentire, ac de dolore & molestiis conqueri.

2. Sensuum internorum cessatio. V. 2. *Sensus interni omnes itidem cessant & videntur abesse*, postquam nullam ullius functionis ab illorum ullo exercitæ memoriam testati sunt unquam Epilepsia gravi correpti ægri.

VI. Quibus præterea non idem accidit, quod dormientibus; quibus in somno haud infrequenter contingant somnia; quorum si non omnium, quorundam saltem meminisse solent plerique somniantes jam à somno iterum excitati; cùm nihil talis obveniat Epilepticis.

3. Et Affectuum. VII. 3. *Animi motus & Affectus* itidem in Epileptico insultu *cessare atque aboleri*, eadem ratio suadet.

4. Corporis motus animalis vitiatus. VIII. 4. *Corporis motus omnis, animalis præsertim & voluntarius*, in Epilepsia *plurimum afficitur*, non, uti de sensibus & Animi Affectibus dictum, sua abolitione, verùm & *Auctione & Perversione*.

Duobus modis. IX. Utiqui duobus modis læditur animalis in Epilepsia motus, 1. quidem & præcipuè Perversione, ac inordinatione. 2. Vehementia & Augmentatione.

Vel potiùs tribus. X. Quinimò si libeat exactissimè Motus animalis læsiones in Epilepsia observabiles expendere, tribus modis illum labefactari comperiemus.

1. Inordinatus. XI. Nam 1. *inordinatus* observatur partium motus.

2. Interruptus. XII. 2. Non rarò hic aut ibi *interruptus*, & mox iterum excitatus: quæ duo spectant motus qualitatem & perversionem.

3. Impetuosus, & vehemens. XIII. 3. *Impetuosus & vehemens validusque* notatur, adeò ut vix ac ne vix quidem impediri queat plerumque etiam à fortissimis quisque cum tentantibus.

In quibus consistat convulsivus motus. XIV. Atque in *hisce tribus consistit convulsivi motus natura & essentia*: quæ omnia soliciè perpendenda sunt iis, qui in Epilepsiæ naturam & causas veras penetrare volent.

Respiratio læsa. XV. Nec tantùm Motus purè Animalis & voluntarius læditur in Epilepsia, verum insuper ex naturali & animali mistus, unde videas non raro ipsam *Respirationem* quoque cohiberi, aut cum difficultate obiri.

Excretio Alvi & Urinæ. Ut & Seminis. XVI. Sed & *alvi excrementa*, ut & *Urina* non infrequenter excernuntur in paroxysmo Epileptico.

XVII. Quinimò nonnunquam ipsum *semen* in quibusdam effunditur.

Sudorum eruptio. XVIII. *Sudor* etiam non rarò in quibusdam erumpit, cum totius corporis æstu.

Spuma ex ore & naribus. XIX. Plerumque autem *ex ore & naribus spuma* emanat.

XX. Atque hæc sunt primaria, quæ in Epileptico paroxysmo observari solent, symptomata & functiones læsæ.

Per paroxysmos reditus. XXI. Solet enim *per paroxysmos redire hic affectus, & quandoque unico duntaxat* ad salutem & sanitatem, aut mortem *terminari* paroxysmo.

Homines, sanos ad Insultu Epileptico mori. XXII. Non est enim infrequens, homines pro sanis habitos, etiam nulla externa dignoscibili causa concurrente, Insultu corripi Epileptico, eoque nec prævisio, nec expectato; atque eodem, ubi vel diutiùs protrahitur, vel saltem vehementiùs exagitat, spiritus animales conterendo & consumendo, Cordisque motum necessarium impediendo, aut respiratione læsa Cordis Internum Ignem ad sui suffocationem cogendo, interimi & examinari.

Epilepsia lethalem diversimode homines corripere. In quibusdam post unicum paroxysmum cessare. XXIII. Accidit autem talis Epilepsia lethalis nunc Vigilantibus, nunc Dormientibus; nunc hilaribus, nunc mœstis; quæ omnia essentiam ipsius indagantium admirationem augent, & consternationem.

XXIV. Uti autem quibusdam primo sui paroxysmo lethalis contingit Epilepsia, sic alios unico graviori vel leviori duntaxat affligit, & postmodùm cessat, uti hoc non infrequens est Infantibus ante dentium vel Variolarum eruptionem; & Virginibus ante mensium effluxum.

XXV. Præter quas semel duntaxat ægros exagitantes Epilepsias, aliæ quoque occurrunt frequentiores multiplicibus paroxysmis eosdem ægros affligentes, & *nunc brevioribus, nunc longioribus intervallis recurrentes*. *In aliis sæpius recurrere.*

XXVI. *Agnoscunt* autem *Epileptici* illi subinde *recurrentes paroxysmi aliquando alium affectum comitem, quem consequuntur, ejusque Symptomata existunt*; Sic familiaris est in hisce regionibus Epilepsia infantes plerosque excrucians, & non paucos enecans; cui comes, imò causa existit bilis æruginosa, acidumque spirans, cùm alvi fluxu plerumque conjuncta. Sic vermibus non raro debentur insultus Epileptici. Sic vulnera gravia, capitis præsertim, comites nonnunquam habent paroxysmos Epilepticos, eosque sæpenumerò lethales. *Aliquando alium esse, illum habere comitem.*

XXVII. Accidit autem quandoque, ut *nulli alii affectui noto debeantur recurrentes subinde insultus Epileptici*, nunc frequentiùs, nunc rariùs ægros affligentes, nec minùs tamen graves, aut curatu difficiles. Qui causam agnoscunt, mihi mali, præter Epilepsiam, quod saltem observari queat, homini afferentem. *Aliquando nullum.*

XXVIII. *Primaria Epilepsiæ differentia* sumitur *à Symptomatum tam præsentium & paroxysmum quemvis comitantium, quam eundem insequentium, aut post ipsum remanentium vehementia majore vel minore*, cùm ejus ratio summa in Medicina facienda haberi debeat. *Epilepsiæ differentia a Symptomatibus.*

XXIX. Utique quò vehementioribus comitata Symptomatibus ægrotantes infestat Epilepsia, eò plùs ipsis incumbit & vitæ & sanitatis amittendæ periculi: & vice versa. *Hæc quò vehementior, eò Epilepsia periculosior.*

XXX. Cùm autem omnium Symptomatum vehementia ab inopinato insultu, adeoque *casu graviori*; hinc & a *concussione, atque agitatione membrorum externorum*, Capitis, & Artuum tam superiorum, quàm inferiorum; ac *denique à contorsione membrorum reliquorum*, oculorum puta, linguæ, oris sive maxillarum, Diaphraghmatis, sphincterum & similium, desumi debeat, facilè patet, quod noxæ, quot damna homini ab Epilepticis insultibus impendeant. *Ex quibus oriatur maximum Epilepsia damnum.*

XXXI. Quoties namque 1. *in recurrentibus sæpiùs paroxysmis Epilepticis casus fit inopinatus*, fieri potest, ut quis ex alto decidens, illo ictu & casu mox pereat, aut in multa mala incidat: aut foco assidens, in ignem prolapsus graviter uratur, & nemine præsente una pluresve partes ad internecionem quandoque comburantur, aut saltem turpiter descedentur, uti ejus rei infinita occurrunt in praxi exempla. *1. In casu inopinato.*

XXXII. Quoties. 2. *vehementer concutitur cavat*, & præsertim *saxis* alliditur, uti illis accidit, qui per plateas Epilepsia corripiuntur, aut aliàs in pavimentum corruunt, nec mollia quædam in tempore capiti substerni possunt pulvinaria; toties gravissima mala sequi posse observamus quotidie, neque enim contusiones duntaxat, aut vulnera capiti infliguntur, verùm quandoque graviores affectus, Apoplexia puta, consequuntur. *2. In vehementi capitis concussione.*

XXXIII. Quoties *artus simili ratione concutiuntur vehementissime*; toties fracturæ ossium, aut aliàs contusiones & vulnera gravia concitari, quotidiana evincit experientia. *Ut & artuum.*

XXIV. Quoties 3. *Oculi vehementissimè comprimuntur*. Strabismus quibusdam, & alius alius visus defectus consequi & permanere solet. *3. In Oculorum vehementi contorsione. Ut & Oris.*

XXXV. Quibus *os vehementer distrahitur* aliquando Oris contorsio, & Spasmus remanet.

XXXVI.

In Maxillæ concussione,

XXXVI. Quibus *Maxillæ vehementer* concutiuntur, aut dentes collisi confriguntur, aut lingua, uti frequenter intercurrere solet, graviter læditur & subinde amputatur.

In Linguæ convulsione.

XXXVII. Quibus *lingua vehementiùs convellitur*, subinde loquela remanet vitiata.

Insultum Epilepticum sequi Amentiam & debilitatis sensus Internos

XXXVIII. Sed & *accidit nonnunquam*, ut maximè deplorandum Symptoma consequatur insultus Epilepticos, *Amentia scilicet aut totalis, aut partialis*: unde plures videas, qui ex gravi hoc affectu inciderint in *Fatuitatem & Dementiam*; alios *quibus omnes Animi dotes, Internis sensibus se manifestantes, multùm fuerint debilitatæ*: ut de sensibus externis, Animique affectibus nunc nihil dicam.

Ut & externos.

XXXIX. Observatum enim est, *Externos sensus non* parum fuisse in quibusdam labefactatos.

Nec non continuus mœror.

XL. Sed & reperti sunt quidam ad eodem malo in *continuum mœrorem* prolapsi.

XLI. Atque hæc sunt præcipua ferè mala, quæ Epilepticos insultus consequuntur vehementiores.

Epilepsia levior aliquando.

XLII. Accidit autem quandoque, ut *non ita gravia observentur in ipsis* Epilepticis paroxysmis *Symptomata*, nec semper omnes aboleantur aut cessent tam interni, quàm externi sensus; unde *levior tunc vocatur illa Epilepsia*.

In utentibus sensibus tam externis, quàm internis.

XLIII. Unde *videas quosdam videntes, audientes, aliisque sensibus externis* magis, minusve valentes, ut & proinde internis.

Et variis corporis motibus.

XLIV. Quinimò videas quosdam *quædam loquentes, canentes, & quidem non voluntariè, verum inordinatè, interruptè, impetuosè*, simili planè ratione, quà diximus cæteros cieri corporis motus: Unde alios videas *gesticulationes quoque non planè ingratas, ut & saltationes ac tripudiationes pati involuntarias & coactas*: uti cum admiratione non semel vidi.

Primaria Epilepsiæ differentia ab ejus vehementia.

XLV. *Primaria ergo Epilepsiæ differentia* & quidem meritò *desumitur ab ipsius affectus vehementia majori vel minori*: unde majus quoque vel minùs naturali hominis vitæ, ejusve beatitudini periculum imminet.

Proxima à loco affecto & foco.

XLVI. *Proxima*, & hæc quoque magni in Medicina facienda momenti *differentia petitur à loco primario affecto, & foco materiæ Epilepticum* insultum excitantis: Unde quando *in ipso cerebro, aut capite fomes* ille contineri creditur, *Idiopathica* dicitur illa Epilepsia: Sin *extra caput* alibi convertetur & generetur idem fomes, atque inde per intervalla deferatur ad cerebrum, atque paroxysmum excitet Epilepticum, *Sympathica & per Consensum facta* vocatur illa Epilepsia.

Epilepsia Idiopathica.

Eam aliquando præsentiri.

XLVII. Neque enim infrequens est Epilepticis, non tantùm *ex abdomine, ac frequentius* quidem *ex sinistro hypochondrio*, quin etiam *ab extremis artubus auram quasi & halitum* placidè ascendentem sentire, & tanquam mox secuturi paroxysmi Epileptici signum prævium ac certum animadvertere; quo signo dato, qui sapiunt, mox ita se componunt, ut minus lædantur à membrorum capitisque concussione; aut saltem ut ita componantur, in auxilium vocant adstantes, qui huic malo assuefacti confestim suppetias ferunt ægrotantibus.

Et quidem aliquot ante paroxysmum horis.

XLVIII. Quinimò accidit nonnunquam, *ut aliquot ante paroxysmum horis* ejusdem futuri præmoneantur ægri, & quidem *capitis præsertim gravitate, & non satis explicabili sensuum internorum conturbatione*, atque *apparent non raro adstantibus assuetis in ipsa facie, & oculis maximè, constitutione peculiari, tristis ac perturbata*.

XLIX. Quoties autem *ab ipso ventre infimo* elevantur halitus Epileptici, accidit quibusdam, ut *ante paroxysmum sentiant in abdomine agitationem & molestiam itidem non satis explicabilem*; quam ferè comitatur aut mox excipit jam enarrata Capitis gravitas & molestia, itidem non satis (uti jam dictum) explicabilis.

Signa paroxysmum Epilepticum indicantia magni usus in praxi.

L. Hæc signa paroxysmum futurum indicantia & præmonentia usum insignem in praxi habere, tum ad locum affectum, hinc & fomitis naturam indagandam, tum ad incommoda è corporis vehementi concussione quovis paroxysmo recurrente præcavenda, nemo non videt.

LI. In illa proinde inquirendum est sedulò Medico ad Epilepticos vocato, & quidem ad Epilepticos statis, aut incertis etiam temporibus paroxysmum patientes, & recidivam.

Differentia considerabilis à causa existentia aut absentia

LII. *Differentia* itidem in praxi considerabilis *sumitur à Causa in corpore humano existentia, aut absentia*. Nam accidit, ut *quandoque in ipso homine* lateat omnis Epilepsiæ causa; *quandoque sit externam duntaxat objectum gravem animi affectum, iram puta* vel *metum insignem* & quidem *inopinatum excitans*; quandoque utrumque, unde in dispositis ad Epilepsiam sæpè minimus tantum & inopinatus strepitus metum afferens paroxysmum excitat, dum latentem in corpore fomitem commovet & turbat. Quod tum magis evenit, quando ex metu ortum primum habuit Epilepsia, uti hoc frequentissimè accidere quotidiana testatur Experientia, & ejus notabile exemplum habuimus in Nosocomio publico.

Origo Epilepsiæ in ægro indaganda.

LIII. Unde, ut hoc nunc obiter moneam, multùm inter est, ut prima affectus hujus origo, prima causa Medico ægrum ex arte curaturo innotescat; ut sic causarum omnium concatenatio pateat, sine qua Dogmaticè atque scientificè non curatur æger, dummodò curetur, verùm Empiricè atque fortè fortuna.

Differentia à durationis diuturnitate non negligenda.

LIV. Occurrit adhuc differentia Epilepsiæ à durationis ipsius diuturnitate majori vel minori desumpta, in praxi Medica minimè negligenda; Difficiliùs utique curatur Epilepsia inveterata, quàm eadem nuper orta, nisi temporis tractu sponte facta sit lenior & blandior, quæ in principio adhuc erat ferocior: & quidem ob materiæ peccantis imminutionem, aut emendationem spontè vel casu factam.

Ut nec differentiæ aliæ à pluribus rebus petitæ.

LV. Differentiæ quæ petuntur ab ægrorum ætate, constitutione propria, sexu, vitæ, genere, adeoque diæta, Aere, Alimentis, Somno & Vigiliis, Animi motibus. Corporis exercitiis consuetis, aut nuper assumptis Excretis & Retentis, Tegumentis & similibus, minimè sunt negligendæ, cùm & illæ in praxi lumen aliquod afferant. Ne tamen in hisce prolixiores videamur, si quid de singulis monendum occurrat, postmodum id præstabimus, & rectà ad Ipsius Epilepsiæ causas eruendas pergemus.

Epilepsiæ causa.

LVI. Putamus autem pleraque nunc enarrata plurimum ad latentem Epilepsiæ causam veram conferre posse, uti ex dicendis mox patebit.

LVII. Ut autem convenienti ordine & methodo in hac investigatione difficili procedemus à Functionibus in Epilepsia læsis faciemus indagationis nostræ initium.

LVIII. Diximus enim & Externos & Internos Sensus, ut & Affectus animi aboleri in gravi Epilepsia: Motum autem animalem inordinatum fieri, interruptum, & impetuosum.

Causa abolitionis vel imminutionis sensuum externorum in quibus quærenda.

LIX. Cùm ergo, ut ab externis sensibus incipiamus, illi gravi Epilepsia aboleantur, in levi verò minuantur duntaxat; aut aliqui saltem aboleantur, reliqui minuantur: Causa hujus abolitionis, vel imminutionis & labefactionis quærenda erit vel 1. *in rebus externis, objecto puta sensuum, Medio, aut Movente*; vel 2. *In sensuum organis sive sensoriis, oculis, auribus, lingua, naribus*, &c. vel 3. *in Spiri-*

riti-

ritibus animalibus, aut illos deferentibus nervos, aut eosdem generantibus Cerebro ac Cerebello; aut materiam illis suppeditante sanguine per arterias Carotides, ac Cervicales à Corde ad Caput delato; & fortè de re quoque per nares inspirato & ad Cerebrum quoque delato: vel 4. *denique ab ipsa Anima ad sensationem supina, vel aliò abstracta.*

1. Non est in Objecto, vel Movente, vel medio. LX. Hæc enim quatuor omninò & tantùm ad sensus externos ritè obeundos concurrere ac requiri, sum persuasus.

LXI. *Abolitio autem sensuum externorum* in gravi Epilepsia, uti eorundem imminutio, aut partialis duntaxat Abolitio in leviori observabilis, proximè adscribi nequit 1. *Externis, vel Objecto, vel Moventi, vel Medio*; quandoquidem illa plerumque benè se habent, adstantium testimonio, qui cùm similiter Epilepsia non corripiantur, signum est, non externorum culpa concitari proximè paroxysmum; verùm aliunde.

Non à terrore gravi. LXII. Quamvis autem diximus in superioribus, accedere, imò accidisse non semel, *ut à Terrore gravi* excitata fuerit in quibusdam Epilepsia; cujus Exemplum luculentum habuimus anno superiore in Nosocomio publico, in muliere superioris pestis tempore vehementi metu & perturbatione perculsa, & ad minimum tumultum, atque hinc ortum metum toties novum paroxysmum mox patiente: quamvis, inquam, primam sui originem timori vehementi debeat subinde Epilepsia, non sequitur tamen inde, priùsquam omnes Epilepsiam comitantes functiones læsæ labefactentur, aliud intermedium non intercedere, quod proximè modo tam mirabili conturbet functiones tot simul læsas, quodque nunc quærimus,

Est enim ab Objecto distinguendus. LXIII. *Metum autem & timorem* gravem, utpote Animi affectum ab externo objecto motum; ab ipso objecto distinguere omninò debemus, cùm inter objectum & Animi affectum varia intercedant, & 1. quidem Sensatio per sensus externos: 2. Imaginatio. 3. Ratiocinatio, 4. Iudicium: & fortè 5. Memoria quoque, præsertim in recurrente sæpiùs paroxysmo: quas functiones omnes excipit tandem Animi motus & affectus.

LXIV. Quomodo autem ex animi affectu ita gradatim in nobis generatio sequatur *Sensuum externorum, hinc: & internorum; imò Ipsorum animi motuum* (etiam ab animi motu orta) *abolitio, ut & motus animalis inordinatio, interruptio, & agmentatio*, posteà dispiciemus.

LXV. Sufficiat eo exemplo nunc ostendisse, immediatè ab objecto, ut & medio, atque objectum movente externo non pendere sensuum externorum abolitionem aut imminutionem in Epilepsia observabilem.

2. Non est in Sensorii. LXVI. Sed nec 2. *à Sensorii*, hoc est, sensuum organis pendet immediatè eorundem abolitio Epilepticis sæpè tam noxia & lethalis: In quibus omnibus in singulis tale vitium, quod subitò illorum functiones aboleat, & mox reddat, ne per imaginationem quidem excogitare licet.

LXVII. Adde, quod *vitium rei* cujusvis ad hominis constitutionem & perfectionem concurrentis, & *Epilepsiam excitantis*, in *tali hominis parte* consistere debeat, *quæ non tantùm sensibus externis ac internis, sed & animali motui inserviat*; cùm non sensus duntaxat, verùm animalis motus quoque, & quidem duplici modo læsus occurrat.

3. Nec in Anima. LXVIII. Sed nec 3. *Animæ* adscribi debet aut potest proxima Epilepsiæ causa: quamvis enim, quod modò attigi, non minùs ad animalem ac voluntarium motum efficiendum, quàm ad sensus externos, & internos, ipsosque animi motus concurrat Anima, & hactenus illam conditionem omninò requisitam obtineat; ad sensus tamen externos concurrit duntaxat; quatenus præsens atque attenta, & proinde peccare potest tantùmmodò quatenus aliò abstracta est, aut supina.

LXIX. *Supina* autem si fuerit ad sensus externos obeundos anima, non abolebuntur tamen ideò sensus; verùm fortiùs agente & sensoria afficiente objecto externo, mox excitatur & attentior redditur anima; quod tamen minimè contingit in Epilepsia; in qua etiamsi graviter afficiatur, imò corrumpatur organum, nullum tamen suæ attentionis excitatæ signum exhibet anima.

LXX. *Aliò autem abstracta*, & imprimis ecstatica si fuerit anima, qui summus est abstractæ animæ gradus, nullus corporis motus animalis observatur, verùm mortuorum instar immobiles jacent ægri, aut aliàs ecstatici; cùm in Epilepsia motus observetur convulsivus.

LXXI. Ubi autem mediocris duntaxat contingit animæ abstractio, illa ab objecto graviùs & cum dolore sensorium afficiente mox retrahitur & revocatur ad munus suum intermissum; quod tamen minimè contingit in Epilepsia: Cujus proinde causam proximam concludimus nec Animam quoque existere.

LXXII. Sequitur proinde 4. *ut animalibus spiritibus illam* culpam tribuamus; cùm ad sensus externos ac internos, ut & animi corporisque motus, & animales præsertim, necessariò concurrant; ac proinde communis functionum illarum omnium causa existant; quod modò desiderabamus. *4. Est in Animalibus spiritibus.*

LXXIII. *Animalibus ergò spiritibus malè dispositis & affectis si adscribi debeant omnia Epilepsiam comitantia Symptomata*, videndum, *qualis sit illa spirituum animalium dispositio mala & vitiosa*, ut ab illa tam gravia homini incumbant incommoda. *Et quidem malè dispositis.*

LXXIV. Priusquam verò animalium spirituum ad Epilepsiam producendam requisita vitia proponamus, imò ut faciliùs & clariùs eadem explicemus, præmittendæ videntur eorundem naturales dotes, ut ea ipsis probè notis ac perspectis eorundem defectus & vitia evidentiùs innotescant:

LXXV. Inter *Animalium spirituum itaque dotes naturales*, observavimus sequentes, & 1. quidem ut sint in corpore humano *Copiosi*, ne si *pauci* reperiantur, non sufficiant tam multis functionibus, quibus ministrant, ritè saltem obeundis. *Animaliũ Spirituum dotes naturalis.* *1. Copia.*

LXXVI. 2. Ut *Puri*, ne ab illis *inquinatis* inficiantur objecta cognoscenda, & perperam cognita judicentur perperam, sequaturque animi corporisque motus vitiosus. *2. Puritas.*

LXXVII. 3. Ut sint *Continui*, ne illis *divulsis* interrumpatur, adeòque corrumpatur functio quævis per ipsos obiri solita. *3. Continuitas.*

LXXVIII. 4. Ut sint *Mobiles*, ne illis *torpentibus & immobilibus*, cessent functiones ab ipsis absolvendæ. *4. Mobilitas*

LXXIX. 5. Ut sint *Sedati*, ac proinde Animæ morigeri, ne illis turbatis dominari nesciat, aut frustra dominetur Anima. *5. Trãquillitas.*

LXXX. Cùm autem in Epilepsia cessent atque aboliti sint sensus tam Interni quàm externi motus autem animalis sit inordinatus, interruptus & impetuosus, sive violentus; *nec copia, nec puritate, nec nobilitate peccare spiritus Animales Epilepsiæ causam* patet; verùm *continuitate* atque *conturbatione*. *Animales Spiritus in Epilepsia peccare continuitate, & conturbatione.*

LXXXI.

Unde interruptus, & inordinatus motus.

LXXXI. *Ob vitiatam* enim spirituum animalium *continuitate interrumpitur* subinde, fitque *ob eorundem conturbatione inopinatus* animalis motus; ob spirituum autem *copiam* nunc in hos, mox in illos musculos delatam sequitur subinde *contractio violenta & potens.*

Cur sensus cessent.

LXXXII. *Ob* eorundem autem *spirituum ad sensuum organa cessantem amendationem* cessare & aboleri videntur sensus externi omnes, hinc & interni.

Proxima functionum læsarum causa

LXXXIII. Adeò ut *proxima læsarum primariò in Epilepsia functionum causa* sit *Animalium Spirituum à sensoriis aversio*, sive amandationis naturalis ad ipsa defectus; atque *ad motus organa interruptus, inordinatus, conturbatusque ac vehemens motus.*

Animaliũ Spirituum vitia unde. Vehementer motis spiritus quid producunt.

LXXXIV. Unde autem hæc animalium spirituum vitia pendeant, & producantur, arduum erit demonstrare; Ut interim in re abstrusa & difficili, quid vero maximè simile videatur, proponamus, observandum 1. *quoties in violento animi, corporisve motu commoventur vehementer spiritus animales, toties imperfectiùs obiri sensus externos, hinc & internos*, unde hoc deduco, *ad sensus utrosque placidum & æqualem requiri animalium Spirituum motum*, non verò impetuosum & turbatum; atque *à conturbatiore spirituum animalium motu aboleri in Epilepsia sensus omnes, tam internos, quàm externos; accedente* forsan *eorundem spirituum ad motus organa duntaxat propulsione.*

Quid æqualiter moti, Quid conturbati.

Cujus naturæ sit id, quod Epilepticum insultum excitat.

LXXXV. Observandum 2. *cùm interruptus, inordinatus, & violentus ac fortis accidat Epilepticis animalis motus, Id, quod animales spiritus ad insultum Epilepticum excitandum disponit, vim habere* 1. *divellendi eorum continuitatem*; 2. *commovendi eosdem vehementer, adeòque ipsos agitandi, conturbandi*, ac inordinatè, & quandoque impetuosè quaquaversum propellendi.

Spiritus Animales proximè accedere ad spiritum Vini.

LXXXVI. Unde si quis & naturalia & artificialia omnia examinaverit accuratiùs, & inter se contulerit exactiùs, agnoscet 1. *Spiritus animales vini spiritui & aliàs ardenti omni accedere proximè.*

Causa Epilepsiæ remotior sensibus quodammodo manifesta.

LXXXVII. 2. *Aliquo modò sensibus Externis se patefacere* & manifestare *Epilepsiæ causa remotiorem*, uti hoc accidit præsertim in recens natis infantibus, in quibus alvi fæces virides & acres *Aciditate eam potenti dotatæ* reperiuntur, *ut nares quoque afficiant vehementer*, ut nunc, quæ de variolarum causa protuli, silentio prætercam, ante quarum exortum nonnunquam unus pluresve insultus Epileptici observantur præcedere.

Antepileptica sale lixivo fixante prædita.

LXXXVIII. 3. Agnoscet Idem Investigator accuratus *Pleraque Antiepileptica, Specifica dicta, Lixivioso sale fixo, fixante saltem esse prædita.*

Causa Epilepsiæ remotior spiritus acidus volatilis.

LXXXIX. Ex quibus omnibus & similibus ex praxi desumendis concludo, *Causam Epilepsiæ remotiorem*, & animales spiritus ad paroxysmum producendum disponentem *esse Spiritum acidum volatilem.*

Spiritus acidi differentia & proprietates.

XC. *Spiritum* dico *Acidum*, & quidem *Volatilem*; atque *ideò minùs acrem, quo enim fixior est acidus spiritus, eò existit acrior; quò volatilior, eò blandior*: ast vice versa *quò volatilior* existit idem spiritus, eò *celeriùs operatus*; *quò fixior*, eò *segniùs*: quæ probè notasse juvabit eos, qui per Chymiam in Naturæ penetralia penitiùs penetrare gestiunt.

A quo fiat volatilis.

XCI. *Volatilis* autem *fit Acidus Spiritus ab admisto ipsi Spiritu volatili*, cujus ope faciliùs jungitur spiritibus animalibus, illosque exinde ab invicem disjunctos commovet, turbat & conturbat, & quidem ratione suæ mistionis, de qua egimus in superioribus.

XCII. Suspicamur ergo & tantùm non opinamur, *Veram & adæquatam Epilepsiæ omnis causam esse Spiritum Acidum volatilem quacunque* demum *in parte generatum, coacervatumve*, atque *inde ad Cerebrum delatum, Spiritibus Animalibus junctum, ipsos divellentem, impetuosè commoventem, ac proindè à blando, continuo, ordinato, & voluntatis imperio subjecto motu ad interruptum, inordinatum, conturbatum, impetuosum & violentum deducentem.*

Vera & adæquata Epilepsiæ causa.

XCIII. Hanc autem esse spirituum animalium in Epilepsia omninò affectionem confirmat levior Epilepsia; in qua uti sensus externi imminuuntur, & obtenebrantur duntaxat, aut quidam saltem abolentur, reliquis offuscatis tantùm; sic motus convulsivus blandior fit; & ipsa musculorum contractio minùs violenta.

XCIV. Idem confirmare videtur Epilepsia nonnunquam à gravi terrore concitata: *in omni enim metu & mæstitia dominatum in corpore nanciscitur & augetur Spiritus Acidus*; cui ob concurrentem tunc animalis motus tarditatem, aut defectum copiosior immiscetur *Spiritus Volatilis, eundem Spiritum Acidum itidem volatilizans.*

XCV. Inventa Epilepsiæ, sive Spirituum animalium malè dispositorum functiones varias in Epileptico paroxysmo lædentium, causa proxima, Spiritu purà acido volatili: proximum est, ut ad ejusdem pergamus curationem.

XCVI. Huic tamen præmittemus subinde observabilia instantis, ingruentisve paroxysmi signa, utpote quæ Medicum præscire juvat.

XCVII. Sunt autem illa 1. *Extremorum Frigus*, nulli rei, quàm acido spiritui & quidem volatili commodiùs adscribendum. *1. Extremorum frigus.*

XCVIII. 2. *Visus turbatus & obscurus*, aut aliàs quocunque modò sine causa evidenti vitiatus: ut & quandoque *Splendores, Iridis ad instar oculis obversantes*, agitatos animales spiritus manifestantes. *2. Visus turbatus.*

XCIX. 3. *Odor fœtens* sine causa manifesta vel externa nares petens. *3. Odor fœtens.*

C. 4. *Sonus & Tinnitus* aures verberans. *4. Tinnitus aurium.*

CI. 5. *Vertigo, & Capitis versatio, gravitasque cum vel sine ejusdem dolore.* *5. Vertigo.*

CII. 6. *Tremor & membrorum omnium incerta & inordinata quassatio*; palpitatio, & agitatio. *6. Membrorum quassatio.*

CIII. 7. *Linguæ peculiaris motus tremulus* & inordinatus, ac cespitans, ad balbutiem aut temulentiam vergens. *7. Linguæ motus tremulus.*

CIV. 8. *Memoriæ labefactatio, & Mentis conturbatio inexplicabilis*: quam animadvertunt, non satis assequuntur ægri. *8. Memoriæ labefactatio & mentis conturbati*

CV. 9. *Tristitia inopinata & gravis*: *quandoque lætitia & risus absurdus.* *9. Tristitia, lætitia.*

CVI. 10. Aliquando *Aura ab aliqua parte sensibiliter assurgens & caput petens.* *10. aura assurgens.*

CVII. Atque hæc ferè sunt primaria instantis & mox invasuræ Epilepsiæ signa.

CVIII. *In graviori* autem, uti jam dictum, *sensus Externi omnes, ut & Interni cessant & abolentur*; *Motus* autem *animalis inordinatus, interruptus & vehemens contingit*; unde corruit æger, partesque externas valdè concutit, ac non rarò graviter lædit.

CIX. *In leviori* verò paroxysmo *nec toto corpore convellitur semper, nec corruit*, quin aliquando *quædam duntaxat concutiuntur partes, caput, oculi, manus, pedes, os, nunc plures, nunc pauciores*: aliquando *sedet, stat*, vel *discurrit æger hinc inde*; aliquando *vociferatur*, vel *canit*, uti hoc non semel, in eadem tamen ægra, meis sensibus percepi, & nuper retuli; aliquando *vident & audiunt* in medio paroxysmo, eademque refertur postmodùm,

dùm, in quibus *Internos sensus* adeoque *Memoriam permanere patet*.

Epilepsiam esse grave malum.

CX. Qui functiones in omni Epilepsia læsas & labefactatas perpenderit, pro difficili gravique malo habebit Ipsam.

Quando gravius.

CXI. Quò autem plures functiones simul læsæ fuerint, eò gravius erit malum.

Quando periculosius.

CXII. Quò vehementiùs, graviùsque læsæ fuerint eædem functiones, eò periculosius quoque censendum veniet idem malum.

Quando curatu difficilius.

CXIII. Quò diutiùs duraverit malum, si in eadem perstet vehementia, eò curatu erit difficiliùs.

CXIV. Sed & hæreditaria curatu erit difficillima.

CXV. Quò diutiùs protrahitur paroxysmus, eò gravior censendus.

In curandi methodo Authores differre.

CXVI. Cùm variæ ab Authoribus variis assignentur Epilepsiæ causæ, non mirum est, si in ipsa curandi methodo & ratione non satis conveniant.

Epilepsia pro affectu incurabili habita.

CXVII. Conveniunt autem & idcircò minùs, quòd rariùs curatos videas Epilepticos, ac proinde pro affectu penè incurabili habeatur Epilepsia.

CXVIII. Quòd si certa & quotidiana foret Epilepsiæ curatio, innotuisset facilius causa vera, & generandi modus verus.

Pro varia eius causa curatio variè instituta.

CXIX. Prout ergo unusquisque hanc aut illam Epilepsiæ agnovit causam, hanc aut illam affectam in ipsa partem, sic & Curationem Ipsius instituit diversam. Unde alii humorem Pituitosum Cerebri ventriculos quadantenus obstruentem pro causa Epilepsiæ habentes, illi imprimis corrigendo & educendo incubuerunt.

CXX. Qui verò humorem, vaporemve acrem Cerebri membranas vellicantem pro vera Epilepsiæ habuerunt causa, illi temperando & emendando insudarunt maximè.

Medicamenta specifica usu comperta.

CXXI. Plerique tamen commendarunt Medicamenta Specifica dicta, & usu comperta, utpote à quibus quandoque curatos Epilepticos sola docuit Experientia; nulla invenit Ratio vel Ratiocinatio.

Cur vera non inventa fuerint medicamenta.

CXXII. Cur autem vera non invenerit medicamenta Ratio, puto factum, quia plerique Veterum mancipia existentes, satis esse putarunt, si dictis ipsorum crederent, quamvis an vera forent, ignorarent.

CXXIII. Unicuique autem suæ opinionis probationem ac defensionem commendans, Ego meam sententiam & Rationi, & Experientiæ conformem conabor demonstrare.

Antepileptica Medicamenta Authoris sententiam confirmare.

CXXIV. Fiet autem id imprimis, si ostendero, pleraque Antepileptica dicta & aliquando saltem in Epilepsia curanda utilia reperta confirmare meam de Epilepsiæ generatione, ipsiusque causarum concatenatione opinionem; & hinc deductam remedii Epileptici veram & requisitam qualitatem.

Epilepsia causa & remedium.

CXXV. Dixi enim in superioribus, arbitrari me Epilepsiæ Causam esse *spiritum acidum, eumque volatilem*, spiritus animales dispescentem & conturbantem: Remedium autem ipsi futurum *Salem lixiviosum vel fixum, vel volatilem quidem, ast simul fixantem*: atque alterutrum observari in plerisque Antipilepticis medicamentis.

Medicamenta Antepileptica.

CXXVI. Hoc ut nunc demonstrem, ordine percurrenda sunt mihi celebratissima in hunc finem medicamenta.

Ruta.

CXXVII. Primum locum occupet *Ruta tam hortensis, quàm sylvestris*, sale volatili acri & mordicante, adeoque convenienti spiritus acidi correctorio turgens.

Polium Montanum.

CXXVIII. Secundum locum habeat *Polium Montanum*, volatili sale itidem abundans.

Pœonia.

CXXIX. Sed non prætereunda 3. loco *Pœoniæ radix*, & ipsius *Semen*; quamvis hactenus nihil grandis ab Ipsis sæpissimè à me usurpatis viderim præstitum.

Delcbge Opera.

Valeriana. Dentaria.

CXXX. Plus tamen tribuendum puto 4. *Valerianæ sylvestris* & *Dentariæ* radici, sale itidem volatili abundanti.

Flores Liliorum Convallium & Tiliæ.

CXXXI. Nec prætereundi 5. *Liliorum Convallium, & Tiliæ flores*, sale volatili turgentes & spiritu.

Squilla.

CXXXII. Sed nec omittenda. 6. *Squilla*, cujus *Acetum & oxymel* Infantibus Epilepticis auxilio fuisse novimus, & Acrimonia sua salem suum volatilem manifestare nemo negabit in arte peritus.

Viscum quernum.

CXXXIII. Laudatur 7. *Viscum quernum*, ut & in *Tilia* vel *Corylo* natum, ob eandem rationem utile.

Lignum Corylinum. Buxinum.

CXXXIV. Inter *Ligna* commendantur 8. *Corylinum*, Heraclei nomine à Rulando tectum, ut & *Buxinum*: quorum destillatum oleum celebratur, & utile comperitur, sale abundans volatili.

Tartarum.

CXXXV. Ad plantas referendum 9. *Tartarum*, cujus *spiritus* meritò commendatur inter Epileptica; licet illum longè superet qui ex *ipsius paratur sale*.

Cranii Humani.

CXXXVI. Sed nec 10. ex animalibus parata desunt Specifica Epileptica, & quidem meritò laudatur *Spiritus & Sal volatile Cranii humani*.

Spiritus & Sal Volatile Ut & Cornu Cervi.

CXXXVII. Huic 11. proximè accedit *Spiritus & Sal Volatile Cornu Cervi*.

Ungula Alcis. Coagulum Leporis. Stercus Pavonis. Apri vesica & urina. Hirundo. Pica.

CXXXVIII. Ac 12. *Ungula Alcis*: ut nunc sileam *Coagulum Leporis, Stercus Pavonis, Apri vesicam cum urina in furno siccatam*; imò integras *Hirundines & Picas, &c.* In quibus omnibus Sal figens occurrit copiosum.

Castoreum.

CXXXIX. Non possum quin ferè neglectum & prætermissum à me 13. memorem *Castoreum*, excellens in omnibus capitis affectibus remedium, & volatili sale turgidum.

Corallium.

CXL. Inter Marina commendatur 14. *Corallium*: Sale fixo & fixante constans.

Succinum.

CXLI. Ut & 15. *Succinum*, de Sale suo volatili, & oleo celebratissimum & utile: ut & fumo in ipso paroxysmo.

Jaspis. Smaragdus. Chelidonius.

CXLII. Laudantur quoque aliquot in Epilepsia curanda *pretiosi Lapides, Jaspes, Smaragdus*, & *Chelidonius*: quos omnes sale abundare norunt Chymici.

Cinnabaris Nativa.

CXLIII. Claudat Epilepticorum phalangem *Cinnabaris nativa*, Magno Cratoni Epilepsiæ Magnes vocata, & quidem meritò; cujus acidum spiritum figendi vis eximia Artis peritis non est ignota.

CXLIV. Quibus primariis Epilepsiæ unquam curatæ remediis, ut alia perpaucas adhucdum nota silento nunc prætereàm, spiritum acidum volatilem figendi vi præditis non parùm confirmari intelligis meam de causa Epilepsiæ opinionem.

Medicamenta Sale figente & volatili constantia in Epilepsia optima.

CXLV. Unde omnibus & singulis Auditoribus meis, Expertus loquor, unicè commendo, *ut undecunque parata medicamenta quærant sale figente atque imprimis volatili quoque constantia*, & tunc optima quævis *in Epilepsia cura sibi* spondeant.

Primaria eam curandi pars.

CXLVI. Atque in hoc unico primariam Epilepsiæ curandæ partem consistere certò sibi persuadeant.

CXLVII. Videamus interim an præterea aliquid agendum, & quo successu. Solent enim Practici plerique & Venæ-sectionis, & Vomitionis, & Purgationis, & Sudoris, & Frictionis, & Fonticulorum, & Setaceorum facere mentionem.

Quid præstet Venæ-sectio.

CXLVIII. *Venæ-sectionem* quod attinet, ab ipsa morbifica causa, spiritu acido & volatili, illam non indicari, nemo non videt; unde si aliquando in Epilepticis cum commodo instituta fuit Venæ-sectio & sanguinis eductio, factum id est, ob sanguinem simul redundantem, aut alias ardentiorem, motuve concitatiore præditum.

CXLIX. Quoties proinde Epilepticos simul infestat Sanguinis redundantia, vel incendium, vel motus violentus, toties cum successu felici venam secari, & sanguinem loco convenienti emitti posse arbitror.

Quid Vomitio. CL. *Vomitus concitationem* rariùs in Epilepticis locum habere puto, nisi in Ventriculo, aut Intestinis ventriculo vicinis hæreant humores peccantes, & imprimis Epilepsiam producentes atque illi sursum viam affectantes: quo casu in facilè vomentibus cum notabili utilitate vomitoria exhiberi posse autumo; quòd si difficulter vomant ægri, aut sursum non affectet viam humor noxius, frustra imò perperam fatigantur ægri vomitoriis.

Quid Purgantia. CLI. Eadem ferè ratio est *Purgantium & per alvum humores educentium medicamentorum*; quæ minimè sunt exhibenda ægrotis, nisi ubi cacochymia in ipsis regurgitat, nec corrigi potest commodè, verùm educi desiderat.

CLII. Quoties autem nec magna quantitas urget humorum noxiorum, nec illorum qualitas à mediocritate multùm recessit, satiùs est à Purgantibus supersedere, & solis alterantibus illos emendare.

CLIII. Ubi autem nulla spes est humores noxios vel Diæta, vel alterantibus superare, satiùs est in tempore illos educere, quàm procrastinando in plures morbos incidere.

CLIV. Purgantia autem pro peccantium humorum diversitate præscribenda sunt varia, & pro ægrorum affectionibus forma varia.

Quid Diuretica & Sudorifera. CLV. Idem planè judicandum est de *Diureticis & Sudoriferis* medicamentis, utpote quæ nullum per se usum afferunt Epilepsiæ; ni simul sint figentia humorem acidum volatilem, & tunc non expellendo, sed alterando id præstent & conducant.

Quid Frictiones. CLVI. *Frictiones* in parte fomitem ad caput amandante excitatæ, dum exitum ipsi parant per poros transpirando, apprimè convenire puto: Epilepsiam tamen per se curare non existimo.

Quid Ligatura. CLVII. *Ligaturas* quoque ascendenti auræ viam ad Cerebrum nonnunquam intercludere ipsa testatur Experientia, licet Morbum non sufferent, paroxysmum tamen subinde præveniant.

Quid Fonticuli. CLVIII. *Fonticulos* & imprimis *Setaceum* cum ægrorum commodo nonnunquam institui nemo Experientiæ auscultans negabit: Exitum enim parant humori noxio, ut effluat.

Quid Inunctiones. CLIX. *Inunctiones* sine detrimento institui posse omnes norunt, & imprimis quando spiritum acidum volatilem figentia illis insunt remedia.

Medicamenta aptissima quænam. CLX. Præ cæteris autem medicamentis omnibus Epilepsiam curare aptis sunt *Salia lixiviosa figentia, & præsertim ad volatilitatem deducta*, quò citiùs & penitiùs jungantur spiritui acido itidem volatili Epilepsiam parienti.

Paroxysmi curatio. CLXI. *Ad paroxysmum ipsum citiùs solvendum* solent *quædam in aures insusurrari, aut inclamari, aut denique insufflari*.

CLXII. *Naribus* autem commodè *adhibentur spirituosa & acria*, id est *Sale lixivioso volatilisato prædita*, quæ tantò plus præstabunt, quò *vim majorem habebunt simul figendi spiritum acidum volatilem*: qualia diligentibus Naturæ scrutatoribus non deerunt.

CLXIII. Atque sic Epilepsiæ tractationem brevem absolvimus; proximo capite Apoplexiæ examen instituere animus est.

CAPUT XXI.

De Apoplexia.

Apoplexia qualis affectus. I. CUm non minùs stupendus, sed & plerumque magis lethalis Affectus sit Apoplexia, quàm Epilepsia; & in multis cum ipsa conveniens, non abs re me facturum putavi, si absoluta Epilepsiæ tractatione, Apoplexiæ generandi, curandique modum itidem traderem.

II. Apoplexia etenim non minùs quàm Epilepsia ex insidiis & inopinato aggreditur homines, ipsosque subitò prosternit & plerumque simul enecat.

III. *Est* autem *Apoplexia affectus, in quo attoniti stipitum instar jacentes stupent Ægri, nullo sensu vel externo, vel interno, nulloque motu animali puro superstite, verùm in totum abolito; ubi sc. gravis adest & urget Apoplexia.* *Ejus definitio.*

IV. In mitiore namque symptomata omnia sunt remissiora.

V. *In sensuum ergo abolitione convenit Apoplexia cum Epilepsia: In motus autem læsione differt*, postquam in Apoplexia idem aboletur, in Epilepsia convulsivus fit. *Convenientia cum Epilepsia.*

VI. Mortuis verò similes apparent Apoplectici, à quibus sola respiratione, ac pulsu, ut & faciei colore distinguuntur. *Symptomata. Similitudo cum Mortuis.*

VII. *In gravissima autem Apoplexia obliteratur ipsa respiratio*, adeò ut vix observari queat, aut cum stertore in moribundis accidat. *Obliterata respiratio.*

VIII. *Pulsus* itidem in gravissima Apoplexia *languidus apparet & parvus, celer tamen*: in minùs gravi verò *plenior* existit & *satis validus*, semper tamen *inæqualis*. *Pulsus inæqualis.*

IX. *Faciei color* denique *parùm à naturali statu recedit*, nisi quòd valdè læsa respiratione *subinde intendatur*, & tandem *obscurior evadat*, qualis ferè observatur in strangulatis, cùm revera, suffocentur tandem ægri. *Faciei color mutatur.*

X. *Non dormiunt* quidem verè Apoplectici, non omnes saltem, nec usiquà Narcoticis tales existunt, *Torpidi tamen stupent*: & quamvis fixis, patentibusque oculis nonnunquam adstantes intueri videantur, *non vident* tamen, *nec audiunt*, sed *nec usti, nec puncti* aliquid *sentiunt, ullumve cogitationis aut Intellectionis* signum *præbent*. *Torpor & stupor. Obliterati omnes sensus.*

XI. *Animalis* quoque *motus* ita est in Apoplexia *labefactatus*, ut *membra veluti resoluta languescant*, & ab adstantibus *elevata & erecta* mox suo pondere rursus *concidant*. *Animalis motus labefactatus.*

XII. Apoplexia ergo *differt*. I. *ratione vehementiæ majoris vel minoris*. Nam aliquando omnia Symptomata sunt gravissima, & sensum perit æger; aliquando sunt mitiora, aggravatis duntaxat & torpidis, non planè abolitis sensibus, ac perseverante obscuro ex torpore motu; in quibus liberior quoque permanet respiratio, pulsusque validior; unde nisi novus accedat paroxysmus, sensim ad se redeunt & restituuntur, aut saltem Paralytici fiunt. *Apoplexia diversitas. I. Ratione vehementiæ majoris vel minoris.*

XIII. *Differt 2. Apoplexia ratione Causarum vel Internarum, vel Externarum*. Aliquando namque ab internis causis pendet Apoplexia, iisque nunc per se ac sponte agentibus, nunc ab externa causa motis: aliquando à solis causis externis, nulla interna causa concurrente. *2. Ratione Causarum vel Internarum vel Externarum.*

XIV. Hæc differentia cùm maximi sit ad medicinam ritè faciendam momenti, examinanda est accuratè. *Hæc differentia maximi momenti.*

XV. Utique à Medico præcaveri nequit Causa externa fortuita, Casus putà, Ictus & similia, *Et quare Medico considerandа.*

XVI. Ubi autem Interna est atque in corpore Apoplexiæ causa, & dispositio ad Apoplexiam producendam, Medici est omnia illa prænoscere atque in tempore emendare atque sic Apoplexiam prævenire.

XVII. Potissima proinde ad Medicinam faciendam Apoplexiæ differentia petitur à Causa Apoplexiam producente vel interna vel externa.

XVIII. *Apoplexia ab externa causa* immediatè productæ *species* sunt ferè sequentes *binæ, à Concussione Capitis, vel Narcosi ortæ*. *Apoplexia ab externa causa duplex.*

XIX. Nam vel I. ex Casu in caput; aut Ictu graviter Caput feriente excitatur non raro Apoplexia, *à Capitis concussione orta*. *I. A concussione capitis.*

XX. Vel 2. *ex assumptis* perperam & nimia copia *Narcoticis* quibuscumque, Opio puta, Vino, *2. A Narcosi.*

no, Spiritu Vini, aliisve nimis sæpe Apoplexia corripi, & enecari observamus Ægros, ad Ipsam minimè dispositos.

Ab internis causis qui producatur Apoplexia.

XXI. Quemadmodum autem aliquando ab externis causis solis excitatur primario Apoplexia, sic non rarò ab internis causis producitur eadem: atque illis aut seorsim ac per se agentibus; aut concurrentibus simul causis externis dispositionem in corpore præexistentem commoventibus & excitantibus; Aere puta frigido, & ventis præsertim turbato; Alimentis noxiis humores vitiosos in corpore solventibus & agitantibus; Corporis motu vehementiore humores malos commovente; ut & Animi affectu graviore, Ira humores turbante, vel Metu, aut Mœrore summo, Iræ imprimis supervenient, & contrarium Humoribus motum conciliante, & similibus: uti etiam Ictu vel Casu etiam leviore, nec nisi ob præexistentem materiam noxio futuro.

Ejus signa.

1. Somnolentia.

XXII. Hanc *ad Apoplexiam dispositionem in Corpore præexistentem manifestant 1. Somnolentia, & perpetua in somnum propensio*: unde tales mox ubi quiescunt ac sedent, in somnum observes labi.

2. Capitis gravitas.

XXIII. 2. *Capitis gravitas indolens.*

3. Sensuum hebetudo.

XXIV. 3. *Sensuum omnium, Internorum præsertim, hebetudo insueta*, cum offuscata ordinaria mentis alacritate.

4. Languor insolitus.

XXV. 4. *Pigritia & languor aliquis in motu insolitus.*

5. Oculi tumidi.

XXVI. 5. *Oculi tumidi* quasi, ut & *ipsorum vasa turgidula.*

XXVII. Ex quibus & similibus minantis Apoplexiæ signis de futuro periculo Ægros suos monet, & ut præveniatur, allaborat Medicus fidelis ac peritus; negligit aut inexpertus & idcircò nimis securus.

Ejus causa.

XXVIII. His ita præmissis, & fundamenti loco positis, videndum porrò, cuinam læsarum in Apoplexia quavis functionum omnium adscribi debeat Causa.

Facilior inventu, quàm Epilepsiæ.

XXIX. Cùm autem ad Animalium functionum omnium, sensuum puta externorum, hinc & internorum, ipsius quoque Animalis motus Abolitionem tendat Apoplexia, faciliùs fortè illius causam communem reperiemus, quàm Epilepsiæ.

Quænam functionibus inserviant.

XXX. Ut autem id fiat, considerandum quænam omnibus illis functionibus præter animam inserviant Corporis Continentis, Contentive partes. *Functionibus* ergo *Animalibus omnibus inserviunt* proximè tria 1. *Anima*, 2. *Organa*. 3. *Spiritus Animales.*

Apoplexia ab Animalibus Spiritibus deducenda.

XXXI. *Animæ* namque cur *adscribatur Apoplexia*, nulla ratio suadet. Organa sensuum & animalis motus cum sint planè diversa, ab illis læsis non pendebit Ipsorum in Apoplexia læsio & Abolitio: quæ proinde ab Animalibus Spiritibus erit deducenda.

Quænam Sensibus & Motui inserviant.

XXXII. *Sensibus autem externi & Motui* inserviunt 1. & proximè *Spiritus Animales*. 2. *Nervi* per quos ipsis ad sensuum & motus organa deferuntur. 3. *Cerebrum ac Cerebellum*, in quibus à reliquo sanguine iidem spiritus segregantur. 4. *Sanguis*, ex quo iidem secernuntur. 5. *Arteriæ tam Cervicales, quam Carotides*, per quas à Corde ad Cerebellum & Cerebrum sanguis devehitur.

1. Animales Spiritus benè constituti.

XXXIII. 1. *Animales Spiritus*, ubi de Epilepsiæ causis egimus, (cap. præced. §.75. & seq.) diximus ad functiones Animales ritè obeundas requiri, 1. *Copiosos*. 2. *Puros*. 3. *Continuos*. 4. *Mobiles*. ac 5. *Sedatos*, adeòque Regenti Ipsos Animæ Morigeros.

Malè constituti.

XXXIV. Abolebuntur proinde Functiones animales, à Spiritibus Animalibus perfici solitæ, ipsorum culpa; quoties *vel* 1. *desunt & deficiunt*. vel 2. *desinunt esse Continui*. vel 3. *sunt Immobili*. vel 4. *Conturbati*: neque enim ad motum *puritatem* aliquid conferre putamus, uti ad sensum.

Delphoe Opera.

Ob defectum.

XXXV. *Deficiunt Spiritus Animales*, *non per se*, verùm quia non separantur à sanguine, Ipsius sanguinis aut Cerebri, Cerebellique culpa.

Sanguinis culpa.

XXXVI. *Sanguinis culpa*, si is non deferatur ad Cerebrum vel Cerebellum; ruptis scil. arteriis Carotidibus aut Cervicalibus, ex gravi casu, vel Ictu, vel vulnere, aut iisdem interclusis vinculo, eas namque obstrui aut comprimi non puto.

Vel Cerebri.

XXXVII. *Cerebri, Cerebellique tantum vitium*, permanente in vita homine, excitari posse, ut non segregari queant in ipsis à sanguine Spiritus Animales, vix puto.

Vel ex ruptis arteriis.

XXXVIII. Quapropter *omnem Spirituum Animalium defectum ex ruptis arteriis deducendum* arbitror.

Continuitatem Spirituum læsã non esse causam Apoplexiæ.

XXXIX. *Continuitatem Spirituum Animalium læsam* eousque deduci posse, ut Apoplexia inde oriatur, non censeo.

At quidem immobilitatem & torporem.

XL. *Immobiles verò & Torpidos reddi posse Animales Spiritus*, ut Apoplexia sequatur, omninò sum persuasus; cùm experientia constet, non rarò ex assumptis nimia quantitate Narcoticis, Opio & Opiatis, vini spiritus, Ipsoque vino, in gravem somnum, hinc & Apoplexiam incidisse, atque sic expirasse & Infantes & Adultos.

Ut & conturbationẽ.

XLI. *Ex conturbatione sola Spirituum Animalium Apoplexiam* nonnunquam ortum duxisse arguunt exempla eorum, qui ex Ictu vel Casu, citra notabilem sanguinis effusionem, corruentes & attoniti paulò post expirarunt, cessanti sic unà cum cæteris animalis motus speciebus, ipsa respiratione & pulsu.

XLII. Quòd *si plures simul concurrant Causæ*, mirùm non est, si tunc gravior quoque & citiùs enecans excitetur Apoplexia.

Apoplexiæ causa proxima.

XLIII. *Proximam* proinde *Apoplexiæ* omnis, id est, Functionum animalium omnium ablationis, *Causam* censemus *Spirituum Animalium vel defectum, vel Torporem & Immobilitatem, vel Conturbationem vehementem.*

Defectus Spirituum duplex.

XLIV. *Deficit autem Animalis Spiritus vel absolutè, vel in sensuum, motusque Animalis Organis duntaxat.*

XLV. De absoluto egimus modò.

Absolutus vel in Organis.

XLVI. *Potest tamen*, etiam præsens in Cerebro ac Cerebello, *deficere* in sensuum motusque organis, & quidem ob *Viarum, per quas deferri debet; nervorum vitium, angustiam* puta *ex obstructione, vel compressione; aut solutam unitatem*, ubi scil. transversim discissi sunt nervi, Animales Spiritus deferentes, & ut ubique in partibus infra caput delatis id fiat, *ubi spinalis medulla in cervice discissa est*, uti hoc facilè contingere potest, & à quibusdam in bobus fit, immisso inter vertebras stylo acuto, & discissa medulla, unde non minus attoniti & Apoplectici corruunt, ac icti.

Apoplexia fieri... 2. Nervorum culpa.

XLVII. Potest proinde accidere Apoplexia nullo Spirituum Animalium proprio vitio: verùm 2. *Nervorum in spinali medulla conclusorum culpa*; quando videlicet Medulla illa *vel angustatur* in totum, *vel dissecatur.*

Ob Angustiam,

XLVIII. *Angustatur ex Obstructione*, dummodo talis accidere queat, quod iis probandum relinquo, qui hoc asserunt; *aut ex Compressione*, quod faciliùs admitto, humore scil. Pituitoso, vel sanguine circa spinalis medullæ radicem collecto, & ipsam comprimente.

Ob Dissectionem.

XLIX. *Dissecari posse radicem spinalis medullæ* omnem, ejusque modum proposuimus jam modò.

3. Cerebri & Cerebelli culpa.

L. *An* 3. *Cerebrum & Cerebellum* eousque vitiari queant, ut *Apoplexiam per se producere valeant, Spiritus scil. Animales aut non separando à sanguine, aut vitiosos producendo*, me valde dubitare jam dixi. Quomodo enim in illo, cujus Cerebri pars media in pus erat conversa, aut aliàs corrupta, reliqua omnia in Capite se habuerint, non satis liquet. Neque enim satis ac-

curatè plerumque ad singula attenditur, cui malè habenti & confusè atque obscurè duntaxat observato quodammodo adscribi potest affectus quæsiti causa, licet io cæteris neglectis aut prætesitis plus sæpe veniat spectandum, ac multi credunt.

4. Sanguinis culpa.

LI. 4. *Sanguinis culpa* sequetur Apoplexia, si ineptus sit ut ab ipso separentur Spiritus Animales, & narcotico spiritu sit repletus.

5. Arteriarum Carotidum & Cervicalium vitio.

L I I. 5. *Arteriarum Carotidum & Cervicalium vitio* Apoplexiam gigni posse diximus, 1. quando *Ipsis ruptis* sanguis effunditur, atque ejus defectu deficit Spiritus Animalis, aut ab eodem effuso angustatur spinalis medullæ radix, & intercluditur Spirituum Animalium transitus deorsum.

LIII. 2. Quando *iisdem angustatis & compressis* transitus denegatur sanguini ad Cerebrum, atque sic deficit Animalium Spirituum materia.

A quibus proximè oriatur apoplexia.

L I V. Ut igitur iterum omnia hæc paucis repetam, *Oritur proxime Apoplexia* vel 1. *ob Spirituum Animalium conturbationem*. vel 2. *ob eorundem torporem & immobilitatem*: vel 3. *ob eorum defectum*, & eum quidem vel quia *non generantur*, *ex defecta sanguinis* ad Cerebrum ac Cerebellum non delati, *propter arteriarum angustiam vel rupturam*; vel quia *ad organa non deferuntur*, *propter nervorum angustiam*, vel *dissectionem*.

Ejus tres Species,

L V. Ex quo Apoplexiæ Causarum ternario *tres ejusdem* in praxi valde considerabiles exsurgunt *species*; quarum Prima *erit*, *quæ ab Animalium Spirituum conturbatione ducit ortum*: Secunda *quæ ab eorundem torpore*: & Tertia *denique*, *quæ ab eorundem defectu*, eoque vario, unde in alias species subdividi poterit hæc ipsa species.

Cur apoplexia plerumque lethalis,

LVI. Antequam ulterius in Apoplexiæ tractatione pergamus, non negligenda quæstio discutienda occurrit; *Cur scilicet Apoplexin, quæ functiones animales propriè aggreditur, plerumque observetur lethalis, secus ac Epilepsia, easdem itidem affligens.*

Ad vitæ conservationem duæ functiones necessariæ.

L V I I. Cui quæstioni, ut debitè satisfaciam, observandum 1. *ad vitæ conservationem proxime facere binas functiones*, alteram *in Corde* factam *ab ejus Interno Igne Sanguinem accedente, rarefaciente, ac perficiente*; alteram *à Pulmonibus, cæterisque respirationi inservientibus partibus.*

Prima inservire motum cordis & arteriarum venarumq:

LVIII. 2. *Functioni in Corde factæ inservire Motum*, & *Ipsius Cordis secundùm suos* ventriculos coarctati & expansi, & *Arteriarum & Venarum*, Sanguinem in circulari suo motu promoventium.

Quos absolvunt Spiritus animales & Cordis parenchyma.

L I X. 3. *Motus hos omnes absolvi* præsertim *per Spiritus Animales*, & *musculosum* cordis parenchyma contrahentes, atque sic ejusdem ventriculos coarctantes, & arteriarum, venarumque fibras ad cavitatis suæ coarctationem moventes; & Diaphragma, reliquosque thoraci ministrantes in expiratione atque inspiratione musculos moventes.

L X. Quibus positis in promptu ratio est, cur ex Apoplexia, graviori præsertim, tam rarò unus evadat æger; cùm enim per Animales Spiritus, motumque adeò in quibusdam animalem perficiantur functiones omnes ad naturalis vitæ conservationem absolutè necessariæ, quid mirum, si *illis vel* 1. *conturbatis*, ac munus suum exinde non obeuntibus ritè, *vel* 2. *immobilibus*, & Narcosi correptis, ac torpidis, *vel* 3. *deficientibus* quacunque tandem de causa in functionum animalium organis, *sequatur Respiratio difficilis & tandem nulla*; *Pulsus autem inæqualis et tandem languidus & parvus, sicque suffocetur Ignis Cordis Internus ob sanguinem non allabentem sufficienter, nec expulsum convenienter; ut et Aeris respirati defectum, auctamque hactenus quoque ignis Interni extinctionem.*

LXI. A quo urgente imminentis mortis periculo in Apoplexia curanda non postrema desumi debet indicatio.

LXII. Ut autem commodè progrediamur in ulteriori Apoplexiæ tractatione, singulas enumeratas species ordine eaaminabimus, facto initio ab ea, quæ à Spirituum Animalium defectu pendet.

Triplex Apoplexiæ causa.

LXIII. Diximus in superioribus, *Apoplexiam oriri vel* 1. *ab omnimodo Spirituum Animalium defectu* in ipso Cerebro & Cerebello, idque *ob sanguinis defectum, ruptis, dissectisve Arteriis Carotidibus* & *Cervicalibus*, *aut iisdem angustatis à vinculo*, *aut tumore prægrandi* & duro: *vel* 2. *ab eorundem Spirituum Animalium in Cerebro ac Cerebello quidem præsentium, in organis autem sensuum & motus defecta, propter Nervorum dissectionem, aut compressionem* circa spinalis medullæ radicem excitatam.

Quænam Apoplexia curabilis, quæ incurabilis existat.

LXIV. 1. Quoties *ruptis*, *vel dissectis arteriis Carotidibus aut Cervicalibus* excitatur Apoplexia, toties pro incurabili, adeòque lethali habenda.

LXV. Si à *vinculo* ortum ducat, illo in tempore soluto curabitur facilè.

LXVI. Sin *à tumore grandi* ortum ducat, nisi confestim tolli queat, vel minui incurabilis erit, moxque necabit ægrum.

L X V I I. 2. Sin Spiritus Animales in Cerebro ac Cerebello existentes copiosi *propter spinali medullæ dissectionem* ad inferiores partes deferri desinant, excitabitur Apoplexia itidem incurabilis atque lethalis.

Quæ à Spinalis medullæ compressione fit curabilis.

L X V I I I. Sin verò per *spinalis medullæ compressionem à sanguine extra vasa sua effuso aut Pituita eò delabente*, impediatur Spiritus Animales deorsùm fluere, priventurque partes, in quas ferri debebant; sensu & motu; videtur insuper probabile, Spiritus Animales *concervatos copiosiùs in Cerebro ac Cerebello ibidem quasi compingi & immobiles reddi, aut conturbari, atque sic ineptos reddi*, ut in sensoria ex superiore spinalis medullæ radicum parte suos nervos obtinentia deferantur, atque sic in illis quoque aboleatur sensatio, aut conturbetur saltem & obscura contingat, uti in quibusdam Apoplecticis subinde fieri observatur; in quibus obscura quædam Auditus aut Visus obtusi notantur signa, Unde etiam nunc de convalescentia plus spei superesse solet; nisi fortè, quod nonnunquam accidere solet, plus nocentis humoris affluat, qui malum adaugeat & incurabile reddat.

Compressio hæc à Sanguine si fit, quid agendum.

LXIX. *A sanguine* hæc Apopleaia si accidat; duo peragenda, *Sanguinis effluxus ulterior impediendus*, & qui *jam effluxit Sanguis, inde removendus.*

LXX. Sanguinis effluxus ulterior impedietur 1. sanando & consolidando vulnus, per quod fit effluxus: & quidem usurpando medicamenta potenter adstringentia, & arteriam læsam conglutinantia qualia sunt imprimis sanguis draconis, & lapis hæmatites, in pollinem redacti, cum aceto stillatitio, ut & plantaginis aliave simili aqua mihi; atque si fieri queat cochleatim exhibiti: uti alibi de illorum viribus sumus testati.

L X X I. 2. *Sanguinem fluentem aliò trahendo*, instituta scilicet in pede Venæsectione, & extracto sanguine ad quantitatem satis notabilem.

LXXII. *Sanguis autem ibi hærens & jam effusus* blandè ad palatum & nares alliciendus per apophlegmatizantia, & concretum sanguinem solventia, ori indita: nisi spontè ad aures, vel aliò viam sibi quærere & exitum observetur, qui motus tunc blandè promovendus emollientibus & benignè attrahentibus.

LXXIII. Interim danda simul opera est, ut spirituosis refocillentur Animales Spiritus, ac si torpor gravis concurrat, idem corrigatur acribus quidem, sed blandis, & cum superioribus indicationibus coincidentibus.

à Pituitoso humore si fit, quid agendum.

LXXIV. *A Pituitoso humore* ad spinalis medullæ radicem confluente, ibidemque angustiam magnam excitante si oriatur Apoplexia, confestim & qui jam confluxit, & qui adhuc confluere potest, omni vi removendus.

LXXV.

LXXV. Atque hinc longè securiùs & cordatiùs adhibere licet medicamenta per nares & palatum humores peccantem potenter allicientia & educentia; qualia sunt omnia errhina sternutatoria, & apophlegmatismi.

Medicamẽta per nares & palatum humores educentia.

LXXVI. Optima autem parantur ex Ruta, Majorana, Flor. lilii convall. Nigella, Cyclamino, Cucumere Agresti, Gentiana, Nicotiana, Pipere albo, Zinzibere, Elleboro albo, pyrethro, Castoreo, Caryophyllis, ptarmica, Euphorbio: ut & cubebis, Sinapi; & similibus.

Ex quibus fiunt. 1. Pulveres. 2. Succi.

LXXVII. Possunt ex illis 1. *pulveres* parari & naribus insufflari.

LXXVIII. 2. *Succi* exprimi, aut cum vino, vinive spiritu elici eorum vis, atque sic naribus infundi aut per syringam iniici.

3. Electuaria.

LXXIX. 3. Cum ficubus, aliisve subigi, & *Electuarii* forma ori illini.

LXXX. Quoniam autem in reliquo corpore similis humor non rarò simul redundat, purgantibus acrioribus & quidem maxima dosi exhibitis licet eorum evacuationem tentare, atque idem iterare.

Medicamẽta purgãtia acriora.

LXXXI. In hunc finem conducunt Colocynthis, Euphorbium, Scammonium & similia.

Ægrorum decubitus.

LXXXII. Quòd si commodè fieri posset, præstaret *pronos quàm supinos* decumbere ægros, quò & sic quoque commodior & facilior sit humoris peccantis per nares atque os effluxus: quamvis plerumque valde arduum sit, & penè impossibile illud efficere.

Quid iis in hac Apoplexia specie accidat.

LXXXIII. Solet autem in hac præsertim Apoplexiæ specie nonnunquam fieri, ut tantillum levati appareant ægri, atque tunc oculos aperiant, loqui tentent, ingravescente tamen ob copiosiùs affluentem humorem malo tandem pereant: dum alii sensim meliùs habere incipiant, & in totum liberentur, aut saltem in paralysin incidant, de quà postea agemus.

Setaceum.

LXXXIV. Conducit huic quoque Apoplexiæ speciei *Setaceum* cervici applicatum, cujus ope non parum humoris peccantis tam [illegible]entis adhuc, quàm fertè jam defluxi commod[illegible] educi potest.

Cucurbitulæ.

LXXXV. Hunc etiam spectant *Cucurbitulæ, scarificatæ* præsertim, cervici & scapulis applicatæ, neutiquam reiiciendæ.

Vesicatoria.

LXXXVI. Conferunt quoque *Vesicatoria* ponè aures applicata, & partim revellendo, partim corrigendo humorem peccantem, inservientia.

Venæ-sectio nur instituatur.

LXXXVII. *Venæsectionem* quod attinet, à Practicis mox ferè, ac semper in Apoplecticis omnibus institui solitam; utique ad humorem à Cerebro removendum institui nequit: quæritur proinde, an in hac Apoplexiæ à Pituita ortæ specie institui commodè queat, cùm instituatur plerumque, & si queat, cur instituatur aut saltem institui debeat.

Quæstio duplici modo decidenda. Theoreticè.

LXXXVIII. Aliud profectò est, si in ullo casu Medico, certè in hoc, Practicè decidere difficultatem, aliud Theoreticè.

LXXXIX. *Theoreticè* dico, à Medico secundùm Theoriam Medicam, qualis ex Institutionibus vulgò petitur.

Practicè.

C X. *Practicè* verò, secundùm ea, quæ in praxi extra & ultra Theoriam quotidie occurrunt observanda circa ægros, de quibus Theoretici ne γρυ quidem.

Hæc vero postremo modo. Et cur

XCI. Unde omninò arbitror, Practicè considerari & decidi debere hanc quæstionem in medicina Apoplecticis ritè facienda maximi momenti.

XCII. *Neque enim in Ægris Apoplexia correptis ad solam Apoplexiam*, idest, abolitum sensuum & motuum, *est attendendum, verùm insuper ad summum*, in quo versantur, *vitæ periculum*.

A quo pendeat Mors in Apoplecticis.

XCIII. Sed ex abolito sensu & motu non *pendet proximè Mors Apoplecticos* plerosque tollens, verùm *à suffocata Igne Cordis Interno*, & quidem ob sanguinem, ex deficiente Cordis, Arteriarumque, & cæterarum Respirationi & sanguinis motui inservientium partium motu in Cordis ventriculis restagnantem, & Ignem internum opprimentem atque extinguentem.

Venæ-sectionem ex Arte institui in omni Apoplexia.

XCIV. Quamvis autem ob deficientem in universo corpore animalem motum, deficiat tandem in Corde quoque & respirationis organis eorum motus partim naturalis, partim animalis, atque citò restagnet in Corde & vasis sanguis, quoniam tamen hoc vitium tam citò tolli nequit, ut simul præcaveatur Ignis Interni suffocatio; *arbitror omninò ex Arte*, licet plerisque forsan veram ejus causam & rationem ignorantibus, atque in hac re Empiricis duntaxat, *institui Venæ-sectionem*; ex qua sponte effluente sanguine, via aliqua & locus paratur, in quem recipi queat sanguis in Cordis ventriculis eorumque vicinia collectus, & Internum Ignem, vitæ vinculum, extinguens.

XCV. Sanguine autem sic quodammodò imminuto recreatur & resuscitatur quasi languescens Ignis, qui tum diutiùs præstolari potest integram sui liberationem, à libero animalium spirituum ad motus organa motu pendentem.

XCVI. Quapropter judico, prudenter *& ex Arte posse, imò debere in omni Apoplexia institui Venæsectionem*, & pro Ægrorum constitutione, sanguinisque copia in vasis existenti *satis largam sanguinis evacuationem*: sic enim diutiùs durabit æger, sic facilius superabitur ipsa Apoplexia; uti hoc confirmat Experientia: sine qua nescio an quis conscius peccare metuens facilè sit concessurus in senibus, & penè decrepitis Venæsectionem.

Quando Scarificationibus aut cucurbitulis utendũ.

XCVII. Ubi autem Venæsectionem ob ætatem decrepitam vix audet instituere Medicus, *suadent periti*, nec malè, ut *tunc scarificatione instituantur, aut saltem applicentur cucurbitulæ scarificatæ*, utpote *Venæsectionis vicariæ*.

Celsi Testimonium.

XCVIII. Insignis est Cornelii Celsi de Venæsectione in hujus Apoplexiæ specie locus ad hanc rem faciens, quem propriis ipsius verbis hic consignare lubet; Continetur is mihi lib. 3. c. 27. pag. 142. *Si omnia membra*; inquit, *vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam sanitatem restituit, sæpe mortem tantùm differt, vitam interim, Post sanguinis missionem, si non redit & motus & mens, nihil spei superest: si redit, sanitas quoque prospicitur.*

Remediorũ quorundam Apoplecticorũ examen.

XCIX. Non possum, quin hac occasione data quædam auxiliorum genera è quibusdam commendata simul examinem, an scil. utilitatem aliquam afferant in Apoplexiæ cura, necne.

Pilorum vellicatio.

C. Et primò quidem commendatur *Pilorum, et in cruribus præsertim, vellicatio*, quæ, cum sensu careant ægri, planè ridicula mihi videtur, neq; enim ad ullam omnium Apoplexiæ causarum emendationem vel hilum afferre possit.

Digitorum complicatio. Narium prehensio.

CI. Ejusdem farinæ est *digitorum complicatio, et narium prehensio*; quæ cui bono esse queat, non video.

Corporis concussio.

CII. *Corporis autem concussio, nisi prono corpore*, ut facilius sic effluere queat humor peccans, præter damnum evidens nil conferet ægro.

Frictiones. Ligaturæ.

CIII. Sic & *extremorum frictiones cum Aceto & Sale, ut & ligaturæ* nihil proderunt in ulla Apoplexia.

CIV. Satius proinde est abstinere à talibus, quæ nullum usum habent, nullum ægro afferunt commodum.

Vomitoria.

CV. Sed nec *Vomitoria* hic exhiberi velim, cum absque concurrente Diaphragmatis, & Abdominis præsertim musculorum motu animali, in Apoplexia abolito, Vomitus cieri nequeat, nec proinde præter inanem Vomendi conatum & fortè incommodum inde consecuturum à Vomitoriis aliquid expectari queat.

Ex Apoplexia Paralysis.

CVI. Accidit autem plerumque, ut licet à Pituitosa hac Apoplexia non pereant mox quidam Ægri, non tamen semper restituantur in integrum, verùm *in Paralysin incidant: cui si novus paroxysmus Apoplecticus accedat, aut gravis Sopor, pereunt plerumque.*

Apoplexia nandoque salivatione solvitur.

CVII. Accidit *aliquando, ut per salivationem solvatur Apoplexia*, quæ tamen rara.

Apoplexia à Narcosi descriptio ex Celso.

CVIII. *Apoplexiam a Spirituum Animalium torpore & narcosi ortam* paucis verbis describit supra memoratus Cornelius Celsus, non tamen explicat Sic enim Cap. 26. lib. 3. *Attonitos rarò videmus, quorum & corpus & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, ἀποπληξίαν hunc Græci appellant. His sanguis mittendus est: Veratròquoque albo, vel alvi ductione utendum. Tum adhibendæ frictiones, &c.*

A Vini nimia ingurgitatione.

CIX. *Attonitos autem videas, quorumque & corpus & mens tantum non stupeat à Vino non ita rarò, etiam nondum Apoplecticos*, ad Apoplexiam tamen propensos; unde tales si sapiunt, à Vini ingurgitatione nimia sedulò abstinebunt; facilè namque ipsis à Vino continget Apoplexia.

Apoplexia à Narcosi curatio.

CX. Cùm autem varia sint, quæ vi sua narcotica inducant Apoplexiam, & in eorundem cura aliqua requiratur variatio, singula ordine examinabimus.

Opium & Opiata.

CXI. *Primum & præcipuum locum* occupet ipsum *Opium, omniaque ab ipso dicta Opiata*, imprimis *Laudanum*, parva quantitate usurpandum, ac proinde facilè noxium.

CXII. Omnia namque medicamenta insigniter alterandi vi prædita, & ideò parva quantitate assumenda, si majori exhibeantur, plurimùm nocere possunt. Si enim alimenta copiosiùs assumpta venena existunt, quantò magis medicamenta, & quidem potentiora.

Eorum exhibitio.

CXIII. Cùm ergò facilè peccare quis queat in usurpando nimia quantitate Opio, prudentis Medici erit, cautè se gerere in Opii Opiatorumque exhibitione, atque uti sæpiùs inculcavi, iteratis potiùs vicibus, & singulis quidem parùm usurpare, quàm cum ægrorum periculo simul & semel multum præbere: cùm præsertim idem & quidem laudabilior effectus obtineri possit ex eodem Opiato partitis vicibus exhibito, quàm unica.

Venæsectio.

CXIV. Quòd si interim ab incautiore Medico fuerit peccatum, vel ab imprudenti ægro majori quantitate assumptum opiatum, hincque orta sit Apoplexia, utique ob rationes in superioribus propositas mox puto venam secandam, & satis liberaliter mittendum sanguinem.

Frictiones. Ligaturæ. Soporem frangentia.

CXV. Deinde autem usurpandas frictiones, ligaturas & similia soporem illum frangentia, inter quæ meritò commendatur *Castoreum, Acetum, Succini Oleum, & omnia acria exhalatione sua sternutationem excitantia, & olfactum vehementer afficientia.*

CXVI. Quibus nisi mox succedat levamen, pereundum est ægro.

Vinum, ejusque Spiritus.

CXVII. Post Opium & Opiata secundum locum *occupat Vinum; ejusque Spiritus*, à quibus frequenter Apoplexiæ levis præludia patiuntur aliqui, & tandem gravia damna; in qua etiam plerumque extinguuntur.

Venæsectio.

CXVIII. *Primarium* autem in hac quoque Apoplexiæ specie *auxilium erit Venæsectio, & quidem cum sanguinis detractione satis larga*; qua si redeat ad se æger, spes convalescentiæ aliqua superest; sin minùs, signum est mortis certæ, atque affectus desperati: partium ob spiritus animales insuperabili torpore correptos; partim ob cordis Ignem internum suffocationi, & extinctioni suæ proximum, imprimis ubi ex sanguinis missione nulla sequitur pulsus in robore vel magnitudine excitatio.

Vomitoria, Purgantia & Sudorifera.

CXIX. Quod si post extractum è vena sanguinem excitari occipiat æger, & quasi è veterno expergisci videatur, tunc aliqua sanationis spes affulget, atque tunc exhibenda sunt, si plenus sit ex ingurgitatione ventriculus, Vomitorium aut Purgans medicamentum: hinc & Sudorifera Acriora ex Guajaco, ex Sale Tartari Vitriolato & similibus parata.

CXX. Conducet etiam Castorei tinctura cum aceto, aliisve acidis elicita, & exhibita.

Frictiones & Ligatura.

CXXI. Conducent quoque frictiones & ligaturæ.

Apoplexia à Spirituum Animalium conturbatione curatio. venæsectione

CXXII. *A Spirituum Animalium conturbatione* corruunt non rarò homines, ac levi quasi Apoplexia correpti mox ad se redeunt.

CXXIII. Hæc autem conturbatio ubi vehementem Apoplexiam producit, plerumque simul lethalis existit.

CXXIV. In qua non minùs, quàm cæteris Apoplexiæ speciebus, mox sanguinem mittendum autumno; à cujus missione nisi ad se quodammodo redeat æger, cum ipso conclamatum jam esse arbitror.

Anodynis & spirituosis.

CXXV. Ad se tamen si quodammodo redierit æger, eundem in quiete servandum arbitror, nec frictionibus, aut ligaturis fatigandum, nec errhinis, aut sternutatoriis ampliùs conturbandum, verùm anodynis potiùs demulcendum, & spirituosis refocillandum, atque sic sensim ad pristinum statum reducendum, ac sanitati restituendum.

Apoplexia à causa interna curatio.

CXXVI. Diximus in superioribus Apoplexiam non rarò causam agnoscere internam, quæ sensim in corpore cumulata tandem gravem illum ac plerumque lethalem producat affectum.

CXXVII. Diximus etiam eandem causam suis se manifestare signis, & Medicum sui monere officii, ægrumque imminentis periculi.

Præventio.

CXXVIII. Est proinde Medici tela prævisa declinare; imò in tempore avertere ac removere, quod omninò in minante hominis ruinam & internecionem Apoplexia fieri debet ac potest.

Oritur hæc Apoplexia 1. à Pituitoso humore puro. 2. à Sanguine Pituitoso

CXXIX. Oritur autem talis *Apoplexia* omnis vel 1. *Pituitoso humore puro* ubique sensim conservato, & tandem in Cerebro secreto & Apoplexiam tunc pariente senibus familiarem.

CXXX. Vel 2. *à Sanguine Pituitoso atque adeò Plethora Pituitosa* omnia vasa replente, distendente, & suffocationem simul minante.

Pituitosus humor in Senibus, & Cacochymicis unde.

CXXXI. *Pituitosus humor* observatus præsertim in Senibus, aut Cachochymicis Pituitosis ex Diætæ vitio Pituitosum humorem præter naturam augentibus.

Pituitosus Sanguis unde.

CXXXII. *Pituitosus sanguis* cumulatur etiam in cætera sanis, ex continuata longò tempore ciborum, potùsque ingurgitatione ortus.

Ille difficiliùs impeditur, quàm hic

CXXXIII. Pituitosus humor *ex Senio* ortus difficiliùs impeditur, *quàm ex Dietæ* vitio productus, dummodò curari velint Ægri, & noxia omittere.

Et quare.

CXXXIV. Senibus enim ubi ex Senio generantur majori copia humores Pituitosi, Medicina præveniens illorum productionem roborare debet partes senio labefactatas, Ventriculum putà & quicquid ad alimentorum fermentationem in ventriculo requiritur, ut & Cerebrum, & quicquid eò spectat.

Pituitæ generationem impedientia

CXXXV. Primaria autem partes has *roborantia & Pituitæ generationem aut cumulationem in homine impedientia* sunt: Mastiche, Succinum, Thus sive Olibanum, Castoreum, Rosmarinus, Majorana, Salvia, Ruta, Lavendula, Nux Moschata, Caryophylli, & similia plura: pro hominum constitutione propria variè immutanda.

Humor Pituitosus in Senibus corrigendus & educendus.

CXXXVI. Productus jam humor Pituitosus, & redundans in Senibus, partim iisdem est corrigendus; partim blandis phlegmagogis dictis expurgandus lentè ac per vices, ne valdè commotus noceat.

CXXXVII. Possunt autem utraque & alterantia & purgantia hæc medicamenta variis formis usurpari, idque pro ægrorum lubitu, quibus, ubi licet, aliquid etiam indulgendum.

In Junioribus qui superetur.

CXXXVIII. Idem Pituitosus humor in junioribus adhuc ob Diætæ suæ vitium ortus superandus 1. *Diætæ pravæ emendatione in meliorem.* 2. *Pravi humoris emendatione atque evacuatione decenti*, de qua modò dictum. 3. *Partium continentium & contentarum corruptarum restauratione in integrum* per medicamenta roborantia dicta, de quibus itidem egimus modò.

CXXXIX.

Apoplexia Pituitosa Sanguine præcavetur. 1. Diæta reformata. CXXXIX. *Apoplexia à Pituitoso sanguine* orta præcavetur 1. *Diæta reformata*, minuendo scilicet alimentorum tam esculentorum, quàm potulentorum ingurgitationem, eamque sensim reducendo ad mediocritatem, imò infrà medio. eritatem, donec superatum sit damnum corpori illatum.

2. Minuendo Sanguinem. CXL. 2. *Minuendo ipsum sanguinem Pituitosum*, & quidem Venæ sectione sanguinisque redundantis evacuatione sufficienti, sive illa unâ vice fiat, sive pluribus, idque pro re nata, ubi enim plurimum excedit, una vice demi non debet, sed vicibus pluribus.

3. Ejusdem constitutionem corrigendo. CXLI. 3. *Corrigendo Pituitosam sanguinis constitutionem*, idque usurpando Alimenta medicamentosa, pituitam scil. emendantia; vel saltem medicamenta non excedente valdè qualitate prædita, ac sensim duntaxat pituitosam illam sanguinis dispositionem reparantia atque in integrum reducentia.

CXLII. Atque his mediis convenienti modo usurpatis præmunientur sensim Senes ac juvenes, *Cacochymia, vel Plethora Cacochymica laborantes*, atque de futura sibi & imminente Apoplexia meritò metuentes. Uti hoc benedicente Deo à Me feliciter factum memini, atque ideò libertiùs & certiùs idem aliis commendare audeo.

CXLIII. Atque sic Apoplexiæ quoque absolvimus tractationem, cui, Deo adjuvante, annectemus, & subjungemus Paralyseos examen.

CAPUT XXII.

De Paralysi.

I. Diximus in superioribus *Apoplexiam vel interimere Ægros; vel Ipsam, redeuntibus sensibus & motu, solvi ac curari; vel denique in Paralysin transire*: Ejus proinde Tractationem commodè absoluta Apoplexiam curandi ratione nunc aggredimur.

Paralysis quid innuat. II. Observandum autem, *Paralysin Resolutionem* dicere, quoniam *Membra omnia*, externa præsertim, *Caput & Artus* animali motu & in homine Voluntario cieri & agitari solita, *laxa, flaccida, & quasi resoluta* tunc occurrunt, imò, quando gravior fit morbus, frigida quoque ac tumida, & sensus expertia.

Animalis Motus Symptoma. III. Unde quoque patet, *Animalis Motus symptoma propriè esse Paralysin*, & quidem in ejusdem defectu sive *Abolitione*: quo differt à Convulsione, Catalepsi, & similibus affectibus cum partium movendarum rigore, non verò relaxatione & flacciditate conjunctis.

Abolitus Tactus Paralyseos consectarium. IV. Quamvis autem *semper ferè* atque imprimis *in gravissima Paralysi* (sunt enim vari in ipsa notabiles gradus) *Abolitus, aut valde saltem imminutus* observetur *Tactus, Calorisque sensus*, non est tamen id de Paralyseos Essentia; sed consectarium, nam semper plùs minùs labefactatus in Paralysi uterque sensus prædictus.

Quid propriè quid impropriè in Paralysi labefactetur. V. *Propriè igitur & primariò labefactatur* in Paralysi, uti & in Apoplexia, *Motus animalis, impropriè autem, secundariò, ac per consensum Sensus*, & quidem præ cæteris omnibus *Tactus & Caloris sensus*: quamvis in particulari Linguæ Paralysi Gustus quoque labefactatur.

Paralysis quomodò ab Apoplexia differat. VI. Et omninò *ab Apoplexia non differt Paralysis*, nisi *partium affectarum multitudine*. Nam *in Apoplexia omnes universi corporis partes afficiuntur; in Paralysi* non omnes: sed *vel omnes sub Capite, in Paraplegia; vel omnes in alterutro latere, in Hemiplegia; vel quædam ubicunque in Paralysi particulari*.

Cur Tactus & Caloris Sensus simul afficiantur. VII. Videntur autem *Tactus & Caloris sensus* simul ferè affici in omni Paralysi, quoniam *Universales* magis sunt ac per omnes corporis partes diffusi, atque *peculiari organo* (uti quatuor reliqui, Visus, Auditus, Olfactus & Gustus) *non præditi*, atque à *Spiritibus Animalibus ad motum Animalem producendum* quodammodo forte an *simul adjuti*.

VIII. Ut Paralyseos omnis Causa proxima innotescat, consideranda in antecessum omnia ad Animalem motum perficiendum necessaria.

In Animali Motu quænam requirantur. IX. Docuimus autem; ubi de Animali motu egimus, requiri 1. *Ipsa membra, partesve quæ moventur*, sive illa sint dura, uti Ossa quæ flectuntur, ac vicissim extenduntur, aut ad se invicem adducuntur & abducuntur, vel mollia, uti Canales, Oesophagus purà, Cordis ventriculi, qui coarctantur & expanduntur, aut comprimuntur, uti abdomen.

X. 2. *Musculos, inque ipsis fibras, cum tendinibus*: quorum scil. ope moventur proximè partes movendæ.

XI. 3. *Nervos* à Cerebro & Cerebello ad Musculos delatos: quò & *spinalis medulla* pertinet.

XII. 4. *Ipsum Cerebrum ac Cerebellum*, cum quibus per nervos participant Musculi, & à quibus animales spiritus accipiunt.

XIII. 5. *Ipsos spiritus Animales*, à Cerebro & Cerebello per nervos ad musculos delatos.

XIV. 6. *Denique Ipsam Animam* spiritus animales regentem in motu voluntario.

Paralysis Animæ vitio non fieri. XV. Uti autem docuimus, Apoplexiam Animæ vitio proximè non contingere, sic nec Paralysin ipsius culpa fieri putamus.

Nec vitio partium movendarum. XVI. Sed nec fiet proximè Paralysis vitio *partium movendarum*; sive fractarum, sive discussarum, sive luxatarum, &c. quamvis impediri tunc queat earum motus & aboleri, non erit tamen cum resolutione, quod in Paralysi requiritur.

Nec Cerebri. XVII. Sed nec *Cerebri vitio* excitabitur proximè Paralysis, verùm remotè duntaxat, ut posteà dicemus.

XVIII. Eadem ratio est Nervorum.

Nec Nervorum. Sed Musculorum & Spirituum. XIX. Unde restat, ut vel *Musculorum, vel Animalium Spirituum vitio* oriatur proximè Paralysis.

XX. Et certè *Animalis motus proximè fit propter Musculorum fibras Animalibus Spiritibus turgentes & distentas*.

XXI. Quæ Duo cùm sola concurrant ad animalem motum producendum, eorum alterutrorum culpa proximè abolebitur Idem motus.

Quando Musculorum vitio. XXII. Et 1. quidem *Musculorum vitio*, quando *Ipsorum fibræ* ineptæ sunt & malè dispositæ ad sui distensionem, *flaccidæ scil. & molles*, quas rigidas & duriores esse oportebat.

Et quando Animalium Spirituum. XXIII. 2. Verò *Animalium spirituum vitio*, quando Ipsi inepti sunt & malè dispositi ad fibras musculorum distendendas, & vel 1. *ob sui defectum* vel 2. *ob sui immobilitatem*.

In horum defectu. XXIV. *Deficiunt Animales Spiritus* Paralysin excitaturi non absolutè, sed in musculis, *ob viarum, Nervorum scil. Angustiam*, aut aliam ad spiritus transmittendos ineptitudinem, *flacciditatem* fortè aut humiditatem, spiritus ab invicem dividentem, atque sic eorundem continuitatem, ad motum omninò necessariam dirimentem; *vel ob eorundem dissectionem*.

Et immobilitate. XXV. *Immobiles redduntur spiritus* per narcosin, & stuporem, aut torporem.

Paralyseos causæ remotiores. 1. Humiditas Aquea. XXVI. *Remotiores* ergò Paralyseos causæ Proximas producentes sunt 1. *Omnia, quæ flaccidas & molles reddere possunt musculorum fibras, humiditas imprimis aquea, vel in corpore existens & eò delata, vel forinsecùs adveniens* & per cutem penetrans, uti est *pluvia* diu parti alicui incumbens: quamvis hæc particularis ferè Paralyseos causa esse queat, non item universalis.

2. Pituita. XXVII. 2. *Omnia Nervos angustantia*, atque imprimis *Pituita* secundùm *spinalis medullæ radicem defluens*, & *Paraplegiam*, aut *Hemiplegiam excitans*, *comprimendo*, & forsan *emolliendo simul* substantiam medullarem spinalis medullæ

 atque

atque sic *transitum Spirituum Animalium impediendo*.

3. Nervos lædentia.

XXVIII. 3. *Omnia Nervos, aut spinalem medullam dissecantia, vulnera, &c.*

4. Narcotica,

XXIX. 4. *Omnia Narcotica Spiritus Animales torpidos & immobiles præstantia, atque aliquam Paralyseos speciem excitantia*; non tamen tàm periculosam, nec curatu tàm difficilem, quàm sunt præcedentes: quod fit, quando non omnes spiritus Animales narcosi afficiuntur, ut in Apoplexia, sed in quibusdam duntaxat partibus, ex Opiato illi applicato, aut alio Narcotico partem certam afficiente.

Pituita in corpore duplici modo.

XXX. *Pituita* autem *spinalem Medullam angustans vel in toto corpore redundat*, variarum functionum læsarum consequens; *vel privatim in capite generatur, aut cumulatur*, & quidem Cerebri aut Cerebelli vitio; quoties illa debiliora facta *coacervant Pituitam* in sanguine existentem, *aut eandem in Pituitam mutant*.

Quot modis coacervatur in Cerebro,

XXXI. *Coacervant* 1. quando *non excernitur per nares aut palatum illa*, quæ naturaliter in ipsis secernitur.

XXXII. 2. Quando *nimis multùm Pituitæ secernunt, & plùs quàm decebat, nec tamen illam rursus excernere possunt*.

Quando Sanguis in Pituitam mutatur,

XXXIII. *Eundem sanguinem in Pituitam mutant*, quando repleta sunt humore sanguinem in Pituitam mutare apto; qualis forsan est spiritus Acidi peculiaris species, per Ingeniosam industriam inveniendus, & accuratam experientiam confirmandus.

Paralyseos differentia.

XXXIV. Antequam ad *Paralyseos* Curationem transeamus, pauca de Ejus *differentiis* monenda occurrunt.

Primaria. *Paraplegia.* *Hemiplegia.*

XXXV. *Primaria autem Paralyseos differentia desumitur à partibus affectis pluribus vel paucioribus*, unde 1. *Gravissima Paralyseos species est Paraplegia*, in qua omnes sub capite partes resolvuntur. 2. *huic proxime accedens Hemiplegia*, quando alterutrius lateris partes omnes afficiuntur, & cui æquiparandam censeo *Partium inferiorum, utriusque puta pedis, Paralysin*. 3. loco poni possunt *concurrentes variarum partium Paralyses*. Unde 4. *loco levissima erit*, quæ *unam duntaxat*, *afficit*, *tantòque levior*, *quò partem ad vitæ naturalis felicitatem minùs necessariam occupat*.

Secunda differentia,

XXXVI. *Secunda differentia desumetur ab aliorum affectuum simul concurrentium*, ægrumque itidem affligentium *comitatu*, *vel absentia*; unde alia *Paralysis* dicetur *Solitaria*, *alia Comitata*.

Solitaria.

XXXVII. *Solitaria* erit, quæ præter Abolitum in parte partibusve Motum & Sensum, nullum alium comitem agnoscit affectum ægrum urgentem.

Comitata. Et quidem sensus immobilitas,

XXXVIII. Ad *comitatam Paralysin* referunt aliqui *eam motus læsi speciem*, *quæ Colicos dolores nonnunquam sequi solet*; in quà *cum membri immobilitate* quidem, *non* autem *vera resolutione* jungitur *affectæ partis dolor gravis & atrox*, illam vehementer affligens, adeò ut plerumque *in convulsiones transeat* hic affectus, ægrosque juguler.

Hanc non esse Paralysis speciem.

XXXIX. Ex quibus omnibus facilè patet, perperam Paralyseos nomine indigitari hunc affectum, cùm reverà sit partis Immobilitas quidem, non autem Paralysis aut resolutio.

Et quare.

XL. Immobilitas autem est Genus, cujus una species est *Paralysis ex partis moventis*, *sive musculi deficiente contractione orta*; præter quam multæ aliæ esse possunt Immobilitatis species, tùm *ratione partis ipsius movendæ*, uti docuimus aliàs, tum etiam *ratione doloris in musculo siti*, ob quem contractionem ferre nequeat, uti in hac ex colico dolore orta paralysi fieri solet; *quò ampliùs urgente, cogitur tandem præter voluntatem contractio*, *sicque excitatur convulsio*, primam partis in ipsa immobilitatem consequens, ac tandem ægrum è medio tollens.

XLI. Nec tamen idcircò commodè videtur mihi ad Paralysin referri, quoniam post administrata varia humores acres, salsos & biliosos corrigentia, adeòque humiditate partes afficientia, quando cum successu hæc fiunt; remanet aliqua in partibus affectis debilitas, quæ moderatè calefacientibus & discutientibus est superanda.

XLII. Nam etiamsi cum illis humoribus acribus aliqua humiditas aquea conjuncta nonnunquam observaretur, Immobilitas tamen tunc concurrens non tam ab aquea humiditate deducenda, quàm ab acrimonia dolorem excitante sicque motum impediente.

Aliò relegare. Et quare.

XLIII. Malim proinde hanc Immobilitatis speciem aliò relegare, nec cum Paralysi conjungere; & vel idcircò quoque, quòd propriè *Paralysis ortum habeat à Causa non tantùm cum partis resolutione ejusdem motum Animalem, verùm consequenter sensum ipsum tollens*.

XLIV. Sunt autem *contradictoria*; *sensu destitui & atrocem dolorem sentire*. Quapropter *si sensu destituantur Paralytici*, *gravibus doloribus in eadem parte affici nequeunt*.

XLV. Unde *aut de Paralysis essentia non est*, *ne secundariò quidem*, *sensum ex parte aut in totum tolli*; aut *Paralysis non est*, *ubi sensus non tantùm non tollitur*, *sed acutus & subtilis observatur*, uti hoc necessariò contingit, ubi gravis & atrox sentitur Dolor.

XLVI. Seligatur ergò alterutrum, qui pro Paralysi habent Immobilitatem cum summo dolore, Colicam consequentem, & dicant, vel non labefactari tandemque aboleri sensum in Paralysi, vel non esse illam Immobilitatem Paralysin: quod mihi erat probandum.

Diversa saně à Paralysi.

XLVII. Utique malim ego pro peculiari affectu à Paralysi diverso habere illam Immobilitatem Colicos dolores subinde sequi solitam, quàm cum illa confundere, cùm non tantùm affligendi modus sit diversus, sed insuper causa assignetur diversa, ipsaque etiam curandi ratio diversa.

XLVIII. Hac ergò Immobilitate hoc loco prætermissa redeamus ad veram Paralysin; ejusque Curationem aggrediamur.

XLIX. Difficilis curatu affectus observatur Paralysis.

Paralysis curatu difficilis. Et cur.

L. Difficiliùs autem vel idcircò curatur, quòd Ægri vix perseverare velin in necessario medicamentorum usu protracto.

LI. Est enim Chronicus & longus affectus Paralysis omnis.

Apoplexiæ comes.

LII. Hæc uti plerumque Apoplexiam sequitur, sic & eandem nonnunquam præcedit ac prædicit.

Quænam curatu difficilior.

LIII. Quò autem Universalis magis est, pluresve partes simul infestat, eò difficiliùs quoque curatur; & vice-versa.

Quænam gravior.

LIV. Sic & gravior est, quæ spinalem medullam, aut nervos agnoscit pro parte affecta, quàm quæ musculorum fibras vel tendines.

Quænam incurabilis.

LV. Incurabilis autem est, quæ ex nervorum, aut spinalis medullæ dissectione oritur.

LVI. Difficiliùs quoque curatur inveterata, quàm nuper orta.

Curandi ratio varia.

LVII. Instituenda verò curandi ratio varia, pro partium affectarum causarumque afficientium varietate.

LVIII. Cùm autem primariæ Paralyseos species sint *Paraplegia*, & *Hemiplegia*, ex Apoplexia plerumque ortæ, aut à causa externa gravi excitatæ, & quidem *ab humore Pituitoso*, *vel Aqueo spinalem medullam totam, vel mediam ita irrigente, humectante, emolliente, aut quocunque tandem modo afficiente, ut liber* per ipsam *Spiritibus Animalibus denegetur transitus*, libet ab hac causa tanquam potiori & frequentiori Curationis omnis initium facere.

LIX.

Curatio Paralyseos ab humore pituitoso.

LIX. *Curatur* autem *Paralysis ab humor pituitoso à Capite sive Cerebro ad spinalem medullam delabente, eandemque vitiante,* 1. *humorem ab affecta parte tollendo.* 2. *novi affluxum præveniendo.* 3. *affectum vitiosum & dispositionem malam in medulla spinali excitatam emendando*, atque sic spiritibus animalibus transitum liberum restituendo.

1. Enum tollendo.

LX. *Humor ad affectam partem affluxus, si malum inducias det, prius educetur*, atque ejusdem affluxus paratus prævenietur, *tum purgantibus universalibus, tam caput-purgiis humorem è cerebro per nares & palatum evacuantibus, errhinis putà, sternutatoriis, atque apophlegmatizantibus.*

LXI. Non semel phlegmagogorum variorum mentionem fecimus, ut non opus sit idem semper repetere.

Et quidem satis validis Phlegmagogis.

LXII. Hoc tamen hic observandum, *satis valida hic usurpanda*, ob Causas in Apoplexiæ cura jam allegatas, non tamen tàm valida, atque in ipsa Apoplexia, *dosi* tamen *plena*: Imprimis autem *Colocynthis* conducu, & ex ipsa parati *Trochisci Alhandal* dicti, ut & *Hermodactyli* atque *Turbith gummosum*: addito Ipso *Mercurio dulci*, optimo in hoc affectu remedio Nam ut hoc notem, in *pituitosis humoribus, & quidem crassa pituita conducant omnia Mercurialia, non item in biliosis, in quibus præferuntur merito Antimonialia*, quæ tamen ubique commodè usurpari possunt.

Ut & Errhinis, sternutatoriis & apophlegmatizantibus.

LXIII. Ubi de Apoplexiæ cura egimus, meminimus simplicium primariorum ad *errhinam, sternutatoria, atque apophlegmatizantia* paranda utilium; quibus hic quoque uti licebit.

Nucha cauterium sive Setaceum imponendum.

LXIV. Ante omnia autem, & quidem mox in principio, *Cervici posteriori sedi*, sive *Nachæ* dictæ *Cauterium imponi debet, aut Setaceum*; cujus ope *materia peccans, & spinalem medullam vitians brevissime, citissime, ac tutissime* ab affecta parte retrahetur.

Vel vesicatoria, aut cucurbitula.

LXV. *Alterum si recusent Ægri* vel Adstantes, uti fieri solet, *vesicatoria* saltem, atque *cucurbitulæ tum simplices, tum scarificatæ nuchæ applicentur.*

Ab Ægris & ab Adstantibus eludi Medicorum consilia.

LXVI. Si recusent, inquam, Ægri vel Adstantes: *Neque enim novum est, eludi non rarò Medicorum consilia & impediri ab immorigeris ac delicatulis Ægris, qui blanditiis curari malunt quam Ferro aut Igne.*

LXVII. *Sed nec novum etiam est, Adstantium tergiversationibus, dilationibus, & alia sapientia turbari & eludi Medicorum etiam peritorum consilia optima*; Ita enim comparatum est cum nostra Medicina, ut quamvis Incertitudinis Ipsam culpent plerique, ac proinde Ipsis Artificibus minimam fidem adhibeant Nasutuli, sibi tamen quamvis rerum Medicarum plane ignaris plenam fidem haberi velint, & suo judicio vel nullo, vel puerili stare cupiant Ipsos etiam Medicos: qui proinde ni pro authoritate reprimant sciolorum audaciam, necesse habent suum plebejis submittere judicium, & ab illorum applausu aut explosione pendere.

Illi de periculo monendi.

LXVIII. *Tanti sc. facit unusquisque Judicium proprium, quo se præ cæteris omnibus antecellere nagantur plerique, dum pauci duntaxat, si non alienis, propriis saltem periculis cautiores facti suspendunt judicium suum, donec re probe examinata & cognita aptam de ipsa ferre queant sententiam; quod hominis prudentis propriam est, summeque in Medico necessarium, ne sc. temerè quid tentet, aut timidè negligat, verùm prudenter singula decernat, hinc generosè exequatur.*

LXIX. Cùm autem *in casu proposito* non rarò *periculum sit in mora*, quotiescunque necessariam judicaverit Medicus *Cauterij aut Setacei* in nucha applicationem, toties reluctantibus Ægris vel Adstantibus periculum præsens & grave contestarij dilationis vel omissionis noxam ostendere, ac tandem consecuturum damnum obluctantibus adscribere debet, quò territi saltem & mali futuri metu obsecundent, qui probè ac peritè suadenti parere nolunt.

Quod minimè Medico negligendum.

LXX. *Qui autem hæc præcepta negligit Medicus, non tantùm Ægros suos, verum semetipsam simul negligit: Ægros*, quatenus dolorem aut molestiam aliquam refugientes, non urgentur majori damno ab Ipsis Medicis, nec proinde coguntur quasi ad obsequium ipsis necessarium: *semetipsum* negligit Medicus, quatenus re postea malè cedente, culpa omnis in eum devolvitur, arguiturque aut imperitiæ, utpote non prævidentis damna futura; aut negligentiæ, utpote non providentis majori fervore atque contentione ad officium revocare Ægros, ob ferendam molestiam semper excusabiles.

Summum auxilium à Fonticulis & Setaceis expectandū.

LXXI. *Summum ergò in Paraplegia, atque Hemiplegia curanda auxilium à Fonticulis aut Setaceis in cervice institutis omninò expectari potest*: tum ratione evacuationis, tum ratione salis lixiviosi cauteria producentis & humorem noxium corrigentis: imprimis si subinde aliquid ejus fonticulo imponatur.

Venæsectio.

LXXII. *Venæ-sectionis* mentio fit à quibusdam, quæ tamen nisi comite plethora, non videtur habere locum: neque enim hic eadem est quæ in Apoplexia imminentis ab Interni cordis Ignis suffocatione periculi ratio.

LXXIII. Quòd si tamen *minùs commode* observetur *circuire sanguis*, idque *ex pulsu minùs pleno, adeòque parvo, at & respiratione anhelosa*, venæ-sectionem omninò necessariam puto, & quidem ob rationes in Apoplexiæ tractatione propositas: Et has duas à pulsu & respiratione desumptas notas omnibus & singulis commendo diligenter observandas, cùm non tantùm in hoc Casu, sed in multis aliis affectibus quoque considerari debeant, & Venæ-sectionem indicent, *pulsus* inquam *parvus & quidem oppressus, mollis tamen; ut & Respiratio anxia & anhelosa*, primaria sanguinis circa cordis ventriculos restagnantis & suffocationis periculum minantis signa & indicia,

Ad humores corrigendos conducere Sudorifera, & quanam.

LXXIV. Ad humores pituitosos tàm corrigendos & emendandos, quàm educendos conferunt Sudorifera, atque imprimis ex ligno guajacino, juniperino, sassafras, & similibus parata; quæ quotidie assumpta, quamvis sudorem non moveant, corrigunt tamen humorem peccantem, roborantque partes affectas, unde præ cæteris omnibus in frequenti usu esse debent; additis etiam rad. Chinæ, Sarsæparillæ, Iridis, Enulæ campanæ, Acori, Galangæ, Curcumæ & similibus, ut & fol. chamæpityos, salviæ, majoranæ, rorismarini, betonicæ, thymi, polii, &c. flor. primulæ veris, stœchados, anthos, &c. sem. carvi, fœniculi, sileris montani, erucæ, rutæ, baccis lauri, & juniperi &c. quibus omnibus humor pituitosus corrigitur & sensim consumitur, partesque ab ipso malè dispositæ & affectæ in integrum tandem restituuntur, quod tertium erat agendorum.

Fotus & Balnea.

LXXV. Non tantùm illa internè sumi, verùm externè quoque applicari possunt, & quidem per fotus, aut balnea.

LXXVI. Per fotus, decoquendo in Cerevisia, Vino, Vini Spiritu, aut Lixivio: & applicando calidè parti affectæ; eamque continuè servando calidam: Nihil enim æquè paralyticis partibus nocet, ac frigus.

LXXVII. Balnea imprimis conducunt tum naturalia, Thermæ sulphureæ præsertim; tum artificialia ex plantis enarratis, additis sulphure, sale lixivioso, & similibus parata, & quotidie usurpata.

Hypocausta, aut Stupha Sicca.

LXXVIII. Illorum autem loco non incommodè usurpari possunt hypocausta, aut stuphæ siccæ, cum vini spiritu paratæ; ut & in decumbentibus continuè Machina instar Cistæ corpus tegens, & accenso in extremitate spiritu vini aromatico aditum ad membra paralytica concedens, unde & sudor copiosus excitari potest, & partes affectæ egregiè roborari.

Olea, Linimenta, Unguenta, Emplastra.

LXXIX. *Humori pituitoso emendando, & consumendo; partibusque roborandis inserviunt* quoque *Olea, Linimenta, Unguenta & Emplastra*: & quidem in iis duntaxat, quorum cutis pinguia ferre potest.

Quosdam pinguia ferre non posse.

LXXX. Accidit enim multis, ut ex pinguium quorumvis applicatione vel illinitione mox pustulæ excitentur, & erysipelas partem universam corripiat, & quandoque partis sequatur mortificatio & gangræna: quod observasse proderit Medico & Ægris.

LXXXI. Ubi ergò pinguia ferre possunt ægri, varia forma usurpari possunt, & imprimis olea, cùm sic faciliùs penetrent, & quidem penitiùs quoque.

Quænam Olea conveniant.

LXXXII. *Olea* autem convenientia sunt inter vulgaria *tum expressa*, ex nucibus juglandibus, baccis juniperi, ac semine Trifoli asphaltitis sive bituminosi, quod valdè commendatur.

LXXXIII. *Tùm Infusa & decocta*, rutaceum, costinum, lumbricorum, nardinum, de Euphorbio, de Castoreo & similia.

LXXXIV. *Tum stillatitia*, Terebinthinæ, de Lateribus, Succini, Ceræ, Rorismarini, galbani, & similia plura.

Quænam Unguenta.

LXXXV. Intèr *Unguenta* Usitata commendantur Martiatum, Agrippæ, Nervinum &c.

Quænam Emplastra.

LXXXVI. *Emplastra* ex Usitatis laudantur de baccis Lauri, Betonicæ, Meliloti, Oxycroceum &c.

Infusio in Vini Spiritu.

LXXXVII. Ubi autem noxia sunt pinguia, *infundi* possunt radices, herbæ, semina &c. paralysi convenientia *in Spiritu Vini* rectificato, & illo illini partes affectæ.

Alimenta Medicamentosa.

LXXXVIII Possunt etiam *Alimenta* Paralyticorum reddi medicamentosa, & quidem tàm cibi, quàm potus.

Panis.

LXXXIX. *Cibi*, & 1. *panis*, immiscendo & impastando illi varia convenientia & minùs ingrata, semina putà carvi, fœniculi, anisi, & hisce in locis usitata cumini.

Carnis.

XC. *Carnes Condiri* possunt Majorana, Roremarino, Salvia, Nuce Moschata, Garyophyllis & similibus.

Semen sinapis.

XCI. Aut pro *Condimento*, usarpari potest semen sinapi cum aceto tritum in bellarium.

Vinum Medicatum.

XCII. *Vinum* imprimis reddi potest Medicatum, infundendo in ipsu folia, flores, semina simplicium pituitam corrigentium, jam enumeratorum.

Hydromeli.

XCIII. Potest quoque parari *Hydromeli* salviatum, aut aliud antiparalyticum, atque in dies parva quantitate usurpari.

Continuatione opus in usu Medicamentorum.

XCIV. Ante omnia autem *continuatione opus est*, cùm difficulter superetur humor Paralysin, universalem imprimis, excitans. Unde *suspicor aliquid peculiaris in illa pituita reperiri, quod nondum satis assequimur, cujus nomine afficiat tàm nocenter & tam pertinaciter omne genus nervosum*: quodque sedulò quærendum puto, ac tum faciliùs superatum iri hunc affectum tàm rebellem.

Alumen plumosum utile.

XCV. Putarim etiam *Alumen plumosum* tum crudum, tum præparatum utile futurum in hoc affectu, si oleis immisceatur & illinatur.

Aer Frigidus & Humidus Vitandus.

XCVI. Imprimis cavendum ab *aere frigido & humido, ventisque turbato*.

Corporis exercitia adhibenda.

CXVII. *Corporis, exercitia*, ubi licet, *frictiones* saltem usurpentur frequenter.

Animus sit hilaris.

XCVII. *Animus ad hilaritatem* sit compositus; vitetur ante omnia *mæror & timor*; *sed & Ira* noxia existit, cùm humores omnes, pituitosos æquè ac biliosos commoveat.

Somnus brevis.

XCIX. *Somnus* sit brevis.

Alvus laxa.

C. *Alvi dejectio*, si fieri queat, respondeat quotidie.

Caput per nares expurgandū.

CI. Præ cæteris omnibus *Capitis evacuatio & expurgatio per nares & palatum* si supprimatur, excitanda errhinis, & apophlegmatizantibus, masticatoriis præsertim.

Particularis Paralyseos curatio.

CII. Quoties particularis Paralysis ob nervum à pituita malè affectum oritur, toties simili, quo dictum, modo curabitur illa; & imprimis medicamentis externis affecto nervo applicatis; Oleis, Unguentis, Emplastris, Spiritu Vini medicato, Balneis, Frictionibus, Cucurbitulis, scarificatis quandoque, Vesicatoriis, ut & Fonticulis, tegumentis & similibus.

Ab humore pituitoso.

CIII. Quoties autem in particulari Paralysi ipsæ musculorum fibræ vel tendines relaxati sunt ab humore pituitoso eo delabente, aut humiditate externa eo penetrante: toties non dissimili ratione curabitur; evacuando pituitam, si copiosà sit, per alvum, vel sudores; eandem emendando per memorata; partesque roborando per eadem enumerata.

Ab externa humiditate.

CIV. Ab externa humiditate si habeat ortum, & vel nervus, vel musculus malè sit affectus, non ita difficulter curari potest, dummodò non negligatur, ac in tempore succurratur, antequam habitum contraxerit malum, tum enim difficulter & subinde minimè tolli potest, ac superari, quando sc. eousque processit laxitas, flacciditas, ut restitui nequeat in integrum; Nec novum est, membranas eousque humectari subinde atque emolliri, ut postmodum ad pristinam firmitatem & naturalem tensionem reduci nequeant, sed vel nimiùm tunc rigescant, vel minùs; quod utrumque vitiosum. Idem in corpore cur fieri nequeat, non video: imò fieri debere, arguit hoc malum non rarò incurabile.

In principio vigilandum.

CV. Moneo proinde iterum omnes, ne in principio negligant ægros, verùm confestim festinent talis affectus curam: nam hic verè habet locum usitatum Distichon.

Principiis obsta, serò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

CVI. A distectione spinalis medullæ, nervorum, musculorum ac tendinum, incurabilem diximus esse Paralysin.

Paralysis à Narcosi qui curanda.

CVII. A Narcosi quæ oritur, curabitur 1. removendo omnia externa narcosin producentia. 2. corrigendo vitia à narcoticis introducta, spiritibus sc. animalibus, & imprimis acribus, Sale lixivioso volatili præditis, uti Oleo de Castoreo, euphorbio & similibus, parti illitis; ut & sudoriferis acrioribus, ex cort. & ligno Guajaci, lignu Sassafras, &c. Vesicatoria hic quoque conducere posse puto: de quibus quoniam in Apoplexiæ cura jam actum est, ab eorundem repetitione nunc super sedebimus; atque sic Paralyseos Curandæ finem faciemus,

CAPUT XXIII.

De Convulsione sive Spasmo.

Paralysis & Convulsio Affectus contrarii.

I. UT Epilepsiæ Apoplexiam, sic Paralysi Convulsionem subjungemus, & quidem eò magis, quòd contrarii sint affectus.

II. In *Paralysi* namque *languida, resolutaque* observantur *membra* movenda, *in Convulsione* verò *rigida & contracta*.

Convulsionis natura ignota.

III. De Convulsionis autem natura & essentia cùm non satis conveniat inter Medicos, licebit nobis mora nostro liberè in veritatem inquirere, citra tamen ullius vituperium.

Externa ejus signa

IV. Quapropter gravem hunc & periculi nonnunquam plenum affectum ab externis ejusdem signis describemus, ut inde gradatim ad ejusdem penetralia perveniamus.

Qui membra in convulsione sint disposita.

V. Utique *Convulsorum membra eodem modo disposita sunt, uti* solent esse disposita; *quando voluntario* sed *potentiori cieatur motu*: *Contrahuntur* sc. eodem, *quo in sanis, modo musculi*, partesque per musculos moveri solitæ eodem quoque, quo in sanitate fieri solet, modò moventur.

VI. *Dif-*

VI. *Differt* autem in *eouterque motus*, quòd *in sanis sit Voluntarius, moderatus, & in contrarium pro arbitrio mutabilis*; In *Convulsis verò Invitus, coactus, immoderatus, & ne vi quidem ad naturalem situm pars reducibilis*, adeò ut rigida permaneat pars convulsa; rigidum membrum convulsum.

Convulsionis Natura in quo sita. VII. Adeò ut *tota Convulsionis Natura* in eo videatur consistere, *quòd Motus ille animalis dictus desinat esse voluntarius ac liber, fitque coactus & invitus.*

Esse auctũ p. n. motum animalem. VIII. Cùm ergò in *Convulsione non desinat pars moveri, id est, per musculum unum, vel plures flecti, entendi, aut quocunque tandem modo cogi*, quin potius *potentiùs & arctiùs*, naturali tamen modo haud absimili, pars moveatur, hoc est, per musculos suos flectatur, extendatur, &c. atque ita mota, flexa sc. vel extensa conservetur, omninò *pro aucto præter naturam motu animali habenda Convulsio.*

Qualis sit affectus. IX. Quemadmodum ergo *Paralysis* nobis erat *Affectus in Animali Motu præter naturam Abolito vel Imminuto*: sic *Convulsio* nobis est *Affectus in eodem animali motu præter naturam Aucto.*

Unde oriatur. X. Et quemadmodum *Paralysis* nobis *oriebatur ex defectu expansionis aut distensionis, Insufflationisve fibrarum musculosarum*; sic *Convulsio orietur nobis ex nimia expansione, distentione, aut Insufflatione earundem fibrarum musculorum.*

Unde partium movendarum tensio. XI. Et quemadmodum ex defectu illius Insufflationis fibrarum ad partium in convenienti situ & naturali firmitate conservationem requisitæ oriebatur flacciditas & laxitas membrorum movendorum; sic *ex nimia earundem fibrarum insufflatione sequitur in Convulsione nimia partium movendorum rigiditas & tensio.*

Ejus causa proxima. XII. Unde non ita difficile nobis erit *proximam Convulsionis causam* explicari, dummodò *de motus voluntarii causa proxima* conveniat.

Motus voluntarii causa proxima. XIII. *Hæc enim si*, uti nobis saltem videtur, *sit Spiritus animalis ex naturæ quidem lege continuè à Cerebro & Cerebello per nervos ad musculorum fibras mediocri quantitate delatus, ad Voluntatis verò dictamen & imperium copia majori eodem propulsus*: utique *Convulsionis Causa proxima erit Idem Spiritus Animalis copia nimia ad easdem fibras impulsus, & quidem extra, imò contra Voluntatis decretum.*

XIV. Docuimus enim alibi, *continuè, ac sine intermissione deferri ad musculorum fibras Spiritus Animales naturaliter, sicque servari oppositos in æquilibrio musculos*; idque convicimus per *Oris torturam*, ex alterutrius maxillæ, labiorumque musculis paralyticis ortam, musculis sc. oppositis, cæterùm sanis, mox partem sanam nimiùm contrahentibus & quidem convellentibus, idque ob defectum renitentiæ & æquilibrii Paralysin consequentem.

Quomodo fiat. XV. Quoties autem lubet homini hanc aut illam partem flectere, extendere, aliove motu ciere, toties ad musculos ipsam flectentes aut extendentes copia majori mittit Spiritus animales; qui musculos illos potentiùs inflantes & contrahentes quàm inflantur & contrahuntur oppositi, partem quoque ipsis musculis contractis junctam simul flectunt vel extendunt: quæ nostro arbitratu est ratio motus voluntarii.

Qui fiat motus involuntarius & convulsus. XVI. In motu autem involuntario, invito & coacto, sive Convulsione propelluntur quoque, sed præter ac contra Voluntatis jussum, copiosiùs in horum, illorumve, aut utrorumque musculorum fibras spiritus animales *à Causa præternaturali acti.*

XVII. Propelluntur ergò *in Motu Voluntario Spiritus Animales copiosiùs* ad musculorum fibras *ab ipsa Anima liberè agente*, in *Convulsione* autem *à Causa alia præter naturæ leges in homine reperta & Spiritus Animales eò adigente*

Convulsionis differentia. XVIII. Antequam autem Causa præternaturalis spiritus animales copiosiùs ad musculorum fibras contra Voluntatis dictamen propellens proponatur imo ut faciliùs eadem eruatur & confirmetur, docendum in antecessum, *Convulsionum* observari *varias differentias*,

XIX. Nam observatur *Convulsio* quandoque *Universalis in Tetano, sive Rigore*; in quo omnes universi corporis partes convelluntur, ac idcirco *rectum & distentum* occurrit tunc corpus hominis ac rigidum. *Universalis. Tetanus.*

XX. Quandoque observatur *Convulsio* quasi *Semi-universalis, in ἐμπροσθοτόνῳ & ὀπισθοτόνῳ*; in quibus *vel Antrorsùm vel Retrorsùm* convelluntur & flectuntur omnes universi corporis partes, ex musculis nunc anterioribus, nunc posterioribus præter naturam contractis, & *totum corpus vel antrorsum, vel retrorsùm inflectentibus.* *Semi-Universalis. Emprosthotonas Opisthotonas.*

XXI. Quandoque observatur *Convulsio particularis*, non universum corpus, sed quasdam duntaxat ejus partes, Caput putà, vel artus, &c. & quidem nunc plures, nunc pauciores occupans & vexans. *Particularis.*

XXII. Atque ex hac Convulsionum differentia, qua nunc universum corpus nunc quasdam duntaxat ejusdem partes affici patet, faciliùs in causam præternaturalem spiritus animales copiosiùs ad musculorum affectorum fibras propellentem perveniri posse puto. *Ex his differentiis causa faciliùs invenitur.*

XXIII. Cùm enim *non tantùm particularis, verùm universalis* quoque *excitari queat Convulsio*, patet 1. *locum primariò affectum esse posse Ipsum Cerebrum ac Cerebellum, Initium saltem radicum spinalis medullæ.* *Locus primariò affectus.*

XXIV. 2. *Causam Convulsionis esse talem, quæ eò pervenire queat.* *Qualis sit causa.*

XXV. 3. *Causam eandem talem esse, ut Spiritus Animales copiosiùs ad omnes omninò musculos commovere queat.* *Qui operari queat.*

XXVI. 4. *Causam eandem idem effecturam vel agitando, & cogendo Spiritus Animales ad musculorum fibras: vel irritando & molestando Cerebrum ac Cerebellum spinalisve medullæ radices, ut ab illis, aut ab anima eò adigantur etiam involuntariè iidem spiritus,*

XXVII. *Postremum locum habere posse arguit nervi cujusvis punctura*, quam mox musculi (cujus nervus est) sequi solet convulsio, *ejusdem nervi dissectione* mox *curabilis.* *Nervi punctura causa convulsionis.*

XXVIII. Vndè *deduco* 1. *in nervi punctura non impediri transitum Spiritibus Animalibus ad musculum, quin potiùs majori copia eò allici.* *Et quomodò.*

XXIX. 2. *In eadem nervi punctura affici præsertim partem nervi membraneam & extimam admodum sensilem; non æque medullarem & internam.*

XXX. Sed & 3. *ex utroque hoc deducto* ampliùs *deduco, Cerebri, ac Cerebelli aut spinalis medullæ radicum partem membranosam affici debere, non medullarem, ut consequatur Convulsio.* *Quædam pars cerebri afficiatur.*

XXXI. Sed & *probabiliter deduco* 4. quemadmodum ex punctura, aut humore acri nervos privatos afficiente observamus produci Convulsiones particulares, sic etiam *ab humoribus acribus Cerebri, Cerebellique aut spinalis medullæ radicum partes membranosas rodentibus aut alias incommode molestantibus produci posse Convulsiones Universales*: uti hoc aliquando accidere observamus *in Febribus ardentibus*, aliisque affectibus ab acri humore ortis, & halitus similes emittentibus, Ipsoque adeò affectu suprà nobis memorato, Colicum dolorem consequente, ac perperam ad Paralyseos species relato; cùm reverà ad Convulsionem referri debeat. *A quibus convulsio producatur.*

XXXII. *An* autem præter hanc vellicationem *Causa aliqua* in homine *reperiri possit, quæ Spiritus Animales propria vi ita cogere atque agitare queat, ut copiosiùs in universi corporis musculos ruant & convulsionem universalem pariant, valdè ambigo.* Mihi saltem nihil occurrit, cui hoc adscribere queam.

XXXIII.

Eius causa Humorum Acrimonia.

XXXIII. Quapropter in *præmissa unica acquiesco causa, humorum scil. Acrimonia tali*, quæ *membranosas Cerebri, Cerebellique & spinalis medullæ, nervorumque adeò omnium partes ita vellicare queat & malè afficere, ut eam consequatur impetuosus, copiosus, & perseverans Spirituum Animalium ad musculorum fibras motus, adeòque Spasmus sive Convulsio.*

XXXIV. Illud autem vel hoc magis confirmatur, quòd quoties sensu & ratione valent universaliter Convulsi, uti iis nonnunquam valent, toties ferè præcessit, vel perdurat adhuc dolor vel ardor Capitis gravis & valdè molestus: quem non tantùm Convulsio, sed quandoque etiam Convulsivus motus solet sequi; imò alternis vicibus uterque ipsos urgere.

Qua ratione sit causa.

XXXV. Unde & hoc deduci posse videtur, *Convulsionis omnis causam remotiorem, & partes membranosas* spinalis medullæ, aut nervorum ad convulsionem cogentem, *quatenus sensum molestia vel dolore afficit, id efficere.*

Eam esse Tactus & Caloris sensus objecta.

XXXVI. *In partibus autem spinalis medullæ, nervorumque membranosis* non visus, non auditus, non olfactus, non gustus *vigent*; verùm *solos Tactus & Caloris sensus*: unde *horum sensuum objecta, sensorium malè afficientia, Convulsionis erunt Causæ.*

Eaque 1. vel duru.

XXXVII. Et certè, si quis Experientiam, summam in Arte Medica Magistram, consulat, comperiet vel 1. *ab objecto duro, telo* putà, *gladio, acu* & similibus malè affectam, læsamque & punctam membranosam nervorum partem, Convulsioni ansam præbere: uti frequentissimè accidit nervo pro vena puncto à Chirurgis.

2. Vel ardentia.

XXXVIII. Vel 2. *ab objecto ardente, Igne putà vel puro, vel in Sale lixivioso retorrido, Spirituve acido latitante, & Acrimoniam quamvis producente vel augente*, Mordicari, Uri, Corrodi, vel alio quovis modo malè affici easdem partes membranosas, & Convulsionem produci.

Quod confirmatur ab assumptis Acribus.

XXXIX. Hinc est, quòd *ab assumptis Rebus Acribus, Mercurio sublimato corrosivo, Arsenico, Euphorbio*, aliisque similibus *tàm frequentes oriantur Convulsiones.*

Ab Affectibus ab humorũ Acrimonia productis.

XL. Hinc est, quòd *in variis affectibus ab humorum Acrimonia productis*, quoties *ad Caput efferuntur halitus Acres, & membranosas corrodunt partes*, toties ferè sequuntur quoque *Convulsiones*, pro Acrimonia majori, vel minori, materiæque copia itidem majori, vel minori, ac pertinacia varia graviùs vel leviùs, diutiùs vel breviùs affligentes.

Ab Ardentibus Febribus &c.

XLI Hinc est, *quòd in ardentibus Febribus, aliisque morbis, Cerebri præsertim Inflammatione, graves* & non raró lethales *excitentur Convulsiones.*

Quaenam esse queant causæ Convulsionis.

XLII. Concludimus proinde, *quicquid duritie sua, vel Acrimonia urente aptum est lædere partes spinalis medullæ, vel nervorum membranosas*, id *ipsum quoque causam esse posse motus involuntarii, copiosi, & perseverantis Spirituum Animalium ad musculos, adeòque Convulsionis.*

Dura & quidem 1. Tela.

XLIII. Inter *dura* illa enumerari possunt & debent 1. *omnia Telorum & scalpellorum genera*, acumine suo nervorum partes membranosas pungentium & lædentium, forinsecùs homini obvenientia.

2. Ossa.

XLIV. 2. *Ossa* in corpore humano *fracta* & ita quidem, ut fragmenta quædam acuminata membranosam nervorum partem alicubi lædant; potestque hæc causa inter internas enumerari.

Acria. 1. Omnia Inflammationem excitantia.

XLV. *Inter Acria* enumeramus 1. *omnia Inflammationem excitantia*; quæ ubi membranosas nervorum, aut Cerebri, Cerebellive, aut spinalis medullæ partes corripit, ut plurimùm comites habet Convulsiones.

2. Acida non temperata.

XLVI. 2. *Omnia Acida non temperata* & *imprimis concentrata*, uti in Mercurio sublimato & similibus.

3. Forsan Salia lixiviosa retorrida.

XLVII. 3. *An per lixiviosam saltem retorridum solum existentia Acria* idem efficere queant, non ausim asseverare, nec negare; cùm impræsentiarum non suppetat exemplum vel observatio, quæ hoc satis confirmet, aut infirmet.

Humores Acres. 1. Bilis.

XLVIII. Ex humoribus autem in corpore nostro occurrentibus enumeratur & quidem meritò, 1. *loco Bilis, & præsertim atra*, utpote omnium acerrima, & acidissima.

2. Pituita putrefacta.

XLIX. 2. *Pituita putrefacta*, in *qua aut Acidus Spiritus, aut Sal lixiviosum excedet*, si ullam ostenter ipsa Acrimoniam.

Sanguinem à Bile inflammar, & putrefieri.

L. *Bilis eadem uti sanguinem reddit inflammabilem, sic in omni inflammatione primas partes exequi videtur, & sanguinem ad suppurationem perducere.*

Et qua ratione.

LI. *Inflammabilem reddit sanguinem, quatenus* & Spiritum Acidum infringit, & subtile Oleum præbet interno Igni Cordis, facilè accendendum.

LII. *Sanguinem ad suppurationem deducit eadem Bilis*, quatenus Ipsum extra vasa sua & locum convenientem ac naturam effusum, ad quiescentem (quoad motum circularem) secundùm partes suas commovet & agitat, effervescentiam instituendo cum ejusdem Spiritu Acido, recedente sensim Spiritu Volatili utriusque moderatore primario, & temperatore; unde utriusque, lixiviosi putà Salis & Spiritus Acidi, Acrimonia sentitur & dolorem parti affert, donec tandem sedetur illa effervescentia, sicque temperetur utriusque Acrimonia, affluente copiosiùs ad partem dolentem Spiritu Animali, utrumque itidem temperaturo, ac sic dolorem sedaturo.

Erysipelas unde.

LIII. Ubi autem sanguis non simul adest & quidem extra vasa sua effusus, Inflammatio nulla fit; verùm *à Bile pura Erysipelas; ubi scil. Bilis sine sanguine in partem aliquam effunditur* aut erumpit, *illamque Acrimonia sua vexat & malè afficit, ac ex conflicta dolorem excitat* in parte sensu prædita: *ubi enim sensus non est*, uti parte carnosa, *corrumpitur & mortificatur ea nonnunquam sine ullo sensu.*

Accensio ignis in Corde à Bile.

LIV. Accenditur ergò potentiùs vel debiliùs in sanguine Ignis Cordis internus, pro ipsius sanguinis ad incendium dispositione majore vel minore. Accedit verò sanguini ad incendium majus suscipiendum dispositio primaria à Bile, oleo turgente; uti contraria à Spiritu Acido aqua diluto: humore nimirum utroque à naturali & debito statu recedente & vitioso, Bile naturali putà, & Succo Pancreatico, atque Saliva.

Prognosis.

LV. Sed hæc per transennam dicta sunto, revertamur ad Convulsionem, cujus causas postquam absolvimus, pergendum rectà ad Ejusdem Curationem, si priùs quædam ad ejus Prognosin facientia monuerimus.

Convulsio gravis affectus.

LVI. Gravem affectum Convulsionem esse, nemo negabit, qui ejusdem vehementiam observaverit.

Quatenus gravior; & quatenus levior.

LVII. Eò autem gravior est Convulsio, quò vehementior & diuturnior eadem existit, & quò plures, vitæque magis necessarias partes afficit: & vice versa, eò levior, quò blandiùs affligit, citiùs cessat, & pauciores, vitæque minùs necessarias invadit partes.

Quæ partes vitæ maximè necessariæ.

LVIII. Inter partes autem vitæ quàm maximè necessarias recensentur meritò, quæ respirationi inserviunt & pulsui; quibus graviter læsis valde periclitari de vita hominem, nemo nescit.

A Convulsione viriũ prostratio.

LIX. Præter quæ damna, non raró à Convulsione gravi, ob dolores comites, virium sequitur prostratio, exhaustis magna vi animalibus spiritibus.

A Superpurgatione convulsio qualis.

LX. A Superpurgatione Convulsio, mala censetur: non tam semper à Medicamenti Acrimonia, quàm humorum motorum. Malum tamen est, si acre exhibeatur Medicamentum, à quo Convulsio excitari queat.

LXI.

In febribus acutis qualis.

LXI. In febribus acutis Convulsio mala: Indicat enim ad Caput rapi humores, aut membranosas saltem nervorum partes acribus affici humoribus.

A phrenitide qualis.

LXII. Imprimis Convulsiones, quæ phrenitidas consequuntur, semper ferè lethales; ob inflammationem meningum cerebri.

A Vulnere qualis.

LXIII. Periculosa quoque est à Vulnere Convulsio; vel ob partis nervosæ læsionem vel ob comitem humoris moti aut in vulnere producti acrimoniam.

A copioso sanguinis fluxu qualis.

LXIV. A copioso sanguinis fluxu Convulsio, mala: Indicat enim biliosos vel aliàs acres humores temperamentum suum à sanguine desiderare, atque ferocientes membranosas nervorum partes aggredi.

Febrem Convulsioni, quam hanc illi supervenire, melius.

LXV. Febrem Convulsioni supervenire melius est, quàm Convulsionem Febri; Unde spasmo si febris supervenerit, Morbum solvit. Ubi namque Convulsioni supervenit Febris; signum est, humorem Convulsionis causam sanguini misceri, à quo faciliùs temperari potest, & in ipso per medicamenta superari, quàm secretum à sanguine & membranosæ parti alicubi inhærentem.

LXVI. Ubi autem Febri supervenit Convulsio, signum est, humorem secretum à sanguine, non excretum è corpore; verùm effusum in partes nervosas, easdem graviter afficiendo, & convulsionem excitare & vires prosternere.

Convulsio rarò in quartanis.

LXVII. Quartana correpti non facilè convulsionem patiuntur; in illis namque non tam abundant humores biliosi, acres; sed imprimis pituitosi viscidiores, hoc est, melancholici, acrimonia plerumque carentes.

Hæc illius medela.

LXVIII. Qui convulsione tentati sunt priùs, superveniente quartana liberantur; signum enim humorem acrem esse domatum, & viscidiorem nunc dominium obtinere.

Prognosis in Tetano.

LXIX. Quicunque Tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt; si hos effugiunt, sani fiunt. Gravis utique causa sit oportet, quæ omnia corporis membra simul ad Convulsionem perducat; & tamdiu perseveret; unde necessariò respiratio simul lædi debet, ac humo interimi, nisi brevi tollatur malum ab humoris acrimonia pendens. Quòd si superetur brevi humor, aut aliò feratur, convalescentiæ spes aliqua superest.

In Curatione dissensus

LXXX. Postquam & in Convulsionis vera essentia, & in parte verè affecta, & in Causa legitima, & in productionis modo non satis convenit inter Authores, quis mirabitur, si & in Curatione dissentiant Multi, & illi præsertim, qui plùs suis tribuunt Conceptibus, quàm Experientiæ; sine qua cæcutiendum est omnibus in Arte Medica.

Cæcutiunt in Medicina qui ab Experientia recedunt.

LXXI. Cæcutiendum, inquam, est omnibus & singulis in Arte Medica, qui vel latum unguem recedunt ab iis, quæ docet Experientia, & suis indulgent figmentis, aut purisputis ratiociniis.

Ratiocinatione etiam utendum.

LXXII. Utendum certè est ratiocinatione in Arte Medica, tum ad affectum ipsum dignoscendum, quoties in sensus non incurrit: utendum est ratiocinatinne ad causas affectus omnes, & proximam & remotiores cognoscendas: Utendum est ratiocinatione ad auxilia & remedia convenientissima excogitanda & commodè usurpanda.

Et quomodo

LXXIII. Sed ita utendum est ratiocinatione, ut illi soli unique non fidamus, verùm ad veritatis trutinam, Experientiam, illam revocemus expendendam determendamque.

Quænam probata, quæ secus.

LXXIV. Hujus, Experientiæ putà, probam si sustinuerit Ratiocinatio, probata vocabitur & certa; sin minus, improbabitur & rejicietur, tanquam probabilis & verosimilis, non probata, nec vera.

Non licet bis peccare in Medicina.

LXXV. Non semper autem bis peccare licet in Arte, hoc est praxi Medica; & puerile est Medicum audire continè conquerentem ac errores suos & sphalmata excusantem, dicendo *Non putabam*.

Quis Medici nomen mereatur.

LXXVI. Neque enim Medici nomen meretur, qui sui admirator, putat se sapere; verùm qui sui diffisus, & ab Experientia doctus ipso opere ostendit se sapere, & ægros curare posse.

Ratio Dux, Experientia Comes.

LXXVII. Hæc ut nostro proposito accommodemus, in re difficili & perplexa, in affectu multis Grandiloquis rariùs vel nunquam fortè viso, minùs curato, dicta nostra ita temperabimus, ut perpetuò Rationi Duci Comitem jungamus Experientiam; utpote à qua ratiocinationis omnis legitimæ initium sumit, & ab eadem tanquam judice summo approbationem aut improbationem expectat Recta Ratio.

LXXVIII. Consideranda sunt proinde, quæ Viri opere ipso quàm verbis majores de Convulsionis curatione à se instituta memoriæ prodiderint ac scripserint.

Unde rationem curationis desumpserit Autor.

LXXIX. Quemadmodum autem in Causa Convulsionis vera eruenda exemplum & argumentum, sive ratiocinationis necessariæ fundamentum sumpsimus à Convulsione ex nervi punctura orta, sic & nunc ab ejusdem legitimo & experientia comprobato curandi modo, rationem & modum Curandi omnem Convulsionem deducere conabimur.

Convulsionis Historia in Carolo Nono Galliarum Rege.

LXXX. Utique memoratu dignissima est Historia Caroli Noni Galliarum Regis, ex puncto (venæ loco) nervo dolorem ingentem, hinc & gravem convulsionem mox perpessi, ab Ambrosio Paræo Operum suorum lib. 1x. cap. 58. descripta; Quæ quoniam multa notatu digna continet, libet in eorum, quos à me doceri neutiquam tædet, commodum & utilitatem ipsam exscriptam perpendere atque explicare, quandoquidem lucem non mediocrem afferet illa secuturis de Convulsionis omnis cura dicendis.

LXXXI. Ita autem rem narrat Paræus: *Regi febricitanti sanguinis detractio præscripta est, atque vocatus Chirurgus ejus operis gloria famatissimus. Sed cùm forte fortuna nervum pro vena pupugisset, exclamavit Rex, dolorem se eò loci ingentem percipere.*

In nervo puncto ingens dolor.

LXXXII. Ubi notandum, mox dolorem ingentem sentiri in nervo puncto: atque sic confirmari, quod dixi, affici partem nervorum membranosam ab objecto molesto, & dolorem excitante.

LXXXIII. Pergit autem Paræus; *Tum ego edixi, ut extemplo vincula solverentur, alias brevi in altum tumorem actum iri brachium. Sed cùm id segniùs fieret, ecce tumor invasit brachium, cum contractione tanta, ut flectendi aut exporrigendi non esset libertas: dolor verò sævus non punctam modò particulam, sed & totum membrum habebat.*

Mox tumor membri.

LXXXIV. In quibus verbis tria ostenduntur: 1. *tumorem corripere non tantùm musculum, cujus erat ictus nervus, verùm totum brachium.* 2. *contractionem sive convulsionem invasisse omnes brachii musculos tam flectentes quàm extendentes* ipsum. 3. *dolorem sævum universum occupasse brachium.*

Et Convulsio.

Et dolor. Tumor unde.

LXXXV. Ex quibus rursus deduco, 1. *tumorem illum fuisse musculorum contractorum, à nimio Spirituum Animalium affluxu.* 2. ob *doloris vehementiam, Spiritus ad brachium affectum copiosiùs affluentes invasisse quoque reliquos brachii musculos omnes*; unde Brachii rigor secutus est, id est, convulsio musculorum & flectentium & extendentium ipsum. 3. *ex affluxu illo Spirituum Animalium nimio, & proinde extensione fibrarum nimia ortum esse, dolorem in universo brachio*, & quidem non levem, est *sævum*.

Dolor unde.

Horum curatio.

LXXXV. *Ego verò*, pergit Paræus, *pro tempore & re nata, statim vulneri Emplastrum ex Basilicone, quod ipsius agglutinationem remoraretur, imposui: hincque toti brachio diplomata lintea oxycrato imbuta, insuper inducta fascia expulsiva, quæ à Carpo*

initio

initio ducto in summum humeri articulum desinens, sanguinem spiritusque fluxionis & inflammationis metu compelleret.

LXXXVII. Atque hic fuit primus apparatus, qui quàm parum ad rem faciat, ex sequentibus liquebit; & sanè magis fuit apparatus pro forma factus, ne nihil viderentur agere, quàm usurpatio medicamentorum tanto malo debellando convenientium: qua propter in ejusdem confutatione non est, quòd multùm desudemus.

LXXXVIII. *His autem factis*, pergit Paræus, *secessimus, provisuri quid facto esset opus, tum ad dolorem sedandum, tum ad aliqua symptomata avertenda, quæ nervis punctis supervenire solent.*

LXXXIX. Ex quibus patet, non fuisse convenientia huic affectui superando remedia, cùm nunc demum de iis esset deliberandum.

XC. Addit autem Paræus: *Rogatus sententiam dixi, Meo judicio melius nihil fieri posse, quàm si illicò Oleum de Terebinthina calens cum Aqua vitæ in vulnus affunderetur: Toti verò brachio Emplastrum Diochalciteos in aceto & oleo rosato dissolutum induceretur, obvoluta insuper fascia, cujus jam meminimus, expulsiva. Oleo enim & Aquæ vitæ vim inesse in vulneris fundum penetrandi, serosique humoris ac virulenti, qui ex nervi puncti substantia exsudabat, exhauriendi & exsiccandi: doloris præterea sedandi, calore illo, qui actu ipsis inerat. Emplastro verò Diochalciteos facultatem adesse ejus, qui in brachium influxisset; humoris resolvendi, & novi advenæ aditum & influxum prohibendi. Fasciam ejusmodi esse, quæ roborandis moderata constrictione musculis, exprimendisque & repellendis in partes supernas, qui jam influxerant, humoribus, his verò, qui influxuri erant, aditu & ingressu arcendis sufficeret.*

XCI. Quibus verbis cùm varia contineantur, libet singula accuratiùs examinare, ut singulorum pondus & robur pateat.

XCII. Primò autem Paræi consilium fuit, *ut illicò Oleum Terebinthinæ calens cum Aqua vitæ*, hoc est, Spiritu Vini *in vulnus affunderetur*. Consilium utique salutare, & quidem ab experientia desumptum, nequiquam à rationibus, quas subjungit Author.

In Convulsionis cura festinandum.

XCIII. Singula autem hujus Consilii vocabula, cùm aurea sint, perpendi debent. Suasit autem ut *illicò* hoc adhiberetur remedium. Et certè si in ullo in hoc affectu festinandum est, cùm omnis mora sit ægro damnosa.

Oleum Terebinthinæ.

XCIV. Duo autem suasit usurpari: *Oleum Terebinthinæ*, hoc est, spiritum dictum, sive Oleum Album in ejus destillatione primo loco ascendens, & penetrantissimum, uti subtilissimum. Cujus incredibiles sunt citò sanandi, & imprimis nervorum membranas sanandi & consolidandi vires: hic summoperè requisitæ ac necessariæ.

Vini Spiritus.

XCV. Huic Terebinthinæ Oleo junctus fuit *Vini Spiritus*, à multis *Aqua Vitæ* dictus: cujus itidem in sanandis partibus nervorum membranosis egregia vis Practicis Chirurgis notissima est, & idcircò ejusdem in Cerebri, sive capitis læsionibus usus frequentissimus.

Medicamenta calentia applicanda.

XCVI. Voluit autem, & quidem prudenter, *calens* hoc usurpari medicamentum, tum quia nihil æquè inimicum est nervis, quàm frigus; tum quia calefactum medicamentum penetrat faciliùs & penitiùs, promoveturque sic curatio promptior.

Et vulneri infundenda.

XCVII. Hoc autem medicamentum subtile ac penetrantissimum *in vulnus* à Chirurgi scalpello factum *affundi* voluit Paræus; ibi namque hærebat malum, ibi erat læsa nervi membrana; ad quam nisi perveniret medicamentum, nihil omninò erat expectandum boni.

XCVIII. In hoc ergo medicamento & consilio nihil desideramus; quin imò tanquam præstantissimum, ac usu sæpissimè comprobatum, ipsum omnibus commendamus.

Paræus reprehensus.

XCIX. Videamus autem rationes quoque, propter quas hoc medicamento utendum censuit Paræus. *Inest*, inquit, *Oleo Terebinthinæ & Aquæ vitæ vis in vulneris fundum penetrandi*; & hactenus quidem verè ac rectè: *serosique*, addit, *humoris ac virulenti; qui ex nervi puncti substantia exsudabat, exhauriendi & siccandi*. Bone Deus, quid hoc est dicere? itane? exsudatne ex puncti nervi substantia humor serosus ac virulentus? sed quis amabo unquam serosum aut virulentum in nervorum substantia deprehendit humorem? sed quis nullum unquam nedum serosum, aut virulentum, in nervis humorem offendit? Utique si aliquid perfertur per nervos, id Spiritus erit Animalis; at quis unquam Animalem Spiritum somniavit finxitve serosum aut virulentum? Pudet me profectò tam putida effundi ab illo Viro.

Humorem serosum ex nervo non exsudare.

Nec in eo contineri.

C. Quòd si naturaliter non contineatur, uti non continetur, in nervis humor serosus, nedum virulentus; utique talis ex ipsis exsudare non potest; atque imprimis ex ipsis modò punctis.

Nec, dum exsudat, corrumpi humorem.

CI. Neque enim dici potest corrumpi humorem ex nervo exsudantem, cùm dictum factum, icto nervo sequatur actutum dolor & mox convulsio; uti ex hujus ipsius Authoris proposita narratione patet.

CII. Sed nec inde sequitur, serosum virulentumve humorem exsudare ex nervis punctis, quoniam tantus mox illorum puncturam sequitur dolor, tam atrox convulsio: Id enim in quæstione situm, unde scilicet pendeat tantus dolor, unde tam gravis convulsio; nec per principii petitionem supponendum est; quod unicuique prius incumbit probandum.

CIII. Quotquot ergo idem cum Paræo sentiunt de humoris serosi & virulenti ex punctis nervi sudatione, sciant sibi incumbere ejus assertionis probationem, quam ubi audiverimus solidam, admittemus avidè.

Vim exhauriendi & exsiccandi Oleo Terebinthinæ & Spiritui Vini non inesse.

CIV. Mirabile est, quod addit Author, vim habere Terebinthinæ Oleum atque Vitæ Aquam *exhauriendi & resiccandi humorem* illum serosum & virulentum, quibus verbis ampliùs evertit propriam assertionem: Nam quomodò & quonam exhaurient talem humorem una aut duæ ad summum Guttulæ eò penetrantes?

CV. Præterea quid hoc est dicere, exhaurire? an foràs eliciet illum humorem? hoc si fiat, an simul resiccabunt? aut potiùs exsiccabunt illum humorem? Quod exsiccatur alicubi, quomodo simul exhauriri queat non assequor, cùm potius humectandum videatur, ut exhauriatur.

Humor serosus & virulentus etiam salsinus.

CVI. Humor autem ille si serosus & virulentus sit, dubio procul salinus erit, quandoquidem omnis serosorum humorum Acrimonia à Salsugine pendet: Salsus autem humor si resiccetur, Acrior fiet, ac proinde magis virulentus.

CVII. Quod si Salsus humor ferretur per nervos, non ita dulces gustui essent, & insulsi nervi, verùm Salsi, ab humore seroso, adeòque Salso per ipsos delato, uti à Bile amaricat quodammodò hepar,

CVIII. Nullius ergo momenti sunt rationes, quas pro medicamento suo affert Paræus; quapropter illum per Experientiam quidem edoctum censeo medicamentum optimum, cujus tamen rationes non sit assecutus, nec verum ipsius operandi modum.

Medicamentorum probatorum rationem ignorare Practicos.

CIX. Hoc autem idcircò pluribus ostendi, ne quis miretur, si subinde imò frequenter in quorundam Medicorum libris legat medicamenta usu comprobata, quorum interim rationem ignorent practici, non semper in ratiocinatione solidre tam versati, quàm ipsa praxi empirica; quæ si rationalis fiat, utique multis parasangis superabit vulgarem.

Medicus Empiricus Theoretico præferendus.

CX. Malim autem uti Medico Empirico, id est, secundùm experientiam praxin exercente, quàm Theoretico & ex suis ratiociniis & figmentis medicinam faciente: docuit enim jam pridem omnes accuratos eorum, quæ circa Artem nostram

ſtam accidunt, obſervatores, longè feliciores eſſe in Praxi Medicos Empiricos; quàm Theoreticos, quique ex libris Medici fiunt, aut ſuis ſpeculationibus; homines in ſua dementia tantò miſeriores, quòd tàm multos ſecum reddant miſeros. Sed ſeſquipedalibus verbis & ampullis vult dicipi mundus.

Emplaſtrū Diachalciteos Aceto & Oleo ſolutum cur applicatum.

CXI. Revertamur ad Paræum, qui *toti brachio*, poſt infuſum vulneri Terebenthinæ Oleum & Vini Spiritum, *voluit imponi Emplaſtrum diachalciteos*, vulgo Diaplama dictum, idque *aceto & Oleo Roſaceo diſſolutum*, tritiſſimum Chirurgis remedium.

CXII. Rationem hujus remedii addit, *ob facultatem reſolvendi humorem, qui in brachium jam influxit, & probibendi aditu & influxu advenam novum.*

CXIII. Verùm enim verò difficile dictu, & difficilius probatu erit, qualis humor influxerit in brachium convulſum; Neque enim poſito circulari ſanguinis motu, alius humor fingi poteſt influere in brachium præter Spiritum Animalem.

CXIV. Sanguis enim naturaliter movetur à Corde per arterias quaquaverſum & quidem æqualiter, niſi vas aliquod apertum ſit in aliqua parta & per ipſum effundatur ſanguis: aliàs enim nullis exiſtentibus in arteriis aut venis remoris; æqualitar quaquaverſùm ruit per arterias ſanguinis.

CXV. Quòd ſi Animales duntaxat Spiritus in affectum propulſi ſint brachium, cùm ſubtiles habeantur ab omnibus, non video magna ipſos indigere reſolutione; inprimis à Diachalciteos Emplaſtro axpectanda.

CXVI. Quòd ſi quis benigniùs interpretetur Paræi utpote Circulationem Sanguinis ignorantis, opinionem, & ſtatuat impediri in convulſis omnibus brachii muſculis ſanguinis liberum per anguſtatas venas reditum, atque ſic periculum imminere ruptionis vaſorum, quod demat illud Emplaſtrum: Iterum non video, quid præſtara queat illud, ut talis anguſtia ax nimia muſculorum ab Animalibus Spiritibus tenſione orta tollatur: cùm revera Animales Spiritus reſolvare debeat; quandoquidem non deſinunt copioſius eò affluere, niſi curata illa nervi punctura, aut diſſecto ipſo nervo: uti poſtea ex eodem docebimus Paræo.

Faſcia expulſiva cur applicata.

CXVII. Arbitror autem hoc Emplaſtro leniri potiùs ac amolliri muſculorum fibras vehementer tenſas, & ſic leviorem reddi ipſam convulſionem & tenſionem. Quòd ſi aliquid ſanguinis ob anguſtatas venas capillares effuſum ſit in corporis habitum, putarim hoc Emplaſtrum illi reſolvendo & diſſipando eſſe convanientiſſimum.

CXVIII. Denique *faſciam expulſivam adhiberi, & illa obvolui voluit brachium, & quidem ad roborandos moderata conſtrictione muſculos, & exprimendos, repellendoſque in partes ſupernas, qui jam influxerant humores; arcendum verò aditu & ingreſſu eos qui erant influxuri.*

CXIX. Quamvis antem faſciam ipſius non rejiciam, quin potiùs probem, non probo tamen ob rationes ab ipſo prolatas, quas ſcil. evertit & deſtruit ſanguinis motus circularis; quod uno verbo attigiſſe ſufficit, ne in ajus confutatione plus teramus, & perdamus temporis.

CXX. Probamus autem illam faſciam, quia continet ac comprimit leniter muſculos nimiùm diſtentos, & blandè impedit, na fibrarum magis damnoſa contingat in muſculis diſtenſio & fortè ruptura incurabilis.

CXXI. Atque ſic examinavimus medicamenta Curando Ragi à Paræo propoſita, ut & rationes ab eodem allatas, ut illa aliis quoque perſuaderet approbanda: proximum nunc eſt, ut ſuceſſum quoque videamus.

Succeſſus Medicamēntorum adhibitorum.

CXXII. *Probata* ergò, inquit Paræus, *à Medicis verbo & opere conſilio, dolor mitior factus eſt*: cum quo concludo ceſſaſſe quoque brachii rigorem, & convulſionem univerſalem, cùm nullam ejus faciat ampliùs mentionem.

CXXIII. Huc utique experimentum Regio exemplo confirmatum maximi fieri poteſt ac debet ob ſucceſſum laudabilem, & illud imitari convenit Medicos & Chirurgos omnes ægris ſuis benè volentes.

Cataplaſma Paræi in convulſione.

CXXIV. *Reſtabat*, ſubdit Paræus, *in parte humor, cui reſolvendo & deſiccando adhibitum eſt ſequens remedium.*

℞. Farinæ Hordei & Orobi, an. ℥ij.
Flor. Chamæm. Melilot. an. P. ij.
Butyri recentis ſine Sale, ℥i ſ.
Lixivii Barbitonſoris q. ſ.
F. Cataplaſma ad formam pultis.

Atque his remediis, ait Paræus, *Generoſiſſimus Rex tandem poſt trimeſtre ſpatium ſanatus eſt, ſic ut vitiatæ actionis in parte læſa veſtigia nulla ſupereſſent.*

CXXV. Cura utique felix, quæ citra læſam ullam in affecta parta actionem abſoluta eſt ac perfecta. Unda patet, conſolidatum aſſe mox nervum læſum; quo non curato permanſiſſet Convulſio, aut ſequutus fuiſſet abolitus in parte motus. Cataplaſma autem mox enarratum idem ferè aget, quod diſſolutum Emplaſtrum Diapalma; in quo ridiculum mihi videtur deſiderare butyrum recens ſine Sale, & tamen lixivii opere digere omnia in Cataplaſmatis conſiſtentiam.

Si dolor non mitescat ex his remediis Paræi conſilium.

CXXVI. Videndum porrò, ubi ſucceſſus talis non obtinetur, quid tum faciendum ſuadeat idem Paræus, cujus hæc ſunt verba. *At ſi quando doloris tanta fuerit contumacia, ut ne ſic quidem mitescat, imò etiam convulſionis impendentis metus adſit, ſatiùs erit, ſeu nervum, ſeu tendinem, ſeu membranam penitùs reſcindere, quam lethiferæ convulſionis periculo ægrum exponere: ſic quidem parti actio propria deperit, at toti corpori vita conſervatur. Ita enim & communi conſilio ſtatueramus, ſi, qui Regem affligebat, dolor præſcriptis remediis non cederet, vel Oleum fervens affundere, vel nervum ipſum in totum reſcindere.*

Quod ſi non ſ[illegible]gatur, ſ[illegible]endum Ægrio.

CXXVII. Hæc omnia, uti præcedentia, breviter examinabimus. *Si tanta*, inquit, *doloris fuerit contumacia, ut ſic quidem mitescat, imò etiam convulſionis impendentis metus adſit*, &c. Quibus verbis docet, fieri poſſe, ut huic remedio non cedat malum; quod fiet imprimis, ſi ſeriùs applicetur, unde fruſtrà tum expectatur ejus medela. Uti mamini contigiſſe ante annos circiter octodecim Medico & Chirurgo Amſtelodamenſi, *Theodoro Van der Noen*; cui cùm aliquando circa meridiem excidiſſent ex manibus forfices, & ipſa illos feſtinaret apprehendera, fortà fortuna acutæ ajus parti alliſit dextri pollicis extremam juncturam; in qua cum levem tantùm dolorem ſentiret, per aliquot horas malum neglexit, verùm circa decimam nocturnam & in ipſa parte affecta, & in univerſo corpore leves convulſiones percepit: Cùm autem Bilioſus eſſet natura, mox aſſumpto Pharmaco eandem evacuavit, perſeverantibus nihilominus cum dolore convulſionibus ita moleſtis, ut mihi manè ad ſe vocato ſignificaret, ſibi aſſe pereundum; poſtquam nullum curatum vidiſſet, cui non mox in principio Oleum penetrantiſſimum in vulnus eſſet immiſſum; quòd ipſe neglexerat ob dolorem non ita magnum.

Hiſtoria ex Convulſione mortui.

Ex punctura nervi in Brachio Eryſipelas, & unde.

CXXVIII. Evenit autem, ubi prædixerat, quamvis adminiſtrarentur, & ab ipſo & ab aliis propoſita. Invaſit enim totum brachium Eryſipelas grava, cum ejuſdem tumore notabili: Cujus cauſam cùm nunc examinarem, cœpi ſuſpicari, tracto in conſenſum Cerebro in quoſcunque nervos transfuſos magna copia Spiritus Animales, qui ſubinde leves, aut graviores in muſculis convulſiones, ſubinde motus convulſivos concitarent, ac ſimul alias partes per Animales Spiritus itidem motas, & coarctatas ampliùs & frequentiùs quàm decebat coarctarent; atque ipſam quoque Bilem ad inteſtina & venam cavam propellerent,

à qua

à qua sanguini confusa, & in affecto brachio turgente in fluxu suo cum sanguine impedita excitaretur illud Erysypelas gravissimum, & ad novas Bilis affluxum continuum perpetuò recrudescens.

Maximus in extremis digitorum articulis dolor;

CXXIX. Tantus autem dolor digitorum in manu extremos articulos tandem eaercebat, ut cogeret Chirurgum amicum illos ad ossa usque secare, quò exitus pateret, ipsius judicio tunc vitiatu humori acerrimo partes illas vexanti, qui tamen nullus observatus, ut nec levatus dolor: quin potius intra decimum, si rectè memini, diem miserè vitam cum morte commutavit æger.

Punctura nervi quãtum malũ.

CXXX. Tot scilicet tantaque mala exiguum in parte nervorum, tendinumve membranosa inflictum ictu vulnusculum concitare potest, & hominem robustissimum prosternere ac brevi perimere.

Ferè incurabilis,

CXXXI. Neglectum proinde hoc malum incurabile ferè redditur; quod imprimis testatur Convulsio, ut & Convulsivus motus Corpus universum affligens ac crucians.

CXXXII. Atque hanc universalem totius corporis convulsionem intelligit, opinor, Paræus, quam non mitescente dolore dicit impendere Ægro. Neque enim brachii particularis ab ipsu potuit intelligi, cùm statim in principio hæc Regem occupaverit, ac brachium ita contraxerit, ut nec flecti posset nec extendi.

Universalis Convulsio ubi impendet, rescindendus seu nervus, seu tendo, seu membrana.

CXXXIII. Hanc universalem Convulsionem quando impendere metus est, ob non mitescentem infuso medicamento allegato dolorem, suadet, & quidem prudenter ac ex Arte, rescindere penitùs seu nervum, seu tendinem, seu membranam.

Quot locis afficiatur nervus.

CXXXIV. Quibus verbis satis innuit, tribus in locis affici posse membranosas nervorum partes, vel 1. in ipso nervo, vel 2. in tendine; vel 3. in membrana, hoc est, tendine non rotundo, sed plano & membranoso,

Ubinam discissio facienda.

CXXXV. Discindenda est autem pars nervi membranosa, ubicunque fuerit læsa, & convulsioni membri affecti particulari ansam præbuerit.

Discissione hac curatur Convulsio,

CXXXVI. Quodque mirari licet, discissis per transversum vel nervo, vel tendine, vel membrana curatur Convulsio.

CXXXVII. Hoc verum esse testatur Experientia, utut nullius forsan, etiam subtilissimi, & mechanicæ maximè intelligentis ratiocinatio id excogitare, aut ratio assequi, aut animus credere queat,

CXXXVIII. Et profectò ubi illa omnia in tali punctura obvenientia menti meæ propono perpenda, somnio videntur similiora, quàm observationi alicui per sensus factæ.

Convulsio omnium affectuũ maximè notabilis.

CXXXIX. Quinimò si quis in arte nostra affectus occurrat, de cujus veritate dubitare liceat, & sensibus fidem derogare, adeoque pro figmento, aut somnio habere, utique hæc ipsa Convulsio est, cum omnibus ipsam comitantibus symptomatibus, & miserrimè ægros cruciantibus, tandemque interimentibus.

CXL. Interim cùm non semel id sit observatum, sed sæpissimè, quis sanæ mentis habebitur, qui in dubium trahere audebit, quod observatum est à tam multis, & ubique?

CXLI. Utinam potiùs allaborarent omnes, ut tàm tristis ac cruenti affectus causas veras expiscari quirent, aut saltem methodum invenirent illum feliciter curandi, & ægros à certa morte liberandi: quod proprium est verorum Practicorum.

CXLII. Satiùs autem judicat & meritò Paræus, tali nervi tendinisque dissectione parti propriam actionem perire, interim toti corpori vitam conservari, quàm id negligendo lethiferæ convulsionis periculo ægrum exponi.

CXLIII. Et sanè, si ex duobus malis minus sit eligendum; quis dubitabit unius, pluriumve musculorum functionem amittere, conservata totius vita? quisne tam malè sanus præferet mortem tantulæ jacturæ.

CXLIV. Cùm proinde, tanquam verus Practicus, pericula omnia ex hoc affectu expectanda prævidisset Paræus, quomodo singulis providendum esset prudenter proposuit: nec mirum si in ejus sententiam pedibus iverint præsentes tunc Medici & Chirurgi Regii.

CXLV. Suaserat autem Paræus, & probaverant reliqui, ut, si Regem affligens dolor præscriptis remediis non cederet, vel Oleum fervens infunderetur vulneri, vel ipse nervus rescinderetur in totum.

Unde dignoscatur remedii operatio bona.

CXLVI. Prudenter autem præmittit signum, ex quo dignosceretur remedii præscripti & administrati operatio bona & desiderata; doloris scilicet remissio & sublatio.

Dolor sollendus.

CXLVII. Cùm enim dolor unica causa esset affluxus nimii Spirituum Animalium ad partem affectam. hinc & convulsionis in omnibus ejusdem musculis excitatæ; ille tollendus erat, si aliqua curationis spes erat expectanda.

Et qua ratione.

CXLVIII. Dolor autem nequibat tolli, nisi sublatu aut emendata ejusdem causa.

Curandum vulnus.

CXLIX. Causa doloris illius atrocissimi ac sævissimi erat inflictum nervo vulnus.

Et quomodò.

CL. Curandum erat proinde vulnus, si sedatio erat expectanda doloris.

CLI. Curari nequibat vulnus, nisi ad locum in nervo affectum perveniret medicamentum usurpatum,

CLII. Prudenter idcircò adhibitum fuit remedium & penetrantissimum, & nervi amicum, & consolidandi vi summa præditum, & simul anodynum, idque priùs calefactum; uno verbo omnibus suis requisitis donatum.

CLIII. Huic nunquam nimis laudato, ut ut primo aspectu vili, quoniam familiari & facilè parabili remedio, si non cessisset dolor, duo extrema proponebantur auxilia extremo malo adhibenda.

Oleum fervens vulneri infundendum.

CLIV. Horum Primum, & dubio procul primo loco tentandum erat Oleum fervens vulneri infusum.

CLV. Hic cùm nullum Oleum determinet, dubitare quis possit, quale sit sumendum.

Et quidem Terebinthina.

CLVI. Ego, ut quod sentio paucis aperiam, planè judico, sumendum esse idem de Terebinthina Oleum, quo vix penetrantius, nullum saltem magis consolidans offendas: nisi fortè Oleum de Cera, divinum planè in eundem finem, & maximè anodynum; expertus loquor.

Vel Cera,

Et cur fervens.

CLVII. Ob duas autem rationes illud Oleum non calens tantùm, verùm fervens usurpandum judico; 1. ut si fortè priùs non satis penetrasset, jam magis fervens penetraret magis, ac desideratam opem præstaret.

CLVIII. 2. Ut, si contrà satis penetrasset in prima applicatione, non tamen potuisset superare malum rebelle, nunc fervens combureret ac mortificaret nervum affectum, atque sic sublato ipsius sensu, tolleretur simul ejusdem dolor; ac per consequens totum brachium affligens Convulsio,

Nervus dissecandus.

CLIX. Quòd si ne sic quidem tolleretur malum, secundum & ultimum adhiberetur remedium Nervi sc. ipsius dissectio.

Et quare.

CLX. Et sanè mirari subit dissecto nervo cessare dolorem, cessare convulsionem: cujus rei aliam, quam in causis jam datam, rationem dare non possum, læsa scilicet parte nervi membranosa ob dolorem excitatum mox copiosiùs eò deferri quocumque demum modo Spiritus Animales qui per medullarem nervi substantiam confertim properent in musculos, illosque convellant, id est, solito violentiùs contrahant, quod nervis dissectis fieri nequit.

Cur dolor ex dissecto nervo cesset.

CLXI. Cur autem dolor tunc cesset, uti nobis videtur mirabile, sic omninò dignum est, cujus

jus ratio quæratur, & inventa dignis communicetur.

CLXII. Aliquid, quod hic suspicor, cum omnibus communicabo, ut saltem ansam præbeam ingeniosis ampliùs de iisdem cogitandi.

Quamdiu dolor duret. CLXIII. Suspicor ergò tamdiu durare dolorem, quamdiu roditur vel distenditur pars nervi membranosa: distenditur autem non tantùm à re premente & illam quasi explicante; sed etiam quando, quæ naturaliter quadantenus tensa est, aliqua sui parte laceratur aut dissecatur, ita ut reliquæ partes utrinque contractæ partam laceram magis lacerent, & continuum in ipsa dolorem augeant, ob quem perseveret spirituum animalium affluxus.

CLXIV. Ubi autem dissectus est in totum nervus, nulla superest partis semilaceræ tensio, nullus proinde dolor, nulla proinde convulsio.

Hæmorrhagiam dissecta arteria supprimi. CLXV. Simile quid observatur in arteriarum sectione, in qua si compesci nequeat sanguis effluens, transversim dissecatur arteria, & mox supprimitur hæmorrhagia; cujus sequens mihi videtur ratio.

Et quarè. CLXVI. Aperto in arteria vulnere, quoniam tensæ sunt ejus membranæ, utrinque magis corrugantur partes ejus membranosæ, unde magis hiscit vulnus, & continuè erumpit sanguis: dissecta autem transversim arteria, utrinque contrahuntur dissectæ partes, desinitque per retractam sursùm arteriæ partem effluere sanguis, nisi magna sit arteria, cujus etiam contractæ partes cavitatem ipsius non valeant claudere.

CLXVII. Atque hæc dicta sufficiant da Galliarum Regis Convulsione ax puncto nervo brachium totum corripiente, ejusque cura feliciter succedente ex Paræi præscripto: proximum ast, ut nunc Omnis Convulsionis Curandæ rationem ad hujus normam quantum licet formemus, & ubique rationi Experientiam copulemus.

Utilitas doctrinæ de sanguinis circulatione. CLXVIII. Antequàm verò ad reliquarum specierum Convulsionis Curationem transeam, unum hic est monendum; quandoquidem nonnunquam ex puncto pro vena nervo accidit convulsio, illi præveniendæ inservire doctrinam de sanguinis circulatione.

CLXIX. Atque hæc unica hujus doctrinæ utilitas veris Practicis tanta esse debet, ut ejus nomine In summo illam pretio habere oporteret.

Vena Cephalica nulla affinitas cum capite, nec Basilica cum Hepate. CLXX. Notum enim, quàm turpiter ob Anatomes ignorantiam non pauci fuerint lapsi, putantes venam brachii Cephalicam ideò dictam cum Capite, Basilicam sive Jecorariam & Hepaticam cum Hepate peculiarem affinitatem habere, atq; illis partibus affectis hanc aut illam necessariò secandam quas nugas omnes evertit & abolet motus sanguinis circularis.

Basilica non secanda. CLXXI. Factum autem est ob illum errorem, ut Medici urgerent in partium inferiorum affectibus, atque imprimis in febribus, Basilicæ sectionem; cui cum plerunque subjaceat nervus, contigit plus satis, ut pro vena tunderetur iste nervus, atque inde, uti Carolo IX. Galliarum Regi contigisse narravimus, Convulsiones acciderent graves, & nonnunquam lethales.

Perinde esse quænam in brachio vena secetur. CLXXII. Constat autem per sanguinis circulationem, nullum ab Hepate mitti sanguinem ad partes externas, nullam in brachio venam cum capite magis communicare, quàm aliam, verùm omnes & singulas sanguinem revehere ad Cor, ac proinde perinde esse, quænam in brachio aperiatur vena, quando aliquam in ipso secari expedit ægro.

CLXXIII. Data verò tanta per circularem sanguinis motum Venam sectioni commodam seligendi libertate, nonne omitti potest Vena, cui vel nervus, vel arteria est subjecta, & eligi alia omni periculo carens.

CLXXIV. Hanc summam circulationis sanguinis utilitatem qui non agnoscit aut parvi pendit, utique se in praxi novum & inexpertum testatur.

Delebor Opera.

CLXXV. Hoc autem ut ab omnibus Medicis junioribus observetur sedulò, etiam atque etiam commendo.

Quænam Convulsionis causâ esse queant. CLXXVI. Cæterùm quum de Convulsionum variarum causis ageremus, docuimus, quicquid partes nervorum musculorumve membranosas dolore vel molestia tali afficere potest, ut Spiritus Animalis majori copia ad ipsos deferantur, Convulsionis causam esse posse.

Proxima Convulsionis causa. CLXXVII. Proximam scilicet Convulsionis omnis causam esse nimium Spirituum Animalium ad musculorum fibras affluxum, ipsos præter naturam, involuntariè, imò coactè contrahentem.

Causa Remotior. CLXXVIII. Remotiorem autem causam essa, quicquid partes nervorum musculorumque sentientes, membranosas scilicet molestia val dolore afficere potest, atque ad copiosiorem Animalium Spirituum affluxum occasionem præbera.

In partibus membranosis vigere Tactum & Caloris sensum. Tactus objecta omnia dura. CLXXIX. In partibus autem illis nervorum musculorumque membranosis vigera docuimus dumtaxat Tactum & Caloris Sensum, cùm reliqui sensus peculiaria & magis artificialia desiderent organa.

CLXXX. Intat objecta Tactus proposui omnia dura, & imprimi simul acuminata, quæ lædere possunt & vulnerare nervorum membranam, vel musculorum tendines; quodque illustri ac Regio exemplo pluribus illustravimus.

CLXXXI. Ex memorato autem axemplo patet ratio ac methodus tales Convulsiones ritè curandi.

Ex Capitis læsionibus Convulsiones gravissima. CLXXXII. Proximum autem est, ut antequàm ad reliquas species transeamus, hoc notem accidere scilicet nonnunquam, ut capitis vulneribus aut ictibus, casibusve fracto cranio à fragmentis crassam maningem lædentibus ac saucientibus excitentur Convulsiones gravissimæ, ac subinde lethales.

Qui curentur. CLXXXIII. Non curantur autem illæ, nisi remotis prædictis fragmentis, unde mox cessant convulsiones, & subinde via simul paratur curationi integræ, aliàs frustrà optatæ, ac speratæ.

Fragmenta cranii extrahenda. CLXXXIV. Tolluntur verò fragmenta prædicta, ubi confractum est cranium, ac aliquot jam educta sunt fragmenta, non ita difficulter, dummodò oculis usurpari queant fragmenta, quæ si panetraverint in crassam maningem, prudenter sunt axtrahenda, ne major læsio aliàs contingat, & augeatur convulsio.

Cranium pertenebrandum. Applicandū Paræi medicamentum. CLXXXV. Quòd si via nulla pateat fragmento axtrahendo, terebri eget non raro Cranium, quo tum demùm elici queat noxa.

CLXXXVI. Extractis autem fragmentis, commodè applicari posset affectæ parti medicamentum à Paræo laudatum ex Vini Spiritu & Terebinthinæ Oleo; à quo prompta læsæ membranæ expectari potest cura.

CLXXXVII. Quæcunque ergò duritie sua partes nervorum musculorumve membranosas lædunt ac vulnerant, eadem si partibus affectis inhæreant adhuc, aut saltem adstent & sauciare pergant, inde removeri debent, antequàm ulla superari queat Cura vera & certa.

CLXXXVIII. Illis autem in tempore remotis, medicamentis utilibus consolidatio partis læsæ mox tentanda, &, si licet, brevi absolvenda.

Convulsio ab Acrimonia Ignea vel salina qui curanda. CLXXXIX. Quoties autem ab Acrimonia Ignea, vel Salina producitur Convulsio universalis vel particularis, inquirendum diligenter in locum affectum, non raro ex dolore comite patentem, ut illi quamprimùm applicetur medicamentum conveniens.

CXC. Quale autem sit conveniens illud medicamentum, paucis dispiciendum.

A combustione. CXCI. Et quidem si à combustione ignea oriatur convulsio, curabitur illa eliciendo foràs, & temperando æstum parti communicatum, atque immutando emendandoque partes tam

continentes, quàm contentas ab Igne vitiatas.

Æstum igneũ quãnã eliciant.

CXCII. *Eliciunt æstum igneum pinguia*, utpote vera Ignis pabula: Inter omnia autem commendatur Oleum expressum nucum juglandium, & seminum rapæ.

Quænam temperant.

CXCIII. *Temperant eundem æstum* addita illis Oleis *Acida Sale lixivioso fracta*; qualis est solutio cerussæ, aut minii cum aceto stillatitio parata.

Aciditatem Aceti plumbo frangi. Linimentum ex oleo, & aceto plũbo impregnato

CXCIV. Aciditas namque Aceti frangitur plumbo in cerussam vel minimum mutato; unde dulcescit Acetum.

CXCV. Hoc Acetum plumbo imprægnatum & edulcoratum si concutiatur cum Oleo quovis, evadet mixtura instar linimenti; crassescit scilicet Oleum ab Acido Spiritu aceti per plumbum dulcificati.

CXCVI. Dum autem linimentum hoc applicatur, & Ignis reliquiæ in hoc Oleum penetrant; frangitur ampliùs ejusdem vis ab aciditate juncta.

Æstus à combustione qua ratione temperetur à Spiritu acido, pinguedini juncto.

CXCVII. Partes autem vitiatæ ab eodem Igne, corriguntur, & emendantur imprimis Spiritu Acido pinguedini juncto.

CXCVIII. Cùm enim ignis externus partium corporis pinguedinem & Oleositatem primariò aggrediatur, illa consumpta Sal earundem lixiviosum, illa temperari solitum, evadit Acrius; evanescente simul cum pinguedine Spiritu Acido.

CXCIX. Unde patet, utrumque & Oleum & Acidum Spiritum reparandum & restituendum, quò temperetur Salis lixiviosi Acrimonia.

CC. Utrumque autem in prædicta concurrit mixtura, in qua Oleum copiosum reperitur, idque Acido Spiritu, sed fracto, temperatur.

CCI. Quo fit, ut Sal in parte combusta retorridum non effervescat ad occursum Spiritus Acidi, utpote fracti, verùm ab ipso blandè corrigi queat, & ad pristinam temperiem reduci.

Remedium in ustione quavis.

CCII. Atque hæc modò dicta non tantùm in ambustione convulsionem excitante locum habent, verùm in ustione quavis: His enim & similibus remediis non semel curavi ambustos.

Curatio Convulsionis ab Humorum acrimonia.

CCIII. Convulsiones omnes citra externas & manifestas causas ortę cùm humorum Acrimoniam agnoscant, illius & natura & curandi ratio ampliùs proponenda.

Hanc esse notabilem,

CCIV. Acrimoniam notabilem esse, patet ex dolore nonnunquam intolerabili, caputque quasi perterebrante, ipsam convulsionem prægrediente.

Et unde oriatur.

CCV. Acrimoniam autem humorum omnem à Sale, lixivioso, vel Acido Spiritu deduxi in superioribus.

A Spiritu Acido.

CCVI. Et Spiritum Acidum solùm ejus naturæ esse dixi, ut ab ipso convulsio originem habere possit.

CCVII. A lixivioso autem Sale tantam Acrimoniam tunc expectare non poteram, cui convulsionem adscribere possem.

A Sale Lixivioso.

CCVIII. Postmodum tamen totum hoc negotium sæpiùs expendens, videor mihi modum invenisse, quo ad talem Acrimoniam pervenire queat Sal lixiviosum, ut Convulsionem excitare queat, & forte an plerumque excitet.

Duo præter Sanguinem in corpore humores.

CCIX, Postquam enim omnia in corpore tam sano, quàm ægro occurrentia mente volvo, præter sanguinem per vasa circulantem, duos mihi videor observare præterea humores in sanis & ægris repertos; Bilem & Pituitam.

Bilis.

CCX. *De Bile* nulla opinor ulli erit dubitatio, cùm in sanis semper, occurrat in sua vesicula: in ægris autem rarissimè observetur deficere in totum.

Pituita.

CCXI. *De Pituita* autem major erit nobis difficultas; cùm illo nomine plura notem designari.

CCXII. Quapropter, ut logomachias præveniam, paucis describam, quid illo nomine vulgò intelligatur ab Authoribus Medicis, & quid imprimis eo vellem intelligi.

Quæ nomine Pituitæ appelland.

CCXIII. In genere autem omnem humorem amaritudine carentem, & extra Vasa & Urinariam vesicam repertum, Pituitæ nomine appellandum judico.

CCXIV. 1. Amaritudine carentem humorem dixi, quo distinguetur à Bile.

CCXV. 2. Extra Vasa, quò distinguetur à Sanguine, Lympha, & Chylo.

CCXVI. 3. Extra Vesicam Urinariam, quo ab urina quoque distinguetur.

Quid Sanguinis nomine appellandum. Pituitæ nomine quænam Arbitrarius A.

CCXVII. Quicquid autem continetur in arteriis & venis, id omne Sanguinis nomine appellandum judico, vel laudabilis, vel vitiosi & cacochymicis, Sanguinis tamen.

CCXVIII. Unde quicquid 1. in Cerebri, Cerebellique Ventriculis; aut inter utramque meningem observatur, Pituitæ nomine appellandum puto: & aquam Hydrocephalum constituentem.

CCXIX. 2. Ipse mucus narium & screatus Oris ipsaque adeò Saliva Pituitæ nomine mihi venit.

CCXX. 3. Omnis humiditas in pericardio naturaliter vel p.n. reperta; ut & in pectoris cavitate (extra pus & sanguinem ibi effusum) pituita mihi erit.

CCXXI. 4. Omnis humiditas in ventriculo & intestinis, post alimentorum absolutam fermentationem & Chyli ab alvinis fæcibus secretionem ac in lacteas venas expressionem, reperta, pituita mihi judicabitur.

CCXXII. Quinimò 5. Omnis humiditas vel anasarcam, vel leucophlegmariam, vel ascitem producens, pro pituita mihi videtur habenda.

Pituitæ species.

CCXXIII. Unde patet, multas futuras pituitæ species, quas tamen ad quasdam classes non ita difficulter reducemus.

1. Naturalis.

CCXXIV. Nam 1. alia pituita est naturalis, tenuior, qualis est Saliva, & crassior in ventriculo atque intestinis hærens.

2. Utilis & inutilis.

CCXXV. 2. Ex naturali pituita alia est utilis corpori, alia inutilis & excrementitia.

CCXXVI. Utiles sunt modò memoratæ *Saliva & in Ventriculo atque Intestinis reperta* pituita.

CCXXVII. Inutilis & excrementitia mihi videtur *pituita per nares excreta sive mucus* & quandoque *per os screatu ejecta*.

3. Præternaturalis.

CCXXVIII. 3. Inter pituitas præternaturales enumerantur imprimis *salsa*, *acida*, *acerba*, *dulcis*, *ac insipida*, à sapore vario ita dictæ. Præterea differunt ratione consistentiæ, unde alia dicitur *tenuis & fluida*, alia *crassa*, *tenax & viscida*.

Ex his humoribus, si peccent, alii producuntur

CCXXIX. Ex horum humorum, si unus vel uterque præter naturam malè est affectus, peccatque vel quantitate, vel qualitate combinatione mox alii producuntur humores, aut consistentia subjecta, quæ hominis functiones lædant & ægrum faciant ipsum.

Bilis quomodo vitietur.

CCXXX. *Quoties* ergò, ut ad propositum scopum redeam, *bili deperit*, *aut minuitur* quacunque demùm de causa *Spiritus volatilis & oleum*, *acrius observatur ejusdem sal lixiviosum*.

CCXXXI. *Cui si parva quantitate jungatur spiritus acidus purior*, hoc est, *pauca duntaxat aqua dilutus*, acrimoniam ab hoc spiritu nanciscitur majorem, & corrodendi vim summam.

Vitiata qui convulsionẽ producat.

CCXXXII. Quòd si tunc deferatur ad nervorum, vel Cerebri partes membranosas, intolerabili dolore illas perterebrando quasi afficit, & convulsioni ansam præbet.

Quænam convulsioni ansam beant

CCXXXIII. Ergò *sive spiritus acidus non temperatus spiritu volatili*, *sive sal lixiviosum non temperatum Oleo & acrius redditum pauco spiritu acido*, *ad* membranosas Cerebri, nervorumve partes deferatur, dolorem in illis excitat, qui si gravis contingat, convulsioni ansam præbet.

CCXXXIV.

Omnem Spiritum animalium motum non esse voluntarium. CCXXXIV. Quamvis autem non semper de dolore magno conquerantur Convulsi, id quod accidit, quia tunc mens fere ipsis ægrotat, interim tamen coguntur spiritus animales ad moventes partes ruere, atque convulsiones graviores aut leviores excitare: unde patet, omnem spirituum animalium etiam ad musculos motum non esse voluntarium.

Medicamenta convulsionem curantia. CCXXXV. Hoc ita se habere, confirmant medicamenta in curanda convulsione usu comprobata.

Thermæ Sulphureæ. CCXXXVI. Inter quæ facilè primas tenent *Thermæ Sulphureæ*; In quibus quatuor continentur. 1. Aqua; 2. Oleositas; 3. Spiritus acidus, & 4. Sal lixiviosum paucum.

Sulphur constare Oleo & Spiritu Acido. CCXXXVII. *Sulphur* enim omne *Oleo* imprimis *constare & acido spiritu*, tam notum est Chymicis, ut ulteriori declaratione non videatur indigere: faciam tamen propter illos, qui in Chymicis operationibus nondum sunt satis experti.

CCXXXVIII. Hoc ergò manifestum est 1. ex sulphuris incendio facili; ex quo patet Oleum in ipso abundare: sola namque pinguia & Oleosa Ignis existunt pabulum.

CCXXXIX. 2. Ex ejusdem incendio diu durante, quod ab Acido Spiritu pendet.

CCXL. 3. Ex Oleo per campanam ex ipso parabili; quod Spiritum ejus Acidum testatur.

CCXLI. Cùm ergò Acido Spiritu & Oleo constet Sulphur, iisdem abundare thermas sulphureas patet.

Unde Thermæ Sulphureæ generentur. CCXLII. *Generantur* autem illæ *Thermæ* concurrente cum sulphuris minera Aqua lixivioso Sale acerrimo prædita, à quo & Spiritu sulphuris Acido excitatur effervescentia & cum effervescentia calor, sicque coeunt in unum quodammodò Aqua quoque & Oleum.

Quam vim habeant. CCXLIII. Habent autem vim penetrandi egregiam thermæ illæ sulphureæ, quapropter ad affectas partes corporis intimas perveniunt.

CCXLIV. Penetrat autem simul permistus per intima Sali lixivioso Spiritus Acidus Oleo temperatus; cujus Oleipe temperat quoque humorem acrem membranis adhærentem, illasque vellicantem, ac convulsioni ansam præbentem.

CCXLV. Temperat verò illum cum Oleosa sua substantia, corrigitque insuper eundem exacta *Salis lixiviosi & Spiritus Acidi mistura, à qua vincitur Aciditas, semper noxia & primaria rositonis in Convulsione causa.*

CCXLVI. Subtile namque thermarum Sal lixiviosum & quodammodò volatilisatum, ad Spiritum Acidum subtiliorem coagulandum longè optimum & fortè unicum.

Arti Naturæ imitanda. CCXLVII. Artis proinde erit imitari naturam, & *Salem lixiviosum volatilem reddere aptum Spiritibus Acidis itidem subtilioribus coagulandis*, ac simul convulsioni ab ipsis ortæ curandæ.

CCXLVIII. Et sanè cùm desint nobis in hisce regionibus Thermæ sulphureæ naturales, optandum foret, arte excogitari posse artificiales, quæ tantundem, ac tandem plùs præstarent.

Nec qui fiat CCXLIX. Parabuntur autem, Si Exempli gratia Sal Tartari benè calcinatum cum sulphure ritè misceatur, & postmodùm affusa Aqua Balneum instituatur.

CCL. Arte autem subtiliori opus erit, ad Balnea Thermas naturales æquantia vel superantia paranda: hic saltem via ostenditur ulteriùs quærendi: Neque enim illud tentavi unquam; veritas autem experiundo patebit, & quàm benè quivis ratiocinatus fuerit, determinabit Experientia.

Humana et Anguillarū Olea & Axungia. CCLI. Post Thermas naturales sulphureas *secundum locum obtinent Olea & Axungiæ, Humana præsertim & Anguillarum.*

CCLII. Horum namque ope & Salis lixiviosi, *Deleboe Opera.*

& Spiritus Acidi præsertim Acrimonia temperatur, causaque doloris proinde atque convulsionis corrigitur.

Fomentationes & Balnea ex Plantis calefacientibus. CCLIII. *Tertium locum occupant fomentationes & Balnea artificialia ex plantis*, uti loqui vulgò solent, *calefacientibus*, hoc est, Sale volatili & Oleo abundantibus *parata*.

Plantas, fructus & semina, calida vocata abundare oleo & sale volatili. CCLIV. Ut enim hoc seriò inculcem omnibus, Observandum *omnes plantas, ac imprimis fructus ac semina calida vocata abundare Oleo & Sale volatili*, quod dum decoctione elicitur, & calidè corpori applicatur, penetrant ad inferiora, atque occurrentem Spiritum Acidum infringit & emendat.

Emplastra & Cataplasmata. CCLV. Ultimum locum obtinent Emplastra vel Cataplasmata, vix ac ne vix quidem, nisi in parte affecta cuti satis propinqua, laudabile quicquam præstantia.

Curatio Convulsionis ab interna causa in quibus consistat. CCLVI. Atque ex jam dictis satis petere puto rationem & methodum Convulsionem ab interna causa, humore sc. Acri, ortam curandi.

CCLVII. Consistet autem illa in humore Acri & imprimis Acido quavis arte commoda corrigendo & emendando.

CCLVIII. Emendabitur ille medicamentis tam internis, quàm externis.

CCLIX. Externa jam sunt enumerata & proposita.

CCLX. Interna verò ut itidem vim habeant humores Acres & Acidos contemperandi, omninò necessum.

Sudorifera. CCLXI. Talia autem erunt in genere omnia Sale volatili prædita: ac imprimis sudorifera similia, eaque excitato sudore magis efficacia, sic enim aperiuntur ubique corporis pori tam interni, quàm externi, penetrantque quaquaversùm medicamenta assumpta.

Quid in iis observandum. CCLXII. Observandum autem in excitando *sudore, ne is vi urgeatur*; non raro namque contigit, ut hoc cum magno ægrorum sit tentatum detrimento.

CCLXIII. Cum damno autem ægrotorum accidit sudoris propulsio, quando non satis dispositi sunt ad sudores ipsi humores, non satis dispositæ ipsæ, per quas fieri debet sudor, partes.

Ad duo attendendum. CCLXIV. Ad duo proinde attendendum est Medico sudorem utilem ægris suis promoturo; ad ipsum humorem in corpore contentum & noxium, & ad corporis partes, superficiem imprimis, ac cutem.

Ad Humores. CCLXV. Ipsi humores malè dispositi ad sudores sunt Crassi, viscideque; qui proinde attenuatione indigent ac abstersione sive incisione, quò fluidiores reddantur, & nullibi adhærentes.

Ad Partes corporis. CCLXVI. Partes ipsæ ac Cutis ad sudorem minùs dispositæ sunt, quando ab externo frigore constrictæ sunt & humores ibidem coagulati: quod emendari potest earundem frictione, agitatione & calore blando.

Qui quando bene sunt dispositi. CCLXVII. Benè autem esse ad sudorem dispositos humores & partes patet, quando assumptis aliquo tempore medicamentis humores corrigentibus, & emendato sensim partium habitu, compositoque in loco calido corpore, sponte inclinat ad sudorem æger.

Quid tunc agendum. CCLXVIII. Huic proinde exhiberi tunc potest medicamentum sudorem levem movens, à quo assumpto, nec valde tecto ægro, si sudor emanarit, gradatim licebit ad potentiora procedere, & ejusdem curam promovere.

Qualia debeant esse Sudorifera. CCLXIX. In convulsis autem exhibenda imprimis sudorifera, uti dictum, sale volatili prædita aut ex salibus arte volatilisatis parata.

Spiritus Tartari aqua Theriacali, vel vini sp. junctus. CCLXX. Inter nota verò conducet maximè Spiritus Tartari, aquæ theriacali aut vini spiritui rectificato junctus, omissis acidis, Sed de Convulsione satis.

CAPUT XXIV.

De Catalepsi,

PRoximè præcedentibus Capitibus quatuor gravissimos, functiones animales non leviter labefactantes affectus, Epilepsiam, Apoplexiam, Paralysin & Convulsionem examinavimus: nunc ad alium non minùs cæteris mirum, easdem functiones afficientem, *Catalepsin*, pergemus.

Catalepsis qualis affectus,

II. *Catalepsin*, inquam, quam *Prehensionem* dixeris, cùm non tantùm repentè isto affectu corripiantur Ægri, sed & ipso correpti in eodem situ detineantur, & quidem ratione motus animalis, cujus Symptoma primariò esse Catalepsin ostendemus in sequentibus,

Ejusdem gradus & differentia.

III. Hujus autem mirabilis affectus naturam & essentiam ut assequamur faciliùs, observandum, esse quosdam gradus, & pro symptomatum diversitate, differentias, quas idcircò etiam præmittemus,

Gravissima constitutio.

IV. Quoties ergò gravissima contingit Ægris *Catalepsis* sive Prehensio, toties sensus omnes tàm interni, quàm externi mox videntur aboleri ac cessare; Motus verò animalis nec abolетur, nec imminuitur, nec augetur, nec propriè depravatur; verùm rigore accedente corpus in eo statu & positu permanet, in quo erat, cùm hoc affectu corriperetur Æger: unde stans, sedens, aut decumbens observatur Catalepticus, statuæ instar immobilis; qui tunc nec sponte, nec impulsus locum mutat, vel corpus movet: permanente solo arteriarum pulsu & respiratione.

Ubi nullus est sensus.

V. Quamvis enim oculi Ægris aperti sint aliquando in gravissima Catalepsi, non vident tamen, nec audiunt, nec alio sensu quoque fruuntur.

In quibus differat ab Apoplexia, Paralysi, Convulsione & Epilepsia.

VI. Sed nec concidunt, uti accidit in quatuor gravibus, & universalibus læsi motus speciebus in abolito putà vel valdè imminuto motu, qualis observatur in Apoplexia & Paralysi; ut & in eodem aucto, Convulsione putà, universali scil. Tetano, aut mediata, [illegible], vel [illegible], aut denique in motu depravato, Convulsivo sc. qualis occurrit in Epilepsia; in quibus affectibus omnibus mox concidunt Ægri, si steterint vel sederint quando ipsis corripiuntur; cujus contrarium evenit Catalepticis, quos testatur Experientia permanere rigidos in eo statu, & situ, in quo erant, quando mirabili hoc affectu corripiebantur ac prehendebantur,

Levior Catalepsis,

VII. *Levior est Catalepseos species*, in qua rigidi quidem truncorum instar detinentur Ægri, audiunt tamen, quæ loquuntur Adstantes; vident, quæ geruntur; atque facta omnia restituti narrant,

VIII. Est & illa *levior Catalapseos* species, in qua Ægri nec videntes, nec audientes, nec alio sensu externo utentes, sed nec puncti quidem quicquam sentientes, interim quæ ori induntur, mandunt & deglutiunt; erecti consistunt & stant; impulsi, tractive incedunt, membraque quovis modo inflexa, vel externa in eodem situ servant.

Peculiaris Catalepseos species.

IX. *Peculiarem Catalepseos speciem* refert Platerus de quadam, cujus venter tantum & Thorax moveretur admodùm, reliquo corpore toto stupente.

Cataleptici Senis Historia.

X. Mihi ante paucos annos contigit Amstelodami sæpiùs videre *Catalepticum Senem*, atque cum aliis Medicis ob casum rariùs in praxi occurrentem spontè confluentibus & concurrentibus aliquandiu ipsi præesse; Hic ex Trans-Isulaniæ confinio venerat, & videbat quidem, & audiebat, cæterisque sensibus utebatur, sed stupidiùs & torpidiùs; quin imò Mens ipsa reddita erat hoc malo stupidior; Hic in somnum propendebat continuè, rogatus respondebat & tardiùs, & difficiliùs; idem manibus prehensus & sensim tractione iterata agitatus disponebatur ad motum, unde à sede allectus sequebatur trahentem, sed segniùs; alimenta interim assumebat satis commodè, dormiebat multùm, deiiciebat rariùs.

Varia varia Catalepseos Symptomata. 1. Sensuum segnities.

XI. Atque ex hisce omnibus in variis Catalepseos speciebus observatis symptomatibus paret, non semper similia contingere singulis Catalepticis symptomata; *in omnibus* tamen accidere 1. Majorem vel Minorem sensuum externorum, hinc & internorum stupiditatem ac segnitiem.

2. Motus Animalis torpor.

XII. 2. *In omnibus quoque ac singulis* affligere *Motus Animalis Torporem & Tarditatem*, *Rigori conjunctum*, eumque nunc majorem, nunc minorem.

XIII. Difficiliùs namque, segniùs, & tardiùs peraguntur in omni Catalepsi functiones Animales omnes, sensus putà tàm interni quàm externi, atque Motus.

Cujusdam functionis sit Symptoma.

XIV. Cùm autem in omni Catalepsi afficiantur malè sensus omnes, atque Motus Animalis, quæritur, & quidem meritò, *Cujusdam functionis proprium & primarium Symptoma sit Catalepsis, an Sensuum Externorum? an Internorum? an Motus Animalis? An omnium ex æquo?*

Esse primario Animalis motus, secundario sensuum Symptoma. Et ob quã rationem.

XV. Sententiam de hac re meam paucis ut proferam, Censeo *Animalis motus Symptoma propriè atque primariò esse Catalepsin, sensuum autem tàm externorum, quàm internorum secundariò tantùm.*

XVI. Ita se rem habere vel hinc patere puto, quòd in *Omni, solaque Catalepsi* & quidem *semper* observetur *Animalis Motus*, non abolitus quidem aut deficiens; non auctus & partes convelliens; non convulsivè depravatus, & partes variè, atq; alternatim agitans, tremulusve; verùm *Rigidus, & in eo situ, in quo erant cùm hoc affectu corriperentur, aut* ad quem postmodum deducuntur & flectuntur, *partes conservans, ac stipitis instar rigidum corpus aliàs efficiens.*

In Catalepticis Musculorum voluntariè non moveri

XVII. Accidit enim Catalepticis omnibus, ut 1. *non moveantur voluntarii musculi*, ac proinde nec partes, quibus inferuntur, quasque aliàs simul movere, ac flectere aut extendere, aut quocunque demum modo inflectere ac ciere solent musculi.

XVIII Et quamvis in leviore Catalepseos specie constet adhuc Mens & Voluntas Ægris, nequeunt tamen pro arbitrio suo movere partes suas; unde instar stipitum rigidi permanent, simulque stupidi quasi & attoniti.

Moveri verò quando excitantur.

XIX. Accidit autem iisdem Catalepticis, leviùs saltem affectis, ut 2. *moveantur iidem musculi*, quoties ab externa causa ad motum *excitantur* & urgentur, & quidem *eo* moveantur *motu, quo naturaliter solent* moveri, *non tamen ultra vim ab impellente aut excitante impressam.*

Quiescere autem quando non excitantur.

XX. Unde etiam cessante vi ad motum Catalepticos excitante, aut remittente vi eosdem urgente ac impellente aut trahente, cessat quoque ac intermittit Motus ipsorum.

XXI. Quapropter redeunt tunc ad priorem rigorem partes, redditurque Corpus denuò stipiti aut statuæ simile.

Corpus flecti posse.

XXII. Membra autem, ut & totum corpus flecti potest arte ac sine vi; quod in Convulsione impossibile; in qua inflexilia permanent membra.

Nullus observatur dolor.

XXIII. Adde quòd semper Convulsioni comes est affectæ partis dolor, qui in Catalepsi nullus observatur, cùm sensu externo omni plùs minùs destituantur Cataleptici.

Pulsum & Respirationem perseverare,

XXIV. Atque ex hisce præmissis haud ita difficulter ratio reddi queat, *cur in gravi etiam Catalepsi perseveret*, ni mors mox sequatur, *Pulsus & Respiratio*. Urgetur scilicet Cordis Contractio à sanguine in ipsius ventriculis rarefacto, atque ejusdem parietes expandente, adeòque ad

sui reciprocam Contractionem excitante atque impellente, imò cogente.

XXV. Quinimò Spirituum Animalium Cordis musculos moventium torpor (à quo mox deducemus Catalepsin) corrigi, & quodammodo emendari videtur ab interno Cordis Igne, totum Ejus parenchyma pervadente: quod itidem de Arteriarum, Venarumque motu in Catalepticis permanente dicendum.

XXVI. Sic & Respiratio à sanguine ex Dextro Cordis ventriculo in pulmonalem Arteriam propulso urgeri videtur, onà cum partibus primariis necessariò ipsi ministrantibus.

Membra in rigiditate perseverare.

XXVII. Accidit quoque Catalepticis, ut 3. *perseverent, ac permaneant Ipsorum membra in rigore atque rigiditate*, ac si manu prehensa continerentur in eodem statu vel positu: quo symptomate Catalepsi peculiari à cæteris affectibus omnibus distinguitur; adeò *ut Catalepsi omni, soli, & semper conveniat hic partium affectarum, mobilium tamen, rigor.*

Partes si moveantur difficiliùs moveri.

XXVIII. Accidit denique Catalepsi, ut 4. quamvis moveri possint partes, *fiat tamen motu ille omnis, quàm naturaliter, & difficiliùs, & graviùs, & segniùs.*

XXIX. Atque hæc sunt, quæ in læso Catalepticorum Animal motu observantur notanda.

Sensus secundariò affici.

XXX. *Sensus* ipsos *tàm internos, quàm externos* itidem ipsis *affici* & labefactari diximus, verùm *secundariò* duntaxat id fieri arbitramur.

In graviore stupore graviùs.

XXXI. Et in graviore quidem Catalepsi graviùs quoque *stupore* deprehenduntur, adeò ut abolita videantur, reverà tamen stupent tantùm, uti ex leviore ipsius specie facilè colligi potest.

In leviore leviùs.

XXXII. Quamvis enim in Catalepsi leviùs affligente aliquis non rarò supersit *sensuum tam externorum, quàm internorum* Usus, *stupent tamen semper utrique plus minùs*: quod ad veram Catalepseos causam eruendam oon parùm affert lucis.

XXXIII. Observabis enim *etiam in levissima Catalepseos specie* (qualem illam judico, quæ mihi occurrit in mea praxi semel, cujusque historiam narravi) ubi & sensus eaterni aliquali suo funguntur munere, & adhuc constat ægris mens; *functiones tamen illas obscuriùs, & confusiùs, imò tardiùs, segniùs, ac difficiliùs perfici; Ipsosque Ægros tanquam Attonitos & stupidos semper reperiri.*

XXXIV. Prout autem affectus gravior est aut levior, sic etiam sensuum stupor major est & gravior, aut minor & levior.

Causa.

XXXV. Cùm ergò in *Omni Catalepsi* observetur *cum sensuum stupore, Membrorum Animali motu cieri solitorum rigor*, ad mirabilis ac stupendi hujus affectus causam inveniendam veram quærenda res tàm Sensibus, quàm Motui famulans, adeòque utrisque functionibus communis, utpote à qua læsa aut vitia deduci queat utrarumque læsio.

XXXVI. *Proximam* autem *omnium harumce functionum Causam* statuimus esse *Spiritus Animales* ex Sanguine per arterias à Corde affluentes in Cerebro atque Cerebello paratos, & ad partes quasvis per Nervos delatos.

In Spiritibus Animalibus Et quidem coagulatis.

XXXVII. In his verò *Spiritus Animalibus*, non item in Nervis aut Cerebro ipso, *Catalepseos causam & rationem consistere* opinor.

Spiritus Animalis similes Spiritui Vini.

XXXVIII. Hos ergo *Animales Spiritus*, ut Catalesin producant, *plùs minùs torpidos, & ad motum ineptiores* fieri, & quodammodò *coagulari* judico.

Hunc per Spiritum Urina coagulari posse.

XXXIX. Hoc ut judicem, movet me 1. Ipse *Spiritus Animalis ejusdem* fortè aut fermè *cum Vini Spiritu Naturæ*; utpote qui ab hoc reparatur facillimè ac promptissimè.

XL. 2. *Spiritu Vini*, utut subtilissimus ac diligenti rectificatione purissimus, quinimò *purissimus* duntaxat & ab omni Aqua liberatus, *ad Spiritus coagulatis ex Urina humana* per sex hebdomadas conveniente anni tempore priùs fermentata eliciti affusionem mox concrescens, atque spissitudioem ab ipso accipiens tantam, ut colostri albicantis formam nanciscantur in unam massam coeuntes bini hi Spiritus.

XLI. Quod cum in summo gradu accidat rectificato Vini Spiritui ab Urinæ spiritu, nonne idem *in humano corpore* accidere posset quodammodo *Spiritui Animali à spiritu præter naturam inibi genito, aut à compedibus suis liberato, & ad Cerebrum penetrante, atque Spiritum Animalem plùs minùs coagulante, magisque vel minùs immobilem faciente?* Pro coagulatione enim fortiori vel leviori continget quoque Catalepsis vel gravior vel levior.

XLII. Hoc si fieri queat (uti, cur fieri nequeat, nullam rationem offendo) & tale quid fieri oporteat, quia Cataleptici nonnunquam observantur in praxi; non improbabilem stupendi affectus causam me eruisse atque assignasse omninò sum persuasus.

XLIII. Censeo igitur, *in Catalepsi deferri* quidem *à Cerebro per Nervos quaquaversum spiritus animales, verùm quadantenus coagulatos, inspissatosque, adeòque torpidiores ac stupidiores, minusque mobiles & fluxiles.*

Catalepseos ab affectibus aliis distinctio.

XLIV. Ut autem in hoc affectu enarrando pergamus, ex dictis patet is facilè & dignoscitur ab adstantibus, quos in stuporem quoque non rarò agit, dum mirantur nec assequuntur tam stupendi affectus phenomena. Proximum est, ut illum ab aliis affinibus affectibus distinguere, ac pro virili parte curare doceamus.

1. A motu abolito.

XLV. *Distinguitur* autem facilè hic affectus à cæteris Animalis motus læsionibus, & 1. *a Motu abolito*, in Paralysi, dum hic flaccida occurrunt membra, in Catalepsi rigida.

2. A motu imminuto.

XLVI. 2. *A motu imminuto*, in Tremore continuo, in quo aliquis superest motus voluntarius, in Catalepsi nullus.

3. A motu Aucto.

XLVII. 3. *A Motu aucto*, In Convulsione; in qua immobilis ac inflexilis observatur pars affecta; non item in Catalepsi, in qua pars spontè riget quidem, flecti tamen potest facilè.

4. A motu depravato.

XLVIII. 4. *A motu depravato* & Convulsivo, in quo agitatur & concutitur pars læsa, non item io Catalepsi, in qua quiescit, ni ab externa causa excitetur, & quidem ad motum naturali consimilem.

Ab Apoplexia.

XLIX. Ab affectibus autem attonitis, ut Apoplexia, distinguitur Catalepsis ratione Motus ibi aboliti, hic verò cum rigore partium permanentis.

Ab affectibus soporosis.

L. Sic ab affectibus Soporosis distinguitur quoque; In Catalepsi namque non tàm somnus urget, quàm In somnum propensio. Ubique tamen & ab affectibus omnibus distinguitur per peculiarem læsi motus animalis modum, uti jam aliquoties inculcavimus, in mobilitate sc. partium rigidarum & actu immotarum.

Gravior Catalepsis periculosa.

LI. Cæterùm periculosus est affectus omnis gravior Catalepseos species, utpote quæ brevi Ægros interimit; impedito sc. tunc Pulsu quoque ac Respiratione; unde & suffocantur Ægroti.

Levior non item.

LII. Species Ipsius leviores non ita sunt periculosæ, atque annis multis affligere possunt Ægros; quemadmodum viso mihi acciderat Cataleptico qui, si rectè memini, per annos quatuor vel quinque jam laboraverat, cùm ipsum viderem, nec tamen valdè debilitatus inde aliquot adhuc annis superesse poterat.

Curatu tamen difficilis.

LIII. Curatu tamen difficilis judicatur idem affectus, postquàm, nisi spontè brevi recedat malum, rariùs observatur curatum, & idcircò fortè, quòd & rarus sit, & vera ejus causa ignota manserit Credulis, nec satis omnia ponderantibus Medicis.

Curatio qui peragenda. LIV. Curationem autem Ipsius quod attinet, omnibus ritè expensis, arbitror illam obtineri posse imprimis à medicamentis Sale volatili acriore præditis.

LV. Quapropter optarem nunc mihi talem ægrum occurrere curandum, qualem ante paucos annos mihi obvenisse retuli, ut illa in ipso tentarem quæ tunc adhuc ignorabam, & tali utilia fore jam planè sum persuasus.

Rarò Catalepticos ab Authoribus curatos. LVI. Quæ autem ab Authoribus de hujus affectus curatione proferuntur, illa satis demonstrant, rarò vel nunquam curatos ab Ipsis Catalepticos, graviore saltem ejus specie affectos.

LVII. Cùm verò Unus duntaxat mihi contigerit curandus Catalepticus, & Ipse aliquod quidem in quibusdam symptomatibus acceperit à præscriptis medicamentis levamen, non fuerit tamen restitutus in integrum, de illius affectus curandi modo & ratione quod afferam, nihil habeo certi aut explorati.

LVIII. Hoc proinde affectu relicto, progrediemur ad alios, & quidem Soporosos, eosque multifarios.

CAPUT. XXV.

De Affectibus,

I. POstquam aliquot primarios Animalem Motum labefactantes affectus pro virili parte enucleavimus; rem nec ingratam, nec inutilem nos facturos arbitramur, si aliquot graves in Somno variè læso affectiones simili ratione & labore examinemus, & illa imprimis, quæ nos docuit Experientia, in Medicorum & Ægrotorum bonum proferamus.

II. Ut autem in re ardua & satis intricata nos extricemus faciliùs, consultum videtur, varias læsi Somni species præmittere, hinc ordine singulas huc facientes explicare.

Somni species. III. *Somnum* omnem qui in *Naturalem, Non-naturalem*, & *Præter-naturalem* sive *Morbosum* distinxerunt, rem acu tetigisse videntur.

Naturalis. IV. Commodè namque *Naturalis* dicitur is somnus, qui post moderatas vigilias etiam sanis obrepit quotidie.

Non naturalis. V. Pro *Non-naturali* verò somno is habendus qui post exercitia corporis vehementiora aut labores graves, Sanguinis effluxus, Alvi profluvia, Dolores magnos, Animi pathemata excedentia, Vigilias diuturnas, succedere solet non rarò & longior & profundior.

Præternaturalis. VI. *Præternaturalis* denique *Morbosus somnus*, de quo tantùm Nobis hic habendus sermo, is est, qui à Causa aliqua alia, præter sex rerum non naturalium levem abusum, excitatur, & Ægros variè affligit.

Hujus Gradus. VII. Hujus autem præternaturalis somni & *gradus* aliqui observantur, & differentiæ.

Somnolentia. VIII. *Gradus* quidem, quatenus vel Dispositio tantùm adest & Propensio ad somnum quæ *Somnolentia* dicitur, vel *actu Somnus*, isque peccans vel Quantitate, vel Qualitate, vel Tempore.

Somnus peccans,

Quantitate IX. *Quantitate* peccat Somnus protractus & *Longus*.

Qualitate. X. Qualitate peccat Somnus profundus & gravis.

Tempore. XI. *Tempore* peccat Somnus, *semper aut interdum* obrepens, cùm nox illi naturaliter destinetur: aut *mox post assumptum cibum* cogens, non ex malo tantùm more accedens.

Aliæ præternaturalis Somni differentiæ. XII. Præter quas simplices Somni præternaturalis differentias, sunt & aliæ à comitantibus non rarò ipsum symptomatibus petitæ.

Nominibus ambiguit. Insignita. XIII. Quoniam autem Nomina, quibus hæ species variæ indigitantur, non semper in eadem significatione sumuntur ab Authoribus Medicis, & magna observatur inter Medicos Grammaticos de illorum interpretatione Logomachia, & Ægris non tantùm inutilis, sed & noxia de verbis disceptatio, relinquemus illam Aristarchis & in musaeo Laurealam quærentibus; interim res ipsas examinabimus; & veram hos affectus curandi rationem venabimur.

Somnolentiæ species. XIV. Somnolentia ergò præternaturalis & morbosa in somnum propensio nunc comitem habet Vigiliam, nunc Somnum, & utrobique semper ferè Delirium: quandoque nihil horum, estque *Solitarius affectus*.

Coma Vigil. XV. Priorem comitatæ Somnolentiæ speciem, *Coma Vigil*, & ἄγρυπνον vocant Multi, estque ipsa violenta quidem in somnum propensio, eaque continua & impensa, in qua tamen cum delirio Ægros affligunt Vigiliæ; adeò ut quamvis oculis clausis se componant ipsi ad capiendum somnum, ipsum nihilominùs capere nesciat, verùm varia absurda patrent.

Coma somnolentum vel Caraphora. XVI. Posteriorem speciem vel Coma simpliciter, vel *Coma somnolentium* & ὑπνῶδες, quidam *Cataphoram* nominant, estque talis in somnum propensio, ut ipsam etiam actu consequatur somnus, isque profundus; à quo licet vi excitentur ægroti, in eundem tamen mox iterum delabuntur, & expergefacti delira loquuntur.

XVII. Atque hæc sunt binæ Somnolentiæ Morbosæ ac præternaturalis species cum Delirio semper conjunctæ, & aliàs quidem cum Vigiliis aliàs verò cum Somno ipso.

Lethargus. XVIII. Quibus si quis pro tertia specie jungere volet *Lethargum*, litem ipsi non movebo.

Latinis Veternus quid XIX. Est enim Lethargus, Latinis *Veternus* dictus (quamvis pro diversis quoque affectibus habeantur ab aliis) inexpugnabilis ad somnum propensio, eaque profundo & gravi somno comitata, ut & delirio, ac febre lenta continua.

XX. Adeò ut *sola febre* distinguatur à Comate, sine febre existente, quæ semper adest in Lethargo.

Quid intribus hisce Somnolentiæ speciebus observandum. XXI. Atque in hisce tribus Comitatæ Somnolentiæ speciebus excitari possunt Ægri, quamvis sermones ipsorum & actiones omnes conjunctum testentur delirium: quod ritè observandum, quò ab aliis Soporis speciebus distinguantur.

Carus quid. XXII. Occurrit enim quarta Soporis & Somni Morbosi species, in qua nulla ratione à somno excitari possunt Ægri, *Carus* dicta. Est autem Carus sopor gravis & profundus, in quo sensus omnes tàm externi quàm interni ita sopiuntur, ut in totum excitari nequeant, & quamvis puncti partes torqueant, non excitantur tamen à somno; interim respiratio permanet in Caroticis integra.

Huc referri posse Apoplexiam. XXIII. Ad has Soporis species referri quoque aliqua ratione posset *Apoplexia*, cùm plerique somno tunc sopiti videantur, quidam tamen attoniti duntaxat: sed de hac egimus jam in superioribus.

XXIV. Præter jam memorata Soporem & Somnolentiam comitantia Deliria, occurrunt insuper huc facientia *Insomnia*.

Somnia quid. XXV. Differunt autem Insomnia à Somniis; quòd *Somnia* sint sensuum Internorum circa objecta sensibus externis percepta, & diligentiùs ac cum animi affectu pensitata, Aberratio levis in somno naturali facta.

Insomnia quid. XXVI. *Insomnia* verò sint eorundem sensuum Internorum circa objecta ficta, falsaque perperam menti in somno profundo repræsentata & animùm vehementissime afficientia, Aberratio gravis cum summis animæ anxietatibus & corporis quassationibus, erumpente non rarò sudore copioso.

Incubus. XXVII. Insomniorum peculiaris species est *Incubus*, cum falsa imaginatione personæ aut alterius rei cujuscunque thoraci graviter incumbentis,

bentis, ac respirationem cum suffocationis metu impedientis, vocemque intercipientis.

Somnambuli.

XXVIII. Ad insomnia, vel somnia potiùs, referenda quoque videtur *Somnabulorum* affectio, in qua dormientes ac somniantes è lecto inscii surgunt, ambulant & vigilantium munia exequuntur, imò plerumque superant.

XXXIX. Atque hæc ferè sunt primaria Somni morbosi genera quæ nunc ordine singula prosequemur, & illorum ortum, causas, generandique modum, hinc & curandi methodum investigabimus.

CAPUT XXVI.

De Somnolentia simplici.

Somnolentia simplex quid.

I. *Somnolentia* morbosa, eaque simplex ac *Solitaria* judicatur, quoties Propensio ad somnum non consueta, sed insolita quemvis corripit & affligit, nec quidem ex aliquo Diætæ vitio, verùm à causa aliqua præter naturam in homine reperta, & volentem nolentem ad somnum inclinante, & consequenter cogente.

II. In Solitaria namque Somnolentia sive ad somnum propensione, non tantum ad ipsum capessendum inclinatur homo, sed & simul cogitur; adeò ut post aliquam luctam, nolens licet, ipsum actu capiat, nec illum diu effugere queat.

III. Cùm autem per se pateat hic affectus, non est quod in multis signis ipsum manifestantibus quærendis tempus teramus.

IV. Labore autem majore opus erit ad veras ejus causas eruendas.

Ejus causa.

V. Verùm, ut in hujus & sequentium affectuum Soporosorum causis proponendis clariùs progrediamur, paucula ex iis, quæ alia quondam occasione in somni febrilis examine proposuimus præmittemus.

Quænam nos ad somnum inclinent.

VI. Et 1. quidem docuimus aliàs, *Spirituum Animalium* qualemcunque *consumptionem invitare nos ad somnum.*

VII. 2. *Voluptatem omnem, animique Tranquillitatem inclinare nos ad somnum.*

VIII. 3. *Aeris humiditatem quamvis naturalem vel artificialem movere nos ad somnum.*

IX. 4. *Frigus externum, sic & Narcotica cogere nos ad somnum.*

Somni causa.

X. Ex quibus patere videtur, vel *Spirituum Animalium consumptionem & defectum* disponere nos ad somnum [1], vel *eorundem torporem & minorem mobilitatem* cogere nos ad eundem somnum.

Morbosa Somnolentiæ causa.

XI. Cùm autem *Morbosa Somnolentia* non *sequatur*, uti jam dictum, vitium aliquod in diæta patratum, aut dolores graves spiritus animales exhaurientes, verùm *causam internam ad somnum cogentem*, itidem patere puto, *deducendam*. Ipsam *vel ab humiditate aliqua aquea & pituitosa* inclinante, vel potiùs ab *humore frigido & narcotico cogente* hominem ad somnum.

Humiditas multa pituitosa.

XII. Et revera si quis tales consideret præter naturam *Somnolentas*, comperiet ipsos *multa humiditate pituitosa scatentes & gravatos* non sine aliqua *virtutis narcoticæ* ipsi admistæ suspicione.

Vis Narcotica in quibus consistat.

XIII. Quapropter optandum foret, patere nobis *vim Narcoticam, & in quo consistat.*

XIV. Novi quidem Chymicos in sulphure constituere vim illam, licèt quo argumento id evincant, adhuc dum sim anxius, quamvis inferiùs aliquid sim additurus in hanc rem.

XV. Quamvis autem post longam & multifariam indaginem nondum mihi satisfacere queam in hac veritatis utilissimæ investigatione; libet tamen quædam in medium proferre atque discendi cupidis communicare, quæ & ipsos juvare queant in simili opere ad optatum finem deducendo.

[1] *Delibos Opera.*

In Opio vis narcotica.

XVI. Quod igitur dicendum habeo, spectat *Opii examen*; Opii, inquam, *in quo præ* cæteris omnibus mediis naturalibus nobis notis *excellit vis narcotica.*

Vitrioli sulphur anodynum.

XVII. Quod autem de *Vitrioli sulphure narcotico*, vel potiùs *anodyno, vel pacativo* narrant multi, satis arguit ignotum esse plerisque hoc *sulphur, nunquam tamen satis laudatum* ob vires ejus planè stupendas, utpote quas, expertus loquor, non satis valeo mente assequi, tantùm abest ut queam ore deprædicare.

Opium esse succum papaveris.

XVIII. Ad Opium proinde ut revertar verè narcoticum, non dicam nunc, esse succum papaveris inspissatum, neque enim hoc vel *vix* quidem facit ad vim ejus narcoticam cognoscendam,

Colore nigricante.

XIX. Sed nec dicam, Ipsum colore esse nigricante, cùm plerique inspissati succi tales observentur.

Amarum.

XX. Unam tamen sensilem qualitatem proferam, *Amaritudinem*, quæ in ipso est insignis, imò tanta, ut plerosque in fictis rerum qualitatibus primis cognitionis naturalis omnis proram & puppim quærentes in diversas sententias egerit, dum alii Ipsum ob amaritudinem suam valdè Calidum, alii ob vim narcoticam summè Frigidum pronuntiarunt.

Ab ejus amaritudine vim narcoticam separari non posse.

XXI. Sed & hoc notandum, *separari*, quod sciam, *Non posse ab ipsius amaritudine vim Narcoticam*: quocunque etenim menstruo & liquore eliciatur Opii tinctura & essentia, semper eadem deprehendetur amaricare tam ante, quam post ejusdem menstrui separationem, & abstractionem; adeò ut hactenus ab Opii amaritudine inseparabilis judicetur mihi ejusdem vis Narcotica.

Ejus vis narcotica in quo sita.

XXII. Ab amaritudina autem inseparabilis si sit Opii *vis narcotica*, ipsam aut *in sale, aut cum sale consistere* arguo, cùm omnis sapor sit, meo saltem arbitratu, à Sale.

Quibus menstruis eliciatur.

XXIII. Quod autem non minorem excitavit in me admirationem, id est, quòd *Vis illa Opii narcotica diversis natura menstruis elici queat, Vini puta Spiritu, Aceto stillatitio, & Lixivio,*

Vini spiritus Acetum & Lixivium quid sint,

XXIV. Diximus autem non semel, *Vini Spiritum* esse spiritum volatilem; *Acetum* ante & post sui destillationem esse maxima sui parte Spiritum Acidum, ex Sale ortum, *Lixivium* esse Salem in combustarum rerum cineribus remanentem & Aquæ ope à Terra sua liberatum,

XXV. Quæ quantum inter se differant, norunt vel ipsi Chymiæ Tyrones: Interim singulis hisce menstruis elicitur commodè vis Opii narcotica.

Tincturæ his menstruis elicitæ diversæ.

XXVI. Non negaverim tamen differre quodammodò inter se Tincturas diversis illis liquoribus elicitas; quæ tamen in eo conveniunt omnes, ut narcoticam Opii vim simul conservent, & assumptæ corpori communicent.

XXVII. In quo autem, & quantum inter se differant hæ variis menstruis paratæ Tincturæ, experiri poterunt commodissimè illi, qui suis ægris ipsi exhibent medicamenta, non item illi, qui in variis illa præscribunt Pharmacopoliis; ubi non semper pro cujusque Medici placito parata occurrunt medicamenta.

Opiata minima quantitate, & partitis vicibus usurpanda.

XXVIII. Quibus verò, licebit & libebit privatim aliquid tentare, puto me viam ostendisse hic & facilem & commoda; quam securè sequetur unusquisque iterati sæpius & inculcari mei moniti memor, *Opiata usurpanda esse quantitate minima, & partitis potius exhibenda vicibus, quàm simul & semel*; Omnibus enim, qui hoc meum sequetur monitum, Tutam, Citam, Jucundamque adeò polliceor praxin.

XXIX. Hac proinde via, & *diversa Opii præparatione*, atque *attenta diversè præparati observatione putem* sensim *Narcoticam Opii vim innotescere posse, tum in quo consistat, tum unde pendeat.*

Anodynum ex Vitriolo.

XXX. Huic autem investigationi & inventioni non parùm inserviet Anodyni ex Vitriolo præparatio & consideratio.

Differre in narcoticitate ab Opio.

XXXI. Quamvis enim *toto cœlo differant Opii vis narcotica stupefaciens, ac Anodyni ex Vitriolo parati vis pacativa & naturalem duntaxat somnum inducens, non autem stuporem*, (quod probè notari velim ab omnibus praxin Medicam cum laude aliquando instituere cupientibus) juvant tamen collatæ simul alterutrius aut utriusque naturæ explicationem. Et certè videtur Opii vis narcotica in Animales Spiritus extendi; Vitrioli autem anodyni vis pacativa in Bilem effervescentem, quam tunc putem vocari Helmontio Furorem Archei.

Anodynum Vitrioli mirabilia præstare.

XXXII. Quærant interim omnes Anodynum illud Vitrioli, & pro arcano summo habeant, quotquot ipsum invenerint, mirabilia namque præstat in variis affectibus difficillimis curandis.

Somnolentia causa vis narcotica et humoris.

XXXIII. Ut autem, unde sumus digressi, eò revertamur, *Somnolentia morbosa* suspicor *peccantes in corpore humores participare de vi narcotica*, spiritus animales sopiente, atque ad motum ineptiores reddente.

XXXIV. Cùm enim agilitas requiratur in spiritibus animalibus ad functiones suas ritè obeundas, quoties iidem minus agiles, ac mobiles efficiuntur, toties læduntur eorundem functiones,

XXXV. Segniùs autem procedunt tunc per animales spiritus perfici solitæ functiones, eæque sensim ad quietem deduci videntur, hoc est somnum, aut si morbosus existat, soporem.

Somnus quot modis peccet.

XXXVI. Primus verò ad somnum gravem gradus est Somnolentia, uti dictum; huic proximus Ipse somnus, in quo denuò variæ occurrunt diversitates, cùm vel protractione peccet, vel intensione & profunditate quasi.

Somnolentia curatio.

XXXVII. Cum ergo *Somnolentiam morbosam* deduxerimus partem *ab humore pituitoso, partim à vi Narcotica*, cujus essentiam hactenus explicare nescimus; videndum saltem, quà ratione quibusque mediis curari queat & emendari; ut & hinc lumen aliquod ejus naturæ indagandæ aptum nobis accendatur.

1. Pituita emendanda aut evacuanda.

XXXVIII. Et 1. quidem *pituita quomodo emendanda sit aut evacuanda*, sæpiùs diximus; in illam proinde superandi modo breves nunc erimus.

Ea duplex.

XXXIX. Pituita autem vel aquea observatur, vel, quod sæpiùs accidit, plùs minùs viscida.

Aquea per sudorifera expellenda. Et quibus.

XL. *Aquea pituita per sudorifera consumitur, expelliturve* satis commodè, usurpando Radices Chinæ, Sarsæparillæ, Petasitidis, Bardanæ, Contrayervæ, &c. Ligna Guajacum, Sassafras, Iuniperinum, Buxinum, &c. Baccas, Iuniperi, & ex ipsis paratum Rob, ut & Sambuci Baccis & similibus pluribus.

XLI. Potest etiam solo *Vini Spiritus excitari sudor*, qui Aqueam pituitam potenter absumit. Usurpatur autem accensus, quem excipit æger aut in lecto, aut in stupha sicca, aut in Dolio, aut alio quovis modo.

Eadem evacuanda per Hydragoga. Viscida corrigenda, & quibus.

XLII. Eandem *pituitam Aqueam evacuant hydragoga*, & imprimis Radices Jalappæ, Mechoacannæ, & similia.

XLIII. *Pituita Viscidior corrigitur* commodissimè per *Gummata*, Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum, Opopanax, in pilulas redacta.

XLIV. Eandem corrigit *Sal* quodvis *lixiviosum*, vel *Spiritus Acidus* quivis, vel *mixtura ex utroque* parata, qualis est *Sal Tartari Vitriolatum*; quibus si *Spiritus aliquis Volatilis*, Vini putà, addatur, blandior observatur eorum operatio, & facilior curatio.

Correcta expurganda.

XLV. Eadem *pituita viscida* si copiosior observetur in Corpore, quàm ut cum ejusdem commodo omnis emendari queat, potest ejus pars aliqua priùs per enarrata præparari, hinc *expurgari*.

Et quibus.

XLVI. *Expurgationi* inservient Agaricus, Turbith, Gummosum, Hermodactyli, Colocynthis, Mercurius quovis modo præcipitatus, ut & sublimatus dulcis.

Vis narcotica consideranda.

VLVII. Quòd si, quemadmodum in graviore præsertim Somnolentiæ aut somni morbosi specie fieri solet, *vis narcotica* plus minùs peccanti pituitæ observetur permista, tunc illius imprimis habenda erit ratio, & illi superandæ convenientia administranda erunt remedia; inter quæ excellunt sequentia.

Medicamenta contra eam.

XLVIII. Medicamenta illa omnia vel *excitant duntaxat Ægros*, vel ipsam *vim* humorum *narcoticam* simul *emendent*.

Quænam è somno excitent.

LXIX. Excitant Ægros à somno, & somnolentiam quoque abigunt omnia *Acida volatilia & acri odore prædita*, *Acetum* putà forte, *Sulphures accensi odor & similia*.

L. Excitant eosdem *Castoreum*, *Ruta*, *Nigellæ semen*, *Raphanus rusticanus*, *Cepa*, *Scylla*, *Synapi*, & *alia* Acri odore donata, & imprimis *Aceto Acrimadefecta* & naribus admota.

Quænam vim narcoticam emendent.

LI. *Emendant vim Narcoticam illa eadem omnia*, commodè assumpta.

LII. Ut & *Olea stillatitia*, atque imprimis *ex plantis Cephalicis parata*, Salvia puta, Roremarino, Lavendula, Majorana, Cinnamomo, Garyophyllis, Ruta, Succino & similibus.

LIII. Hæc autem Olea ad Gutt. j. ij. iij. vel plures exhibentur pro re nata, & illorum acrimonia majore vel minore; & quidem ex liquore convenienti; Vino Medicato putà ex similibus parato, aut Apozemate, aut Mistura.

Caustica vitanda.

LIV. *Nolim* interim, quod aliqui satis temerè, meo saltem judicio, commendant, *uti* medicamentis causticis, *Euphorbio* & similibus. Quamvis enim ob stuporem non percipiant erodentem quorundam Causticorum vim Ægri, non desinunt tamen inde insignem pati noxam; cum ab illis partium mortificatio facilè promoveatur.

Nisi sint blandiora.

LV. Malim proinde uti blandioribus & tamen satis efficacibus, & quidem longiori tempore, quàm in periculum conjicere ægrum festinando nimium: quod & in hoc casu, & passim in tota Medicina commendo præceptum Tyronibus Medicis; neque enim semper licebit bis peccare.

Prudentis Medici officium.

LVI. Prudentis nimirùm ac fidelis Medici est, cavere ne à præscriptis exhibitisve à se Medicamentis ullum notabile detrimentum accipiat Ægrotus, quod mox reparare ac emendare nesciat medicus; aliàs ipsi tribuetur incommodum Ægroto superveniens; quam Calumniam cum cautela à se avertere potest & debet Prudens Medicus & probus.

LVII. Satiùs ergò erit tutiùsque, uti Medicamentis commodis, & benigniùs operantibus, cùm priùs exhibitis facile sit aliquid addere, non item demere: unde toties observamus ab imprudentibus & Temerariis Medicis dicam, an Medicastris non tam curari, quàm perdi ægros, cum totius Artis & omnium Artificum communi dedecore.

Tinctura ex prædictis.

LVIII. Possunt autem ex prædictis simplicibus etiam convenientes elici *Tincturæ*, tàm cum *Vini Spiritu*, quàm commodiùs *cum aceto*, & quidem *vulgari*, *non stillatitio*: cùm *longe acrius sit acetum non destillatum, quàm idem destillatum*. Remanet namque in fundo pars Aceti Acrior cum Sale ejusdem fixiore: Unde etiam ab aceti destillatione remanentes in fundo fæces sunt acerrimæ & nares valdè ferientes.

In quo consistat vis narcotica.

LIX. Atque hæc primaria sunt, quæ vim humorum narcoticam emendare possunt medicamenta; in quorum examine unum adhuc habeo monendum; quod omnibus tantò futurum gratius spero, quod ad utriusque & medicamenti & virtutis narcoticæ naturam indagandam inserviat.

LX. Ut

LX. Ut enim aliquid atilitatis & lucis ex Prædictis nobis affulgeat, videndum 1. *in quo imprimis conveniant omnia hæc ad somnolentiam & somnum præternaturales & morbosos superandos usu comperta utilia medicamenta.*

LXI. 2. Illo invento, *in quænam præsertim agere nata sint*, ac proinde *in quonam probabiliter hæreat vis rerum narcotica*:

LXII. Ut sic sensim via sternatur quò 3. *Ipsa vis rerum narcotica magis innotescat, ejusque natura & essentia tandem pateat.*

Rationis processus.

LXIII. Nihil enim meo judicio magis decet hominem, ratione non minùs quàm sensu præditum, quoties aliquis effectus ipsi occurrit ignotus, quàm ut ex sensu notis pergat ratiocinando ad ea, quæ sensus externos fugiunt, & solo Intellectu ratiocinationis ope percipi possunt.

In Medicamentis contra narcosin abundare Sal volatile acrius.

LXIV. Si quis proinde omnia à me recensita per Chymiam, stupendam illam Naturalium mutationum omnium repagula referantem Artem examinaverit, comperiet *in omnibus & singulis abundare salem volatilem, eumque Acriorem*; quæ duo bene notanda.

LXV. *Salem* inquam *& Volatilem*, & quidem *Acriorem in omnibus medicamentis, tam à somno excitantibus, quàm ipsum emendantibus abundare.*

Salis Volatilis lenitas & acrimonia unde pendeant.

LXVI. Quæ autem Sale volatili, sed blandiore sunt prædita, parùm aut nihil in hoc affectu superando præstant.

Acrimonia omnia unde pendeat,

LXVII. *Salis autem volatilis lenitas* pendet *à Spiritu volatili*; uti *Acrimonia ab igne per adjunctum ipsi Oleum communicato.*

LXVIII. Diximus enim & docuimus in superioribus, quod hic uno verbo repetendum est, *Acrimoniam omnium* in rebus naturalibus observabilem *pendere aut simpliciter ab Igne solo, aut à Sale per Ignem alterato, vel in Salem lixiviosum, vel in Spiritum Acidum.*

Sale volatili abundare acetum.

LXIX. *Sale volatili abundare Acetum* vel inde patet, quòd non ex vappa & vino, cui Spiritus volatilis periit, verùm ex eodem Vino Spiritu adhuc pleno fiat: Unde quò generosum magis est Vinum, & volatili Spiritu abundantius, eò præstantius & Acrius dabit acetum: quod præterea arte reddere potest denuò Spiritum prædictum volatilem.

Quo modo fiat.

LXX. Videtur autem mihi *Acetum parari ex Vino*, quoties *ejusdem Sal dominatum accipit, & Spiritum Volatilem sibi mancipat & adunit*: ita tamen ut à conjuncto ipsi Spiritu Volatili Sal ipsum fiat quodammodo volatile.

Plantas Acriores & Aromaticas Sale Volatili abundare,

LXXI. *Plantas* autem *præfatas*, & in universum *omnes Acriores & Aromaticas Volatili Sale abundare, vel ex ipsarum decocto* in Aqua purà facto; & post expressionem ad tertiæ partis remanentiam evaporato apparet; Hoc enim si frigori exponatur, plurimum Salis in tenues crystallos sensim abeuntis exhibet; Quod *tum Volatile, tum essentiale* vocatur ab artificibus.

Sal Volatile quibus constet.

LXXII. *Constat* autem *Sal Volatile* præter abundantem & dominantem *Salem, Spiritu Volatili, & Oleo pauco.*

Olea stillatitia Sale Volatili abundare.

LXXIII. Observandum autem, *Olea stillatitia plurimo Sale Volatili abundare*, & maximam partem in Salem volatilem reduci posse.

Remedia morbosum somnū corrigentia esse acria.

LXXIV. Quibus patere puto, *Sale Volatili abundare omnia morbosum somnum corrigentia remedia.*

LXXV. *Eadem autem Acria simul esse*, eorundem *fortis & nares mordicans odor* evincit, ut longa probatione id non egeat.

In quænam agant Salia Volatilia. Eadem Sulphura elicere.

LXXVI. *In quænam* autem 2. *agere* imprimis *apta sint Salia Volatilia*; non ita facile erit determinare.

LXXVII. Quamvis enim per autem constet, *Sulphuribus eliciendis convenire* ipsa, sintque *Sulphura naturæ oleaginosæ*; nondum tamen constat, quum varia sint Sulphurum genera, quibus imprimis eliciendis sint dicata.

Vim narcoticam Sulphuri adhærere.

LXXVIII. Illud saltem inde probabiliter deduci posse putem, *Sulphureæ*, hoc est, *Oleoginosæ mistorum parti adhærere vim Narcoticam*, quod aliqualem quoque ulteriori indagini viam sternere arbitror.

Et forsan in eo consistere

LXXIX. An autem idcircò vis narcotica dicenda in Sulphure consistere, dubito, quamvis non negem, sed nec affirmem.

LXXX. Et nolim quis existimet, me contraria nunc proferre iis, quæ superiùs proposui, cùm ex Opii amaritudine conclusi *aut in Sale, aut cum Sale consistere vim Opii narcoticam*; posito scil. inseparabilem ipsam esse ab amaritudine.

Amara Sale Volatili abundare,

LXXXI. Nam *omnia amara Volatili Sale abundant, ad quod constituendum Oleum quoque concurrit, sive Sulphur.*

Amaritudinis comes Sulphur cū Sale Volatili.

LXXXII. Cùm ergo *amaritudini omni comes sit cum Sale Volatili Oleum sive Sulphur*, non pugnant illa quæ proposui, sed simul esse possunt vera.

LXXXIII. Sed relicta virtutis narcoticæ investigatione pergamus ad Affectuum Soporosorum examen, & ipsos curandi rationem.

CAPUT XXVII.

De Comate Somnolento, sive Cataphora.

Coma Somnolentū, sive Cataphora quid.

I. DOcuimus in superioribus, Homines quandoque affligi *Somnolentia morbosa, eaque solitaria*, in qua peccat duntaxat summa illa ad somnum propensio; quàm licèt somnus consequi soleat profundus & diuturnus, non est tamen is æquè gravis, ac in aliis ejusdem morbosi speciebus, ac imprimis Cataphora.

II. In Somnolentis namque morbosa & solitaria excitati à somno Ægri, præter illam permanentem ad capiendum somnum propensionem nihil patiuntur incommodi, constatque ipsis Mens & Ratio, non item in gravioribus ejusdem Somnolentiæ speciebus.

III. Inter has autem graviores Somnolentiæ Morbosæ species libet nunc agere de *Comate somnolento* dicto vel *Cataphora*, Cui præter somnolentiam molestam comes adest somnus profundus & quidem cum delirio junctus.

In quibus differat a Somnolētia morbosa solitaria.

IV. *Differt* proinde *à Somnolentia morbosa solitaria* hæc *Cataphora*, quòd 1. *profundior in hac sit somnus quàm in somnolentia solitaria*, 2. *à somno vi excitati ægri delirent, & delirium suum verbis & opere testentur*. 3. *mox in somnum relabantur*, secus ac in somnolentia solitaria, qui tunc aliquandiu vigilare possunt.

In quibus à Lethargo.

V. Accidit verò aliquando, ut *Comitem habeat Coma febrem*, atque tunc à *Lethargo* distinguitur, *quòd in Lethargo simul læsa sit memoria, & urgeat rerum plerarumque oblivio*, non item in Comate.

Duæ ejus Species.

VI. *Duæ* proinde occurrunt *Comatis somnolenti species*; *una, quæ sine febre affligit*; *altera quæ Comitem habet febrem*: quæ binæ Comatis species omninò sunt distinguendæ, cùm id non parùm faciat ad praxin & curam earum ritè instituendam.

Ejus Symptomata.

VIII. Ut autem Causa Comatis somnolenti pateat, observanda singula in ipso occurrentia Symptomata.

VIII. 1. Quidem adest *magna propensio ad somnum.*

IX. 2. *Somnus ipse profundus.*

X. 3. *Delirium.*

XI. 4. *Subinde Febris*: quæ cùm abesse possit à somnolento Comite, patet ipsam non esse de ejusdem essentia.

XII. Cùm autem quoties adest ad somnum propensio, sequatur semper somnus, ni concurrat aliquid, quod somnum impediat, *unam, eandem-*

que &

que & propensionis in somnum, & somni ipsius esse patet causam.

Ejus causam in duobus consistere.

XIII. Huic autem somnolentiæ & somno cùm semper comes sit delirium, patet iterum, *in duobus duntaxat consistere essentiam causæ Comæ somnolentum producentis, in somno inquam, & delirio efficiendo.*

Delirii in comate causa.

XIV. Quænam Somnolentiæ & Somni morbosi causa esse queat, diximus in superioribus quænam autem comitis in Comate delirii, nunc dispiciendum.

Vis Narcotica nempe.

XV. Cùm autem inter Somni morbosi causas, primarium locum ad Experientiæ quotidianæ testimonium assignaverimus *Virtuti verum narcoticæ*; eademque Experientia testetur itidem, *Narcotica quævis, si majori copia assumantur, non tantùm somnum inducere, sed simul delirium*; adeò ut quotquot in somnum inciderunt gravem ab assumptis narcoticis, *quoties illa vi durante expergefiunt, toties simul delirare plùs minùs* pro narcotici copia & vi majore vel minore *observentur*.

XVI. Ut itaque opus non sit aliunde *Comatis somnolenti causam* deducere quàm *à vi narcotica vel assumptorum, vel humorum in corpore depravatorum & vim narcoticam acquirentium.*

Duplex causa Comatis.

XVII. Duplex proinde *Causa Comatis somnolenti* assignari potest, *Externa* una, Narcoticum quodvis quantitate nimia assumptum; *Interna* altera, humor in corpore existens & corruptus, & narcoticam vim accipiens.

XVIII. Utraque interim Coma inducit vi sua *narcotica*.

In quibus humoribus introducatur vis Narcotica.

XIX. Cùmque autem extra sanguinem per Arterias & Venas fluentem *Duo primarii* observentur in omni corpore, etiam maximè sano, *humores Bilis & Pituita*; Et Bilis quidem in folliculo suo; Pituita verò quadantenus in Ventriculo, sed maximam partem in Intestinis, & imprimis tenuibus; in horum *alterutrum, vel utrumque introduci videtur vis narcotica.*

In Bile.

XX. Et ut *in Bile* constituatur, urget *Opium* ipsum impensè amarum, & hactenus Bili affine; ac *Spiritus Vini*, acrior præsertim, sale volatili & pingui abundans, & hactenus quoque Bili affinis.

In Pituita.

XXI. Ut verò in *Pituita* constituatur aut quæratur vis narcotica, suadere videtur *Constitutio somnolentorum Pituitosa*, & *Aeris constitutio humida* homines ad somnum inclinans.

A priore Delirium, à posteriore somnolentia.

XXII. Cùm ergò utrumque humorem tunc peccare suadeant argumenta mox allegata, malim utrumque ita considerari, ut *à Pituitoso* quidem *propensionem ad somnum* petendam putem, *à Bilioso* verò *vehementiorem narcosin, sive Soporem, atque Delirium.*

XXIII. Adeò ut meo saltem arbitratu, *levior ad somnum propensio pendere possit à Pituita* non item *sopor gravis & delirio junctus*, quem *à Bile vitiata* pendere magis magisque persuadeor.

Quænam Bili insint.

XXIV. Est enim *Bili suum Oleum & Sulphur quod narcoticum fieri quid vetat?* Est etiam *Bili suum Sal lixiviosum & quidem volatile*; quod in Vini Spiritu itidem esse nemo negabit, qui non fuerit Chymiæ ignarus; & in Opio esse, indicat Amaritudo ejusdem.

Virtutis narcoticæ natura adhuc ignota.

XXV. Sed quam vis recurrat jam aliquoties mota, & aliquantum fortè promota, necdum tamen emota & sublata difficultas, in quonam consistat Virtutis narcoticæ natura & essentia; quam fateor, necdum valeo explicare; videor tamen mihi hac quoque indagine aliquantùm profecisse, & spem majorem capere posse, futurum, ut sensim illa magis magisque pateat.

Comatis causa.

XXVI. Hac proinde iterum omissa, pergamus ad Comatis somnolenti examen.

XXVII. Arbitramur ergo probabiliter, *à Vi narcotica humori Bilioso introducta, concurrente simul Pituitosi humoris redundantia, produci Coma somnolentum.*

Sanitas à quibus pendeat.

XXVIII. Interim ne quis valdè miretur, aut turbetur, me *Utriusve humoris Biliosi & Pituitosi vitium conjungere*, Observandum, sanitatem humanam pendere ab Humorum quorum vis secundùm naturam in corpore existentium convenienti Symmetria & Proportione; quæ quamprimùm in Quantitate, Qualitate, Loco, Motu, aut quovis alio modo mutatur, mox sequitur aliqua Functio læsa, & consequenter in cæteris humoribus vitium aliquod, dum respectu hujus humoris primariò vitiati & peccantis proportionem & harmoniam suam amittunt naturalem, atque ejusdem vitiati respectu non satis continentur in æquilibrio ad sanitatem requisito: unde eosdem mutationem aliquam itidem paulatim subire, quid mirum.

Unde Functio lædatur.

Bilis vel Pituita vitiata se invicè vitiare.

XXIX. Et ut hoc præsenti negotio accommodemus, postquam arbitramur, & Bilem & Pituitam non tantùm necessarios, sed & utiles humano corpori in sanitate conservando humores existere, atque Eosdem se mutuò temperare ac in officio suo continere, quamdiu scilicet utergue omnibus modis se bene habet; nonne facilè patet, quamprimùm alteruter quocunque demùm modo desciscit à naturali sua dispositione, alterum mox in sua aliquam pati alterationem, & itidem recedere à laudabili suo statu.

Bilem à vi narcotica vitiari.

XXX. Quoties ergò Biliosus humor vim narcoticam (hoc enim ita se habere nunc supponamus) adsciscit & quidem præter suam naturam, nonne eo nomine minùs aptus erit omnibus illis ritè præstandis, quibus secundùm naturam est destinatus?

Eandem etiam Pituitam vitiare.

XXXI. Nonne eo quoque nomine Pituita in tenuibus Intestinis præsertim occurrens copiosa, & Bili continuè ibidem permista aliter ab illa vitiata afficietur Bile, aut aliter illam vitiatam afficiet Bilem, quàm cùm esset in statu suo naturali?

XXXII. Nonne ex immutata illa ex Bilis, Pituitæque concursu fieri solita Mutatione ipsa Pituita immutabitur?

Quo proinde corpori noxia.

XXXIII. Hæc autem Pituita si idcircò immutetur, uti necessariò immutatur, nonne in pejus immutabitur, hoc est, in talem constitutionem, unde malè erit corpori, cui inservire debebat in bonum?

XXXIV. Supponimus enim sanum fuisse hominem, qui si cum suis humoribus immutetur, uti necessariò immutatur, sanus esse desinet, ac proinde Æger fiet.

XXXV. Aliud enim est accidere mutationem in Ægro, in quo ea si fiat convenienter, hoc est, in meliùs, unde desciverat, restituetur ipse in integrum; sin minùs, in pejus adhuc ruet.

Ex depravatis humoribus morbum procreari.

XXXVI. Ex quibus omnibus abundè patet, Quoties humor aliquis in humano corpore sano existente mutationem aliquam sustinet, Toties reliquos quoque cum eodem commercium & communicationem habentes immutari, ac simul cum ipso vitiari, & hactenus quoque Valetudinem hominis adversam promovere atque augere.

Pituitam à vi narcotica vitiari.

XXXVII. Ergò si narcoticam vim suscipiente Bile Ipsa quoque Pituita vitietur; nonne ita vitiari poterit, ut in Corpore redundet, nimium sanguini confundatur, & in corporis etiam superficie æquè ac in Capite restagnet?

XXXVIII. Hoc autem in somnolentis & ad soporosos affectus proclivibus observamus fieri; cur autem inde, unde fieri posse probabiliter deduxi neutiquam fiat, non video.

Vim narcoticam sedem habere in Bile.

XXXIX. Sed nec video, quid obstet Vim narcoticam sedem suam habere in Bile posse; ac proinde de Ipsi curam adhibendam primariò: non purgando quidem, sed alterando ipsam & emendando disposi-tio-

tionem illam vitiosam soporem cum delirio causantem.

XL. Et utinam pateret nobis adhuc clariùs, in quo consistat illa Dispositio Vitiosa,

XLI. Quamvis enim multum nos in ejusdem investigatione profecisse putemus, nondum tamen eaquisitam ipsius notitiam nos assequutos ultrò fatemur, de illa autem temporis tractu assequenda non desperamus.

XLII. Hactenus ergo hoc, si non verum, vero saltem simillimum nos ostendisse arbitramur, *Vim Narcoticam in Salis volatilis parte Oleosa* sive Sulphure propriè *consistere*; ac *in Bile* nostrà sedem suam figere; cui comes sit *Pituita* in corpore abundantiùs restagnans & sanguini permista:

XLIII. Docuimus præterea, *Medicamenta omnia ad soporem gravem omnem frangendum ac emendandum utilia abundare Sale Volatili, eoque Acri.*

Comatis sine febre curatio.

XLIV. Quapropter Comatis sine febre occurrentis Curatio facilè patet, cùm in prædictis jam supra contineatur, fiatque usurpando medicamenta ennarrata vim narcoticam rerum quarumvis corrigentia & emendantia.

Comatis cum febre causa.

XLV. Proximum autem est, ut *Comatis cui febris comes est, generationem & causas* itidem investigemus, ac ipsius *Curationem* etiam jungamus.

Febris illa duplex.

XLVI. Cùm antem vel *Continuas, vel Intermittentes febres Comites* habeat Coma; observandum Ipsum in Intermittentibus quidem durante duntaxat Paroxysmo durare; in euntinuis antem continuè permanere, & indies ferè graviùs fieri.

In quibus Febribus observetur Coma.

XLVII. Cùm autem non tantùm in febribus Pituitosi vocatis, sed etiam in Biliosis, & ardentibus quandoque observetur Coma; non parum certè opinio nostra de Vi narcotica Bili insidente eo ipso confirmatur.

Febres unde.

XLVIII. Et sanè si quis *in febrium quarumvis generationem* inquirat diligentiùs, comperiet *vel à Bile vehementius agitata*, vel *ab eadem acriori facta*, vel *ab eadem cum liquore acido effervescente, hinc sanguini communicata*; vel saltem *ab assumptis, admissisve in corpus & similem sanguinis alterationem*, qualis ex prædictis variis Bilis affectionibus ortum ducere solet, *producentibus Febres omnes excitari.*

Febrem omnem innotescere ex pulsu frequentiore.

XLIX. Hoc ut clariùs exponam, præmittendum est fundamenti loco, *Febrem omnem innotescere Medico ex pulsu frequentiore*, non ad levem animi corporisve motum excitato, & cum eodem remittente; quamvis nonnunquam ab eodem vehementiore excitetur Febris.

Hanc esse signum Pathognomonicum.

L. Hoc enim *unicum Febri omni, soli, ac semper competens signum est*, adeòque *Pathognomonicum*, *Pulsus scil. præter naturam frequentior, quo præsente febrem adesse, absente autem abesse febrim certò pronuntiari queat.*

LI. *Nec enim aliud signum*, quod omni febri ac semper competat, *innotuit Practicis.*

LII. *Reliqua enim signa omnia non tàm febrem, quàm febris speciem, aut gradum, aut tempus indicant & demonstrant.*

Quænam ejus causa.

LIII. Cùm ergò hoc unicum febris omnis pathognomonicum signum sit, *Pulsus præter naturam frequentior*, videndum *quænam illius causa* esse queat & revera sit.

LIV. *Pulsus* autem, *cùm à Cordis ventriculorum expansione, hinc & mutua eorundem contractione pendeat.*

LV. *Expansio verò à sanguinis rarefactione, Contractio verò à Spiritibus Animalibus Cordis parenchyma musculosum moventibus fiat*, nostro saltem arbitratu.

LVI. Facilè patere putamus, *pulsum frequentiorem naturalem consequi frequentiorem cordis ventriculorum à sanguine celeriùs rarefacto, expansionem; hinc & mox sequentem Cordis contractionem frequentiorem.*

LVII. *Pulsus* autem *frequentior nonnaturalis* sequitur *frequentiorem Cordis ventriculorum expansionem ob erratum aliquod in rebus sex nonnaturalibus patratum*, citra tamen functionis alicujus vitæ naturali necessariæ læsionem notabilem.

LVIII. *Pulsus* denique *præter naturam frequentior* sequitur *aut frequentiorem Cordis ventriculorum à causa præternaturali, hoc est functionem aliquam lædente productam expansionem, aut saltem irritationem quamvis aliquam Cordis frequenter ad sui Contractionem urgentem.*

LIX. Adeò ut *Pulsus febrilis*, hoc est præter naturam frequentioris *causa sit id omne, quod aut sanguinem disponit præter naturam ad celeriorem sui rarefactionem, hinc & Cordis ventriculorum expansionem, ac mox sequentem contractionem; aut per se aptum est Cor p. n. irritare & cogere ad frequentiorem sui contractionem.*

LX. Quamvis haud eam inficias, si mihi liceret aliquid hic statuere; malle me pro *Febris signo illum duntaxat pulsum frequentiorem* habere, *qui oritur a causa sanguinem ad celeriorem sui rarefactionem disponente*; quàm simul illum, qui à causa per se ad frequentiorem sui contractionem Cor urgente producitur.

Quænam celeriorem sanguinis faciant rarefactionē.

LXI. Ad *celeriorem* autem *sanguinis rarefactionem* faciunt omnia quæ *ipsum reddant magis inflammabilem.*

LXII. Hoc autem *in nostro corpore facit sola Bilis.*

LXIII. Hæc enim prout variè est affecta & disposita, sic etiam *sanguinem magis vel minùs aptum reddit accensioni & inflammationi in Corde suscipiendæ.*

Calidæ Febres à Bile.

LXIV. Adeò *ut Febrium omnium Calorem comitem habentium Causam à Bile deducendam arbitror.*

LXV. *A Bile*, inquam, *nunc in sanguinem per ductus bilarios hepaticos immediatè effusa, & febre continuas pariente; nunc per ductum cysticum ad Intestina priùs eructata, atque ibidem cum Pituita multifaria effervescentiam excitante, atque sic Febribus intermittentibus ortum præbente.*

Et ab eadem si accesserit vis Narcotica Coma somnolentum.

LXVI. *Huic Bili Febri-paræ si accedat vis Narcotica, quid* mirum, *si præter Febrem observetur sopor gravis, cum delirio conjunctus, adeòque Coma somnolentum.*

In quo differat ab alia febre.

LXVII. Differet proinde in eo duntaxat *Febris sive Continua, sive Intermittens Comate somnolento Comitata*, ab *alterutra Febre fiat ipso affligente*, quòd *Bili Febrem excitanti adest vel abest vis narcotica.*

Febris cum vel sine Comate curatio diversa.

LXVIII. Quamvis autem non agamus hic de Febre eum vel sine Comate occurrente, ejusque curatione: non nocebit tamen uno verbo monuisse, planè aliam esse debere utriusque Curationem; cùm in Febre, eui comes est Coma, euranda, medicamenta vim narcoticam emendantia adeòque Acria sint simul adhibenda, à quibus abstineri potest in curatione Febris à Comate immunis.

Quædam Medicamenta contra Narcosi etiam esse cōtra Febrē.

LXIX. Quisquis autem superiùs à Me dicta diligenter perpenderit, observabit inter Medicamenta vim narcoticam superantia occurrere quædam, quæ extra soporem conducunt Febri, qualia sunt Acida omnia Acriora.

Pauca ad Medicinam faciendam requiri.

LXX. Sed & hine quivis attentus & accuratus mutationum naturalium observator addiscet, ad Artem medicam ritè faciendam non ita multa & diversa desiderari media, sed paucis illam absolvi posse, dummodò intima singulorum natura probè perspecta, ritè eadem conjungi queant.

Et quare.

LXXI. Cujus rei hæc videtur ratio, quòd Res naturales omnes è paucis constent primordiis; ex quibus varia proportione inter se junctis cùm pendeant omnes illæ observabiles rerum naturalium mutationes, utique ex iisdem paucis ad debitam pro-

porportionem redactis pro lubitu immutari poterunt denuò eadem omnia, & in priores aut novas formas & figuras deduci.

Febris cum Comate quibus egeat medicamentis.

LXXII. Quoties ergò febri continuæ aut Intermittenti comes est Coma somnolentum, toties Ipsam excitanti Bili conducent medicamenta Acida cum aliqua Acrimonia conjuncta: atque illis præsertim emendabitur illa Bilis narcotica vi infecta.

Oleum Sulphuris per campanam.

LXXIII. Inter Spiritus Acidos autem præ cæteris omnibus conducet Oleum Sulphuris per campanam paratum, utpote cæteris Acrius & odore solo ægrum recreans & somnum excitans.

Spiritus Nitri; Vitrioli Philosophicus. Salis, Vitrioli.

LXXIV. Huic proximè accedit Spiritus Nitri; hinc Spiritus Vitrioli Philosophicus.

LXXV. Sed nec parvi faciendi Spiritus Salis & Vitrioli Volatiles; de quibus consulendus Glauberus in eorundem præparatione.

LXXVI. Ex supradictis ergò quodammodò patere puto vim Narcoticam; in quo scilicet consistat, & quomodò emendari queat, ubi somnolentum inducit Coma, tàm sine, quàm cum febre cumite.

CAPUT XXVIII.

De Comate Vigili.

Coma Vigil quid.

I. **A**Bsoluta pluribus Comatis somnolenti tractatione, proximum est, ut Comatis rursùm, sed Vigilis enarrationem aggrediamur.

II. Est autem *Coma Vigil, somnolentia morbosa; & summa ad somnum propensio, ob quam licet clausis oculis ad somnum se componat æger, illum tamen capere nescit, verùm delirans multa patrat absurda.*

Quomodò differat à Comate somnolento.

III. Differt hic affectus à Comate somnolento in eo, quòd in somnolento sequatur acta somnus, non item in vigili, à quo impediuntur & delirant.

Quænam ad illud requirantur.

IV. Hæc proinde tria concurrunt ad Comatis Vigilis constitutionem. 1. Somnolentia vitiosa eaque summa. 2. Vigiliæ. 3. Delirium.

Causa Somnolentiæ.

V. Somnolentiæ quidem causa eadem videtur in comate Vigili, quam diximus esse in Somnolento.

Delirii.

VI. Sed & eadem videtur Delirii in utroque Comate Causa: Unde in illarum explicatione non est, quòd immoremur.

VII. Præcipuum proinde erit Vigiliarum assignare causam, cùm in Somnolento urgeat Somnus, isque profondus.

Vigiliarũ.

VIII. *Vigiliarum* autem *præternaturalium Causa* hic erit quærenda, & quidem *potens*; *quæ tantam impediat Somnolentiam ne in somnum deducatur.*

XI. *Vigilias autem præternaturales producere solent omnia, quæ Spiritus Animales agitare possunt vehementiùs; qualia sunt 1. Dolores Corporis graves, omniaque objecta sensus potentiùs afficientia. 2. Animæ solicitudines & anxietates urgentes. 3. Omnia ipsos Animales Spiritus per se inquietos & irrequietos præstantia, Acria præsertim, non partes sensibiles adeòque sensum afficientia, atque per dolores somnum tollentia, & Vigilias efficientia; verùm in ipsos Animales Spiritus agentia immediate, ipsosque in motione & agitatione continua servantia.*

Comatis vigilis causa duplex.

X. Ubi ergò Coma Vigil producitur, & cum Somnolentia morbosa urgent vigiliæ morbosæ, ibi duplicem causam concurrere putem; quarum alteram quidem Somnolentiam, altera verò Vigilias excitet.

XI. Quænam Somnolentiæ causa sit, jam docuimus abundè; qualis autem Vigiliarum, ampliùs disquirendum, & imprimis, quæ ipsos Animales Spiritus exagitet adeò, ut somnus capi nequeat.

Dolores somnum interrumpere.

XII. Nemo enim 1. negabit Dolores graves, & quicquid illos producit, somnum interumpere, atque adeò Vigilias excitare.

Dolorum causæ.

XIII. Dolores autem producunt omnia objecta externa & quidem sensuum propria, vehementiùs ipsa sensoria afficientia, & idcirco molestiam, mox dolorem excitantia.

XIV. Unde lux magna dolore Visum afficit; sonus vehemens Auditum; Odor gravis olfactum, sapor ingratus Gustum; Calor vel Frigus adurens Caloris sensum; Durities pungens vel tundens Tactum.

XV. Objecta verò sensuum communia nullum dolorem pariunt.

Animæ solicitudines somnum interrumpere.

XVI. Sed nec 2. negabit ullus, nisi rerum ignarus, Animæ solicitudines & anxietates interumpere, imò impedire somnum, & molestas excitare vigilias.

Et quatenus. Et quomodo.

XVII. Interrumpitur autem à solicitudinibus somnus, quatenus per ipsas in continuo motu servantur animales spiritus, quod vel inde patet, quod in solicitudo quavis videamur nobis observare mentis agitationem & discursum continuum in Cerebro, planè similem illi, quem corpus patitur discurrendo per omnia domus cubicula, aut urbis vias, absque quiete.

XVIII. Assuefacti autem continuata solicitudine ad agitationem animales spiritus, in eadem facilè perseveraot, ac difficiliùs ad quietem reduci queunt, licèt summo nisu id tentet anima ad extremum agitata & anxia.

XIX. Quæ solicitudo permanens in anima somnum impedit & turbat in Comate vigili.

Ab agitatione Spirituum Animalium Vigilias produci.

XX. Sed nec 3. ubi neque dolores corporis, neque solicitudines animæ urgent, ut paulò ante urserunt, negabit quis facilè, *ab ipsorum spirituum animalium agitatione sola produci posse vigilias* in Comate vigili observatas.

Inquietos reddi Spiritus à Sale Volatili.

XXI. Inter omnia autem in sensus ocurrentia, tum naturalia, tum artificialia, nihil reperitur, quod animales spiritus, utpote volatiles, inquietos reddere possit, præter Salem volatilem acriorem.

Id ex quibus componatur.

XXII. Constituitur autem sal volatile, uti sæpiùs diximus, ex sale & volatili spiritu; cui quoties cum oleo immiscetur plùs Ignis, redditur acre.

Ejus Acrimonia ab igne.

XXIII. Adeò ut primaria ejus acrimonia pendeat ab Igne; cui proinde itidem accepta referenda est primariò irrequieta spirituum animalium agitatio.

Comatis Vigilis causa non in Bile.

XXIV. Hoc si verum sit, uti saltem vero putamus simillimum, utique nemo facilè putabit, in eodem humore, Bile putà, quærendam Comatis Vigilis, uti Comatis Somnolenti causam.

Sed in alio humore.

XXV. Verùm in Bile quidem, Somnolentiæ atque Delirii; in alio autem alibi producto humore Vigiliarum quærenda causa.

Sale nempe in glandulis hærente.

XXVI In alio, inquam, præter Bilem humore, Sale putà, in Glandulis forsan quibusdam hærente, atque ibidem acriore facto, hinc per volatilem Spiritum volatilisato, ac tandem accedente Arteriosi sangoinis igne majorem acrimoniam nacto: & sensim ad cerebrum elevato, & animalibus spiritibus conjuncto, atque illos in continua agitatione servante.

XXVII. Cura proinde Comatis Vigilis consideranda triplex.

Comatis Vigilis cura triplex. 1. Dolores sedandi.

XXVIII. Nam 1. si dolores aliqui urgeant, qui priùs urserunt, sedandi in parte affecta, tollendo vel demulcendo causam, & emendando seosorium inde malè affectum.

2. Spirituũ Animalium agitatio sedanda.

XXIX. 2. Si animæ solicitudines urserint priùs, & ab illis remanserit spirituum animalium, Ipsiusque adeò Mentis agitatio, curanda primùm somnulentia; postea tentanda Agitationis sedatio, tum pacantibus animalium spirituum agitationem, tum ad tranquillitatem dedocentibus ipsam Animam.

3. Humoris Salsi Vola-

XXX. 3. Si ab homore salso volatili & acri pendeant Vigiliæ, corrigenda illa acrimonia oleo-

sis

talis Acrimonia corrigenda.

sit emulsionibus, hordei, feminum quatuor frigid. maj. ut & papaveris, & quandoque amygdalarum: vel, quod præstat omnibus, Sulphute pacativo Vitrioli, neutiquam Narcotico.

Et quibus,

XXXI. Somnolentia autem Vigiliis Comes curabitur iisdem, quibus Coma Somnolentum, remediis, sed iis præsertim, quæ non impediant Vigiliarum comitum curam.

XXXII. Pro Causæ ergò Vigilias excitanti diversitate seligenda erunt hæc aut illa ex enarratis in superioribus, & prudenter conjungentur, præmittentur, aut postponentur prædictis.

CAPUT XXXIX.

De Lethargo & Veterno.

I. POstquam in enarratione affectuum Soporosorum egimus de Somnolentia morbosa simplici, de Comate Somnolento, ac de Comate Vigili, necessum quoque est, ut Lethargum enucleamus.

Lethargus sive Veternus quid.

II. Diximus autem *Lethargum* Græcorum, ac *Veternum* Latinorum, ubi pro eodem affectu sumuntur, esse inexpugnabilem ad Somnum propensionem, eamque profundo & gravi Somno comitatam, ut & Delirio, Rerum omnium Oblivione, ac Febre lenta continua. Hæc enim sunt Sympromata, quibus præsentibus Lethargum adesse, absentibus verò eundem abesse certò licet pronuntiare.

A quibus distinguuntur ab aliis affectibus soporosis.

III. Distinguitur enim, ne mox in limine confundat nos affectuum variorum in quibusdam Sympromatibus convenientia, à cæteris affectibus Soporosis omnibus Lethargus, præsertim Oblivione, & à quibusdam, comite Febre.

1. A Somnolentia.

IV. Nam 1. à Somnolentia simplici & morbosa differt Lethargus Ipso Somno gravi hunc comitante, non item solam Somnolentiam.

2. A Comate Vigili.

V. Distinguitur 2. à Comate Vigili, eodem Somno profundo & gravi Lethargum comitante, non item Coma Vigile.

3. A Comate Somnolento.

VI. Distinguitur 3. à Comate Somnolento, Febri carente, per comitem Febrem; quàm Febrem comitem habente, vel Intermittentem, per Febrem continuam Lethargo junctam; vel Continuam, & quidem ardentem, per Febrem lentam Lethargo propriam: Quòd si occurrat Coma Somnolentum Febre lenta comitatum, distinguitur tunc ab illo Lethargus per Memoriam simul abolitam & omnimodam rerum omnium Oblivionem Lethargo peculiarem.

4. A Caro.

VII. Distinguitur 4. Idem Lathargus à Caro, per excitationis à Somno impossibilitatem Caro propriam; cùm in Lethargo, uti aliis quoque Soporosis affectibus, aut revera excitati observentur, aut saltem excitari à Somno queant Ægrotantes.

Ejus causa.

VIII. His autem ad Lethargi ab aliis affectibus affinibus distinctionem præmissis, proximum est, ut ejusdem Causas veras investigemus, & quidem tales proponamus, à quibus Symptomata omnia Lethargum comitari solita elici ac deduci queant commodè.

Ejus Symptomata.

IX. Cùm autem ad Lethargum constituendum concurrentia Symptomata sint 1. Somnolentia sive ad Somnum propensio inexpugnabilis. 2. Somnus gravis. 3. Delirium. 4. Rerum omnium Oblivio. 5. Febris lenta continua: quærenda talis Causa, à qua Symptomata præfata omnia ortum suum habere possint.

Comatis cujusdam Somnolenti Causa.

X. Cùm autem de Comate Somnolento ageremus, Ejus speciem aliquam proposuimus, in qua & ad Somnum propensio, & Somnus profundus, & Delirium, & Febris nunc continua, nunc Intermittens observari solet; quamque à Bile vi narcotica infecta deduximus.

Ejus à Lethargo differentia.

XI. A qua Comatis Somnolenti specie cùm sola Oblivione & Febre lenta continua differat Lethargus, si Bili narcotica vi præditæ jungatur Pituitas, eaque viscidior, putem Lethargi causam veram patere.

Lethargus à Pituita & Bile vi narcotica prædita.

XII. Cùm enim à Pituita sola Capitis gravitas & Somnolentia, hinc & rerum multarum Oblivio pendere in dies per experientiam deprehendantur; illi si comes jungatur Bilis, & quidem narcotica vi prædita, quis dubitabit à tali miscella produci posse Lethargum.

Hacque Sanguini permixta.

XIII. Cùm autem in omni Lethargo Febris adsit continua, signum est, Bilem toti massæ sanguineæ commisceri, ac proinde per ductum hepaticum eò vadere.

Febris in Lethargo unde.

XIV. Cùm præterea si non omni Lethargo & semper, plerumque saltem comes sit Febres quotidiana, circa vesperam recurrens, aut semitertiana, alternis diebus graviùs accedens, signum est, ejusdem Bilis partem aliquam per Ductum Intestinalem delabi ad tenue intestinum ac in Ipso excitare cum obvia Pituita Effervescentiam, quæ exacerbationi febrili ansam præbeat & ortum.

XV. Pituitam autem partim in tota massa sanguinea dispersam, partim in cavitate Intestinorum hærentem reliqua evincunt Symptomata febrem lentam, hoc est, minùs ardentem indicantia.

Lethargum non esse à Pituita in Cerebro putrescente contra opinionem Medicis vulgò allatam;

XVI. Non putamus autem à Pituita in Cerebro putrescente ortum ducere Lethargum, uti censent quidam Medici; nec inde probari posse judicamus, quòd in quorundam Lethargo defunctorum Cerebro præter ejusdem corruptionem sanies & pus inventa sint.

XVII. Potest enim fieri, ut in hominibus sanguine Pituitoso, hoc est, multam Pituitam continente præditis ac in Lethargum incidentibus, Pituita copiosior hæreat in tenuibus Cerebri vasis, atque ipsa distendat, mox rumpat, denique in Cerebri substantiam effusus sanguis Pituitosus ibidem suppuretur, atque sic memoratum à quibusdam Practicis malum pariat, nec tamen Ipsa Lethargi causa existat, sed effectus, aut seorsim ob aliud in Diæta commissum durante Lethargo erratum producatur.

Locus primariò affectus Lethargi.

XVIII. Non est proinde Locus in Lethargo primariò affectus Cerebrum, verùm Tota sanguinis Massa, sive vasa sanguinem circumvehentia.

XIX. Quamvis enim Caput grave sit Lethargicis, potest tamen id à Vaporibus aut humoribus cum sanguine ad Cerebrum delatis exoriri, ut non opus sit ad peculiare ac primarium Cerebri vitium recurrere.

Causæ Lethargi antecedentes,

XX. Causæ Lethargi antecedentes quoad Pituitum sunt varia Diætæ vitia, 1. Aer humidus & frigidus. 2. Alimenta liquidiora & humida. 3. Corporis intermissum exercitium. 4. Somnus diuturnior & profundior. 5. Animi affectus omnes Spiritus Animales sopientes. 6. Excrementa Pituitosa in corpore diutiùs retenta.

XXI. Quænam autem Bilis narcoticæ causa esse queat, pluribus investigavimus in superioribus, præter illa verò, quæ nunc addumus, non habemus.

Lethargus unde.

XXII. Ex concurrente igitur ob quodcunque demum Diætæ vitium & Pituitæ lentæ, viscidæque in Sanguine redundantia, & Bilis narcotica vi præditæ effusione Lethargum deducimus.

Non à Pituita in Cerebro hærente.

XXIII. Quibus interim affectus idem ex Pituitæ in Cerebro hærentis corruptione eliciendus videtur, iisdem suæ assertionis probationem simul commendamus: Neque enim id nobis possibile videtur, sed nec idem persuadent Symptomata Lethargicos comitantia; cùm illa omnia ex assignatis à nobis causis deduci commodè posse arbitremur.

Signa Lethargi præsentis.

XXIV. Signa hujus Lethargi alia nulla sunt præter recensita à nobis primaria ejusdem Symptomata.

XXV.

Imminentis.

XXV. Imminentis autem Lethargi signa sunt eadem Symptomata levissima, uti ejusdem gravioris, eadem graviora.

Lethargus malum periculosum.

XXVI. Cæterùm periculosum malum est Lethargus, à quo graviori plerique moriuntur, imprimis senes, in quibus naturaliter augetur Pituita, & infringitur Bilis Pituitam corrigens & emendans.

XXVII. Interim & in Iunioribus malum existit periculosum, sive constitutio ipsorum sit senilis, sive causa fuerit gravis, quæ tantam in ipsis effecerit mutationem, à qua sequatur malum ab ipsorum naturali constitutione tàm alienum.

Ejus curatio.

XXVIII. Curatio Lethargi facilè ex propositis ejusdem causis patet, consistit namque & in Pituitæ redundantis alteratione, atque evacuatione; & in Bilis narcotica vi præditæ emendatione, non item evacuatione; cùm non redundet, Febrem aliàs non lentam tantùm, sed ardentem potiùs excitatura.

Pituita corrigenda, Et quibus.

XXIX. Pituitam lentam, viscidamque quæ alterent ac corrigant, non semel proposuimus, scilicet conveniunt hic *Radices, Ireos, Acori, Galangæ, Helenii, Fœniculi, Apii, Calami Aromatici:*

Folia, Salviæ, Majoranæ, Rorismarini, Lauri, Hyssopi, Calaminthæ, Serpilli, Origani, Absinthii, Carduibenedicti, Menthæ:

Flores, Centaurii minoris, Chamæmeli, Meliloti, Stœchados:

Semina, Sileris Montani, Anisi, Carvi, Nigellæ, Coriandri:

Baccæ, Lauri, Juniperi:

Gummata, Opopanax, Galbanum, Sagapenum, Bdellium, Ammoniacum, &c:

Aromata pleraque.

Eadem Evacuanda, Et quibus.

XXX. Pituitam eandem lentam, viscidamque priùs præparatam, & à sanguine quodammodò secretam evacuant, Agaricus, Hermodactyli, Turbith Gummosum, Colocynthis, & ex ipsa parati Trochisci Alhandal dicti, Euphorbium (quo tamen ob summam Acrimoniam utendum est cautè, nec nisi in pilulis, addita Mastiche, aliisque ejus Acrimoniam temperantibus.) Inter Chymica, verò Mercurius, omnibus modis præparatus, tàm præcipitatus, Albus, Rubeus, Flavus, Viridis, &c. quàm sublimatus, dulcis præsertim, cùm Corrosivus vix ad granum unum exhiberi queat, sitque medicamentum non tantùm saporis horrendi, verùm insuper violentissimum, à quo satius est abstinere Medicos juniores, quàm ipso cum periculo uti.

Mercurius omnibus modis præparatus. Sublimatus

Bilis emendanda.

XXXI. Bilis narcotica vi prædita quibus emendari queat, abundè docuimus in Comatis Somnolenti tractatione, ut non videatur operæ pretium semper actum agere.

XXXII. His proinde Lethargi Cognitionem & Curationem absolvimus, nunc Cari tractationem aggrediamur.

CAPUT XXVII.

De Caro.

Cari Symptomata.

I. LEthargo proximè succedit *Carus*, in quo sequentia observantur Symptomata; 1. *Somnus profundus, & tantus, ut etiam puncti excitari nequeant; licet obscuræ sensationis signum partis punctæ retractione aut contractione exhibeant:* Illis enim 2. *sensus externi ad extremum ferè stupent*. Unde 3. *Interni quoque sensus nullo munere funguntur*. Sed & 4. *Animalis motus cessat*, nec nisi ad objecti externi potentissimè ac cum summa molestia vel dolore afficientis urgentiam ullus in Caroticis observatur, *præter solam respirationem, quæ ipsis illæsa permanet* quoniam non ad objecti externi perceptionem, hinc & animi affectum inde concitatum perficitur, verùm ad sanguinis in Cordis dextro ventriculo excitatum incendium, hinc & in pulmonalem arteriam motum, urgetur; quod sedulò venit observandum.

Ejus differentia ab affectibus Soporosis.

II. Differt Carus 1. à Somnolentia simplici, ut & à Comate tam Vigili, quàm Somnolento, quin & Lethargo, quòd in omnibus illis affectibus aut vigilent Ægri, aut à somno saltem excitari possint, & ad quæsita respondere, licet perperam; secus ac in Caro, in quo tàm profundus urget somnus, ut quamvis ab objecto vehementiùs sensorium afficiente ac lædente quodammodò excitari videantur, & aliquas corporis partes contorquere, in totum tamen excitari nequeant, verùm mox iterum obdormiant.

Ab Apoplexia.

III. Differt 2. Carus ab Apoplexia, in qua profundior adhuc observatur sopor, absque ullo sensu, & respiratio difficilis cum stertore, quæ integra est in Caro, cum obscuro sensu.

Qualis Affectus.

IV. Adeò ut medius quasi inter reliquos affectus Soporosos & Apoplexiam sit Carus, & proximus ad Apoplexiam gradus.

Ejus causa proxima.

V. Hujus affectus Causa proxima ut pateat, expendenda sunt sedulò Symptomata primaria in omni Caro patentia. Et 1. quidem *somnus profundus, sive sopor.* 2. *sensus obtusus, sive stupor gravis.* 3. *Motus obscurus sive Torpor*: quibus tribus Symptomatibus gravibus continetur Cari essentia, Sopore putà, Stupore, ac Torpore.

Functiones læsæ in Caro unde.

VI. Cùm autem Actiones læsæ, utpote primaria quemvis Affectum constituentia Symptomata, Morbum agnoscant pro Causa sua proxima, videndum à quo morbo, quibusve morbis pendere possint triplices hæ functiones in Caro primariò læsæ: ut sic totum hunc affectum dignoscamus intimè.

Eædem Functiones integræ unde.

VII. Hoc autem fiet commodè, si consideraverimus in antecessum, à qua Causa, quibusve Causis pendeant proximè eædem functiones, quandiu obeuntur integrè.

Nempe Somnus.

VIII. *Somnum* 1. quod attinet, *illum naturaliter* ut & vigilias Spirituum Animalium affectionem esse, nemo negabit, qui spiritus admittit animales: utpote qui in sensuum organa copiosiùs moti gignunt vigilias, ubi autem torpidiores facti segniùs ad eadem feruntur, somnum.

Sensus externi.

IX. 2. *Sensus externi* absque Spirituum Animalium præsentia ab opere suo cessant, qui quo alacriùs ad sensuum organa deferuntur & copiosiùs, eò vegetior exercetur sensatio.

Motus animalis.

X. 3. Denique *Motus animalis* pendet proximè à Spiritibus Animalibus Musculorum fibras implentibus ac distendentibus, mutaturque imprimis ad Ipsorum mutationem variam.

Cari causa proxima in spiritibus animalibus vitiatis.

XI. Cùm proinde *Tres in Caro læsæ primariò functiones à Spiritibus Animalibus bene habentibus absolvantur singulæ*, meritò in *Eorundem vitio & dispositione vitiosa* quæritur læsionis illius causa proxima, sive Morbus.

XII. Ad prædictas autem *functiones* læsa, Vigilias putà, Sensus externos, & Motum Animalem, *rite obeundas non requiritur tantùm Spirituum Animalium in Cerebro*, hinc & Nervis, & Organis *præsentia sufficiens*, verùm insuper *eorundem dispositio laudabilis, in mobilitate conveniente & puritate, tenuitateque requisita* consistens.

XIII. Nisi enim Animales Spiritus 1. quantitate decenti, 2. tenuitate, 3. puritate, 4. mobilitate necessariis præditi influant per nervos ad partes, non perficientur ritè functiones ab ipsis pendentes.

Non respectu quantitatis

XIV. In Caro autem 1. *satis copiosi non videntur affluere Spiritus Animales* in Organa Sensus & Motus, cùm obscurus saltem observetur uterque, sola permanente integra respiratione.

Sed respectu mobilitatis.

XV. An verò 2. *satis tenues*, an 3. *satis puri*; & 4. *satis mobiles* existant, meritò licet dubitare

quin

quin potiùs plerumque *Torpidiores* videntur existere, ac proinde & *crassiores*, & *impuriores*, & *minùs Mobiles*; accedente non raro eorundem narcosi.

Nempe quòd fiat crassiores & impuriores, & immobiliores.

XVI. Adeò ut *Cari*, in functionibus sæsis considerati *Causa* proxima videantur esse *Spiritus Animales crassiores, impuriores, ac immobiliores* facti, atque ideò *minori* etiam *quantitate* ad Sensuum Motusque organa delati.

Remota causa interna.

XVII. Quoties ab Interna causa, humoribus putà vitiosis in corpore existentibus, aut assumptis quibusvis producitur Carus, toties à tali Spirituum Animalium dispositione mala & torpore non ita difficulter deducentur læsæ in Ipso functiones.

Externa.

XVIII. Quoties verò ab ictu gravi capiti inflicto, aut Casu in caput facto contingit earundem functionum similis læsio, adeoque Carus, toties difficiliùs erit ex Spirituum Animalium torpore Ipsum deducere.

Carus à gravi capitis ictu vel casu.

XIX. Contingit autem nonnunquam, ut gravem Capitis ictum, casumve sequatur Carus (uti ejus rei exempla passim prostant apud Authores Medicos, & nimis frequenter occurrunt in praxi quotidiana) adeò ut attoniti stent etiam peritissimi Medici ad attonitos exemplo ex Casu, ictuve Ægros, & augescente quidem malo paulò post Apoplecticos, fato brevi cedentes; eodem verò remediis cedente, paulatim ad pristinam sanitatem restitutos.

Unde producatur.

XX. *Hunc ab ictu, casuve ortum Carum* probabile est *propter conturbatam Spirituum Animalium motum, aut sanguinis hinc & Spirituum defectum excitari*, atque idcircò in Apoplexiam sæpiùs desinere lethalem.

Apoplexia & Carum gradibus distingui. Unde utriusque eadem curatio.

XXI. Et reverà gradibus tantùm distinguuntur Apoplexia & Carus, adeò ut Apoplexia dici queat species Cari gravissima, & vice versa Carus species Apoplexiæ levior.

XXII. Quapropter non video, quid opus sit in Cari explicatione, hinc & Curatione diu hærere, cùm iis, quæ supra de Apoplexia proposui, ritè observatis & expensis, haud difficulter hujus quoque affectionis ratio & natura innotescat; igitur animus est, ad reliquos affectus Soporosos, aut ad Ipsos referri solitos progredi: quos inter quia Insomniorum fecimus mentionem, lubet ipsa nunc examini subjicere.

CAPUT XXXI.

De Insomniis.

Insomnia quid.

I. DIximus in superioribus *Insomnia esse Internorum sensuum circa objecta ficta, falsave perperam menti in somno profundo repræsentata & animum vehementissime afficientia Aberrationem gravem cum summis animæ anxietatibus & corporis quassationibus, erumpente non rarò simul sudore copioso.*

Ejus cognitio à cognitione animi pathematum.

II. Quorum Insomniorum naturam nemo percipiet sufficienter aut debitè, qui non priùs animi pathematum rationem penitùs cognoverit.

Hæc à quibus moveantur.

III. *Moventur* autem, uti aliàs notavi, *Animi affectus ab Objectis sub Boni, Malive specie consideratis.*

Non ab Objectis Veris vel Falsis.

IV. *Objecta* enim, quatenus *Vera* videntur vel *Falsa*, *nullum in nobis excitant affectum*: quatenus autem nobis Bona judicantur vel Mala, multifarios in nobis producunt affectus.

Sed Bonis vel Malis, vel Veris vel apparentibus.

V. Nihil autem refert, an reverà & actu sint nobis Bona vel Mala Objecta, an videantur nobis duntaxat talia, producunt enim nihilominùs eundem affectum; quin imò longè periculosiorem, & curatu difficiliorem, quoties ex imaginatione falsa producitur affectus gravis; cum & Mentis aberratio concurrat cum ipso Affectu immoderato; adeò ut difficiter tunc curetur Affectus pravus; quandoquidem difficillimè curetur plerumque Imaginatio læsa.

Idem quod in Phrenesi etiam in Insomniis accidere.

VI. Idem planè accidit in Insomniis, nisi quòd expergefacti homines se falsis delusos fuisse agnoscant, & si sapiant, rideant; ac si sæpiùs recurrant, corpus suum malè affectum suspicentur, & mala minantia in tempore avertere allaborent.

Delirium comitans.

VII. Quoties autem ab Insomniis expergefacti Ægri pro veritate habent suas delusiones, toties signum est *Delirij comitantis*, & gravius malum brevi producturi.

Duæ Insomniorum species.

VIII. *Duæ* proinde in praxi notabiles occurrunt *Insomniorum species*; Prima, quando à Somno expergefacti Ægri, illa pro Insomniis, uti sunt, habent. Secunda, quando etiam expergefacti delirare continuant Ægri, atque vera esse nugantur, quæ somniarunt.

Mentis aberratio in somno unde peti debet.

IX. Mentis autem illa aberratio in Somno urgens, vel *ab objecto petenda*, vel *ab anima* vel *ab instrumentis* animæ corporeis, *Spiritibus Animalibus*.

1. Ab Objecto.

X. 1. Ab *Objecto* ipso ritè in sensus admisso pendere neutiquam potest, cùm idem effectum non producat in omnibus.

2. Ab Anima.

XI. 2. Autem *ab ipsa Anima pendere possunt Insomnia*; & quidem quando Ipsa *non satis attenta* est oblatorum objectorum examini, verùm obscurè omnia arripit; aut *non satis distinctè* singula perpendit, verùm confusè duntaxat; unde mirum non est, si & judicium quoque de iisdem objectis feratur confusum & obscurum; si Animi affectus indè oriantur inordinati; & quidem in somno præsertim, quo tempore solent omnes illæ functiones obiri imperfectiùs, quàm in vigilia.

3. A Spiritibus Animalibus.

XII. Sed & 3. à *Spiritibus Animalibus*, utpote animæ instrumentis, vitiatis & impuris pendere possunt Insomnia, *quatenus ipsorum objectorum species tunc alteratæ, aliterque affectæ repræsentantur Menti*; quamvis hactenus non satis pateat, quomodò se gerant etiam durantibus vigiliis, & in præsertim objectorum examine Spiritus Animales: quæ difficultas non unum duntaxat Philosophum, unius duntaxat Philosophum, sed omnes omninò urget Philosophos, omnemque quorumvis Philosophiam.

Hos per Diætæ vitia alterari, ut perperam judicet Mens.

XIII. Illud autem *certum* est, ac per experientiam quotidianam evidens, *ita alterari posse per diætæ vitia*, vini putà liberaliorem potationem, *spiritus animales*, aut ipsum Cerebrum, sensuum externorum organa, *ut* de objectis tunc occurrentibus omnibus *perperam judicet Anima*.

Idem fieri posse ab Humoribus pravis.

XIV. Hoc si fieri queat, & reverà quotidiè fiat vigilantibus ad potus aliàs optimi ac utilissimi assumptionem liberaliorem; quid ni simile quid dormientibus contingere queat ab humoribus pravis in corpore coacervatis, aut nuper productis & similem in Animalibus Spiritibus affectum & dispositionem excitantibus?

Insomniorum causa unde deducenda.

XV. *Insomniorum* proinde *Causas* vel *ab ipsa Anima* sensationibus suis minùs attentè ac distinctè vacante vel *à Spiritibus Animalibus* impurioribus, objectorum species alterantibus; *vel ab utrisque* deducimus.

Ab Anima vitio.

XVI. *Ab animæ vitio* pendere Insomnia *patet*, quando constat ab iisdem Ægris vigilantibus oscitantiùs ac confusiùs observari, examinari, tractarique objecta passim occurrentia.

A Spirituum Animalium vitio.

XVII. *A Spirituum Animalium* vitio malum hoc pendere patet, quando attenta est Ægrotorum Anima, suaque distinctè examinat objecta; imprimis ubi humorum quorundam pravorum in corpore existentium, & flatus præsertim generantium signa quædam concurrunt.

Ab utroque.

XVIII. *Ab utrisque causis* pendere hoc malum patet, quando Animæ vel per se, vel ob animi affectum gravem ægrotantis signa observantur unà cum pravorum humorum & flatulentorum indiciis.

Quinam Humores Animales

XIX. *Humores* autem pravi *Animales Spiritus* turbant & alterant, qui flatus vel halitus generare sunt apti; qui *viscidi* sunt & *terrestres*;

Spiritus turbent. sves; aut *subtili Acrimonia & volatili præditi*, *Acidi* præsertim; aut denique *Narcotica vi leviore dotati*.

Insomniorum Curatio. *1. Si ab Anima negotiis distracta.* XX. Curatio autem Insomniorum ex prædictis facilè patet; Nam 1. *si ab Anima multis negotiis distracta*, ideòque singulis minùs attenta oriantur Insomnia, curabuntur illa, si excessus Negotiorum referetur, & non plura suscipiantur, quàm quibus ritè absolvendis sufficit Anima.

2. Si ab Anima ob pathema grave turbata. XXI. 2. *Si ab Anima ob pathema grave turbata*, ideòque operi suo minùs attenta oriantur Insomnia, curabuntur illa, compescendo animum, & superando sive procul amovendo objecta mentem turbantia.

3. Si ab Humoribus viscidis. XXII. 3. *Si ab Humoribus viscidis*, *ac Melancholicis dictis* oriantur Insomnia, curabuntur illa, humorem prædictum emendando per medicamenta sæpiùs enarrata, & Sale volatili abundantia: vel si simul copia peccent, eosdem emendatos evacuando, per purgantia Pituitam crassam & viscidam, Hermodactylos, Colocynthidem, & similia.

4. Si ab Humoribus Acrimonia præditis. XXIII. 4. *Si ab Humoribus subtili Acrimonia*, *eaque Acida & volatili præditis* oriantur Insomnia, curabuntur illa, figendo & concentrando Aciditatem, per Creatam, Oculos Cancri, Corallia, Margaritas, Lapidem Hæmatitem & similia.

5. Si ab Humoribus narcotica vi præditis. XXIV. Si 5. *ab Humoribus Narcotica vi præditis* oriantur Insomnia, curabuntur illa medicamentis in Comatis Somnolenti cura propositis.

XXV. Medicamentorum formulas recitare supersedeo, cùm illæ in exercitio practico circa ipsos ægros instituto proponantur & addiscantur convenientissimè.

CAPUT XXXII.

De Incubo.

Incubus quid. I. IN somniorum peculiarem speciem diximus esse *Incubum*, in quo falsa observatur Imaginatio personæ aut rei cujusvis thoraci graviter incumbentis, ac cum ficto suffocationis metu respirationem difficilem parientis, vocemque quasi intercipientis.

Ejus causa primaria. II. Primaria Incubi Causa est halitus respirationis vocisque organa imprimis afficiens, ac simul Somnum profundum, ac levem quasi narcosin producens, ac proinde blando delirio ansam præbens.

III. Incubi namque Causam omnem à corporeo vitio, neutiquam ab Anima deducimus propriè & tantùm.

Humores Incubum generantes duobus modis peccare. IV. Duobus autem modis putamus Humores Incubum generantes peccare ac nocere; 1. quidem, quatenus Ipsos Animales Spiritus inficiunt, atque insomnia cum levi delirio producunt. 2. quatenus privatim respirationis organa simul afficiunt, & Insomniorum delirium ad personam aut rem aliam pectori insistentem, & in suffocationis periculum Ægros conjicientem, & inclinant. 3. accedere *Quibus accedit Anima delusa.* aliquando putamus Animam imaginatione falsa delusam, & hunc aut illum metum circa personam certam foventem, quæ omnia sibi obvenientia adversa illi facilè adscribit, etiam non cogitanti sæpè de talibus: Hoc autem proprium est Meticulosorum & quævis fortiter apprehendentium.

Dorso incumbentes Incubum pati. V. Est autem notam dignum, quòd Incubo obnoxii, illum vix patiantur alterutri lateri, verùm dorso demùm incumbentes.

Ejus curatio. VI. De *Curatione* hujus affectus nil quicquam addo, quum ex iis, quæ antecedentibus capitibus, & imprimis proximè prægresso memorata à nobis sunt, eandem facili negotio liceat eruere. Claudant igitur *functiones animales lædentium morborum* agmen *Somnambuli*.

CAPUT XXXIII.

De Somnambulis.

I. DE Somni præternaturalis variis speciebus, & harum gradibus egimus hactenus, & ita quidem, ut nobis adhuc unicus supersit tractandus Somnambulorum affectus satis mirus.

II. Vocantur autem Somnambuli, quotquot in medio somno somniantes surgunt, ambulant, & alia vigilantium munia non tantùm exequuntur, sed plerumque superant. *Somnambuli quinam.*

III. Vix enim credibilia sunt, quæ de Somnambulorum gestis narrantur passim ab Authoribus Medicis, aliisque, cùm fabulæ magis, quàm historiæ veræ affinia videantur ipsorum opera. *Eorum gesta vix credibilia.*

IV. Ad Somnambulos autem non spectant, qui dum in loco plano iter faciunt, interim somno capti sensim obdormiunt, & tamdiu dormientes progrediuntur, donec ad minimum obstaculum allidentes iterum mox expergiscantur; quòd Somnambulis non accidit, verùm contrarium potiùs, quandoquidem loca iisdem vigilantibus inaccessa, nec nisi cum summo vitæ periculo tentanda, absque ullo discrimine superant & transcendunt, unde vel hoc etiam nomine magis mirandus est affectus. *Quinam inter Somnambulos non numerandi.*

V. Hujus autem admirandi affectus causam veram ut investigemus, considerandum 1. *Somno sepultis ac* dubio procul *somniantibus* obvenire hunc affectum. 2. *Perseverare in somno suo Somnambulos*, & ita quidem, ut si ab aliis expergefiant, id cum ipsorum fiat incommodo & nonnunquam vitæ periculo. 3. *Peragere Somnambulos ea*, *quæ vigilantes vix auderent tentare*, *saltem non facile possent perficere*; quin imò aliquando quæ vigilantibus ipsis *factu essent impossibilia*. *Hujus affectus causa.*

VI. Somniantibus & somniorum ratione obvenire hominibus Somnambulorum affectum, patet ex Ipsorum evigilantium relatu, putantium se somniasse dumtaxat, quæ actu fecerunt; unde non rarò non minùs mirantur gesta sua, quàm alii. *Eum somniantibus obvenire.*

VII. *Somnambulorum* autem *affectum*, ut ex prædictis causam ejus eruamus, *censemus ortum ducere ab Anima circa unum objectum attentius & cum animi affectu grandi occupata*, unde inter dormiendum circa idem versetur propensiùs, adeò ut ad aliud nihil attendat, quàm ad id, aut ad ea, unde votisui compos fieri queat, non consideratis difficultatibus intercedentibus. *Et oriri ab Anima.*

VIII. Diximus *Somnambulorum animam circa unum ferè objectum occupari attentiùs*, quòd cùm omnium somniantium proprium sit, idem in Somnambulis magis adhuc excellere, patet ex gestis ipsorum longè superantibus vulgò somniantium solas actiones spirituales & *sensuum internorum* operatione concentratas, cùm *in Somnambulis* ipse *motus animalis* & quidem in excellenti gradu observetur concurrere, & quandoque, si fides adhibenda Historicis, etiam *sensus externus*; non quidem absolutè, sed in quantum ad opera sua peragenda ipsorum opera indigere ac opus habere videtur Anima. *Circa unum objectum occupata.*

IX. Etenim plerique somniantes ita se habent, uti homines ab externorum objectorum consideratione abstracti, & hoc aut illud objectum priùs observatum seorsim examinantes, & prò ejusdem varia cum aliis objectis comparatione aut ad se adaptatione, varios in animo suo affectus excitantes, ac semet ipsos non parùm aliquando commoventes & torquentes, manente interim in eodem ferè situ corpore immoto. *Somniantium consitutio.*

X. In Somnambulis verò idem ferè accidit, quod hominibus suis ratiocinationibus usque adeò irretitis, ut secundùm illas quidvis conentur, tentent ac peragant; parùm attenti aut dispicientes, *Somnambulorum comparatio.*

tes, an reverà ita se habebant res, quemadmodum illas sese habere sibi persuadent.

XI. Qui homines, ut nimiùm suo indulgent ingenio ac judicio, ita plerumque peccant graviter in alios, quos ex præiudicio ut plurimùm æstimant, & vel despiciunt, vel perditos cupiunt, cùm prudentes deceat lentè festinare, ac sibi diffidere, non verò nimium sibi placere, suaque omnia impensiùs amare.

Sapientis Munus.

XII. Et sanè Sapientis est, omnes in obiectis occurrentes circumstantias exactè ac distinctè examinare, atque singularum pondus expendere, cum aliis conferre, tandemque circumspectè aliquid de ipsis pronunciare.

XIII. Hæc Prudentia si in multis vigilantibus semper, si in plerisque aliquando desideretur; quis mirabitur, in dormientibus eandem quandoque non reperiri, cum in somno rariùs tam circumspecta nutetur Anima, atque durante vigilia.

In unum Obiectum intenti plerumque Melancholici.

XIV. Quotquot autem uno obiecto perpendendo continuè ferè occupantur, uti magis taciturni observantur, sic & Melancholici ferè vocantur; quamvis inter ipsos alij extent hilares, alij tristes.

Hilares quinam.

XV. Hilares existunt, qui versantur circa obiectum ipsis gratum, & amabile, quodque se jam possidere, aut brevi possessuros putant; aut si minùs gratum speculentur objectum, illud saltem superabile, aut jam superatum putant, unde illud exurgit in Ipsis gaudium, quod præ se ferunt.

Quinam Tristes.

XVI. Tristes contrà deprehenduntur, quotquot versantur circa objectum molestum & grave, cujus malitiam sese minimè evasuros autumant, quòd si gratum speculentur objectum atque amabile, imò sibi optabile, de illius tamen possessione aut benevolentia desperant, unde Animi mœror, sequitur & consternatio.

Somnambuli mediocriter hilares.

XVII. Rariùs autem Somnambulis accidit, ut circa objectum versentur molestum & grave, quin semper ferè circa gratum & amabile, quodque acquisitu possibile iudicant, & plerumque actu comparant: unde etiam Somnambulos inter tristiores Melancholicos minimè putem collocandos, verùm inter mediocriter hilares, & illos quidem, qui circa res futuras, & acquisitu possibiles versantur, unde etiam illarum acquisitioni student.

In Somnambulis duo consideranda.

XVIII. In *Somnambulis* proinde consideramus *Animam* circam objecta sua *attentiorem*, & *animi affectu forti* erga ipsa *motam*.

Uni Objecto attenti Somnambuli.

XIX. Cùm autem valdè sint uni objecto attenti Somnambuli, non ita mirum ulli debet videri, quod perseverent in somno, nec facile excitentur; quamvis putem concurrere insuper in Ipsis Somnum profundiorem; hoc est, Somnambulos natura esse somno deditos, non quidem longiori, sed profundiori: quod non est novum Ingeniosis & Iudiciosis; nempe enim hæc sibi mutuo opponuntur, quin simul possunt consistere, & in eodem subiecto simul reperiri, ac esse subalterna.

Unde minùs excitantur.

XX. *Minus autem excitantur*, quoniam uni objecto valdè est attenta Ipsorum anima, à quo proinde difficilius retrahitur ad alia; quod etiam vigilantibus unius rei contemplationi multum attentis usu venire solet indies, adeo ut aliquantisper hærere atque ad obiecta occurrentia percipienda minùs prompti, paratique videantur tales, sed aliquo tempore indigere, quò Cogitationes suas à priori objecto retrahant; & recens ublato tribuant. Uti unicuique non semel forte accidit.

Somnambulos peragere, quæ vigilantes non peragerent.

XXI. Id verò imprimis est in Somnambulis *mirabile*, *quòd peragant Ipsi talia*, *quibus ab Ipsis vigilantibus minime erant expectanda*; cujus causam si quis roget, sequentem affero: Multa nobis videntur factu impossibilia (licet ipsa videamus ab aliis fieri) ob animi affectum, metum præsertim alicujus periculi opus perficiendum comitantis.

Et quomodo.

XXII. Conturbata enim ex apparente periculo Anima conturbatur similiter Spiritum Animalium ad omnes partes atque imprimis sensuum externorum & Motus Animalis organa confluxus; unde cum Ipsis sensibus conturbatur Motus Animalis, atque in damnum perperam plerumque metuum (ignosce cum Lucretio loquenti) revera incidit homo, in quod non incidisset facile, si animo præsente ac forti prædita Mens convenienter Animales Spiritus direxisset.

XXIII. Unde videas Mentem terrore Panico conturbatam lentè assuefieri justę firmitudini, atque tunc eadem opera perfici ab homine corroborato, quæ minimè fieri poterant ab eodem consternato & meticuloso.

Natura quibusdam inest fortitudo.

XXIV. Inest autem quibusdam à Natura Fortitudo & magnanimitas nullis periculis prętereita, quibus proinde datum est grandia patrare faciniora, dummodo non degeneret Fortitudo illa in Temeritatem, etiam metuenda contemnentem.

Pusillanimitatis vitium.

XXV. Nihil contra magni expectandum est à Pusillanimis & tutissima quævis metuentibus, nisi rationis ope aut consuetudine sensim erigant suum Animum.

XXVI. Prout ergo Anima nostra vel obstacula fingit, ubi non sunt, vel ipsa majora fingit quàm reverà sunt, atque illa tanquam mala sibi impendentia nec facilè superabilia considerat & expendit ita mirùm non est, si Metus inde excitetur in Animo, Metum sequatur Spirituum Animalium conturbatio, hanc conturbationem Motus animalis tremulus & invalidus, ac tandem Ipsum, quod frustrà aliàs timebatur, malum.

Dormientem pericula non metuere.

XXVII. Hæc autem omnia pericula cùm per sensus externos ex objectorum circumstantiis eliciat anima nostra, mirum non est, si eadem non metuat homo dormiens, & quidem ab externis objectis remotus ob somni profunditatem, & Animæ in somnio suo uni ferè rei penitiorem affixionem & ab aliarum rerum sensu ac consideratione potentem abstractionem.

Ut nec Somnambulos.

XXVIII. Cum ergò Somnambulis & profundè dormientibus, ac circa illud, quod tractant, objectum valdè occupatis, per se non occurant difficultates atque pericula actiones suas comitantia, mirum amplius videri debet nemini, quod talia patrent quæ vigilantes nullo modo patrare possent, aut tentare auderent; quinimò unde expergefacti vehementer turbantur & anguntur, ubi pericula, quibus expositi fuerunt considerant, & meditantur.

XXIX. Et sanè, quis etiam decumbens in lecto aut pavimento, ubi nullum est casus periculum, expendat præcipitia priùs visa, & periculum summum eorum, qui per illa delabuntur præcipitia, hinc semel seipsum in sublimi constitutum fingant, mox casus proprij periculum imaginetur, fieri nequit, quin horrore coreptus tremere incipiat, & cum Animo corpus valdes conturbatum experiatur.

XXX. Quæ considerationes omnes cùm nullum locum habeant in Somnambulis; nec metus quoque, nec inordinatus excitatur in Ipsis corporis motus; quapropter agiliter atque debitè patrant cœpta tunc omnia.

Somnambulationis duæ causæ.

XXXI. Adeò ut *Somnambulationis* (ut sic loquar,) *duas agnoscam* & constituam *Causas simul concurrentes*. 1. *Somnum profundum & altum* 2. *Animam uni obiecto cum affectu forti affixam*, *& proinde ab aliorum obiectorum consideratione abstractam*.

XXXII. Somnum dico profundum, & si non planè naturalem, certe à naturali parum recedentem. Neque enim corpore tenus Ægroti sunt Somnambulis, cùm nulla in Ipsis sit corporea functio læsa: Quod si tamen quis Mentis uni objecto

magis affixæ, & à plerisque aliis valdè abstractæ passionem pro Morbo habeat, vel functione, vel functione læsa; Somnambulos eatenus ægrotare, non quidem graviter, sed molestè, facile concessero.

Somnambulorum Morbus quis.

XXXIII. Morbus proinde, quo laborant Somnambuli, erit nimia affixio & attentio animæ ad certum aliquod Objectum, eaque cum affectu ardentiore conjuncta, affixionem illam consequente.

XXXIV. Opus est quidem, ut Objecto suo cognoscendo attenta sit Anima, non tamen ita, ut pleraque alia pro illo unico negligat.

Ad vitæ beatitudinem multa consideranda.

XXXV. Ut enim multa desiderantur ad naturalis vitæ beatitudinem homini præstandam, ita ut ad singula illa percipienda, & pro singulorum necessitate varia variè cognoscenda attenta sit anima omnino necesse est.

XXXVI. Quapropter si uni supra meritum suum aut utilitatem nimiùm; alij verò vel aliis contra minùs attenta sit Anima, fieri nequit, quin minùs convenienter se gerat, aut in unius objecti amplexu vel fuga, aut in aliorum saltem neglectu; cùm in omnium inter se collatione, hinc & singulorum convenienti delectu aut rejectione consistat primaria Mentis functio, Arbitratio & Judicium sive Judicatio: quæ æqua non fiet, nisi omnia perpendantur ex æquo. Non perpenduntur autem ex æquo, quæ planè negliguntur; uti fit, quando Mens uni objecto perpetuò affixa reliqua præterit, ac si non essent.

Somnambulorum curatio.

XXXVII. Atque his ita positis, non adeò difficile fuerit Somnambulorum affectum curandi dare rationem ac methodum.

Non Medicamentis.

XXXVIII. Non erit autem opus multis medicamentis, purgantibus, aut quovis alio modo corpus turbantibus uti; sed nec opus erit qualicunq; sanguinis per venam factam extractione vires minuere.

Sed Informatione de Mente ritè dirigenda.


XXXIX. Verum tota Somnambulos curandi Ratio versabitur in Informatione iterata & inculcata, de Mente ritè digerenda in Objectorum suorum contemplatione, atque examine; *assuefaciendo Ipsam, ut non uni dumtaxat vel diutiùs, vel nimium adhæreat ac quasi affigatur, sed omnia & singula sufficienter consideret, inter se conferat, singulisque suum locum & dignitatem assignet.*

Metus ne in Melãcholiã Hypochondriacam incidant.

XL. Secus enim metus est, ne in alia insuper damna sensim incidant Isti, & præsertim in *Melancholiam Hypochondriacam* vulgò dictam, de qua aliàs agemus pluribus, si Deo libuerit.

LIBRI SECUNDI FINIS.





FRANCISCI DELEBOE, SYLVII, PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVA.

LIBER TERTIUS.

De Affectibus Generationi Hominis dicatas Functiones Læsas vel Constituentibus, vel Producentibus, vel Consequentibus.

CAPUT PRIMUM.

De Seminis Generatione Læsa.

Seminis Productio ex quibus, & ubi fiat.



RIMA Generationi ministrans Functio est *Seminis Productio*; quæ meo saltem judicio debetur imprimis *animalibus Spiritibus cum parte Sanguinis magis Salsa concentratis* in ipsis Testibus, vel forsan etiam in Epididymide.

II. In hunc finem tam Arterias & Venas, tum Nervos & Vasa Lymphatica acceperunt hę partes quò seminis materia, ubi opus, satis copiosè afferri, sin minùs, ad sanguinis massam referri queat, nec mox pereat.

Seminis confectio non omni ætati propria. III. Hæc Seminis confectio non omni ætati est *Propria*, non *Pueritiæ*, non *extremo Senio*, at *Adolescentiæ*, *Juventuti*, atque *Ætati consistenti*: quamvis citiùs in aliquibus, seriùs in aliis generetur semen; uti etiam diutiùs perseverat in quibusdam, citiùs desinit in aliis ejusdem præparatio.

Semen tam in Mulieribus quàm Viris fecundum. IV. *Semen* arbitror Ego hactenus tàm *in Mulieribus*, *quàm Viris produci fœcundum*, & utrinque ad Generationem concurrens, cum absurdum sit vocare aliquid inutile, quod Deus voluit factum, nec ullæ rationes solidę atque satis urgentes proferri soleant ab iis, quibus libet Fœminis semen fœcundum denegare.

Ejus Generatio quot modis lædatur. V. Hæc *Seminis Generatio læditur*, 1. quando *Nullum*. 2. quando *parcius*. 3. quando *Copiosiùs* 4. quando *Aquosius viscidiusve*, vel aliis modis *minus commodum* conficitur.

1. Quando nullum fit. VI. *Nullum* semen conficitur vel *defecta Materiæ*, quando Vasa non sufficientia implantantur in Testes, atque Epididymidas; vel *defecta Testium* in Eunuchis; vel *Ineptitudine Eorundem*, in frigidis & maleficiatis dictis.

2. Quando parcius. VII. *Parcius* fit semen, vel *aliquali Materiæ defectu*, quando Vasa vel pauciora, vel minora feruntur ad Testes; aut ipsa materia *aliò amandatur*, ratione *sanguinis*, in magno *sanguinis effluxu*; ratione *Spirituum Animalium*, in *magnis Animi Curis*, *corporis Motu vehementi*, &c. vel *aliquali Testium Debilitate*, in frigidioribus dictis.

VIII. *Copiosior semen* producitur, tum *ex Materiæ abundantia*, Vasis existentibus grandioribus; tum *Maximè ex Constitutione Testium laudabili ac robusta*, licet difficile ac forsan impossibile sit explicare, in quo consistat illa *Testium vis & Potentia*, ex sanguine Spiritibusque Animalibus *semen conficiendi*; ne quis putet, pro veris assumenda, quæcunque à quovis temere hic determinari possent. *3. Quando copiosius.*

IX. *Aquosius justo* generatur semen, tum ratione *sanguinis universi*, hinc forsan & *Spiritus Animalis magis Aquosi*; tum ratione *Constitutionis Testium* mihi inexplicabilis, ob quam *Aquosa nimis sanguinis Pars admittatur* ad semen conficiendum. Inter *Causas externas* certum est *Venerem nimis frequentem*, *Frigus cum humiditate* præsertim conjunctum, atque *Contusionem*, non tamen nimiam, non rarò ansam præbere illi malo. *4. Quando Aquosius.*

X. *Viscidius* contra redditur semen, ob *causas contrarias*, ut & *Venerem rariorem*. *Vel Viscidius.*

XI. *Vix unquam curabuntur* illi, in quibus Defectus est talis seminis, nisi forsan in *Testium ineptitudine*, solis *Aromaticis* tum *externis*, tum *internis* quodammodò saltem reparanda: quo minùs succedente excusandi sunt tales ab Opere Generationis. *Defectus Seminis vix curabilis.*

XII. Faciliùs autem consulitur iis, in quibus *parcius* producitur *semen*; Nam 1. *Vasa exigua* sensim expanduntur, partium *frequenti*, *blandoque affrictu*, *atque inunctione cum Aromaticis* 2. *Materia Testibus conveniens* ac sufficiens *restituitur curata Hæmorrhagia* qualicunque, atque *vitando Animæ Vexationes* ac sollicitudines *nimias*, ut & *nimium corporis motum*. 3. *Roborando Testes* præfatis *Aromaticis* tum *externis*, tum *internis*. *Parcior Seminis productio qui curetur.*

XIII. *Copiosi seminis productio*, hinc & Excretio, si hominem debilitet, curabitur 1. *adhibendo Medicamenta*, *quæ vasa quodammodò constringant*, quæ *sanguinem magis condensent*, *Spiritusque figant*. 2. *Abstinendo à Cogitationibus Venereis*, imprimis à *conversatione familiari* cum *personis egregiis & gratis*, sive amatis; ac præsertim *ab actu venereo*: denique 3. *Usurpando prudenter Medicamenta Veneri extinguendæ adscripta*: Sic Hominem ad Venerem etiam licitam nimis pro- *Qui copiosior.*

num & furentem curavit Nitrum ad Scrupulum ter quotidie assumptum, unde non tantùm fervor ille sensim diminutus, sed planè extinctus est.

Semen Aquosum qui emendetur.

XIV. *Aquosum semen* corrigitur, 1. curando sanguinem Aquosiorem tum alterantibus, Aromaticis præsertim, sed mediocriter fixis; tum evacuantibus, & Aquas per Alvum, Urinas vel Sudores educentibus. 2. *Roborando Testes*, imprimis per *externa Aromatica mediocriter adstringentia*.

Qui Viscidum.

XV. *Viscidus semen* emendabitur, usurpando medicamenta Aromatica, sed magis volatilia & Aquea, quibus diluatur & Sanguis Universus, & in Specie Seminis Materia, ad quam facilè penetrant Aromatica.

CAPUT II.

De Virilis Seminis Effusione, ac Penis Erectione læsa.

Penis erectio ad Seminis ejectionem necessaria.

I. VIrile Semen, quo Generationi serviat in Uterum Muliebrem effundi debet, in quem finem Penis erectione opus, quoniam Coitu promovetur illa Excretio.

II. Virilis namque seminis effusio læsa sequitur præsertim læsam Penis Erectionem.

Quot modis lædatur.

III. Læditur hæc *Penis Erectio*, 1. quando *Nulla* fieri potest. 2. quando illa *non Sufficiens* existit. 3. quando eadem *non satis diu perseverat*.

1. Quando nulla fit.

IV. *Nulla* fit *Penis Erectio*, ubi *Penis destituitur vasis copiosum sanguinem*, Animalesque Spiritus adducentibus; unde, & ipse Penis invalidus existit.

2. Quando non sufficiens.

V. *Non sufficiens* fit Penis Erectio, ubi non *sufficienti copia* ad ipsum transfertur *sanguis*, vel *Animalis Spiritus*; idque aliquando ob *Vasa minora & pauciora* ad Penem delata, aliquando ob *ipsum penem ab externo frigore Aeris, Aquæ, &c.* malè *affectum*, aliquando *ob metum*, *aliumve affectum Animi gravem Spiritus Animales* aut *consumentem*, aut in *motu suo turbantem*, *aliòve avocantem*.

3. Quando non satis diu perseverat.

VI. *Non satis diu perseverat Penis Erectio*, adeò ut priùs, quàm semen effundi queat, iterum collabescat, aliquando ob *Spirituum Animalium penuria universalem*, *Sanguinemve universum minùs calentem ac Spirituosum*; aliquando ob *Animum multis cogitationibus*, aut *inopinato pathemate* ab opere hoc avocatum.

Ejus defectus incurabilis.

VII. Quoties ob Vasorum sanguinem fervidum spiritusve Animales ad Penem deferentium culpam Nulla fit ejus Erectio, toties pro *incurabili* habendum hoc Malum.

Non sufficiens erectio, qui curetur.

VIII. *Non sufficiens* autem Penis Erectio *Vasorum paucitatem, parvitatemque* consequens sensim corrigi potest, ac emendari, *frictione* blanda & frequenti Penis, ejusdemque *inunctione* cum Linimentis, aut Unguentis Aromaticis; quò paulatim expandantur magis vasa, plusque sanguinis & Spirituum ad Penem deferant.

IX. Ubi à *Frigore externo* idem contigit, foveri decoctis Aromaticis, & inungi Unguentis similibus debet pars malè affecta.

X. *Animi Affectu noxio sublato*, ad pristinum robur redire solet penis, quin *contrario* magis erigi.

Non satis diu permanens qui curetur.

XI. *Non satis diu permanens Penis Erectio Spirituum Animalium penuria*, protrahetur usu convenienti Spirituosorum cum aliis mixtorum, Aquæ Vitæ Matthioli, ac similium per intervalla usurpatorum, donec Animales Spiritus multiplicati fuerint in corpore.

XII. Quin *rariùs exercenda Venus* à talibus, quò tunc saltem illi absolvendæ sufficiant Spiritus satis pauci.

XIII. *Sanguis fervidior fiet* usu *Salis Volatilis Oleosi*, *omniumque* adeò *Aromaticorum*; inter quæ præferenda illa, quæ docuit Experientia conducere in hoc affectu; talis est Eruca.

XIV. *Animus revocandus* ad *negotium præsens*, atque *intendendus rei agendæ* cum *hilaritate*.

CAPUT III.

De Uterina sive Menstrua Purgatione læsa.

Quo tempore fiat in fœminis Sanguinis effluxus.

I. SIngularem, eundemque planè Naturalem *Sanguinis Fluxum, Effluxumque patiuntur Fœminæ*, si non omnes, pleræque saltem, & quidem *toto eo tempore, quo Generationi aptæ sunt*.

II. Rariùs enim, nec nisi præter naturam solet iste fluxus citiùs, tardiùsve observari.

Quando ille incipiat.

III. Tempus autem maximè ordinarium, quo se manifestare solet hic fluxus, *Annus* est *quartus decimus*; quo iterum subsistere accessare, *Annus* ætatis *quinquagesimus*.

IV. In Regionibus quidem Calidioribus, & ubi Aer purior, subtiliorque occurrit, uno, duobusve annis citiùs prodit in nonnullis, ac præsertim in vegetioribus; quemadmodum contrà in Frigidioribus, magisque Pituitosis totidem ferè annis segniùs erumpit, & maximè in Regionibus ad Septentrionem magis vergentibus, simulque humidioribus.

Quid indicet.

V. Ubi autem Fluxus ille prodit, aut prodire debuit, Viris maturæ habentur fœminæ, atque ad Generationem aptæ.

Subsistit in Gravidis et Lactantibus.

VI. Excerni solet hic Sanguis in non Gravidis, nec Lactantibus; nam perpaucæ, ubi utero gerunt, fœtumve lactant, hunc menstruorum fluxum patiuntur.

Sanguis hic cui usui inserviat.

VII. Unde patet Sanguinem hunc præparari ad Fœtum, tum in Utero, tum extra Uterum nutriendum, adeòque inservire Generationi, atque Propagationi: ne quis putet cum multis, Sanguinem istum menstruum esse inutilem, aut noxium, ideòque culpandum, postquam is ad speciei conservationem abundantior in fœminis producitur, quàm ad solam sui nutritionem indigebant.

Quidnam ad individui conservationem, quid ad Speciei propagationem faciat.

VIII. Quicquid enim commune habent Mulieres cum Maribus, id omne ad Individui Conservationem facit; quicquid verò tum Mares, tum Fœminæ habent singulare, id omne Speciei Propagationi ministrat.

IX. Sic Partes diversas obtinuerunt aliquas tum Viri, tum Fœminæ, quas proinde Generationi servire dicimus ac docemus.

X. Sic etiam Functiones aliquas diversa nacti sunt Viri & Fœminæ, quas itidem Generationi destinatas pronunciamus.

Partes generationi dicata.

XI. Inter partes illas diversas sunt in Maribus Penis, Membrum Virile ideò dictum, Testiculi Vasa spermatica; quæ omnia nil habent similis cum Partibus Muliebribus, Utero, & utroque ipsius Collo, Uteri Tubis, Testiculisque; adeò, ut meritò hæ Partes omnes unà cum Mammis fœmineis dicantur Generationi servire.

Ut & Functiones.

XII. Inter Functiones illa diversas est tum Virilis seminis productio in Testiculis, aut Epidymidibus, tum ejusdem Collectio id Glandulis & Vesiculis spermaticis, tum Excretio per Urethram; quæ planè aliter se habent in fœminis; quæ intra se solent suum effundere semen, uti mares extra se.

Harum in Viris et Fœminis similitudo & Diversitas.

XIII. Unde quamvis aliqua videatur esse in Viris & fœminis ratione seminis producendi, conservandi, ejaculandique similitudo, magna tamen in singulis occurrit quoque diversitas.

Hacque maxima in fœtus productione et nutritione.

XIV. Sed maxima Virorum & Fœminarum circa Generationem diversitas occurrit in duobus; in Fœtus ipsius producendi loco, atque nutritione prima tum ante, tum paulò post partum.

Qua fiunt non in Maribus, sed in Fœminis.

XV. Producitur namque Fœtus nunquam in Maribus, semper in Fœminis; & quidem in earum utero.

XVI. Nutritur idem Fœtus ante partum in Utero fœmineo, & quidem à nutrimento à Matre ipsi subministrato, nunquam à Mare.

XVII. Sed nutritur adhuc idem natus à Ma-

tre,

tre, ac quidem Lactis beneficio; quod ſicut vix unquàm, & quidem monſtroſè tantùm obſervatum eſt prodiiſſe è Mammis virilibus, ut plurimum verò, ac ferè ſemper è fœmineis, ita meritò à fœminis expectatur ac obtinetur quoque prima nuper nati fœtus nutritio, idque à Matre, aliave fœmina ipſi deficienti ſuccurrente.

Functiones fœminis peculiares.

XVIII. Functiones proinde primariæ ac fęminis maximè peculiares ſunt *Fœtus Generatio*, *Geſtatio*, & *Nutritio intra Uterum*, ut & *Partus*, hinc & *Nutritio prima extra Uterum*.

Fœtus productio etiam à Mare, nutritio à ſola Fœmina.

XIX. Quemadmodum verò ad Fętus productionem ac Generationem ſuum ſemen confert Mas, ita ad ejuſdem in Utero Nutritionem & Augmentum nil planè confert Mas, verùm ſola Fœmina, cui uni hoc beneficium debet Fœtus.

Qua nutriatur Fœtus in utero.

XX. Hactenus quidem crediderunt omnes forſan Materno ſanguine nutriri fętum in Utero; donec hoc præſertim ſeculo plures Viri egregii hanc ſententiam in dubium revocarunt, & aliqui eam in totum rejecerunt.

Materno nempe Sanguine.

XXI. Me quod attinet, nullas hactenus obſervare potui rationes ſatis urgentes, nulla experimenta ſatis evidentia, ab ullo prolata, quæ propoſitam ſententiam erant everſum: ſed contrà plurima noto, quæ ipſam confirment, non infirment.

Quid probatur.

XXII. Et in ſpecie Fluxus ſanguinis menſtruus, de quo cœpimus agere, ſatis ſuperque Nutritionem Fœtus per ſanguinem maternum evincit.

XXIII. Cùm enim ſanguis in Fœminis ad Generandum aptis copioſior producatur, quàm ad ipſarum Nutritionem requiritur; idemque ideò ſingulis menſibus per Naturalem Effluxum, & quidem per Uterum minuatur; idem verò tempore geſtationis, vel lactationis effluere deſinat; nonne ſatis demonſtrat, eum Fętus nutritioni, & dum in Utero hæret, & dum nuper excluſus lacte materno gaudet, impendi?

XXIV. Niſi enim in Fętus nutrimentum cederet, dum in Utero adhuc continetur; & in maternum lac abiret, poſtquam ipſo alitur infans nuper natus; utique menſtruatim effunderetur.

Utero gerentibus & lactantibus quibuſdam Menſtrua fluere.

XXV. Neque aſſertionem hanc meam evertit, quòd quibuſdam fęminis, & Utero gerentibus, & lactantibus Menſtrua prodeat purgatio: quoniam illud quibuſdam & paucis ſingulare eſt, non omnibus aut pleriſque ſaltem commune.

An Fœtus in Utero aliquid ſugat

XXVI. Sed nec aſſertionem meam dubiam reddit, quòd aliqui putent Fętum in Utero materno ſugere, atque in os ſuum allicere Liquorem, in quo natat, ut eo nutriatur; Iſtumque liquorem ut & Lac, ex Chylo, non item Sanguine ortum habere arbitrentur.

XXVII. Nam, ut jam non dicam, hæc omnia dici, & dici tantùm, non item probari: poſito hæc ita ſe habere, nonne Sanguis Maternus ortum habet ex Chylo? Quòd ſi ex Chylo ſuum ortum habeat ſanguis fęminarum, & ex eodem Chylo credatur ortum habere Liquor ille Nutritius dictus, & Lac, nonne Nutrimentum ſuum à Marte accipiet Infans, ſive illud credatur eſſe ſanguis, non tantùm in Corde perfectus, ſed in Placenta Uterina, & Mammis adhuc perfectior, & tenero Fętus corpuſculo nutriendo aptior factus (quod Ego cum multis exiſtimo verum;) ſive illud fingatur eſſe ſanguinis materia proxima, Chylus, adeòque Sanguis, ut ita loquar, imperfectior, quippe necdum in Corde materno perfectus?

Arteriæ grandes ad uterum dilatæ nutritioni inſervientes.

XXVIII. Hujus autem intra Uterum inſtituendæ nutritionis ergò *Arteriæ grandes ad Uterum* feruntur planè *Spongioſum & ſingulari artificio concinnatum*, ita ut Sanguinis multùm imbibere poſſit, atque ab ipſo mirè expandi, mox verò poſt ipſius effuſionem iterum brevi contrahi, & ad priſtinam parvitatem redire.

Delebos Opera.

Placenta.

XXIX. Producitor prætereà in Prægnantis Utero *Placenta*, Lienis parenchyma æmulans, & Utero ubique ferè cohærens, ſanguinemque ab ipſo excipiens, quin ampliùs in Fętus tenelluli & exigui tàm Nutritionem, quàm Accretionem præparans; ſicut hæc omnia diligentibus patere poſſunt Anatomicis.

Sanguinem Fœtus eſſe nutrimentum.

XXX. Sed quam aliis omnibus, eam mihi quoque latam legem puto; idcircò *Opinionis, quam ſequor, & fundamentatum Anatomica, tum Practica, & Ratiocinationes inde deductas expono candidè.*

XXXI. Cùm ergò & *Sanguis* obſervetur *effluere Mulieribus ad Generationem aptis & ſanis, nec gravidis, vel lactantibus*, & quidem *ſingulis menſibus*; cùm ad Ipſarum *Uterum prægnantem obſervetur ſanguis fluere copioſiùs, quàm tempore alio*? cùm *poſt partum* obſervetur *effluere Sanguis multus*, *Lochiorum* nomine notus, cùm in *viva brutorum* aut *fœminarum in partu defunctarum ſectione nil præter ſanguinem copioſum obſervetur ad Uterum*; *Placentam, Fœtumve ferri*, meritò puto me *concludere*, *Sanguinem maternum menſtruatim effluere, ac minui ſolitum pro Fętus pabulo ac nutrimento habendum.*

Menſium materiam eſſe Sanguinem bonum

XXXII. Hæc ſunt Argumenta primaria, quæ me movent, ut cenſeam, *Menſtruam fęminarum Purgationem* pro materia ſua agnoſcere *Sanguinem, non inutilem aut noxium*, ſed *utilem*, ac *ſuperfluum in fœminis* ad *Generationem promovendam, Fœtumque tum in Utero ſitum, tum nuper naturam alendum*, ex ſapienti Dei præſcriptu genitum atque productum, Quæ ſi non videantur ſatis urgentia, ut aliis ſuadeant, perſuadeantque idem, integrum eſt unicuique aut novam inveſtigare ac invenire, aut aliorum examinare ac expendere Opinionem, atque tandem illam, quæ Menti veritatis avidæ maximè ſatisfaciat, ſeligere, ipſique adhærere.

XXXIII. Poſtquam igitur pro vera agnoſco plerorumque Opinionem de Sanguinis menſtrui, non quidem effuſi, ſed gravidationis & lactationis tempore abſque noxa ſuppreſſi utilitate & uſu; videndum porrò, qui lædatur ſæpiùs præter naturam ille Fluxus, indeque in plurima mala incidant Fęminæ.

Quot modis menſtruus fluxus lædatur.

XXXIV. *Læditur* autem hic *Fęminarum Menſtruus ſanguinis Fluxus* modis multis, & quidem 1. quando citra Graviditatem aut Lactationem, ubi ad Generationem apta eſt mulier, *Nullus prodit*, ſed præter naturam ſiſtitur & ſtagnat univerſus. 2. quando accidit quidem hic Fluxus, ſed *minore*, quàm decebat, *quantitate* & copia. 3. quando è contrà *nimia contingit quantitate & abundantia* 4. quando haud ſemel in menſe fluxus ille fit, ſed aut *frequentiùs citiùſve, aut rariùs tardiùſve*. Nam quibuſdam is aut bis, aut ter contingit quovis menſe, imò quibuſdam perpetuus penè adeſt; aliis ſemel intrà duos, treſve accidit menſes. 5. quando vel *diutiùs*, vel *breviùs durat*; Tempus namque maximè conſuetum eſt 4. aut 5. dierum; quibuſdam verò vix per unum, vel duos, aliis contrà ad 7. 8. pluresque perſeverat dies. 6. quando *Conſiſtentia*, *Colore*, *Odore*, *Calore*, *Acrimonia*, vel aliter *vitioſus* prodit ſanguis. 7. quando *per vias alias* præter uterum effluit ſanguis, per *Os*, *Nares*, *Oculos*, *Aures*, ipſamque ſubinde *Cutim*, ejuſque poros, tum in Capite, tum alibi, non verò per Uterum.

Quando ſit Vitioſus.

XXXV. Tot modis obſervamus ſubinde lædi Menſtruum ſanguinis Effluxum: ubi notandum, tum demùm pro *vitioſo eundem haberi*, *quando cum uniuſcujuſque Feminæ incommodo id eveniat*; Niſi enim aliquid moleſtiæ aut noxæ inde patiatur Fœmina, non ſtatim pro præternaturali habendus erit Fluxus in quibuſdam a generali regula recedens, cùm obſervemus in dies pro peculiari cujuſque conſtitutione, Vitæque genere latitudinem notabilem in pleriſque functionibus, & quæ inde ſequuntur, apparere,

Absque Vitio varint.

XXXVI. Sic quædam *fœminæ absque ulla noxa Fluxum patiuntur sanguis parcum*, aliæ contrà *magnum*; aliæ *bis in mense* ipsum patiuntur, aliæ *tertia quaque septimana*, uti aliæ uterum *quinta demum* aut *sexta*: Aliis *duobus tribusve* duntaxat *curat diebus*, *aliis septem aut octo*: Hæc cùm naturaliter, hoc est, absque ulla noxa, detrimentove diversimodè contingant & continuè multis, non indigent Medici opera, qui si hæc mutare tentaret, plerumque Fœminis non prodesset, at noceret.

Quod Medico prudenti considerandum.

XXXVII. Interest proinde, ut Medicus prudens attendat, an hæc & alia plura noceant sanitati, hoc est, Functionem aliquam lædant, vires prosternant suffocentve, aut formam elegantiamve Corporis labefactent, nec ne: Nisi enim tale quid eveniat, non est, quod valdè solicitus sit, habeatve Fluxum in quibusdam à mediocritatem recedentem pro malo, ac præternaturali.

Fluxus Menstruorum nullus duplici est modo.

XXXVIII. Has *læsi Menstruorum Fluxus* species omnes ut ordine proponamus, earundemque *Causas* veras eruamus, incipiendum ab illa specie, in qua *Nullus* apparet; quod duobus evenire solet modis, 1. quando *is convenienti tempore ac ætate non prodit*, unde *Puellæ* fieri solent *Cachecticæ* 2. quando idem, qui jam prodit fluxus, *ampliùs prodire cessat*; qui verè vocatur *Menstruorum suppressio*, à quo itidem Cachecticæ solent fieri fœminæ, unde plurima insuper consequuntur mala.

Quando sanguis prodit & quare.

XXXIX. Puellis *segniùs prodeunt Menstrua*, non tantùm *imperforatis*, & quarum coaluerunt Carunculæ Myrtiformes, quibusque adeò coacervantur in Collo Uteri externo Menstrua, quod satis rarum, bis terve tamen à me visum sed sæpiùs, *quibus non patent Vasa per Uteri fundum sanguinem deferentia*, quæque maximè propriè dicuntur laborare Menstruorum defectu.

XL. Quibusdam *Segniùs prodit* fluxus ille Menstruus, quoniam sunt *constitutione Corporis teneriore* undè *tardiùs ad perfectionem suam requisitam pervenit earum corpus*, *tardiùs superabundat in ipsis sanguis Generationi*, *Fœtusque adeò Nutritioni destinatus*: quo igitur dum destituuntur solitis Menstruationis primæ annis, non mirum, nec malum, si aliquot annis sæpiùs prodeat ille fluxus, qui nulla molestia, nullo earum incommodo moram nectens nullatenus dici quoque potest læsus aut præternaturalis.

Quando verè dicatur Cessans Menstruorum Fluxus.

XLI. Quoties autem *citiùs segniùsve Conatus* est in corpore ad *Menstruationem*, illa verò haud procedente, post *gravantes* circa *Lumbos*, *Cruraque*, & aliquando *Brachia* quoque *Dolores*, hinc & *Præcordiorum Anxietates*, aliasque *Molestias plures*, paulatim *Cachecticæ* fiunt Puellæ; toties dicitur verè *vitiatus ac p. n. Cessans Menstruorum Fluxus*.

Caruncularum Myrtiformium imperforatio quorundam malorum causa.

XLII. *Coalitus Caruncularum Myrtiformium*, *non partialis* per *tenuem Membranulam*, *Hymenis* nomine celebratam, & i. n. perforatam, sed *totalis* per eandem *crassiorem* ac *imperforatam*, sanguinem ad Uterum, ac per Uterum, ejusque Collum interiùs effluentem *sistens*, *atque in ejusdem Collo externo*, *Vaginæ nomine* noto, ejusdem Effluxum itidem impediens, *Causa* est insuper *Collectionis sanguineæ mensibus* singulæ auctæ, tandemque tum spontè *corruptæ*, tum totam Vaginam in immensum *expandentis*, atque gravissimos ibidem Dolores, aliaque symptomata plurima parientis.

Distentio Vaginæ.

XLIII. Neque Distentio duntaxat istius Vaginæ Membranosæ, indies facta auctior, sed imprimis Corrupti sanguinis Acrimonia eandem Vaginam Membranosam, admodumque sensibilem mordens ac rodens Dolores excitat atrocissimos.

Pro Uteri procidentia habita.

XLIV. Quin ut plurimùm neglectum, quia non intellectum hoc Malum, eousque distendit dictas Partes, ut à plerisque pro *Uteri procidentia* habeatur, etiam à Medicis Celebribus, non tamen idcirco magis peritis, aut scientibus.

Imperforationem esse connatam, quod vulgò negligitur à matribus.

XLV. Hoc autem Vitium est à primo Ortu, & conatum; quod dum haud observant in tempore Martes, ipsius quoque curam, in prima ætate parvo negotio absolvendam, negligunt; quapropter, ubi ad pubertatem venerunt Puellæ, atque Menstruus excitatur fluxus, nec tamen prodit, verùm sensim nota incommoda parit, priùs ad partem affectam non attenditur, tum propter verecundiam, tum quia tale quid non creditur, donec tandem tumor grandis & dolor atrox in pudendis se manifestans cogit etiam maxime pudibundas, auxilii causa, conspectum istarum partium concedere tum Medicis, tum Chirurgis.

Et quare.

XLVI. Quòd si quis consideraverit, non per idem orificium prodire. Urinam, Menstrumque sanguinem, sed per diversa; non mirabitur falli Matres, de Uteri orificio necdum ante Menstruationis Cintusve tempus utili, aut necessario minimè solicitas.

Urinam & Menstrua per diversa Orificia effluere.

XLVII. Urinam autem Menstruumque Sanguinem per diversa effluere orificia, multi hactenus ignorarunt, etiam Medici, decepti per ineptas quorundam Anatomicorum Tabulas, perperam Orificij Vesicæ situm in externo Uteri Collo fingentes ac notantes: cùm illud verè sit suprà Myrtiformes Carunculas, extraque ipsum Uteri Ostium externum.

XLVIII. Dum autem Martes nullum in redenda Urina impedimentum observant in puellulis, nulla quoque suspicio de Uteri clausura externa mentem ipsarum subit, adeò ut minimè mirum, si obruantur citiùs ac Menstruorum collectione Puellæ, quàm illam conjectent Matres.

Quod Medicinæ Studiosis observandum.

XLIX. Notent proinde Medicinę Studiosi omnes, singulari orificio externo, & quidem superiore donatam fœminarum vesicam, singulari & inferiore Uterum: sicut hæc ad oculum demonstrari debent ab Anatomicæ Professoribus, ne continuè veterem & noxium errorem sequantur hujus ævi locique Medici.

Quibus solis id privatim à Professoribus ostendendam.

L. Quoniam verò hæc Orificia non satis decorè demonstrantur publicę coram omnibus, commodè privatim demonstrari possunt coram solis Medicinæ Aluminis, ad quos hæc res propriè spectat, quamque toties cum notabili ægrarum detrimento ignorarunt Medici nonnulli sufferi, & alios se longè peritiores grandi supercilio spernentes.

Cur hactenus in eo lapsum.

LI. Sed miretur aliquis, quo pacto fieri potuerint, ut bina ista Orificia minùs fuerint manifestata? Sed mirari desinet, ubi consideraverit, sub alis, sive Nymphis latere hoc vesicæ Orificium, nec nisi attentiùs attendenti patere: accedente illo ex falsis tabulis præiudicio, propter quod ne quidem inquiri solet à plerisque in rem ipsam, quippè quam supponunt esse talem, qualem vident pictam.

Menstruum suppressionis Causa.

LII. Hæc igitur est nonnunquam *non prodeuntium Menstruorum Causa*; licet *frequentius* illa *hæreat in ipso Utero*, *& Uteri Vasis*, per quæ transeundum est Sanguini menstruatim s. n. evacuando.

In Utero & Uteri Vasis.

LIII. Non procedit autem ista evacuatio, quando *Vasa dicta & Viæ non patent* in Uteri Cavitatem. *Non patent* autem, si vel *sanguis ad ipsa minùs feratur*, vel *eadem Pituita viscosa & glutinosa infarciantur & obstruantur*.

Ob Sanguinem crassiorem.

LVI. *Sanguis ad dicta Uteri Vasa minùs fertur*, quando universus occurrit *crassior & melancholicus*, ipsiusque Puellarum *Animus tristior* existit, & *Corpus minùs movetur*, *somnoque nimiùm indulgetur*, & *Alimenta* usurpantur *Pituitam multam & glutinosam producentia*, viviturque in *Aere frigido*, *humidoque*.

Et propter Obstructionem à Pituita.

LV. *Pituita tenaci & viscosa infarciuntur*, *obstruunturque Vasa dicta*, tum paulatim ob multam *in Sanguine scatentem Pituitam* similem, atque indies Vasis prædictis adhærentem ibique

cumu-

latam; tum subitò ob *præcedentem Corporis* Universi, ac præsertim Uteri *Calorem* notabilem, à *Solis* vel *Ignis*, *Balneive æstu*, à *Corporis motu* diuturniore aut vehementiore, ab usu liberaliore *Alimentorum Spirituosorum*, & *Aromaticorum*, hinc subsequens *frigus grave*, tum *Aeris* ad Uterum penetrantis, tum *Aquæ frigidæ* Pedes saltem aut Uterum quoque attingentis, tum *Pavimenti* lapidei & imprimis Aqua frigida madentis, per inferiores artus ad Uterum transiens, & solutam priùs in Corpore, atque quaquaversùm propulsam Pituitam ibidem coagulans, atque sic Obstructionem pariens; Idem accidit aliquando ab Animi affectu gravi, Metu imprimis, aut Tristitia inopinanter, ac præsertim instantibus fluentibusve mensibus, superveniente, unde sanguis, ac cæteri humores, pituita cumprimis, coagulari ac concrescere solent. Ut jam silentio prætereeam plurima sanguinem aliosve humores incrassantia, Corallia, Cretam, Oryzam, Cespites, Terram, Carbones, aliaque in Pica nonnunquam copiosè ac diu assumpta, atque sic obstructioni mox secuturæ materiam præparantia.

Tempore Menstruationis Uteri Vasa aperienda.

LVI. Pro namque tempore, quo Menstrua expectantur, *aperienda*, *reserandaque* sunt *Uteri Vasa*; quod imprimis contingit ab *Humoribus Biliosis* tunc *temporis dominium in corporis capientibus*, atque *Pubertatem* hac ratione *inchoantibus*.

Mutationes in nostro corpore fieri ab Humoribus.

LVII. Existimamus enim omnes in Corpore nostro Mutationes naturales fieri ab Humoribus secundùm Naturam in ipso existentibus atque paulatim Dominium in cæteros successivè obtinentibus, donec iterum aliis cedant.

Secundùm quos tres Ætates distinguenda.

LVIII. Quòd si quis secundùm illud Dominium Humorum successivum *Hominis Ætates* distinguendas putaret, non incommodè *tres* numeraret: Primam, quæ *Pueritiam & Adolescentiam* complectens *Pituitæ fluidiori* ac *serosæ* sive *Lymphaticæ* subjiciatur. Secundam, quæ *Juventutem* atque *Virilitatem* continens *Bili* pareat. Tertiam, quæ *Senectutem* utramquem implens *Pituitæ Viscidiori*, *Mucosæ*, *ac Melancholicæ* obsequatur. Observatum enim est, notatumque à Medicis plerisque, nominatos Humores successivè dominium exercere in homine.

Pituita fluidior ad Corporis facit incrementum.

LIX. Postquam nimirum *Pituita fluidior ad Corporis incrementum & augmentum capiendum* maximè utilis ac necessaria, primario hoc suo functa est munere, auctumque est ad commodam staturam Corpus, *Bilis* ei succedit in laudato Microcosmi Imperio ad *Robur* ipsi conferendum,

Bilis ad ejus robur.

tum *ratione sui ac individui*, tum *ratione alterius*, *ac speciei*: ubi namque ad *Pubertatem* venit Homo, non tantùm Corpus ipsius firmantur & roboratur, sed insuper ad generandum fit aptum & pronum: quo tempore cùm Calor in eodem observetur major, isque Bili præsertim debeatur, meritò censemus, Bilem tunc cæteris dominari Humoribus; donec eadem paulatim deficiente aut

Pituita ad declinationem.

inertiore factâ, & senectute adventante in Imperio microcosmico ipsi succedat *Pituita tenax*, & *melancholica*; verè namque Pituita tenax est ipsa melancholia.

Tres Hominis status.

LX. Observantur igitur *tres Hominis nati status* notabiles; *Incrementis*, *Roboris*, *ac Declinationis* quorum singuli suas habent latitudines & gradus: quæ omnia idcircò facienda pluris, considerandaque accuratiùs, quòd Medicinæ nostræ perficiendæ serviant apprimè.

Bilis vires.

LXI. *Bilis* ergò, ut ad nostrum revertamur propositum, cùm abundet *Sale Volatili Oleoso*, vim habet *blande incidendi tenacem viscosamque Pituitam*, tum *ex ortu primo* hinc inde remanentem, tum postmodùm ex *Diætæ vitio* jam notato *auctam*; vim autem istam suam ubi exerit supra humores cæteros, sanguinem quoque reddit rariorem, aucto universo Corporis Calore; quin non tantùm in *Maribus seminis productionem* molitur, & ad *mentam partesque pudendas lanuginem & pilos* expellit, unà cum *Motibus Venereis*: sed in *fœminis* quoque *similia quodammodo præstat*, nec tantùm *Mammarum extuberationem* promovet, sed *Uteri* quoque *vasa impedita expedit*, *sanguinique Menstruo viam facit*.

Bilis minùs acris haud sufficiens menstruo fluxui promovendo.

LXII. Quòd si *Bilis* (propter *constitutionem Naturalem*, vel *Diætam pravam*, & *Pituitam Viscosam* imprimis producentem, hinc & *Bilem crassiorem ac inertiorem* præstantem) *minùs sit acris*, non mirum, si *sola Menstruo fluxui promovendo haud sufficiat*, quin *diutiùs*, *quàm* expediebat, *idem fluxus cesset ac desideretur*, *notataque mala sequantur*.

Plethora ad vasa unde, & quid producat.

LXIII. Nisi enim *sanguis* Pubertate in fœminis præsente *abundantior factus per Uterum*, *aliamve viam evacuetur*, *ac minuatur*, *Plethora* producitur *ad Vasa*; qua sensim *magis aucta*, *minùs commodè movetur universus sanguis*, & *circa Uterum ex parte stagnat* plerumque; quapropter idem paulatim *corrumpitur*, & *corruptionem* suam reliquo *Sanguini communicat*, unde *Symptomata* in superioribus enumerata excitantur, vimque suam exerunt.

Utile in suppressis Mensibus sanguinem evacuari.

LXIV. Fieri namque potest, (ut hoc uno verbo hìc moneam) ut non prodeuntibus Mensibus per Uterum, nihil tamen detrimenti quoad Symptomata notata fœminæ patiantur; quoties sanguis superfluus per Nares, Os, aliasve vias excernitur: Unde licet via ista non sit naturalis, non coacervatur tamen, nec corrumpitur Sanguis, nec proinde memorata sequuntur Symptomata fœminis tam molesta & gravia.

LXV. Ni igitur sponte, hoc est, à Bile in corpore imperium usurpante solvantur viæ tum ad Uterum, tum per Uterum sanguini Menstruo deferendo dicatæ, impeditur, & frustræ desideratur, expectaturque fluxus ejus menstruus: quod, sicut jam dictum, accidit tum ratione *viarum* dictarum *Pituitoso sanguine viscoso*, *vel Pituita* ipsa obsessarum, tum ratione *Bilis obtusioris ac inertioris*, sanguinem Pituitamve solvere impotentis.

Causa Menstruorum suppressorũ obstructio. a Pituita.

LXVI. Quæ autem fuit *Causa Menstruorum*, tempore Pubertatis sponte haud prodeuntium, eadem esse potest ac solet eorundem postmodùm *suppressorum*, *Pituita* inquam, vel *Sanguis Pituitosus glutinositate sua*, eaque præternaturali *nominatis vias obturans & obstruens*: ut non videatur opus in ejus explicatione plura proferre.

Coalitus colli Uteri causa mensium suppressorum.

LXVII. Quemadmodum verò in Virginibus sanguinis Menstrui exitum impedire potest quin aliquoties impedivit Membrana Myrtiformes glandulas connectens, ipsumque Orificium Uteri externum in totum claudens; ita fieri potest, ut in fœminis Venerem non tantùm expertis, sed Matribus quoque ob quamcunque in Coitu, Partu, & aliàs vim parti huic illatam coalescat Collum Uteri externum, ejusve Orificium, vel illius Labia, ita ut nullus pateat eò allabenti sanguini exitus, licet hoc rarissimè accidere libenter concedam.

Curatio.

LXVIII. Propositis sanguinis Menstrui nullatenus per Uterum prodeuntis Causis; pergendum esset ad cæterarum Læsi hujus Effluxus specierum Causas similiter ordine proponendas, ni satius esse judicarem, Causis præmissis subnectere mox Curationem.

LXIX. Observavi enim aliàs, quoties Functiones alicujus læsæ plures sunt species, singularumque Causæ proponuntur ordine, antequàm ad singularem medelam devenimus, excidisse multas, quocircà lubet nunc ordinem illum tantillum immutare, atque singularum specierum Causis datis mox Curationem apponere, qua methodo speramos, Nos Legentium Memoriæ consulturos, quin totum negotium clarius reddituros.

Connexio Carunculrum Myrtiformium quomodò tollenda.

LXX. Quoties igitur *connexæ* sunt *Carunculæ Myrtiformes membrana & crassa & dura*, *eaque imperforata*, toties Chirurgi opera *eadem*, vel *sanguine* menstruo sensim collecto *distenta*, vel priùs observata nec ita distenta, *loco inter Carunculas* dictas *medio perforari* debet scalpello acuto; atque *evacuato per intervalla corrupto sanguine*, ubi neglecta fuit ejus cura, *mundatoque* per injectiones convenientes vulnerarias, & Aromaticas *Collo Uteri externo* per sanguinem corruptum malè affecto, paulatim *consumenda*, *tollendave membrana superflua*, vel *Medicamentis rodentibus*, *sale lixivo* præsertim & *cauterio potentiali*, vel *cultello forficibusve*; denique Cicatrice levi consolidanda pars reliqua; quamvis tutissimum sit, totam illam membranam penitùs tolli & auferri.

Coalitus colli Uterini quomodo tollendus.

LXXI. Ubi *Fœminis perforatis*, vel *apertis* à quacunque demum causa *excoriata labia*, vel *Collum uteri externum*, *coaluerunt*, *transitumque* non tantùm Membro Virili, verùm *menstruis* quoque *denegant*, ibi majori opus circumspectione, postquam non incidenda, vel amputanda hic occurrit Membrana vel Pars superflua, sed *liberandæ à Coalitu partes utiles ac necessariæ*; quin *impediendum*, *ne*, quando separandæ sunt ab invicem, *denuò coalescant*, quod facilè accidit.

LXXII. Separatio hæc prudenter ac lentè instituenda à Chirurgo partium harumce gnaro, ac Anatomes perito, & quidem cultello acuto; nec desistendum ab opere priùs, quàm perfecta sit desiderata illarum partium separatio; secus enim coalescerent mox & quidem arctiùs, quàm priùs, partes imperfectè duntaxat separatæ.

LXXII. Quemadmodum autem propter partium harumce excoriationem coalitus hic noxius contigit, ita, ni caveatur prudenter ac potenter, idem renovabitur post commendatam modò separationem artificialem, quippe quæ partes dictas excoriat & vulnerat similiter.

Quomodo impediendum ne rursum coalitus fiat.

LXXIV. Ad illum autem Coalitum impediendum *duobus* præsertim opus est auxiliis: 1. *Medicamentis*, & imprimis Emplastri forma utar, unis, *Cicatricem maturantibus*; ut & 2. *Deligatione* tali, quæ non tantùm laudata *Medicamenta* in parte affecta *contineat*, sed màximè, ubi sibi continuæ sunt *partes affectæ*, *ipsas* ita devinciat & ab invicem *amotas servet*, ne ibidem recoalescere incipientes angustiam. in partu saltem noxiam, præstent, ac post curationem relinquant.

LXXV. Medicamenta ipsa, quibus hic utendum, studio prætereo, cùm illa propriè faciant ad Chirurgiam, quæ ab aliis docetur.

Obstructionis curatio.

LXXVI. Pergamus proinde ad specie alterius magis Medicæ, atque *ab Obstructione*, *Infarctuque Vasorum* ad Uterum, ac per Uterum delatorum pendentis *Curationem*.

Humor tenax incidendus.

LXXVII. Cùm autem docuerimus, vel *à Pituita viscosa & glutinosa*, vel *à sanguine simili Obstructionem* notatam produci, facilè patet ad ipsius Curationem, Menstruorumque provocationem indicari & desiderari *Humoris tenacitate peccantis incisionem & abstersionem*.

Medicamenta Humores tenaces incidentia.

LXXVIII. Incidunt quidem Humores Glutinosos tum *Acida*, tum *Aromatica* & Sale lixivo, tam fixo, quàm volatili abundantia, ipsaque adeò *Salia fixa & volatilia*; quoniam verò Acida producendæ glutinositati serviunt, imprimis quando vergunt ad austeritatem, idcircò meritò *præferantur* in hoc affectu Curando *Aromatica*, quæ ipsa quoque Experientia testatur Acidis præstare; sive simul Amara sint, sive minùs Amara, sed sub varii saporis specie Aromatica vocanda.

LXXIX. Talia inter vulgò nota & ab Auctoribus commendata sunt ex Plantarum partibus, *Radices* Aristolochiæ, Angelicæ, Asari, Rubiæ tinctorum, Apij, Fœniculi, Petroselini, Eringij, Levistici, Ireos & nostratis & Florentinæ, Pimpinellæ, Schænanthi, Spicæ Nardi, &c.

Folia *Pulegii*, *Sabinæ*, *Salviæ*, *Dictamni*, *Majoranæ*, *Rutæ hortensis*, *Origani*, *Calaminthæ Montanæ*, *Artemisiæ*, &c.

Flores *Rorismarini*, *Cheiri*, *Spicæ Nardi*, *Schænanthi*, *Chamæmeli*, *Crocus*, &c.

Baccæ *Iuniperi*, *Lauri*, &c.

Semina *pleraque Carminantia dicta*, *Fœniculi*, *Dauci*, *Anisi*, *Sileris Montani*, *Cumini*, *Carvi*, &c.

Gummi & Lachrymæ, *Galbanum*, *Sagapenum*, *Myrrha*, &c.

Borax nativus.

Huc spectat ex Animalibus petitum *Castoreum*.

Ex Mineralibus *Chalybs*.

LXXX. Ex quibus parari possent *Pulveres*, *Apozema*, *Vina Medicata*, *Tincturæ*, *Pilulæ*, *Tabellæ*, &c.

Exempli gratia esto sequens Vini Medicati formula: *Vinum Medicatum.*

℞. *Rad. enul. camp.* ʒ ij.
Galangæ,
Curcumæ, *aa.* ʒ j.
Fol. Pulegij,
Majoranæ,
Sabinæ,
Artemis. Rub. aa. M. ß.
Bacc. Lauri,
Sem. Dauci,
Levistici, *aa.* ʒ ij.
Cinnamom. Acut. ʒ iij.
Macris, ʒ j.

Concisa & crassè contusa includantur sacculo, cui in Cantharo lapideo affunde Vini albi vel Gallici, vel Rhenani veteris, (pro personarum lubitu vel consuetudine) ℔ ij. stent per noctem in Cella. Bibat ægra in prandio ac Cœna haustulum. Cui verò pilulæ magis placent, illi sequens formula serviet. *Ejus Usus.*

Pilulæ.

℞. *Gumm. Sagapen. cum Aceto præp.* ʒ ß.
Chalyb. præp.
Succini alb. an. ℈ j.
Myrrhæ Rubr.
Castorei Opt. an. gr. xv.
Croci Brit. ℈ ß.
Boracis Venet. ℈ ß.
Ol. Caryophyll. gr. vj.
M. F. Pil. num. 40. *Deaurentur*.

Capiat quotidie cubitum itura quinque Pilulas. *Earum Usus.*

Salia Volatilia.

LXXXI. Quisquis autem in Chymicis rerum Naturalium Mutationibus versatus fuerit, longè plura inveniet tum potentiora, tum usurpatu faciliora, *Salia* purà *Volatilia* ex infinitis rebus parabilia, *Ossibus* omnibus, *Cornubus*, *Ungulis*, *Pilis*, *Sanguine*, *Urina*, *Carnibus*, & *omnibus* omninò *Animalium Partibus*.

Oleosa.

LXXXII. Conducunt scilicet omnia *Salia Volatilia*; licet cæteris præferam *Oleosa*, quippe quæ blandiùs, feliciùsque opus suum absolvunt: Unde quoque patet, *Salia fixa* minoris facienda, quippe quæ, puriora cùm sint, vehementiùs quoque operantur.

Utendi tempus.

LXXXIII. Usurpantur autem commodissimè Salia dicta volatilia quovis tempore, ac imprimis, (quando *Sanguis Universus est Glutinosior*,) *inter prandendum ac cœnandum*, ex haustulo Vini Cerevisiæ, Jusculi, alteriusve Liquoris ab Ægro seligendi.

LXXXIV. Ubi verò *Universa sanguinis Massa non est Glutinosa & Pituitosa*; licèt possit quoque *pastus tempore* usus esse dictorum Salium Volatilium, cum majori tamen fructu usurpabuntur *extra illud tempus*, ac imprimis, quando Pituita Corporis Motu, Aeris æstu, &c. suprà notatis Causis priùs soluta & ad Uterum propulsa, mox ibidem à subsequente Frigore rursus fuit congulata; tunc enim bonum est, stomacho vacuo

eus laudata sumere Salia Volatilia, quin *ad sudorem corpus* ipsum *disponere*, sic enim penetrabit faciliùs medicamenti vis ad extremos vasorum viarumque sinus.

Spiritus Salis Armoniaci.

LXXXV. Præ cæteris autem, quoties subitò ac nuper contingit ub corporis calefacti, hinc mox refrigerati vicissitudines, menstruorum suppressio, omnibus commendo Spiritum Salis Armoniaci, cujus unius ope plures brevi ac commodissimè restitui, exhibendo ejus, prout potentior existit aut debilior, guttas 3. 4. 5. vel 6. ex Vini cochleari, quidem bis terve in die.

Sudorifera, & Diuretica omnia hic convenire.

LXXXVI. Non solùm verò Sal Volatile ipsum, sed omnia quoque eodem abundantia vel sudorifera vel diuretica apprimè conveniunt, qualia etiam in suppressione sensim oborta, adhibitis deobstruentibus sub finem addere utile erit Ex. gr sequens paretur Apozema.

Apozema.

℞. *Rad. Apij, Levistici, an. unc.* ß.
Rasur. Lign. Guaiac. unc. iij.
Sassafras, unc. ß.
Bacc. Iuniperi, unc. ij.
Lauri, unc. ß.
Herb. Scordij, Pulegij: an. M. j.
Summ. Cent. Min. M. ß.
Sem. Milij, unc. ij.
Coq. ex Aq. pura, ad Colat. unc. xxx.
Add. Syr. Artemis. Card. Bened. an. unc. i ℔.
Tinct. Cinnam. & Castorei, an. unc. ß.
Ol. Succin .Gut. viij.
M.

Ejus Usus.

Hujus Apozematis haustulum calentem assumat ægra summo manè, atque stragulis commodè tecta sudorem expectet; quin post horulam, si nondum prodeat, assumpto jusculo illum promoveat: idque sæpiùs repetat, imprimis circa tempus consuetum fluxus mensium; quo simul ad uterum propellatur denuò sanguis.

Pituita in Capite & Intestinis redundans evacuanda, & quibus.

LXXXVII. Quòd si *redundet* non tantùm in *Sanguine*, ast in *Capite etiam ac Intestinis* notata *Pituita*, bonum erit ac utile ipsam subinde *minuere ac evacuare* per *Phlegmagoga*; inter quæ vulgò laudantur Agaricus, Turpetum, Hermodactyli, Colocynthis, &c. ea Chymicis autem primum locum merentur omnia ex Mercurio parata, tum Præcipitata, tum Sublimata, & imprimis dulce.

LXXXVIII *Formulas* hic nun addimus, quoniam eas pro Ægrorum beneplacito mutandas, eligendasque sundemus; & idcircò ipsæ commodissimè apud Ægros addiscuntur.

Sanguis non evacuandus nisi abundet

LXXXIX. Hac Methodo per facili, blandaque absque omni violentia plurimis Puellis Menses movi, *nulla instituta* in eum finem *Sanguinis Evacuatione*, nisi concurreret, quod rarissimum, *Sanguinis Abbundantia*: quæ quidem aliquando *in suppressis postea menstruis* observatur, *vix unquam in iisdem nondum fluentibus*, nec nisi *ob grande in Diæta erratum commissum circa tempus imminentis primi eorum fluxus*. Quod facilè assequetur quivis ea, quæ in superioribus dixi, attenta mente observans, expendensque.

Cur in Puellis menstrua nundû passis Sanguis non redundet circa pubertatis tempus, quod tamen fit in Adultioribus.

XC. Libet tamen hujus rei rationem in gratiam Juniorum & Tyronum explicare. Repeto igitur, *Sanguinem vix unquam redundare in Puellis, quibus pubertatis tempore sponte non fluunt menstrua*, nisi tunc grande in Diæta erratum patrarint; quamvis *sæpiùs in Adultioribus Plethoricis supprimantur menstrua*.

XCI. Juniores namque Puellæ accuratius observantur à suis Matribus aut Præfectis, nec facilè ipsis tanta conceditur Diætæ libertas, propter quam in notabile incidant erratum; aliter autem se res habet in Adultioribus, quibus tanquam in rebus humanis magis exercitatis major conceditur libertas, & peccandi occasio.

XCII. Dixi rariùs in Puellis circa pubertatis tempus observari Plethoram, quoniam eo tempore augetur maximè ipsarum corpus, in illo igitur augmento sanguinis multum consumitur, ejus abundantia vix unquam concurrat: sed postquam excrevit ad convenientem staturam corpus, non mirum, si *in corpore sano, animo existente bilari* & *assumptis alimentis laudabilis Succi* & quidem *quantitate satis magna Plethora* producatur, sanguinisque Abundantia.

In Adultioribus Venæ sectionem locum haberet.

XCIII Existente autem in Adultioribus, ac Pubertatis annos primo superantibus Plethora, non mirum similiter, si accidente in ipsis *Mensium* suppressione, *Venæ sectio* habeat subinde locum; *non tam ad ipsos iterum movendos, quàm Plethoram minuendam*.

Et quare.

XCIV. Quòd si nullo existente in Uteri Vasis notabili affectu ac Vitio *non fluant* nihilominus *Menses, propter sanguinis Plethoram*. & inde *impeditam Sanguinis motum*; quis non videt si tunc *educatur sanguis*, & *minuatur* simul ejusdem *Plethora, Motum ejusdem augeri ac redintegrari*; unde facilè ipsius quoque *ad Uterum, perque Uterum motus promovetur*.

Et cur in brachio magis, quam pede.

XCV. Nec mirum, si in casu tali æquè aut etiam plus prosit aliquando *vena in brachio quàm pede aperta*, & maximè propter *sanguinem maiori copia, vehementiaque in brachio, quàm* pede utplurimùm *profluentem*, ideoque *potentiùs sanguinis motum redintegrantem*, augentemque.

XCVI. Quo enim potentiùs per universi Corporis Vasa movetur Sanguis, eò etiam potentiùs & faciliùs exitum sibi parat per Uterum; quod hic quæritur.

In Plethora aliquando non tantû Venæ sectione, sed etiâ Medicamentis obstructionem solventibus opus.

XCVII. Hæc igitur Ratio est, cur *instante Pubertate vix unquam observetur Plethora, vix unquam utilis aut necessaria* sit ad Menses promovendos *Sanguinis Eductio*; cur contrà, postquàm *in Pubertate* fluxerunt Menstrua, & ob Causas nominatas *Plethora est facta*, si tunc eadem *supprimantur*, sæpiùs cum *commodo instituatur sanguinis Missio*.

XCVIII. Quamvis autem fieri possit aliquando, ut *propter solam Plethoram segniùs tardiùsque prodeant Menstrua*, & idcircò *Venæ sectione sola* tunc ritè instituta eadem *excitentur*; quoniam tamen plerunque concurrit aliquod in Uteri vasis vitium, ex Diætæ pravitate obortum idcirco *desiderantur* utplurimùm *Medicamenta Obstructionem* vasorum istorum *solventia*, sive hæc *sola sufficiant*; sive *urgente Plethora Venæ-sectio ipsis jungatur*.

Eorum Usus.

XCIX. Medicamenta autem superiùs laudata non tantùm *per Os assumi* possunt ac debent, sed *applicari* quoque *externe forma Fotus, Suffitus Halitus, Vaporis* &c. Via etenim brevis est per Collum Uteri externum ad internum, per quod vis Plantarum Aromatica & volatilis facilè penetrat, & paulatim Obstruentem Pituitam solvit, fluidamque factam disponit ad effluxum.

Per Cutem Pinguedinê Membrana & musculos Pinguia & Oleosa penetrare.

C. Possunt in eundem finem *Unguenta, Olea, & Linimenta Aromatica* Ventris parti inferiori illini; quò & sic quoque solvatur faciliùs, citiùsque Pituita Uteri vasa obstruens. Talia sunt *Unguentum Martiatum, Ol. Nardinum, Chamæmel. &c.*

CI. Nec audiendi sunt Medici magis subtiles ac ingeniosi, quàm periti, Unguentorum, Emplastrorum, Linimentorumque omnium Usum hic & alibi reiicientes: quoniam non videtur ipsis probabile, *per Cutim, Pinguidinem, Membranas* & *Musculos Abdominis* contenta *ambientes Pinguia & Oleosa penetrare posse*.

CII. Verùm enim verò, si hac ratione sit pergendum in rerum Medicarum constitutione bene Deus! quàm multa essent pro falsis habenda, quæ tamen habentur pro veris, & sunt vera.

CIII. An quia ignoramus forsan modum, quo agunt Purgantia, ut varios è corpore humores evacuent, negamus idcircò ipsorum efficaciam? abstinemus idcircò ab eorundem usu?

CIV.

CIV. Quamvis proinde videretur si non planè impossibile, saltem valdè difficile, per Abdominis Cutim, Pinguedinem, Musculos, Peritonæum viribus integris penetrare Unguenta & Olea forinsecus illita, testatur tamen Experientia quotidiana, internos curari indies affectus Abdominis, solo Unguentorum Linimentorumve usu.

Inquirendum in vias & modum quo id fit.

CV. *Si curantur Affectus Abdominis Interni solis Unguentis & Linimentis, penetrant igitur ad partes Affectas eadem Unguenta vel Linimenta, aliqua saltem sui parte.* Inquirendum proinde in vias, per quas, & modum, quo eò sese insinuant oleosa; non neganda verò eorundem vis & operatio, quia mihi, tibi, isti ignota est via & ratio, secundùm quam eò ipsa penetrent.

Dei opera ab Hominibus non determinanda.

CVI. Et profectò intoleranda cujusvis Hominis superbia & audacia, velle Dei opera & secreta determinare ad suum captum: quod tamen maximè familiare est Philosophis plerisque, atque in sola theoria ætatem suam terentibus, & idcircò mirè suffenis.

CVII. Possum enim verè testari, me tales offendisse plures Ingeniosos quidem, paucos verè Doctos, id est, rerum ipsarum peritos; nam in rerum cognitione ac peritia consistit vera Doctrina, non item in petulanti Garrulitate, atque calumniosa & convitiosa scientiæ suæ jactantia.

Via per quam penetrent Olea.

CVIII. Quamvis proinde sufficiat Oleorum & Oleosorum penetrationi per Cutim, cæterasque partes abdomen forinsecùs constituentes, probandæ Effectus eorundem laudabilis, sæpiùs in curatis Affectibus Internis observatus; possunt tamen viæ quoque determinari, per quas penetrent Oleosa & Pinguia usque ad Ventris Interiora; Pori nempe Cutis, à quibus transitus est ad Venas, & consequenter ad Cor, ac per quos nil obstat.

Corpus habere poros.

CIX. Cùm enim Partes Corporis omnes è variis particulis, tanquam minimis naturalibus, ideoque atomis unà junctis, textilque constructæ sint, haud probabile est ipsas, cùm variè sint figuratæ, ita exactè ubique sibi esse appositas, cùm passim transitus fit per ipsas Corporibus fluidis, ac præsertim Volatilibus: quod & observavit Hippocrates, quando universum Corpus pronunciavit pervium; & observate possunt quivis tum Ossa, tam Cartilagines, tum partes alias perspicientes, atque porosas notantes, imprimis quando perspicillis & microscopiis easdem considerant, & cum arte factis, pannis laneis & lineis, ut ut densissimis, tamen simul perviis, conferunt, & Poros ubique nunc ampliores, nunc angustiores agnoscunt vel concludunt in rebus naturalibus omnibus.

Ex sensu cognitis, ad ejus acumen fugientia progrediendum.

CX. Ita solent omnes solidè Philosophantes, ex sensu compertis & manifestis gradatim progredi ad sensuum acumen fugientia, & ideò obscuriora cognoscenda, perspiciendaque.

CXI. Atque sic paucis absolvimus modum Curandi Menstrua pubertatis tempore haud fluentia, vel postmodùm suppressa: pergamus proinde ad cæterarum Menstrui Fluxus læsi specierum Causas & Curationem ordine proponendas.

Fluxus Mensium minore quantitate prodiens.

CXII. Secundam Menstruorum in fluxu suo læsorum speciem diximus esse, quando hic *Fluxus* observatur quidem, sed *minore*, ac decebat *quantitate*.

Is quadruplex sit.

CXIII. Minore quantitate dici potest prodire Sanguis Menstruus, quoties 1. si *conferatur una fœmina cum cæteris* benè habentibus, observatur cæteris paribus *minùs ejus prodire quàm in cæteris*.

CXIV. Quoties 2. si *conferatur unaquæque fœmina cum se ipsa*, observatur *Sanguis menstruus minori quantitate prodire, quàm nuper solebat, & adhuc decebat*.

CXV. Quoties 3. *si conferatur Sanguis prodiens cum Sanguine in vasis existente*, observatur is *per menstrua minore quantitate profluere quam expediebat*, unde tunc à *residuo gravantur* fœminæ.

Quænam fœmina propriè parcioribus dicantur laborare menstruis,

CXVI. *Propriè* autem *loquendo, illæ duntaxat fœminæ dicendæ parcioribus laborare menstruis*, quæ idcircò *aliquod patiuntur incommodum, & à remanente sanguine gravantur*: non item illæ quibus nil inde obvenit mali. Multæ siquidem Mulieres, licet parcissimè fluant ipsis menstrua si cum aliis conferantur, optimè tamen habent quibus si Medicus copiosiorem sanguinis effluxum excitare vellet, malè ageret, atque sanas in Affectus præternaturales conjiceret.

Quisnam læsa functione laboret.

CXVII. Ut proinde Homo læsa functione dicatur laborare, opus est, ut noxam & incommodum aliquod inde patiatur: neque omnes ob eodem se habent modo eodem, quodque uni noxium est, alteri existit sæpenumerò salutare, Sic Mulieribus quibusdam conducit fluxus menstruorum parcior, aliis largior: quæ omnia determinat εὐφορίᾳ vel δυσφορίᾳ; facilis vel difficilis Toleratio; ut & εὐφόρως vel δυσφόρως, inde benè aut malè habere. Nam reverà noxium est homini, quicquid ipse fert difficulter, contrà eidem conveniens censetur quicquid ipse fert facilè, & cum commodo.

Quænam Mulieres parciùs Menstrua passæ Medicamentis indigeant.

CXVIII. Non statim proinde Medicorum opera indigent Mulieres, quibus quantitate parva fluunt Menstura, sed illæ duntaxat, quæ propter parcum ipsorum fluxum habent malè: de quo etiam agemus hic tantum, ejusque Causas rimabimur, quò ipsis Cura commoda subjungatur.

Duplici respectu id fieri.

CXIX. *Parciùs* igitur, ac *cum Sanitatis detrimento fluunt* quibusdam *Fœminis Menstrua*, quando vel *quovis mense* minori quantitate profluunt, vel *aliquando tantùm* id eveniit.

Menses fluentes aliquando fisti minùs causa & curatio.

CXX. Neque novum, *Menses fluentes sisti*; qui proinde tunc minori quantitate profluxisse dicendi sunt.

CXXI. Quemadmodum autem hæc species posterior convenit in Causa sua & productione cum eorundem *Menstruorum suppressione* jam proposita ita eodem *curari* debet modo; usurpando scilicet quantocyus *Aromatica*, vel *Salia Volatilia*, & *componendo corpus ad sudorem* promovendum *continendo* saltem *ipsum*, ac præsertim *Uterum* in *loco, lectove calido*, quò *ad ipsum quamprimùm penetret vis Medicamentis, & solvat Obstructionem factam*, vel ad ipsum *propellat denuò sanguinem ab Utero in terrore aut tristitia retractum*.

Menses parciùs aliquando fluere.

CXXII. Agimus igitur hic præsertim de *Sanguine quovis mense parciùs effluente*, ejus *Causa vix unquam in ipso quærenda sanguine*, ut plurimum invenienda in *Uteri Vasis, & Cavernosa substantia*.

Quod non à Sanguine vitiato.

CXXIII. Nam si *sanguis* esset *glutinosior* paulatim *cessaret ipsius effluxus*, producta in ejus vasis *Obstructione*, quod tamen rarissimè observatur factum, nisi ab aliis in Diæta commissis erratis.

Sed à vitio in Uteri substantia, vel vasis.

CXXIV. Existimo igitur, si non semper, utplurimum saltem in Cavernosa Uteri substantia & sui generis vasis quærendam inveniendamque *parciùs fluentium menstruorum Causam*: & quidem, si rectè conjecto, in *substantia Uteri stupidiore*, atque *circa menstruorum tempus minùs Cavernas suas & vasa expandente*, & imprimis *propter pituitam copiosiorem*, ac sæpè *viscosam* in ipsa hærentem.

Propter pituitam in iis hærentem.

CXXV. *Pituita* enim *partibus* quibusvis *adhærens facit easdem in motu suo qualicunque torpidiores ac segniores*, sicut in *sensu hebetiores ac stupidiores*, quod idem accidit *Utero*, qui *fluxu menstruorum instante singulari sensu concitatur*, atque *ad cavernosam corporis sui substantiam explicandam encitatur*: quod *si à Pituita nimia undecunque tandem in ipso restitante obtusior reddatur ad notatum illum stimulum perficiendum* uterus non mirum nisi prætereà *minus succedat peculiaris partium*

tùm ipsius motus in cavernularum suarum expansione manifestus.

V. Vesicatoriam [?] *dentiam eo. rum.*

CXXVI. Sed nec mirum, si *non tantùm minùs explicentur*, aperianturque *Ductus in Utero Cavernosi*, sed *iidem insuper concidant, claudanturque iterum solito citiùs.*

Curatio fit remotione Pituitæ, & Uteri Emendatione.

CXXVII. Unde utroque nomine parcior evenit Menstruorum effluxus, & *ratione viarum minùs patentium*, & ratione *viarum citiùs clausarum.*

CXXVIII. Quòd si *Pituita* quævis, ac imprimis *Glutinosior* Uteri substantiam obsidens *Causa* est *Fluxus Menstrui parcioris*, ad hujus *Curationem* opus erit, ut *inde* non tantùm *removeatur Pituita*, verùm prætereà *Utero introducatur Constituto Pituitosæ* si non planè contraria, certè tantillum saltem *diversa*; ipsusque excitetur à suo stupore.

Ec quibus Medicamentis.

CXXIX. Utrumque autem obtinebitur per *Medicamenta* in superioribus laudata, tum *Aromatica*, tum *sale volatili & Oleoso constantia*; quæ tam *internè* usurpari possunt *per Os*, quàm *imprimis externè* applicari, *halitus vaporisve* forma, *Uteri Orificio externo*; sic enim citiùs, & potentiùs penetrabit eorundem vis ad Interiora, excitabitque obtusum Uteri sensum ; & Pituitam solvet ac educet per ipsius collum, & Pudenda.

CXXX. Quòd si præterea universum *corpus & Sanguis glutinosa Pituita* fuerit oblitum, ejus quoque tum *Emendatio*, tum *Diminutio per Evacuationem*, tàm per *Alvum*, quàm *per Urinas* erit molienda, & quidem *Medicamentis* supra laudatis.

Menstruus fluxus læsus à nimio Sanguinis effluxu.

CXXXI. Tertiam Menstrui Fluxus læsi speciem docuimus esse, quando *Sanguis* stato quidem tempore, ast *copia effunditur nimia*, unde non parum *debilitari* solent Fœminæ; quo idcircò *signo* dignoscitur nimius Mensium Fluxus.

Unde multum debilitantur fœmina.

CXXXII. Postquam enim Partes Corporis omnes tàm Contentæ, quàm Continentes sanguine reparantur, conservanturque, quis non videt, quoties is deficit plus minùsve in homine, toties Partium Continentium robur, & Contentarum opus, hoc est, Hominis vires corporeas simul deficere?

Quod hujus mali signū.

CXXXIII. Ex illo autem virium defectu cognoscimus, & concludimus læsam Functionem, propter quam contingit iste virium defectus.

CXXXIV. Quoties proinde ob effusum abundanter Sanguinem Menstruum deficiunt Fœminarum Vires, toties pronuntiamus quoque ipsum esse nimium, ac præternaturalem.

CXXXV. Omnis enim sanguinis menstrui effluentis abundantia pro nimia & Præternaturali haberi non potest aut debet; cùm multis ea sit utilis & commoda, quippe quam facilè ferunt, quæque ipsis confert, propter sanguinis abundantiam in corpore occurrentem.

Omnem menstrui fluxus abundantiam non esse p. n.

CXXXVI. Ut proinde ritè judicet Medicus, an nimia sit Purgatio Menstrua, considerandum est, an illa Feminas debiliter, an potiùs ipsis conferat, & illam ipsæ facilè ferant; postquam ista duntaxat pro Præternaturali habenda & nimia, hæc contrà pro naturali & moderata.

Nimii fluxus causa.

CXXXVII. Contingit autem Menstruus Fluxus nimius vel ipsius *Sanguinis*, vel *Uteri ejusque vasorum culpa.*

CXXXVIII. *Sanguinis culpa* id evenit, quoties idem *tenuior*, vel *acrior* existit; & imprimis *Menstruorum tempore.*

Sanguis tenuior & acrior. Unde talis factus.

CXXXIX. Talem præstant 1. *Aer* æstuans, à Sole, Igne, Balneo, &c. 2. *Alimenta* Spirituosa & Aromatica. 3. Inter *Animi affectus*, *Ira*. 4. *Corporis Motus*, Exerciriaque multa & vehementia, Cursitatio, Saltatio, Frictio, &c. 5. *Vigiliæ* diutiùs protractæ. 6. *Evacuationes Biliosæ* solitæ cessantes aut suppressæ.

Uteri & vasorum vitium.

CXL. *Uteri, ejusque vasorum vitio* nimiùm profluunt Menstrua, quoties idem *laxior* est aut eo saltem tempore *nimiùm laxatur, unà cum suis vasis cavernosis.*

Ille nempe laxior.

CXLI. Laxior est Uterus ob peculiarem constitutionem nimis Aqueam, & Pituitosam, (non tamen Glutinosam) quæ consequitur imprimis *abusum rerum Aquearum, potum Aquæ ac Cerevisiæ tenuis* multæ; *ingurgitationem Fructuum Horariorum, Persicorum, Uvarum*, &c. ac præsertim mensibus instantibus.

CXLII. Eo namque tempore quoniam totus Uterus miram mutationem vasorumque suorum expansionem singularem patitur, facilè admittit omne noxium in corpore repertum, Ergò *Cibum quoque Potumve noxium* eo tempore perperam usurpatum.

CXLIII. *Uterum* quoque *laxiorem* præstare potest *Aer Humidus*, vel *Aqua*, *tepida* potiùs quàm frigida *imprudenter*, ac sæpius *in Uterum penetraas*, ipsumque paulatim *debilitans* & *laxaas*, quod facilè contingit post frequentius *Aquæ dulcis Balneum*, vel *fotum Decocti Emollientis* Uteri Orificio externo applicati; maximè circa tempus menstruorum.

Nimii Menstruorum fluxus curatio.

1. Quando Sanguis est tenuior, & acrior.

CXLIV. *Curabitur* proinde nimius Menstruorum Fluxus, fœminasque infirmans 1. quando *Sanguinem tenuiorem, Acrioremve ac serosum* agnoscit pro *Causa*, tum *Abstinendo* ab omnibus *Rebus nonnaturalibus* sanguinem vitiantibus, easdem saltem *moderando*, & imprimis mensium instantium tempore.

Cavendo ab Aere æstuante.

CXLV. Cavendum proinde tunc ab omni *Aere æstuante*, tum à Sole. tum ab igne, luculento, & aperto, tum ab Igne clauso & operto, Balnei sicci putà & similium.

CXLVI. Quapropter Æstate continebit se *Fœmina* domi, & quidem in Cubiculo non Meridiei, sed Septentrioni obverso, non in parte domus superiore, sed inferiore, & loco minimè calido, quin urgente necessitate in ipsa Cella, aliove Loco subterraneo.

Vel temperando Aerem æstuantem.

CXLVII. Potest quoque Aer æstuans temperari *Plantis succuleatis*, & ideò Frigidis dictis, Plantagine, Foliis Vitis, Solani, Sempervivi & similibus per Pavimentum dispersis; ut & *Aqua* frigida & imprimis *Puteali* tum per pavimentum effusa, tum in vasis majoribus & amplis contenta; ut & Aceto, &c.

CXLVIII. Potest insuper Aeri refrigerium afferri aperiendo *fenestras* Orienti ac Septentrioni obversas, non item Meridiei & Occidenti.

2. Cavendo ab Alimentis Spirituosis & Aromaticis.

CXLIX. Cavendum 2. ab *Alimentis & Spirituosis & Aromaticis*, *vino* generoso, ac præsertim ejus Spiritu, tum simplici, tum Aromatico.

Et contraria usurpanda.

CL. Quin eorum loco usurpanda *Alimenta succi crassioris ac viscosioris*, qualia sunt optima quævis *Animalium suaiorum Extrema*, Capita, pedesque Vitulorum, Agnorum, &c. ipsorumque Juscula. Huc etiam spectant *Pisces.*

3. Cavendo ab ira.

CLI. Cavendum 3. *ab Ira*, cujus occasiones omnes minimas quoque vitare debent Mulieres iracundiores, dandaque opera, ut ab Adstantibus & Domesticis haud irritentur, sed ipsarum infirmitati hac in parte consulatur, ferendo patienter ac sine oblocutione ipsarum morositatem, atque omnia carpendi morem quandoque malum.

Et producendo levē mœrorem.

CLII. Quin bonum est non gravem quidem, ast levem produci *Mœrorem*, quo incrassabitur blandè Sanguis ab Iracundia nimis solutus & fluidus.

4. Cavendo ab omni vehementi corporis motu.

CLIII. Cavebit 4. ab omni *vehementi ac diuturno Corporis Motu*; quo semper potentiùs commovetur, agitaturque, quin fluidior redditur Sanguis, quapropter imperanda tunc *Quies*, tranquillitasque Corporis.

5. Somnū promovendo.

CLIV. Quocirca 5. promovendus quoque omni

omni artificio *Somnus*, & minuendæ *Vigiliæ*. Quod quoniam non semper obtineri potest facilè ac per se, arte opus est aliud obtinendum.

5. Somnum promovēdo.

CLV. Conducunt proinde in hunc finem *Plantarum* partes variæ somnum promoventes, *Lactuca* præsertim tam in Jusculo cocta, quàm cruda Acetarii modo usurpata.

Et quibus.

CLVI. Huc faciunt *Emulsiones Hordei* mundat ad crepaturam cocti, *Amygdalarum dulcium*, & *seminum papaveris albi*.

CLVII Quemadmodum autem blandum somnum conciliat hordeum, ita Humores fluidiores incrassant dulces Amygdalæ; & utrumque præstant Papaveris albi semina.

Diascordiū Fracastorii Amstelodamense.

CLVIII. Ubi hæc non sufficiunt, recurrendum ad *Opium*, *Confectionesque Opiatas*, inter quas meritò præfertur *Discordium Fracastorii* (maximè quando aucta est ipso quantitas Opii, quemadmodum factum Amstelodami) quoniam plura illud Electuarium ingrediuntur, quæ vi pollent sanguinem incrassandi, atque ipsum fluidiorem corrigendi.

CLIX. Si cui tamen minùs gratus sit ejus sapor, ejus loco usurpari poterunt Mixturæ gratiores, adstringentes tamen, atque illis addi Opium Laudanumve Opiatum.

CLX. Sic Syrupus Myrtinus, de Portulaca Plantaginis & similes commodè diluuntur Aqua Plantaginis & similibus, additis cum tantillo Aceti stillatitii Corallis, Sanguine Draconis, Lapide Hæmatite, &c. unà cum aliquot Laudani Opiati granis.

CLXI. Horum igitur ope promoveri excitarique poterit somnus admodum in hoc casu utilis.

CLXII. Idem promoveri potest objectis gratis, non tamen valdè attentionem Animæ cogentibus, talia sunt *murmura Aquarum*, naturaliter vel artificiosè cadentium, atque confusum sonum edentium, &c.

6. Cavendo ne consueta Bilis evacuationes supprimantur. Unde tadē educenda. Et quibus.

CLXIII. Cavendum 6. ne *consuetæ Bilis Evacuationes supprimantur*, maneantve instantibus menstruis suppressæ, ac idcircò ante illud tempus Bilis educetur, & imprimis *Rhabarbaro* in substantia sumpto, quo ejus vis adstringendi ex parte saltem conducat simul Mensium fluxui nimio coercendo.

CLXIV. Conducent quoque Bili tunc evacuandæ *Tamarindi*, quoniam ipsam præterea sua aciditate temperant, quin sanguinem ipsum crassiorem præstant.

Sanguis tenuior Diæta incrassandus.

CLXV. Atque hæc faciunt ad præcautionem Mensium nimia copia propter sanguinem fluidiorem erumpere solitorum. *Sanguis* autem ipse *solito tenuior ac fluidior memorata & commendata Diæta sensim incrassabitur & corrigetur*.

Ut & medicamentis.

CLXVI. In eundem finem usurpabuntur insuper Medicamenta idem potentiùs ac efficaciùs absolventia, qualia sunt omnia *Austera & Acerba*, vulgò inter Adstringentia numerata.

Et quibus.

CLXVII. Talia sunt plerorumque fructuum immaturorum *Succi expressi aut inspissati*, *Omphacium*, *Acacia*, &c. quæ quantitate parva, sæpiùsque usurpata sanguinem paulatim incrassant, & inspissant; suntque cæteris præferenda.

Multa in Sanguine aqua evacuāda Hydragogis.

CLXVIII. Quòd si *multa in sanguine* notetur *Aqua*, *multum serum salsum*, à quibus nimiùm diluatur Sanguis, *Evacuatione per Hydragoga* minui possunt ac debent aliquot ante Menstruorum fluxum diebus, ne, si his instantibus id tentetur, noxam inde patiantur ægræ, quin ea ratione citiùs commoveantur ipsa Menstrua, & non tantùm non minuantur, quin potiùs augeantur.

Uteri constitutio laxior quicaretur.

CLXIX. Quòd si *Fluxus Menstruorum Nimius* debeatur *Uteri Constitutioni Laxiori*, danda erit sedula opera, ut *Causæ Externæ nocentes vitentur*, atque *Noxa in utero reperta*, *Laxitasque nimia Corrigatur*.

Cavendo ab Aqueis & Fructibus Horariis.

CLXX. *Cavendum* Ergò imprimis ab Usu, vel Abusu potiùs omnium *Aqueorum*, & *Fructuum horariorum* nimia copia assumendorum, & imprimis mensibus instantibus: quo tempore diximus periculosiùs talia usurpari.

Ut & à Balneo & Fotibus.

CLXXI. Cavendum à *Balneo Aquæ dulcis*, & *Fotibus similibus*, cæterisque emollientibus dictis.

Usurpanda Aromatica Adstringētia.

CLXXII. Usurpanda è contrà cùm *Alimentis Condimenta*, *tum Aromatica*, tum *blande Austera & Adstringentia*, sed grata, ut in eorum usu perseverare possint Ægræ.

Ut & suffitus. Et fomenta quædam. Quæ ea quibus parentur.

CLXXIII. Usurpari quoque possunt extrinsecùs *Suffitus* blandè adstringentes, quos præfero *Fomentis*; quæ tamen cum *Vino rubello & adstringente* si parentur ex *Plantis adstringentibus*, non incommodè usurpari quoque possunt; sed aliquot diebus ante ac post Menstruorum fluxum; Talia sunt Rad. Bistortæ, Tormentillæ, Caryophyllatæ, Plantagin. Pentaphyll. &c. Herb. Polygoni, Plantaginis, Bellidis, Equiseti; Fol. Quercus, Myrti, Sorbi, Mespili, &c. Fl. Ros. Rub. Balaustior. &c. Baccæ Myrti, Gallæ, Cort. Granat. Nuc. Cupress. Terræ sigillatæ omnes, Alumen rupeum, &c.

CLXXIV. *Suffitus* parari possunt ex Mastiche, Thure, Rosis Rubris, &c.

Medicamenta leniter adstringentia etiam conferre.

CLXXV. Conferunt similiter internè *Medicamenta leniter adstringentia*; & quidem quantitate parva, & vicibus repetitis usurpata; ne nimirum noceant potiùs, quàm prosint, si unà vice assumantur quantitate notabili: quod imprimis notandum in alterantibus potentioribus, qualia sunt adstringentia, quæ facilè Vasa exigua constringunt & claudunt, si majore usurpentur quantitate. Est igitur hic quoque modus in rebus; sunt certi denique fines, quos ultrà citràque nequit consistere rectum.

Eorū Usus.

CLXXVI. Quòd si quantitate minore ac sæpiùs assumantur Medicamenta: blandè adstringentia, tota sanguinis massa reddetur paulatim crassior firmiorque, ipseque adeò *Uterus consistentiam acquiret firmiorem ac densiorem*.

Et Forma.

CLXXVII. Possunt autem ista Medicamenta diversa adhiberi *forma*, nunc pulveris, nunc pilularum, nunc conditi, nunc misturæ, vel alia quavis Ægræ commodiore & acceptiore, quò aliquandiu perseverare possit in Medicamentorum usu. Quocirca operæ pretium est mutari quoque subinde formam medicamenti.

Excrementum in Sāguine Aqueum, à quo Laxus factus est Uterus, Evacuandū. Imprimis per sudores.

CLXXVIII. Quoties autem *Sanguinis Massa Universa redundat Excremento Aqueo, à quo Laxior est quoque factus Uterus*, eo paulatim liberari debet, iteratis sæpiùs ejusdem *Evacuationibus* tum per *Alvum*, tum imprimis per *Sudores*, aut *Urinas*.

CLXXIX. Dico *imprimis per sudores*, quoniam Evacuatio omnis per Alvum corpus magis turbat, debilitatque, quàm Evacuatio per Sudores, imprimis quando *Aqua* est Evacuanda, quippe quæ *sponte Alvum petere non solet*, *ast Renes*; ac proinde faciliùs per Cutis quoque poros effertur.

Humores quilibet quibus viis commodissimè evacuatur.

CLXXX. Sicut enim *Bilis* nulla via *evacuatur* commodiùs, quàm per *Alvum & Vomitum*, non item per Urinas, vel Sudores; ita *Humores Aquei* commodissimè expelluntur per *Urinas & Sudores*, non item per Vomitum vel Alvum. *Humores autem Pituitosi & Acidi utraque via* gemina tum per *Alvum & Vomitum*, tum *per Urinas & Sudores* videntur commodè posse ejici.

Quod notādum.

CLXXXI. Quod imprimis notandum à Medicis Junioribus, quò viam Ægris commodiorem eligere possint semper, quoties humor aliquis noxius venit evacuandus.

Cur Bilis per Alvum & Vomitū commodius evacuetur.

CLXXXII. Quòd si quis mei dicti rationes scire aveat, sequentes dabo: & 1. quidem *Bilem* idcircò & commodiùs, & faciliùs, & feliciùs per Alvum & Vomitum educi, non item per Urinas & Sudores, quia *ipsa pura effunditur*,

tur,

tur, ac pervenit tantùm ad tenue Intestinum non item ad Cor & Sanguinem Universum: unde facilè tum ad Ventriculum sursum, tum ad crassum intestinum deorsum propelli potest ac proinde evacuari.

CLXXXIII. Eadem Bilis autem, quantum Ego saltem conjicere possum aut concludere, quatenus Sanguinis Massæ est mista, unde secerni debet, ut per Sudores Urinasque excernatur acè corpore expellatur, penitiùs illi adhæret, nec pura potest ampliùs ab illa massa sejungi.

Cur Humores Aquosi commodiùs per Urinas & Sudores evacuentur

CLXXXIV. Quoad *Humores Aquosos*, quemadmodum prædictę sanguinis Massæ laxè confusi potiùs sunt, quàm intimè permisti; ita facilè ab eadem possunt separari, ut tam per Urinas, quàm Sudores expellantur è corpore: Quoniam verò secundùm Naturam superabundans in Sanguine Aqua excerni solet cum Urina, non item per Alvum, mirum non est, si quoque artificiosè faciliùs expellatur eadem unà cum Urinis aut Sudoribus, quàm per Alvum vel Vomitum.

Sic & Succus Pancreaticus, et Saliva,

CLXXXV. Quamvis enim *Succus Pancreaticus, ut & Saliva* consistentiam inde nancisci possint fluidiorem, atque sic quoque augere liquiditatem Humorum ad Intestina confluentium, *rariùs tamen hac ratione & via notabilis contingit Aquosæ Sanguinis partis Evacuatio per Alvum spontanea, sæpiùs autem per Urinas et Sudores.*

CLXXXVI. Sic quoque *commodiùs et faciliùs instituitur ejusdem Aquæ Evacuatio Artificialis per Sudores, Urinasve, quàm per Alvum Vomitumve.*

Pituita tenuior tam per Alvum & Vomitū quàm per Urinas & Sudores evacuatur; Ut & Viscosior.

CLXXXVII. *Pituita* verò *tenuior*, ex *Saliva* nimirum ortum habens, non tantùm facilè potest tum per Alvum, tum per Vomitum educi, sed insuper quoque per Urinas & sudores, quia non ita difficulter à reliqua Sanguinis massa secerni potest.

CLXXXVIII. Quæ autem *viscosior*, & *glutinosior*, illa nulla via educi potest commodè, nisi satis fuerit incisa & attenuata; unde licet tunc copiosiùs educi queat per Alvum aut Vomitum, non incommodè tamen educi potest quoque per vias Urinæ, ac Sudoris; qui tunc prodire solet magis crassus & glutinosus; certo argumento vias ista non ineptas esse Humori etiam viscoso expellendo.

Atque etiam Succus Acidus,

CLXXXIX. Denique *Succus Acidus* quemadmodum sui temperationem ac correctionem desiderat priùs, quam ulla eiiciatur via, ita tunc commodissimè potest excerni per *Alvum et Vomitum*, quatenus in succo Pancreatico abundans viam hic reperit brevissimam; sed potest non minùs commodè idem expelli per *Urinas et Sudores* quoniam quæ ipsum facillimè ac citissimè corrigunt temperantque Salia Volatilia, eundem ad urinæ, Sudorisque vias simul deducunt; cùm sint omnia & Diuretica, & Sudorifera.

CXC. Atque hæ sunt rationes potissimæ quæ mihi hæc in chartam conjicienti venerunt in mentem, ac persuaserunt ea, quæ de Variorum Humorum per varias vias eductione faciliore aut difficiliore protuli.

CXCI. Ut proinde, quod cœpimus dicere, concludamus. Quoties *à redundante in Sanguinis Massa Humore Aqueo Uteri substantia Cavernosa reddita est laxior*, ideòque *ad nimium Mensium Fluxum pronior*, toties *Aqua illa sensim separanda est à Sanguine, ac educenda è corpore, ac inprimis per Sudores & Urinas.*

Quanam Sudorifera hic conducant.

CXCII. In hunc finem autem non conducunt tantùm *Medicamenta internè* assumpta & *Sudores moventia*, sed *omnia externè usurpanda* & itidem *sudorem* blandè ita elicientia, ut Aquam in corpore augeant minimè.

CXCIII. Inter *Interna* laudo præsertim ea *Medicamenta*, quæ comperta sunt non tantùm *sudorem movere*, at insuper *blandè adstringere*; qualia sunt pleraque Ligna, & Radices, aut in substantia, aut in Decocto sudorem promoventia; uti sunt Guajacum, Quercus, Sassafras, Buxus, Juniperus, &c. Lign. Colubrinum Rad. Imperatoriæ, Tormentillæ, Pentaphylli, Bardanæ, Pimpinellæ, Chinæ, Sarsæpatillæ, Zedoariæ, Angelicæ, &c. Huc spectant Terræ sigillatæ & Argillaceæ omnes.

CXCIV. Inter *externa* convenit præsertim *Laconicum & Stupha sicca*, *minùs Aquæ Dulcis Balneum*, nisi Plantæ tum Aromaticæ, tum blandè Adstringentes eidem incoquantur. *Externa,*

CXCV. Hisce autem remediis sæpiùs, & blandè usurpatis non tantùm excitabitur egregiè Sudor Aquas minuens, sed insuper recreans & roborans fœminas multa humiditate Aquea pressas & oppressas, *Uterumque laxiorem* ideò habentes.

CXCVI. Quartam Menstrui Fluxus læsi speciem diximus esse, quando is *haud semel in Mense contingit, verùm aut frequentiùs, citiùs saltem aut rariùs, tardiùsve accidit*. Nam quibusdam, & quidem cum sanitatis suæ detrimento evenit Fluxus hic nunc *bis*, nunc *ter quovis mense* aut *redit septimana*, quin aliquibus *fere adest perpetuò*, ut vix uno, alterove cesset die, aliis contra *quinta sextave* demum redit *septimana*, vel *post secundum, tertiumve* tantùm *mensem*. *Menstruus fluxus frequentior, aut rarior.*

CXCVII. Quæ species sibi oppositæ quamvis possent commodè tanquam diversæ seorsim tractari, libuit tamen illas simul conjungere.

CXCVIII. Notandum autem, quibusdam fœminis absque sanitatis detrimento redire hunc fluxum quavis tertia, vel quinta demum septimana; qui tunc minimè habendus pro præternaturali, quoniam parùm desciscit ab ordinario termino, qui aliquam solet habere latitudinem; ubi autem *post secundam, sextamque redit septimanam*, omnino pro præternaturali videtur habendus, quamvis nullum notabile afferret ipsis fœminis incommodum; affert tamen semper forsan aliquod unde illæ quidem ferè *imbecilliores* observantur, hæ *magis anxiæ*. *Quando non habendus pro præternaturali* *Quando habendus pro tali.*

CXCIX. Non potest enim *jactura sanguinis tàm frequens* non *minuere* fœminarum *vires* uti *tàm diu circa uterum vel universum stagnans sanguis superfluus* non aliquam concipere *corruptionem*, utut exiguam, semper tamen *noxiam* & molestias parientem. *Et quare.*

CC. Ubi autem *quovis octiduo*, aut *ferè continuè* fluunt menstrua, tunc tam solet *manifesta esse ipsorum noxa*, ut nullum de præternaturali fluxu sit dubium, ut quoque, quoties *post secundum, tertiumve recurrit mensem, anxietates graviores* idem evincunt, accedente ferè *Cachexia leviore, gravioreve*.

CCI. Horum autem Vitiorum *Causas* ut paucis proponamus, *sæpiùs redire* videtur *Menstruus Sanguinis Fluxus* imprimis *Uteri laxioris* culpa subinde *Sanguinis* quoque *Acriores & nimis serosi vitio*. *Horum Vitiorum Causæ & curatio.*

CCII. *Laxior enim Uterus*, quemadmodum copioso Sanguinis fluxui dare potest ansam, sicut docuimus in superioribus, ita fit *facilè iterum patulus*, ac proinde Fluxus menstrui frequentioris Causa erit. *Et quidem frequentioris fluxus causa. Laxior Uterus*

CCIII. Quæcunque proinde diximus jam de *Uteri Laxioris Causis & Curatione*, huc transferri poterunt: ne actum iterum agamus.

CCIV. Nec mirum, eandem hic agnosci Causam; cùm ferè concurrant quoque hi Fluxus diversi, *Copiosior ac Frequentior*; ac plerumque Mulieribus, quibus *frequentiùs* contingit *Fluxus Menstruus*, iisdem contingat simul *Copiosior*, quod magis nostram confirmat sententiam.

CCV. Sed potest quoque *Sanguis Acrior & nimis serosus Frequentiori Sanguinis Menstrui Effluxui* ansam præbere, quatenus faciliùs sibi parat *Et Sanguis Acrior et nimis serosus.*

rat

rat viam exitumque per Canales Uterinos.

CCVI. Quæcunque idcircò similiter de *Sanguinis Acrioris ac serosi Causis & curatione* diximus nuper, hic habebunt locum, nec opus erit eadem frustrà repetere.

CCVII. Atque hæc dicta sunto de Fluxu Menstruo naturali frequentiùs redeunte: nam non videtur operæ pretium frustrà desudare in ratione accurata Fluxus quavis, altera, tertiave septimana redeuntis determinanda; cùm hæc tantùm differant secundùm magis & minùs, concurrente utplurimum universi quoque corporis constitutione imbecilli, teneraque itidem tunc gradibus differente.

CCVIII. Hæc enim omnia in affectis personis ac individuis benè ac diligenter observata persuadebunt facilè omnibus veritatem unicè quærentibus ea, quæ modò diximus.

Fluxus Segnioris causa, & curatio.

CCIX. *Fluxus* contrà *segnius eveniens* penè contrarias agnoscit *Causa*, *Uteri* nempe *Constitutionem nimis arctam*, & *Sanguinis Consistentiam firmiorem*, *crassioremque*, ac *viscosam* quæ utraque Causa cùm agnoscat pro *Causa sui antecedente* omnia, quæ tum *Pituitam tenacem ac glutinosam*, tum *Humores austeros ac Melancholicos* in Corpore *producunt & augent*; deque illis cùm abundè actum sit in superioribus unà cum ipsorum *Curatione*; ulteriorem eorundem tractationem supervacaneam fore arbitramur.

Menstruus fluxus solito diutiùs breviùsve durans.

CCX. Quintam *Menstrui Fluxus* læsi speciem asseruimus esse, quando is *solito diutiùs*, *breviùsve durat*; ubi unà docuimus *tempus maximè naturale*, *ac consuetum* esse *dierum quatuor vel quinque*: à quo maximè *deficit* Fluxus, quando *uno duobusve* duntaxat perseverat diebus, idem autem tempus nimiùm *excedit*, quando *octo*, *decemve diebus* perdurat: unde ut plurimùm hic quidem *debilitatur* fœminæ, ibi verò *anguntur*.

Prioris causa.

CCXI. *Diutiùs solito perdurat* Fluxus Fœminarum Menstruus, aliquando propter *Sanguinis laudabilis abundantiam*, *viasve angustiores*, aliquando propter *sanguinis fluiditatem ac serositatem auctam viasque simul angustas*; & aliquando propter *viae Uteri patentiores*, *nec sat citò se denuò contrahentes & constringentes*, *Uterumque* adeò *Imbecilliorem*; aliquando propter *Animi affectum gravem*, *Iram* præsertim & aliquando *Terrorem* quoque; aliquando propter *Aeris æstum*, ac præsertim cum *Humiditate* conjunctum, aliquando propter *nimium Corporis Motum ac Defatigationem*, ut & *Vigilias simul ipsi copulatas*, quemadmodum fieri solet in ministerio ægris præstando, & nullam ministrantibus quietem aut somnum concedente; aliquando propter *Alimenta nimis Aromatica* vel *abusum Medicamentorum Menses potenter moventium*, &c. A tot Causis satis diversis observatur diutiùs protrahi Fluxus fœminarum menstruus.

1. Sanguis abundantior.

CCXII. Quoties autem 1. *Sanguis abundantior* existit in Corpore, atque *viæ modo medio se habent*, atque idcircò diutiùs durat Fluxus menstruus, nec tamen notabile sanitati detrimentum affert, *non habendus tum pro Fluxu præternaturali*, quamvis hactenus molestus sit fœminis: quem proinde patienter ipsas ferre oportet, cùm periculum sit, ne si mutari tentetur cum majori potius detrimento id fiat, quàm ægrarum commodo.

Qui curetur.

CCXIII. Nam vel *minuendus* erit *sanguis abundans* per ejus *missionem*; vel *viæ aperiendæ* sunt magis per *incidentia*, vel *emollientia*.

Quid faciat Sanguinis missio.

CCXIV. *Sanguinis* autem *missione* non rarò *sistitur instans fluxus*, si fiat in *brachio*, vel *nimiùm promovetur*, si fiat in *pede*.

Quid medicamenta incidentia.

CCXV. Sin per *incidentia* medicamenta tentetur *viarum apertio major*, periculum est, ne *Sanguis* reddatur simul *tenuior* & *fluidior*, *Menstruorumque fluxus nimius*.

Quid Emollientia.

CCXVI. Sin per *Emollientia* tentetur earundem *viarum apertio major*, periculum, ne simul *labefactetur Uteri robur*, & plura consequantur Incommoda priori mutando longè graviora.

CCXVII. Satius ergò est illam molestiam ferre patienter, quàm præter mutationis optatæ incertitudinem incorrere forsan in periculum evidens Affectuum gravissimorum.

2. Causa Viæ Uteri Angustæ.

CCXVIII Quoties 2. *Viæ Uteri sunt tàm angustæ*, ut segniùs per ipsas fluere possit *Sanguinis mediocriter tum in quantitate*, *tum in qualitate se habens*, Fluxusque menstruus diutiùs perseverans non tàm existit gravis & noxius, quàm *molestus*: *nec* tunc quoque videtur habendus pro *Præternaturali*, quapropter, uti modò dictum, hortandæ potiùs sunt ad justam patientiam, quàm multo labore incerti eventus in Affectus gravioris periculum conjiciendæ Mulieres.

Qui curetur.

CCXIX. Nam sive *Incidentibus*, *et Aperientibus* dictis, sive *Emollientibus* id tentetur medicamentis, periculum modò memoratum incurret Mulier: à quibus proinde suadeo cuivis Medicinam facienti ut abstineat, ne si morem infirmo ac sequiori sexui gerens successum habeat malum, imprudentiæ culpetur meritò.

3. Causa Sanguis fluidior & serosior cum viis angustioribus.

CCXX. Quoties 3. *Sanguis* existit *fluidior et serosior*, *concurrentibus simul viis angustioribus*; (aliàs enim per satis patentes vias efflueret sanguis abundantiùs ac proinde citiùsquoque, copia sui exsuperante;) toties Fluxus menstruus diutiùs perseverans *Curabitur* usurpando Medicamenta tum *Sanguinis consistentiam debitam restituentia*; tum *Vias lente*, *blandeque magis aperientia*.

Qui curetur.

Quænam Sanguinis consistentiam augeant.

CCXXI. *Sanguinis Consistentiam* sensim *augent* tum quæ *Humiditatem superfluam* in Sanguine *minuunt*, tum quæ *ipsum magis incrassant*.

Quænam ejus humiditatem minuant.

CCXXII. *Minuunt* in Sanguine *Humiditatem* superfluam *Hydragoga*, ut & *Sudorifera*, *Diureticaque*.

CCXXIII. Ejusdem insuper *proventum præveniunt Alimenta* solidiora, paucoque Potu diluta, imo parcus Potus; *Exercitia* corporis quotidiana, licet mediocria.

Quænam Sanguinem incrassent.

CCXXIV. *Sanguinem blandè incrassant* præ aliis omnibus commodissimè *subastrova* sæpius ac minore quantitate usurpata.

Quænam Vias Uteri blandè aperiant.

CCXXV. *Vias Uteri lente blandèque aperient*, conducentque in hoc casu *Externa*, potiùs, quàm *Interna*, quoniam interna omnia sanguinis fluiditatem facilè augerent, quæ hic peccat.

Externa.

CCXXVI. *Externa* verò erunt tum *Incidentia*, tum *Emollientia*; de quibus actum abundè in superioribus, commodè autem *jungentur* simul, & *fotus balneive forma* usurpabuntur.

CCXXVII. *Iungi* posse *Incidentia* cum *Emollientibus* dixi, quoniam pleraque Incidentia sunt simul Aromatica, ideòque Uterum roborantia quem quodammodò infirmant Emollientia: ne proinde dum affectus unus curatur, alius producatur, bonum est uti medicamentis, quæ nova præveniant mala.

Eorum Usus.

CCXXVIII Addidi *forma Fotu*, *Balneive* usurpari posse commodissimè laudata, conjunctaque cum Incidentibus Emolientia Medicamenta; quoniam intactis, illæsis saltem partibus ceteris rectà sic pergent ad Uterum, ipsiusque vias sensim aperient, & blandè.

Et tempus Utendi.

CCXXIX. *Tempus* illis utendi *commodissimum* est *antequam ingrediatur* Fœmina *Lectum*, quoniam excitatur facilè sudor levis tum à fotu, tum præsertim à Balneo, qui commodè potest tunc iterum abstergeri, totumque Corpus ab externo frigore nocituro muniri, quando lectum mox ingreditur, operimentisque ubique tegitur fœmina, cæterùm sana, quod non ita commodè absolvi potest ac perfici, quando illa vestibus induta per domum ambulat, vel modò à fotu, balneove sudans molestiam est inde habitura necessariò, quatenus partes inferiores omnes ac superiores quoque madentes omnia ferè munia, corporisque excercitia reddunt incommoda.

CCXXX.

4. Causa. Viæ Uteri patentiores, nec sat citò se claudentes.

CCXXX. Quoties 4. *Viæ Uteri patentiores, nec sat citò se iterum coarctantes* Causa sunt Menstrui Fluxus diutiùs permanentis; toties usurpanda sunt Medicamenta *sensim, blandeque Uterum* una cum Vasis suis *roborantia & adstringentia*, imprimis *Externa*; quæ quoniam sufficienter jam à me proposita sunt, non videntur iterum repetenda; quin potiùs pergendum ad Causas cæteras.

5. Causa Animi Affectus gravis Qui curetur.

CCXXXI. Quoties 5. *Animi Affectus gravis, Terror vel Ira* Menstrui Fluxus diuturnioris Causa existit, toties non tantùm *componendus ad priorem tranquillitatem Animus*, liberandusque idem omni agitatione ulteriorem; verùm insuper nunc *Sanguis Acrior & fluidior* factus *corrigendus*, nunc *Uterus valdè sic debilitatus denuò roborandus & firmandus*.

Animum ad tranquillitatem reducendo.

CCXXXII. *Animus ad Tranquillitatem* amissam *reducitur Rationibus efficacibus*, non tantùm pro animi Affectu diverso, verùm pro ejusdem Causa diversa, diversis ac diversimode adhibendis & applicandis.

CCXXXIII. Idem *Animus ab omni agitatione ulteriore*, magna saltem, *liberatur*, ipsum potenter contra quævis molesta & ingrata muniendo itidem rationibus potentibus & urgentibus.

Sanguinem acriorem factam temperando.

CCXXXIV. *Sanguis propter Iram* præsertim vehementior *Acrior, hinc & fluidior factus temperabitur* imprimis *Austeris*, sæpiùs & quantitate minore propinatis.

Uterum roborando.

CCXXXV. *Uterus* denique ex Animi Affectu gravi multùm infirmatus & laxatus roborabitur iterum laudatis non semel blandè ipsum *Adstringentibus* medicamentis, tum *Austeriusculis*, tum *Aromaticis* convenienter ac prudenter usurpatis, præcipuè simul mixtis.

6. Causa Aeris æstus cum Humiditate Curatur mutato Aere.

CCXXXVI. Quoties 6. *Aëris æstus magnus cum Humiditate conjunctis* Causa est Diuturnioris Menstrui Fluxus, toties, sicut uno duntaxat is durat tempore, ita fere sponte mutata constitutione Aeris desinit amplius urgere, atque *mutato* tunc quoque *Aere* corrigitur.

Quemodò ille emendetur.

CCXXXVII. *Mutetur Aer* sive is *emendetur Alterantibus*, sive transeat Ægra in *alium Aerem frigidiorem*, *Septentrioni obversum*, vel *in locum domus inferiorem*, adeoque *cellam* quoque: quod imprimis faciendum perdurante Æstatis tempore Æstu magno, intermediis pulviis, ac Ventis Meridionalis, una cum Occidentalibus magis æstuante, corporaque flaccidiora reddente.

Etiam medicamenta interna adhibenda & qualia.

CCXXXVIII. Unde propter Universi Corporis, ac Uteri præsertim robur fractuum commodum erit usurpare insuper *Interna quædam Medicamentu, subaustera, simulque Aromatica* qualia sunt Rosæ Rubræ, Cortices Granatorum, &c. quorum defectu misceri possunt diversa & haberi tamen similia Medicamenta.

Artem naturam aliquando imitari aliquando superare.

CCXXXIX. Eodem namque res redit, sive Natura, sive Ars nobis paret, qualia desideramus Medicamenta; quin Naturam imitatur, & superat quandoque Ars.

CCXL. Imitatur, quando talia conficit qualia sponte nobis promit Natura.

CCXLI. Superat eandem, quando etiam talia præparat, qualia nobis non exhibet Natura; quin exaltat etiam, & ad gradum excellentiorem deducit, quæ Natura nunquam, vel raró perficit & absolvit: quæ imprimis norunt Chymici, & in quibusdam observant etiam Plebeii: Nam quotidie accidit, ut Fructus multi sponte ad nullum perveniant in Regionibus: ad Polum alterutrum declinantibus maturitatem, quam didicerunt quidem Arte præstare.

Quod Chymici optimè ostendunt.

CCXLII. Sed ista omnia modo, magis mirabili absolvunt Chymici, tam in Medicamentorum variorum, quàm rerum Metallicarum mutatione artificiosa.

CCXLIII. Possunt ergò, quoties Natura non dat nobis Medicamenta diversorum effectum, in curandis Ægris desideratorum, Arte parari ex diversorum conjunctione ac elaboratione artificiali.

7. Causa Motus corporis nimius cum vigiliis. Qui curetur

CCLIV. Quoties 7. *Motus Corporis multus, imò nimis, cum defatigatione ac vigiliis copulatus* diuturnioris Mensium Fluxus existit Causa, toties Curabitur idem, non tantùm *quiete subsequente*, ast insuper *Partium omnium*, ac *præsertim Uteri*, ut & *Animalium Spirituum recreatione*, *atque somno blande* muto.

Nempe Quiete.

CCXLV. *Quies* imperanda & observanda, parumque admodùm movendum Corpus; cum observatum sit sæpiùs, ad minimum corporis motum renovari Fluxum menstruum.

Partiùm recreatione.

CCXLVI. *Recreabuntur Partes corporis omnes, Artusque* imprimis *Aromaticis* sæpiùs parvaque quantitate usurpatis.

CCXLVII. Ad *Uterum recreandum roborandumque Aromaticis* addenda erunt blande *Adstringentia & subaustera* non semel à nobis nominata & laudata, itidem interpolatis temporibus quantitate parva adhibenda.

Ut & Animalium Spirituum.

CCXLVIII. *Animales Spiritus* recreabuntur ac reficientur *Spirituosis*, *Vino generoso*, inter prandendum, cœnandumque quantitate mediocri sumpto; ut & *Vinis Medicatis et Aromaticis*; & quandoque *Vini Spiritu* tum *simplici*, tum *Armoniaco*, sed aliis fracto, ne nimis potens sit, & noxam aliquam simul producat.

Somni conciliatione. Per Opium. parva quãtitate assumendum.

CCXLIX. *Somnus conciliabitur* blandus, tam *Emulsionibus* sæpiùs memoratis, quàm ipso etiam *Opio*, medicamentisque *Opiatis*; sæpissimè à nobis laudatis.

CCL. Ubi, quod non semel monuimus, danda est opera, ne nimia simul assumantur quantitate; ast minore, atque subinde iterata: sic enim nunquam nocebit Opiatum medicamentum.

8. Causa Usus nimius Medicamentorum menses promoventium, Qui curetur.

CCLI. Quoties 8. *à Condimentis*, *Medicamentisve Aromaticis*, *& mensibus promovendis convenientibus quantitate* nimia, vel quovis modo præposterè usurpatis Menstrua fluunt solito diutiùs, toties non tantum *ab ulteriore ipsorum abusu abstinendum est*, ast insuper usurpanda, quæ *sanguinem Acriorem* adeòque *fluidiorem* factum blandè *corrigant, temperent, ac incrassent*.

Et quibus.

CCLII. Id præstant præ aliis omnibus *Acerba et Austera*, sed blandiora, & subinde minore quantitate usurpata, & non semel in hujus Affectus Curatione à nobis laudata.

CCLIII. Hæc ipsa non tantùm Sanguinis fluiditatem nimiam tollunt, sed *Uterum* quoque *nimis patentem, biantemque blandè roborant, constringuntque*.

CCLIV. Quemadmodum autem priùs, ita hic quoque *Austeris* velim conjungi *Aromatica*, *sed minùs Acria*, *Nucem Moschatam* putà & similia, quò Austerorum vis magis temperetur, nec Sanguis coaguletur nimis, aut Uterus coarctetur præter modum.

Fluxus Menstrui brevius durantis curatio.

CCLV. Atque sic quoque Diuturnioris Menstrui Fluxus Curam paucis dedimus: proximum est, ut similiter ipsius *breviùs durantis Causas & Curationem* annectamus.

Ejus causa.

CCLVI. *Breviùs durantis, ac citiùs desinentis Menstrui fluxus Causa nunc in Corpore sita est, ac permanet*; nunc *res nonnaturalis est*, Fluxum menstruum in motu suo sistens.

Vel Præexistens in corpore.

CCLVII. *Præexistens in Corpore Fluxus* menstrui solito citiùs desinentis *Causa* tum in *Sanguine* quærenda, tum in *Uter, ejusque viis vel Vasis*.

Sanguis nempe glutinosior & Pituitosior.

CCLVIII. *Sanguis glutinosior & Pituitosior* Causa solet esse Fluxus menstrui citiùs desinentis: undecunque tandem habuerit ortum, cujus Causas antecedentes non semel proposuimus in superioribus, ex variis Diætæ vitiis deducendas.

Et Uteri vasa nimis angusta.

CCLIX. *Uteri Vasa*, quavis de Causa si existant nimis angusta, Menstrui fluxus citiùs desinentis Causa esse possint.

CCLX.

Vel res non-naturales. 1. Aer frigidus.

CCLX. *Inter Res Non naturales* subitò citiùsque desinentis Menstrui fluxus Causa esse potest, 1. *Aer frigidus* improvidè durante fluxu in Uterum admissus.

Aqua frigida.

CCLXI. Huc referri potest *Aqua frigida*, *pedes* saltem, ac subinde *Manus* tantum afficiens.

Frigus Pavimenti.

CCLXII. Huc quoque spectat *Frigus Pavimenti*, ac præsertim *lapidei*, *nudis pedibus* exceptum.

2. Animi motus vehemens.

CCLXIII. Inter *Res Non-naturales* Fluxum menstruum in motu suo sistit atque citiùs cessare facit non infrequenter 2. *Animi Motus* vehemens, ac præsertim *Terror inopinatus*, ut & *Tristitia* excedens, ac nonnumquam ipsa quoque Ira.

Ut ex eadem causa affectus diversi, sic à diversis causis idem effectus.

CCLXIV. Quamvis autem non sine causa mirum videri possit plerisque, ab una eademque Causa Effectus produci non tantùm diversos, sed etiam contrarios, id tamen indies fieri testatur quotidiana Experientia; licet non statim unicuique istius diversitatis pateat vera ratio, quippe quam unusquisque ex suis quærere ac deducere conatur præjudiciis, nunc veris, nunc falsis.

Philosophantium Vitium

CCLXV. Pueriliter namque sibi adulantur, quotquot sua, non probata, sed ficta duntaxat & gratis supposita vel assumpta pro veris haberi volunt præjudicia: quæ omnia deceret ab omnibus proponi candidè, unà cum eorundem fundamentis qualibuscunque, quò examini subjecto unusquisque liberè posset adhærere iis, quæ ipsi maximè videntur probabilia, & sanæ rationi consentanea. Nam nimis suffeni sunt, qui se solos, aut præ aliis omnibus sapere putant, existimantque sibi solis competere in constituendis Disciplinarum fundamentis Dictaturam, & ejus leges dandi aliis.

Cuique licere sua proponere, & aliorum rejicere placita.

CCLXVI. Quemadmodum unicuique integrum relinquimus suo modo & sapere, & desipere, hoc est, in quavis Disciplina ea supponere aut ponere fundamenta, & præjudicia, quæ ipsi vera vel maximè saltem vera videntur, licet subinde sint maximè falsa; ita cupimus idem jus nobis relinqui, ut nostro etiam vel sapiamus, vel desipiamus modo, cùm præsertim nil fundamenti loco supponamus, vel ponamus, quod aliorum examini ac censuræ non subjiciamus, existimantes interim æquè nobis esse integrum aliorum Censuras rejicere, quàm aliis nostra fundamenta repudiare, ac redarguere.

CCLXVII. Potest namque tam Censor alienorum Fundamentorum, & Ratiociniorum falli ac decipi, quàm qui Fundamenta quævis promittit aut supponit, & Ratiocinationes inde qualescunque deducit.

CCLXVIII. Ut proinde ad nostrum negotium revertamur, dabimus operam, ut secundùm nostra præjudicia, si fieri possit, propositum solvamus dubium, & difficultatem motam tollamus.

Ab iisdem animi affectibus promoveri, & sisti menstruum fluxum

CCLXIX. Docuimus ergò supra, ab *Ira vehementi*, ac *Terrore inopinato protrahi* nonnunquam, *potentiùsque moveri* fœminis *Menses*; quos nunc dicimus *sisti* nonnunquam *ab iisdem Animi Affectibus*.

CCLXX. Quæritur proinde, qui ab eadem Causa Effectus produci possit contrarius?

Quatenus ab Ira menses promoveantur.

CCLXXI. Docuimus autem porrò, ab *Ira* idcircò ampliùs & potentiùs cieri Menses, quatenus ab Ipsa tum potentiùs, tum copiosiùs in sanguinem commovetur, propelliturque Bilis, facta tunc simul Acrior; unde non mirum, si sanguis factus necessariò fluidior effluat per viam tunc apertam tum diutiùs, tum abundantiùs.

CCLXXII. An dicemus autem nunc ab eadem Bile propter Iram tum Acriore facta, tum copiosiùs ac vehementius in sanguinem mota coagulari sanguinem, viasve Uteri coarctari? Nil minus. Undè igitur, dicet aliquis, deduces ab Ira suppressum sæpenumerò confestim Fluxum menstruum?

Ira duplex.

CCLXXIII. Respondeo idcircò, distinguendum esse Iram ab Ira. Alia enim Ira dominatur cæteris Animi Affectibus ipsi copulatis, alia ipsis subjecta est.

Iram semper alios Affectus comitari.

CCLXXIV. *Nunquam enim sola hominis Animum afficit & occupat Ira*, sed *plures concurrunt semper Animi Affectus*; *Tristitia* nempe propter injuriam sibi aliisve factam: (sic enim judicat iratus, & secundùm illud, tanquam præjudicium, pergit in Animi sui Affectibus:) copulatur eidem semper *vindictæ Cupiditas*; circa quam difficultates non rarò occurrunt tot & tantæ, quibus superandis quoties se imparem judicat iratus, *Animi solicitudine*, hinc & *Tristitia nova*, & à præcedente multùm diversa urgetur & angitur valdè, quin nonnunquam ita conturbatur ut planè *deliret*, nec quò se vertat; aut vertere debeat, satis agnoscat.

Effectus Iræ & Tristitiæ.

CCLXXV. Quemadmodum autem Ira, quà Ira, Bilem commovet, Acrioremque facit, ita *Tristitia*, propter Adversarium nimis potentem aliasve difficultates concurrentes, ipsi copulata, (& imprimis quando ipsi accedit adhuc *Metus* aliique *Affectus simile* ipsam consequuntur) *Succum Pancreaticum commovet*, *Austeriorem facit*, & ita quidem, ut *Bili prædominans* non tantùm impediat dissolutionem sanguinis, sed producat ejusdem Coagulationem, quin *Uteri* æquè ac *partium plerarumque Coarctationem & Angustiam inexplicabilem*, quæ imprimis sub *Anxietatis nomine* observatur *circa præcordia*, sentiturque in *Pulsu contracto*, ac vix ampliùs observabili.

Quatenus ab Ira menses promoveantur aut sistantur.

CCLXXVI. Quoties igitur *cæteris Affectibus diversis* & diversam in Corpore nostro, Humoribusque nostris Mutationem producentibus, simul tamen concurrentibus *dominatur Ira*, toties ab illa redditur *Sanguis fluidior*, *promoveturque Fluxus menstrui motus*, *effluxusque*: quoties autem *iidem Affectus prævalent Iræ*, ipsamque cogunt, toties *contrarium eveniit*, *condensatur Sanguis*, *sistiturque ipsius motus ita*, ut idcircò quibusdam Mors acciderit subita.

CCLXXVII. Atque sic secundùm nostra Præjudicia explicuimus diversam, imò contrariam Menstruo Fluxui contigentem ab Ira mutationem; videamus, an idem possimus præstare ratione *inopinati Terroris* utramque mutationem itidem producentis.

Quomodo ab inopinato terrore menses sistantur.

CCLXXVIII. Hoc itaque ut fiat commodiùs, observandum *à Motu omni*, quà tali, *augeri in homine Effectus Acidi*, *sed Austeri*; unde sicut ab *Ira* propriè ac per se commovetur, Acriorque fit Bilis, ac consequenter solvitur, fluidiorque fit sanguis universus, & proinde Fluxus fœminarum Menstruus potentiùs, diutiùsque propellitur, ita à *Metu* propriè ac per se *commovetur*, *Acrior*, imò *Austerior redditur* in nobis *Succus Melancholicus*, *sive Pancreaticus*, à quo non tantùm *Anxietates*; *Compressionesque Cordis* & quandoque *Contorsiones mire angentes* producuntur *in ventre inferiore*, *verùm Pulsus* quoque *Contractus*, *Minor*, *Languidior*, *Rarior*, *tandemque* aliquando penè, *planéve nullus* sentitur, ut taceam *Motum totius corporis tremulum*, *inordinatum*, *ac imbecillum*, concurrente ut plurimùm *Sensuum* omnium tàm *Externorum*, quàm *Internorum mira confusione*.

CCLXXIX. Quoties autem hæc omnia accidunt, ac præsertim fœminis natura vel causa tristioribus, nemo mirabitur, opinor, *Fluxum Menstruum* ipsis tunc, si præsens fuerit, *mox sisti ac supprimi*: sed mirabitur forsan quivis, quoties *à Metu inopinato et gravi* audiet *auctum protractumque Fluxum eundem*.

CCLXXX. Quemadmodum ex jam dictis patet, Fluxum illum propriè ac *per se à Metu ac Terrore* inopinato & gravi facile *sisti*; ita dicendum, eundem ab ipso *per accidens augeri & protrahi*.

CCLXXXI.

Quomodo ab eodem provocantur.

CCLXXXI. *Per accidens*, hoc eft, ab *aliis Animi Affectibus*, aut *Rebus aliis concurrentibus*, atque noxam modò dictam & à Terrore inopinato excitandam fuperantibus, & impedientibus, quin contrariam producentibus.

CCLXXXII. *Animi Affectus* talem mutationem contrariam producere apti, funt *Ira vehemens* huic Terrori mox fuccedens, aut *inexpectatum*, *magnumque Gaudium* Terrorem illum mox excipiens, fuperansque.

Nempe si Ira terrori succedat.

CCLXXXIII. *Ira vehemens fuccedi* facilè magno Terrori, quando ille fuit excitatus ab homine vilioris notæ, ut noceat perterritæ, quæ illud agnofcens ac ægrè ferens excandefcat facilè ac vehementer, quin ita, ut fublato priore terrore, & Bilis potenter, & copiosè commoveatur, Acriorque facta feratus quaquaversùm, unde non tantùm corrigetur, emendabiturque Succus Pancreaticus in tenui Inteftino repertus, fed idem ad Sanguinem translatus; qui proinde fanguis folvetur iterum ab eadem continuò affluente, promovebiturque in fuo fluxu quaquaversùm, hinc etiam ad uterum.

CCLXXXIV. Hoc ergò dum fit, non tàm fiftetur, quàm promovebitur Menfium Effluxus.

Ut & gaudio.

CCLXXXV. Idem eveniet *à Gaudio, fed magno, & inopinato, ac prioris Terroris efficaciam & noxam tollent.* Si Ex. gr. Fœminæ fua menftrua patienti nuntium inexpectatum afferatur de fummo vitæ periculo mariti multùm amati naufragium patientis, vel à prædonibus oppreffi, nonne inopinatus magnufque ipfam corripiet Terror & folicitudo Succum Melancholicum, ficut dictum, commovens ac corrumpens?

CCLXXXVI. Hinc fœminæ ita perterritæ, anxiæque, fi Maritus pro mortuo rantùm non habitus derepente offeratur, fanufque ad ipfam veniat, nonne Gaudio fummo afficietur, atque inter mutuos amplexus Spiritus Animales major copia ferentur quaquaversùm, atque non tantùm Functiones omnes ab Animalibus Spiritibus pendentes atque in Terrore confufas, conturbatafque redintegrabunt, fed infuper Humores omnes, ac præfertim Aufteros, Acidofque tunc peccantes temperabunt, ipforumque adeò noxam emendabunt?

In Gaudio grandi quid accidat.

CCLXXXVII. Notum enim eft per experientiam quotidianam, in Gaudio, ac præfertim grandi quaquaversùm ferri Animales Spiritus copia notabili, omnefque Humores obfervari blandiores; quod vix poteft concipi factum, nifi ab iifdem Animalibus Spiritibus acria quævis temperandi vi præditis.

CCLXXXVIII. Sed dicet Aliquis, fi à Terrore per fe coaguletur, ineptiorque ad naturalem fuum motum fervandum reddatur fanguis; quid ni ufurpantur tunc potiùs Medicamenta coagulatum fanguinem folventia, quàm Venæ-fectio, nil tale præftans?

Sanguini à terrore coagulato conducere Medicamenta Aromatica, & Sale Volatili abundantia.

CCLXXXIX. Cui refpondeo; Bonum effe in tali cafu exhibere turbatis terrefactifque Medicamenta fanguinis coagulationem tollentia, impedientiave, qualia funt quævis Aromatica & fale volatili abundantia, quæ fi negligantur à quibufdam, in ufu tamen funt apud alios, rei Medicæ peritos; quin non ignota plebi, cùm foleant plerifque mox exhibere Hauftum liberalem Vini Generofi, alteriufve Potus fatis potentis, cujus ope infringitur vis Acidi & Aufteri, ac diluitur Sanguis ad coagulationem tendens.

Ut & Venæ-fectionem.

CCXC. Venæ-fectio tamen non culpanda, negligendave, cùm notum fit per experientiam, profuiffe ipfam plerifque, illis faltem, quibus mitti potuit fanguis.

Aliquando ex ea fanguinem nō prodire.

CCXCI. Neque novum perterfa tunc licet grandi etiam Vena nullum effluxiffe Sanguinem, nil proinde commodi accidiffe tunc ex aperta vena.

CCXCII. Unde non fine caufa quæret Artis ac *Deleboe Opera*. Veritatis Studiofus, quænam fit harum mutationum variarum ratio & caufa?

Venæ fectio quando profit, & qua ratione.

CCXCIII. Refpondeo igitur, Venæ-fectionem tunc tantùm prodeffe, quando fimul effluit Sanguis, qui à Terrore fummo plus minùfve folet coagulari, ac præfertim in Corde; unde fi aperta in tempore vena potenter trahatur ad partes externas fanguis, non tàm facilè, non tàm potenter, non tàm noxiè coagulabitur idem Sanguis.

CCXCIV. Non tam facilè coagulabitur, quia ejus eductione magis movetur reliquus.

CCXCV. Non tàm potenter, quia fuccus aufterus ipfum coagulans fimul trahitur ulteriùs, nec proinde in corde permanet.

CCXCVI. Non tàm noxiè coagulatur Sanguis, quia minùs in Corde hæret, ubi cum maxima hominis noxa coagulatur femper.

Ex coagulato in corde fanguine Vitæ periculū.

CCXCVII. Inde namque Vitæ periculum imminet, quoniam coagulatus potenter in Corde fanguis non poteft rarefieri commodè, fatifve, non poteft idem ex corde premi; non poteft ac cedenti locum facere. Unde fiftitur idem in Vena Cava utraque, fuffocaturque facilè non excitatus ampliùs Ignis vitalis.

CCXCVIII. Ubi autem fuccus, halitufve aufteriufculus ad Cor veniens unà cum fanguine trahitur inde foràs, quæ inde fit fanguinis coagulatio non exiftit in vitæ foco, Cordifque ventriculis, fed alibi; nec proinde tantùm urget vitæ periculum; quod imprimis cavendum & quamprimùm tollendum: neque Vita longas dare folet inducias: coagulatio verò fanguinis alibi exiftentis paulatim corrigi poteft, aut fponte, aut medicamentis convenientibus.

CCXCIX. Atque eo modo cenfeo nunc fifti, nunc ampliùs urgeri valdè perterritis Fluxum Menftruum.

Quomodo à Triftitia menfes fiftātur.

CCC. Quomodò *à Triftitia vehementi poffit Fluxus idem fifti & cohiberi*, facilè patet ex iis, quæ dixi de *Metu*.

CCCI. Cùm enim non minùs à *Triftitia*, & imprimis *gravis & valde angente*, quàm à Metu, reddatur *Succus Melancholicus Aufterior*, fanguinis coagulatio ipfam mox fequetur, ac ejufdem ad motum ineptitudo, adeòque tardior ipfius ad Uterum motus: adde quòd *à Triftitia omni*, ac præfertim *vehementi*, *anxiamque folicitudinem* conjunctam habente, *partes corporis omnes* obferventur *fegniùs moveri, & quafi conftrictè immobiles fieri*.

Pro ratione Affectuum eorum fymptomata.

CCCII. Prout enim Affectus quivis levior eft, graviorve, prout folitarius eft, aliofve Affectus conjunctos habet, ita leviora vel graviora producere folet fymptomata, Functionefque plures, pauciorefve graviùs vel leviùs labefactare.

Effectus noxius Affectus Animi unde cognofcatur.

CCCIII. Effectus verè noxius cujufvis Affectus Animi modum excedentis, aut per fe noxii, cognofcitur imprimis, quando ille Affectus exiftit vehementiffimus; tunc enim Functionum fingularum læfarum fpecies occurrunt manifeftiores, una cum cæteris fymptomatum fpeciebus, Qualitatibus puta corporis mutatis, Excretorum ac retentorum perperam vitiis.

CCCIV. Ab illo autem receffu grandi à ftatu naturali facilè concluditur noxa levior ab Animi Affectu leviore.

Quofnam effectus producat Triftitia vehemens.

CCCV. Ita quoque in noftro negotio Triftitia vehemens ac inopinatò accidens producit Effectus, Affectufque à me notatos manifeftiffimè: 1. *Motum* omnibus modis tardiorem ac fegniorem. 2. *Pulfum* Minorem, Languidiorem, Rariorem, 3. Omnes omninò *Excretiones folitas*, ipfumque adeo Fluxum Menftruum, fegniores, rarioresque. 4. *Pallorem* faciei totiufque corporis notabilem, ac fenfim ad flavedinem vergentem. 5. *Taciturnitatem* infolitam & fimilia plura.

Et quidem folitaria.

CCCVI. Hæc, inquam, obfervantur accidere à *Triftitia vehementi* qua tali, hoc eft, folitaria, & alios Affectus Animi graves comites non habente.

Y CCCVII.

Res ut rectè cognoscantur seorsim considerandæ.

CCCVII. Notandum enim, quoties alicujus rei, & hic Animi Affectus vim, operationem bonam vel malam examinamus, toties oportere nos Rem illam, & hic Animi Affectum seorsim ac solitarium considerare; quò vitetur confusio omnis, Notitiæ ac Scientiæ adversa.

Quid ex Tristitia efficacis corpori nostro contingat.

CCCVIII. Si Ergò illa sunt primaria Tristitiæ potentis ac vehementis Effecta, videndum porrò, quali modo affectæ tunc sint Corporis nostri Partes tàm Continentes, quàm præsertim Contentæ.

Qua ratione corpus in Animum & Anima in corpus agat.

CCCIX. Si quis enim observaverit, quantum fieri potest, accuratissimè & attentissimè omnia, quæ nobis ratione Mutationum reciprocè à Corpore Animæ, & ab Anima Corpori contingentium obveniunt, agnoscet tandem Mutationes illas accidere à Corpore continente Animæ, iterumque ab Anima Corpori continenti per intermedium Corpus contentum.

CCCX. Cùm autem Plura in nobis observentur Contenta, meritò quærat hic veritatis avidus, An singula proximè ac immediatè inserviant tum Animæ, tum Corpori Continenti ad communicandas sibi mutuò suas Affectiones? An quædam propiùs Animæ, alia propiùs Corpori Continenti accedere videantur, atque Affectiones istas reciprocas per manus quasi plurium ultrò citròque communicent nunc Animæ, nunc Corpori Continenti?

CCCXI. Utique arduum est hic aliquid solidi certique constituere, ac determinare; postquam hæc omnia non satis claré, distinctéque nostræ offeruntur Menti, cujus tamen est illud decidere.

Quænam in cognitione rerum requirantur.

CCCXII. Si consideremus 1. nil rerum sensilium, corporearumque Menti nostræ objici, ut cognoscatur, nisi per sensus externos 2. Sensus Externos nunquam fieri, nisi ad Ipsorum sensoria tendant Nervi Cerebri substantiæ medullari continuati. 3. Si liberi non sint Nervi, verùm compressi, constrictive, Sensum Externum itidem non perfici. 4. Ni Anima sensationi attenta sit, Sensum Externum itidem non fieri: patebit facilè, Cognitionem omnem Rerum sensilium hæc omnia desiderare.

A Mentis consideratione circa res factâ Affectus excitari.

CCCXIII. Si ampliùs consideremus 1. ad solam rerum externarum per sensus externos perceptarum considerationem ulteriorem à Mente factam excitari Affectus miros in nobis erga eadem Objecta, nunc Voluptatem, nunc Dolorem in Corpore producentia, & quidem nunc Amoris, nunc Odii, nunc Desiderii, nunc Aversionis, nunc Iræ, nunc Metus; mox & nostri ratione nunc Gaudii, nunc Mœroris, nunc Spei, nunc Desperationis, &c.

Secundùm Affectus varios corpus valdè moveri.

CCCXIV. Si consideremus 2. secundùm Affectuum istorum diversitatem tum Membra diversa, tum universum Corpus cieri ab Anima nostra diversimodè agitata Motu valdè diverso.

Motum animalem pendere ab Anima.

CCCXV. Si, inquam, hæc omnia ritè consideraverimus, concludemus, Motum istum Corporis Animalem, quandoque Voluntarium dictum, pendere ab Anima diversimodè affecta, & Corpori hactenus imperante.

Partes tam continentes, quàm contentas motibus variis agitari.

CCCXVI. Quibus jam porrò addimus, non tantùm *Parte* continentes motibus variis agitari, sed *Contentas* quoque *miras sæpe mutationes tunc subire*; quales sunt, de quibus agimus, *Menstruorum fluxus* quandoque *auctior*, *ac diuturnior*, quandoque *parcior*, *breviorve*, quin aliquando planè *suppressus*, aliquando *extra tempus ordinarium excitatus*: *Alvi profluvia* vel *constipatio*: *Vrinæ effluxus* non tantùm *involuntarius*, sed quandoque tantùm *copiosus*, aut *paucus*, vel *sublatus*: *Sudoris* eruptio inconsueta: *Sitis* inexhausta: *Animi Deliquium* varium, ipsaque subinde *Syncope*, *Vertigines*, *Caligines*, *Aurium Tinnitus*. *Apoplexia*, & nescio quid non.

CCCXVII. Hæc autem omnia *Partes Contentas spectare, aut ab ipsis pendere* satus notum.

In Mentis operatione multos deperdi Spiritus Animales.

CCCXVIII. Ut, quodmodò dixi, fiat clarius & magis evidens, velim omnes considerare, *in omni Mentis operatione attenta & imprimis anxia, solicitaque*, qualis semper concurrit *omni Animi Affectui gravi*, *non tantùm inordinatè moveri*, *sed consumi* quoque *ac deperdi multos Spiritus Animales*, æquè ac *in Motu corporis vehementi* ac diu continuato.

Duobus modis spiritus Animales Animæ inservire.

CCCXIX. Hinc *ex tali meditatione attenta* & imprimis solicita *sentitur quasi vacuitas & inanitas inexplicabilis in capite*, *adeòque ipso Cerebro*, quæ non nisi somno, quiete, ac Spirituosorum moderato usu tollitur, ac emendatur; *Serviunt scilicet Animales Spiritus Animæ tum in meditando*, *tum in Animali motu producendo*.

Ex Animalium Spirituum defectu quæ sequantur.

CCCXX. Quòd si *Animales Spiritus* consumantur, quoties Anima serio, solicitè, ac diu meditatur, vel affectibus agitatur, nonne *ipsorum defectus erit ubique*, non tantum in *sensoriis*, *& musculis*, sed alibi quoque, ubi eorum *usus est requisitus*? Nonne Ergò etiam in *Visceribus*, *Focisve*, *in quibus parantur Liquores varii Animalium Spirituum præsentia & admistione indigentes*?

In Bile, Liquore Glandularum & Pancreatis & Saliva.

CCCXXI. Nonne *Bilis* reddetur tunc *magis Acris*? Nonne *Liquor Glandularum* & imprimis *Pancreatis* prodibit Acrior *minùsque fluidius*, adeòque *crassior hinc & Austerior*? Nonne *Saliva fiet viscosior*?

CCCXXII. Illud necessariò futurum non concludit tantùm Ratio, sed confirmat, probatque ipsa Experientia.

Ut & Sanguine.

CCCXXXIII. Si ergò tum *Bilis*, tum *Glandularum Liquores* observantur non tantum propter *Animi Affectus graves*, verùm etiam propter *vigilias*, *continuasve Mentis Meditationes*, & imprimis *solicitas & anxias*, fieri *Acriores*, nonne consequentes *Mutationes* in Corpore ipsis debitæ? nonne *Sanguis* aliquando *fiet fluidior*, aliquando *spissior*, *densiorque*? nonne *movebitur idem* aliquando *potentiùs*, aliquando *debiliùs*? nonne *perseverabit* aliquando ejusdem *effluxus diutiùs*, *sisteturque* aliquando *citiùs*? quod hic quærimus.

3. Desinenti menstrui fluxus causa Alimenta vel Medicamenta.

CCCXXIV. Inter *Res Nonnaturales citiùs desinentis Menstrui Fluxus Causa*, præter *Aerem*, *Aquam*, & alia forinsecùs frigore suo partes Corporis externas afficientia, & *Animi Affectus* graves, poni potest 3. *Assumptum* quodvis, *Alimentum*, *Medicamentumve*, aut potiùs *Venenum* dicendum, Sanguinem quovis modo ad motum ineptum reddens: qualia sunt præsertim *Austera & Acerba* quævis *majore quantitate* usurpata.

Assumpta majori quantitate.

CCCXXV. Dico *majori quantitate*; postquam, licet aliqua minima etiam quantitate sumpta multùm noceant, alia tamen satis magna quantitate usurpari possunt, absque noxa notabili,

Et quare

CCCXXVI. Hujus autem diversitatis notabilis hæc mihi censetur ratio; quòd aliqua suam *Austeritatem* habeant quidem sensui externo *notabilem*, quamvis simul *fractam*, *nec Sanguinem valdè coagulantem*; alia eandem habeant itidem sensui externo notabilem, *non tamen fractum*, & idcircò *sanguini coagulando maxime aptam*.

Austerorum & Acidorum vim infringi à terra, & Oleo.

CCCXXVII. *Infringitur* imprimis, ut de *Sale lixivo nunc sileam*, *Austerorum æque atque Acidorum* vis tum à *Terra*, tum ab *Oleo*. Sic Terræ Argillaceæ omnes habent in se Spiritum Acidum, sed ab utroque fractum. Sic sulphur vulgare habet in se Acidum, sed ab Oleo fractum.

Austera sanguinem coagulare.

CCCXXVIII. Quæ autem Austeritas major observatur in Argilla ore contenta, & mansa, minor in Sulphure, eadem plus præstat ad coagulationem sanguinis: dantur tamen alia *Austera minùs fracta*, quæ *vim coagulandi Sanguinem habent majorem*.

Et quanam

... sublimatus

CCCXXIX. Inter hæc austera sunt *Fructus* varii, eorumque *succi expressi*, aut insuper *inspissati*, Pruna Sylvestria, Mespila, & similia: Omnia verò superat forsan *Mercurius sublimatus corrosivus* dictus,

dictus, cujus *mira est austeritas*, quæ imprimis apparet, si ejus quantitas minima solvatur Aqua, hujusque guttula una ore sumatur; vis enim ejus austera & abstringens ibi, quàm alibi, magis se manifestat.

Linguam commodissimè observare austeritatem.

CCCXXX. Ut enim hoc hic notem; *Nulla est in corpores nostro pars, quæ commodiùs, certiùsque observare possit austeritatem, quàm ipsa Lingua*: cujus rei hæc videtur ratio: quia *Lingua est spongiosa, ideòque comprimi ac constringi, quinimò constrictionem illam percipere aptissima*; quale quid frustra quæsiveris in ulla externa corporis parte, sensus externi cujusvis organo.

CCCXXXI. Quoties proinde *vim adstringendi ab austeritate pendentem, illi saltem conjunctam*, dignoscere volumus, objectum quodvis Linguæ applicamus, atque citiùs, tardiùsve vim quæsitum observamus, ac dijudicamus.

Austerum minùs fractiù potentiùs coagulat.

CCCXXXII. Ut autem ad propositum nostrùm revertamur, *Austerum omne minùs fractum potentiùs operabitur in Sanguinem, ipsumque coagulabit.*

Acida vim coagulandi majorem habere, si simul sint austera.

CCCXXXIII. Quamvis autem *omnia penè Acida vim* habeant *Coagalandi sanguinem*; habent tamen ipsam *potentiorem omnia* quæ simul sunt plus minùsve *Austera.*

Menstrua suppressionis causa adjuvantes.

CCCXXXIV. Quibus causis enumeratis si junguntur *Somnus* profundior ac longior, *Corporisque Torpor & Quies* segnis, promovebitur eo ipso *Effluxus Menstrui cessatio citior*: adeò ut hæ *Causæ* sint potiùs *adjuvantes, quàm Efficientes* hujus mali.

Curatio.

CCCXXXV. Postquàm verò hujus Affectus Causas primarias proposuimus, agendum remedia quoque ipsis assignemus, & Curam.

1. Si Sanguis sit Glutinosior, is emendandus, & quibus.

CCCXXX. Quoties igitur 1. *Sanguis universus Glutinosior ac Pituitosior* Causa erit Fluxus Menstrui citiùs desinentis, toties (habito priùs respectu ad Causas ejus antecedentes, quas omnes vitare, aut corrigere convenit) *paulatim emendandus* erit talis *Sanguis* tum per *Acida temperata*, tum præsertim per *Aromatica & sale volatili abundantia*: de quibus quoniam sæpiùs & abundè actum est à nobis in superioribus, hoc uno verbo attigisse sufficiat: dummodò iterum moneamus, mutationem talem paulatim peragendam, expectandamque, non vi; postquam omnis Mutatio subita est periculosa, ideòque sæpenumerò simul noxia.

2. Si Uteri Vasa sint nimis angusta, Usurpanda sunt Salia volatilia.

CCCXXXVII. Quoties 2. *Uteri Vasa & Ductus* quamcunque ac undecunque *nimiam patiuntur angustiam*, toties (habito similiter accurato respectu ad antecedentes Angustiæ cujusvis causas, quæ corrigendæ sunt aut removendę) Cura sequetur felix, abbibitis subindè tam *internè*, quàm *externè Salibus Volatilibus*, quippe quæ vim habent egregiam tum dissolvendi Sanguinem, Pituitamve in Vasis quibusvis hærentem, tum insuper promovendi Motum Sanguinis faciliorem, Rarefactionemque ipsius maximè naturalem.

3. Si Uterus sit frigefactus, Usurpanda salia Volatilia & aromatica.

CCCXXXVIII. Quoties 3. *Aer frigidus* imprudenter in Uterum admissus, vel *Aqua* quoque frigida immediatè, aut per medios pedes eò penetrans (quò *Pavimentorum lapideorum Frigus* singulare retulimus) Causa sunt Fluxus Menstrui solitò citiùs cessantis; toties *Cavebit* Fœmina in posterum à similibus Causis noxiis: ac præterea usurpabit diligenter ac continuè *Aromatica & salia Volatilia*, quippe quæ sola vim habent reparandi noxam Utero vel Sanguini hac de causa illatam.

Et sudor excitandus.

CCCXXXIX. Quòd si Corpus disponatur præterea *ad sudorem blandum* expellendum, promovebitur non parùm Cura cita, sicut notatum à Me in superioribus.

4. Si ab animi est affectus, is sedandus.

CCCXL. Quoties 4. *Animi Affectus*, Motusque vehemens, *Tristitia* nempe, aut *Terror Inopinatus*, *brave misti* Fluxus Menstrui solito citiùs cessantis Causa est, toties allaborandum est, ut quantocyùs *sedetur*, *tollaturve Animi Affectus noxius*, ac *in ejus locum excitetur alius dicto Fluxui reparando utilis*. Danda præterea opera est, ut *noxæ Corporis Humoribus introductæ* quamprimùm *emendentur*, quin *ulteriores noxæ præveniantur*.

Et noxa corpori illata removenda.

Animi Affectus sedantur rationibus.

CCCXLI. *Sedabitur*, *tolleturque Animi Affectus* noxius argumentis solidis, ac cujusvis Ingenio, Inclinationibus, Moribusque accommodatis.

Secundùm Ægri inclinationes. Hæ sunt duplices. Terrena.

CCCXLII. Nihil namque efficit, qui ad hæc non attendit, postquam singuli homines Inclinationes naturales habent diversas, secundùm has reguntur, diriguuturque imprimis Eorundem Animi, quin his vel illis Animi Affectibus moventur idcircò faciliùs, difficiliùs, citiùs, tardiùsve.

CCCXLIII. Inclinationes istæ sunt aut Terrenæ, aut Cœlestes.

CCCXLIV. Ex Terrenis præcipuæ sunt quæ spectant Voluntates, Opes; Honores: unde prout quis aut Voluptatibus, aut Opibus, aut Honoribus magis inhiat, ita his vel illis Animi Affectibus movetur citiùs potentiùsve, aut segniùs leviùsve.

Cœlestis.

CCCXLV. Inclinationes Cœlestes aut Deum spectant, aut Homines alios: Illa Pietas vocatur, hæc Charitas; sub Amoris nomine generali comprehensæ.

Diversis diversi agitantur.

CCCXLVI. Quemadmodum antem aliqui feruntur valde ad hæc aut illa bona, ita observantur alii, quibus hęc aut illa sunt parvi.

CCCXLVII. Unde occurrunt non tantùm, qui aut Voluptatibus his, vel illis, vel etiam omnibus, aut Opibus, aut Honoribus minimè sunt addicti, sed insuper qui nec Deum timent Impii, nec proximum diligunt, aut ulli bene volunt Misanthropi, homines crudeles ac ferrei, nulla commiseratione, nulla charitate in allos moti vel commoti.

CCCXLVIII. Prout, inquam, unviquisque diversis fertur inclinationibus, ita diversis modis & rationibus persuaderi potest ac debet ab superandos, vel moderandus saltem Animi Affectus graves noxam ipsi adferentes.

Affectus contrarios excitare arduum in iis, qui natura in eos inclinant.

CCCXLIX. Sed imprimis *arduum est ac difficile, Affectus contrarios in ipsis excitare*, quoties *natura inclinant in Affectus illos ex quibus gravioribus noxam notatam acceperunt.*

CCCL. Quemadmodum enim facilè sequimur consilia eorum, qui suadent nobis ea, quæ spontè optamus ac desideramus, ita difficulter auscultamus iis, qui Animum nostrum movere conantur ad ea, quæ naturaliter aversamur.

CCCLI. Exempli gratia Ebriosus homo facilè patietur se moveri ad inebriantem potum copiosiùs capiendum, difficulter ad Aquam puram insipidamque copiosè hauriendam.

CCCLII. Contrà Vir sobrius, Ebrietatemque detestans non patietur facilè sibi persuaderi ingurgitationem Potûs potentioris ac inebriantis, nec facilè, nisi deceptus, patietur se inebriari.

CCCLIII. Sic Fœmina iracundior, ut ad propositum nostrum accedamus propiùs, quoties irascendi occasio ipsi fuerit oblata, difficulter suadebitur ac persuadebitur, Animo patienti pacatoque ferre ac perferre injuriam sibi factam, non tantùm à persona se potentiore aut superiore, ast imprimis ab inferiore, ac se minùs potente.

CCCLIV. Sic Fœmina Mœrori addicta, quoties personæ aut rei charissimæ patitur jacturam, non poterit facilè persuaderi, ut jacturam istam, non dicam patienti tantùm, sed hilari quoque animo ferat, perferatque.

CCCLV. Facilè autem utraque movebitur tum spontè, tum aliis idem urgentibus, illa quidem ad Excandescentiam, Iramque excedentem, hæc verò ad Tristitiam extremam.

Artificio & prudentia ad id opus.

CCCLVI Artificio igitur & prudentia opus est, ad Homines quosvis, ac præsertim Fœminas, utpote in agendis rebus plerumque minùs exercitatas, ideoque infirmiores, contra quosvis Animi

Affectus graves & noxios obfirmandas; quin oportet eosdem placere atque pacare, ac imprimis cum contrariis & utilibus commutare.

Ad quæ præcepta generalia tantùm dantur.

CCCLVII. Hæc igitur præcepta in genere dari possunt, singulæ autem rationes in singulis speciebus pro Affectarum personarum, Affectuumque, atque Objectorum diversitate, variandæ ac Uniuscujusque prudentiæ sunt commendandæ; cùm infinita dici deberent, si secundùm circumstantias infinitas consilia diversissima essent hic proponenda.

Specialia Usus quotidianus suppeditat.

CCCLVIII. Sufficiat proinde nunc pauca in genere monuisse, postquam plurimùm facit exercitium, rerumque usus quotidianus: Tunc enim multa pro re nata, & Affectarum personarum Motionibus ac sermonibus, imò responsis mutari debent ac proponi, ut tandem obtineatur, quod maximè optatur.

5. Si sit ab assumptio austeris & acerbis, eorum Usus est vitandus & noxa tollenda.

CCCLIX. Quoties 5. Inter Res Nonnaturales *Assumpta* vitiosa, & imprimis *Austera vel Acerba* Mensium citiùs cessantium Causa sunt, toties non tantùm *vitandus* est ulterior ipsorum Usus, sed insuper usurpanda sunt diligenter ac prudenter, quæ tum *ipsa immutent ac emendent* in nobis, tum *ipsorum noxam & coagulationem, consistentiamve Sanguinis auctam tollant, minuantve.*

Quod præstant Aromatica & Salia Volatilia.

CCCLX. Utrumque hoc beneficium præstant quævis *Aromatica*, sed *Acriora*, & imprimis *Salia Volatilia*, sed *puriora & Acriora*: quod tum Ratio suadet, tum Experientia confirmat, probatque.

Quemadmodum id suadet ratio.

CCCLXI. *Ratio id suadet*; quoniam enim *Austera* sunt *difficilia mutatu*, nec facilè cedunt aliis, opus est, ut itidem adhibeantur ipsis corrigendis *medicamenta efficacia & potentia.*

CCCLXII. Cùm prætereà *ortum habeant Austera ex Acidis & Viscosis unà cum Terrea substantia* penitùs junctis & unitis, opus est, ut ad eorundem emendationem, ac correctionem adhibeantur medicamenta, quæ Acido aversentur, ipsùmque potenter mutare possint ac immutare.

CCCLXIII. Cùm prætereà notum sit, hoc præstari præcipuè ab Aromaticis & Sale Volatili; quorum efficacia semper frangitur ac diminuitur, quando ex admistione vel Spirituosorum, vel imprimis Oleosorum facta sunt ipsa blandiora: sequitur in hoc casu, prætereunda esse blandiora, minùsque efficacia, & usurpanda eorum loco puriora, adeòque minùs blanda, & proinde magis efficacia.

Et probat Experientia

CCCLXIV. Nec tantùm id suadet Ratio, sed, *probat, comprobatque ipsa Experientia*, quia constat, plurimùm hic præstare Salia Volatilia, sed puriora, minùsque fracta, Ex. gr. Spiritum Salis Armoniaci, Salem Urinæ, aut Cornu Cervi Volatilem, &c.

CCCLXV. Horum igitur ope tum paulatim corrigitur Austerum perperam usurpatum, tum Sanguis factus inde crassior minùsque fluidus iterum solvitur, redditurque fluidior, tum Fluxus Menstruus citiùs cessans restituitur sensim ad diutiùs fluendum, curaturque Affectus hic notatus.

6. Si adsit Somnus profundior, corporis torpor ac segnities, excitandæ sunt ad labores fœminæ.

CCCLXVI. Quoties 6. concurrit Causis prænominatis *Somnus protractus & profundior*, atque *Corporis torpor, ac quies segnis*, toties excitandæ sunt *ad labores subeundos, curasque sustinendas Fœminæ*, tum *natura*, tum *ex Affectu quovis somnolentæ aut pigræ.*

CCCLXVII. Occupationes proinde urgentes angentesque imperandæ aut quærendæ, imò quandoque fingendæ, quò & Anima & Corpus exerceantur, Spiritus Animales quaquaversùm propelantur, Sanguisque magis commoveatur, fiatque fluxilior & mobilior.

CCCLXVIII. Hac enim ratione cætera quoque usurpata effectum habebunt magis laudabilem, magisque potentem.

CCCLXIX. Atque sic quoque Curam Fluxus menstrui citiùs absolvimus.

Quando vitiosus prodit sanguis.

CCCLXX. Sextam Menstrui Fluxus læsi speciem diximus esse, quando *Consistentia, Colore, Odore, Calore, Acrimonia, vel aliter vitiosus prodit Sanguis; purulentus* nempe, aut in *sui generis Pituitam corruptus.*

Et quidem consistentia

CCCLXXI. *Consistentia* effluentis Sanguinis mutatur, quando idem *magis aut minùs existit fluidus.*

Ejus causa & curatio.

CCCLXXII. Utriusque *Causas & Curationem* quoniam dedimus in præcedentium specierum explicatione, ne actum agamus, rectà pergemus ad species cæteras.

Color.

CCCLXXIII. *Color Sanguinis Menstrui* mutatur quando idem nunc *atrior & nigricantior*, nunc *flavior*, nunc *pallidior* emanat.

Ater. Ejus causa.

CCCLXXIV. *Atrior* fit Sanguis omnis, adeoque menstruus quoque, *ab Humore Acido* ipsi copiosiùs admisto, sive idem simul *Austerus* fuerit, vel simul *Volatioior & Acrior.*

Et cura.

CCCLXXV. De quo *Humore Acido*, ejusque *Orta* & Correctione satis multa diximus, quæ non opus est hic repetere.

Color flavus. Ejus causa.

CCCLXXVI. *Flavior* redditur Sanguis menstruus à *sero simili copiosiùs ipsi admisto*: quemadmodum flavedo talis non raró in sanguine observatur missu per venam sectam.

Serum.

CCCLXXVII. *Sero* autem *Color flavus non tam accedit à Bile* ipsi admista, sicut vulgò creditur à plerisq, quàm à quibusdam partibus sanguinis post Effervescentiam vitiosam secedentibus & sero junctis.

Ejus flavedo non à Bile.

CCCLXXVIII. Dixi, non accedere Colorem illum à Bile; quoniam nullus illi conjunctus est Amaror, qui in Bile tantus & tam manifestus est.

Sed à partibus quibusdam Sanguinis.

CCCLXXIX. Addidi, Colorem illum deberi partibus quibusdam Sanguinis post, imò propter vitiosam Effervescentiam à reliqua massa secedentibus, atque sero junctis: quoniam flavedo talis in statu naturali non observatur, nec ab ullo admistorum cum Sanguine produci potest, postquam à Bile non pendet; adeò ut necessariò à vitiosa sit deducenda Effervescentia; cujus vi pleræque Sanguini contingunt mutationes notabiles.

His id evenire à sale. Chymia laus.

CCCLXXX. Evenit autem id, meo saltem judicio, ratione partis Salinæ exuperantis, atque idcircò serum Salsius præstantis.

CCCLXXXI. Quamvis autem omne serum sanguinis Salsum non sit semper simul magis flavum, ut nec flavum semper valdè Salsum: novimus tamen Tincturas similes vix elici unquam nisi à Salsis; quamvis temperari possit aliquando ab aliis concurrentibus illa Salsedo ita, ut postmodùm non percipiatur ampliùs: quod imprimis norunt, qui seduli & attenti fuerunt Mutationum Chymicarum Observatores; postquam sine ipsis arduum, imò impossiblle judicem, aliquid laudabilis præstare in penitiore naturalium rerum cognitione.

CCCLXXXII. Hæc namque sola est Ars, quæ ex professo inquirit in naturalium rerum principia, & affectiones, quas tum imitatur, tum aliquando in quibusdam superat, separando nempe ac conjungendo illa, quæ ita separata, vel conjuncta non præbet nobis Natura.

Colorem flavum non semper comitari calorem.

CCCLXXXIII. Notandum prætereà, *Colorem Flavum in Sanguinis sero* observatum *non semper aut sequi, aut comitem habere Calorem corporis manifestum*, sed nonnunquam *sine ipso existere*: Quocirca in causa ejusdem quærenda & assignanda meritò præterimus Caloris causas.

Color pallidus.

CCCLXXXIV. *Color menstrui sanguinis mutatur*, quando non tantùm *Atrior* aut *Flavior*, sed etiam quando effluit *Pallidior.*

A multo sero.

CCCLXXXV. Observatur autem hic, uti aliàs omnis *Sanguis pallescere* imprimis, quando *multo diluitur sero*, id est, existit *Aquosior.*

CCCLXXXVI,

Sanguis aquosus à multo potu.

CCCLXXXVI. *Aquosior* existere solet *Sanguis* tum *post multum potum diutinè sumptum*, *aut in Vusis subsistentem*, nec per urinas, sudoresve iterum excretum: tùm *post Hæmorrhagiam enormem*.

Et quare.

CCCLXXXVII. *Potus enim multùs si aliquandiu ingurgitetur, penitùs sanguini se jungit, nec satis commode, aut copiosè ab eodem secerni potest in Renibus*, atque posteà excerni per Urinas: unde paulatim fluidior, imò dilutior redditur sanguis, simulque pallidior.

CCCLXXXVII. Idem evenit aliquando à *Potu nimio intra dies paucos similiter vel propter sitim extremam in Febre ardente aliave de causa urgentem, vel propter Ebriositatem ingurgitute*, atque *in Vusis subsistente*, itidemque *Sanguinem diluente*; sic aliquando ab eodem Potu nimia copia ingurgitato, ac per lacteas venas obstructas, & ruptas erumpente gignitur Hydrops Ascites, aut in Corporis Habitu Anasarca.

Vel post hæmorrhagiam.
Et quare.

CCCLXXXIX. *Post hæmorrhagiam* qualemcunque, ad *grandem Aquosior* existit *Sunguis*, quoniam *Chylus* ex Alimentis, more, quantitateque solitis assumptis *non potest brevi tempore Sungainem multum generare*, quocirca ejusdem pars Aquosa, Serosaque Vasa evacuata & inanita replens minùs secernitur in Urinam; reliquumque sanguinem diminutum diluit proinde, ipsumque facit pallidiorem.

En copiosis alimentis Chylum non posse brevi multum sanguinem gignere.

CCCXC. Dixi ex Alimentis quantitate solita usurpatis prodeuntem Chylum non posse sanguinem multum brevi tempore gignere; quoniam *quantum indies conficitur Chyli, solet id servire Sunguini quotidie in Partium Continentiam, Contentarumque reparationem nuturaliter consumpto restituendo*; *non sufficit* autem *Sanguini copiosè ac præter naturam deperdito reparundo*.

Et quare.

CCCXCI. Quoniam igitur quæcunque in nobis serviunt Alimentis, tum in Ventriculo fermentandiùs, tum in tenui præsertim Intestino à fæcibus alvi secernendis, tum denique in Corde in Sanguinem mutandis, determinatam vim habent, ut plus ritè conficere non possint, quàm præterpropter indies confici solet; idcircò, quamvis majori sumerentur Alimenta copia, non conficeretur mox inde plus Sanguinis, laudabilis saltem, verùm propter Vasorum inanitatem prærerfluet Renes bona feri pars, quæ aliàs in Vasorum plenitudine eò pergeret continuè & urgeret sui secretionem, unde sequitur necessariò, ut qui tunc gignitur Sanguis, permaneat serosior, dilutior, ideoque pallidior.

Post Hæmorrhagiã menstruus fluxus si copiosus, fit pallidior.

CCCXCII. Quòd si post Narium, vel aliam Hæmorrhagiam notabilem sequatur Menstruus fluxus, vel idem fuerit semel aut sæpiùs copiosior, fit ut tandem observetur pallidior.

CCCXCIII. *Odor Sanguinis Menstruus* mutatur, quando is *fœtet*, sicut quibusdam id aliquando evenit.

Sanguinis Menstrui fœtor.

CCCXCIV. Arduum verò est *Causas fœtoris in Sanguine veras certasque* proponere, cùm vix unquam observetur talis, hoc est, fœtens, nisi quando ex Utero effunditur.

Ejus causa.

CCCXCV. Id quidem certum est, *Corrumpi Sangainem, at fœtat*. Quoniam verò quævis Corruptio fœtorem non habet conjunctum, quæritur meritò, *qualis Corruptio & unde orta fœtorem introducat in Sanguinem*.

Acidum & Salsum Sãguinem corrumpere sine fœtore.

CCCXCVI. *Acidum* certè *Sangaini* affusum, ipsum *coagulat* & *corrumpit*, at *sine fœtore*: *Salsum* quoque *linivum* Sanguinis consistentiam dissolvit & hactenus ipsum corrumpit, at itidem sine fœtore.

Odor omnis ab Oleosis et Pinguibus.

CCCXCVII. Quòd si quis ad difficultatem hanc solvendam consideraverit 1. *Odorem omnem pendere ab Oleosis & Pinguibus*, ideòque *fœtorem* quoque ab ipsis petendum.

Sanguinis mutationes Acido & Salso deberi

CCCXCVIII. Si idem consideraverit 2. *Mutationes primarias nostro Sanguini contingentes Acido & Salso lixivioso confluentibus & simul Effervescentibus deberi*: à quibus singulis docui modò Fœtorem nullum Sanguini conciliari.

Delebot Opera.

In Artificialibus quomodò fœtor producatur.

CCCXCIX. Si idem consideraverit 3. In *rebus Artificialibus manifestum fœtorem produci*, quoties *Oleosis Salse linivo dissolutis & junctis affunditur Liquor Acidus*: Exempli gratia Solutioni Sulphuris per lixivium factæ si affundatur Acetum, Vinum Acidiusculum, Spiritus Vitrioli, &c,

Ad fœtorem in Sanguine producendum quid opus,

CCCC. Si quis, inquam, hæc omnia consideraverit, suspicabitur fortassis, *ad fœtorem Sanguinis conciliundum* opus esse, ut *partes ejus Oleosæ intimiùs junctæ sint partibus Salinis, atque accedente parte Acida Effervescentia inde sequatur cum fœtore conjunctu* nisi omnia ista *artificalia colorem tunc nanciscerentur album*, dum *Sanguis ille fœtens prodit sæpenumerò ater*.

Fluor albus fœtidus & acris.

CCCCI. Observandum tamen, *Fluorem Uteri album* dictum (quem suo tempore docebo habere ortum à Sanguine ad Uterum delato, ibidemque corrupto) *plus minùs fœtidum*, *Acrem*, *quesæpiùs enistere*: unde in hoc quidem casu faveret magis argumentum ab experimento laudato desumptum.

In Sangaine menstruo nigricante unde fœtor.

CCCCII. Quoties autem *Sanguis menstruus fœtens nigricans*, nec albet, non videtur illud argumentum aliquid probare, aut urgere: nisi forsan dici queat, *Corrumpi quidem partem sanguinis aliquam quæ albescat, & Sungaini reliquo magis copiosè affluenti admista Colorem ipsius non planè mutet, fœtorem tamen suum ipsi communicet*.

CCCCIII. Sed instabit Veritatis Studiosus, *Erit saltem sanguis menstruus talis propter admistam partem sanguinis albicantem pallidior, non item acrior*; sicut fieri testatur Experientia.

CCCCIV. Cui respondeo, *Consequentiam* esse optimam & urgentem, nisi *alia forsan concurrat Causa, quæ sunguinem illum reddat nigricantem, sitque potentior sanguine corrupto & albicante*.

Nigror in Sunguine ab Acido.

CCCCV. Ex iis verò, quæ jam diximus; & quidem secundùm Experientiam multiplicem ac certam, liquet *ab Acido expectandum Colorem in sanguine nigricantiorem*.

Fœtor Sanguinis ab Acido in utero haerente.

CCCCVI. Quòd si *ad fœtorem Sanguini conciliandum desideretur* similiter *Acidum vitiosam in ipso excitans effervescentiam, cùm talis non sit Sangais universus, sed iste tantùm, qui tunc per Uterum effluit*: opus est ut *in Utero*, aut saltem *circa Uteram, ejusque Vasa* reperiatur illud *Acidum corrumpens*, ac quidem *cum fœtore Sanguinem per uterum proditurum*.

CCCCVII. Quòd si Acidum illud corrumpens sit *in Utero, corrumpentur ab ipso Sangais ad Uterum delatus*, & propter sinuosam ejus substantiam segniùs inde ad Cor refluens; qui *ibidem collectus admiscebitur Sanguini Menstruorum tempore copiosiùs allubenti ac elabenti, atque ipsi fœtorem suam conciliabit*.

Albor ab eodem.

CCCCVIII. *Ejusdem* autem nihil obstat, etiam *admisceri partem Acidi Humoris, à quo non tam albescet, quàm nigricabit Sangais* propter *copiam suam majorem Acido magis resistens*.

CCCCIX. Adde quòd videatur *in corruptione sanguis ab Acido nigredinem primùm, alborem posteà consequi*.

Horum probatio.

CCCCX. Hoc effatum meum comprobare videtur *Uterus Cancro præ aliis partibus omnibus, si Glandulas excipias, subjectus*; *Cancrum autem ab Acido* habere ortum, probant non tantùm *lancinationes* in ipsos graves, ast *cura* quoque facilis ac felix *per Salia Volatilia, cæteraque Acidum temperantia*.

Unde fœtor in sanguine

CCCCXI. Ut proinde tandem concludamus, non videtur Rationi aut Experientiæ contrarium, asserere; *Sanguini Menstruo Fœtorem conciliari ab Acido Humore in Uteri substantia hærente, atque Sunguinem ad ipsius nutritionem accedentem paulatim ex parte ita corrumpente, ut quamvis non abeat semper in Pus, abeat tamen in* Humorem albicantem & Pituitæ fœdæ haud absimi-

Unde menses albi. *Unde nigredo.*

similem, qui Mensium alborum nomine continuè ferè effluat, & imprimis cessante fluxu Menstruo sanguineo sentitur molestus, atque dicto *Sanguini menstruo junctus fœtorem ipsi conciliet*, dum aliquando *ab eodem Acido nigredo duntaxat ipsi confertur, non albedo*: quod evenit, quoniam *nec moram longam ibi nectit Menstruus Sanguis*, ut albedinem acquirat, *nec quantitate tanta ibi adest sanguis corruptus*, ut tantam subeat mutationem copiosior menstruus.

Unde Sanguis purulentus.

CCCCXII. Quoties namque Acidum illud quantitate adest tanta, ut manifestè corrumpat universum Sanguinem ad Uterum allabentem, toties solet ferè Purulentus ac multùm fœtidus prodire sanguis: quemadmodum non ita pridem habuimus in Nosocomio Academico Fœminam sex ac quinquaginta annos agentem, cui postquam usque ad ætatis annum quintum ac quinquagesimum (quod valdè rarum) fluxerant Menstrua singulis mensibus, deinde per annum fluxere continuè, & quidem tandem cum molestia & dolore, donec posteà cum insigni fœtore ac dolore vehementi prodierint purulenta; sicut audire potuerunt omnes ii, qui nobiscum ibidem inviserunt Ægrotantes.

Album & fœtentem fluxum esse in mulieribus tristioribus.

CCCCXIII. Notandum autem, tum *Alba dicta menstrua*, tum *fœtentem fluxum menstruum* observari *semper in mulieribus tristioribus*; in quibus cùm *Acidum noxium continuo* exuperet, an non hinc confirmari videtur sententia à nobis proposita, nimirum, Acidum illud noxium tendere quoque ad Uterum, ibidem hærere, atque Sanguinem allabentem, ac morantem imprimis corrumpere, atque tum mensibus albis nominatis, tum fluxui menstruo fœtenti ansam præbere?

CCCCXIV. Atque sic quoque Fœtoris molesti in menstruo Sanguine subinde observati Causas videmur nobis dedisse: nunc quo pacto, & cur ampliùs idem peccet, dispiciendum.

Sanguis menstruus peccans in calore molesto.

CCCCXV. Non tantùm verò observatur Sanguis menstruus peccare Consistentia mutata, Colore, aut Odore vitioso, sed aliquando etiam *Calore molesto*; adeò ut Fœminæ subinde ardore conquerantur summo, in partibus tam internis, quàm externis observabili.

Acrimoniam esse duplicem.

CCCCXVI. Quamvis autem *Acrimonia omnis sensum Caloris producere videatur in partibus sensilibus*; ex *curatione* tamen apparet, *diversam occurrere Acrimoniam*, & aliam quidem *cum calore conjunctam*, aliam verò *eodem destitutam*.

Acria duplicia.

CCCCXVII. Et postquam non tantùm duo innotuerunt nobis Acria, quæ in corpore quoque nostro reperiuntur, aliquando gravem ipsi noxam producentia, sed præterea ex illorum confluxu, propter alia ipsis conjuncta, Effervescentia observatur produci gemina, tum Calida, tum Frigida, non tantùm Sensui manifesta & ideò ab invicem distincta, sed diversis remediis cedens, atque sic quoque ab invicem differens: quæri potest meritò, qualis Calor molestus comitari soleat subinde Fluxum Menstruum, an qui ortum habeat ab Effervescentia calida duntaxat, an etiam à frigida? an verò ab alterutro Acri absque tali Effervescentia peccante.

Et Effervescentiam duplicem tum calidã tum frigidam. Calor in menstruo Sanguine an sit ab Effervescentia calida an frigida.

CCCCXVIII. Meritò fit quæstio hæc, postquam ipsa neglecta Curatio institueretur tantùm Empirica, non item Rationalis, & Dogmatica.

Quæstio hæc ritè determinanda. Ut curatio instituatur.

CCCCXIX. Institueretur, inquam, neglecta quæstione hac, ipsiusque dilucidatione ac determinatione, Curatio Empirica, temeraria, & non rarò perniciosa: Cùm enim à diversis Causis produci possit Calor ille, Curandus erit quoque pro Causæ diversitate diversimodè: Unde si Acre primario & maximè tunc peccans non agnoscatur, nec Curatio instituetur conveniens, quin sæpiùs noxia; vel casu saltem fiet, ut habeat successum laudabilem.

CCCCXX. Imprimis tunc peccant Medici præjudiciis suis mordicùs adhærentes, atque in semel à se conclusis, determinatisque, licet nil proficiant, quin potiùs ægris noceant, medicamentis præfractè persistentes; atque suæ omniscentiæ, judiciive solidi gloriolæ inani, quàm ægrorum suorum saluti magis addicti.

Ab utroque acri calor.

CCCCXXI. Quotquot autem didicerunt duplicia esse Acria, non tantùm diversa, sed quodammodò sibi contraria, eademque Caloris sensum semper habere conjunctum, inquirunt studiosè quodnam ipsorum peccet aut solùm, aut primariò saltem; quò illi aptiora opponantur remedia.

Utrumque iisdem temperari.

CCCCXXII. Quòd si quis arguat, me non semel docuisse, *Utrumque Acre posse ab iisdem leniri ac temperari medicamentis*, tum *spirituosis*, tum *oleosis*, tum *aqueis*; ac ideò parùm referre quodnam peccet acre, postquam eadem in utroque casu medicamenta sunt utilia,

At non æquè citò ac potenter.

CCCCXXIII. Respondebo, verum quidem esse, Utrumque acre temperari ab iisdem medicamentis; attamen non æquè citò ac potenter: postquam oleosa tum faciliùs, tum citiùs potentiùs temperant Salem lixivum, uti contrà Spirituosa Volatilia Spiritum Acidum.

Unde alterutrum pro re nata usurpandum.

CCCCXXIV. Adeò ut, quamvis utiliter adhibeantur semper omnia utrumque Acre temperantia, & imprimis, quando desunt signa, quæ satis demonstrent, utrum primariò, vel maximè tunc peccet; præstet tamen, quoties cognosci potest, utrum peccet, maximè usurpare ista medicamenta, quæ ipsi temperando conducunt precipuè: quod sicut cognoscitur aliquando ex signis & symptomatibus concurrentibus; sic concluditur quoque non infrequenter ex adhibiti medicamenti operatione diversa, hoc est, ex juvantibus vel nocentibus secundùm laudatissimum & aureum Practicorum axioma.

Calor Sanguinis menstrui ab acido humore.

CCCCXXV. Calor igitur à menstruo Sanguine in viis, per quas effunditur, productus, habet aliquando, & quidem sæpiùs ortum ab Acido humore in Utero existente, atque unà cum Sanguine prodeunte, sive *nullam*, sive *calidam instituat cum Ipso Effervescentiam*,

Qui aliquando nullam cum Sanguine instituat effervescentiam.

CCCCXXVI. Si *nullam* instituat cum Sanguine menstruo *Effervescentiam* Humor Acidus in Uteri substantia præter naturam repertus, Rosio potiùs molesta, quàm verus in partibus affectis sentietur Calor.

Aliquando calidam. Unde calor & rubor.

CCCCXXVII. Quòd si *calidam* cum Sanguine menstruo instituat idem Succus Acidus *Effervescentiam*, tunc Calor & Rubor etiam excitabitur, sæpiùs in partibus etiam externis.

CCCCXXVIII. Et utrumque observabitur, quando notabiliter Acidum illud vel solùm rodit vel simul urit; quoties autem Causa peccans est blandior vel magis fracta, toties minùs distinctè concludi poterit, qualiter peccet illud Acre.

CCCCXXIX. Existimo igitur, semper in Ardore fluxum menstruum comitante peccare Acidum, cui aliquando copulatur Sanguis magis vel minùs Biliosus, unde diversimodè solet tunc idem mutari ac sentiri Ardor.

Purulenta menstrua ab Apostemate.

CCCCXXX. Prodit quoque Vitiosus sanguis menstruus, quando *Purulentus existit*; quod evenit, quoties *Apostema in Utero* fuerit productum & apertum, è quo effluens pus Sanguini se jungit menstruo.

CCCCXXXI. Sequitur *Apostema Inflammationem*, atque hæc rariùs *Sanguinem* in *Vasis subsistentem*, sæpiùs eundem *extra sua Vasa effusum ac corruptum*.

CCCCXXXII. Sed de Inflammationis natura agendum alibi, & actum à nobis jam est lib. 1. cap. 40. quapropter plura de ipsa non addimus.

Vel ab excoriatione & exulceratione.

CCCCXXXIII. Non tamen opus semper, an præcedat Inflammatio ad puris excretionem, cùm sufficiat Excoriatio, aut Exulceratio ab humore, Acri & Acido præsertim producta, in qua in pus cor-

corrumpitur Sanguis ad partis affectæ nutritionem accedens.

CCCCXXXIV. Quoties igitur cum Sanguine menstruo effunditur pus, à quo Purulentus existit Sanguis, toties Uterum malè affectum, ritè concludimus, sive in ipso existat Exulceratio, quæ superficiaria, sive Ulcus, quod magis profundum.

Pus & Saniem gradu differre.

CCCCXXXV. Quod de Pure dictum, dicendum quoque de Sanie, quæ gradu tantùm differt à Pure, cum ex hoc diutiùs subsistente, ampliùsque corrupto habeat originem.

Et quomodo.

CCCCXXXVI. Nec novum, rem corruptam iterum, vel ampliùs corrumpi, & nova corruptione consistentiam & Acrimoniam novam acquirere: sanies namque fluidior est pure, acrior eodem, quin colore vario prædita, qui albus in pure: quod ubi desciscit ab albedine, in via est, ut degeneret in saniem, quæ multiplex observatur secundùm qualitates modò notatas.

Causa saniei ubinā quærenda.

CCCCXXXVII. Causa verò saniei variæ tum in saniei ipsius partibus variis, tum in sanguinis, aliorumve humorum ipsi admistorum partibus itidem variis, tum in majore aut minore ipsius mora quærenda inveniendaque, quæ omnia nimis operosum foret hic proponere: quapropter rectà pergemus ad Curationem affectionum enarratarum secundùm qualitates mutatas.

Curatio cōsistentia Sanguinis vitiata.

CCCCXXXVIII. *Consistentia Sanguinis ab Acido vel biliosa* imprimis ei majore quantitate admisto mutatæ Curationem quoniam dedimus in superioribus, illam hic præteribimus.

Ut & coloris atrioris.

CCCCXXXIX. Et quoniam *Colorem sanguinis menstrui atriorem* deduximus à memorato *Acido* copiosiùs ipsi addito, non difficulter ipsius Emendatio & Correctio petetur ex iis, quæ suprà diximus de Acidi temperatione, ac Correctione: dummodò haud negligatur distinctio *Acidi purioris & Acrioris, ab Austero magis composito* & minùs quidem Acri, at simul magis Acerbo & adstringente.

Quæ acidū acrius temperāt nocere si sit simul austerum.

CCCCXL. Quemadmodum enim in *Acidi Acrioris* correctione usurpari possunt quandoque *Sanguis draconis, Lapis hæmatites; Creta, & similia adstringentia terrea*, ita noxia sunt eadem, quoties *Acidum* peccans est simul *Austerum*.

Acidum Austerum quibus temperetur.

CCCCXLI. Docuimus proinde in superioribus, ad *Acidi Austeri correctionem* ac emendationem conducere imprimis *Salia Volatilia*, sed *puriora & minùs fracta vel Oleosa*.

CCCCXLII. Sic enim faciliùs & potentiùs penetrant in Austerum, & ipsum efficaciùs alterant, emendantque: quod frustra quis expectaverit ab illis *Terreis*, aut potiùs *mineralibus adstringentibus*, quæ *nil agunt, nisi forsan patiendo priùs, atque tunc demum reagendo in suum agens*,

Quando seriùs procedit agentium opus.

CCCCXLIII. Quòd si tum agens, tum patiens, tum alterans, tum alterandum, *sint obtusa, & ad actionem inchoandum minùs efficacia*, seriùs procedet ipsorum opus, nec nisi tardè poterit obtineri effectus desideratus.

Quidnam Ægris grave.

CCCCXLIV. Nil autem magis ægris grave, quàm frustrari aut procrastinari expectationem, differrique malorum suorum sublationem.

Quanā medicamenta optima.

CCCCXLV. Quærenda proinde, usurpandaque sunt medicamenta, quæ non tantùm tutò, sed etiam citò absolvant curam.

In Humoribus acribus quanā Medicamenta conducant.

CCCCXLVI. Quoties igitur *Humores* in corpore peccantes sunt *valdè acres ac efficaces*, toties *conducant* præ aliis *Medicamenta tam blanda, tum obtusa*, & in operando segnia, quò in ipsa dum agunt Humores noxii, nulla noxia excitetur effervescentia, sed blanda, lentaque ac nostræ Naturæ amica.

Quanam in humoribus obtusis.

CCCCXLVII. Quoties contrà *Humores* in corpore nostro peccantes sunt *inefficaces ac obtusi, austeri aut glutinosi*, totis usurpanda sunt *Medicamenta tum efficacia, tum potentia, non tamen violenta vehementiaque*.

Delebor Opera.

CCCCXLVIII. Usurpanda sunt, inquam, Medicamenta *efficacia, & potentia*, quæ superare possint quàm citissimè humores quovis modo rebelles, ac viscosos vel austeros, segniùsque mutabiles.

Violenta & vehementia medicamēta vitanda.

CCCCXLIX. Non sunt tamen usurpanda *Medicamenta violenta, vehementiave*; ne dum morandum est ipsis diutiùs in humorum peccantium emendatione, *noceant simul partibus, in quibus absolvenda est illa mutatio, ac emendatio*; Et ne præterea eadem Medicamenta *aliò quoque properantia corrumpant alicubi humores bonos & laudabiles*.

Tam alterantia, quàm purgantia.

CCCCL. Id non tantùm verum est, quoad Medicamenta *alterantia*, sed *purgantia* quoque; inter quæ licèt semper sint præferenda vehementibus blanda, id tamen imprimis debet habere locum, quando humores educendi *sunt acres* valdè, aut etiam *tenaces, austerive*.

In humoribus Acribus

CCCCLI. Quando ipsi *acres sint*, quoniam tunc facilè vehementissima & nocentissima produci possunt symptomata, si purgantia usurpentur vehementia, propter effervescentiam noxiam.

In Glutinosis vel Austeris.

CCCCLII. Quando peccantes humores *glutinosi* sunt, *austerive*, minimè quoque conducunt *vehementia purgantia*, quoniam turbantur, conturbanturque tunc omnia in corpore, parùm autem nihilve proficitur.

Qui præparationem desiderant.

CCCCLIII. Desiderant enim humores tales præviam præparationem, ac tunc quoque eductionem lentam, sæpiùsque iteratam.

Et quare.

CCCCLIV. Etenim non sunt sequaces, nec nisi paulatim, ac per partes, vicesque evacuari possunt; quapropter, si potentioribus ac vehementer purgationem moventibus medicamentis agitentur, præterquàm quòd rarò effectus sit bonus & laudabilis, utiles quoque humores afficiuntur, & corrumpuntur, educunturque; unde nil nisi noxa corpori accidit; quod semper cavendum.

CCCCLV. Quamvis enim aliquando eventus sit bonus, modus tamen procedendi semper malus est, quippe tum temerarius, tum periculi plenus.

Tyrones monendi ut à vehementibus caveant.

CCCCLVI. Quoniam igitur multi hac in parte multùm delinquunt, & quidem non tantùm cum famæ propriæ, at ægrorum quoque valetudinis, ac vitæ periculo, sæpiùs monendi sunt Tyrones, ut sibi caveant sedulò à Syrtibus hisce, cùm tandem Consilium malum soleat esse Consultori etiam pessimum.

CCCCLVII. Quisquis autem & prudenter, & cautè procedit in facienda Medicina, præterquam quòd benè actorum mille testes habeat: Conscientiam puram, fructus quoque laudabilis suæ solicitudinis percipiat tandem uberes, gratus sic factus Deo atque Hominibus.

Prudentia Temeritati, & Timiditas Audaciæ præferenda.

CCCCLVIII. Quamvis enim Calumniatores non sint defuturi, qui ut errata sua tegant, excusentve, culpaturi sunt Medicos prudentes, ac cautè in praxi sua procedentes, ac si meticulosiores essent justo, eventus tamen manifestabit semper, Prudentiam præferendam Temeritati, sed Timiditatem quoque ipsam, per se minimè laudatam, ipsi Audaciæ.

Et quare.

CCCCLIX. Timiditate namque si segniùs procedat Curatio, non conjicitur tamen ejus culpa Æger in vitæ periculum, quamvis existimem superandam & ipsam quoque Prudentia, quæ sensim Animum liberat Timiditate puerili, ac ejus loco generat in Animo Generositatem virilem, nunquam verò Audaciam Temeritatis sociam perpetuam.

Humor Acidi & Austeri p correction evacuandꝰ.

CCCCLX. *Humores Acidi* tum *puriores* & Acriores, tum *Austeri* licet *Correctionem* sui *desiderent primariò*, postquam tamen ex parte saltem

Y 4 sunt

sunt correcti, temperatique, *Educi quoque possunt*, ac imprimis, quando *simul peccant notabili quantitate*.

Tum per Sudorifera, tum per diuretica. Et aliquando per purgantia.

CCCCLXI. *Eductionem* ipsorum, ac præsertim *circa Uterum, aut in ipso Utero existentium*, ac hærentium optimè fieri posse existimo tum per *Sudorifera*, tum per *Diuretica*; & aliquando etiam per *Purgantia* per alvum, ac præsertim quando redundant iidem in corpore universo; quod satis frequenter tunc evenit.

Quænam Sudorifera & Diuretica sint adhibenda.

CCCCLXII. *Sudorifera* in hoc casu laudo quævis *Aromatica*, vel *Sale Volatili Abundantia* ut & *Diuretica* similia, quæ in præcedentibus enumeravi, ac proinde ipsa nunc silentio prætereo, quandoquidem non tam consistit Ars medendi in delectu materiæ remediorum, quàm qualitatis remediorum, ipsorumque adeò remediorum, quamvis plerique in illa hæreant.

Quid sit vera Medica.

CCCCLXIII. *Artis est* namque cognito affectu quovis, perspectaque ipsius causa, imò Causarum syndrome, *excogitare, ac invenire talia remedia*, quæ tum *Causas omnes vitiosas emendare* possint, tum easdem subinde *evacuare* queant.

CCCCLXIV. *Talia* dum dico, ipsorum *qualitates* intelligo ac denoto.

CCCCLXV. *Parum autem refert, ex qua materia petatur eadem remedia*, dum talia sint, qualia requiruntur ad effectum desideratum obtinendum.

Aciditatem frangere & Austeritatē corrigere Salia volatilia.

CCCCLXVI. Hæc ut dictis meis applicem, atque simul explicem, docui, requiri ad *Acidi* tum purioris & Acrioris, tum Austerioris medelam medicamenta, quæ tum *Aciditatem ejus frangant, infringantque*, tum *Austeritatem corrigant*, emendentque; qualem vim, addidi, observari in *Salibus Volatilibus ex omnibus Animalium partibus petendis*, ut & *in Plantis Aromaticis Acrioribus*.

Quæ ex quibus petenda

CCCCLXVII. Parùm autem refert, an illud Sal Volatile petatur ex *Osse*, *Cornu*, *Ungula*, *Sanguine*, *Urina*; *vel* alia quavis Animalis *parte*: Parùm quoque refert, an idem Sal Volatile petatur ex *parte humana*, *vel cujusvis bruti*: rerum parum refert, utrum petatur idem medicamentum *ex Majorana, vel Pulegio, vel Roremarino, vel Ruta*, similive planta.

CCCCLXVIII. Quod diai de *Alterantibus*, dicendum quoque de *Vacuantibus*; ubi præ aliis laudavi *Sudorifera Diureticaque*, non item *Purgantia* per Alvum, vel Vomitum.

Qualia sint eligenda sudorifera & diuretica.

CCCCLXIX. Interest verò, ut sciat Medicus *qualia* debeat seligere tum *Sudorifera*, tum *Diuretica*; conducunt enim ea imprimis, quæ simul vim habent corrigendi humorem peccantem, hoc est, *Aromatica vel Salia Volatilia*, non item quæ ipsum potiùs vitiabunt ampliùs, qualia sunt in Humore Austero peccante, Terræ sigillatæ omnes, & similia.

Et ex quibus petenda

CCCCLXX. Parùm verò refert, an eadem petantur ex *Mineralibus*, an ex Animalibus an ex *Plantis*, & seligatur pars hujus vel illius Mineralis; Metalli, Animalis, Plantæ.

Qualia eligenda purgantia.

CCCCLXXI. Inter *Purgantia* seligenda sunt in *Acido puriore Hydragoga* dicta, in *Acido austeriore Phlegmagoga vel Melanagoga* vocata: Nil refert autem, an tunc utamur *Chartamo*, an *Jalappa*, *Colocynthide*, an *Hermodactylis*, & sic porrò; cùm *Materia sumatur, qualis est ad manus, vel magis placet Ægris*.

Curatio flavedinis in sanguine menstruo.

CCCCLXXII. *Colorem Sanguinis menstrui flaviorem* deduximus in superioribus à *Sero Sanguinis tam copioso, tum Salso*; quapropter ipsius curatio perficietur, & *minuendo* illud serum per *Hydragoga*, & *Sudorifera*, *Diuretica* vel sæpiùs laudata: & corrigendo ejusdem salsadinem muriaticam *Pilulis de Styrace, de Cynoglossa*, similibusve medicamentis salsedini corrigendæ aptis, qualia sunt *Succinum*, *Mastiche*, *Thus*, *Myrrha Opium*, *Glycyrrhiza*, *ejusque Succus Inspissatus*, *Gummi Tragachanta*, *Radix Althææ*, *Hordeum*, *Oriza*, & infinita alia.

CCCCLXXIII. Inter Chymica conveniunt in hoc Casu *Salia volatilia Oleosa*, ut & *Sulphura metallorum*, vel *mineralium fixa*; quo referendum *Antimonium Diaphoreticum* quodvis.

Curatio coloris pallidioris.

CCCCLXXIV. *Colorem Sanguinis menstrui Pallidiorem* deduximus in superioribus à *Sero Sanguinis copioso*: Curabitur proinde, minuendo illud serum per laudata toties *Hydragoga*, *Sudoriferave* ac *Diuretica*.

Ad sudores movendos conducere tam externa quam interna.

CCCCLXXV. Ad sudores movendos non conducunt tantùm interna, sed externa quoque ac imprimis *Balneum siccum*, *solo Igne*, aut *una cum Spiritu Vini* paratum; cujus ope commodissimè promovetur sudor copiosus, minuiturque Sanguinis serum.

Cavendum à multo potu.

CCCCLXXVI. Sed observandum sedulò, ne multus ingurgitetur iterum potus, postquam frustrà minuitur arte & ratione quavis serum redundans, si mox idem augeatur potu, potulentisve multis continuè ingurgitatis: quemadmodùm ejus exempla quotidiana sunt in praxi eorum, qui quamvis sentiant se perire à potu multo, imò nimio, non possunt tamen, aut nolunt se continere, atque mores suos malos, sibique pessimos in melius mutare; tantùm potest Mos malus, vel Appetitus sensitivus Rationi imperans, ipsumque cogens.

Sanguinis menstrui fœtor unde deductus.

CCCCLXXVII. *Sanguinis menstrui Fœtorem* deduximus in superioribus à *Sanguine ad Uteri Nutritionem eò transmisso, ibidemque ex parte saltem ita corrupto, ut abeat in humorem fœdæ Pituitæ haud absimilem, ac Mensium alborum nomine notum*; qui continuè ferè effluens, imprimis cessante fluxu menstruo, sentiatur molestus, ac eidem junctus fœtorem ipsi conciliet, cùm & alio tempore similiter ut fœtoris particeps.

Ab Acido humore in Uteri Substantia hærente.

CCCCLXXVIII. Fœtorem autem illum deberi putavimus *Acido humori in Uteri substantia hærenti*, atque notatum sanguinem ad Uterum continuè accedentem per vitiosam effervescentiam cum insequente fœtore corrumpenti.

Ejus curatio.

CCCCLXXIX. Quocircà existimamus Curationem istius Fœtoris desiderare, ut 1. Acidus ille in Utero humor corrigatur, aut inde saltem tollatur. 2. Sanguis universus contra corruptionem istam muniatur. 3. Idem sanguis jam corruptus, quantum licet, corrigatur ac emendetur.

CCCCLXXX. Quoniam verò arbitrati sumus hoc Malum, si non consequatur semper Fluorem album fœminarum, pendere tamen à causa simili; quæ in antecessum de ipsius Curatione habemus dicenda, differemus tamdiu, donec proximè ad Fluoris albi Tractationem pervenerimus; atque interim uno verbo nunc monebimus, *Sanguinem universum contra futuram* in Utero ex Fluoris albi admistione corruptionem ac fœtorem, muniendum Aromaticis & Salibus Volatilibus, postquàm Corruptio hæc habuit ortum ab Acido, quod medicamentis laudatis non tantùm emendatur, ac, ne ulterius in Corruptione sua pergat, impeditur, sed insuper ita corrigitur, ut Fœminæ non rarò ex sterilibus fiant fertiles; sicut Experientia non semel me docuit.

Sanguis contra corruptionem & fœtorem quibus muniendus.

CCCCLXXXI. Hæc, inquam, serviunt præsertim sanguini muniendo, dum alia insuper conveniunt Fluori albo curando, de quibus, si Deus volet, agemus brevi.

Ægri & adstantes contra fœtorem quibus muniendi.

CCCCLXXXII. Præter ista Interna, usurpari quoque possunt externa, quæ odore suo Aromatico tum ipsas Ægras, tum Adstantes contra fœtoris ejus noxas muniant; qualia sunt suffitus ex Mastiche, Styrace, Thure, Benzoino, Ladano, Garyophyllis, &c. Huc refero Cinnamomum, Garyophyllos, vel alia Aromata gratiora pulverata, & unà cum Aceto, vel Vino, Vinive Spiritu

quan-

quandoque mista, & in vase vitrato prunis imposita, vaporemque suavissimum & Aromaticum promentia.

Sanguis menstruus Purulentus vel Saniosus unde.

CCCCLXXXIII. Ad *Sanguinem menstruum qualitate vitiatam* revocavimus quoque ipsum, quoties *Purulentus*, vel *Saniosus* effluit: Docuimusque, *Purulentam* prodire Sanguinem menstruum & *post Abscessum* in Utero, vicinisve admodùm partibus cum ipso communicantibus ruptum, & post *excoriationem*, *exulcerationemve* superficiariam ab humore Acri ac rodente in Utero, ejusve Collis factam: uti *Saniosam* & à *Pure diutiùs in Apostemate manente ampliusque corrupto*, & *ab Humoribus aliis pravis Puri admistis*, atque ipsum in saniem mutantibus.

Ejus curatio.

CCCCLXXXIV. *Curatio* proinde *Sanguinis Menstrui Purulenti* pendebit à Curatione *Ulceris* post Abscessum relicti, aut *Exulcerationis*, *Excoriationisve* ab hnmore Acri productæ.

Per suffumigia.

CCCCLXXXV. Hæc omnia verò quia ex *universali* cujusvis *Inflammationis* Curatione poti possunt, eò remittimus Lectorem, si priùs monuerimus Conducere hic etiam *Suffumigia* ex Ladano, Mastiche, Olibano, Succino, Bitumine, Lapide Gagate, & similibus, cùm ad partem affectam intimè ac citò penetrent, atque noxam ibi existentem potenter emendent. Longè *potentius* namque *operantur quævis* tum in *Fumum*, tum in *Halitum*, tum in *Vaporem ignis ope redacta*, quàm *coacreta & consistentia*. Id non semel ostendimus exemplo *Cornu Cervi*, quòd in substantia sua vel ratura sumptum, vel in Aqua etiam coctione diutina solutum, parùm efficaciæ habet: ubi autem *Ignis ope uritur*, *aut destillatur*, vires ejus elegantes ac potentes manifestantur.

Qua potentiùs operantur.
Quod ostenditur exemplo Cornu Cervi,

CCCCLXXXVI. Idem verum esse testantur omnia *Suffitui servientia* medicamenta, quorum multa nullnm, aut levem dumtaxat per se spirant odorem; ubi autem accenduntur, aut prunis impoountur, potentem ac mnltùm efficacem. Sic Succinum, Mastiche, Thus, &c. se habent.

Et similiã,

Excoriationis & Exulcerationis curatio.

CCCCLXXXVII. *Excoriatio*, *Exulceratioque* ab Humore Acri pendens *Curabitur*, postquàm *Humor peccans* fuerit *correctus*, *aut aliò deductus*, *blandis exsiccantibus* imprimis *suffiendo* usurpatis, & modò memoratis.

CCCCLXXXVIII. *Humor peccans corrigetur* medicamentis sæpiùs laudatis, acresque humores temperantibus.

CCCCLXXXIX. *Aliò deducetur Peccans Humor* tùm per *Evacuantia Universalia*, Sudorifera, Diuretica, Purgaotiave; tum per *Evacuantia particularia*, *Fonticulos*, in Cruribus præsertim hic applicatos: quorum ope multa sæpè mala curantur felicissimè.

Sanguis Menstruus in Pituitam corruptus.

CCCCXC. Docuimus adhuc, *Vitiosum* prodire *Sanguinem Menstruum*, quando *in sui generis Pituitam corruptus* effluit: qualem in *fluore albo* dicto reperiri arbitramur: adeò ut, quæ de ipso dici possent, meritò eò remittantur & tamdiu differantur: postquam nno verbo monuerimus, tunc non universum Sanguinem Menstruum esse talem, ast ipsi admisceri eum, à quo inquinetur, atqne vitiosus fiat.

Sanguis per alias, præter Uteri collum, vias effluit.

CCCCXCI. Septimam Menstrui Fluxus læsi speciem diximus esse, quando is per *alias*, *præter Uteri Collum*, *vias effluit Sanguis*, per *Os* nempe (aut è faucibus, aut è ventriculo) *Nares*, *Oculos*, *Aures*, *Vesicam Urinariam*, *Alvum*, *ipsamque* subinde *Cutim*, *ejusque poros*: quòd anno superiore in Nosocomio publico factum vidimus in Capite inter capillos: nnde magnus contingebat fœtor.

Ejus causa duplex.

CCCCXCII. *Hujus fluxus vitiosi Causa duplex consideranda*, *eruendaque*. *Prima*, *propter quam non effluat per Uterum*, via nempè ordinaria & naturali; *altera*, *propter quam nunc per hanc*, *nunc per aliam potiùs effluat viam*.

Quando nõ effluat per Uterum.

CCCCXCIII. *Non effluit per Uterum*, ut rectà pergam ad nostrum propositum, Sanguis menstruus in tali casu, non sui culpa, (postquàm per aliam viam effluit,) sed *Uteri vitio*.

Ob Uteri vitia.

CCCCXCIV. Vitia Uteri superiùs in suppresso Fluxu menstruo exposita hic habebunt locum, ac imprimis *Obstructio Vasorum Uteri à Pituita crassa*, *lenta*, *& viscosa*, & quidem propter *Frigus externum instantibus*, *ac præsertim fluentibus mensibus in Uterum admissum*, atque *Pituitam* cum *Sanguine fluentem coagulans*, *ipsiusque Uteri substantiam plùs minùs afficiens & condensans*.

Unde aliò pellitur: & quomodo.

CCCCXCV. Impedita proinde naturali hac mensibus via, quoties sanguis non tantùm redundas producitur in corpore, ast tempore conveniente naturalem exitum quærens, ipsum non invenit, nec circa Uterum diu subsistit, verùm in massam reliquam revertitur & cum eadem circulatur, quin ubique circa Vasorum orificia extrema, & in corporis superficie appellens, ipsaque vasa distendens, quà priùs data porta, ruit effluitque.

Per vasa tenuiora, teneriora que,

CCCCXCVI. Effluit autem per Vasa tenujora, tenerioraque, utpote ipsius distentioni faciliùs cedentia, exitumque ipsi permittentia; unde videas fœminas hæmorrhagiæ natum subjectas per nares fluxum Menstruum patientes, & sic porrò.

Causa, quare nunc per hanc nunc per illam partem effluat, latet.

CCCCYCVII. In quo autem consistat illa *Dispositio peculiaris*, *propter quam* per *poros Cutis* nunc in capite, nunc in latere, nunc alibi erumpat menstruus Sanguis, fateor me non satis assequi, multò minùs aliis explicare aut persuadere posse.

Curatio.

CCCCXCVIII. Non patitur tamen hactenus magnum detrimentum ægra, postquam sufficit ad ejus Curationem, Vias Ordinarias per uterum aperiri Medicorum arte, quoniam tunc spontè in totum restituuntur.

Per Aperitionem viarum ordinariarum.

CCCCXCIX. Aperientur autem Viæ istæ, ut paucis hoc repertam, *Fomentis*, *Linimentisque Aromaticis*, infimæ ventris regioni applicatis, ac imprimis aliquot ante fluxurorum menstruorum tempus: quò spectant, cæterisque omnibus palmam præripiunt *Salia Volatilia odorem potentem sponte exhalantia*, *& oblongi colli vasis infusa*, *Uterique Orificio applicata*, quorum ope tum felicissimè, tum facillimè solvitur Uteri Obstructio.

Quibus, Et quo tempore.

Pituita multa, si ea scateat Sanguis, incidenda.

D. Quòd si Sanguis universus multà scateat Pituira lenta, opus est, ut illa prætereà incidatur, minuatuique medicamentis non semel à nobis propositis, & laudatis.

In omni gravi affectu Universi corporis constitutio consideranda.

DI. Semper namque in cujusvis Affectus, ac præsertim gravis curatione, Universi corporis tam Continentis, quàm Contenti constitutio examinanda, expendendaque; quò, si aliquid offendatur, quod curandum affectum foveat, ei quoque afferatur medicina, sicque faciliùs desiderata Cura obtineatur & citiùs absolvatur.

DII. Atque sic huic de Menstruorum fluxu modis variis læso tractatationi finem imponimus postquàm ea, quæ impræsentiarum de ipso occurrerunt proponenda, absolvimus: proximè de Fluore albo dicturi.

CAPUT IV.

De Fluore Muliebri albo.

Fluor albus Quibus temporibus fœminis accidat.

I. NOn tantùm & *secundùm naturam*, & *singulis mensibus*, *quamdiu generationi aptæ* sunt, *redundans produci ac per uterum evacuari* solet *Fœminis sanguis menstruus* ideò dictus, verò iisdem tum *præter naturam*, tum ferè *continuè*; tum aliquando *priùs*, tum etiam *dum* tum sæpè *post*, *quam generationi aptæ sunt*, *per Uterum effluit Humor Pituitosus*, *Muliebris Fluor*, quàm *Alba Menstrua* meliùs dictus.

II. Hunc

Est præternaturalis,

II. Hunc Fluorem dico fœminis accidere *præter naturam*, cùm sanis, adeòque secundùm naturam is nullis eveniat, quin semper cum aliqua ipsarum *molestia* idem observetur conjunctus, eaque nunc majore, nunc minore; concurrentibus ferè tum *virium dejectione atque lassitudine spontanea*, tum aliquando *Cachexia*, & *Doloribus in Regione Lumbari*, atque *Viis per quas fluit Humor* vitiosus & tunc simul Acer.

Si fit gravissimus, steriles sunt fœminæ.

III. Ubi Fluor hic gravissimus existit, *Steriles* quoque fiunt Fœminæ.

Continuè ferè urgere,

IV. Addidi, hunc fluorem non menstruatim, certisve temporibus, sed *continuè ferè* urgere ac vexare Mulieres: quamvis *copiosior* plerumque contingat *instante Fluxu Sanguinis menstruo*; cujus eventus ratio patebit facilè, ubi ejus ortus fuerit demonstratus.

Non tantù Puberibus, sed etiam ante pubertatem, &c. accidere. Etiam gravidis.

V. Observandum quoque, Fluorem hunc album non tantùm Puberibus & quamdiu ad generationem aptæ sunt, Fœminis accidere, ast etiam ante pubertatem, atque postquam desierunt generationi esse aptæ.

VI. Sed ne *gravidis* quidem parcit hic Fluor, verùm quasdam tunc *magis* solet infestare, sicut aliàs *minùs*; quinimo quædam fœminæ toto gestationis uteri tempore immunes sunt ab hoc fluxu, quæ tum priùs, tum posteà eodem urgentur, vexanturque maximè. Contrà reperiuntur aliæ, quibus idem Fluor, quamdiu gravidæ sunt, existit molestior.

Frequentiùs circa tempus instantium primù menstruorū incipere. Et in omni statu fœminis accidere

VII. Evenit autem, incipitve idem Fluor frequentiùs circa tempus instantium primùm fœminis menstruorum, atque ad ætatem satis decrepitam in multis perseverare solet: adeò ut nulla ætas, nisi prima, immunis observetur ab ipso, nullus fœminarum status easdem ab ipso liberet, postquam & *Virgines*, & *Uxores*, & *Viduæ*; & *juvenculæ*, & *consistentes*, & *senescentes* & *fertiles*, & *steriles* ipsum patiuntur satis sæpè molestum.

Per Uterum tantum effluere, Materiam ejus non esse Sanguinem menstruum

VIII. *Per uterum tantùm* effluit Fluor fœminarum albus, nunquam per viam aliam, quod evenire tamen Sanguini menstruo docuimus cap. præced. Unde vel maximè patere puto, materiam hujus albi Fluoris non esse Sanguinem menstruum, sed alium, vel aliud quid, quod examinabimus posteà.

Humorem esse Pituitosum,

IX. Si quis Humorem ipsum, qui tunc effluit, consideraverit, observabit eum plerumque quidem *Pituitosum*, satisque crassum ac viscosum existere, rariùs verò *serosum Aqueumve*, ac tenuem.

Esse admodùm variū.

X. Idem subinde *copiosior*, subinde *parcior* effluit; subinde *Acris & mordax*; subinde *blandus*, ac minimè Acer; sæpiùs *plùs* vel *minùs graveolens*, rarissimè *omnis fœtoris expers*: utplurimùm *albicans*, vel *flavescens*, rariùs *virescens*, aut *nigricans*; & rarissimè *Saniosus* vel *Purulentus*.

Aliquando absque incōmodo esse.

XI. Idem Fluor aliquando *absque ullo incommodo*, saltem valdè *notabili*, fœminas vexat longo tempore, quamdiu scil. & paucus existit & omnis fœtoris, Acrimoniæque expers: sæpius tamen iisdem *plurima producit mala* superiùs jam memorata, *Universalem Languorem*, *viriumque dejectionem*, *spontaneamque Lassitudinem*, *Dolores varios*, *Cachexiam*, ipsamque subinde *sterilitatem* quando scil. & copiosus, & modis variis lędus existit, acrisque.

Aliquando malis comitatum. Et quibus.

Causa ejus primaria in Utero: secundaria in Humoribus

XII. Hujus *Fluoris Causam Primariam* semper in *Utero* quærendam inveniendamque arbitror; *secundariam*, & ipsum augentem in *Sanguine*, aliisve *Humoribus vitiosis* Sanguini confusis, & unà cum Ipso ad Uterum tendentibus.

XIII. Causam, inquam, hujus primariam, perpetuamque in Utero ipso quærendam existimo: quoniam citra aliam noxam notabilem in reliquo corpore observabilem consistere potest aliquamdiu: quod minimè fieret, si à vitio Sanguinis qualicunque penderet; cùm Tertium non detur, nec dari possit, à quo deduci queat.

Quænam ad uterum tendant.

XIV. Quicquid enim ad Uterum tendit, aut Sanguis est, aut Spiritus Animalis, aut Semen.

Non esse à Spiritu Animali.

XV. A *Spiritu Animali* per se blando, partesque omnes recreante talis Fluor minimè potest aut debet deduci; cùm quoties aliqua noxa læsave functio ipsi est adscribenda, toties id accidit, quando majori copia delati ad musculos Spiritus, illos nimiùm contrahunt, & *Convulsionem* pariunt, aut inordinatè, confusève accedentes, *Motum Convulsivum* excitant, quod minimè dici potest de hoc Fluore: adde quòd illa mala Spiritibus Animalibus tribuenda, per intervalla certa, vel incerta recurrunt, hominesve citò necant; quod minimè locum habet in hoc Fluore.

Non à Semine.

XVI. A *Semine* Fluor albus mulierum minimè potest deduci, cùm eveniat Feminis *ante* & post *seminis productionem, excretionemque*; unde à semine haud deducendus.

XVII. Adde quòd *Seminis profluvium* sive *Gonorrhœa* multùm differat ab hoc Fluore, cum quo subinde jungitur, adeòque pro eodem haberi nequit.

Non à Sanguine.

XVIII. Denique *Sanguini* abscribi non debet, potestve, quoniam Fluor hic observatur subinde in Feminis, quarum *Sanguis est laudabilis*, sanitasque reliqua integra: Quod minimè fieret, si vitiata esset Sanguinis massa, unde dubio procul plures quoque vitiarentur Functiones.

XIX. Postquam igitur Utero, tanquam Causæ primariæ adscribendus est Fluor iste albus quæritur meritò, *Quale vitium sit Uteri*, à quo pendeat illud malum; *quænam* præterea sit *materia*, ex qua generatur hic per Uterum ac præter naturam effluens Humor?

Fluoris albi Materia.

XX. Commodiùs decidetur Quæstio prior, ubi constiterit de posteriore, de *Materia* nempe, ex qua ortum suum habet Humor Fluorem Mulierum album constituens.

Sanguis.

XXI. Ostendimus autem supra *triplicem Humorem*, *Liquoremque* ad Uterum deferri, *Sanguinem*, *Spiritus Animales*, *atque Semen*; docuimusque, *Muliebrem fluorem* nec à *Spiritibus Animalibus*, nec à *Semine posse* deduci; unde patet, ipsum necessariò petendum à *Sanguine continuè ad Uterum pergente*.

XXII. Quæri autem posset iterum, An hic Fluor Muliebris *ex universo sanguine* modo singulari corrupto, an verò ex *aliqua ejus parte* à reliquo sanguine secreta & corrupta proficiscatur?

Et quidem Universus.

XXIII. Censeo autem ipsum omnino adscribendum *massæ Sanguinis Universæ* modo peculiari corruptæ, non item alicui parti à reliquis secretæ ac elabenti.

Unde fluor nunc fit viscosior, nunc tenuior.

XXIV. Quamvis namque non negem, in quibusdam observari hunc *fluorem viscosiorem*, adeòque magis *Pituitosum*, in aliis *fluidiorem ac tenuiorem*, adeòque magis *Serosum*, id tamen fieri, facilè colligent ac concludent omnes operi attenti, quatenus vel *Sanguis Universus* existit in talibus *Pituitosior*, *vel Serosior*, vel ita *corrumpitur idem*, ut abeat nunc in *substantiam viscosiorem*, non in *fluidiorem*: adeò ut illa *viscositas* major vel minor, debeatur aliquando ipsi *Sanguini corrumpendo*, aliquando *Vitio in Utero existenti*, *sanguinemque corrupturo*.

XXV. Dixi hoc facilè deducturum, ac conclusurum, qui ad omnia erit attentus, hoc est, qui observabit accuratè *laborantium fœminarum constitutionem*, tum *ante* quàm Fluore albo afficerentur tum *post* quàm eodem sunt affectę.

Ubi sanguis est laudabilis

XXVI. Si namque Corporis Universi constitutio fuerit satis laudabilis, nullum dubium est, sanguinem

fit, fluoris diversitas causæ corrumpenti adscribēda.

guinem similiter existere laudabilem, ac proinde constitutionem Fluoris nominati variam ipsi sanguini tunc minimè adscribendam, sed *Causæ* ipsum *Corrumpentis*, *ac Efficientis* dictæ.

Ubi Corporis Constitutio est vitiosa, diversitas fluoris Sanguini adscribēda.

XXVII. Quòd si contrà *Corporis Universi Constitutio existat vitiosa* priùs, quàm observetur ille Fluor albus fœminam infestare, sive Constitutio ista vitiosa corporis sequatur *Menses suppressos, segniusve aut parciùs prodeuntes*, sive illa *præcedat diu tempus mensium fluxurorum*, vel *comitetur Mensium fluxum*; quis dubitabit tunc ipsi *Sanguini* adscribere *Fluoris albi varietatem*, imprimis quando illa convenit cum *Cachexiæ urgentis varietate*?

Vitium Uteri quale.

XXVIII. Cùm proinde *Sanguis vitiosus non sit Causa primaria & adæquata Fluores albi*, aliquando tamen *hujus vel illius Fluoris*, *aut viscosioris*, *aut serosioris*, verùm illius *causa efficiens*, *Sanguinemque in Fluorem album corrumpens in Utero ipso quærenda veniat*, *inveniendaque*, jure merito quæritur, quomodo affectus sit Uterus; aut *quiduam præter naturam existere possit in Utero, a quo illa pendeat Corruptio Sanguinis in fluorem album*?

Fluor hic rarissimè circa initia acris.

XXIX. Hoc ut faciliùs, commodiùsque determinetur, observandum 1. *Fluorem album nunquam, vel rarissimè circa initia esse Acrem*, talem tamen ut plurimùm fieri tandem.

Sanguinis duplici modo in Humorem album mutatur.

XXX. Observandum 2. Sanguinem tum *naturaliter* mutari in *Humorem album*, quando convertitur in *Lac*, tum *præter naturam*, quando corrumpitur in *Pus*.

Ejus causa.

XXXI. Utramque autem Mutationem hanc docuimus aliàs deberi *Acido* vel in *Mammarum Glandulis præparato* & ibidem Sanguini allabenti admixto, vel in *Sanguine existenti*, atque propter *Sanguinis* extra vasa sua *effusi moram & quietem*, *Spirituumque Volatilium* in auras tunc abeuntium *jacturam*, se magis magisque *manifestanti*, viresque suas *exerenti*, *cæterasque Sanguinis partes*, sicut dictum, *in pus album sensim convertenti*.

Fluorem album multùm differre.

XXXII. Quemadmodum verò sanguis mutatur secundùm naturam in fœminarum Utero gerentium mammis, & quidem postremis gestationis mensibus in Lac, idemque Sanguis extra vasa sua effusus, collectusque, quin idem ad Partes Ulceratas delatus præter naturam corrumpitur in Pus; ita *idem mutari potest*, cum reverà mutetur, *in Uteri Vasis Cavernosi & quidem itidem præter naturam in Humorem album quidem, multùm tamen tum à Pure*, tum præsertim à *Lacte differentem*, *adeòque singularem*, Fluoris albi nomine notum, quoniam fœminis solet idem sponte effluere.

A Lacte.

XXXIII. Differt hic Fluor albus plurimùm à Lacte, quoniam *perfectionem novam obtinet Sanguis, quando in Lac mutatur; à qua perfectione sua descifcit Sanguis, quoties in album abit fluorem*.

A Pure.

XXXIV. *Differt* idem *Fluor* fœminarum albus multùm *à Pure*, quia hoc ex sanguine puro ritè confectum magis albescit ac æquale existit, quàm *Fluor muliebris* ad *Pituitæ colorem*, *consistentiamque & naturam magis accedens*.

Sensim Acrimoniam acquirere.

XXXV. Quemadmodum verò Pus diutiùs in Abscessu retentum paulatim Acrius evadit, ita *fluor fœminarum albus sensim Acrimoniam*, & quandoque *tantam*, *quæ partes*, *per quas fluit*, *exulcerare*, saltem *excoriare* potest, acquirere solet.

Quæ in aciditate consistit.

XXXVI. Hæc autem *Acrimonia ulcerosa*, hoc est, partes affectas in ulcus rodens, sola evincit, *se in Aciditate consistere*, postquam, sicut non semel pluribus aliàs evicimus exemplis, experimentisque manifestissimis, *Salis lixivi Acrimonia cum nigredine morticina corrumpit partes* à se affectas, & *Acida exedit*, consumitque partes, *in quas vim suam exerit* noxiam, mutatque *in substantiam albicantem*.

Hujus corruptionis causa.

XXXVII. Cùm proinde hactenus *duplex* tantùm innotuerit nobis & aliis *Acrimonia*, quæ *in Corpore humano habere possit locum*, & *Corruptio Sanguinis ad* Uterum accedentis & in Fluorem album mutati non tantùm nequeat deduci à lixivi Salis Acrimonia, sed commodissimè possit ab Acrimonia Acida; meritò huic corruptionem adscribimus quæsitam.

Causa fluoris Antecedens Mœror gravis.

XXXVIII. Huic autem nostræ Opinioni præter jam dicta non parùm favent *Causæ* hujus Fluoris albi *antecedentes ac forinsecùs advenientes*; nam potissima frequentissimaque hujus *Fluoris albi Causa prima* est *Animi Mœror gravis & diu protractus*, *Acidi noxii*, & imprimis *Austeri productor* assiduus.

Terror inopinatus.

XXXIX. Fluorem fœminarum album producit etiam & auget non ratò *Terror inopinatus & grandis*, Acidi & Austeri Causa certissima & potentissima.

Frigus ejusque causa.

XL. Non parùm ad Fluoris albi generationem facit *Aeris*, *vel Aquæ forinsecùs ad Uterum quovis modo penetrantis frigus*, *comitisve frigoris Causa*, unde *Acidum* ubivis augeri in nobis, tum alia plura, tum imprimis *Gravedo* evincunt abundè.

Acidorum abusus.

XLI. Fluorem album si non producit, *fovet* saltem *augetque* manifestè *Acidorum abusus*, tàm frequens in fœminis Belgicis; unde non mirum, si forsan in Belgio, quàm alibi, frequentior sit quoque Fluor ille albus.

Fluxus menstruus segnis, vel parcior, vel suppressus.

XLII. Causis prædictis annumerari quoque potest *Fluxus menstruus tàm segniùs accedens*, quàm *parciùs prodiens*, aut *planè suppressus*, subsistens namque in cavernosis Uteri vasis *Sanguis plus minùs corrumpitur*, *noxamque suam Utero communicat*, & ita quidem, ut *in eodem hærens*, *atque sedem figens Sanguinem postmodùm accedentem similiter corrumpat*, & in *Humorem albicantem ac Pituitæ similem convertat*, hocest, Fluorem albom producat.

Uteri substantia qualis.

XLIII. Quemadmodum autem in antecedentibus notavimus, ita nunc repetimus, *Uteri substantiam proximè accedere ad naturam glandularum*, ideòque *maximè susceptibilem esse Acidi*, quod præter naturam *in Corpore muliebri* quavis de causa *redundans*, & quaquaversùm delatum, *fistitur faciliùs & abundantiùs*, & *arctiùs in Utero*, *ibidemque modo suo vitiabit & corrumpet necessariò Sanguinem ad ipsum delatum*, sicut cum fœminarum malo evincit Experientia nimis frequens.

A quibus afficiantur primariò glandulæ, secundariò Uterus & Mammæ.

XLIV. Sicut verò *à Causis Non-naturalibus vel fortuitis*, *Acidum* in corpore nostro vel *producentibus*, vel *augentibus*, vel *foventibus afficiuntur primariò Glandulæ*, & imprimis *Pancreaticæ*, ita *ab iisdem afficiuntur secundariò in Fœminis* tum frequentiùs *Uterus*, tum aliquando etiam *Mammæ*.

A causis recensitis non primariò affici Uterum.

XLV. Quamvis proinde putemus, à Causis notatis deducendam Fluoris albi generationem, non putamus tamen *immediatè ac primariò malè affici ab* ipsis *Uterum*, (nisi forsan *à Frigore*, *ejusve Causa immediatè ad Ipsum penetrante*) sed *secundariò* tantum *ac mediatè*, atque postquam priùs malè affectæ fuerunt ab ipsis Glandulæ Pancreaticæ.

Aliquando Uterum immediatè à frigore externo affici.

XLVI. Notandum porrò, ad Fluoris albi productionem *affici* aliquando etiam *Uterum* immediatè à *frigore externo* tum in puberibus Fluxum menstruum sistente, aut saltem minuente, tum nondum puberibus, nec proinde Fluxum dictum adbuc passis *Uterum* ipsum ita *vitiante*, ut *faciliùs copiosiùsque*, quàm decebat, *secedat sistaturque* in ipso *Pars sanguinis Acidior*, quæ ibidem *Fermenti pravi naturam induens sanguinem ad Uteri nutritionem continuè allabentem paulatim posteà corrumpat*, & *in Humorem Pituitæ similem mutet*, qui nutriendo Utero inutilis effluat plerumque; notatumque *Fluorem Album* producat.

XLVII.

Ac tum alba, fluore laborare fœminas vel faciliùs, vel citiùs, vel graviùs: Quando uterus non immediatè est affectus, tum vel segniùs vel leviùs affici mulieres.

XLVII. Quoties igitur à *Causa externa simul afficitur immediate Uterus*, ita ut inde ad Fluorem album producendum simul disponatur, toties tum *faciliùs*, tum *citiùs*, tum *graviùs laborant* fœminæ isto *Fluore*.

XLVIII. Quoties contrà, *nullo concurrente immediato Uteri Affectu*, secundariò duntaxat & post affectas demùm & tantùm Pancreatis aliarumque Partium Glandulas vitiatur tandem ipse quoque Uterus, ita ut hinc Fluor consequatur albus, toties idem tum *segniùs*, tum *leviùs* solet *afficere* mulieres.

Hujus diversitatis ratio.

XLIX. Hujus autem diversitatis ratio est manifesta, postquam, ubi Causæ plures concurrunt eundem effectum producentes, ibi effectus necessariò & faciliùs, & citiùs, & potentiùs obtinetur; ubi contrà Causæ illæ pauciores existunt, ibi necessariò expectandus Effectus idem tum *difficiliùs*, tum *segniùs*, tum *imbecilliùs* secuturus.

Uterum in fluore albo esse vitiatum.

L. Sive igitur tantùm *mediate* aut *immediatè* afficiatur *Uterus* ad Fluorem album producendum, sive afficiatur idem tum *mediate* tum *immediate*, *affici* tamen *debet ipsus semper ad notati Fluoris productionem ita, at ideircò corrumpatur in Ipso Sanguis in Humorem Pituitæ similem*, qui pro vitii Uterini varietate *variet non parùm, tam coloris, quàm odoris & Acrimoniæ, copiæque ratione*; quamvis non negem, posse illum *Humorum variare* quoque *ratione Sanguinis varii, aliorumque Affectuum corpori obvenientium*.

Unde fluor varius.

LI. Quemadmodum enim *Fermentum illud Uterinum & quidem Acidum* prout magis vel minùs existit *Austeram*, vel *Acre*, vel *alio modo vario vitiosum*, *ita diversimodè corrumpet Sanguinem* ad Uterum accedentem, sic etiam *Sanguis* propter *alios Affectus* in corpore existentes aut præcedentes *variis modis affectus* in *Humorem diversum corrumpetur ab eodem Fermento*: adeò ut *diversitas Humoris in Fluore albo* effluentes *pendeat* nunc à *diversitate Fermenti corrumpentis*, nunc à *diversitate Sanguinis corrumpendi*, nunc *ab utroque*.

Hujus causa notanda ut curatio sit rationalis, & dogmatica.

LII. Hæc autem omnia vel idcircò sunt notanda & observanda diligenter, quoniam plurimùm faciunt ad *Curationem facilem ac felicem* instituendam, quæ iisdem neglectis non sequetur facilis, aut felix, multò minus *rationalis & dogmatica*,

Quomodo illa instituatur.

LIII. *Dogmatica* nempe; *Rationalisque* duntaxat instituatur *Affectus cujusvis Curatio*, quando ipsius *Symptomatibus comitibus* omnibus ritè observatis, & *Causis non-naturalibus*; *fortuitisque* notis notatis, *ratiocinatione catenata*, ideòque *solida*, totius *Affectus generatio*, *generationisque modus* investigatur ac eruitur, ita ut *ratiocinatione continuata inveniatur & concludatur* quoque ratio *& methodus vera* citò, & tutò, & jucundè curandi Affectum curandum.

Ab ea qui degeiscunt, fieri vel temerarios Empiricos vel infelices Methodos.

LIV. *A qua methodo ab Experientia, & Observatione accurata initium faciente, atque per ratiocinationem catenatam continuè pergente, quin ubique laudatam Experientiam in auxilium vocante* quotquot deficiscunt; aut *temerarii sunt Empirici*, aut *incerti* ac *infelices Methodici*.

Empirici quid faciant.

LV. *Empirici* namque *ad solam Experientiam attendentes*, ritu pecorum eunt, quà itum est, non semper, quà eundem erat.

LVI. Dico *Empiricos ire, quà itum est, non semper, quà erat eundem. Imitantur* namque *facta priora*, nec eorundem aut *examinant*, *aut intelligunt*, *capiuntve rationes*; idcircò *falluntur sæpenumerò*, negligentes scilicet, aut non satis observantes, tum pro *Affectuum Causis diversis*, tum pro *Affectorum Constitutione diversa*, tum pro *concurrentium aliquando Affectuum diversitate variandam* esse *Curationem*, si desideretur felix & laudabilis.

Eorum cura felix fortuna adscribenda.

LVII. Quoties namque *Curam felicem instituunt Empirici*, ea ipsarum *Industriæ* aut *Peritiæ non est adscribenda*, sed *Fortunæ* & *Casui*, hoc est, *Affectui cum ipsorum Observatis consentienti*; postquam ipsi absque discrimine utuntur promiscuè iisdem medicamentis in maribus & fœminis, in sterilibus & fertilibus, in gravidis & non gravidis, in senibus & adolescentibus, in debilibus & robustis, *nec priùs illum errorem deserunt, quàm cum ægrorum suorum noxa eundem notarunt*, atque sic per experientiam *meliùs edocti sunt*.

Methodici quid faciant.

LVIII. *Methodici* contra *Ingenii sui volubilitate & subtilitate*, si qua valent, (nam multi se ipsa valere putant tantùm & falluntur) *superbientes ac insanientes*, ubique *Chimæris adhærent*, nec nisi *casu & rarissime Medicinam faciunt ægris sui utilem*.

Peiores Empiricis.

LIX. Profectò interest omnes hæc nosse, ac imprimis à *Methodicorum* erroribus sibi exactè cavere; sunt enim *Empiricorum*, *erroribus longè nocentiores Methodicorum errores*, *ob rationes mox addendas*.

Rarissimè utilem praxin exercent.

LX. Casu autem & rarissimè Methodicos utilem ægris praxin exercere, quotidiana testatur Experientia: quod faciliùs agnoscent omnes, postquam Methodicos suis depinxero coloribus.

Quinam sint Methodici.

LXI. Sunt autem *Methodici* omnes illi *Medici*, cui non tantùm *de scientia Medica* (quæ nec est, nec esse potest) *gloriantur perpetuò*, sed *de Affectibus quibusvis*, etiam *abstrusissimis garriunt tam importunè, quàm imperite*; unde vix unquam soliciti sunt de *Causis veris* ex Affectuum ipsorum observatione attenta *eruendis*, *aut medicamentis utilibus annie inveniendis*; postquam *finxerunt sibi Medicinam modis omnibus absolutam*, adeoque *scientificam*, hoc est, *Chimæricam*, *secundùm quam omnium Affectuum & fictorum, & verorum Causas omnes habent perspectas, æquè, ac Remedia ipsis optima*.

Quare tandem derideantur.

LXII. Quòd si promissis ipsorum, quibus præ aliis omnibus sunt ditissimi nostri Methodici, non respondeat eventus, mille tationes verosimiles in promptu habent, quas proferunt audacter, quibusque culpam suam devolvunt vel in ipsos ægros, vel in quosvis alios, adstantes, Pharmacopœos, &c. persuadentque Credulis Methodum suam certissimam esse ac omni exceprione majorem, donec contrarium sæpissimè per funestum eventum probante ac evincente Experientia, *videant suffenos Methodicos etiam plebeii, deserantque ipsos, fugiantve Ægri prudentiores*, atque sanitatis suæ Curatores soliciti,

Methodicorum curatio incerta & infelix.

LXIII. Cùm proinde non tàm veritatem ipsam quærant Methodici, quàm ut videantur ipsam possidere, non mirum, si utplurimùm falllantur, & 1, in *Affectibus ipsis dignoscendis*, *ac ex æquo describendis*, & 2. in *Affectuum Causis veris eruendis*, & 4. in *Curatione ipsis adæquata invenienda, instituendaque*. Quam proinde secundùm fundamenta sua & Dogmata, quorum pleraque ficta sunt, ideòque falsa, nunquam possunt habere aut felicem, aut certam, sed incertam, ideoque ut plurimùm infelicem, atque ipsorum principiis falsis, & chimæricis consentaneam, consentientemque.

Eorum errores nocentiores Empiricorum.

LXIV. Non male igitur dixi, *Methodicorum errores nocentiores esse erroribus Empiricorum* postquam hi experientia, cui unici attendunt, expectationi suæ contraria edocti, agnoscunt errara sua, eademque cupiunt correcta, emendataque; dum Methodici falsa sua & inani, utpote ficta scientia turgidi nullum non movent lapidem, ne videantur ignorare, quæ alios saltem cupiunt credere, sibi esse plusquàm perspecta: tantùm potest ac nocet vana omniscientiæ persuasio Methodicorum.

Utrisque præstare Dogmaticos

LXV. Utrisque autem præstant *Dogmatici*, quoniam utrorumque vitant errores, assumuntque,

que, quicquid boni habent utrique, *atentes* ubique *ratione*, non tamen ficta & inani, sed *solida & à rebus ipsis per experientiam notis desumpta*, ideòque *attendentes simul ad experientiam*, *sine qua* notant *Methodicos tam sæpe errare*, tàm graviter, tàm turpiter, tàm ægris noxiè.

Diversitati insluere albo causa investiganda.

L X V I. Sed ut ad propositum nostrum, à quo digressi sumus, revertamur, quoniam constat per Experientiam quotidianı, *non parùm differre Fluorem album quoad Colorem, Odorem*, *ac* imprimis *Acrimoniam & Copiam*, ut felix ejus instituatur Curatio, *diversitatis ejus rationes & Causæ accuratiùs* investigandæ sunt, ac eruendę, imò quantùm fieri potest, accuratissimè.

In quibus quærendę.

L X V I I. Quapropter docuimus quoque, *Causas illas quærendas*, *inveniendasque* subinde in *Fermento Uteri vitioso diverso*, & *magis vel minùs Austero, vel Acri, alterve Affecto*, subinde in *Sanguine ad Uterum accedente*, ac *propter Affectus alios præcedentes*, *comitesve multùm sæpè diverso*, adeoque *magis* aut *minùs viscoso & Pituitoso, vel Salso & seroso*, vel quovis modo alio malè affecto.

Esse primariò in fermento in Utero existente, secundariò in Sanguine.

LXVIII. A *Fermento* igitur, hoc est, *Humore præter naturam in Utero existente ac hærente*, *Aciditatisque vitiosæ*, *vitiantisque* consorte, tanquam *Causa primaria*, deducimus *Fluorem fæminarum album*; & *secundariò ab ipso Sanguine ad Uterum delato*, *multifarioque*..

Hujus Affectus curatio.

LXIX. His autem ita præmissis, proximum est ut ad hujus Affectus tam sæpe gravis *Curationem* nos accingamus.

Primaria in fermenti vitiosi emdatione.

LXX. Cùm proinde *Fluoris albi Causa primaria*, *perpetuaque* sit *Fermentum noxium*, *Acidumque in Utero hærens*, accedentemque ad ipsum Sanguinem corrumpens, *Cura* hujus Fluxus *primaria* consistet in *Fermenti hujus vitiosi correctione ac emendatione*.

Secundaria in Sanguinis universi correctione.

L X X I. Cùm ejusdem *Fluoris albi causa secundaria*, *non tamen perpetua*, *sit Sanguis quovis modo vitiosus* ad Uterum delatus, dictumque Fluorem in circumstantiis variis varians, Fluxus ejusdem *Cura secundaria* consistet in *Sanguinis universi restitutione ac correctione prudenti*.

Et eandem Causarum Antecedentium, in earum ablatione.

L X X I I. Cùm denique à *Causis variis* pendeat, productaque sit Causa proxima tum primaria, tum secundaria Fluoris albi, haud instituetur ejus *Cura felix*, *ac certa*, nisi *tollantur*, *caveanturque*, *aut corrigantur Causæ Antecedentes singulæ* in superioribus enumeratæ, *Animi mæror aut terror gravis*, *Acidorum Abusus* frequens, *Frigus Aeris*, *vel Aquæ* tum *Corpus universum*, tum in specie *Uterum saltem* afficiens, ac denique *Fluxus Menstruus*, *segniùs*, *parciùs*, *aut minimè prodiens*.

Atque adeò tribus his absolvetur.

LXXIII. *Curatio* igitur Albi fæminarum Fluoris *Dogmatica & Rationalis tribus* absolvetur nominatis *Fermenti*, *Sanguinis*, & *Causarum Antecedentium Correctionibus* artificiosis.

1. Causæ Antecedentes vitandæ & corrigendæ.

LXXIV. Ut singulas ordine proponamus, danda imprimis opera, ut 1 *Causæ antecedentes* qualescunque *vitentur*, aut, si vitari nequeant, (neque in cujusvis potestate est omnia vitare sibi noxia) eædem, quantùm fieri potest, *corrigantur*, *ipsarumque noxa emendetur*, & *Animus contra ipsas muniatur*, *roboreturque*.

Nempe Animi mæror.

L X X V. Ergo contra *Animi mærorem* firmandus est Animus, ferendo patienter ac fortiter, quod mutare non licet; atque quoties licet, oppugnando superandoque Causas mœroris omnes.

Terror inopinatus.

L X X V I. *Terrorem inopinatum* quemadmodum *nemo vitare potest*, (est enim Contradictio in adjuncto, vitare rem inopinatò evenientem, postquam vitare est consultò se opponere rei futuræ, ac illi se subducere, tanquam prævisæ; quod autem inopinatò evenit, neutiquam prævisum fuit, nec proinde præcaveri, aut præveniri potuit;) ita nil impedit, Unumquemque ratione utentem *munire Animum suum contra inopinatum Terrorem*, atque priùs, quàm obveniat, cogitare serio, qui debeat se in tali casu gerere, quò præveniatur, minuatur saltem noxa inde alias eventura, atque sic *Animum suum preparare ad Terrores inopinatos subinde occurrentes cordatiùs excipiendos*, *moxque iterum debellandos*, *superandosque*.

Acidorum Abusus.

LXXVII. *Ab Acidorum abusu* cavere sibi potest facilè quivis ratione utens, ac secundùm rationem Appetitum quemvis regens, quoties agnoscit noxam inde sibi contingere.

In quibus Hominis felicitas consistit.

LXXVIII. Miseri namque ac infelices sunt admodùm, quotquot nec rationi sanæ auscultant nec suo saltem sapere possunt periculo: *Felicitas* etenim Hominis *neutiquam consistit in boni cognitione*, *sed fruitione*: non fruitur autem bono, qui propter ipsum mox majore urgetur malo, & voluptatem tum levem, tum brevem, tum gravi, tum diuturno redimit dolore aut molestia.

Aeris Aquarumque frigus.

LXXIX. *Aeris*, *Aquarumve frigus noxium* quotquot vitare non possunt; (sicut constat plures vitare non posse, famulas puta, & quotquot egestas vel alia urgens necessitas cogit se illis exponere) *contra ipsum* saltem tum *corpus universum*, tum præsertim *Uterum*, *partesque inferiores munire debeat*, quoties ipsis per egestatem licet: frustrà siquidem jubentur vestimentis se contra frigus externum munire, quotquot illis destituuntur. Consilium tamen dandum à Medicis, quò monitæ sic Ægræ quærant vestimenta apud Opulentos, Charitate Christiana erga se motos, movendosve.

LXXX. *Menstruus fluxus segniùs*, *parciùs*, *aut minimè prodiens qui* curari debeat, docuimus supra.

Fermenti corrigendi.

L X X X I. Postquam igitur Causis Fluoris albi Antecedentibus vitandis, tollendisve aut saltem corrigendis consilium salutare datum est à Medico, *Fermenti notati Correctionem mox aggredietur idem*.

LXXXII. Hoc *Fermentum* cùm in genere statuerimus *Acidum*, patet, *Indicationem* quoque *Generalem* esse *Acidi Correctionem*.

LXXXIII. De *Acidi* autem *Correctione* toties, & tàm multis egimus aliàs, ut omninò videatur superfluum hic plura de ipso addere.

Pro Acidi varietate correctio varia.

LXXXIV. Quoniam verò addidimus etiam, non Uniusmodi esse illud *Acidum*, sed aliquando *Austerum*, aliquando *Acre*, aut *aliis modis* paulatim distinctiùs tum cognoscendum, tum explicandum & nominandum, idcircò secundùm illud Acidum Varium, ex comitibus Symptomatibus determinandum, *variandum* erit quoque illud *Acidi Correctivum*.

Quibus Acidum austerum, & quibus acre corrigatur.

LXXXV. Ubi locum habere potest ac debet, quod jam monuimus in precedentibus, *Salia Volatilia puriora*, quale est Spiritus Salis Armoniaci, *præ aliis omnibus conducere in corrigendo Acido Austero*; sicut eadem *Oleosa* & magis temperata in emendando *Acido Acriore*.

LXXXVI. Cæteras necdum satis observatas, distinctasque Acidi Multifarii species quoniam desideramus, de earundem quoque justa emendatione nil solidi aut certi hactenus licet pronunciare.

Sanguis corruptus, tum alterandus, tum evacuandus.

L X X X V I I. *Sanguinem* autem ipsum *peculiari corruptione inquinatum*, atque nunc *Fluori albo ansam præbentem*, nunc eundem *graviorem facientem* quod attinet, ipsius *Curatio* ex arte procedit, si pro *Vitii & Cachexiæ varietate*, medicamenta usurpentur varia, tum *alterantia*, tum evacuantia.

Alteratione perfici duobus.

L X X X V I I I. In duobus namque consistunt ferè omnia, quæ *sanguini impuro emendando* conducunt, remedia; 1. in *Alteratione* tum

massæ

massæ totius, tum *humorum cæterorum* Sanguinis *corruptionem producentium*, *foventiam*, vel *augentium*.

LXXXIX. 2. In *Evacuatione*, sive *Diminutione* tum *totius massæ sanguineæ*, tum *humorum aliorum* Sanguinis massæ *confusorum*, *permistorumve*.

Sanguinis Universi correctio, qui perficiatur.

XC. *Sanguinis universi* plus minùs, hoc vel illo modo corrupti *correctio* & *alteratio* per medicamenta assumpta perficitur felicissimè, quando haud simul ac semel, ast per intervalla brevia eadem minore usurpantur quantitate.

XCI. Sic enim paulatim contingit mutato desiderata, & obtinetur absque difficultate aut periculo id, quod quæritur; omnis namque mutatio subita est periculosa.

Ut & Humorum in sanguine contentorum.

X C I I. Idem judicandum quoque de *humoribus* cæteris massam universam sanguinis paulatim corrumpentibus: qui omnes tum faciliùs, tum feliciùs *corriguntur* assumptione sæpiùs iterata medicamentorum ipsos alterantium.

XCIII. Humores autem hi, prout aut unus, aut plures simul peccare deprehenduntur, & quidem, modis variis ita nunc *composita* desiderant *medicamenta*, nunc *simplicibus* feliciùs corrigi possunt, ac debent: quandoque ex *contrariis* componenda sunt.

XCIV. Hæc autem vitia ex peculiari singulorum humorum tractatione petenda sunt: ut & eorundem remedia primaria, usuque longo comperta.

Diminutio massæ sanguineæ, & Humorum qui fiat.

XCV. *Evacuatio & Diminutio massæ sanguineæ* contingit commodissimè *aperta* in brachio *vena*: sicut reliquorum *humorum* diminutio tum per *vomitum*, tum per *alvum*, tum per *urinas*, tum per *sudores*, tum per *salivationem*.

XCVI. Quamvis tutissima & blandissima humorum evacuatio fiat per alvum; opus est tamen, ut aliquando eadem contingat per vomitum & præsertim Humoris Biliosi, ut & Pituitæ, & imprimis, quando per nauseam observantur sursum vergere.

Apud Practicos ex præjudicio tum commendari, tum carpi medicamenta.

X C V I I. Qualibus autem medicamenti absolvatur felicissimè humorum quorumvis evacuatio ac diminutio, fusè tractatur apud Practicos: ubi tamen monendi Tyrones, ne nimiùm adhæreant Scriptoribus ex præjudicio, tum in commendandis, tum in carpendis quibusvis medicamentis valdè occupatis, cùm satiùs esset à nullo laudari vel vituperari medicamenta sibi non satis nota.

Scammonium perperam culpari.

XCVIII. Hoc non sine causa gravi dico, postquam multa medicamenta culpantur & suspecta redduntur ex ignorantia & præjudicio; ita *Scammonium* perperam culpatur ab imperitis, quales sunt Scriptorum plerique, tanquam periculosum ac nocentissimum, quamvis sit maximè tutum ac innoxium; licet potentissimum inter omnia Cholagoga vulgò nota.

Chymica cur vulgò contemnantur.

XCIX. Non mirum igitur, si vulgaria sint suspecta plerisque Auctoribus, contemni quoque ab ipsis *Chymica*, quippe quæ sicut *magis sunt vulgaribus efficacia*, ita *majori indigent attentione*, cùm aliàs erratum committatur facillimè in ipsorum tum *præparatione*, tum *usurpatione*: Umbram verò propriam metuunt plerique Scriptores Theoretici, adhærentque ut plurimùm Auctoribus meticulosis, atque tutissima quæque pro periculosis ac noxiis habentibus.

Prudentia & Generositate opus esse in usu medicamentorum.

C. *Prudentia* quidem opus est, ne quis *temerè* quibusvis utatur promiscuè, sed opus quoque *Generositate*, ne *timide* negligantur medicamenta bona: de quorum utilitate, aut noxa nemo erit unquam certus, nisi qui manum admoverit operi, atque per experientiam multiplicem, tantamque de singulis fuerit benè informatus.

C I. Prudentis proinde Medici Tyronis erit, attentè observare ea, quæ faciunt; quibusque utuntur Practici periti ac felices, eosdem tantisper imitari, donec paulatim notentur Medicamenta præcipua quibusvis Humoribus eorundemque vitiis variis corrigendis, evacuandisque convenientia: quibus tamdiu in curandis ægris utetur ac fruetur, donec liceat ulteriùs progredi, atque præstantiora adinvenire.

Prudentis Tyronis officium.

In Medicamentorum novorum investigatione prudentia opus esse Et præcipuè Mineralium.

C II. In hac verò *Medicamentorum novorum investigatione* prudentia opus est haud vulgari, imprimis, quando ex præparationis modo vario mutatio expectanda est in Medicamentorum viribus, sive serviant Humorum alteratione, sive eorundem evacuationi.

CIII. Inter omnia autem medicamenta, in quorum præparatione ac mutatione inde expectanda opus est prudentia, meritò numerantur *Mineralia per se hominibus noxia*, qualia sunt *Arsenicum*, *Auripigmentum* & similia; quippe quæ, nisi correcta sint sufficienter, nocent nonnunquam gravissimè.

Eorum præparatio optima.

CIV. Illud autem notandum circa *Mineralium præparationem*, illam esse *optimam*, per quam ipsa *figuntur*, cùm soleant imprimis nocere, quamdiu existunt *volatilia*: quippe quorum noxa tunc citissimè ac potentissimè sese solet exerere, ac incautis damnum afferre.

Alteratio Massæ Sanguineæ quomodo instituenda.

CV. Atque hæc per digressionem utilem dicta sunto; *Alteratio* igitur *Sanguineæ massæ* Fluori fœminarum albo ansam præbentis, aut eundem foventis & augentis instituetur commodissimè primùm *Medicamentis blandioribus*, quorum ope si non tantùm confirmetur Medicus in judicio suo de Sanguinis vitio vero, sed insuper observet, quid Ægræ vires ferre possint, qui ferre recusent, cordatiùs *pergat ad potentiora & magis efficacia*; donec notet paulatim usurpatis remediis cedere Sanguinis cachexiam.

Copia quomodo minuatur.

CVI. Sed dum in Alterantium usu versatur, occupaturque Medicus, si deprehenderit, *copia* in super *laborare Sanguinem*, per intervalla curabit eundem *aperta vena minui* ac educi.

Et quidem parcè.

CVII. Ubi notandum, satiùs esse, *parum Sanguinis* educi repetitis vicibus, quàm simul ac semel multum ejusdem evacuari.

Ejus Ratio.

CVIII. Ratio ejus hæc est, quòd sæpiùs observentur *noxæ notabiles*, *imò ipsa mors supervenisse ægris ex copiosi Sanguinis emissione simul facta*, *nunquàm ex eodem minore quantitate educto*, licet iteratis sanguinis missionibus eadem quantitas fuerit tandem extracta.

Humores Sanguinis vitium producentes, vel foventes corrigendi & evacuandi

C I X. Dum in Massæ Sanguineæ Alteratione ac Correctione versatur Medicus, licet, imò decet *Humorum* quorumvis aut *Sanguinis* notatum *vitium producentium*, aut idem *foventium augentiumve vitium* itidem ac simul *corrigere*, aut ipsos *copia excedentes*, vel in *totum inemendabiles* subinde *evacuare ac minuere*.

Nec interim vena secanda.

C X. Cavendum interim, *ne assumpto Medicamento purgante*, *humoresque per alvum*, *aut vomitum evacuante*, *secetur vena*; sed expectanda priùs Evacuantis medicamenti operatio integra.

Sed post ejus fectionem [illegible] cere uti Purgante.

CXI. Licet tamen *evacuata per apertam venam pauco sanguine*, quoties res desiderat, *exhibito mox Purgante*, *sursùm aut deorsùm humores quosvis* ad evacuationem aptos, præparatosve expellere.

Et quare.

CXII. Etenim assumpto Medicamento Purgante, universa Sanguinis massa non parùm turbatur, humoresque omnes in corpore existentes agitantur, atque ex parte saltem ad eandem massam propelluntur & perturbationem notatam augent; unde non nisi cum magno sanitatis, & vitæ periculo vena secatur, sanguisque educitur.

Quandiu post purgantem [illegible] ferenda venæ sectio.

CXIII. Unde opus est: ut ad minimum una nocte sibi relinquantur, atque ab evacuatione omnia turbante quiescant Humores omnes, prius-quàm

quàm secta vena educatur Sanguis; sed nonnunquam propter humorum conturbatinnem vehementiorem, atque diutiùs perseverantem, viresque adeò valde prosternentem differenda est per unum alterumve diem utilis aliàs futura sanguinis missio.

Post Sanguinis missionē tutò & cōmodè exhiberi posse purgans.

CXIV. Quoties autem Sanguis evacuatur paucus per apertam venam, toties viribus perstantibus, imò nonnunquam eductione Sanguinis recreatis, tutò & commodè post unam horam exhiberi potest pharmacum purgans; sicut non semel tàm in aliis, quàm in memet ipso sum expertus.

Medelam sutius inchoari à venæ sectione, non item à purgatione.

CXV. Ut ex dictis Præceptum in Medicinatum utile, tum magis generale formem: *Quoties aut durante sanitate vacillante, aut urgente Morbo qualicunque Rationalis* Medicus omnibus ritè expensis concludit, *utilem futuram Ægro, aut in Decidentiæ Neutralitate constituto, & Purgationem & Sanguinis eductionem; toties satius est, Medelam inchoari à Venæ apertione, non item à Purgatione.*

Cujus contrarium plerumque fit.

CXVI. Hoc idcircò magis moneo ac propono, quia contrarium solet à plerisque observari, & quidem non raró more malo & utinam non tam sæpè pessimo, ægrisque valdè noxio. Tantum potest, imò nocet Mos malus imprudenter pro benè agendi regula servatus & observatus.

Quid prudēti Medico observandū.

CXVII. Quivis ergn Prudens Medicus non facilè recedet ab iis, quæ Artifices agere consueverunt, sed inquiret ingeniosè in rationes, propter quas hunc vel illum sequuntur *morem*, ac imprimis, *an idem observetur cum felici successu, necne.*

Ratio sequēdus, si Experientia consentiat.

CXVIII. Quòd si proinde Rationem solidam & ab ipsa repetitam invenerit, morem tritum suadentem, atque Experientiæ felici consentientem, haud cunctanter aut solicitè sequetur Antecedentium gregem, quin iisdem mordicùs adhærebit.

Si nec Ratio qui suaserit, nec Experientia confirmet, id destrendum.

CXIX. Si verò è contrà nullam moris, etiam inveterati, rationem ipsus possit invenire, nec ab Artificibus rogatam obtinere; ast contrarium concludentes suadentesque rationes noret; & imprimis successus non raró infelices observet, morem tritum consequentes, jure merito ab ipso, licet maximè solemni & pervulgato, recedet, nec patietur se cogi ad morem pravum sequendum; quin cautè ac prudenter illum deseret, atque secundùm rationem atque experientiam opera sua diriget, Methodum diversam ineundo, & constanter servando.

Opera aliena non culpāda; sed propria & ratione, & Experientia probanda

CXX Cautè inquam & prudenter se geret, non culpando opera aliena, sed rogatus sua per rationem, experientiamque tuendo & probando. Hac enim via nullam morosis dabit cavillandi, calumniandive ansam, sed suæ satisfaciet conscientiæ, placebitque Deo: unde si præter suum meritum excipiatur malè à Viris tum rixosis, tum improbis, habebit de quo sibi gratuletur, quodque objiciat hominibus malis, & inani suæ gloriolæ, quàm veritati ægrorumque bono magis addictis.

Mores aliorum mali quomodo mutandi.

CXXI. Licet igitur prudenter mutare mores aliorum malos, attamen sine mordaci reprehensione, quin potiùs excusando ea, quæ putamus aut scimus, malè ab aliis facta; ne ipsos offendamus, aut irritemus, quò vinculis humanitatis eos alliciamus tum ad veritatem innotescentem amplectendam, tum ad bonum publicum promovendum.

Quando in mora non est periculum, non ma'rū interesse, an à Sanguinis missione, an

CXXII. Cæterùm illud, quod diximus de præmittenda Purgationi Venæ-sectione, habet imprimis locum, quando urget Affectus Curandus, estque in morà periculum. Quando autem nihil urget, concediturque Medico tempus sufficiens ad omnia requisita paulatim absolvenda, non multum interest, unde faciat ipse curandi initium, an à Sanguinis missione, an à Purgatione, Humorumque peccantium evacuatione: quamvis Ego existimem, ni *peculiares rationes dissuadeant*, semper tutiùs inchoari Curam à Missione Sanguinis, quoties ille venit simul educendus.

à purgatione faciat initium. Tutius esse à Sanguinis missione incipere, ni peculiares rationes dissuadeant.

CXXIII. Ni inquam peculiares rationes dissuadeant; sic *cœlo existente pluvioso* & humido, quemadmodum tunc tutiùs & commodiùs instituitur Purgatio, quàm Venæ sectio, ita præmittenda tunc Purgatio: & contrà *Cœlo existente sereno* Sanguinis eductio instituitur feliciùs, qua de causa Cœlum serenum optant, observantque Medici prudentiores ad venæ apertionem.

Quando plus urget purgatio, quàm Sanguinis Eductio, purgandum.

CXXIV. Sic quoties redundat in Corpore aut Pituita, aut Bilis multa, & idcircò plus urget Purgatio, quàm Sanguinis eductio, satius est, tunc præmittere Purgationem, & quidem aliquando sæpiùs, antequàm vena secetur; quoniam supponitur non tàm redundare tunc sanguinem, quàm Humores alios.

Post Sanguinis Eductionem Alterantibus uti licere. Ut & post purgationem.

CXXV. Dum autem sanguis aperta Vena minuitur, Humoresque vitiosi plus minùs pro re nata correcti evacuantur, licet continuè pergere in Alterantium medicamentorum usu; quin post sufficientem tum Sanguinis, tum Humorum aliorum eductionem bonum est imò necessarium, aliquandiu adhuc Alterantibus uti, quò non tantùm mali reliquæ superentur, Contentaque optima reddantur, verùm Continentes quoque partes, si quod detrimentum passæ sint, paulatim restituantur.

Quod patet in Cachexia

CXXVI. Ita in Cachexia notata non tantùm macilescunt partes multæ, sed non raró sensim laborant Leucophlegmatia, vel Anasarca, quibus quamvis per evacuantia per alvum ac sudores liberentur Ægri, remanet tamen in Partibus priùs afflictis quædam infirmitas, quæ Aromaticorum usu aliquandiu continuato paulatim superatur in totum.

CXXVII. Usurpari possunt illa, si macerentur in Vino, aliove Potu, & in prandio, cœna que capiantur. Idem judicium de Partibus aliisquodvis vitium retinentibus.

C A P U T V.

De Conceptione Læsa.

I. AFfectus Mulierum graviores tractaturi, exordium sumpsimus à Menstrua Purgatione, in Fœtus gratiam ipsis propria, læsa.

II. Huic subjunximus Fluorem Fœminarum album, ex sanguinis ad Uterum delati portione suo modo corrupta oriundum, atque semper plus minùsve Mulieribus molestum ac præternaturalem.

III. Pergemus nunc ad ipsum Propagationis opus ipsarum culpa læsum; ac 1. quidem agemus de Cnnceptione læsa, quippe quæ ipsum præcedere solet Partum.

Conceptio quid.

IV. Est autem *Conceptio, prima Fœtus ex Masculo ac Femineo Seminibus in feminæ Utero junctis permistisque Formatio.*

Fœtum non ex solo Maris semine formari.

V. Non sentio namque cum illis, qui fœtum ex solo Maris semine putant formari, cùm nullæ rationes illam opinionem probantes mihi hactenus sint auditæ aut lectæ.

VI. Ridiculum autem videtur mihi, Semen inutile produci à Feminis.

Sed utrumque desiderari.

VII. Scilicet utrumque ad Generationem absolvendam desideratur, unde facilè patet, *ad Conceptum requiri, ut Semina & Maris, & Feminæ ad Uteri Cavitatem, Fundumque perveniant, ibidemque commisceantur, imò permisceantur intimè.*

VIII. Fœ-

Fœmineum semen & in Uterum & ad ejusdem collum deferri.

VIII. Fœminas quod attinet, Vasa habent & ad ipsam Uteri cavitatem, & ad ejusdem Collum semen deferentia.

Hoc postremo fœmina non imprægnari.

I X. Quamvis autem credantur meritò plus voluptatis capere à semine ad Uteri Collum delato, ab eo tamen vix unquam videntur imprægnari.

Quare conceptioni sint ineptæ.

X. Quòd si proinde *Vasa* illa *versus Uteri fundum semini deferendo destinata desiderentur*, mirum non est, si *Conceptui* judicentur ac sint quoque *ineptæ*.

Vitium hoc sæpè non spectari.

X I. Ast licet hoc vitium non spectetur aut proponatur à multis, censeo tamen, non rarò illud habere locum; & imprimis tunc, quando fœminæ modis omnibus sanæ occurrunt, Venere gaudent ac delectantur, fluxumque habent menstruum naturalem, ut & satis copiosum effundunt semen.

Conceptione impediri.

X I I. Potest quoque *impediri Conceptus* ratione *Virilis seminis* à fœminis aut *non admissi*, aut *non retenti*.

Ob Semen virile non admissum.

X I I I. *Non admittetur* Semen Virile ac fœcundum, si *Fœmina* fuerit *imperforata*, si *Collum Uteri externum fuerit angustius*, quàm ut membrum admittat virile; si *Collum Uteri Internum clausum sit, nec patens*.

Quid sunt imperforatæ.

X I V. *Imperforatæ* vocantur illæ fœminæ, quibus *coaluere Carunculæ* Myrtiformes per *densam imprimis membranam*, aut quibus *Carunculæ eadem simili membrana* forinsecus obductæ sunt.

Per membranulam utplurimùm neglectam.

X V. Hæc membrana utraque à primo ortu solet adesse, estque nativa: quæ sicut non observatur semper ab Obstetricibus, ipsisque Nutricibus, & Matribus, ita negligitur ut plurimùm, dunec tandem pubertatis tempore sistantur propter ipsam Menstrua, plurimaque inde producantur mala, de quibus egimus in superioribus.

Qua foramine angustissimo viam quidem concedit aliquando Sanguini menstruo, non autem Semini Virili.

X V I. Quòd si Membrana hæc *foramine angustissimo* viam quidem concedat Sanguini menstruo, non concedet tamen virili semini; unde non nisi rarissimè ipsius aliquid versus interiora propelletur, hinc & Utero excipietur, admitteturve.

X V I I. Opus est namque, ut vehementer adeat, Venerisque stimulos patiatur Vir, cujus membrum virile Uteri collo externo inclusum, infundent, nihilominus per foramen exiguum semen suum versùs *Collum ejusdem internum*: quod *nisi applicetur foramini prædicto, minimè allicitur in se, admittetve semen virile*.

Quænam desiderentur ad conceptum facilitandum.

XVIII. Utrumque siquidem desideratur ad Conceptum facilitandum, seminis nempe Virilis effusio sufficiens ad Uteri interiora, ejusdemque attractio per suctus speciem facta ab Utero Virili membro sese applicante.

X I X. Ubi autem non intromittitur Virile membrum in externum uteri collum, difficulter, atque raròconveniens generationi continget seminis Virilis effusio.

X X. Ubi præthereà deficit applicatio apta Colli Uteri Interni ad Virilis membri glandem, ejusque foramen, frustrà expectatur Virilis seminis allectio, hinc & admissio in Uterum ipsum.

Quando conceptio non expectanda.

X X I. Nunquam verò expectanda est Conceptio, quando *Internum Uteri Collum non hiat*, sed aut *Obstructum* est ab *Humores valde glutinoso* & crasso; qualem memini me aliquando in cadaverum sectione observasse: aut *Coaluit*, post sui *excoriationem ex partu difficili*, aut *exulcerationem ex humore Acri* eò penetrante.

Utrumque semen ad conceptionem debere permisceri.

XXII. Non sufficit admitti, & allici quoque in Uteri fundum Virile semen, sed opus est insuper, ut ibidem muliebri conjungatur, ac commisceatur; quæ miscella imprimis prohiberi videtur, quoties magna est utriusque diversitas & dissimilitudo; qualis inter Pituitosorum, & Biliosorum, aut valdè melancholicorum semen; ut & si exempli gratia alterutrum semen sit à Lue Venerea multùm corruptum: quamvis nonnunquam observentur quoque Lue Venerea infecti generare; id quod contingit frequentiùs, quando sanguinis massa universa necdum est notabiliter vitiata, & imprimis, quando ea & mas & fœmina simul laborant.

XXIII. Porrò quàm maximè requiritur, ut utero immissum sperma probè in ipso retineatur. *Et in Utero retineri.*

XXIV. Quò autem censeatur *Conceptio facta* & integra, *triduo saltem Retineri debet in Utero semen*: tunc enim creditur Conceptio perfecta, postquam non rarò ante illud tempus observatur iterum effluere ipsum. *Et quamdium.*

XXV. Hanc ob rem monentur mulieres difficiliùs Concipientes post admissum semen quietum servare corpus, ne illius agitatione multa vehementive excidat iterum sperma nuper admissum, ac necdum Utero adhærens. *Ad conceptionē corpus quietum servandum.*

XXVI. Semen namque utrumque postquam intimè unitum permistumque est in Utero, sensim Utero ipsi jungitur quoque, & agglutinatur per futuræ Placentæ rudimenta, quæ tum demum observari possunt, sensibusque capi externis, quando excreverunt aliquantùm, molemque nacta sunt tantam, quanta requiritur ad sensus externos movendos. *Semen utrumque permistum Utero jungi, & rudimenta Placentæ producere.*

XXVII. *Non permanet in Utero semen*, at paulò post iterum ex ipso *effluit*, aliquando ipsius *Seminis culpa*: quod evenit præsertim, quando illud *naturali fluidius existit & Aquosius*. *Semen ex Utero rursum effluere, vel Seminis culpa.*

XXVIII. Accidit autem id tum propter quorundam *Constitutionem* talem, eamque vel *naturalem, & nativam*, vel *adventitiam*: tum propter *ætatem senilem, cum Infirmitate conjunctam*, postquam observantur indies senes satis vegeti, adeò ut non tantùm ad ætatis annum sexagesimum, verùm septuagesimum quoque, atque octuagesimum & quod excurrit, Generationi vacent; tum propter *Venerem nimiam*, cujus causa loco Seminis fœcundi ac subviscosi semen produci solet infœcundum & Aqueum.

XXIX. Hoc verò locum habere potest non tantùm *in Maribus*, verùm *Fœminis* quoque; quippe quæ non minùs notatis possum laborare Affectibus & Infirmitatibus.

XXX. *Uteri culpa excidit, nec retinetur in ipso semen utrumque*, quando idem *laxior est*, nec post semen admissum *corrugatur satis*, quod requiritur omninò ad seminis retentionem. *Vel Uteri culpa.*

XXXI. *Laxor* existit *Uterus* quibusdam *à natura & constitutione nativa*; quibus mox excidit semen admissum, quod ferè *sine voluptate, saltem notabili*, solet admitti, concurrente ut plurimùm *constitutione corporis universi molli, laxa, & Pituitosa*: propter quam tum *ad Venerem minùs pronæ* solent esse tales mulieres, tum *parùm vel nihil voluptatis* ex ipsa *capere*, tum denique *Uterum segniùs, ac minùs sese corrugantem* habere. *Ob laxitatem à natura ortam.*

XXXII. Ad notatam Uteri laxitatem producendam videtur facere *Pituita multa* in Sanguine existens, atque non tantùm Humores omnes Pituitosos, sed *Partes* quoque *Continentes*, ipsumque adeò *Uterum*, *similes* faciens. *A Pituita multa productam.*

XXXII. Quemadmodum id malum quibusdam est nativum, & Parentibus, Matri præsertim debitum, ita nonnunquam est *adventitium*, atque *Diætæ pravæ* præsertim adscribendum, *Alimentis* Pituitam multam generantibus, aut copia nimia diu ingurgitatis; *Aeri frigido humidoque diu usurpato*; *Pluviæ* corpus sæpiùs & valdè madefacienti; *Vitæ* otiosæ, ac desidi; *Somno* multo, longo, & profundo; *Evacuationibus* nimiis, *Hæmorrhagiæ* putà, Mensibus copiosioribus, &c. *Alvi fluxui* perseveranti, &c. aliquando *Medicamentis refrigerantibus* dictis copia nimia, & imprimis aliquandiu perperam usurpatis. *Ex diæta prava.*

XXXIV.

... rr & à Sero.

XXXIV. Quod de Pitoita, Humore crasso atque plus mioùsve viscoso dictum, dicendum quoque de *Seroso, sed Aqueo magis, quàm Salso*; à quo tamen utroque in Corpore abundaote ac redundante Uterus humectatur, laxaturque, aut simul irritatus ad biandum cogitur.

Cachecticæ quare plerumque steriles.

XXXV. Hinc est, quòd tàm frequenter observentur fœminæ Cachexia Pituitosave, Serosave laboraotes Sterilitate simul vexari, nec prius ab eadem liberari, quàm superata fuerit notata Constitutio vitiosa & noxia.

Uteri Laxitas à defectu Sanguinis Vitalis & Spirituũ Animaliũ.

XXXVI. Quò minùs *Vasa minora, Arteriæ ac Nervi, ad Uterum delata*, & minus *Sanguinis vitalis, Aaimaliumque Spirituum* ad Ipsum devehentia inter Causas Uterinæ Laxitatis referri possint, non video, qoid obstet; postquam illorum ope *Partium* quarumvis *robur conservatur & augetur*, eorundem proinde *defectu* qualicunque *laxitas iisdem accidit*.

Semen ex Utero rursum efluere ob causas externas.

XXXVII. *Excidit* aliquando *ex Utero semen ob Causas externas*, erroresve in *Rebus nonnaturalibus* patratos.

1. Ob motũ corporis vehementiorẽ

XXXVIII. Huc referri debet 1. *Motas Corporis vehementior*, qualis est *Cursus*, & imprimis *Saltatio*, Equitatio, Vectio per Currum, ac præsertim supra lapides.

XXXIX. Tali namque Moto concutiuntur Corporis partes omnes adeò ot facilè excutiantur quæcunque Utero concluduntur.

2. Ob iram vehementẽ.

XL. *Ira vehemeas*, propter quam quemadmodùm mirè agitantur Partes omnes, ita nonnunquam Motus Convulsivi, & ipsa Epilepsia sequuntur; simulque oon tantùm Alvi Excremenra & Urina insciis excernuntur; quin subinde Abortus accedit, adeòque longè faciliùs seminis necdum Utero agglutinati Exclusio.

XLI. Iubent hac de causa Medici, ut ab omni Irà sibi caveant Mulieres, quamprimùm de impraegnatione dubitare incipiont.

3. Ob inopinatum terrorem.

XLII. 3. *Inopinatus Terror*, à quo faciliùs quàm ab Ira tom Abortus, tam Seminis nuper admissi Exclusio promovetur.

4. Ob Potus ingurgitationem.

XLIII. 4. *Potus*, ac imprimis *Generosioris*, *Ingurgitatio*, unde sicut Humores omnes magis solvuntur & agitantur, ita quicquid expelli facilè potest, facilè excluditur; facillimè autem semen nuper admissom.

XLIV. Hinc est forsao, quòd pleræque Mulieres Potui tam copioso, quàm generoso addictę, plerumque sint simul steriles, aut abortiant sæpiùs.

5. Ob Evacuationem insignem.

X L V. 5. Omnis *Evacuatio insignis*, *Hæmorrhagia*, *Alvi fluxas*, &c. Nil namque familiatius, quàm ad hęmorrhagiam enormen observare Abortum subsequentem; adeòque longè citiùs, faciliùsque nuper admissi Seminis Effusionem.

X L V I. Ita frequenter solet ad Alvi fluxum gravem consequi Abortus; & si à maiori valeat consequentia ad minus, longè faciliùs continget admissi noper Seminis expulsio.

6. Ob Aeris Æstum summum.

XLVII. 6. *Aeris Æstus summus*, propter quem cùm observetur aliquando evenire Abortus, mirum non est, si eius vitio seminis quoque nuper Utero excepti Effusio contiogat.

7. Ob Medicamenta Menses ciere solita.

XLVIII. Huc etiam referri debent 7. prę aliis omnibus *Medicamenta Menses ciere solita*, quę sicut non raro Abortum producunt, sic facilimè semen recenter admissum iterum eiiciunt, & Conceptionem impediunt.

Semen Utero debere agglutinari

XLIX. Inter Requisita ad Conceptionem dixi desiderati quoque, ut semen utrumque unitum permistumque *agglutinetur Utero*; qood ni fiat, sponte iterum excidet inde, frustrabiturque spe sua sobolem optans Coniux.

Agglutinatio diversa in mulieribus & Brutis.

L. *Agglutinatio* ista diversa observatur in Mulieribus, atque in multis Brutis

LI. Nam ut Bruta prętereamus, cùm ad Veterinariam Medicinam spectet horum Generatio, fœtusque cum Utero Agglutinatio; *in fœminis ... Delebus Opera.. manis per infinita pene foramina universæ tuntùm non Uteri superficiei internæ uaitur & agglutiaatur per intermedium placentam Fœtas.*

In Mulieribus quomodò fiat.

Placenta quomodò Utero, quomodò Fętui adhereat per Vasa ũbilicalia.

LII. Placenta siquidem Utero adhæret, agglutinaturque proximè; fœtui autem per Vasa umbilicalia: Venam nempe Umbilicalem Fœtus Hepati implantatam, & Sanguioem maternum in Placenta immutatum ad ipsius tum Nutritionem, tum Augmentationem transferentem; ut & Arterias umbilicales, ex fœtus Iliacis Arteriis oriundas, & Sanguinem ipsius fętus ad Placentam deducentes.

Circulatio Sanguinis Materni, Fętus in Placenta, Qualis sit.

LIII. Non possum me hic continere, quin tantisper à proposito digrediar, & paucis *de hac Sanguinis Materni & Fœtus circulatione in Placeata observabili* differam.

LIV. Videtur oamque mirom, Saoguinem maternum in Placenta novam mutationem subeuntem, hinc ad Fœtus Hepar delatum, aliqua sui parte iterom ad eandem Placentam refluere: quod idcircò factum judico, quò Sanguis maternus hac nova Circulatione aptior reddatur Fœtui tum nutriendo, tum iodies augendo.

Et in quem finem.

LV. Aptior autem ad illum finem consequendum redditur nova ista Circulatione, & utriusque admistiooe Sanguis, quatènus similior efficitur Maternus Sanguis Sanguini in fœtu existenti propter hujus admistionem.

Ubinam Sãguis maternus trãseat in Sãguinem Fętus.

LVI. Quemadmodum eoim Chylus faciliùs in Sanguinem abit in dextro Cordis Ventriculo propter sui cum sanguine mistiooem, Ita Sanguis Maternus faciliùs transit in naturam Sanguinis fœtus in Hepate, hinc & Corde, propter ejusdem cum hoc permistiooem in Placenta.

Mistio utriusque.

LVII. Ubi notabilis observanda otriusque hujus misturæ diversitas, Chylus namque miscetur cum Sanguine ad Cor descendente, Sanguis autam Maternus cum Sanguioe Fœtus ad Cor ascendente: Fortasse quia Chylus multùm participat de Acido, quod in fœtu desideratur propter Vitalem Ignem in ipso auctum; Sanguis verò per Hepar penetrans multùm turget Bile, adeòque Sale Volatili Oleoso, quod in Fœtu necdum excluso desideratur ad Igoem vitalem adhuc debilem augendum, fovendumque.

Rudimentum Fętus quõ fiat.

LVIII. Sed revertamur in viam. Videtur nimirum in Fętus Humani conceptione ex Utroque famine unito junctoque *formari Fœtus ipsius* Rudimentum, à quo expandatur simul Vasorum Umbilicalium, ac Placentæ Initium; quod Placentæ initium ac Rudimentum Uteri calore blando ita foveatur, ut ejusdem Osculis ubivis patentibus accrescat & agglutinetur.

Agglutinatio cui debeatur.

LIX. *Agglutinationem* hanc imprimis deberi censeo *parti semiais glutiaosiori Placentam efformanti*, & *Osculis Uteri blande patentibus sese iasinuanti & jungenti.*

Conceptionis tempus.

LX. Postquam verò hæc agglutinatio facta est, arbitror verè absolutum esse Conceptum; quem in aliis citiùs, in aliis seriùs evenire autumo; imo in iisdem fœmiois aliàs citiùs, aliàs serius! adeò ut non videam certum tempus definiri posse illi agglutinationi.

Semen Utero receptũ non statim ei agglutinari.

LXII. Non putandum enim, quamprimum Utero continetur semen, mox idem ipsi adhærere & annecti, sed aliquid temporis requiri ad perficiendam illam agglutinationem.

LXII. Etenim quamvis frustrà expectetur Agglutinatio, si exciderit semen; non sequitur tamen, illud mox utero agglutinari, ubi utero retinetur.

LXIII. Fieri namque potest, ut semen utrumque Utero contineatur, atque ad Menstrui Sanguinis affluxum iterum deturbetur, quod aliàs cœpisset ei agglutinari.

Tempus congressus ad cõceptionẽ post fluxum menstruum.

LXIV. Quocirca laudaot Medici Congressum Maris ac Fœmioæ paulò post fluxum menstruum, non item ipso instante; dummodò ille Generationis ergò instituatur.

LXV. Quemadmodum enim aliquod tempus requiritur ad seminis utriusque commistionem, ita post illam mora quædam exposcitur ad ejusdem per intermedium Placentæ rudimentum cum utero agglutinationem,

Tempus agglutinationis,

LXVI. Tempus autem illud videtur aliquando brevius, aliquando longius: & brevius quidem, quoties glutinosius est semen, atque siccior Uterus; longius verò, quoties fluidius est semen, Uterusve humidior.

Conceptum intra quatuor dies plerumque, absolvi,

LXVII. Quot diebus autem Conceptus plerumque absolvatur, difficile est determinatu: quamvis existimem, ut plurimum intra quatuor dies id evenire; quoniam sine abortu vix post quartum diem observatur effluere amplius semen tamdiu retentum: quantum saltem hactenus Ego è fœminarum relatu percipere potui.

Conceptionis læsæ causa,

LXVIII. *Agglutinationis* hujus *læsæ Causa* videtur esse, tum *semen minùs Viscosum*, sed *Aqueum*; tum *Uterus* secundùm sua foraminula *nimis*, *aut minùs patulus*; tum *Sanguis Menstruus* paulò post congressum prodiens; tum quicquid docuimus antea impedire *Seminis* in Utero retentionem, quin *promovere ejusdem exclusionem*.

1. Semen minùs viscosum

LXIX. Semen minùs viscosum aut utrique Viro ac Mulieri debetur, aut alterutri, tum propter constitutionem Sanguinis, Humorumque omnium nimis Aqueam; tum propter nimiam Venerem, propter quam loco seminis glutinosioris succedere solet semen Aquosum.

2. Uterus secundùm sua foramina nimis patulus,

LXX. Uterus secundùm sua foraminula est nimis patulus in Scortis, aliisque Venere nimia utentibus, ac præsertim cum voluptate notabili, propter quam totus Uterus magis explicari solet, atque secundùm sua foramina magis patere.

LXXI. Uterus contra secundùm eadem foramina minùs patere solet in constitutione corporis aridiore, animique tristitia perpetua, unde minore quoque voluptate solent tales mulieres affici ad congressum maris, difficiliùsque ipsarum utero agglutinari semen infusum, confusumque: adde quòd in talibus rariùs, parciùsve effundatur semen proprium.

3. Sanguis menstruus statim post congressum effluens,

LXXII. Sanguinem menstruum diximus modo, si primis post congressum diebus prodeat, secum abducere facilè admissum utero semen: quod imprimis contingit, si copiosior elabatur, à quo simul facilè ipsum eluitur semen.

4. Res non-naturales Semen excludentes,

LXXIII. Huc meritò referimus Causas plures in Rebus non-naturalibus consistentes, à quibus ostendimus supra excludi denuò semen utero contentum retentumque, antequam ipsi agglutinatum sit, quod non multò difficiliùs contingit, quando Utero incipit agglutinari, aut vix agglutinatum est semen.

Conceptioni læsæ curatio,

LXXIV. Hactenus Conceptionis læsæ naturam & Causas explicuimus; proximum est, ut secundùm ipsas *Curationem* quoque proponamus.

LXXV. Instituemus autem ipsam secundùm quatuor memorata Requisita, ipsorumque malè habentium Causas enumeratas.

1. Si Semen in Uterum non admittatur,

Fœmina imperforata curatio,

LXXVI. Ex Requisitis ad Conceptionem absolvendam notavimus 1. *Seminis utriusque admissionem in Uterum*.

LXXVII. Quod si igitur *Imperforata* observetur in sua infantia fœmina, tunc & faciliùs, & commodiùs curari poterit; uti tum difficiliùs, tum molestiùs, si hoc vitium observetur seriùs; quod fieri solet etiam non advertentibus, postquam viam quærit nec invenit fluxus sanguinis menstrui: unde colligitur in externo Uteri Collo Sanguis copiosius, quin corrumpitur ibidem, paritque molestias incredibiles: sicut naravimus, ubi de suppresso egimus fluxu menstruo.

LXXVIII. *Perforatio* verò illa quæ debeat instituit, docuimus ubi suppressi fluxus curationem tractavimus, Adhibenda est autem Cautela, *ne lædantur Carunculæ Myrtiformes*, partesve ipsis connexæ: quapropter *seligendus apertionis primæ locus, ubi videntur concurrere dictæ Carunculæ*: qua prima apertione feliciter succedente, vix difficultas supererit in curæ parte reliqua.

Quomodo peragenda.

LXXIX. Ast non sufficit, ut *via* menstruo Sanguini pateat, qui non indiget ampliore ostio, sed *Virili membro paranda* quoque, si Generationi apta desideretur talis fœmina.

LXXX. Quoniam igitur necesse est, ut Virile membrum ad Generationis opus absolvendum per Collum Uteri externum pertingat usque ad Internum, in quod semen suum effundat; requiritur quoque tantum spatium, quod illud admittat, quinimò cùm *per viam eandem prodire debeat Partus tempore Fœtus maturus*, opus est, ut membrana illa tenax nominatas Carunculas vel connectens, vel tegens eousque consumatur, ut sine vitæ periculo erumpere possit fœtus tener.

Fœmina non satis perforata curatio.

LXXXI. Quod dictum de absolutè imperforatis intelligendum quoque de iis, quæ *non sunt satis perforatæ*: quamvis hic tutiùs administrari possint quævis: operationes Chirurgicæ, postquam nullus metus est in prima operatione lædendi partem primariam, & ad Colli externi integritatem facientem.

Quibus remediis fiat.

LXXXII. Opus est autem tum Cauteriis potentialibus, hoc est *medicamentis* redundantem membranam *corrodentibus*, ut & aliquando *forficibus*, *cultrisque* ad partes aliquas residuas amputandas, denique *medicamentis cicatricem inducentibus*, ne excrescente carne superflua novum oriatur malum priore non minus.

LXXXIII. De his autem pauca proponimus, cum quæ ad Chirurgiam pertinent ex professo hic tradere neutiquam sit opportunum.

Collum Uteri externum angustius quî curetur.

LXXXIV. Si *angustius* fuerit *Collum Uteri externum*, & ita quidem, ut admittere non possit Membrum Virile, ac ex parte *coaluerit*, vel post *partum difficilem*, vel post *vim quamvis* huic regioni illatam, vel casu & fortuitò, vel voluntariè, opus est, ut sensim *coalitio* dicta *solvatur*, & ad pristinam integritatem pars illa redigatur.

LXXXV. Hoc autem faciendum itidem per adminicula Chirurgica; *cultellos*, hinc & *medicamenta cicatrisantia*; impediendo sedulò, *ne denuò coalescant* nuper divisæ atque ab invicem separatæ partes.

Collum Uteri internum Humore glutinoso obstructum qui curetur.

LXXXVI. *Si ab Humore glutinoso Uteri collum internum obstructum* est, adeò ut semen Virile non admittat, non ita difficulter inde removeri poterit, applicando Uteri Orificio *fotum ex plantis Aromaticis*, *Uterinisque paratum*, cujus ope solvitur, educiturque Humor glutinosus, atque levi negotio curatur malum molestum.

LXXXVII. Tale malum familiare est *Mulieribus Uterum multa pituita viscosa refertum habentibus*, atque ejusdem fluxum subinde cum sanguine menstruo patientibus.

Qui caveatur.

LXXXVIII. Idem malum *cavetur*, usurpando indies *Medicamenta Pituitæ generationem novam in corpore impedientia*, & *eandem sensim minuentia*, *Phlegmagoga* satis nota: ut & *cavendo à rebus Pituitam dictam producentibus* & *augentibus*: de quibus non semel actum à nobis in superioribus.

Collum Uteri internum si coaluit, incurabile.

LXXXIX. *Uteri Collum internum* quandoque *post partum difficilem excoriatum coalunt* & occlusum est: quod vitium habemus pro Incurabili.

Ut & Uterus vi quadam inversus.

XC. Impediri quoque Virilis Seminis admissionem in *Uterum*, quoties idem *in partu difficili*, & *vi Utero in secundinarum extractione facta inversus est*, docuimus supra; atque malum hoc itidem habemus pro Incurabili.

XCI. *Fœmina Semen seorsim admitti non potest*, saltem

Nec non Vasa semen deferentia in Uteri fundum nō desinentia.

saltem non facilè, quoties *Vasa semen ipsius deferentia non desinunt in Uteri fundum*, sed *tantùm in colli interni extremum*, quod malum similiter pro incurabili censendum.

2. Si Semen utrumque non permisceatur. Ejus causa.

XCII. *Ad Conceptus perfectionem* diximus requiri 2. *ut semen utrumque, Maris ac fœminæ Utero exceptum permisceatur, & adunetur.*

XCIII. Hanc *Seminis Utriusque conjunctionem ac permistionem impediri* diximus propter ipsorum dissimilitudinem ac diversitatem: quæ imprimis observatur, quoties *Maris aut Fœminæ Constitutio est Morbosa*, & ita quidem, ut multùm abscedat ab alterius sani constitutione: quod adhuc evenit facilius, quando *uterque Mas & Fœmina adversa, sed sibi contraria utitur valetudine*.

Curatio.

XCIV. In hujus proinde infirmitatis Curatione opus est, ut Alterutrius vel Utriusque Valetudo qualiscunque adversa emendetur.

XCV. Quòd si *Venerea Lue* laboret alteruter Conjugum, ejusdem Curatio ex arte instituenda erit, quò reddatur ipsius semen sanum, ac generationi aptum.

XCVI. Quòd si *Cacochymia* laboraverit *Pituitosa, Biliosa, Melancholicave*, ob quam semen prodit simile, & hactenus ab alterius semine ita diversum, ut desideratum non fiat utriusque conjugium, corrigenda erit eadem medicamentis tum alterantibus, tum subinde minuentibus, evacuantibusque humorem peccantem, ut sic Generationi aptum producatur semen.

3. Si semen utrumque permistum nō retineatur. Ejus causa.

XCVII. Ad Conceptum perficiendum diximus *requiri* 3. ut *Semen utrumque Utero* exceptum permistumque *in eodem permaneat, neutiquam ex ipso iterum excidat*; quod addidimus evenire aliquando Ipsius *Seminis*, aliquando *Viri* culpa, & aliquando propter *Rem non naturalem excessu aliquo peccantem*, aut etiam *fortuitum*, & *casu* vel *voluntariè*, adeòque *malignè* Mulieri *aliunde* obvenientem.

Curatio si Semen existat fluidius.

XCVIII. Si ergo *Semine utroque* simul misto *fluidiore* existente, *aqueoque*, eveniat hoc malum; danda opera, ut, sive *Conjugum alterutrius* sive *utriusque* culpa existat *Semen tale*, illud emendetur, inspissetur, ac viscosius producatur.

Ex constitutione nativa vel adventitia.

XCIX. Ubi distinguendum inter *Constitutionem nativam & adventitiam, ex rerum non naturalium*, ipsiusque adeò *Veneris abusu*, proficiscentem. Difficilius namque curantur, qui *nati* sunt *imbecilles*, quàm tales *facti* sunt postmodum propter patratos in rebus non naturalibus errores crebros & graves.

Quibus utendum.

C. Corrigetur autem utrumque malum *continuo & parco usu Plantarum Aromaticarum*, quovis modo aptissimo usurpatarum, & imprimis *Salis Volatilis Aromatici & Oleosi*: quorum ope paulatim restauratur Imbecillitas Aquosa ex Rerum non-naturalium abusu orta, quin roboratur ipsa Imbecillitas quorundam naturalis, dummodò non sit extrema.

A quibus cavendum.

CI. Danda verò insuper opera sedula, ne pergant ægri in notato rerum non-naturalium abusu; à quo productum fuit, aut etiam nunc produci potest, corrigendum malum.

A Venere nimia.

CII. Imprimis *cavendum* est à *Venere nimia*, quæ omnes dissolvit exolvitque Vires tum fœminarum, tum præsertim Marium.

Quæ nimia est vel respectu constitutionis.

CIII. Ubi observandum, non eandem quibusvis præscribendam regulam, cùm alii occurrant vegetiores, plurimumque seminis generantes; ac sine notabili debilitate profundentes, alii verò debiliores, atque parum seminis gignentes, parcamque ipsius effusionem ferentes: Interest proinde, ut unusquisque roboris sui aut infirmitatis conscius factus, noscat quid in campo prælioque Venereo ferre possint suæ vires, quid ferre recusent; dandaque opera, ut quivis tam strenuè in hoc exercitio gerat, ut diu in eodem persistat, nec brevi deficiat.

Delebor Opera.

Vel respectu Senii.

CIV. Ubi verò propter *Senium citiùs seriùsve decrepiti* facti sunt, ac Venereis exercitiis debiles, vix unquam restitui possunt tales, quos proinde satius foret in tempore valedicere complexui Venereo, quàm in eodem deficere ac perire. Quòd si illi rarissimè ad hoc opus naturæ accedant, & ita ut vix semel in anno rideat ipsis Apollo, fieri potest, ut quotannis Uxores juvenculas impregnent sicut ejus rei exempla novi non pauca. Ubi verò tales supra vires suas studeant Veneri, cogitandum est ipsis continuè de letho, dum suum ingrediuntur lectum.

Curatio, si Semen culpa Uteri laxioris, ex eo excidat.

CV. Si commixtum *Semen* Utrumque *excidat ex Utero culpa ipsius Uteri, & quidem laxioris*; danda est opera, ut Constitutio tam Corporis Universi, quàm, Uteri Pituitosa corrigatur, emendeturque; quòd, sicut modò dictum, fiet usu continuo rerum Aromaticarum, & Salium Volatilium Oleosorum; cavendo insuper à rebus omnibus Pituitam generantibus, ipsumve Uterum Pituitosum efficientibus; quò præ cæteris referri debet Frigus humidum, Aquæ, Pavimenti, Aeris, Utero exceptum, aut quovis modo eò penetrans.

CVI. Hic etiam plurimùm prosunt omnia Uteri substantiam roborantia tum interna, tum externa, quovis modo aptissimo usurpata, qualia sunt fotus, suffumigia, Emplastra, &c.

Si propter rem aliquā nō-naturalem Semen ex utero expellatur.

CVII. Quòd si propter *Rem non-naturalem quovis modo excedentem, peccantemque excutiatur semen* nuper in Uterum admissum; sedulò annitendum, ut res istæ omnes caveantur, & admissi Seminis exclusio præveniatur.

Nempe vel ob cursum vehementē, Saltationē, &c.

CVIII. Sic 1. à *Cursu* omni vehementi, ut & *Saltatione, Equitatione, Vectione*, quinimò in quibusdam à levissima quoque *Corporis extensione, Brachiorumque elevatione*, ut & *forti Vociferatione* cavendum, quoties horum Motuum aliquem deprehenditur Seminis Exclusio subsequi.

Unde etiam sæpe Abortus.

CIX. Nec ulli hoc debet videri mirum, quum sæpenumerò post Motum vehementem corporis, ejusdemve extensionem, etiam non valdè notabilem, postquam Utero jam est agglutinatum semen utrumque, sequatur Abortus, ac proinde longè faciliùs utriusque seminis necdum Utero juncti præmatura expulsio.

Et Sterilitas Fœminarum juvencularū.

CX. Unde non mirum, si multæ fœminæ juvenculæ ac petulantes simulque delicatulæ, satis diu aut semper maneant steriles; quæ si sui haberent rationem majorem, exactamque, forent facilè fertiles.

Quod Medicis junioribus notādum.

CXI. Hoc idcircò seriò notare debent Juniores Medici, rerum harum rudiores, quò, si aliquando consilii causa vocentur apud quosvis prolis amantes, inquirant diligenter, num in brice Corporis Motibus peccent Mulieres, sicque sua culpa existant steriles, ut consilio facili curent id malum grave; atque tranquillitatem domesticam sæpè turbans.

Vel ob irā.

CXII. Sic 2. Quoties fœminæ sunt *Iracundæ*, adeò ut ob minimam causam non tantùm irritentur & irascantur vehementer, ast insuper facilè idcircò abortiant, & adhuc faciliùs nuper admissum Semen ideò excutiant, perdantque; danda est opera sedula, ut quævis iracundiæ irritationisque occasio præcidatur, atque mulieri tali obsequium quodvis præstetur à ministris, sed & occasiones gaudii atque voluptatis excogitentur, quæranturque à Marito & Propinquis.

Prægnantibus familiarem.

CXIII. Ubi notandum, sicut plerisque fœminis prægnantibus excitari solent Nauseæ, Fastidia, & similes molestiæ, & quidem non rarò mox à primo ingravidationis, seminisque Utero excepti momento, ita quibusdam tunc familiarem esse insolitam iracundiam, & ad irascendum miram proclivitatem, ex qua etiam certum desumi solet Gravidationis argumentum atque signum.

Vel ob Terrorem inopinatû a variis causis.

CXIV. Sic 3. Cavendum imprimis ab *Inopinato Terrore*, tum Abortus omnis, tum præsertim Semioi excussi Causa frequentissima: Hic autem Terror cùm fiat subinde à *Personis* molestis, subiode à *Brutis* exosis, metumque incutientibus; subinde ab *Imaginatione* sola; subinde ab *Insomniis*; non eodem modo iisdemque mediis succurrendum est illis Terroribus inopinatis, sed pro Causis diversis aliqua erit observanda diversitas.

A personis molestis.

CXV. Nam si *Personæ* aliquæ in Causa sint, mooendæ sunt, ut parcant fœminis, aut vi etiam removendæ, ne ad ipsas veniant & turbent, quoties ex malignitate, aut petulantia id agunt.

A Brutis exosis.

CXVI. Si *Bruta* quædam metuantur à Fœminis, caveodum ne illa ipsis ostendantur, ac imprimis non cogitantibus offerantur; ne quoque ad illa loca deducantur, ubi talia sunt bruta: quin adstaotes continuè attendere oportet ad eadem bruta, ut simul ac observentur, inde removeantur.

Ab Imaginatione.

CXVII. Si ex *Imaginatione* sola & metu panico facilè terreantur fœminæ, danda est opera sedula, ut illa persuasione falsa mens ipsarum, quantum & quàm cito possibile, liberetur; quod nunquam, nisi raciocinatione solida optinebitur.

Ab Insomniis.

CXVIII. Si ex *Insomniis* gravibus & horrendis Terror magnus afficiat fœminam, allaboraudum, ut Somniorum & Insomniorum terebilium Causæ præcidantur, quales sunt Discursus de rebus tristibus & horrendis Animam turbantes atque ad Somnia similia deducentes.

Vel ob potû generosum.

CXIX. Sic 4. Cavendum est à *Potu quovis generoso liberaliùs ingurgitato*, qui, ac præsertim in Corporibus delicatis, tum alios humores quovis reddit mobiliores, tum ipsum semen magis dissolvit, tum Retensionem omnem labefactat: nisi vehementer illum appetiverint fœminæ.

Vel ob evacuationem aliquam & precipuè Sanguinis.

CXX. Sic 5. Abstinendum sedulò ab *omni Evacuatione* forti, ac præsertim *Sanguinis*, quæ præ aliis omnibus periculosa: quooiam unà cum ipsa universus in corpore agitatur & quaquaversum commovetur Sanguis, ergo etiam versus Uterum; qui quoniam tunc temporis ob nuper admissum semen subpatulus adhuc existit, facilè Fluxui Sanguineo, & una cum ipso Seminis necdum agglutinati exclusioni ansam præbet.

In Fœmina nuper ingravidata vena non facilè aperienda.

CXXI. Imprimis cavendum, ne absque urgente admodum necessitate appetiatur vena in fœmina de ingravidatione nupera suspecta.

CXXII. Quòd si tamen, quod facilè fieri potest, incidat fœmina talis in gravem Pleuritidem, aliis specificis haud cedentem, atque summo æstu molestam; satiùs est perire post Sanguinis emissionem fœtus spem, quàm ipsam fœminam propter neglectam Venæsectionem.

Omnis Vomitio omittenda.

CXXIII. Oportet quoque omittere omnem *Vomitionem*, *voluntariam vel artificiosam*; quippe quæ omnes Abdominis Musculos vehementer agitat, & omnia in ipso contenta potenter comprimit, ac non rarò alvi fæces urinamque expellit, quia Abortum quoque frequenter parit, multò itaque faciliùs semiois nuper Utero excepti ac io ipso fluctantis, nec adhuc agglutinati excussionem.

Omnis Alvi dejectio coacta vitanda.

CXXIV. Vitanda porrò omnis *Alvi dejectio* coacta & multa, cùm non tantùm Intestina tunc ad contentorum excretionem irritentur, sed Vesica quoque; ipseque adeò uterus; qui tempore Menstruorum toties Sanguioem solet effuadere, quoties Alvi excrementa solent vi expelli.

Vel ob Aeris Æstum summum.

CXXV. Sic cavendum 6. *ab omni Aeris æstu summo*; qui cùm sæpiùs observetur Abortus Causa, non mirum, si & admissi nuper Seminis exclusionem gignat.

Qui sæpe Abortus causa.

CXXVI. Eatenus autem Abortus & Exclusi Seminis causa videtur esse Aeris æstus summus, quatenus *vires omnes vehementer labefactat, dissolvendo humores omnes, ac dissipando Spiritus Animales*, quin *Semen* nondum coagulatum, aglutinatumque *fluidius reddit*, adeòque *ad sui Effluxum promovet*.

CXXVII. Vitatur autem Aeris æstus magnus, imprimis sese Solis radiis subtrahendo circa tempus meridianum, atque interim sese continendo domi in loco subterraneo, aut à Meridie averso; nec nisi circa Solis ortum & occasum sese Aeri libero committendo.

CXXVIII. Cætera, quæ Aerem magis temperatum ac subfrigidum producere queunt, qualia sunt Acetum, aut Plantarum Refrigerantium dictarum Decoctum, Aquave pura ut & folia earundem plantarum per pavimentum diffusa, vel dispersa, locum quoque hic habere possunt atque conducere.

Vel ob usum Medicamentorum menses moventium.

CXXIX. Sic cavendum 7. ab *omni usu Medicamentorum menses movere solitorum*, cùm ab illis non rarò Abortus excitetur, longèque faciliùs & citiùs nuper admissi seminis exclusio inferatur.

4. Si Semen utrumque permistum Utero non agglutinetur.

CXXX. Cæterùm diximus, non sufficere ad Conceptionem, ut 1. Semen utrumque in Uterum admittatur; ac 2. in eodem permisceatur & uniatur; ac 3. in eodem retineatur, permaneatque: verùm requiri quoque 4. ut illud *utrumque* mistum ac conjunctum *ipsi Utero agglutinetur*.

Ejus causæ.

CXXXI. Hanc verò Agglutinationem docuimus impediri, tum 1. propter ipsum *semen nimis Aqueum, adeòque minùs glutinosum*, tum 2. propter *Uteri oscula nimis aut minus patula*; tum 3. propter *subsequentem mox fluxum Sanguinis menstruum*; tum 4. propter *expositam seminis xclusionem*.

Curatio si Semen sit nimis Aqueum.

CXXXII. *Semen nimis Aqueum* redetur magis glutinosum, tum in mare tum io fœmina, *continuo usu Alimentorum viscosorum*, qualia petuotur ex Animalium plerorumque extremis, cruribus & capitibus: cavendo sedulò à multa Aqua, sive in potu, sive in jusculis usurpata: tum *abstinendo a Venere immodica*.

Si Uteri Oscula sint nimis patula.

CXXXIII. *Uteri Oscula nimis patula* constringentur tantillùm usu moderato & aliquandiu contiouato rerum subausterarom, qualia sunt Mala punica, Berberes, Omphacium, Mala Cydonia, &c. additis semper Aromaticis, Sed Subausteris, ut sunt Nuces Moschatæ, Cinnamomum, Cassia, Lignea, &c. non neglectis externis fotibus, Balneis, Emplastris, &c. itidem blandè adstringentibus.

Si eadem minùs patula.

CXXXIV. *Uteri Oscula minus patula* reddentur paulatim magis aperta usu itidem moderato continuatoque Rerum Aromaticarum, Majoranæ, Rorismarini, Pulegii, Hyssopi, Maceris, &c. ut & omnium Saliam Volatilium, tum subinde subacrium, tum quandoque oleosorum & blandiorum: prout diversa concurrere observantur Symptomata: usurpatis quoque forinsecùs medicamentis similibus.

Si Sanguinis fluxus mox subsequatur.

CXXXV. *Subsequentis mox fluxus menstrui damna vitabuntur*, si vitetur illis instantibus generationis opus.

CXXXVI. Qui exclusio seminis nuper admissi debeat vitari, docuimus jam, ut non videatur opus, idem hic repetere.

CXXXVII. Atque sic per compendium Conceptionis læsæ Causas & Curationem absolvimus, Uteri gestationem læsam proximè consideraturi & tractaturi.

C A-

CAPUT VI.

De Gestatione Fœtus læsa; Abortu, aliisque Gravidas infestare solitis Symptomatibus.

Symptomata Gestationis tempore Fœminis observantia

I. DUrante Fœstus in Utero gestatione, varia solent Mulieres affligere Symptomata & molestiæ, imprimis *Nausea*, *Vomitus*, Alimentorumque nunc omnium, nunc quorundam duntaxat *Fastidium*, ut & aliquando certorum mirum *desiderium*, *Malica* dictum.

Abortus quid.

II. Quod autem maximè ac pessimè tunc molestare potest ac solet mulieres, *Abortus* est, *Præmatura* scilicet *Fœtus necdum profecti Exclusio*.

Gravidarū Symptomata.

III. Augemus autem priùs de prioribus Symptomatibus, ac postmodùm de ipso Abortu.

Nausea & Vomitus.

IV. Fœminis ergo Gravidis plerisque admodum familiaris tum Nausea, tum & aliquando Vomitus: unde quovis diei tempore conqueri solent de Nausea, inclinationeque ad Vomitum; qui tamen in multis nullus sequitur, in aliis sæpe simul infestat.

Quando incipiant.

V. Hæc Nausea in quibusdam mox ab admisso in Uterum semine, in aliis tardiùs solet urgere: quod itidem de Vomitu dicendum: unde impraegnationis signum petitur.

Quandiu durent.

VI. Eadem Nausea quibusdam solet primis duntaxat Gestationis mensibus esse molesta, aliis etiam diutiùs, imò in quibusdam usque ad Partus tempus perseverare: quod etiam de Vomitu pronunciandum.

Nausea quo diei tempore invadat.

VII. Eadem Nausea quasdam summo manè duntaxat exagitat, & alias toto die; quibusdam duntaxat post assumptnm cibum, uti aliis solùm ante cibum assumptum esse solet gravis.

Ut & Ciborum & Potuum Aversio.
Malacia.

VIII. Ita se res quoque habet ratione quorundam, vel omnium *Ciborum*, *Potuumque Fastidii & Aversionis* non item ratione *Malaciæ*, quæ rarò adest perpetua, sed subinde tantùm repetere solet, & aliquando hnjus, aliquando illius cibi, potusve appetitu vexare: qui appetitus ferè minuitur tolliturve, quando fœminæ licuit desiderato frui alimento.

Horum causa.

IX. Causa harumce molestiarum omnium cùm peti debeat ex Mutatione Mulieris Corporibus Contentis ob gravidationem contingente, videndnm qualis illa esse possit Mutatio, ut horum Affectum natura ritè cognoscatur, & curetur.

Quomodo se gerat Uterus in gravidatione.

X. Fœminis igitur ex actu Venereo felici, hoc est, Generationi serviente semen utrumque admittitur, constringiturque in Utero; adeò, ut totus Uterus solito arctiùs sese corrnget, atq; Sanguinem in vasis suis & cavernulis hærentem sursum versus reliquam massam repellat.

Quomodo Humores mutentur.

XI. Hic Sanguis aliquantùm in Utero alteratus, & ab indole prima mutatus totam massam plus minùs immutat & alterat: unde Humores omnes ex ipso producti, Bilis, Saliva, Succus Pancreaticus, Lympha, & si qui sunt alii, similiter immutantur & alterantur.

Unde tanta Symptomatum differentia.

XII. Prout autem tota humorum omnium dispositio est diversa, & diversa, est Sanguinis in Utero priùs alterati cònstitutio, ita nova, quæ hinc cæteris humoribus accidit & accedit, ἀλλοίωσις erit quoque diversa: quapropter etiam tanta in fœminis variis observatur Symptomatum differentia.

Causa Nausea, Vomitus Fastidii & Malaciæ.

XIII. At Bilis præsertim unà cum Succo Pancreatico noxam suam exerit, Nauseæque ac Vomitus, ut & Fastidii & Malaciæ causa existit.

XVI. Quibus enim mulieribus Bilis per se fluidior, mobilior, & Acrior existit, iisdem non tantùm Nausea, sed Vomitus quoque solet esse molestus.

XV. Quibus autem Succus Pancreaticus est austerior, iis Nausea quidem excitabitur, non facilè Vomitus.

Bilem maximam pati mutationē ex gravidatione.

XVI. Ex quibus observationibus censeo, Bilem præ aliis humoribus omnibus maximam ex gravidatione pati mutationem alterationemque.

Ejus causam.

XVII. Cujus etiam hæc potest reddi ratio, quòd Bilis omnium humorum sit maximè mutabilis.

Sal Bilis Volatile.

XVIII. Sal enim Volatile Bilis facillimè movetur, mutatur, & alteratur; & ita quidem, ut alios humores simul moveat & agitet.

Quomodo se habeat Succus Pãcreaticus.

XIX. Succus autem Pancreaticus, quia est naturaliter Acidus, non est in corpore nostro tam mobilis & mutabilis; sed facilè Pituitæ in tenui Intestino repertæ se immiscet, vimque suam quodammodo fractam concentrat, & si Bili occurrat, illi penitiùs jungitur, ac cum ipsa coagulatur.

XX. Quod imprimis evenit, quando idem Succus vergit ad Austeritatem, qualem animadvertimus in omnibus, vel natura, vel propter causas externas tristibus, & Melancholicis.

XXI. In hilaribus autem solet Succus idem blandior esse, minùsque tum Acidus, tum Austerus, unde in talibus præter Nauseam, Vomitus sæpiùs existit molestus.

Quomodo Sanguis.

XXII. Videtur enim Sanguis circa Uterum retentus & novam in eodem alterationem passus, ex parte saltem fieri magis tenuis & Spirituosus; qui proinde toti massæ redditus, ac continuò Bili, & Succo Pancreatico junctus, humorem utrumque præstat similiter tenuiorem, atque Spirituosiorem, adeòque magis mobilem, atque ad halitus subtiles producendos magis aptum.

Halitus causa Nauseæ & Vomitū.

XXIII. Dum autem Halitus tales in tenui Intestino excitantur & ad Ventriculum attolluntur, ipsumque vellicant, titillantque, ac subinde mordicant, non mirum si plerumq; Nausea, sæpè Vomitus quoque sequatur, & imprimis Ventriculo vacuo, & aliquando Cibis pleno.

Et imprimis vacuo Ventriculo.

XXIV. Etenim quemadmodum vacuus Ventriculus faciliùs admittit tum halitus, tum humores à tenui Intestino assurgentes, ita irritatur idem facillimè ab iisdem: Solent namque ab Alimentis, Cibo, Potuque in Ventriculo existentibus tum temperari Humores, Halitusque Acres, vel aliàs tenues, ac quovis modo Ventriculum mordicantes, vellicantesque, tum Ventriculus ipse iisdem oblini, & muniri contra prædictam Humorum, Halituumve Acrimoniam.

At etiam post assumpta alimenta.

XXV. Contrarium evenit in aliis fœminis gravidis, ut nempe vacuo Ventriculo habeant meliùs, post assumpta verò Alimenta pejus: quod fieri autumo, quatenus, ab Alimentis aliqua sui parte, fluidiore scilicet ac Spirituosiore, ad Intestinum tenue descendentibus ob vitiosam effervescentiam irritatur Bilis propter gravidationem vitiata, & priùs à Succo Pancreatico forsan, ne nauseam vomitumve pariat, impedita, nunc verò à parte Alimentorum maximè Spirituosa & Volatili rursum expedita, accedente forsan Succi Panereatici Austerioris contemperatione ab iisdem Alimentorum partibus maximè Spirituosis.

Unde diversitas Nauseæ & Vomitus.

XXVI. Prout Ergo diversimodè, tum absolutè, tum in respectu ad se invicem, affecti sunt Bilis, Succusque Pancreaticus, ita nunc propter Alimenta in Ventriculo existentia, nunc absentia, & Nausea, & Vomitus diversimodè Gravidas solent affligere ac urgere.

Causa Fastidii.

XXVII. Atque hæc maximè probabilis videtur mihi Causa Nauseæ, Vomitusque Gravidarum, quam similiter arbitror esse *plurium, pauciorumve Ciborum*, *Potuumque Fastidii Causam*.

Bilis & Succus Pãcreaticus Vitiati.

XXVIII. Bilis enim corrupta mox Famem solet minuere, Succus autem Pancreaticus Sitim pervertere.

XXIX. Si proinde ob graviditatem uterque hic Humor plus minùsve afficiatur, vitieturq; mirum non est, si prout Bilis sola est affecta, vel Succus Pancreaticus simul est inquinatus, nunc quorundam, nunc omnium Ciborum, nunc Potuum quoque quorundam, vel omnium Fastidium excitetur.

Unde Fastidii diversitas.

XXX. Pendet autem Fastidii utriusque maximè diversitas ex Humoris utriusque corruptione valde diversa.

Malacia causa.

XXXI. Magis cogor mirari *Gravidarum Malaciam*, Desiderium magnum ac sæpe rationi sanæ valde adversum quorumdam Ciborum, Potuumve: quod tamen ab eadem puto deducendum Causa, sed accedente potente persuasione, gratissimum futurum alimentum, & acceptissimum Alimenti desiderati usum.

Unde fiant Morosiores gravidæ.

XXXII. Quemadmodum autem Bilis Succusque Pancreaticus non parum vitiantur sæpenumerò ex gravidatione, ita ex *Sanguinea Massa indies magis iniquinata*, etiam *à prædictis & notatis humoribus ad ipsam pergentibus*, *Spiritus Animales* producuntur non satis puri ac defæcati; quapropter nec *Sensus Externi*, *nec Interni*, *nec Animalis Motus* semper ritè absolvitur in Gravidis, quæ *Morosiores* quoque fieri solent, atque pertinaciùs quævis cupientes, aut aversantes.

Appetitui plus satis indulgent.

XXXIII. Dum proinde *Mens quoque* videtur quodammodo *lædi in gravidis* non paucis, non mirum si *Appetitui carvis plus satis indulgeant pleræque*, ac non tam ipsi resistant, quàm eundem foveant & augeant.

Alia Gravidarum Symptomata.

XXXIV. Non tantùm nominata, & hactenus examinata patiuntur pleræque Gravidæ Symptomata, sed non rarò alia quoque prædicta consequentia, uti sunt *Animi levia* & quandoque *gravia Deliquia*, *Vertigines*, *Motus corporis languidus*, *Febres variæ*, *Macilentia*, *Cachexia*, *Anhelatio*, &c.

A Bilis & Succi Pancreatici Effervescentia. Animi deliquium.

XXXV. Habent autem Affectus illi omnes ortum suum *ex vitiata in tenui Intestino Bilis Succique Pancreatici Effervescentia*, propter quam 1. Halitus ad Ventriculum assurgentes *Animi Deliquia* excitant, tum levia, tum gravia, tum illorum duntaxat *Prœludia*.

XXXVI. *Prœludia* enim voco *Animi Deliquiorum*, quoties de instante Animi Deliquio querulæ sunt gravidæ, quò se vertant, aut vertere debeant nesciæ: quamvis necdum revera lipothymia corripiantur.

XXXVII. *Leviora*, *Gravioraque* voco Animi Deliquia, quoties actu linquuntur animo Gravidæ, ac nunc leviter, nunc graviùs; quod quibusdam evenire solet, sive tunc simul vomant, vel duntaxat nauseent.

Vertigo.

XXXVIII. Propter eandem Effervescentiam vitiatam si 2. *Halitus* aut per Ventriculum ac OEsophagum, aut per Lacteas Venas, Ductum Thoracicum, Venam Jugularem, Cavam superiorem, Cordis Auriculas & Ventriculos, Pulmonumque Vasa, ipsamque Arteriam Magnam ferantur *ad Caput*, atque *Spirituum Animalium Motum turbent*, oritur *Vertigo*, cujus causa nonnunquam & ambulantes, & imprimis per gradus descendentes Gravidæ corruunt, ac, si non semet ipsas, Fœtum saltem suum non parum lædunt.

Languor in Motu.

XXXIX. *Halitus* iidem si 3. Spiritibus Animalibus confundantur, aut Corpus universum ac musculos præsertim occupent, *Languorem* solent *in Motu* producere; unde vix progredi possunt Gravidæ multæ, ni juventur ac plus minùs sustententur, unde videas ipsas suorum Maritorum manibus aut vestimentis se firmantes.

Febris Lenta.

XL. *Halitus* iidem si 4. *Acriores* facti ad Cor ferantur, *Lentas fere* solent producere *Febres*, Gravidis satis familiares, & ad quosvis *Animi Affectus* graviùs, leviùsve ipsas afficientes.

Macilentia.

XLI. Quinimò ab eadem Effervescentia læsa non tantùm 5. *Macilentia* plerasque occupat, sed nonnullis 6. *Cachexia* oboritur.

XLII. Ad *Macilentiam* faciunt non tantùm *Halitus Acres*, *ac defectus* quoque *Alimentorum*, cui tum maximè debetur Macilentia, quando Calor faciei permanet laudabilis; Halitibus autem Acribus, quando læditur quoque Color nativus & vividus; accedente tunc in quibusdam *Febre Hectica*.

Cachexia.

XLIII. *Cachexia* Gravidas corripit, quoties tota sanguinis massa sensim corrumpitur, vel loco Alimentorum convenientium prava usurpantur.

XLIV. Fieri enim nequit, ut corrupta universa sanguinis massa vel à solis Humoribus corruptis, & massæ redditis, vel insuper ab Alimentis pravis, Nutritio fiat laudabilis, quin potiùs augetur indies vitium illud; unde, nisi Gravidarum talium Cura instituatur conveniens, quæ hic est semper solicitudinis plena, non tantum gravissimorum, sed lethalium quoque affectuum periculum incurrunt, sive manifestentur illi durante adhuc Uteri gestatione, sive in partu ipso, aut paulò post ipsum.

Gravidarum Affectus in tempore curãdi.

XLV. Quemadmodum autem *Gravidarum Affectus omnes sunt periculosiores*, *quàm fœminarum reliquarum*, ita negligi non debent iidem, quin danda opera, ut in tempore curentur, aut præveniantur. In quem finem prudentia opus est singulari, atque vigilantia sedula.

Anhelatio.

XLVI. Sed Gravidis nonnullis familiaris est 7. *Anhelatio*, festinanter ambulantibus, ac imprimis gradus ascendentibus superveniens, ac multum angens: quam itidem ab *Halitibus à tenui Intestino ad Pulmones delatis*, *atque in iisdem hærentibus*, sed ad *corporis motum concitatiorem* aut difficiliorem *magis motis*, ortum ducere, nemo ampliùs ignorare potest, qui tantillùm versatus est in experimentis ævi multiplicibus, Anatomicis, Practicis, & Chymicis; quorum ope infinita ferè innotuerunt Medicis diligentioribus & accuratioribus, quæ sæculis superioribus fuere si non in totum, utique ex parte saltem ignota.

Abortus.

XLVII. Præter Symptomata multifaria Utero gerentibus evenire solita, & ex parte saltem proposita, explicataque, unum adhuc restat non minùs grave, nunc similiter memorandum; *Abortus* scilicet hoc est, *Fœtus nondum perfecti Exclusio*.

Gestationis tempus.

XLVIII. Ut plurimùm quidem solet humanus fœtus *mensibus novem in Utero materno gestatus*, atque intereà temporis perfectus ad exitum properans secundùm naturam excludi; quod tempus est maximè naturale.

Partus septimestris.

XLIX. Sed observatur etiam *septimo mense* partus vitalis, nec ante septimum mensem observatus est, nisi rarissimè exclusus fœtus, quin vel mortuus prodierit, vel paulò post vitam finierit. Sic memini non semel partum septimestrem vivi fœtus, sed qui rarò per mensem vitam suam miseram protraxerit, verum plerumque ante tertiam hebdomadem diem suum obierit; atque similiter pro Abortu habitus fuerit, atque haberi debuerit.

Abortus quid.

L. *Abortus* proinde nobis est *Fœtus humani ante septimum gestationis suæ mensem exclusio*, sive *vivus* prodeat sive *mortuus*.

LI. *Vitalis* autem vocatur fœtus, non qui vivus tantùm prodit in lucem, sed qui aptus est permanere in vita; nam qui nunquam observatur diu superesse, quin semper brevi mori, pro vitali minimè haberi solet, sed pro Abortu, vel Abortivo.

Quando contingere possit.

LII. Potest verò contingere *Abortus à primo Conceptionis momento* usque *ad semi mensis finem*.

LIII.

Quando frequentiùs fiat.

LIII. Frequentiùs quidem observantur Abortus circa *tertii Mensis finem*, & quarti initium contingentes; quamvis non infrequenter accidant tum ante, tum post idem tempus.

Ante decimam post Conceptum hebdomadã non fit verè Abortus.

LIV. Quotquot autem *ante decimam post Conceptum hebdomadam* eveniunt, vix habentur à plerisque pro vero Abortu, quoniam vix tunc aliquod Fœtus rudimentum apparet; vix ante octavam ipsius Placentæ notabile initium; unde tunc potiùs pro suppresso Mensium fluxu, vel saltem Mola habetur ille Casus.

Et quare.

LV. Nisi enim Fœtus appareat in Placentæ corpusculo, negatur ferè Conceptus factus, nec proinde conceditur tunc Abortus: quod haud ita mirum, postquam ex solo Fœtu certum Graviditatis peti potest signum; qui quoties non apparet, dubium ac incertum est, an reverà utero gesserit mulier, necne; quoniam evenit aliquando, ut post menstruorum fluxum pluribus mensibus suppressum, Mola duntaxat prodeat, nullus Fœtus.

Massa carnea post nonam vel decimam hebdomadam.

LVI. Sed accidit quoque non rarò sicut aliquoties mihi contingit observare in mea praxi, ut fœminæ nona, decimave post cessantem menstruorum eruptionem hebdomade, fluxum passæ fuerunt satis magnum, & unà cum ipso aliquid excreverint coagulati, carneive, quod uti dixi, propter Fœtus notabilis absentiam pro Placenta non fuit habitum, quæ nihilominus postea, educto circa hebdomadem post cessantia menstrua octavam ex brachio sanguine, nil simile in se animadverterunt, verùm Gravidæ sunt deprehensæ, atque circa nonum mensem Fœtum pepererunt vivum, vitalemque.

Ejus causa.

LVII. Unde arbitror, me non tantùm probabiliter, ast solidè ac necessariò concludere, Ipsas prioribus quoque temporibus fuisse gravidas quando neglecta venæ-sectione sanguinisque redundantis diminutione, ob sanguinem copiosum circa Uterum post secundum à conceptione mensem subsistentem exclusus est nondum visu notabilis Fœtus, verus Abortus.

Quibus potissimùm eveniat.

LVIII. Evenit quidem hoc imprimis Fœminis copiosum Menstruorum Fluxum patientibus, in quibus sanguis evacuari solitus & nunc in corpore coacervatus, nec in Fętus nutritionem, placentæve productionem consumptus, urget ipsius Uteri vasa, exitumque per ipsa quærens, ac inveniens, simul foras protrudit Fœtum tenellulum, ac necdum oculis conspicuum.

Quod notandum.

LIX. Hoc vel idcircò pluribus hic deduco quia censeo, hunc casum esse satis frequentem quamvis à paucis forsan observatum, cujus proinde accuratam considerationem unicuique Medico, cui ægrorum æquè ac sanorum salus cordi est, seriò commendo, quo facto, progredior ad multiplices Abortus causas eruendas, & paucis explicandas.

Abortus causa plethora.

LX. Faciam autem initium à modo memorata in Abortus paucis post conceptionem hebdomadibus eveniente Causa satis frequenti, *Sanguinis Plethora*, propter quam vi expelletur Fœtus laxiùs Utero adhærens, nec Sanguinis copiosi egressum quærentis ac in Utero invenientis impetum sustinere valens.

LXI. Aliter namque se habet res in fœminis pauco sanguine præditis, ac imprimis menstruum fluxum parcum patientibus, aliter in fęminis multo sanguine refertis. ac fluxum mensium copiosum experiri solitis.

Et qua ratione.

LXII. Quemadmodum enim in istis Sanguis paucus in corpore redundat suppressis propter Conceptionem menstruis, nec proinde ab illo valdè urgetur tribus primis (quibus ex solo semine formari, ac necdum superfluo Matris Sanguine nutriri solet Fætus) gravidationis mensibus, unde nullus inde adest Abortus metus: Ita contrà in his Sanguis copiosus & multus post eadem menstruorum retentionem circa Uterum hærens, atque vasa ibi presertim distendendo exitum quærens, tandem eum invenit, ni quemadmodum à me dictum, idem in tempore minuatur per venam in brachio apertam, sicque à premente Sanguine, aliòque averso, liberetur cum Utero Foetus tenellus in ipso latitans, & magnæ Sanguinis affusioni, effusionique resistere nescius, ac invalidus.

Menstrua copiosa post eorum suppressionem à 1. 2. aut 3. post conceptionem mense signũ Abortus.

LXII. Quoties igitur aut 1. aut 2. aut 3. post Conceptionem factam, suppressumque, adeò Menstruorum fluxum mense, propter Sanguinis abundantiam, (nulla scilicet alia evidenti ejus apparente causa) erumpunt copiosè menstrua, toties suspicari licet ac conjectare, Abortum concurrere, atque destructionem sui debere Sanguini materno nimia copia corpusculum suum in prima sui formatione aut conformatione opprimentis: adeò ut tunc, qui destinatus ejus erat nutritioni & accretioni sanguis menstruus, causa sit ipsius ante nativitatem interitus.

Abortus Causa.

LXIV. Abortus Causa non infrequens solet 2. esse *Motus Corporis vehementior*, ac præsertim *Saltatio*, *Equitatio*, *Agitatio*, &c. unde semen nondum satis firmiter Utero adhærens non ita difficulter eiici potest ex eodem.

2. Motus corporis vehemens.

LXV. Quemadmodum enim ab eodem Motu Corporis vehementiore Conceptio impediri potest, sic etiam ab eodem Abortus excitari solet: adeò ut meminerim, nonnullis fæminis ex sola Brachiorum elevatione Abortum non semel diversis gestationis mensibus contigisse.

Et qua ratione.

LXVI. Quòd si sola extensio aut elevatio Brachiorum possit esse causa Abortus; an non id fiet æquè facilè à Corporis agitatione forti, quemadmodum ejus rei exempla sunt plura?

LXVII. Si quis autem me roget, qui eveniat tum ex corporis agitatione forti, tum ex Brachiorum elevatione Abortus? ei respondebo, id fieri quatenus Agitatione quavis vehementi concutitur quoque contentus in Utero Fætus, cujus Vincula (hoc est Placenta Utero cohærens) si fuerint laxiora & minùs firma mox solvuntur ac rumpuntur eadem, secedendo ab Utero, fętumque cum Secundis ad exitum urgendo.

LXVIII. Quoad Brachiorum elevationem, ea hactenus solet Abortus Causa existere, quatenus tunc temporis premitur angustaturque Abdomen, angiturque in Utero fętus, qui vehementiùs tunc pressus, exprimitur facilè ex Utero, imprimis laxiore, atque fętum minùs firmiter adhærentem habente.

3. Causa Casus.

LXIX. Sed & 3. *A Casu* haud infrequenter solet excitari Abortus; ob quem sicut læduntur plerumque in Fętu partes, quibus aliqua vis & noxa accidit in Matribus, ita fit sæpè Abortus inde solet contingere.

LXX. Consequitur autem Matris Casum Abortus, imprimis, quando is aut *in ventrem* fit, aut potentiùs *in regionem Lambarem*; ibi namque graviùs afficitur ipse quoque Uterus ac Fętus, si grandior fuerit; hic Nervi ad omnes Abdominis partes, ipsumque adeò Uterum & Fętum delati.

4. Terror magnus, Animi solicitudo et Tristitia.

LXXI. In harumce causarum serie memorari debet 3. *Terror magnus*, mox & *Animi solicitudo* cum subsequente *Tristitia*: qui Animi Affectus soli possunt ac solent satis sæpè Abortus esse Causa, si fuerint graviores, quod etiam de *Ira* dicendum.

Ut & Ira. Et qua ratione.

LXXII. A solo *Terrore magno* & inopinato *Abortum* fieri, notissimum; quem eatenus contingere arbitror, quatenus tunc unà cum *Animi Mentisque Functionibus Animalibus omnibus* conturbantur quoque cæteræ *Corporis Functiones Naturales omnes*, ipsaque adeò *Nutritio*, tàm *Fætus* quàm *Matris gravidæ*.

Terror inopinatus quid efficiat.

LXXII. Quatenus autem Animales Functiones omnes in Terrore conturbantur, *Conturbatur* quoque *Motus Spirituum Animalium ad partes singulas*, unde non tantùm *Sensus & Motus Animalis* confunditur, minuitur, & inordinatus existit, sed insuper Humores omnes minùs temperati. Functionibusque adeò suis ritè obeundis inepti redduntur: Cùm proinde tunc temporis Functiones omnes mirè conturbentur in utroque Corpore, tum Matris, tum Fœtus: cum nonnunquam vel Mors, vel gravissimus Affectus inde obveniat Adultis & Robustis, non est quod miremur, idem graviùs evenire tenello Fœtui in Utero hærenti, atque ipsum aut perire mox in Matris ventre, aut in eodem languere, donec tandem ibidem moriatur, vel saltem moribundus excludatur.

LXXIV. Tantum potest Animi Terror in Hominibus, & plus forsan, quàm cæterorum Animi Affectuum gravissimus; quantum saltem Ego hactenus in satis exacta quotidianaque eorum, quæ mihi examinare contigit, observatione per annos triginta notare potui.

Quatenus tristitia sit Abortus causa.

LXXV. *Tristitia summa* nonnunquam, licèt rariùs, Abortus esse solet Causa, & quidem quatenus omnes tunc prosterni solent vires, ac Functiones labefactari.

A tristitia Animalis Spirituum motus sistitur.

LXXVI. Animus enim in Tristitia summa fractus ac dejectus non excitat, vel promovet Spirituum Animalium motum, quin potiùs eundem negligit, quemadmodum cætera objecta omnia lætitiam Animæ afferentia; unde non tantùm minùs, sed minimè moventur quaquaversum Spiritus Animales; minus, propter gaudii defectum minimè, propter Animi dejectionem, summam quietem unicè optantem ac quærentem.

A lætitia promoventur.

LXXVII. Sicut enim Animus lætus quaquaversum Animales Spiritus mittit, ad omnes corporis partes commovendas & ad tripudiandum quasi agitandas, quò sic etiam præsentis gaudii fiant participes; ita contrà Animus tristis, & in semetipsum quasi retractus, nil minùs quàm Spiritus Animales commovet, quin potiùs ad quietem & torporem ducit, retrahitque.

Qua ratione à tristitia fiat Abortus.

LXXVII. Quemadmodum igitur fœmina tum gravida, tum valdè tristis ac mœsta, negligit Corporis sui motum Animalem, quin Animalium Spirituum motum ab Animo pendentem, unde omnes tum Animi, tum Corporis functiones imperfectiùs obeuntur; ita Fœtus in ejus Utero existens, atque ipsi compatiens, quin matre graviùs omnia ipsi obvenientia mala ferens, plus eadem matre sua detrimenti ac noxæ patitur quoad Functionum quarumvis labefactationem.

LXXIX. Sicut proinde moritur aliquando Femina mœrore summo correpta, vel saltem in gravissimos incidere observatur affectus, ita ejus fœtus tenellus in ejusdem utero adhuc hærens faciliùs ac citiùs tum moritur, tum affectus gravissimos patitur, ipsamque adeò sui intempestivam expulsionem.

Qua ratione ab Ira.

LXXX. Inter Animi Affectus observatur *Ira* non infrequens *Abortus Causa*: quod ea ratione fieri autumno, quatenus in Ira non tantùm Anima mirè conturbatur & confunditur, sed omnes quoque Actiones tum Animales, tum Naturales multùm læduntur, labefactanturque, unde, sicut modò diximus, in Fœtu non minor, sed major Functionum omnium Conturbatio sequitur, propter quam inter alia mala plura etiam consequi potest Abortus: dum nimirum quæcunque patitur unquam Mater, graviùs fert in ejus Utero latens Fetus.

5. Abortus Causa Vigilia nimia.

LXXXI. Quemadmodum nimia corporis agitatio & defatigatio, sic & 5. *Vigiliæ nimiæ* Causa possunt ac solent esse *Abortus*; non quidem tam frequenter, nec nisi in Fœminis magis teneris, ac delicatis: quatenus vires omnes atteruntur, sicque Fetus paulatim deficit ac perit.

Summus Aeris Æstus.

LXXXII. Quod de Vigiliis dictum, dici quoque potest 6. de *Summo Aeris æstu*, qui nonnunquam in feminis tenellis Causa solet esse Abortus; quatenus non tantùm Spiritus Animales tunc consumuntur ac dissipantur, sed insuper Sanguis universus nimiùm dissolvitur, & fluidior factus fetum facilè ad Abortum cogit.

7. Alvi fluxus vehemens.

LXXXIII. *Abortus* quoque *Causa* esse observatur 7. aliquando *Alvi fluxus vehemens*, ac præsertim *Dysentericus*, ubi præter continuam ferè desidendi necessitatem, atque Contentorum in Abdomine deorsum factam pressionem subinde humores Acres concurrunt, non tantùm Alvi fluxum producentes, sed Sanguinem quoque inficientes, atque ipsum Fetum similiter afficientes, ac proinde gravidam ad Abortiendum sat sæpè cogentes.

8. Hæmorrhagia insignis.

LXXXIV. Quemadmodum in superioribus docui fluxum menstruum, sed immodicum, esse Abortus Causam frequentem; ita nunc addendum 8. post *Hæmorrhagiam insignem* haud infrequenter sequi Abortum; cujus rei hæc videtur mihi Causa multùm à præcedente differens, defectus nimirum Sanguinis materni universalis, propter quem eodem distituitur quoque necessariò Fetus; qui proinde tenellus adhuc, cùm minùs possit continuò carere Alimento, deficit facilè ejus defectu, ac proinde aut moritur, aut languet, atque sic ad Abortum excidit.

9. Remedia Menses moventia.

LXXXV. Abortùs quoque Causa frequens sunt 9. *Remedia quævis Menstruum fluxum promovere solita*, si aut imprudenter, aut malitiosè durante Graviditate usurpentur: quali sunt & 1. *Venæ-sectio*, largior præsertim, ac imprimis in pede instituta: & 2. *Purgantia* potentiora, sat magna quantitate usurpata, imprimis Acria: & 3. *Specifica* dicta, mensibusque ciendis dicata, copia præsertim notabili usurpata.

Venæ-sectio.

LXXXVI. A *Venæ sectione* namque, *Sanguinisque copiosi eductione* idem evenit, quod modò diximus de Hæmorrhagia: cui accedit, quando illa fit in pede, quòd præterea deorsum feratur impetuosiùs Sanguis, & sic quoque ad Uterum quandoque urgeatur; Fetusque eo ipso ad exitum impellatur.

Purgantia.

LXXXVII. *Purgantia* & imprimis *Acriora* tum ratione *sui*, tum ratione *humorum Acrium* vehementer ac multùm agitatorum, & quaquaversum, etiam ad Uterum Fetumque, propulsorum utrumque simul commovent, Uterum quidem ad contenti Fetus exclusionem, ac Fetum ad ejusdem sui exclusionis promotionem.

Specifica menses moventia.

LXXXVIII. *Menses moventia* dicta medicamenta, quorum pleraque vi Aromatica sunt prædita, Sanguinem universum solvendo, eundemque fluidiorem præstando, facilitare solent ipsius ordinarium per Uterum effluxum, atque Graviditatis tempore idem agendo precipitant non rarò cum ipso Fetum ex Utero: imprimis quamdiu idem est tenellus, & Uteri constitutio laxior.

Potus generosus, & Spiritus Vini causa Abortus.

LXXXIX. Hoc verum esse hinc quoque patet, quòd in quibusdam Feminis *Potus Generosus*, ipseque adeò *Spiritus Vini* majori copia sumptus soleat esse Abortus Causa; & quidem quoniam solvit ac dissolvit nimiùm Sanguinem universum, facilitatque ipsius per Uterum effluxum, qui tam rarò evenit absque Fetus exclusione, hoc est, Abortu.

Causa Abortus interna Vitiosa Materni Abdominis conformatio.

XC. Præter quas frequentiores à Rebus Non-naturalibus & fortuitis petitas Abortus Causas solent subinde aliquæ occurrere Internæ, *ex vitiosa* nempe *Materni abdominis conformatione*: ut si exempli gratia locus desideretur in ipso sufficiens explicando Utero; unde idem pressus comprimit necessariò contentum Fetum, ipsumque ante tempus eiicit.

XCI.

& Mola vel alius fœtus.

XCI. Huc referri posset tandem *Mola*, vel alius *Fœtus vivus, mortuusve in Utero simul existens*, atque priorem aut posteriorem Fœtum ad exitum cogens.

Curatio.

XCII. Atque hæ primariæ sunt ac frequentiores Abortus Causæ: proximum est, ut tam hujus Abortus, quàm cæterorum Gravidis supervenire solitorum Symptomatum Curationem subjungamus.

Nauseæ, Vomitus, & Fastidii.

XCIII. Faciemus autem initium tum à *Nausea & Vomitu*, tum à *Ciborum Potuumque Fastidio* vario.

Unde hæc Symptomata oriantur.

XCIV. Quoniam verò diximus, &, uti putamus, evicimus, symptomata ista omnia primariò pendere à *Menstruo Sanguine circa Uterum propter gravidationem morante, atque ibidem quodammodò alterato & corrupto, hinc corruptionem suam universæ Sanguinis massæ, mox & Contentis cæteris adeòque Bili quoque ac præsertim communicante*; ita necesse videtur, ut hinc sumamus curationis exordium.

Causa corruptionis Sanguinis.

XCV. Quamvis autem in explicationem modi quo ex Sanguine stagnante fieri putamus *Inflammationem*, docuerimus non semel, sedere à Sanguine partes ipsius maximè spirituosas & volatiles: ita ut inexistens ipsi tum Spiritus Acidus tum Sal lixivus potentiùs effervescant, atque præter caloris sensum molestum Sanguis in pus abeat: non est tamen eadem hic Corruptionis in Sanguine ratio.

Qua ratione Sanguinis impeditur ne effluat.

XCVI. In hoc namque Casu non verè subsistit Sanguis in Uteri vasis, utpote nullatenus sicut in Inflammatione obstructis à Causa præternaturali, quæ non tantùm Sanguinem, Pituitamve in Uteri vasis coagulare, ast noxam suam tum ipsi Utero, tum reliquo Sanguini communicare solet, sed *in Uteri Vasis secundùm naturam propter* gravidationem *blande* in exitu suo *coarctatis*, ne effluat, impeditur Sanguis, nulla ratione ideò malè affectus.

Sanguis corruptus subsistens majorem corruptionem subit.

XCVII. Unde per se ac *propter gravidationem nequaquam corrumpitur Sanguis*, quando *purus est ac integer*, (quocirca haud omnes malè habent Mulieres gravidæ.) Quatenus autem is non est inculpatus, sed impurus, mirum non est, si subsisteus tunc circa Uterum aliquam Corruptionem majorem subeat.

Unde Mulieres quædam gravidæ sint saniores, quam aliæ.

XCVIII. Hæc Corruptio sicut in plerisque tendit pejus, ita in quibusdam vergit in melius unde videas mulieres quasdam, quoties utero gerunt, saniores valentioresque, quàm extra tempus gravidationis, quod fieri existimo, quia alteratio, quæ Sanguinis propter Gravidationem circa uterum subsistenti evenit, eundem corrigit ac emendat; quod qui fiat, dignoscetur faciliùs, postquam ostenderimus, qualis mutatio tunc Sanguini contingat.

Qualis mutatio Sanguini contingat.

XCIX. Diximus enim non esse hanc mutationem talem, qualis accidit Sanguini Inflammationem parienti. Nam quum Sanguis propter gravidationem non effundatur extra sua vasa, nec vi propellatur versus vasa obstructa; ut ibidem per ea nimiùm distenta, adeòque per diapedesin evadant effugiantque partes ejus maximè Spirituosæ volatiles; sed in vasis suis, non tamen valdè ideò distentis, moram quidem nectat & *absque ulla suarum partium deperditione mutationem aliquam subeat*, erit *ea in ulteriori Sanguinis rarefactione & dissolutione*; propter quam idem *Sanguis tenuior, & fluidior, & volatilior* fiet.

Qua humores corrumpantur.

C. Quæ rarefactio, attenuatio, & volatilisatio ulterior cùm Sanguinem non reddat perfectiorem (quippe in ipso haud requisita (sed imperfectiorem, mirum non est, si ab eadem, Massæ toti postquam est communicata, *Humores* quoque inde producti ejusdem *Rarefactionis, Attenuationisque nimiæ*, adeòque *Volatilitatis noxiæ* fiant *participes*; ac imprimis *Bilis*, quippe quæ præ aliis Humoribus omnibus est *tenuis atque Volatilis*.

Qui mulier per gravidationem fiat sanior.

CI. Quoties proinde Mulier nuper imprægnata tum Sanguinem, tum Bilem, cæterosque Humores habet minùs tenues, & volatiles, toties si recessus ille à statu naturali non sit magnus; emendari potest illud malum, fierique mulier per ac propter gravidationem sanior, sicut modò dicebamus id aliquando contingere.

Nauseæ, Vomitus, & Fastidii causa.

CII. Ubi verò jam sunt in Muliere impregnata tum Sanguis, tum Humores alii, ac imprimis Bilis, aliquantò tenuiores, volatiliores, & acriores, facilè fit, ut adhuc tenuiores, volatiliores, & acriores idcircò facti, noxam vel molestiam notabilem ipsi afferant, & in specie *Nauseam, Vomitumque, & multiplex Alimentorum Fastidium*, ceu pluribus docuimus in superioribus.

In quo bona curatio consistat.

CIII. Postquam igitur non tantùm ab Effectu, adeòque Symptomatibus fœminis Gravidis supervenientibus, verùm etiam à Sanguinis Natura, adeòque Corporis humani Oeconomia ostendimus, Humores omnes, ac Bilem imprimis reddi propter Gravidationem tum tenuiores, tum volatiliores, *Mali hujus Curatio* consistet tum in *Humorum omnium*, tum maximè in *Bilis & incrassatione, & fixatione*.

Quibus Medicamentis absolvatur;

CIV. Id autem præstant efficacissimè omnia Medicamenta Austera, quæ quò erunt blandiora, eò effectum illum producent commodiùs, postquam *Mutatio omnis subita in Corpore atque Humoribus periculosa*, si præsertim fuerit simul *magna*.

Mutatio subita periculosa.

CV. Et quemadmodum hoc est universaliter verum, ita specie in Humorum & Sanguinis Incrassatione, Coagulatione, ac Fixatione est verissimum.

Quid vitæ maximè noceat.

CVI. Nil enim æquè vitæ nocet, atque Coagulatio nimia & subita Sanguinis, & Fixatio magna & subita Bilis; unde facilè ac subitò contingere solet Mors, sicut hoc inter alia manifestum facit tum quodvis Animi Deliquium grave, tum evidentissimè Syncope.

Affectus Lethales unde pendeant.

CVII. Ab Acido namque, & imprimis Austero-acido pendent hi Affectus tam sæpè lethales, quippe quod tam multos, tam sæpe, tam subitò, tam inopinanter tollit è medio, necatque homines, nunc summo Animi mœrore, aut Terrore pressos & oppressos, nunc Humoribus Acidis Austerisque copiosiùs & subitò ad Ventriculum & Cor imprimis assurgentibus gravatos.

CVIII. Has plerumque subitæ multorum mortis Causas veras esse, agnoscent facilè quotquot vel medioctiter erunt versati in iis, quæ de Re Medica docuimus hactenus, attendentque ad Diætam tum præteritam tum præsentem eorum, qui inopinanter extinguuntur, conferentque eadem cum symptomatibus circa mortis tempus notatis.

Austera Blandiora quænam.

CIX. Ad hæc Austera blandiora revocanda, Plantago, Sempervivum majus, Myrtus, Polygonum, Bistorta, Garyophyllata, Rosæ Rubræ, &c. Alumen crudum, Terræ sigillatæ omnes, &c.

CX. Inter Chymica laudantur Spiritus Aluminis, Salis dulcis, Vitrioli, & similes.

Eorum usus

CXI. Quoniam verò paulatim debet fieri Mutatio illa Bilis, cæterorumque Humorum Volatiliorum & fluidiorum, adeòque mobiliorum; bonum est, quævis Medicamenta sæpiùs usurpari, & quidem quantitate minore, quò sic sensim emendetur noxa in ipsis existens.

Quænam condimenta Gravidis conveniant.

CXII. His ritè observatis, minimè culpandæ videntur gravidæ Acetariis addictæ, nisi quoties nimiùm iisdem indulgent, ac non tantùm quotidie iis vescuntur, sed alia omnia præ hisce fastidiunt, atque Aceto, acetosisque continuè abutuntur.

CXIII. *Conveniunt* proinde *Gravidis Condimenta Acidiuscula & subaustera*, & quidem copia mediocri usurpata; quorum ope observamus compesci, minui, & tandem superari Nauseam, Vomitumque: postquam ab iisdem temperatur, figiturque blandè Bilis Acrior, Volatilior, & solito fluidior; quin reliqui humores similiter ad naturalem redeunt statum, unde tum Appetitus in plerisque prostratus sensim restituitur, Alimentorum Fermentatio languens promovetur, sanguisque laudabilis producitur, vires recreantur, & tandem Fœtus vegetus in lucem prodit.

Et ob quam rationem.

Qualia Salia volatilia usurpanda.

CXIV. Sed dicet Aliquis, Me *Salibus* quoque *Volatilibus* uti frequenter in Gravidis, qui tamen videntur potiùs Bilis Vulatilitatem aucturi, quàm diminuturi.

CXV. Sed respondeo, Me in eum finem non laudare Sales Volatiles; quos prætereà non usurpo tunc quosvis, sed Oleosos; & quidem, ut *Bilem* non tam Vulatiliorem, quàm *Acriorem* quoque factam corrigant, emendentque.

Bilem Volatiliorè quænam figant. *Acriorem quænam temperent.*

CXVI. Ad *Bilem* proinde *Volatiliorem figendam* usurpo *subaustera & Acidiuscula* tum Medicamenta, tum imprimis Condimenta: ad eandem verò *Acriorem temperandam, corrigendamque* laudo *Salia volatilia sed Oleosa*, quæ prætereà *Fermentationem Alimentorum* in ventriculo *juvant promoventque*.

Quando abstinendum à Salibus volatilibus.

Quando iis utendum.

CXVII. Ubi proinde *nulla in Bile, cæterisque Humoribus* observatur *Acrimonia*, vel à *sola Gravidatione* propter peculiarem ipsorum constitutionem præcedentem orta, vel à *nimio Acidiorum, Austerorumque Acriorum abusu* mox à me notato facta, non suadeo usum Salium Volatilium: Verùm quando undecunque tandem orta & in Humoribus quibusvis observata concurrit eorum Acrimonia, non dubito uti Salibus volatilibus, sed blandioribus & oleosis; quippe quæ tum Ratio suadet futura Humoribus acribus temperandis utilia, tum Experientia multiplex mihi testata est fuisse tunc Gravidis utilissima.

Quænam Humores Volatiles figant, & quænam acriores temperent.

CXVIII. Ad *Humorum* igitur quorumvis, ac præsertim *Bilis*, ob gravidationem *Volatiliorum fixationem* conducunt *Medicamenta & Condimenta subaustera*; sed ad *eorundem*, ipsiusque adeò *Bilis*, *Acriorum temperationem ac emendationem* prosunt *Salia Volatilia & Oleosa*.

Salium Volatilium Oleosorum vis circa bilem.

CXIX. Salia enim Volatilia Oleosa plurimùm conveniunt cum Bile naturali & laudabili, atque idcircò apprimè conferunt ad eandem in statum naturalem deducendam, postquam ipsa ex parte saltem facta est temperatior per austera vel acida, prout nimirum ejus à statu naturali recessus est diversus.

Bilis quibus primario et quibus secundariò corrigenda.

CXX. Potest igitur Bilis Austeris primariò, & Salibus Volatilibus oleosis secundariò corrigi ac emendari durante Uteri gestatione. Nilque obstat quo minus eodem tempore, non tamen, simul, usurpentur utraque; hoc est, die eodem, sed diversis horis possunt nunc austera, nunc salia volatilia usurpari commodissimè.

CXXI. In horumce medicamentorum formulis non hæreo, cùm facilè sit pro re nata cuivis in praxi mediocriter versato diversas conci, ere formulas; adde quòd Condimenta austera nullas requirant formulas, ut nec Salia volatilia, quæ Vino, aliove liquore grato exhibere soleo.

Si Humores quantitate peccēt, purgantibus, minuendi.

CXXII. His ergo tum Nausea, tum Vomitus, tum ipsum Alimentorum Fastidium corrigi solet ac amendari auxiliis: quòd si non tantùm qualitate, verùm *quantitate* quoque *excedente* tum *Bilis*, tum alii *peccent Humores*, *Purgantibus convenientibus* erunt iidem *minuendi*.

Et quidem blandis. Non potentioribus.

CXXIII. Ubi notandum opus hic esse *Blandis* non item *Potentioribus* purgantibus, & quidem *minore quantitate* exhibendis.

CXXIV. Non est utendum Purgantibus Potentioribus & imprimis acribus, quoniam metus est, sicut dictum in superioribus, ne ab illis promoveatur Abortus. Nullum autem periculum à purgantibus blandioribus, ac præsertim quantitate minore usurpatis.

CXXV. Possunt enim blanda quoque, si majore copia usurpentur: nocere gravidis, & Abortum producere.

Purgantia blanda minore quantitate usurpata nunquā nocere.

Sed humores noxios corrigere, si non expellant.

CXXVI. Eadem autem si quantitate minore usurpentur, nocebunt nunquam, cùm possint sæpiùs repeti, quando effectum haud producunt expectatum, nec satis multum educunt humorum redundantium; aut illos movent commoventque tantùm, non expellunt. Ubi semper cogitandum observandumque, à Medicamentis purgantibus blandioribus quantitate minore usurpatis corrigi humores noxios & ad secuturam posteà evacuationem præparari; adeò ut nunquam ægris noceat, semper ipsis prosit usurpatio purgantium parca; si præsertim brevibus (aliquot horarum) intervallis eadem repetantur, donec desideratus obtineatur evacuationis effectus.

Opiata & Narcotica hic etiā locum habere.

CXXVII. Quòd si Nausea, Vomitusve valdè urgeant, vehementerque Gravidas affligant, ita ut metus sit, ne gravius ipsis superveniat malum possunt quoque usurpari *Opiata & Narcotica*, utpote quæ tum *humorum acrimoniam temperant*, tum eorundem *vitiosam Effervescentiam comprimunt*, tum *sensum omnem obtundunt*, sicque potentior *Vomitum* nimium & molestum compescunt & sistunt.

Et quænam.

CXXVIII. In hunc finem conducunt, Laudanum Opiatum, Theriaca, Diascurdium, Philonium Romanum, Requies Nicolai, &c. sive sola usurpentur, Laudanum quidem pilularum forma, cæterà verò cæterorum Electuariorum & Cuoditorum mododevorata; sive liquoribus convenientibus, atque minùs Aromaticis & subausteris vel adstringentibus diluantur, & sic aut per cochlearia sæpiùs, aut haustus forma rariùs assumantur.

Quid præstent.

CXXIX. Horum enim ope ad tranquillitatem convenientem deducuntur & Humores ad tenue Intestinum confluentes, & ipse Ventriculus cum tenui Intestino; quo facto feliciùs tum cætera remedia alterantia, tum ipsa possunt assumi Alimenta: Frustra siquidem usurpantur hæc omnia, quamdiu vehemens urget Nausea & Vomitus; qui omninò sedandus priùs quàm vel Alimenta, vel blandè alterantia retineri queant medicamenta.

Externa etiam conducere.

CXXX. Ad Vomitum hunc vehementem compescendum conducunt etiam Externa, Olei, Emplastri, Cataplasmatis, Pulveris, Sacculi, aliave usurpanda forma; ubi semper optima sunt Aromatica, sed adstringentia, additis nonnunquam, quò vis eorum ad Interna deducatur, Spirituosis, Vino generoso, ipsoque Vini Spiritu, ut & Panis mica.

CXXXI. Atque prædictis modis mediisque observavimus hactenus feliciter satis sedari, tollique Nauseam, Vomitum, & Fastidium Gravidarum.

Malacia curatio.

CXXXII. *Malaciam* earundem *curandam* existimamus, partim præmissa *Humorum male affectorum restitutione ac emendatione*, partim *Mentis male circa objecta oblata ratiocinantis correctione*.

CXXXIII. Non morabimur proinde in jam dicta Humorum alteratione, quin paucis docebimus tantùm, qui *persuasio illa tum falsa sæpe, tum indigna vi rationis superari queat*.

Desideriū vehemens cibi, potusque boni non esse malaciam.

CXXXIV. Neque pro Malacia putamus habendum *Desiderium vehemens Cibi, Potusve per se boni* quamvis absentis, Exempli gratia, Vini Rubelli, Rhenani, Moschatellini, Hispanici, Aquæ Fontis hujus vel illius, Spadanæ, Artocreatis hujus vel illius, & similium; quæ, quoties non sunt in nostra

pote-

potestate, cupimus ardentiùs, quod imprimis solet fieri Gravidis.

Sed esse ei satisfaciendum.

CXXXV. Quoties autem tale quid appetunt vehementer Gravidæ, oportet Maritos vel Matres, aliosve Domesticos, ubi ejus voti ac desiderii sunt conscii, omnem dare operam, ut insciis quoque Gravidis comparetur, afferaturque ipsis nescis: unde utplurimùm habent optimè.

Et qua ratione.

CXXXVI. Ubi notandum præthereà, non rarò Gravidas optare solas frui talibus desideratis unde prudentiæ est, si Domestici se ipsis subtrahant, & solas relinquant, quò avidiùs frui queant iisdem: quòd si adsint, bonum est fingere, sibi tunc minùs sapere aut desiderari eadem, aut parum eorundem usurpando partem maximam relinquere Gravidis, quæ solent ferè avidiùs eadem assumere; quin urgendæ sunt ac rogandæ nonnunquam, ut suo satisfaciant desiderio, atque tunc laudandæ sunt, licet subinde plus assumant potus potentis: quamvis cavendum sit, ne in ebrietatem incidant, cùm aliàs metus sit, ne fœtus fiat ebriosus: solent enim utplurimùm *Infantes sequi matrum desideria*, & iisdem addicti esse alimentis, quæ vehementer cupiverunt Matres gravidæ.

Malacia si reprimi nequeat, moderanda solidis rationibus.

CXXXVII. Sed quoad veram *Malaciam*, et *Appetitum rerum insuetarum*, & imprimis *absurdarum*, danda opera, ut si comprimi ac reprimi nequeat in totum, moderetur saltem: quod fiet ostendendo Gravidæ, quàm absurdum & à ratione sana alienum sit, quod ab ipsa desideratur; quò ad se rediens, Animumque suum colligens, occurrat suo desiderio pravo, atque rationis solidæ ope evertat sui Appetitus depravati motus perversos.

Quod in quibus faciliùs in quibus difficiliùs fiat.

CXXXVIII. Quemadmodum autem id obtinebitur faciliùs à fœminis ratione utentibus, ita idem fiet difficillimè à fœminis, quæ patiuntur se à suis regi Affectibus, quibus dum obtemperant libenter ita eosdem regere nesciunt, parvi pandentes prudentis præceptum.

Animum rege, qui, nisi paret,
Imperat.

CXXXIX. Indulgendum proinde Gravidis, quantùm fieri potest, ac ipsis concedenda sunt quævis Alimenta & alia non valdè noxia; sicut avertendæ sunt à rebus sibi alisve noxiis, dandaque est opera, ut Animus ipsarum sanæ rationi obediat, quò appetitui pravo imperet.

Sensus & Animalis motus perversus curandus. Aromaticis

CXL. *Sensus* autem Gravidarum *tum Externi, tum Interni*, ut & *Animalis Motus*, propter *Animales Spiritus minùs puros ac defæcatos perversi* restituentur depuratis & correctis iisdem per laudata tum *Aromatica*, tum *Spirituosa*.

CXLI. *Aromatica* hic laudo, quia emendant halitus vitiosos Spiritus animalibus iunctos, & ipsos corrumpentes.

Et Spirituosis.

CXLII. *Spirituosa* hic conducunt, quia vim Aromaticorum deducunt ad Cerebrum, promovent. que simul Animalium Spirituum restitutionem ac defectum eorundem supplent.

Functiones Animales in gravidis languere. Tincturã Cinnamomi maximè hic conducere.

CXLIII. *Languent* namque *Functione Animales in Gravidis* multis æquè, ac depravantur, opus est proinde, ut Spiritus animales tum augeantur, tum emendentur.

CXLIV. Inter omnia verò hic laudanda, quin plerisque præferenda *Cinnamomi Tinctura* cum Vini rectificato spiritu sola infusione parata, cum præ aliis omnibus aromatibus conducat modis omnibus Cinnamomum gravidis, sitque omnium aromatum gratissimum. Ubi tamen notandum, esse aliquas personas, & quandoque gravidas, quæ abhorrent à Cinnamomo, quibus tunc dari non debet, sed aliud vel alia ejus loco aromata sumi; qualia sunt Nux moschata, Garyophylli, &c. quæ simul jungi possunt proportione laudabili, & in Tincturas parari.

Animi deliquium quibus curetur.

CXLV. Quoties autem *Animi deliquia* tum *levia*, tum *gravia* patiuntur Gravidæ, toties, cum *Halitibus acrioribus ac simul Acidis*, vel *Austeris* suum debeant ortuum, curabuntur, aut præcavebuntur medicamentis *Aromaticis* sæpiùs laudatis, & *Salibus Volatilibus oleosis*: quippe quæ quodvis acre obtundunt, & Acidum infringunt, Austerumque emendant corriguntque.

Et qua ratione.

CXLVI. Quoniam verò fieri nequit, ut mox in totum tollatur illud malum, cùm continuè ferè, ac præsertim stomacho jejuno vacuoque, uti nonnullis potiùs eodem Alimentis, sed noxiis ferè impleto; novi excitentur attollanturque halitus Acres; idcirco medicamentorum per intervalla brevia sumptione frequenti opus est, quò iiidem tum halitus assurgentes corrigantur continuè, tum humores pravi ac vitiosè in tenui intestino Effervescentes emendentur,

Animi deliquium Gravidis Melancholicis & Tristibus evenire.

CXLVII. Sed hic notandum quoque, Animi Deliquia evenire imprimis *Gravidis Melancholicis & tristibus*, in quibus jam ante imprægnationem latitabat *Animi Deliquiorum Causa*, quæ proinde propter graviditatem non tam producta, fuit, quàm commota & agitata in ipsis.

Et quare.

CXLVIII. Nec obstat, quòd sæpiùs docuerimus *Animi Deliquia deberi Acido & Austero; in Gravidis autem volatilitatem majorem nancisci tum sanguinem, tum Humores omnes, ipsamque adeò Bilem*; unde videri posset aliqua potiùs Acidi Austerique correctio expectanda, quàm vitiosa Effervescentia: sed observandum; hæc Animi Deliquia non evenire facilè, nisi valdè tristibus ac melancholicis, in quibus cùm Humores omnes propter gravidationem reddantur volatiliores, ideoque mobiliores, copiosiùs separantur à Sanguine, abundantiùs efferuntur ad tenue intestinum Succi Melancholici, exsurguntque halitus plures.

CXLIX. Plura de Animi deliquii cura hic non addo, quia fusius alibi de illa à me actum.

Curatio Vertiginis.

CL. *Vertigo* gravidis nonnullis satis familiaris curabitur iisdem Aromaticis & Sale Volatili Oleoso: quippe quæ halitus quosvis vitiosos tum discutiunt, tum corrigunt; ac præterea Spiritus Animales puriores faciunt, & ad omnes functiones animales ritè obeundas aptiores.

Languores Corporis.

CLI. *Corporis Languor* ob eandem causam iisdem restituitur Aromaticis & Salibus Volatilibus Oleosis; tum etiam quatenus blandam promovent diaphoresim, sicque dissipant quosvis halitus pravos in Corporis habitu hærentes, Languoremque illum parientes.

Febris Li. . .

CLII. *Febres Lentæ* Gravidis tam frequentes iisdem Aromaticis & Salibus & Volatilibus Oleosis non parùm levantur, & sensim etiam curantur.

Macilentia & Cachexia

CLIII. *Macilentia*, quin & *Cachexia* quibusdam Gravidis superveniens propter vitiosam in tenui Intestino Effervescentiam, non parum emendabitur ab iisdem Salibus Volatilibus Oleosis, omnem humorum halituumque Acrimoniam noxiam corrigentibus, & Sanguinem ab ipsis depravatum emendantibus.

CLIV. Quæcunque autem insuper usurpanda veniunt ad Humorum quorumvis in Gravidarum corpore priùs existentium aut correctionem, aut diminutionem, eadem quoque poterunt prudenter in usum revocari, attendendo semper cum majori circumspectione hic procedendum, quàm extra fœminarum graviditatem.

Anhelationes.

CLV. *Anhelatio* Gravidis multis tam molesta quàm familiaris levabitur iisdem laudatis Medicamentis Aromaticis & Salibus Volatilibus; quatenus flatus halitusque eadem discutiunt, à quibus Anhelationem originem trahere docuimus in superioribus.

Abortus curatio.

CLVI. Superest magis Gravidarum proprium Symptoma *Fœtus nondum perfecti Exclusio prœmatura*, sive *Abortus*: cujus curationem secundùm multiplices ipsius causas proponemus.

Ob Plethoram.

CLVII. Quoties igitur ob *Sanguinis materni abundantiam & Plethoram* fit Abortus, in tempore

idem

idem minuendus, etiam aliquandn mox fecundo poft inchoatam Conceptinnem menfe: ficut ejufdem jam ante facta eft mentin.

Corporis motus vehemens vitandus.

CLVIII. *Corporis motus vehementior* Abortus caufa exiftens *vitandus*.

Casus occasio vitanda.

CLIX. *Cafus* omnis quemadmodum cafu evenire poteft ac fnlet, ita nmnis occafin ejufdem vitanda prudenter.

Ut & Animi terroris.

CLX. *Animi Terroris* occafinnes omnes vitandæ fimiliter, Animufque contra quavis adverfa muniendus, firmandufque.

Vigilia nimia vitanda.

CLXI. *Vigiliæ Nimiæ* fi urgeant, indeque Abortus metuatur, Somnus tum Anodynis tum Narcoticis excitandus.

Ut & fummus Aeris æftus.

CLXII. *Summus Aeris æftus* vitandus, locufque frigidior quærendus, vel arte talis parandus.

Alvi fluxus caufa præcavenda.

CLXIII. *Alvi fluxus* & imprimis *Dyfenteriæ* Caufa omnis præcavenda, & ubi adeft, in tempore ipfi occurrendum, ficut alibi hnc docetur.

Hæmorrhagia fiftēda.

CLXIV. *Hæmorrhagia* quævis magna in tempore fiftenda.

Cavendum à Sāguinis miffione enormi.

CLXV. Cavendum etiam ab omni *Sanguinis miffione enormi*, ut & *Purgantibus medicamentis potentioribus*; & imprimis *Medicamentis Menftruam purgationem* promovere folitis.

Purgantibus & mēftrua moventibus.

Et Potu Generofo copiofiore.

CLXVI. *Potus quivis Generofus* ficnt parva quantitate fumptus recreat Gravidas, roboratque Fœtum, ita vitandus quantitate majore, ne abortum prodncat.

Conformatio ventris vitiofa incurabilis.

CLXVII. *Conformatio vitiofa Ventris Materni* rarò vel nunquam emendari poterit, nec ab ipfa pendens Abortus præcaveri.

Abortus à Mola vel alio fœtu caveri vix poteft.

CLXVIII. *Qui à Mola vel alio Fœtu contingit Abortus*, vix itidem caveri poterit.

Placentæ pars poft abortum reftitans educenda.

Apozema.

CLXIX. In parte Placentæ poft abortum in Utero reftitante, atque continuum fanguinis effluxum per aliquot menfes comitem habente, feliciter emnvenda, & Ægra reftituenda conveniens obfervavi fequens Apozema, bis, terve in die ad ℥iij. affumptum.

> ℞. *Rad. Biftort.* ʒii.
> *Fol. Majoran.*
> *Puleg. an. M.* j.
> *Coq. ex Aquæ & Vini albi an. q. f.*
> *In Colat.* ℥xx. *diffolv.*
> *Syr. Artemif.* ℥ij.
> *Aq. Cinnamom.* ℥ſ.
> *M.*

Hujus enim npe excretum eft Placentę fruftum pugnum æquans, & fimul fnppreffus, curatufque fanguinis effluxus ulterior.

CLXX. Atque fic Symptomatum plerorumque Gravidis supervenientium, Ipfiufque adeò Abortùs, Naturam & Caufas protulimus, Ipforumque Curationem Compendio exbibuimus.

C A P U T VII.

De Partu Læfo.

I. HActenns tum de *Menftrua Purgationt* modis variis læfa; tum de *Fluore Muliebri* albo; tum de *Conceptione*; tum de *Fœtus Geftatione* læfis; ipfoque adeò *Abortu*, multiplicibufque *Symptomatibus Gravidis fubinde* fupervenientibus, egimus fatis operosè: proximum eft, ut ordinem Functinnum in humana propagatione fefe fubfequentium fervantes, nunc de ipfn Partu multipliciter lædi folito, quantùm per propriam præfertim experientiam fumus edocti, differamus.

De Partu læfo ex naturali judicandum.

II. De Partu læfo nemo judicabit, nemo docebit bene, qui Partum naturalem non confideraverit priùs exactè, cùm quicquid ab ipfo plus minùfve recedit, pro partu læfo habendum fit.

Partus naturalis.

III. Confideratur autem *in Partu naturali* tum *tempus*, tum *modus partus*.

Tempus.

IV. *Tempus Humani* partus maximè naturale ufitatumque, *Finis* eft *noni* ab uteri geftatione *menfis*: adeò ut non rarò, ubi de tempore gravidationis fœminæ ritè conftit, eodem die, quo finitur nonus ab impræguatione menfis, obfervatus fit eveniffe Partus, nec tanrùm Fœtn exiftente vivn & vivaci, fed etiam mortuo.

Novē Menfium Solarium non Lunarium.

V. Menfes autem hi nnn funt Lunares, verùm Solares: quurum novem, hebdomadas folent continere novem & triginta, five dies ducentos ac feptuaginta tres, cùm totidem Menfes Lunares, hebdomadas contineant folùm octo & viginti, atque dies ducentos & quinquaginta duos adeò ut novem menfes Solares fuperent totidem Lunares diebus uno & viginti, hoc eft, tribus hebdomadibus.

Quod Medicis notandum.

VI. Cùm proinde tanta fit menfium Lunarium & Solarium differentia, ubi præfertim plures fimul numerantur, intereft, ut Medicis præfertim conftet, quales confiderandi veniant in Partu maximè naturali determinandn: ne ridiculi obferventur, quoties hac in parte aut propter negligentiam fupinam, aut propter præjudicium decipiuntur, & à Mulierculis infcitiæ ac imperitiæ convincuntur.

Ex Planetis de Partus tempore nil poffe determinari.

VII. Quotquot proinde ex Planetis, eorundemque Motu aliquid de Partus tempore naturali determinare præfumnnt, toto Cœlo errant: Neque Planetis debetur illud tempus, quamvis cum hujus vel illius Planetæ Motu coincidere poffit humani partus terminus.

Id conftare Experiētia, & Obfervatione.

VIII. Aliunde autem nulli homini conftitit nnquam de naturalis partus humani tempore, quàm ab Experientia & Obfervatione multiplici, ac diu in locis mundi variis facta & notata.

IX. Quemadmodùm igitur de plerifque eventibus in Medicina obfervabilibus omnis certitudo debetur quotidianæ ac multiplici Experientiæ, ita imprimis de tempore partus maximè naturali.

Tēpus partus naturalis circa 273. diem.

X. Longo itaque rerum ufu & obfervatione diutina nntatus eft Partus humanus maximè naturalis factus circa diem ab impragnatione ducentefimum & tertium feptuagefimum, atque illa fumma dierum per Septenarium (voluit enim Deus per hebdomadas illos diftingui) divifa, novem ac triginta promit Septenarios.

Vel 39. hebdomadam. Vel nonum menfem Solarem, non Lunarem.

XI. Poftquam verò tum fecundùm Lunæ, tum fecundùm Solis motum per omnia Zodiaci figna obfervatum eft, dies ferè octo ac viginti, hoc eft, hebdomadas quatuor impendi motui Lunæ; dies autem circiter trecentos & fexaginta qninque, hoc eft, hebdnmadas duas & quinquaginta motui Solis: quæ duæ atque quinquaginta hebdnmades in menfes duodecim divifæ, præter quatuor hebdomadas fingulis menfibus debitas, quatuor retinent, ex quibus una fingulis menfibus ternis addi debet: adeò ut Menfes Solares novem non tantùm fex ac triginta contineant hebdomadas, fed infuper tres, hoc eft, novem ac triginta, quibus cùm frequentiffimè abfulvatur Partus humanus maximè naturalis & nrdinarius, meritò novem menfibus, fed Soloribus, non item Lunaribus idem dicitur à nnbis terminari & fieri.

Controverfia in Medicina ab imperitis.

XII. Dolendnm proinde, non tantùm hanc de maximè naturali & nrdinario Partus humani tempore controverfiam, fed pleralqne alias in Medicina nimis frequentes moveri, agitari, & cum magna fæpenumerò vehementia urgeri ab Hominibus rei Medicæ imperitis, ac ideò magis audacibus, poftquam Homine imperitn nihil injuftius quippe qui nifi quod ipfe facit, vel fomniat, nil juftum, nil verum, nil bonum putat. Sed ut plurimùm putare eft errare: unde non mirum, fi plerique in Medicina errores debeantur illis Putatoribus: qui majori molimine, artibufque fępè malis conantur rudi rerumque adhuc ignaræ Juventuti perfuadere, quod magis optant ipfi verū effe, quàm

ut ipfi

ut ipsi verum idem putent: dum Viri periti satis esse existiment, publica testari, quod sæpiùs sunt experti verum.

Veritas Experientia innotescit, & ratione comprobatur.

XIII. Veritas etenim per Experientiam innotescens solo Virorum bonorum testimonio probatur: quamvis subinde Rationes postmodum inquiri ac inveniri queant, quæ veritatem illam non tàm probent, quàm comprobent ac confirment.

Medicinæ notitia non ex figmentis sed experimentis humanis petenda.

XIV. Hoc assertum meum quamvis tum Doctoribus suffenis, ac verè Doctorum nomen quàm rem magis affectantibus, tum Juvenibus laborum ad experientiam consequendam necessariorum impatientibus, ad Docturam, Dictaturamque præcipiti gradu festinantibus minùs arrideat, tandem tamen, ubi ex Auditoris declamatoriis ad Ægrorum lectos venerunt Viri veritati Ægrorumque bono addicti, agnoverunt, licet aliquanto seriùs, quàm verè, quàm fideliter à me fuerint sæpiùs moniti de deponendo illo supercilioso sciolorum & inscitorum fastu, quò præjudiciis falsis mens libera, faciliùs feliciùsque progrediatur in acquirenda vera Medicinæ notitia, neutiquam ex figmentis, verùm experimentis humanis petenda.

Quare hoc Autor Discipulis suis inculcet.

XV. Hoc vel idcircò subinde repeto & inculco, ut benè sit meis Discipulis, hinc & ipsorum Ægris, nec idem ipsis eveniat, quod nonnullis evenit hactenus, ut nimirum seriùs agnoscant suam culpam, doleantque tam male collocatam bonam temporis sui partem in addiscendis otiosorum, vel maleferiatorum hominum, utut ingenio Acri præditorum, figmentis, non tantùm falsi, sed simul noxiis.

Falsa præ veris & noxia præutilibus in Academiis addisci.

XVI. Ubique plus temporis impendi solet in Academiis plerisque in addiscendis Opinionibus falsis, quàm veris; noxiis, quàm utilibus: & quidem quoniam majori apparatu ac fervore proponi solent, inculcarique Doctrinæ falsæ, quàm Veræ: adde quod Homo cuivis novitati addictus delectetur magis Dogmatibus probabilibus, & in utramque partem disputabilibus, quò cujusvis ingenii subtilitas conspiciatur, quàm probatis & planis, ubi assensus mox accedit, & parùm vel nihil relinquitur ad fingendum aut contradicendum ingenio volubili, & ut videatur, quàm ut videat, magis proclivi.

Tempus Partus humani differre à tempore partus Brutorum.

XVII. *Tempus* ergò; ut in viam redeam, *Humani Partus maximè ordinarium & naturale, est finis hebdomadis post impregnationem nonæ ac trigesimæ.*

XVIII. Dixi Partus Humani; quoniam hic non loquimur de Brutis, quæ novimus habere, alia quidem tempus gestationis breviùs, alia verò longius: sed hæc res relinquitur Veterinariis, tum iis omnibus, qui studium suum faciunt magis universale, & Brutorum quoque Accidentia & Mutationes scrutantur: quod minimè culpandum, quin potiùs laudandum, quoties aliqua inde Humano generi evenit utilitas, nec Homo semetipsum negligat cognoscere, dum totus penè inhiat Brutorum notitiæ.

Partus septimestris.

XIX. Præter nonum mensem, omnium penè Medicorum calculo *Septimi ab impregnatione mensis extremum* pro naturali Pariendi tempore habetur; quoniam quotidiana constat experientia, non tantùm subinde inter plures septimestres unum prodire Humanum fœtum ex eadem matre vivum, sed vitalem quoque; verùm integras esse familias, in quibus omnes liberi sunt Septimestres; qualem familiam honestam & inter Cives primariam novi in Germania; in qua hoc in tertio Gradu observavi factum quoad ipsas fœminas, aliquot enim notavi Sorores, quarum fœtus omnes erant Septimestres; quod idem evenerat semper ipsarum tum matri, tum aviæ maternæ.

Ante septimi mensis finem nullus fœtus vitalis.

XX. *Ante septimi mensis finem quotquot hactenus observavi Fœtus, eorum nonnullos quidem vidi vivos, nullos verò vitales*, rariùs enim ad secundam tertiamve perdurabant hebdomadem in vivis.

Ultra nonum mensem plures fœtus vivi & vitales.

XXI. *Ultra nonum mensem* plures observati sunt fœtus humani tum vivi, tum vitales editi, etiam ubi nulla erat de fraude suspicio, præsente scilicet ac vivo, sanoque Uxori suæ toto illo gestationis tempore marito.

Aliquando debiles ac ægri.

XXII. Observati sunt igitur aliquot post noni mensis finem tum diebus, tum hebdomadibus, tum mensibus editi Fœtus humani aliquando sani & robusti, sæpè debiles ac ægri: cujus rei tum in Matre, tū in fœtus motibus signa solent apparere; ex quibus prudens Medicus se non ita difficulter poterit expedire, atque à calumniatorum morsibus servare, ut salvare.

Partus Octimestris vivus & vitalis.

XXIII. Celebris est inter Medicos de *Octimestri Partu* Controversia, quem plerique pro haud vitali habuerunt, quamvis hactenus nec rationē urgentē audiverim legerimve ab ullo ipsorum prolatam, quæ hoc evinceret; longè minùs Experientiam observare potuerim eorundem Placito consentientem: Plures namque notavi fœtus humanos octimestres non tantùm vivos, sed insuper vitales.

Objectiones contrariæ nullius momenti.

XXIV. Non me latet, hos Medicos Sophistas, quo sartam tectam tueantur suam Opinionem dicam, an Commentum, quoties observant vitalem fœtū octimestrē, audere, ac sæpe satis imprudenter, negare fuisse ipsum octimestrem, atque nil intactum relinquere, quin omnem movere lapidem; ut matribus æquè ac aliis persuadeant, non ritè fuisse initas ipsarum rationes, ac velle aliquando citiùs, aliquando seriùs impregnatas fœminas, quam referunt, ideòque fœtus illos non tam fuisse octimestres, quàm septimestres, aut novimestres.

XXV. Verùm enim verò, sicut non nego, falli subinde fœminas operi generationis minùs attentas, ita non possum admittere, illud evenire accuratis mutationum sibi obvenientium & observabilium notatricibus; quæ facilè observare possunt, quando Virile semen (absque quo nulla fit generatio) admittant, quando emittant; quòd si non emittant, de impregnatione tunc facta priùs suspicari, mox opinari, tandem certò persuaderi matres oportet. In quo casu putem longè plus tribuendum esse Conjugi honestæ, quàm Medico præjudiciis excœcato & imperito utut Artis Doctrinæque suæ vastitate tuffeno, ac præposterè superbienti.

Experientia & ratione id suadere.

XXVI. Nec tantùm *Experientia* indubitata constat, plures occurrere Partus humanos *Octimestres naturales*, quin *Ratio* idem suadet, persuadet, ac evincit.

Fructus in eadem Planta quosdā citiùs, quosdā seriùs maturescere.

XXVII. Si quis enim Hominem, cujus Corpus naturalibus mutationibus omnibus subjectum est, cum rebus Naturalibus aliis, quatenus cum illis convenit, contulerit, observabit exempli gratia in Plantarum Fructibus etiam eodem tempore, in eadem Planta vel Arbore hærentibus, alios citiùs, alios segniùs maturescere, adeòque sibi relictos decidere, sive sint omnes æquè boni, sive aliqui malè sint affecti.

Ut & fœtum humanum.

XXVIII. Sic etiam Fœtus humanus aliàs citiùs; aliàs segniùs ad suam perfectionem pertingit; unde etiam subinde solito tempore citiùs, subinde tardiùs ad exitum properat.

Hujus diversitatis ratio & causa.

XXIX. Diversitatis hujus ratio pendet imprimis à *Fœtus robore* majore vel minore; uti hoc debetur præsertim *Constitutioni Matris diversæ*; quæ rursus pendet partim à *Dispositione* ejusdem *Matris naturali*; partim ab *Aëris constitutione* diversa; partim ab *Alimentorum* ab ipsa usurpatorum diversitate; dum aliàs Succi optimi usurpantur Alimenta, aliàs alia, aliàs Aromaticis condita, aliàs minùs Aromatica, & sic porro; partim à *Corporis exercitio*, moderato quidem sed aliàs aliquantò majore, aliàs aliquantò minore; partim ab *Animi Affectibus*, gratioribus vel ingratioribus ac præsertim gaudio, spe, tristitia, metu, &c. iisdemque aliàs frequentibus magis, aliàs rarioribus.

XXX.

XXX. Ab his, inquam, Causis pluribus vel paucioribus, potentioribus, vel debilioribus, pendet citior segniorve Fœtus humani in materno utero perfectio, adeoque ejusdem ad partum acceleratio, vel retardatio.

Experientia id etiam constare.

XXXI. Nec tantùm rem ita se habere suadet Ratio modo allegata, sed eandem solidam veramque esse confirmat laudata priùs experientia; qua constat, Fœtus robustos, tempusque partûs ordinarium ideò anticipantes edi à matribus itidem robustis, atque ex supradictis rebus non-naturalibus plures paucioresve cum voluntate expertis.

Post nonum mensem partus sani & vegeti causa.

XXXII. Contrà quotiescumque *ultra mensem nonum* prodeunt *Fœtus* humani; si fuerint ipsi *sani & vegeti*, toties ferè, hoc est, plerumque *Animi mœror, non tamen valde gravis*, vel *Solicitudo* Martes robustas exercuit gestationis tempore, unde segniùs ad perfectionem pervenerunt iidem Fœtus, seriùsque ad exitum fuerunt apti.

Partus infirmioris causa post idem tempus.

XXXIII. Quoties autem *Fœtus iidem* post nonum mensem prodeuntes *Infirmiores* sunt, toties, si *non affectum alium corporis gravem* passæ sint, *Animi* saltem *mœrorem gravissimum*, aut *Terrorem molestum*, aut *frequentem Iram*, aut *Alimenta vitiosa*, *Aerisve mutationes noxias*, vel *nimias Vigilias*, vel *defatigationem crebram*, similiave Diætæ vitia substinuerunt Matres cæterùm robustæ; unde non contigit quidem Abortus, verùm Fœtus debilior inde factus segnius ad maturitatem pervenit, tardiùsque in lucem est productus.

Partus esse Octimestres.

XXXIV. Si proinde Fœtus humanus aliàs citius, alias segniùs perficiatur, & ad partum properet; observenturque Fœtus vivi & vitales non tantùm nono, quin septimo quoque mense exclusi, quisnam per se finget facilè, non dari frequenter Partus Octimestres?

Fœtum septimo mense non esse perfectum, nec partum tentare.

XXXV. Quod enim putant aliqui Fœtum humanum omnem perfecto mense septimo non tantùm perfectum esse, quin insuper partum tentare, figmentum est, nulla ratione solida, nulla experientia certa comprobatum. Nam fœminæ gravidæ finito mense septimo non sentiunt partus dolores & conatus.

XXXVI. Nulla, inquam, ratio solida id suadet. Neque mox, ubi omnia membra perfecte habet fœtus, ad exitum properat; cùm eadem robore adhuc indigeant, quod octavo & nono acquiritur mense: unde omnes Fœtus septimestres observantur delicati ac teneri, adeò ut, quando sani sunt, binis primis mensibus perpetuò ferè dormiant, nec nisi valetudinarii post assumptum Alimentum vigiliis exerceantur, & torqueantur. Adde quòd ungues ipsis ferè desiderentur, qui sensim accrescunt.

Ob quas causas prodeant fœtus septimestres.

XXXVII. Prodit autem *Fœtus septimestris*, tum quando existit *solito robustior*, tum quando idem *solito major*, tum quando *Matris Uterus explicationem ampliorem ferre non potest*, tam quando *Aeris æstus summus* citiùs exsiccat commissuras Placentæ atque Uteri, unde facilior fit utriusque partis secessus, vel *aliquid aliud* accidit, quod idem efficiat.

Ob quas Octimestres.

XXXVIII. Quòd si *Causæ similes*, ast *leviores* locum habuerint, tum non quidem septimo, ast *octavo* demum mense accidet Partus.

Hos frequentes observari à fœminis, quos deceptas in calculo statuunt perperam Medici Puras fœminas confusè graviditatis tempus notare.

XXXIX. Et octavo mense Partus frequentes observant fœminæ, quibus præjudicio laborantes Medici ubi persuadere non possunt, deceptas fuisse ipsas in calculo suo ineundo, nunc ad septimestres, nunc ad novimestres revocat istos partus octimestres, prout ad septimum vel nonum mensem magis accedunt.

XL. Ubi observandum, plures feminas generationis operi minùs attentas, ideòque confusè magis graviditationis suæ rationem, calculumque ineuntes, solere hic saltem pro conceptionis suæ tempore sumere mediam partem mensis ante suppressa menstrua; vel si lactantes fuerint medium mensis ante visa semel menstrua.

Lactantibus impregnatis semel menstrua profluere post impregnationem.

XLI. Notandum enim multis, ac fortè plerisque fœminis lactantibus, nec idcircò menstruam purgationem tunc patientibus, ubi prægnantes fiunt, paulo post semel profluere menstrua; ipsisque ex horum fluxu conjectarum fieri, de facta imprægnatione.

Impregnationis diem ac horam à quibusdam posse determinari.

XLII. Id vero, uti dixi evenit fœminis generationis operi parùm attentis, cùm, quæ ipsi sunt magis attentæ, certiùs possint determinare non tantùm inpregnationem, quin impregnationis quoque diem ac horam; ubi præsertim studetur generationi, nec tantùm voluptati.

Tempus Partus maximè naturale. Circa finem noni Mensis.

XLIII. ut proinde tandem aliquando, quę de Partus Naturalis tempore dicenda nunc habebamus, in compendium redigamus & concludamus: Tempus frequentissimum adeòque maximè naturale finis est Mensis noni, sed Solaris: à quo tempore si parùm desciscat Partus, duabus scilicet ultrà val infra hebdomadibus, pro naturali quoque habendus est ejusdem terminus.

XLIV. Quando verò integro mense, aut duobus mensibus ante aut post nonum mensem accidit Partus Fœtus quidem vitalis existere potest, non tamen tempore maximè naturali editus.

Partus ante septimi mensis finē quidem vivus nunquam vitalis. Fœtus vivi & vitales, decimo, & decimo, undecimo, & tertio mense editi.

XLV. Citiùs autem, hoc est, ante septimi mensis finem editus Fœtus aliquando quidem vivus prodit, nunquam quod iam, vitalis.

XLVI. Observatis sunt verò Fœtus vivi & vitales nontantùm x & xi. mense editi, sed xii. quoque à me, quin xiii. ab aliis.

XLVII. Atque hæc de Partus humani tempore naturali dicta sunto: quoad Modum, quo fieri debet ac solet Partus Naturalis, pauca similiter habeo monenda, & quidem notatu digna, ex quibus de modo Partus præternaturali faciliùs ferri poterit à quovis sententia.

Modus Partus naturalis.

XLVIII. *Modus* ergò *maxime naturalis* que *prodit in lucem Fœtus humanus*, est quando is *Capite Prono* exitum quærit ac invenit, subsequentibus scapulis, mox seliquo ejusdem corpore.

XLIX. Huic valdè *affinis* est quando idem Fœtus *utraque manu prodit, subsequente Capite*, hinc & corpore reliquo.

L. Modus quoque naturalis censetur, quando *utroque pede prodit Fœtus*; subsequentibus cruribus, hinc abdomine mox pectore, tandemque capite.

Modus partus præternaturalis.

LI. multis autem modis peccare potest in sui exitu, exitusque modo Fœtus, & 1. quidem, quando *alterutra manus sola prodit, capite averso*, unde nulla tunc spes superest Partus felicis ac vitalis, ni retrorsum tracta pressave manu.

LII. 2. Quando similiter *alteruter pes solus prodit*, altero in Utero hærente, atque corporis reliqui exitum impediente.

LIII. 3. Quando *Complicatum corpus per nates* prodit.

LIV. 4. Quando e contrà *Ventre prono retrorsùm inflexum corpus* se Uteri Orificio sistit.

Partium vel citiùs vel seriùs excludi.

LV. Cùm *Partus humanus naturali tempore haud prodiens*, nunc *anticipet & citiùs excludatur*, nunc *postponat & seriùs gignatur fœtus*, notandum, tempore *anticipantem Partum* vocari *Abortum*, de quo abundè actum à nobis in superioribus: qui *seriùs fit Partus*, nomine peculiari caret; cujus Causas investigabimus, & Curationem ejus subjungemus.

Partus nullus.

LVI. Sed ad *læsum Partum* referendus quoque *Partus nullus*, quando nimirum excludi nequit, saltem non excluditur sponte humanus fœtus, verùm arte duntaxat elicitur vivus, mortuusve; aut in Utero matris moritur, in eodemque putrescit ac subinde per partes exit, aut totus in ipso permanet: sicut memini, me aliquando gemi-

geminos fœtus in eodem utero simul reperisse, quorum alter quidem totus inerat, sed ad corruptionem vergens, alter partibus carneis, & similibus maximam partem corruptus excretusque, solis in utero repertis duntaxat ossibus solidioribus.

Læsi partus species.

L V I I. Quatuor igitur primarias species Partus læsi constituemus, *Abortum*, sive Partum haud vitalem; *Partum citiùs contingentem*, qui vitalis esse potest; *Partum seriùs obvenientem*, qui quoque vitalis esse potest; ac denique *Partum nullum*, cum fœtus interitu semper copulatum.

Abortus.

L V I I I. Ad *Abortum* revocamus omnem fœtus exclusionem ante septimi post impraegnationem mensis finem factam, nunquam, quòd observaverim, vitalem, licet vivus nonnunquam prodeat fœtus: de quo plura non addimus, quoniam abunde de ipso egimus in Fætus Gestatione læsa.

Partus anticipans.

LIX. Ad *Partum anticipantem*, ac *citiùs contingentem* putamus revocari posse tum *septimestrem*, tum *octimestrem*; quamvis uterque possit esse vitalis; quoniam Fœtus illis temporibus prodeuntes, *donec noni mensis finem attigerint*, ni ægrotaverint, post assumptum alimentum *dormire solent*, at constituto naturali pariendi tempore finito subinde per horas aliquot vigilare solent, & alternatim dormire.

Quis fœtus maturè, qui præmaturè sit exclusus.

LX. Cui accedit, quòd *ante noni mensis finem perfectionem suam non habeant in fœtu humano*: ex quibus proinde signis judicium fieri solet de fœtu maturè, aut præmaturè excluso.

Partus anticipantis causa.

LXI. *Causas hujus anticipantis Partus* retulimus in superioribus & ad *Fœtus robur*, & ad ejusdem *magnitudinem auctam*, & ad *Matris Uterum explicationem ulteriorem non ferentem*, & aliquando ad *Aeris æstum commissuras Uteri & Placentæ solitos citiùs exsiccantem*, & aliquando *ad res nonnaturales alia* quovis modo peccantes, atque *fœtus exclusionem præcipitantes*.

Cur aliquando vitalis, aliquando talis non existat.

LXII. Unde facilè patet, cur aliquando *vitalis* existat Fœtus Septimestris, vel Octimestris, nonnunquàm *aliquo post partum tempore moriatur idem*: quoties namque prupter robur proprium, auctamve multùm corporis sui molem ante noni mensis finem prodit fœtus, plerumque vitalis etiam erit; quoties autem propter aliquod erratum in rebus non-naturalibus patratum anticipat Partus, toties facilè noxa simul fætui inde accidit, unde in Affectus graves, adeòque lethales incidere potest.

Partus seriùs contingentis causa.

L X I I I. *Partus seriùs contingentis*, atque haud nono, verùm 10. 11. 12. aut 13. demum mense accidentis *Causam* docuimus esse utplurimùm, quoties *Robustus* prodit tunc *Fœtus*, *Mærorem*, non tamen extremum & gravissimum, *Solicitudinemve* Matres satis robustas gestationis tempore angentem ac exercentem; propter quem infirmatus fœtus seriùs ad perfectionem deductus est, seriùsque ad exitum properavit, & tunc demum postquàm vires matris mœrore fractas iterum recuperavit.

Debilis fœtus unde.

L X I V. Quoties verò *Debilis* prodit *Fœtus*, toties aut *Corporis Affecta gravi afflictæ* fuerunt gestationis tempore *Matres*, aut sustinuerunt eædem *noxam notabilem ex rebus non-naturalibus* plurimùm à mediocritate recedentibus, *Animi* putà *Mærore gravissimo*, *Terrore magno*, *Ira extrema* vel *frequenti*; *Alimentis* valdè vitiosis; *Aeris constitutione* noxia, ejusve *Mutatione multiplici*; *Vigiliis perseverantibus*; *Corporis defatigatione* multa; *Hæmorrhagia qualicunque enormi*; *Alvi Fluxu diuturno*; *similibusve Diætæ vitiis*; unde *non sequitur quidem Abortus*, verùm *debilitatur non parùm Fœtus*; qui proinde *segniùs ad perfectionem* suam & maturitatem deductus, *tardiùs* quoque ad *exitum properat* & *partum*.

Partus deficientis causa

LXV. *Partus* denique *deficientis Causæ* aliàs in *Fœtu*, aliàs in *Matre* sunt quærendæ ac inveniendæ.

In Fœtu.

LXVI. In Fœtu, quando idem aut *extreme debilis* existit, aut *mortuus*. Nam extremè debilis nullum conatum edit, ut nec mortuus.

L X V I I. Nec sufficit tamen, ut nullus fiat Partus, Fœtus vires ac conatus deficere, cùm indies languentes ac mortui edantur; verùm Matrum imprimis culpa deficere solet Partus, licet nec ipsarum duntaxat culpa deficiat semper Partus, postquam etiam ex ipsis mortuis non semel prodit Fœtus vivus.

In Matre. 1. Quando vires deficiunt.

LXVIII. *Matrum* verò *culpa non succedit Partus*, *quoties* 1. sunt ipsæ *valde debiles*, tum ratione virium vitalium, tum ratione virium animalium. *Vitales vires* pulsu dignoscuntur parvo, languidu, ac præsertim intermittente, aliisve modis deficiente. *Animales vires* dignoscuntur Sensibus externis languentibus, Motùsque animalis impotentia; & imprimis Abdominis compressione qualicunque per diaphragma, propiosque musculos perficienda, sed tunc languente aut deficiente

L X I X. *Deficiunt* illæ *Vires Matris* propter *Affectus* alios ipsas *exhaurientes*; aut *opprimentes*.

Exhausta.

LXX. *Exhauriunt* vires pleræque *Febres Ardentes*, aut cæterùm *graves*, quò *Intermittentes* quoque revocandæ.

LXXI. Exhauriunt quoque vires *Tusses* diuturnæ, ut & *Vigiliæ* nimiæ; exhauriunt *Dolores*; exhauriunt *Solicitudines*; exhauriunt *nimia corporis exercitia*, vel opera; exhauriunt *Evacuationes* omnes, *Sanguinis*, *alvi*, *sudorum*, &c.

Oppressa.

LXXIII. *Opprimunt Vires* tum *Plethora summa*, tum *Aquæ Asciticorum*, & *Hydropis Thoracis*; tum *Flatus Anhelationem parientes*, aut ventrem distendentes in *Tympanitide*; tum *Sanguis aut Pituita Apoplecticorum*.

2. Quando via sunt inepta.

LXXIII. Non succedit Matrum culpa Partus 2. quoties *viæ* sunt ad excludendum fœtum *ineptæ*: si *ossa pubis & coccygis* propter ætatem provectiorem *minùs* fuerint *mobilia*; si *excrescentiæ* fuerint *osseæ in fœtus viis protuberantes*; si *coaluerit*, ex partem saltem, *Uteri Vagina*; si *Herniam constituerit Uterus*; quemadmodùm videre est apud Sennertum, in Uxore quadam tam infeliciter in abdominis latere læsa; nec nisi Cæsareo partu Fœtum suum excludente: vel si quovis modo alio impediatur Fœtus exclusio.

3. Quando in medio Partu moritur.

LXXIV. Non succedit 3. *matris* culpa Partus, quoties *ipsa in medio partu moritur*; unde tunc perrarò spontè gignitur Infans, quin plerumque Chirurgiæ duntaxat ope, Abdominisque materni apertione, elicitur idem: qui Partus neutiquam pro naturali potest haberi.

Et quando fœtus non debito modo prodet, nec immutatur

LXXV. Non succedit quoque Partus, quoties, sicut nuper dicebamus, Fœtus alterò tantùm crure, manuve, aut etiam ventre prodit medio, nec mutari potest iste situs, propter *Obstetricum inscitiam*, *imperitiamve*, vel obstinatum fœtus Motum talem.

Propter Obstetricum inscitiam. Imperitiam

LXXVI. *Inscitia* laborant Obstetrices, quando ignorant, frustrà isto situ expectari Fœtus productionem.

LXXVII. *Imperitia* hic laborant Obstetrices, quandu nesciunt introrsùm repellere Manum, Pedemve vitiosè prodeuntem.

Vel propter obstinatum fœtus motum.

LXXVIII. Obstinatus est Fœtus motus modo, quem diximus, vitioso, quando *graviter affectas & anxius* exitum quærit & urget, quem cœpit, perversum.

LXXIX. Angitur Fœtus Doloribus, vel impedita Respiratione, & quandoque Motibus Epilepticis; unde liberè moveri nequit per Uterum, quin potiùs hæret in vitioso partium suarum situ.

Quare sit naturalem in partu mutet fœtus.

LXXX. Arduum erit nunc rationes proferre, propter quas situm naturalem mutat in Partu Fœtus, cur aliquando capite prodeat prono; cur aliquando pedibus exitum quærat; cur aliquando alterum pedem manumve exerat; cur aliquando nates, aliquando ventrem Uteri orificio obvertat.

LXXXI.

LXXXI. Quamvis autem nemo forsan mortalium determinare possit, cur hec ita eveniant omnia; videndum tamen, an aliquid excogitari possit, quod non tantùm sit rationi consentanaum, sed imprimis utilitatem aliquam afferat in facienda medicina; quod unicè quærimus, & omnibus subtilitatibus inutilibus præponimus.

Modus prodeundi maximè naturalis.

LXXXII. Existimo igitur *Capite prono* exitum quærere *Fœtum* omnibus modis *sanum*, nilque præternaturalis; ac præsertim *partu instante* passum; quoniam situs hic est maximè naturalis, atque ad partum felicem tum matri, tum fętui præstandum maximè aptus.

Quomodo fiat.

LXXXIII. Ubi namque sanus vegetusque ex situ Fętus, licet blandè corpus suum in Utero materno moveat, non tamen videtur composita in orbem membra priùs extendere aut eapendera, quam festinet ad exitum, quo tempore arbitror, fętum extarno quasi ad hiantem paulatim apertumque Uterum capite exitum eo ipso quærere, quò respiret; atque ad motum illum exitumque facilitaodum crura, pedesque ita extendere, ut ipsorum plantis presso utero partes suas superiores faciliùs propellat; eaprimatque.

Quare situ naturalem mutet fœtus.

LXXXIV. Quòd si *Affectu aliqua molesto*, ac imprimis *doloribus labores Fœtus*, ac præsertim *partu instante*, tum existimo, eundem omnes artus nunc quaquaversùm (uti omnes dolentes solemnus, eaplicare, nunc eosdem miris ac diversissimis modis contorquere, aut complicare, atque eo ipso situm suum naturalem ita immutare, ut raro ad eundem partes omnes reducat, quin semper aliquæ quodammodò perversum servent; unde molestiores solent matribus essa tunc Fœtus motus & agitationes: quin casu tantùm, ac hominum respectu fortuitò videtur tunc Partus sequi naturalis, quòad partium situm.

Unde uteri Orificio alia præter caput pars se offert.

LXXXV. Sed non raro propter talem Artuum explicationem præposteram vel potiùs prematuram alia præter caput pars se Uteri Orificio offert, quæ partum efficit nunc difficiliorem nunc Matri, ant Fætui saltem periculosum, & aliquando lethalem.

Cur hæc quam illa pars, Autorem nescire.

LXXXVI. Cur autem potiùs hęc quàm illas pars per quàm manus se offerat, id fateor me casui tantùm ac fortunæ quoad nos adscribere: Nam hìc in Dies secreta & consilia arcana non penetro, Cul omnia hæc non tantùm notissima censeo, verùm ejus nutu atque jussu quandoque, uti aliis permissione peragi, planè sum persuasus & quidem ex Dei Sapientia, Bonitate, atque Potentia omni exceptione majoribus ritè expensis.

Curatio.

LXXXVII. Postquam docuimus, tempus humani partus maximè naturale ac ordinarium esse finem nomi post impręgnationem mensis, atque partum, qui proximè ad dictum tempus accedit, accedere quoque hactenus ad partum maximè naturalem; partum autem ab eodem termino maximè recedentem, hactenus recedere maximè à partu naturali; atque Causas istius diversitatis, adeòque partus hactenus læsi Causas divarsas in medium protulimus; tempus est, ut auxilia quoque proponamus, quorum ope Partus ad constitutum à Deo tempus, terminumque maximè legitimum, quantum arte Medica fieri potest, deduci queat.

Causis, quæ partum præcipitant, occurrendū.

LXXXVIII. Hoc ut ritè fiat, considerandæ Causæ, quæ nunc Partum præcipitant, nunc retardant, superiùs enumeratæ, ut quoties aliquæ locum habet in gravidis, adeòque metus est, ne aut citiùs; aut seriùs contingat Partus, in tempore illis occurratur, earundemque noxa præveniatur: Nam frustra quis Parturienti jam fęminæ remedia exhibere sustinebit, quorum ope mox tollantur semper Partus dolores, differaturque Partus citiùs urgens: quamvis non negem, aliquando, at non semper, posse convenientibus medicamantis sisti præmaturè parturientium dolores, & ita quidem, ut illis sublatis cesset simul pariendi conatus, donec tandem ordinario ac verè naturali tempore iisdem redeuntibus felix contingat Partus.

Partus dolores à causa externa præmaturè sistendi.

LXXXIX. Illud autem accidit, quoties è Causa externa modò eveniente partus dolores contingunt, quibus tunc remotis sedatisque cessant quoque Conatus illi pariendi præmaturi.

A causa interna variis simè tolluntur.

XC. Quoties autem præcessetunt aliquandiu in Matre aut Fętu Causæ Partum exempli gratia præmaturum productūræ, frustrà expectatur earundem Correctio aut Sublatio, donec urgeant Partus dolores, qui admodùm raro patientur se ita diminui, val tolli, ut ad ordinarium pariendi tempus pergat Uteri gestatio.

Partus seriùs venturus naturali tempore concitari nequit.

XCI. Quòd si subinde possit præcipitatus ac præmaturus Partus sisti remediis parturienti fœminæ administratis, vix unquam poterit tameo commodè Partus seriùs venturus naturali tempore concitari.

Et quare.

XCII. Nam si Fętus Exempli gratia propter matris propriumque affectum præcedentem factus debilior ad perfectionem desideratam non pervenerit adhuc tempore Partus naturali adventante, non nisi cum ejusdem Fętus & subinde Matris quoque periculo tentabitur Partus excitatio artificialis.

Fęminæ, ut naturali tempore pariat, quid agendum.

XCIII. Quisquis proinde voluerit Fęminam tempore maximè naturali parere, is operam simul dabit, ut 1. *præveniantur omnia, quæ eandem possum præcipitare aut retardare*.

XCIV. Ut 2. *si quædam præcipitis tardiorisve Partus Causæ locum habuerint, eædem in tempore corrigantur, emendentur, tollunturve*.

XCV. Ac in specie danda opera, ut 1. quantum licet, Gravidæ *Aere* utantur sereno, temperatoque.

XCVI. Ut 2. eædem *Alimentis* fruantur optimis, probè paratis, quantitate mediocri, tempore conveniente.

XCVII. Ut 3. eædem pro sui corporis constitutione *Somno*, *Vigiliisque* indulgeant moderatis.

XCVIII. Ut 4. eædem Gravidæ *corpus moveant commodè*, omnemque vitent ejus agitationem fortem, ut & torporem, ac segnitiem noxiam.

XCIX. Ut 5. eædem Gravidę, quantum fieri potest, *vivant hilariter*, atque ab omni Affectu animi vehementi liberæ.

C. Ut 6. eædem Gravidæ *alvum* servent laxam, *Urinam* reddant pro assumpto potu sufficientem, nullum patiantur *Sanguinis effluxum* notabilem ac nocentem.

Erratum in Diæta corrigendum.

CI. Quoties verò aut *necessariò*, aut *casu & fortuitò*, aut *data opera erratum* aliquod à Prægnante fęmina commissum est *in Diæta* laudata, toties curandum sedulò, ut idem corrigatur, emendeturque in tempore.

Sive necessariò commissum.

CII. Dixi *necessariò*, quando illud vitari non potuit, *Aer* putà, præter omnem omnium expectationem subitò mutatus ex sereno in humidum, aliterva malè affectum, dùm in aperto Aere ruri forsan versatur Prægnans; quando *Alimenta* optima desiderantur; quando vitæ periculum ut effugiat Prægnans, cogitur quovis modo valdè *agitare ac movere corpus* suum, & sic porrò.

Sive fortuitò.

CIII. Dixi *fortuitò* aliquando à Prægnantibus committi aliquod in Diæta erratum, quando Exempli gratia diutiùs ferenda sitis, quoniam potus casu est effusus; quando ab imprudente, aut malitioso ipsi terror incutitur; quando exictu fortuito ipsi excitatur Narium hæmorrhagia; & sic de cæteris.

Sive data opera.

CIV. Dixi etiam erratum in diæta committi aliquando à Prægnantibus *data opera & studio*; nam plurimæ sunt satis petulantes, adeò ut putent multæ omnia sibi licere agere impunè, quamvis nonnunquam monitæ sint de noxa secutura tum ab Adstantibus & Amicis, tum à Medicis; au-

dent

dent namque salutaria spernere quorumvis consilia, & imprimis *quævis Alimenta & Condimenta Fructusque horarios* ingurgitare; audent *saltare*, *currere*, *tripudiare*, *equitare*, & nescio quid non tentare.

Culpā quidam fatentur, quidā non.

CV. Ubi autem observant noxam sibi tunc imminere, *prudentiores* solent *culpam* suam tum *fateri*; tum convenientibus auxiliis noxam præsentem *prævenire* ac *emendare*: *imprudentiores* autem culpam suam nunc *ridere*, nunc, seriùs licet, *dolere* ac *deplorare*.

Erratū quò citiùs notatur, eò meliùs quò seriùs, eò pejùs curatur.

CVI. Quò citiùs ergò erratum illud notatur, illique succurritur, eò citiùs quoque, faciliùs, ac feliciùs idem emendatur ac superatur; quò segniùs idem erratum observatur, eò segniùs quoque, difficiliùsque illi succurritur ac subvenitur.

Mala ex rebus non-naturalibus orta.

CVII. Proximum est, ut jam ordine Mala ex iisdem non-naturalibus rebus quovis modo, necessariò, casu, vel voluntariè perperam usurpatis orta persequamur, ipsorumque Remedia proponamus.

Robusti Fœtus partus non impediendus, sed promovendus.

CVIII. Quoties autem Robustus Fœtus solito citiùs prodit tum ratione sui roboris: tum ratione suæ magnitudinis auctæ, toties nullo remedio impediendus, retardandusve Partus, quin potiùs observandus.

Ejus signa.

CIX. Ne tamen quis tunc fallatur, signa quærenda & assignanda sunt, ex quibus constet Medico de Fœtu Robusto, vel etiam solito majore.

1. Status Gravidæ optimus.

CX. Fętus robor patet 1. ex *statu Gravidæ optimo & sano*: neque unquam Fætu languente observabitur benè habere Mater; quamvis fieri possit, ut aliquando Matre existente debili aut ægra, Fętus existat satis robustus.

2. Motus ejus mediocris & blandus.

CXI. Patet Fętus robur 2. *Motu ejusdem mediocri & blando*; quoties enim languet Fętus, minùs movetur; quoties idem dolet, angiturve, nimiùm movetur, agitaturve inordinatè.

Fœtus solito majoris signum.

CXII. *Fœtum solito majorem* suadet Gravidæ Uterus ac Venter solito magis explicatus, expansusque; quamvis non rarò Uterus solito magis explicetur nunc à gemino Fœtu, nunc à Placenta grandiore, aut multis humoribus plena, nunc ab Aqua copiosiore Fętum ambiente.

Unde judicet Medicus omnia ritè fieri in partu præmaturo.

CXIII. Unde an Fętus grandior sit, ex Uteri Abdominisque Tumore majore haud certò constat, atque mera duntaxat Conjectura est.

CXIV. Omnia verò tunc ritè fieri, etiam ubi solito citiùs excitantur Partus Dolores, judicabit præter jam dicta Medicus, si Mater fuerit sana vegetaque, si in nulla re non-naturali peccaverit, aut eadem fortuitò fuerit turbata, unde tantùm abest, ut inde turbetur Medicus prudens, ut contrà jubeat ipsam mulierem parturientem animo esse bono ac præsente.

Turbatus Parturientis Animus sedandus.

CXV. Quod si nec sic quidem turbatum sollicitumque Parturientis animum sedare possit Medicus; aut leve aliquod in Diæta commissum est erratum, Animus putà prægnantis quovis animi affectu conturbatus est, terrore scilicet, vel ira, unde paulò post partus dolores ipsam occuparunt, operæ pretium est, ut si Venam secare ampliùs ipsi non liceat, Medicamentum ipsi præscribatur & blandè aromaticum, & simul opiatum, cujus ope ad tranquillitatem redigantur agitati spiritus, temperetur excitata inde humorum acrimonia, sedenturque Dolores partum mentientes, aut comitantes. sic enim, si falsi fuerint dolores isti, brevi sedabuntur, & tollentur partus conatus; sin veri & partum instantem testantes, promovebitur idem feliciter, quod imprimis optandum in casu tam dubio & ancipiti.

Et qua ratione.

Partus Præmaturus ab Æstu Æris qui curetur.

CXVI. Quoties autem ex Causis Partum præter naturam Citionem producturis locum habuit 1. *Æstus Aeris magnus Commissuras uteri & placentæ* solito citiùs *exsiccaturus*, sicque Partum præcipitaturus: toties variis remediis tum *Aeris æstus* ulterior *præcavebitur* aut *temperabitur*, tum notatarum *commissurarum exsiccatio prævenietur*.

Aeris æstus ulterior præcavendus.

CXVII. *Aeris æstus ulterior præcavebitur*, vitando eundem, ac se recipiendo in locum subterraneum, aut aliàs ab aeris æstu liberum.

Idem temperandus.

CXVIII. *Aeris æstus temperabitur*, aspersione pavimenti facta cum Aqua puteali, aut fontana, Aceto, Plantarum acidarum aquearumve partibus, Acetosa, Plantagine, foliis Vitis, Portulacæ, Sempervivi majoris, flor. rosarum, borraginis, buglossæ, violarum, &c.

Commissurarum Uteri, & placentæ exsiccatio prævenienda.

CXIX. *Commissurarum Uteri & placentæ exsiccatio prævenietur*, assumptione Liquorum æstum omnem in corpore blandè compescentium, corpusque humectantium; quò spectant Aquæ ex modò laudatis plantarum partibus destillatione elicitæ; ut & Syrupi ex iisdem parati, & cum dictis aquis mixti, & sæpiùs quantitate parva usurpati; additis quantitate conveniente Spiritibus, Succisve acidis.

Et quibus.

CXX. Convenient in eundem finem *Emulsiones* blandiores, ex hordeo præsertim paratæ, ut & *jusculа*, quibus incoctæ sunt modò laudatæ plantæ, aut additi succi acidi.

CXXI. Hæc igitur si usurpentur paulò post perpessum Aeris æstum, prævenientur sæpenumerò Partus citiùs aliàs eventuri.

CXXII. Nec tantùm internis remediis, Commissurarum Uteri & Placentæ exsiccatio præcavebitur, curabiturve; verùm externis quoque Fotibus, Balneisve humectantibus prudenter administratis, ne plus noceant, quàm prosint; Oleis, Linimentis, Unguentisve emollientibus & laxantibus abdominis regioni inferiori inunctis.

CXXIII. Emolliunt Rad. althææ, lilior. alb. &c. fol. althææ, malvæ, verbasci, &c. sem. lini, fœnugræci, &c. ex quibus & aqua pluviali vel fluviali parari possunt fotus & balnea.

CXXIV. Olea mollientia & laxantia sunt liliorum alborum, mucilaginum; Unguenta, de althæa simplex, de mucaginibus, Pinguedo humana, anseris, &c.

Partus præmaturus ab Alimentis Aromaticis & potu spirituoso, qui caveatur.

CXXV. Quoties 2. *Alimenta* usurpata sunt *nimis Aromatica*, *Potusve valde Spirituosi*, atque metus est, ne citiùs contingat idcircò Partus, danda est opera, ut primò abstineant istæ Gravidæ ab ulteriore similium Alimentorum usu, vel potiùs abusu: ac secundò usurpent Alimenta glutinosiora, pisces puta, extremaque juniorum Animalium, pedes sc. capitaque vitulorum, agnorum, &c. quin tertiò Potum hauriant Aquosum magis; Aquam fontanam, Cerevisiam tenuem, ac Vinum Rubellum & Oligophorum: & quartò inter medicamentosa assumant Emulsiones tum Hordei, tum Amygdalarum dulcium.

A Vigiliis nimiis qui curetur.

CXXVI. Quoties 3. nimiùm indulserunt *Vigiliis* Gravidæ, ac proinde metus est, ne idcircò citiùs solito pariant, non tantùm Somno vicissim debent indulgere longiori, sed insuper usurpare medicamenta, quæ quorumvis humorum, ac Bilis præsertim Acrimoniam propter vigilias auctam temperent, simulque somnum blandum excitent, qualia sunt Emulsiones & juscula modò à me laudata.

Animi corporis motu qui caveatur.

CXXVII. Quoties 4. Currendo, Saltando, Equitando, ut quovis alio modo nimiùm *agitatum est* Gravidarum Corpus; toties non tantùm quiescendum est ipsis, verùm insuper modò notata Humorum Acrimonia laudatis medicamentis est corrigenda, & Fœtus quoque illa corporis agitatione commotus ad tranquillitatem atque quietem deducendus est ope Opiatorum; quibus Matris quoque Humores peccantes tum temperabuntur, tum ad quietem redigentur.

Ab Animi Affectu, qui curetur.

CXXVIII. Quoties 5. vehementi *Animi Affectu*, *Terrore* puta, *Ira*, vel *Tristitia inopinata* percellitur Gravida; unde metus sit, ne citiùs

tiùs propteret ad partum; 1. *Vena mox secabitur in Brachio*, ubi erit præsertim plethorica, & sanguis quantitate parva educetur: ni ejus vires non sinant; tunc enim commodum est illi exhibere haustum potus ordinarii, ac imprimis Vini 2. *Conturbati, agitatique in universo corpore Humores ac Spiritus* compescetur, atque ad ordinatum motum reducetur per anodyna & opiata prudenter usurpata, additis pro Affectus diversitate nunc Aromaticis, nunc Acidiusculis 3. Si qui Affectus alii, *Alvi fluxus*, v. gr. *Vomitus*, *Dolor Colicus*, *Suffocatio Hypochondriaca* aliive similes consequantur Animi Affectum, Remedia singulis debita in tempore usurpabuntur blandiora, & quidem talia, quæ fœtui nocere non possint: de quibus omnibus agitur in eorundem Curatione.

Ab Alvo nimis laxa, qui curetur;

CXXIX. Si 6. vel sponte, vel alia de causa *nimiùm laxetur* Gravidæ *alvus*, & metus sit, ne frequenti alvi dejectione Partus solitò citiùs contingat, usurpanda sunt in tempore, quæ omni alvi fluxui compescendo conducunt, Opiata, inter quæ Diascordium Fracastorii facilè primum occupat locum, præter alia simul blandè adstringentia.

CXXX. Ubi hoc factum usurpabuntur quoque Medicamenta, quæ Causam externam, si quæ fuerit, alvi fluxum producentem corrigant, emendentque, Fructus præcoces putà, vel similia: ubi observandum sedulò, dandam operam, ut Causæ istæ vitentur imposterùm; ne malum, quod sublatum cupimus, foveatur, vel augeatur.

Continua mejendi irritatio sedanda.

CXXXI. Si continua fuerit *ad Urinam reddendam irritatio*, undecunque facta, ab humore Salso putà ad vesicam delato, vel à vesicæ Calculo, Ulcereve; cùm propter illam irritationem continuam Parturiendi Conatus simul excitentur, ideoque metus sit, ne Partus quoq; citiùs solito eveniat; allaborandum, ut quantum fieri potest, illa mejendi irritatio sedetur, tollaturque.

Salsum humorem Urinæ junctum temperando

CXXXII. Et Salsus quidem humor Urinæ junctus temperabitur commodè Emulsionibus sæpiùs laudatis, & aliquando Spiritu Salis Armoniaci ad paucas guttas ex Vinn subinde usurpato; postquam Salsedo tunc peccans muriatica est, adeòque huic Sali Volatili satis feliciter cedens, Cavendum tamen, ne is quantitate usurpetur nimia, unde menstruorum fluxus solet excitari, atque Partus forsan posset præcipitari.

Dolorem à Calculo sedando,

CXXXIII. *Calculus in Vesica existens*, atque ad Urinam sæpiùs reddendam cogens indicat remedia dolorem illum ac irritationem sedantia, sensumque obtundentia; tum anodyna, tum præsertim opiata.

Ulcus in Vesicæ Orificio mundando & consolidando.

CXXXIV. *Ulcus in Vesicæ Orificio* existens præter jam laudata remedia indicat insuper medicamenta Ulcus mundantia, & consolidantia; inter quæ nulla novi, quæ Balsamo Sulphuris, ac præsertim Succinato, hoc est, cum Succini Oleo parato, possint æquiparari; In pluribus enim ægris observavi hujus Balsami effectum singularem eximiumque.

Hæmorrhagia, si ad partum propellat, sistenda.

CXXXV. *Si Hæmorrhagia* qualiscunque notabilis, vel per *nares*, vel imprimis per *Uterum*, aut *vesicam* quoque, Gravidis obveniat, metusque sit, ne forsan ideò Partus contingat citiùs, annitendum sedulò, ut in tempore, si fieri possit, Hæmorrhagia illa sistatur, atque omnis hæmorragiæ novæ ansam præcidatur, Fœtusque in Utero materno roboretur.

Et quibus,

CXXXVI. Sistetur illa Hæmorrhagia felicissimè Sanguine Draconis, atque Lapide Hæmatite in pulverem tenuissimum redactis, atque cùm Aqua Plantaginis, Cinnamomi, ac similibus mistis, addita stillatitii aceti quantitate parva, quò tantillum diluantur, & faciliùs ad locum affectum transferantur.

CXXXVII. Huic Medicamento addi quoque potest aliquod Opiatum, Laudanum putà, vel Diascordium, &c. cum tantillo Syrupi convenientis, Myrtini Portulacæ, alteriusve adstringentis.

CXXXVIII. Usurpatur enim hoc medicamentum ad consolidationem Vasis quovis modo aperti, atque Sanguini exitum concedentis.

CXXXIX. Quòd si vehemens fuerit Sanguinis effluxus, licet subinde in Brachio venam secare, atque Sanguinem effluxurum avertere.

Æstus, si adsit in corpore sedandus.

CXL. Quin, ubi æstus in corpore atque Sanguine magnus deprehenditur, addi quoque potest prædictis Apozema refrigerans, Sanguinisque fervorem ac furorem compescens temperansque, in quem finem conducit præ multis aliis Plantago, Sempervivumque majus.

Humorum Acrimonia, si hæmorrhagia causa sit, temperanda.

CXLI. Si ab humorum Acrimonia Volatili, Acidaque, aperta fuerint vasa, non tantùm abstinendum est à similium usu, sed insuper usurpanda sunt, quæ Acrimoniam notatam temperare sunt apta, inter quæ laudo valdè Hordei, Amygdalarum dulcium, atque Seminum papaveris albi Emulsiones, addito nonnunquam Laudano Opiato; quæ conducunt imprimis, quando unà cum Urinis è Renibus profluit sanguis.

Si Sanguis sit fluidior, ab ejus causis abstinendum.

CXLII. Sin à Corporis motu vehementiore, Aeris æstu, Alimentis Aromaticis, Potuve Generoso fluidior fuerit factus Sanguis, atque idcircò faciliùs idem per nares, aliasve vias erupevit, cavendum erit ab horum omnium abusu ulteriore.

Fœtus corroborandus. Et quibus.

CXLIII. Fœtus præcedenti Sanguinis effluxu & jactura debilior factus roborabitur Medicamentis aromaticis quidem, sex minùs acribus, aut per alia coniuncta temperatis. Ubi præ multis aliis convenit Confectio Hyacinthorum, ut & Corallia, Margaritæ, atque similia in Tincturas redacta, & paucarum guttarum quantitate ex vino rubro & adstringente usurpata.

Partus tardius eventurus, qui accelerandus

CXLIV. Atque sicut diximus, existimamus posse Partum citiùs eventurum sæpenumerò ad tempus maximè naturale arte protrahi; videndum porrò, qui possit tardiùs expectandus Partus arte ac tutò accelerari.

Si sit à Tristitia non gravi, quid agendum.

CXLV. Quoties proinde propter Gravidæ *Tristitiam continuatam*, *licet* non *gravissimam*, *sollicitudinemque angentem, non tamen rodentem*, metus est, ne *Fœtus* etiam *Robustus* (propter Uteri gestationem præcedentem facilem, Motumq; ipsius convenientem) *segniùs perficiatur* in Utero, *seriùs exitum quærat* ex Utero; quod ex ipsius *motu obscuriore ac debiliore* coniectabit Prudens Medicus; toties Medicamentis, & *Humores austeros* corrigentibus & *Animum recreantibus* conabitur idem Partum procrastinantem blandè promovere.

Humores Austeri corrigendi. Et quibus.

CXLVI. *Humores Austeros corrigunt* præ aliis omnibus *Salia Volatilia*, & imprimis *Salis armoniaci spiritus*. Huc spectant omnia Aromatica multùm spirituosa & odorata, Rosmarinus, Maiorana, Pulegium, Ruta hurtensis, Satureia, Thymus, Angelica, Spicanardi, &c.

Animus recreandus. Et quibus.

CXLVII. *Animum recreant & ad hilaritatem deducunt eadem Salia Volatilia*, sed imprimis Oleosa, cæteraque Aromatica blandiora, simulque spirituosa, vel cum spirituosis præparata: quæ novi per experientiam plurimùm facere inter omnia medicamenta materialia ad Animum tristem exhilarandum, corpusque tam continens, quàm contentum à mœrore malè affectum emendandum.

CXLVIII. Quòd si hæc medicamenta recreent ac restaurent adultos, quorum partes humoresque difficiliùs restituuntur in integrum, quoties aliquam passi sunt labem; quis dubitabit ab iisdem tenella Fœtùs in materno utero membra, tenerosque ejusdem Humores facilius posse restitui, quoties à mœrore, aut solicitudine matris fuerunt ipsa plus minùsve ab integritate sua remota,

Iisdem medicamentis & matri, et Fœtui succurri.

CXLIX. Quibus proinde consulimus medicamentis Matri à mœrore aut solicitudine malè affectæ, iisdem simul medemur Fœtui ab eadem causa in Utero materno malè affecto; ut sic quoque una fidelia duos dealbemus parietes.

Faetus tardiùs expectandus, si sit ab affectu graviore, qui curetur.

CL. Quoties verò *à graviore Causa* durante Uteri gestatione *in Affectum satis gravem* conjecta est *Gravida*, unde licet paulatim restituatur ipsa, metus tamen sit, ne idcircò tum *segniùs ad exitum propter Fœtus*, tum idem *prodeat debilior*; majori cura allaborandum est, ut *Gravidæ, hinc & Fœtus quoque Affectus* in tempore *curetur*, atque, quantùm fieri commodè potest, *utriusque Infirmitas superetur, roburque ipsis concilietur*.

Et quibus.

CLI. Affectus qualescunque tunc à *Mœrore summo* in Matre producantur, sive fuerit *Appetitus prostratus, Cordis anxietas, vel palpitatio*, & quandoque *Epilepsia, Dolor Colicus*, aliave ventris *tormina*, &c. semper conducent inter medicamenta tunc administranda *Salia volatilia*, quippe quæ apprimè conducunt corrigendis Humoribus à Mærore summo corruptis: dummodò, sicut dictum quantitate parva usurpentur.

Cavendum ab Evacuantibus.

CLII. Cavendum autem sedulò à medicamentis vehementioribus, ac præsertim *Evacuantibus*, quippe quæ non tantùm non conveniunt prægnantibus, sed ne quidem Affectibus à Mærore productis, quà talibus; exceptis *Sudoriferis*, quæ, si presertim sumantur Aromatica & volatili sale prædita, plurimùm prosunt in talibus affectibus.

Infirmitas tum Matris tum fœtus qui superetur.

CLIII. *Infirmitas* tum Matris, tum *Fœtus* sensim *superabitur*, ipsisque amissum robur restituetur continuato aliquandiù Aromaticorum, sed blandiorum, usu, quorum ope Humores tum primariò, tum secundario à prædictis Causis læsi paulatim restituuntur: Melancholici puta, & biliosi; à quibus cùm Functiones Naturales plurimum pendeant, ab iisdem ritè constitutis sanitatem quoque primariò pendere quivis facilè videt.

Et quibus.

CLIV. Non tantùm hic conveniunt Aromatica, sed *Spirituosa* quoque; cum quibus *Animales Spiritus* non parum in affectibus gravibus consumi soliti cùm reparentur, meritò eorundem usus hîc à nobis commendatur.

CLV. Sed commodissimè junguntur Aromatica Spirituosis, & ita quidem, ut Aqueis additis temperentur franganturque utraque, sicque assumantur commodiùs & feliciùs.

Hominis robur in quo consistat.

CLVI. Meritò Aromatica & Spirituosa commendo ad Vires tum Matris, Fœtus ab Animi Mœrore fractas & attritas reparandas, restaurandasque, quoniam Hominis Robur in Functionum Naturalium Animaliumque integritate consistit: quemadmodum autem modò dicebam, Functiones Naturales Bili, Succoque Melancholico, sive Acido præsertim deberi; ita Functiones Animales à spiritibus Animalibus pendent.

Si affectus partum retardens sit Ira, & terror, vel aliquod diætæ vitium, ad quid attendendum.

CLVII. Sicut autem certum est, à summo Prægnantis Mærore non tantùm in quemvis Affectum Corporis gravem eandem posse incidere, unde similiter Affectu gravi afficiatur in Utero materno fœtus, verùm Infirmitatem quoque immanere aliquandiù utrique, quæ non nisi temporis tractu queat superari, unde Fœtus quoque segniùs ad perfectionem sui perveniat, seriùsque ad sui partum festinet: ita ab aliis quoque Animi pathematis vehementioribus, Ira, Terrorève, ut & cæteris Diætæ vitiis multùm à mediocritate recedentibus graves Affectus produci possunt in Gravidis, hinc & in Fœtu, similem Infirmitatem Languoremque consequentem habentes, atque itidem Partum retardantes.

CLVIII. in quorum omnium Curatione semper habenda exacta cura Prægnantium, & Fœtus; ut & in *Robore Fœtui ac Matri restituendo* semper attendendum est ad ipsum *Affectum Matris præcedentem, Causamque ipsius externam*, cùm secundùm ipsa non parùm variare debeant Medicamenta; quippe quæ tum ipsi Causæ, tum Affectui præcedenti debeant esse quodammodò saltem contraria.

CLIX. ad quam Regulam in facienda Medicina usus magni, quotquot attendere serio, faciliùs, feliciùsque obtinebunt, quod quærunt; & contra plures perdent, quotquot illis neglectis putant se omnia æquè posse superare.

Partus deficientis curatio.

CLX. Ne autem sæpius idem dicamus ac repetamus, si per singulas res non-naturales pergamus in Curatione horum malorum proponenda, desinemus illam persequi, atque transibimus recta ad *Partum deficientem excitandum & promovendum*.

Si fœtus extremè debilis sit ejus causa.

CLXI. Si *Fœtus extreme debilis causa* sit *Deficientis Partus*; idem *multùm Aromaticis & Spirituosis Matri* per intervalla exhibitis roborandus; in quem finem conducunt variæ Aquæ ex Vini Spiritu & Aromatibus simul junctis destillatione paratæ; ut & Olea stillatitia Aromatica; quin ex utrisque prudenter & arte unitis parata Vitę Elixiria & Balsama dicta, tunc enim longè plus præstant, citiùsque suum producunt effectum.

Si fœtus sit mortuus.

CLXII. Si *Fœtus* idem *mortuus deficientis*, nec satis procedentis *Partus* fuerit *Causa*; (quod imprimis ex summo frigore citra febrem Gravidam corripiente, atque per universum corpus distributo, hocque consequente Fœtus Motu abolito, nec ampliùs observabili, una cum ejusdem pondere gravativo in Abdominis fundo percepto constabit) licebit securiùs exhibere Medicamenta potenter ipsum expellentia, qualia sunt Rad. Aristolochiæ utriusque; ac præsertim Cyclaminis, dictamni Albi, Gentianę, &c. Fol. Sabinæ, Pulegij, Tamaricis, & Flor. Cheiri, Crocus, &c. Borax, Myrra, Castoreum, Asa Fœtida, &c. Ex quibus tam Pulveres, quàm Pilule, aut Decocta, Electuaria, Olea, &c. parantur, & Parturientibus exhibentur. Exempli gratia.

Et quibus. Medicamenta fœtum expellentia.

Pulvis.

℞. *Myrrhæ Rubr.* ℈ i.
Croci opt. ℈ ß.
Borac. Venet. ʒ ß.
Cinnam. acut. Gr. viii.

M. F. Pulvis, dividendus in duas doses, ex idoneæ Mixturæ, aut Vini Cochleari, interpolatis unius horæ aut circiter vicibus, assumendas.

Fœtus mortuus manuum, instrumentorumque opera educendus. Et quando.

CLXIII. Quòd si ne sic quidem promoveatur Partus, *quoties licet, manuum instrumentorumque opera* educendus Fœtus mortuus: dummodò *constet ipsum esse mortuum*.

CLXIV. Dixi, *quoties licet*, nisi enim pateat Uteri Orificium, frustra tentatur manuum, ne dicam Instrumentorum, opera Fœtus eductio.

Obstetricum temerariarum erratũ.

CLXV. Cavendum enim, ne Obstetrix nasutula, vel temeraria, festinansve ad mulieres alias in partus labore versantes, urgeat subinde Gravidam necdum in Partus conatibus positam, ut ad pariendum se componat, intrusis sæpenumerò in Uteri orificium non tantum externum, sed internum quoque digitis, quò Fœtui viam præparet paretque; quod valdè periculosum.

Valdè periculosum.

CLXVI. Valdè, inquam, periculosa est *Digitorum in Uteri orificium internum intrusio*, antequam spontè pateat, quoniam facillimè læditur ipsum ab unguibus; quod non nisi cum summo fit dolore, propter sensum in parte ista multùm acutum.

CLXVII. Si periculosum est, digitum intrudere in orificium Uteri internum, *longe periculosius erit Instrumento*, ipsoque *adeò Matricis speculo festinare* nimiùm in Colli Interni explicatione.

CLXVIII. Licet autem tum digitorum opera, tum Instrumentis Chirurgicis Partum promovere, quoties per se satis patet Uterus, ad sunt-

que pariendi Conatus veri, dummodò Fætus sit mortuus.

Mortuum esse fœtum constare. 1. Ex frigore Gravidæ molesto. 2. Ex pondere gravativo. 3. Ex fœtore. 4. Ex frigore & mollitie partium fœtus.

CLXIX. Constant autem *mortuum esse Fœtum*. 1. *ex frigore molesto Gravidæ corpus universum* absque causa evidenti aut Febrili paroxysmo *occupante*: quo tempore judicant omnes, obiisse in Utero materno fœtum 2. *ex pondere gravativo circa uteri regionem observato*.

CLXX. Constat idem 3. *ex fætore* post ruptas Secundas unà *cum Aquis prodeunte*: qui quò gravior fuerit, eo certiùs mortui fœtus signum præbebit.

CLXXI. Constat idem 4. ex *frigore ac mollitie cadaverosa partuum fœtus* vel Uteri orificio appositarum, & obstetricis manu digitisque exploratarum, vel per idem orificium prodeuntium, & idcircò faciliùs contrectatarum.

5. Motu deficiente fœtus.

CLXXII. Constat idem, aut conjectatur potiùs idem 5. ex *motu omni deficiente in fœtu adhuc calente*; unde suspicio tunc est, ipsum nuper obiisse.

CLXXIII. Quo autem plura ex prædictis concurrunt signa, eo certiùs de Fætus obitu decernet obstetrix.

Mortui fœtus partes amputandæ.

CLXXIV. Ubi proinde satis superque constat de Fætus interitu, non dubitabit Obstetrix, *quamvis Fœtus partem* occurrentem (quantùm id Parturiens commodè ferrè potest) manu prehendere atque allicere; at si reliquum corpus haud sequatur, aut sequi non possit amputare, atque sic Fætus molem paulatim minuere, donec tandem omnes partes habuerit cum Secundis.

Matris culpa deficientis partus curatio.

CLXXV. Hactenus propter Fætum extremè debilem, mortuumque Partus deficientis Curationem proposuimus: sequitur, ut similiter, quomodo *matris culpa deficiens potius Curari debeat* explicemus.

A viribus tum exhaustis, tum oppressis.

C L X X V I. Quoties proinde *Gravidæ, Parturientesque* sunt *valde debiles*, tum ratione virium *vitalium*, tum ratione *Animalium*, ideòque ad patiendum impotentes; sive ipsarum vires fuerint exhaustæ, sive oppressæ: toties danda opera, ut *vires* illæ, *exhaustæ* quidem *resuscitentur*, *oppressæ* autem *liberentur*, *expediantur*que.

Exhaustæ Vires quibus reparentur.

CLXXVII. *Exhaustæ Vires vitales in Febribus ardentibus in* Parturientibus præsentibus, indicant *quævis Æstum febrilem temperantia, sed benigniora, additis tamen quibusdam Aromaticis*, sed blandioribus, Aqua Cinnamomi cum Acqua, non item cum Vino parata.

CLXXVIII. Certè, si unquam, hic Medicum maxima tenet anxium solicitudo; quoniam non promovetur partus, nisi Aromaticis, calorem in nobis producere solitis; quæ tamen non fert æstus febrilis: circa temperari debent simul, & quidem ita, ut Matri robur afferant, & ardorem & febrilem minuant.

Contrarias indicationes simul urgentes contraria requirere remedia.

CLXXIX. Non tamen novimus in facienda Medicina, Contrarias observare Indicationes, simul urgentes; in quo casu feliciter junguntur, simulque usurpatur Contraria medicamenta, sed ita ut maximè urgentis habeatur ratio maxima, ipsique maximè succurratur: quamvis, sicut dictum, hic opus sit & ingenio, & judicio.

Exhaustæ vires vitales quibus reparentur.

CLXXX. *Exhaustæ Vires* Parturientium *Vitales* propter *Dolores*, *Vigilias*, *Solicitudine*, *Evacuationes nimias*, &c. *indicant sui reparationem per Aromatica & Spirituosa*, sed blandiora & gratiora, hoc est, ita temperata, ut nullam notabilem magnamque in corpore mutationem producere possint.

Medicamenta excellenti qualitate prædita periculosa.

CLXXXI. Omnia siquidem Medicamenta excellenti qualitate prædita, & in corpore magnam subitamque mutationem afferentia periculosa sunt semper, quia plerumque noxia: Ergo longè magis in Gravidis & Parturientibus.

Aromatica & Spirituosa quibus temperentur.

CLXXXII. *Temperatiora* redduntur Aromatica & Spirituosa, quoties *ipsi adduntur Aquea*, subacida: *ab Aqueis* enim diluuntur & infringuntur quodammodo tum Aromatica, tum Acida, tum Spirituosa.

CLXXXIII. *A subacidis* verò *temperantur* tum *Aromatica*, tum *Spirituosa*, quatenus hæc duo in nobis augent calorem, quem minuunt Acida, & blandius subacida: quoniam igitur effectus istorum omnium comites habent in nobis Calorem aut frigus, qualitates sensui valdè notabiles, à quarum Causis, Salso puta & Acido, cum maximæ, adeòque gravissimæ ac periculosissimæ mutationes pendeat, bonum est, innotescere nobis per qualitates istas sensibus & manifestas, & sæpè molestas Humores corporis destructionem tàm sæpè parientes, quo illis succurratur in tempore, ac convenienter.

Oppressæ vires Parturientium vitales ob plethoram quomodo curentur.

CLXXXIV. *Oppressæ Parturientium vires vitales ob Plethoram* in tempore sanguinis eductione per *venam* in *brachio* alterutro *apertam* curari debuerant & liberari: quod si hoc fuerit neglectum, nil obstat instante partu *in manu* levem instituere Sanguinis missionem, non item in brachio: cùm ista minùs alteret, minùs debilitet, quàm hæc. Quin *Scarificatione* in assuetis educi poterit Sanguis: Spes tamen est, *Lochiorum* evacuatione copiosa liberari posse vires vitales priùs oppressas: quòd si non satis fluant lochia, nil impedit post partum saltem Sanguinem è pede vacuari.

Eadem Oppressa ut Ascite qui curetur.

CLXXXV. *Oppressæ* Parturientium vires *ab Hydropis Ascitis Aquis* abdomen ipsarum occupantibus, liberantur aliquando in partu, effluente simul magna vi aquarum per Uterum, aliquando post partum unà cum lochiis, quamvis Affectus talis valdè sit periculosus, ac imprimis, quando aliquandiu duravit Ascites, atque viscera cœpit corrumpere Aqua in Ventre coacervata & collecta.

Thoracis Hydropem difficile curari.

CLXXXVI. *Thoracis hydrops* quemadmodum haud facilè cognoscitur, & ab aliis affectibus dignoscitur, ita Curatio verè rationalis & dogmatica difficulter ipsi potest adaptari.

Oppressa Vires vitales à flatibus in Intestinis & abdomine qui curentur.

CLXXXVII. *Oppressæ* Parturientium *vires vitales à flatibus, Intestina*, hinc & *Abdomen valdè distendentibus*, liberabuntur citò, tutò, simulque aliquando jucundè injecto quàm primùm Enemate carminante; à quo si flatus copiosi erumpant, mox levabitur Parturiens, atque facilè satis pariet, non parùm flatuum exclusione recreata. Exempli loco sit sequens, tam ante partum, quàm urgente saltem minùs partu, injiciendum; quod.

Enema.

℞. *Rad. Angelicæ* ℥ i.
Althææ ℥ ß.
Fol. Pulegii,
Majoranæ, *an.* M. j.
Flor. Chamæm. Rom. M. ß.
Coq. ex Aq. pura,
In Colat. ℥ viii. *dissolve*
Benedi. laxat. ℥ ii.
Ol. Rutac. ℥ i.
M. F. Clyster.

Ejus Usus.

CLXXXVIII. quòd si uno Enemate non eliciantur satis flatus abdomen distendentes, injici potest & alterum, & aliquando tertium: prout enim flatuum materia est copiosior, & imprimis tenacior, pituita puta glutinosa, ita difficilius cedunt prodeuntque flatus, miserè parturientes affligentes.

Oppressa vires vitales à flatibus in pectore qui curentur.

CLXXXIX. *Oppressæ* Parturientium vires vitales *à flatibus ad interiora pectoris pulmonesque* penetrantibus, liberantur usurpatione Aromaticorum, sed flatus simul potenter discutientium, quorum ope flatus tum in ortu suo nonnunquam discutientur, tum in quavis corporis parte hærentes incidentur, dissipabunturque.

C X C. Habent namque opus incisione, ac consequenter discussione non minùs Flatus, quàm

ipso-

ipſorum materia, Pituita; ex qua prout magis, vel minùs eſt viſcoſa, & glutinoſa, producuntur Flatus plus vel minùs tenaces ac viſcoſi: quorum viſcoſitas patet etiam in eorundem excretione, quæ ſubinde vix accidere poteſt, adhærentibus ubivis in ſuo exitu flatibus, propter ſuam glutinoſitatem.

Eadem oppreſſa à flatibus in Tympanitide qui curentur.

CXCI. Si quando Parturientium Vires *oppreſſæ* ſint à *Flatibus in Tympanitide*, non tantùm *lateſtina* ſed ipſam *Ventris Cavitatem* implentibus ac diſtendentibus, tunc opus fuiſſet in tempore laudatis jam *Enematibus* eoſdem per Alvum elicere, atque *Balneo* ſicco ex Abdominis Cavitate per Corporis ſuperficiem, & poros expellere; uſurpatis ſimul Diaphoreticis, ſed Incidentibus & Carminantibus, quo Flatus potenter aggrediantur, atque foràs propellant.

CXCII. Ubi autem hæc omnia nil efficiunt, atque ne ſic quoque ſuperari poſſunt flatus, tunc commodum foret *Acu argentea cava* ipſum perforare Abdomen uſque ad eius Cavitatem à peritonæo formatam & iſto inſtrumento cavo viam iſtis parare flatibus, aut *alio inſtrumento* magis apto eoſdem allicere atque elicere.

Oppreſſa Vires Vitales à Pituita vel Sanguine Apoplexiam producente incurabiles.

CXCIII. Quemadmodùm cuiuſvis, ita *Gravidarum* quoque *Vires Vitales opprimi* poſſunt à *Pituita; vel Sanguine Apoplexiam* producente, quocirca inſtante Partu invalidæ competientur, & ad Partus labores ſuſtinendos minùs ſufficientes. Quem parturientium ſtatum habeo deploratam & incurabilem; nec puto ipſas ſuperare poſſe tantum malum, quin pereundum ipſis, accedente ſumo foetus periculo, qui non niſi rarò tunc prodibit vivus.

Oppreſſa Vires Parturientium Animales qui curentur.

CXCIV. *Oppreſſæ Vires Parturientium Animales* liberantur modis jam dictis, recreanturque, quin *excitantur Spirituoſis* prudenter, hoc eſt, *ſæpiùs parvaque quantitate ipſis exhibitis*; de quibus quoniam agimus abundè in ſuperioribus, tranſimus ad ſequentia.

Partus deficiens propter Pubis et Coccygis oſſa minus mobilia qui curetur.

CXCV. Deficiente Matris culpa Partu, propter *Pubis & Coccygis oſſa* ætatis provectioris cauſa *minùs mobilia*; bonum eſt eadem *fotu emolliente* ſenſim *emmolliri*; quod duabus, tribuſve ante partus tempus ſeptimanis utiliſſimè perficitur. Sic enim Cartilagines oſſa dicta connectentes paulatim fiunt molliores, hinc & Oſſium notatorum diductio & abductio facilior. Nam non abſcedunt ab invicem, verum explicantur tantillum, & ita quidem, ut Fœtui pateat exitus facilior. Hinc proderit Vapor ex decoctis herbis emollientibus aſſurgens, atque in ſella perforata per plures ante partum dies exceptus; in quem finem Formula ſequens eſto:

Fomentum.

℞. *Rad. Althææ* ℥ j.
Fol. ejuſdem,
Malvæ, *an. M.* j. ſ.
Summ. Melilot. M. j.
Sem. Fœnugræc.
Lini, *an.* ℥ iij.

Ejus Uſus.

Conciſa & craſſe contuſa Coquantur ex Aqua pura & per horæ quadrantem à cubitum itura excipiatur Vapor aſcendens, idque toties repetatur donec vis expleta ſit plantarum decoctarum; tunc enim recentibus eſt utendum.

Et Utilitas.

CXCVI. Tales fotus non tantùm laudatum commodum afferunt Parturientibus, ut ſcilicet faciliùs, ac cum minore moleſtia prodeat Fætus; verum poſt ipſorum uſum *non tam facile poſt partum claudicant Mulieres*; quoniam vi minori explicantur tunc dicta oſſa, & idcircò faciliùs ad ſtatum ſuum priorem redeunt emollitæ Cartilagines, quæ duriores relictæ, atque vi diductæ, & quodammodò avulſæ ab oſſibus rarius ad priſtinum redeunt ſtatum; quin oſſium compagem relinquunt laxiorem, & ad plus minus claudicandum proclives fœminas.

Oſſea excreſcentia tollenda.

CXCVII. Quoties *Oſſeæ Excreſcentiæ aut Protuberantiæ* in Sinu muliebri exiſtentes viam præcludunt Fœtui, adeò ut non niſi mortuus elici queat; toties, ſi poſſibile, tollendæ ſunt ipſæ, ut via pateat ipſi ſufficiens.

Colli Uteri externi coalitus qui curetur.

CXCVIII. Quoties poſt *partum difficilem*, aliamve cauſam ex parte *coaluit Uteri Vagina*, *ſive Collum externum*, unde via præcluditur Fætui exituro; toties ſolvendus in tempore iſte coalitus, & cicatrice levi obducendus; viaque ſic fætui paranda conveniens & ſatis patens.

Partus Cæſareus. Ob herniam uteri.

CXCIX. Quoties propter *Herniam Uteri* parere non poſſunt fęminæ, toties ad extremum recurrendum remedium, *Partum Cæſareum*, abdomen, ubi hernia eſt, incidendo, hinc Uterum quoque aperiendo, atque ſic Fętum educendo, ſicut ejus rei, & operationis notabile exemplum habet Sennertus in Victoris Uxore.

Ob Matris obitum durante partu.

CC. Quoties ob *Matris obitum* durante partu contingentem deficit Partus, toties, quamprimum de illius obitu certò conſtat, & tum Conſanguineorum voluntate atque conſenſu, tum Magiſtratus authoritate licet, aperiendum defunctæ abdomen, mox & uterus, extrahenduſque inde Fętus partu Cæſareo.

CCI. Magna quidem felicitas eſt, ſi quando *vi propria ex defunctæ matris utero exitum inveniat Fœtus*, qui plerumque ibi relictus, nec in tempore extractus, ſepulchrum invenit ubi vitam acceperat.

Partus deficiens propter alterū pedem vel manum exeuntem vel Ventrem Uteri Orificio applicantem, qui curetur.

CCII. Quoties non ſuccedit Partus propter *alterum Fœtus Pedem*; *Manumve* exitum ſeorſim quærentem, ipſumve *Ventrem* Uteri Orificio ſeſe applicantem, toties opus eſt, ut Obſtetrix prudens digitis lentè ad Uteri ſinum immiſſis tum Partes iſtas exeuntes, exitumque quærentes retropellat, quin blandè ipſum Fætum contorqueat, ejuſque motum perverſum ita invertat, ut tandem aptiùs ſe Uteri Orificio ſiſtat, & tunc feliciter educi queat.

CCIII. Docuimus enim in ſuperioribus, ſitum partium maximè legitimum eſſe, ſi Capite prodeat pronò, hinc ſi utraque manu Capiti appoſito, aut utroque pede viam quærat; quod ſemper optandum, tàm reſpectu fętus, quàm matris.

CCIV. Quòd ſi Fętus propter Dolores, Motuſve Epilepticos ſitum illum præternaturalem obſtinatiùs ſervet, bonum eſt, non urgere Partum, quin potiùs Matri remedia Dolores ſedantia, & Epilepſiam curantia exhibere, atque tunc demum, ubi Partes fętus mobiliores, non item rigidæ obſervantur ampliùs, illas in ordinem redigere, atque ſic Partum maximè naturalem excitare ac promovere.

CCV. Atque ſic Partus læſi ſpecies varias, & Cauſas multifarias, Modumque Curandi Dogmaticum abſolvimus: proximum eſt, ut ad Lochiorum Vitia pergamus.

CAPUT VII.

De Lochiorum Vitiis.

Quomodo Uterus à cæteris corporis cavitatibus differat.

I. UT Lochiorum natura meliùs innoteſcat; notandum, differre Uterum à cæteris Corporis Cavitatibus & Ventribus omnibus, quatenus cæteri Ventres omnes quò plus, etiam ſecundùm naturam, diſtenduntur, eò magis attenuantur, Uterus verò, quò plus ſecundùm naturam, hoc eſt, quando fęmina prægnans fit, explicatur, eò magis incraſſatur.

Uteri Incraſſatio.

II. Hæc autem incraſſatio non fit, niſi ab alio, ſe Utero immiſcente & ipſum ſecundùm ejus ſubſtantiam implente.

A Sanguine

III. Id verò Sanguis eſt, tempore geſtationis ad Uterum delatus, ibidemque propter ſuppreſſa ut plurimum tunc menſtrua ſubſiſtens, eundemque ſenſim magis magiſque diſtendens.

Et quomodò fiat.

IV. Cui accedit, quod Sanguis ad Fętus nutrimentum feratur ad Uterum, & ab Utero ad Placentam, mox per Umbilicalem Fętus Ve-

nam ad ejusdem Hepar, hinc & Cor: à quo per Arterias Umbilicales iterum redit ad Placentam; ex qua Utero aliquid subinde communicari, præsertim quando Fœtus malè habet, non videtur mihi absurdum, quippe nec Rationi, nec Experientiæ contrarium.

Lochia quid.

V. Quemadmodùm autem hic sanguis ad Fœtus Nutritionem & Augmentum defertur ad Uterum, ipsumque secundùm ejus substantiam membranosam, sed spongiosam, indies magis cum aucto Fœtu explicatam replet; ita post partum, hoc est, ipsius Fœtus exclusionem, ne Uterus; & cum ipso Venter maneant distentus & tumens, sed uterque ad pristinam & naturalem parvitatem redeat; quoniam plus minùs in Utero hærens immutatus est, & à naturali statu deflexit Sanguis, amovendus erat, excernendusque è corpore: sicut id etiam evenit. Voluit namque Deus, ut iste Sanguis post partum efflueret, & quidem intra dies paucos; quem Sanguinis fluxus Lochiorum nomine appellarunt Medici.

Horum fluxus citior.

VI. Hæc Lochia in quibusdam fœminis fluxum suum absolvunt citiùs, in aliis tardiùs; & quidem secundùm naturam, hoc est, absque ullo ipsarum detrimento.

Uberior & parcior.

VII. Hæc eadem Lochia fluunt aliis uberiùs, aliis parciùs; itidem secundùm naturam.

Eius tempus.

VIII. Unde videas Lochia fluere quibusdam per dies duo, tres, quatuor, aliis per dies octo, decem, aut plures: & quidem aliquando copia satis notabili, aliquando parva; sive fluxus illa copiosior vel parcior diutiùs perseveret, sive citiùs cesset: quod sedulò Medicis est observandum, ne mox turbentur, quando plus vel minus Lochiorum prodit, aut sine necessitate ipsa conentur vel sistere, vel promovere.

Diversitas Lochiorum pro diversitate Menstruorum.

IX. Solent autem ut plurimùm Fœminæ, quibus copiosè fluunt menstrua, copiosum quoque pati Lochiorum fluxum, & contra parcum, quibus menstrua fluunt pauca. Quocirca quoties ad Puerperas, & in primo præsertim earum puerperio vocantur Medici, ac de Lochiorum fluxu occurrit solicitudo, toties inquirendum est in Menstrui fluxus modum & quantitatem, quò conjicere liceat, an Lochiorum fluxus censendus naturalis, vel ab ipso plus minùs deflectens.

Considerandum, an ex lochiorum fluxu benè vel malè habeat puerpera.

X. Sed ut illud magis pateat, inquirendum est Medico, an molestiam aliquam patiatur Puerpera; quæ si nulla sit, non est, quòd temerè conetur mutare qualemcunque Lochiorum fluxum: sin aliqua occurrat, dispiciendum est, an copiosiori parciorive Lochiorum fluxui adscribi possit, debeatque. Frustià enim fatigabitur Puerpera mutando Lochiorum effluxu in qualicunque, à quo nil patitur detrimenti.

Is vel secundùm vel contrà naturam.

XI. E duobus proinde signis jam memoratis conjectabit prudens Medicus, an Lochiorum fluxus qualiscunque sit secundùm vel contra naturam.

Quot modis lædatur.

XII. Potest autem is variis *lædi* modis, & 1. quidem quando *Nullus* sit; 2. quando *Parcior* existit; 3 quando *Copiosior* accidit; 4. quando *Colore*, *Odore*, aut *Consistentia vitiosus* prodit.

Quando nullus est.

XIII. Raro *Nullus* observatur Lochiorum fluxus, nec nisi cum evidenti Puerperæ noxa, vitæque periculo. Retentus namque tunc in Uteri substantia cavernosa Sanguis, mox ibidem corrupitur, ac Inflammationem, Abscessum, Ulcus aliaque mala plura successivè producit.

XIV. Non dicendus autem Lochiorum fluxus suppressus, vel nullus, quando durante Partu copiosus effluxit Sanguis, ac ideò post partum paucissimus, vel nullus: quoniam qui secundùm naturam effluere debuerat post partum tantùm, præter naturam effluxit durante partu Sanguis.

Ejus causa.

XV. *Nullus* autem contingit Lochiorum Fluxus propter *frigus externum* imprudenter Partus tempore *in Uteri sinum admissum*, atque *Uteri orificia* priùs Placentæ commissa *constringens*, *Sanguinemve aut pituitam* huic conjunctam *in ipsis coagulans*.

Unde febris continua.

XVI. Ubi autem ab externo frigore Orificia hæc quovis modo sunt occlusa, hærens in Uteri substantia cavernosa Sanguis corrumpitur paulatim, quoniam universus ad reliquam massam redire nescit, unde pars ejus aliqua, sed corrupta, reliquæ massæ confusa commixtaque, ipsam similiter corrumpit, & ad Cor deducta Febrem continuam excitat, minùs vel magis periculosam, prout Corruptio dicta fuerit major vel minor, fueritque remedia usurpata minùs vel magis omnibus hisce malis emendandis convenientia.

Quando. Lochiorum fluxus supprimitur. Ejus causa.

XVII. Nec tantùm aliquando, sicut dictum, *Nullus* observatur *Lochiorum fluxus*, sed nonnunquam idem *supprimitur*; & quidem ab eadem causa modò memorata, sæpenumerò ab *Indusio*, *aliove linteamine frigido*, ac præsertim *humido simul* Puerperæ adhibito; à quo tàm sæpè mox supprimitur ille fluxus.

Quomodò agat.

XVIII. Humiditas enim causæ frigoris juncta, citiùs potentiùsque in universum corpus ipsam insinuat, quæ Sanguinem plus minus coagulando ipsum ad motum ineptiorem facit: sed insuper poros claudendo Exhalationem naturalem moratur & sistit; unde non mirum si augeatur mox in corpore Calor, exciteturque Febris Calore molesta.

XIX. Nec videtur tantùm frigus notatum Aeris, Linteorumque, Corporis poros externos, & Orificia Uteri interna modo dicto afficere; verùm ad *Interni* quoque *Colli coarctationem nimis citam*, *ejusdemve tumorem*, *hinc & Canalis angustationem nimiam* plurimùm facere; qua de causa sistitur subinde in Uteri cavitate Sanguis, coagulatur ibidem, quin corrumpitur quoque, unde acrimonia similiter aucta rodit partes vicinas, producitque tandem fluxum purulentum & valdè noxium; dum ejus aliquid ad Uteri interiora penetrans, & affluentem Sanguinem itidem corrumpens, massam reliquam inficit, febresque Continuas excitat.

Qui nullus vel suppressus Lochiorum fluxus curetur.

XX. *Curabitur vel Nullus*, vel *Suppressus*, *ab externo frigore* quovis productus *Lochiorum Fluxus*, (Animus enim est, in huius Affectus Tractatione mox Causę unicuique propositæ subjungere Curationem) exhibendo quantocyus Medicamenta Pituitam vel Sanguinem in Uteri Orificiis coagulatum solventia, qualia sunt *Aromatica* omnia & *Sale Volatili prædita*, & imprimis *Uterina* dicta, quæ nimirum longa & multiplici experientia comperta sunt, in tali casu prodesse; quæ si *Sudorifera* simul fuerint, plus efficient, atque citiùs, feliciùsque affectum illum difficilem ac periculosum tollent.

Et quibus

XXI. Commendantur autem omnia *Menses promovere* solita, Ruta hortensis, Artemisia, Majorana, Pulegium, Sabina, &c. ex quibus decocta possunt parari, & satis calentia usurpari, quò faciliùs sudor erumpat, & potentius ad locum affectum vis medicamenti deferatur.

XXII. Quibus tamen minùs grata sunt Decocta, iisdem dati possunt Potiones ex dictarum plantarum Aquis, ut & aliis magis Aromaticis & Spirituosis paratæ.

Febris inde excitata qui curetur.

XXIII. Quamprimùm autem excitata est propter deficientem Lochiorum fluxum *Febris*, quæ continua solet esse, ac sæpè satis ardens; cavendum sedulò, ne illis Aromatici augeatur febrilis æstus; quapropter illis potionibus addenda sunt

Et quibus.

Acida, Acetum stillatitium, Aqua Amstelodamensium Alexipharmaca, vel Prophylactica nostra Spiritus Salias Vitrioli, &c.

XXIV. Hoc namque temperamento servato utrique satisfit Indicationi, cum æstui febrili conducant Acida, uti eadem, æquè atque Aromatica, Pituitæ coagulatæ solvendæ; imprimis

primis quando adduntur Oculi Caneti, Antimonium Diaphoreticum, & similia, quæ tum coagulatum quoque Sanguinem possunt dissolvere.

XXV. Ex dictis unicuique Medico prudenti patet, prout Æstus febrilis fuerit tunc major, vel minor augeri quoque vel minui deberi Acidorem quantitatem.

Si per aliquot dies substiterit Lochiorum fluxus, curatio difficilior.

XXVI. Quòd si seriùs advocetur Medicus, atque jam substiterit per aliquot dies Lochiorum fluxus, quo plus minùsve circa Uterum hærens corruptus fuerit Sanguis, longè difficiliùs procedet Curatio, propter allabentem, itidemque circa Uterum subsistentem, corruptumque Sanguinem novum.

Qui per agenda. Venæ-sectione.

XXVII. Quapropter, ne nimius eò feratur, ab affecto loco affluens avertendus Sanguis; & quidem Venæsectione aliquando in pede, aliquando in brachio, vel manu administrata: Ubi prudentia opus est in Sanguine copia minore, majoreve educendo; consideratis Puerperæ viribus, & Sanguinis abundantia, vel penuria.

Alvus laxa reddenda Enematis.

XXVIII. Præter laudata remedia, si alvus non satis responderit, Enemata injici poterunt, quæ non tantùm alvi excrementa exsiccata diluant, educantque; verùm blando suo fotu contentum circa Uterum Sanguinem concrescentem dissolvant, vel Pituitam coagulatam incidant.

Adhibenda fomenta.

XXIX. In hunc finem usurpari quoque poterunt Fomenta, per pannos laneos, spongiamque pudendo muliebri admovenda.

Et Linimenta.

XXX. Quin Unguentis quoque ac Linimentis temperatioribus inungi poterit Abdominis regio inferior.

Curatio cæterorũ Affectuũ suppressa Lochia consequentium.

XXXI. Quoad affectus cæteros, qui consequi solet Suppressum Lochiorum fluxum, eorundem Curatio peti debet ex peculiari ipsorum Tractatione. In qua eorundem Curatione attendendum semper ad ægræ statum, quòd nimirum sit Puerpera; quòd suppressa sint, aut nulla ipsis Lochia: secundùm quæ Cura prædicta dirigi debet, ac feliciter absolvi: quod si observatio ista negligatur, brevi actum erit sæpè cum ægra.

Si durante partu copiosus effluxerit Sanguis roborantibus utendũ.

XXXII. Si *durante partu copiosus* effluxerit *Sanguis*, atque ideò nullus partum sequi observetur Lochiorum fluxus; nisi aliquid detrimenti patiatur Puerpera, nullo remedio tentanda ipsorum expulsio, quin solis *roborantibus* vires puerperæ augendæ.

Si ob admissum frigus metuatur malũ, sudorifero utendum.

XXXIII. Quòd si præter illum Sanguinis durante partu effluxum, *frigus in muliebria admiserit parturiens*, atque metus sit, ne inde aliquid mali patiatur, danda est opera, ut eo tempore ipsi exhibeatur *sudoriferum aromaticum*; cujus ope foràs propellatur frigus illud noxium, præveniaturque malum gravius.

Si dolor & tumor in Hypogastrio quid agendum.

XXXIV. Illud idem magis urget *dolor & tumor in hypogastrio* Uterum malè affectum arguens: in quo casu præter *sudoriferum*, bonum erit, *linimento* inungere abdominis partem infimam, & alvo existente adstricta *enema* injicere carminans, & emolliens.

XXXV. In hoc casu nulla desideratur *Sanguinis missio*, nisi concurrat *plethora*, vel *febris successerit* satis ardens, quæ auxiliis reliquis non cedat, sed æstu gravi molesta sit.

Parcior Lochiorum fluxus. Secundùm naturam. Præter naturam.

XXXVI. *Parcior* existit Lochiorum fluxus, aliàs *secundùm*, aliàs *præter naturam*.

XXXVII. *Secundùm naturam*, in quibus *parcior* est *Sanguis*, & proinde *parciùs* solent fluere *Menstrua*.

XXXVIII. *Præter naturam*, quibus *durante partu Sanguis effluxit multus*; aut *durante partu*, *vel postmodùm* admissum est imprudenter aut fortuitò in *Uteri sinum frigus*, à quo non omnia, sed aliqua sunt occlusa obstructave Uteri vasa, ideòque ex parte saltem suppressus Lochiorum fluxus; aut *Febris* undecunque excitata est, quæ dictum fluxum minuat.

Delebos Opera.

Quibus bonum est Lochia esse pauca.

XXXIX. Quibus naturaliter *Menstrua* solent esse *parca*, nec mirum, nec noxium est *Lochia fluere parca*, quin *salutare* potiùs ac utile, cùm aliàs metus sit, ne vires puerperæ minuantur, pereunte ipsi multo Sanguine.

XL. Quibus *durante partu copiosus effluxit Sanguis*, *bonum est Lochia esse pauca*; quæ proinde minimè sunt promovenda; quin potiùs, si copiosa forent, minuenda & blandè sistenda mediis posteà proponendis.

Si ob frigus fiat pauca qui curentur.

XLI. Quoties autem à *frigore* imprudenter aut fortuitò *admisso* ex parte supressus est, adeòque *diminutus* Lochiorum fluxus, convenient Remedia in eodem suppresso enumerata & laudata, *Incidentia* putà, & *Sudorifera Aromatica*, non neglectis, Oleis Unguentis, ac Linimenti similibus, ut & Enematibus Emollientibus & Carminentibus.

XLII. Potest quoque in hoc casu feliciter nonnunquam institui *Venæ-sectio*, & imprimis ubi accessit Febris cum Inflammationis metu.

Febris curãda, si Lochiorum fluxus ab ea diminuatur.

XLIII. Quoties verò à *Febre* Puerperæ *ex aliis causis quibusvis superveniente diminuitur Lochiorum fluxus*, toties danda opera, ut *Febris* hujus *Causa* vera *inveniatur*, & ipsi secundùm illam *remedia convenientia adhibeantur*: nisi enim Causa febris vera innotescat, ut & ratio, secundùm quam Febris producta est, nulla Cura, tio rationalis instituetur, certave, verùm incerta duntaxat, ac sæpenumerò temeraria.

Ut & Lochiorũ fluxus promovendus.

XLIV. Dum autem febri adhibentur remedia convenienta, *non negligendus ipse Lochiorum fluxus diminutus*, quin huic quoque *promovendo* utilia sunt usurpanda auxilia, *sed talia, quæ Febris notatæ Curationi non adversentur, verùm cum ipsis consistere possint.*

Lochiorum fluxus copiosus 1. propter Placentã vi avulsam.

XLV. *Copiosiùs fluunt* aliquando *Lochia*, & quidem 1. propter *Placentam vi cum Secundis avulsam*, quod imprimis evenit Obstetricibus imperitis ac temerariis, aut nimiùm festinantibus.

2. Propter Vasorum laxitatem.

XLVI. 2. Propter *Laxitatem Vasorum in Utero existentium*, sive *naturalem in tenuioribus*, sive *adventitiam* post affectus graves, ac imprimis *Menstruorum fluxus enormes*.

3. Propter Sanguinem fluidiorem.

XLVII. 3. Propter *Sanguinem fluidiorem*, aut *per se*, ob *admissum serum* multum, aut per *accidens*, ob *Alimenta medicamentave* Sanguinem fluidum præstantia, & circa tempus Partus perperam usurpata.

Qui curetur. 1. Si fuerit Placenta vi avulsa.

XLVIII. *Curabitur* idem Lochiorum fluxus Copiosior, 1. si *Placenta vi fuerit cum Secundis avulsa*, ideòque partes Uteri internæ laceræ sint, per Medicamenta Excoriationem omnem sanantia & consolidantia, qualia sunt omnia blandè adstringentia, Tormentilla, Bistorta, Consolida quævis, Myrtus, Hypericum, Corallia, Terra sigillata & Bolus quævis, Sanguis Draconis, Lapis Hæmatites, &c.

Ex quibus.

XLIX. Ex quibus parari possunt Decocta, Aquæ, Misturæ, Condita, Electuaria, Pilulæ, Pulveres, &c. Medicamenti namque forma mutanda est aut eligenda plerumque pro Ægrorum arbitrio, quò & libentiùs faciliùsque ipsa usurpent, quin effectum laudabiliorem experiantur.

Ægris, quia fastidiunt, non exhibenda.

L. Quæcunque enim fastidiunt Ægri, ad eadem facilè nauseant, quin eadem facilè vomitu rejiciunt, atque minùs in eorum usu pergere solent, possuntve, unde Curatio minùs citò, & minùs tutò, quia minùs jucundè procedit, neglectis rejectisve optimis etiam medicamentis.

Ægris si aliquid indulgeat Medicus melius eos curat.

LI. Ubi contrà indulget aliquid suis Ægris Medicus, exhibetque ipsis Medicamentum forma sive consistentia, tum odore, tum sapore minùs ingrata, usurpantur eadem avidiùs, retinentur faciliùs, operanturque feliciùs, atque sic Cura expectatur citiùs & tutiùs.

LII. Læsa igitur ob violentam Secundinarum avulsionem Uteri superficies, & hinc consequens Lochiorum eruptio justo largior, curabuntur medicamentis mox memoratis, excoriationem scilicet sanantibus, & sanguinis effluxum cohibentibus, seu Mixturæ, seu Apozematis forma propinatis: Exempli gratia.

Mixtura

℞. *Aq. Plantaginis*, ℥ j. ß.
Antepilept. Amstelodamens.
Acet. stillat. an. ℥ ß.
Lap. Hæmatit. ℈ ß.
Corall. Rubr. præp. ℈ i.
Laud. Opiat. Gr. ij.
Syr. Myrtin. ℥ j.
M.

Ejus Usus. Accipiat subinde hujus Mixturæ agitatæ Cochleare unum; Cujus ope sistetur fluxus, & sanabitur excoriatio. Decoctum sequenti formula præscribatur.

Decoctum.

℞. *Rad. Tormentillæ,*
Bistortæ, an. ℥ ij.
Fol. Consolid. Maj.
Saniculæ,
Pyrolæ,
Summ. Hyperici an. M j.
Coq. ex Aqua ferrata,
In Colat. ℥ xx. *dissolv.*
Syr. de Symph. Fernel. ℥ iij.
Aq. Antepilept. vel
Hysteric. Amstel. ℥ xvj.
M.

Ejus Usus. De hoc Decocto sumat bis terve in die Ægra haustulum ad ℥ iii. donec sistatur sanguis copiosiùs ex Utero effluens.

Externa etiam hic conveniunt. LIII. Nec tantùm interna hic conveniunt, verùm externa quoque, Unguenta, Linimenta, Olea, Emplastra, vim leniendi propter Dolores ab excoriatione obortos, & consolidandi habentia, & imprimis abdominis parti inferiori, aliquando lumbari quoque regioni illita vel applicata. Talia sunt Unguentum Martiatum, Populeum, adstringens Fernelli, Aureum, Calcis, Diapompholygos, refrigerans Galeni, &c. Emplastrum ad rupturas Fernel. Ceratum Santalinum, &c. Oleum Cydoneorum, Hyperici, Nepetæ, Nymphææ, Rosaceum, Omphacinum, Solani, Mastichinum, Myrtillorum, &c.

Iis & Opiatis. LIV. Utiliter hisce medicamentis admiscentur tam internis quàm externis *Opiata*, quippe quæ eorundem vim non parùm *augent*, unde faciliùs citiùsque consolidantur tunc partes Uteri excoriatæ, sistiturque feliciùs fluxus Lochiorum nimius.

Nec non Venæ-sectio. LV. Quando fluxus ille augetur admodùm, cogimus subinde ad *avertendum* Sanguinem cum impetu ad Uterum ac per Uterum ruentem, eundem ex aperta in Brachio vena educere, quò ad tempus saltem exiguum, si fieri queat, sistatur Sanguinis Effluvium, atque interea temporis medicamentis modò laudatis tàm internis quàm externis tentetur Vasorum, eorundem saltem Orificiorum consolidatio.

2. Lochiorũ fluxus nimius ob laxitatẽ Vasorum qui curetur. LVI. *Curabitur* 2. idem Lochiorum *fluxus nimius, ob laxitatem vasorum* in Utero existentium, modò laudatis medicamenti *adstringentibus*, additis *Aromaticis*, sed *blandioribus*, quorum ope robur partibus accedit, laxitasque vasorum sensim emendatur, tàm internis, quàm externis.

3. Ob Sanguinem fluidiorem, qui curetur Si sit per se. LVII. *Curabitur* 3. idem *Lochiorum fluxus nimius*, ob *Sanguinem per se fluidiorem*, hoc est *multò sero dilutum*, usurpando tum *H[y]dragoga*, tum *Sudorifera*, sed *blandiora* propter Puerperarum statum solicitum. Facilè namque peccatur circa Puerperas, quapropter tutius est, blandis ac debilioribus, quàm vehementibus & potentioribus uti ad ipsarum curationem auxiliis ac remediis.

LVII. Idem *Sanguis* quoties ab usurpato perperam durantibus partus doloribus & laboribus *Alimento, Medicamentove, aut potiùs Veneno, Spiritu* nempe *Vini* tàm *simplici*, quàm *anisato*, vel *juniperino*, vel *levisticino*, aliove simili, redditus est *fluidior & acrior*, toties idem temperandus medicamentis austeriusculis & aqueis, quin & Emulsionibus gratioribus ex Hordeo præsertim & Amygdalis dulcibus ritè paratis, additis anodynis, & quandoque opiatis. *Si sit ab Alimento, vel Medicamento.*

In hunc finem proderit sequens, aut simile decoctum. *Decoctum.*

℞. *Herb. Malvæ,*
Semperviví Maj.
Solani, an. M. j.
Sem. Plantag.
Acetos. an. ℥ ij.
Aquilegiæ, ℥ iij.
Papav. Alb. ℥ ii.
Coq. ex Aq. pura,
In Colat. ℥ xx. *dissolv.*
Syr. portulacæ, ℥ ii. ß.
Spir. Salis, Gutt. x.
M.

Hujus Decocti ℥ iij. aliquoties in die assumat Puerpera, non neglectis cæteris, si quæ simul concurrant, symptomatibus, quorum ratione non rarò variè immutanda sunt quævis medicamenta. *Ejus Usus.*

LIX. Abstinendum autem sedulò ab omnibus Spirituosis, & volatili sale præditis; à quibus augeretur facilè Sanguinis acrimonia & fluiditas. *Abstinendũ à spirituosis & sale volatili.*

LX. Notandum verò, attendendum semper esse ad cætera Symptomata tunc simul concurrentia, quorum ratione mutatio aliqua facienda semper in Medicamentorum quorumvis usurpatione. *Attendendum ad cætera Symptomata.*

LXI. *Colorem naturalem* mutant Lochia, dum magis *nigricat* vel *pallescit Sanguis* tunc profluens. *Color Lochiorum mutatur.*

LXII. *Nigricare* solet Lochiorum Sanguis ab *acido acri copiosiùs* ipsi admisto, & à mora in Utero facta. *Niger.*

LXIII. Quocircà tum *Aromaticis* & *Sale Volatili* abundantibus emendandum hoc malum. *Quibus curetur.*

LXIV. *Pallescit* contrà idem Sanguis ob admistum ipsi multum serum, pituitamve copiosam. *Pallidus.*

LXV. Sero quæ debeatur cura, diximus §. 57. *Qui curetur.*

LXVI. Pituitæ autem corrigendæ debentur Medicamenta aromatica, eidemque educendæ Phlegmagoga sæpiùs exhibenda.

LXVII. *Fætent* quandoque Lochia, quod Moræ ipsorum adscribendum. *Fœtor Lochiorum. Qui curetur.*

LXVIII. Promovendus proinde in tempore ipsorum effluxus per aromatica sæpiùs laudata.

LXIX. Quòd si tantus sit Ipsorum fœtor, ut ipsis puerperis non minùs quàm adstantibus molestiam creet, corrigendus quoque Suffitu, halitùve grato; qualis ex Aromatibus suaveolentibus, Cinnamomo, Garyophyllis, ac similibus in pulverem redactis, atque affuso aceto, vinove acidiusculo in fictili vitrato, aliove vase prunis imposito, excitatur, & Puerperas non minùs quàm adstantes recreat, reficitque.

LXX. *Consistentiam* mutant Lochia, quoties solito *fluidiora, minúsve fluida* existunt. *Consistentia mala.*

LXXI. *Fluidiora* qui curanda docuimus modo §. 57. & seq. *Qui curentur.*

LXXII. Eadem *minùs fluida* curabuntur præsertim Salibus volatilibus convenienter, hoc est, tam internè quàm externè administratis.

LXXIII. *Acrior* Lochiorum Sanguis temperandus imprimis externis, sed pinguedine blanda præditis, Lacte tum simplici, tum ebutyrato, plantarum emollientium decoctis, &c. *Acredo qui temperetur.*

CAPUT IX.

De Doloribus post Partum,

Dolores post partum.

I. SOlent plereque Mulieres non tantùm durante Partu, verùm etiam *post Partum Dolores* pati graves, & quidem in patte abdominis inferiore; ubi situs est Uterus; qui quamvis subinde sint tàm leves, ut à pauperis negligantur existunt tamen sæpè tàm graves, ut non tantùm Febrim excitent, sed etiam Delirium; quin Mortem accersant.

Eos non promovere Lochiorum effluxum,

II. Falluntur Medici, quotquot Mulierculārum quarundam Sententiam secuti, arbitrantur idcirco *utiles Puerperis Dolores hosce*; quòd *ab ipsis promoveatur Lochiorum effluxus*, cujus contrarium sæpiùs evenit, ut nimirum urgentibus licet Doloribus illis vehementer, non fluant tamen Lochia.

III. Adde quòd multis fœminis nulli sint tales Dolores, fluant nihilominùs Lochia, & quidem longè commodiùs, quàm si urgeant notati Dolores.

Falsum est, post primum partum rarò vel nunquam sequi Dolores,

IV. Falluntur quoque Mulierculas secuti Medici, existimantes *post primum partum rarò, vel nunquam sequi Dolores istos*, sed post secundum tantum partum: quin eosdem post singulos partus reddi graviores: quod itidem falsi arguitur Experientia quotidiana in hisce saltem regionibus, ubi tamen multos tenet hæc opinio non tantùm erronea, sed simul noxia, & imprimis præcedens: quoniam negligitur idcircò & impeditur à multis Dolorum dictorum tanquam utilium Curatió, quamvis tàm sæpè eorundem neglectus Causa fuerit necis multis puerperis.

Eorū causa

V. Interest proinde, ut dictorum *Dolorum Causa vera, & noxa inde subsequens* ritè cognoscatur, quo in tempore illis succurratur, & mala plura præveniantur.

Unde quærenda.

VI. Hi *Dolores cùm consequantur Partum*, merito *Causa* eorundem frequentissima *quærenda petendaque ab iis, Partus tempore parientibus evenire solent*.

Duo notabilia parientibus accidentia.

VII. Duo autem sunt maxime notabilia, quę parentibus tunc accidunt; *Fœtus Exclusio*, atque *Secundarum tum secessus ab Utero, tum exitus ex eodem*.

Fœtus exclusio cum Doloribus.

VIII. In *Fœtus exclusione*, hoc est, ipso Partu propriè dicto, excitati *Dolores* satis graves, omnibus notum, sed *qui post partum minuuntur, ac paulatim evanescunt*, Dolores autem dicti post partum alterius planè sunt naturę, incipiuntque non cum ipso partu, sed post ipsum partum. Non possunt proinde hi dolores confundi cum Partus Doloribus sed nec ab ipsis deduci; postquam; uti jam dictum, soleant Dolores partus paulatim post partum minui & planè obliterari.

Secundarū ab Utero secessus, & exitus.

IX. *Secundarum secessum ab Utero, ut & earundem exitum ex Utero* quod attinet, ibi nova nonnunquam urgere solet Mulieres molestia, quoniam non rarò *satis arctè ac firmiter sunt ipsa Utero connexæ, & ita connatæ, ut vix ac ne vix quidem patiantur se absque sui*, atque (quòd gravissimum est) *ipsius etiam Uteri laceratione separari*.

Dolores in partibus excoriatis, & laceris.

X. Nemo autem ignorat forsan, quam *acuti Dolores sentiantur in partibus excoriatis & laceris ac præsertim, quoties liquor quivis, acer mordaxque ipsas contingit*.

Atque adeò post Secūdarum avulsionem.

XI. Unde non mirum est, si *fœminis post arctam Secundarum cum Utero connexionem, violentamque earundem avulsionem, Uterique adeò excoriationem, ad Lochiorum affluxum effluxumque Dolores excitentur ibidem graves*: de quibus nunc egimus.

Quibus præcipuè dolore post partum urgeant.

XII. Observandum autem, ut totum hoc negotium reddatur manifestius, *Dolores illos post partum affligere maximè fœminas tum delicatas & sensus exquisiti, tum arctiùs connexas utero secundas*, hinc & *cum vehementia duntaxat separabiles habentes*.

Eorum Cura non negligenda.

XIII. Observandum præterea, *si negligatur Dolorum horum Curatio*, eosdem *utplurimum reddi partibus subsequentibus singulis graviores*; unde forsan ortum duxit, quam modò confutavimus, erronea quorundam de hisce Doloribus sententia.

Gravidas ad pariendum aut festinare aut urgeri.

XIV. Observandum denique, non rarò *ad pariendum aut festinare, aut urgeri nimiùm Gravidas*, adeò ut, antequam ad extremam maturitatem venerit Fœtus, paratusque sit Secundarum secessus ab Utero facilis, præcipitetur Partus; unde difficiliùs tum excluditur Fœtus, tum secedunt excceduntque ab Utero Secundæ.

Secundarū arctior Utero nexus unde.

XV. Cui accedit in hisce regionibus, quòd multæ mulieres gravidę indulgeant nimium *Alimentis crassioris ac glutinosioris substantiæ*, propter quam *Sanguinis* productus *similis arctiùs Secundas Utero nectit*.

Unde substantia glutinosa & Pituitosa, ubique in corpore.

XVI. Nec mirum evenire gravidis, Alimenta pleraque, & optima præsertim fastidientibus, ideòque in minùs bonis delectationem aliquam quærentibus, postquam plerisque placet more malo Alimentum crassius, ac minùs salubre: unde tam frequenter non tantùm in corde, Vasisque majoribus ipsi connexis, verùm in Cerebro quoque, vasisque in ipso minimis occurrit substantia Glutinosa & Pituitosa concreta, & quibusdam *Polypus* dicta.

XVII. Postquam igitur Sanguis plerumque glutinosior existit, non mirum quoque, si arctiùs connectatur in gravidis Uterus Secundis.

Causa primaria dolorum post partum.

XVIII. *Causa* itaque prima & *primaria Dolorum post partum, est connexio arctior Secundarum cum Utero*, hinc & *carundem Laceratio ab Utero, Uterique adeò excoriatio*.

Secundaria

XIX. Causa eorundem secunda & priori se jungens, *Sanguinis* est *Lochiorum per laceras excoriatasque Uteri partes fluens, ipsasque mordicans & rodens*.

Sanguinis Acrimonia.

XX. Quamvis autem Sanguis omnis, quandiu humectat excoriatas & laceras Uteri partes, ipsas dolore afficiat, *augetur* tamen non parùm *idem Dolor*, quando *Sanguis* idem quacunque de causa existit solito *Acrior*.

Unde Oriatur.

XXI. *Sanguinis Acrimonia* evenit partim à *Sero Acri* ei admisto partim *ab ipsa Sanguine moram ubivis nectente*, ac proinde in Uteri quoque Vasis sive cavernis sinuosis.

Causa accessoria.

XXII. Atque has putamus Causas tum præcipuas, tum frequentissimas Dolorum post partum.

Frigus.

XXIII. Accedere autem possunt, atque Dolores illos *augere* plures alię: *Frigus nimirum partus tempore*, aut paulo post partum imprudenter *in Uterum admissum*, atque *Lochia ex parte, aut in totum sistens*: unde *Acrior* factus mora idem *Sanguis dolorem excitat in Utero magnum*; sive succedat *Inflammatio*, sive *serum effluat solum*, & quidem paucum & Acre, Uteri partes internas vehementer mordens ac rodens.

Flatus.

XXIV. Accidunt etiam subinde in Uteri regione, ipsoque Utero *Dolores* atroces a *Flatibus, tum ipsum Uterum, tùm Intestinu crassa ibi sita distendentibus*: qui quoties paulò post partum eveniunt, meritò hinc considerantur.

Lochia suppressa.

XXV. A Lochiis ob externum frigus suppressis vel diminutis, atque nunc Inflammationem incohantibus, nunc ob aliqualem moram Acrioribus factis, vel utroque modo; excitatus Dolor, videtur mihi omnino inter Dolores notatos habendus.

Inflammatio ab iis.

XXVI. Inchoata, imperfectave Inflammatio à Lochiorum Sanguine in Utero hærente, quæ nimirum ad ultimam Suppurationem non tendit, attamen paulò post partum orta, Dolores patit in Utero vehementes, ac revera post partum & propter partum, neglectamque puerperam ortos.

XXVII.

Lochia acriora facta.

XXVII. Idem Lochiorum Sanguis ex parte licet in Utero hęrens, atque Acrior idcircò factus, quatenus reliquo effluenti jungitur, eundem facit Acriorem, unde Uteri partes tum excoriatas, tum plus minusve inflammatas in transitu exituque suo lacerat, mordet, roditque, atque duplici nomine Dolores post partum parit: tum quatenus inflammatas, tum quatenus excoriatas Uteri partes malè afficit, ac dolore facit.

Flatus in Utero esse causam Dolorum.

XXVIII. Flatus in Utero sæpiùs reperiri, certum fit ex ipsorum excretione non infrequenti ex ipso Utero; Eosdem autem ibidem hærentes ac conclusos præter naturam in Uteri Orificiis & Ostio ab externo frigore clausis, Dolores ibidem parere posse ratio suadet, quinimò aliquando parere confirmat experientia, curatis illis doloribus per flatus discutientia. Dolores autem istos post & propter partum à Causa præternaturali productos ideò meritò Inter Dolores post partum referri autumo.

Ut & qui in crasso intestino hærent.

XXIX. *Flatus* similitet in *crasso* duntaxat *intestino hærentes*, ipsumque valdè distendentes, atque *Uterum* simul *comprimentes*, Doloremque in ipso itidem parientes, inter Causas Dolorum post partum, sed minùs propriè ita dicendorum referendos existimo.

Humores Acres esse causam dolorum.

XXX. Quòd si subinde *Humores Acres* ubivis existentes, atque *Sanguinis Massæ* confusi unà cum ipsa *tendant ad Uterum*, & una *cum Lochiis effluat*, producent quoque Dolores post partum.

Et Febres producere.

XXXI. Tales autem *Humores* erunt, qui *Febres quasvis Continuas Intermittentesve, aut ex utrisque compositas producere solent* atque non tantùm *frigus & calorem*, *sed Dolores* quoque in *Capite*, *Ventre*, *Artubus*, ipsoque adeò *Utero* tum propter partum; tum propter secundarum separationem *malè habente parere*. Qui *Dolores*, sive sint *continui*, sive per *intervalla repetentes*, omninò videntur mihi habendi pro Doloribus post partum.

Febres causa dolorum.

XXXII. Et certè, quemadmodùm *à Doloribus* vehementibus in *Utero* propter partum difficilem malè habente, aut *Inflammatione* ibidem orta non raró *excitantur febris*; ita propter *quamvis febrem*, sed *Acriorem* atque *ardentem*, *aut algentem*; *Dolores producuntur in Utero*, sed priùs *male affecto*, sicut observamus idem aliis partibus quibusvis evenire, similiter propter ipsarum læsionem aliquam precedentem, sive notam notamque, sive ignotam neglectamque; quod tam sepè notavimus in ęgris nostris in Nosocomio Academico.

XXXIII. Quales observationes quamvis negligantur à multis, juvant tamen plurimùm diligentes quarumvis rerum investigatores, atque veritatis omnis adeòque Mutationum multiplicium evenientium Scrutatores solertes.

Quanam dolorum causa in hac aut illa habeat locum, ex quibus conijciendum.

XXXIV. Atque sic paucis præcipuas, & à me saltem in praxi mea observatas Dolorum post partum Causas protuli; quęnam autem in hac istave puerpera habeant locum, tum ex *Causis evidentibus*, tum ex *doloris modo*, tum ex *Symptomatibus comitibus*, tum denique *ex juvantibus & nocentibus* facilè conjiciet Medicus prudens, at non minùs ingeniosus quàm judiciosus.

Quid Medico in casu difficilis agendum.

XXXV. Oportet namque Medicum egregium in Casu difficili & obscuro ad omnia attendere, singula etiam minima observare, atque tunc ingeniosè Causas veras omnium rimari, atque judiciose determinare.

Causę dolorum conijciendę.

1. Ex causis evidentibus.

XXXVI. Dixi modò, cùm variæ possint esse Dolorum post partum Causæ, veras conjecturum Medicum 1. ex *Causis evidentibus*; quales solent esse *frigus externum*, tum *Aëris*, tum *Linteorum* quorumvis; *Animi Affectus* gravis, Mœror, Ira, Terror, *Alimentum*, *Condimentum*, *Medicamentumve* à Puerpera usurpatum, &c. quorum unum vel plura, si locum habuerint, quę Dolores istos producere potuerint, meritò suspicabitur Medicus, ab illis habuisse ipsos ortum.

2. Ex doloris modo. Lancinante.

XXXVII. *Dolorem post partum Causas veras* conjicit Medicus 2. *ex Doloris modo*; Nam si *lancinantes* ac per intervalla repetentes graviùsve afficientes fuerint Dolores, *ab Acido & Salso* in Sanguine redundante & ad Uterum delato ipsos ortum ducere judicabit.

Pulsante & ardente.

XXXVIII. Sin *Pulsantes & ardentes* fuerint Dolores, *Sanguinem* in Utero *subsistere atq; stagnare*, quid ad *Inflammationem vergere*, jamve inflammatum esse, suspicabitur idem.

Distendente.

XXXIX. Sin *Distendentes* fuerint Dolores isti, tensaque observetur pars Abdominis inferior, à *Flatibus* Dolores illos productos conjectabit Medicus. Atque sic ex Doloris modo in veras eorundem Causas inquiret, nec ita difficulter easdem inveniet.

3. Ex Symptomatibus concomitantibus.

XL. Eorundem post Partum Dolorum Causas veras rimabitur Medicus 3. ex *Symptomatibus concomitantibus*, *Lochiorum Suppressione* vel *fluxu copiosiore*, *Alvo adstrictiore* vel *laxiore*, *Flatuum excretione* aut *retentione*, atque aliquando *per Intestina discursione*, & *Borborygmis*, *Humoris multifarii effluxu per Uterum*, *Pudendorum rosione Febre*, (nam non tantùm dantur Febres Symptomaticæ, quæque propriè loquendo sunt aliorum Affectuum Symptomata, sed uti omnes Affectus alii cuicunque primariò spectato juncti habendi sunt pro Accidentibus & Symptomatibss ejus, ita & Febres) *Delirio*, *Vigiliis*, &c.

Nempe Lochiis suppressis.

XLI. Sic quando *Suppressa* fuerunt ante Dolores post partum *Lochia*, probabile fit, ab *ipsorum Suppressione* ortos Dolores, ex partes saltem.

Lochiis nimiis.

XLII. Quando *fluunt copiosius Lochia*, conjectabit Medicus, *laceratu* esse *vasa vel orificia Uteri satis grandia*, præsertim si cum difficultate secesserint Secundæ.

Alvo adstricta.

XLIII. Quando *Alvus adstrictior* est, observanturque Rugitus in abdomine, suspicabitur Medicus, Dolores notatos ex parte saltem productos à *flatibus*.

Laxa.

XLIV. Quando *Alvus Laxior* existit, ac imprimis, quando, cum torminibus ægram vexat frequens dejectio, probabile fiet Medico, istos Dolores habere ortum ab *humoribus acribus* non tantùm ad Intestina, verùm *ad Uterum* quoque *delatis*.

Lochiorum Sanguine vario.

XLV. Prout *Lochiorum Sanguis* fuerit *varius*, *colore*, *odore*, *consistentia*, *aliive humores simul effluxerint*, ita conjicet Medicus tales humores in corpore redundantes, atque ad Vterum delatos, Dolores post partum si non planè producere, saltem augere.

Rosione & excoriatione pudendorum à Lochiis.

XLVI. Quando *Pudenda* simul *roduntur excoriunturque* à *Lochiis* effluentibus, probabile fit, *ab eorundem Acrimonia*, ex parte saltem, produci Dolores post partum.

Febri.

XLVII. Quando *Febris* comitatur Dolores post partum, prout illa diversa fuerint, Primaria vel Symptomatica, & calore majora minoreve stipata judicabit Medicus. Febris primariæ & ardentiori succedentes Dolores Bili deberi, aut Sanguini æstuanti; præcedentes autem ipsam, & graves existentes, illi ansam præbuisse; unde ex Symptomatibus cæteris Causam ipsorum veram investigabit.

XLVIII. Atque sic ex Symptomatibus concurrentibus, ac præsertim pluribus simul collatis, prout in Puerperis singulis occurrunt diversa, non ita difficulter Causas Dolorum post partum veras conjiciet assequeturque Medicus ingeniosus & judiciosus.

4. Ex juvantibus & nocentibus.

XLIX. Sed eruet quoque idem 4. ex *juvantibus & nocentibus* Causas Dolorum post partum veras. Sic quoties à Flatus ex Vtero Intestinisve discutientibus à quovis præscriptis & usurpatis sedantur Dolores illi, meritò suspicabitur, à Flatibus habuisse illos suam originem; ut & quoties usur-

patis

patis Alimentis, condimentisque flatulentis augentur dolores iidem,

L. Sic quoties quovis modo *ad fluxum deductis Lochiis priùs supressis*, *levantur Dolores* post partum toties ab *eorundem suppressione* ipsos fuisse productos, conjiciet Medicus rationalis; & sic porrò,

Ut certiùs causam Doloris assequatur Medicus, an omnia signa attendendum.

LI. Ut autem adhuc certiùs Causas veras Dolorum post partum assequatur, non tantùm ad unum Signorum Fontem, sed ad omnes attendet idem, quò, si non prosint singula, multa juvet, cùm præsertim non liceat semper aliquid certi ex singulis concludere, quoties nimirum Ægri non satis possunt sua referre Symptomata, Dolorisque sui modum, vel non satis meminerunt Causarum evidentium; ignorantque, à quibus noxam acceperint, auxilium ve; quod tam frequens est in praxi, ut sæpenumero tum Affectum ipsum, tum ipsius Causam necesse habeat Medicus hariolari.

Reperta causa vera quidnam agendum.

LII. Quòd si autem Causam veram Dolorum post partum se assecutum existimaverit, danda erit eidem opera, ut quamprimùm maximè cuique causæ convenientia præscribat exhibeatve Puerperæ Auxilia, Remediaque tam interna, quàm externa,

Uterus laceratus ut consolidandus.

LIII. quoties proinde ab *Utero lacero, excoriatoque* propter violentam *Secundarum avulsionem*, ortum habuerunt Dolores post partum, toties usurpanda sunt Medicamenta *lenientia, excoriationemque consolidantia*; in quem finem laudantur meritò omnia *vulneraria* dicta, ex quibus, quando urget simul Lochiorum fluxus auctus, seligenda sunt *subadstringentia*,

Et quibus.

Plantæ vulnerariæ quanam.

LIV. Inter plantas *vulnerarias* numerantur Sanicula, Agrimonia, Pyrola, Veronica, Artemisia, Sabina, Pimpinella, Alchimilla, Vinca pervinca, Sanguisorba, Virga Aurea, Centaurium minus Ophioglossum, Betonica, Hypericum, Tanacetum, Verbena, Serpentaria, Herniaria, Pentaphylum, Scordium, &c.

Et præterea subadstringentes quanam.

LV. Vi prætereà *subadstrigente* prædita sunt sequentes: Consolida major ac minor, ut & Saracenica; Plantago, Equisetum, Tormentilla, Garyophyllata, harumque Radices, Pilosella, Flores Rosarum Rubrarum, Balaustia, Persoliata, Myrtus, Cort. Granatorum, Succus Prunorum Sylvestrium inspissatus, &c.

Ex quibus Decocta.

LVI. Atque ex hisce *Decocta* parantur commodissimè, tum ex Aqua ferrata, tum ex Vino Rubro, additis Syrupis convenientibus, Myrtino, Rosarum Rub. siccatarum, de Symphyto Fernelii, & similibus.

Misturæ.

LVII. Quibus Potiones majori copia usurpandæ displicent, iis *Misturæ* Cochleatim sumendæ possunt præscribi, ex Aquis Plantaginis, Pilosellæ, Agrimoniæ, & similibus, ut & pauco Aceto, sed Stillatitio blandiore, una cum Lapide Hæmatite, Corallis, Sanguine Draconis, Bolo Armena, Terra sigillata, & similibus, addendo ad gratiam aliquid Aquæ Cinnamomi Fœniculi, aliusve Aromaticæ,

Quibus jungēda Narcotica, & Anodyna.

LVIII. Omnibus autem hisce Medicamentis jungentur utiliter tum Anodyna, tum Narcotica, Diascordium, Theriaca recens, Requies Nicolai, Pilonium Mesuæ, atque Nicolai Myrepsi, Romanum dictum, ipsumque adeò Laudanum Opiatum quorum ope præcedentium vis non parùm augetur & efficacior redditur, Dolorque sedatur.

Usurpanda quoque externa.

LIX. Possunt etiam hic *externa* usurpari, ac præsertim *Decocta* ex enumeratis plantis parata cum *Syringa* in ipsum Uterum adhuc patentem injici, & in decubitu supino aliquandiu in eodem retineri.

Sanguis Lochiorum Acrior temperandus.

LX. Quoties *Sanguis Lochiorum serosior* est, *Acriorque*, toties Idem *Anodynis*, *Emulsionum* præsertim forma usurpandis, *temperabitur*, addendo subinde Opium, Laudanumve Opiatum.

Educendus Hydragogo, & Sudorifero.

LXI. Quo facto, si Puerperæ vires ferant, *blando Hydragogo* seri pars evacuabitur per alvum, mox & *Sudorifero* ex blande adstringentibus parato Radicibus puta Garyophyllatæ, Tormentillæ, & similibus, aliqua sui parte propelletur per Corporis habitum.

Ejusdem Acrimonia Acida quibus temperanda.

LXII. Quoties idem *Sanguinis mora* in Utero facta redditus est *Acrior*, toties, quoniam quæ tunc producitur *Acrimonia* est *Acida*, usurpanda sunt medicamenta notatam Acrimoniam temperantia, sed ita, ut Sanguinis effluxum non augeant; unde inter *Aromatica*, seligenda sunt minimè Acria, sed *blandissima*, simul *leniter adstringentia*; quæ si non suppetant, additis hisce priorum vis frangenda erit, & ad mediocritatem reducenda.

LXIII. Conveniunt proinde hic modo laudata *Vulneraria adstringentia*, sed simul *Aromatica*, Betonica, Scordium, Virga Aurea, Pimpinella, Verbena, Tanacetum, Millefolium, &c. quibus addi possunt Majorana, Calamintha Montana, Pulegium, Rosmarinus, Ruta Hortensis, Salvia, &c.

Dolores ex Lochiis ab externo frigore suppressis qui sedandi.

LXIV. Quoties *ab externo frigore* imprudenter in Uterum admisso *suppressa* sunt *Lochia*, hinc & producti *Dolores* notati, vel Dolores saltem illi suscitati fuerunt; toties usurpanda erunt medicamenta in orta inde *Lochiorum suppressione* non ita pridem laudata.

Iidem permanentibus Lochiis quibus sedandi.

LXV. Quod si *permanentibus Lochiis Dolores* tamen illi fuerint *producti*, tunc convenientia erunt *Sudorifera nec multùm Aromatica*, *nec multùm adstringentia*; ne Lochiorum fluxus vel nimiùm augeatur, vel sistatur; additis *Opiatis*, Dolores sedantibus, Sudoriferorumque vim promoventibus,

Ex suppressis Lochiis Inflammatio curanda.

LXVI. Quòd si ex suppressione Lochiorum inchoata fuerit in Utero *Inflammatio*, excitatusque Dolor cum Ardore ac Pulsatione tanto molestior, allaborandum erit, ut; quamprimùm licebit, curetur ista Inflammatio remediis tam externis, quàm internis.

Enematis Emollientibus & Carminantibus

LXVII. Convenient autem in hunc finem *Enemata ex Emollientibus* & *Carminantibus* parata, & subinde injecta, 1. *Alvi excrementa in tempore eluantur*, ne ipsis subsistentibus augeatur notatus Dolor & inflammatio: & 2. ab *elevatis* ex Enemate *halitibus* & ad Uterum penetrantibus temperetur Acrimonia Acida in quavis Inflammatione peccans; quin 3. *demulceantur partes* ab Inflammatione distentæ, & hactenus quoque dolentes.

Sudoriferis & Opiatis.

LXVIII. Conveniunt in hunc quoque finem *Sudorifera*, ex *Oculis cancri*, *Antimonio Diaphoretico*, & similibus præsertim parata, quippe quæ in specie Inflammationi tum præveniendæ, tum curandæ præ omnibus aliis notis conveniunt: additis semper *Opiatis*, quodvis acre temperantibus, Doloresque quosvis sedantibus.

Fotibus ex emollientibus & Aromaticis.

LXIX. Convenient in hunc eundem finem *Fotus* ex plantis emollientibus Aromaticis parati, facta earundem in Aqua decoctione. Applicari verò debent illi ex spongia magna vel panno laneo satis calentes infimæ ventris regioni, & pudendo muliebri, quò citiùs feliciùsque in Uterum ipsum penetret ipsorum vis. Possunt quoque Fotus tales includi vesicæ bubulæ, ad dimidias replendæ, atque sic adhiberi similiter infimæ abdominis regioni.

Sanguinis missione.

LXX. Conveniet adhuc in hunc finem *Sanguinis* per sectam in brachio vel pede venam *missio*, imprimis ubi concurrit ejus *Plethora*, vel *notabilis æstus*.

LXXI. In *Brachio* instituta Venæ-sectio juvat, quatenus allabentem continuè ad Uterum Sanguinem *avertit*; *In Pede* autem quatenus Sanguinem eundem ab Utero *derivat*, & ne ad ipsum feratur, educit.

LXXII. In Sanguinis *plethora* bonum est in *brachio*, deinde in *pede* quoque instituti Venæsectionem.

LXXIII. In *Solo Sanguinis æstu* sufficit sæpe Sanguis ex *brachio* tantùm eductus.

Inflammatio, si impediri.

LXXIV. Quòd si remediis laudatis, & similibus impediti nequeat Inflammatio, danda erit opera,

nequeat, ad suppurationem promovenda.

ra, ut, quamprimùm licebit, eadem ad suppurationem promoveatur; quod fiet tum fotibus jam propositis, tum Cataplasmatibus ex iisdem Emollientibus paratis, additis liliorum alborum bulbis, Cæpisque priùs assis & contusi.

Æstus in Abdominis parte infima qui curandus.

LXXV. Ubi æstus magnus urget in Abdominis parte infima, decoqui poterunt Cataplasmata in Lacte Ebutyrato, à quo æstus commodè compescitur; Quòd si Dolores magis urgeant, in Lacte dulci.

LXXVI. Farinæ quoque hordei, seminum lini, fœnugræci, fabarum, quin panis cujusvis mica usurpari possunt in Cataplasmatis laudatis.

Et quibus,

LXXVII. *Olea* quoque, *Unguentaque emollientia* admisceri possunt prædictis Cataplasmatis, aut priùs venter illis inungi, quoties pinguia ferre possunt Puerperæ: aliàs enim ab iis cavendum sedulò, postquam pustulas, & erysipelas molestum in multis producere solent.

LXXVIII. Injectiones quoque in Uterum adhiberi possunt ex Emollientibus paratæ cum Lacte dulci.

Flatus dolores excitantes dissipandi.

LXXIX. Quoties *Flatus* ex *Pituita Glutinosa in tenui præsertim Intestino* geniti, & per Intestinorum fistulam versùs anum delati, aut per Lacteas Venas tum ad Cor, tum inde quaquaversùm, & ad Uterum quoque propulsi, quocunque modo Dolores post partum si non producant, augeant saltem; toties danda est opera sedula, ut *flatus jam geniti discutiantur & dissipentur, & eorundem productio nova impediatur.*

Et quibus.

LXXX. *Discutientur Flatus in crasso Intestino* hærentes commodissimè per *Enemata* carminantia dicta, additis semper emollientibus, horum enim ope subsidunt ex parte flatus in Enematum liquore aquoso, simulque educuntur cum ipso denuò excreto.

LXXXI. Laudantur hìc meritò à quibusdam *Enemata ex Urina Puerorum* parata, quippe quæ flatus potenter discutiunt educuntque propter Salem Volatilem in Urina existentem.

LXXXII. Convenient hìc quoque *Decocta* ex similibus Carminantibus Emmollientibusque parata, & subinde ad ℥iv. usurpata: ubi commodum est, quædam addere *Sudorifera*, promotu blando sudore, cum quo quaquaversùm solent simul propelli expellique flatus.

LXXXIII. Conducent proinde talia imprimis quando ad Uterum quoque, ac quovis propulsi sunt notati Flatus.

LXXXIV. Decoctorum loco usurpari possunt à delicatioribus, & longas istas potiones fastidientibus, *Mixturæ* idem præstantes, additis Oleis Anisi, Fœniculi, Maceris, Cort. Arantiorum, Carvi, Cumini, Juniperi, Succini, aliisve puerperis haud ingratis; non neglecto interim opio; à quo non tantùm Dolores leniuntur, sed Flatus quoque dissipantur.

Flatuū nova generatio impedienda. Et quibus,

LXXXV. *Flatuum Generatio nova impedietur* Medicamentis *Pituitam Glutinosam alterantibus ac educentibus*; non omissis, quoties *Bilis* quoque peccat copiosa vel Acris, *Cholagogi*, & ipsam *temperantibus subacidis*, ac imprimis *Spiritu Nitri*, flatibus quoque conducente.

Quænā Pituitam glutinosā corrigant.

LXXXVI. *Pituitam Glutinosam corrigunt*, tum *Acida*, tum *Salia Lixiva fixa & Volatilia*, tum *Aromatica* omnia, uti hoc sæpiùs docuimus.

Quænam evacuent,

LXXXVII. Eandem ex parte saltem correctam, incisamque *evacuant Phlegmagoga*, tum vulgaria, tum Chymica, inter quæ primas hic tenent Mercurialia.

Bilem quænam corrigant.

LXXXVIII. *Bilem corrigunt*, temperantque Acriorem *Acida* omnia: unde quoties hæc quoque peccat, meritò Acidis utemur, quippe quæ Pituitam simul incidunt & attenuant, fluidioremque faciunt.

Quænam evacuent.

LXXXIX. *Bilem* eandem *evacuant Cholagoga* vulgò nota; inter quæ primum locum dare soleo *Scammonio*, blando tutoque remedio.

Pituitæ glutinosæ proventus præveniendus. Diæta.

XC. Nec sufficit hisce uti ad flatuum generationem impediendam: nisi postmodum *præveniantur Pituitæ similis proventus, diæta & pharmacia* conveniente.

XCI. *Diæta prævenietur Pituitæ proventus*, cavendo ab Alimentis crassis & viscosis; Aere frigido, humidoque; Animi mœrore, ac similibus; & quærendo Aerem calentem ac serenum, studendo hilaritati, & quandoque iræ; usurpandoque Alimenta optimi Succi, ac imprimis Condimenta Aromatica, qualia sunt Sinapi, Raphanus Rusticanus, Majorana, Rosmarinus, Salvia, & Aromata pleraque, Piper, Garyophylli, Cinnamomum, Nux Moschata, &c.

Pharmacia

XCII. *Pharmacia* prævenietur idem *Pituitæ proventus*, tum *alterantibus*, tum *purgantibus*.

Per Alterantia.

XCIII. *Alterantia* sunt omnia *Aromatica potentiora*, & Condimentorum vice vix usurpanda, tum etiam *Spirituosa*, quin *Salia* tum *fixa*, tum *Volatilia*; & ipsa quandoque *Acida*: de quibus sæpiùs egimus aliàs, & subinde agemus adhuc, quando Affectus tractandi hoc primariò desiderabunt.

Per purgātia.

XCIV. *Purgantia* sunt imprimis *Phlegmagoga*, Pituitam augeri cœptam subinde per alvum evacuantia: ubi non putem temerè concedenda exhibenda *Vomitoria*, nisi facilè vomentibus, aut nauseabundis: Conveniunt etiam hic *Sudorifera*, sed magis Aromatica, & Pituitam prætereà potenter alterantia, incidentia ac emendantia, qualia meritò laudantur *Radices* Fœniculi, Apii, Levistici, Sarsæparillæ, Chinę &c. *Ligna* Quercùs, Guajaci, Sassafras, Juniperi, Buxi, &c.

Et Sudorifera. Et qualia.

XCV. Ubi notandum, talia sudorifera, sudore blandu subsequente, potentiùs alterare ac emendare Pituitam in corpore noxiam; quemadmodùm vice versa sudores facilius promoventur in corpore Pituitoso conjunctis assumptisve Aromaticis.

Nec non Diuretica.

XCVI. Inter *Evacuantia* hic haud postremum infimumve locum tenent *Diuretica*, quippe quę cum minore corporis molestia solent Pituitam accrescentem per Urinas expellere, quàm Sudorifera per Corporis poros; ubi opus est Corpus magis quovis modo incalescere, quod minimè necessarium ad Diureticorum vim percipiendam, quamvis, & Caloris quoque aucti ratione feliciùs opus suum absolvant.

In Flatibus curandus ad quanam Medico attendendū.

XCVII. Quoniam verò ad *Flatuum Productionem* concurrunt semper *Bilis* & *Pituita*; Prudentis Medici erit, attendere ad humorem utrumque, quò talia usurpentur remedia, quæ utrique Humori tunc peccanti conveniant, neutri noceant: qualia si non sint præstò à Natura nobis concessa, erunt arte paranda, & imprimis confundendo simul, quæ variis satisfaciant indicationibus: qualia sæpenumerò præscribere solemus apud Ægrus in Nosocomio Academico, ubi Rhodus est ad saltandum benè, quoties opere ipso demonstrandum est, quod verbis fuit assertum.

Dolores ab Humoribus acribus à causa externa productis, qui ratione præcavendi idem humores corrigendi.

XCVIII. Quoties à Causa externa, & imprimis Diæta vitiosa *Humores Acres* in Corpore, ac præsertim tenui Intestino sunt producti; à quibus quacunque via ad Uterum quoque delatis Dolores in ipso excitantur post partum; toties cavendum ab ulteriore in rebus non-naturalibus aliisque erraro, simulque allaborandum, ut humores illi quantocyùs corrigantur, emendenturque; & quidem sæpiùs in hunc finem laudatis remediis.

XCIX. Prout enim vel *Biliosi* fuerint, vel *Melancholici*, *Austeri*, *Acidive*, diversitas erit observanda in medicamentis usurpandis, quod tàm sæpè monuimus.

C. Semper tamen adhibebuntur exhibebunturque *Opiata*, quippe quæ omnia ex æquo Acri emendando inserviunt.

CI. Quòd

Et si copia eccêt, evacuandi.

CI. Quòd si *Copia* simul peccaverit notati humores, ubi satis fuerint correcti temperatique, adeòque ad secuturam purgationem præparati, Medicamento Purgante, sed blando erit utendum; ubi satius est Puerperas per epicrasin evacuari, quàm potentibus purgantibus turbari, atque in Vitæ discrimen adduci.

Atque sic de Doloribus post partum; quæ hac vice habuimus dicenda, absolvimus.

CAPUT X.

De Lactis Generatione læsa.

Variorum humorum præparatio.

I. VArii præparari solent in variis corporis partibus humores; alii quidem in usum proprium, alii in alienum, alii in utrumque.

In Usum proprium.

II. in Usum proprium producitur Bilis, Succus Pancreaticus, Lympha, &c.

In Usum alienum.

III. In Usum alienum Semen atque Lac.

In Usum proprium alienumque.

IV. In proprium alienumque usum producitur in fœminis Sanguis: quo postquam in Utero materno nutritus fuit Fœtus, deinde idem genitus ac in lucem editus Lacte solet ali; Lacte, inquam, ex sanguine in Mammis immutato, nec tantùm secundùm colorem, verùm insuper secundùm substantiam; postquam intimiùs iunctæ unitæque sunt in Lacte partes minimæ, quàm in Sanguine.

Sanguinem & Lac in varias partes secedere.

V. Unde pauló postquam emissus est Sanguis, sponte in varias secedit partes, Butyrosam, Caseosam, & serosam; quòd in Lacte nec tam citò, nec tam perfectè contingit; quo circa videas in specie quidem assurgere Lactis Cremorem, Serum autem nunquam sponte à cæteris partibus planè secedere, sicut in Sanguine.

Ubinam Lac præparetur. Et ex qua materia.

VI. Lac istud, quo nuper natus Fœtus est nutriendus, præparatur in Mammis, & quidem plurimorum Medicorum Anatomicorumque judicio, ex Sanguine per Arterias eò delato; quamvis non desint aliqui existimantes Chylum per Vasa propria ex Intestinis eò deferri, atque in Lac abire.

VIII. Atque hi postremi, quo suam probent opinionem, difficultates plurimas movent cæteris; ratione viarum longarum, per quas Alimento, Medicamentuve nuper assumpto meandum antequam ad Mammas perveniat, si per Lacteas Venas priùs ad Cor, atque hinc ad Mammas esset deducendum: quocirca breviores finxerunt nonnulli, quas se oculis suis usurpasse narrant alii; Lacteas nempe Venas rectà ad Mammas tendentes: Has tamen diligenter quæsiverunt, at neutiquam invenerunt non pauci, quamvis omnem in variis Animalibus Lactantibus adhibuerint operam, secutique fuerint aliorum normam.

Sanguinem non esse lactis materiam.

VIII. Videamus proinde, an tanti momenti sint argumenta, quibus aliqui oppugnant Sanguinem ad Mammas per Arterias delatum pro Lactis materia.

Ratio.

IX. Observantur multæ fœminæ Lacte tantum non in Mammis destitutæ, quod tamen assumpto Cerevisiæ, alteriusve potus assueti haustu mox iterum è Mammis prodit copiosum,

X. Id quamvis omnibus fœminis non eveniat, evenit tamen non paucis, nec prudenter à quovis negari potest aut debet hoc experimentum.

Ejus confutatio.

XI. sed et an inde sequitur, potum assumptum per vias qualescunque mox transire ad Mammas, & in Lac mutatum effluere? nihil minùs.

XII. Nam si abire debeat in Chylum, antequam abeat in Lac; nonne aliquam in Ventriculo debet moram nectere?

XIII. quòd si Ventriculum præterlabatur tantùm, Cerevisia permanebit, neutiquam in Chylum convertetur; nec proinde ex Chylo, verùm ex Cerevisia, aliove potu ordinario fiet Lac.

XIV, Quòd si potiùs quivis aliqua mora indiget, quò vertatur in Ventriculo in Chylum, malè ab illo nuper assumpto potu Lactisque effluxum promovente concluditur, ex Chylo genitum Lac.

Lac ad effluxum excitari assumpto potu.

XV. Quid Ergo ex dicto verè concludetur experimento? Nil aliud, nisi potu assumpto ad effluxum excitari Lac: Quacunque siquidem via fingamus ad Ubera pergere potum, sed priùs in Chylum versum; eadem omnes urgebit difficultas.

Et quomodò.

XVI Sed quærat Veritatis studiosus, quomodò igitur ad potus consueti assumptionem promoveatur Lac ad sui effluxum? Cui respondeo, videri hoc mihi accidere, quatenus partes aliquæ potus spirituosiores, vel aliàs mobiliores nullam in Ventriculo nectentes moram, mox pergunt ad Intestina, hinc & Lacteas Venas, motumque potentiorem Sangnini quaquaversum, ac præsertim ad Ubera excitant, unde Lactis quoque in penitiotibus Mammarum partibus hærentis, aut crassioris effluxum promovent.

Partes potus spirituosiores Motum Sanguinis potentiorem excitare.

XVII. Dico partium istarum ope *excitari* 1. *Motum universi Sanguinis potentiorem*; quod puto semper fieri, quando siti vehementi capti, potum usurpamus gratum consuetumque, ac imprimis satis copiosum.

Et eundem ad ubera Propellere.

XVIII. Dico 2. Potus istius ope *Sanguinem ad Ubera præsertim propelli potentiùs*, quod fit propter affectum tenerum ac vehementem, quo fœminæ moventur ac tenentur ad succurrendum Infantibus sitientibus, (deficiente interim nonnunquam Lactis præ Lactantis mærore plus minus incrassanti & stagnantis effluxu:) quarum cogitationes cum vehementius dirigantur ad mammas, non mirum, si præter spiritus animales Sanguis quoque ad ipsas, quam partes alias, moveatur impetuosius.

Et Lac crassius, & in mammis hærens ad effluxum promovere.

XIX. Dixi 3. Partium spirituosiorum & fluidiorum in Potu existentium, & mox ad interiora, ipsasque adeo mammas penetrantium ope *ad sui effluxum promoveri Lac crassius, & in mammis hærens*; quod fit, quatenus illud dissolvunt, & liquidiùs fluidiusque præstant; omne namque coagulatum & incrassatum segniùs movetur; faciliùs vero & promptiùs omne liquidum, fluidumque.

Et in quibus id contingat.

XX. Hac ergò ratione puto beneficio potus consueti avidiùs hausti promoveri Lactis, non tam generationem, quam effluxum: frustra siquidem hoc tentatur, expectaturque in fæminis pauco Lacte præditis; fæliciter contra in fæminis Lacte abundantibus.

XXI. Existimo igitur, in talibus Lac quidem produci continuè sed satis crassum, quod à partibus potus aqueis & spirituosis solvitur ac diluitur, nec tamen aliam Lacti affert mutationem; sicut videmus quotidie Brutorum Lacti additam aquam ipsum amplius diluere, aliam verò ipsi noxam non afferre. Unde Lactantes mulieres solito magis solent sitire, atque potum aquosiorem desiderare, quin ab ipso optimè habere; non nocet tamen; parum Spirituosi adesse, Vinum namque potusque generosus quivis non tam conducit Lactis proventui, quam Cerevisia tenuis aliusve potus consuetus aquosior; qualis est Lactis serum, & in quibusdam Lac ebutyratum.

Lactantes solito magis sitire. Potus generosus minus quam aquosus lactis proventui conducit.

XXII. Notum enim est, Vini spiritum, Vinumque quodvis, sed maxime potens ac generosum nocere Lactis productioni, conferre contra Potum quemvis maximè acquosum, ipsumque adeò Vinum invalidum, & satis aqueum.

Potus Aromatici sapor deprehendi in lacte.

XXIII. Sed dicet aliquis, *non tantùm potu Lac promoveri in suo motu, sed ipsius potus Aromatici saporem deprehendi sæpenumerò in Lacte tunc prodeunte*;

re; quod testantur Suctrices Lac sæpiùs tunc exsugentes, ac præsertim, quando alia concurrunt in mammis vel papillis mala, debilisve existit Infans.

XXIV. Sic memini aliquando me in hac urbe puerperæ satis debili præscribere Mixturam roborantem & aromaticam ex aqua Cinnamomi aliisque gratioribus paratam; cumque infans commodè sugere non posset, & Suctrix idcircò adhiberetur, puerperam unum alterumque laudatæ mixturæ cochleare assumere: Unde narravit paulò post Suctrix, se Hippocraticum vinum exsugere: & hinc dicet aliquis, an non spatio illo brevissimo usque ad ipsas mammas penetraverit Cinnamomi Aqua, exsuctum Lac Cinnamomi sapore inficiens? Cui respondeo, Aquæ Cinnamomi aromaticam vim mox penetrasse è Ventriculo ad Intestina, Lacteasque Venas usque ad Cor, quin una cum Sanguine quaquaversum properasse, & imprimis ad Mammas; per quas nimirum exsugebatur Lac, simulque eò alliciebatur Sanguis majori, quàm aliò, copia.

Cur Sanguis copiosius ad Lactantium Mammas affluat.

XXV. Hoc loco non prætereundum, & idcircò ad Lactantium Mammas copiosiùs affluere Sanguinem, quoniam facilis est Lacti per papillas effluxus; & quibusdam quidem molestus ac perpetuus; aliis verò tantum, postquam cœpit exsugi, quod tunc copiosè effluit, ni mano adhibita premantur Ductus in papillis existentes, sicque cohibeatur ulterior Lactis eruptio.

XXVI. Ubi autem quovis modo patet humori alicui conclusoexitus, eò ruere solet idem majori copia & impetu: Omnia proinde quæ assumuntur, & ad Sanguinem pergunt, properant imprimis ad Lactantium Mammas.

Non chylũ, sed Sanguinem esse Lactis materiam.

XXVII. Quapropter, quoniam pro *Lactis materia* nec Ratione urgente nec Experientia manifesta Chylum admittendum censemus, cum plerisque Sanguinem etiam nunc habemus.

Loco Lactis Sanguinem sæpe effluere.

XXVIII. Pro Sanguine autem plurima pugnant, & 1. quidem *Sanguis sæpenumerò Lactis loco effluens*, imprimis quando diutiùs & avidiùs exsugitur Lac.

XXIX. Quòd si Lactis materia non esse Sanguis, utique idem non promanaret, utut diu sugerentur Mammæ; verùm nihil omninò tunc prodiret, donec ab assumptis Alimentis novus Chylus, per vasa propria cum Lactis vasis sine dubio procul continuata vel ipsis saltem contigua, eò adveheretur.

XXX. Si namque enim Lactis vasis non communicarent Arteriæ Sanguinem ad Mammas deferentes; nullus metus esset Sanguinis post deficiens Lac effluxuri.

Et ad usum medicamẽti Sanguinem sistentis rursum Lac.

XXXI. Adde quòd 2. non rarò ad *Medicamenti Sanguinem sistentis usum convenientem* absque ullo Alimento assumpto *sistatur ulterior Sanguinis effluxus*, & sequatur ejus loco Lac, sicut haud semel vidi factum, quod nunquam fieret, si Lactis materia esset Chylus, non verò Sanguis.

Durante lactatione vasa Sanguinem eo deferentia augeri.

XXXII. 3. *Vasa notabilia* & Sanguinem ad Mammas deferentia, referentiaque, *Arteriæ putà Venæque* in Mammis augentur durante Lactatione, decrescuntque ac minus apparent eadem cessante; unde concludimus, desiderari eo tempore plus Sanguinis in Mammis, quàm aliàs.

XXXIII. Nec est, quòdquis putet, se argumenti hujus vim effugere posse, dicendo idcircò *plus Sanguinis ad Mammas deferri*, *quoniam durante Lactatione majores fiunt Mammæ*, ideòque copiosiore indigent ad sui Nutritionem Alimento, Sanguine.

Mammas durante lactatione non augeri, sed explicari.

XXXIV. Nam 1. explicantur magis tunc, quàm ut propriè loquendo augeantur excrescantque Mammæ; quæ idcircò cessante Lactatione corrugantur quasi, contrahunturque iterum ad consuetam ferè parvitatem: quod æquè proprium est Mammis, atque Utero, durante Uteri gestatione magis explicato.

Nec tam copioso Sanguini ad sui nutritionem augeri.

XXXV. 2. Licet actu ac reverà grandiores tunc fierent Mammæ, tam copioso tamen ad sui nutritionem haud indigerent Sanguine, qua copia tunc observatur per Vasa tam grandia affluere: unde meritò concludimus denuò, magis ad Lactis copiosi productionem continuam, quàm ad propriam nutritionem lactationis tempore tam copiosum ferri ad Mammas Sanguinem.

XXXVI. Posset idem pluribus evinci argumentis, verum non videtur id necessarium; cùm possint jam prolata satis superque cogere assensum eorum, qui veritati magis student, quàm novitati.

Nova vera non spernenda.

XXXVII. Utique haud spernanda sunt nova, dummodò simul sint vera; sed nec nimiùm affectanda est novitas, spernendaque antiquitas, quin eadem potiùs colenda, ipsique multum est deferendum, nisi ad ipsam deserendam nos cogat veritatis studium & amor.

Antiqua non deserenda, nisi falsa.

In quibus partibus lac paretur.

XXXVIII. His ergo hactenus determinatis de Lactis materia aliquid etiam dicendum *de Parte, in qua paratur Lac*: quam non putem aliquem negaturum esse ipsas *Mammas*, & in ipsis existentes *Glandulas*.

XXXIX. Nec puto eos, qui Lactis materiam Chylum arbitrantur, existimare, nullam in Mammis mutationem subire Chylum antequam in Lac abeat; cùm non parùm à Chylo differat Lac, quòd proinde non nisi ex mutato in Mammis Chylo conficietur.

In quo Mammæ a cæteris corporis partibus differant.

XL. Si quis autem Mammas examinaverit, observabit facilè, ratione Glandularum peculiarium Mammas differre ipsas à cæteris corporis partibus omnibus; ac proinde illas publicæ ministrare functionis; hoc est, Lactis generationi.

XLI. In Glandulis itaque Mammarum producitur Lac; dum per ipsas pertransiens Sanguis parte sua convenientissima mutatur in Lac.

Qua ratione paretur Lac.

XLII. Sola verò per Glandularum Mammariarum poros percolatione (uti moltis videntur hoc tempore omnes perfici functiones in corpore naturales) *Sanguini in lac mutari*, nullateous arbitrior; verùm *alicujus rei accessu*, quæ Sanguinem ubi secretum & colore & consistentia plurimùm à reliquo Sanguine differentem faciat.

Quid id e-jus præparatione San-guini accedat.

XLIII. Quidam autem illud fit, quod istam Sanguini mutationem affert, quamvis non ita sit dictu facile, conabimur tamen aliquid proferre, unde ex parte saltem illud determinari queat, quin aliis ulterius progrediendi occasio & ansa præberi.

Liquores in glandulis præparatos participare de Acido.

XLIV. Quoniam 1. non tantùm ratione solida, verùm multiplici variorum experientia constat, Liquores in Glandulis præparari solitos plus minùs participare de Acido, aliquando magis manifesto, aliquando magis obscuro, & ab aliis concurrentibus tecto.

Rubedinem ab acido mutari in alborem.

XLV. Quoniam 2. multiplicibus experimentis Chymicis manifestum est, Colorem rutilium acido mutari in albicantem.

Coagulabilia ab acido coagulari.

XLVI. Quoniam 3. iisdem experimentis notum est, ab Acido admisto coagulari & inspissari quævis coagulabilia.

XLVII. Hinc non sine gravi causa existimamus *in Mammarum Glandulis præparari Liquorem acidiusculum, sed valdè temperatum, qui partibus Sanguinis* ibidem à reliqua massa secretis *admistus* easdem tum *magis consistentes*, tum intimiùs *commixtas*, tum *albicantes* præstet, adeò, que *in Lac mutet*.

In Saliva latere aciditatem.

XLVIII. Novimus quidem, Salivam in Glandulis conglomeratis præparatam & insipidam plurimùm

rimùm differre à Summo Pancreatico itidem in conglomeratis glandulis præparato & subacido, vel subsalsomuriatico: Aciditatem tamen in Saliva latere, probant plurima experientia cum ipsa instituta.

XLIX. Atque ista sufficere videntur ad læsæ multis modis Lactis generationis differentias, & Causas eruendas, hinc & curationem ex arte instituendam.

Quot modis lactis generatio lædatur.

L. Observatur autem Lactis generatio variis modis lædi, & 1. quidem cum *Nulla* fit. 2. cùm *nimis pauca* 3. cum *nimia* 4. cùm *depravata*, & quidem ratione *Coloris*, *Saporis*, *Consisteatiæ*, &c.

Quanam ad lactationem requirantur.

LI. Lactatio certè tum ratione Matris, vel Nutricis Lactantis tum ratione Infantis sugentis locum habere non potest, ni Lac in mammis generetur, ni, mammis effluere possit; quapropter; omnia circa Lactationem occurrentia mala & incomoda ut ritè notentur percipianturque; ab ipsa Lactis generatione læsa ordimur.

Nulla fit lactis generatio & quare.

LII. *Nulla* igitur fiet *Lactis generatio*, nunc Ipsarum *Mammarum*, *sive Fermenti Lactiferi*, nunc ipsius *Sanguinis* culpa.

Lactiferi fermenti causa.

L I I I. Mammarum aut Fermenti Lactiferi culpa hoc evenit, quoties ineptæ sunt Mammarum Glandulæ ad Succum illum subacidum, & Fermentum Lactiferum vocandum præparandum.

LIV. Si ritè constaret nobis quale si hoc Fermentum Sanguinem in Lac mutans, clarius possemus illius vitia explicare.

De Acidi natura participans.

LV. Quamvis enim putemus, plus minus ipsum de acidi natura participare, quoniam tamen plurimæ sunt Acidorum species, paucis observatæ, ad medicum saltem usum revocatæ, non mirum si non festinandum putemus in hoc Fermento determinando, verùm lentè pergendum ad ipsius naturam essentiamque exactiùs percipiendam, describendaque.

L V I. Existimamus autem optimè illud posse cognosci per Medicamenta tum interna, tum externa Lactis generationi promovendæ, sistendæve conducentia ex æquo expensa, & cum cæteris omnibus circa Lactis generationem observabilibus collocata.

LVII. Et quamvis multa desideremus adhuc experimenta huic negotio absolvendo necessaria, ut & otium ad eadem cum aliis multis conferenda, proferemus tamen in medium, quod initium saltem faciat istius investigationis laudabilis, utpote hominibus utilis.

Lactis generationem impedit Alumen. Ejus Vires.

LVIII. Inter alia in mentem mihi venit, *Alumen* usurpari externè ad impediendam, cobibendam, sistendamque Lactis generationem: in quo tamen occurrit *Acidum*, *sed subacerbum*.

LIX. Quin notant nonnulli, ex immoderato Aluminis usu non tantum impediri, cohiberique, ac tandem sisti Lactis productionem, verum impediri quoque Mammarum incrementum, quinimò extingui omnem Lactis generationem.

Fermentum Lactiferum cujus si naturæ.

L X. Hoc si verum sit, (de quo mihi non satis constat, Licet ex iis, quæ ipse in praxi observavi, non videatur mihi hoc absonum) necesse est, concludamus Fermentum illud Lactiferum non esse naturæ acerbæ, sed illi plus minùs contrariæ, adeòque potiùs naturæ volatilis, atque valdè temperatæ; cum nullæ secundùm naturam soleant in fœminarum mammis sentiri Lancinationes; satis frequentes autem, quando ipsæ malè babent, ac præsertim aut instantibus mensibus, aut substinente in ipsis lacte, aut Animi affectu gravi, mœrore imprimis, aut terrore ipsis superveniente.

Ei inesse Sal Volatile.

LXI. Unde, siquid conjectare valeo, existimem; Huic fermento Lactifero multùm inesse Salis Volatilis aciditatem ipsius temperantis: quod videtur confirmari ab iisdem *Salibus Volatilibus*, & *Lactis generationem* & *ejusdem effluxum promoventibus*, & *notatas Lancinationes non tantùm tollentibus ac curantibus*, *verùm præveaientibus* quoque.

LXII. Quod à Volatilibus Salibus desumptum experimentum confirmat similiter *haud acerbum esse Lactiferam Fermentum*, sed *nec valdè Acidum*; verùm *temperatissimum*; & ita tamen, ut aptum sit, Sanguinem in Lac mutare.

LXIII. Plura possent ex memoratis deduci experimentis ad Lactis generationem læsam feliciter curandam facientia, quæ postmodum, si res desideret, attingemus; sicut cum felici successu in usum non semel revocavimus.

LXIV. Utique admodùm jucundum est, ita ex manifestis experimentis ratiocinari & philosophari, ut aliquis usus videatur in praxi secuturus; & adbuc magis jucundum est, conclusionis tuæ non vanitatem sed veritatem in praxi & rerum usum experiri. *Ex experimentis philosophandū ut usus sequatur in Praxi.*

LXV. Et utinam omnes Philosophi, aut qui saltem Philosophorum nomine gloriantur, soliciti essent de suis Conclusionibus qualibuscunque itidem per experientiam confirmandis, & tunc demum Discipulis suis communicandis; non item de nugis & fumis credulæ juventuti vendendis & obtrudendis: quod non tantùm in Veterum Philosophorum, sed Neoticorum quoque sectatoribus desideramus. *Conclusiones per experientiā firmanda.*

LXVI. Cæterum quoties istud *Fermentum in totum deficit*, aut *iners* existit, deficiet quoque Lactis Generatio, ipsaque adeò Lactatio. *Quando desinat lactatio.*

LXVII. Deficiet in totum Fermentum Lactiferum haud dubiè vitio Glandularum in Mammis existentium, & imprimis solidorum. Notum enim est, firmiores, solidiores, duriore̹sque observari plerumque Mammarum Lac minimè producentium Glandulas. *Quādo fermentū Lactiferum.*

L X V I I I. Nec mirum, in Glandulis durioribus ac solidioribus minùs parari posse quosvis Liquores; quippe qui earundem *raritatem* desiderant, ut in ipsis & per ipsas moveri queant & alterari. *In Glandulis durioribus minùs parari Liquores.*

LXIX. Solidiores ac densiores erunt istæ Mammarum Glandulæ, tum à constitutione propria, tum ab externis rebus perperam & more pessimo ad ipsarum incrementum impedimentum, impositis, *Austeris* putà & similibus. *Glandularū durities unde.*

LXX. Nativum Vitium petendum mihi videtur *Sacco Austero* in Melancholicarum corpore existente, atque tum maximè, quando *fæminæ incipiunt fieri puberes*, Mammæque naturale augmentum capere. *Quo tempore si Mœrore afficiantur*, *halitusque Austeri quaquaversum attollantur*, non mirum, si *Mammarum Glandulas novam* ex Dei ordinatione *mutationem subeuntes*, ideòque variis modis alterari aptiores, præ aliis partibus omnibus male afficiant, ipsisque valdè noceant. *A naturali cōstitutione.*

L X X. Si proinde nominatæ Causæ externæ habuerint locum, *Curabitur* hoc malum usurpando tam *interne*, quàm *exterae Medicameata Volatili Sale abundantia & Aromatica*, *Spirituosaque*. *Ejus curatio.*

LXXII. Inter *interna* laudabimus merito *Aquas ex Aromaticis plantis & Vini Spiritum* paratas, & quidem *distillatione* potiùs quàm *sola infusione*; quoniam Liquor talis erit tum gratior, tum penetrantior, efficaciorque: quod imprimis desideratur in hoc casu; ut scilicet Medicamenta non impediantur à partibus crassioribus, quæ in sola infusione simul eliciuntur, & Vini Spiritui junguntur, in distillatione autem iterum à Vini Spiritu secedunt, cum quo subtiliores duntaxat & maximè Aromaticæ ascendunt, huic operi utiles. *Per interna & quanam.*

L X X I I I. Quòd si quis optet nil medicamenti perire, poterit partibus plantarum Aromaticis affundere Vini Spiritum rectificatum, atque semel ipsum ab illis M. B. abstrahere, mox iterum affundere, atque post viginti quatuor horam infusionem

sionem ac digestiooem filtrare, tandemque in eodem M. B. ad siccitatem abstrahere: qua ratione præter Vini Spiritum Aromaticum assurgentem remanebit in fundo Extractum itidem Aromaticum seorsim usurpandum.

LXXIV. Tali Aquę Spirituosæ, Aromaticęque jungentur commodè aliæ Aquę itidem Aromaticæ, non autem Spirituosæ, quales sunt Aquæ Menthæ, Fæoiculi, Melissę, ac similes, quibus diluantur, & commodiùs usurpentur, additis præterea Syrupis convenientibus, ut & Salibus Volatilibus, Oleosis Aromaticis, & quandoque ipso Laudano Opiato,

Per Externa & quænam. LXXV. Inter medicamenta *externa* convenient eædem modò laudatæ *Aquæ Spirituosæ & Aromaticæ, cum Sale Volatili* quovis junctæ, atque forinsecùs Mammis applicatæ cum linteo mundo, humectandu subinde dicta lintea eodem liquore.

LXXVI. Quin conducent quoque *Unguenta & Olea Aromatica*; quibus si *Volatilia Salia* admisceantur, plus præstabunt.

LXXVII. Sed commodum erit quoque, *blande fricari Mammas*, quò facilius per ipsarum cutim penetret ad ipsarum glandulas vis medicamentorom Aromatica & Salina Volatilis.

Qua ratione agent hæc Medicamenta. LXXVIII. Medicamenta verò hæc ratione suis *Salis corrigent humorem austerum ipsarum substantiam compingentem ac incrassantem*, quem paulatim reddent *magis Volatilem, Spirituosum, ac dulcem*; unde in ipsis producetur tandem *Fermentum subacidum* quid, sed *blandissimum, & Lacti generando aptissimum*.

Eadem esse & ratione & Usu comprobata. LXXIX. Quamvis autem talia non fuerint à vulgaribus nostris Medicis in usum revocata, quoniam horum vires ignorarunt, nec unquam forsan eadem ivestigarunt; non dubitamus tamen eadem Artis Cultoribus commendare, non tantum secundùm rationem, verùm Experientiam quoqoe non semel à nobis in Mammarum affectibus variis factam, & quidem cum successu felici, ne dicam stupendo, & nostram expectationem superante.

LXXX. Hac ergo ratione putamus posse, si ullo alio remedio, Curari propter Mammarum vitia Deficientem Lactis generationem, ipsamque adeò Lactationem.

Quando Lactis generatio deficiat culpa Sanguinis. LXXXI. Diximus *deficere* quoque aliquando *Lactis productionem Sanguinis culpa*; si præsertim *Vasa nimis exilia sint*, quæ ad Mammas tendunt, nec durante uteri gestatione, ac imprimis appropinquante partu expandantur, pluique Sanguinis ad Mammas tunc transferendo ipsarum explicationi ac turgescentiæ ansam præbeant.

Quando hæc causa locum habeat. LXXXII. Hanc Causam locum habere putamus, & quando & *magnitudine, & consistentiæ sive mollitie laudabili donatæ sunt Mammæ*, atque satis hilares sunt fœminę, minimè tristes aut melancholicæ; unde diximus modò, indorari ipsarum glaodulas, Fermentumque in ipsis produci vel nullum, vel saltem ignavum & iners.

LXXXIII. In tali casu existimamus *vitio conformationis Vasa esse minora & forsan solidiora*; nisi forsan ex præpostera pectoris angustatione ac compressione difficiliùs possit reddi, si non produci etiam hoc malum.

Quomodò curetur. LXXXIV. Vix putem autem Malom hoc, nisi lentè paulatimque, posse *curari, ex parte saltem emendari, & quidem frictione frequenti blandaque loci*, per quem ad Mammas tendunt Vasa sanguinea; additis *Unguentis & Oleis Emollientibus*: qualia sunt Unguentum Althææ, Mucagioum Nervinum, & similia; Oleum Liliorum Alborum, Amygdalarum dulcium; Pinguedo humana, & aliorum Animalium: quorum omnium ope *emmolliri laxarique* possunt *tunicæ Arteriarum, sensimque aptæ fieri, ut magis explicentur, grandioresque factæ plus Sanguinis transferant ad ipsas Mammas*.

LXXXV. Cavendum autem sedulò, *ne frictione vehementiore aut diuturniore quassentur lædanturque Mammarum Glandulæ*, sicque *Inflammationi ansa detur*. Non festinandum proinde, ast procedendum lentè in partium præsertim continentium emendatione & mutatione à statu nativo, quippe quæ difficiliùs & segniùs obtinetur.

LXXXVI. Atque sic Deficientis Lactis Generationis Causa & Curationem paucis proposuimus; pergamus similiter ad Lactis parciùs ac minore copia producti Causas & Curationem.

LXXXVII. Generabitur autem Lac parciùs itidem nunc *Glandularum Mammariarum*, ipsiusve *Fermenti Lactiferi*, nunc *Sanguinis* culpa. *Lactis parcioris generatio unde. Glandularū & fermenti Lactiferi culpa.*

LXXXVIII. *Glandularum Fermentive* culpa paucum generabitur Lac, quoties ipsum *parcius* vel *invalidius* existit ad sufficiens Infanti nutriendo Lac producendum. Tunc enim tantum verè dicitur copia minore gigni Lac, quando ipsum alendo Infanti non sufficit.

LXXXIX. Parcius existit Fermentum Lactiferum, quando *non tàm exiles* sunt Glandulæ Mammariæ, *quàm* producendo Lacti satis copioso *minus aptæ*; quod sæpè videmus contingere ad *Animi Mœrorem, frigusque externum grave*, atque *Alimenta crassiora* imprudenter ac sine appetitu singulari, verùm *cum fastidio* potiùs assumpta. Unde meritò putamus, id fieri ratione *humoris* alicujus *Crassioris Melancholici & Austeri*, quavis de causa in corpore producti & *ad Mammarum glandulas delati*, Lactisque productionem minuentis. *Quando parcus existat fermentum.*

XC. Quoties proinde ab Animi mœrore, terrore, aliave de causa qualicunque auctus est in corpore humor Melancholicus, toties Lactationis tempore Mammæ, ipsarumque Glandulæ præ aliis partibus omnibus ab ipso afficiuntur malè, ideòque Lactiferum Fermentum in ipsis paratur parcius & minus Volatile, minusque dulce ac temperatum, quin Lac generatur & parcius, vitiosum, de quo agemus in sequentibus. *Ejus causa.*

XCI. Non tantùm à memoratis modò Causis externis producitur Fermeotum Lactiferum parcius, sed, sicut dictum, minus quoque Volatile, minùsque dulce ac temperatum, ideòque ad Sanguinem in Lac mutandum *invalidius*; qua de causa non tentum vitiosum, sed parcius quoque gignitur Lac, nec infanti nutrieodn sufficiens: adeò ut tàm propter istius Fermenti quantitatem mioorem, quem propter ejusdem qualitatem obtusam ac inefficacem Lac generetur tunc in Mammis parcius. *Fermenti invaliditas.*

XCII. *Curabitur* autem illud vitium Medicamentis nuper laudatis & propositis, *Aromaticis, Spirituosis, & Sale Volatili abundantibus*; quorum nimirum ope Humor ille Melancholicus & Austerus undecunque ortus corrigetur, & noxa in Mammis ab ipso producta emeodabitur, Fermentumque adeò laudabile, satis copiosum in posterum gignetur denuò ubi tam externa conducent, quàm interna paulò ante recitata. *Curatio. Et quibus.*

XCIII. Ubi notandum, si à *frigore externo, Vento nempe boreali & aspero* fuerit productum illud malum, usurpari utiliter *Sudorifera* laudatis medicamentis similia, quorum ope foras propelletur iterum, quicquid penetravit per cutis poros ab Aere ac Vento noxio; quodque nunquam sat diu remanet in corporis habitu, sicut non semel id ostendimus in Nosocomio Academico, & nunc quoque habemus in ipso ægrum, cui ante quatuor septimanas iter Antvverpia huc facieoti pluvia & frigus Aeris ei conjunctum non taotùm febrem gravem, ast dolorem in corporis habitu peperit etiam nunc perdorantem, nec facilè ac plenè inde recessurum nisi convenientibus medicamentis per sudores repellatur expellaturque, *Si à frigore externo, Sudorifera adhibenda.*

turque, quod in notato corporis habitu tam diu permansit.

Neque illa negligenda. XCIV. Hoc autem si negligatur, non raro ita vitiatur Corporis habitus, ut postmodùm Doloribus frequentibus & gravibus infestentur aut continuè ad leves saltem causas partes externæ, quin non raro inde excitentur Dolores Arthritici.

Si ab alimentis noxiis & austeri, humores corrigendi et evacuandi. X C V. Si *Alimenta noxia & austera* fuerint copiosiùs ingesta, sliique Lactis generationi diminutæ ansam præbuerint, utile fuerit post prævium *humorum austerorum correctionem ac præparationem blandis purgantibus educere ipsos per alvum*; quoniam tunc non tantum corrupti sunt humores corporis naturales, verùm aucti quoque iidem, unde non solum alteratione indigent, ast evacuatione quoque ac diminutione.

Si à gravi animi affectu alterantibus utendum. XCVI. quòd si à solo *Animi affectu gravi* ortum habuerit hoc malum, sola sufficient *alterantia modo laudata*, licet utile sit nonnunquam mox ubi animus agitatus fuit vehementer, *Sanguinem mittere*.

Et Venæsectione. Et quare. XCVII. Ubi quærat Veritatis studiosus, qua ratione conveniat tunc *Venæ sectio* quam docuimus non semel *indicari* 1. *à plethora*, hoc est, nimia Sanguinis abundantia. 2. ab ejusdem æstu magno. 3. ab ejusdem *Motu cessante*. 4. *ab eodem ad hanc aut illam partem minimùm ruente*, aut *è vasis suis alienum effluente*.

In vehementi animi affectu Sanguinis Motum mutari. XCVIII. Exist mamus autem id fieri, quatenus *in vehementi Animi affectu sistitur plus minus Sanguinis Motus*, *turbatur* saltem non tantùm *illius effervescentia*, sed eadem non raro *augetur*, *aut minuitur*: *augetur* ferè ab *ira*, *minuitur* verò à *tristitia*, & *pavore*.

Nempe sisti. Et turbari. XCIX. *Sistitur* plus minùs in quovis Animi affectu vehementi ac inexpectato *Sanguinis Motus* quoniam *sistitur*, mox *turbatur Spirituum Animalium Motus Animalis*, hoc est, Animæ Motus compositus sequens; qui Animæ motus quoniam in tali affectu sunt inordinati, non mirum, si *Animales Spiritus*, *sicut Anima ipsa*, *primùm quiescant*, *mox inordinatè moveantur*: unde non tantùm Cordis Contractio primùm minùs absolvitur, mox turbata observatur; verùm cæteri *canales omnes vasaque indem minùs*, *hinc inordinatè contrahuntur*, *contentique in eisdem Liquores similiter propelluntur*; quin, Animales Spiritus ipsi quaquaversùm ferri desinunt, mox confusè ac inordinatè eò ferunt: unde non tantùm *Liquorum* quorumvis *Motus*, verùm *præparatio quoque alteratur & turbatur*; quapropter docebamus supra, *Bilem*, *Succum Pancreaticum*, *Lympham*, & cæteros corporeos Liquores *fieri ad vehementem Animi motum Acriores*, adeoque in *peragendis* suis *muneribus ineptiore*, *quin nocentes*.

Quanam mala inde sequantur.

Quod curatur aperta vena. C. Quoniam verò metus est, ne *cessante diutiùs Sanguinis Motu*, *Sanguinis partes* variæ in *dextro Cordis ventriculo hærentes notentùs in se agant*; & subinde *suffocationem ac mortem*, subinde *alias noxas & affectus graves* pariant, utile est, aperta in tempore vena *Sanguinem à Corde aliò derivare*, *motumque ipsi conciliando* noxium illud quaquaversum dispergere.

Et quare. CI. Maximum enim malum est, si propè Cor, vitæ fontem, quod in Sanguine corruptum est, diutiùs hæreat; unde in vitæ discrimen adducuntur omnes, quibus hoc accidit; faciliùs autem illo periculo liberantur aperta vena, & remoto in tempore à Vitæ fonte memorato Sanguine: quod necessariò evenit, quatenus in educti locum pergit omnis propè Cor priùs subsistens. Atque hac potissimum ratione putamus conducere Sanguinis eductionem festinanter institutam post Animi affectum gravem & quidem graviter afficientem.

Lactis generatione imminui sanguinis culp. CII. Non tantùm Glandularum Mammariarum, & Fermenti Lactiferi, se *Sanguinis* quoque *culpa imminunur* aliquando *Lactis generatio*, quando idem nunc *parcus existit in corpore*; nunc *parcus accedit ad Mammas*; nunc *viscosior & glutinosior* existens *segniùs*, adeòque *parciùs* mutatur in Lac.

Delebor Opera.

Quando parcus existit. CIII. *Parcus* existit *in Corpore Sanguis*, tum propter ipsius *jacturam* notabilem, in *Lochiis*, *mensibusve* magna copia effusis, vel quovis alio *Sanguinis per Nares* aliasve vias *effluxu*, ex ipsis etiam *vulneribus* casu, ictu, aliove modo factis, contingentem.

CIV. Quæ *Lochiorum Menstruorumve* nimiorum Causa esse queat, docuimus in superioribus.

CV. Quænam *Hæmorrhagiarum* quarumvis Causa esse possit, alibi docendum, ubi Rerum non-naturalium dictarum consideratio accurata quemvis satis erudiet: Nam tum *Aer æstuans*, & quandoque *glacians*; tum *Alimenta* multis *Aromaticis* condita, tum *Corporis motus vehementior*; tum inter Animi Affectus *Ira immoderatior*; tum *Vigiliæ diutiùs protractæ*; tum aliquando *Alvus astrictior* tali hæmorrhagiæ noxiæ ansam præbere possunt.

Ejus curatio, pro diversitate causarum. CVI. *Vulnera* per infortunium sat sæpè hominibus obveniunt, eorumque Causæ à Chirurgiæ Doctoribus ex professo pluribus investigantur & proponuntur.

CVII. Quoties proinde propter quamvis memoratam Causam contigit notabilis in Lactantibus fœminis Sanguinis jactura, ideoque Lactis Generatio parcior, toties ad hujus *Curationem* quàm maximè requiritur, ut 1. *Causæ* illæ *removeantur*. 2. *Sanguinis Effluxus præsens cohibeatur*, & *novus impediatur*. 3. *Sanguinis reparatio procuretur*.

CVIII. Causæ illæ cum variæ possint esse, singulæ prudenter nunc præcaveri, nunc emendari debent.

Si fluxus Lochiorum sit nimius ob violentã secundarũ detractionẽ. CIX. Sic Exempli gratia, si *fluxus Lochiorum* fuerit *nimius* propter violentam Secundarum detractionem, Uterique lacerationem, danda opera, ut ocyssimè consolidetur Uterus excoriatus methodo in præcedentibus à nobis proposita.

Ob Sanguinem serosũ aut biliosũ acrem. CX. Si eadem *Lochia Menstruave nimiùm effluxerint* propter *Sanguinem serosum*, *aut Biliosum Acrem*; studendum, ut Acrimonia illa propositis non semel medicamentis temperetur & serum, biliive excedens minuatur, tàm per alvum, quàm per corporis poros, sicut non semel id docuimus.

Si Hæmorrhagia fit ob Aere mæstuantem. CXI. Si *Aer æstuans* in Causa fuerit Hæmorrhagiæ qualiscunque, idem fugiendus erit, temperandusve.

Vel glacialem. CXII. Si *Aer* contrà *glacialis* fuerit, & notabilem Hæmorrhagiam excitarit; fugiendus erit, atque blandis auxiliis Aromaticis ejus Acrimonia ad Aciditatem vergens, corporique communicata superanda erit, atque cum Sudoribus è corpore iterum expellenda.

Ob assũpta Aromatica acriora. CXIII. Si nimis multa *Aromatica* & quidem *Acriora* fuerint *cum Alimentis* præperàm usurpata, inde Hæmorrhagia excitata, difficulter superabitur hoc malum, nec nisi usurpatis quæ Acrimoniam illam sensim corrigant; in quem finem conducunt Medicamenta tum Aquea, tum Subaustera, tum Sub oleosa: qualia sunt, Plantago, Sempervivum, Solanum, Lactuca, &c. Emulsiones variæ ex Hordeo, Amygdalis dulcibus, Sem. papav. Albi, & similibus paratæ; quin Opium & quævis Opiata blandiora, & minimè Acria, quin magis adstringentia; unde præferendum Diascordium Fracastorii & Theriaca Mithridatio Damocratis.

CXIV Usurpanda sunt autem ista sæpiùs, & quidem quantitate parva.

Ob Motum Corporis violentum, CXV. Si *Motus Corporis* fuerit vehementior, quieti dandum idem, atque somnus conciliandus Emulsionibus blandis potiùs, quàm Narcoticis potentioribus.

Ob vigilias. CXVI. Idem dicendum de *Vigiliis protractis*.

Ob iram. CXVII. Si *vehementior Ira* Hæmorrhagiæ ansam dederit, componendus rationibus solidis animus, excitandusque somnus blandus laudatis modò Emulsionibus.

Ob Alvum adstrictam CXVIII. Si *Alvus adstrictior* quovis modo excitarit Hæmorrhagiam, solvenda illa quam primùm Enemate potiùs quàm ullo alio remedio, cùm

sit omnium blandissimum, tutissimum, præsentissimum, facillimum & aptissimum.

Ob vulnera vasorum. CXIX. Vulnerum Causæ si quæ supersint in vasis læsis, inde convenienter removendæ; cum aliàs frustrà expectetur Sanguinis effluentis Curatio.

Ipse Sanguinis effluxus cohibendus. CXX. Postquam verò seriò cogitatum est de Causis hæmorrhagiæ removendis, danda seriò opera, ut 2. *Sanguinis Effluxus ipse cohibeatur*, quod fiet usurpando medicamenta tum hiantia, tum læsa *Vasa consolidantia*, quavis forma, Decocti, Mixturæ, Conditi, Pulveris, Pilularumve in usum revocanda.

CXXI. Laudavimus non semel inter præcipua *Sanguinem Draconis*, cùm facilè liquoribus quibusvis jungatur, & quaquaversùm transferatur, potenterque vasa hiantia & aperta claudat & sanet.

Novus impediendus. CXXII. *Novus Sanguinis Effluxus impedietur* ac prævenietur, non tantùm vitando Causas memoratas, sed simul conservando corpus in quiete, Animumque in tranquillitate, omniaque disponendo magis ad somnum, quàm ad vigilias; uno verbo præveniendo omnia quæ humores in corpore agitare possunt, eorundemq; in ipsis motum augere: ut & vitando causas externas, omnes, adeòque fortuitas, à quibus lædi, vulnerari, & aperiri possunt vasa, sicque Sanguinis effluxui ansa quovis modo dari.

Sanguis deperditus reparandus. CXXIII. *Sanguinis* autem jam *deperditi Reparatio* procurabitur 3. per Alimenta multum Sanguinem generantia & facilè fermentabilia, qualia sunt Juscula Carnium Animalium Juniorum, Vitelli ovorum, Lac in assuetis, quæ omnia, cùm pauca soleant producere Alvi excrementa, negotio facili abeunt tam in Chylum, quàm in ipsum Sanguinem, hinc & Lac: ubi semper concedenda fœminis ea, quibus delectantur maximè, quæ assumpta ferre possunt facillimè, & à quibus nutriri solent copiosissimè: quod sedulò notarunt semper Practici summi, & idcircò felices facti.

Lactis generatio imminuitur, quando parcus accedit ad Ubera. CXXIV. *Diminuitur* quoque Lactis Generatio, quando *Parcus accedit Sanguis ad Ubera*. Non juvat enim Sanguis multus in corpore existens Lactis productioni largiori, ni quantitate laudabili accedat ad Ubera.

Unde id fit. CXXV. Accedit autem Sanguis paucus & parcus ad Ubera, quoties viæ ipsum eò deducentes, Arteriæ, sunt nimis exiles ac paucæ, sive à prima constitutione ac structura corporis hoc pendeat, sive affectus aliquis in Mammis, aut Arteriarum via excitatus Arterias quasdam aut consumpserit, aut notabiliter angustaverit; Exempli gratia, Lateris combustio ab igne actuali, & aliquando forsan à potentiali quovis modo prudenter vel imprudenter circa Arteriarum applicato.

Si sint Arteriæ exiles, quomodò amplientur. CXXVI. *Arteriæ exiles blando frictu* nonnunquam extenduntur, amplianturque paulatim; & ita quidem, ut fœminæ quibus post primum partum paucum generabatur Lac, id sequentibus partubus producant magis copiosum, & tandem lactando fœtui sufficiens.

CXXVII. Quòd si blando frictu hoc non emendetur paulatim malum, nec alia Lactis defectus Causa subsit, satiùs est Mammas & matres frictionibus fortioribus, aliisve remediis haud molestare, ne in alia conjiciantur ipsæ mala graviora & periculosiora.

Si ab Affectu vitiatæ sint, quomodò restituantur. CXXVIII. Sicubi verò ab Affectu quovis fortuito, aliove corrugatæ, aut exsiccatæ, consumptæve fuerint ex parte saltem Arteriæ Mammariæ; videndum, an remediis externis, præsertim Oleis, Linimentis, Unguentis, Emplastris, Cataplasmatibus, Fotibus, Balneis, & similibus emolliri possint, & ab adhærentibus subinde humoribus viscosis & austeris pedetentim liberari, mox & iterum ampliari, explicarique: qua sola ratione putem aliquid laudabilis sperari posse in Affectuum tam difficilium curatione.

CXXIX. Quòd si ne sic quidem aliquod commodum accedat fœminis, frustrà tentabitur ulterior Curatio: quin satiùs est, tales mulieres patienter ferre, quod mutari non potest: ne, sicut modò etiam dictum, nimis multa imprudenter tentando conjiciantur in nova & graviora mala.

CXXX. Diminuitur tandem Lactis generatio, quando *Viscosior & Glutinosior existit Sanguis*, ac ideò *segniùs*, *hinc & parciùs in Lac* mutatur. *Lactis generatio diminuitur, quando viscosior et glutinosior est Sanguis.*

CXXXI. Segniùs in Lac mutatur Sanguis Glutinosus, quatenus magis *resistit Fermento* Lactifero temperatio, quin quatenus ipsum *Fermentum est nimis Glutinosum*, & ad Sanguinem in lac mutandum minùs aptum. *Et quare.*

CXXXII. Quoniam enim Fermentum Lacti ferum naturæ est subacidæ ac temperatissimæ, facillimè impeditur in sua operatione à Sanguinis Glutinositate.

CXXXIII. Sed impeditur idem adhuc magis, quando ipsum non tantùm existit temperatum, sed insuper Glutinosum, adeòque obtusum ac iners, propter Sanguinem similem, à quo suum habet ortum.

CXXIV. Dum autem sic segniùs in lac mutatur Sanguis, mutatur idem quoque parciùs; minus enim ejus illam subit mutationem eo tempore, quo requirebatur copiosius.

CXXXV. Diminuta verò propter Sanguinis Glutinositatem nimiam Lactis Generatio Curabitur Sanguinis incisione ac emendatione. *Curatur Sanguinis incisione & emendatione.*

CXXXVI. Incidetur ac Emendabitur hæc Sanguinis Glutinositas 1. Medicamentis Aromaticis & Sale Volatili abundantibus. 2. Medicamentis Aciditate blanda & Volatili præditis.

CXXXVII. Medicamenta *Aromatica ex vegetabilibus* præsertim petenda; uti *Salia Volatilia ex Animalibus*: *Acida* nobis promunt *multa vegetabilia*, sed longè magis efficacia *Mineralia*, & imprimis *Salia*, ex quibus distillatione elici solent Spiritus Acidi & Acres, qui additione *Spiritus Volatilis*, & cohobatione frequenti redduntur blandiores. *Et quibus. Medicamentis.*

CXXXVIII. Quemadmodùm desideratur aliquando Lactis productio, sic contrà generatur idem nonnunquam Copiosius; unde non tantùm ipso gravantur, sed non rarò debilitantur quoque Lactantes. *Copiosius generatur aliquando lac.*

CXXXIX. *Gravantur* à copiosa Lacti productione Mulieres, quatenus ipso valdè distenduntur Mammæ, quæ ipsas necessariò gravant, & pondere suo angunt. *Eoque gravantur.*

CXL. *Debilitantur* Lactis productione aucta Fœminæ, quatenus sic plurimus Sanguis consumitur ipsis; sive spontè tunc effluat ipsis Lac, sive Lactatione sola ipsis educatur; quamvis debilitentur magis fœminæ, quibus spontè Lac effluit, quàm illæ, quibus nullum nisi suctu educitur. *Et debilitantur Mulieres.*

CXLI. Cùm ergò sit modus in rebus, sitque adeò fœminis periculosus nimius Lactis proventus, danda est opera, ut & illius Causæ veræ innotescant, & ipsæ corrigantur, tollanturve. *Ejus causa.*

CXLII. *Augetur verò Lactis Proventus* aliquando ab ipso *Sanguine*, aliquando à *Fermento Lactifero*, aliquando ab utroque. *Ipso Sanguis.*

CXLIII. *Sanguini* debetur Lactis ubertas, quoties idem non tantùm *laudabilis & optimus*, sed simul *fluidus* existit, *ac tenuis*. *Quando bonus, & fluidus.*

CXLIV. Sanguinem optimum producunt, Aer serenus ac temperatus: Alimenta multi succi & fermentationis facilis; Corporis motus mediocris; Somnus placidus & moderatus; Animus hilaris; & Excreta, Retentaque secundùm naturam se habentia. *Unde is oriatur.*

CXLV. Sanguinem eundem optimum præstant simul tenuiorem ac fluidiorem, Alimenta spirituosa & sale volatili abundantia copiâ satis

lau-

laudabili, non tamen nimia, usurpata: unde non fluiditas aquea, sed spirituosa producitur: propter quam spirituositatem, ut sic loquar, videtur faciliùs Fermenti Lactiferi itidem Spirituosi vim excipere ipse Sanguis.

Ei viscositas concilianda. CXVI. Quoties proinde non tantùm multum, sed nimium producitur ideò Lac, toties annirendum, ut Sanguini major concilietur viscositas & glutinositas.

Et quarutione. CXLVII. Id autem fiet, mutando 1. Aerem in aliquanto asperiorem ac frigidiorem; 2. Alimenta in aliquantò viscosiora & salita vel fumo indutata. 3. Corpus minùs movendo, & ad quietem deducendo. 4. Somno magis indulgendo. 5. Animum ad tristitiam inclinando. 6. Partium subtiliorum eductionem per alvum leniter augendo.

CXLVIII. Imprimis abstinendum erit ab usu Alimentorum maximè spirituosorum, & ab omni Sale volatili: quorum loco usurpanda erunt, quæ succum crassum ac glutinosum producunt, qualia sunt vegetabilia valdè succulenta, plantago, portulaca, becabunga, pyra, cydonia, mespila, &c.

Lactis Ubertas à fermento Lactifero. CXLIX. *Fermente Lactifero* adscribenda Lactis Ubertas, quoties ipsum existit tum *copiosum*, tum *potens ac spirituosum*.

Copioso & spirituoso. C L. *Copiosum & spirituosum* existit *Fermentum* illud propter *Aerem serenum*, atque ad frigus vergentem; imprimis propter *Alimenta volatili acido condita*; à quibus non tantùm augetur ejus copia, sed insuper augetur ipsius robur & efficacia.

Ejus spirituositas qui immutetur. C L I. *Immutabitur* verò illa Fermenti-Lactiferi *aucta vis & spirituositas*, tum abstinendo ab iis, quæ ejus productioni ansam præbuerunt, tum usurpando ea, quæ *obtundere ac figere* possunt *Acidum* in nobis, qualia sunt & *pinguia*, *& glutinosa*, *& acerba*, *& aquea*, *& salsa lixivia fixa*.

Et copia qui minuatur. CLII. Ejusdem *Fermenti copiam minuent Sudores blandi* subinde excitati.

Lactis Ubertas à Glandulis mollioribus. CLIII. Præter Sanguinem laudabilem, atque Fermentum valdè Spirituosum & copiosum ad Lactis productionem uberiorem facere observantur *Glandulæ Mammarum molliores*, cùm rariùs Lac multum producatur, quando duræ sunt Mammarum Glandulæ.

Ha unde tales. C L I V. Molles videntur mihi Mammarum Glandulæ propter Acidum minùs acre, acerbumque in ipsis productum; ab austero namque, atque acerbo indurantur magis partes quævis, atque adeò ipsæ glandulæ, donec eodem sensim acriore facto lancinationes in ipsis excitentur, ac tandem Cancer producatur.

Nullo modo mutanda. CLV. Glandularum hæc mollities, ut pote minimè vitiosa vel noxia, nullo modo mutari debet, ne induratæ noxam patiantur.

Lac generatur depravatum. CLVI. *Depravari* diximus *Lactis Generationem*, quoties ipsum ratione *Coloris*, *Saporis*, *Consistentiæ*, aliùsque qualitatis producitur vitiosum.

Colore. CLVII. *Colore* laudatur *Lac ex cæruleo albicans*, culpatur *flavescens*, aut *impensè albens*.

Sapore. C L V I I I. Laudatur *Lac Sapore dulce*, culpatur *amarum*, *subsalsum*, aut *quovis alio sapore* præditum.

Consistentia. C L I X. Laudatur *Lac consistentia mediocre*, culpatur *valdè crassum*, aut *valdè dilutum & tenue*.

Lactis flavedo unde. C L X. *Flavescere* videtur Lac à *Bilis Tinctura* in Sanguine exuperante, atque Lacti communicata.

Albedo unde. CLXI. *Impensè albere* videtur Lac à *Pituita* in Sanguine plus minùs redundante.

Amaritudo unde. CLXII. *Amaricare* videtur *Lac* à *Bile* non satis Sanguini permista, sed in Sanguinis sero existente; licet raro ipsa in eo observetur; nam & à Me quoque semel atque iterum est nunc observata, & ab iis, qui quàm ego frequentiùs Sanguinem suis educunt ægris, sæpiùs notata.

Salsedo unde. CLXIII. *Subsalsum* redditur Lac à *Sero Sanguinis salso muriatico* Lactis arctiùs juncto.

Consistentia mediocris unde. CLXIV. *Consistentia* Lactis mediocris debetur Sanguini hactenus quoque laudabili.

Crassities unde. CLXV. *Crassities* nimia Lactis debetur *Sanguini pariter crassiori* & valdè glutinoso.

Tenuitas unde. CLXVI. *Tenuitas nimia Lactis* debetur Sanguini tenuiori & fluidiori.

Flavedo quomodò corrigatur. CLXVII. *Lac flavescens corrigetur educta* per intervalla *Bile*, ac imprimis *præcipitata*, *correctave ipsius excellente Tinctura*.

C L X V I I I. Quæ *Bilem blandè minuant* evacuentque nota sunt Cholagoga; quæ hic meritò laudantur claudantur per intervalla usurpata.

Bilis excedentem tincturam corrigi vitriolo Et ejus Sulphure Anodyno. C L X I X. Quæ *Bili excedentem Tincturam præcipitent*, *corrigantve*, vix puto hactenus nota multis remedia: in quem finem tamen existimo conducere *Vitriolum* depuratum; & imprimis ex *Marte* paratum; quod si ulteriùs præparetur artificiosè, plus præstabit; ac præsertim ejus *Sulphur anodynum*.

Albor quomodò corrigatur. CLXX. *Lac impensè albens*, ac semper forsan simul crassius, corrigetur *Pituitæ correctione ac eductione*,

CLXXI. *Pituitam* in hoc Casu *corrigent* felicissimè *Aromatica & Salia Volatilia*.

C L X X I I. Eandem *minuent ac educent Phlegmagoga*; sed hic per epicrasin & parva dosi exhibita.

Quomodo Amaritudo. C L X X I I I. *Amaricans Lac* corrigitur diminutione bilis universali per *Chologoga* blanda.

Quomodò Salsedo. CLXXIV. *Salsum Lac* corrigitur diminutione Seri salsi in Sanguine redundantis per *Hydragoga*, sæpiùs & minore quantitate exhibita.

Quomodò Crassities. CLXXV. *Crassius Lac* attenuabitur per *Aromatica & Salia Volatilia* diutinè usurpata cum Alimentis.

Quomodò Tenuitas. CLXXVI. *Tenuius Lac* incrassabitur prudenti ac diutino usu *Austeriorum* blandiorum Alimentis junctorum.

C L X X V I I. Atque ex hisce patere puto, qui Lactis Generatio multis modis vitiosa contingere possit & curari: proximum est, ut de Lactis motu læso similiter agamur.

C A P U T XI.

De Lactis Motu Læso.

Canales à glandulis; ad & per Papillas. I. UT Lac in fœminarum uberibus paratum utilitatem afferat infantibus, moveri debet ad ipsarum papillas, quin per ipsas: in quem finem *Ductus & Canales sive Tubuli singulares* formati sunt à Glandulis Mammariis ad Papillas, perque Papillas.

Cum quibus conveniant. I I. Hi Ductus affinitatem habent cum Salivaribus & Pancreaticis, quatenus Liquorem suum effundunt extra suas glandulas, non quidem in Cavitatem aliquam Corporis notabilem, qualis est Os & Intestinum tenue, verùm extra Corpus ipsum; postquam non in proprium ipsius fœminæ Lactantis, sed Fœtus sugentis usum præparatur & movetur Lac.

Esse plures. III. Hi *Ductus & Canales Lactiferi* non terminantur in *Unum grandiorem ac Communem*, sicut evenit Salivaribus & Pancreaticis, verùm notantur *per Papillas penetrantes plures*, pressa manu Mamma, expressoque ex ipsa Lacte pluribus quasi radiis tunc saliente.

Et quare. I V. Saliva quoniam omnis pergit in Oris Cavitatem, videntur idcircò plures ipsius Ductus minores desinere in paucos majores; & quoniam Succus Pancreaticus omnis pergit ad tenuis Intestini Cavitatem, videntur ipsius Ductus minores desinere ut plurimùm in Unum grandiorem, rariùs in duos majores in tenue Intestinum patentes: *Cur verò Lac*, licet itidem omne in Os Infantium moveri debeat,

non uno, sed pluribus Ductibus feratur per papillas, nunc aliam non offendo rationem, præter hanc; quòd scilicet si uno tantum ductu majore effunderetur Lac per papillam, *metus sit, ne omnibus continuè exstillaret Lac*; quæ exstillatio *faciliùs impeditur in Ductibus exiguis & angustis, quàm majoribus & amplioribus*, sive aliqua in extremitate adstet valvula, sive quodvis aliud impedimentum, propter quod spontaneus Lactis effluxus impediatur; ubi autem vel Sugentis labiis, vel fœminæ manu premitur papillæ proxima mammæ pars, tunc erumpit plerisque Lac: licet non paucæ sint fœminæ, quibus solo suctu exprimi possit Lac; quædam, quibus idem Mammę compressione fiat; quędam, quibus insuper sponte Lac elabatur, & imprimis quando Lacte turgent Mammæ: Quod fieri existimo, quatenus uni quàm alteri firmiores, laxioresve sunt valvulæ circa papillas in Ductibus Lactiferis existentes, aut quocunque tandem nomine libeat vocare id, quod Lactis effluxum spontaneum sistit.

Cur quibusdam suctu, quibusdam manuum pressione, quibusdā sponte erūpat Lac.

Valvula in ductibus lactiferis.

V. *Singulis* ergo *Ductibus Lactiferis* per Papillas pergentibus *applicatas* existimo *Membranulas, sive Valvulas, exitum Lactis Spontaneum impedientes.*

Ubinam sitæ.

V I. Sed quærat Veritatis avidus investigator, *ubinam sitæ* sint laudatæ modò *Valvulæ*? Has quia nondum oculis meis observavi, suspicor, *non in papillarum ipsarum externis*, verùm *circa papillarum cum Mammis commissuram* existere; & quidem quia in naturali Lactis effluxu necesse habent *Mammæ supra dictam commissuram premi*, vel Lactantis alteriusve digitis, vel Sugentis labiis, ut exprimatur per papillas Lac; quod non fieret, nisi eo in loco essent Lactis *effluxus impedimenta*, quæ *ista pressione removentur, aut ita disponuntur, ut exitus Lacti tunc pateat*, priùs impeditus.

Quomodò fiat suctus.

V I I. Succedit autem ille Lactis effluxus imprimis quando *pressioni conjunctus est Suctus*, cujus ope undique comprehenditur papilla circa suam radicem ac cum Mamma conjunctionem, eliciturque feliciùs Lac è Mammis, *accedente applicataque circa papillam lingua*: quæ dubio procul aliquid quoque confert ad Lactis eductionem; nempe *Salivam ipsi applicando, & poros leniendo*, unde forsan fœminæ multæ, antequam fœtum Mammæ admoveant, solent Saliva propria papillam madefacere, atque sic Lactationem faciliorem experiri.

Quot modis Lactis effluxus lædatur.

VIII. Atque ita ferè, uti dictum, censeo fieri & absolvi *Lactis effluxum* è Mammis naturalem per papillas: qui præter naturam *læditur* modis variis, & 1. quando *nullum*. 2. quando *paucius*, quàm decet, effluit è Mammis lac, idque jam præsens. 3. quando idem effluit *difficulter*, ac *cum dolore*. 4. quando idem effluit *faciliùs* ac *sponte*, sive *sine suctu*. 5. quando idem effluit cum *lactantis debilitate*. 6. quando idem effluit *per vias inconvenientes*, non item *per papillarum tubulos*. 7. quando lactis loco effluit *Sanguis, Pus, Sanies, aliusve humor à Lacte diversus*.

Nullum lac effluit.

I X. *Nullum Lac* effluit, etsi præsens sit in Mammis, vel ipsius *Lactis*, quod puto frequentius, vel *Virum*, quod existimo rarius, vitio; nam valdè impropriè dicitur nullum effluere Lac, ubi ipsum deest in Mammis.

Lactis culpa.

X. Lactis culpa id evenit, quoties idem *coagulatur grumescitque* in suis vasis, ipsisque adeò Mammis.

Quando coagulatur.

X I. *Coagulatur & concrescit Lac* in Mammis, quemadmodùm ubivis, ab *Acido* undecunque ac præsertim à Causa vehemente ac potente *in corpore producto vel ducto*, & ad Mammas delato; vel ab eodem Acido *forinsecùs imprudenter Mammis applicato*, vel *ab Aere frigido & Acri* Mammas, & imprimis sudantes corripiente, & similibus, *Aqua* putà frigida ipsas tangente, &c.

XII. *Acidum in Corpore producitur* imprimis ab *Alimentis, Condimentis, Medicamentis Acidis* copiosiùs, vel diutiùs assumptis.

Ob Acidum productum.

XIII. *Augetur in Corpore Acidum*, intenditurque ejus vis ab *Animi mœrore*, aut *Terrore gra...* fœminas lactantes vehementer afficiente: ut & *à frigore febris molesto*, à quo sæpenumerò evenit Lactis coagulatio, hinc & Mammarum Inflammatio. Augetur autem tunc eatenus Acidum in Corpore, quatenus Succus Pancreaticus in obstructis suis Ductibus stagnans ideòque ampliùs acescens, ubi febrilem Paroxysmum excitat, quaquaversum in Universum corpus dispergitur, adeòque ad mammas quoque pertingit, quarum Lac nocentiùs afficit, quàm ipsum Sanguinem, quippe quod faciliùs Acidi vim excipit quàm ipse Sanguis, propter Acidum copiosiùs in ipso existens, atque novi Acidi operationem noxiam promovens.

Vel auctum à variis causis.

X I V. Quod egregiè illustrat Symptomatum graviorum, partiumque durantibus Paroxysmis febrilibus imprimis affectarum rationem non semel à nobis propositam. In fœminis namque Lactantibus sæpissimè atque facillimè indurantur, dolent, inflammanturque mammæ, propter Acidum febrile ipsas, utpote Lactis Generationi per Acidum fieri solitæ occupatas; præ aliis faciliùs graviùsque afficiens, atque qualitatem suam noxiam ipsis, ac præsertim Lacti introducens.

XV. *Forinsecùs applicatur* nonnunquam, licet imprudenter, Acidum mammis; quando in earundem Erysipelate undecunque orto, vel Inflammatione externa tum Acetum quodvis, tum Alumen, tum alia hisce affectibus curandis imponuntur, haud considerando, Lac eodem tempore in ipsis produci, & ab illo Acido coagulari.

Vel forinsecùs applicatum.

XVI. Valdè imprudenter in *Aere externo frigido & acri denudant* Lactantes suas *Mammas*, sive hoc fiat, ut nutriantur infantes, sive in alium finem, & maximè quando *sudore madent*, apertique sunt magis ipsarum pori; per quos ingressus amplior tunc patet Aeri propter frigus acre magis noxio.

Ob Aerem externum frigidum & acrem.

XVII. Sic valdè noxium est, Mammas tum calentes tum sudantes *Aqua frigida* madefacere, aut *Pluviæ* exponere, cujus respectu partes quædam subtiles in Aqua existentes penetrare per cutis poros ad Mammarum interiora, & ibi Lac coagulare solent.

vel Aquam frigidam.

XVIII. *Curabitur* hoc malum tum *removendo Causas externas* omnes, ne ampliùs noceant, curamque impediant; tum *corrigendo emendandoque Causas internas*; tum *solvendo Lac coagulatum, restituendoque ipsi motum amissum*.

Curatio.

XIX. *Abstinendum* proinde ab omni *abusu ulteriore Acidorum*; quæ idcircò minore quantitate sunt tunc usurpanda, quàm in statu sanitatis perfecto, quò sic paulatim illorum excessus in corpore existens ad mediocritatem redigatur.

Abstinendo ab usu Acidorum.

XX. Quin assumenda sunt quoque, quæ ipsum Acidum in corpore infringant, & blandè concentrent; qualia sunt *Salia Volatilia* quævis, quovis tempore ac modo Lactantibus maximè commodo & grato usurpanda.

Assumendo acidum temperantia.

XXI. Danda quoque opera sedula, ut *Animi mœror & Terror* præcaveantur, aut si præcaveri nequeant, minuantur saltem ac superentur, Animum firmando & muniendo contra quævis ipsum turbantia.

Præcavendo Mœrorē & Terrorem.

XXII. Quin usurpanda insuper modò laudata *Salia Volatilia*, quippe quæ auctum à notatis Animi affectibus Acidum temperant, & blandè concentrant.

XXIII. Imprimis *Febrile frigus* præveniendum, minuendumque Medicamentis non tantùm *Sale Volatili abundantibus*, se imprimis *Aromaticis* tum *Spirituosis*, tum *Oleosis*; qualia sunt *Aqua Vitæ Matthioli, Theriacalis simplex*, aliæque infinitæ ex Aromatis plantis & Vini Spiritu paratæ,

Minuendo frigus febrile. Et quibus.

& præ

& præ omnibus meritò laudatur *Oleum Garyophyllorum* stillatitium, quo hactenus præstantius nullum reperimus ad frigoris febrilis molestias moderandas, superandasque.

Et quomodo. XXIV. Possunt in eum finem plura simul misceri, & tum ante Paroxysmum febrilem, tum durante ipsius frigore quantitate parva subinde assumi: ubi notandum, cùm plerique Ægri quævis fastidiant tum Alimenta, tum Medicamenta, prudentis Medici esse, tum gratiora, tum minore quantitate assumenda medicamenta præscribere aut præparare; quò faciliùs ac libentiùs ea usurpent: unde ridendi meritò derisores illi nostrarum Mixturarum, & gratiorum, & cochleatim assumendarum, & tantò magis sunt illi ridendi, quòd non tantùm alia Medicamenta hisce præferenda aut ipsis æquiparanda substituere nesciant, sed & eadem imitentur indies.

XXV. Utique optaremus, hos Thrasones gloriosos præstantiora & ægris gratiora excogitare, atque in usum medicum revocare, quos parati essemus mox sequi, atque ipsos hactenus laudare: qui nunc veniunt culpandi, postquam spernunt ea, quæ bona sunt, & suis præstantiora; sed orandum pro ipsis, ut sit mens sana in corpore sano.

Removendo acidum forinsecus admotum, & imponendo corrigentia. XXXI. *Removendum* antem in tempore omne *Acidum forinsecùs Mammis quovis nomine admotum* atque illius loco *imponenda*, quæ vitiosum illud Acidum corrigant, ejusque noxas tollant; qualia sunt *Aromatica* quævis quovis modo præparata & Mammis applicata; forma Fotus; Cataplasmatis, Emplastri, Linimenti, &c.

Quænam et quomodo. XXVII. Sic Plantæ Aromaticæ, Mentha, Majorana, Ruta, Absynthium, &c. decoqui possunt in Vino, addendo subinde sub finem ipsum Vini Spiritum, & cum pannis lineis laneisve applicari calidè Mammis; renovando quamprimùm minuitur *fomenti* calor: postquam frigus quodvis externum hic maximè noxium.

XXVIII. Sic ex iisdem Plantis cum Vino decoctis & tandem contusis parari possunt *Cataplasmata*, & similiter Mammis imponi.

XXIX. Sic *Olea*, *Unguenta*, *Emplastraque Aromatica* injungi, applicarique possunt in iis, quæ pinguia ferre possunt; nam omnes ferre talia non possunt. In quà re oportet solicitum esse Medicum, ne facilè molestiam creet suis ægris.

Vitando Aerem frigidum et acrem. Ut et Aquam frigidam. XXX. Imprimis *Aer frigidus & Acer vitandus*, & contra ipsum muniendæ Mammæ, quando ab ipso fuit Lac in ipsis coagulatum.

XXXI. Idem planè dicendum de *Aqua* frigida, & *Pluvia*, à quibus sedulò cavendum.

Dissolvendo lac coagulatum. XXXII. Atque hisce ritè curati, danda quoque, opera, ut ipsum *Lac* à notatis Causis variis *coagulatum* in Mammis *dissolvatur iterum*, *fluxileque factum* via ordinaria effluat per Papillas.

Et quibus. XXXIII. Observatum est autem multiplici experientia, omnia *Aromatica & Spirituosa* plurimùm conferre ad dictis *Lactis coagulati dissolutionem*, quo ipso videtur mihi confirmari magis ejusdem coagulatio ab Acido, licet ipsa sit per eandem experientiam satis nota.

Lac ab Acido coagulari. XXXIV. Notum est, inquam, coagulari ab Acido Lac; postquam ipsum, calescens imprimis, ad cujusvis Acidi affusionem coagulari & coalescere solet.

Et coagulatum per Aromatica dissolvi. XXXV. Sed ejusdem coagulati concretique dissolutio per Aromatica videtur mihi confirmare eandem per Acidum coagulationem, atque coalescentiam; quatenus infinitis experimentis aliis constat, Aromatica & imprimis Volatili Sale simul abundantia contraria esse Acidis: Contrariorum autem contrarii sunt effectus & affectus; si proinde ab Aromaticis solvatur Lac Coagulatum, concludo ad Acidis coagulari ipsum.

Et per Spirituosa. XXXVI. Possunt igitur convenienter jungi *Aromatica Spirituosis*, quando exempli gratia, decoquuntur *Menthæ*, *Majoranæ*, *Rutæ Hortensis*, *Absinthii*, &c. folia, eorundemve flores aut semina ex Vino generoso; applicanturque hoc decoctum calens cum pannis lineis laneisve Mammæ, totiesque renovatur idem, quoties incipit aut exsiccari, aut refrigerari.

XXXVII. Quòd si aliquid *Spiritus Vini* addatur huic decocto, reddetur id efficacius.

XXXVIII. Sic si *Sal Volatile* quodvis, *Salis Aromaticis* putà, cum *Vini Spiritu & Aqua aliqua Aromatica* misceatur, & vix tepens Mammæ affectæ imponatur, & aliquoties renovetur, plurimùm promovebitur Lactis coagulati dissolutio.

XXXIX. Adeò ut eadem quæ modò dicebamus convenire *Acido* quin *Aqueo gelido* perperam externè Mammis applicato vel admisso, corrigendo, adeoque Coagulationi Lactis præveniendæ, conveniant quoque Lacti jam coagulato iterum solvendo, ac restituendo.

XL. Sed præter modò laudata tam Aromatica, cum Salia Volatilia conveniunt quoque Lacti coagulato dissolvendo *Gummi* multifaria, *Galbanum*, *Sagapenum*, *Ammoniacum*, *Opopanax*, *Bdellium*, &c. in Emplastri formam cum *Cera & Ceti spermate* (quod meritò hic valdè laudatur, & Sale Volatili abundare videtur) redacta: qualejam notum est *Emplastrum de Spermate Ceti* dictom, & in hoc casu sæpiùs à me feliciter usurpatum. *Et Gummata.*

XLI. Quòd si negligatur ab ægris per incuriam, vel à Medicis per imperitiam *Lactis Coagulati* dissolutio, idem ampliùs corrumpetur, atque facta *Inflammationem*, perget ad *Suppurationem*. *Lac Coagulatum ampliùs corrumpi.*

XLII. Lac Ergo sicut stagnans duntaxat subsistentisque, sic coagulatum etiam *Inflammationem* parit prima sui curruptione, quæ si superetur in tempore prævenitur *Suppuratio*, ad quam tendit aliàs omnis Inflammatio. *Et nisi impediatur, Inflammationem parere.*

XLIII. Quemadmodùm à Sanguine, sic & à Lacte in vasis suis subsistente, aut extra ipsa effuso existimo fieri *Inflammationem*, *avolantibus* nempe *partibus* magis *spirituosis*, & *acrimoniam majorem nanciscentibus partibus acidis*, mox *tum Salinis Effervescentiam* potentiorem excitantibus, sed ob partes *butyrosas, & pingues* minimè frigidam, ast *calidam*, quæ Inflammatio vocari solet. *Quequomodò fiat.*

XLIV. Existimo namque, *in omni Inflammatione Calorem illum ardentem produci ab utroque acri*, tum propter partium spirituosarum acre utrumque temperantium abitum & fugam, tum propter sui moram diuturniorem acriori facto, ideòque *vehementiùs in se matuò insurgente*, hoc est, *Effervescentiam nimiam excitante*, quæ propter *partium pinguium in Sanguine & Lacte abundantium concursum fieri debet ac sentiri calida*; quoniam partes Igneæ in utroque Acti existentes, atque propter conflictum notatum erumpentes, in oleosas & pingues se insinuant, atque tunc demum calorem producunt, sensumve calore afficiunt. *A quibus Calor in Inflammationibus.*

XLV. Nam *Ignis*, quantum Ego saltem potui hactenus observare *nullum producit in nostro sensu Calorem* nisi quando in Oleo, quod ejus pabulum vulgò dicitur, (quo jure, jam non inquiram) *existit*, *ac subsistit*. *Quando ignis calorem in sensu producat.*

XLVI. Perperam enim creditur extingui, quando in dicto suo pabulo desinit existere Ignis; sive hoc fiat pabuli defectu, vel Aeris requisiti denegatione, vel aliter. *Et quamvis non producat, tamen existere.*

XLVII. Licet enim desinat sic extinctus ignis sensu nostro sentiri, non desinit tamen esse, atque aliter subsistere; nam per Aerem diffunditur, donec iterum colligatur, vel alicui rei junctus ad tempus vinciatur, iterumque liber factus opus suum exequatur: quod licet sit planè Physicum, interest tamen, ut & Medici ejus naturam, indolem, actiones, & passiones cognoscant, ut ipso ritè uti queant; postquam nullum Agens

observatum est forsan in rebus naturalibus, quod in activitate & potentia ipsi queat præferri, quinimò comparari.

Quid hic tãquã Medicus consideret na llor.

XLVIII. Quòd autem hic, tanquam Medici, consideramus iovestigamusque, non est ratio Caloris, qui sentitus urgente partem quamvis Inflammatione, sed ratio Corruptionis, quæ Lacti Inflammationem patienti, ac sensim iu Pus mutando evenit.

Lac in Pus mutari.

X L I X. Dum Ergo sic corrumpitur Lac Inflammationem patiens, abit quoque in tantum è statu suo naturali, ut Pus factum ampliùs homini esse non possit utile, adeòque tunc absolutè removeri debeat ex parte quavis affecta, res nimirum toto genere præter naturam, & indies pejor solita, dum pus degenerat in Saniem.

Lac corruptum non posse in integrum restitui.

L. Ubi notandum, 1. Lac coagulatum quidem restitui posse in integrum, non item corruptum & in pus jam mutatum.

Paulatim ac per partes in Pus corrumpi.

LI. 2. Lac non universum semper simul in pus corrumpi, sed paulatim ac per partes: unde non raro, licet universa ejus suppuratio impediri nequeat, impediri potest saltem aliqua ejus pars: quocirca prudentis Medici est, continuè versari in impedienda Lactis Suppuratione, etiam tunc, ubi nullum ampliùs dubium est de ipsius Suppuratione inchoata: quò, licet in totum impediri nequeat, impediatur saltem ex parte.

LII. Diximus autem, ab Acido Acriore ansam dari Lacti tum coagulando, tum in opus corrumpendo.

Puris generationem promoventia pus non producere. Ea esse Emollientia.

LIII. Quæ verò vulgò dicuntur Puris generationem promovere, illa reverà pus non producunt, sed *blandiùs educunt*, atque *partes* ita disponunt, ut *à pure minùs efficiantur* malè; quin eo ipso faciunt, ut *citiùs pus producatur*.

LIV. Illa ipsa verò sunt Emollientia dicta multifaria, & imprimis Cataplasmati forma usurpanda, sed pro Symptomatum conjunctorum diversitate diversè mutanda & præparanda.

Quando Lac subsistit, quænam usurpanda.

LV. Quotiescunque igitur Lac in fœminarum Mammis subsistens, ipsasque distendens ac dolorem pariens, Inflammationem, hinc & secuturam Suppurationem minatur, usurpanda mox nuper laudata tum Aromatica, tum Spirituosa, tum Sale Volatili abundantia.

Quando suppuratur, quænam adhibenda.

LVI. Ubi autem observamus, ex dolore pungente ac cum calore in Mammis perseverante, Suppurationem esse inchoatam; tum commodè laudatis jungentur Emollienta, eademque in Cataplasmatis formam redacta dolentibus induratisque applicabuntur Mammis; quò Lactis nondum corrupti Suppurationem impediamus, coagulatique solutionem festinemus; atque ejusdem jam corrupti Suppurationem & maturationem promoveamus.

Lac coagulatum dissolvi à cepis præcipuè.

LVII. Inter ea, quæ Lactis coagulati dissolutionem absolvere possunt, & Cataplasmatis commodè jungi, haud postremum locum sibi vendicant *Cepæ*, tum utiliter sub cineribus assandæ, quò ipsarum Acrimonia excellens minuatur, & cum minori Ægrarum molestia opus earum perficiatur.

Emollientia quænã hic præcipuè usurpanda.

LVIII. Inter *Emollientia* laudantur meritò *Liliorum Alborum Bulbi*, *Rad. Althææ*, ejusdemque, uti & malvæ folia, farin. lini, fœnugræci, & similia plura vulgò nota, & apud Chirurgiæ Scriptores passim descripta.

Repellentia non adhibenda.

LIX. Non possum autem laudare *Repellentia* vulgò dicta, & à plerisque tantoperè in principio Inflammationum commendata; cùm illa ex præiudicio duntaxat commendentur, ipsaque Cura sine ipsis longè feliciùs absolvatur.

Et quare.

L X. Quamvis enim curentur Ægri multi, quibus in principio Inflammationis usurpantur repellentia; non curantur tamen, quia illa fuere administrata, sed quia alia & discutientia & emollientia simul fuere ipsis conjuncta. Observatum enim est sæpiùs ab illis repellentibus solis, aut cæterorum respectum majore copià administratis, notabilem noxam ægris allatam, quin aliquando ipsam Gangrænam in partibus inflammatis excitatam: Cujus nullus est metus, si nostra methodo talia in totum omittantur, & modò laudata à nobis usurpentur; quod hic pluribus deduximus, ut notati errores, utut satis vulgares, in posterum vitentur, ac ægri feliciùs tutiùsque curentur.

Methodus authoris optima.

LXI. Hanc methodum optimam esse, vel hinc patet, quòd Symptomata omnia, Dolor, Tumor, Ardor sic brevi minuantur, ipsaque Suppuratio citiùs absolvatur, & post factam spontè vel arte apertionem, minus puris prodeat, ipsumque ulcus, si ritè tractetur, citiùs, certiùsque mundetur ac consolidetur.

Et quare.

LXII. Hac igitur ratione, quicquid Lactis coagulati restitui potest, restituitur in integrum; quicquid autem restitui nequit, citiùs, faciliùsque suppuratur; unde itidem citiùs faciliùsque ad maturationem ac consolidationem deduci potest Ulcus.

LXIII. Quò enim citiùs in Pus Lac vel Sanguis mutatur, eò minùs ab ipso læduntur partes Pus continentes, ac proinde faciliùs citiùsque restitui possunt in statum sanum.

Apostema qui curetur Aperiendũ lanceola.

LXIV. Quamprimùm igitur in Pus mutatum Lac, quod tunc ex Doloris, Duritiei, Ardorisque diminutione cognoscitur, nisi *spontè aperiatur Apostema*, mox *lanceola idem aperiendum*, quæ via est brevissima & tutissima.

Medicamẽto emolliente.

LXV Sin apertionem ferre nolint, vel non ausint fœminæ, danda opera, ut in parte Tumoris maximè molli, ubi etiam ferro facienda est apertio, unguento basilicone, ficuve assa, vel unguento valdè emolliente promoveatur Cutis penetratio; quin aliquando ad *Cauterium potentiale* recurrendum, quando in loco profundiore hæret Pus, nec satis citò expectari potest Cutis penetratio à pure, quod interea temporis partes vicinas solet corrumpere.

Ulcus mundandum & Consolidandum. Et quibus.

LXVI. Ubi autem quovis modo facta est Apostematis apertio, cœpitque effluere Pus, aliquid *Balsami Sulphuris cuiusvis*, *Terebinthinati*, *Succinati*, *Anisati*, *alteriusve*, orificio indetur, atque emplastro conveniente, *Diapalma* putà, vel alio tegetur, atque, quamdiu Durities molesta in mammis permanebit, Cataplasma imponetur.

LXVII. Sic enim paulatim & quicquid noxij Lactis superest, suppurabitur, & Ulcus mundabitur, consolidabiturque brevi.

LXVIII. Quando Durities notata sublata est, desistendum ab ulteriori Cataplasmatis applicatione, sufficietque solus balsamus cum emplastro laudato, aliove conveniente, quale diapompholygos, album coctum, &c.

LXIX. Atque hæc dicta sufficiant de Lactis effluxu impedito ac cessante ratione ipsius Lactis.

Lactis effluxus impeditus ratione viarum.

LXX. Diximus idem *in Effluxu suo impediri ratione viarum, per quas solet fluere*, quas imprimis consideramus *in papillis*, per quas ex suis cavitatibus vel canalibus in Mammis existentibus & Lac continentibus exugi, expellique, aut emulgeri solet Lac.

Ob tubulos angustatos.

LXXI. Illud autem evenit, quoties *Tubuli* isti vel in suo exortu, vel in suo progressu *angustati* sunt, & quidem sæpiùs per *compressionem*, rariùs per *obstructionem*.

Per compressionem.

L X X I I. *Comprimi* solent illi Papillarum Tubuli à *Tumore* aliquo aut in *Papillis* ipsis, aut *circa ipsas in mammis* existente, ac præsertim ab *Inflammatione*.

Obstructionem.

LXXIII. *Obstructio* rariùs videtur in omnibus istis Tubulis posse habere locum; quod tamen si fiat, fiet à *Lacte in ipsis coagulato*, quod haud eveniet facilè, nisi à frigore inopinato & graviter ipsas afficiente, lacque in ipsis calens coagulante.

LXXIV.

Inflammatio unde.

LXXIV. *Inflammatio* tum in papillis ipsis, tum in parte Mammarum ipsis vicina ortum habet à *Sanguine* extra sua vasa effuso, & partes circumjacentes angente atque angustante.

Quomodò curanda.

LXXV. *Curabitur* hæc Inflammatio medicamentis nuper in Lactis Coagulatione ac inde orta Inflammatione laudatis, Cataplasmatis præsertim forma usurpatis: ubi vulgò notis Emollientibus si jungantur Salia Volatilia blandiora, plurimùm præstabunt; ac sæpè Sanguinem discutient sine subsequente Suppuratione: quam semper conabitur prævenire prudens Medicus.

LXXVI. Quòd si neglecta in tempore Inflammatio tendat necessariò ad suppurationem, eadem medicamentis laudatis facilitabitur & promovebitur, adeò ut cum doloribus tolerabilioribus perficiatur.

LXXVII. Ubi maturum fuerit Apostema hoc exiguum, sponte ferè aperietur, & balsamo Sulphuris anisatu brevi curabitur.

Obstructio quomodò curanda.

LXXVIII. *Obstructio* si quæ oriatur in Tubulis Papillaribus ex *Coagulato* in ipsis *Lacte*, *Curabitur*, ipsa feliciter *Fomento aromatico*, & *Sale Volatili* eidem juncto.

Effluxus Lactis parcior quisnã dicendus.

LXXIX. Secunda Læsi Lactis Motus Species locum habet, quando *Lac paucius quàm decet effluit è Mammis, quamvis præsens adsit.* Nam impropriè creditur diciturque parciùs effluere Lac, quod deest in Mammis: cùm non sit tunc propriè Defectus Motus, sed Lactis.

Dupliciter fit.

LXXX. Effluit autem parcius Lac, nunc ob *Sal*, nunc ob *Viarum vitium*.

Sai culpa.

LXXXI. *Sui* culpa diminuitur Lactis Effluxus, quando ipsum est *naturali crassius & glutinosius*; cujus Causas deduximus, & Curationem proposuimus ubi de læsa Generatione Lactis egimus cap. præced.

LXXXII. Quod ad præsens negotium facit, monebimus, dandam operam, ut quamprimùm hoc curetur malum, ne, si negligatur, reddatur gravius, supprimaturque in totum Lactis Effluxus, sequanturque Inflammatio Suppuratio, &c de quibus egimus suprà.

Et quomodo curetur.

LXXXIII. Usurpabuntur igitur in tempore Aromatica & Sale Volatili abundantia, tum interna, tum externa, quorum ope Lac attenuatum fluidiusque factum Motum servet denuò naturalem.

Vel Viarum culpa.

LXXXIV. *Viæ*, per quas fluit Lac, in culpa sunt Diminuti ejusdem Effluxus, quoties *Angustiores* sunt, & quidem à Tumores vicino & duro; de quo jam egimus, docentes Inflammationem esse hujus angustiæ extremę, atque hic levioris causam, cuius etiam Curationem adiunximus: ut non videatur necesse plura hic addere: quin potius pergemus ad cæteras Læsi Lactis Motus species.

Effluxus Lacti cum molestia, difficultate & dolore. Ejus causa.

LXXXV. Tertiam læsi *Lactis* Effluxus Speciem docuimus esse, quando *Idem cum difficultate, molestia, & dolore elicitur, effluitque.*

LXXXVI. *Difficulter effluit eliciturve* Lac quando *angustæ* sunt ejus *viæ*.

LXXXVII. *Cum dolore idem elicitur*, 1. quando *Inflammatæ* sunt *Mammæ*, vel *Papillæ*. 2. quando *Papillæ* sunt *excoriatæ, exulceratæve*. 3. quando eædem sunt *fissæ*, aliterve *molestæ ac dolentes*.

LXXXVIII. De Mammarum & Papillarum Inflammatione, ejusdemque Causis & Curatione jam supra disseruimus.

Papilla unde excorientur, & exulcerentur.

LXXXIX. *Excoriantur*, quin *Exulcerantur* plerunque Papillæ, ob Infantum sugentium Os; hoc est, Labia, Gingivas, Palatum, & Linguam; Ardore, Pustulis, Apthis, aliisve Ulceribus malè affectum.

XC. *Excoriantur* aliquando Papillæ ab *Erysipelatis quadam Specie* ipsas Papillas propter causas diversas, febres putà, vel alios affectus internos fœminarum, corripiente.

Delaboc Opera.

XCI. *Excoriantur* aliquando eędem *Papillę ab ipso Lacte* sponte ac continuò effluente, ipsasque adeò Papillas, dum *Acrimoniam* nancifcitur, excoriante non minùs, quàm ipsas etiam Mammas & partes vicinas, ad quas pertingit.

Unde finduntur.

XCII. *Finduntur* sæpenumerò *Papillæ*, quando *levi Inflammatione* turgentes arctiùs *constringuntur à Gingivis, mordenturve à dentibus sugentium*; *à quibus solis sanæ licet* non raro finduntur eædem.

XCIII. Undecunque igitur doleant priùs, doloreve afficiantur inter lactandum Papillæ, cum dolore ac molestia emovetur tunc fœmininis Lac.

Excoriatis Papillarum qui curetur.

XCIV. Quando excoriantur exulceranturve Papillæ propter affectum quemvis Infantium Os ejusque partes varias occupantem; in duobus constitit hujus mali Cura, 1. in *sublatione affectus infantem urgentis*, cùm posita causa ponatur effectus, & permanente illo affectu tolli nequat ipsum consequens Papillarum excoriatio; 2. in ipsa *Curatione ac restitutione Papillarum excoriatarum, exulceratarumve*.

Affectus in ore infantiũ qui curẽtur.

XCV. *Affectus varii Infantium Os occupare soliti* qui tolli & curari debeant dicendum, ubi aut in genere tales tractantur, aut in specie agitur de Affectibus Infantium: quorum præcipuos forte nos percurremus, si Deus volet, postquam absolverimus Fœminarum affectus.

XCVI. Dum Curatur, & imprimis postquam Curatus est quivis Affectus Infantium Os & Salivam corrumpens, Papillis applicari debent Auxilia in *Excoriatione* quidem *Æstum*, si quis simul adsit, *temperantia*, & *blandè Exsiccantia*; in *Exulceratione* autem *Mundantia* & *Consolidantia*.

Æstus Papillarum temperandus. Et quibus.

XCVII. *Æstum* Papillarum *temperant*, *tum Aquæ Rosarum, Plantaginis* & similes; tum *Mucagio Seminum Cydoniorum, & Gummi Tragacanthi* cum dictis Aquis parata; tum *Lactis Cremor*, &c. Huic autem *Cremori* additur utiliter aliquid *Cretæ Albæ* in pollinem redactæ, à qua sequitur quæsita exsiccatio, cùm cætera utrumque ferè præstent, licet creta debiliùs.

XCVIII. In *Papillarum exulceratione* laudo *Sulphuris Balsamum* quemvis, sed imprimis gratissimum, ne noceat sugenti infanti, qualis *Anisatus*: Convenit quoque *Balsamum Peruvianum*.

Erysipelas Papillarum quibus curetur.

XCIX. Ubi *Erysipelate levi* tentantur Papillæ, conducit idem *Lactis Cremor cum Creta mixtus*; ut & *Aqua Calcis vivæ cum Mercurio dulci decocta*; quæ utilis est quoque in modò memorata Papillarum Excoriatione ac Exulceratione. In *Erysipelate* autem laudo *Aquam Sambuci*.

C. Non negligenda interim Medicamenta interna, imprimis quando aliqua *febricula* simul concutit, in quo casu præ multis aliis medicamentis utilia sunt *Sudorifera* blanda.

Excoriatio ab ipso lacte continuò effluente; qui curanda.

CI. Ubi *ab ipso Lacte sponte* continuè ferè effluente, atque *Acrimonia sua* tum ipsas Mammas vicinasque partes, tum *papillas eodente fit Excoriatio*, opus est Medicamentis blandè atque potenter exsiccantibus, Lixivio putà Calcis vivę & similibus.

CII. Interim ne novo Lacte continuè effluente renovetur hoc malum, danda opera, ut vase aliquo convenienti Mammis applicato excipiatur colligaturque Lac, quod subinde effundendum.

CIII. Talia Vasa usurpantur & vitrea, & alia ex laminis ferri stanno tecti ita adornata efformataque, ut Mammis applicari possint, absque notabili earum pressione, excipiendo Papillas, & in loco inferiore colligendo ipsum Lac.

Papillarum fissura qui curanda.

CIV. Ubi *fissuris* scatent Papillæ, danda opera, ut 1. *quævis mala ipsas Papillas occupantia Inflammationes*, & similia sine mora curentur ac tollantur; 2. *ipsæ fissuræ* in tempore consolidentur; in quem finem optimum est *Balsamum Peruvianum*, ut & *Oleum Ceræ* ritè paratum.

Effluxus lactis spontaneus.

CV. Quarta læsi Lactis effluans species est, *quando idem sponte effluit sine omni Suctu.*

Lac sensim in Mammis colligi.

CVI. Observatur Lac secundùm naturam colligi sensim in Mammis, atque tandem ponderis ac distensionis sensu fœminas urgere, quocirca tunc Mammis admovere solent infantes.

Valvula in ductibus Lactiferis.

CVII. Unde judicavi, quemadmodùm dictum in superioribus, in ductibus lactiferis Mammarum, ubi papillaribus committuntur, valvulas quasdam esse, quarum ope sistatur Lac, ne sponte effluat, quæque pressione papillarum per infantis labia ita constituantur, ut exitus illi pateat liber.

Effluxus Spontaneus unde.

CVIII. Quoties proinde absque suctu sponte fœminis effluit Lac, toties valvulas illas laxiores arbitror, adeò ut minùs exactè claudant laudatas Tubulorum bipartiorum commissuras.

Incurabilis.

CIX. Quòd autem maximè dolendum in hoc casu est, quòd nunquam viderim, audiverimve ipsum curatum: quocirca nullum quoque illi curando proponendum habeo remedium, quamvis putem medicamenta blandè Aromatica, simulque subadstringentia sacinsecùs applicata, si non prosint multùm, aliquid saltem præstare posse.

Lactis effluxus cum debilitate.

CX. Quintam læsi lactis effluxus speciem diximus esse, quando *idem effluit cum Lactantis debilitate*: quod non tantùm, imò non semper accidit, quando multum effluit aut sponte aut suctu lac; sed non rarò, quando parum Lactis, suctu licet, potest elici, aut elicitur.

CXI. Multæ namque mulieres vix possunt vel minimam ferre Lactis jacturam, quin maximè inde debilitentur: dum aliæ robustæ permanent, licet Lac multum illis pereat & elabatur, vel eliciatur.

Ejus causa.

CXII. Causa igitur debilitatis non pendet semper à multo Lacte effluente, sed sæpenumerò à peculiari fœminæ constitutione, nullam vel minimam Lactis jacturam absque notabili virium dejectione ferre valente.

Symptomata concomitantia.

CXIII. *Vires*, quas *tunc dejici* observamus, plerumque cum *Animi deliquio*, *aut Suffocatione Hypochondriaca* primarium habent commercium & affinitatem maximam. Videntur enim tales fœminæ languere & Animo quasi deficere, quando ipsis Lac exsugitur.

Virium dejectio hac ab Halitibus variis.

CXIV. Hanc proinde *Virium dejectionem*, *Animique Languorem* producit existimo, quatenus *Halitus varii*, nunc *Acidiusculi*, nunc *Austeriusculi* à tenui Intestino ad Ventriculi Orificium superius; hinc & Oesophagum, faucesque, quin ad Cor quoque per Vasa lactea pergunt, & aliquando Animi Deliquij metum, aliquando ipsum Animi Deliquium producunt.

CXV. Halitus autem isti videntur mihi idcircò in tenui Intestino excitari, quoniam in talibus *ad Lactis Suctum Dolor excitatur in Mammis*, ac si avellerentur ipsæ à reliquo corpore; propter quem Dolorem non tantùm *Tristitia* mox Animum Lactantis occupat, sed antequam iterum Mammis adhibeatur Infans, futuri denuò doloris *Metus* eundem invadit: A quo Animi Affectu utroque & Acidum & Austerum reddi Succum Pancreaticum, paucos existimo ampliùs ignorare, in hac saltem Academia, postquam id tam multis probatum confirmatumque habemus argumentis, experimentisque practicis.

In quibusdam propter nimiam lactis productionem.

CXVI. In quibusdam propter nimiam Lactis productionem eductionemque Sanguinem indies minui corpusque paulatim macrescere, atque sic earum Vires sensim deficere observamus; absque tamen notabili Languore, aut Animi Deliquio Fœminas ubi Lactant, corripiente.

Hujus mali curatio.

CXVII. In priore Casu, si Dolor ille Mammarum tolli nequeat, cessandum ab ulteriore Lactatione; in posteriore, nisi minui possit Lactis Generatio, atque Deperditio, itidem omittenda erit Lactatio.

Dolor Mammarum unde.

CXVIII. Dolor ille Mammarum videtur ortum habere ex Ductum Lactiferorum nimis brevium & valdè sensilium tractione ac extensione suctu facta.

CXIX. Quemadmodùm enim omnes partes membranosæ valde sunt sensiles, atque ideo extensionem magnam ferre non possunt, ita Tubuli lactiferi, utpote membranosi, quoties solito breviores existunt, partibusve vicinis sunt intricati & implexi, toties dum suctus fit, extenduntur valdè, atque eo ipso dolorem excitant exquisitum & molestum; propter quem, sicut dictum, Animi Languor vel Deliquium producitur.

Qui curetur.

CXX. Malum hoc tum præveniri, tum & *curari* debet, blanda *ductuum* dictorum *extensione*, tum frictione, tum illitione absolvenda.

CXXI. Frictio manu molli sæpiùs iteranda.

CXXII. Illitio Oleis liliorum alborum, amygdalarum dulcium, verbasci, & similibus peragenda.

Nimia lactis productio qui curanda.

CXXIII. Quotiescunque *nimium Lactis producitur*, Sanguinisque adeò paulatim consumitur, toties danda opera, ut *illa productio minuatur*: quod fiet imprimis *Alimentis Succi*, non quidem noxii vel inutilis sed *aliquantò crassioris & fermentationis difficilioris*, carne puta bubula, pane haud fermentato, &c.

Quibus Alimentis.

CXXIV. Idem fiet quoque usurpando *Remedia blandè adstringentia Sanguinemque adeò crassiorem præstantia*, qualia sunt *Cornua*, *Terra sigillata* quævis & pinguis, *Plantago*, *Myrtus*, &c. quæ hactenus quoque videntur mihi conferre, quatenus *Acidum volatile*, *à quo Sanguinem in Lac mutari docuimus*, *blandè infringunt*: quocirca hic *Sanguinem Draconis*, *Lapidem hæmatitis*, *Cretam* & similia similiter conducere arbitramur, dummodò quantitate parva & prudenter usurpentur. *Externa adstringentia vix ausim concedere*, *ne Lac in Mammis coagulent atque Inflammationem pariant.*

Et Medicamentis.

Et cessando ab ulteriore lactatione.

CXXV. Quòd si ne sic quidem minuatur Lactis proventus, viriumque dejectio; in tempore *cessandum ab ulteriore Lactatione*: latiùs enim est Infantem aut alieno Lacte uti, aut ablactari, quàm ejus causa sensim matrem confici ac perire.

Effluxus Lactis per vias non convenientes.

CXXVI. Sextam læsi Lactis Motus speciem notavimus, *quando effluit Lac per vias minime convenientes*, *Apostemati*s *putà aperti orificium*, non item Papillarum Tubulos.

Quando fiat.

CXXVII. Illud autem evenire solet, quoties post inflammationem & subsequentem Suppurationem facta est arte aut sponte Apostematis apertio, atque *læsi sunt* simul *quidam Tubuli Lactiferi*; sive hoc acciderit ratione ipsius Suppurationis grandioris, sive idem factum sit Chirurgi lanceola penitius intrusa.

In Suppuratione corrumpi quoque partes vicinas.

CXXVIII. Notandum enim, in quavis Suppuratione præter ipsum Sanguinem aut Lac in pus mutandum, corrumpi quoque sæpenumerò partes vicinas & circumjacentes, sed primùm carnosas & molliores, segniùs membranosas, ipsaque adeò vasa, quæ utpote firmiora & tenaciora diutiùs solent resistere corrosioni & corruptioni suæ.

Apostemata in Mammis prævenienda, minima producenda, et quantocyus ad Suppurationem perducenda.

CXXIX. Unde quivis prudens facilè agnoscit, dandam sedulò operam, ut non tantùm *præveniantur* in totum, sed, quantum licet, *minima producantur* ubique, ac imprimis *in Mammis Apostemata*, quin *quantocyùs ad Suppurationem perducantur inflammationes*, quæ impediri non possunt: & quidem 1. ut *multiplices novæ Apostemata subsequentes aut comitantes tollantur*; 2. *ex minore spatio Apostemate occupato pauciores partes noxam patiantur*; 3. *à pure diutiùs in partibus quibusvis hærente, ac sensim magis magisque corrupto acriore facto, plures non lædantur partes, & imprimis vasa*, quippe *quorum noxa hominis Sanitati longe nocet magis*; *quàm carnium quarumvis corruptio.*

CXXX.

Suppurationes ad superficiem trahendæ.

CXXX. Quemadmodùm autem allaborandum, ut hæc omnia fiant, sic danda quoque opera, ut *Suppurationes omnes*, quantùm possibile, *ad externas trahantur partes*, *corporisque Superficiem*: nam quæ *in loco profundiore fiunt Apostemata*, *nec sponte*, *nec arte aperiuntur*, *nisi cum partium plurium læsione*.

Cavendũ ne in loco profundiore aperiatur apostema.

CXXXI. Ubi *Sponte* aperiuntur, id evenit, quoniam *seguiùs ad corporis superficiem viam sibi facit pus*, *quod intereà temporis partes vicinas plures similiter corrupit*, *ipsaque subinde vasa*.

CXXXII. Ubi *arte aperiuntur* Apostemata, idem evenit, quoniam, *dum profundiùs adigendum est Scalpellum*, *facile ductus aliquos Lactiferos simul dissecat Chirurgus*, *sicque Lactis effusioni* per viam indecentem, de qua hic agimus, ansam præbet.

Et quare.

CXXXIII. Illud autem ideò cavendum maximè, quoniam tunc Apostematis, vel potiùs *Ulceris post apertum apostema remanentis Curatio est longè tardior*: difficulter namque, atque *segniùs consolidantur*, *aut Carne concluduntur Vasa & Ductus* Lac continuò effundentia; quia *segniùs mundantur & carne implentur Ulcera* ex Apostemate Cava remanentia.

CXXXIV. Non priùs autem Curari potest illa Lactis Effusio per notatum ulcus, quàm carne nova vel consolidata sint dicta vasa discissa vel erosa, vel saltem ea ita munita, ut denuò transitum Lacti naturalem concedant, dummodò tale quid locum habere possit, quod nec affirmare ausim, nec negare, quamvis potem potiùs consolidari hæc vasa, vel in totum obturari.

Effluxus humoris à Lacte diversi.

CXXXV. Diximus tandem 7. lædi Lactis Motum, quando ejus loco vel *Sanguis*, *vel Pus*, *vel Sanies*, *aliusve Humor à Lacte diversus effluit*, *exugiturve per Papillas*.

Sanguinis.

CXXX. Evenit enim aliquando, ut vel *una cum Lacte*, vel *post tantillam Lactis prodeat Sanguis*, qui deglutitus ab infante facilè corrumpitur in ejus ventriculo, ipsique noxas affert multas.

Ejus causa,

CXXXVII. Prodit autem *Lactis loco Sanguis*, quoties, meo saltem judicio, *in Mammarum Glandulis non mutatur idem in Lac*; *sive avidiùs elicitur & copiosiùs è Mammis Lac*, adeò ut in Lac non possit mutari Sanguis *tam citò*; *sive suctu vehementi lædantur Vasa Sanguinea*, *ubi comittantur Substantiæ Mammorum glandulosæ*, adeòque *non accedat guttatim* ut ita dicam, *ad notatas glandulas Sanguis*, *sed confertim*, *prodeatque* minimè, minùs saltem, quàm decebat, mutatus per Papillas.

CXXXVIII. Hic est, quòd *plerumque antecedentem Mammarum Dolorem sequatur Suctus Sanguineus*.

Curatio.

CXXXIX Quocunque autem id fiat modo, *Curabitur* feliciter usurpatu in Mixtura cujusvis feminę constitutioni convenientem *sanguine Draconis*; quem non sine causa toties laudavis in quovis Sanguinis effluxu præternaturali.

Effluxus Puris.

CXL. Nec tantùm sæpiùs Sanguis, sed aliquando *Pus* quoque, *Saniesve Lactis loco prodit Suctu*, & quidem in *Apostemate ad Papillarum Tubulos pertingente*, *atque ibidem exitum quærente purulenta materia*.

Ejus causa.

Curatio.

CXLI. Quòd si haud grande sit Apostemata, *licebit* forsan, *non quidem Infantis*, *sed Sactricis opera per illam viam exsugere illud Pus* usurpando *forinsecùs*, ut & *intrinsecùs medicamenta Ulceris mundationem ac consolidationem* promoventia, qualis sunt *Fomenta & Decocta vulneraria* satis penetrantia cum addito Vini Spiritu parata, ut & *Balsamus Sulphuris*.

CXLII. Quòd sic *Superficiei proximum sit Apostema*, existimarem utiliter posse ipsam *in loco maximè declivi*, *ac præsertim molli aperiri*, atque sic *citiùs tutiùsque curari medicamentis* superiùs laudatis.

CXLIII. Atque sic absolvimus quoque Læsam Lactis Motum: superest tractanda ipsa Lactatio læsa.

CAPUT XII.

De Lactatione læsa.

I. VT materiam hanc commodè proponamus incipiemus ab ipsa *Lactationis* descriptione, quò faciliùs pateat intelligique, quicquid posteà de ejus dicemus læsionibus.

II. Est igitur *Lactatio*, *lacti in mulierum Mammis producti allectio per Pappillas*, *& quidem ope Suctus ab Infante facti*. *Lactatio quid.*

III. Adeò ut perficiendam Lactationem quędam concurrant requiranturque in fęmina Lactante, quædam in Infante Sugente. *Ad eam concurrentia.*

IV. In *fœmina Lactante* ad Lactationem commodè absolvendam requiruntur 1 *Papillæ*, tam *crassitie*, *tum longitudine mediocres*; ut commodè possint ore, labiisve Infantis sugentis prehendi; unde culpantur Papillæ aut *prægrandes*, os Infantis plus justo implentes: aut *breviores*, adeò ut prehendi nequeant Infantis labiis, sed ipsa sugiant. *In fęmina Lactante.* *1. Papilla crassitie & longitudine mediocres.*

V. Requiruntur 2. in fęminis lactantibus *Papillæ Integræ*, *& à Dolore immunes*; unde culpantur *Fissæ*, aut ob *Inflammationem*, *Excoriationem*, *Exulcerationemve Dolentes*. *2. Papilla integra, & à dolore immune.*

VI. Requiruntur 3. in fœminis lactantibus *Lactei Tubuli per Papillas pervii*: unde culpantur *Papillæ Tubulis Laudatis destitutæ*; adeò ut nulla via Lacti pateat. *3. Lactei tubuli pervii.*

VII. Requiritur in Lactantibus fœminis 4. *Lactis laudabilis affluxus moderatus*: Culpatur contra *ejusdem affluxus nimius*, à quo solet obrui Infans, vel *parcior*, unde malum flatum in Ventriculum sum allicit, plurimùmque inde distenditur anguiturque Infans. *4. Lactis laudabilis affluxus moderatus.*

VIII. In *Sugente Infante* requiruntur ad *Lactationem* absolvendam 1. *Labia* tum *integra*, tum *contigua*, tum *mobilia*. *Integra*, ut Papillis undique applicari possint proximè *Contigua & Mobilia*, ut Papillas complecti queant & comprimere, atque vicissim relaxare. *In Infante sugente.* *1. Labia bene constituta.*

IX. In Infante Sugente requiritur 2. *Lingua quaquaversùm mobilis*: hoc est, tam antrorsum, ut Papillæ occurrat, quàm retrorsum, ut Lac exsuctum ad fauces deferat; quin Papillarum quodammodò complecti debet, & blandè illam retrorsum trahere, ad alliciendum exugendumque Lac per illam è mamma. *2. Lingua mobilis.*

X. In Sugente Infante requiritur 3. ad Lactationem perficiendam *Respiratio per nares libera & integra*: sine qua necesse habet infans continuè à Lactatione desistere, ut per Os apertum respiret, Lactationemque redintegret posteà & quidem cum summa sui & matris molestia; dum cogitur papillam alternatim prehendere, iterumque dimitere: quod Infantes ita vexare solet, ut inde excandescant vehementer, & ita quidem, ut aliquando Epilepticos inde patiantur insultus & paroxysmos. Lactantibus autem fœminis reciproca illa Papillarum prehensio & relaxatio cum dolore tandem conjuncta est, quin plurimùm facit ad Papillarum Excoriationem & Fissuras producendas: de quibus egimus in præcedentibus. *3. Respiratio per nares libera.*

XI. Ubi autem libera est Infanti per nares Respiratio, potest idem commodè continendo papillam Ore, in Suctu continuè pergere, atque absque Aere copiosiùs deglutito Lac indesinenter allicere, ipsoque placidè frui.

XII. Quæ cùm ita sint quoad Lactationem naturalem, meritò nunc disquirendum, Quot modis lædi queat ista Infantibus tàm utilis & jucunda Lactatio.

XIII. Læditur autem illa subinde 1. quando *in totum impedita est*, ac *nulla* fit. 2. quando *insuffi-* *Quot modis lædatur lactatio.*

cient

cians contingit, nec totum Lac in Mammis existens elici potest. 3. quando *Abundantior* existit atque *facilior*, & Infantem opprimit.

Nulla fit. XIV. *Nulla fit* vel potiùs fieri potest *Lactatio*, subinde *Lactis*, subinde *Partium in Lactante ad Lactandum desideratarum*, subinde *Sugentis* culpa,

1. Lactis culpa. XV. 1. *Lactis* culpa Nulla fieri potest Lactatio, quando ipsum est ad motum ineptum, *coagulatum* nempe, de Cujus *Causis* & *Curatione* quia egimus abunde in superioribus, non est, quod actum iterum agamus.

2. Partium in lactante desideratarum culpa. XVI. 2. *Partium in Lactante* ad benè lactandum *desideratarum* culpa *nulla* fieri potest *Lactatio*, quando *desunt Papillæ*, vel *Vasa ipsum Lac per Papillas vel Mammas desferentia quovis modo* sunt *nimis Angusta*, sive sint *Obstructa*, sive sint *Compressa*. Quòd *si deficiant*, *ineptave sint Vasa Sanguini ad Mammas deferendo*, propriè loquendo non deficit tunc Lactatio sive Lactis eductio, sed Lactis productio; qua deficiente, deficit quoque ex consequenti ac necessariò Lactatio; postquam non entis non dantur accidentia: Accidit autem secundùm naturam Lacti educi per papillas, ut eo nutriatur Infans: quòd si desit Lac, ejus tanquam tunc non entis aut existentis nullum dabitur Accidens, Ergò nec eductio per papillas, & Lactatio.

Papillarum defectus. XVII. *Desunt*, *aut deesse saltem videntur Papillæ* in quibusdam fœminis *ante impraegnationem aut partum*, aliis etiam *post partum* & Lactationem jam institutam.

Ante partum. XVIII. Ante partum videntur deesse Papillæ nonnullis, quoniam retractæ sunt, latentque in mammis; quæ *sponte* solent post partum mergere, *blando* saltem *affrictu*, *pileorumve* ceteorum, eburneorum, argenteorum, plumbeorum, aliorumve *impositione* sensim prodire. In quibusdam tamen reverà desunt nec laudatis modò remediis blandis emanant, sed nec vi foràs extracta & in ambitum circuligata Papillam repræsentante aut mentiente parte.

Post partum. XIX. *Post partum & Lactationem desunt* aliquando Papillæ per *fissuras* tranversas profundiores tandem à Mammarum corpore secedentes, ab Infantibus *mordicus amputatæ*.

Ejus curatio. XX. Unde facilè patet, aliàs esse hoc malum incurabile, alià sensim & artificiosè papillas nunc latentes foràs elici, nunc desideratas efformari, quamvis minus commodas, quæ tamen paulatim reddi solent aptiores.

Vasorum Lactiferorū obstructio. Et compressio, XXI. *Obstrui* solent ista *Vasa* frequentiùs ab ipso *Lacte* in ipsis coagulato, rariùs à *Pituita* ipsi admista & itidem in ipsis concreta.

XXII. *Comprimi* solent vasa eadem à Tumoribus duris & vicinis, ac imprimis ab ipso Lacte, Sanguinemve circa ipsa effuso & Inflammationem pariente.

XXIII. De *Lactis Coagulatione*, ut & *Pituitæ Concretione*, quin tum *à Lacte* tum *à Sanguine facta* in *Papillis* & *Mammis Inflammatione*, omnibusque eò facientibus egimus paulò antè, ut non opus sit, eadem hic repetere.

3. Sugentis culpa nulla fit lactatio. XXIV. 3. *Sugentis* culpa *nulla fit*, fieri ve potest *Lactatio*, 1. quando *Labia non sunt integra*, sed *fissa* & *hiulca*, sicut evenire solet in eorum Affectu *Leporinorum Labiorum* nomine insignito, atque ipsorum quoque *vulneribus transversis*.

1. Quando labia sunt leporina.

2. Quando sunt voluntariè mobilia. XXV. 2. Quando eadem *Labia non sunt voluntariè Mobilia*, sed nunc *Paralysi*, nunc *Convulsione* laborant, vel *Motu etiam Convulsivo*: vel *Aphthis*, aliisve *ulceribus scatentia* motum necessarium ferre non possunt.

3. Quando sunt cohærentia. XXVI. 3. Quando eadem *Labia non* sunt *contigua*, sed *continua* & *cohærentia*, adeò ut Papillas etiam mediocres ac ritè formatas excipere non possint.

4. Quando lingua non mobilis. XXVII. 4. Quando *Lingua vel antrorsùm exporrigi nequit* ad complectendam Papillam; vel *circa Papillam plicari non potest*, ad exsugendum Lac; vel *Aphthis*, aliisve *ulceribus scatens* ritè moveri nequit.

XXVIII. *Labia leporina* curari possunt ac debent à Chirurgis arte cordata, *liberando* nunc plus nunc minùs *eadem à partibus subjacentibus*, quò adduci queant & conjungi labia hiulca; deinde *excoriando partes labiorum uniendas*, mox *adducendo ad se invicem dictas partes*, hinc *continendo easdem contiguas*, denique *conglutinando ipsas simul & unà cū partibus subjectis*. *Curatio Labiorum Leporinorū.*

XXIX. Dixi Curationem hanc fieri debere arte, & quidem Cordata. Arte namque & industria indiget Chirurgus istam curam instituturus; quin eundem animo forti esse oportet ad curam tàm crudelem in teneris Infantibus instituendam.

XXX. Primùm enim in hac cura opus, est *Separatio cruenta Labiorum à partibus subjacentibus*, & quidem aliquando tanta, ut tota maxilla superior carne sua denudetur & labiis; quod spectaculum sicut meritò censetur valdè crudele, utile tamen est ac necessarium miseris aliàs per totam vitam futuris Infantibus: quos non semel tàm feliciter vidi hac crudeli arte curatos, ut vix ulla prioris mali remaneret vestigia. *1. Separando ea à partibus subjacentibus.*

XXXI. Secundum in hac cura opus, est minùs crudele, *excoriatio purà partium hiantium & nunc conglutinandarum*: quæ scalpello fit in labiorum lateribus ab invicem præter naturam, & utplurimùm ob matris imaginationem, casumve aut ictum hiantibus. *2. Excoriando partes hiantes.*

XXXII. Tertium in hac cura opus, est *partium uniendarum adductio ad invicem*, quę facillimè ac felicissimè perficitur per Emplastra tenacissima ex Terebinthina aliisque parata, & priùs labiis applicata, ipsisque arctè adhærentia; sed in extremis per fila fortia munita, quorum ope adducuntur ex parte, sed imprimis digitis, ad invicem, urut plurimùm hiantes labiorum partes. *3. Adducendo partes ad invicem.*

XXXIII. Quartum hujus Curæ opus, est *Partium connexarum in contiguitate artificialis retentio*: quæ imprimis absolvitur nodis factis in mox notatis filis, in laudatis emplastris firmatis: horum enim ope non tantùm emplastra utrinque cuti conjungendę & labiis adhęrentia ad se invicem paulatim adducta firmantur, sed subjecta quoque labiorum cutis, quin substantia tota. *4. Retinendo partes in contiguitate.*

XXXIV. Quintum denique hujus Curę Opus, est *Conglutinatio dictorum labiorum tam inter se, quàm cum partibus subjectis*: in quem finem usurpantur imprimis Balsama, singulis ferè Chirurgis peculiaria ne quis carere videatur tanto secreto, quod tamen vel à Magistro suo didicit, vel ex celebri aliquo Scriptore hausit, vel paucis mutatis aliquando ipsius adornavit: Inter naturalia & simplicia plurimùm præstat in hoc casu Balsamus Peruvianus. *5. Conglutinando labia inter, & cum partibus subjectis.*

XXXV. *Labia transversim per vulnus ab invicem hiantia* minore artificio curantur, quàm Leporina modò examinata, cùm hic sufficiat *vulneris labia* per laudata emplastra *ad se invicem adducere*, *atque consolidare*. *Labia hiantia qui curentur.*

XXXVI. *Labia Paralysi* laborant, vel *Convulsione*, vel *Motu convulsivo* ob Causas in notatis Affectibus ex professo tractatis propositas unà cum eorundem Curatione Generali, ex qua non erit prudenti Medico arduum Labiis specialem elicere.

XXXVII. De *Aphthis* Infantium agemus posthac, si Deus volet, ubi ad ipsorum morbos primarios pervenerimus.

XXXVIII. *Ulcera* pleraque, & forsan omnia ortum habent *ab Acido Acri*, quapropter in genere Curabuntur 1. *obtundendo* Acrimoniam illam notatam. 2. *mundando* ipsa à puris sordibus. 3. *consolidando* tandem eadem, ac cicatrizando.

XXXIX. De quibus omnibus quoniam supra egimus abundè, plura hic non addemus; nisi quòd *Quanam in Lingua, & Labiorum*

uberibus maximè conveniant quòd in plerisque Labiorum & Linguæ ulceribus convenit *Mel Rosatum*; quin omnia Mellis nomine nota, & Syrupi multi: *addito* non raro *Spiritu Vitrioli* ad aliquot guttas; quod mirabuntur procul dubio plerique, postquam dixi modò ad Acido Acri produci ulcera, eademque curari obtundendo illud Acidum Acre, quod frustrà quis expectaverit ab Oleo vel Spiritu Vitrioli valdè Acido; unde videbitur contradictio in meis dictis.

XL. Verùm non idcircò additur Spiritus Vitrioli, ut ab ipso Acidum Acre in Vlceribus obtundatur, sed ut eadem mundentur à puris viscositate: in quem finem conducunt Acida, verùm non pura, sed mellitis & saccharatis juncta, & quidem parva quantitate: nam si pura usurparetur, aut quantitate notabili, non tantùm Dolores producerent intolerabile, verùm insuper ulcera efficerent profundiora, adeòque pejora.

XLI. Quamvis autem conveniant mundandis ulceribus Spiritus Acidi quantitate parva Syrupis & mellitis juncti, conveniunt tamen magis Salia tum Volatilia, tum aliàs blanda per Oleosa ampliùs obtusa, temperataque: qualia sunt Balsama Sulphuris pleraque, & imprimis gratiora in hoc casu, & quidem cum Syrupis, mellitisve juncta: io quibus quoque inest vis ulcera mundans.

Consideratio circa Ulcerum causam. XLII. Unum adhuc occurrit explicandum circa *ulcerum* causam, quæ dixi modò *produci & forsan solùm ab Acido Acri*: quod negabunt non pauci propter *Vlcera* tum à *Cauteriis potentialibus producta*, tum *Grangrænam* sequentia. Sed regero, Ulcera perse à dictis Cauteriis Salinis lixivis haud produci, sed ab Acido in corpore existente, atque ad partes cauterio ustas, vel Gangræna corruptas accedente, atque Salsum lixivum superante. nam, si hoc non fiat, nulla fiet partis sanæ ab emortua separatio, nulla puris generatio, quin nullum ulcus: postquam non priùs ibi apparet ulcus, quàm & quousque contingit partis utriusque vivæ ac mortuæ separatio; succedente illi separationi Ulcere in parte viva, dum mortua vel in pus corrumpitur, vel resecatur.

Labia quare contigua. XLIII. *Labia duo* data sunt homini, superiùs ac interius, quò sibi mutuò applicari queant, atque varia forma, plana, rotundave, & ab invicem diduci, & contrà vicissim componi; unde *Contigua* sunt, non Continua.

Unde redduntur continua. XLIV. Fiunt autem Labia præter naturam *Continua*, quoties eadem quavis de causa *excoriantur exulceranturve, iterumque ad Consolidationem pergunt*, imprimis quando utique ad *utriusque Labii commissuras* pergit notata excoriatio: tunc enim *Coalescentia & conglutinatio in dictis commissuri initium capiens, pergit sensim ulteriùs & tandem tota labia* (nisi arte difficili impediatur) *consolidat & compingit*,

Hocce magnum periculosum. XLV. In quo statu de vita plurimùm periclitantur Ægri, quatenus lensim Alimentis affumendis præcluditur via.

Qua ratione curandam. XLVI. Curatio autem instituenda 1. *dividendo ac separando ab invicem Labia* conjuncta & conglutinata per cultellum acutum. 2. Eadem ab invicem *disjuncta tenendo* per lamellas, præsertim plumbeas. 3. *Cuticula obducendo & Cicatrice*, separata hæc labia, initium faciendo à loco, ubi committuntur secundùm naturam labia. In quem finem optimo successu applicantur utrinque hami plumbei obtusi, os in longum expansum servantes, ne scilicet notata coalitio utriusque labii denuò habeat locum, novamque cogat dissectionem. Ubi autem locus commissuræ fuerit cuticula sua tectus, adeòque cicatrice obductus, facilis erit reliqua Curatio, dummodò cicatricem admittat reliqua Labiorum pars media.

Linguæ frenum brevius dissecandum. XLVII *Lingua sæpiùs ob frænum brevius* minùs mobilis, eodem dissecto reddi solet quaquaversùm mobilior.

XLVIII. Eadem, si *Aphthis aliisve Vlceribus* scateat, quas causas agnoscat, quam curationem desideret, dicemus in Puerorum morbis.

Insufficiens Lactatio XLIX. *Insufficiens fit Lactatio*, nec totum Lac Mammis existens exugitur, itidem aut *ipsius Lactis*, aut *Partium in Lactante aa lactandum requisitarum*, aut *Sugentis* culpa.

Lactis culpa. L. *Lactis culpa* omne in Mammis existens exugi nequit Lac, quoties *ejusdem pars aliqua ia ipsis est coagulata* & concreta, ideoque ad motum inepta.

LI. De qua Concretione & Coagulatione Lactis, ejusdem Causis & Curatione, quoniam abundè actum in superioribus, plura hic non addemus.

Tubulorum Lactiferorum culpa. LII. *Partium ad Lactandum in Lactante requisitarum, Tubulorum putà Lacteorum culpa insufficiens fit Lactatio*, quoties *ipsorum pars aliqua est obstructa, vel valde compressa*, unde per illos saltem exugi non potest Lac, quod proinde in Mammis permaneos, ibidem coagulabitur, & notata superius mala producet.

LIII. Causas verò & Obstructionis eorum, & Compressionis, unà cum Curatione proposuimus jam in superioribus, ut non videatur opus ampliùs illis immorari.

Sugentis culpa. LIV. *Sugentis* denique *Infantis culpa insufficiens fit Lactatio*, quoties ipse aut *valdè Debilis existi*, aut *Labia Linguave superiùs notatis malis non* quidem extremè, sed *quodammodò laborant*; de quibus quæ tunc addidimus ratione Causarum & Curationis, huc quoque referri possunt ac debent.

Ob ejus debilitatem. LV. [illegible] *Infanti*[illegible]c observari solet, Altera *Vitalis sive Naturalis*, *Animalis* altera.

Vitalem. LVI. *Vitalem sive Naturalem* voco *debilitatem* ratione *Functionum Naturalium*, ac præsertim *Mutationis Sanguiai in Corde obvenientis*, à qua proximè pendet vita, unde etiam ipsa multùm læsa vita quoque multùm periclitatur: quæ pulsu dignoscitur Debili.

Animalem. LVII. *Animalem* voco *Debilitatem in Sensu & Motu voluntario* consistentem; in quo casu imbecilliùs Functiones dictæ animales peraguntur.

LVIII. Utriusque autem nomine *Insufficiens fit Lactatio*, & *vitalium* quidem *virium ratione*, quoties *Languens Infans* multum ferre haud potest Lac; quin ab illo gravatus mox idem respuit, aut rejicit, definit que plus ejus exugere.

LIX. *Animalium virium ratione insufficiens* fit *Lactatio*, quatenus Animalis Infantis motus languet, adeò ut cùm difficultate & labore Lac exugat, ideòque à suctu citò cesset valdè defatigatus.

Vitalis debilitatis causa. LX. *Vitales Infantium vires deficiunt* ferè ratione *Acidi exuperantis*, vel *Biliosi & Amari deficientis*.

Curatio. Domando acidum exuperans. LXI. *Acidum exuperans* domatur *Aromaticis & Sale Volatili non* minùs quàm *fixo abundantibus*; Coralliis, Margaritis, Creta &c. mox *temperatum*, quoties quantitate quoque redundat, *evacuantibus* tàm per *alvum*, *hydragogis*, quàm per *sudores ac urinas Sudoriferis & diureticis* minuendo; cavendo à *Vomitoriis* præcipitanter usurpatus, cùm facilè nuxam notabilem afferant teneris Infantibus, ipsosque necent.

Reparando Biliosum & Amarum deficiens. LXII. *Biliosum & Amarum deficiens reparatur* in tenellis Infantibus per *Aromatica blandiora*, Cinnamomum, fœniculum, mentham, & similia: ac præsertim eorum Aquas & Syrupos: ut & Confectionem AlKermes, Ambram griseam, &c

Animalis debilitatis causa. LXIII. *Animales Infantium vires deficiunt* ferè *ob animalium Spirituum penuriam*, tum dolores, tum vigilias, tum anxietates [illegible]tem.

Curatio. LXIV. *Reparantur iidem Spiritus* 1. *tollendo ac demulcendo dolores* per anodyna, & quandoque narcotica. 2. *Conciliando somnum* per eadem 3. *superando anxietates*, quæ halitibus & flatibus Ventriculum, Pulmonesve obsidentibus debentur,

per

[Ne]queat, ad suppurationem promovenda. ra, ut, quamprimùm licebit, eadem ad suppurationem promoveatur; quod fiet tum fotibus jam propositis, tum Cataplasmatibus ex iisdem Emollientibus paratis, additis liliorum alborum bulbis, Cæpisque priùs assis & contusis.

Æstus in Abdominis parte infima qui curandus. LXXV. Ubi æstus magnus urget in Abdominis parte infima, decoqui poterunt Cataplasmata in Lacte Ebutyrato, à quo æstus commodè compescitur; Quòd si Dolores magis urgeant, in Lacte dulci.

LXXVI. Farinæ quoque hordei, seminum lini, fœnugræci, fabarum, quin panis cujusvis mica usurpari possunt in Cataplasmatis laudatis.

Et quibus, LXXVII. *Olea* quoque, *Unguentaque emollientia* admisceri possunt prædictis Cataplasmatis, aut priùs venter illis inungi, quoties pinguia ferre possunt Puerperæ: aliàs enim ab iis cavendum sedulò, postquam pustulas, & erysipelas molestum in multis producere solent.

LXXVIII. Injectiones quoque in Uterum adhiberi possunt ex Emollientibus paratæ cum Lacte dulci.

Flatus dolores excitantes dissipandi. LXXIX. Quoties *Flatus* ex *Pituita Glutinosa in tenui præsertim Intestino* geniti, & per Intestinorum fistulam versùs anum delati, aut per Lacteas Venas tum ad Cor, tum inde quaquaversùm, & ad Uterum quoque propulsi, quocunque modo Dolores post partum si non producant, augeant saltem; toties danda est opera sedula, ut *flatus jam geniti discutiantur & dissipentur*, & *eorundem productio nova impediatur*.

Et quibus, LXXX. *Discutientur Flatus in crasso Intestino* hærentes commodissimè per *Enemata* carminantia dicta, additis semper emollientibus, horum enim ope subsidunt ex parte flatus in Enematum liquore aquoso, simulque educuntur cum ipso denuò excreto.

LXXXI. Laudantur hìc meritò à quibusdam *Enemata ex Urina Puerorum* parata, quippe quæ flatus potenter discutiunt educuntque propter Salem Volatilem in Urina existentem.

LXXXII. Convenient hic quoque *Decocta* ex similibus Carminantibus Emmollientibusque parata, & subinde ad ℥iv. usurpata: ubi commodum est, quædam addere *Sudorifera*, promoto blando sudore, cum quo quaquaversùm solent simul propelli expellique flatus.

LXXXIII. Conducent proinde talia imprimis quando ad Uterum quoque, ac quovis propulsi sunt notati Flatus.

LXXXIV. Decoctorum loco usurpari possunt à delicatioribus, & longas istas potiones fastidientibus, *Mixturæ* idem præstantes, additis Oleis Anisi, Fœniculi, Maceris, Cort. Arantiorum, Carvi, Cumini, Juniperi, Succini, aliisve puerperis haud ingratis; non neglecto interim opio; à quo non tantùm Dolores leniuntur, sed Flatus quoque dissipantur.

Flatuū nova generatio impedienda. Et quibus, LXXXV. *Flatuum Generatio nova impedietur* Medicamentis *Pituitam Glutinosam alterantibus ac educentibus*; non omissis, quoties *Bilis* quoque peccat copiosa vel Acris, *Cholagogi*, & ipsam *temperantibus subacidis*, ac imprimis *Spiritu Nitri*, flatibus quoque conducente.

Quenā Pituitam glutinosā corrigant. LXXXVI. *Pituitam Glutinosam corrigunt*, tum *Acida*, tum *Salia Lixiva fixa & Volatilia*, tum *Aromatica* omnia, uti hoc sæpiùs docuimus.

Quænam evacuent. LXXXVII. Eandem ex parte saltem correctam, incisamque *evacuant Phlegmagoga*, tum vulgaria, tum Chymica, inter quæ primas hic tenent Mercurialia.

Bilem quænam corrigant. LXXXVIII. *Bilem corrigunt*, temperantque Acriorem *Acida* omnia: unde quoties hæc quoque peccat, meritò Acidis utemur, quippe quæ Pituitam simul incidunt & attenuant, fluidioremque faciunt.

Quænam evacuent. LXXXIX. *Bilem* eandem *evacuant Cholagoga* vulgò nota; inter quæ primum locum dare soleo *Scammonio*, blando tutoque remedio.

Pituitæ glutinosæ proventus præveniendus. Diæta. XC. Nec sufficit hisce uti ad flatuum generationem impediendam: nisi postmodum *præveniantur Pituitæ similis proventus*, *diæta & pharmacia* conveniente.

XCI. *Diæta prævenietur Pituitæ proventus*, cavendo ab Alimentis crassis & viscosis; Aere frigido, humidoque; Animi mœrore, ac similibus; & quærendo Aerem calentem ac serenum, studendo hilaritati, & quandoque iræ; usurpandoque Alimenta optimi Succi, ac imprimis Condimenta Aromatica, qualia sunt Sinapi, Raphanus Rusticanus, Majorana, Rosmarinus, Salvia, & Aromata pleraque, Piper, Garyophylli, Cinnamomum, Nux Moschata, &c.

Pharmacia XCII. *Pharmacia* prævenietur idem *Pituitæ proventus*, tum *alterantibus*, tum *purgantibus*.

Per Alterantia. XCIII. *Alterantia* sunt omnia *Aromatica potentiora*, & Condimentorum vice vix usurpanda, tum etiam *Spirituosa*, quin *Salia* tum *fixa*, tum *Volatilia*; & ipsa quandoque *Acida*: de quibus sæpiùs egimus aliàs, & subinde agemus adhuc, quando Affectus tractandi hoc primariò desiderabunt.

Per purgātia. XCIV. *Purgantia* sunt imprimis *Phlegmagoga*, Pituitam augeri cœptam subinde per alvum evacuantia: ubi non putem temerè concedenda exhibenda *Vomitoria*, nisi facilè vomentibus, aut nauseabundis: Conveniunt etiam hic *Sudorifera*, sed magis Aromatica, & Pituitam prætereà potenter alterantia, incidentia ac emendantia, qualia meritò laudantur *Radices* Fœniculi, Apii, Levistici, Sarsæparillæ, Chinæ &c. *Ligna* Quercùs, Guajaci, Sassafras, Juniperi, Buxi, &c. *Et Sudorifera. Et qualia.*

XCV. Ubi notandum, talia sudorifera, sudore blando subsequente, potentiùs alterare ac emendare Pituitam in corpore noxiam; quemadmodùm vice versa sudores facilius promoventur in corpore Pituitoso conjunctis assumptisve Aromaticis.

Nec non Diuretica. XCVI. Inter *Evacuantia* hic haud postremum infimumve locum tenent *Diuretica*, quippe quæ cum minore corporis molestia solent Pituitam accrescentem per Urinas expellere, quàm Sudorifera per Corporis poros; ubi opus est Corpus magis quovis modo incalescere, quod minimè necessarium ad Diureticorum vim percipiendam, quamvis, & Caloris quoque aucti ratione feliciùs opus suum absolvant.

In Flatibus curandus ad quenam Medico attendendū. XCVII. Quoniam verò ad *Flatuum Productionem* concurrunt semper *Bilis* & *Pituita*; Prudentis Medici erit, attendere ad humorem utrumque, quò talia usurpentur remedia, quæ utrique Humori tunc peccanti conveniant, neutri noceant: qualia si non sint præstò à Natura nobis concessa, erunt arte paranda, & imprimis confundendo simul, quæ variis satisfaciant indicationibus: qualia sæpenumerò præscribere solemus apud *Ægros* in Nosocomio Academico, ubi Rhodus est ad saltandum benè, quoties opere ipso demonstrandum est, quod verbis fuit assertum.

Dolores ab Humoribus acribus à causa externa productis, qui ratione prævendi iidem humores corrigendi. XCVIII. Quoties à Causa externa, & imprimis Diæta vitiosa *Humores Acres* in Corpore, ac præsertim tenui Intestino sunt producti; à quibus quacunque via ad Uterum quoque delatis Dolores in ipso excitantur post partum; toties cavendum ab ulteriore in rebus non-naturalibus aliisque errato, simulque allaborandum, ut humores illi quantocyùs corrigantur, emendenturque; & quidem sæpiùs in hunc finem laudatis remediis.

XCIX. Prout enim vel *Biliosi* fuerint, vel *Melancholici*, *Austeri*, *Acidive*, diversitas erit observanda in medicamentis usurpandis, quod tàm sæpè monuimus.

C. Semper tamen adhibebuntur exhibebunturque *Opiata*, quippe quæ omnia ex æquo Acri emendando inserviunt.

CI. Quòd

Et si copia excessit, evacuandi. CI. Quòd si *Copia* simul peccaverit notati humores, ubi satis fuerint correcti temperatique, adeòque ad securam purgationem præparati, Medicamento Purgante, sed blando erit utendum; ubi satius est Puerperas per epicrasin evacuari, quàm potentibus purgantibus turbari, atque in Vitæ discrimen adduci.

Atque sic de Doloribus *post* partum; quæ hac vice habuimus dicenda, absolvimus.

CAPUT X.

De Lactis Generatione læsa.

Variorum humorum præparatio. I. VArii præparari solent in variis corporis partibus humores; alii quidem in usum proprium, alii in alienum, alii in utrumque.

In Usum proprium. II. in Usum proprium producitur Bilis, Succus Pancreaticus, Lympha, &c.

In Usum alienum. III. In Usum alienum Semen atque Lac.

In Usum proprium alienumque. IV. In proprium alienumque usum producitur in fœminis Sanguis: quo postquam in Utero materno nutritus fuit Fœtus, deinde idem genitus ac in lucem editus Lacte solet ali; Lacte, inquam, ex sanguine in Mammis immutato, nec tantùm secundùm colorem, verùm insuper secundùm substantiam; postquam intimiùs iunctæ unitæque sint in Lacte partes minimæ, quàm in Sanguine.

Sanguinis & Lac in varias partes secedere. V. Unde paulo postquam emissus est Sanguis, sponte in varias secedit partes, Butyrosam, Caseosam, & serosam; quòd in Lacte nec tam citò, nec tam perfectè contingit; quo circa videas in specie quidem assurgere Lactis Cremorem, Serum autem nunquam sponte à cæteris partibus planè secedere, sicut in Sanguine.

Unum Lac præparetur. Et ex qua materia. VI. Lac istud, quo nuper natus Fœtus est nutriendus, præparatur in Mammis, & quidem plurimorum Medicorum Anatomicorumque judicio, ex Sanguine per Arterias eo delato; quamvis non desint aliqui existimantes Chylum per Vasa propria ex Intestinis eò deferri, atque in Lac abire.

VIII. Atque hi postremi, quo suam probent opinionem, difficultates plurimas movent cæteris; ratione viarum longarum, per quas Alimento, Medicamentove nuper assumpto meandum antequam ad Mammas perveniat, si per Lacteas Venas prius ad Cor, atque hinc ad Mammas esset deducendum: quocirca breviores hinxerunt nonnulli, quas se oculis suis usurpasse narrant alii; Lacteas nempe Venas rectà ad Mammas tendentes: Has tamen diligenter quæsiverunt, at neutiquam invenerunt non pauci, quamvis omnem in variis Animalibus Lactantibus adhibuerint operam, secutique fuerint aliorum normam.

Sanguinem non esse Lactis materiam. Ratio. VIII. Videamus proinde, an tanti momenti sint argumenta, quibus aliqui oppugnant Sanguinem ad Mammas per Arterias delatum pro Lactis materia.

IX. Observantur multæ fœminæ Lacte tantum non in Mammis destitutæ, quod tamen assumpto Cerevisiæ, alteriusve potus assueti haustu mox iterum è Mammis prodit copiosum,

X. Id quamvis omnibus fœminis non eveniat, evenit tamen non pancis, nec prudenter à quovis negari potest aut debet hoc experimentum.

Ejus confutatio. XI. Ideò an inde sequitur, potum assumptum per vias qualescunque mox transire ad Mammas, & in Lac mutatum effluere? nihil minùs.

XII. Nam si abite debeat in Chylum, antequam abeat in Lac; nonne aliquam in Ventriculo debet moram nectere?

XIII. quòd si Ventriculum præterlabatur tantùm, Cerevisia permanebit, neutiquam in Chylum convertetur; nec proinde ex Chylo, verùm ex Cerevisia, aliove potu ordinario fiet Lac.

XIV, Quòd si potiùs quivis aliqua mora indiget, quò vertatur in Ventriculo in Chylum, malè ab illo nuper assumpto potu Lactisque effluxum promovente concluditur, ex Chylo genitum Lac.

Lac ad effluxum excitari assumpto potu. XV. Quid Ergo ex dicto verè concludetur experimento? Nil aliud, nisi potu assumpto ad effluxum excitari Lac: Quacunque siquidem via assumamus ad Ubera pergere potum, sed priùs in Chylum versum; eadem omnes urgebit difficultas.

Et quomodò. XVI. Sed quærat Veritatis studiosus, quomodò igitur ad potus consueti assumptionem promoveatur Lac ad sui effluxum? Cui respondeo, videri hoc mihi accidere, quatenus partes aliquæ potus spirituosiores, vel aliàs mobiliores nullam in Ventriculo nectentes moram, mox pergunt ad Intestina, hinc & Lacteas Venas, motumque potentiorem Sanguini quaquaversum, ac præsertim ad Ubera excitant, unde Lactis quoque in penitioribus Mammarum partibus hærentis, aut crassioris effluxum promovent.

Partes potus spirituosiores Motum Sanguinis potentiorem excitare. Et eandem ad ubera propellere. XVII. Dico partium istarum ope *excitari* 1. *Motum universi Sanguinis potentiorem*; quod puto semper fieri, quando siti vehementi capti, potum usurpamus gratum consuetumque, ac imprimis satis copiosum.

XVIII. Dico 2. Potus istius ope *Sanguinem ad Ubera præsertim propelli potentiùs*, quod fit propter affectum tenerum ac vehementem, quo fœminæ moventur ac tenentur ad succurrendum Infantibus sitientibus, (deficiente interim nonnunquam Lactis præ Lactantis mærore plus minus incrassanti & stagnantis effluxu:) quarum cogitationes cum vehementius dirigantur ad mammas, non mirum, si præter spiritus animales Sanguis quoque ad ipsas, quam partes alias, moveatur impetuosius.

Et Lac crassius, & in mammis hærens ad effluxum promovere. XIX. Dixi 3. Partium spirituosiorum & fluidiorum in Potu existentium, & mox ad interiora, ipsasque adeo mammas penetrantium ope *ad sui effluxum promoveri Lac crassius, & in mammis hærens*; quod fit, quatenus illud dissolvunt, & liquidiùs fluidiusque præstant; omne namque coagulatum & incrassatum segniùs movetur; facilius vero & promptiùs omne liquidum, fluidumque.

Et in quibus id contingat. XX. Hac ergò ratione puto beneficio potus consueti avidiùs hausti promoveri Lactis, non tam generationem, quam effluxum: frustra siquidem hoc tentatur, expectaturque in fœminis pauco Lacte præditis; fœliciter contra in fœminis Lacte abundantibus.

XXI. Existimo igitur, in talibus Lac quidem produci continuè sed satis crassum, quod à partibus potus aqueis & spirituosis solvitur ac diluitur, nec tamen aliam Lacti affert mutationem; sicut videmus quotidie Brutorum Lacti additam aquam ipsum amplius diluere, aliam verò ipsi noxam non afferre. Unde Lactantes mulieres solito magis solent sitire, atque potum aquosiorem desiderare, quin ab ipso optimè habere; non nocet tamen; parum Spirituosi adesse, Vinum namque potusque generosus quivis non tam conducit Lactis proventui, quam Cerevisia tenuis aliusve potus consuetus aquosior; qualis est Lactis serum, & in quibusdam Lac ebutyratum.

Lactantes solito magis sitire. Potus generosus minus quam aquosus Lactis proventui conducit. XXII. Notum enim est, Vini spiritum, Vinumque quodvis, sed maxime potens ac generosum nocere Lactis productioni, conferre contra Potum quemvis maximè acquosum, ipsumque adeò Vinum invalidum, & satis aqueum.

Potus Aromatici sapores deprehendi in lacte. XXIII. Sed dicet aliquis, *non tantùm potu Lac promoveri in suo motu, sed ipsius potus Aromatici saporem deprehendi sæpenumerò in Lacte tunc prodeuntè;*

te; quod testantur Suctrices Lac sæpiùs tunc exsugentes, ac præsertim, quando alia concurrunt in mammis vel papillis mala, debilisve existit Infans.

XXIV. Sic memini aliquando me in hac urbe puerperæ satis debili præscribere Mixturam roborantem & aromaticam ex aqua Cinnamomi alisque gratioribus paratam; cumque infans commodè sugere non posset, & Suctrix idcircò adhiberetur, puerperam unum alterumque laudatæ misturæ cochleare assumere: Unde narravit paulò post Suctrix, se Hippocraticum vinum exugere: & hinc dicet aliquis, an non spatio illo brevissimo usque ad ipsas mammas penetraverit Cinnamomi Aqua, exsuctum Lac Cinnamomi sapore inficiens? Cui respondeo, Aquæ Cinnamomi aromaticam vim mox penetrasse è Ventriculo ad Intestina, Lacteasque Venas usque ad Cor, quin una cum Sanguine quaquaversum properasse, & imprimis ad Mammas; per quas nimirum exsugebatur Lac, simulque eò alliciebatur Sanguis majori, quàm aliò, copia.

Cur Sanguis copiosius ad Lactantium mammas affluat.

X X V. Hinc loco non prætereundum, & idcirco ad Lactantium Mammas copiosiùs affluere Sanguinem, quoniam facilis est Lacti per papillas effluxus; & quibusdam quidem molestus ac perpetuus; aliis verò tantum, postquam cœpit exsugi, quod tunc copiosè effluit, ni manu adhibita premantur Ductus in papillis existentes, sicque cohibeatur ulterior Lactis eruptio.

XXVI. Ubi autem quovis modo patet humori alicui concluso exitus, eò ruere solet idem majori copia & impetu: Omnia proinde quæ assumuntur, & ad Sanguinem pergunt, properant imprimis ad Lactantium Mammas.

Non chylũ, sed Sanguinem esse Lactis materiam.

X X V I I. Quapropter, quoniam pro *Lactis materia* nec Ratione urgente nec Experientia manifesta Chylum admittendum censemus, cum plerisque Sanguinem etiam nunc habemus.

Loco Lactis Sanguinem sæpe effluere.

X X V I I I. Pro Sanguine autem plurima pugnant, & 1. quidem *Sanguis sæpenumerò Lactis loco effluens*, imprimis quando diutiùs & avidiùs exsugitur Lac.

XXIX. Quòd si Lactis materia non esse Sanguis, utique idem non promanaret, utut diu sugerentur Mammæ; verùm nihil omninò tunc prodiret, donec ab assumptis Alimentis novus Chylus, per vasa propria cum Lactis vasis sis dubio procul continuata vel ipsis saltem contigua, eo adveheretur.

XXX. Si namque cum Lactis vasis non communicarent Arteriæ Sanguinem ad Mammas deferentes; nullus metus esset Sanguinis post deficiens Lac effluxuri.

Et ad usum medicamẽti Sanguinem sistetis rursum Lac.

X X X I. Adde quòd 2. non rarò ad *Medicamenti Sanguinem sistentis usum convenientem* absque ullo Alimento assumpto *sistatur ulterior Sanguinis effluxus*, & sequatur ejus loco Lac, sicut haud semel vidi factum, quod nunquam fieret, si Lactis materia esset Chylus, non verò Sanguis.

Durante lactatione vasa Sanguinem eo deferentia augeri.

X X X I I. 3. *Vasa notabilia* & Sanguinem ad Mammas deferentia, referentiaque, *Arteriæ putà Venæque* in Mammis augentur durante Lactatione, decrescuntque ac minus apparent eadem cessante; unde concludimus, desiderari eo tempore plus Sanguinis in Mammis, quàm aliàs.

XXXIII. Nec est, quòd quis putet, se argumenti hujus vim effugere posse, dicendo idcircò *plus Sanguinis ad Mammas deferri, quoniam durante Lactatione majores fiunt Mammæ*, ideòque copiosiore indigent ad sui Nutritionem Alimento, Sanguine.

Mammas durante lactatione non augeri, sed explicari.

XXXIV. Nam 1. explicantur magis tunc, quàm ut propriè loquendo augeantur excrescantque Mammæ; quæ idcircò cessante Lactatione corrugantur quasi, contrahunturque iterum ad consuetam ferè parvitatem: quod æquè proprium est Mammis, atque Utero, durante Uteri gestatione magis explicato.

Nec tam copioso Sanguine ad sui nutritionem augeri.

X X X V. 2. Licet actu ac reverà grandiores tunc fierent Mammæ, tam copioso tamen ad sui nutritionem haud indigerent Sanguine, qua copia tunc observatur per Vasa tam grandia affluere: unde meritò concludimus denuò, magis ad Lactis copiosi productionem continuam, quàm ad propriam nutritionem lactationis tempore tam copiosum ferri ad Mammas Sanguinem.

X X X V I. Posset idem pluribus evinci argumentis, verum non videtur id necessarium; cùm possint jam prolata satis superque cogere assensum eorum, qui veritati magis student, quàm novitati.

Nova vera non spernenda.

XXXVII. Utique haud spernenda sunt nova, dummodò simul sint vera; sed nec nimiùm affectanda est novitas, spernendaque antiquitas, quin eadem potiùs colenda, ipsique multum est deferendum, nisi ad ipsam deserendam nos cogat veritatis studium & amor.

Antiqua non deserenda, nisi falsa.

In quibus partibus lac paretur.

XXXVIII. His ergo hactenus determinatis de Lactis materia aliquid etiam dicendum *de Parte, in qua paratur Lac*: quam non putem aliquem negaturum esse ipsas *Mammas*, & in ipsis existentes *Glandulas*.

XXXIX. Nec puto eos, qui Lactis materiam Chylum arbitrantur, existimare, nullam in Mammis mutationem subire Chylum antequam in Lac abeat; cùm non parùm à Chylo differat Lac, quòd proinde non nisi ex mutato in Mammis Chylo conficietur.

In quo Mammæ à cæteris corporis partibus differant.

XL. Si quis autem Mammas examinaverit, observabit facilè, ratione Glandularum peculiarium differre ipsas à cæteris corporis partibus omnibus; ac proinde illas publicæ ministrare functionis; hoc est, Lactis generationi.

X L I. In Glandulis itaque Mammarum producitur Lac; dum per ipsas pertransiens Sanguis parte sua convenientissima mutatur in Lac.

Qua ratione paretur Lac.

X L I I. Sola verò per Glandularum Mammariarum poros percolatione (uti multis videntur hoc tempore omnes perfici functiones in corpore naturales) *Sanguini in lac mutari*, nullatenus arbitror; verùm *alicujus rei accessu*, quæ Sanguinem ubi secretum & colore & consistentia plurimùm à reliquo Sanguine differentem faciat.

Quid in ejus præparatione Sanguini accedat.

XLIII. Quidam autem illud sit, quod istam Sanguini mutationem affert, quamvis non ita sit dictu facile, conabimur tamen aliquid proferre, unde ex parte saltem illud determinari queat, quin aliis ulterius progrediendi occasio & ansa præberi.

Liquores in glandulis præparatos participare de Acido.

XLIV. Quoniam 1. non tantùm ratione solida, verùm multiplici variorum experientia constat, Liquores in Glandulis præparari solitos plus minùs participare de Acido, aliquando magis manifesto, aliquando magis obscuro, & ab aliis concurrentibus tecto.

Rubedinem ab acido mutari in alborem.

X L V. Quoniam 2. multiplicibus experimentis Chymicis manifestum est, Colorem rutilium acido mutari in albicantem.

Coagulabilia ab acido coagulari.

X L V I. Quoniam 3. iisdem experimentis notum est, ab Acido admisto coagulari & inspissari quævis coagulabilia.

X L V I I. Hinc non sine gravi causa existimamus *in Mammarum Glandulis præparari Liquorum acidiusculum, sed valde temperatum, qui partibus Sanguinis* ibidem à reliqua massa secretis *admistus* easdem tum *magis consistentes*, tum intimiùs *commixtas*, tum *albicantes* præstet, adeò, que *in Lac mutet*.

In Saliva latere aciditatem.

XLVIII. Novimus quidem, Salivam in Glandulis conglomeratis præparatam & insipidam plurimùm

timùm differre à Summo Pancreatico itidem in conglomeratis glandulis præparato & subacido, vel subsalsu muriatico : Aciditatem tameu in Saliva latere , probant plurima experieotia cum ipsa instituta .

XLIX. Atque ista sufficere videntur ad læsæ multis modis Lactis generationis differentias , & Causas eruendas, hinc & curationem ex arte instituendam.

Quot modis lactis generatio lædatur.

L. Observatur autem Lactis generatio variis modis lædi , & 1. quidem cum *Nulla* fit. 2. cùm *nimis pauca* 3. cum *nimia* 4. cùm *depravata* , & quidem ratione *Coloris* , *Saporis* , *Consistentiæ* , &c.

Quanam ad lactationem requirantur.

LI. Lactatio certè tum ratione Matris , vel Nutricis Lactantis tum ratione Infantis sugentis locum habere non potest, ni Lac in mammis generetur , ni , mammis effluere possit ; quapropter ; omnia circa Lactationem occurrentia mala & incomoda ut ritè notentur percipianturque; ab ipsa Lactis generatione læsa ordimur .

Nulla fit lactis generatio ex quare.

LII. *Nulla* igitur fiet *Lactis generatio* , nunc Ipsarum *Mammarum* , *sive Fermenti Lactiferi* , nunc ipsius *Sanguinis* culpa .

Lactiferi fermenti causa.

LIII. Mammarum aut Fermenti Lactiferi culpa hoc evenit , quoties ineptæ sunt Mammarum Glandulæ ad Succum illum subacidum, & Fermentum Lactiferum vocandum præparandum .

LIV. Si ritè constaret nobis quale si hoc Fermentum Sanguinem in Lac mutans, clarius possemus illius viria explicare .

De Acidi natura participans.

LV. Quamvis enim putemus, plus minus ipsum de acidi natura] participare, quoniam tamen plurimæ sunt Acidorum species , paucis observatæ , ad medicum saltem usum revocatæ , non mirum si non festinandum putemus in hoc Fermento determinando , verùm lentè pergendum ad ipsius naturam essentiamque exactiùs percipiendam, describendaque .

LVI. Eaistimamus autem optimè illud posse cognosci per Medicamenta tum interna, tum externa Lactis generationi promovendæ, sistendæve conducentia ex æquu expensa, & cum cæteris omnibus circa Lactis generationem observabilibus collocata .

LVII. Et quamvis multa desideremus adhoc experimenta huic negotio absolvendo oecessaria , ut & otium ad eadem cum aliis multis conferenda , proferemus tamen in medium, quod initium saltem faciat istius investigationis laudabilis, utpote hominibus utilis.

Lactis generationem impedit Alumen. Ejus Vires.

LVIII. Inter alia in mentem mihi venit, *Alumen* usurpari externè ad impediendam, cohibendam, sistendamque Lactis generatienem: in quo tamen occurrit *Acidum, sed subacerbum.*

LIX. Quin notant nonnulli , ex immodetato Aluminis usu non tantum impediri, cohiberique, ac tandem sisti Lactis productionem , verum impediri quoque Mammarum incrementum, quinimò eatingui omnem Lactis generationem .

Fermentum Lactiferum cujus sit naturæ.

LX. Hoc si verum sit , (de quo mihi non satis constat , Licet ea iis , quæ ipse in praxi observavi , non videatur mihi hoc absonum) necesse est , concludamus Fermentum illud Lactiferum non esse naturæ acerbæ , sed illi plus minùs contrariæ, adeòque potiùs naturæ volatilis , atque valdè tempetaræ ; cum nullæ secuodùm naturam soleant in fœminarum mammis sentiri Lancioationes ; satis frequentes autem, quando ipsæ malè habent , ac præsertim aut instantibus mensibus , aut substinente in ipsis lacte, aut Animi affectu gravi , mœrore imprimis, aut terrore ipsis superveniente .

Et inesse Sal Volatile.

LXI. Unde , siquid conjectare valeo , existimem ; Huic fermento Lactifeto multùm inesse Salis Volatilis aciditatem ipsius remperantis: quod videtur confirmari ab iisdem *Salibus Volatilibus* , & *Lactis generationem & ejusdem effluxum promoventibus* , & *notatas Lancinationes non tantùm tollentibus ac curantibus* , *verùm prævenientibus* quoque .

LXII. Quod à Volatilibus Salibus desumptum eapertmentum confirmat similiter *haud acerbum* esse *Lactiferum Fermentum*, sed *nec valde Acidum*; verùm *temperatissimum*; & ita tamen, ut aptum sit, Sanguinem in Lac mutare.

LXIII. Plura possent ea memoratis deduci experimentis ad Lactis generationem læsam feliciter curandam facientia , quæ postmodum, si res desideret, atringemus ; sicut cum felici successu in usum non semel revocavimus.

LXIV. Utique admodùm jucundum est , ita ex manifestis experimentis ratiocinari & philosophari , ut aliquis usus videatur in praxi secuturus ; & adhuc magis jucundum est , conclusionis tuæ non vanitatem sed veritatem in praxi & rerum usum experiri . *Ex experimentis philosophandū ut usus sequatur in Praxi.*

LXV. Et utinam omnes Philosophi , aut qui saltem Philosophorum nomine gloriantur , solici ti essent de suis Conclusionibus qualibuscunque itidem per experienriam confirmaodis, & tunc demum Discipulis suis communicaodis ; non item de nugis & fumis credulæ juventuti vendendis & obtrudendis : quod non tantùm io Veterum Philosophorum , sed Neoticorum quoque sectatoribus desideramus . *Conclusiones per experientiā firmanda.*

LXVI. Cæterum quoties istud *Fermentum in totum deficit* , aut *iners* existit , deficiet quoque Lactis Generatio, ipsaque adeò Lactatio . *Quando desistat lactatio.*

LXVII. Deficiet in totum Fermentum Lactiferum haud dubiè vitio Glandularum io Mammis eaistentium , & imprimis solidorum . Notum enim est, firmiores , solidiores , durioresque observari plerumque Mammarum Lac minimè producentium Glandulas . *Quādo fermentū Lactiferum.*

LXVIII. Nec mirum , in Glandulis durioribus ac solidioribus minùs parari posse quosvis Liquores ; quippe qui earundem *raritatem* desiderant, ut in ipsis & per ipsas moveri queant & alterari . *In Glandulis durioribus minùs parari Liquores.*

LXIX. Solidiores ac densiores erunt istæ Mammarum Glandulæ, tum à constitutione propria, tum ab exterois rebus perperam & more pessimo ad ipsarum incrementum impedimentum , impositis , *Austeris* putà & similibus . *Glandularū durities unde.*

LXX. Nativum Vitium petendum mihi videtur *Succo Austero* in Melancholicarum corpore existente , atque tum maximè , quando *fœminæ incipiunt fieri puberes* , Mammæque naturale augmentum capere . *Quo tempore si Mœrore afficiantur* , *halitusque Austeri quaquaversum attollantur* , non mirum , si *Mammarum Glandulas novam* ex Dei ordinatione *mutationem subeuntes* , ideòque variis modis alterari aptiores , præ aliis partibus omnibus male afficiant , ipsisque valdè ooceant. *A naturali cōstitutione.*

LXX. Si proinde nominatæ Causæ externæ habuerint locum , *Curabitur* hoc malum usurpando tam *interne*, quàm *externe Medicamenta Volatili Sale abundantia & Aromatica* , *Spirituosaque* . *Ejus curatio.*

LXXII. Inter *interna* laudabimus merito *Aquas ex Aromaticis plantis & Vini Spiritum* paratas , & quidem *distillatione* potiùs quàm *sola infusione* ; quoniam Liquot talis erit tum gratior , tum penetrantior , efficaciorque: quod imprimis desideratur in hoc casu ; ut scilicet Medicamenta non impediantur à partibus crassioribus , quæ in sola insusione simul eliciuntur , & Vini Spiritni junguntur , in distillatione autem iterum à Vini Spiritu secedunt , cum quo subtiliores duntaxat & maximè Aromaticæ ascendunt , huic operi utiles . *Per Interna & quanam.*

LXXIII. Quòd si quis optet nil medicamenti perire, poterit partibus plantarum Aromaticis affundere Vioi Spiritum rectificatum , atque semel ipsum ab illis M. B. abstrahere , mox iterum affundere, atque post viginti quatuor horam insu-

sionem

sionem ac digestionem filtrare, tandemque in eudem M. B. ad siccitatem abstrahere: qua ratione præter Vini Spiritum Aromaticum assurgentem remanebit in fundo Extractum itidem Aromaticum seorsim usurpandum.

LXXIV. Tali Aquę Spirituosæ, Aromaticęque jungentur commodè aliç Aquę itidem Aromaticæ, non autem Spirituosæ, quales sunt Aquæ Menthæ, Fœniculi, Melissę, ac similes, quibus diluantur, & commodiùs usurpentur, additis præterea Syrupis convenientibus, ut & Salibus Volatilibus, Oleosis Aromaticis, & quandoque ipso Laudano Opiato,

Per Externa & quænam.

LXXV. Inter medicamenta *externa* convenient eædem modò laudatæ *Aquæ Spirituosæ & Aromaticæ, cum Sale Volatili* quovis junctæ, atque forinsecùs Mammis applicatæ cum linteo mundo, humectando subinde dicta lintea eodem liquore.

LXXVI. Quin conducent quoque *Unguenta & Olea Aromatica*; quibus si *Volatilia Salia* admisceantur, plus præstabunt.

LXXVII. Sed commodum erit quoque, *blande fricari Mammas*, quò facilius per ipsarum cutim penetret ad ipsarum glandulas vis medicamentorum Aromatica & Salina Volatilis.

Qua ratione agant hæc Medicamenta.

LXXVIII. Medicamenta verò hæc ratione suis *Salis corrigent humorem austerum ipsarum substantiam compingentem ac incrassantem*, quem paulatim reddent *magis Volatilem, Spirituosum, ac dulcem*; unde in ipsis producetur tandem *Fermentum subacidum* quid, sed *blandissimum, & Lactis generando aptissimum*.

Eadem esse & ratione & usu comprobata.

LXXIX. Quamvis autem talia non fuerint à vulgaribus nostris Medicis in usum revocata, quoniam horum vires ignorarunt, nec unquam forsan eadem ivestigarunt; non dubitamus tamen eadem Artis Cultoribus commendare, non tantum secundùm rationem, verùm Experientiam quoque non semel à nobis in Mammarum affectibus variis factam, & quidem cum successu felici, ne dicam stupendo, & nostram expectationem superante.

LXXX. Hac ergo ratione putamus posse, si nullo alio remedio, Curari propter Mammarum vitia Deficientem Lactis generationem, ipsamque adeò Lactationem.

Quando Lactis generatio deficiat culpa Sanguinis.

LXXXI. Diximus *deficere* quoque aliquando *Lactis productionem Sanguinis culpa*; si præsertim *Vasa nimis exilia sint*, quæ ad Mammas tendunt, nec durante uteri gestatione, ac imprimis appropinquante partu expandantur, pluique Sanguinis ad Mammas tunc transferendo ipsarum explicationi ac turgescentiæ ansam præbeant.

Quando hæc causa locum habeat.

LXXXII. Hanc Causam locum habere putamus, & quando & *magnitudine, & consistentia sive mollitie laudabili donatæ sunt Mammæ*, atque satis hilares sunt fœminę, minimè tristes aut melancholicæ; unde diximus modò, indurari ipsarum glandulas, Fermentumque in ipsis produci vel nullum, vel saltem ignavum & iners.

LXXXIII. In tali casu existimamus *vitio conformationis Vasa esse minora & forsan solidiora*; nisi fortan ex præpostera pectoris angustatione ac compressione difficiliùs possit reddi, si non produci etiam hoc malum.

Quomodò curetur.

LXXXIV. Vix putem autem Malum hoc, nisi lentè paulatimque, posse *curari, ex parte saltem emendari, & quidem frictione frequenti blandaque loci*, per quem ad Mammas tendunt Vasa sanguinea; additis *Unguentis & Oleis Emollientibus*: qualia sunt Unguentum Althææ, Mucaginum Nervinum, & similia; Oleum Liliorum Alborum, Amygdalarum dulcium; Pinguedo humana, & aliorum Animalium: quorum omnium ope *emmolliri laxarique* possunt *tunicæ Arteriam, sensimque aptæ fieri, ut magis explicentur, grandioresque factæ plus Sanguinis transferant ad ipsas Mammas*.

LXXXV. Cavendum autem sedulò, *ne frictione vehementiore aut diuturniore quassentur lædanturque Mammarum Glandulæ*, sicque *Inflammationi ansa detur*. Non festinandum proinde, ast procedendum lentè in partium præsertim continentium emendatione & mutatione à statu nativo, quippe quæ difficiliùs & segniùs obtinetur.

LXXXVI. Atque sic Deficientis Lactis Generationis Causa & Curationem paucis proposuimus; pergamus similiter ad Lactis parciùs ac minore copia producti Causas & Curationem.

Lactis parcioris generatio unde.

LXXXVII. Generabitur autem Lac parciùs itidem nunc *Glandularum Mammariarum*, ipsiusve *Fermenti Lactiferi*, nunc *Sanguinis* culpa.

Glandularū & fermenti Lactiferi culpa.

LXXXVIII. *Glandularum Fermentive* culpa paucum generabitur Lac, quoties ipsum *parcius* vel *invalidus* existit ad sufficiens Infanti nutriendo Lac producendum. Tunc enim tantum verè dicitur copia minore gigni Lac, quando ipsum alendo Infanti non sufficit.

Quando parcus existat fermentum.

LXXXIX. Parcius existit Fermentum Lactiferum, quando *non tàm exiles* sunt Glandulæ Mammariæ, *quàm* producendo Lacti satis copioso *minus aptæ*; quod sæpè videmus contingere ad *Animi Mærorem, frigusque externum grave*, atque *Alimenta crassiora* imprudenter ac sine appetitu singulari, verùm *cum fastidio* potiùs assumpta. Unde meritò putamus, id fieri ratione *humoris* alicujus *Crassioris Melancholici & Austeri*, quavis de causa in corpore producti & *ad Mammarum glandulas delati*, Lactisque productionem minuentis.

Ejus causa.

XC. Quoties proinde ab Animi mærore, terrore, aliave de causa qualicunque auctus est in corpore humor Melancholicus, toties Lactationis tempore Mammæ, ipsarumque Glandulæ præ aliis partibus omnibus ab ipso afficiuntur malè, ideòque Lactiferum Fermentum in ipsis paratur parcius & minus Volatile, minusque dulce ac temperatum, quin Lac generatur & parcius, vitiosum, de quo agemus in sequentibus.

Fermentū invalidius.

XCI. Non tantùm à memoratis modò Causis externis producitur Fermentum Lactiferum parcius, sed, sicut dictum, minus quoque Volatile, minùsque dulce ac temperatum, ideòque ad Sanguinem in Lac mutandum *invalidus*; qua de causa non tantum vitiosum, sed parcius quoque gignitur Lac, neč infanti nutriendo sufficiens: adeò ut tàm propter istius Fermenti quantitatem minorem, quem propter ejusdem qualitatem obtusam ac inefficacem Lac generetur tunc in Mammis parcius.

Curatio.

XCII. *Curabitur* autem illud vitium Medicamentis nuper laudatis & propositis, *Aromaticis, Spirituosis, & Sale Volatili abundantibus*; quorum nimirum ope Humor ille Melancholicus & Austerus undecunque ortus corrigetur, & noxa in Mammis ab ipso producta emendabitur, Fermentumque adeò laudabile, satis copiosum in posterum gignetur denuò ubi tam externa conducent, quàm interna paulò ante recitata.

Et quibus.

Si à frigore externo, Sudorifera adhibenda.

XCIII. Ubi notandum, si à *frigore externo, Vento nempe boreali & aspero* fuerit productum illud malum, usurpari utiliter *Sudorifera* laudatis medicamentis similia, quorum ope foras propelletur iterum, quicquid penetravit per cutis poros ab Aere ac Vento noxio; quodque nunquam sat diu remanet in corporis habitu, sicut non semel id ostendimus in Nosocomio Academico, & nunc quoque habemus in ipso ægrum, cui ante quatuor septimanas iter Antvverpia huc facienti pluvia & frigus Aeris ei conjunctum non tantùm febrem gravem, ast dolorem in corporis habitu peperit etiam nunc perdurantem, nec facilè ac plenè inde recessurum, nisi convenientibus medicamentis per sudores repellatur expellaturque,

turque,

turque, quod in notato corporis habitu tamdiu permansit.

Neque illa negligenda

XCIV. Hoc autem si negligatur, non rarò ita vitiatur Corporis habitus, ut postmodùm Doloribus frequentibus & gravibus infestentur aut continuè ad leves saltem causas partes externæ, quin non rarò inde excitentur Dolores Arthritici.

Si ab alimentis noxiis & austeris, humores corrigendi et evacuandi.

XCV. Si *Alimenta noxia & austera* fuerint copiosiùs ingesta, illique Lactis generationi diminutæ ansam præbuerint, utile fuerit post prævium *humorum austerorum correctionem ac præparationem blandis purgantibus educere ipsos per alvum*; quoniam tunc non tantum corrupti sunt humores corporis naturales, verùm aucti quoque iidem, unde non solum alteratione indigent, ast evacuatione quoque ac diminutione.

Si à gravi animi affectu alterantibus utendum.

XCVI. quòd si à solo *Animi affectu gravi* ortum habuerit hoc malum, sola sufficient *alterantia* modò laudata, licet utile sit nonnunquam mox ubi animus agitatus fuit vehementer, *Sanguinem* mittere.

Et Venæsectione. Et quare.

XCVII. Ubi quærat Veritatis studiosus, qua ratione conveniat tunc *Venæ-sectio* quam docuimus non semel *indicari* 1. *à plethora*, hoc est, nimia Sanguinis abundantia. 2. ab ejusdem æstu magno. 3. ab ejusdem *Motu cessante*. 4. *ab eodem ad hanc aut illam partem nimiùm ruente*, aut è vasis suis alicubi effluente.

In vehementi animi affectu Sanguinis Motu malori.

XCVIII. Existimamus autem id fieri, quatenus in *vehementi Animi affectu sistitur plus minus Sanguinis Motus*, *turbatur* saltem non tantùm *illius effervescentia*, sed eadem non rarò *augetur*, aut *minuitur*: *augetur* ferè ab *ira*, *minuitur* verò à *tristitia*, & *pavore*.

Nempe sisti. Et turbari.

XCIX. *Sistitur* plus minùs in quovis Animi affectu vehementi ac inexpectato *Sanguinis Motus* quoniam *sistitur*, mox *turbatur Spirituum Animalium Motus Animalis*, hoc est, Animæ Motus compositus sequens; qui Animæ motus quoniam in tali affectu sunt inordinati, non mirum, si *Animales Spiritus*, *sicut Anima ipsa*, *primùm quiescant*, *mox inordinate moveantur*: unde non tantùm Cordis Contractio primùm minùs absolvitur, mox turbata observatur; verùm cæteri *canales omnes vasaque iisdem munis, hinc inordinate contrahuntur*, *contentique in eisdem Liquores similiter propelluntur*, quin Animales Spiritus ipsi quaquaversùm ferri desinunt, mox confusè ac inordinarè eò feruntur: unde non tantùm *Liquorum* quorumvis *Motus*, verùm *præparatio quoque alteratur & turbatur*; quapropter docebamus supra, *Bilem*, *Succum Pancreaticum*, *Lympham*, & cæteros corporeos Liquores *fieri ad vehementem Animi motum Acriores*, ideòque in *peragendis* suis *muneribus ineptiores*, *quin nocentes*.

Quod curatur aperta vena.

C. Quoniam verò metus est, ne *cessante diutiùs Sanguinis Motu*, *Sanguinis partes* variæ in *dextro Cordis ventriculo hærentes nocentiùs in se agant*; & subinde *suffocationem ac mortem*, subinde *alias noxas & affectus graves* pariant, utile est, aperta in tempore vena *Sanguinem à Corde aliò derivare, motumque ipsi conciliando* noxium illud quaquaversum dispergere.

Et quare.

CI. Maximum enim malum est, si propè Cor, vitæ fontem, quod in Sanguine corruptum est, diutiùs hæreat; unde in vitæ discrimen adducuntur omnes, quibus hoc accidit; faciliùs autem illo periculo liberantur aperta vena, & remoto in tempore à Vitæ fonte memorato Sanguine: quod necessariò evenit, quatenus in educti locum pergit omnis propè Cor priùs subsistens. Atque hac potissimum ratione putamus conducere Sanguinis eductionem festinanter institutam post Animi affectum gravem & quidem graviter afficientem.

Lactis generatione imminui sanguinis culp.

CII. Non tantùm Glandularum Mammariarum, & Fermenti Lactiferi, sed *Sanguinis* quoque *culpa imminuitur* aliquando *Lactis generatio*, quando idem nunc *parcus existit in corpore*; nunc *parcus accedit ad Mammas*; nunc *viscosior & glutinosior* existens *segniùs*, adeòque *parciùs* mutatur in Lac.

Quando parcus existit.

CIII. *Parcus* existit *in Corpore Sanguis*, tum propter ipsius *jacturam* notabilem, in *Lochiis*, *mensibusve* magna copia effusis, vel quovis alio *Sanguinis per Nares* aliasve vias *effluxu*, ex ipsis etiam *vulneribus* casu, ictu, aliove modo factis, contingentem.

CIV. Quæ *Lochiorum Menstruorumve* nimiorum Causa esse queat, docuimus in superioribus.

CV. Quænam *Hæmorrhagiarum* quarumvis Causa esse possit, alibi docendum, ubi Rerum non-naturalium dictarum consideratio accurata quemvis satis erudiet: Nam tum *Aer æstuans*, & quandoque *glacians*; tum *Alimenta* multis *Aromaticis* condita, tum *Corporis motus vehementior*; tum inter Animi Affectus *Ira immoderatior*, tum *Vigiliæ diutiùs protractæ*; tum aliquando *Alvus adstrictior* tali hæmorrhagiæ noxiæ ansam præbere possunt.

Ejus curatio, pro diversitate causarum.

CVI. *Vulnera* per infortunium sat sæpè hominibus obveniunt, eorumque Causæ à Chirurgiæ Doctoribus ex professo pluribus investigantur & proponuntur.

CVII. Quoties proinde propter quamvis memoratam Causam contigit notabilis in Lactantibus fœminis Sanguinis jactura, ideoque Lactis Generatio parcior, toties ad hujus *Curationem* quàm maximè requiritur, ut 1. *Causa* illæ *removeantur*. 2. *Sanguinis Effluxus præsens cohibeantur, & novus impediatur*. 3. *Sanguinis reparatio procuretur*.

CVIII. Causæ illæ cum variæ possint esse, singulæ prudenter nunc præcaveri, nunc emendari debent.

Si fluxus Lochiorum sit nimius ob violentã secundarũ detractionem

CIX. Sic Exempli gratia, si *fluxus Lochiorum* fuerit *nimius* propter violentam Secundarum detractionem, Uterique lacerationem, danda opera, ut ocyssimè consolidetur Uterus excoriatus methodo in præcedentibus à nobis proposita.

Ob Sanguinem serosũ aut biliosũ acrem.

CX. Si eadem *Lochia Menstruave nimiùm effluxerint* propter *Sanguinem serosum, aut Biliosum Acrem*; studendum, ut Acrimonia illa propositis non semel medicamentis temperetur & serum, bilisve excedens minuatur, tàm per alvum, quàm per corporis poros, sicut non semel id docuimus.

Si Hæmorrhagia sit ob Aere æstuantem. Vel glacialem.

CXI. Si *Aer æstuans* in Causa fuerit Hæmorrhagiæ qualiscunque, idem fugiendus erit, temperandusve.

CXII. Si *Aer* contrà *glacialis* fuerit, & notabilem Hæmorrhagiam excitarit; fugiendus erit, atque blandis auxiliis Aromaticis ejus Acrimonia ad Aciditatem vergens, corporique communicata superanda erit, atque cum Sudoribus è corpore iterum expellenda.

Ob assũpta Aromatica acriora.

CXIII. Si nimis multa *Aromatica* & quidem *Acriora* fuerint *cum Alimentis* prœperàm usurpata, inde Hæmorrhagia excitata, difficulter superabitur hoc malum, nec nisi usurpatis quæ Acrimoniam illam sensim corrigant; in quem finem conducunt Medicamenta tum Aquea, tum Subaustera, tum Sub oleosa: qualia sunt, Plantago, Sempervivum, Solanum, Lactuca, &c. Emulsiones variæ ex Hordeo, Amygdalis dulcibus, Sem. papav. Albi, & similibus paratæ; quin Opium & quævis Opiata blandiora, & minimè Acria; quin magis adstringentia; unde præferendum Diascordium Fracastorii & Theriaca Mithridatio Democratis.

CXIV Usurpanda sunt autem ista sæpiùs, & quidem quantitate parva.

Ob Motum Corporis violentum.

CXV. Si *Motus Corporis* fuerit vehementior, quieti dandum idem, atque somnus conciliandus Emulsionibus blandis potiùs, quàm Narcoticis potentioribus.

Ob vigilias.

CXVI. Idem dicendum de *Vigiliis protractis*.

Ob iram.

CXVII. Si *vehementior Ira* Hæmorrhagiæ ansam dederit, componendus rationibus solidis animus, excitandusque somnus blandus laudatis modò Emulsionibus.

Ob Alvum adstrictam

CXVIII. Si *Alvus adstrictior* quovis modo excitarit Hæmorrhagiam, solvenda illa quam primùm Enemate potiùs quàm ullo alio remedio, cùm

sit omnium blandissimum, tutissimum, præsentissimum, facillimum & aptissimum.

Ob vulnera vasorum. C X I X. Vulnerum Causæ si quæ supersint in vasis læsis, inde convenienter removendæ; cum aliàs frustrà expectetur Sanguinis effluentis Curatio.

Ipse Sanguinis effluxus cohibendus. CXX. Postquam verò seriò cogitatum est de Causis hæmorrhagiæ removendis, danda seriò opera, ut 2. *Sanguinis Effluxus ipse cohibeatur*, quod fiet usurpando medicamenta tum hiantia, tum læsa *Vasa consolidantia*, quavis forma, Decocti, Mixturæ, Conditi, Pulveris, Pilularumve in usum revocanda.

CXXI. Laudavimus non semel inter præcipua *Sanguinem Draconis*, cùm facilè liquoribus quibusvis jungatur, & quaquaversùm transferatur, potenterque vasa hiantia & aperta claudat & sanet.

Novus impediendus. C X X I I. *Novus Sanguinis Effluxus impedietur* ac prævenietur, non tantùm vitando Causas memoratas, sed simul conservando corpus in quiete, Animumque in tranquillitate, omniaque disponendo magis ad somnum, quàm ad vigilias; uno verbo præveniendo omnia quæ humores in corpore agitare possunt, eorundemq; in ipso motum augere: ut & vitando causas externas, omnes, adeòque fortuitas, à quibus lædi, vulnerari, & aperiri possunt vasa, sicque Sanguinis effluxui ansa quovis modo dari.

Sanguis deperditus reparandus. CXXIII. *Sanguinis* autem jam *deperditi Reparatio* procurabitur 3. per Alimenta multum Sanguinem generantia & facilè fermentabilia, qualia sunt Juscula Carnium Animalium Juniorum, Vitelli ovorum, Lac in assuetis, quæ omnia, cùm pauca soleant producere Alvi excrementa, negotio facili abeunt tam in Chylum, quàm in ipsum Sanguinem, hinc & Lac: ubi semper concedenda fœminis ea, quibus delectantur maximè, quæ assumpta ferre possunt facillimè, & à quibus nutriri solent copiosissimè: quod sedulò notarunt semper Practici summi, & idcircò felices facti.

Lactis generatio imminuitur, quando paucus accedit ad Ubera, C X X I V. *Diminuitur* quoque Lactis Generatio, quando *Parcus accedit Sanguis ad Ubera*. Non juvat enim Sanguis multus in corpore existens Lactis productioni largiori, ni quantitate laudabili accedat ad Ubera.

Unde id fiat. C X X V. Accedit autem Sanguis paucus & parcus ad Ubera, quoties viæ ipsum eò deducentes, Arteriæ, sunt nimis exiles ac paucæ, sive à prima constitutione ac structura corporis hoc pendeat, sive affectus aliquis in Mammis, aut Arteriarum via excitatus Arterias quasdam aut consumpserit, aut notabiliter angustaverit; Exempli gratia, Lateris combustio ab igne actuali, & aliquando forsan à potentiali quovis modo prudenter vel imprudenter circa Arteriarum applicato.

Si sint Arteriæ exiles, quomodò amplientur. CXXVI. *Arteriæ exiles blando frictu* nonnunquam extenduntur, ampliantur que paulatim; & ita quidem, ut fœminæ quibus post primum partum paucum generabatur Lac, id sequentibus partubus producant magis copiosum, & tandem lactando fœtui sufficiens.

CXXVII. Quòd si blando frictu hoc non emendetur paulatim malum, nec alia Lactis defectus Causa subsit, satiùs est Mammas & matres frictionibus fortioribus, aliisve remediis haud molestare, ne in alia conjiciantur ipsę mala graviora & periculosiora.

Si ab Affectu vitiatæ sint, quomodo restituantur. CXXVIII. Sicubi verò ab Affectu quovis fortuito, aliove corrugatæ, aut exsiccatæ, consumptæve fuerint ex parte saltem Arteriæ Mammariæ; videndum, an remediis externis, præsertim Oleis, Linimentis, Unguentis, Emplastris, Cataplasmatibus, Fotibus, Balneis, & similibus emolliri possint, & ab adhærentibus subinde humoribus viscosis & austeris pedetentim liberari, mox & iterum ampliari, explicarique: qua sola ratione putem aliquid laudabilis sperari posse ni Affectuum tam difficilium curatione.

CXXIX. Quòd si ne sic quidem aliquod commodum accedat fœminis, frustrà tentabitur ulterior Curatio: quin satiùs est, tales mulieres patienter ferre, quod mutari non potest: ne, sicut modò etiam dictum, nimis multa imprudenter tentando conjiciantur in nova & graviora mala.

Lactis generatiò diminuitur, quando viscosior et glutinosior est Sanguis. CXXX. Diminuitur tandem Lactis generatio, quando *Viscosior & Glutinosior existit Sanguis*, ac ideò *segnius*, *hinc & parciùs in Lac* mutatur.

Et quare. C X X X I. Segniùs in Lac mutatur Sanguis Glutinosus, quatenus magis *resistit Fermento* Lactifero temperatiq, quin quatenus ipsum *Fermentum est nimis Glutinosum*, & ad Sanguinem in lac mutandum minùs aptum.

C X X X I I. Quoniam enim Fermentum Lacti serum naturæ est subacidæ ac temperatissimæ, facillimè impeditur in sua operatione à Sanguinis Glutinositate.

C X X X I I I. Sed impeditur idem adhuc magis, quando ipsum non tantùm existit temperatum, sed insuper Glutinosum, adeòque obtusum ac iners, propter Sanguinem similem, à quo suum habet ortum.

CXXXIV. Dum autem sic segniùs in lac mutatur Sanguis, mutatur idem quoque parciùs; minus enim ejus illam subit mutationem eo tempore, quo requirebatur copiosius.

Curatur Sanguinis incisione & emendatione. C X X X V. Diminuta verò propter Sanguinis Glutinositatem nimiam Lactis Generatio Curabitur Sanguinis incisione ac emendatione.

C X X X V I. Incidetur ac Emendabitur hæc Sanguinis Glutinositas 1. Medicamentis Aromaticis & Sale Volatili abundantibus. 2. Medicamentis Acidulis blanda & Volatili præditis.

Et quibus. Medicamentis. C X X X V I I. Medicamenta *Aromatica ex vegetabilibus* præsertim petenda; uti *Salia Volatilia ex Animalibus*: *Acida* nobis promunt *multa vegetabilia*, sed longè magis efficacia *Mineralia*, & imprimis *Salia*, ex quibus distillatione elici solent Spiritus Acidi & Acres, qui additione *Spiritus Volatilis*, & cohobatione frequenti redduntur blandiores.

Copiosius generatur aliquando lac. C X X X V I I I. Quemadmodùm desideratur aliquando Lactis productio, sic contrà generatur idem nonnunquam Copiosius; unde non tantùm ipso gravantur, sed non rarò debilitantur quoque Lactantes.

Eoque gravantur. CXXXIX. *Gravantur* à copiosa Lacti productione Mulieres, quatenus ipso valdè distenduntur Mammæ, quæ ipsas necessariò gravant, & pondere suo angunt.

Et debilitantur Mulieres. C X L. *Debilitantur* Lactis productione aucta Fœminæ, quatenus sic plurimus Sanguis consumitur ipsis; sive spontè tunc effluat ipsis Lac, sive Lactatione sola ipsis educatur; quamvis debilitentur magis fœminæ, quibus spontè Lac effluit, quàm illæ, quibus nullum nisi suctu educitur.

Ejus causa. C X L I. Cùm ergò sit modus in rebus, sitque adeò fœminis periculosus nimius Lactis proventus, danda est opera, ut & illius Causæ veræ innotescant, & ipsæ corrigantur, tollanturve.

Ipse Sanguis. C X L I I. *Augetur verò Lactis Proventus* aliquando ab ipso *Sanguine*, aliquando à *Fermento Lactifero*, aliquando ab utroque.

Quando bonus, & fluidus. C X L I I I. *Sanguini* debetur Lactis ubertas, quotiesidem non tantùm *laudabilis & optimus*, sed simul *fluidus* existit, *ac tenuis*.

Unde is oriatur. CXLIV. Sanguinem optimum producunt, Aer serenus ac temperatus: Alimenta multi fucci & fermentationis facilis; Corporis motus mediocris; Somnus placidus & moderatus; Animus hilaris; & Excreta, Retentaque secundùm naturam se habentia.

C X L V. Sanguinem eundem optimum præstant simul tenuiorem ac fluidiorem, Alimenta spirituosa & sale volatili abundantia copiâ satis lau-

laudabili, non tamen nimia, usurpata: unde non fluiditas aquea, sed spirituosa producitur: propter quam spirituositatem, ut sic loquar, videtur faciliùs Fermenti Lactiferi itidem Spirituosi vim excipere ipse Sanguis.

Ei viscositas conciliandu.

CXVI. Quoties proinde non tantùm multum, sed nimium producitur ideò Lac, toties annitendum, ut Sanguini major concilietur viscositas & glutinositas.

Et quaratione.

CXLVII. Id autem fiet, mutando 1. Aerem in aliquanto asperiorem ac frigidiorem; 2. Alimenta in aliquantò viscosiora & salita vel fumo indurata. 3. Corpus minùs movendo, & ad quietem deducendo. 4. Somno magis indulgendo. 5. Animum ad tristitiam inclinando. 6. Partium subtiliorum eductionem per alvum leniter augendo.

CXLVIII. Imprimis abstinendum erit ab usu Alimentorum maximè spirituosorum, & ab omni Sale volatili: quorum loco usurpanda erunt, quæ succum crassum ac glutinosum producunt, qualia sunt vegetabilia valdè succulenta, plantago, portulaca, becabunga, pyra, cydonia, mespila, &c.

Lactis Ubertas à fermento Lactifero.

CXLIX. *Fermento Lactifero* adscribenda Lactis Ubertas, quoties ipsum existit tum *copiosum*, tum *potens ac spirituosum*.

Copioso & spirituoso.

C L. *Copiosum & spirituosum* existit *Fermentum* illud propter *Aerem serenum*, atque ad frigus vergentem; imprimis propter *Alimenta volatili acido condita*; à quibus non tantùm augetur ejus copia, sed insuper augetur ipsius robur & efficacia.

Ejus spirituositas qui immuntetur.

C L I. *Immutabitur* verò illa Fermenti-Lactiferi *aucta vis & spirituositas*, tum abstinendo ab iis, quæ ejus productioni ansam præbuerunt, tum usurpando ea, quæ *obtundere ac figere* possunt *Acidum* in nobis, qualia sunt & *pinguia*, & *glutinosa*, & *acerba*, & *aquea*, & *salsa lixivia fixa*.

Et copia qui minuatur.

CLII. Ejusdem *Fermenti copiam minuent Sudores blandi* subinde excitati.

Lactis Ubertas à Glandulis molloribus.

CLIII. Præter Sanguinem laudabilem, atque Fermentum valdè Spirituosum & copiosum ad Lactis productionem uberiorem facere observantur *Glandulæ Mammarum molliores*, cùm rariùs Lac multum producatur, quando duræ sunt Mammarum Glandulæ.

Hæ unde tales.

C L IV. Molles videntur mihi Mammarum Glandulæ propter Acidum minùs acre, acerbumque in ipsis productum; ab austeto namque, atque acerbo indurantur magis partes quævis, atque adeò ipsæ glandulæ, donec eodem sensim acriore facto lancinationes in ipsis excitentur, ac tandem Cancer producatur.

Nullo modo mutanda.

CLV. Glandularum hæc mollities, ut pote minimè vitiosa vel noxia, nullo modo mutari debet, ne induratæ noxam patiantur.

Lac generatur depravatum.

CLVI. *Depravari* diximus *Lactis Generationem*, quoties ipsum ratione *Coloris*, *Saporis*, *Consistentiæ*, aliùsque qualitatis producitur vitiosum.

Colore.

CLVII. *Colore* laudatur *Lac ex cæruleo albicans*, culpatur *flavescens*, aut *impensè albens*.

Sapore.

C L V I I I. Laudatur *Lac Sapore dulce*, culpatur *amarum*, *subsalsum*, aut *quovis alio sapore* præditum.

Consistentia.

C L I X. Laudatur *Lac consistentia mediocre*, culpatur *valdè crassum*, aut *valde dilutum & tenue*.

Lactis flavedo unde.

C L X. *Flavescere* videtur Lac à *Bilis Tinctura* in Sanguine exuperante, atque Lacti communicata.

Albedo unde.

CLXI. *Impensè albere* videtur Lac à *Pituita* in Sanguine plus minùs redundante.

Amaritudo unde.

CLXII. *Amaricare* videtur *Lac* à *Bile* non satis Sanguini permista, sed in Sanguinis sero existente; licet raro ipsa in eo observetur; nam & à Me quoque semel atque iterum est nunc observata, & ab iis, qui quàm ego frequentiùs Sanguinem suis educunt ægris, sæpiùs notata.

Salsedo unde.

CLXIII. *Subsalsum* redditur Lac à *Sero Sanguinis salso muriatico* Lactis arctiùs juncto.

Consistentia mediocris unde.

CLXIV. *Consistentia* Lactis mediocris debetur Sanguini hactenus quoque laudabili.

Crassities unde.

CLXV. *Crassities* nimia Lactis debetur *Sanguini pariter crassiori* & valdè glutinoso.

Tenuitas unde.

CLXVI. *Tenuitas nimia Lactis* debetur Sanguini tenuiori & fluidiori.

Flavedo quomodò corrigatur.

CLXVII. *Lac flavescens corrigetur educta* per intervalla *Bile*, ac imprimis *præcipitata*, *correctave ipsius excellente Tinctura*.

C L X V I I I. Quæ *Bilem blandè minuant* evacuentque nota sunt Cholagoga; quæ hic meritò laudantur claudantur per intervalla usurpata.

Bilis excedentem tincturam corrigi vitriolo Et ejus Sulphure Anodyno.

C L X I X. Quæ *Bili excedentem Tincturam præcipitent*, *corrigantve*, via puto hactenus nota multis remedia: in quem finem tamen existimo conducere *Vitriolum* depuratum; & imprimis ex *Marte* paratum; quod si ulteriùs præparetur artificiosè, plus præstabit; ac præsertim ejus *Sulphur anodynum*.

Albedo quomodò corrigatur.

CLXX. *Lac impensè albens*, ac semper forsan simul crassius, corrigetur *Pituitæ correctione ac eductione*,

CLXXI. *Pituitam* in hoc Casu *corrigent* felicissimè *Aromatica & Salia Volatilia*.

C L X X I I. Eandem *minuent ac educent Phlegmagoga*; sed hic per epicrasin & parva dosi exhibita.

Quomodo Amaritudo.

C L X X I I I. *Amaricans Lac* corrigitur diminutione bilis universali per *Cholagoga* blanda.

Quomodò Salsedo.

CLXXIV. *Salsam Lac* corrigitur diminutione Seri salsi in Sanguine redundantis per *Hydragoga*, sæpiùs & minore quantitate exhibita.

Quomodò Crassities.

CLXXV. *Crassius Lac* attenuabitur per *Aromatica & Salia Volatilia* diutinè usurpata cum Alimentis.

Quomodò Tenuitas

CLXXVI. *Tenuius Lac* incrassabitur prudenti ac diutino usu *Austeriorum* blandiorum Alimentis junctorum.

C L X X V I I. Atque ex hisce patere puto, qui Lactis Generatio multis modis vitiosa contingere possit & curari: proximum est, ut de Lactis motu læso similiter agamur.

C A P U T XI.

De Lactis Motu Læso.

Canales à glandulis; ad & per Papillas.

I. UT Lac in fœminarum uberibus paratum utilitatem afferat infantibus, moveri debet ad ipsarum papillas, quin per ipsas: in quem finem *Ductus & Canales sive Tubuli singulares* formati sunt à Glandulis Mammariis ad Papillas, perque Papillas.

Cum quibus conveniant

II. Hi Ductus affinitatem habent cum Salivaribus & Pancreaticis, quatenus Liquorem suum effundunt extra suas glandulas, non quidem in Cavitatem aliquam Corporis notabilem, qualis est Os & Intestinum tenue, verùm extra Corpus ipsum; postquam non in proprium ipsius fœminæ Lactantis, sed Fœtus sugentis usum præparatur & movetur Lac.

Esse plures,

III. Hi *Ductus & Canales Lactiferi* non terminantur in *Unum grandiorem ac Communem*, sicut evenit Salivaribus & Pancreaticis, verùm notantur *per Papillas penetrantes plures*, pressa manu Mamma, expressoque ex ipsa Lacte pluribus quasi radiis tunc saliente.

Et quare,

IV. Saliva quoniam omnis pergit in Oris Cavitatem, videntur idcircò plures ipsius Ductus minores desinere in paucos majores; & quoniam Succus Pancreaticus omnis pergit ad tenuis Intestini Cavitatem, videntur ipsius Ductus minores desinere ut plurimùm in Unum grandiorem, rariùs in duos majores in tenue Intestinum patentes: *Cur verò Lac*, licet itidem omne in Os Infantium moveri debeat,

& præ omnibus meritò laudatur *Oleum Caryophyllorum* stillatitium, quo hactenus præstantius nullum reperimus ad frigoris febrilis molestias moderandas, superandasque.

Et quomodo. XXIV. Possunt in eum finem plura simul misceri, & tum ante Paroxysmum febrilem, tum durante ipsius frigore quantitate parva subinde assumi: ubi notandum, cùm plerique Ægri quævis fastidiant tum Alimenta, tum Medicamenta, prudentis Medici esse, tum gratiora, tum minore quantitate assumenda medicamenta præscribere aut præparare; quò faciliùs ac libentiùs ea usurpent: unde ridendi meritò derisores illi nostrarum Mixturarum, & gratiorum, & cochleatim assumendarum, & tantò magis sunt illi ridendi, quòd non tantùm alia Medicamenta hisce præferenda aut ipsis æquiparanda substituere nesciant, sed & eadem imitentur indies.

X X V. Utique optaremus, hos Thrasones gloriosos præstantiora & ægris gratiora excogitare, atque in usum medicum revocare, quos parati essemus mox sequi, atque ipsos hactenus laudare: qui nunc veniunt culpandi, postquam spernunt ea, quæ bona sunt, & suis præstantiora; sed orandum pro ipsis, ut sit mens sana in corpore sano.

Removendo acidum forinsecùs admotum, & imponendo corrigentia. XXXI. *Removendum* autem in tempore omne *Acidum forinsecùs Mammis quovis nomine admotum* atque illius loco *imponenda*, quæ vitiosum illud Acidum corrigant, ejusque noxas tollant; qualia sunt *Aromatica* quævis quovis modo præparata & Mammis applicata; forma Fotus; Cataplasmatis, Emplastri, Linimenti, &c.

Quanam et quomodo. X X V I I. Sic Plantæ Aromaticæ, Mentha, Majorana, Ruta, Absynthium, &c. decoqui possunt in Vino, addendo subinde sub finem ipsum Vini Spiritum, & cum pannis lineis laneisve applicari calidè Mammis; renovando quamprimùm minuitur *fomenti* calor: postquam frigus quodvis externum hic maximè noxium.

XXVIII. Sic ex iisdem Plantis cum Vino decoctis & tandem contusis parari possunt *Cataplasmata*, & similiter Mammis imponi.

XXIX. Sic *Olea*, *Unguenta*, *Emplastraque Aromatica* injungi, applicarique possunt in iis, quæ pinguia ferre possunt; nam omnes ferre talia non possunt. In quà re oportet solicitum esse Medicum, ne facilè molestiam creet suis ægris.

Vitando Aerem frigidum et acrem. Ut et Aquam frigidam. XXX. Imprimis *Aer frigidus & Acer vitandus*, & contra ipsum muniendæ Mammæ, quando ab ipso fuit Lac in ipsis coagulatum.

XXXI. Idem planè dicendum de *Aqua* frigida, & *Pluvia*, à quibus sedulò cavendum.

Dissolvendo lac coagulatum. X X X I I. Atque hisce ritè curati, danda quoque, opera, ut ipsum *Lac* à notatis Causis variis *coagulatum* in Mammis *dissolvatur iterum*, *fluxileque factum* via ordinaria effluat per Papillas.

Et quibus. XXXIII. Observatum est autem multiplici experientia, omnia *Aromatica & Spirituosa* plurimùm conferre ad dictis *Lactis coagulati dissolutionem*, quo ipso videtur mihi confirmari magis ejusdem coagulatio ab Acido, licet ipsa sit per eandem experientiam satis nota.

Lac ab Acido coagulari. X X X I V. Notum est, inquam, coagulari ab Acido Lac; postquam ipsum, calescens imprimis, ad cujusvis Acidi affusionem coagulari & coalescere solet.

Et coagulatum per Aromatica dissolvi. X X X V. Sed ejusdem coagulati concretique dissolutio per Aromatica videtur mihi confirmare eandem per Acidum coagulationem, atque coalescentiam; quatenus infinitis experimentis aliis constat, Aromatica & imprimis Volatili Sale simul abundantia contraria esse Acidis: Contrariorum autem contrarii sunt effectus & affectus; si proinde ab Aromaticis solvatur Lac Coagulatum, concludo ad Acidis coagulari ipsum.

Et per Spirituosa. X X X V I. Possunt igitur convenienter jungi *Aromatica Spirituosis*, quando exempli gratia, decoquuntur *Menthæ*, *Majoranæ*, *Rutæ Hortensis*, *Absinthii*, &c. folia, eorundemve flores aut semina ex Vino generoso; applicanturque hoc decoctum calens cum pannis lineis laneisve Mammæ, totiesque renovatur idem, quoties incipit aut exsiccari, aut refrigerari.

X X X V I I. Quòd si aliquid *Spiritus Vini* addatur huic decocto, reddetur id efficacius.

X X X V I I I. Sic si *Sal Volatile* quodvis, *Salis Aromaticis* puta, cum *Vini Spiritu* & *Aqua aliqua Aromatica* misceatur, & vix tepens Mammæ affectæ imponatur, & aliquoties renovetur, plurimùm promovebitur Lactis coagulati dissolutio.

XXXIX. Adeò ut eadem quæ modò dicebamus convenire *Acido* quin *Aqueo gelido* perperam externè Mammis applicato vel admisso, corrigendo, adeoque Coagulationi Lactis præveniendæ, conveniant quoque Lacti jam coagulato iterum solvendo, ac restituendo.

X L. Sed præter modò laudata tum Aromatica, cum Salia Volatilia conveniunt quoque Lacti coagulato dissolvendo *Gummi* multifaria, *Galbanum*, *Sagapenum*, *Ammoniacum*, *Opopanax*, *Bdellium*, &c. in Emplastri formam cum *Cera* & *Ceti spermate* (quod meritò hic valdè laudatur, & Sale Volatili abundare videtur) redacta: quale jam notum est *Emplastrum de Spermate Ceti* dictum, & in hoc casu sæpiùs à me feliciter usurpatum. *Et Gummata.*

X L I. Quòd si negligatur ab ægris per incuriam, vel à Medicis per imperitiam *Lactis Coagulati* dissolutio, idem ampliùs corrumpetur, atque facta *Inflammationem*, perget ad *Suppurationem*. *Lac Coagulatum ampliùs corrumpi.*

XLII. Lac Ergo sicut stagnans duntaxat subsistentisque, sic coagulatum etiam *Inflammationem* parit prima sui corruptione, quæ si superetur in tempore prævenitur *Suppuratio*, ad quam tendit aliàs omnis Inflammatio. *Et nisi impediatur, Inflammationem parere.*

X L I I I. Quemadmodùm à Sanguine, sic & à Lacte in vasis suis subsistente, aut extra ipsa effuso existimo fieri *Inflammationem*, *avolantibus* nempe *partibus* magis *spirituosis*, & *acrimoniam majorem nanciscentibus partibus acidis*, mox *tum Salinis Effervescentiam* potentiorem excitantibus, sed ob partes *butyrosas, & pingues* minimè frigidam, ast *calidam*, quæ Inflammatio vocari solet. *Quæ quomodò fiat.*

X L I V. Existimo namque, *in omni Inflammatione Calorem illum ardentem produci ab utroque acri*, tum propter partium spirituosarum acre utrumque temperantium abitum & fugam, tum propter sui moram diuturniorem acriori facto, ideòque *vehementiùs in se mutuò insurgente*, hoc est, *Effervescentiam nimiam excitante*, quæ propter *partium pinguium in Sanguine & Lacte abundantium concursum fieri debet ac sentiri calida*; quoniam partes Igneæ in utroque Acri existentes, atque propter conflictum notatum erumpentes, in oleosas & pingues se insinuant, atque tunc demum calorem producunt, sensumve calore afficiunt. *A quibus Calor in Inflammationibus.*

X L V. Nam *Ignis*, quantum Ego saltem potui hactenus observare *nullum producit in nostro sensu Calorem* nisi quando in Oleo, quod ejus pabulum vulgò dicitur, (quo jure, jam non inquiram) *existit*, *ac subsistit*. *Quando ignis calorem in sensu producat.*

XLVI. Perperam enim creditur extingui, quando in dicto suo pabulo desinit existere Ignis; sive hoc fiat pabuli defectu, vel Aeris requisiti denegatione, vel aliter. *Et quamvis non producat, tamen existere.*

XLVII. Licet enim desinat sic extinctus ignis sensu nostro sentiri, non desinit tamen esse, atque aliter subsistere; nam per Aerem diffunditur, donec iterum colligatur, vel alicui rei junctus ad tempus vinciatur, iterumque liber factus opus suum exequatur: quod licet sit planè Physicum, interest tamen, ut & Medici ejus naturam, indolem, actiones, & passiones cognoscant, ut ipso ritè uti queant; postquam nullum Agens

observatum est forsan in rebus naturalibus, quod in activitate & potentia ipsi queat præferri, quinimò comparari.

Quid hic tanquam Medicus consideret an flor:

XLVIII. Quòd autem hic, tanquam Medici, consideramus investigamusque, non est ratio Caloris, qui sentitur urgente partem quamvis Inflammatione, sed ratio Corruptionis, quæ Lacti Inflammationem parienti, ac sensim in Pus mutando evenit.

Lac in Pus mutari.

X L I X. Dum Ergo sic corrumpitur Lac Inflammationem pariens, abit quoque in tantum è statu tuo naturali, ut Pus factum ampliùs homini esse non possit utile, adeòque tunc absolutè removeri debeat ex parte quavis affecta, res nimirum toto genere præter naturam, & indies pejor solita, dum pus degenerat in Saniem.

Lac corruptum non posse in integrum restitui.

L. Ubi notandum, 1. Lac coagulatum quidem restituti posse in integrum, non item corruptum & in pus jam mutatum.

Paulatim ac per partes in Pus corrumpi.

LI. 2. Lac non universum semper simul in pus corrumpi, sed paulatim ac per partes: unde non raro, licet universa ejus suppuratio impediri nequeat, impediri potest saltem aliqua ejus pars: quocirca prudentis Medici est, continuè versari in impedienda Lactis Suppuratione, etiant tunc, ubi nullum ampliùs dubium est de ipsius Suppuratione inchoata: quò, licet in totum impediri nequear, impediatur saltem ex parte.

LII. Diximus autem, ab Acido Acriore ansam dari Lacti tum coagulando, tum in opus corrumpendo.

Puris generationem promoventia pus non producere. Ea esse Emollientia,

LIII. Quæ verò vulgò dicuntur Puris generationem promovere, illa reverà pus non producunt, sed *blandiùs educunt*, atque *partes* ita disponunt, ut *à pure minùs efficiantur* malè; quin eo ipso faciunt, ut *citiùs pus producatur*.

LIV. Illa ipsa verò sunt Emollientia dicta multifaria, & imprimis Cataplasmati forma usurpanda, sed pro Symptomatum conjunctorum diversitate diversè mutanda & præparanda.

Quando Lac subsistit, quænam usurpanda.

LV. Quotiescunque igitur Lac in fœminarum Mammis subsistens, ipsasque distendens ac dolorem pariens, Inflammatiunem, hinc & securam Suppurationem minatur, usurpanda mox nuper laudata tum Aromatica, tum Spirituosa, tum Sale Volatili abundantia.

Quando suppuratur, quænam adhibenda.

LVI. Ubi autem observamus, ex dolore pungente ac cum calore in Mammis perseverante, Suppurationem esse inchoatam; tum commodè laudatis jungentur Emollienta, eademque in Cataplasmatis formam redacta dolentibus induratisque applicabuntur Mammis; quò Lactis nondum corrupti Suppurationem impediamus, coagulatique solutionem festinemus; atque ejusdem jam corrupti Suppurationem & maturationem promoveamus.

Lac coagulatum dissolvi à cepis præcipuè.

LVII. Inter ea, quæ Lactis coagulati dissolutionem absolvere possunt, & Cataplasmatis commodè jungi, haud postremum locum sibi vendicant *Cepæ*, tum utiliter sub cineribus assandæ, quò ipsarum Acrimonia excellens minuatur, & cum minori Ægrarum molestia opus earum perficiatur.

Emollientia quænam hic præcipuè usurpanda,

LVIII. Inter *Emollientia* laudantur meritò *Liliorum Alborum Bulbi*, *Rad. Althææ*, ejusdemque, uti & malvæ folia, farin. lini, fœnugræci, & similia plura vulgò nota, & apud Chirurgiæ Scriptores passim descripta.

Repellentia non adhibenda.

LIX. Non possum autem laudare *Repellentia* vulgò dicta, & à plerisque tantoperè in principio Inflammationum commendata; cùm illa ex præiudicio duntaxat commendentur, ipsaque Cura sine ipsis longè feliciùs absolvatur.

Et quare.

LX. Quamvis enim curentur Ægri multi, quibus in principio Inflammationis usurpantur repellentia; non curantur tamen, quia illa fuere administrata, sed quia alia & discutientia & emollientia simul fuere ipsis conjuncta. Observatum enim est sæpiùs ab illis repellentibus solis, aut cæterorum respectum majore copià administratis, notabilem noxam ægris allatam, quin aliquando ipsam Gangrænam in partibus inflammatis excitatam: Cujus nullus est metus, si nostra methodo talia in totum omittantur, & modò laudata à nobis usurpentur: quod hic pluribus deduximus, ut notati errores, utut satis vulgares, in posterum vitentur, ac ægri feliciùs tutiùsque curentur.

Methodus authoris optima.

LXI. Hanc methodum optimam esse, vel hinc patet, quòd Symptomata omnia, Dolor, Tumor, Ardor sic brevi minuantur, ipsaque Suppuratin citiùs absolvatur, & post factam spontè vel arte apertionem, minus puris prodeat, ipsumque ulcus, si ritè tractetur, citiùs, certiùsque mundetur ac consolidetur.

Et quare.

LXII. Hac igitur ratione, quicquid Lactis coagulati restitui potest, restituitur in integrum; quicquid autem restitui nequit, citiùs, faciliùsque suppuratur; unde itidem citiùs faciliùsque ad maturationem ac consolidationem deduci potest Ulcus.

LXIII. Quò enim citiùs in Pus Lac vel Sanguis mutatur, eò minùs ab ipsu læduntur partes Pus continentes, ac proinde faciliùs citiùsque restitui possunt in statum sanum.

Apostema quæ caret ur Aperiendū lanceola.

LXIV. Quamprimùm igitur in Pus mutatum Lac, quod tunc ex Doloris, Duritiei, Ardorisque diminutione cognoscitur, nisi *spontè aperiatur Apostema*, mox *lanceola idem aperiendum*, quæ via est brevissima & tutissima.

Medicamento emollien te.

LXV Sin apertionem ferre nulint, vel non ausint fœminæ, danda opera, ut in parte Tumoris maximè molli, ubi etiam ferro facienda est apertio, unguento basilicone, sicuve assa, vel unguento valdè emolliente promoveatur Cutis penetratio; quin aliquando ad *Cauterium potentiale* recurrendum, quando in loco profundiore hæret Pus, nec satis citò expectari potest Cutis penetratio à pure, quod interea temporis partes vicinas solet corrumpere.

Vel cauterio potentiali.

Ulcus mundandum & Consolidandum.

Et quibus.

LXVI. Ubi autem quovis modo facta est Apostematis apertio, cœpitque effluere Pus, aliquid *Balsami Sulphuris cuiusvis*, *Terebinthinati*, *Succinati*, *Anisati*, *alteriusve*, orificio indetur, atque emplastro conveniente, *Diapalma* putà, vel alio tegetur, atque, quamdiu Duries molesta in mammis permanebit, Cataplasma imponetur.

LXVII. Sic enim paulatim & quicquid noxij Lactis superest, suppurabitur, & Ulcus mundabitur, consolidabiturque brevi.

LXVIII. Quando Durities notata sublata est, desistendum ab ulteriori Cataplasmatis applicatione, sufficietque solus balsamus cum emplastro laudato, aliove conveniente, quale diapompholygos, album coctum, &c.

LXIX. Atque hæc dicta sufficiant de Lactis effluxu impedito ac cessante ratione ipsius Lactis.

Lactis effluxus impeditus ratione viarum.

LXX. Diximus idem *in Effluxu suo impediri ratione viarum, per quas solet fluere*, quas imprimis consideramus *in papillis*, per quas ex suis cavitatibus vel canalibus in Mammis existentibus & Lac continentibus exugi, expellique, aut emulgeri sulet Lac.

Ob tubulos angustatos.

LXXI. Illud autem evenit, quoties *Tubuli* isti vel in suo exortu, vel in suo progressu *angustati* sunt, & quidem sæpiùs per *compressionem*, rariùs per *obstructionem*.

Per compressionem.

LXXII. *Comprimi* solent illi Papillarum Tubuli à *Tumore* aliquo aut in *Papillis* ipsis, aut *circa ipsas in mammis* existente, ac præsertim ab *Inflammatione*.

Obstructionem.

LXXIII. *Obstructio* rariùs videtur in omnibus istis Tubulis posse habere locum; quod tamen si fiat, fiet à *Lacte in ipsis coagulato*, quod haud eveniet facilè, nisi à frigore inopinatò & graviter ipsas afficiente, lacque in ipsis calens coagulante.

LXXIV.

Inflammatio unde.
LXXIV. *Inflammatio* tum in papillis ipsis, tum in parte Mammarum ipsis vicina ortum habet à *Sanguine* extra sua vasa effuso, & partes circumjacentes angente atque angustante.

Quomodò curanda.
LXXV. *Curabitur* hæc Inflammatio medicamentis nuper in Lactis Coagulatione ac inde orta Inflammatione laudatis, Cataplasmatis præsertim forma usurpatis: ubi vulgò notis Emollientibus si junguntur Salia Volatilia blandiora, plurimùm præstabunt; ac sæpè Sanguinem discutient sine subsequente Suppuratione: quam semper conabitur prævenire prudens Medicus.

LXXVI. Quòd si neglecta in tempore Inflammatio tendat necessariò ad suppurationem, eadem medicamentis laudatis facilitabitur & promovebitur, adeò ut cum doloribus tolerabilioribus perficiatur.

LXXVII. Ubi maturam fuerit Apostema hoc exiguum, sponte ferè aperietur, & balsamo Sulphuris anisato brevi curabitur.

Obstructio quomodò curanda.
LXXVIII. *Obstructio* si quæ oriatur in Tubulis Papillaribus ea *Coagulata* in ipsis *Lacte*, *Curabitur*, ipsa feliciter *Fomento aromatico*, & *Sale Volatili* eidem juncto.

Effluxus Lactis parcior quisnã dicendus.
LXXIX. Secunda Læsi Lactis Motus Species locum habet, quando *Lac parcius quàm decet effluit è Mammis, quamvis præsens adsit*. Nam impropriè creditur diciturque parciùs effluere Lac, quod deest in Mammis: cùm non sit tunc propriè Defectus Motus, sed Lactis.

Dupliciter fit.
LXXX. Effluit autem parcius Lac, nunc ob *Sui*, nunc ob *Viarum vitiam*.

Sui culpa.
LXXXI. *Sui* culpa diminuitur Lactis Effluxus, quando ipsum est *naturali crassius & glutinosius*; cujus Causas deduximus, & Curationem proposuimus ubi de læsa Generatione Lactis egimus cap. præced.

LXXXII. Quod ad præsens negotium facit, monebimus, dandam operam, ut quamprimùm hoc curetur malum, ne, si negligatur, reddatur gravius, supprimaturque in totum Lactis Effluxus, sequanturque Inflammatio Suppuratio, &c de quibus egimus suprà.

Et quomodo curetur.
LXXXIII. Usurpabuntur igitur in tempore Aromatica & Sale Volatili abundantia, tum interna, tum externa, quorum ope Lac attenuatum fluidiusque factum Motum servet denuò naturalem.

Vel Viarum culpa.
LXXXIV. *Viæ*, per quas fluit Lac, in culpa sunt Diminuti ejusdem Effluxus. quoties *Angustiores* sunt, & quidem à Tumorea vicino & duro; de quo jam egimus, docentes Inflammationem esse hujus angustiæ extremę, atque hic levioris causam, cuius etiam Curationem adiunximus: ut non videatur necesse plura hic addere: quin potius pergemus ad cæteras Læsi Lactis Motus species.

Effluxus Lacti cum molestia, difficultate & dolore. Ejus causa.
LXXXV. Tertiam læsi *Lactis* Effluxus Speciem docuimus esse, quando *idem cum difficultate, molestia, & dolore elicitur, effluitque.*

LXXXVI. *Difficulter effluit elicitarve* Lac quando *angustæ* sunt ejus *viæ*.

LXXXVII. *Cum dolore idem elicitur*, 1. quando *Inflammatæ* sunt *Mammæ*, vel *Papillæ*. 2. quando *Papillæ* sunt *excoriatæ*, *exulceratæve*. 3. quando eædem sunt *fissæ*, aliterve *male affectæ ac doleates*.

LXXXVIII. De Mammarum & Papillarum Inflammatione, ejusdemque Causis & Curatione jam supra disseruimus.

Papillæ unde excorientur, & exulcerentur.
LXXXIX. *Excoriantur*, quin *Exulcerantur* plerunque Papillæ, ob Infantum sugentium Os; hoc est, Labia, Gingivas, Palatum, & Linguam; Ardore, Pustulis, Apthis, aliisve Ulceribus malè affectum.

XC. *Excoriantur* aliquando Papillæ ab *Erysipelatis quadam Specie* ipsas Papillas propter causas diversas, febres putà, vel alios affectus internos fœminarum, corripiente.

XCI. *Excoriantur* aliquando eędem *Papillę ab ipso Lacte* sponte ac continuò effluente, ipsasque adeò Papillas, dum *Acrimoniam* nanciscitur, excoriante non minùs, quàm ipsas etiam Mammas & partes vicinas, ad quas pertingit.

Unde finduntur.
XCII. *Finduntur* sæpenumerò *Papillæ*, quando *levi Inflammatione* turgentes arctiùs *constringuntur à Gingivis*, *mordenturve à dentibus sugentium*; *à quibus salis sanæ licet* non rarò finduntur eædem.

XCIII. Undecunque igitur doleant priùs, doloreve afficiantur inter lactandum Papillæ, cum dolore ac molestia emovetur tunc fœminis Lac.

Excoriatio Papillarum qui curetur.
XCIV. Quando excoriantur exulcerantarve Papillæ propter affectum quemvis Infantium Os ejusque partes varias occupantem; in duobus consistit hujus mali Cura, 1. in *sublatione affectus Infantem urgentis*, cùm posita causa ponatur effectus, & permanente illo affectu tolli nequeat ipsum consequens Papillarum excoriatio; 2. in ipsa *Curatione ac restitutione Papillarum excoriatarum, exulceratarumve*.

Affectus in ore infantiũ qui curẽtur.
XCV. *Affectus varii Infantium Os occupare soliti* qui tolli & curari debeant dicendum, ubi aut in genere tales tractantur, aut in specie agitur de Affectibus Infantium: quorum præcipuos forte an percurremus, si Deus volet, postquam absolverimus Fœminarum affectus.

XCVI. Dum Curatur, & imprimi postquam Curatus est quivis Affectus Infantium Os & Salivam corrumpens, Papillis applicari debent Auxilia in *Excoriatione* quidem *Æstum*, si quis simul adsit, *temperantia*, *& blandè Exsiccantia*; in *Exulceratione* autem *Mundantia & Consolidantia*.

Æstus Papillarum temperandus.
XCVII. *Æstum* Papillarum *temperant*, *tum Aquæ Rosarum*, *Plantaginis* & similes; tum *Mucugio Seminum Cydoniorum*, *& Gummi Tragacanthi* cum dictis Aquis parata; tum *Lactis Cremor*, &c. Huic autem *Cremori* additur utiliter aliquid *Cretæ Albæ* in pollinem redactæ, à qua sequitur quæsita exsiccatio, cùm cætera utrumque ferè præstent, licet creta debiliùs.

Et quibus.
XCVIII. In *Papillarum exulceratione* laudo *Sulphuris Balsamum* quemvis, sed imprimis gratissimum, ne noceat sugenti infanti, qualia *Anisatus*: Convenit quoque *Balsamus Peruvianus*.

Erysipelas Papillarum quibus curetur.
XCIX. Ubi *Erysipelate levi* tentantur Papillæ, conducit idem *Lactis Cremor cum Creta mixtus*; ut & *Aqua Calcis vivæ cum Mercurio dulci decocta*; quæ utilis est quoque in modò memorata Papillarum Excoriatione ac Exulceratione. In *Erysipelate* autem laudo *Aquam Sambuci*.

C. Non negligenda interim Medicamenta interna, imprimis quando aliqua *febricula* simul concurrit, in quo casu præ multis aliis medicamentis utilia sunt *Sudorifera* blanda.

Excoriatio ab ipso lacte continuò effluente; qui curanda.
CI. Ubi *ab ipso Lacte sponte* continuè ferè effluente, atque *Acrimonia sua* tum ipsas Mammas vicinasque partes, tum *papillas rodente* fit *Excoriatio*, opus est Medicamentis blandè atque potenter exsiccantibus, Lixivio putà Calcis vivę & similibus.

CII. Interim ne novo Lacte continuè effluente renovetur hoc malum, danda opera, ut vase aliquo conveniente Mammis applicato excipiatur colligaturque Lac, quod subinde effundendum.

CIII. Talia Vasa usurpantur, & vitrea, & alia ex laminis ferri stanno tecti ita adornata efformataque, ut Mammis applicari possint, absque notabili earum pressione, excipiendo Papillas, & in loco inferiore colligendo ipsum Lac.

Papillarum fissura qui curanda.
CIV. Ubi *fissuris* scatent Papillæ, danda opera, ut 1. *quævis mala ipsas Papillas occupantia Inflammationes*, & similia sine mora curentur ac tollantur; 2. *ipsæ fissuræ* in tempore consolidentur; in quem finem optimus est *Balsamus Peruvianus*, ut & *Oleum Ceræ* ritè paratum.

Effluxus lactis spontaneus.

CV. Quarta læsi Lactis effluxus species est, *quando idem sponte effluit sine omni Suctu.*

Lac sensim in Mammis colligi.

CVI. Observatur Lac secundùm naturam colligi sensim in Mammis, atque tandem ponderis ac distensionis sensu fœminas urgere, quocirca tunc Mammis admovere solent infantes.

Valvulæ in ductibus Lactiferis.

CVII. Unde judicavi, quemadmodùm dictum in superioribus, in ductibus lactiferis Mammarum, ubi papillaribus committuntur, valvulas quasdam esse, quarum ope sistatur Lac, ne sponte effluat, quæque pressione papillarum per infantis labia ita constituantur, ut exitus illi pateat liber.

Effluxus Spontanei modo.

CVIII. Quoties proinde absque suctu sponte fœminis effluit Lac, toties valvulas illas laxiores arbitror, adeò ut minùs exactè claudant laudatas Tubulorum bipartitorum commissuras.

Incurabilis.

CIX. Quòd autem maximè dolendum in hoc casu est, quòd nunquam viderim, audivesimve ipsum curatum: quocirca nullum quoque illi curando proponendum habeo remedium, quamvis putem medicamenta blandè Aromatica, simulque subadstringentia forinsecùs applicata, si non prosint multùm, aliquid saltem præstare posse.

Lactis effluxus cum debilitate.

CX. Quintam læsi lactis effluxus speciem diximus esse, quando *idem effluit cum Lactantis debilitate*: quod non tantùm, imò non semper accidit, quando multum effluit aut sponte aut suctu lac; sed non rarò, quando parum Lactis, sucto licet, potest elici, aut elicitur.

CXI. Multæ namque mulieres vix possunt vel minimam ferre Lactis jacturam, quin maximè inde debilitentur: dum aliæ robustæ permanent, licet Lac multum illis pereat & elabatur, vel eliciatur.

Ejus causa.

CXII. Causa igitur debilitatis non pendet semper à multo Lacte effluente, sed sæpenumerò à peculiari fœminæ constitutione, nullam vel minimam Lactis jacturam absque notabili virium dejectione ferre valente.

Symptomata concomitantia.

CXIII. *Vires*, quas *tunc dejici* observamus, plerumque cum *Animi deliquio, aut Suffocatione Hypochondriaca* primarium habent commercium & affinitatem maximam. Videntur enim tales fœminæ languere & Animo quasi deficere, quando ipsis Lac exsugitur.

Virium dejectio hac ab Halitibus variis.

CXIV. Hanc proinde *Virium dejectionem, Animique Languorem* producit existimo, quatenus *Halitus varii*, nunc *Acidiusculi*, nunc *Austeriusculi* à tenui Intestino ad Ventriculi Orificium superius; hinc & Oesophagum, faucesque, quin ad Cor quoque per Vasa lactea pergunt, & aliquando Animi Deliquii metum, aliquando ipsum Animi Deliquium producunt.

CXV. Halitus autem isti videntur mihi idcircò in tenui Intestino excitari, quoniam in talibus *ad Lactis Suctum Dolor excitatur in Mammis*, ac si avellerentur ipsæ à reliquo corpore; propter quem Dolorem non tantùm *Tristitia* mox Animum Lactantis occupat, sed antequam iterum Mammis adhibeatur Infans, futuri denuò doloris *Metus* eundem invadit: A quo Animi Affectu utroque & Acidum & Austerum reddi Succum Pancreaticum, paucos existimo ampliùs ignorare, in hac saltem Academia, postquam id tam multis probatum confirmatumque habemus argumentis, experimentisque practicis.

In quibusdam propter nimiam lactis productionem.

CXVI. In quibusdam propter nimiam Lactis productionem eductionemque Sanguinem indies minui corpusque paulatim macrescere, atque sic earum Vires sensim deficere observamus; absque tamen notabili Languore, aut Animi Deliquio Fœminas ubi Lactant, corripiente.

Hujus mali curatio.

CXVII. In priore Casu, si Dolor ille Mammarum tolli nequeat, cessandum ab ulteriore Lactatione; in posteriore, nisi minui possit Lactis Generatio, atque Deperditio, itidem omittenda erit Lactatio.

CXVIII. Dolor ille Mammarum videtur ortum habere ex Ductum Lactiferorum nimis brevium & valdè sensilium tractione ac extensione suctu facta. *Dolor Mammarum unde.*

CXIX. Quemadmodùm enim omnes partes membranosæ valde sunt sensiles, atque iut extensionem magnam ferre non possunt, ita Tubuli lactiferi, utpote membranosi, quoties solito breviores existunt, partibusve vicinis sunt intricati & implexi, toties dum suctus fit, extenduntur valdè, atque eo ipso dolorem excitant exquisitum & molestum; propter quem, sicut dictum, Animi Languor vel Deliquium producitur.

CXX. Malum hoc tum præveniri, tum & *curari* debet, blanda *ductuum* dictorum *extensione*, tum frictione, tum illitatione absolvenda. *Qui curetur.*

CXXI. Frictio manu molli sæpiùs iteranda.

CXXII. Illitio Oleis liliorum alborum, amygdalarum dulcium, verbasci, & similibus peragenda.

CXXIII. Quotiescunque *nimium Lactis producitur*, Sanguinisque adeò paulatim consumitur, toties danda opera, ut *illa productio minuatur*: quod fiet imprimis *Alimentis Succi*, non quidem noxii vel inutilis sed *aliquantò crassioris & fermentationis difficilioris*, carne puta bubula, pane haud fermentato, &c. *Nimia lactis productio qui curanda. Quibus Alimentis.*

CXXIV. Idem fiet quoque usurpando *Remedia blandè adstringentia Sanguinemque adeò crassiorem præstantia*, qualia sunt *Coralia*, *Terra sigillata* quævis & pinguis, *Plantago*, *Myrtus*, &c. quæ hactenus quoque videntur mihi conferre, quatenus *Acidum volatile*, *à quo Sanguinem in Lac mutari docuimus*, *blandè infringunt*: quocirca hic *Sanguinem Draconis*, *Lapidem hæmatitis*, *Cretam* & similia similiter conducere arbitramur, dummodò quantitate parva & prudenter usurpentur. *Externa adstringentia vix ausim concedere, ne Lac in Mammis coagulent atque Inflammationem pariant.* *Et Medicamentis.*

CXXV. Quòd si ne sic quidem minuatur Lactis proventus, viriumque dejectio; in tempore *cessandum ab ulteriore Lactatione*: satiùs enim est Infantem aut alieno Lacte uti, aut ablactari, quàm ejus causa sensim matrem confici ac perire. *Et cessando ab ulteriore lactatione.*

CXXVI. Sextam læsi Lactis Motus speciem notavimus, *quando effluit Lac per vias minime convenientes, Apostematis putà aperti orificium*, non item Papillarum Tubulos. *Effluxus Lactis per vias non convenientes.*

CXXVII. Illud autem evenire solet, quoties post inflammationem & subsequentem Suppurationem facta est arte aut sponte Apostematis apertio, atque *læsi sunt* simul *quidam Tubuli Lactiferi*; sive hoc acciderit ratione ipsius Suppurationis grandioris, sive idem factum sit Chirurgi lanceola penitius intrusa. *Quando fiat.*

CXXVIII. Notandum enim, in quavis Suppuratione præter ipsum Sanguinem aut Lac in pus mutandum, corrumpi quoque sæpenumerò partes vicinas & circumjacentes, sed primùm carnosas & molliora, segniùs membranosas, ipsaque adeò vasa, quæ utpote firmiora & tenaciora diutiùs solent resistere corrosioni & corruptioni suæ. *In Suppuratione corrumpi quoque partes vicinas.*

CXXIX. Unde quivis prudens facilè agnoscit, dandam sedulò operam, ut non tantùm *præveniantur* in totum, sed, quantum licet, *minima producantur* ubique, ac imprimis *in Mammis Apostemata*, quin *quantocyùs ad Suppurationem perducantur Inflammationes*, quæ impediri non possunt: & quidem 1. ut *multiplices noxæ Apostemata subsequentes aut comitantes tollantur*; 2. *ex minore spatio Apostemate occupato pauciores partes noxam patiantur*; 3. *à pure diutiùs in partibus quibusvis hærente, ac sensim magis magisque corrupto acriore facto, plures non lædantur partes, & imprimis vasa*, quippe *quorum noxa hominis Sanitati longè nocet magis, quàm carnium quarumvis corruptio.* *Apostemata in Mammis præveniẽda, minima producenda, et quantocyus ad Suppurationem perducenda.*

CXXX.

Suppurationes ad superficiem trahendæ. *Cavendũ ne in loco profundiore aperiatur apostema.*

CXXX. Quemadmodùm autem allaborandum, ut hæc omnia fiant, sic danda quoque opera, ut *Suppurationes omnes*, quantùm possibile, *ad externas trahantur partes, corporisque Superficiem*: nam quæ *in loco profundiore fiunt Apostemata, nec sponte, nec arte aperiuntur, nisi cum partium plurium læsione*.

CXXXI. Ubi *Sponte* aperiuntur, id evenit, quoniam *segniùs ad corporis superficiem viam sibi facit pus, quod intereà temporis partes vicinas plures similiter corrupit, ipsaque subinde vasa*.

CXXXII. Ubi *arte aperiuntur* Apostemata, idem evenit, quoniam, *dum profundiùs adigendum est Scalpellum, facilè ductus aliquos Lactiferos simul dissecat Chirurgus, sicque Lactis effusioni* per viam indecentem, de qua hic agimus, ansam præbet.

Et quare.

CXXXIII. Illud autem ideò cavendum maximè, quoniam tunc Apostematis, vel potiùs *Vlceris post apertum apostema remanentis Curatio est longè tardior*: difficiliùs namque, atque *segniùs consolidantur, aut Carne concluduntur Vasa & Ductus* Lac continuò effundentia; quia *segniùs mundantur & carne implentur Vlcera* ex Apostemate Cava remanentia.

CXXXIV. Non priùs autem Curari potest illa Lactis Effusio per notatum ulcus, quàm carne nova vel consolidata sint dicta vasa discissa vel erosa, vel saltem ea ita munita, ut denuò transitum Lacti naturalem concedant, dummodò tale quid locum habere possit, quod nec affirmare ausim, nec negare, quamvis putem potiùs consolidari hæc vasa, vel in totum obturari.

Effluxus humoris à Lacte diversi.

CXXXV. Diximus tandem 7. lædi Lactis Motum, quando ejus loco vel *Sanguis*, vel *Pus*, vel *Sanies*, *aliusve Humor à Lacte diversus effluit, exugiturve per Papillas*.

Sanguinis.

CXXX. Evenit enim aliquando, ut vel *una cum Lacte*, vel *post tantillum Lactis prodeat Sanguis*, qui deglutitus ab infante facilè corrumpitur in ejus ventriculo, ipsique noxas affert multas.

Ejus causa,

CXXXVII. Prodit autem *Lactis loco Sanguis*, quoties, meo saltem judicio, *in Mammarum Glandulis non mutatur idem in Lac*; *sive avidiùs elicitur & copiosiùs è Mammis Lac*, adeò ut in Lac non possit mutari Sanguis tam citò; *sive suctu vehementi læduntur Vasa Sanguinea, ubi committuntur Substantiæ Mammarum glandulosæ*, adeòque *non accedat guttatim* ut ita dicam, *ad notatas glandulas Sanguis, sed confertim, prodeatque* minimè, minùs saltem, quàm decebat, mutatus per Papillas.

CXXXVIII. Hic est, quòd *plerumque antecedentem Mammarum Dolorem sequatur Suctus Sanguineus*.

Curatio.

CXXXIX Quocunque autem id fiat modo, *Curabitur* feliciter usurpato in Mistura cujusvis feminæ constitutioni convenienteˈ *sanguine Draconis*; quem non sine causa toties laudavis in quovis Sanguinis effluxu præternaturali.

Effluxus Puris.

CXL. Nec tantùm sæpiùs Sanguis, sed aliquando *Pus* quoque, *Saniesve Lactis loco prodit Suctu*, & quidem in *Apostemate ad Papillarum Tubulos pertingente, atque ibidem exitum quærente purulenta materia*.

Ejus causa.

Curatio.

CXLI. Quòd si haud grande sit Apostemata, *licebit* forsan, *non quidem Infantis, sed Suctricis opera per illam viam exsugere illud Pus* usurpando *forinsecùs*, ut & *intrinsecùs medicamenta Vlceris mundationem ac consolidationem promoventia*, qualia sunt *Fomenta & Decocta vulneraria* satis penetrantia cum additio Vini Spiritu parata, ut & *Balsamus Sulphuris*.

CXLII. Quòd sic *Superficiei proximum sit Apostema*, existimarem utiliter posse ipsum *in loco maximè declivi, ac præsertim molli aperiri*, atque sic *citiùs tutiùsque curari medicamentis* superiùs laudatis.

CXLIII. Atque sic absolvimus quoque Læsum Lactis Motum: superest tractanda ipsa Lactatio læsa.

C A P U T XII.

De Lactatione læsa.

I. VT materiam hanc commodè proponamus incipiemus ab ipsa *Lactationis* descriptione, quò faciliùs pateat unicuique, quicquid posteà de ejus dicemus læsionibus.

II. Est igitur *Lactatio, lacti in mulierum Mammis producti allectio per Pappillas, & quidem ope Suctus ab Infante facti*. *Lactatio quid.*

III. Adeò ut perficiendam Lactationem quædam concurrant requiranturque in fœmina Lactante, quædam in Infante Sugente. *Ad eam concurrentia.*

IV. In *fœmina Lactante* ad Lactationem commodè absolvendam requiruntur 1 *Papillæ*, tum *crassitie, tum longitudine mediocres*; ut commodè possint ore, labiisve Infantis sugentis prehendi; unde culpantur Papillæ aut *prægrandes*, os Infantis plus justo implentes: aut *breviores*, adeò ut prehendi nequeant Infantis labiis, sed ipsa fugiant. *In fœmina Lactante. 1. Papilla crassitie & longitudine mediocres.*

V. Requiruntur 2. in fœminis lactantibus *Papillæ Integræ, & à Dolore immunes*; unde culpantur *Fissæ*, aut ob *Inflammationem, Excoriationem, Exulcerationemve Dolentes*. *2. Papilla integra, & à dolore immunes.*

VI. Requiruntur 3. in fœminis lactantibus *Lactei Tubuli per Papillas pervii*: unde culpantur *Papillæ Tubulis Laudatis destitutæ*; adeò ut nulla via Lacti pateat. *3. Lactei tubuli pervii.*

VII. Requiritur in Lactantibus fœminis 4. *Lactis laudabilis affluxus moderatur*: Culpatur contra *ejusdem affluxus nimius*, à quo solet obrui Infans, vel *parcior*, unde multum flatum in Ventriculum sum allicit, plurimùmque inde distenditur angiturque Infans. *4. Lactis laudabilis affluxus moderatus.*

VIII. In *Sugente Infante* requiruntur ad *Lactationem* absolvendam 1. *Labia* tum *integra*, tum *contigua*, tum *mobilia*. *Integra*, ut Papillis undique applicari possint proximè *Contigua & Mobilia*, ut Papillas complecti queant & comprimere, atque vicissim relaxare. *In Infante sugente. 1. Labia bene constituta.*

IX. In Infante Sugente requiritur 2. *Lingua quaquaversùm mobilis*: hoc est, tam antrorsum, ut Papillæ occurrat, quàm retrorsum, ut Lac exustum ad fauces deferat; quin Papillarum quodammodò complecti debet, & blandè illam retrorsum trahere, ad alliciendum exugendumque Lac per illam è mamma. *2. Lingua mobilis.*

X. In Sugente Infante requiritur 3. ad Lactationem perficiendam *Respiratio per nares libera & integra*: sine qua necesse habet infans continuè à Lactatione desistere, ut per Os apertum respiret, Lactationemque redintegret posteà & quidem cum summa sui & matris molestia; dum cogitur papillam alternatim prehendere, iterumque dimittere: quod Infantes ita vexare solet, ut inde excandescant vehementer, & ita quidem, ut aliquando Epilepticos inde patiantur insultus & paroxysmos. Lactantibus autem fœminis reciproca illa Papillarum prehensio & relaxatio cum dolore tandem conjuncta est, quin plurimùm facit ad Papillarum Excoriationem & Fissuras producendas: de quibus egimus in præcedentibus. *3. Respiratio per nares libera.*

XI. Ubi autem libera est Infanti per nares Respiratio, potest idem commodè continendo papillam Ore, in Suctu continuè pergere, atque absque Aere copiosiùs deglutito Lac indesinenter allicere, ipsoque placidè frui.

XII. Quæ cùm ita sint quoad Lactationem naturalem, meritò nunc disquirendum, Quot modis lædi queat ista Infantibus tàm utilis & jucunda Lactatio.

XIII. Læditur autem illa subinde 1. quando *in totum impedita est*, ac *nulla* fit. 2. quando *insufficiens* *Quot modis lædatur lactatio.*

ciens contingit, nec totum Lac in Mammis existens èlici potest. 3. quando *Abundantior* existit atque *facilior*, & Infantem opprimit.

Nulla fit.

XIV. *Nulla fit* vel potiùs fieri potest *Lactatio*, subinde *Lactis*, subinde *Partium in Lactante ad Lactandum desideratarum*, subinde *Sugentis* culpa,

1. Lactis culpa.

XV. 1. *Lactis* culpa Nulla fieri potest Lactatio, quando ipsum est ad motum ineptum, *coagulatum* nempe, de Cujus *Causis* & *Curatione* quia egimus abunde in superioribus, non est, quod actum iterum agamus.

2. Partium in lactante desideratarum culpa.

XVI. 2. *Partium in Lactante* ad benè lactandum *desideratarum* culpa *nulla* fieri potest *Lactatio*, quando *desunt Papillæ*, vel *Vasa ipsum Lac per Papillas vel Mammas deferentia quovis modo* sunt *nimis Angusta*, sive sint *Obstructa*, sive sint *Compressa*. Quòd si *deficiant*, *ineptave* sint *Vasa Sanguini ad Mammas deferendo*, propriè loquendo non deficit tunc Lactatio sive Lactis eductio, sed Lactis productio; qua deficiente, deficit quoque ex consequenti ac necessariò Lactatio; postquam non entis non dantur accidentia: Accidit autem secundùm naturam Lacti educi per papillas, ut eo nutriatur infans: quòd si desit Lac, ejus tanquam tunc non entis aut existentis nullum dabitur Accidens, Ergò nec eductio per papillas, & Lactatio.

Papillarum defectus.

XVII. *Desunt*, *aut deesse saltem videntur Papillæ* in quibusdam fœminis *ante impregnationem aut partum*, aliis etiam *post partum* & Lactationem jam institutam.

Ante partum.

XVIII. Ante partum videntur deesse Papillæ nonnullis, quoniam retractæ sunt, latentque in mammis; quæ *spontè* solent post partum mergere, *blando* saltem *affrictu*, *pileorumve* cereorum, eburneorum, argentorum, plumbeorum, aliorumve *impositione* sensim prodire. In quibusdam tamen reverà desunt nec laudatis modò remediis blandis emanant, sed nec vi foràs extracta & in ambitum circuligata Papillam repræsentante aut mentiente parte.

Post partum.

XIX. *Post partum* & *Lactationem desunt* aliquando Papillæ per *fissuras* tranversas profundiores tandem à Mammarum corpore secedentes, ab Infantibus *mordicùs amputatæ*.

Ejus curatio.

XX. Unde facilè patet, aliàs esse hoc malum incurabile, alià sensim & artificiosè papillas nunc latentes foràs elici, nunc desideratas efformari, quamvis minus commodas, quæ tamen paulatim reddi solent aptiores.

Vasorum Lactiferorũ obstructio.

XXI. *Obstrui* solent ista *Vasa* frequentiùs ab ipso *Lacte* in ipsis coagulato, rariùs à *Pituita* ipsi admista & itidem in ipsis concreta.

Et compressio.

XXII. *Comprimi* solent vasa eadem à Tumoribus duris & vicinis, ac imprimis ab ipso Lacte, Sanguinemve extra ipsa effusso & Inflammationem pariente.

XXIII. De *Lactis Coagulatione*, ut & *Pituitæ Concretione*, quin tum à *Lacte* tum à *Sanguine facta* in *Papillis* & *Mammis Inflammatione*, omnibusque eò facientibus egimus paulò antè, ut non opus sit, eadem hic repetere.

3. Sugentis culpa nulla fit lactatio.

XXIV. 3. *Sugentis* culpa *nulla fit*, fierive potest *Lactatio*, 1. quando *Labia non sunt integra*, sed *fissa* & *hiulca*, sicut evenire solet in eorum Affectu *Leporinorum Labiorum* nomine insignito, atque ipsorum quoque *vulneribus transversis*.

1. Quando labia sunt leporina.

2. Quando sunt voluntariè mobilia.

XXV. 2. Quando eadem *Labia non sunt voluntariè Mobilia*, sed nunc *Paralysi*, nunc *Convulsione* laborant, vel *Motu etiam Convulsivo*: vel *Aphthis*, aliisve *ulceribus scatentia* motum necessarium ferre non possunt.

3. Quando sunt cohærentia.

XXVI. 3. Quando eadem *Labia* non sunt *contigua*, sed *continua* & *cohærentia*, adeò ut Papillas etiam mediocres ac ritè formatas excipere non possint.

4. Quando lingua non mobilis.

XXVII. 4. Quando *Lingua vel antrorsùm exporrigi nequit* ad complectendam Papillam; vel *circa Papillam plicari non potest*, ad exsugendum Lac; vel *Aphthis*, aliisve *ulceribus scatens* ritè moveri nequit.

Curatio Labiorum Leporinorũ.

XXVIII. *Labia leporina* curari possunt ac debent à Chirurgis arte cordata, *liberando* nunc plus nunc minùs *eadem à partibus subjacentibus*, quò adduci queant & conjungi labia hiulca; deinde *excoriando partes labiorum uniendas*, mox *adducendo ad se invicem dictas partes*, hinc *continendo easdem contiguas*, denique *conglutinando ipsas simul & unà cũ partibus subjectis*.

XXIX. Dixi Curationem hanc fieri debere arte, & quidem Cordata. Arte namque & industria indiget Chirurgus istam curam instituturus; quin eundem animo forti esse oportet ad curam tàm crudelem in teneris infantibus instituendam.

1. Separando ea à partibus Subjacentibus.

XXX. Primùm enim in hac cura opus, est *Separatio cruenta Labiorum à partibus subjacentibus*, & quidem aliquando tanta, ut tota maxilla superior carne sua denudetur & labiis; quod spectaculum sicut meritò censetur valdè crudele, utile tamen est ac necessarium miseris aliàs per totam vitam futuris Infantibus: quos non semel tùm feliciter vidi hac crudeli arte curatos, ut vix ulla prioris mali remaneret vestigia.

2. Excoriando partes hiantes.

XXXI. Secundum in hac cura opus, est minùs crudele, *excoriatio* putà *partium hiantium & nunc conglutinandarum*: quæ scalpello fit in labiorum lateribus ab invicem præter naturam, & utplurimùm ob matris imaginationem, casumve aut ictum hiantibus.

3. Adducendo partes ad invicem.

XXXII. Tertium in hac cura opus, est *partium uniendarum adductio ad invicem*, quę facillimè ac felicissimè perficitur per Emplastra tenacissima ex Terebinthina aliisque parata, & priùs labiis applicata, ipsisque arctè adhærentia; sed in extremis per fila fortia munita, quorum ope adducuntur ex parte, sed imprimis digitis, ad invicem, unut plurimùm hiantes labiorum partes.

4. Retinendo partes in contiguitate.

XXXIII. Quartum hujus Curæ opus, est *Partium connexarum in contiguitate artificialis retentio*: quæ imprimis absolvitur nodis factis in modo notatis filis, in laudatis emplastris firmatis: horum enim ope non tantùm emplastra utrinque cuti conjungendę & labis adhęrentia ad se invicem paulatim adducta firmantur, sed subjecta quoque labiorum cutis, quin substantia tota.

5. Conglutinando labia inter, & cum partibus subjectis.

XXXIV. Quintum denique hujus Curę Opus, est *Conglutinatio dictorum labiorum tam inter se, quàm cum partibus subjectis*: in quem finem adhibentur imprimis Balsama, singulis ferè Chirurgis peculiaria ne quis carere videatur tanto secreto, quod tamen vel à Magistro suo didicit, vel ex celebri aliquo Scriptore hausit, vel paucis mutatis aliquando ipsius adornavit: Inter naturalia & simplicia plurimùm præstat in hoc casu Balsamus Peruvianus.

Labia hiantia qui curentur.

XXXV. *Labia transversim per vulnus ab invicem hiantia* minore artificio curantur, quàm Leporina modò examinata, cùm hic sufficiat *vulneris labia* per laudata emplastra *ad se invicem adducere*, *atque consolidare*.

XXXVI. *Labia Paralysi* laborant, vel *Convulsione*, vel *Motu convulsivo* ob Causas in notatis Affectibus ex professo tractatis propositas unà cum eorundem Curatione Generali, ex qua non erit prudenti Medico arduum Labiis specialem elicere.

XXXVII. De *Aphthis* Infantium agemus posthac, si Deus volet, ubi ad ipsorum morbos primarios pervenerimus.

XXXVIII. *Ulcera* pleraque, & forsan omnia ortum habent *ab Acido Acri*, quapropter in genere Curabuntur 1. *obtundendo* Acrimoniam illam notatam. 2. *mundando* ipsa à putris sordibus. 3. *consolidando* tandem eadem, ac cicatrizando.

Quænam in Lingua, & Labiorum

XXXIX. De quibus omnibus quoniam supra egimus abundè, plura hic non addemus; nisi

quod

uberibus maximè conveniant

quòd in plerisque Labiorum & Linguæ ulceribus convenit *Mel Rosatum*; quin omnia Mellis nomine nota, & Syrupi multi: *addito* non raro *Spiritu Vitrioli* ad aliquot guttas; quod mirabuntur procul dubio plerique, postquam dixi modò ad Acido Acri produci ulcera, eademque curari obtundendo illud Acidum Acre, quod frustrà quis expectaverit ab Oleo vel Spiritu Vitrioli valdè Acido; unde videbitur contradictio in meis dictis.

XL. Verùm non idcircò additur Spiritus Vitrioli, ut ab ipso Acidum Acre in Vlceribus obtundatur, sed ut eadem mundentur à puris viscositate: in quem finem conducunt Acida, verùm non pura, sed mellitis & sacchatatis juncta, & quidem parva quantitare: nam si pura usurparetur, aut quantitate notabili, non tantùm Dolores producerent intolerabile, verùm insuper ulcera efficerent profundiora, adeòque pejora.

XLI. Quamvis autem conveniant mundandis ulceribus Spiritus Acidi quantitate parva Syrupis & mellitis juncti, conveniunt tamen magis Salia tum Volatilia, tum aliàs blanda per Oleosa ampliùs obtusa, temperataque: qualia sunt Balsama Sulphuris pleraque, & imprimis gratiora io hoc casu, & quidem cum Syrupis, mellitisve juncta: in quibus quoque inest vis ulcera mundans.

Consideratio circa Ulcerum causam,

XLII. Unum adhuc occurrit explicandum circa *ulcerum* causam, quæ dixi modò *produci & forsan solùm ab Acido Acri*: quod negabunt non pauci propter *Ulcera* tum à *Causticis potentialibus producta*, tum *Grangrænam* sequentia. Sed regero, Ulcera perse à dictis Causticis Salinis lixivis haud produci, sed ab Acido in corpore existente, atque ad partes cauterio ustas, vel Gangræna corruptas accedente, atque Salsum lixivum superante. nam, si hoc non fiat, nulla fiet partis sanæ ab emortua separatio, nulla puris generatio, quin nullum ulcus: postquam non priùs ibi apparet ulcus, quàm & quousque contingit partis utriusque vivæ ac mortuæ separatio; succedente illi separationi Ulcere in parte viva, dum mortua vel in pus corrumpitur, vel resecatur.

Labia quare contigua.

XLIII. *Labia duo* data sunt homini, superiùs ac inferius, quo sibi mutuò applicari queant, atque varia forma, plana, rotundave, & ab invicem diduci, & contrà vicissim componi; unde *Contigua* sunt, non Continua.

Vnde reddantur continua.

XLIV. Fiunt autem Labia præter naturam *Continua*, quoties eadem quavis de causa *excoriantur exulceranturve*, *iterumque ad Consolidationem pergunt*, imprimis quando usque ad *utriusque Labii commissuras* pergit notata excoriatio: tunc enim *Coalescentia & conglutinatio in dictis commissuris initium capiens, pergit sensim ulteriùs & tandem tota labia* (nisi arte difficili impediatur) *consolidat & compingit*.

Hoc esse malum periculosum.

XLV. In quo statu de vita plurimùm periclitantur Ægri, quatenus seorsim Alimentis assumendis præcluditur via.

Qua ratione curandum.

XLVI. Curatio autem instituenda 1. *dividendo ac separando ab invicem Labia* conjuncta & conglutinata per cultellum acutum. 2. Eadem ab invicem *disjuncta tenendo* per lamellas, præsertim plumbeas. 3. *Cuticula obducendo & Cicatrice*, separata hæc labia, initium faciendo à loco, ubi committuntur secundùm naturam labia. In quem finem optimo successu applicantur utrinque hami plumbei obtusi, os in longum expansum servantes, ne scilicet notata coalitio utriusque labii denuò habeat locum, novamque cogat dissectionem. Ubi autem locus commissuræ fuerit cuticula sua tectus, adeòque cicatrice obductus, facilis erit reliqua Curatio, dummodò cicatricem admittat reliqua Labiorum pars media.

Linguæ frænum brevius dissecandum.

XLVII *Lingua sæpiùs ob frænum brevius* minùs mobilis, eodem dissecto reddi solet quaquaversùm mobilior.

XLVIII. Eadem, si *Aphthis aliisve Ulceribus* scateat, quas causas agnoscat, quam curationem desideret, dicemus in Puerorum morbis.

Insufficiens Lactatio

XLIX. *Insufficiens fit Lactatio*, nec totum Lac Mammis existens exugitur, itidem aut *ipsius Lactis*, aut *Partium in Lactante ad lactandum requisitarum*, aut *Sugentis* culpa.

Lactis culpa.

L. *Lactis culpa* omne in Mammis existens exugi nequit Lac, quoties *ejusdem pars aliqua in ipsis est coagulata* & concreta, ideoque ad motum inepta.

LI. De qua Concretione & Coagulatione Lactis, ejusdem Causis & Curatione, quoniam abundè actum in superioribus, plura hic non addemus.

Tubulorum Lactiferorū culpa.

LII. *Partium ad Lactandum in Lactante requisitarum, Tubulorum putà Lacteorum culpa insufficiens fit Lactatio*, quoties *ipsorum pars aliqua est obstructa, vel valde compressa*, unde per illos saltem exugi non potest Lac, quod proinde in Mammis permanens, ibidem coagulabitur, & notata superius mala producet.

LIII. Causas verò & Obstructionis eorum, & Compressionis, unà cum Curatione proposuimus jam in superioribus, ut non videatur opus ampliùs illis immorari.

Sugentis culpa,

LIV. *Sugentis* denique *Infantis culpa insufficiens fit Lactatio*, quoties ipse aut *valdè Debilis existit*, aut *Labia Linguave superiùs notatis malis non* quidem extremè, sed *quodammodò laborant*: de quibus quæ tunc addidimus ratione Causarum & Curationis, huc quoque referri possunt ac debent.

Ob quas debilitatem.

LV. [illegible] *Infanti*[illegible] observari solet, Altera *Vitalis sive Naturalis*, *Animalis* altera.

Vitalem.

LVI. *Vitalem sive Naturalem* voco *debilitatem* ratione *Functionum Naturalium*, ac præsertim *Mutationis Sanguini in Corde obvenientis*, à qua proximè pendet vita, unde etiam ipsa multùm læsa vita quoque multùm periclitatur: quæ pulsu dignoscitur Debili.

Animalem.

LVII. *Animalem* voco *Debilitatem in Sensu & Motu voluntario* consistentem; in quo casu imbecilliùs Functiones dictæ animales peraguntur.

LVIII. Utriusque autem nomine *Insufficiens fit Lactatia*, & *vitalium* quidem *virium ratione*, quoties *Languens Infans* multum ferre haud potest Lac; quin ab illo gravatus mox idem respuit, aut rejicit, desinit que plus ejus exugere.

LIX. *Animalium virtum ratione insufficiens* fit *Lactatio*, quatenus Animalis Infantis motus languet, adeò ut cum difficultate & labore Lac exugat, ideoque à suctu citò cesset valdè defatigatus.

Vitalis debilitatis causa.

LX. *Vitales Infantium vires deficiunt* ferè ratione *Acidi exuperantis*, vel *Biliosi & Amari deficientis*.

Curatio.

Domando acidam exuperans.

LXI. *Acidum exuperans* domatur *Aromaticis & Sale Volatili non* minùs quàm *fixo abundantibus*; Coralliis, Margaritis, Creta &c. mox *temperatum*, quoties quantitate quoque redundat, *evacuantibus* tam per *alvum*, *hydragogis*, quàm per *sudores ac urinas Sudoriferis* & *diureticis* minuendo; cavendo à *Vomitoriis* præcipitantur usurpatis, cùm facilè noxam notabilem afferant teneris Infantibus, ipsosque necent.

Reparando Biliosum & Amarum deficiens.

LXII. *Biliosum & Amarum deficiens reparatur* in tenellis Infantibus per *Aromatica blandiora*, Cinnamomum, fœniculum, mentham, & similia: ac præsertim eorum Aquas & Syrupos: ut & Confectionem AlKermes, Ambram griseam, &c

Animalis debilitatis causa.

LXIII. *Animales Infantium vires deficiunt* ferè *ob animalium Spirituum penuriam*, tum do-lores, tum vigilias, tum anxietates [illegible]-tem.

Curatio.

LXIV. *Reparantur iidem Spiritus* 1. *tollendo ac demulcendo dolores* per anodyna, & quandoque narcotica. 2. *Conciliando somnum* per eadem 3. *superando anxietates*, quæ halitibus & flatibus Ventriculum, Pulmonesve obsidentibus debentur,

per

per blanda discutientia & anodyna. 4. *usurpando Spirituosa*, sed temperatissima, & parva quantitate. E. g. miscendo Aquam vitæ Matthioli, vel quamvis alium Vini Spiritum rectificatum simplicem aromaticumve ad ʒj cum Aquæ fœniculi aut menthæ ℥ ij. vel iij. addito Syrupo grato, stœchados putà, vel betonicæ, aliove cephalico dicto: atque exhibendo subinde Infanti debili ejus cochleare parvum.

Lactatio abundantior & facilior.

LXV. Tertiam læsæ *Lactationis* speciem docuimus esse, quando ipsa fit *Abundantior* & *facilior*, & ita quidem, ut *Sugentem opprimat*, *quin pene suffocet*.

LXVI. Contingit autem illa Lactatio nimis facilis propriè ratione *Lactis*, vel *partium in Lactante ad lactandum requisitarum*, & quandoque forsan *Sugentis* culpa.

Ratione Lactis.

LXVII. Ratione *Lactis* hoc evenit, quoties illud *non tam redundat*, *quam nimis fluidum existit*; quam ob rem nullo labore profluens è mammis majore copia & impetu ad Infantis os pergit, quàm ut commodè atque sat citò queat deglutiri, unde Suffocationis periculum nonnunquam imminet, quoties pars ejus notabilis ad pulmones vadit, eorumque asperam implens arteriam, inspirando expirandoque aeri viam intercludit.

Ratione Tubulorũ lacteorum.

LXVIII. *Ratione Partium in Lactante ad Lactandum requisitarum*, *Tubulorum putà Lacteorum*, facilius, ideòque copiosiùs exugitur Lac, quoties illi sunt [illegible] *ampliores*, ac imprimis quoties *valvulæ Tubulos* [illegible] *à Papillis* [illegible] *bus* distinguentes sunt laxiores.

Ejus causa & Curatio.

LXIX. Horum *Tubulorum* & *Valvularum laxitas* tum *singulari conformationi*, tum *Pituitæ in universo corpore redundanti* ascribenda, *Curabitur*, quoties aliqua Curationis spes superest, superest namque non semper, *Medicamentis blandè adstringentibus forma* tum *humida*, tum *sicca*, forinsecùs Mammis, ac præsertim circa Papilas applicatis.

Medicamentis abstringentibus.

Forma humida.

LXX. *Forma Humida* hoc fiet, parando Fotum ex Radicibus, foliis, floribusque & aliis adstringendi vi blanda præditis in Aqua ferrata, vel vino rubello decoctis, & cum panno Laneo, vel spongia calidè applicatis, cavendo tamen, ne ista humiditate diutinè usurpata excorientur papillæ.

Sicca.

LXXI. *Forma sicca* idem fiet, si eadem in pulverem redacta sacculis insuantur, & calidè Mammis applicentur. Potest siquidem hac ratione paulatim aliquid commodi afferri, ni malum fuerit incurabile.

Culpa sugentis.

LXXII. *Sugentis infantis culpa* propriè loquendo faciliùs copiosiùsque non fit Lactatio, nisi forsan infans robustus & vegetus multo lacte indigens sugat potentiùs ac diutiùs, non tantùm ita, ut Lactis loco Sanguis prodeat; verùm ut ea de causa plus Sanguinis ad mammas alliciatur, plus lactis inde generetur, atque fœmina lactans idcircò valdè debilitetur.

Ejus curatio.

LXXIII. *Curabitur* autem hæc Lactatio nimia Infantem rariùs uberibus adhibendo, ipsumque aliis Alimentis copiosiùs pascendo.

Atque sic absolvimus ea, quæ hac vice habuimus de Mulierum Affectibus gravioribus proponenda; faxit Deus, ut quemadmodùm omnia illa Animo & discipulis nostris, & per ipsos multis mulieribus hactenus miseris proficiendi protulimus, ita eadem à quovis Animo simili excipiantur, & in plurimorum utilitatem conferantur.

LIBRI TERTII FINIS.



FRAN-

FRANCISCI DELEBOE, SYLVII,
PRAXEOS MEDICÆ APPENDIX,

De Affectibus quibusdam memoratu dignis aliquot Tractatus Continens, quorum series inferiùs extat.


OPUS POSTHUMUM,

Editum Cura

JUSTI SCHRADERI, M.D.

INDEX TRACTATUUM.

FRAN-



FRANCISCI DELEBOE, SYLVII, APPENDIX.

TRACTATUS PRIMUS

De Morbis Infantium.

CAPUT PRIMUM.

De Ictero.

Icterus quandò infantibus superveniat & quandiù duret.

I.  Nimus est, Affectus Infantibus frequentiùs, ac præsertim in Belgio, supervenientes cum bono Deo ordine tractare, initium faciendo ab *Ictero*, qui plerisque Infantibus mox à partu solet supervenire, ac per aliquot dies durare, atque iterum Paulatim recedere.

Aliquando in Utero Materno.

II. Tali *Ictero Infantes aliquando in Utero materno laborare*, vel inde patet, quod nonnunquam illo infecti nascantur, adeòque *ipsius Causam*, tunc saltem, *ante nativitatem in se contineant*, ac cum ipsa in lucem prodeant.

Ejus causã non esse obstructionem Ductus Bilarii.

III. An verò, tunc saltem, Icteri Causa constitui possit ac debeat *Obstructio Ductus Bilarii Intestinalis*, videant, qui aliam non agnoscunt: Mihi saltem id non fit probabile, quoniam Obstructio fieri debet ab Humore Glutinoso ad quodvis Vas cum Liquore ordinarin per ipsum fluente delato, adeòque in Corpore multùm abundante, in eodem saltem soluto, dissolutoque atque eò propulso; hinc & iterum ibidem concrescente, sicque Obstructionem faciente.

IV. Videndum proinde, an facile tot talesque Causæ se mutuò consequentes in Ductu nondum natorum Bilario Intestinali locum habere possint; ut Icterum producant.

V. 1. *Humorem Glutinosum* in nondum licet natis Infantibus locum habere posse, nemo facile negabit, qui consideraverit, Matres tot reperiri, quæ non tantum Pituita scateot Glutinosa, Sanguinemque habent similem, verùm indies utuntur adhuc, & quidem cum ingurgitatione, Alimentis similibus, adeòque Pituitam lentam viscosamque generantibus: unde quid expectari potest aut debet, quàm ut Infantes ex ipsis nati Pituitoso & Glutinoso scateant Sanguine. Humoresque ipsorum universi sint plus satis Glutinosi & pituitosi: adeò ut in isthoc casu non desit Materia Obstructioni faciendæ apta in talibus Infantibus.

Humorem Glutinosum in modum natis reperiri.

VI. Ut autem 2. Humor iste Pituitosus & Glutinosus Obstructionem faciat in Ductu Bilario Intestinali, opus est ut idem aut cum Bile junctus & commixtus, aut cum eadem confusus tantùm eò feratur.

Illum Bili debere esse junctum ut Obstructionem faciat.

VII. Ubi Sanguis universus solito est Pituitosior & Glutinosior, mirum non est, si cæteri quoque humores, ipsaque adeò Bilis, existant Pituitosiores ac viscosiores; atque cum ipsa Bile mistus humor Glutinosus feratur ad notatum Ductum.

Et ferri ad ductum bilarium.

VIII. Pituitam tum ex Saliva, tum forsan ex Muco ad fauces delabente, & simul deglutitis, atque ad Ventriculum, mox & intestinum tenue propulsis, ortum suum habere, atque ipsius parietibus adhærere; ibidemque paulatim accumulari, ex multiplici Cadaverum sectione planè sum persuasus.

Pituita undè oriatur, & ubi accumuletur.

IX. *Pituitam* eandem *Ortus sui primi Focum Capitis Glandulas* multifarias, *Collectionis* autem *Locum Intestinum tenue* agnoscere, ex modò dictis patere videtur.

Ut Pituita ad Ductũ bilarium feratur, quænam requirantur.

X. Ut autem Pituita hæc tenax & Glutinosa solvatur, dissolvaturve, atque Sanguini, mox & aliis humoribus confusa duntaxat quaquaversùm, adeòque ad Ductum Bilarium Intestinalem quoque propellatur, opus est Causa efficaci satis ac violenta, *Corporis* puta *motu*, tàm vehemente quàm aliquandiu durante, aut *Aëris Calore notabili*, vel *Sale vel Igni* cuivis debito, ad Pituitæ solutionem, fusionemque; aliàs *Liquore copioso* ad Intestinum tenue lato, atque notatam *Pituitam dissolvente*, ac ulteriùs vehente.

An in nondum natis motus Corporis vehemens locum habeat.

XI. In *nondum natis Infantibus* nullus *Corporis Motus vehemens* locum habere potest, nisi Matris, qui an non tantùm proprios, (de quo nullum mihi dubium) sed Infantis quoque in Utero suo latentis humores solvere possit, ac fundere, hinc & quaquaversum propellere, fateor, me non audere negare, ut nec asseverare.

In iisdem Pituitam ab externo calore non solvi.

XII. Idem ut ab *externo Calore Solis*, *Ignis*, *Balneve* fiat non tantum in Matre, quin posteà in fœtu quoque, non possunt adduci, ut credam; qoin existimet, Abortum citius expectandum; quàm talem Humorum in fœtu solutionem, hinc & necessariam coagulationem, ac denique Icterom; sed de coagulatione ista mox aliquid addemus.

Nec à liquore aliquo copioso.

XIII. Longè minùs locus erit *Liquori alicui copioso* ad Intestinum tenue delato, atque Pituitam glutinosam in ipso dissolventi: quoniam, licet Mater quidem assumpto Potu copioso tale quid pati quear, id saltem de Infante ne per somnium quidem finget, meo saltem judicio, Vir prudens.

Fœtum in Utero se Aqua non ingurgitare.

XIV. Fingere namque, *Fœtum* in Utero materno se *ingurgitare Aqua*, cui innatat, videtur fabulæ quam veritati similius.

Nec tantũ Seri contineri, ut ab illo Pituita dissolvatur.

X.V. Existimare autem, à quacunque demum Causa *Seri tantum per Ductum Pancreaticum* (aliam enim viam non puto designari posse) *ad tenue Intestinum Infantis posse propelli ut ab illo Pituita dissolvatur*, ad Sanguinem, mox ad Bilis focum, secretionisque locum qualemcunque

que

que transferatur, commentum est Somnio simillimum.

Pituitam in Ductu Bilario nondum natorum non posse concrescere ac coagulari.

XVI. Quoniam verò haud sufficit Humoris Glutinosi adeòque Pituitosi copia vel in Universo Corpore, vel in tenui saltem Intestino, ejusdemque ad Ductum Bilarium Intestinalem quovis modo deductio, ut fiat in eodem Obstructio; nisi, quemadmodum dictum, idem humor in eodem Ductu hæreat, concrescat, vel coaguletur: videndum, an probabile sit, in nondum natis Infantibus posse notatum humorem concrescere ac coagulari.

Concretio quomodò fiat.

XVII. *Concretio* quidem fieri solet sponte à causa humori intrinseca, remota sc. solutionis ejusdem externa; Sic Juscula potentiora & Gelatinarum consistentiam nacta, quoties ab Igne soluta sunt & liquida facta, sponte remoto igne externo, paulatimque avolante, qui solutionem ipsorum produxerat, ad pristinam redunt consistentiam, ac concrescunt iterum.

Quomodò Coagulatio Humor glutinosus qui solvatur & concrescat.

XVIII. *Coagulatio* autem haud sponte fit, sed à Causa externa Humorum fluidum ita immutante, ut consistentiam solidam nactus, desinat esse fluidus: Ita Aqua quævis tempore hyberno coagulari solet in Glaciem, fluiditatemque suam priorem amittere.

XIX. In corpore autem humano observatur Humor glutinosus ab externo Calore Solis aut Ignis, Corporisve Motu solutus, & quaqua versum motus, ubi Caloris Causa externa, motusve Corporis cessat, paulatim denuò *sponte concrescere*, atque Glutinositate sua ubivis adhærens in Vasis angustis facilè Obstructionem producere

Qui coagulatur.

XX. Sic Humor idem glutinosus à potu uberiùs ingurgitato dissolutus, & quaquaversùm delatus *coagulari* solet *ab externo frigore* imprudenter ubivis admisso, atque *Pituitam* imprimis *Glutinosam* ab *Aqueo pota* ipsi confuso *separante*, quin *ampliùs inspissante*, sicque in Vasis præsertim angustioribus facilè sistente, atque Obstructionem pariente.

In nondum natis nulla spontanea ejus concretio.

XXI. Quoniam verò *in nondum natis Infantibus* vix ac ne vix quidem concedi potest Pituitæ viscosæ solutio, hinc & quaquaversùm propulsio, multò minùs concedi poterit aut fingi ejusdem *spontanea concretio*: quippè quæ solutionem illam violentam præsupponit.

Neque coagulatio.

XXII. Sed nec *Coagulatio* ejusdem Pituitæ solutæ dissolutæve in nondum natis Infantibus videtur posse habere locum, quippe quæ præsupponit *frigoris externis penetrationem per Cutis poros ad partes ipsi satis propinquas*, non ita facilè ad partes profundè sitas, & variis involucris contra externum aerem munitas: sicut evenit Infantibus in materno utero sitis, nam præter omnes Matris partes Uterum capientes, Uteri quoque substantia gravidationis tempore solito crassior, & calente Sanguine turgens, quin Secundæ cum contenta in ipsis Aqua Fœtum muniunt contra frigoris externi injurias & noxas.

Frigus externum ad infantem in Utero penetrare non posse.

Vel nec frigus à potu.

XXIII. Potus frigidus, qui non rarò existit Coagulationis Pituitæ solutæ Causa, in nondum natis locum habere non potest, cùm Gravida duntaxat Mater fingi queat & concedi, Potum frigidum assumere: Non putem autem ullum hominem ratione utentem tàm futurum insanum, ut asseveret, talem potum à matre assumptum aut penetrare ad ipsum infantem aut externi saltē frigoris modo producere posse Pituitæ in ipso solutæ Coagulationem in Ductu Bilario Intestinali.

XXIV. Quamvis enim concedere possim, Potum frigidum affatim haustum & ad Ventriculum saltem, aut Intestinum tenue quoque delatum, posse externi frigoris ad instar inde penetrare ad Ductum Bilarium Intestinalem, atque ibidem Pituitam priùs solutam ac repertam iterùm coagulare; non possum tamen concedere, ut nec capere, ipsum idem præstare posse in nondum natis Infantibus, cùm nulla ratione ad Ipsorum Ductum Bilarium (meo saltem judicio) penetrare queat.

Alia Icteri in Infantibus nondū natis causa, assignanda.

XXV. Quòd si talis Ductus Bilarii Intestinalis Obstructio ad Icterum producendum locum non habeat, nec habere queat in Infantibus nondum natis, in ipsis saltem alia ejus Affectus erit assignanda Causa.

An in nuper natis locum habere possit.

XXVI. Videndum porrò, num in nuper natis Infantibus saltē talis Obstructio possit habere locum.

A quibus in iis solvi potest pituita glutinosa.

XXVII. Hoc ut paucis absolvamus, notandum 1. Auctum à Motu Corporis Calorem frustrà expectandum ab Ipsis, quò solvatur, si quæ redundet, in tenui Intestino Pituita Glutinosa, & quaquaversùm feratur. Posset tamen illa solvi ab *externo Calore Solis, aut Ignis*, ut & ab *Anxietatibus* Infantes sæpenumerò ad sudoris effusionem urgentibus; nisi quis malit *tunc Humores* ad *tenue Intestinum delatos*, & imprimis *Succum Pancreaticum* Acriorem propter vitiosam Effervescentiam, & *halitus* elevatos Anxietatem notatam producentes *solvere aut dissolvere* similiter Pituitam Glutinosam, eandemque quaquaversùm deducere; quod minimè videtur absurdum.

Frigus externum noxam pone auferre.

XXVIII. Ubi autem ab externo Calore, vel notata modò Causa interna Pituita quaquaversùm est propulsa, propter Poros ubique simul patentes, si minùs ab externi Aeris frigore muniatur Corpus, aut in Aerem frigidum transferatur, nil impedit noxam inde pati tenerum corpusculum: quamvis rariùs tali frigori exponatur ipsum, exorto licèt Ictero.

At non Obstructionem Icterū producentem.

XXIX. Cùm igitur tale frigus, quod rarissimè habet locum, potiùs alias noxas sit producturum, & sine tali frigore oriatur in dies Icterus, non videtur mihi probabile, ab Obstructione commodè deduci Icterum in recens quotquot natis Infantibus, adeò ut in illis quoque alia ejus Causa sit quærenda & asserenda.

Unde alia investiganda causa.

XXX. Quærat proinde Veritatis avidus, *quænam igitur excogitari queat & assignari Icteri Causa?* Hanc ut inveniamus commodè, ac deducamus solidè, libet totum illud negotium altiùs repetere, atque gradatim quæ habemus dicenda, concludere.

Quasnam partes color flavus in Ictero afficiat.

XXXI. Investigationis autem istius initium faciemus ab ipso *Colore flavo* in Ictero emergente, non tantùm in Cute, verùm in Carnibus ipsis tum Musculorum, tum Parenchymatum; adeò ut affectus hic non tantùm corporis Superficiem, verùm Habitum quoque, atque Partes intimas inficiat & afficiat, seseque in urinis maximè manifestet.

Oritur à Bile.

XXXII. Hunc *Colorem à Bile* copiosiùs Sanguini confusa deducendum, & naturalis Bilis Color, & Excrementorum alvinorum Pallor tunc ferè comes videntur evincere.

XXXIII. Nil enim in corpore humano occurrit, quod flavo colore tingat præter Bilem; meritò igitur *à Bile Color ille Icteri deducitur*.

XXXIV. Quoniam verò Fæces Alvi Colore flavo plùs minùs sunt in Sanis semper tinctæ, non item in Ictero; meritò creditur Bilis tunc ad Intestina minimè, aut minùs deferri, aut saltem ita mutata, ut naturalem Alvi fæcibus Colorem largiri nequeat.

Vias esse, per quas ad Sanguinem regurgitet Bilis.

XXXV. Libet hic uno verbo attingere, quando creditur in Ictero Bilis ad tenue Intestinum haud deferri, verùm omnis ad Sanguinem deduci aut regurgitare, vias esse, per quas eò feratur: per quas proinde in statu sanitatis eandem deferri nil impediet; quod plurimùm facit ad sententiam meam de Bile secundùm naturam Sanguini communicanda confirmandam & comprobandam. Esse nimirùm vias convenientes, per quas eò feratur semper aliqua sui parte, quippe quæ subinde eò feratur tota, in Ictero puta.

Bilem in Ictero non peccare acrimonia.

XXXVI. *Bilis mutata in Ictero non* videtur *aucta* peccare *Acrimonia*, quoniam nec dolor, nec pruritus sentitur in ulla corporis parte, nisi

nisi quando incipit curari; peccabit proinde ratione alia.

Quomodò Bilis Humoribus misceatur.

XXXVII. Hoc vitium ut dignoscatur, considerandum, secundum naturam *Bilem* tum in tenui Intestino, tum in Sanguine aut dextro Cordis ventriculo *non tantum laxe confundi, sed intimè misceri humoribus occurrentibus, & ita quidem ut ab illis ampliùs nequeat separari, & quidem per Effervescentiam* cum Acido in utroque notato loco factam.

Quod in Ictero nõ fit.

XXXVIII. quoniam verò in Ictero desiderari videtur ista Bilis cum cæteris humoribus permistio, videtur quoque desiderari laudata illa Effervescentia, si non in totum, ex parte saltem impedita.

XXXIX. Quod si Effervescentia Bilis cum aliis humoribus alteretur & notabiliter minuatur in Ictero, videndum, quid requiratur *in Bile ad istam Effervescentiam perficiendam, quidque illam possit minuere*.

Inter quæ fiat effervescentia.

XL. Notum autem jam omnibus, imò lippis & tonsoribus notum, *Effervescentiam* omnem contingere *inter Acidum & Salsum lixivum*, quodve de Salso lixivio participat, & in quantum de ipso participat.

In Bile esse Sal lixivum temperatū.

XLI. Quisquis verò Bilem examinaverit, & cum Acidis Liquoribus, Salibusque lixivis confuderit; facilè capiet, *Bilem concurrere ad Effervescendum ratione Salis lixivi, sed multis valde temperati*, ne fiat in Corpore Effervescentia potens vehemens, quin blanda & Naturæ amica.

Quomodò id non sit aptum ad effervescendum.

XLII. Quòd si Salis lixivi rationem habent in Effervescentia Salis, videndum porrò, qui affici queat idem Sal, ut minus sit ad Effervescendum aptus.

Quare Sal purū id sit aptissimum.

XLIII. Notum nempe est per experientiam, *Salem lixivum purissimum, adeòque acerrimum* ad Effervescendum esse aptissimum; eundem autem quovis modo obtusum ad eandem Effervescentiam reddi ineptiorem.

Quibus ejus acrimonia obtundatur.

XLIV. *Obtundunt* verò *Salis lixivi Acrimoniam* plura, & 1. quidem omne *Oleosum & pingue* 2. omne *Spirituosum Volatile* 3. omne *Terreum*.

Quibus acuatur.

XLV. Uti contra ejus *Acrimoniam acuit & auget Ignis*; unde quò Sal lixivus diutius in Igne servatur, eò redditur idem Acrior, & ad potenter Effervescendum aptior.

XLVI. *Aqua promovet* & facilitat Salis lixivi *Effervescentiam*, si *pauca* ipsi jungatur, eandemque *infringit*, si *multa* concurrat.

Bili non parum oleosi esse admixtum.

XLVII. Hæc ut negotio præsenti applicemus, quisquis *Bilem* consideraverit, agnoscet facile, non parum *Oleosi & pinguis* ipsi secundùm naturam esse admistum; propter quòd utpote potentissimum Acrimoniæ Salinæ obtundens, raro magna & Acris observatur in statu naturali ejus Effervescentia

Ac etiā parū Spiritus Volatilis.

XLVIII. Eidem Bili non parùm *Spiritus Volatilis* admistum esse, agnoscet, quisquis non tantùm notabiles nervos viderit ad hepar deductos, sed insuper ipsam cognoverit quibusvis rebus facilè misceri; quod minimè, fieret, nisi ei permistus esset Spiritus Volatilis; nam propter Oleositatem comitem ineptior redditur Sal lixivus quibusvis rebus admisceri, quæ aptitudo ex parte restituitur per Spiritum Volatilem, quoties is Sali lixivio est junctus. Sed eo ipso redditur Bilis Sal temperantior, unde & blandior contingit ejusdem in statu naturali Effervescentia.

Eidem aliquid Terræ inesse.

XLIX. In Bile aliquid *Terræ*, non tamen multum reperitur, alias minus esset mobilis, cùm sit valde mobilis & omnibus se insinuans, quin alia mobilia præstans, quod in specie patet in Colorum materia, quam solet reddere fluidiorem; & ad pingendum aptiorem.

Aqua effervescētia infringitur.

L. Ab *Admista* verò *Terra*, etiam, *pauca*, *infringitur Bilis Effervescentia in statu naturali potens acrisque*.

Sal lixivus in Bile in corpore humano non fit acrior ab igne. Caloris intensi causa à Bile in corpore.

LI. In corpore humano nullus fingi potest *Ignis talis, à quo uri, acriorque fieri queat Bilis Sal lixivus*, ne quidem in statu maximè præternaturali: cùm, si quis ritè rem examinet, *primaria Incendii cujusvis, calorisque intensi Causa in statu vel naturali, vel non-naturali, vel præternaturali*, quoties in Corpore ipso existit, *à Bile sit* deducenda.

LII. Dixi *Causam Caloris primariam in corpore* quærendam, quò distinguam ipsam *ab externa Causa* quavis, quam nil impedit posse vel Ignem Foci, vel Solem esse; à quibus humores omnes acriores fieri posse, ipsamque adeò Bilem quoque, satis notum.

Acrimonia Bilis ab Igne externo.

LIII. Quoties proinde *Acrior redditur* in Corpore humano *Bilis*, & quidem *acrimonia propria*, hoc est, in Sale lixivo consistente, toties Acrimonia illa petenda; expectandaque est *ab igne externo* qualicunque, nunc Solis, nunc Foci.

Nempe propria.

LIV. Dixi Acrimonia propria, ut distinguatur ab *Acrimonia accidentali*, quæ *sequitur Effervescentiam præternaturalem ab Acido acriore pendentem*, Quoties namque acrius Acidum confluit cum Bile, ac cum ipsa effervescit, toties videtur idem secretionem moliri & obtinere partium lenientium Bilis acrimoniam à partibus ejusdem Salinis, quæ proinde laudatis partibus lenientibus destitutæ existunt & ipsæ, quam priùs, acriores, atque eo ipso augent effervescentiam acriorem ac nocentiorem.

Bilis incendium Succo Acido adscribendū.

LV. Cum proinde ex iis, quæ in corpore inveniuntur, atque *ad Causas internas* referri possunt ac debent, *nihil occurrat, quod Bilem possint reddere acriorem, præter Succum Acidum, Bilem nunc Æruginosam*, nunc *Atram* sui admistione efficientem; facilè patet, cui adscribi debeat *Bilis incendium* vulgò magis celebratum, quàm explicatum.

Cuinam Bilis ineptitudo ad commistionem adscribenda.

LVI. His ita præmissis, videndum, *cuinam, præsertim in Ictero adscribi debeat Bilis ad suam cum humoribus cæteris commistionem ineptitudo*. Quod ut faciliùs pateat, considerandum, sæpenumerò satis *subito* eundem produci *ex Viperæ morsu*; quale Venenum quoniam *celeriter* opus suum absolvere solet, *valde mobile idem* esse, adeòque *subtile*, patet, hinc *naturæ volatilis*, hoc est, *à Spiritu volatiliore*.

A Spiritu Volatili Bili admisto Icterus.

LVII. *A Spiritu Volatili copiosius Bili admisto produci posse Icterum*, confirmare videtur *Icterus fat sæpe Vini generosioris, ac imprimis ejusdem Spiritus potatoribus*, neglectis ferè aliis Alimentis solidioribus, *superveniens*. Videtur siquidem Spiritus ille Vini copiosiùs assumptus non tantùm augere primò Spiritum Volatilem, sive Animalem in corpore, sed paulatim omnes insuper *humores reddere* similiter *magis Volatiles ac Spirituosus, mobilesque*, ipsamque adeò *Bilem*; donec tandem abusu longo, & ingurgitatione continua tota Sanguinis Humorumque Constitutio, & Consistentia naturalis vitietur, reddaturque Sanguinis non quidem verè Aquosus, sed Serosus, & minus concrescens, propter Spirituositatem Potus potentioris largiùs assumpti.

A quibus Bilis ad Icterum producendum fiat apta.

LVIII. Adeò ut non videatur mihi absurdum vel improbabile, *Bilem ad Icteram producendum reddi nunc a veneno viperæ penetrantissimo & Spirituosissimo brevi tempore, nunc à Potu nimis generoso diutine usurpato, & quidem longiori tempore, nimirùm Spirituosam, & ad satis Effervescendum ineptam*.

Aliquid Oleosi ad id aptiorem reddere Bilem.

LIX. Quamvis autem putem, ratione Spiritus Volatilis copiosius Bili admisti reddi eam Ictero producendo aptam, eo ipso tamen non nego, *aliquid Oleosi eidem admisceri posse ad eandem effectum efficaciùs producendum*, hoc est, ad Effervescentiam inertiùs ac debilius exercendam.

LX. Sed dicat Aliquis ad rem attentus, Si à Veneno viperæ, aliove aut Potu Generosiore ita immu-

immutari potest Bilis, *at absque Obstructione in Ducta Bilario Intestinali existente produci queat Icteras: non desiaet saltem ad teaue Intestinum deduci Bilis, à qualicèt minor* ac debilior ibidem contingat cum Succo Pancreatico Effervescentia, quid ni tamen *ad eadem saltem tingantar Alvi Excrementa*, uti aliàs fieri solet?

In omni Ictero non aequè albicantia esse excrementa.

LXI. Cui ut satisfaciam, respondeo, 1. *in omni Ictero haud aequè albicantia, ideòque minùs flavo Bilis colore tincta occurrere Alvi Excrementa*: unde judico, aliàs plus aliàs minùs Bilis admisceri quoque in Ictero Alvi Excrementis, à quibus plùs vel minùs tingantur.

Haud aequè malè affectã esse Bilem.

LXII. Respondeo 2. *In omni Ictero haud aequè affectam esse malè Bilem*, unde hactenus quoque magis vel minùs ipsa Excrementis Alvi admisceri potest, eademque tingere. Respondeo 3. *Ut à Bile ritè tingantur Alvi Excrementa, desiderari ejusdem cum Succo Pancreatico praecedentem Effervescentiam sufficientem, propter quam ejus partes ab invicem secedant, ac tingentes Excrementis jungantur.*

Quid desideretur ut Alvi faeces ritè tingantur.

Eam si sit fluidior posse penetrare per minima Ductus Bilari vasa.

LXIII. Respondeo 4. *Si durante Ictero Spirituosior, Volatilior, adeòque fluidior & mobilior existat Bilis, posse ipsam faciliùs penetrare per minima Ductus Bilarii Hepatici vasa*; praesertim *si arctiùs contrahatur, aut aliquando etiam Obstruatur Ductus Bilarius Intestinalis*, qua de Causa *facto ad Hepar impetu, in eodem persistet Bilis, neglecta sua, licet ampla, versùs Intestinum tenue via.*

Quomodò Bilis pene tota sursum ferri possit ad Hepar.

LXIV. Potest namque fieri, ut *si non obstruatur in totum, angustetur saltem Ductus Bilarius Intestinalis à Pituita Intestinali ei obducta*, vel *à Bile Spirituosiore facta, ideòque turgente irritetur idem Ductus ad sui contractionem arctiorem*; propter quam *ipsi transitus denegetur ad Intestinum*, atque ideò *ipsa sursum feratur ad Hepar pene tota*, & *per Hepar ad Sanguinis massam, in qua similiter ad dextrum Cordis ventriculum deducta cum descendente ac Lymphatico Sanguine minùs effervescat*, ideoque *Sanguini magis confundatur, quàm permiscatur*, mox *ubique à Sanguine recedens partes quasvis colore suo inficiat, & ad nutritionem naturalem ineptas reddat*, quocirca sensim *succedat Ictero Hydrops*, ni brevi curetur.

Quomodò Ictero succedat Hydrops.

Icterũ esse posse etiam ab Obstructione Ductus Bilari.

LXV. Quamvis enim non putem, requiri necessariò ad producendum Icterum Obstructionem Ductus Bilarij Intestinalis, non video tamen, cur non possit aliquando ipsa Ictero praebere ansam; dum sistendo Bilem in suo effluxu naturali ad Intestinum tenue, causa est, quòd Bilis moram ibidem nectens alteretur, & si ita loqui fas est, *spirituascat*, tum accessu majore partium spirituosarum, tum exaltatione, & subtilizatione ulteriore partium ipsam constituentium.

Ejus signa.

LXVI. Hoc vel inde patere videtur, quòd multis, antequam Icterum patiantur, soleat Anxietas summa in dextro hypochondrio sentiri, ubi observatus Ductus Intestinalis insertio in tenue intestinum, praecedente utplurimùm *gravi maerore, alimentorumve pituitosorum abusu.*

Causa.

LXVII. A *Maerore* autem solent humores nostres reddi *viscosiores*, ac praesertim in tenui Intestino, propter *Succum Pancreaticum* tunc redditum *austeriorem.*

Qua ratione agat.

LXVIII. Undecunque autem *Pituita* reddatur *glutinosa & viscosa*, eadem apta est nata in *tenui Intestino obducere Ductus Bilarij Orificium, sicque impedire Bilis exitum ac descensum*; unde Angustia excitari potest à Bile in eandem pituitam agente, atque flatus excitante, dum pars reliqua in semetipsam agens spirituascit, & tandem Icterum producit.

Cur Alvi excrementa in Ictero aliquando minùs sint tincta.

LXIX. Ut proinde satis faciamus motae difficultati de Alvi excrementis minùs tinctis, existimamus 1. non semper carere ipsa Bilis Tinctura, licet ipsa sit parcior. 2. minùs eadem tingi, quando gravius est affecta Bilis 3. minùs eadem tingi quando minùs effervescere solet Bilis. 4. eadem minùs tingi, quando Bilis parum vergit ad Intestina, sed omnis ferè transit ad hepar & Sanguinem, sive hoc fiat propter arctiorem Ductus Intestinalis coarctationem, sive idem contingant propter ejusdem Obstructionem, aut Obductionem.

LXX. Cùm igitur multis modis evenire possit, ut Alvi Excrementa minùs vel magis tingantur Bilis colore vario, & illi locum habere possint in Ictero; ad singulos est attendendum, quoties affectus aliquis examinatur, praesertim nondum satis notus explicatusque.

Icterũ absque Ductus Bilarij obstructione posse produci.

LXXI. Ex iis autem quae hactenus attulimus, videmur non improbabilem *Icteri absque Ductus Bilarij Intestinalis Obstructione necessaria generandi modum & rationem eruisse, ac evicisse, auctam scilicet Bilis Spirituositatem, & ideò ad Effervescendum ineptitudinem*, quam idcircò *in Bile notavimus*, quoniam observamus *ipsam tunc non tam permisceri, quàm confundi Sanguinis massae.*

Aliquid oleosi Bili admistũ eam reddere quidem ineptiorem ad effervescendum.

LXXII. Dicebamus supra, quamvis *ad Icterum producendum* existimaremus *necessariò reddi magis Volatilem, Spirituosumque Bilem*, eo ipso nos haud negare posse, aliquando ad eundem effectum potentiùs, efficaciùsque producendum *eidem aliquid Oleosi copiosiùs admisceri*, hoc est ad Effervescentiam inertiùs ac debiliùs producendam.

Non tamen inde Icterũ producere potentiùs.

LXXIII. Postquam verò rem accuratiùs & attenta mente consideravimus, quamvis necdum negemus, posse copiosiùs admistum Bili Oleosum reddere ipsam ad sufficienter Effervescendum ineptiorem; *non putamus* tamen, posse *ipsam sic Oleosiorem facta Icterum producere potentiùs.*

Et quam ob rationem.

LXXIV. Et sicut ubique conamur argumentis uti evidentibus & indubitatis, imprimis ab ipso Affectu, quem tractamus, desumptis; cur illud non putemus, facit *Medicamentum in Curando Ictero familiare* ac utile; *Cannabis* putà *Semen, Oleosum ac pingue*, in Lacte coctum, sicque aliquoties sumptum, atque Icterum feliciter curans: facit & aliud *Medicamentum similiter pingue ac Oleosum*, itidem *Icterum feliciter curans*, *Sapo* putà, tum *Venetus*, tum *vulgaris*, in Lacte calefacto dissolutus, & aliquoties assumptus.

Qua ratione Sapo Icterum curant.

LXXV. Quamvis autem existimaverimus & Ego & Alij olim, *hactenus prodesse Saponem in curando Ictero, quatenus Sale suo lixivo solveret Obstructionem in Ductu Bilario Intestinali*; quod de *Cannabis Semine* saltem dici non potest, nunc tamen censeo, *Saponem duplici nomine* conducere, tum *ratione sui Salis lixivi*, sed *fixi*, ex quo paratur; tum *ratione suae pinguedinis ac Olei.*

Nempe salis lixivi fixi.

LXXVI. *Ratione Salis lixivi fixi*, quatenus idem *Bili* junctus, ejusdem *Volatilitatem corrigit ac minuit, assumendo in se partem Spiritus Volatilis* in eadem luxuriantis.

Necnon pinguedinis & Olei.

LXXVII. *Ratione Pinguedinis & Olei*, sed *crassi*, non Volatilis & Aromatici, quatenus ejus ope *obtundi acumen Salis Volatilis ac Spirituosi in Bile reperti.*

Qua ratione Cannabis semen

LXXVIII. Idem dicendum videtur de *Cannabis semine Oleoso & pingui*, à quo idem observatur produci Effectus.

LXXIX. Quo argumento non tantùm probatur, *Bilem haud excedere Oleositate ad producendum Icterum*, quin simul videtur doceri, *in quo consistat Icteri Curatio*, & *à qualibus, quibusque* possit eadem sperari.

Qua ratione Icterum curet crocus.

LXXX. Laudatur quoque in Icteri Curatione *Crocus*, qui cùm laudetur pinguis, non infringitur ipso Cogitatio nostra, quin potiùs confirmatur.

LXXXI. Utique *Crocus facilè jungitur Spiritui Volatili*, cujus ope ipsius Tinctura & Extractum paratur facilè.

LXXXII. Ab eodem *Croco*, ejusdemque

Extracto, ad *quietem & tranquillitatem, ac torporem* forsan *deduci* solent *Spiritus Animales*, succedente Somno blando.

Ut & Opii. LXXXIII. Ipsum *Opium*, potentissimus Spirituum Animalium Domitor, *Oleosum* est ac *pingue*, *Spiritus Animales sopiens*, ac in motu suo sistens.

Qualia Icterum producant, qualia curent. LXXXIV. *A pinguibus ergò & Oleosis cogi & ligari possunt Volatiles Spiritus*, & ad quietem, tranquillitatemque deduci: unde patere videtur, eosdem quantitate nimia Bili junctos, aut ipsa exaltatos, id est, in potentia sua efficaciaque roboratos, Icterum posse producere, dum Bilem reddunt Volatiliorem, mobilioremque; *cedente notata Volatilitate ac mobilitate Oleosis atque Somnum blandè conciliantibus Medicamentis*. Quod Chymicorum *Sulphura fixa Spiritus Volatiles figentia* etiam confirmant.

Icteri curatio. LXXXV. *Icteri* proinde *Curatio* videtur quærenda inveniendaque *in Bilis nimis Volatilis ac Spirituosæ Correctione*; quæ per *Oleosa & Pinguia*, sed *Anodyna*, & quandoque *Narcotica* obtinetur.

Si sit à Viperæ morsu. LXXXVI. Quòd si à *Viperæ*, alteriusve Animalis *morsu* excitetur *Icterus*, præter laudatam *Bilis Correctionem*, opus est, ut *Venenum illud tum emendetur, tum è corpore iterum expellatur*.

Quibus curetur. LXXXVII. In quem finem usurpari solent, ac meritò, variæ Confectiones *Opiatæ*, *Theriaca*, *Mithridatium*, *Diascordium*, &c. quæ non tantùm Opio, quo abundant, aliisque emendare possunt veneni Viperini Volatilitatem Spirituosam, sed insuper ratione multorum Sudoriferum ipsis admistorum idem per cutis poros expellere; quin Bilis quoque vitium corrigere.

Trochisci de Vipera quid præstent. LXXXVIII. Ubi libet notare, in Theriaca reperiri Trochiscos de Vipera, quorum respectu facilius se admiscet hoc Medicamentum veneno Viperino, idemque foràs expellit, cùm sint naturæ Volatilis, & Sudores moveant.

Et Sal Viperarum. LXXXIX. Hinc est, quòd *Salem Viperarum*, cui Volatilis est, laudent tantoperè Chymici, & quidem meritò.

Ut & Antimonii Diaphoretici & bezoardicum Minerale. XC. Laudantur ab iisdem, *Antimonium Diaphoreticum*, ac *Bezoardicum minerale quodvis*, à quibus & figitur magis Bilis Volatilior ac Spirituosior, quin expellitur è corpore quodvis venenum per Sudores expelli aptum.

Si sit ab Obstructione Ductus Biliarii, quomodò curetur. XCI. Quòd si à *Ductus Bilarii Obstructione aut Obductione à Pituita Glutinosa facta* sistatur in suo effluxu ad Intestina Bilis, eademque paulatim in eodem exaltetur ac Spirituascat, hinc & Icterum pariat; *Incidenda* erit, *educendaque Pituita* notata per Medicamenta tum *Aromatica*, tum *Sale Volatili abundantia*, ut & *Phlegmagoga*: quorum ope tolli solet Causa Icteri antecedens: quo facto, usurpari possunt ac solent utiliter cætera modò laudata in Icteri Curatione medicamenta, *moto* etiam subinde *Sudore blando*.

Icterum in Infantibus oriri à Bile Spirituosiore, atque adeò facilè curari. XCII. Hæc autem omnia ut *Infantibus* nuper natis pressiùs applicemus, indicamus, in iisdem aut *nondum natis, aut nuper natis ortum habere Icterum à Bile Spirituosiore*, ut plurimùm leviter duntaxat peccante; qua de causa etiam in plerisque curatur facilè.

Et quidem Croco. XCIII. Nam solus *Crocus ad* Gr. j. ipsis ex *Lacte* materno, Nutricis, aut Vaccino exhibitus semel aut bis in die, intra dies paucos curare solet Infantum Icterum.

Et Bezoardico minerali. XCIV. In hunc finem conducit etiam *Bezoardicum minerale* iisdem ad Gr. j. exhibitum. Utriusque autem ope licet non semper erumpat sudor, fit tamen aliqua per insensilem transpirationem exhalatio.

Alvus adstrictior laxanda Rhabarbaro. XCV. Quoties verò Alvus est adstrictior, commodè ipsa solicitatur & laxatur *Rhabarbaro*, & imprimis *Syrupo de cichoreo cum rheo* vulgò noto; cujus loco usurpari quoque potest *Syrupus de rheo simplex* à me *hic* præscriptus.

XCVI. Idcircò autem Rhabarbaro utimur; ut ad intestina urgeatur Bilis, ac deorsùm evacuetur; quòd si deferatur pars aliqua, desinit paulatim reliqua vitiosè spiritualscere atque exaltari. *Et quare.*

XCVII. Faciliùs autem, copiosiùs, ac potentius fertur ad Intestina Bilis assumptis Cholagogis, quàm sine ipsis, nisi aliquando præter naturam eadem efferatur eò vi magna, producatque Choleram Morbum, periculorum, ac sæpè lethalem Affectum.

XCVIII. Existimo autem, plurimùm à se distare Icterum & modò memoratum Choleram morbum, & quidem ratione Bilis copiosiùs in Ictero ad hepar, in Cholera morbo ad Intestinum motæ: ut silentio præteream plures utriusque Affectus differentias. *Icterum & Choleram morbū plurimùm distare.*

XCIX. Laudantur præterea in curando Ictero varia remedia, Raphanus, Chelidonia, Rubia Tinctorum; Rasura C.C. Eboris, Salvia, Eruca Sylvestris, Cuminum; Stercus anserinum, Chalybis limatura, Scylla, Sulphur, &c. quorum pleraque facilè possunt explicari secundùm nostram sententiam, ipsique applicari: quæ tamen omnia Infantibus non ita tutò exhibentur, quàm adultioribus. *Remedia Icterū curantia.*

C. Atque hæc de Ictero Infantium dicta sufficiant.

CAPUT II.

De Ventris Torminibus.

I. AFfectus Infantibus nuper natis, ac in hoc Belgio præsertim valdè familiaris, sunt *Ventris tormina*, quæ hic perpauci evadunt Infantes. *Ventris Tormina Infantibus familiari.*

II. Hæc Tormina ventris geminam agnoscunt *Causam*, nunc *Flatus*, nunc *Humores Acidos & Acres*. *Eorum causa.*

III. *A flatibus Intestina distendentibus* produci ventris Tormina, testantur ac evincunt 1. ipsi *Flatus* tunc *excreti*, atque tormina levantes. 2. *Ventris Distensio* in multis manifesta; secedentibus cum ista distensione duntaxat Doloribus. 3. *Intestina post mortem flatibus* distenta. 4. *Medicamenta flatus discutientia* & Tormina curantia. *Flatus.*

IV. *Ab Humoribus Acidis adeòque Acribus* Intestinorum tunicam interiorem rodentibus ac mordentibus produci Ventris Tormina, testantur ac evincunt 1. *Excrementa Alvi* tunc excreta & *acidum spirantia* 2. *Medicamenta acidum debellantia* & tormina hæc curantia. *Humores acidi & acres.*

V. *Flatus* agnoscunt hic, quemadmodùm in adultis quoque, pro sui *materia*, *Pituitam plùs minùs viscosam & glutinosam*; pro *Causa efficiente* autem, *Bilem*, quæ quò acrior, eò potentiùs Flatus excitat & copiosiùs. *Flatuum materia. Causa.*

VI. Utriusque Humoris tunc peccantis ortum debent utplurimùm Infantes *Matrum* suarum *Diætæ pravæ*, cui nimiùm indulgent pleræque mulieres in hisce locis; ubi perperam sibi persuadent multi, non nocere gravidis quæcunque agant, vel usurpent, dummodò hæc cum voluptate fiunt. Falsi autem ipsos arguit Experientia quotidiana. *Utriusque Efficiens.*

VII. Fateor quidem, non facilè denegandum gravidis, quod vehementer appetunt; danda interim opera, ut simul excessus nimios vitent: Appetitus vehemens aliquid sibi concedi cupit eorum, quæ valdè appetit, non item ad excessum usque. *Gravidarū appetitus aliquid concedendum, excessus denegandus.*

VIII. Monendæ proinde gravidæ, ut Fœtus sui saltem amore ductæ Appetitus suos regant & ad mediocritatem componant, ne, si nimiùm ipsis indulgeant, plurima inde mala patiantur Infantes ob materna delicta miseri, quinimò miserrimi: quamvis rarò auscultent monitis Medicorum pleræque affectibus suis plus satis addictæ.

IX. Pi-

Pituita Glutinosa unde.

IX. *Pituita* quidem *Glutinosa* debetur imprimis Alimentis crassum succum generantibus, & ingluviei: ut & Aeri frigido, Vestibus parcioribus, &c.

Bilis Acrioris causa.

X. *Bilis* autem *Acrior* debetur Solis æstui, Condimentis multùm aromaticis, Spirituique vini anisato, juniperino, levisticino, &c. nimium usurpatis.

Acidus humor unde.

XI. *Acidi Humoris* productio debetur imprimis Condimentis similibus, Acetariis Aeri Boreali, &c. quibus dum indulgent Gravidæ, noxam inde patiuntur.

Horum triū causa fructus præcoces. Matrum delicti pœnam luere infantes.

XII. Ad tres hosce humores producendos faciunt imprimis *Fructus præcoces*, quibus sæpenumerò nimium indulgent Prægnantes.

XIII. Quantumvis autem deliquerint Matres, istius delicti pœnas luunt insontes Infantes, vagitibus & clamoribus, quin universi corporis contorsione & agitatione, tandemque Insultibus Epilepticis, ut superiùs memorata signa nunc præteream, tormina ventris manifestantes.

Torminum curatio.

XIV. Curatio istorum Torminum consistit partim in *flatuum* notatorum *discussione*; partim in *Pituitæ ac Bilis correctione*, & quandoque *Eductione*, partim in *Dolorum delinitione* ac sedatione.

Flatus discutientia quænam.

XV. Flatus discutiunt commodè Infantibus, Aquæ Fœniculi, Menthæ, Petroselini, & similes, itemque Spiritus nitri, si intro sumantur; ut & olea, linimenta, unguenta aromatica, ventri illita; atque pluveres sacculis inclusi & abdomini applicati, ex foliis, floribus, ac seminibus aromaticis & carminantibus dicti, parati. Huc etiam referri debent Enemata ex similibus parata, & imprimis quando alvus est adstricta.

Doloris lenientia quænam.

XVI. *Dolores* inde ortos *leniunt Anodyna & Narcotica Blandiora*, Syrupus Papaveris Albi, Diacodii, & similia, addito subinde, urgente dolore summo, Laudani Opiati tantillo.

Hæc duo optimè.

XVII. convenientissimè junguntur simul laudata Dolores sedantia & Flatus discutientia Medicamenta, potionis vel Mixturæ forma usurpata; ubi danda semper opera, ut gratiora usurpentur, Infantibusque exhibeantur.

Et quî efficaciora redduntur.

XVIII. Talibus Mixturis quoties aliquod *Spiritus Salis Armoniaci*, aliusve *Salis Volatilis & Aromatici gravioris* guttæ adduntur, toties fiunt eædem efficaciores ac præstantiores.

Dolor vehemens sedādus Laudano Opiato.

XIX. Ubi autem vehementer urgent dolores, potest tutò trium quatuorve unciarum mixturæ addi Laudani Opiati granum unum; sicque per Cochlearia minora infantibus sæpiùs exhiberi, donec minuatur dolor & clamor, qui obrepat quies aut somnus.

Tēpore intermedio Pituita incidenda.

XX. Tempore verò intermedio, quando scilicet non ita urgent Flatus & Dolores, usurpanda sunt Medicamenta *Pituita Glutinosam Incidentia*, quod præstant eadem modò laudata Medicamenta Flatus dicutientia; unde patet, tantò tutius ac utiliùs usurpari hæc Pharmaca, cùm non tantum præsentes, urgentesque Flatus discutiant, sed eorundem proventum novum impediant.

Bilem Acriorem temperantia.

XXI. *Bilem Acriorem temperant* præ aliis potenter Acida blandiora, Spiritus Salis dulcis, & in hoc casu fœlicissimè *Spiritus Nitri*, tàm purus quam itidem cum Vini Spiritus *Dulcis* factus, postquàm omnimodo conducit, non tantum ratione *Bilis corrigendæ*, quin etiam *Pituitæ incidendæ*, ipsorumque adeò *Flatuum Discutiendorum*. Adde quod, quia figit potenter omnia, videtur quoque Flatuum productionem efficaciter impedire ac prævenire.

XXII. Possunt autem in iii. vel iv. unciarum Mixtura usurpari guttæ vi. vel viii. Spiritus Nitri puri, vel xii. & plures Spiritus Nitri dulcis.

Pituitam.

XXIII. *Pituitam incisam fœliciter educent*, *Delebos Opera*. *Manna*, *Syrupus Ros. solutivus cum senna*, aut de *Senna* meæ descriptionis, *Diacnicu*, &c. Enemata superiùs iam laudata.

incisam Educentia.

Bilem correctam evacuantia.

XXIV. *Bilem* autem correctam temperatamque *educunt*. Syrupi Rosarum simplex, ac imprimis, de cichoreo cum rheo, meusque de rheo simplex, Aquis superiùs laudatis mixti, & parva quantitate, ad ℥ ii. vel iii. aut plures exhibibiti, pro ætate ac viribus Infantis: ubi semper tutius est minore quantitate exhibere purgantia, quam majore, quoniam, si post aliqqot horas nulla sequatur dejectio, ejus plus dari potest infanti, atque sic Medicamenti cujusvis vires in quovis absque periculo experiri dabitur.

Eorum usus.

XXV. Quod enim adultis evenit, evenit quoque Infantibus, ut non omnes nec semper æquè facilè, citò, copiosè, à quovis Pharmaco purgentur: qua de causa, ne aliqua ipsis noxa creetur à Medicamento potentiore, bonum est partitis potiùs vicibus, atque parùm singulis, exhiberi purgans blandissimum, quam simul & semel quodvis. Non potest namque Medicus nimis esse cautus, nam unquam, utiquè circa Infantes non licèt sæpè bis peccare, cum delicati sint, atque facilè pereant.

Proventus Pituita & Bilis impediendus. Ex quibus.

XXVI. Materia verò flatuum Pituita, Efficienteque Bile, tum correctis, tum diminutis, danda insuper opera, ut proventus utriusque impediatur, seligendo usurpandoque Alimenta optimum Sanguinem, non item Pituitam, Bilemque angentia; addendo saltem, ubi delectus haberi servative non potest, quæ humores noxios ex Alimentis probabiliter proventuros in tempore corrigant, minuantque, modò laudata & commendata Medicamenta.

XXVII. Bonum igitur est, Pulti ex lacte bubulo paratæ incoqui semen Anisi, Fœniculi dulcis; aut Cerevisiæ cum pane coctæ addi aliquid Nucis Moschatæ raspatæ: à quibus Pituitæ proventus minuetur, impedieturve.

Quando Clysmata adhibenda.

XXVIII. Quòd si flatibus valde distentum sit abdomen, concurtatque Alvus adstrictior, satius erit Purgantibus per Os assumendis præmittere *Clysmata*, per annum injecta; sed Clysmata ex *Emollientibus & Carminantibus* dictis parata, additis *blandè purgantibus*; quò non tantùm *Alvi fæces induratæ emolliantur*, sed *Flatus* occurrentes *discutiuntur*, *vel potiùs quasi suffocentur*, atque in *Clysmate subsidant*, moxque leniter *simul educatur*, *viaque secuturis* à parte Intestinorum tenuiore *humoribus & flatibus paretur ad exitum apta*.

Flatus temporis tractu curari.

XXIX. Atque hac methodo temporis tractu (nam subito talis cura non potest absolvi) curari solent Feliciter Flatus.

Humores acidi flatibus iuncti.

XXX. Quoties verò *Humores Acidi* conjunguntur notatis Flatibus, aut seorsim peccant, difficultas in Curra occurrit major: Nam in tali casu Pancreaticus Succus universus aucta peccat Aciditate.

Succi Pancreatici aciditas aucta ab usu acidorum.

XXXI. *Augetur* autem *Succi Pancreatici Aciditas in nondum natis Infantibus* præsertim à *nimio usu vel* potiùs *abusu Alimentorum*, *Condimentorumve Acidorum*, qualia sunt Acetaria quotidiana, Belgicis Fœminis plus satis familiaria, Poma Citria. Vinum Aciduisculum, Cerevisia acescens, Fructus infiniti, partim immaturi, partim Acidi; quibus perditè indulgent tam sæpè gravidæ.

Ab Aere frigido.

XXXII. Ad augendam Succi Pancreatici Aciditatem plurimùm facit *Aer frigidus ac Borealis*, quando sæpiùs ac diutius illi exponitur Gravida; ut & Ejusdem *Mæror gravidis* ac perseverans, aut Terror, à quibus licet producatur imprimis Austerum, augetur tamen simul ab iisdem Acidum.

Ut & Mæror gravi.

Nec non quando matres velnu-

XXXIII. Idem *Acidum augeri* potest *in natis jam Infantibus*, quando Matres aut Nutrices indulgent vel abutuntur iisdem modò me-

trices prædictis aluntur.

moratis *Alimeatis*, *Condimentisque Acidioribus*, *Acre frigido*, *Mærore*, &c. cujus noxa tum maxime transit in sugentes infantes cum ipso Lacte ne quis putet, *omnem Infantum Valetudinem bonam pendere à muliebri lacte*; quod certe omni alii Alimento præferendum, dummodò sit sanum atque laudabile; quod proinde fit facilè ac sæpenumero maxime noxium; quoties Mater aut Nutrix non est sana, vel utitur diæta minùs commoda, vel sui vel aliorum culpa: imprimis nocent Infantibus omnes Animi motus ipsarum vehementes.

Humores acidi unde agitentur, conturbentur &c.

XXXIV. *Acidum in jam natis infantibus augeri*, *satendi* saltem potest, atque agitari, conturbari, & ad tenue Intestinum propelli, atque tormina producere, ab *Aere* non tam *frigido* tantum, quàm imprimis *Acri ac conturbato*, qualem hic subinde quin sæpiùs hoc tempore sumus experti, flante *Borea occidentali*, à quo non tantùm infantum, sed Adultorum quoque ac imprimis ægrorum vel aliàs infirmorum humores Acidi plurimùm fuerunt commoti & conturbati, plurimisque, præter alia mala plura, excitati Ventris dolores atroces flatibus comitati.

XXXV. In reliqua Diætæ parte rariùs peccatur circa infantes, cum nec *Animi motibus* adhuc sint expositi, nec facilè ipsis *Alimenta* exhibeantur noxia.

Curatio.

XXXVI. Qualiscunque autem fuerit aucti; acriorisque facti in eis Acidi Causa, horumce Torminum Curatio consistet 1. in *amotione omnium Causarum externarum* 2. in *Correctione Acidi*, vel in *Matre*, vel in quavis alia *Nutrice peccatis*, quoties alunt infantes 3. in *Acidi* quoque in *ipso Infante peccantis emendatione*.

1. Acidorū abusus corrigendae.

XXXVII. Inter *Externas Causas* referuntur 1. *Alimenta*, *Condimenta*, *Medicamentaque Acida* nimiùm à Matre aut Nutrice usurpata, à quibus proinde ipsas sibi cavere oportet; iis saltem minore quantitate uti debent.

2. Animi motus vitandi.

XXXVIII. 2. Huc spectant *Animi Motus Graves*, ac præsertim *Mæror & Metus*, qui in *Ira* quoque; quorum occasiones ipsæ vitare, Adstantesque ipsis tollere debent.

Aut citò sedandi.

XXXIX. Danda saltem opera, ne commotus animus in tali commotione diu permaneat, nec ipsa durante, vimque in corpore adhuc obtinere *Lactetur Infans*: quia bonum est, ut quod tunc in mammis existit aut præparatur Lac, quovis artificio exugatur; nec infanti exhibeatur.

Infantum humano lacte destitutorum felicitas.

XL. Ab hisce autem periculis, qualia infinita indies occurrunt, liberi sunt Infantes Nutrice adeòque Lacte humano, optimo licet aliàs & naturæ suæ maximè conveniente alimento, carentes: unde patet, nullum ferè observari infortunium, quod non aliquam felicitatem habeat conjunctam.

XLI. Lucro igitur apponendum est, quoties lacte humano destituuntur infantes, quod *liberi* sint quoque *ab omnibus periculis* modò memoratis: quod imprimis *apponendum est lucro quando sine humano lacte probè valent infantes*: cujus contrarium evenire solet iis, qui *ejus defectu languent aut contabescunt*: in quo casu allaborandum est unicè, ut defectu lactis materni, comparetur *Lac Nutricis maxime sanæ ac bene morigeratæ*: cùm *non minùs ad Mentis quàm corporis valetudinem in quærendis Nutricibus sit attendendum*.

Infantes suam constitutionem cum lacte allicere.

XLII. Mirum certè, utut verissimum atque multiplici experientia confirmatum, *Infantes non tantum qualemcumque corporis constitutionem bonam, vel malam, verùm Animi quoque mores bonos malosve una cum Lacte allicere*, quin *magis Nutrices quam Matres secundùm Corporis Constitutionem, Animique Mores imitari*.

XLIII. Hoc quia à multis ignoratum, neglectumve est, *Infantibus* quamplurimis *male consultum* est *lacte nutricum variis modis male sanarum*: quod eò libentiùs noto, ut Medici juniores ad hæc attendant, & aliquando ad praxim venientes & consilium rogati, prudenter se gerant, & malis tantis præveniendis seriò studeant.

3. Frigus ab externa causa vitandum.

XLIV. Inter Causas externas referuntur 3. *Aer frigidus & acris*, ut & *Aqua gelida*, sive Matris, Nutricisve alterius partes Corporis quasvis, sive infantis Corpusculum afficiat, quod sedulò quantum possibile, vitandum, quoniam illud *frigus vel Aeris*, *vel Aquæ penetrat mox ad interiora*, & *in Nutrice* quidem *Lac multùm alterat*, in *Infante* autem mox *interiora Ventris pergit*, & *Tormina excitat*.

Acidum in Matre aut Nutrice qui tractandum.

X L V. *Acidum* verò in *Matre aut Nutrice* jam existentes partim *demulceri* debet, partim *concentrari*; mox ubi *copia* simul *aucta* peccat, *diminui* tum per *alvum*, tum per *urinas*, tum per *Cutis poros*.

Quibus demulcendum.

XLVI. *Acidum demulcet* tum *Spirituosa*, tum *Oleosa*: de quibus sæpiùs egimus; nec proindè eadem repetitione indigent.

Concentrandum.

XLVII. *Acidum concentrant Salia* tum *fixa*, tum *Volatilia*, & *manifesta*, & *latentia*, in Creta putà, Corallis, Margaritis, Oculis cancri, Lapide hæmatite, &c. de quibus similiter egimus sæpenumerò.

Evacuandum per alvum. Per Urinas.

XLVIII. *Acidum* temperatum per *Alvum* evacuant *Hydragoga* frequenter laudata.

XLIX. *Acidum* idem per *Urinas* evacuant *Diuretica Aromatica*, quæ idem simul corrigunt.

Per sudores.

L. *Acidum* denique per *Sudores* educunt *Diaphoretica* itidem *Aromatica & Resinosa*, quo referenda *Ligna* Guajaci, Sassafras, Juniperi, Buxi, Quercus, & similia plura: quæ alia occasione pluribus memoravimus.

Acidum in Infantibus qui tractandum.

LI. *Acidi* tandem in ipsis *Infantibus* existentis *Contemperatio & Correctio* iisdem absolvitur, sed blandioribus.

Et quibus.

L I I. Felicissimè in hunc finem usurpantur ex *Corallis*, *Margaritis*, *Oculis Cancri*, & aliquando *Creta* parati *Pulveres*, qui parva quantitate, ad grana puta duo, tria, vel quatuor exhiberi possunt Infantibus semel, bis, & aliquando ter in die, & quidem nunc ex Lacte quovis, nunc & comodissimè è *Mixtura* conveniente & *Aromatica*, quippe quæ simul leniat illud Acidum.

LIII. Non negligenda sunt autem nunc temporis *Anodyna*, quin & aliquando ipsa *Narcotica*, & quidem quantitate minima; utpote quæ & *Acidum temperant*, & *Dolores sedant* potenter.

L I V. Atque his ac similibus Medicamentis feliciter curantur Infantum Tormina, dummodò aliquandiu ipsorum usu perseveretur, nam sæpè per plures menses solent perdurare Tormina, utut paulatim leventur, at tandem in totum tollantur.

CAPUT II.

De Alvi Dejectione viridescente, Acidumque redolente.

I. INter Affectus Infantibus nuper natis graves proposuimus & Icterum & ventris tormina quibus quoniam sæpenumerò comes est *Alvi Dejectio viridescens*, *Acidumque redolens*, operæ pretium videtur, illam nunc pertractare.

Alvi dejectio viridescentes conjunctu habet Ventris tormina.

II Observandum autem, Dejectionem hanc plerumque conjuncta habere Ventris Tormina, & admodum rarò sine illis occurrere, atque tunc sine ipsis haud diu permanere.

Ejus causa,

III. Non dubitamus verò asseverare, ortum habere notatam Alvi Dejectionem viridescentem à

Bile

Bile ab Acido Acri corrupta & in virorem deducta; quales mutationes colorum haud ignotæ sunt Tinctoribus.

Bilis & Succus Acidus. IV. Duo igitur concurrunt ad viriditatem illam producendam: *Bilis*, cujus color flavus mutatur in viridem; & *Succus Acidus*, qui modo dicto Bilem mutat.

V. Bilis autem hæc ita mutata cæteris admiscetur Alvi excrementis, eaque notato tingit colore.

Excrementa albescentia virorem acquirere. VI. Ubi notandum, quod à paucis observatum existimo, *Excrementa non rarò externè albescentia sed quæ paulò post virorem notatum acquirunt, ubi nempe jam sunt excreta.*

Et quare. VII. Quod fieri existimo, vel quia illud Acidum non absolverat vim suam in colore Bilis mutando, vel quia segniùs mutatur Bilis color, quandiu in corpore calido existit, citiùs, quando in Aere versatur libero.

Excrementorum color à Bile. VIII. *Bili* colorem suum debere Excrementa, ex naturali fœcum Alvi colore patet.

Eorum color viridis ab Acido. IX. *Acida* viridem colorem deberi patet partim ex odore Acido semper ipsi comite, partim ex Bilis mutationem in colorem viridem à quibusdam, non tamen omnibus, Acidis facta.

Multùm Acri. X. Hoc autem *Acidum*, quod Bilis flavedinem mutat in colorem viridem, ipsasque Excrementa reddit quoque viridia, existit etiam multùm *Acre*, quod patet ex ipsius Odore mordaci & nares feriente: cujus nomine solent utplurimùm sentiri tormina, de quibus egimus cap. præcedenti.

Cur Tormina non semper adsint. XI. Cùm hoc Acidum videatur nobis semper acre, à quo viridescit Bilis, Alvi excrementa simili colore tingens, meritò quæri potest, cur non semper adsint Tormina ab Acido produci solita? Sed respondeo, illud fieri posse duplici nomine, 1. quando Intestina multa Pituita viscosa sunt obducta, propter quam impeditur Acidum, ne ipsa contingat & mordeat, quod evenire solet, postquam illa Pituita ab Acido dicto soluta & remota.

XII. 2. Quando Alimenta copiosa sunt assumpta, quæ illud Acidum cum Bile absorbent ita ut ejus nihil vel parum remaneat in fistula Intestinali, sed universum ipsis Alimentis admisceatur.

Illud Acidum Acre in Succo Pancreatico consistere. XIII. Illud idem *Acidum* non dubitamus asseverare in Succo Pancreatico acriure consistere, ac deberi præcedenti Matrum diætæ pravæ, quin aliquando earundem, ut & Nutricum diætæ itidem vitiosæ.

XIV. Quæcunque proinde in Torminum Ventris tractatione docuimus supra de Acidi ortu & productione, illa omnia huc faciunt, & hic quoque locum habent; nec idcircò opus erit, ut in iisdem repetendis tempus impendamus.

Hujus Affectus Curatio Acidum temperandum. XV. Pergemus ea de causa rectà ad hujus Affectus *Curationem*, hoc est, *Acidi temperationem ac correctionem*, quo facto, quævis metuenda inde mala sponte evanescent. Metus namque est, ne, si nondum sentiantur, brevi sequantur *Ventris Tormina* quin & non rarò *Insultus Epileptici*, ipsaque adeò *Mors*.

Et quibus. XVI. *Acidum quæ temperent corrigantque*, proposuimus etiam in cap. 2. Inter quæ in hoc casu reperimus præ aliis convenientissima *Corallia*, *Margaritas*, *Oculos cancri*, *Cretam albam*, *Lapidem bezoar.* tàm Ocidentalem, quàm priore multò præstantiorem Orientalem, & quod utrumque adhuc antecellit, Bezoardicum Minerale, tàm simplex, quàm Lunare, aut Solare, ut & Antimonium Diaphoreticum ritè paratum, Terram sigillatam quamvis; quæ omnia Pulveris forma commodissimè usurpantur ad pauca grana bis terve in die.

Eorū Usus. XVII. Pulvis talis exhibetur aptissimè ex Lactis materni, vel nutricis, vel alius cujusvis, ut & Misturæ aromaticæ, sed blandissimæ, cochleari parvo.

Debebat Opera.

XVIII. Talis mistura parari potest ex Aquis menthæ, fœniculi, similiumve plantarum gratiorum cum Syrupo conveniente junctis, cùm illæ per se conducant temperando Acido.

Alvus laxanda Enemate. XIX. Nec inutile erit aliquando Enema blandum injicere, quo diluantur Alvi fæces, quoties duriores existunt, aut glutinosiores, aut observatur in eis acrimonia mordens, ut illa vel leniatur, vel excipiatur. In quem finem conducunt Enemata, ex lacte bubulo parata, addito

Ex quibus paretur. Ovi vitello, & Terebinthina Veneta; quibus facilè se jungit & immiscet Acidum acre, sicut observamus ab acido coagulari Lac, & imprimis calens, quale injici solet in Enematibus.

XX. Atque sic paucis absolvimus, quæ spectant notitiam & Curam Excrementorum viridium acidum redolentium.

CAPUT IV.

De Ructibus, Singultu, Nausea, Cardialgia, & Vomitu, ac præsertim Lactis coagulati.

I. NOn tantùm Intestina Infantium male afficiuntur Torminibus, & Alvi Dejectione viridescente; sed eorundem Ventriculus quoque non rarò afficitur malè per *Ructus Singultus, Nauseas, Cardialgias, & Vomitus multifarios*,

Ructus à Flatibus Viscosis, & Acribus. II. *Ructus* pendet à *Flatibus* tum blandis, tum *Acribus & Acidis*; tum *Viscosis*, tum facilè dissolubilibus: de quibus eorundemque materia egimus supra abundè.

Viscositatis signum. III. Illorum *Viscositas* paret ex difficili & laboriosa eorundem eruptione, cum forti sonitu tandem facta.

Ut & Acrimonia. IV. Eorundem *Acrimonia & Aciditas* sese manifestat Naribus adstantium; sicut non semel ipse sum expertus cum admiratione in propria filiola.

Ructus hi molesti. V. Notamus præsertim ructus hos infantibus molestos, cùm leviores nullam ipsis creent molestiam, sed facilè erumpant, nec proinde Medicis curæ sint.

Singultus quid. VI *Singultus* est convulsivus Diaphragmatis motus per intervalla brevia repetens, non tamen continuè affligens, quemadmodùm fieri observamus in Motibus Epilepticis, in quibus agitatio artuum, labiorum, palpebrarum, oculorum, aliarumve partium est continua, & aliquandiu durans; quod in Singultu non fit.

Ejus diversitas à Motibus Epilepticis Ejus Ratio VII. Quocirca meritò quærat veritatis studiosus diversitatis hujus rationem. Cui ut, quantùm mihi datum est, satisfaciam, existimo, *in Singultu* irritationem esse utplurimùm in *Ventriculi orificio superiori*; in *Epilepticis autem insultibus in nervorum principio*: unde quemadmodum hic irritatio est continua & quidem alternas, sequitur quoque necessariò motus convulsivus continuus, hoc est, per musculos oppositos reciprocus: In Singultu autem quoniam afficitur Ventriculi Orificium superius, in consensum trahitur Diaphragma, impeditorque in sui motu sursum, cogiturque tunc deorsum denuò contrahi, & quidem aliàs citiùs, aliàs segniùs, aliàs potentiùs, aliàs leviùs prout irritatio illa est gravior vel levior

VIII. *Gravior* est irritatio, quando *flatus* sunt simul *Acres & Viscosi*, levior verò, quando iidem flatus sunt blandi, vel minùs viscosi.

Quare non adsit motus convulsivus reciprocus. IX. Hæc igitur Ventriculi irritatio cùm juvetur tantùm Diaphragmatis motu deorsum, nec proindè sequatur ejusdem retractio sursum, mirum non est, si non adsit in *Singultu motus Diaphragmatis convulsivus reciprocus, sed tantùm contractivus*, si liceat ita loqui.

Nec Convulsio. X. Non est enim hic Convulsio, aliàs in eodem statu permaneret Diaphragma; sed motus Convulsivus, quoniam mox desinit à violenta, coactaque sua contractione Diaphragma, licèt nulla concurrat motus illius coacti reciprocatio qualis observatur in cæteris motibus convulsivis.

Quomodò Ventriculus moveatur.

XI. In consensum ergò cùm trahatur à Ventriculo malè affecto & toso irritatoque Diaphragma, eatenus tantùm movetur coactè, quatenus illi potest inservire, hoc est, sese movendo deorsum, quo motu comprimitur quodammodò Ventriculus, juvaturque in contenti molesti exclusione; quod frustra expectes ab ejusdem motu sursum, quippe qui non juvat exclusionem contentorum in Ventriculo.

XII. Id quod dixi modò verum esse, patet ex situ corporis ac imprimis abdominis ad promovendum ructum, aut humorum quorumvis exclusionem è ventriculo; tunc enim solemus corpus universum flectere antrorsum, quin crura attollere, quò angustia fiat in abdomine major, sicque comprimatur, angusteturque magis magisque Ventriculus; quod similiter promovet Diaphragmatis motus deorsum.

Causa Singultus primaria quomodò agat.

XIII. Causa igitur Singultus primaria in Ventriculo hæret, ab Ventriculum saltem fertur, atque ipsum primò afficit, mox in Consensum Diaphragma trahit.

Quæ sit.

XIV. Ista verò *Causa* est utplurimùm *Humor*, *Halitusve Acer*, ut & *flatus* quovis modo, sed imprimis Acrimonia sua *Ventriculi orificium superius mordicans & irritans*.

XV. Nec puto, facilè absque comite Acrimonia excitari Singultum, cùm sæpenumerò Ructus angant, erumpentque varii, etiam tenaces admodum & Glutinosi, absque omni singultu; quod non fieret, si sola Glutinositate sua orificium Ventriculi superiùs augendo Singultum possent producere.

XVI. Videtur proinde produci Singultus ab Acrimonia vel Humoris, vel Halitus, vel Flatus in ventriculo reperti & Orificium ejus superius mordentis ac irritantis.

Unde oriatur.

XVII. Potest autem ille Humor, Halitus Flatusve ortum habere à re nuper assumpta; licèt frequentiùs originem suam debeat Humoribus; in corpore jam existentibus, atque ad tenue intestinum confluentibus, ibidemque vitiosè Effervescentibus, atque nunc aliqua sui parte ad Ventriculum assurgentibus, nunc Halitus Flatusve Acres producentibus, qui similiter eò tendentes Singultum possunt excitare.

Singultus comites Nausea & Cardialgia.

XVIII. Non rarò cum Singultu, sicut & sine ipso observatur *Nausea & Cardialgia*.

Unde pendeant.

XIX. Et *Nausea* quidem pendet magis ab *Humorum*, *Halituumve Volatilitate*, quàm Acrimonia, sicut contrà *Cardialgia* magis ab *Acrimonia*, quam Volatilitate.

XX. Irritatur quidem, in Nausea Ventriculus, utplurimùm absque dolore comite; qui tamen adesse potest; sicut non rarò Nauseæ comes est Cardialgia.

Utriusque causa unde petenda.

XXI. Causa utriusque petenda, est sicut de Singultu diximus, à rebus assumptis, & à tenui Intestino ad Ventriculum assurgentibus.

XXII. Nec Nausea duntaxat vexantur sæpè Infantes, quin *Vomitu simul* laborant haud infrequenter.

Vomitus quid.

XXIII. *Vomitus* est exclusio per Os rei in Ventriculo repertæ.

Motus Ventriculi præternaturalis & Naturalis.

XXIV. Estque *Vomitus omnis Motus Ventriculi præternaturalis*: nam secundum naturam, & in statu sano nemo unquam vomit: postquam *Naturalis Ventriculi Motus* incipit ab Orificio ejus superiore, qui blanda sui contractione excludit per Pylorum, orificium suum inferius, ad Intestina, quicquid assumpsit, & aptum natum est, aut factum, deorsum ad Intestina propelli.

Quanà præparatione in Ventriculo indigeant.

XXV. Alia enim nulla præparatione indigent in Ventriculo, uti sunt spirituosa volatilia, quæ, nisi aliquid offendant in Ventriculo, à quo sistantur, mox deorsum feruntur ad Intestina, hinc & ad Cor: à quibus mox solent ideò recreari, ac refocillari Ægri, utut fuerint priùs valde debiles.

Et quænam non.

XXVI. Alia contrà opus habent mora, suique aliqua retentione in Ventriculo, ut in ipsorum mutationem aliquam subeant, *Chylificationem* vulgò dictam, nobis autem *Fermentationis* nomine indigitaram.

Et quare.

XXVII. Mutatione vero illa præparantur assumpta ad partium suarum corpori utilium sæparationem in tenui Intestino futuram à partibus inutilibus.

XXVIII. Partes namque mistorum tam Alimentorum, quàm Medicamentorum tàm arctè sunt in multis permixtæ, ut non nisi prævia præparatione possint ab invicem secedere, quò desideratam, expectatamque utilitatem sanis, ægrisque conferant.

præparatio hæc ubinam fieri queat.

XXIX. Præparatio illa, sicut perficitur in Ventriculo humano, ita potest arte quoque extra hominem absolvi, quod imprimis docet Chymia, Mutationum scilicet naturalium Ars.

Quomodò præparata Ventriculus expellat.

XX. Hæc præparatio Alimentorum Medicamentorumque naturalis ubi absoluta est in ventriculo, incipit ejusdem contractio à parte ipsius superiore, blandè propellens deorsum contenta versus tenue Intestinum, quod peristaltico sui motu admissa lentè cogit per sui fistulam inferiora versùs.

Quomodò hæc expulsa naturaliter se habeant in intestinis & præternaturam nauseam & Vomitum producant.

XXXI. Dum hæc propulsio fit, admissis admiscetur & Bilis, & Succus Pancreaticus; à quibus & simul, & cum admissis ritè Effervescentibus promovetur sudata Utilium partium ab inutilibus separatio; sin eadem vel admissorum, vel Bilis, Succive Pancreatico culpa, vitiosa contingat effervescentia, evenit non rarò, ut inde halitus, flatusve acres prodeant, aut humores similes exurgant, à quibus potenter irritatum Intestinum tenue arctiùs se constringat, contentaque sub illa sui constrictione vehementiùs ac celeriùs propellat, illis verò, quæ loco superiore occurrunt, in sui descensu viam præcludat: à quibus, acria cùm sint, & ideò irritetur quoque Intestinum, Motus peristaltici inversioni ansa præbetur; quo nomine sursum repelluntur, quæ descendebant, & in Ventriculum relata, eundem ad Nauseam, hinc & Vomitum cogunt.

Quibus in nuper natis infantibus Vomitus debeatur.

XXXII. In nuper natis Infantibus Vomitus plerumque non tàm assumptis debetur, quàm humoribus vitiosis in corpore existentibus, atque ad tenue Intestinum delatis.

Non pendere ab assumptis.

XXXIII Ab assumptis rariùs pendet Infantum Vomitus, quoniam ipsis Alimenta solent dari blanda, non item noxia.

A quibus in ipsis Vomitus producatur.

XXXIV. Ab *humoribus vitiosis*, *Succo Pancreatico putà & Bile*, ad tenue Intestinum confluentibus, solet plerumque produci *Vomitus* ipsorum, quoties ipsi *Acres sunt*, ac imprimis *Volatiles* quoque.

Respectu Acrimoniæ.

XXXV. Nam respectu *Acrimoniæ* suæ vitiosæ Acriùs & potentiùs Effervescunt, Intestina Acriùs mordent, & ad motum peristalticum invertendum potentiùs cogunt.

Et Volatilitatis.

XXXVI. Respectu *Volatilitatis* suæ faciliùs sursum feruntur, potentiùsque Nauseam, hinc & Vomitum cient.

XXXVII. Atque sic paucis *Ructuum*, *Singultus*, *Nauseæ*, *Cardialgiæ*, *Vomitusque* Infantibus familiarium *Causas* percurrimus proximum est ut *Curationem* addamus.

Ructuum Curatio.

XXXVIII. Et *Ructum* quidem *Curatio*, cùm ipsi à *Flatibus* & *cribus & Viscosi* pendeant, eadem erit, quæ flatum, jam antè à nobis proposita.

Flatuum materia corrigenda & minuenda.

XXXIX. *Flatuum* scilicet *materia*, *Pituita* tum *Viscosa*, tum *Acida*, *corrigenda* erit, alterandaque *incidentibus*, ac *temperantibus*; eademque alterata & correcta, si quantitate nimia simul peccaverit, *minuenda per Phlegmagoga*.

Causa efficiens temperanda & educenda.

XL. Quin eorumdem *Causa Efficiens Bilis Acrior* ubi existit, *temperanda* similiter ac *redundans* per *Chologoga minuenda*.

Flatus ipsi discutiendi.

XLI. Denique *Flatus* ipsi per *Carminantia* dicta *discutiendi* sunt.

Singultus curatio.

XLII. In *Singultus Curatione* eadem penè conveniunt, postquam Ipse ab Humoribus, Halitibusve,

busve, aut Flatibus tàm Acribus, quàm viscosis ortum habet. Consistit proinde ipsius Curatio eorum Acrimoniæ, viscositatisque Alteratione ac Emendatione, ut & Alteratorum diminutione ac Eductione.

XLIII. Inter alia observavi, Mentham ejusque Aquam imprimis conducere curando Singultui.

Ut & Cardialgia. XLIV. *Cardialgia* cùm pendeat ab iisdem Acrimonia peccantibus, & superius Ventriculi Orificium rodentibus, patet ipsius Curationem perfici, si humorum, halituumve atque flatuum Acrimonia temperetur, ipsique homores temperati deorsùm ferantur, quin per Alvum evacuentur, imprimis quando simul peccant quantitate aucta.

XLV. Alterantibus autem commodè adduntur Narcotica: quippe quæ non tantùm dolores sedant, verùm humorum quoque, atque halituum, flatuumque Acrimoniam temperant, sicut id sæpiùs ostendimus.

Nec non Nausea & Vomitus. XLVI. *Nauseæ*, ut & *Vomitus Curatio* non multùm absimilis erit modò enumeratorum symptomatum Curationi; nisi quòd hic conveniant insuper, quæ *humorum notatorum Volatilitatem figere* sunt apta, & imprimis à *Nitro* petenda; ubi convenit maximè ipsius *Spiritus*, sed dulcis factus, quippe qui blandior redditus exhibetur Infantibus securiùs ac tutiùs.

XLVII. Ab eodem Nitro sistitur aut compescitur ex parte vitiosa confluentium ad tenue Intestinum humorum Effervescentia.

XLVIII. Idem promovet Opium, & quicquid ex ipso parari solet, laudanum Opiatum, Theriaca, Diascordium.

CAPUT V.

De Aphthis.

Aphthæ quid. Earum locus. I. HAud infrequens Infantibus Affectus sunt *Aphthæ, Ulcuscula* nempe totam Affectus sunt *perficiem* occupare solita, ita ut nulli parti parcant, non Linguæ, non Palato, non Gingivis, non Labiis, non Genis, non Faucibus, ne quidem ipsi OEsophago, ipsique Ventriculo, quantùm saltem maximè probabile.

Malum hoc infantibus familiare. II. Hoc malum in hisce præsertim locis maximè familiare Infantibus, adeò ut perpauci illud evadat.

Quomodò se habeant. III. Hæc Ulcuscula subinde, ac præsertim quando incipiunt excitari, observantur pauca & dispersa per Linguam, & faucibus proximum palatum; posteà eadem multiplicata ita conjunguntur, ut videantur unicum constituere Ulcus.

In quo à cæteris ulceribus differant. IV. In hoc autem videntur à plerisque aliis ulceribus differre Apthæ, quòd crusta tegantur multifaria, cùm pleraque alia solo pure notentur obducta.

Ejus diversitatis causa. V. An quia in Ore confluens Saliva tunc ferè magis glutinosa facta Ulcuscula dicta obducit? an quia partium oris internarum cuticula tenacior & firmiùs subjacentibus partibus adhærens difficiliùs ab iisdem cedit, ideòque magis crassescens crustæ naturam induit?

Crusta in Aphthis observabilis. VI. Merito illius Crustæ in Aphthis observabilis mentionem fecimus, postquàm pro ejus diversitate de boni malive moris Aphthis judicium ferre solemus.

Eius diversitas. VII. Crustæ istius diversitatis est tum in Colore, tum in Tenacitate, tum in Crassitie, tum in Amplitudine diversis.

Ejus color. VIII. Color laudatur candidus, à quo recedit flavescens ac nigricens.

Secessio à partibus affectis. IX. Laudatur illa crusta, quoties facilè cedit à partibus affectis; culpatur quoties firmiter iisdem adhæret, ac per se tenax est ac gultinosa.

Tenuitas. X. Laudatur illa Crusta, quoties tenuis est; culpatur eadem quoties crassior existit.

Angustia. XI. Laudatur Crusta, quæ paucas in Ore partes tegit, adeòque angusta est; culpatur contrà, quæ amplior existens, multam superficiem in ore obducit.

Dekbos Opera.

Divulsio. XII. Laudatur quoque Crusta divulsa, & hinc inde tantùm reperta, hoc est, non totam Linguæ, Palatique superficiem tegens, sed aliquam duntaxat.

Aphtharũ causa. XIII. *Aphtharum Causam* veram non dubito asseverare *Humores Halitusque Acres*, & quidem *Acidos*, nunc vomituaut exhalatione sursùm ab Intestino tenui ac Ventriculo deductos, nunc unà cum Saliva in Os delatos.

Acida Acrimonia. XIV. *Acidam* in Aphthis producendis *Acrimonia* peccare, plurima probant comprobantve.

Aphthas Acida Eructationem mox sequi. XV. Et 1. quidem Acida eructatio, vomitiove Aphthas nonnonquam immediatè præcedens, subsequentibus mox Aphthis.

Ut & Saporẽ Acidum. XVI. 2. Sapor acidus in ore molestus, & assumptis aciditatem afferens, aut affingens: sicut hodie adhuc in aliqua observavi fœmina, in qua post acrium humorum vomitum heri cœperunt erumpere aphthæ, hodie autem aciditas se manifestavit in ore, molesta præsertim, quoties Cerevisiæ aliquid assumit, utut dulcis & nimimè acidæ; An ob acidum à potu ampliùs dissolutum ideo Gustum potentiùs afficiens?

Qui tamen non semper observatur. XVII. Observandum vero Eructatam, Vomituve excretam Aciditatem non semper gustari & notari ob Bilis simul effusæ amaritudinem, à qua obliteratur ferè sapor quivis alius, nisi excellens fuerit in qualitate sua.

Nec non Ructus Acidos, & alvi fæces acidũ redolentes, & ventris tormina. XVIII. Ab acido Aphthas produci probatur 3. in Infantibus præsertim, tum per *ructus acidos*, tum per *alvi excrementa acidum redolentia*, ipsorum Aphthas nunc præcedentia, nunc comitantia, unà cum *Ventris torminibus*: quæ omnia cùm testentur abundè, peccare tunc valdè Acidum, ipsumque dominari in corpore, suadent quoque, quin tantùm non persuadent, ab eodem Acido pendere Aphtharum productionem.

XIX. Idem confirmant 4 *Remedia curandis Aphthis maxime convenientia*, & temperando Acido imprimis utilia: de quibus posteà.

Causa diversitatis in Aphthis. XX. Postquam igitur ab Acido Acri Oris superficiem rodente producuntur *Aphthæ*, *Ulcuscula* nempe utplurimùm *albicantia*, subinde *flavescentia*, & quandoque *nigricantia*; quæret aliquis, unde hæc tàm diversarum Aphtharum differentia deducenda?

XXI. Cui respondeo, id fieri ratione tum ipsius *Acidi varii*, tum cæterorum *humorum* confluentium, *Bilis* nempe, atque *Pituitæ*, ipsiusque adeò *Salivæ*, variis modis peccantium.

Acidũ volatile & paucum causa paucarum & breve cedentium aphtharum. XXII. Ubi namque *Acidum Volatile* atque *paucum* existit, cæterique humores parùm peccant, quæ tunc prodeunt Aphthæ, paucæ sunt & brevi cedentes, ac leviter duntaxat tum palatum, tum Linguam afficientes: citò ad maturitatem venientes, citò decidentes, citò sanatæ.

Cuticula Oris constitutio in Aphthis. XXIII. Quicquid enim Cuticulæ affectum est in Aphthis, separari debet à subjectis Palato, Lingua, Gingivis, cæterisque Oris partibus; quin sub eadem Cuticula sic recedente nova excrescere debet, atque partem affectam iterum tegere, & tunc corrupta decidere.

XXIV. Nec commodè aut utiliter decidit abrasa & corrupta cuticula prius, quàm nova succreverit.

XXV. Nec semper Cuticula semel duntaxat corroditur ac decidit, sed non rarò nova itidem corroditur ac perit, idque aliquoties.

XXVI. Illud autem evenit aliquando citiùs, quando tardiùs; quò citiùs autem, eò meliùs; quò segniùs, eò pejus.

Cuticula cur segniùs corrodatur ac decidat. XXVII. Segniùs namque id fit, quoties Glutinositate aucta peccant Humores quivis, propter quam segniùs secedunt iidem ab affectis partibus, quia ipsis cohærent arctiùs, ac pertinaciùs.

XXVIII. Firmiùs ergo adhærentes, ac segniùs decidentes Aphthæ indicant Acidum peccans immersum esse Pituitæ glutinosæ, aut Glutinosiorem esse Salivam.

Cur citiùs. XXIX. Ubi autem *Acidum Volatile* existit, *copiosum* tamen occurrit, Boni quidem moris produn-

ducuntur Aphthæ atque mox deciduæ, curabilesque, totum tamen Os iisdem impletur: quod ex modò dictis facilè patet.

XXX. Primarium enim est in Aphthis, ut sint brevi maturæ, albicantes, læves, nec sæpiùs repululantes, aut valdè dolentes.

Aphtharũ Albedo ũde. Flavedo & nigror unde.

XXXI. *Albent Aphthæ ab Acido puro* ulcuscula illa producente.

XXXII. *Flaveant* autem *nigricantve* Aphthæ propter *Bilem diversam diverso. Acido* junctam.

Bilem Acido jungi.

XXXIII. *Jungitur Acido Bilis* tum propter *utriusque Acrimoniam Auctam*, tum propter *Pituitam multiplicem ipsi copulatam.*

1. Propter utriusque acrimoniã auctam.

XXXIV. Jungitur 1. Bilis Acido propter utriusque Acrimoniam auctam; propter quam in se mutuò insurgunt acriùs, Effervescunt potentiùs, & commiscentur arctiùs.

2. Propter Pituitam multiplicẽ ipsi copulatam.

XXXV. Jungitur 2. Bilis Acido propter Pituitam multiplicem ipsi copulatam, propter quam segniùs ab invicem recedunt, adeòque diutiùs in sua Effervescentia continuant, ac proinde plures halitus emittunt.

Albedinem ad Acidũ mutari à varietate Bilis ipsi junctæ.

XXXVI. Nec tantùm ob dictas Causas jungitur Acido Bilis, ut Effervescant ideò acriùs & diutiùs, sed insuper ex illa Bilis variæ, vel variatæ conjunctione mutatur naturalis Albedo à solo Acido prodire solita.

Et quare.

XXXVII. Quemadmodùm enim ipsa Bilis colorem suum naturalem flavum mutat in viridem, aut nigrum propter admistum Acidum varium; ita vice versa mutationes ab Acidio primariò pendentes alterantur à Bile varia ipsi admista.

Bilis varia unde.

XXXVIII. Variam hic voco Bilem, non quæ ab ipso Acido est variata, sed quæ ab admista Pituita istam est nacta varietatem, & quidem ratione Glutinositatis majoris vel minoris, propter quam, sicut modò dictum, variat Acidi cum Bile conjunctio, quæ inde fit arctior vel laxior, adeòque penitiùs aut superficie-tenus duntaxat rodit læditque partes, ad quas pertingit.

Quare Aphtharum color ad ordinaria albedine magis recedat.

XXXIX. Quò autem plus Bilis admistum est Acido hic primariò peccanti, eò magis recedit Aphtharum color ab ordinaria ipsis albedine; & quò plus eidem Acido admistum est Pituitæ, aut Salivæ Glutinosæ, eò segniùs secedunt Aphthæ, ac proinde durant diutiùs & curantur tardiùs.

Quare segniùs secedant.

Aphthæ non semper malum signũ.

Prognostica

XL. Unde patet, quandonam magis vel minus periculosæ sint Aphthæ; postquam nonnulli Medici quasvis Aphthas pro pessimo habent in Morbis omnibus signo; quamvis non rarò Affectus graves solvant, hoc est, ipsis apparentibus Morbi solutio ac curatio præsto sit.

XLI. Hinc non videtur præter rem futurum, si paucis prognostica ex Aphthis petenda recenseamus, eorundemque rationes addamus.

Aphthas semper Acidum Acre indicare.

XLII. Cùm Aphthæ omnes ortum habeant ab Acido peccante, & quidem utplurimùm ab inferis partibus per Ventriculum ac OEsophagum assurgente, rariùs cum Saliva in Os deducto; semper indicant Aphthæ Acidum acre in corpore peccare, & hactenus ejus rationem habendam exactam, non tantùm propter ipsas Os occupantes Aphthas, verùm etiam propter Acidum in corpore existens, atque alias noxas producens, aut producturum; à quo majus vitæ periculum, quàm ab ipsis Aphthis, quæ angustando fauces, atque respirationem ac deglutitionem impediendo vitæ possunt insidiari.

Quanam Periculosa.

XLIII. Ex hoc patet, illas duntaxat esset Aphthas periculosas, quæ *copiosa* sunt, ac *pertinaces*, quin *flaventes* aut *nigricantes*, adeòque *siccæ* sive aridæ.

Nempe 1. Copiosa.

XLIV. Dico periculosas esse Aphtha, quæ 1. sunt *Copiosæ*, totumque Os occupantes; quod nunquam evenit, nisi ab Acido acri copioso in corpore existente, atque plures ipsi noxas necessariò afferente.

2. Pertinaces,

XLV. Dico 2. periculosas esse Aphthas, quæ sunt *Pertinaces*, hoc est, segniùs decidentes, ac continuò succrescentes; quod evenit propter acidum simul austerum, ideòque firmiùs partibus à se affectis adhærens, ipsasque diutiùs rodens ac molestans.

3. Flavescentes, nigricantes, & sicca.

XLVI. Dico 3. Periculosas esse Aphthas, quæ sunt *Flaventes* aut *Nigricantes*, ac *Siccas Aridasve*; quod evenit propter *Bilem* simul valdè vitiatam, & Acido peccanti junctam, unde difficiliùs uterque humor simul graviter peccans corrigitur ac emendatur, quàm solus Acidus. Signum autem ejus Acidi, vel utriusque humoris in producendis Aphthis simul peccantis devicti, est Humiditas in Os accedens copiosa, & Salivationis speciem producens, cum qua solent non tantùm faciliùs secedere Aphthæ, verùm insuper Lingua, Palatum, cæteræque Oris partes ad Aphthis malà affectæ citiùs ad consolidationem, plenamque adeò sui curationem venire.

Ulcerum ariditas malum signum.

XLVII. Quemadmodùm enim semper pro *malo & lethali signo habita* est *Ulcerum ariditas*, *ita hoc ipsum in Aphthis habet locum*: cujus Ego eandem judico Causam, Bilem nempe itidem in Corpore graviter peccantem, atque Acidum non tàm temperantem, quàm vitiosè, atque Vitæ Animalis maximè noxiè cum ipso Effervescentem.

Mortẽ pendere ab Effervescentia valdè læsa.

XLVIII. Nam si Animalis cujusvis Vita pendeat imprimis ab Effervescentia, sed blanda, Bilis & Succi Acidi tum in tenui Intestino, tum in Corde, (sicut indies magis confirmamur in illa sententia per omnia, quæ in praxi occurrunt accuratè observata) utique Mors ejusdem pendebit plerumque ab eadem Effervescentia quovis modo valdè læsa.

Aphtharũ Curatio.

XLIX. Cæterùm postquam non tantùm Naturam, sed Prognostica quoque *Aphtharum* exhibuimus, superest, ut earundem *Curationem* nunc addamus.

In quibus consistat.

L. Quoniam verò diximus *Aphthas* videri nobis *ortum habere ab Acidis humoribus, halitibusve* ad *Os delatis*, atque non tantùm *totam ipsius superficiem*, verùm *OEsophagi* quoque *tunicam internam rodentibus*, atque *ulcuscula infinita in notatis partibus producentibus*: patet, ipsarum *Curationem* consistere in sequentibus.

1. In Acidi correctione.

LI. 1. In *Acidorum Humorum, Halituumque correctione ac Emendatione.*

2. Diminutione.

LII. 2. In *notatorum humorum plùs minùs correctorum*, quoties *copia simul peccant*, vel *in totum emendari non possunt*, *saltem non nisi tempore longiore*, *diminutione aut expulsione.*

3. In ejus Productione nova impedita.

LIII. 3. In *eorundem humorum*, *halituumve Productione nova impedita*, *impediendave.*

4. in partiũ affectarum liberatione.

LIV. 4. In *partium affectarum ab Aphthis liberatione*; adeòque *aphtharum* (uti loqui vulgò amant, solentque,) *maturatione*, ac *casus promotione.*

5. In earundẽ mundatione & consolidatione,

LV. 5. In *partium* earundem ab aphthis *liberatarum mundatione ac consolidatione.*

LVI. Quòd si medicamenta in curandis aphthis usurpari solita & utilia reperta præfatis satis faciant Indicationibus, utique non parùm confirmabitur nostra de Aphtharum Causis sententia, sicut in superioribus illud asseruimus.

Duplex esse acre,

LVII. Quamvis autem multi non attendant ad *peccantis Acidi Correctionem*, quoniam confusa fuit hactenus apud Medicos Acrium notitia & doctrina, uno Acrimoniæ nomine duntaxat ipsis noto; jam tamen, duplici ac quidem sibi contrario Acri volentibus sapere à Me patefacto, & aliquot annis jam plurimorum experientia confirmato, attenditur magis à non paucis tum ad Acris utriusque vim & noxas quotidianas, tum ad ejusdem correctionem optimam.

Quibus utrumque temperetur.

LVIII. Inter plurima verò, quæ solent alterutrum, quin utrumque Acre corrigere ac temperare, laudatur meritò in *curandis Aphthis omne Acidos Spiritus concentrans*, & quidem *blande*; inter quæ sunt *Oculi Cancri*, *Margaritæ Corallia*, *Creta Alba*, *Sanguis Draconis*, *Lapis hæmatites*, & similia plura, quæ pro Aphtharum, adeòque Humorum Acidorum imprimis tunc peccantium diver-

diversitate possunt seligi, cæterisque præponi.

In ariditate summa. LIX. Exempli gratia, quoties ob *ariditatem summam* non tantùm exulceratur, sed *finditur quoque Lingua, cum partibus simul affectis*, unde Sanguis quoque effunditur purus, convenient præ aliis *Lapis hæmatites, & Sanguis Draconis.*

Sine Ariditate sũma. LX. Ubi *sine tali ariditate Linguæ* occurrunt Aphthæ, ad temperandam corrigendamque Aciditatem conducent præ aliis *Oculi Cancri & Margaritæ*, tanquam concentrantia blandissima; *Creta* verò, tanquam *concentrans potentissimum Acidi.*

LXI. Nec tantùm hæc hic conveniunt, quin *Salia quoque Volatilia, sed blandissima*: quæ hactenus juvant, quatenus Aciditatem noxiam demulcent, franguntque. Conducit quoque *Bezoardicum Minerale.*

Humores correcti educendi. LXII. *Eosdem Humores*, quantùm fieri potest, *correctos diminuunt ac educunt Hydragoga* dicta, quoniam sub seri forma reperiuntur omnes Humores Acidi puriores: quos sicut aliis Humoribus, Pituitæ putà Bili & conjungi, confundive, non est mirum, ita specificis additis simul educi, nec novum, nec absurdum.

Et quibus. LXIII. Hinc est, quòd in curandis Infantum Aphthis tàm frequenter usurpamus *Syrupum de cichoreo cum rheo*, aliumve similem; quoniam scil. *in consensum tracta est, simulque correpta Bilis, ab Acido Acriore facta Æruginosa*; ne nunc dicam, omnes humores educi à quibusvis purgantibus, licet putem etiam nunc à certis medicamentis faciliùs & ubetiùs educi humorem hunc vel illum præ aliis.

LXIV. *Humores* igitur *Acidi & Serosi* primariò peccantes, ut & *biliosi* secundariò affecti, atque *Pituitosi* nonnunquam simul juncti, & malum pertinacius reddentes, tum alterari & corrigi debent, tum subinde minui, evacuarique Medicamentis quibusvis maximè convenientibus, quin subinde simul artificiosè mixtis.

Humorum Acidorum productio impedienda Et quibus. LXV. *Humorum Acidorum Productio* sicut pendet imprimis ab Usu Alimentorum, Condimentorum, Medicamentorumve *Acidorum*, ut & ab *Aere frigido. Animique mœrore aut terrore*; ita eadem Productio impedietur tum abstinendo ab illis, tum usurpando magis Oleosa sive *pinguia & Spirituosa*, fruendo *Aere sereno & æstuante, Animum recreando rebus gratis & acceptis.*

LXVI. *Halituum autem Acidorum proventus* sicut debetur *Effervescentiæ factæ ab Acido valde Acri & potenti*, ita idem impedietur correcta, aut impedita notata Effervescentia vitiosa, tum per ea, quæ *Acidum* illud potens atque valdè Acre potenter *concentrant*, tum per ea, quæ aliàs idem *obtundunt.*

Acidũ Acre quænam concentrẽt. LXVII. *Concentrant potenter* Acidum Acre *Creta, Sanguis Draconis*, & similia.

Quænam obtundant. LXVIII. *Obtundunt* Acidum Acre *Pinguia & Oleosa*, sed imprimis *Opium*, omniaque *Narcotica*; quò referendum, cæterisque præferendum quodvis *Sulphur Metallicum, aut minerale fixum* redditum: præ quo nihil expertus sum hactenus, quod tàm utiliter, hoc est, tàm blandè, tàm certè, tàm citò, imo tutò cohiberet vitiosas Effervescentias.

Partes affecta aphthis liberanda, LXIX. *Partes Aphthis affectæ iisdem liberabuntur*, & quidem ipsarum *maturatione ac spontaneo casu*, per Medicamenta *Acrimoniam Acidam* ipsis conjunctam *blandissime temperantia*, quin *eandem in se allicientia*, sicque eadem laudatas partes liberantia.

Et quibus. Raparum coctarum succus. LXX. Inter hæc laudatur meritò *Raparum* in Aqua *coctarum*, vel *assarum* Succus expressus; cui subinde, quando minùs suavis vel dulcis existit, aliquid Sacchari addi solet; ubi autem assantur, eodem Saccharo haud indiget, cùm qui tunc prodit Succus Syrupi tenuioris consistentiam æmuletur, & saporem.

Ejus Usus. LXXI. Hoc succo colluunt & gargarizant sæpiùs Os & fauces Ægri, vel eundem in ore tantillùm retentum sensim deglutiunt, quod ego præfero, quò non tantùm Os partesque in ore contentæ hoc fruantur beneficio, verùm totus insuper OEsophagus, imo Ventriculus, quos non minùs docuimus affici malè Aphthis atque partes in ore occurrentes, id quod imprimis locum habet in Infantibus, à quibus expectari nequit colutio & gargarisatio.

LXXII. Adde quòd, cùm ab isto succo temperetur blandè ac efficaciter Acidum hic peccans, in ipsis quoque Intestinis tenuibus corrigatur & obtundatur idem, sicque ejusdem ascensus sursum impediatur, citiùsque malum hoc superetur. *Virtus,*

LXXIII. Multis proinde nominibus laudatur & laudari debet Raparum succus, cæteris omnibus fortè præferendus.

LXXIV. Usurpantur quoque Syrupi varii, Violarum, Iujubinus, de Glycyrrhiza, Rosarum solutivus, & similes plures blandi; quos eatenus conferre puto, quatenus aciditatem noxiam leniter obtundunt succo plantarum mucilaginoso, ex quo parantur; sive decoctione, sive sola contusione ac expressione. *Syrupi varii.*

LXXV. Præ multis aliis laudo hic *Ovi Vitellum* conquassatum & addita aqua rosacea dilutum cum tantillo sacchari ad gratiam. Ovi namque Vitellus in se allicit humorem acidum in ore nocentem, sicque partes Aphthis affectas paulatim eodem liberat, promovetque ipsarum casum. Potest autem, sicut de succo Raparum dictum, hac mistura toties, quoties usurpari debet, denuò agitata Os collui, aut ejus aliquid ore parum retentum sensim deglutiri, ad OEsophagum & Ventriculum quoque juvandum. *Ovi Vitellũ. Ejus Virtus, Et Usus.*

LXXVI. Laudatur ab aliis quoque Cerevisia primæ coctionis, in qua pars hordei aliorumque frumentorum optima, & maximè pinguis & mucilaginosa continetur, nec fermentationem adhuc passa est, & meritò, cùm & illa multùm conducat ob rationes jam prolatas. *Cerevisia primæ coctionis.*

LXXVII. Quin commendatur à quibusdam Cerevisia, cui sunt incoctæ ficus in parte priùs concisæ: quam sicut non sperno, quippe utilem; observavi tamen plerisque ægris mox fuisse ingratam ob summam glutinositatem à ficubus ortam: unde admodùm rarò in ejus usu aliquandiu perseverant ægri. *Vel cui ficus sunt incocta.*

LXXVIII. Dum verò ita dicuntur maturari Aphthæ, hoc est, paulatim à partibus subjectis & male affectis secedere, nova succrescit sub ipsis Cuticula easdem partes tegens; quæ tamdiu itidem corroditur & aphthas constituit, quamdiu acidum a re ad Os assurgit: eodem autem correcto vel superato tandem permanet illa Cuticula, & Oris partes priùs denudatas investit, & ab externis assumendorum injuriis præservat. *Cuticula in ore constitutio & mutatio.*

LXXIX. Ubi observant Medici, segniùs & parciùs succrescere Aphthas, judicant meritò, vel correctum, vel ablatum esse maximam partem illud acidum aphthas producens, qua de causa ulcerum notatorum mundationem ac consolidationem tunc expectandam, & promovendam censent. *Quando segniùs et parciùs succrescunt Aphtha quare signũ*

LXXX. Quamvis autem illa tunc spontè, ac beneficio jam laudatorum ac præscriptorum medicamentorum soleat subsequi, licet tamen aliqua etiam tunc addere, quæ potentiùs idem absolvant; Sic loco Syrupi rosarum solutivi usurpari poterit Syrupus de rosis rubris, Mel rosaceum, & similia; quin Terræ pingues, Bolus Armena, Terra Lemnia, & similes cum Aqua plantaginis in pollinem tritæ addito melle vel Syrupo rosaceo minima quantitate ore poterunt contineri, & Curatio ultima, sive Consolidatio festinari. *Quibus Aphtha consolidentur.*

CAPUT VI.

De Insultibus Epilepticis.

Insultus Epileptici quale malum.

I. CONsiderabimus nunc 6. frequens Infantibus nuper natis ac præsertim in hoc Belgio, *Insultus Epilepticos*, quibus plerique corripiuntur, & multi è medio tolluntur: dignos proinde nostra indagine.

Quorum sint causa.

II. Hi *Motus epileptici supervenire* solent *Torminibus Ventris*, atque *Alvi Decoctioni viridescenti* & *Acidum olenti*, Unde non sine causa judicatur *eadem omnium Causa primaria*.

Quia sint.

III. Sunt autem *Insultus & Motus Epileptici*, *Agitatio reciproca & aliquandiu continuata Partium per musculos motarum*, *Manum*, *Pedumque*, *Laborum*, *Linguæ*, *Palpebrarum*, *Oculorum*, uno verbo omnium Partium in Adstantium Sensus Visum & Tactum occurrentium.

Eorum diversitas.

IV. Hæc Agitatio aliàs est *vehementior*, aliàs *mitior*, aliàs *diuturnior*, aliàs *brevior*; aliàs *Universalis magis*, aliàs magis *Particularis*; aliàs *sæpius*, aliàs *rarius repetens*, & sic porrò.

Et exemplum rarum.

V. Repetere namque solet *per Paroxysmos hoc malum*: quo *durante vix aliquid assumere possunt Infantes*; unde magis sum ante sesquiannum miratus, meam filiolam octo menses natam postremo vitæ suæ die propter difficilius erumpentes dentes Insultibus Epilepticis afflictam, durante per horas aliquot Paroxysmo Epileptico quævis commodè assumpsisse, (quod non memini me unquam in ullo Epileptico Infante vel adulto observasse) at eodem cessante nil ampliùs admisisse per horas plures, sed tandem placidè expirasse: quod idcircò hic noto.

Quosdam Epilepticos durante paroxysmo carere sensu externo.

VI. Quemadmodùm autem durante Paroxysmo Epileptico *Sensu omni externo carere videntur* Adulti, ita idem judicandum de Infantibus.

Quosdam non.

VII. Dixi *Epilepticos videri durante Paroxysmo carcere omni sensu externo*, quamvis ad *Objecta quædam Acriores halitus spirantia & naribus admota plerumque mox excitentur*, sicut etiam nonnumquam *ad Somnum potentem*, ac imprimis *nominis proprii*, *Auri proximum*.

VIII. Observatur autem non rarò durante Paroxysmo *Ægri ad ossa usque comburi*, *nec tamen inde excitari*: quod signum est, Sensu externo tunc carere ipsos.

Hujus diversitatis ratio.

IX. Cujus *diversitatis* aliam non invenio *rationem*, præter *Causæ peccantis à Volatile Sale Acri correctionem ac mutationem*; nisi forsan tunc Sensus Externus unus magis afficiatur altero, quod si fiat, ejus rationem hactenus ignoro.

Epilepticorum constituti post paroxysmum.

X. Plerique Paroxysmo Epileptico prehensi, quando *ad se redeunt*, *ignorat quid fuerint passi*, ac vix de alio *tunc queruntur*, *quam Capite dolore gravativo*; nisi forsan durante Paroxysmo ex vehementi partium agitatione aliqua fuerint valdè contusa, vel aliter læsa, quæ læsio sentitur demum soluto aliquandiu Paroxysmo.

XI. Id enim notandum, pleroque *stupidiores observari post Paroxysmum solutum*; quin *sæpiùs recurrentibus Paroxysmis gravibus permanere postmodum stupidos & quandoque fatuos*.

Cerebrum in Epilepticis esse affectum.

XII. Quæ omnia videntur sufficientia esse signa *Cerebri*, *ac Cerebelli affectui ab insultus Epilepticis*; adeò ut merito statuatur à multis, partem primario in Epilesia *affectam* esse, si non *Cerebrum ac Cerebellum*, *saltem Spinalis medullæ radices*, *adeòque Initium Nervorum*.

Ut & Sensus externos & internos & Motum Animalem.

XIII. *Afficiuntur* enim *manifestè Sensus externi & Motus Animalis*; afficiuntur quoque *Sensus Interni*, dum *stupidiores* fiunt Epileptici; sed *afficitur necessario Caput*, propter *dolorem gravantem in ipso*, *etiam cessante Paroxysmo*, *remanentem*.

Qualis & quarum partium sit affectio.

XIV. Cùm igitur *Animales functiones*, *si non omnes*, *pleræque saltem afficiantur in & ab Epilepsia*, meritò quæritur, *qualis* tunc contingat, & quarum partium *affectio mala*?

Nempe Spirituum Animalium.

XV. Quantùm Ego ex omnibus & singulis à me hactenus observatis menti nunc præsentibus judicare valeo, existimo, *Spiritus Animales plurimùm affici & alterari in Epilepsia*, *nec tantùm*, *quatenus moto inordinato & coacto movetur ad musculos oppositos*, sed insuper *quatenus inepti redduntur* ad ministrandum *Sensibus externis ac internis*.

Quanam eâ sequantur.

XVI. Quamvis proinde putem, *irritari Nervorum principium inordinate*, unde *copia majori & quidem itidem inordinate quaquaversùm moveantur Animales Spiritus*, existimo, *eosdem* etiam *inquinari & ita mutari secundùm suas qualitates*, *ut tunc sint inepti sensationi laudabili & naturali absolvendæ*; ideòque *tamdiù post motus Convulsivos præcedentes tandem in vera Convulsione permanere Musculos omnes*, *quamdiù qualitate vitiosa infecti sunt idem Spiritus*: quos imprimis arbitror *hac noxa liberari*, *quando Salia Volatilia subtilissima & Acrimonia innoxia prædita*, *Spiritus Salis Armoniaci puta & similes plures*, *per nares penetrant in Cerebrum*, *atque Spiritus Animalibus male affectis se jungunt*, *quin vitium ipsorum corrigunt ac emendant*, *citiùsque Paroxysmum solvunt*.

Et quanam eam curent.

Spirituum Animalium male affectorum causa. Salibus volatilibus contrarios esse Spiritus Acidos.

XVII. Unde concludo, *Causam in corpore existentem atque Spiritus Animales male afficientem*, *ac exinde Epilepsiam producentem contrariam esse Salibus Volatilibus*.

XVIII. Si quis porrò & *Salia Volatilia examinet*, & *ejus contrarium investiget*, inveniet tandem *Ipsis Contrarios esse Spiritus Acidos itidem Volatiles*; ideoque probabiliter concludi, *Halitus Acidos Causam esse proximam & Continentem tum Nervorum principium irritantem*, *tum Animales Spiritus vitiose alterantem*.

Quinam Affectus infantum Epilepsiam præcedant.

XIX. Hoc ipsum confirmatur ex *Affectibus Epilepsiam Infantium præcedentibus* & jam memoratis, *Ventris torminibus*, *Excrementis Alvi viridibus & Acidum spirantibus*: ut & *inopinato & gravi Terrore* tam sæpè tum Infantibus, tum adultis *Epilepsiam producente*. Solet namque in *terrore vim majorem nancisci Acidum in corpore*, solitudinem *omnes Sensus*, quin & *Corporis Motum turbare*, quin ejus *Concussionem Convulsivam excitare*.

XX. Nec tantum ex consideratione *Salium Volatilium*, *Epilepticorum Insultuum Remedii optimi*, atque *Symptomatum ipsos utplurimùm præcedentium*, Ventris Torminum ac imprimis Dejectionis Acidum spirantis, concluditur *ipsorum Causa vera*, *Spiritus Acidus Volatilis*, hoc est, *Halitus Acidus*, verùm si quis absque præjudicio cuncta in Epilepticis Insultibus notabilia consideraverit agnoscet facile, *aliud in rerum natura non occurrere*, *à quo ipsi possint deduci*.

Quale quid requiratur ad Epilepsiam producendam.

XXI. Requiritur enim *tale quid*, quod *etiam à parte remotissima brevi possit assurgere ad caput*, quod *ibidem irritationem possit excitare ad inordinatum & coactum Spirituum Animalium motum versus musculos omnes*, quod *obscurare possit ac opprimere Sensus externos omnes*; quod *ad fatuitatem possit repente aut sensim deducere Ægrum*, quod *Gravitatis sensum possit producere ac relinquere in Capite*: Atqui hæc omnia à nulla re nota produci possunt, nisi à *Spiritu Acido Volatili*, *vel Halitu Acido & Acri*.

Duo tantùm esse Acria, simplicia, & ex duobus tertium mixtum.

XXII. Etenim cùm *duo tantùm* reperiantur *Acria pura in rerum natura*, *Lixivum Salinum & Acre Acidum*, hinc & *mixtum & fructum ex utroque Salsum nempe Muriaticum*, prout plus de Acrium alterutro participat, ad idem magis vergentes: & *illa noxa non producatur*, *sed curetur per Salia lixiva*, *sed imprimis Volatilia* (possunt enim & fixa inservire, & Coralia, Margaritæ, Oculi Cancri & alia similia longo usu comperta, reliquum est, ut à *Spiritibus Acidis*, *sed Volatilibus* atque *in Halitus facilè abeuntibus*, *deducatur hoc malum*.

Halitus Acres non esse à Sale Muriatico.

XXIII. Frustra namque id quis peteret à *Sale Muriatico*, à quo tales attolli haud solent Halitus Acres.

XXIV. Utique non potest non Homini, Veritatem

tem ac Ægrorum commoda unicè sectanti, & ab inaoi & vana gloria alieno valdè solacere, quando ita evideotes ac solidè alicit Affectus alicujus ardui & latentis causam vera.

Omnia in Epilepsia nondum esse nota.

XXV. *Non tamen omnia sunt nobis adhuc in hoc affectu nota, perspectaque, postquam oecdum satis constet, qui ab illis Halitibus Acidis & Acribus afficiantur ac depraoentur Animales Spiritus ad Sensum externum penè abolendum, & imprimis Fatuitatem inducendum.*

Plura tamen, quàm vulgò docentur.

XXVI. Sed licèt hic non sint omnia nobis nota, perspectique, multom est tamen longè plura distinctiùs nosse, quàm vulgò de hoc Affectu docentur, atque notabiles io rerum obscurarom cognitione promoveoda facere progressus.

In sensibus externis stupor unde.

XXVII. *Unum tamen videor* mihi *circa Externi Sensus stuporem in Epilepsia* observabilem *assecutus*, (postquam rem intimiùs examinavi, & post multas cogitationes ac discursus sollicitos id conclusi) nempe à *Spiritu Acido Acriore in Succo Pancreatico existente, aut etiam fortasse etiam Assumptis adventante ita vitiari Effervescentiam cum Bile in tenui Intestino factum*, ut *Halitus non tantùm Acres Acidique*, sed *insuper vim Narcoticam à Bile mutuati attollantur*, & per Lacteas Venas *penetrent* ad Sanguinem, hinc cum ipso *ad Cerebrum*; ubi *partim mordicent ac irritent Spinalis Medullæ radicem*, unde copiosiùs ad Musculos ferantur Animales Spiritus, ibique producant primùm motu suo inordinato *Motus Convulsivos*, & tandem Motu utrinque continuato ipsam *Convulsionem*: partim *Narcosin inducant in Animales Spiritus*, unde sequatur *ille stupor magnus, & Insensilitas durante Paroxysmo*.

Unde Fatuitas.

XXVIII. An *ab eadem vi Narcotica deduci possit ac debeat Fatuitas* Epilepsiæ tàm sepè superveniens, non ausim affirmare, ut nec negare: postquam observamus *Ebrios, & quasi narcosi correptos*, durante ebrietate *videri fatuos*; quin imò *omnes assumpto Opio, quamdiu ejus vis viget*, si à *Somno excitentur, Fatuis videri quoque similes, & habere gestus sermonesque satis fatuos*.

XXIX. *Si* proinde *Fatuitas Epilepticorum deducenda sit à vi Narcotica ex Bile haud dubiè orta*, necessum est, *ita vitiatos fuisse ab ipsa Spiritus Animales*, aut *Cerebrum, Cerebellumque, quatenus Spirituum Animalium præparationi serviunt*, ut, *qui postea continuò generantur, serotne illam Dispositionem Fatuitati producendæ aptam* Cujus modum & rationem clare ac distinctè quis explicabit; Ego saltem non possum.

Epilepsiæ Causa Remota, et Antecedente.

XXX. Postquam quodammodo saltem explicuimus Symptomata io Epilepsia & Infantium & Adultorum observabilia, proximum est, ut *Affectus ejusdem Causas remotas, & quandoque Antecedentes* simul examinemus.

Quomodò hæ causæ distinguantur.

XXXI. *Distinguendæ* sunt namque *Causæ Antecedentes à Remotis*; postquam *hæ* oppoountur aut contra distingouotur *Proximis*; sicut *Antecedentes Continentibus*: quamvis non semper coincidant Continentes cum Proximis.

XXXII. *Causæ* aliæ sunt, *quæ actu Affectum* aliquem, Morbumque *producunt*, sive sint *proximæ ac Continent*, sive *Remotæ*.

XXXIII. *Aliæ* sunt, quæ *actu Affectum*, Morbumve *nullum producunt*, *ast producere aptæ sunt natæ*, quin facilè sunt producturæ, dummodò *irritentur ac in actum deducantur*: quæ oomine *Antecedentium Causarum* vulgò veniunt.

Obstructionis causa Continens & proxima.

XXXIV. Exempli gratia, *Continens Obstructionis Causa* est *Humor coagulatus Sanguis, vel Pituita, in aliquo vase hærens: quo posito, ponitur Obstructio, sicut eodem remoto, eodem removetur*: estque insuper *proxima Obstructionis Causa*.

Ejusdem causa Antecedens.

XXXV. *Antecedens Obstructionis* ejusdem *Causa* est *Pituita*, vel *alius Humor in corpore existens*, ast *nullam noxam producens, nisi ab alia Causa Irritante aut Procatarctica dicta deducatur in actum, & moveatur in aliquem canalem, quia ibidem coaguletur*: quæ *duæ effecta*, sicut suot sepè nunc diversa, nunc contraria, sic non rarò *agnoscunt Causas contrarias Aeris* putà *Calorem Pituitam solocatem* & quaquaversùm, ergò ad vasa quoque propellentem, hinc & *Frigus eandem in vasis coagulans & sistens*, quæ *duæ Causæ Contrariæ, Aeris Calor & Frigus*, sunt *Causa Procatarctica Obstructionis*, quatenus *Pituitam* in corpore existentem, nollamque noxam afferentem, *Obstructionisque producendæ Causam Antecedentem*, tum solvunt & ad Vasa devehunt, tum eadem ibidem coaguiant.

Procatarctica.

XXXVI. Hæc eadem *Pituita*, quæ *Antecedens erat Obstructionis Causa*, quamdiu oullam in Corpore latens producebat noxam, fit ejusdem *Causa Continens, ac Proxima*, quamprimùm ad Vasa delata coagulatur in iisdem, ac reverà Obstructionem parit.

Remota.

XXXVII. *Eadem Pituita jam mota & abundantiùs ad Vasa propulsa, Remota est Causa Obstructionis producendæ, augendæve.*

Distinctio causarum.

XXXVIII. Atque ex his paucis patere potest omnibus *distinctio Causarum* tum *Remotarum & Proximarum*, tum *Continentium, Antecedentium, & Procatarcticarum*.

Non omnem morbum habere causam continentem.

XXXIX. Quòd *si Continente Causa posita ponatur, ac removeatur Morbus*, utique *omnis morbus non habet Causam Continentem*; verbi gratia, *Vulneris Causa proxima, non item Continens Causa, est Gladius*, quoniam ipso in parte molli posito ponitur quidem vulnus, *eodem autem remoto non removetur iterum idem vulnus*.

Epilepsiæ Infantum causa Proxima & continens Antecedens.

XL. Hæc ut *Infantium Epilepsiæ* applicemus, notandum, *Causam Proximam & Continentem Irritationis* in Nervorum principio esse Halitum acrem eò delatum: sicut ejusdem Antecedens Causa est Humor Pancreaticus, vel aliàs quivis assumptus & *Acidus, in tenui Intestino vitiosè cum Bile effervescens*, atque *Halitus similiter Acres, Acidosque producens*, qui tendunt ad Cerebrum ac Cerebellum, ut ibidem notatam irritationé pariant.

XLI. *Antecedens* autem *Irritationis Epilepticæ Causa* est *tum Bilis, tum Succus Pancreaticus, in Corpore existentes, nondum tamen vitiosam illam Effervescentiam producentes; donec ab externa Causa, nunc Aere procelloso, nunc Alimento facilè in acidum abeunte, Ipsumque augente aut aliàs irritante*, nunc *Terrore* simileve Causa *alia irritentur atque in effectum deducantur*, id est, *ab vitiosè Effervescendum, Halitusque notatos producendos propellantur*, sicque *continenti Causæ materiam suppeditent*.

XLII. Atque sic tum *Affectum Ipsum*, tum *Ejusdem Causas*, tum *Earundem agendi modum* paucis explicuimus; restat, ut *Prognosin* & *Curationem* similiter subiungamus.

Epilepsiæ Prognostica.

XLIII. Ex iis, quæ jam dicta sunt, facilè formari possunt *Prognostica*, nempe *Affectum hunc esse gravissimum*: cùm 1. sit tàm *multis lethalis*; cùm 2. tà sepè *relinquat post se tàm luctuosa Symptomata*.

Exemplum rarum Epilepsiæ in Infante.

XLIV. Non possum silentio præterire, non ita pridem, quum pauperibus consilia ac remedia imperciret, præter alios Ægros satis graviter afflictos, ad me allatum esse *Infantem* forsan *bimulum*, coi *ante mensem* supervenit *Tussis Suffocans*, vulgo *Kint-Koest* dicta, qua ubi aliquot diebus fuisset vexatus, accessit *Epilepsia*, sed hac non cessante, qui priùs *loqui poterat & ambulare Infans*, nunc *mutus existit*, & quasi *Paralyticus, omnique ambulandi potentia destitutus*.

XLV. Sed metuo valdè, ni brevi superetur ista noxa, oe simul *fatuus* fiat, sicut in multis aliis observavi factum. Quod ut præveniatur, quædam præscriptum tum interna, tum externa remedia.

In eo Tussis suffocans quænam & unde.

XLVI. Videtur namque in hoc Infantem *Tussis illa Suffocans* (quam idcircò sic voco, quia videntur in Suffocationis periculū conjecti Ægri, tam adulti quàm Infantes) *ortum habuisse à Flatibus Acidis in tenui Intestino excitatis & paulatī ad Pulmones assurgentibus*, ibidemq; ad Tussiendū ipsos irritantibus.

Injuleus Epileptici unde.

LXVII. Iidem *Flatus Acidi ad Cerebrum sufflati videtur* ibidem *Nervorum principium acrimonia*

mania sua mordicando ipsum irritasse ad copiosiorem Spirituum Animalium copiam quaquoversum, ac imprimis ad Musculos omnes aut prorsusque propellandam, unde excitati sunt primò *Motus Convulsivi, tandem ipsa Convulsio*; hoc est, Insultus Epileptici.

Impotentia ad motum unde.

XLVIII. Postquam verò ulteriùs delati sunt iidem *Halitus sive Flatus Acidi secundùm Spinam Dorsalem*, suntque *ibidem magis concreti*, videtur, *Impotentia ad Motum excitata, compressis vel aliter male affectis Nervis*, per quos ad *Musculos deferuntur Animales Spiritus*.

Defectus loquelæ unde.

XLIX. Quinimò ob eadem Causam *male affectis Musculis Locutioni servientibus*, factus videtur idem *Infans mutus*, qui cœperat benè loqui.

Epilepsiæ curatio.

L. Epilepsia ut ritè curetur, observanda plura, quæ nomine Causarum se mutuò consequuntur, ut illam producant, ut & à quibus tam internis, quàm externis solent foveri vel augeri eædem; denique illa, quæ solent ipsam subsequi, tanquam Symptomata.

LI. Erit proinde operæ-pretium, ut singula hic consideranda, ordine proponantur, hinc & ipsis sua Medela applicetur.

Spectanda in ea est. 1. Irritatio principii Nervorum.

LII. Primum, quod hic spectari debet, est *Irritatio sive Mordicatio Principii Nervorum ab Halitibus Acribus* ad Cerebrum assurgentibus: unde *Impetuosus & inordinatus sequitur Spirituum Animalium ad musculos Motus*, ipsique adeò *Motus Convulsivi*, ac tandem ipsa *Convulsio*.

2. Halitus acer ad cerebrum delatus.

LIII. Secundum, quod itidem hic spectandum, est Halitus acer ad Cerebrum delatus, nervorum initium mordens & irritans, Causa continens & proxima Irritationis ac morsionis.

3. Idem in tenui Intestino existens.

LIV. Tertium est Halitus idem in tenui intestino existens, atque postea ad Cerebrum ascensurus, Irritationis ejusdem causa remota, quatenus proximam & continentem fovet, aut postea constituet.

4. Effervescentia Succi Pancreatici & Bilis.

LV. Quartum, quod hic spectari debet, est in Infantium Epilepsia, de qua nunc agimus, Effervescentia vitiosa Succi Pancreatici acidi acrioris, & Bilis satis pinguis & acris in tenui intestino, ex qua prodeunt notati modò Halitus acres.

5. Succus Pancreaticus & Bilis acta Effervescentes.

LVI. Quintum hic spectandum, est *Succus Pancreaticus Acrior*, quando *actu effervescit cum Bile vitiose promitque notatos Halitus acres*: itidem *Causa remota*.

6. Idē Succus nondū effervescēs.

LVII. Sextum est Idem *Succus Pancreaticus Vitiosus & Acrior, nondum tamen in actum deductus, aut vitiosam Effervescentiam excitans*; quæ *Causa* hujus mali Antecedens.

7. Omne, quod ejusdem Succi Acrimoniā producit vel auget.

LVIII. Septimum hic spectandum, erit omne id, quod tanquam *Causa procatarctica* vel *Irritans est, augeatve Succi Pancreatici Acrimoniam, ut in Actum deducatur*: quamvis *nil impedit Succum eundem sponte evi, paulatimque Acriorem*, donec *tandem possit vitiosam illam excitare Effervescentiam, & Halitus acres promere*. Hoc autem facit aliquando Lac dulce, quod præsertim à Vaccis redditur paulò post partum, quodque facilius corrumpitur & acescit, adeòque augere potest Succi Pancreatici Acrimoniam Acidam, illumve irritare ad vitiosè cum Bile Effervescendum. Sic & noxium est *multum Saccharum* unà cum Pulte nuper natis copia nimia exhibitum; quod sicut acescit facilè, ita & ad vitiosè effervescendum irritare potest notatum Succum.

8. Vis Narcotica Bilis, unde stupor.

LIX. Atque hæc se mutuò consequuntur in Motibus Convulsivis & succedente ipsis Convulsione; quoniam verò stupor sensuum omnium comitari solet Epilepticos Insultus, & stuporem illum deducendum putavimus *à Bile vim Narcoticam notatis Halitibus Acribus communicante*; spectanda hic 8. *vis Narcotica stuporem dictum efficiens*.

Fatuitas.

LX. Denique quoniam addidimus, succedere aliquando Insultibus Epilepticis *Fatuitatem*, quā non improbabiliter existimavimus deduci posse ab eadem *Vi Narcotica Bili debita*, & aut *Cerebro, aut Spiritibus Animalibus intimiùs juncta*, ejus 9. est habenda in Curatione ratio.

Causæ Antecedens præveniendu.

LXI. Quoniam verò satiùs est Prævenire quàm Præveniri; optandum foret, ut *Causæ hujus mali gravis Antecedenti* iretur obviam, tum in *Fœtu nondum nato, tum in eodem jam nato*.

In Matre, dum uterum gerit.

LXII. Diximus in superioribus, *Causam frequentissimam Epilepsiæ Infantium quærendam in Matre Uterum gerente*, atque *Diæta vitiosa utente*, tali nempe, quæ urgere potest in Corporem Acidum; qualia sunt *Acetaria*, Mala Citria, Arantia, Fructus immaturi & Acidi, cæteraque Alimenta propter ipsorum fastidium Acido multo & Acri condidita; Vina itidem Acida, & Cerevisiæ Acescentes, Lac Ebutyratum, vel aliàs coagulatum & acescens sæpiùs usurpatum; *Aer frigidus ac Borealis*; *Tristitia, Terror, &c.*

LXIII. Solet autem noxa ex vitiosa diæta orta *Fœtui magis nocere, quàm Matri*: sive malè habeat: dum adhuc in utero hæret; sive hoc fiat demum postquam in lucem est editus.

XIV. *Post nativitatem Acidum in Corpore Infante tenelli facile augetur ab assumptis actu Acidis*, vel *facile acescentibus*, ut & à *Terrore*, aut *Mœstitia frigidoque Aere*.

Postquam peperit.

LXV. Ut *præveniatur* proinde *hoc malum*, & ab *ipso Præservetur Fœtus*, optandum foret, *Matres* tam tenero in Liberos suos affectu motas *Cavere sibi à tàm frequenti memoratorum Acidorum abusu*; cui tamen debetur dubio procul hic, quàm alibi, frequentior Infantium Epilepsia.

Cavendo ab acidorū abusu.

Assuescendo Alimentis sanis.

LXVI. Hoc ut faciant faciliùs, debent antequam Uterum gerant, *sese paulatim assuefacere Alimentis magis sanis*, & *desuescere à multùm Acidis*; quod plerisque novi futurum valdè difficile, quoniam more malo indulgent & assuescunt omnes ferè à prima ætate Acidis tum Alimentis tum Condimentis Belgæ, putantque non satis sapere Alimenta, nisi *usurpentur* aut *valde Salsa*, aut *valde Acida*: licèt trito suo Idiomate proverbia testentur, debilitari naturam humanam tum Salsis, tum Acidis: *Sout en Suur KrenKt de Natuur*.

LXVII. Hoc Consilium esse salutare, vel inde patet, quòd *Infantes geniti ex Matribus non ita Acido indulgentibus rariùs patiantur Epilepticos Insultus*; & contra.

Assumendoque Acidum temperent.

LXVIII. Ubi autem ille Mos malus corrigi non potest; sicut Ego ejus corrigendi spem videò nullam, danda opera, ut *assumant* quoque *Gravidæ* talia, quæ *Acidum infringant, temperent, & corrigant*; inter quæ primas tenent *Salia Volatilia Oleosa*, à quorum usu assiduo observavi optime habuisse tum ipsas fœminas, gravidas tum posteà ipsos Infantes, minùsque fuisse obnoxios Insultibus Epilepticis.

Quæ locum habent tum in Uterum gerentibus, tum lactantibus.

LXIX. Atque hæc fieri possunt à fœminis Uterum adhuc gerentibus, quod *ipsum continuari potest ac debet ab iisdem*, si *Liberos suos lactent*, *aut à Nutricibus*; *cavendo* sedulò, quantum fieri potest, ne *Manus Aquæ frigidæ multùm immergant*, cùm observentur indies inde excitari Ventris tormina in Infantibus; imprimis, si paulò post ipsorum Lac exugant; quibus non rarò succedunt Insultus Epileptici.

Cavendo proterea ab immersione manuum in Aqua frigida.

Infantibus exhibenda Acidum tēperantia. Et qualia.

LXX. Atque hæc aut similia possunt exhiberi Gravidis & Nutricibus. *Infantibus* autem *Ipsis*, præsertim *quando præcessit notata vitiosa Matrum Diæta*, *exhiberi* deberent mox *à nativitate Medicamenta temperando concentrandoque Acido utilia*, qualia sunt non tantùm *Salia Volatilia*, tutò Infantibus ex *Aquis & Syrupis Carminantibus*, Menthæ, Fœniculi, & similibus parva quantitate exhibenda, sed *Corallia* quoque, *Margaritæ*, *Oculi Cancri* & similia in praxi vulgari notissima & familiaria, licèt Ipsorum Utilitatis ratio vera fuerit paucis hactenus nota.

LXXI.

[illegible] & Alvus laxanda. *Diagridio.*

LXXI. Qualia medicamenta si usurpentur io tempore, *alterari ac emendari* potest nonnunquam *Humor Acidus* in ipsis peccans; qui, quoties *minùs soluta* est *Infantium alvus*, quam esse *laxam* convenit, *blande educendus*, *Diagridium* ad j. vel ij. grana exhibendo; cùm non tantùm *Bilem*, verùm *Aquas* quoque blandè vacuet; licèt id non sciant, nec asserant pleri que.

Ejus defectu quanā sequantur mala.

LXXII. Hæc *Alvi laxitas si negligatur* in Infantibus, plerumque observavi *vexari eos ventris torminibus*; & paulò post *dejectione viridi concreta*, & tandem *Epilepticis Insultibus*.

Quanam infantibus nuper natis conveniant.

LXXIII. Conducunt igitur Infantibus nuper oatis tum *Alterantia*, *Emendantiaque Humorem Acidum*, tum eundem *temperatum Evacuantia*; quò præveniatur in tempore malum tam horrendum, tam perniciosum ac lethale.

Quando est metus futuri mali Epileptici.

LXXIV. Hæc eadem sollicitiùs facienda, quando non tantùm *Metus est futuri mali* Epileptici, ob Diætam matrum pravam Gestationis tempore prægressam, sed imprimis, quando ex *Ventris Torminibus*, *ac præsertim ex Alvo adstrictiore* atque *viridantibus fæcibus* notæ adsunt manifestæ *Acidi jam noxam in tenui Intestino parientis*, atque *brevi secuturorum facilè Insultuum Epilepticorum*.

Quinā pulveres usurpandi.

LXXV. Tunc Ergò eadem usurpanda sunt diligentiùs, sæpiùsque in die; *Pulveres*, inquam, ex Margaritis, Coralliis Rubris, Oculis Cancri, Creta, Bezoardico animali & minerali, Cornu Cervi, Ebore, Osse de Corde Cervi, Ungula Alcis, & similibus Sale Volatili abundantibus parati.

Et Mixturæ.

LXXVI. Quin possunt etiam ipsa *Salia Volatilia blandiora* Mixturis Aromaticis addita sæpiùs in die quantitate parva exhiberi.

Nec non Enemata.

LXXVII. Quinimò *Enemata* ex Lacte bubulo, Terebinthina Veneta, Ovi Vitello, & similibus parata injici poterunt, quò alvi excrementa fiant dilutiora, Acidum noxium lacte excipiatur, flatus & halitus discutiantur, vel suffocentur ac submergantur, atque humores noxii deorsùm ad secessum alliciantur ac deducantur: sicque ab ascensu avertantur.

Ut & Syrupi.

LXXVIII. Possunt quoque ad humores illos priùs aliquantulum correctos per alvum educendos exhiberi *Syrupi*, *Rosarum Solutivus*, *de rheo simplex*, *aut de Cichoreo cum rheo*, illisque tutò addi *granum unum Diagridii*.

LXXIX. Atque sic laudatis Medicamentis aliquandiu per vices continuatis possunt non tantùm Curari Tormina & Alvi Dejectio viridis, verùm nonnunquam *Præveniri Epilepsia*; dum ejus *Causa antecedens* in *tempore corrigitur*, aut *educitur e corpore*.

Qui Mater vel Nutrices se gerere debeant.

LXXX. Dum hæc administrantur Infanti, danda sedulò opera, ne *Mater aliave ipsius Nutrix utatur Alimentis Condimentisve Acidis*; *terreatur*, *aut contristetur*; *Aerive frigido exponatur*, vel *Aquæ frigidæ manus immittat*, *Pedesve frigus patiantur*, unde tàm sæpè *irritantur*, *vel producuntur Mala notata*.

Ut & ipsi infantes.

LXXXI. Quæ sicut vitanda sunt in Matre ac Nutrice, ita sunt adhuc *magis vitanda in Infantibus ipsis*: cum ab illis tàm facilè augeri possit, vel irritari Acidum in tenui Intestino repertum.

Succi Pancreatici Acidioris Effervescentia cū Bile quibus sedenda.

LXXXII. Ut insuper *vitiosa Succi Pancreatici Acidioris Effervescentia cum Bile sedetur*, *aut sistatur*, quoties illa ex notatis Ventris Torminibus, Alvique fæcibus viridibus apparet urgens, exhibenda sunt *Anodyna efficacia*, *Syrupus Diacodii*. *Papaveris albi*, & similia, Mixturis *superioribus* addita; cui tutò jungi potest, *urgente multùm Dolore*, *Laudani Opiati granum unum*.

Unde malū prævenitur.

LXXXIII. His mediis potest *præveniri* non raró malum imminens, sicut id non semel in praxi mea sum expertus apud Patentes monitis meis obedientes: Quod ideò refero, quia pleræque *Mulieres Belgæ*, quibus *Infantium* cura est concredita, *censent*, *nulla*, *vel non nisi rarissimè* & quidem valdè urgente necessitate *Ipsis exhibenda Medicamenta*.

Quando levissimi adsunt motus convulsivi, quid faciendum.

LXXXIV. Ubi autem ex *levissimis Motibus Convulsivis*, & *Sensuum levi stupore* patet, ad *Cerebrum assurgere Halitus Acres*, à quibus immineant *Insultus Epileptici*, adhuc *diligentiùs ac frequentiùs usurpanda* pro re nata quævis medicamenta modo laudata; quò *præveniatur*, quantùm fieri potest, *Gravior Epilepsia*. Quod faciendum imprimis, quando eadem jam invasit, quoties aliquas ipsa dat inducias.

LXXXV. Ubi notandum, laudatum *Enema plurimùm juvare*, quatenus Humores vitiosos elicit corpore.

LXXXVI. *Pulveres* autem *laudati sunt utilissimi*, ut & *Salia Volatilia*, unà cum *Mixturis blande Aromaticis*; quibus *Anodynorum & Opiatiorum plus vel minus addi debet*, prout *Dolores ac Vigiliæ plus vel minùs urgent*. Quibus ritè observatis non ita difficile est, Curationem instituere laudabilem & rationalem.

Quando insultus Epileptici sublati sunt, continuandū in laudatis remediis.

LXXXVII. Quamvis laudatis medicamentis *sublati sint Insultus Epileptici*, *non cessandum tamen* à Medicamentorum eorundem usu ulteriore, qui *continuandum est* aliquandiu, præsertim *in usurpatione Auxiliorum & Acidum infringentium*; *concentrantium*, *temperantium*, & idem concentratum *temperatumque blande educentium*, rariùs licèt assumptorum, *nisi Alvus existat adstrictior*; quod, sicut dixi, semper malum in Infantibus.

Quando infantes pro sanis habendi.

LXXXVIII. Ubi autem Alvus sponté laxior existit, Somnus est placidus, hilaritas redit, Alvi excrementa sunt flaventia, appetitus Alimentorum moderatus, color faciei elegans, caro musculorum firma; verbo, Functiones omnes ritè se habent, Excreta assumptis respondent, prodeuntque facilè, Corporisque qualitates externæ vigorem testantur; tunc demum pro sanis habendi infantes.

Salia Volatilia hoc præstant.

LXXXIX. Hæc autem *omnia facilitant Salia Volatilia blandiora* quantitate parva io dies Infantibus exhibita. Quæ si placeant minùs quibusdam in Chymia & praxi optima minùs versatis, proferant ulla, quæ hisce possint conferri ac æquiparari, quin opere ipso testentur se Medicos Summos, non item garrulitate ostentatoria & thrasonica, & doctis Medicis planè indigna illud nomen affectent.

Vis Narcotica quibus corrigatur.

XC. Quoad *vim Narcoticam stuporem* omnium Sensuum Externorum Internorumque *producentem*, atque *à Bile deducendam*; existimo illam, sicut aliàs, imprimis corrigi posse *Salibus Volatilibus mediocriter Acribus*, atque *fixis terrenis*, Coralliis, Creta, Margaritis, Oculis Cancri, Antimonio Diaphoretico, & similibus.

Et quomodo.

XCI. Sicut enim hæc *postrema imbibunt partem Bilis Oleosam in tenui Intestino*, ita *priora Volatilia discutiunt potenter halitus noxios ad caput delatos aut deferendos*, *depurantque* ab *admissa noxa Spiritus Animales*.

Fatuitas incipiens quibus corrigatur.

XCII. Quòd si *Fatuitas* ipsa incipiens possit superari ac curari, existimo ipsam à laudatis *Salibus Volatilibus*, sed *paulò Acrioribus* expectandam: postquam non semel observavi, Adultos æquè ac Juniores continuato aliquandiu eorum usu accepisse *Sensus omnes alacriores*, adeòut *Mens* quoque *operetur* in ipsis, quam priùs, *liberiùs & subtiliùs*.

XCIII. Quid ad hoc dicent Censores mei nasutuli, cavillationibus dediti magis quàm solidis ratiocinationibus, aut experimentis rem quamvis dubiam explicantibus, & assensum convincendo cogentibus.

Tempus non in aliorū opinionibus vellicandis, sed propriis adstruendis impendēdū.

XCIV. Utique parum vel nil agunt, quotquot temporis sui partem magnam impendunt perpetuis alienarum opinionum vellicationibus, plerumque iniquis; quod facilè: minimam propriis sententiis adstruendis vel confirmandis; quod magis arduum & difficile.

XCV.

Et quare. XCV. Quid enim juvat Studiosum scire, hunc vel illum sensisse forsan malè, nisi doceatur & persuadeatur, quomodò debeat sentire benè: quod rarò vel nunquam faciunt, qui alienarum opinionum refutationi student.

Alterius sententia unde plerumq; corrupta proponatur. XCVI. Adde quòd plerumque ex invidia, & contradicendi carpendique studio rarò ritè percipiatur, aut proponatur alterius sententia, sed plerunque corrupta, mutilave.

Author proprias sententias Experientiæ & Praxi consentaneas tantùm proponit. XCVII. Hæc Causa est, cur intactis alienis opinionibus; ex iis, quæ in ægris à me sunt observata, meas deducam Conclusiones, Cogitationes ac Sententias; illasque ostendam consentaneas Experientiæ atque Observationibus Practicis, tàm propriis, quàm vulgò tritis. Atque hæc de Infantium Epilepsia dicta sufficiant.

CAPUT VII.

De Dentitione difficili.

Mala Dentitionem comitantia, I. INter Affectus frequenter atque graviter Infantes affligentes non postremum locum tenet *Dentitio difficilis*, cùm sæpiùs idcircò patiantur *in Gingivis dolorem summum*, *calorémque in ore molestum*, quin *Gingivarum* quandoque *Inflammationem*, ipsamque adeòque *Epilepsiam*, & nonnunquam ex ipsa *pereant*.

Quando fiat. II. Solent Infantibus plerisque *post* sextum *ætatis mensem* paulatim dentes *erumpere*, sicut quibusdam citiùs, *mense scil. tertio vel quarto*, *multis seriùs*, *post* mensem demum Octavum, Nonum, imò aliquando duntaxat *post annum*.

Quibusdā facilis, quibusdā difficilis. III. *Prodeunt* iisdem quibusdam *satis facilè*, absque notabili molestia; *plerisque* tamen *molesta solet & gravis* esse *Dentitio*, imprimis *quando plures simul erumpunt*, ut & *quando Canini prodeunt*.

Quinam dentes primi erumpant. IV. Omnium *primi* solent erumpere *incisores medii*, tam *superiores*, quàm *inferiores*, sive *simul* erumpant, sive *seorsim*; posteà *succedunt externi*, in totum *octo*.

Quanam eruptionem dentium comitentur, V. Quibusdam Infantibus cum tanta érumpunt facilitate, ut *ne minimam sentiant inde in Gingivis molestiam*; sed non rarò *dolent* ipsis multùm *Gingivæ*, adeò ut non tantùm *ardor* deprehendatur in eis, sed quandoque *Inflammatio*, accedente *Oris totius ariditate & calore*, *siti*, ut & *febre ac vigiliis*.

VI. Quin urgentibus doloribus accedit aliquando ipsa *Epilepsia*, ex qua sæpiùs moriuntur.

Difficilis Dentitionis causa. VII. Difficilis hujus Dentitionis *Causa* videtur esse aliquando quærenda *in Dentibus ipsis*, sæpiùs in *Gingivis*.

In Dentibus. VIII. In *Dentibus* quando *segniùs excrescunt*; suntque *Obtusiores*, unde difficiliùs penetrant Gingivas.

In Gingivis IX. In *Gingivis*, quando ipsarum *substantia* est *Solidior & Durior*, adeò ut difficulter patiantur feà Dentibus dividi.

Quando Gingivæ segniùs dividuntur, quæ sequantur mala. X. Ubi autem *segniùs procedit ista divisio*, cùm sint partes sensiles, *dolor* excitatur in ipsis & quoniam attenuntur earundem *Gingivarum* substantia, eademque quasi contunditur, *Sanguis* quoque ex ipsarum vasculis *effunditur*, *sistiturque in earum substantia*, unde fit ibidem *Inflammatio*, cum *dolore & ardore summo*, quem comitatur *vigilia*, hincque facilè accenditur *Febris continua*, pro humorum in corpore simul existentium ac peccantium diversitate *diversa*; unde non rarò tum *ex ipsa parte affecta excitantur ac erumpunt Halitus Acidiusculi*, qui ad *Nervorum principium penetrantes*, *ac ipsum irritantes Epilepsiam* quoque producere solent.

XI. Quin putem aliquando *agitatis conturbatisque cum Febre Universi Corporis Humoribus*, *propter continuos dolores ac vigilias*, *tum Bilis*, *tum Pancreatici Succi augeri Acrimoniam*, propter quam *Effervescant* in tenui Intestino, *vitiosè*, & ita quidem, *ut Halitus Acres tum Acidi*, tum quandoq; *vi Narcotica simul præditi*, tunc *erumpentes assurgant ad Cerebrum*; ibidemq; pariant *Epilepsiam*, sicut docuimus in præced. cap.

Quomodo præveniantur aut curentur. XII. Hæc mala omnia ut *præveniantur*, & si jam urgeant, *ut curentur*; danda opera, si segniùs erumpant dentes, aut caleant doleantque jam Infantium *Gingivæ*, ut *illæ emolliantur ac demulceantur*, hinc & *earundem penetratio promoveatur*.

Gingivæ Emolliendæ Et quibus. XIII. Ad *Gingivas emolliendas* utile *Butyrum* infusum, solùm vel cum *melle* junctum, si sæpiùs illo illinantur digito Gingivæ: ut & *Lactis Cremore*.

XIV. Laudatur quoque in hunc finem *Cerebrum Leporinum* similiter usurpatum.

XV. Quin commendatur etiam *è Galli Crista incisa emanans Sanguis*, & similiter Gingivæ affrictus.

Perforanda & quibus. XVI. Ut faciliùs Gingivas densas & crassas penetrent dentes, *ex Ebore*, *Crystallo*, *Argento aliave materia solida & dura solet* parari aliquod *instrumentum* inter Gingivas collocandum, quod dum mordent Gingivis Infantes, faciliùs perforatur Gingiva.

XVII. In hunc finem laudantur *Dentes Lupini*, ac si rebus aliis duris præstarent; quod si fiat, tribuendum id erit Sali Volatili, quo abundant.

XVIII. Et reverà quorundam *Brutorum ferociorum Dentes*, sicut sunt *valde dari*, ita *halitum aliquem Salinum Volatilem emittunt*, qui *penetrantissimus* est, atque hactenus forsan promovere potest Gingivarum perforationem.

Et quomodo. XIX. Quemadmodùm illi *dentes*, aliaque instrumenta memorata *teneri* possunt *in ore ut mordeantur ab Infantibus*; ita utiliter *hinc inde moveri possunt & agitari blande secundùm Gingivas*, quod gratum solet esse Infantibus, & facilitare dentium exitum.

XX. Symptomatum difficili dentitioni supervenire solitorum cura peti debet è cujusvis affectus peculiari tractatione.

CAPUT VIII.

De Tinea & Scabie fera.

I. INter Affectus Infantibus præsertim molestos sunt & *Tinea*, & *Scabies agria* sive *fera* dicta.

Quas partes occupet Scabies fera. II. *Fera* hæc *Scabies omnes corporis partes* occupare potest, quamvis frequentiùs in hisce locis *Faciem* ac *Pectus* afficiat, & quandoque *Brachia* nti rariùs serpere observatur latiùs.

Quas Tinea. III. *Tinea* verò *Caput* imprimis *parte ipsius capillata* vexare solet.

Qui Belgis vocentur. Et quare. IV. Affectum priorem vocant Belgæ *Douwvorum*, posteriorem *Hær vvorum*; ac si à Vermibus exiguis perforatæ forent Cutis partes variæ, ex quibus Humor tenax erumpit ac effunditur instar Roris, crustas coloris varii producens, unde *Douvv-vvorm* nomen accepit: sicut *Haarvvorm*, quando in specie Capillis nocet, adeò ut sæpius excidant, & segniùs vel nunquam iterum excrescant, relictis plagis in capite undosis pilis carentibus.

Horum affectuū causa & curatio simul tractanda. V. Cùm non multùm differant horum Affectuum Causæ & Curatio, simul ipsos tractabimus.

VI. Ut autem Affectum utrumque distinctiùs explicemus, Considerandi ipsorum Symptomata conjuncta, ex quibus ritè observatis non ita difficulter Causa vera & Curatio deducentur.

Scabiei feræ Symptoma. 1a Parvæ pustulæ. Pruritus. VII. Ergò in Scabie illa ferâ, sive *Douvvvvorum*, erumpere solent primùm *parvæ pustulæ*, hanc aut illam *Cutis partem* obsidentes, ac præsertim *Faciei*, *Aurium*, *Brachiorumve*, quandoque *totius pene corporis cum summo pruritu*; propter quem infantes, quoties possunt unguibus partem affectam scalpunt & lacerant, & si non possint, cui-

vis

Cutis rubedo & apertio Liquor acer mordax.

vis rei occurrenti faciem affricant, nec desinunt, licèt post frictionem succedente *rubedine*, mox & *cutis externæ apertione*, tum *Liquor Acer mordaxque*, tum *Sanguis* effundatur: quibus omnibus non minuitur, sed *augetur potius malum latius nimirum serpendo*, & *novam molestiam* itidem *alibi producendo*.

Aquosus.

VIII. *Humor* autem è fricatione illa promanans observatur *variat*, aliàs *aqueus*, aliàs *flavescens*, vel magis etiam *obscurus*.

Ad salsedinem muriaticam tendens.

IX. Idem *humor acer* est, ac, si gustetur, *Aciditatis admistæ notas præbeas*, quin ad *Salsedinem muriaticam* tendens.

Tenax est. Concrescit & accrescit vestimentis.

X. Idem *Humor tenax* est ac *glutinosus particulis*, *adhærens*, tandemque *iterum concrescens*, atque *crustam excitans*, quę, nisi nuda sit pars ubi est facies, *accrescit quoque indusiis*, *aliisque linteis aut vestimentis affectæ parti proximis*; quocirca sine crustę abruptione ac plerumque Sanguinis quoque atque humoris vitiosi nova eruptione removeri nequeunt ab ipsis, ni admodum caute humectentur prius ita lintea, ut crustam relinquant subjectæ Cuti adnatam; quod faciendum, quò citius faciliusque curetur hæc Scabies molestissima.

Quomodo curetur hoc malum.

XI. *Feliciùs*, inquam, *citiùsque curatur hoc malum*, *si affectæ parti annexa maneat crusta*, *sub quibus tàm sponte*, quam *arte faciliùs corrigitur humor noxius & acer*.

Ardor etiam adest. Et unde.

XII. Præter Pruritum *Ardor* deprehenditur in *parte affecta sumus*, etiam cujusvis manibus applicatis manifestus: quem ego arbitror excitari à *vitiosa*, quæ ibidem contingit *effervescentia*, & quidem calida.

Duo esse Acria ab Authore primum inventa.

XIII. Qui autem hactenus illustratam habet mentem, novitque, si non ex Veterum Recentiorumque monumentis, saltem me præeunte, per ipsam experientiam, (quam dolent dubio procul Adversarii mei me primùm forte notasse, ac Medicis nostri aperuisse) *duo tantùm reperiri & dari in rerum natura acria*, & quidem *sibi sibcontraria*, *Salsum Lixivum*, & *Acidum*, atque *ab illis* vel purioribus, vel minus puris *confluentibus* aut junctis *excitari effervescentiam & pugnam*, sæpiùs cum *Calore*, rariùs cum *Frigore* junctam; facile conjiciet, in *tali affectu alterutrum vel utramque ponendam concludendumque acre in corpore Infantium peccans*: quod *ad Corporis superficiem cum circulante Sanguine propulsum ibidem sistatur*, *atque hunc Affectum molestum pariat*.

Hujus Affectus causa.

Effervescentia in Medicina Utilitas.

XIV. Et ut hic ostendam, *Effervescentiæ doctrinam* à me imprimis hac in Academia propositam, *utilitatem habere in Medicina frequentem ac summam*, (Coguntenim me, quotquot mea dicta in commune bonum magno labore quæsita & gratis communicata suis Cavillationibus conantur aliis persuadere, illa esse ridicula, aliquid in mei commendationem aut potius defensionem proferre) diu, hoc est, multis annis eum cæteris Medicis nostris Thrasonicis hæsi in hoc affectu tam cognoscendo, quam curando: donec tandem, Deo clementer laboribus meis benedicente, notaverim & *utrumque acre in rebus naturalibus repertum*, & *laudatam ex ipsorum concursu Effervescentiam*; *ex qua tum modum generationis hujus affectus molesti*, *tum rationem ipsum feliciter atque facilè curandi paulatim eruit*: quod non privatim me rogantes, ast publice quosvis, inimicos, æquè atque amicos, dignos & indignos, docebo nunc etiam non rogatus.

Acrimonia in hujus mali causa præsens Acida.

XV. Cum igitur ex *memoratis* jam feræ istius Scabiei *Symptomatibus* concluderem, *Causam ipsius esse Humorem Acrem*, *simulque Glutinosum*; mox judicavi *Acrimoniam* ibi peccantem probabiliter putandam *Acidam*.

Et quare.

XVI. *Cur Acidam?* quia humori glutinoso & pituitoso se facilè jungit Acidum, ac cum ipso fertur quaquaversum; cui si jungatur Salsum Lixivum, facilè in flatus abit, vel saltem illud Salsum, magis obtundit.

Hanc corrigere Salia Lixiviosa.

XVII. Hoc *fundamentosic* ex meis observationibus Practicis & Chymicis *posito*, censui, tum ratione *Acrimoniæ Acidæ*, tum ratione *Pituitosi Glutinosi*, posse conducere *Salia lixiva*, & imprimis *blandiora* vel *fixa*, quale in Calce viva reperitur, vel *Volatilia* ex omnibus Animalium partibus parabilia; nec spes fefellit me, quippe *utroque remedii genere* à me, sic conclusis *usus sum feliciter*, & *curavi plures facile*.

XVIII. Prodeant nunc in medium, quotquot mea experimenta, quotquot meas conclusiones ab ipsis deductas rident, atque traducunt, & ostendant se similia unquam sua industria; suo ingenio subtili adinvenisse, aliosque docuisse; proferant affectus arduos ac intricatos, cæterisque *rariùs* curatos, quorum rationes causasque suo marte extricarint ac explicuerint; quibus remedia egregia suo ingenio excogitarint, ac feliciter applicuerint.

XIX. Utique alienarum opinionum vellicatione, cavillatione, aliisque artibus similibus non Innotescent unquam ulli res arduæ, non perficietur Medicina.

Cur hæreant Acres & Acidi in corporis hærens super ficie.

XX. Cæterum *hærent illi Humores Acres Aciditate in corporis superficie* aliquando *propter Pituitam Glutinosam ipsis* admistam, aliquando *propter aliquod in Diæta vitium patratum*.

XXI. Videtur namque illa Humorum Acrium ad superficiem corporis deductio deberi imperfectæ Crisi, quatenus illi secernuntur quidem à reliqua Sanguinis massa, impediuntur tamen in sua per cutis poros Excretione, aliquando, sicut dixi, propter admistos ipsis Humores Glutinosos, quorum causa adhærent facilè circa Cutim; aliquando propter erratum in Diæta commissum; Aeris puta frigus imprudenter durante sudore admissum, quod poros occludendo exitum prohibeat Humorum noxiorum.

Quid ibidem producant.

XXII. Hi quocunque modo in Corporis superficie hærentes amplius vitiantur, quin allabentis Sanguinis partem simul corrumpunt, & pruritum doloremque in partibus vicinis excitant, quibus fricatione violenta ruptis erumpit Humor vitiosus, qui ab externe aere fit acrior, quatenus ex ipso allicit, magnetis ad instar, partes sibi ex parte similes, quæ noxam illam fovent ac diuturnam reddunt.

XXIII. Quod de Aere frigido dixi, est quoque intelligendum de indusiis, aliisque linteis frigidis corpori tenello infantium applicatis, quemadmodum hæc sæpiùs malè fieri observavi pluries.

Sic se lesa tinee producant partes vicinas inficiunt.

XXIV. Notandum quoque, *Humorem Acrem ex læsa cute*, cuticulavè prodeuntem *partes vicinas*, quibus *glutinositate sua adhæret*, *facile inficere ac similiter afficere*: quo nomine *serpere* solet hoc malum: quin ratione eadem fit hoc *vitium contagiosum*, dum ille Humor alios contingit, ac præcipuè *Infantes*, quorum Humores Pituitosiores, quam in adultis, faciliùs simili corruptione afficiuntur, illamque fervant, quæ in adultis citius iterum curatur & tollitur, si quando ipsorum facies aliquâ talis patiatur ex contactu Infantium malè affectorum ipsis applicatorum.

A quibus humoribus variis hoc malum oriatur, et à quibus plerumque.

XXV. *Rariùs* talia in Corporis superficie mala ortum habent *ab humoribus diversimode acribus & insanguinis massa redundantibus continuo ad Cutis superficiem propulsis*: *ast plerumque ab iisdem*, *licet paucis*, *unàcum sudore eò delatis*, ac *ibidem subsistentibus*, *ampliùsque mora corruptis*, quim *appellentis sanguinis partem itidem corrumpentibus*, atque sic *ad tempus longius* affectum foventibus.

Ejus ratio.

XXVI. Quod vel inde *confirmatur*, quod illa *Scabies sit contagiosa*, sicut modò dictum, aliusque *contactu suo inficiat*, *adhærente scil. Humoris acris & plus vel minùs glutinosi parte*, *alterius cuti*, *quam penetrat*, *& allabentis Sanguinis sani partem corrumpit*, atque in cute permanens, diuturnum sæpè malum parit.

XXVII.

XXVII. Hoc idem *confirmat Curatio plerumque solis externis absolvenda*, & quidem *absque internis medicamentis* ullis, *nisi observentur præterea alia in Humoribus vitia*, propter quæ interna opus sit medicina, non item propter Scabiem hanc ipsam, *nisi forsan producta sit à sudore quovis modo impedito*; in quo casu utile erit, *Sudoriferis blandis ac sæpiùs exhibitis denuo viam parare Humoribus in superficie hærentibus*, ibidemque *ita corruptis*, *ut Scabiem hanc* feram producant.

Solis externis curandum.

XXVIII. Ubi verò *Criseos modò ad Cutim propulsus est Humor acer*, ibidemque *ob admistam Pituitam tenacem* ibi hærens Scabiem notatam produxit, *cæteris functionibus ritè se habentibus*, *observavi sæpius*, *solis externis curatum hoc malum*.

A quo in ejus curatione cavendum.

XXIX. *Cavendum autem sedulò* in ejus Curatione, *ne adhibita medicamenta ullo modo Cutis poros occludant*, *humoremque peccantem ad interiora repellant*; unde plurima gravia solent excitari mala, *Febres* puta, ut & aliquando post *Epilepsiam mors*.

Quænam usurpanda.

XXX. Quapropter in *Curatione rationali & dogmatica* hujus affectus instituenda usurpanda sunt, quæ *Cutis poros servent apertos*, *quin eosdem aperiant*; quæque *Humorem Acidum temperent*, *Glutinosumque incidant & abstergant*, sicque *partem affectam restituant & consolidationem promoveant*.

Salia nempe Volatilia. blandiora.

XXXI. *Hæc omnia præstant*, *& quidem sola præstant Salia Volatilia*, sed *blandiora*, quorum ope plures curavi feliciter, satque citò & facilè,

Crustæ non separandæ à partibus subjectis.

XXXII. Quodque monui statim in exordio, danda opera, ne *Crustæ facilè à partibus subjectis separentur*, *cum* sub *ipsis feliciùs contigat Curatio*.

Tineæ curatio.

XXXIII. Quod de Scabie hac fera dixi, de *Tinea* quoque Capillis maximè infesta similiter dicta sonto, cum *iisdem Salibus Volatilibus cedat sensim*:

Alia medicamenta non adferri, cum laudatis sura fiat tutior & facilior.

XXXIV. Plurima Medicamenta in affectibus hisce curandis laodata non attingo, postquam legi possunt apud Aurhores varios, egoque illis cárere possum, ex quo mihi cura innotuit, tutior, citior, & facilior, quam libenter ac liberaliter hic communicavi; quin ad plurima superficie corporis mala externa, Scabies varias feliciùs faciliusque curandas viam hic aperui Regiam, quod ante me factum à nemine. Faxit Deus, ut, sicut animo bono hæc communico gratis omnibus, ita eadem in multorum afflictorum commodum usurpentur felieiter.

CAPUT IX.

De Variolis & Morbillis.

Variolæ & Morbilli omni ætati familiares. Cur simul tractentur. Quoties, & quo ordine homines invadant.

I. OMni ætati, at imprimis tum *Infantiæ* tum *Pueritiæ familiares* solent esse *Variolæ ac Morbilli*, ferè simul tractari soliti, & forsan, quoniam *eodem modo primo se manifestant*, *seque nonnunquam consequuntur*; ita tamen, ut credant plerique, si præcesserint Morbilli, ac subsequantur Variolæ, non facilè iterum Variolis affici homines; secùs, si præcesserint Variolæ, ac subsequantur Morbilli, quamvis etiam contrarium observetur; adde quod multi bis terve in vita laborant Variolis, quin nonnunquam eodem anno: sicut factum memini sæpiùs.

Quosdam iis non laborare.

II. Creduntur *Variolæ ac Morbilli* esse *inevitabile Hominibus malum*, quamvis plures noverim ad ætatem senilem deductos, & sic mortuos, qui nunquam laborarunt Variolis.

Unde oriantur.

III. Quoniam tamen *plerumque illis affici solent Homines*, judicarunt plerique, *ortum habere ista exanthemata ex corrupto Sanguine menstruo durante Uterigestatione circa Uterum collecta*, *& aliqua sui parte in fœtum translato*, *tandemque nunc citiùs*, *nunc tardiùs à reliqua massa secreto atque ad corporis superficiem propulsa*.

IV. Quemadmodum autem nullam novi rationem urgentem, quæ hoc assertum evertat, ita nullam etiam novi, quæ idem potenter adstruat.

Variolas aliquando esse Epidemias. Nunc graviores nunc blandiores.

V. Id saltem notum, *per paucos evadere Variolas*: quin *certis temporibus & annis easdem existere Epidemias*, & *uno tempore longè graviùs*, *alio longe blandiùs affici ægros isto malo*.

Morbillos & Variolas febrem habere comitem. Eodem modo erumpere.

VI. Id etiam notum, nec *Morbillos*, nec *Variolas erumpere sine comite febre*, *aliàs leviore aliàs graviore*.

VII. Hoc etiam notum *erumpere*, sicut jam dictum, *eodem modo tum Variolas tum Morbillos exiguis maculis vel tuberculis rubentibus*, adeò ut in principio decipi queant Medici peritissimi & falli in suo judicio, sicut sæpè factum vidi: quocirca *ante diem tertium soleo ego meum suspendere judicium*.

Diversimodè procedere.

VIII. Utplurimùm verò *circa diem tertium solent disparere in Morbillis notata Tubercula*, *quæ magis attolluntur in Variolis*, *& explicantur*, *apparente sat sæpe in ipsorum medio fossula*: quam *multi habent pro signo malo*, licèt sæpiùs illam observarim in *Variolis boni moris*.

Variolæ quanam benè quanam malè constituta.

IX. *Pro malo* autem *signo habeo fossulas jam albescentibus & in altum elevatis supervenientes*, *quas bonum paulatim arescere*, *non item concidere atque cavari*.

Post eruptionem febrem levari.

X. *Quamprimùm erumpunt Maculæ aut Tubercula solet levari præcedens ipsas Febris*, & aliquando per dies tres: aut plures satis graviter Infantes, Adultosque priùs affligens.

In Morbillis Tubercula paulatim disparare.

XI. *Maculæ istæ atque Tubercula*, sicut dictum, *solent minui atque paulatim disparere in Morbillis*.

Variolarum processus.

XII. *In Variolis* autem *attolluntur magis*, *explicanturque*, quin *dolorem ardentem pariunt dicta Tubercula*; & *paulò post tolerabiliora* sunt: donec postmodum *ad maturationem abeuntia novum dolorem inferant*, qui *recedit ac minuitur iterum pure in ipsis existente sponte vel arte ad exsiccationem properante*; unde tandem *decidunt aut decerpuntur*, *remanentibus in Cute fossulis pro humoris peccantis Acrimonia majore vel minore nunc profundioribus*, nunc *magis superficialibus*, *& in junioribus* ex parte *iterum subinde disparentibus & cuti reliquæ adæquatis*.

Ex Variolis cicatrices.

XIII. Sed aliquando *propter humoris Acrimoniam & pruritum vehementem dilaceratæ coeunt plures in unum*, atque *in sui curationem Cicatrices relinquunt post se turpes*, *faciemque non parum fœdantes*.

XIV. Unde meritò inquiritur *in Variolarum præsertim Causam veram & Curationem maximè laudabilem notasque turpes paucissimas post se relinquentem*.

Causa.

XV. Cùm non tantùm in Variolarum ac Morbillorum eruptione soleant *præcedenti febri succedere Macularum*, *& quandoque Tuberculorum exiguorum expulsiones* in Cute verum id multis aliis evenire soleat Febribus, petechialibus puta & similibus, merito quæritur 1. quænam *Causa vera sit Expulsionis illius per Maculas*? 2. *Cur in Variolis potiùs*, *quàm in Morbillis aliisque Maculosis febribus non tantùm in Tubercula abeant istæ Maculæ*, *quod in Morbillis sæpe fieri observavimus & retulimus*, *verùm paulatim ad suppurationem tendant eadem Tubercula sub ipsa Cuticula*, *quin Cutim subjectam plus vel minus rodant*, *exedantque*, *unde fossulæ aliquæ*, *Cicatrices ac Lituræ fœdæ nonnunquam post Curationem in ipsa remanent*.

Aliquid durante febre à sanguine secerni, & ad cuticulam propelli.

XVI. Et 1. quidem, quoniam *cum febre continua*, eaque nunc magis nunc minùs *ardente*, nunc magis nunc minùs *gravi & periculosa* contingit hæc *Macularum colore variarum Eruptio*, (aliàs enim *rubent*, aliàs *lividæ* sunt, aut *purpureæ*, aut *nigræ*: quin nunc majores sunt, amplioresque, nunc minores & angustiores) statuendam existimò, *aliquid*

quid durante illa Febre undecunque ac quandocunque tandem Sanguini admissum fecerni, & ad Corporis superficiem propelli, ut excernatur, quo tamen *sub Cuticula hæreat, ipsamque colore vario inficiat,* quin *noxa sua Cutim ipsam,* & quandoque *partes subjectas male afficiat.*

Eruptio Macularum imperfecta Crisis.

XVII. Adeo ut illa *Eruptio Macularum pro Crisi* habenda sit, sed *imperfecta*, subsistente ac hærente Cuticula, & in Cute Humores valdè subtili foràs in Febris declinatione propulso.

Humorem istum aliquanto esse acrem, aliquando non.

XVIII. Quoniam verò *Maculis notatis* multifariis *Comes* est aliquandu *Pruritus vel Dolor, Ardorve diversus*, aliquando *nullus*, patet *Humorem* illum foràs propulsum, ac cum sudure aut Insensili transpiratione prodeuntem aliquandu *conjunctam habere Acrimoniam minorem majoremve, aliquando nullam.*

Humorem acrē faciliùs cuti adhærere, quando sudor non bene habet.

XIX. Quoties ille *Humor Acrimoniam habet conjunctam, facilius* hactenus *abhærere potest Cuti*, ac præsertim, *quando partes sudore diffluentes nudantur*, vel *sudor difficiliùs erumpeat non adjuvatur*; quod aliquando fit *Ægrorum*, aliquando *Adstantium*, aliquando *Medicorum* etiam culpa.

Vel Ægrorū culpa.

XX. *Ægrorum culpa* id fit, quoties impatientes in malis suis nolunt aut tegumenta sudori promuvendo sufficientia ferre, aut suduriferum aliquod conveniens assumere.

Vel Adstantium.

XXI. *Adstantium* id evenit culpa, quando non attendunt satis ad Ægros durante Febre non rarò delirantes, atque sudore prorumpente inscié corpus suum denudantes; aut eosdem non satis tegunt; aut dissuadent pro sua sapentia, ne sudoriferis à Medicis, etiam præscriptis utantur, quibus ferè solent ægri esse obedientiores, quàm ipsis Medicis.

Vel Medicorum.

XXII. *Medicorum* idem accidit culpa, quoties Ipsi parum in arte periti, utut aliàs in lectione Authorum satis versati, negligunt præscriptionem *sudoriferorum, omninò usurpandorum, quando sudor paucus erumpit, nec levat Ægros, idcircò* in anxietate sua permanentes: in *quo casu urgeri debet ampliùs sudor, vel si defierit, nullusve fuerit, excitari, tàm externis tegumentis aut balneo, quàm internis Medicamentis.*

Macula sine acrimonia quid se habeant.

XXII. Ubi *nullam Acrimoniam* conjunctam habent *Maculæ*, ideòque nec pruritu, nec ardore, nec dolore sunt molestæ, si prætereà cætera Febris Symptomata evanuerint ac cessarint, solent ipsæ paulatim sponte disparere.

In Acrimonia levissima quid contingat.

XXXIV. Ubi verò *Acrimonia levissima* ipsis est comes, quod Pruritu solo vel levi ardore dunaxat urgente manifestatur, brevi quoque solent ipsæ cum Pruritu disparere, sicut fieri solet in Morbrillis.

Quid in Majore.

XXV. Ubi verò *Major* est *Acrimonia*, quod non tantùm *pruritu molesto*, verùm *Ardore* quoque ac *Dolore gravi* cognoscitur, tunc metus est, ne corruptio aliqua, & quidem pro humoris acrimonia diversa itidem diversa excitetur in Cute, partibusve subjacentibus.

Acrimonia illa quotuplex.

XXVI. *Acrimonia* illa esse potest nunc *Salina lixiva*, nunc *Acida*, nunc *Mixta*.

Salina lixiva.

XXVII. Ab *Acrimonia salina Lixiva* in *Cute Mortificatio fit*, quemadmodum in *Gangræna* & *Maculis Gangrænosis*, quales *in peste* sunt frequentes, atque nigræ sunt, aut lividæ.

Acida.

XXVIII. Ab *Acrimonia Acida Corrumpitur* quoque *Pars*, sed *absque mortificatione* tali, quin pars tunc corrupta *non nigrescit*, sed *albescit* potiùs, postquam *priùs rubuerit*, quemadmodum *Sanguis* quoque tunc in *Pus abiens*: sicut id evenit in *Variolis*.

Mixta.

XXIX. Ab *Acrimonia utraque mista & notabili* attolluntur pimùm *Tubercula rubentia, & ardentia*, sed *albam* & aliquandu *lividam pustulam* in medio habentia, *Saniem fœdam & lividam effundentia*, & miste modo partes corrumpentia, sicut hoc fit in *Anthracibus*.

Quando peccet in Variolis Acrimonia.

XXX. Quoniam verò in *Variolis*, de quibus nobis nunc est agendum, *Sanguis paulatim mutatur in Pus*; idque pro *Sanguinis* ipsius, *& foràs propulsi Humoris purioris aut impurioris*, hoc est, cum opposito quodammodo misti *varietate varium*, meritò censemus peccare in ipsis *Acrimoniam Acidam*.

Quid præstet.

XXXI. Hæc *Acrimonia Acida Humori in Febris declinatione expulso juncta, & sub Cute hærens, Cuticulam ab ipsa paulatim, ratione Sanguinis* ad ejus nutritionem allabentis *ex parte corrupti separat*, unde *in pustulam quasi* temporis successu attollitur, donec *Acrimoniæ vis omni* fuerit *obtusa* & quasi victa & superata, vel à *sola Sanguine corrupto*, vel *à medicamentis* tàm *externe applicatis*, quàm *internè sumptis*; *unde sequitur puris exsiccatio.*

Unde oriatur.

XXXII. Atque satis bellè videntur procedere omnia, quæ hactenus diximus, sed difficultas maxima erit in *determinando ortu istius Humoris Acris Variolas producentis*, postquam plerique arbitrantur, *Humorem* illum prodire *ex Sanguine Materno uteri gestationis tempore circa uterum hærente*, atque quodammodò *corrupto*, in *Fœtum traducto*, & tamdiu in eo latitante, donec nunc citiùs, nunc seriùs ex suis latibulis educatur, irritetur, inque actum deducatur, sicque post febrem variolas producat.

Secundùm plerosque ex Sanguine Materno.

XXXIII. Utique *Sanguinem maternum* imprimis *tribus primis gestationis mensibus in plerisque mulieribus circa Uterum solitò diutiùs hærere ac colligi*, non est improbabile; cùm ejus ratione non rarò fiat *Abortus*.

Et qua ratione.

XXXIV. Eundem circa Uterum collectum ac hærentem *aliquam mutationem adeòque corruptionem subire* non est improbabile.

XXXV. Quin *eundem Sanguinem* suo modo plùs, minùsve *corruptum*, val quavis ratione *malè affectum* postmodùm *Sanguini ad Fœtum transeunti posse misceri*, atque *illum inficere, non videtur absurdum.*

XXXVI. *Eundem Sanguinem* sic malè affectum, & *alteri admistum*, ipsumque quodammodò *inficientem* (non videtur enim prubabile Sanguinem illum malè constitutum posse sano admisceri, nec illnm nllatenus inficere) *posse multis sæpè annis absque ulla noxa circumferri conjectant multi; non tamen probant.*

Huius Sententia quāvis dubitat cedit auctor.

XXXVII. Quemadmodùm autem nulla offendi hactenus argumenta, quæ assensum meum cogerent, aut potenter eò allicerent; ita nulla suppetunt, quæ contrarium evincant, vel suadebant: Inclinu tamen, ut accedam illi sententiæ.

Sanguinis huius materni corrupti consensio.

XXXVIII. Id saltem arbitror, si talis noxa ortum tum habeat à Sanguine materno suo modò corrupto vel malè affectu, & reliquo Sanguini communicato & in fœtum transmisso, *vitium illud & corruptionem non esse tantam*, quæ *Sanguinem ipsum notabili labe afficiat: ipsumque nutriendo corpori, cæterisque usibus suis præstandis reddat ineptum*; sed talem, quæ *absque noxa ulla corpori inferenda possit diu latere in corpore, donec à Causa procatarctica excitetur & in actum deducatur, & quidem cum febre Continua comite.*

Causa procatarctica in Aere.

XXXIX. *Causa* illa *procatarctica* frequentissima est in *Aere*; suo, adeoque peculiari modo *malè affecto*; unde tàm sæpè occurrunt *Variolæ Epidemicæ*, quæ licet sæpiùs existant *Æstivæ*, vidi tamen tum *Vernas*, tum *Autumnales*, tum etiam *Hyemales*: sicut plerique Affectus Epidemii quovis Anni tempore observantur produci, quamvis aliqui existant frequentiùs uno, alii alio anni tempore.

Variolarum respectu temporis diversitas.

Causa procatarctica in Alimentis.

XL. Videtur etiam *Procatartica Variolarum Causa* deducenda nonnunquam ab *Alimentis peculiaribus*, quibus utentes plures in eadem domo Infantes in Variolas incidunt, quamvis alibi nun reperiantur ipsæ; nisi quis malit putare, tunc quoque in *Aere cujusdam domus vel cubiculi* latere hoc vitium.

Causa procatarctica Terror.

XLI. Hoc saltem observatum sæpiùs, *Terrorem* fuisse multis *Causam Variolarum procatarcticam*, quemadmodùm ab eodem Pestis, aliique Affectus graves excitari observantur.

Ubinam tamdium lateat causa illa antecedens.

XLII. Quotquot existimabunt Antecedentem Variolarum Causam deberi Sanguinis Materno circa Uterum malè affectio, hinc cum reliquo in Fœtum traducto, atque tamdiu in ipso latente, donec à Causa Procatarctica quacunque irritetur, excitetur, atque in actum deducatur, difficultatem adhuc offendent in determinando loco, vel parte continente, contentave, ubi lateat tamdiu ista Causa Antecedens.

XLIII. Idem si fiat, videtur illa Causa quocunque tandem nomine indigitanda, vel in ipso permanere atque latitare Sanguine, vel in parte aliqua peculiari paulatim colligi & conservari, donec tandem à Causa procatarctica irritetur atque in actum deducatur.

In Glandulis forsan Renalibus.

XLIV. Si quovis modo, vel *Sanguine* ipso, vel *in parte aliqua* singulari, *Glandulis* putà *Renalibus*, quarum verum usu hactenus ignoramus, *lateat Antecedens Variolarum Causa*, necesse habet illa excitari à *Causa quavis Procatarctica*, ut fiat *earum Causa Continens*.

Quomodo peccet Acidum in Variolis.

XLV. Quamvis autem arbitrati simus, vitium illud Variolas producens consistere in *Acido* (postquam in Pus corrumpitur ab ipso Sanguis, non tantùm in corporis superficie sub Cuticula, verùm etiam in partibus internis, unde nonnunquam molesti Abscessus sequuntur non ritè institutam ipsarum Curationem;) nondum tamen mihi satis constat, *quo non modo peccet illud Acidum*: quapropter difficilius erit determinare *locum subsistentiæ Acidi hujus* peccantis.

Ubinam lateat;

XLVI. Si namque *actu valdè Acre foret illud Acidum Variolas producturum, non posset* illud *in Sanguine latitare*, quin continuè ipsum corrumperet, ac in Pus mutaret: verùm coacervandum esset in aliqua parte singulari, donec quocunque modo irritatum effunderetur in Sanguinis massam, eamque bona sui parte corrumperet, quin cum ipsa ad corporis præsertim superficiem pergeret.

Esse sopitum in corpore.

XLVII. Non videtur autem mihi probabile, Acidum illud valdè Acre contineri & latere in corpore, sed sopitum, ita tamen, ut facilè possit Acrimoniam pristinam recuperare, atque tunc demum Sanguinem in Pus corrumpere.

Et quare;

XLVIII. Ratio, propter quam ego id sentio, hæc est: quòd Sanguis non videatur mihi corrumpi, quando Acidum illud in actum incipit deduci, quando Febris prior durat, quando Acidum illud ad Corporis superficiem propellitur, quando erumpunt Tubercula; sed tunc demum, quando per dies aliquot hæsit Acidum in Tuberculis, quando eadem paulatim augescunt, quando Ardor, Rubor & Dolor Tuberculis accedunt.

Quando agat.

XLIX. Etenim tunc Acidum illud impedimentis suis compedibusque quasi liberatum allabentem ad Cutis superficiem Sanguinem incipit corrumpere, cum ipso Effervescentiam in singulis Tuberculis excitare vitiosam, & ad Inflammationem tendentem, quin noxam suam toti Sanguinis massæ communicare, hinc & ad Cor transmittere, ac proinde in ipso Febrem producere: donec paulatim, partim ab ipso Sanguine, sicut jam uno verbo attigi, in Tuberculis singulis corrupto, partim à medicamentis externis & internis prudenter ac diligenter usurpatis enervatum & subactum sit Acidum illud noxium, ac sensim exsiccatæ purulentæ Variolæ decidant vel decerpantur.

L. Videtur igitur vitiosus humor Variolas producens consistere in Acido, sed obtuso; quod tunc demùm Aciditatis suæ noxiæ signa præbet, quandò idem quaquaversum effusum in Corporis hæret superficie, ibidemq; mora redditum Acrius allabentem Sanguinem Nutritium corrumpit, & plurimas Inflammationes, mox & abscessus producit: quibus vel apertis, effluit Pus, vel paulatim exsiccatis, decidunt crustulæ, remanentibus & maculis, & nonnunquam cavitatibus magis vel minùs profundis.

Quamdiu maculæ durent.

LI. Si vere aut prima æstate prodeant Variolæ, eadem æstate solent disparere maculæ; Sin autumni tempore fiant, tota ferè hyeme perdurare, ac subsequenti demum æstate evanescere consueverunt.

Ex fossularū diversitate quid contingat.

LII. Fossulæ minores solent itidem in junioribus maximam partem impleri; in adultis, ac præsertim profundiores atque fœdis Cicatricibus notabiles, toto vitæ tempore faciem fœdare.

Variolas esse periculosas.

LIII. Periculosæ sunt quandoque Variolæ, adeò ut non tantùm plures ipsis affecti pereant, verùm visum auditumve, pluriumque partium motum amittant, nonnunquam in Tabem, ipsamque Phthisin incidant, pereantque, urgente ipsos Tussi molesta.

Unde non negligendæ.

LIV. Non sunt idcircò negligendæ Variolæ, quin eram est habenda ratio exacta, instituendaque Cura sollicita.

Quando curandæ.

LV. Variolarum proinde Curatio instituenda 1. quando illæ sunt Epidemiæ, atque in eadem domo illis correpti sunt unus, pluresve Infantes, ac alii adhuc supersunt, qui eas nondum sunt passi, & quidem ratione *præcautionis, ac præservationis* ab Affectu gravi & difficili.

LVI. 2. Ratione *illorum, in quibus jam incipit febre urgente moveri per corpus cum Sanguine Humor Variolas producturus.*

LVII. 3. Quando *jam eruperunt* per *corpus universum maculæ ac Tubercula, illaque incipiunt inflammari atque ad suppurationem festinare.*

LVIII. 4. Quando eædem *Variolæ* in *suppuratione versantur, vel suppurari* desinunt.

LIX. 5. Quando *signa remanent Humoris Variolas producentis non satis expulsi*, atque *in abscessus mutati*, adeòque *in corpore adhuc remanentis, novaque mala minantis.*

LX. 6. Denique ratione aliorum *Symptomatum graviorum Variolas comitantium, Inflammationis putà in uno vel utroque Oculo*, vel *alias in Oculis observatarum Variolarum; Respirationis difficilis, atque Tussis tam siccæ, quam humidæ; Tumorum, hinc & Abscessuum in variis corporis partibus, artubus* præsertim &c.

Epidemiæ quomodo curandæ graviores.

LXI. Quoties igitur existunt Epidemiæ Variolæ, toties, si *habuerint comitantia Symptomata difficilia, gravia & periculosa*, danda opera, ut *Infantes, aliique ætatis tenuioris, qui nondum sunt experti Variolas, in Aerem salubriorem, in quo nullæ regnant Variolæ, quantocyùs transferantur*, & tandiu ibidem contineantur, donec aut cessarint, aut blandiores evaserint Variolæ notatæ.

Quomodò blandiores.

LXII. Sin contrà *blandæ fuerint Variolæ, bonique moris*, hoc est, apud plerosque erumpant paucæ, ad suppurationem perveniant brevi & facilè, decidant sine notabili faciei defœdatione, tunc tantùm abest, ut suadeam vitationem Aeris Variolas producentis, ut contrà existimem consultum, Infantes adhuc sanos vivere cum Ægris in eodem cubiculo; quò & ipsi tunc Variolis boni moris corripiantur, sicque ipsas leviores patiantur.

Humores peccantes alterandi & educendi.

LXIII. Non sufficit tamen commiscere Infantes Sanos Ægris, verùm danda insuper opera, ut, si aliqui deprehendantur *in ipsis peccare humores, qualitate* aut *quantitate*, iidem *blandis medicamentis alterentur, corrigantur*, aut etiam *minuantur, educanturque*: quòd si accedant, tantò leviùs afficiant & faciliùs superentur Variolæ.

Et quomodò.

LXIV. Hæc tum Alterantia, tum Purgantia Medicamenta pro *Humorum diversitate* danda erunt *diversa & grata*, quò faciliùs ipsa sumant Infantes. Bonum enim est, aliquandiu in eorundem usu Infantes continuare; Illa verò peti possunt ex Practicorum libri.

Quid observandum.

LXV. Hac autem ratione fit, ut quæ tunc occurrunt Variolæ boni moris & blandæ, *evadant adhuc blandiores, & curatur faciliores.*

LXVI. *Quamprimum* autem tunc temporis *Febrem quamcunque*, aut *Capitis dolorem gravan-*

tem,

tem, tussiculam, nauseam, vel alvi fluxum, similemve aliam Functionem læsam patiantur Infantes, sive alii Variolis laborent in eadem domo, sive alibi tantùm observentur epidemiæ, observandum sedulò à Medico prudente, *quales imprimis tunc peccent Humores*, quin *quò iidem vergant*, nunc ad *Vomitum*, vel ad *Secessum*, aut *Sudores*: quò medicamenta singulis convenientia præscribantur, ipsorumque *Motus ac Evacuatio utilis observata promoveatur*.

Sanguinis redundātia minuenda Venæ sectione.

LXVII. Danda siquidem opera, ut si *Sanguis redundet* in illo, qui Venæ sectionem, Sanguinisque missionem ferre possit, quamprimùm illa instituatur, & copia conveniens educatur.

LXVIII. Nec tamen ibi subsistendum, quin potiùs, si Ægri affectus ac Febris præsertim ferat, *non tantùm eodem die*, quin *una subinde post Sanguinis eductionem hora exhibendum medicamentum aut Vomitorium, aut Purgans per Alvum, aut Sudoriferum*, quoties Nausea, vel Desidendi conatus Ventrisve Conturbatio, vel Mador, quid potissimum agendum, suadent; quò pars Humoris Peccantis, atque in Corporis superficie posteà hæsuri, atque Variolas parituri expellatur in totum è corpore; atque necessariò reddantur idcircò Variolæ pauciores, blandioresque.

Antimonialibus.

Et quare.

LXIX. Inter medicamenta tunc usurpanda expertus præ aliis omnibus commendo *Antimonialia*, tum quia summam possident *Sanguinem à quovis Humore noxio mundandi efficacissimam vim*, tum quia sæpenumerò *pluribus possunt satis facere Indicationibus*, atque *pro re nata & operatione desiderata per plures vias Humores noxios expellere*.

Ea iteranda.

LXX. Nec sufficit semel illa exhibere, quin nonnunquam *per plures dies eadem iterare* oportet, *donec* tàm *Febris*, *quàm reliqua Symptomata sint sublata, notabiliter saltem diminuta*; unde non tantùm longè pauciores solent tunc erumpere Variolæ, ast simul existere solito blandiores: quinimò sæpenumerò sunt observatæ in meis ægris *Variolæ per alvum excretæ*, cum insigni eorum levamine.

Post eruptionem atendum sudorifero Antimoniali

LXXI. Quando prior Febris desiit, aut saltem valdè est diminuta, eruperuntque Variolæ plures, paucioresve, & Symptomata ipsarum eruptionem præcedentia & comitantia sunt ferè sublata, tunc bonum est uti *Antimonio Diaphoretico*, *Bezoardico minerali*, vel quovis alio Medicamento Antimoniali blandè sudorem movente, quò *quicquid adhuc admistum est Sanguinis massæ, id omne propellatur continuè non tantùm ad corporis superficiem, verùm ex parte quoque per corporis poros ultra eandem, adeòque è corpore*.

His facilitatur Maturatio, Exsiccatio, & Casus. Medicamenta alia.

LXXII. Horum autem medicamentorum ope *facilitabitur & promovebitur* insuper *Variolarum tum Maturatio, tum Exsiccatio, hinc & Casus*.

LXXIII. Atque hæc sunt optima Medicamenta, quæ tunc possunt internè usurpari, quibus proximè accedunt, *Terræ sigillatæ variæ, Bolus Armena, Terra Lemnia, Lapis Bezoar Orientalis & Occidentalis, Unicornu qualecunque, Ebur, Cornu Cervi*, & imprimis *Salia Volatilia omnia*, inter quæ sunt tamen præferenda *blandiora*, & pro cujusvis ægri ætate, constitutione propria, Symptomatibus &c. varianda, & cum aliis temperanda.

Externa.

LXXIV. Inter *externa* meritò laudantur & commendantur quæcunque *ardorem in Variolis ad Suppurationem vergentibus temperare* possint, atque *Humorum illum peccantium acrimoniam temperare*; qualia sunt in quotidiano usu, *Ius̄cula vervecina* mediocriter *pinguia*, *Axungia porcina*, *lardum tàm recens, quàm fumo alteratum*, quibus variolæ, in facie imprimis & manibus, foveri, jungi, vel tegi possunt, renovando sæpiùs usurpata. Vellem etiam mox erumpentibus tuberculis Salia volatilia cum Vini spiritu & camphora, ut & Aquis aromaticis juncta linteo ubique applicari, ut acidum illud in tempore superaretur, & noxa notabilis præveniretur.

Decoctum Ficuum.

LXXV. Utuntur etiam quidem *Decocto Ficuum*, aut in Aqua, aut in Cerevisia parato, quod licet non culpem, (quoniam juvat) non commendo tamen, quoniam nimiùm parti adhæret, atque crustam quasi importunam ipsi inducit, quæ molesta est ægris.

Lac bubulū si pedes ei immergantur, variolas ad pedes deducere.

LXXVI. Habent aliqui etiam in more positum, quò faciem à multitudine variolarum liberent, illasque ad pedes usque derivent, ut *in Lac bubulum calens Infantium pedes immergant*, & quidem cum primùm erumpere incipiunt Variolæ, quod successu non caret, quamvis non sine notabili pedum detrimento, qui tunc variolis replentur, à quibus dolores ibidem excitantur gravissimi, succedente diuturna pedum debilitate, consulitur tamen sic formæ.

Si cura in principio fuerit neglecta, quid agendum.

LXXVII. Si, quæ jam diximus, fuerint cujusvis tandem culpa neglecta, vel propter corpus non satis tectum, aut etiam detectum, frigusque adeò aeris externum imprudenter admissum, *Humoris peccantis pars aliqua remanserit cum Sanguine, aut retroacta ac repulsa in Sanguinem*, ideoque *metus sit, ne aliò feratur, efferaturque cum aliqua Sanguinis parte notatur humor, Inflammationem, hinc & Apostema producturus*; opus erit, ut ante omnia laudatis Medicamentis Antimonialibus utatur sæpius & diu æger; in quem finem conducet quoque *Balsamus Sulphuris anisatus*, aut, quando assumi potest, *Succinatus, vel Iuniperinus*, quo adhuc præstantior erit, qui ex *Antimonii floribus* cum iisdem oleis fuerit paratus.

LXXVIII. Quòd si seriùs vocatus fuerit ad tales *Abscessus præveniendos*, atque illi jam cœperint produci, conducent tamen etiam tunc eadem medicamenta, quò & fiant leviores, & curentur citiùs, faciliùsque.

Abscessus si fuerint producti, quò tractandi.

LXXIX. Ubi autem producti sunt *Abscessus alicubi*, aperiendi sunt in tempore, si fuerint in partibus externis, atque mundandi sunt, curandique, sicut id docuimus in Praxeos hujus nostræ Libro primo, Cap.40.

Symptomata peculiariter curanda.

LXXX. Quoad *Symptomata* multifaria & gravissima, quæ subinde comitantur ipsas Variolas, illorum Cura peculiaris habenda, & pro singulorum diversitate diversa.

Oculorum Palpebræ læsa.

LXXXI. Non ita infrequens malum sunt *Oculorum Palpebræ* propter Variolas & lachrymas tumentes ac clausæ, dolorem gravem patientes, atque molestiam incredibilem ægris parientes; cùm plures nonnunquam Variolæ in extremis palpebris oriantur, & propter lachrymas antè maturationem aperiantur, humorisque Acris partem emittant, à quo ipsa tunica cornea erodi solet, atque obscurari, unde visus læditur.

Ut & tunica cornea erosa.

LXXXII. In tali casu usurpare solent Mulierculæ *Lac muliebre* solum, aut addito tantillo *croco*; quem aliæ sola Rosacea Aqua diluunt, & linteis oculis applicant: nec quidem malè.

Quibus curentur.

LXXXIII. Plus tamen præstare solet *Succus ex Cerefolio contuso*, additaque *Rosarum vel Fœniculi Aqua* expressus & tepidè oculis itidem cum linteis applicatus & subinde innovatus; cujus ope plurima recensita modo mala solent satis feliciter ac citò tutòque superari.

Humores Oculi cōfusi.

LXXXIV. Gravius malum est, quando *intra Oculorum cavitatem pertingit* pars *Humoris Variolas producentis*, unde *Humores Oculi omnes confunduntur* sicque Visus omninò tollitur.

Oculorum muscul inflammati.

LXXXV. Gravius quoque malum est, quando in *Oculorum musculo effunditur* idem *Humor noxius*, atque *Inflammationem* periculosam parit, non tantùm visum demens, ast nonnunquam ipsum Oculum extrusum perdens.

Quibus curentur.

LXXXVI. In hoc autem casu sicut rarò instituitur Curatio ex omni parte felix, ita danda opera, ut nihil negligatur eorum, quæ tàm visum quàm Oculum servare possunt, usurpatis præsertim fo-

rinsecùs *Cataplasmatibus Inflammationem* violentam blandè compescentibus, ac, quantum licet, humorem ibi hærentem ac peccantem lentè discutientibus: de quibus consulantur Chirurgorum scripta; Poma acidiuscula conducunt in Cataplasmate.

Aurium Inflammationes internæ quibus curentur.

LXXXVII. Si *Aurium interna* occupent similiter *Inflammationes*, quæ aliàs ostendimus convenire, poterunt hic etiam usurpari: *Spiritus Vini cum Spiritu Salis armoniaci*, *Panis è farinæ flore* parati & ad huc calentis micæ immissus & calidè applicatus; *Decoctum absinthii*, *centaurii minoris*, *abrotani*, aliusve plantæ aromaticæ in aurem calidè immissum; *balsamus Sulphuris* quivis, itidem in aurem ad guttas aliquot instillatus.

Respiratio difficilis & Tussis quibus curetur

LXXXVIII. Quoties *Respiratio Difficilis*, vel Tussis angit Ægros Variolis laborantes, conducunt præ aliis omnibus *medicamenta Antimonialia* & imprimis *Diaphoretica*, ut *& Salia Volatilia, sed blandiora.*

LXXXIX. Siquæ alia Symptomata subinde in Ægris se manifestent, & illis non ita difficulter apta remedia inveniet Medicus rationalis, hoc est, in re Anatomica, partiumque structura bene versatus, quin in Humorum natura & viribus doctus, & imprimis bonis ac ritè paratis medicamentis probè instructus.

XC. Quæ *maculas citiùs discutiant*, & *Cicatrices turpe paulatim* tollant, cùm ad Cosmeticam Medicinæ partem minimè contemnendam pertineant, inde peti debent.

CAPUT X.

De Vermibus.

Vermibus & Infantes & adultos laborare.

I. Affectibus Infantes, ac puetos præsertim frequentiùs affligentibus annumerantur meritò *Vermes*; quamvis aliquando ipsis quoque laborent nonnunquam, licèt rariùs, Adultiores.

Lumbrici oblongi ac teretes.

II. Non faciam hic omnium vermium multifariorum mentionem, ast *Lumbricorum oblongorum ac teretium*, quibus maximè afficiuntur usque ad Adolescentiam Homines.

Res toto genere præter naturam in homine.

III. Sunt autem illi Res toto genere præter naturam in Homine, cùm ipsi nunquam debeant inesse, sintque ipsi semper noxii; mordent siquidem, perterebrant, consumuntve partes quoque Continentes, quin non raró ab ipsis producuntur Febres graves, Motus Epileptici, & aliquando ipsa Mors.

Ubi producantur & excernuntur.

IV. Reperiuntur ac producuntur frequentiùs Vermes in tenui Intestino, à quo & assurgunt sæpè sursùm in Ventriculum, hinc & OEsophagum atque Os, quin eadem via subinde Vomitu excernuntur, & descendunt deorsùm ad Intestinum crassum, exitumque quærunt per anum, qua via etiam cum Alvi excrementis excludi solent.

V. Inveniuntur iidem aliquando in Renibus (quod frequens est Canibus) ibique substantiam ipsorum consumunt.

Unde oriantur.

VI. Ortum habent ut plurimùm *à nimia ciborum*, ac prætertim *Carnium*, *Fructuumque horariorum ingurgitatione*; quapropter minùs possunt fermentari, ac proinde crudiores diutiùs hærent in tenui Intestino, atque paulatim corrupti Vermium Generationi præbent occasionem.

Vermium materia quanam mala producat.

VII. In qua Crudiorum Alimentorum corruptione *halitus acres excitantur*, qui quaquaversùm propulsi pungunt primò Intestina, mox & Ventriculum, quin per OEsophagum assurgentes Nares quoque, (unde continua penè Narium frictio, & in Ventre morsus, Vermium suspicionem movent) sed halitus iidem per vasa lactea usque ad Cor delati, ibidem *Febrem* producunt, atque ad Cerebri radices penetrantes, ipsasque mordentes *Epilepsiam* & Convulsionem efficiunt: Quibus malis gravioribus existentibus tat sæpè *Mors* succedit.

Humorum putrescentiū & halituum acrimonia mortem inducit

VIII. *Humorum* namque *Putrescentium*, hinc & *Halituum Acrimonia* molesta *Effervescentiam vitalem extinguit*: quod *à quovis acri excedente* fieri notissimum est Anatomica experientia, & utriusque Acris infusione in Venas apertas: quamprimùm enim illud dextrum cordis ventriculum notabili accedit copia, mox *Animal necat*.

Lumbricorū exortus qui præveniendus.

IX. Cùm tàm gravia mala excitent Lumbrici, danda opera, ut diæta convenienti & moderata præveniatur illorum exortus: quin ubi peccatum est in diæta, ut in tempore tum diæta opposita & sub contraria vitium illud emendetur, tum medicamentis convenientibus Humorum cruditas corrigatur, quin minuantur copia ferè simul peccantes humores: Denique ubi jam præsentes sunt & urgentes Lumbrici, ut interimantur, expellanturque.

Pane multo utendum cū carnibus.

X. Cùm pueri sint ferè voraciores, & carnivori; paulatim assuefaciendi sunt Alimentis paucioribus convenienti tempore assumendis, curandumque, ut *pane multo* utantur cum carnibus, à quo faciliùs contingit satietas, minuiturque adeò Vermium periculum.

Quænam vitanda.

XI. Vitandus quoque frequentior Lactis dulcis usus copiosus, ut & Casei, atque sicut jam dictum, Fructuum horariorum, & imprimis prunorum, à quibus observatum est promoveri Vermium proventum.

Usurpanda Aromatica & Amaricantia.

XII. Cùm ex illa ingurgitatione *Crudi Humores* sint præsertim *Pituitosi*, conveniunt tunc præ aliis *Aromatica* & *Amaricantia*, quæ quovis modo usurpata *Pituitam corrigunt ac emendant*, quin quodammodò *fermentant*, & aptam reddunt, ut *laudabilem Chylum promat*, sicque plura mala præveniantur.

Et Salia Volatilia.

XIII. In hunc finem conducent quoque *Salia Volatilia*, tum *Fermentationem promoventia*, tum *Pituitam corrigentia*, tum *Flatus fere conjunctos*, & *abdomen distendentes discutientia*, ex Liquore conveniente ac pòtu ordinario parva quantitate usurpata.

Pituita minuenda, & quibus.

XIV. *Pituita rebellis ac tenacior* ideòque difficiliùs in totum emendanda *minuetur ac educetur* feliciter per *Phlegmagoga* blandiora, *Sennam*, *Agaricum*, sed imprimis *Mercurium dulcem*, Lumbricis æquè ac ipsorum materiæ adversum.

Lumbricos quænam necent.

XV. *Lumbricos necant* modò laudata *subamaricantia*, inter quæ facilè primas tenet *Zedoariæ dictum semen*, quod aut Saccharo potest obduci, & si comedi, aut in pulverem redigi, atq; ad ℈ ß. aut pro diversa ætate majorem quantitatem quovis modo exhiberi, aut puppulæ inclusum Hydromeliti indi, exhibendo in dies unum vel duo Hydromelitis cochlearia.

Quænam expellant.

XVI. *Expellent Lumbricos* præ aliis feliciter *Mercurius dulcis* modò laudatus, si ad pauca grana ex Syrupi rosarum solutivi simplicis, aut cum senna, alteriusve tantillo exhibeatur infantibus.

Spiritus Acidos Vitrioli, Sulphuris, &c. in omnibus non æquè conducere.

XVII. Ad necandos Lumbricos usurpantur vulgo *Spiritus Acidi Vitrioli*, *Sulphuris*, & similes: quos agnosco & Pituitam incidendi, & Lumbricos necandi vi pollere, si guttæ ipsorum aliquot potui ordinario admisceantur, & ipsorum usus aliquandiu continuetur; Verum *in omnibus non æquè conducant*, cùm *acidum simul in corpore augeant & appetitum*, qui plerumque nimius est in pueris quapropter, nisi urgeat simul sitis, malim usurpari Salia Volatilia & subamaricantes plantas.

Atque hæc de Morbis tenerrimam ætatem affligentibus in medium afferre lubuit, quæ Medicinam facientibus & præcipuè ægris Infantibus spero olim profutura.

Finis Tractatus Primi.

TRA-

TRACTATUS II.
DE PESTE.

Natura. Pestis obscura.

I. **D**E Peste, Affectu acuto & non rarò acutissimo, acturi, more nostro, initium faciemus à Symptomatibus ipsum comitantibus & manifestantibus quò gradatim penetremus in Ipsius essentiam, ita obscuram & abstrusam, ut plerique in ejus explicatione vel ab solum Deum, ejusque iram, vel ad occultas qualitates, ignorantiæ putà asylum, consugerint, quoties ipsius Causæ fuerunt assignandæ.

Morbi præmia peccatorum.

II. Utique nemo sanæ mentis unquam negabit, quemadmodùm mortem, sic & morbos omnes, atque imprimis pestem, tanquam peccatorum præmium immitti à Deo hominibus.

Et tamen causas habent naturales.

III. Illud idem autem non impedit, quominùs Morbis & Mors causas agnoscant naturales, imò manifestas & quidem tales, quas non semper superare possunt Medici, quoties sc. à medicamentis, etiam optimis, suam retrahit Deus benedictionem: quod qui non observavit, rudis est in praxi Medica.

Et curari queunt.

IV. Quemadmodùm autem non semper curantur morbi orti à causis passim pro manifestis habitis, ita non infrequenter curantur quoque affectus orti à causis inter occultas recensitis.

Peste correptos sanari.

V. Sic quotidie observamus peste correptos sanari beneficio medicamentorum assumptorum; quamvis plerique Ipsius causas dicant homini occultas, & aliquid Divini & nostræ menti incomprehensibilis continentes; adeò ut ibi Dei manum agnoscant etiam multi Deum minùs timentes.

Pestis causa indaganda.

VI. Quoniam verò nostrum non est Divinæ providentiæ ac justitiæ abdita consilia in pesta hominibus immitenda rimari ac decernere, sufficiet nobis ejusdem luis Causas naturales, quantum nobis supernè datum est, scrutari & patefacere, quò sic quoque bonitas Divina nobis innotescens in cordis humilitate adoretur.

VII. Beneficium namque summum est, admitti ad cognitionem eorum, quæ maximè abstrusa & humanæ menti penè inaccessa esse voluit Deus.

VIII. Conabimur igitur Pestis, affectus præ cæteris omnibus Hominibus infestissimi, naturam essentiamque indagare ac eruere, atque opera eadem pluribus aliis affectibus occultis manifestandis viam aliquam sternere.

Naturalium rerum notitiam indies ampliorem fieri.

IX. Profectò in magnis & voluisse sat est; sed videtur Deus hoc præsertim seculo velle plurima præteritis invisa hominibus manifestare, sicque naturalium rerum notitiam longè planiorem ac pleniorem, quàm olim, mortalibus præstare.

Pestis signa interna & externa.

X. Ut ad rem igitur veniamus, *manifestari* solet pestis *signis* & symptomatibus, tum *internis*, sum *externis*.

Pestis signa Pathognomonica non dum proposita.

XI. Ubi mox notandum, non in omnibus ac singulis eadem occurrere Symptomata, sed pro humorum diversitate in multis diversa; & idcircò nulla esse hactenus reperta, vel ab ullo proposita signa Pestis pathognomonica ex quibus præsentibus de pestis præsentiâ, & absentibus de ejusdem absentiâ certû & indubitatû ferri queat judicium.

XII. Unde accidit non rarò, ut de Peste nulla sit suspicio, interim subitò moriantur Ægri, nullo notabili & Ægris valdè molesto Symptomate prævio vel manifestato; nec nisi per subitam virium prostrationem, & inopinatam mortem Contagioso tempore accidentem aliqua pestis cogitatio tunc obvenit; cùm ne quidem post mortem externa pestis indicia semper patescant.

Primaria Pestis signa Interna. 1. Calor Internus.

XIII. Primaria verò Pestis signa, eaque interna sunt I. *Calor internus*, interiora urens, non item exteriora. Neque de pestis essentia est Calor universum corpus afficiens, at interiora præsertim.

XIV. Nam tunc tantùm exteriora simul afficit Calor, quando Pesti comes adest Febris; aliàs partes externæ parùm vel nihil calent ultrà solitum; quamvis ardor exerceat partes internas; isque non tantùm *Sitim vehementem*, at insuper *Inquietudinem* valdè molestam excitet.

Sitis vehemens.

XV. De *Siti* namque conqueruntur plerique Peste affecti, eaque perdurante: ut & de *Linguæ ariditate*, non semper tamen Tactui manifesta.

Inquietudo.

XVI. *Inquietudo* autem in plerisque tanta est, ut corpus continuò agitent, sicque sudoris provocationē non rarò impediant, & ideò difficiliùs curentur.

2. Nausea cum vel sine Vomitu.

XVII. Secundum sinum Pestis internum est *Nausea* valdè molesta, cum vel sine *Vomitu*. Neque enim omnes vomunt, sed quidam; nec semper, nausea licèt perseverante.

3. Capitis dolor, & Delirium.

XVIII. Tertium idque internum Pestis signum primarium est *Capitis dolor* atrocissimus, unde ipsi utplurimùm conjunctum est *Delirium*, idque in quibusdam levius & brevius, in aliis gravius & magis diuturnum, quin ad mortem usque in quibusdam permanens.

Vigiliæ perpetuæ, Sopor Veternus.

XIX. Hisce accedunt non rarò *Vigiliæ perpetuæ*, uti aliquando *Sopor ac Veternus*.

4. Cordis angustia, Palpitatio, Lipothymia Pulsus Inæqualis, Intermittens, Parvus, Languidus, ac Frequentior.

XX. Quartum Pestis signum internum est summa *Cordis angustia*, & quandoque *Palpitatio*, accedente nonnunquam *Lipothymia* vel *Syncope*; unà cum *Pulsu inæquali*, & subinde *intermittente*, ut & *Parvo*, *Languido*, *ac Frequentiore*, ubi scilicet Febrem habet comitem.

Externa. 1. Bubones.

XXI. Præter memorata signa Pestis interna, eaque primaria & quadruplicia, occurrunt adhuc quædam externa, itidem primaria, eaque triplicia. Inter quæ principem locum assignamus *Bubonibus*, in *Glandulis Conglobatis* se tumore duro manifestantibus, circa Inguina, sub Axillas, pone Aures, imò aliquando & alibi quoque; nec tantùm circa Collum, sed & in medio brachio, locisque aliis, ubi tales latent subinde Glandulæ, nec nisi hoc in Affectu, ut & Scrophulis quandoque se manifestans.

2. Anthraces, vel Carbunculi.

XXII. Secundum inter externa Pestis signa meritò assignamus *Anthracibus*, *sive Carbunculis*, in quavis corporis parte prodeuntibus, & longè graviora Symptomata, quàm Bubones, producentibus; uti posteà patebit, ubi hos Tumores describemus exactiùs.

3. Maculæ.

XXXIII. Tertium & postremum inter signa Pestis externa tribuimus *Maculis*, tum *numero* majore vel minore, tum *magnitudine* itidem ampliore vel angustiore, tum *colore*, rubro, purpureo, livido, nigro inter se distinctis.

Ex his signis pestis colligitur.

XXIV. Atque hæc primaria sunt Signa & Symptomata, quibus Pestis tempore in quovis observatis non est dubitandum de Pestis præsentia.

Eadē signa non semper, nec in omnibus, apparere.

XXV. Illud verò accuratè observandum, non semper, nec in omnibus eadem apparere Signa & Symptomata; imò, sicut jam dictum, imponi non rarò tum Ægris, tum Medicis egregiis Symptomatum, non nisi cum inopinata virium dejectione, hancque comitante aut mox subsequente morte malitiam suam & malignitatem manifestantium, lenitate fucata.

Signa Pestis universalia.

XXVI. Unde non mirum, eximios Medicos asseruisse, inter signa Pestis universalia, quæque ad plures spectant, primum locum deberi *Multorum eodem tempore simul, & quidem ad internecionem affectorum afflictioni*; secundum verò *Contagio & infectioni ulteriùs serpenti*.

XXVII. Sunt enim hæc signa generalia & de grassante Peste documentum certum præbentia, non item singularia & singulis Individuis applicabilia: licèt de tali malo suspicionem faciant, & solicitudinem pariant meritò tàm Medicis, quàm Ægris eo tempore laborantibus.

Signa de pestis gradibus.

XXVIII. Notantur quidem, præter memorata, adhuc alia signa ab Auctoribus, ex quibus tamen

non tàm de Pestis præsentia, quàm ipsius gradu & majore aut minore malignitate judicium ferri potest.

Urina diversimodè constituta. XXIX. Sic *Urina* observatur in aliis tenuis & cruda; in aliis crassa & turbata, qualem jumenta excernunt, in aliis colore plumbeo, aut livido; in aliis fœtens, aut non fœtens; in quibusdam Oleaginosa; in multis parùm vel nihil à naturali mutata.

Sudores diversi. XXX. Sic *Sudores* in quibusdam spontè prodeunt, pauci vel copiosi; sæpè fœtidi; subinde frigidi; aliquando nulli, ne arte quidem, assumptisque sudoriferis.

Alvi fluxus varius. XXXI. *Alvi fluxus*, isque varius, fœtens, Glutinosus, diversi color, albus, croceus, viridis, ater nonnullos vexat, uti alios ejusdem adstrictio.

Sanguinis Eruptio. XXXII. *Sanguinis eruptio* quibusdam evenit per Nares, Uterum, aliasque vias, eaque non salutaris, sæpiùs exitiosa.

Oculi Lachrymabundi. XXXIII. *Oculorum vivacitas* plerisque minuitur, & animi mœrorem testari videntur, & quasi *lachrymabundi* mortis brevi subsecuturæ malum omen sunt.

Linguæ Arida, nigra, & aspera. XXXIV. Dixi jam suprà, Ægros de *Linguæ ariditate* conqueri; quæ quamvis visui vel tactui non sit semper manifesta, nonnunquam tamen his quoque sensibus apparet, & imprimis, ubi febris comes adest satis ardens; tunc autem fit ferè simul *nigra* & *aspera*.

Aphthæ. XXXV. Quinimò quibusdam excitantur quoque *Aphthæ*.

Exhalatio fœtens. XXXVI. Multis quoque adest *Exhalatio fœtens*; atque tum ægris ipsis, tum aliquando adstantibus molesta.

Sapor putridus. XXXVII. Sed & nonnullis *Sapor putridus* videtur esse in assumptis.

Dolor in lumbis. XXXVIII. Observavi quoque *Dolorem atrocissimum in regione lumbari*, & quidem mox in prima Pestis invasione.

Maculæ paulò ante aut post mortem manifesta. XXXIX. *Maculæ* itidem in mali principio latentes manifestantur nonnunquam *paulò ante*, imò etiam *post mortem*, & illæ quidem diversi coloris.

Facies cadaverosa, & mœrorem testans. XL. Imprimis morte appropinquante *Facies fit Cadaverosa, vultusque* universus *internum* quasi *mœrorem testatur* ac indicat.

Ulcera sensim se exsiccantia. XLI. Instante quoque morte solent *Bubonum & Anthracum Ulcera sensim exsiccari*; quod itidem pro lethali habendum signo; rarò enim tales evadunt.

Magna horum symptomatum differentia. XLII. Pro Corporum & imprimis Humorum in ipsis existentium, Animique motuum diversitate, magna illa Symptomatum *differentia* oritur, si addas & Veneni copiam & gradum diversum, ut & Alimentorum medicamentorumque usurpatorum, &c. diversitatem.

Ex ipsis natura Affectus deducenda. XLIII. Postquam verò ex memoratis Symptomatibus, tanquam signis, deducendus venit hic affectus gravissimus, & pro abstrusissimo à plerisque habitus, ut ejus essentiam & causam naturalem commodè ac solidè eliciamus, sollicitè progrediemur, ac pedetentim.

Illum Vitæ insidiari. XLIV. Si proinde totum Affectum consideremus, observabimus illum primariò ac per se Vitæ humanæ insidiari, ac proinde Vitales functiones aggredi.

Quænam Functiones in Peste afficiantur. XLV. Quamvis enim aliquando *Tremores ac Convulsiones* corripiant Peste infectos, id tamen rarum est, cùm ipsi non rarò ad mortem usque se satis commodè moveant; Unde inter *functiones Animales Motus* minimè afficitur, magis *Sensus* tàm *externi*, quàm *Interni* læduntur. Imprimis autem *Functiones Naturales* labefactantur, unde *Nausea, Inappetentia Ciborum, Sitis, Anxietates circa præcordia oriuntur, sed maxime Pulsus* mutatur, qui cùm absque Cordis Palpitatione non sit sensibilis Ægris, mirum non est, si tàm sæpè absque notabili querela pereant multi.

Præsertim afficitur Functio Cordis & Sanguinis in eo mutatio. XLVI. Hoc repeto, quia maximè facit ad nostrum negotium; *In Peste afficitur præsertim Functio Cordis, & Sanguinis in ipso mutatio* ad vitam tàm necessaria; cui cùm Pulsus sit comes ac ejus index, mirum non est, si tàm sæpè inopinatò obruantur Ægri, quoniam *Pulsus vel maximè mutatus non sentitur ab ipsis*, nisi in *Cordis Palpitatione*, rarò Pesti accedente.

Unde ferè incautos opprimit. XLVII. Quoties Ergò in Sanguinem solùm vim suam exerit Pestilens Venenum Acrimonia notabili destitutum, toties opprimit ferè incautos, & nihil mali vel lethalis metuentes: quin imò ne moniti quidem ad remedia summè necessaria in affectu tam præcipiti & exitioso recurrunt plerique.

Notandū, qua ratione Sanguis, & Pulsus sint affecti. XLVIII. Ut igitur Affectus hujus tàm noxii & acuti naturam essentiamque assequamur, notandum, quà ratione affectus reperiatur in ipso *Sanguis*, qua ratione *Pulsus*; ut ad cætera Symptomata pergendo gradatim queamus tandem aliquid determinare, quod magis menti nostræ fit manifestum, quàm quod vulgò de Peste dici solet.

Sanguis solito fluidior & minus consistens. XLIX. *Sanguis* autem, (ut ab illo investigationis nostræ faciamus initium) quemadmodum in cæteris febribus malignis, sic etiam in pestilentibus & ipsa adeò Peste observatur plerumque *solito fluidior*, & *minùs consistens ac grumescens*.

Unde oriatur. L. Cùm verò Sanguis naturaliter concrescat & grumescat, quæritur meritò, unde illa sit in *Sanguine coagulatio* & concretio? unde proinde ille *coagulationis defectus* vel sublatio?

Sanguinis coagulatio à Succo Acido ex Glandulis procedente. LI. Ne autem prolixè repetamus, quod diversis temporibus jam docuimus sæpiùs, paucis monebimus; *Coagulationem Sanguinis pendere ab Acido succo Ipsi ex Glandulis accedente*.

LII. *Ab Acido pendere Sanguinis coagulationem*, evincitur infusione Aceti vel Aquæ cum Vitrioli, Sulphuris, aliove Spiritu Acido mistæ in venam bruti adhuc viventis, unde mox potenter coagulabitur Sanguis; ac si ad Cor usque liquor infusus pertingat, morietur subitò Animal, modo planè contrario illi, quo idem extinguitur à Peste.

LIII. A Glandulis Succum Acidum accedere Sanguini, evincunt & Lympha, & Succus Pancreaticus artificiosè collecti, & Acidi toties jam deprehensi, atque viis manifestis ad Sanguinem in Cor descendentem delati.

Eā impediri à Sale Volatili Acriori. LIV. Quemadmodùm autem non dubitamus ampliùs vel dubitando, vel suspicando, se opinando, & quidem certò opinando asserere, Sanguinis coagulationem naturalem pendere ab Acido ex Sanguine in Glandulis Conglobatis & Conglomeratis secreto, iterumque ad descendentem Sanguinem translato; ita non veremur affirmare, *Coagulationis* ejusdem *impedimentum & defectum* acceptum ferendum *Sali valde Volatili, & imprimis Acriori*.

LV. Dicti, assertique hujus veritas evincitur quovis Sale Volatili Aqua diluto, & itidem per siphonem in venam immisso; à quo animadvertetur sanguinis coagulatio impediri, imò tolli.

Venenū pestilens consistere in Sale Volatili Acri. LVI. Cùm proinde hactenus post multipica experimenta solum Sal Volatile nobis innotuerit, quod vim habeat Sanguinis coagulationem collendi ac impediendi; observeturque in Peste, omnibusque febribus maligni Sanguis naturali fluidior & minùs coagulatus, imò coagulabilis, jam pridem suspicati sumus, & nunc plane opinamur, *Venenum pestilens consistere in Sale valde Volatili*, eoque *Acri*; quod, uti spero, in sequentibus fiet magis manifestum ubi pluribus ostendemus *à prædicto Sale Volatili* cōmodissimè posse *deduci omnia Symptomata in Peste occurrentia*: sed & *Curam Pestis* planè *quadrare cum eodem Sale Volatili*, ut & *Præcautionem*, Rationi non minùs quàm Experientiæ consentaneam.

Ab eo oriri omnia Pestis Symptomata. LVII. Videamus proinde, an à Sale Volatili, eoque acri deducere valeamus omnia, quæ hactenus enumeravimus, Symptomata in Peste affectis observabilia & observata: in quorum examine alium, quàm priùs, sequemur ordinem, eumque magis naturalem, ac prout se mutuò consequuntur Functiones ipsæ tum Naturales, tum Animales.

Nempe Appetitum Cibor̄ prostratū, & Potus auctum & molestum. LVIII. Faciemus autem initum ab *Appetitu Ciborum* quidem *diminuto aut prostrato, Potus* verò *aucto & molesto*.

LIX. Utique quemadmodum *Fames ab acido augetur ac restituitur*; ita eadem à *Sale Volatili*, ac præsertim, *acri*, *tolli solet ac diminui*: quod nemo nisi hospes in Arte Medica vel protervè Cavillator unquam negabit; postquàm idem Lippis ac Tonsoribus notissimum est, & imprimis de acido famem augente aut restituente; nam id plebeji quoque agunt in dies.

LX. De Sale Volatili res non est æquè plana, quoniam idem ignotum est plerisque, nec in usu frequenti fuit hactenus.

Quanam famem obliterent. LXI. Notum tamen est, *Corallia*, *Oculos Cancri*, *Cretam* & similia Acidum non minùs infringentia, quàm Sal Volatile, *obliterare famem*.

Et quare. LXII. Illud autem fieri, quatenus acidum infringunt, norunt, qui ab experientia & experimentis didicerunt ratiocinari, & conclusiones suas deducere, audenteque sapere supra inanes Sophistas, atque Doctores in verbis quàm herbis, in librorum lectione quàm rerum ipsarum examine magis versatos.

Salia Volatilia famē minuere. LXIII. Quòd si famem minuant vel tollant ista, quatenus acidum infringunt; an non cetera omnia idem acidum infringentia, ipsumque adeò Sal Volatile id ipsum quoque facient, famemque minuent?

LXIV. Adde quòd ipsa experientia idem evincat & confirmet, aut probet, Salia nempe Volatilia famem minuere; quamvis hæc ipsa minùs potenter id efficiant, quàm Corallia Creta & similia; unde etiam tutiùs in eum finem usurpari possunt: quod itidem venit notandum.

Et quidem potentiùs si sint acria, eorum acrimonia unde Sal volatile acidum infringere. LXV. Quòd si *Sal Volatile* quodvis famem minuat, ut reverà minuere probavimus, illud ipsum potentiùs efficiet, quando simul est *acre*.

LXVI. Acrimonia enim Salis Volatilis pendet à Sale lixivo minùs temperato, vel iterum acrimoniam novam sortito.

LXVII. Quis autem ignorat, nisi chymicarum mutationum planè ignarus, ratione acrimoniæ suæ salinæ, in sui ustione vel calcinatione fortiori auctæ, salem volatilem omnem vim obtinere infringendi acidum?

LXVIII. Quò ergò Acrium est Sal Volatile, eò potentiùs infringet Acidum, minuetque proinde famem; quod erat probandum.

Sitim in peste augeri. LXIX. Non tantùm prosternitur in Peste correptis fames, ciborumque appetitus; sed augetur simul *sitis & potus desiderium*.

A quibus excitetur. LXX. Sitim autem à quibusvis Salsis, ac præsertim à Sale lixivo, tum fixo tum Volatili Acri excitari, quis, nisi rerum naturalium imperitus, ignorat?

Sitià Salsis orta quid proprium. LXXI. Illud verò proprium ferè siti à Salsis ortæ, ut nec visui, nec tactui occurrat linguæ siccitas, de qua tamen tunc tantoperè conqueruntur Ægri; quod etiam Peste correptis utplurimùm accidere, diximus jam in superioribus; quo ipso confirmatur Salis in corpore tunc peccantis Acrimonia: ergo Sitis quoque peste infectorum arguit Salem Volatilem, sed Acrem.

Nauseam esse Pestis Symptoma molestum. LXXII. Tertium in Peste molestum Symptoma est *Nausea*, quæ si non probet, comprobat saltem & confirmat Salis Volatilis præsentiam & vitium in corpore.

Ejus causa. LXXIII. Notum enim per experientiam quotidianam, à nullo humore frequentiùs Nauseam vomitum concitari, quà à Bile; quam & Sale, & quidem Volatili abundare, plurima sunt quæ probant & evincunt.

Bilis acrior. LXXIV. Quòd si à Bile, ac præsertim Acriori & magis Volatili facta, excitetur indies Nausea, nonne in Peste correptis molesta Nausea vel Bilem, vel similem ipsi humorem peccare arguit?

Sit facta à veneno pestilenti. LXXV. Sive jam dicas, ipsam Bilem vitiari à veneno pestilenti, sive mali venenum pestilens constare Sale Volatili & Acri, utrovis modo mecum facies, ac dictum meum confirmabis.

LXXVI. Nam si à Veneno pestilenti Acrimoniam & Volatilitatem nanciscatur Bilis, utique ejusdem naturæ ipsum esse patet.

Vomitum et Nauseam gradu tantū differre. LXXVII. Quod de Nausea dictum, de *Vomitu* similiter dici potest ac debet. Cùm enim Nausea sit Vomendi conatus, facilè patet, gradibus tantùm differre Vomitum & Nauseam, easdemque agnoscere causas, sed gradibus quoque differentes. Non est proinde, cur in Vomitu à Sale Volatili, ac præsertim Acriori deducendo diutiùs morer, postquam ostendi ac evici, ab ipso, & quidem solo, pendere utplurimùm saltem Nauseam.

Anxietates esse Pestis Symptoma. LXXVIII. Quintum inter Pestis Symptomata locum assignabimus *Anxietatibus & Angustiis circa Præcordia, & superius Ventriculi orificio* observabilibus, ac mirè Ægros augentibus ac urgentibus.

Earum causa. LXXIX. Illas verò à Volatili Sale ac imprimis Acri produci posse, Arsenicum præposterè aut perperam usurpatum documento est. Arsenicum autem Volatile esse, nullius ignorat; nisi Chymiæ ignarus. Sublimari namque potest non ita difficulter. Adde quod multi rerum naturalium per Chymiam periti Venenum pestilens propter naturæ & operationum similitudinem vocarint Arsenicale.

Venenum Pestilens Arsenicale vocatum. Et quare. LXXX. Quæ appellatio ab Artis admirabilis gnaris profecta mihi ansam dedit nominis hujus rationem investigandi & tandem appellationem magis claram & manifestam inveniendi sub nomine Salis Volatilis.

Ab acri acido termina ab acri salso & Volatili Anxietates. LXXXI. Ab Acri Acido quidem tormina & cruciatus producuntur vehementissimi, à Salso verò Acri & Volatili præsertim, Anxietates potiùs solent excitari, quales in Peste quoque observantur frequentissimè.

Alvi fluxus causa. LXXXII. *Alvi fluxus* nonnunquam in Peste molestus & gravis, imo sæpenumerò lethalis confirmat quoque Salem Volatilem tunc peccantem, cùm plerique Alvi fluxus *Bili*, & *similibus humoribus* debeantur, ipsius saltem corruptelam præviam sequantur.

LXXXIII. Quamvis enim & ab *Acido* aliquando excitetur Alvi fluxus, non excitatur tamen ab ipso priùs, quàm Bilem corruperit, & ipsam in Æruginosam vel Atram mutari.

Quando observetur alvi fluxus. LXXXIV. Quemadmodum autem non semper observatur in Peste Alvi fluxus, nec ferè, nisi ubi conclamatum est; ita majorem arguit tunc Salis Volatilis Acrimoniam & Acrioris copiam, ideòque periculum majus.

Aphtha Pestis Symptoma, & quid. LXXXV. Accedunt quoque nonnullis Peste infectis *Aphthæ*, quæ ulcera sunt Linguam, Labia, & Palatum occupantia, nunc albicantia, nunc grisea, nunc sensim ad nigredinem vergentia, & semper humores Acres in Ventriculo & Intestino tenui arguentia.

Et unde. LXXXVI. Inde namque exsurgentes halitus similiter Acres non tantùm partes nominatas, sed universum OEsophagum exulcerare solent, ac circa superius Ventriculi orificium dolorem magnum & Cardialgiam excitare.

Cardialgia. LXXXVII. Concurrit autem in tali casu semper forsan cum Bile, aliove Sale Volatili quovis, sed Acri, Succus Pancreaticus similiter Acer, aut quidvis aliud assumptum Acidum & Acre, unde contingit Effervescentia vitiosa & corpori noxia prædictos halitus Acres producens.

Alvi fluxus in Peste Mortis nuncius Aphtharum proventus Salutaris. Quale Acidum in Alvi fluxu, & quale in Aphthis prædominetur. LXXXVIII. Quemadmodum verò Alvi fluxus plerumque solet Mortis esse in Peste nuntius, sic non rarò salutaris solet esse Aphtharum proventus: quoniam Acidum, tanquam potens noxii Salis correctorium, denuò vires sumsisse, ulcuscula ista arguunt.

LXXXIX. Etenim sicut in Alvi fluxu solet utplurimùm prædominium habere Sal Volatile, ita in Apthis Acidum.

XC. Ab Acido autem juvantur Peste correpti, non item à Sale quovis Acriore.

XCI. Non solent igitur calamitosæ esse Aphthæ, nisi quando simul magna veneni pestilentis adest copia, confluenti Acido haud cedens, at ipsum vincens ac superans.

Leipothymia Pestis Symptoma. XCII. Ut à primis Viis, Ventriculo putà & Intestinis, sensim transeamus ad Cor, *Leipothymiam*, Ventriculi non minùs, quàm Cordis affectum examinabimus.

Quænam in ea sentiantur. XCIII. In hoc autem affectu primùm Orificium ventriculi superius afficitur, mox & Pulsus immutatus, atque parvus debilisque factus sentitur.

Ubinam Ægris sentiatur. XCIV. Sensus enim Animi deliquii reverà in prędicto superiore Ventriculi orificio sentitur ab Ægris, estque talis sensus iste, ac si observaretur Anima corpus derelictura & mors statim secutura; unde etiam nominis ratio tum Græcis, tum Latinis, tum Germanis, Belgisque, tum Gallis, tum aliis Nationibus Europæis.

Pulsus mutatus ubi iis non sentitur. XCV. Pulsus verò mutatus non sentitur ab Ægris in ipso corde, sed applicata vel carpo, vel alii parti externę manu, modò mens constet cum sensu externo.

Ob abolitum sensuum usū. XCVI. Accidit enim in quovis animi deliquio graviore, ut si non in totum maximam saltem partem videatur abolitus Sensuum externorum internorumque usus: unde tunc incapacea sunt Ægri plerique, aliquid certi de suo pulsu observare ac decernere.

Incipiente Animi Deliquio quid observetur. CXVII. Incipiente autem Animi Deliquio inexplicabilam verbis sensuin deficientis quasi Animæ observant plerique circa dictam Cordis regionem ac foveam, hoc est, circa superius Ventriculi Orificium.

Animi Deliquii causa & progressus. XCVIII. Si quis verò totum *Animi Deliquii* progressum, ac subsequentem ipsius solusionem vel spontaneam, vel artificiosam, ut & ipsius Causas manifestas mente attenta consideraverit, reperiet ipsum, si non semper, utplurimùm saltem *ortam habere ab Halitibus, Flatibus, & Vaporibus à tenui Intestino assurgentibus, aut ab assumptis in Ventriculo quandoque productis, atque prædictum ipsius orificium saperias modo, quo diximus, afficientibus quin aliqua* sui parte per *Vasa lactea & Ductum Thoracicum ad Cor pergentibus, atque in ipsa Sanguinis Effervescentiam Naturalem conturbantibus, unà cum variè quaque sic mutato Pulsu.*

Flatuum exclusio levamen adfert. XCIX. Quoties autem Ægri sponte vel arte excludere possunt Flatus, Halitus, Vapores istos sibi molestos, toties levamen sentiunt in isto Affectu.

Eorum productio gravius reddit malum. C. Quoties contrà aliquid assumunt, quod ad tales flatus, halitus, vapores producendos vel Materiam subministrat, vel Causæ Efficientis rationem habere, aut latentes irritare atque excitare potest, toties idem malum vel producitur, vel gravius redditur.

Eorū Materia. Efficiens. CI. *Materia* istorum flatum, halituum, & Vaporum licèt quodammodò differat, *Efficiens* tamen Ipsorum Causa eadem observatur, *Bilis* nempe, ac prętertim *Acrior*, & quicquid de *Sale Volatili* participat, estque *Aromaticum*: A quo quamvis discutiantur quoque Flatus, Halitus, & Vapores jam producti, ab eodem tamen producuntur quoque iidem, ubi occurrit materia in flatus, halitus, vapores mutari apta: quod non semel monuimus esse notandum; idem sc. & producere & dissipare vapores, halitus, flatus, sed pro materiæ nunc mutatæ, nunc mutabilis & mutari aptæ diversitate.

CII. Quibus argumentis cùm abundè constare putemus, à Sale volatili, ac præsertim acri, tanquam efficiente causa produci posse Animi Deliquium, & hactenus quoque ab eodem Sale Volatili acriori Pestem ortum suum habere posse probavimus; quod nobis erat propositum. Cętera de Pulsu in Animi Deliquio mutato clariors fient in sequentibus.

Pulsus in Peste variè mutatur. CIII. Ut igitur ad Functiones in Corde & à Corde perfici solitas properemus, quas per aliis omnibus gravisimè in Peste affici docuimus agemus primùm de *Pulsus* variè in ista lue mutari solito,

CIV. Pulsus autem in eo pręsertim varius observatur, quòd *inequalis* existat, & quidem tum ratione *roboris*, tum ratione *magnitudinis*, tum ratione *frequentiæ*. Aliàs enim *robustus* sentitur, mox valdè debilis; aliàs quoque magnus, mox valdè *parvus*; aliàs *frequentior*, mox iterum *rarior*: quinimò subinde *intermittit*, ac tandem inopinato etiam *desinit*, quandoque cum Syncope, sæpiùs cum ipsa infectos obruente Morte. *Inequalis multiplici respectu.*

CV Has pulsuum diversitates & Causas ut accuratiùs examinemus, operæ pretium vel ideò putamus, quia ex his læsis de futuro gravissimi & perniciosissimi morbi eventu signa peti possunt ac debent. *Ejus causa. Quibus constet pulsus.*

CVI Constat in prima sui origine Pulsus reciproca Ventriculorū Cordis Dilatatione ac Constrictione: præcedit tamen Dilatatio, quin Constrictioni secuturę ansam pręber & occasionem, Cordis nempe parenchyma explicando, sicque ad sui contractionem mutuam irritando. *Dilatationis Cordis causa.*

CVII. Explicat autem Cordis Ventriculum dextrum (cui omne Cordis motus initium adscribimus) & quidem naturaliter Sanguis tum ascendens, tum descendens in ipsum propulsus, & in eodem ex aucto tunc simul in ipso Igne vitali rarefactus, ideòque spatium majus quàm priùs occupans, sicque necessariò ventriculi parietes ab invicem diducens. *Ignis vitalis quomodo accedatur, & quid pręstet.*

CVIII. Hunc Ignem vitalem docuimus alibi accendi in dextro Cordis Ventriculo ex confluxu Bilis Sanguini ascendenti, & Limphæ, succique Pancreatici Sanguinis Descendenti admistorum, simulque Effervescentium, quin ob istam Effervescentiam partes suas igneas deferentium; quę compedibus suis liberatę ingrediantur & immisceantur penitiùs & potentiùs partibus Sanguinis magis pinguibus & butyrosis, (unde & calor in Corde augetur) quas, utpote densas, rarefaciunt & à centro quasi ad circumferentiam explicant: sicut id Ignis proprium esse infinita evincunt exempla omnibus & passim obvia: Lac purà igni superpositum in lebete: Gummata Oleosa: Thus, Succinum & similia itidem prunæ ardenti imposita & mox valdè rarefacta.

CIX Sic ergò à Sanguine rarefacto explicatus Ventriculus dexter ad sui Contractionem mox secuturam irritatur. *Contractionis cordis causa.*

CX. Irritatum autem Cordis parenchyma musculosum ad sui contractionem, illam Spirituum animalium continuè à Cerebro ad Cor confluentium ope absolvit.

CXI. Quemadmodùm verò Sanguis valdè multùmque rarefactus spatium desiderat, quo contineatur, amplum, ita tunc amplius expanduntur non tantùm Cordis ventriculi verùm Ipsę quoque Arteriæ, fitque tunc simul Pulsus Magnus. *Pulsus magnus unde.*

CXII. Contrà verò quemadmodùm Sanguis parùm rarescens spatium, quo contineatur, desiderat minus; ita tunc minùs explicantur non tantùm Cordis Ventriculi, verùm Ipsæ quoque Arteriæ, fitque Pulsus Parvus. *Parvus unde.*

CXIII. Adeò ut Pulsus Magnitudo vel Parvitas sequatur Sanguinis Rarefactionem majorem vel minorem.

CXIV. ad Sanguis autem Rarefactionem quatuor concurrunt desideranturque semper ac necessariò: primò dispositio in Sanguine apta isti rarefactioni, ut & secundò Causa ipsum rarefaciens; quibus accedit tertiò Cavitatum Vasorumque Sanguinem continentium ac vehentium aptitudo ad sui expansionem; ac denique, cùm Sanguis motu perpetuo, ideòque circulari ferri debeat, quartò Causa motum illum efficiens ac conservans. *Ad Sanguinis Rarefactioné quatuor cocurrunt.*

CXV. Hęc, iniquam, quatuor ni concurrant debitè, Sanguinis rarefactio haud producet ritè, quin modis variis lędetur & labefactabitur.

CXVI. Dixi requiri primò *in Sanguine Dispositionem ad rarescendum aptam*; quę uno verbo in *1. Dispositio in Sanguine*

ejus

ad rarefciendum apta. ejus consistit densitate laudabili, ob quam è vasis effusus concrescere ac coagulari solet sponte.

Quanam sit. CXVII. Hæc Sanguinis densitas si unquam pereat, commodè ac sufficienter rarefieri non poterit Sanguis.

Unde sit. CXVIII. Hanc verò densitatem ab Acido ipsi admisto pendere, varia sunt quæ doceat & evincant, imprimis Acidus liquor in apertum Vas per syringam infusus, Sanguinem mox coagulans; ut nunc sileam obviam cuivis, notamque Lactis calentis ab Acido coagulationem; Lac autem & Sanguinem parùm inter se differre, constans fuit hactenus Medicorum opinio.

2. Causa in Corde Sanguinem rarefaciens, nempe Ignis Vitalis. CXIX. Dixi requiri secundò *Causam in Corde Sanguinem rarefacientem*, quam *Ignem vitalem* non malè dixeris; cùm à Solo igne fiat rarefactio, (quantum saltem mihi hactenus licuit experiri) & ab hoc in Corde producto excitatoque Igne pendeat nostra Vita.

CXX. Hic Ignis quoties vel parcior vel imbecillior excitatur in Corde, toties Sanguinem minùs quoque rarefieri, arguit pulsus semper tunc minor naturali.

3. Cavitatum aptitudo ad sui expansionem. CXXI. Dixi requiri tertiò ad Sanguinis rarefactionem laudabilem ac permanentem *Cavitatum*, Auricularum putà Ventriculorumque Cordis, atque *Vasorum*, Arteriarum putà Venarumque ipsum *continentium*, *vehementiumque aptitudinem ad sui expansionem*.

Et quare. CXXII. Quoniam scilicet concluditur illis Sanguis noster, omninò necessum, quoties illo plena fuerit, si ampliùs rarescat, (uti reverà continuè secundùm naturã plùs minùs rarescit) ut secundùm ejusdem intensionem plus minùs expliceotur.

CXXIII. Cùm enim Sanguis rarefactus majorem, quàm priùs occupet locum, Sanguinis autem locus sint dictæ Cordis Cavitates atque Vasa, si hoc suo loco contineri debeat Sanguis, ad hujus rarefactionem partiumque adeò explicationem explicari quoque debet Locus ipsum proximè concindens.

CXXIV. Hoc autem non tantùm necessariò fieri oportere, evincit Ratio, sed idem actu fieri, confirmat Experientia; Videmus enim tangimusque, quoties ab aucto undecunque Cordi Igne per calorem in corpore universo simul auctum sese manifestante Sanguis in eodem magis rarefit, Arterias quoque & Venas, præsertim tam molliores, tum sensibus externis magis expositas, itidem ampliores ac tumentiores,

Vasa si minùs debitè explicentur quænam accidant. CXXV. Quòd si minùs explicari possint prædicta præsertim Vasa, tunc observamus vel 1. ipsa subinde rumpi, vel quovis modo aperiri, unde sequitur hemorrhagia, eaque nunc interna, nunc externa: vel 2. Suffocationis periculum magnum imminere, quod priùs non tollitur, quàm aperto vaso sufficienti quantitate sit eductus Sanguis, & locus reliquo paratus amplior.

Et quare. CXXVI. Non potest enim in Corde rarescens Sanguis, quemadmodum in aheno rarescens Lac, pedetentim assurgere, tandemque effundi; quoniam, ut jam dictum & nulli non debet esse notum, Cordis Cavitatibus, Vasisque concluditur undique Sanguis, non item aheno Lac, cui patet exitus; hoc namque denegato vel rumperetur Vas continens Lac igni appositum vel impositum, uti ejus rei exempla quotidiana sunt apud Chymicos, liquores densos igne nimis potenti urgentes, atque vasa sua frequenter rumpi dolentes.

4. Causa circulationem producens & conservans. CXXVII. Dixi denique quarto, quia in perpetuo & circulari motu versatur Sanguis, requiri quoque *Causam motum ipsum efficientem, conservantemque*.

Nempe Sanguinis rarefactio, et motus Cordis Animalis. CXXVIII. Aliquid ad motum illum efficiendum, promovendumque facere sæpius memoratam ejusdem rarefactionem, non semel docui, & etiam nunc arbitror; quæ tamen cùm non sufficiat, conjunxi, quinimò potiorem putavi *Motum Cordis musculosum vel Animalem*, cujus ope contrahantur potenter Cordis Ventriculi, propellaturque in Arterias contentus & rarefactus in ipsis Sanguis.

CXXIX. Motum verò animalem à spiritibus Animalibus per Nervos à Cerebro ac Cerebello delatis pendere ac produci, paucos puto superesse, qui ampliùs dubitent.

Motũ Cordis Animalem ad Sãguinis Rarefactionẽ facere. CXXX. Facit hic quoque cordis Motus animalis ad Sanguinis rarefactionem quatenus ipso deficiente Sanguis sponte ac suæ rarefactionis vi sola sufficienter à Cordis thalibus erumpere non potest, quin brevi sequatur Ignis Vitalis extinctio & Animalis Mors.

Pulsus Robustus & Debilis unde. CXXXI. Quemadmodum autem docuimus in superioribus, *Pulsum Magnum & Parvum* dictum *deberi Sanguini magis vel minùs rarefacto*, concurrente Arteriarum naturali sese explicandi aptitudine; ita nunc asserimus, *Pulsum Robustum aut Debilem acceptum ferendum potentiori aut infirmiori Cordis Motui & contractioni Animali*.

CXXXII. Quemadmodum rursum docuimus modò, ad Sanguinis Rarefactionem concurrere quoque Pulsum potentem, ita nunc vicissim asserimus, ad pulsum robustum facere Sanguinis Rarefactionem.

Spirituum Animaliũ copiosorum et laudabiliũ separatio unde. CXXXIII. Ut enim Spiritus Animales tum copiosi, tum laudabiles ac potentes separentur à Sanguine in Cerebro ac Cerebello, inter alia requiritur quoque laudabilis dispositio in Sanguine, quæ frustra desideratur in ipso, quando debita non fit ejus in Corde rarefactio.

Ad omniũ functionum integritatẽ, requiritur singularum integritas. CXXXIV. Ad omnium namque Functionum integritatem atque valetudinem prosperam requiritur singularum integritas; postquam infrequenter accidit, ut Functionum una lædatur, quin mox alias, & sæpè omnes in consensum trahat & simul lædat; ita sunt simul catenatæ cunctæ nostræ functiones, sive ad vitam simpliciter, sive ipsius commoditatem desiderentur.

Quando Robustus, quando debilis fit pulsus. CXXXV. Cùm igitur Cordis motus & contractio per spiritus animales absolvatur, *Robustus Pulsus* fiet, quoties copia sufficienti ad Cor confluunt prædicti spiritus, & Ipsum potenter contrahunt: *Debilis* verò quoties copia deficiunt, nec satis potenter ipsum contrahunt.

Ad Robustum pulsũ concurrit Irritatio Naturalis, vel Nonnaturalis. Vel præternaturalis. CXXXVI. Præter Spirituum Animalium abundantiam Pulsum Robustum efficientem, concurrere solet *Irritatio*, sive *Naturalis* à Sanguinis Rarefactione magna pedes; sive *Non-naturalis*, à Corporis Motu vehementiore, Animi Affectu diverso, Aeris æstu, Alimentis Spirituosis & Aromaticis, &c. orta; sive *Præternaturalis*, ab humore aut halitu Acri, & similibus excitata.

CXXXVII. Quamvis enim abundarent in Corpore Spiritus Animales, non fiet tamen Pulsus Robustior, nisi vel ad Sanguinem citiùs potentiùsque in Cordis Ventriculo dextro rarefactum expellendum, aliamve molestiam irritetur Cor ad validiorem sui contractionem.

Irritatio qualis causa Pulsus Robustioris. CXXXVIII. Quemadmodùm igitur *Robustioris Pulsus Efficiens Causam* est Spiritus Animalis copiosus, ita *Causa sine quâ non* talis Pulsus est Irritatio quælibet potentior in Corde.

Eadem causa Pulsus frequentioris & rarioris. CXXXIX. *Eadem Irritatio* non semper eodem contingens modo *Causa* est *unica & adæquata Pulsus frequentioris aut rarioris*.

Et quidem à causa naturali. CXL. Quamdiu enim secundùm naturam omnia se habent in Corporis nostri œconomia, tamdiu mediocris est quoad frequentiam æquè ac magnitudinem roburque Pulsus.

CXLI. Quando autem Sanguis potentiùs citiùsve solito rarescit, citiùs quoque ad sui contractionem irritatur Cor, fitque necessario Pulsus frequentior.

Vel præternaturali. CXLII. Eadem illa irritatio accidere potest à Causa preternaturali, Acrimonia purâ humorũ, vaporumve unà cum Sanguine ad Cor delatorum; ut & à Flatibus & halitibus Cor expandentibus & itidem ad sui contractionem irritantibus.

CXLIII.

Vnde Rurfus frequentior.

CXLIII. Adeò ut *Pulfus* omnis *Naturali Frequentior* agnofcat pro Causa fui adæquata *Irritationem folito crebriorem autem moleftiorem*, ad fui contractionem Cor urgentem: five illa Irritatio fiat à *Caufa Naturali*; *Sanguine* putà rarefacto, five contingat à *Caufa præter Naturæ legem ad* Cor delata, *humoribus* puta intemperatis & Acribus, *flatibufque & halitibus* vel fua *flatulentia*, vel fua *Acrimonia* Cor moleftantibus.

Vnde rarior.

CXLIV. *Pulfus* autem *folito rarior* acidit nunc propter *Irritationem Cordis Rariorem*, nunc propter *Ipfius fefe contrahendi vim debiliorem*, nunc propter *ejufdem explicationem violentam, permanentemque*, five illa contingat *à Sanguine copiofo, nimiùmve rarefacto*, five *à flatibus* in Cordis Ventriculis hærentibus, ipfofque continuè diftendentibus.

Varias Pulfuum læforum concurrere,

CXLV. Quòd fi quis ea, quæ nunc & antea protuli, conferat fimul, agnofcet facilè, qui variç Pulfuum lçforum fpecies concurrere poffint.

1. Pulfus Maior Robuftior et Frequentior.

CXLVI. Nam 1. facilè conftat, qui *Pulfus Major, Robuftior, ac Frequentior* fimul coincidere poffint. Quoties namque in corpore priùs fano & Sanguinis mediocrem quantitatem habente ab Aeris çftu, vel Alimētis Aromaticis, aliave causa fimili augetur Bilis Acrimonia, mox & in dextro Cordis Ventriculo Ignis vitalis, utique unà cum Sanguinis rarefactione majore fiet *Pulfus Major*; quin eo ipfo irritabitur Cor celeriùs fçpiùfque ad fui Contractionem, unde *Pulfus* continget fimul *Frequentior*: Ob quam prçdictam Sanguinis Rarefactionem majoram cùm non impediatur, quin promoveatur potiùs Spirituum Animalium à reliquo Sanguine fecretio, accedat major Spirituum dictorum copia ad ipfum Cor, unde fiet quoque *Pulfus robuftior*, ad propellendum foràs Sanguinem, ipfum Cor folito magis urgentem ac dilatantem.

2. Minor & Rarior.

CXLVII. 2. *Pulfus Minor, Debilior, & Rarior* accidet, quoties contrarium eveniet, atque ab Aere frigido humidoque, vel Alimentis crudis craffifque, aliifve Pituita cumulatur in corpore; tunc enim fanguis reddetur fuæ rarefactioni minus aptus, nec tantùm Bilis, fed Succus quivis Acidus obtunderur ita, ut minùs Ignis ex ipforum confluxu excitetur in dextro Cordis Ventriculo unde non tantùm minùs fegniùfque rarefcet ibidem fanguis, minùs expandentur Cordis Ventriculi, ac confequenter Ipfæ Arteriæ, fietque *Pulfus Minor*; fed prætereà tardiùs ad fui Contractionem irritabitur Cor fietque *Pulfus Rarior*; denique ineptior reddetur Sanguis ad Spiritum fuum Volatilem promendum in Cerebro ac Cerebello, qui proinde parcior accedet ad ipfum Cor, fietque *Pulfus Debilior*.

3. Frequentior, Minor, & Debilior.

CXLVIII. Atque hçc quidem facilè capiuntur, major autem difficultas occurrit, quoties içfi Pulsus fpecies concurrunt tales, quales ex vulgò creditis præjudiciis deducere non poffumus, reverà tamen in ægris obfervamus: qualis eft 3. *Pulfus Frequentior*, fimulque *Minor & Debilior*: quem tamen ex præmiffis à nobis fundamentis non ita difficulter explicari poffe putamus, & quidem ita, ut cum praxi Medica multùm quadrat noftra fententia; quod femper ac unicè fpectandum à Medicis veris, nec inanem gloriam, fed ægrorum commodum quærentibus.

Hic Pulfus in principio Febrium intermittentium Minoris caufa.

CXLIX. Talem autem Pulfum femper obfervamus in principio Febrium intermittentium, quando nempe aliquis Tactu percipi poteft Pulfus. *Minorem* autem tunc afferimus Pulfum propter impeditam diminutamque tunc fanguis Rarefactionem, Frigoris committis Caufç adfcribendam, Halitibus putà Acidis à Succo Pancreatico in quibufdam fuis Ductibus lateralibus propter moram & ftagnationem Acriore facto & vitiofam in tenui Inteftino Effervefcentiam producente ortis, & per Venas Ductumque Thoracicum ad Cor penetrantibus, fanguinemque nimis coagulantibus, ficque ad fui rarefactionem laudabilem ac defideratam ineptum reddentibus.

Debilioris caufa.

CL. Cùm proinde minùs rarefiat Sanguis, minùs quoque explicantur Cordis Ventriculi, minorique labore opus eft ad Ipfius Expulfionem, non requiritur ergò Potentior Pulfus, cum fufficiat *Debilior*; adde quòd ea vitiata illa fanguinis Mutatione ac Rarefactione in Corde, univerfus fanguis reddatur ineptior Spiritui Animali in Cerebro ac Cerebello fuppeditando; unde non mirum, fi cùm univerfus corporis Motus Animalis tunc fiat Debilior, fimilem in Corde quoque obfervare liceat: adde quòd Halitus tunc temporis per univerfum corpus diftributi & Ofcitationem Pandiculationemque producentes, non rarò in Capite vertiginem pariant, & motum Spirituum Animalium conturbantes *Pulfus Debilitatem* non parùm augeant.

Frequentioris caufa.

CLI. Quòd autem tunc *Pulfus* obfervetur femper *Frequentior*, id non evenit uti vulgo aliqui fabulentur, quòd æftus tunc interiora magis augeat & urgeat, (licet nulla is percipiatur ratione, nullo fenfu) & Natura, quod magnitudine præftare nequit, conetur frequentia compenfare: Hæc enim omnia funt prçjudiciorum inveteratorum fœtus ac fructus.

Irritatio ab Acrimonia Acida.

CLII. Contingit enim *frequentia* illa *Pulfus* ab Irritatione continua & molefta Cordis, facta non ab æftu illo imaginario, non à Sanguine valdè rarefacto Cordifque Ventriculum dextrum expandente, verùm ab eorundem halituum prædictorum & in Cordis Ventriculos penetrantium Acrimonia, fed Acida, ipfius fubftantiam mordicante, atque fic ad fui Contractionem frequentiorem continuè ftimulante.

Quod probatur.

CLIII. Talem Acrimoniam in Corpore exiftere, confirmant & evincunt Horror, & Rigor, Tremorve comites, atque ad violentam coactamque univerfi corporis agitationem concuffionemque ita urgentes, ut nulla imaginabili Animi conftantia, nullo Voluntatis arbitrio impediri poffit talis concuffio; quam minuunt tantùm, tolluntque apta funt nata temperare Acrimoniam Acidam, uti funt Salia Volatilia & Oleofa, præfertim cum Spiritu volatili.

CLIV. Quod fi Artus per Mufculos fibi oppofitos ad Voluntatis imperium moveri folitos nequimus tunc libere movere, mirabimur, fimili quaffatione coacta frequentiùs contrahi Cor ipfum, immediato Voluntatis noftræ dictamini nunquam obfecundans?

CLV. *Frequentia* igitur *Pulfus* non debetur nefcio cui ficto Calori in Corde tunc aucto, verùm Frigori potiùs, aut veriùs halitui Acido Acriori ad fui Contractionem continuam Cor vellicanti, &, uti dictum, eò delato.

Anguftia fumma, & Anhelationis difficultas in initio febrium intermittentium unde.

CLVI. Accidit nonnunquam, ut in dictarum Febrium Intermittentium initiis *Anguftia fumma & Anhelationis difficultas inexplicabilis ac pene inexpugnabilis* urgeat ægros, ita, ut in Suffocationis periculo fe verfari querantur; quam ortum habere arbitramur non tam ab halitibus quàm flatibus ex Pituita lenta in tenui inteftino reperta in vitiosa illa Effervefcentia productis, ac fimul per vias nominatas ad Cor penetrantibus, ac inde ad Pulmonum Vafa & fubftantiam tranfeuntibus, ibidemque hærentibus, quinimò ipforum parenchyma potenter explicantibus atque ad reciprocam complicationem ineptum reddentibus: quemadmodum id pluribus deduximus, ubi de Suffocationis caufis variis alibi egimus.

Pulfus Parvus vel Magnus cum Mediocriter robufto. Et potens vel debilis cum medio. iter magno.

CLVII. Non memini me unquam Pulfum obfervare *Parvum cum Potenti*, *aut Magnum cum Debili*; quamvis nonnunquam obfervaverim *Parvum*, *Magnumve cum Mediocri* quoad robur; ac vice versa *Potentem*, *Debilemve cum Mediocri* quoad magnitudinem.

CLVIII. Hos verò fimul quoque coëxiftere poffe, fuadet Ratio à fingulorum Caufis petita, ut non videatur neceffum illud pluribus probare.

CLIX. Atque hæc de abfolutis Pulfuum differentiis, & ipfarum Caufis hac occafione dicta fufficiant.

ciant. Aliquid de Inæqualitate Pulsus, ac præsertim de Intermittente Pulsu addendum, antequam singula Pesti accommodemus.

Pulsus inæqualis.

CLX. Inæqualitas Pulsus dicitur, quando nunc Magnus, & mox iterum Parvus existit; nunc Robustus, mox Debilis; nunc Frequens, mox Rarus.

Ubinam occurrant.

CLXI. Tales autem Pulsus inæquales satis frequenter occurrunt in praxi Medica, & quidem in Febribus plerisque, & ipsa quoque Peste.

Unde pendeat.

CLXII. Pendet autem ista Pulsus Inæqualitas à cujusvis speciei Causa inæqualiter agente.

Pulsus nunc magnus, nunc parvus unde.

CLXIII. Sic Pulsus *nunc Magnus*, *mox Parvus* pendet 1. *à Sanguine diverso* in Cor delato, & nunc quidem plùs, mox minùs denso coagulatoque 2. *ab igne vitali vario* in dextro Cordis Ventriculo ex ascendentis descendentisque Sanguinis varii confluxu excitato, nunc quidem majore, nunc verò minore.

Sanguis unde diversus existat.

CLXIV. *Sanguis diversus* existit, tum ratione Lymphæ, Succique Pancreatici Sanguini descendenti, tum ratione Bilis Sanguini ascendenti admistorum, & illam in sanguine confluente diversitatem parientium.

Ejus consistentia unde.

CLXV. Quemadmodùm enim à Lymphæ, Succique Pancreatici aciditate aucta sanguis coagulatur potentiùs, redditurque densior; ita à Bile acriore, magisque volatili solvitur, frangiturque ejusdem sanguinis consistentia, redditurque ipse minùs densus.

CLXVI. Prout autem in illo sanguinis utriusque confluxu sanguis vel Acidior, vel Biliosior dextrum Cordis Ventriculum ingreditur, ita ex illa miscella oritur aliàs densior, aliàs minùs densus Sanguis, adeòque magis vel minùs aptus suæ rarefactioni.

Humorum in statu naturali & præternaturali constitutio.

CLXVII. Quemadmodùm verò in *statu naturali* proportionem inter se servant Humores prædicti, quin singuli continuè pariantur *sibi similes*, & *quantitate* forsan *eadem*; ita in statu præternaturali non tantum mutatur singulorum *qualitas*, *sed & quantitas*: unde necessario consequitur magna quoque in Sanguine diversitas.

Quantitas Qualitas & Motus.

CLXVIII. Sed non tantùm Ipsorum *Quantitas & Qualitas* mutatur, verùm eorundem insuper *Motus*; adeò ut ratione quantitatis qualitatisque suæ mutatæ, (ut alia nunc taceam, quæ fortuito accidentia itidem aliquam possunt in ipsis afferre mutationem) eorundem Motus nunc promoveri ac præcipitari, nunc contra retardari, & impediri possit.

Sanguinis mutatio.

CLXIX. Prout autem citiùs vel tardius ad Sanguinem affluit nunc Bilis, nunc Lympha, Succusve Pancreaticus, Major quoque vel Minor accidet ipsi tunc in Corde existenti quoad consistentiam mutatio: unde Pulsus consequi potest Inæqualitas.

Ignis vitalis diversitas, unde.

CLXX. Quod de Mutatione Sanguinis quoad sui consistentiam ex prædictorum Liquorum affluxu dixi, venit quoque dicendum de *Igne Vitali gradibus & vi diversis* in Corde excitato: postquam ipsum qui nominatorum Liquorum, Bilis, & Lymphæ, Succique Pancreatici confluxui non semel adscripsi, & etiam nunc adscribendum existimo.

Spirituum Animalium inæqualis generatio, & Pulsus inæqualitas unde.

CLXXI. Ex hac verò sanguinis rarefactione inæquali pendet quoque *Spirituum Animalium generatio Inæqualis*, & quoddammodo forsan *Pulsus in robore* contingens *Inæqualitas*.

Ab animi etiam affectibus.

CLXXII. Utplurimum certè *Pulsus Robustus* consequitur Pulsum Magnum, & Debilis Parvum; quavis non raro ex *Animi Affectibus pendeat* quoque *ipsius Inæqualitas*: observamus enim tunc temporis nunc robustiorem, nunc debiliorem Pulsum; unde non mirum, si agitata diversimodè per animi affectus pro lubitu excitatos, Anima, non parùm mutetur quoad robur Pulsus.

CLXXIII. *Inæqualitatem* proinde *Pulsus quoad Robur* putamus pendere posse tum à *Pulsu quoad magnitudinem Inæquali*, tum ab *Animi Affectibus*, aut *simili affectione corpori contingente*.

Ut & tremore Cordis.

CLXXIV. Quemadmodùm enim ex Animi affectu quovis conturbantur in suo motu ordinario & ordinato spiritus animales, hincque omnis Motus animalis fit inordinatus & inæqualis; ita accidunt aliquando quædam Corpori absque Animi affectu, quæ similem conturbationem excitant in spiritibus animalibus; quemadmodùm in accidit *in Tremore coacto*, & nullatenus Senio, aut debilitati naturali adscribendo.

Qui in Peste locum habet.

CLXXV. Tale quid autem in Peste accidere, constat non tantùm ex *levi delirio* perpetuò ferè lue ista Infectos comitante, verùm *ex tremulo partium omnium motu* simul concurrente, &, quamdiu malum sævit, permanente.

CLXXVI. Atque hæ videntur mihi Pulsus in magnitudine ac robore inæqualis Causæ: transeamus ad *frequentiam*, in qua *Inæqualitas* observatur sæpenumerò in Ægris.

Pulsus inæqualitas & frequentia unde.

CLXXVII. Hanc verò non dubito deducere ab *Inæquali Irritatione Ventriculorum cordis ad sui Contradictionem*, sive illa pendeat 1. à *Sanguinis rarefactione inæquali*; sive adscribenda sit 2. *universali animalium spirituum agitationi* inordinatæ ad inæquali ob animi affectus varios animam confundentes & inæqualiter agitantes; sive deducenda sit 3. ab *insensibili*, hoc est, ab Anima non observata *corporis affectione*, tremulum ac inæqualem Spirituum Animalium quaquaversùm, ac proinde ad Cor quoque, concitatum motum producente, sive debeatur 4. *Humoribus*, *halitibus*, *vaporibusve Acribus*, sed *Inæqualiter* unà cum Sanguine ad Cor tendentibus, & Inæqualiter ad sui Contractionem ipsum irritantibus; sive accepta ferenda sit 5. *Flatibus* itidem *Inæqualiter ad Cor delatis*, aut *Inæqualiter Viscidis* existentibus, ac similiter vel *Inæqualiter Cor irritantibus* vel *Inæqualiter ipsius Contractioni resistentibus*, atque aliquando faciliùs se cum Sanguine excludi patientibus, aliquando difficilius, atque sic prædictam contractionem morantibus.

Pulsus intermittens unde.

CLXXVIII. *Intermittentem* quandoque in Ægris, & satis sæpè, Pulsum adscribimus 1. *impeditæ ad tempus*, protractæve *Sanguinis rarefactioni*, undecunque tandem ortæ. 2. *Impedito tantisper Spirituum Animalium* ad Cor affluxui. 3. *Impeditæ* aliquandiu *Cordis* à flatibus præsertim valdè viscidis Contractioni.

Quænam Pulsus varietas in Peste obtineat.

CLXXIX. Atque in Genere de horumce Pulsuum differentiis & causis proferre placuit; videamus nunc, qui ea, quæ diximus, Pesti quadrent, postquam in Ipsa Pulsum plurimùm variare observamus.

CLXXX. Occurrit ergò *in Peste Pulsus aliàs Magnus*, *aliàs Parvus*.

Aliàs Magnus.

CLXXXI. Magnus permanet, quamdiu potens existit in Corpore Acidum, idemq; Sanguini admiscetur convenienter, ipsumque ritè coagulatum idoneum servat, ut valdè rarescat.

Aliàs Parvus.

CLXXXII. Parvus redditur, talisque durat, ubi Acidis vis fracta est à Sale Volatili Acriori & pestilenti, vel seorsim Sanguini admisto, vel Bili priùs confuso, & illam Volatilem magis & Acriorem præstante.

Unde in Peste mors inopinata.

CLXXXIII. Nihil enim impedit Acidum existere in Corpore potens, idemque Sanguinem valdè coagulans, (sive tale in ipso præexistat, sive tale copiosè assumatur) atque hactenus permanere Pulsum Magnum; & simul in eodem contineri venenum Pestilens citiùs seriùsve illud Acidum domans aut Bilem ita inficiens, Sanguinemque Ascendentem adeò corrumpens ac dissolvens, ut non rarò inopinata mors succedat.

Et quando.

CLXXXIV. Illud verò accidit præsertim, quando Inæqualis est in Magnitudine Pulsus, nunc Magnus, mox Parvus.

CLXXXV. Etenim Magnus existit, quoties Sanguinis Acidum prædominium habet in Corde, uti contra Parvus, quoties Sal Volatile Acrius ibidem dominatur.

Et quare.

CLXXXVI. Hoc ubi aliquandiu permanet, mirum

mirum non est, si tunc subito suffocetur ac necetur Æger, quatenus solutus à Volatili Sale sanguis extingit & opprimit vitalem Ignem, tunc minùs quoque potentem propter vitiosam, nec satis Acrem factam utriusque Sanguinis Effervescentiam, & quidem ob vitiatam utriusque Acidi & Salsi proportionem; sine qua mediocritas laudabilis constare nequit.

Magnus & parvus pulsus unde.

CLXXXVII. Magnus ergo fit in Peste Pulsus ab Acido superstite, aut assumpto; Parvus contra à Veneno pestilenti Volatili & Acri Sanguinis consistentiam minuente aut tollente.

Sanguis aliquando consistens, aliquando dissolutus unde.

CLXXXVIII. Hinc est quoque,*(ut id obiter moneam,) quod Sanguis Peste affectorum aliquando magis consistens observetur, sæpiùs dissolutus & sponte coagulari nescius.

Pulsus alia varietas.

CLXXXIX. *Pulsus* eorundem observatur aliquando satis *Robustus*, & tandem valdè *Debilis*; quandoque, ac imprimis ubi omnia in pejus vergunt, *Inæqualis*.

Robustus.

CXC. *Robustus* permanet, quamdiu Magnus continuat, ob Causas superiùs allegatas.

Debilior.

CXCI. *Debilior* fit, quamprimùm Minor redditur, viresque acquirit eundo Virus Pestilens, aut Consternatio ipsorum mentem occupat & Metus.

CXCII. Sequitur namque Pulsus Debilitas, quemadmodum docuimus, tum 1. ejusdem Parvitatem; tum 2. Animi affectum quemvis cum Metu aut Consternatione conjunctum; tum 3. peculiarem Spirituum. Animalium alterationem universum corporis motum Animalem debilitatem, ac tremorem comitem habentem; qualem in Peste familiarem in præcedentibus notavi.

Inæqualis.

CXCIII. *Inæqualis fit in Robore Pulsus*, ob Causas prædictas simul in corpore existentes, atque alternatim vim suam exerentes; donec tandem aut superetur emendaturque in totum Venenum pestilens, aut idem quacunque tandem de causa dominium absolutum, idque aut manifestè, aut clanculum nanciscatur, Ægrumque perimat.

Qui medicamenta se habeant in peste infectis.

C X C I V. Quisquis enim attentè curavit Peste infectos, potuit observare, aliquando Ipsos vel in totum vel ex parte respuere medicamenta, vel non satis diligenter assumere, ac in eorundem usu perseverare, vel mox iterum removere, atque sic frustrà usurpare, vel sine fructu ac successu eadem capere, hoc est, sine exspectato sudore, vel non satis convenientia accipere, vel noxiis quoque nimiùm indulgere; vel quovis alio modo venenum promoveri, non autem corrigi.

Et quid inde sequatur.

CXCV. Ubi autem illorum unum vel plura eveniunt, non mirum, non curari, at perire potius Ægros, ubi præterea mira Dei cuncta modo incomprehensibili gubernantis providentia elucet quam imprimis patefacit praxis Medica.

Pulsus alia varitas.

CXCVI. Observatur etiam in Peste correptis *Pulsus* plerumque *Frequentior*, & subinde *Inæqualis*.

Frequentior.

CXCVII. *Frequentia* ejus *aucta* imprimis adscribenda Veneni pestiferi *Acrimoniæ*, unde mordicatum Cor excitatur ad frequentiorem sui contractionem, etiam tunc, ab eadem causa & Minor & Debilior fit.

Inæqualitas in ea.

CXCVIII. *Inæqualitas* verò in *Pulsus frequentia* tunc sæpe observata adscribi potest ac debet, tum 1. illi acrimoniæ non semper æquali ad Cor delatæ, ob sanguinem diversum ubicunque illi admistum, & quidem nunc in dextro Cordis ventriculo, nunc in loco remotiore: tum 2. Assumptis medicamentis convenientibus, & acrimoniam illam, non omnem; nec ubique, sed alicubi & ex parte temperantibus: tum 3. Animi affectibus variis subinde excitatis, & hactenus quoque Pulsum Inæqualem facientibus.

Pulsus intermittens unde.

CXCIX. *Intermittens* in Peste *Pulsus* debetur imprimis Sanguini magis magisque corrupto, atque aliqua sui parte tunc in Cor delato ad sui rarefactionem inepto facto, & quidem à Sale Volatili Acriori; unde meritò periculum inde summum præcognoscitur, donec tandem in longiori Pulsus Intermissione, aut eadem sæpiùs repetente Mors adveniat, & obruat Ægrum.

CC. Atque ex prædictus de Pulsu diverso in Peste observari solito, ejusque Causis, puto abundè patere, à Sale valdè volatili & simul acriore non incommodè deduci posse Pestem, & hactenus quoque non malè constitutam à nobis veneni Pestilentis naturam in Sale tum valdè volatili, tum valdè acri.

CCI. Pergamus itaque ad cætera Symptomata in Peste observabilia, & videamus, an ex illorum examine idem possit confirmari.

Symptoma Pestis Cordis Palpitatio.

CCII. Circa *Cordis* Functiones læsas, sed sensibus nostris externis manifestas posuimus quoque *Ipsius Palpitationem* subinde in Peste molestam,

Quid sit.

CCIII. Est autem *Cordis Palpitatio*, ut inde nostris examinis faciamus initium, *Inordinatus & confusus*, *coactus tamen Cordis Motus* verè *Convulsivus*, isque nunc vehementior, nunc blandior.

Qui dignoscatur.

CCIV. Hæc Cordis Palpitatio quodammodò agnosci potest ex Pulsu Arteriarum; solummodò aut plenè agnosci per Manum Cordis regioni applicatam.

Esse Cordis Motum Convulsivum.

CCV. Dixi *Palpitationem Cordis* esse ipsius *Motum Convulsivum*, adeòque *Depravatum*, & non tantùm *inordinatum & confusum*, sed simul *violentum & coactum*: hæc enim omnia in Cordis Palpitatione distinctè observata notari possunt.

Inordinatum & confusum.

CCVI. *Inordinatus & Confusus* dicitur mihi in Cordis Palpitatione ipsius Motus, qua nunc Major, nunc Minor, nunc Robustior, nunc Debilior, nunc Frequentior, nunc Rarior observatur in dicta palpitatione Pulsus.

Violentum & coactu.

CCVII. Eundem *Cordis Motum violentum & coactum* in sui Palpitatione dixi, quia nonnunquam costas vicinas frangit, aut foràs propellit, atque illas feriendo insignem sonitum parit, extra decumbentis cubiculum, imò domum facile perceptibilem.

CCVIII. Talem autem Musculorum Partiumve Musculosarum *Motum* & inordinatum, & violentum, *Convulsivum* nominamus: meritò proinde *Cordis Palpitationem* statuimus ejusdem *Motum Convulsivum*.

Eius causa.

CCIX. de Causa Motus Convulsivi in genere, Cordisque palpitationis in specie, non satis convenit inter Scriptores Medicos; nec mirum, quia non iisdem nituntur omnes Principiis, aut potius præjudiciis.

CCX. Nos verò unicuique suorum cum Principiorum aut præjudiciorum, tum Ratiocinationum inde deductarum probationem aut confirmationem commendantes dabimus operam, ut nostras Cogitationes pro virili adstruamus, quemadmodum hactenus, neglectis alienis, adstruere conati fuimus.

Violentiam motus cordis esse eius gradum maiorem.

CCXI. Cùm verò in omni Cordis palpitatione occurrat Motus eius Inordinatus & confusus non tamen semper Violentus, & cum vehementi pectoris concussione ac verberatione coniunctus idcircò censemus *Violentiam* illam esse duntaxat ejusdem *gradum majorem*.

In quibus consistat Essentia Palpitationis.

CCXII. *Essentiam* igitur *Palpitationis Cordis* consistere putamus in *motu illo modis omnibus inordinato*, nec tantum secundum Magnitudinem, Robur, aut Frequentiam; at secundùm omnes illos modos simul sumptos.

Quando Cor dicendum palpitare.

CCXIII. Adeò, ut tunc demum Cor palpitans veniat dicendum, quando *in omnibus illis speciebus simul sumptis* observatur *Pulsus inæqualitas*.

Quando adsit violentia & quando non.

CCXIV. Cuius Inæqualitatis Causa quævis, ubi gravior existit, atque simul *Cor Contrahens Causa restat potens*, tunc demum *Violentia* modò dicta simul concurrit, & unicuique manifesta est, non tantum quoad Tactum, sed quoad Auditum

ditum

ditum quoque ac Visum Cordis palpitatio: Ubi verò *Debilis* existit *vis Cor contrahens*, tunc talis non adest violentia, nec tàm manifesta sensibus palpitatio.

Causa inæqualitatis Pulsus causa Palpitationis.

CCXV. Quæ proinde Causa est Inæqualitatis secundùm triplices Pulsus species, eadem Causa erit Cordis Palpitationis.

Causa Pulsus inæqualis.

CCXVI. *Inæqualitatis* autem cujusvis in pulsu Causam diximus in superioribus esse *Cordis ad sui contractionem Irritationem, sed non ordinatam &* à causa ordinaria & ordinata, *sed inordinatam* & à causa vel ordinaria, verùm simul inordinata, vel extraordinaria & planè vitiosa.

CCXVII. Tales Causæ sunt 1. *Sanguis, sed vitiosus*, Acris puta, propter admistos humores Acriores, nec à Sanguine temperari aptos, Lympham præsertim, Succumve Pancreaticum, Ipsamve Bilem; vel 2. Vapores, Halitus, Flatusve Acres unà cum Sanguine ad cor delati; vel 3. *Venenum aliquod* naribus attractum, Ore assumptum, aut forinsecùs per poros, Vulnera, Ulcera, vel aliter admissum, & Sanguini admistum, ac suam in ipso Acrimoniam servans; vel 4. aliquid in pericardio hærens & Acre, Cor mordicans vel pungens.

CCXVIII. Hæc & similia inæqualiter ac inordinatè Cor vellicantia, & ad sui contractionem Irritantia Causæ possunt ac solent esse cordis Palpitationis: quod verum esse, tum usurpatorum commissorumve observatio, tum Curatio hujus affectus, hoc est, Nocentia & Juvantia, tum Cadaverum sectio, per experientiam probant, vel saltem confirmant.

Cordis palpitatio unde oritur.

CCXIX. Oritur ergo Cordis Palpitatio à re quavis Cor ad sui Contractionem inordinatè ac inæqualiter irritante: Quòd si Ejusdem vis Animalis potens existat, hoc est, copiosi ad Cor ferantur spiritus, nihilque ejusdem Contractionem impediat, cum vehementi quassatione, Costarumque verberatione accidit illa Palpitatio.

Unde Costarum verberatio.

CCXX. Quòd si contrà invalida sit Cordis Facultas Animalis, hoc est, pauci ad Cor ferantur Spiritus Animales, aut ineptum sit ad sui Contractionem Cor ob flatus viscidos ipsius ventriculos nimiùm expandentes, aut extremam Sanguinis copiam, vel rarefactionem; tunc talis non observatur Costarum verberatio, sed summa Ægrotantis anxietas, & Respirationis difficultas, imo Anhelatio, mirè angens, cum imminentis quasi continuè suffocationis periculo.

Unde anxietas, Respirationis difficultas, & Anhelatio.

Pestis unde producatur

CCXXI. Ex quibus omnibus cùm pateat, omne Acre aptum natum esse, ubi ad Cor venit, ipsum ad sui Palpitationem concitare, idem omnino de Sale Volatili, sed Acri dicendum; unde quoque sequitur, cùm in Peste observetur nunnunquam Cordis Palpitatio, hactenus à tali Sale Volatili & Acri produci posse Pestem; quod intendimus.

Symptoma Pestis Syncope.

CCXXII. Inter Cordis Functiones in Peste subinde læsas primum ac extremum locum occupat *Syncope*; quæ vox Græca licet Hippocrati ac plerisque ante Galenum Medicis fuerit ignota, hujus tamen tempore imprimis extitit familiaris. & nunc omninò teritur in Medicorum Scholis.

Hæc vox Hyppocrati ignota.

Quid sit.

CCXXIII. Est autem *Syncope gravissima Animi Deliquii species*.

In ea cor imprimis afficitur.

CCXXIV. Quemadmodùm enim in leviori Animi Deliquii specie imprimis observatur *Ventriculus affectus*, ita in ejusdem specie graviori & gravissima observatur *Cor imprimis affectum*.

In levi deliquio Ventriculum affici.

CCXXV. Observatur, inquam, in leviori Animi Deliquii specie Ventriculus imprimis affectus, & quidem ipsi ægro, ex propriæ afflictioni sensatione, & quidem à vaporibus vel halitibus ad superius ventriculi orificium elevatis, & inexplicabilem molestiam, Animi Deliquii ac Defectus nomine notam, parientibus, sæpe cum nausea, quin & vomitu, ut & vertigine, auriumque tinnitu; nonnunquam sine illis.

In graviore Cor.

CCXXVI. In graviore autem Animi Deliquii specie, adeòque *Syncope* observatur Cor imprimis affectum, non quidem ab Ægro, qui omni *Sensu externo ac interno & omni Motu, Ipsoque adeò Pulsu ac Respiratione*, quæ in Apoplexia permanere solent, tunc *destituitur*, sed ab Adstantibus ac Medicis, & quidem tum per Functionum omnium Abolitionem, quantum saltem externis sensibus judicari potest, tum per comitem Faciei pallorem, sudoremque frigidum & crassum Ægris expressum.

In levi Deliquio Sensus permanere.

CCXXVII. Quemadmodùm verò *in leviore Animi Deliquio Sensus Externi ac Interni non rarò permanere* solent in Ægris, adeo ut tunc quæ circa se fiunt ac dicuntur, observent, ac post finitum paroxysmum referant; licèt durante eodem *nec loqui, nec alio aliquo signo, per animalem partium motum faciendo* mentem suam & cogitationes, imò anxietates suas possint Adstantibus explicare.

In gravi una cum Motu Animali aboleri.

CCXXVIII. *Ita in omni graviori animi Deliquio*, & imprimis ejus specie gravissima, *Syncope, unà cum Animali Motu aboletur ad tempus Omnis Sensus tùm externus, quàm internus*, & ita quidem, ut pro mortuis habeantur plerisque Ægri; nec mirum, cùm magis mortuis, quàm vivis tunc similes sint, atque tàm frequenter in tali paroxysmo reverà vitam cum morte commutent, & fiant, quod videbantur esse.

Quanam in Syncope observantur Functiones læsa.

CCXXIX. Hujus *Syncopes Naturam* Essentiamque ut manifestemus, considerabimus, quæ in Ipsa diximus esse observabilia & peculiaria.

CCXXX. Observantur ergò in Syncope omnes functiones tum Naturales, tum Animales Abolitæ, ad tempus saltem à Sensu externo abstractæ.

Quanam in Apoplexia.

CCXXXI. In *Apoplexia* quidem abolentur quoque omnes penè functiones, solo permanente hic observabili *Pulsu ac Respiratione*; quibus tandem quoque abolitis Mors succedit, non *Syncope*: cùm si quis accuratè utrumque affectum consideret, non facilè sit arbitraturus, Apoplexiæ successisse Syncopen.

CCXXXII. Dico, si quis accuratè utrumque affectum consideret; nam si quis confusè duntaxat ac superficie tenus utrumque spectet, non mirum, si cum plebe judicet.

In utroque Affectu Modus invadendi & Solutionis considerandus.

CCXXXIII. In accurato autem utriusque examine considerabitur tum *Modus invadendi* utique peculiaris, tum *Modus Solutionis* utique itidem singularis.

CCXXXIV. Ad Invadendi modum refero quoque Constitutionem, Ætatem, Vitæ genus, Causas externas aut irritatrices, ac similia.

Modus invadendi in Apoplexia.

CCXXXV. *Apoplexia* certè invadit ferè Pituitosos dictos, Senes, cum capitis gravitate Somnolentos, Torpidos, ac vitam otiosam agentes; soletque accidere ad graves Aeris tempestates, aut Ictus, Casusve enormes, &c. & quidem subitò ac inopinato.

In Syncope.

CCXXXVI. *Syncope* verò Melancholicis est magis familiaris, ut & fœminis magis quàm maribus; ab Animi mœrore diuturno ac perpetuo unà cum sollicitudinibus conjuncto sæpius prodit, sensim accedens; habetque prævias Cordis anxietates, & quandoque Nauseam, Vomitumve.

Modus solutionis in Apoplexia.

CCXXXVII. *Solvitur* autem frequentiùs *Apoplexia* per paralysin partium inferiorum, vel universalem, vel alterutrius laterum; remanente ut plurimùm, ad tempus saltem, Mentis aliquo stupore, Sensuum externorum Debilitate, ac Motus Animalis torpore ac segnitie.

In Syncope.

CCXXXVIII. *Syncope autem solvitur* in totum, remanente quidem virium omnium languore, sed qui citiùs, vel tardiùs tollitur, prout Causa fuit gravior, vel diuturnior, unde non rarò æquè Robusti posteà existunt, ac priùs.

Pulsum & Respirationem in Syncope aboleri non in Apoplexia.

CCXXXIX. Imprimis notandum, in totum aboleri pulsum ac Respirationem in Syncope, qui tamen non tolluntur in Apoplexia, nisi lethali, & ad mortem tendente: unde & mors instans prædici solet.

CCXL.

Syncopes Signum Pathognomonicum.

CCXL. Cùm proinde in Syncope aboleri soleant semper Pulsus & Respiratio permanentes in Apoplexia; ab hisce imprimis deducendam puto Syncopes Naturam. Id enim pro *Signo pathognomonico Syncopes* habendum, *Pulsus*, inquam, & *Respirationis Abolitio*: quoniam in sola Syncope, durante vita, aboleri potest Pulsus & Respiratio, & illis abolitis de Syncopes præsentia judicium fert Medicus.

Quando Pulsus & Respiratio salva vita aboleri queant: Vita unde pendeat.

CCXLI. Cùm autem tum in Syncope, tum in Morte aboleri soleat tam Pulsus, quàm Respiratio; videndum, quando salva vita functio illa utraque possit aboleri, quando cum ejusdem interitu.

CCXLII. Supponemus autem nunc, quod aliàs docuimus, & in confesso putamus esse apud omnes Medicos, *Vitam nostram naturalem*, de qua impræsentiarum agimus, *pendere à conservatione Ignis, Calidive Innati Corde perpetuati & quaquaversùm unà cum Sanguine ad partium singularum vivificationem propulsi.*

Ignis vitalis ubi nam accendatur.

CCXLIII. Nec repetemus hic, quod itidem aliàs nos si non evicisse, saltem tanquam valdè probabile ostendisse putamus, *Ignem illum Vitalem ac Vestalem in dextro Cordis Ventriculo accendi per Effervescentiam Sanguinis utriusque Ascendentis ac Descendentis, perpetuò ad Cor affluentis.*

CCXLIV. Sanguinis, inquam, *Ascendentis*, ratione admistæ Ipsi *Bilis Sale lixivo, sed Volatili & Oleoso, præditæ.*

CCXLV. Sanguinis *Descendentis* verò, ratione admistæ Ipsi *Lymphæ*, & huic accedentis *Succi Pancreatici*, vel potiùs Liquoris *e* Succo Pancreatico, Bile, ac Pituita in tenui Intestino confluentibus ac simul Effervescentibus parati, & quidem *Spiritu Acido* prægnantis.

CCXLVI. Hoc ergò præjudicium nostrum itidem supponentes, applicabimus ipsum pulsui & Respirationi in Syncope abolitis.

Quamdiu conservetur in Corde Ignis vitalis.

CCXLVII. Quamdiu ergò 1. *Sanguis* ad Cor undique refluens laudabilis existit, aptusque est recipiendo sustentandoque Igni in dextro Cordis Ventriculo in prædicta Effervescentia erumpenti.

CCXLVIII. Quamdiu 2. *Bilis & Lympha*, sub quia *Pancreaticum Succum* nunc comprehendo, cum Sanguine ad Cor accedentes aptæ sunt in suo confluxu ita effervescere, ut ex se latentes ignis particulas emittant.

CCXLIX. Tamdiu conservatur in corde prædictus ignis vitalis; tamdiu Idem Sanguini se insinuat, eundemque rarefacit; tamdiu Cordis Ventriculus dexter dilatatur; tamdiu Idem eo ipso ad reciprocam sui contractionem irritatur; tamdiu præsenti sufficienti Animalium Spirituum copia Cor Contrahitur; tamdiu Sanguis in Arterias propulsus easdem expandit, & pulsum in carpo & alibi observari solitum producit.

Quando deficiat in corde ignis vitalis, quamque consequantur.

CCL. Quando autem aut 1. *Sanguis est recipiendo, sustentandove Igni vitali*: aut 2. *Bilis vel Lympha* cum Sanguine ad Cor accedens *inepta est talem producere Effervescentiam*, in qua erumpant partes Igneæ in ipsis latentes, *desinet accendi in Corde Vitalis Ignis*, desinet *Sanguis rarefieri*, desinet *Cor ad sui contractionem irritari*, desinet *Cor contrahi*, desinet *Sanguis in arterias propelli*, desinent *Arteriæ expandi*, ac *Pulsus in carpo & alibi produci.*

Ob pauciores, vel nullos Spiritus Animales quanam fiant.

CCLI. Quando etiam 3. (quod propter Apoplexiam cum Syncope in multis convenientem affero) *Spiritus Animales ad Cor pauciores, vel nulli ampliùs* accedunt, tunc itidem *cessabit Cordis*, utut irritati, *Contractio*, cessabitque *Sanguinis in Arterias expulsio*, & *Pulsus.*

In quo differat in Syncope pulsus abolitus, à Pulsu in lethali Apoplexia tandem abolito.

CCLII. Ex quibus cùm elucescat, Cessare atque aboleri posse pulsum vel *vitio Sanguinis, eorumque quæ Sanguini* admiscentur, vel vitio *Cordis & Spirituum Animalium* Cor Contrahentium: puto quoque sedulis rerum naturalium scrutatoribus, & OEconomiæ humanæ gnaris abundè patere, in quo differat pulsus in Syncope abolitus à pulsu in lethali Apoplexia tandem quoque abolito.

CCLIII. *In Syncope* namque *aboletur Pulsus Sanguinis Contentorumque in Sanguine culpa*; in *Apoplexia* verò abolitur idem pulsus à *Spirituum Animalium ad Cor mittendorum defectu*, aut impedito eorundem ad ipsum motu.

In Peste non rarò permanere motum Animalem, quamvis debilis ac deficiens sit pulsus.

CCLIV. Hæc verò omnia ut Syncopæ, affectui ex professo nunc à nobis considerato, applicemus, & quo intendimus, eruamus; in peste non rarò permanet motus Animalis, quamvis debilis, intermittensque, ac tandem cum morte inopinatò superveniente deficiens observetur pulsus.

Unde deficit Pulsus in Peste infectis.

CCLV. *Non deficit* proinde *Peste infectorum Pulsus ex Spirituum Animalium defectu*, aliàs omnis Motus Animalis simul cessaret, deficeret atque aboleretur; *sed ob vitium in Sanguine ipso existens, aut à quibusdam ejus partibus vitiosis dependens.*

Sanguinem à veneno pestifero corruptum quænam sequantur mala.

CCLVI. Quòd si *Bilis Acrior tunc à Veneno pestifero reddatur, aut idem Venenum Sale Volatili & Acri constans Sanguini admisceatur*, ubi ad Cor accedet, non tantùm *potentiùs Acidum*, quod in Sanguine naturaliter reperitur, *aggredietur*, *sed idipsum ita evertet, ut suam Sanguini consistentiam tribuere non possit*, quocirca ineptior erit Sanguis ad sui rarefactionem, ineptior ad Cordis Ventriculorum dilatationem; quin minùs ad sui contractionem irritabitur Cor, unde & minùs, & debiliùs, & rariùs contracto Corde, pulsus fiet Arteriarum & minor, & debilior, & subinde intermittens, tandem Deficiens; atque sic, *tanquam Syncope, peribit Æger; imprimis ubi concurrent anxietates circa Ventriculum excitatæ, halitusque graves quaquaversùm propellentur, atque sudor simul erumpens adveniente morte reddetur frigidus.*

Ad ignem Vitalem laudabilem quænam requirantur.

CCLVII. Ut enim Ignis Vitalis & blandus producatur continuè in Corde, opus est, ut proportio servetur laudabilis inter Amarum Bilis & Acidum Lymphæ, quò blandè simul effervescentia Igneas particulas ex sese promant, quæ partibus Sanguinis butyrosis, sed sufficienter ab Acido admisto coagulatis & condensatis, sese insinuare possint, & in ipsis sustentari, non item ab iisdem fluidioribus obrui & suffocari.

Idem à quonam obruatur.

CCLVIII. Obruetur autem Ignis Vitalis à Sanguine minùs consistente ac fluidiore, quoties ipsius Acidum minuitur aut infringitur, & quidem à Sale Volatili & Acriore facto atque simul aucto.

Syncopen ortum ducere à Sale Volatili & Acri.

CCLIX. Potest igitur Syncope ortum ducere à Sale Volatili & Acri, & hactenus quoque Venenum pestilens in tali Sale consistere: quod erat probandum.

Symptoma Pestis Sanguis solito fluidior.

CCLX. Inter Pestis signa & Symptomata recensetur quoque *Sanguis solitò fluidior, minùsque concrescens*: qualem in plerisque malignis febribus observari notant practici.

Non semper.

CCLXI. Non ignoro, Sanguinem omnem fluidiorem nec concrescentem non semper observari in peste, cæterisque febribus malignis, sed aliquando etiam concrescentem tunc temporis educi.

Et quando.

CCLXII. Sed illud accidet, quamdiu pulsus permanet satis magnus; quamprimùm verò idem minor redditur & talis permanet, non dubito asseverare, ipsum Sanguinem tunc quoque futurum fluidiorem, suamque tunc amisisse consistentiam.

CCLXIII. Et quamvis Ego in tali casu nunquam curaverim aperiri venam, ut extracto tunc Sanguine confirmare possem opinionem meam, quoniam id contra meam conscientiam tunc facerem; non puto tamen alios itidem occurrere, qui ausint asserere, institutam tunc à se Venæsectionem, eductumque Sanguinem consistentiæ laudabilis.

CCLXIV. Absit verò, ut cum Ægrorum periculo & futuro damnò faciam experimentum ullum; præsertim cùm tunc subinde spontè

effluens Sanguis satis superque dictum meum confirmet.

CCLXV. Quamvis igitur non negem, posse in Pestis initio educi Sanguinem concrescentem, nego tamen illum talem prodire, ubi pulsus ex magno factus est parvus, ex robusto debilis, ex æquali Intermittens, ac dominium accepit Venenum.

Ejus causa. CCLXVI. Cùm proinde, consentientibus plerisque, Sanguis per Venenum pestilens plus minùs amittat suam consistentiam naturalem, meritò quæritur, unde illa consistentia pendeat, quid illam tollere valeat.

CCLXVII. Respondeo autem paucis, cùm idem pluribus jam me probasse putem, Consistentiam contingere Sanguini ab Acido; tolli autem eodem aut deficiente, aut debilitato. Nihil autem æque Acidum debilitat & infringit, quàm Sal & quidem acre: cui si Volatilitas accedat, idem potentiùs ac celeriùs efficiet.

CCLXVIII. Potest igitur Sanguinis consistentia minui & tolli à Sale valdè volatili & acri: potest proinde ab eodem hactenus producti Pestis; quod erat probandum.

Urina via. CCLXIX. Inter corporis excrementa è Sanguine prodeuntia meritò primus locus tribuitur *Urinæ*, utpote quæ ex Sanguine ad Renes delato ibidem secernitur, mox in Pelvim depluit, ac inde per Ureteres ad Vesicam delabitur, in qua plùs minùs retenta per Urethram excernitur.

Ejusdem in peste mutationes, & diversitas. CCLXX. Hæc *Urina* miras subit in Peste mutationes, dum, uti jam diximus in superioribus, *aliquando nihil vel parùm recedit ab Urina Sanorum*; aliquando *veltenus* prodit *& cruda*, vel *crassa & turbata*, jumentorumque urinæ similis; aliquando, & imprimis ubi omnia ruunt in pejus, *colorem habet plumbeum vel lividum*; aliquando *fætorem* habet comirem, aliquando *nullum*; quin aliquando *olei colorem & consistentiam* imitatur.

Usus. CCLXXI. Tanta est à Practicis observata diversitas in Urina Peste infectorum, adeò ut nihil forsan magis varians observetur in Ægris, quàm Urina: unde concludere licet, nihil ad pestem dignoscēdam facere Urinam; quamvis ad periculum auctum manifestandum nonnunquam inservire queat

Causa. CCLXXII. Si quis autem ad ea, quæ hactenus proposui & adhuc volente Deo proponam, ritè & accuratè attenderit, non mirabitur diu tantam Urinarum in Peste differentiam.

Sanguis variè se habeat. CCLXXIII. Cùm enim Urina, uti jam dictum, secernatur à Sanguine ad Renes delato, & satis propinque à Corde prodeunte, utique, prout diversimodè se habebit Sanguis è Corde prodiens, ita diversa separabitur ab ipso Urina; quod in Sanis quoque fieri observamus, & non semel tum publicè, tum privatim Auditores nostros monuimus, plurimùm scilicet aliquot ante & post cibum assumptum horis excretam Urinam *A Chylo.* differre, & quidem ob mutata ea, quæ unà cum Sanguine ad Cor feruntur: Chylo namque qualicunque illa debetur mutatio,

A Bile. CCLXXIV. Quòd si à Chylo solo & quidem ritè constituto sequatur notabilis mutatio in Urina, certè non mirum, si à Causa præter naturali aut immediatè, aut per mediam bilem, eamque vitiatam, Sanguini communicata, & Sanguinis effervescentia, hancque consequentes ejusdem in corde atque Vasis Alterationes Mutationesque omnes vitientur, Ipsaque adeò Urina multis modis mutata secernatur, excernaturque.

Et à Cæteris, quæ in variis partibus parantur. CCLXXV. Cùm ergò non tantùm Cordis Functiones, at Ventriculi quoque, Intestinorum, & aliæ, observentur modis variis & nonnunquam sibi contrariis labefactari, quis non videt, illa quoque, quæ in partibus illis parantur, vitiari? & cùm pleraque in Sanguinis massam refundantur, Effervescentiam, cæterasque Sanguinis contingentes Mutationes inde turbari, unà cum Urina secernenda, excernendaque.

CCLXXVI. Observatur autem in Peste Pulsus, quemadmodùm sæpiùs repertum, nunc magnus, nunc parvus; nunc robustus, nunc debilis; nunc frequens, nunc rarus; nunc intermittens aut deficiens; Hujus diversi pulsus rationem non ab unà, sed pluribus causis & humoribus in corpore existentibus, & ad Cor delatis pendere docuimus abundè; Ab iisdem igitur similiter deducenda erit Urina tantoperè in Peste varians.

Urina pessima à Sale Volatili & Acri ... CCLXXVII. Cùm verò hactenus notata Symptomata gravissima ostenderim, posse suum à Sale Volatili & Acri habere ortum, iisdem argumentis puto sequi, Urinam, pessimam præsertim, ab ipso posse deduci.

Urina Oleaginosa & livida. CCLXXVIII. Quoties enim à Veneno pestilenti Sal Bilis Volatile Acrius est factum, vel immediate tale Sal Sanguini est confusum, continget in Corde non blanda & lenis, sed Acris & omnia conturbans Effervescentia; quam consequetur partium Sanguinis omnium non tantùm confusio præternaturalis, per Urinam turbatam, sed nonnunquam insuper corruptio lethalis, per Urinam Oleaginosam dictam, aut lividam se manifestans.

CCLXXIX. Meritò proinde à Sale Volatili, sed Acriori, deduci potest Urina quævis valdè ac pessimè mutata in Peste: unde hactenus quoque confirmatur Pestis ortus è Sale Volatili, sed Acri.

Sudor in quibus ab Urina differat. CCLXXX. Post Urinam proximus assignandus inter Excrementa *Sudori* locus, quippe qui non tàm materia, quàm secretionis loco & excretionis via creditur differre ab Urina.

CCLXXXI. Postquam in commune mortalium bonum Conjecturas nostras de Veneni pestilentialis natura ingenuè aperuimus, earundem quoque rationes, ne scilicet mancipia potiùs nostrarum opinionum comparare, quàm Veritatis sectatores formare videamur, cœpimus in medium proferre.

Venenum pestiferum in Sale Volatili & Acri consistere. CCLXXXII. Asserimus namque, videri nobis Venenum pestiferum in Sale tum valdè Volatili, tum simul valdè Acri consistere.

Id Auctorem non habere à revelatione divina nec angelica. CCXXXIII. Illud autem non habemus ab *ulla revelatione Divina vel Angelica*, quemadmodùm aliqui auctoritatem figmentis suis conciliaturi solent nugari.

Nec per Somnium aut ecstasin. CCLXXIV. Sed nec *in Somno aut ecstasi tale* quid quovis demum modo fuit menti nostræ oblatum, ut idem aliis aniliter credendum obtrudamus.

Nec per Ideam innatam. CCLXXXV. Neque ullam *Veneni pestiferi Ideam innatam* in mente, nostra offendimus, ex cujus consideratione attenta ipsius essentiam describere possimus; qui pro vigilantium somniis habemus tamdiu quascunque Ideas innatas, donec vel unicam reverà in omnibus hominibus reperiri, non tantùm temerè audacterque asseveratum, sed solidè ac nervosè probatum observaverimus.

Sed ex suis effectis per sensus innotescentibus. CCLXXXVI. Verùm illius Veneni pestiferi, sensus scilicet nostros externos fugientis, naturam essentiamque *ex suis effectis, sive actionibus & passionibus per sensus externos nobis innotescentibus*, omninò & tantùm deducendam censentes, laborem Medicinæ Candidaris haud inutilem, quin necessarium nos suscepisse putamus, quando cœpimus tum ab omnibus *Symptomatibus* in Peste aut sæpiùs aut rariùs occurrentibus, tum à *Medicamentis* corpora nostra vel contrà pestilena Venenum *munientibus*, vel ab ipso *liberantibus* Salem prædictum arguere.

Symptomata pestis esse à Sale Volatile. CCLXXXVII. Existimamus enim nos hactenus ostendisse & *Cibi appetitum prostratum*; & *Sitim auctam*; & *Nauseam*; & *Vomitum*; & *Cordis anxietates*, & *Alvi fluxum*; & *Aphthas*, & *Animi deliquium*; & *Pulsum* omnibus modis Inæqualem, Intermittentem, Deficientemque; & *Cordis Palpitationem*, & *Syncopen*, & *Sanguinem* solito fluidiorem, minusque grumescentem; & *Urinam* multifariam

à se

à nulla causa commodius deduci posse; quàm à Sale valde Volatili & Acri.

CCLXXXVIII. Proximum est proinde, ut idem à *Sudore* in Peste diversimodè se habente deducamus.

Sudoris varietates. CCLXXXIX. Diximus namque, prodire in quibusdam *sudorem sponte*, illumque nunc *paucum* nunc *copiosum*; eundemque utplurimùm *fœtentem*; & quandoque *frigidum*; contrà verò in aliis, *nullum* observari, sed *ne arte quidem* à Medicamentis potentibus elici posse.

Ejusque Urinæ communitas & diversitas. CCXC. Tùm autem meritò *Urinæ ac Sudoris eadem ferè statuatur materia*, differatque imprimis *secretionis loco*, atque *excretionis via*, non sine causa ea, quæ suprà protuli de Urinis in Peste multifariis, in memoriam revocari opto.

Utriusque eadem materia. CCXCI. Dixi, *eandem* statui vulgò, ac meritò *Urinæ Sudorisque materiam*; cùm non tantùm minùs mingant, qui multùm sudant, & contrà; verùm insuper, saporem penè eundem habeant Urina & Sudor; adde quòd iisdem remediis moveatur in plerisque & Urina & Sudor.

Secretionis locus diversus. CCXCII. Addidi *secretionis loco differre*, cùm notum sit in Renibus secerni à sanguine Urinam; licèt dubitari possit etiam nunc, ubinam separetur ab eodem Sudor: certum saltem est, id non contingere in Renibus: sive quis putet, id fieri in ipsis Vasis, aut in Corporis habitu, hoc est, interstitiis mediis inter Arterias Venasque, aut in extremis Vasis Cuti insertis, vel potiùs in Glandulis miliaribus per internam cutis superficiem dispersis.

Ut & Excretionis. CCXCIII. Urinam insuper ac Sudorem *differre via excretionis* asserui; notum enim est, Urinam per solam Urethram effluere, Sudorem autem per universos cutis poros.

Sudoris in peste diversi causa. CCXCIV. Ut autem innotescat nobis magis Sudoris ratio in Peste tam diversi, considerandum quænam ex notis Causis soleant excitare ac promovere, quænam vice versa sistere aut impedire Sudoris effluxum.

Quænam causa manifesta sudori excitando, & promovendo. CCXCV. Ex *causis* ergò *manifestis sudorem tum excitare*, tum jam fluentem *promovere* solent 1. *Aer* tum *æstans*, tum *humidus*. 2. *Corporis motus potens ac celer*. 3. *Animi anxietas & sollicitudo* magna. 4. *Alimentum potulentum*, tàm *copiosum*, quam *calens*, ac confertim *confestimque assumptum*. 5. *Vestimenta & Tegumenta* corpus gravantia, &, si quæ sunt, talia plura. 6. *Medicamenta Sudorifera dicta*, inter quæ potentissimè id efficiunt, quæ *Sale Volatili blando ac Oleoso* sunt prædita, non item *Acrib*, quæ non nisi cum molestia sudorem solent aliquando tantùm producere.

Quænam eundem effluxum sistant. CCXCVI. Sic ex causis omnibus notis & manifestis sudoris effluxum sistere ac impedire solent 1. *Aer* frigidus & siccus corpus ambiens ac feriens. 2. *Corporis quies*. 3. *Animus tranquillus* & curis vacuus. 4. *Potus* defectus. 5. *Corpus nudum*, ac paucis vestibus munitum. 6. *Medicamenta Acida*, sed parùm vel nihil Volatilis admistum habentia. Unde ex hoc catalogo eliminandum Acetum, ejusque Spiritus Acidus, ut & Spiritus Salis dulcis dictus, & quivis alius per Vini Spiritum contemperatus.

CCXCVII. Ex quibus vulgò notis, & Sudorem tam movere quàm sistere solitis, accuratè consideratis expensisque non ita difficulter apparebit forsan, qui excitetur in nobis *Sudor*, *fere semper constans*, nunc quidem *magis Aqueo*, nunc verò *magis Salso*.

Aeris æstus qui sudorem excitet. CCXCVIII. Utique 1. *Aeris æstus* quivis, vel à Sole, vel ab Igne vulgari productus, solvit humores in corpore nostro magis compactos & pituitosos, Aqueos verò, itidem fluidiores factos, potentiùs agitat per universum corpus, quin tum Vasorum omnium, tum cutis poros magis magisque aperit, sicque Aquæ sero in Vaporem soluto viam, exitumque parat ad Corporis superficiem, per quam Sudoris nomine erumpat; effundaturque.

Qui corporis motus vehemens. CCXCIX. 2. *Corporis motus vehemens* & agitatio continuata Contenta omnia solito celeriùs ac potentiùs agitat, unde eadem, qualiacunque in ipso existunt, vim suam, quàm priùs exerunt magis, quin quaquaversùm propulsa fluidiora fiunt, Sudoremque præbent pro humorum in corpore contentorum diversitate, nunc Aqueum, nunc simul Salsum, nunc calidum, nunc frigidum, nunc tenuem, nunc viscidum, & sic porrò.

Qui Animi anxietas. CCC. 3. *Animi sollicitudo & anxietas summa* modo mihi saltem hactenus inexplicabili æstum circa præcordia excitando, (an simul Bilem Succumque Pancreaticum copiosiùs ad tenue Intestinum propellendo, & singularem Effervescentiam producendo?) Sudorem proferre observatur.

Qui alimentum potulentum. CCCI. 4. Sudorem movet *Alimentum potulentum*, & imprimis *Aqueum*, quatenus ipsi materiam suppeditat, & simul humores quosvis dissolvit, & quaquaversùm deducit; quòd efficit celeriùs ac potentiùs, si & copiosum assumatur, & confertim, & calens: ob easdem causas nunc & modò allatas.

Qui Vestimenta & Tegumenta. CCCII. 5. *Vestimenta & Tegumenta* corpus arctè concludentia vel gravantia Sudorem propellunt, quatenus & frigus externum à corpore arceont, & calidas exhalationes per poros erumpeotes circa cutim sistunt, sicque Corporis calorem augent, unde, uti jam dictum, humores omnes magis magisque liquantur, & vi quaquaversùm propelluntur.

Qui Sudorifera. CCCIII. 6. Denique *Sudorifera Volatili Sale prædita* præ cæteris omnibus & subitò & potenter Sudorem cient, quatenus de Bilis natura participantia in Corpore nostro Calorem augent, humores fundunt, solvuntque, quin potentiùs ac celeriùs quaquaversùm propellunt.

Aer frigidus quis sudorem sistat. CCCIV. Sudorem contrà sistunt vel impediunt 1. *Aer frigidus*, quatenus non tantùm poros cutis obstruit & claudit, sed imprimis per dictos cutis poros penetrans sanguini se admiscet, ac ipsius partes coagulabiles, serum præsertim inspissat & cogit, & ita partium Aquearum à cæteris separationem impedit ac sistit.

Sanguinis Serum qui coaguletur. CCCV. *Coagulabile* dixi *Sanguinis Serum*, quod facili experimento quivis poterit observare: nam si cochleari exceptum candelæ imponatur, mox separata paucissima humiditate Aquea in gelatinam quasi concrescit.

Corporis quies quis sudorem impediat. CCCVI. 2. *Corporis quies* Sudoris eruptionem impedit; quatenus tunc minùs quoque moventur in ipso humores, quin magis magisque in eodem concrescunt ac coagulantur, atque eo ipso inepti redduntur ad Sudorem promovendum.

Qui Animus tranquillus. CCCVII. 3. *Animus tranquillus & curis vacuus* eatenus Sudorem impedit, quatenus in tali statu unà cum animo pacato sedatiores ac minùs agitati sunt Corporis nostri Succi.

Qui potus defectus. CCCVIII. 4. *Potus defectus* Sudoris motum Impedit, quatenus desideratur sæpe in sanguine pars Aquea, quæ Salsas & pituitosas diluat, & vehiculi loco ipsis sit ad Sudorem educendum.

CCCIX. Unde (ut hoc in transitu moneam) manifestum sit quorundam vel sciolorum, vel supra suos magistros ac duces sapere nolentium erratum satis grave, dum Ægris suis, etiam ubi Sudorifera ipsis exhibuerunt, & Sudor erumpere non vult, aut nequit, potum denegant, etiam jusculum calens: hinc non rarò animo penè linquuntur Ægroti, ac præ humiditatis defectu deficiunt; cùm contrà, si potus illis moderatus ac præsertim calidiusculus exhibeatur, observentur facilius & copiosiùs sudare ægri, ac simul in medio Sudore recreari. Hoc præceptum aut, si mavis, monitum practicum, tanquam millies cum summo successu expertus, omnibus ac singulis commendo Medicinam aliquando facturis.

CCCX.

Qui Corpus nudum, ac paucis vestibus munitum.

CCCX. 5. *Corpus nudum ac paucis vestibus* contra externi Aeris frigus *munitum* Sudorem sistere; norunt plerique Ægri Sudoris cum Critici, tum Symptomatici, tum Artificialis impatientes, ac idcircò corpus suum denudantes, quin non tantùm ea ratione Sudorem sistentes, at nonnunquam in gravissimum affectum, ipsamque adeò mortem se imprudentes conjicientes.

Qui Medicamenta Acida.

CCCXI. Dixi 6. *Medicamenta Acida*, sed imprimis Volatili Spiritu carentia Sudorem impedire, quod non tantùm testatur experientia, sed ipsa quoque evincit ratio.

Acidi virtutes.

CCCXII. *Acida* enim, qua Acida, & *Bilem*, primariam in nobis Caloris causam, *infringunt* ac enervant, & *Sanguinem coagulant*, & *viscidis humoribus una cum pinguedine ortum præbent*. Hæc verò omnia Humorum motum, Ergò & Sudoris expulsionem impediunt.

CCCXIII. Aliter autem se habent Acida cum Volatili Spiritu juncta, quippe quæ longè debilius prædicta præstant, & humorum motum vix ac ne vix quidem impediunt, ergo nec Sudorem: quem non quidem promiscuè in omnibus, sed in quibusdam potiùs excitant, quàm sistunt; & quidem ob certam bonorum in istorum corpore existentium dispositionem; propter quam Effervescentia excitatur ad Volatilium Acidiorum assumptionem, à qua elevati & quaquaversùm propulsi halitus sudorem quoque propellunt.

Sudorem in statu perfectè sano nunquam produci: sed à rebus non-naturalibus, causis morbificis, vel sudoriferis.

CCCXIV. Ex his ita caussis manifestis, atque Sudorem tam moventibus, quàm sistentibus, præmissis puto non ita difficulter elici posse, *Sudorem nunquam in statu perfectè sano produci*; sed nunc à quibusdam *rebus non-naturalibus* dictis excessu peccantibus non-naturalem, nunc etiam à quibusdam *causis morbificis* vocatis præternaturalem; nunc *à Medicamentis sudoriferis* inde nominatis artificiosum excitari: & quidem imprimis eo, quem in variis causis descripsimus, modo.

Causa morbifica quatenus sudorem moveant.

CCCXV. *Causæ* autem *morbificæ*, hoc est, Corpus continens aut contentum ita immutantes, ut una pluresve functiones inde lædantur, videntur mihi eatenus *movere Sudorem*, quatenus simul talem *calorem in corpore excitant*, à quo solvantur & foras expellantur humores serosi, & alii: ac imprimis, quatenus *vitiosam* in tenui Intestino, aut dextro Cordis Ventriculo *efficiunt Effervescentiam*, quam modo jam aliquoties à me proposito excipiat Sudoris expulsio.

In Peste Sudorem diversimodè propelli.

CCCXVI. Hæc omnia ut tandem etiam præsenti nostro de *Peste* negotio accommodemus, considerandum, aliquando *nullum*, aliquando *paucum*, aliquando *copiosum sponte* propelli tunc *Sudorem*, & ipsum quidem *variam*.

Unde aliquando nullus propellatur sudor.

CCCXVII. *Nullus in Peste sponte prodire*, videturi mihi *sudor* ob *summam Veneni pestilentis acrimoniam*, non tam *effervescentiam* in tenui Intestino, dextrove cordis ventriculo parientem, quàm *impedientem*, & quidem *corrumpendo*, *ac solvendo confestim Sanguinis consistentiam naturalem*, ac sese *arctissimè uniendo Humori acido* ubivis in corpore ipsi occurrenti: quod nullatenus factum oportuit.

Quale Acidum aut salsum homini conducat & quale non. A quibus muntentur.

CCCXVIII. Nam nec acidum purum & acre, nec salsum purum & acre, naturale aut utile est ulli animali, multò minùs homini; sed blandum & cum aliis temperatum, dilutumque.

CCCXIX. Docui non semel, & quoniam hæc ritè observavi, omnium, qui per Chymiam, Artem verè naturalem, ratiocinari avent, interest, continuò inculcandum existimo; *Temperari & Acidum*, & *Salsum Lixivum* tam *Spiritu Volatili*, quàm *Oleo*, *Dilui utrumque Aqua*: quemadmodùm *Salsum* in specie *obtunditur Terra*.

Quid eadem temperata quid pura præstent.

CCCXX. Hæc ita temperata & sibi confusa excitant quidem aliquam, sed blandam & utilem homini effervescentiam; eadem autem pura & intemperata potentem, acrem, hominique noxiam, quippe quam ventris & tormina, & anxietates, cordisque palpitationes, &c. tam sæpe solent comitari aut excipere, atque sic ægris ac Medicis manifestare.

Quando ab iis sudor, & quando non propellitur.

CCCXXI. Quoties igitur ex vitiosa illa effervescentia vapores, halitus, flatus excitantur, toties sudor quoque propelli potest: Quoties verò se mutuò infringunt ac concrescunt Acidum & Salsum, toties nullus sudor observatur.

Nullus in peste sudor quale signū.

CCCXXII. Ubi ergo *nullus in peste gravi sponte prodiit Sudor*, & imprimis arte quoque ac medicamentorum convenientium ope nullus propelli potest, arbitror, non tantùm *pestilens venenum esse valdè acre*, verùm offendere simul in corpore *tale acidum*, *cum quo concrescat & concentretur arctissimè*; atque ideò tales admodùm rarò evadere.

Qualis spontè erumpit sed paucus.

CCCXXIII. ubi verò *erumpit* quidem *sponte sudor*, *sed paucus*, arbitror Ego, *minùs acre tunc venenum pestilens* existere, aut saltem occurrere ipsum *tali acido*, *cum quo effervescens halitus aliquos* excitet, aut *calorem talem*, unde sudor in prodeat. Hoc ideò faciliùs, cæteris paribus, curari posse autumo.

Qualis spontè erumpit & copiosus.

CCCXXIV. Ubi verò sudor erumpit *sponte copiosus*, ibi major sanationis spes effulget, sive *Venenum pestilens sit minùs acre*, sive occurrat *Acidos satis aptu* ut ax Illorum confluxu ac effervescentia una cum sudore copioso effluat bona veneni pars.

Quid tunc agendum Et eveniat.

CCCXXV. Quòd si tunc opus illud laudabile, ac forsan criticum promoveatur medicamentis non tàm sudorem potenter urgentibus, quàm Veneni pestiferi acrimoniam noxiam temperantibus, ejusdemque volatilitatem figentibus; nec sui negligentiores sint Ægri, aut nimis securi Medici, utique sanitas meritò expectanda.

Si sui non sint ægri negligentiores.

CCCXXVI. Dixi, *dummodò sui non sint Ægri negligentiores*: observavi enim non semel cum dolore ac mœrore, tales Ægros tum spontaneo tum artificiali sudore multùm recreatos Aeri externo cum extremo suo damno sa mox exposuisse, ac ferè semper in deterius paulò post ruisse.

Et si non nimis securi existant Medici.

CCCXXVII. Addidi, dum *non minus securi existant Medici*; postquam illis incumbit sollicitudo & cura ægrotorum, quos in seriò & sæpiùs moneant sui officii & imminentis periculi, suo certè non satisfecerant muneri, nec juvat deceptum Medicum dicere: Non putabam inde tantùm imminere Ægro periculum.

In Peste exacta habenda Ægrorum cura.

CCCXXVIII. Si alicubi ergò, certè in Peste, affectu quippe acutissimo & maximè fallaci, hactenusque valdè maligno, exacta est habenda ægrotantium ratio, ne, quamptimùm Symptomata molestiora & sensilia videntur tantillum levata, putetur affectus quoque curatus: Hic namque sibi relictus, adeòque neglectus cuniculos agit, atque ipsos ægros ex improviso opprimit ac extinguit.

Nec Pesti facilè fidendum.

CCCXXIX. Omnes proinde ac singulos Medicinæ studiosos seriò velim monitos, ne facilè fidant Pesti, utut videatur aliquod Symptoma priùs ægro molestum sublatum. Latet enim semper anguis in herba, incautos inopinatò indies tollens ac necans.

Sudor fœtens unde.

CCCXXX. Narravi superiùs, *Sudorem* in Peste spontè prodeuntem observari utplurimùm *fœtentem*; quod minimè mirum, postquam hominis corruptionem parit Venenum pestilens; in corruptionem autem omni fœtor notatur.

CCCXXXI. Cum sudore verò prodire soli fœtor, quia aliqua corrupti Sanguinis pars, eaque fluidior simul exspirat & foras tendit.

Sudor frigidus periculosus.

CCCXXXII. Idem *Sudor* erumpit quandoque *frigidus*: qui quemadmodùm semper, sic & in Peste habetur periculosus, imprimis, ubi simul existit crassus & viscidus.

Et quare.

CCCXXXIII. Periculosus habetur sudor frigidus, quia talis nunquam prodit nisi in extremis angustiis & anxietatibus, & morbis gravissimis: unde nisi tali Sudore mox leventur ægri, brevi solent vitam cum morte commutare.

Quando spes aliqua super est, & quando non.

CCCXXXIV. Quando verò spes aliqua restitutionis superest in ægris Sudorem frigidum sudantibus, solet calidus Sudor subsequi frigidum, corpus saltem blandè incalescere: Contrà spes in angusto est, si cum Sudore frigido augeantur totius corporis frigus, simulque minor ac debilior fiat pulsus: nam id indicio est, mortem esse præ foribus; extincto scilicet quocunque demum modo Igne vitali; cujus extinctionem comitatur vel sequitur frigus. Comitatur, quando ab eadem causa procedit; Sequitur, quando propter auctum æstum & vapores nimios suffocatur Ignis prædictus.

Sudor arte conciliatus quid indicet.

CCCXXXV. Ex *Sudore arte conciliato* aliud deduci non potest, nisi quod signum bonum sit assumptis Sudoriferis, ac corpore ritè tecto, Sudorem prodire satis copiosum, sed imprimis levari Symptomata ægrorum primaria, pulsumque redire ad statum naturali proximum.

CCCXXXVI. Atque sic quoque puto ex iis omnibus, quæ de Sudoris omnis causis manifestis protuli, & de Sudore multipliciter in peste se manifestante adjeci, satis patere, à Sale Volatili & Acri illum, adeòque ipsam Pestem deduci posse: quod in specie docere volebamus.

Exhalatio fœtens in Peste.

CCCXXXVII. Ad Sudorem si non referri debeat *Exhalatio fœtens* in Peste correptis erumpens, utique illum proximè debet eadem excipere.

Quibuscum prodeat.

CCCXXXVIII. Exhalatio illa non tantùm cum *Sudore* per corporis poros, sed nonnunquam *per Os*, *naresque*, imò cùm ipsa *Urina* & *alvi excrementis* prodire solet.

Et varia.

CCCXXXIX. Exhalatio ista existit varia, postquam nunc minùs, nunc magis fœtet, estque aliquando penè cadaverosa.

Fœtor præternaturalis unde.

CCCXL. Ortum verò habet omnis fœtor præternaturalis à rei cujusvis corruptione.

Salis Volatilis virtutes.

CCCXLI. Nil autem magis promovet Vegetabilium & Animalium corruptionem, quàm Sal Volatile, ad fermentationes & Putrefactiones accelerandas admodùm efficax, & Aquæ operationem lentam mirè adjuvans: uti notum est iis, qui vel primoribus labris attigerunt Chymicas operationes.

Ab eo Exhalationes in Peste fœtentes.

CCCXLII. Cùm ergò nihil æquè putredinem ac corruptionem fermentantem in homine promoveat, ac Sal Volatile, meritò exhalationes in Peste fœtentes adeòque ipsam Pestem hactenus ab illo Sale deducimus.

Acidū putrefactionē non producere.

CCCXLIII. Possunt quidem Acida quoque corrumpere partes Animalium, non autem ad putredinem aut fermentationem cum fœtore ullo junctam deducere; cùm ab Acido, cæteris paribus, non excitetur, sed potiùs impediatur omnis fermentatio & putrefactio.

Nec fermentationem.

CCCXLIV. Licèt enim quædam præparentur per Acidum ad fermentationem, removendo emendandove impedimenta, viscíditatem putà fermentandorum, non fermentantur tamen ab Acido; quod ad multas difficultates aliàs subinde occurrentes tollendas exactè notandum. Confunduntur namque nimis sæpè planè diversa, etiam ab iis, qui se solos in accurato rerum examine instituendo sapere putant, aliis saltem persuadere conantur.

Symptomata in Peste spectare. Functiones Naturales vel Animales læsas.

CCCXLV. *Symptomata* in Peste quavis observabilia vel spectant *Functiones Naturales*, de quibus egimus hactenus, vel *Animales* læsas, de quibus adhuc agendum nobis est, ut videamus an ex harum quoque læsarum perscrutatione *Salem Volatilem & Acrem* in veneno pestilenti latentem possimus eruere ac elicere.

CCCXLVI. Quemadmodùm autem inter Functiones Animales primum locum assignare solemus *externis sensibus*; ita & ab illorum læsionibus faciemus investigationis hujus nostræ initium.

Sensus externos in Peste debilitari.

CCCXLVII. In genere autem plùs minùs observatur in Peste *minui ac debilitari sensus externi*; unde non tantum lumen ferè fugiunt *Oculi*; sed est quoque visus obscurior. *Aures* surditate aliquali afficiuntur; *Nares* non satis commodè olfaciunt; nec *Lingua* sapores ritè dignoscit; nec *Tactus* integer permanet; quamvis illa sensuum externorum læsio non semper observetur ab ipsis ægris, sed à Medicis potiùs & adstantibus.

CCCXLVIII. Rariùs quidem in totum excæcantur Ægri, nec nisi urgente affectu gravissimo.

Ejus causa.

CCCXLIX. Omnium autem Sensuum Externorum diminutionem simul contingentem non nisi à *vitiosa Spirituum Animalium constitutione* deduci posse autumo; utpote causa unica ad singulorum functionem concurrente ac communi.

CCCL. Quo autem vitio affecti sint Animales Spiritus, ut debiliùs solito singuli Sensus externi operentur, meritò quæritur.

CCCLI. Cui quæstioni ut satisfaciam, puto id contingere posse 1. si *pauciores* ad sensuum organa deferantur; 2. si eò ferantur *inordinatè ac confusè*; 3. si eò ferantur *impuriores*, atque cum aliis rebus confusi.

Spiritus Animales pauciores.

CCCLII. In Peste autem aliquando *pauciores* tum in corpore existere, tum ad sensuum organa deferri Animales Spiritus, non nego; id tamen continget imprimis post diuturnas vigilias & inquietudines perseverantes, aut dolores summos, Sudoresque profusos, adeòque ubi omnia in deterius vergunt. Hanc proinde causam seriùs locum habere arbitror.

Inordinatè ac confusè ad organa moti.

CCCLIII. Sæpiùs autem puto *inordinatè ac confusè* ad Sensuum organa deferri tunc Spiritus Animales, & imprimis ubi se hoc Affectu affectos sentiunt, aut metuunt Ægri, ob ferè conjunctam in omnibus Animi consternationem ac conturbationem, ad animum revocando tantum huic affectui conjunctum Vitæ periculum; unde mirum videri debet nulli, quòd mente conturbata spiritus quoque animales confusè ac inordinatè ferantur quaquaversùm.

CCCLIV. Hinc est, quòd, licèt in multis permaneat ad extremum vitæ finem Motus animalis & voluntarius, non fit tamen idem firmus & robustus, sed tremulus & infirmus: de quo agemus postmodùm.

Impuriores.

CCCLV. Eosdem Spiritus Animales in Peste *impuriores* quoque existere, arguit tam frequens in ipsa Delirium, & universi Sanguinis corruptio, impuris Spiritibus ortum necessariò præbens.

Sanguinis corruptio à Sale Volatili.

CCCLVI. Nulla verò Sanguinis corruptio Spiritibus Animalibus faciliùs & nocentiùs impuritatem conciliabit, quàm illa quæ à Sale Volatili producetur; quippe quod facillimè & arctissimè se Spiritibus Animalibus, utpote Volatilibus, adjunget, ipsosque vitiabit.

CCCLVII. Cùm proinde à Sale Volatili & propter acrimoniam nimiam vitioso deduci possit memorata sensuum externorum omnium debilitas in Peste ordinaria, & hactenus quoque à Sale valdè volatili & acri produci poterit Pestis; quod erat probandum.

Sensus externi molestia et dolore affecti in Peste.

CCCLVIII. Non tantùm in operatione sua debilitantur in Peste sensus externi, verùm non rarò *molestia* insuper afficiuntur & *Dolore*: Sic *Aures* quibusdam *tinniunt*, & *lumen absque molestia nequeunt ferre* multi; de *Ardore interno & molesto* cum *inquietudine conjuncto* queruntur plerique; imprimis molesti sunt nonnullis *Dolores Capitis*, *Cordis & Lumborum*.

Tinnitus Aurium.

CCCLIX. *Tinnitus Aurium* Vapores, Halitus, aut Flatus omnium consensu arguunt; istorum autem omnium efficientem in corpore Causam, præter Bilem aliosve humores Bili analogos, nemo unquam ostendet.

Ejus causa.

CCCLX. Quò autem Bilis acrior in corpore occurrit, eò plures adeòque molestiores flatus halitusque excitari notum.

CCCLXI. Eadem Bilis, cùm Sale Volatili constet, nemo non videt, Aurium tinnitum pro causa efficiente agnoscere Salem Volatilem, & Acrem, &

idcircò

& idcircò hactenus quoque ab ipso deduci posse Pestem.

Lumen oculis molestiâ. CCCCLXII. Cùm *Lumen moderatam recreare soleat Visum*, quoties idem ipsi grave ac molestum existit, toties in oculo vitium existere oportet, ob quod mioùs ferre possit Lumen, etiam mediocre.

Ejus causa. CCCCLXIII. Rursus, cùm lumen primarium & alia illustrans ac illuminans procedat imprimis à Radiis Solaribus, vel cujusvis Ignis vulgaris flamma, à quibus observamus quoque res quasvis rarefieri ac liquefieri aptas reverà liquefieri & rarefieri, meritò suspicamur, tale quid in oculis quoque fieri à Lumine in ipsos admisso: Quòd si, quemadmodùm in superioribus probabile ostendimus, Spiritus Animales ad Oculos quoque delati à Sale Volatili ipsis admisto redditi fiot in Peste impuri, utique ad Luminis accessum irritabitur comes ipsis acrimooia, quæ nova & magis seosili molestia tunc afficiet ipsos Oculos; quamobrem Lumen fugient Ægri.

CCCLXIV. Hujus proinde molestiæ causa primaria cùm pendeat ab acrimonia Salis Volatilis Animalibus Spiritibus admisti, hactenus quoque Pestis origo non malè deducetur ab eodem Sale Volatili & Acrimonia sua imprimis peccante.

Ardor gravis in Peste. CCCLXV. Hoc idem tum probat, tum confirmat *Ardor plerisque tunc gravis & interiora præsertim urgens*: quippe à nulla re in corpore humano secundùm naturam existente commodè potest deduci, quàm *à Bile*, Acrimonia præsertim tunc præter naturam peccante, vel ab alio humore ipsi affini, hoc est, *Sale Volatili & Acri* abundante. *Ejus causa.* Non est proinde, ut hoc argumentum magis urgeamus, cùm id sæpiùs jam sit à nobis factum, &, uti putamus, plerisque satis jam notum.

Inquietudo. CCCLXVI. *Inquietudo* in Peste tàm multis tàm molesta, vel pro ipso Sensu molesto, vel pro continuà ipsum consequente corporis agitatione & quassatione haberi potest.

Ejus causa. CCCCLXVII. Sensus ille molestus non tantùm *Ardori molesto*, de quo jam dictum, debetur, sed nonnunquam aliis insuper *lancinationibus* per universum corpus dispersis, & non tantùm in Capite, Lumbis & Præcordiis gravissimè, at per totum corporis habitum satis graviter ægros vexantibus.

Lancinationes unde. CCCLXVIII. Quemadmodùm autem *Ardoris sensum Bili Acriori, aut Sali Volatili & Acri* modò adscripsimus; ita *Lancinationum sensum* adscribimus *Acido* itidem *Acriori* cum prædicto Sale Volatili in tenui præsertim Intestino vitiosè effervescenti, & halitus acres quaquaversùm propellenti, unde Lancinationes semper produci, plurima sunt quæ evincunt, quæque aliàs pluribus etiam publicè proposuimus.

CCCLXIX. Per accidens ergò peccat in Peste Acidum, corruptum scilicet *à Sale Volatili Acriore*; à quo cùm primariò deduxerimus omnia, quæ hactenus examinavimus, Symptomata, ab eodem nunc, sed *secundariò deducimus quoque Lancinationes* io multis satis molestas, & hactenus quoque Ipsam Pestem.

Dolores in Peste. CCCLXX. Gravissimi verò & imprimis molesti in Peste *Dolores* nunc *Caput*, nunc *superius Ventriculi Orificium*, nunc ipsam *Lumborum regionem* occupant.

Eorum causa. CCCLXXI. *Dolores Caput* valdè afficientes ortum habent dubio procul *ab humorum Acrimonia*, quæ cùm vel *Acida* vel *Salsa lixiva duntaxat* observetur, ab utraque ortum in Peste potest habere Dolor: *A Bile* quidem, aut quovis alio humore Sale Volatili & Acri constante *primariò*; Ab *Acido verò secundariò*, utpote à salso vitioso itidem vitiato, atque ad Caput delato, halitus, saltem Acres eò ascendentes promente.

CCCLXXII. *Vitiatur autem Acidum* imprimis *in tenui Intestino*, unde non tantùm *Capitis*, sed

Dekkbor Opera.

Lumborum quoque in prædicto intestino, atque *Cordis* dictus in superiori Ventriculi Orificio excitatur *Dolor* à præfatis humoribus ob Acrimoniam Bilis vitiosè effervesceotibus, atque nunc vaporis, halitusve forma, nunc secundùm totam sui substantiam eò tendentibus.

CCCLXXIII. Dolores igitur gravissimi Capitis, Cordis, Lumborum, quia convenientissimè possunt à Sale Volatili & Acri vel primariò, vel secundariò deduci, poterit hactenus quoque ab ipso produci Pestis; quod erat probandum.

Somnus profundus, & Vigilia contumaces in Peste. CCCLXXIV. Diximus aliàs, *Sensuum externorum affectionem* esse *Somnum & Vigiliam*; quia sicut operantur, ad operandum saltem parati & dispositi sunt durante vigilias sensus externi, ita durante Somno feriantur iidem, minùs scilicèt tunc dispositi ad externa objecta percipienda.

CCCLXXV. Accidit autem in Peste, ut aliquando *Somnus profundior & Sopor*, aliquando *Vigiliæ* contumaces molestent.

Vigiliarum causa. CCCLXXVI. *Vigilias* producunt quæcunque sensuum externorum organa & sensoria molestè afficiunt; quemadmodum diximus non tantùm Aurium tinnitum, Corporisque Universi Inquietudinem, quin & Ardorem, molestos esse in Peste, at præsertim graves Capitis, Cordis, Lumborumque Dolures, ut & quandoque Nauseam & Vomitum: quorum omnium nomine urgent tunc quoque Ægros vigiliæ.

CCCLXXVII. Quæ proinde ostensa est in superioribus horum Affectuum Causa, *Sal putà Volatile & Acre*; illud ipsum *Vigiliarum quoque Causa erit*, hactenus Ipsius Pestis.

Somni profundi causa. CCCLXXVIII. Quòd si *à Sale Volatili & Acri* Vigilias, ab eodem saltem *Soporem Pestilentialem* deduci non posse asseverabit nonnemo; verùm præter tationem atque experientiam, cùm reverà *Affectu Soporosi*, præsertim cum aliquo Calore conjuncti, ortum habeaot *à Bile secundùm partem sui Oleosam peccante*; quemadmodùm id pluribus docuimus io lib. 2. ubi de Soporosis Affectibus egimus, quandu inter alia id evincentia argumenta proposui *Opium & Amarum & pingue*: ut & *Vini Spiritum*, qui tantò est magis narcoticus, quantò magis abundat parte Oleosa: Adde quòd non raro in *morbis à Bile ortis*, febribus putà satis ardentibus, spootè *Sopor ægros corripiat*.

CCCLXXIX. Cùm ptoinde non tantùm Vigilia, sed *Sopor* etiam *à Bile atque adeò à Sale Volatili* possit habere ortum, nil impedit, quominùs inde quoque suum ortum habere possit Pestis.

Delirium in Peste. CCCLXXX. Perpetus ferè graviotis Pestis comes est *Delirium*, idque nunc levius, nunc gravius.

Quid sit. CCCLXXXI. Est autem Delitium, Mentis à vero & æquo aberratio in judicio de objectis realibus vel fictis fereodo.

In quibus Affectibus observetur. CCCLXXXII. Observatut *Delirium* non tantùm *in Affectibus cum Ardore conjunctis*, febribus putà ardentibus, sed quoque in *Affectibus frigus potiùs comes habentibus*, Melancholia puta Hypochondriaca dicta, Senectute minùs vegeta, &c.

Ejus causa. CCCLXXXIII. Adeò ut nec Calor, nec Frigus, nec ulla alia rerum oaturalium qualitas pro adæquata vel necessaria Delirii causa haberi debeat.

Ad judicium æquum requiri plura. CCCLXXXIV. Quinimò plurima & quidem diversissima Delirii possunt esse Causa, cùm plura desidetentur ad judicium æquum *de re quavis Rationi ab Imaginatione, vel Ingenio ipsaque Memoria oblata* ferendum.

1. Imaginatio recta. CCCLXXXV. Nam 1. *Ab Imaginatione* offerendæ sunt Rationi Notiones Rerum sensilium tam primæ, quàm secundæ rebus ipsis conformes.

2. Ingenium benè constitutum. CCCLXXXVI. 2. Ab *Ingenio* subministrandæ sunt Rationi Affectionum in rebus sensi-

libus observatarum ratiocinatione sollicita elicitæ rationes, atque adeò catenatæ ac solidè cohærentes.

3. Memoria bona. CCCLXXXVII. 3. *A Memoria* suggerenda Rationi fideliter omnia ipsi concredita.

4. Mens libera. CCCLXXXVIII. 4. *Ipsa Mens libera* debet esse ab omni præjudicio, & consideratione aliusobjecti ipsam aliò vocantis, & imprimis Affectum notalem excitantis, turbantisque; ut operi attenta æquum ferre possit judicium.

5. Corpus integrum. CCCLXXXIX. 5. Ipsum *Corpus tàm continens, quàm contentum* integrum requiritur ad judicii integritatem.

Læditur judicium. CCCXC. *Læditur autem judicium*, quoties in prædictorum uno vel pluribus aliquid desiderabitur.

1. Si Notiones non respondeant Objectis. CCCXCI. Nam 1. *si Notiones vel primæ vel secundæ* sive ipsorum *Objectorum externorum*, magis vel minùs remotorum, &c. sive *Medii externi*, quando id desideratur; sive *Lucis*, ubi & illa requiritur; sive *Sensoriorum*, sive *Animæ* minùs ad opus suum attentæ culpa, *non respondeant ex equo suis objectis*, hactenus sequetur Delirium, hoc est, judicium rebus ipsis haud conveniens.

2. Si Ingenii si Ratiocinatio præpostera. CCCXCII. 2. Si *Ingenii Ratiocinationes sunt scopæ dissolutæ, minime cohærentes*, vel *plus minùsve*, aut *aliquid quàm decebat concludentes*, dubio procul delirabit Mens, hoc est, iniquum feret judicium, nisi hæc advertat & animadvertat corrigatque.

3. Si Memoria deficiat. CCCXCIII. 3. Si à *Memoria* priùs ipsi ab Imaginatione, vel Ingenio, vel à Judicio subministratæ *Ideæ reponantur quovis modo diminutæ, truncatæ, auctæve, aut alteratæ*; utique huic fidens Ratio iniquum feret judicium, adeòque delirabit.

4. Si Mens sit malè constituta. CCCXCIV. 4. Si *Mens ipsa vel præjudiciis occupata* fuerint, vel aliud objectum *solicite consideraverit*, vel *vehementibus Animi motibus* & affectibus turbata, *non attenderit satis ad res dijudicandas*; æquum de ipsis non feret Judicium, sed delirabit.

5. Si Corpus sit malè affectum. CCCXCV. 5. Si *Corpus hominis continens, ac Cerebrum* præsertim, cujus opera Mentem in quibusvis suis operationibus imprimis uti, plurima suadent ac persuadent, *malè fuerit affectum* (ut in ejus Inflammatione, Phrenitide dicta, id contingit,) Mentem quoque sæpenumerò delirare observamus.

CCCXCVI. Sic si *Corpus hominis Contentum, ac Bilis* præsertim *Succusve Pancreaticus*, hinc & *Spiritus Animales malè fiat affecti*, & tunc quoque Mentem non raro delirare observamus, in *Ardentibus* putà *Febribus*, *Melancholica Hypochondriaca*, *Ebrietate*, &c.

Causa Delirii in Peste. CCCXCVII. Cùm proinde à Causis tàm multis malè constitutis excitari possit *Delirium*, videndum, quænam *in Peste* habere possint locum.

Læsa imaginatio. CCCXCVIII. Cùm autem in proximè præcedentibus retulerimus, *Sensus externos* omnes observari plùs minùs in sua functione *diminutos*, & non raro *Dolore affectas* utique omnia objecta externa ipsis occurrentia accuratè ac distinctè non percipientur, nec proinde Notiones primæ formabuntur ex æquo ipsa repræsentantes: Ergò nec hactenus Notiones secundæ elicitur perfectæ: Hactenus ergò Delirabit Æger, ob læsam *Imaginationem*.

Ingenium minùs perspicax. CCCXCIX. Rursus non tantùm propter vitiosas Notiones primas & secundas, sed insuper propter *Animum Doloribus & Molestiis attentum*, minùs solicitè & attentè objecta cætera considerabit ac perscrutabitur *Ingenium* hactenus peccans, minùsque solida eruet ac promet Rationes Affectionum in ipsis existentium; quamobrem Delirabit Peste correptus.

Memoria infidelis. CCCC. Sed fieri quoque potest, ut tunc *Memoria* solito infidelior facta perperam reponat fidei suæ concredita, vel quædam saltem; unde & hujus culpa Delirabit Æger.

Mens præjudiciis laborans. CCCCI. Imprimis autem Delirabit ipse, si *Mens* quoque, undecunque tandem *laboret præjudiciis*, putet se præ aliis sapere, uti sæpè id accidit, aut *vehementi mortis secuturæ terrore* sit correpta; quo nomine objectis cæteris *minùs attenta*, non nisi corruptum de iis feret judicium, hoc est, delirum.

Bilis volatilior & acrior. CCCCII. Sed delirabit quoque Peste correptus, *si Bilis fuerint* in ipso reddita *volatilior & acrior*, aut si *humor similis*, *Sale putà Volatili & Acri constans*, sese massæ Sanguineæ insinuaverit, & non tantùm ipsius consistentiam dissolverit, sed *parti ejus spirituosæ penitiùs se admiscuerit*, atque ipsis adeò *Spiritibus animalibus* inde parandis adhærens, *omnes ipsorum operationes* vitiaverit.

CCCCIII. Cùm ergò in Peste quoque à causis variis produci possit Delirium, etiam à Sale Volatili & Acri, hactenus saltem ad illo ipsa Pestis poterit deduci; quod erat probandum.

Memoria sensuum internorum promus condus. CCCCIV. Non tàm Sensum Internum, quàm Sensuum Internorum Promum condum arbitror ego *Memoriæ*; quippe cui singulorum opera committuntur ac concreduntur, ut eadem, quoties opus, quamprimùm ac fideliter reponat.

In peste obliterata. CCCCV. Hæc *Memoria* non tantùm *vacillat* in plerisque Peste correptis, sed in quibusdam observata est eo usque *obliterata*, ut ipsis non tantùm aliorum, amicorumque, sed sui quoque notitia exciderit: dubio procul deletis in mente, si quæ unquam fuerint, ideis innatis æquè ac adventitiis, dummodò ad innatis differant, de quo ego saltem nihil certi possum afferre, qui hactenus nullas in mea mente latentes potui quovis labore eruere, ideòque nec admittere, aut credere Ideas innatas.

Memoriæ ratio & Læsiones difficiles explicatu. CCCCVI. Sive igitur quis putet, fingatve, innatas Menti rerum omnium Ideas, sive censeat non nisi à Sensibus Internis ad rerum externis sensibus objectarum considerationem formatas reperiri in Animi Promo Condo, Memoria, arbitror, utrobique admodùm difficulter hujus Memoriæ rationem explicari posse; sed nec minùs difficulter ejusdem variis modis læsæ, ac læsionis modum, causamque adæquatam.

Eas Auctor ignorare. CCCCVII. Fateor equidem, me hactenus nil invenire aut elicere potuisse, in quo veri avida mens possit acquiescere, quodque pro vero-simili saltem possim proponere; malo proinde in Memoriæ tum integræ, tum læsæ ratione promenda meam ignorantiam profiteri candidè, quàm figmentis & commentis Lectorem ludere.

Metus & Anxietates in Peste. CCCCVIII. Plura proinde de Memoria diminuta & abolita nunc non addam, sed rectà ad *Animi motus & pathemata*, *metum putà & Anxietatem sollicitam* me conferam; cùm hæc frequentiùs & graviùs, quàm Memoriæ qualiscunque læsio, soleant Peste infectos afficere, ac plurimùm ipsis nocere; ita mortem videtur accersere Motis fuga.

Metus in peste causa. CCCCIX. Non mirum autem, horrere omnes ac metuere multùm Ipsam Pestem, cùm non tantùm observetur plerisque *Lethalis*, sed insuper *Contagiosa*; unde passim deseruntur, nec ritè curantur Infecti.

CCCCX. Ubi proinde quis Mortis cogitationes ac meditationes serias procrastinare assuetus considerat, se in continuo versari mortis mox forsan secuturæ periculo, quamdiu grassatur in vulgus Pestis, fieri nequit, quin Mentem sollicitudo anxia metusque occupent.

Ab ea vigiliæ, & Animalium Spirituum consumptio. CCCCXI. Hac autem Mentis agitatione ac perturbatione continua *Vigilias* produci, & *Animales Spiritus non tantùm consumi, sed in motu suo etiam turbari, notissimum*.

Unde Bilis acrior. CCCCXII. Imprimis verò per sollicitas & turbulentæ formidinis plenas vigilias *Bilem acui & Acriorem reddi*, itidem notum.

CCCCXIII.

CCCCXIII. Quòd si hisce vigilis Acrior reddatur Bilis Sale Volatili constans, nonne, si in tali Sale Acriori consistere possit Venenum pestilens, sicut nos id plutibus jam argumentis evicisse putamus hoc *panico terrore perculsi* homines *magis disponentur ad dictum Venenum suscipiendum, & periculosius indelaborandum*.

Ægros pestē formidātes periculosius decumbere.

CCCCXIV. Atque hoc ipso per experientiam confirmato, periculosiùs puta decumbere Ægros pestem formidantes, quam cęteros ipsam minùs curantes, confirmatur quoque nostra sententia, in Sale Volatili Acriori consistere Venenum pestilens, quippe quod ostendimus in Bile Acri à quovis Metu sollicito.

Motus Animalis læsus in peste.

CCCCXV. Animi Motus excipit *Corporis Motus Animalis & Voluntarius* dictus, quem variis modis lędi in Peste diximus jam in superioribus: videndum autem, an inde quoque confirmari possit Sal Volatile, & Acre nunc peccans.

Et quare ratione.

CCCCXVI. Læditur verò in Peste Motus Animalis per corpus universum, in *Tremore, Motuve corporis* imbecilli & idcircò *tremulo*; quandoq; in *Motibus Convulsivis* per totum Corporis habitum observabilibus; rariùs in *Convulsione* universali; tum in determinatis partibus, ac prę̨sertim in *Linguæ Balbutie*, aut cetrę partis Motu impedito.

Universi corporis tremor ab Animalium Spirituum defectu.

CCCCXVII *Universi corporis Tremorem*, quoties ipsum moveri debet, observabilem deducendum puto à *Spirituum Animalium defectu*: eundem etiam ubi quiescunt membra, urgentem adscribendum existimo eorundem *Spiritu motui inordinato & turbato*.

CCCCXVIII. In Peste ob Dolores graves, Vigilias pertinaces, Continuam Animi sollicitudinem *exhauriri possunt ac deficere Spiritus Animales*, ob rationes in superioribus productas.

Et conturbatione.

CCCCXIX. Possunt quoque in Peste in suo motu *conturbari Animales Spiritus* ob Mentem Metu ac Terrore panico agitatam & turbatam.

CCCCXX. Cùm autem inter prædictorum Symptomatum Causas naturales ostenderimus locum habere posse *Sal Volatile*, hactenus ergò ab eodem deduci poterit Tremor & ipsa adeò Pestis.

Motus convulsivi unde pendeāt.

CCCCXXI. *Motus* autem *Convulsivi* cùm pendere soleant ab humoribus vel halitus acribus nervos inordinatè mordicantibus, & ad abundantiorem simul & inordinatum Spiritum Animalium affluxum irritantibus; atque in Peste tam Salis acrioris per se ac primariò, quàm Spiritus Acidi per accidens ac secundario peccantis, binorum putà acrium in rebus naturalibus hactenus notorum, signa & effecta notabilia & certa produxerim in superioribus nil obstat, iisdem deduci in Peste Motus Convulsivos, atque confirmari eadam, quæ superiùs proposuimus de Peste à Volatili & Acri Sale primariò ac per se orta; quòd erat probandum.

Unde oriantur.

CCCCXXII. Rursus, cùm *Convulsio* habeat ortum *ab iisdem Spiritibus Animalibus, sed concitatè & copiosè in omnes aut certos musculos delatis*, & quidem ob irritationem continuè urgentem: quoties in Peste observatur vel Universalis, vel Particularis, toties statuendus humor Acris adhærens Partium affectarum: nervis qualem humorem acrem facile quis admittet *Salem Volatilem & Acrem Pituitæ Viscidę admistum*, & hujus nomine pertinacius uni vel pluribus partibus, ac præsertim in Cerebro aut spinalis medullæ principio adhærentem.

CCCCXXIII. Quo concesso & hactenus quoque confirmatur Pestis ortus à Sale Volatili & Acri; quod urgemus.

Lingua Balbuties.

CCCCXXIV. *Linguæ Balbuties* idcircò magis observatur, quia Auditu quoque dignoscitur, etiam ubi cæteræ partes quiescunt, estque summi Animalium Spirituum defectus aut conturbationis signum certum.

Vultus mæstus, et Oculi lachrymabundi in Peste.

CCCCXXV. Inter Symptomata Pestis recensetur quoque *Vultus mæstus*, una cum *Oculis lachrymabundis*; quod signum non est parvi pendendum, quippe non tantùm in Peste frequentissimum, verùm insuper utplurimùm luctuosum.

Ejus causa.

CCCCXXVI. Meritò proinde hic quæritur quænam esse possit talis vultus causa, quænam ejusdem ratio.

CCCCXXVII. Nullus autem mirabitur in Peste infectis Vultum mœstum, qui ad Animum revocaverit ea, quæ supra dixi de rationali plerorumque metu Pestis minantis, ob suum Venenum plerisque *lethale* ac *contagiosum*, Ægrorumque in plurimis locis *desertionem*, formidabilis; *consternatione* autem ob Pestem jam urgentem ac præsentem: unde fieri nequit, ut non sit idcircò vultus ipsis mœstus, licèt consternationem suam tegere conentur aliqui, ut habeantur cæteris cordatiores.

Mentis consternatio & Mortis metus.

CCCCXXVIII. Potest igitur Vultus mœstus consequi Mentis consternationem ac metum mortis minitantis.

CCCCXXIX Quæcunque proinde attulimus in superioribus ad ostendendum, augeri posse ex solicito Pestis metu Acrimoniam Bilis & Salis Volatilis, eadem hic servient ad Vultum mœstum à Sale Volatili & Acri deducendum.

Maculæ in Peste. Nigræ, Lividæ, Rubicundæ.

CCCCXXX. Magis notabilia Pestis signa externa sunt *Maculæ*, quas diversi coloris & magnitudinis observari, docui in superioribus: Inter ipsas pessimæ habentur *Nigræ*, his proximæ sunt *Lividæ*, ac minimè malæ *Rubicundæ*.

CCCCXXXI. Ortum habent illæ dubio procul à *Sanguine* quaquaversùm è Corde propulso, & *parte sui corrupta & corrumpente* in Corporis superficie hærente.

CCCCXXXII. Mortificationi namque proximæ sunt nigræ, minùs Lividæ, minimè Rubræ.

Mortificatio omnis ab Acri.

CCCCXXXIII. Mortificatio autem omnis corrodens ac corrumpens ortum habet *ab Acri, vel Acido vel Salso lixivio*; id saltem asseverare non dubitamus, postquam longa investigatione aliud hactenus in Natura non reperimus, ne quidem Adversarii nostri, omni licet adhibita diligentia.

CCCCXXXIV. Sed nec dubitamus mutare sententiam, ubi aut per nos, aut per alios tertium Acre fuerit inventum.

Acidum partes corrosas non nigredine, sed albedine, inficere.

CCCCXXXV. Acidum verò corrodens partes corrosas nunquam, quod sciam, vel saltem nunc meminerim, nigredine inficit, sed potiùs albedine, quin partes vicinas colore satis eleganti solet ostentare.

Salsum Lixivum nigredinem inducit.

CCCCXXXVI. *Acre* autem *Salsum Lixivum* ad nigredinem partem à se corrosam deducit; quin partes vicinas plus minùs simul inficit & inquinat.

CCCCXXXVII. Unde jure merito maculas illas omnes in Peste erumpentes à Sale Acri deducimus.

Quænam maculæ periculosiores.

CCCCXXXVIII. Quin ex modò dictis patet, cur periculosæ magis sint Nigræ, minùs Lividæ, minimè Rubræ: quò namque ulteriùs pergit Acre Salsum in partis cujusvis ac cutis præsertim corruptione, eò ipsam reddit magis atram.

Hoc patere ex Cauteris potentiali, & Vesicatoriis.

CCCCXXXIX. Hoc imprimis apparet tum in *Cauterii potentialis ex Sale lixivo fixo* constantiis, tum *in Vesicatoriorum* quorumvis *ex Sale Volatili & Acri* constantium operatione; primùm enim rubet inde cutis, deinde colorem lividum acquirit, & tandem atrum.

CCCCXL. Hoc unicum Experimentum Practicum ritè consideratum satisfacere posset Viro veritatem unicè quærenti, Animumque ab omni præjudicio liberum habenti.

Acetum in Vesicatorio cui inserviat.

CCCCXLI. Nec obstat Acetum multis Vesicatoriis additum: Nam si quis rem ritè examinaverit, is facilè observabit, inservire duntaxat Acetum ad Sal volatile excitandum, & facta sic Effervescentia in actum deducendum.

CCCCXLII. Longè namque faciliùs & citiùs

citiùs vim suam exerit Sal lixivus fixus, quàm Volatilis.

CCCCXLIII. Solemus tamen Sali fixo aliquid Aquæ vel Salivæ addere ad accelerandum ipsius opus.

CCCCXLIV. Sal autem Volatile, quippe magis compositum, difficiliùs & tardiùs ad operandum accedit, quocircà potentiori opus habet irritatore, Adversario puta, Acido, cujus ratione Effervescens, vim suam exerit urentem ac rodentem; quæ longo tempore latet in sua materia, Cantharidibus putà & similibus, nihil ab Aere etiam valdè humido patientibus, (quod de vulgari cauterio dici nequit) nec nisi ad Acidi accessum latentem suam vim prementibus.

Salia Volatilia plura ad sui constitutionem continere tàm Plantarū, quàm Animalium. Ut & Mineralium.

CCCCXLV. Habent igitur Salia Volatilia omnia plura, quæ ad sui constitutionem & mistionem concurrunt; quæ si Plantarum Animaliumve partes existant, perfectiorem adhuc solent habere mistionem: quæ omnia in Sale fixo frustra quæras.

CCCCXLVI. Quod modò de Vegetabilibus & Animalibus dixi, verum est quoque in quibusdam Mineralibus, Arsenico putà, & variis ejus speciebus; quippe quod non videtur tàm Acre primo aspectu, tactu, vel gostu, intra corpus autem admissum, aut ulceribus inditum, quanta in ipso Acrimonia latest, sensim ac paulatim testatur.

CCCCXLVII. Ex dictis ergò satis patere puto, Maculas in Peste, cæterisque Malignis Febribus erumpentes Salem Volatilem Acrem, que indicare, ut & ab eodem Pestem ortum suum habere posse; quod erat probandum.

Pestis signa Bubones.

CCCCXLVIII. Inter primaria Pestis signa externa referuntur ab omnibus *Bubones*, quos idcircò accuratè nos hic examinare expedit.

Quid sint.

CCCCXLIX. Sunt autem, ut uno verbo in superioribus jam attigimus, *Bubones, Tumores in Glandulis aborti*, non quidem quibusvis, non Conglomeratis, sed *Conglobatis*.

Glandularum speciē alterutram affici.

CCCCL. Quamvis enim in pluribus Corporis partibus sibi adsideant binæ Glandularum species, afficitur tamen sæpenumerò alterutra, in sua integritate permanente altera.

Conglobatas Glandulas affici in Scrophulis.

CCCCLI. Ita Scrophulæ, earundem Glandularum Conglobatarum Affectus, non tantùm in Collo, verùm in ipso Mesenterio, Glandulas Conglobatas cum seorsim existentes, tum Glandulis salivaribus & Pancreatis Conglomeratis adnatas occupant, illæsis hisce.

Ut & in Peste.

CCCCLII. Sic in Peste Conglobatas Artuum Gandulas, in Collo, ad Cutes, sub Axillis, in Inguinibus, & alibi quoque, ubi aliquæ tales observantur, obsident Bubones, integris Conglomeratis, hoc est, simili tumore haud correptis.

Non tamen functionem Conglomeratarum esse integram Functiones omnes in Peste, à Sanguine pendentes lædi.

CCCCLIII. non putamus tamen, licèt non tumeant in Peste Glandulæ Conglomeratæ, in sua integritate tunc permanere Functionem in ipsis perfici solitam.

CCCCLIV. Quinimò cùm in hoc gravissimo & maximè lethali affectu, Sanguinis massa mirè afficiatur & corrumpatur, nullus dubito, ex consequenti lædi quoque Functiones omnes à Sanguine quacunque demum ratione pendentes, atque materiam suam præsertim accipientes.

Glandularum Conglobatarum & Conglomeratarū differentia respectu Bubonum.

CCCCLV. Quæritur proinde, quænam sit Glandularum Conglomeratarum & Conglobatarum differentia, propter quam ab eodem Sanguine ad utrasque affluente efficiantur ita Conglobatæ, ut in Tumorem, Bubonem dictum, abeant, sine Tumore permanentibus Conglomeratis.

CCCCLVI. Cùm enim affectio illa diversa non possit peti à Sanguine eodem ad utrasque Glandulas delato, meritò ejus ratio petitur à diversitate Glandularum Sanguinem eundem admittentium.

Eam consistere in Utrarumque substantia.

CCCCLVII. Si quis proinde inter se conferat & comparet Glandulas prædictas, observabit, *Conglobatarum substantia esse molliorem, teneriorem*, ac Conglomeratarum Salivarium & Pancreatis substantiam solidiorem ac duriorem.

CCCCLVIII. An ergò, quæret aliquis, *propter substantiæ teneritudinem ac mollitiem adhæret facilius omne acre per Conglobatas delatum*, difficiliùs per Conglomeratas propulsum? An potentiùs contenta sua qualiacunque expellunt Conglomeratæ, debiliùs Conglobatæ.

CCCCLIX. Ego sanè id quærenti facilè assentiar, quippe qui hanc sufficientem, satisque manifestam puto causam istius moræ ac Tumoris insequentis.

CCCCLX. Cùm igitur *mollis & tenera sit Glandularum Conglobatarum substantia, quid mirum, si facile illis adhæreat & minùs ab iisdem expellatur quicquid acre est in Sanguine, aut quovis alio modo vitiosum*, & inde diversi oboriantur tàm sæpe in ipsis Tumores?

Cur Glandulæ Conglobatæ in Peste in Bubones abeant.

CCCCLXI. Omninò igitur existimamus, idcircò præ aliis omnibus Glandulas Conglobatas in Peste quoque in Bubones abire, propter substantiam suam molliorem ac teneriorem.

Bubonum differentia ab aliis Tumoribus.

CCCCLXII. Cùm verò aliàs quoque Tumoribus sive Bubonibus afficiantur hæ Glandulæ quæritur meritò, in quò differant illi?

Bubones triplicites.

CCCCLXIII. Hinc quæstioni ut satisfaciam, considerandum, *triplicium Bubonum* fieri mentionem apud Medicos, *Pestilentialium, Venereorum, & non Malignorum dictorum*; quibus verbis ab invicem distinguuntur ratione Affectuum comitum, vel Malignorum, vel non Malignorum; dum Maligni censentur & Lues Venerea, & Pestis.

Bubones pestilentes esse malignos.

CCCCLXIV. Bubones ergò Pestilentes numerantur inter malignos, quoniam Symptomata conjuncta habent non tantùm gravia, sed utplurimùm mortem inopinato etiam ægros è medio tollentem.

Bubonum causa.

CCCCLXV. *Bubonum verò omnium causa cùm sit Sanguis ob suam acrimoniam vel viscidítatem, vel aliud vitium, in Conglobatis Glandulis hærens, atque illas in Tumorem attollens, accedentibus pro vitii diversitate Symptomatibus diversis*: consideranda Peste affectorum cætera Symptomata, quò vitium Sanguinis determinetur.

Bubones Pestilentes difficiliùs maturari, et ardorem habere molestiorem.

CCCCLXVI. Ubi notandum, *difficiliùs ad sui maturationem deduci Bubones Pestilentes*[1], *quàm alios, & dolorem, ardoremque molestiorem habere* utplurimùm comitem.

Ejus causa.

CCCCLXVII. *Ex ardore autem Bilem*, Biliosumve humorem, hoc est, Sale Volatili constantem peccare, meritò judicamus.

Sal Volatile in Peste magis quàm alias esse in culpa.

CCCCLXVIII. Quinimò in Peste, quàm aliàs, magis in culpa esse hunc Salem Volatilem, facilè agnoscat, quisquis ea, quæ alibi pluribus deduxi de modo, quo fit inflammatio, huc retulerit, & consideraverit, fieri ipsam, quoties Sanguis vel in extremis vasis obstructis stagnat, vel ex iisdem quacunque de causa apertis effusus aut in partium vicinarum substantia, aut in cavitate aliqua colligitur, & parte ejus maximè spirituosa secedente, reliquæ acidæ salsæque acriores factæ in sese agunt vitiosè, & ita quidem, ut se mutuò alterent, imò, usu animali debitum ii spectes, corrumpant, quinimò in pus nunc laudabile, hoc est, Animali minimè noxium, æquale putà album & blandum, nunc vitiosum, & Animali noxium, inæquale putà, Cinereum, Acre, fœtidum, mutent.

Sanguis quando fiat corpori inutilis.

CCCCLXIX. Illud enim notandum, si aliquandiù in vasis suis stagnaverit, vel è vasis suis effusus fuerit Sanguis, eum talem tunc mutationē subire, ut corpori ampliùs nequeat esse utilis: quapropter Artificia Medici tunc est, illum è cor-

pore

pore educere, ita tamen, ut sine ipsius noxa notabili, vel saltem quantum fieri potest, cum minimâ id contingat.

Quid tunc Medico agendum.

CCCCLXX. Quocirca & humoris peccantis correctio arte promovetur, & partes affectæ juvantur, & exitus facilis paratur, & eductio humoris conveniens instituitur, & partium læsarum restauratio præstatur.

Sanguinis constitutio in maligna inflammatione.

CCCCLXXI. Si proinde *in non maligna dicta Inflammatione Acidum Sanguinis tandem superat ejus Amarum*, nonne dicemus probabiliter, *in maligna idem desiderari, & minùs potens esse tunc Acidum*; hoc est, in Malignis, Pestilentibusque Bubonibus Sanguinem abundare magis, quàm decebat, *Bile, habere saltem ipsam Acriorem, aut humorem similem, Sale putà Volatili & Acri constantem, minùs autem Acidi continere*: quod est id ipsum, quod intendimus, demonstrare scilicet è Peste, omnibusque ipsius Symptomatibus ritè consideratis deduci aut confirmari Salem Volatilem, sed Acriorem tunc peccantem, adeòque Venenum Pestilens in tali Sale consistere.

Anthraces sive Carbunculi in Peste.

CCCCLXXII. Ultimum Pestis Symptoma nunc à nobis considerandum, examinandumque sunt *Anthraces* Græcis, & *Carbunculi* Latinis vocari.

Eorum locu

CCCCLXXIII. Solent hi Carbunculi in quavis Corporis parte excitari, non certis partibus, quemadmodùm Bubones, adstringi.

Quomodo se primù manifestent.

CCCCLXXIV. Solent iidem ut plurimùm pustulæ modo primùm se manifestare, & quidem nunc albicantis, nunc flavescentis, nunc lividioris, nunc nigricantis; quamvis sempet ad nigredinem tandem abeant.

Iis ardorē adesse.

CCCCLXXV. Solet iisdem Carbunculis Ardor insignis adesse, adeò ut pars affecta uti putetur ac rodi.

Quomodò se porrò habeat.

CCCCLXXVI. Nec diu Pustulæ speciem servant Anthraces, quin mox Tumorem duriorem in universa sui circumferentia ostentant; sicut in sui medio & centro in Ulcus excedens aperiuntur; quinimò sæpenumerò quaquaversùm ambulat & vicinas partes mirè depascit, unde nonnunquam Oculos inde excidisse, notum est. Sed & post curationem subinde contingentem fœdæ ac prægrandes Cicatrices remanent, propter Carnis multæ deperditionem.

Caro in Anthracibus quid patiatur.

CCCCLXXVII. Caro autem omnis Anthracibus correpta corruptionem Grangræna similem patitur; ad internecionem namque, integramque mortificationem deducitur.

Eorum causa.

CCCCLXXVIII. Enimverò, cùm in *Anthracibus Ardor corrodens* observatur, ab *Acri* illus produci arguo: ergo vel *ab Acido*, vel à *Salso lixivo*, postquam tertium acre nondum innotuit.

CCCCLXXIX. Ab Acido lancinationes quidem ac rosiones produci, notum, non item Ardorem.

CCCCLXXX. A Salso lixivo Ardorem quidem rodentem produci, testantur Cauteria potentialia cuti applicata.

Butyrum Antimonii quid præstet.

CCCCLXXXI Ab eodem in Pestilentibus Anthracibus Ardorem urentem ac rodentem produci, confirmat Butyrum Antimonii ipsorum progressum & quaquaversùm serpentem vim sistens.

Ei inesse Acidū Acre.

CCCCLXXXII. Est autem in Antimonii Butyro Acidum Acre Salem lixivum temperans & infringens.

CCCCLXXXIII. Acidum illud ipsi inesse, evincit Aqua ipsi affusa & Spiritum Vitrioli Philosophicum dictum in se alliciens.

CCCCLXXXIV. Cùm proinde hæc omnia Salem lixivum Acrem Anthraces Pestilentes producentem arguant, hactenus Pestem quoque ipsam inde ortum habere posse patet, quod hactenus suscepi probare.

Delebor Opera.

Salem Lixivum Acrē & Volatilē in Peste peccare docent ejus Symptomata.

CCCCLXXXV. Omnia igitur Symptomata in Peste observabilia Salem lixivum, eundemque Acrem & Volatilem tunc peccare confirmant, vel probant.

Ut & Medicamenta tam in ejus Præcautione, quàm curatione adhiberi solita.

CCCCLXXXVI: Illud idem ex medicamentum ad Pestis præcautionem, tum ad ejusdem Curationem cum maximo successu usurpari solitia patere, asseruimus in superioribus, & nunc est ostendendum; idem autem magis patebit ex secutura dirum hunc affectum profligandi methodo; ubi & primariorum Symptomatum Curam peculiarem addemus.

Simplicia aut minimè composita consideranda.

CCCCLXXXVII. Quisquis verò è medicamentis usurpatis aliquid certi vulet elicere ac proponere, necesse habebit *Simplicia* duntaxat vel saltem *minimè composita* considerare: Quotquot enim simplicium farraginem in unum congerunt, ut cæteris doctiores aut peritiores videantur, certè apud rerum gnaros pro maximè imperitis & agendorum incertis ac dubiis habentur.

CCCCLXXXVIII. Confusum namque judicium, confusam rerum cognitionem habeat necessum, qui plurima confundit, quando uno vel paucis, & imprimis simplicibus medicamentis præstari potest, quod intenditur.

In Præcautione Pestis utile Acetum vulgare Vini.

CCCCLXXXIX. Ego sanè, ut ad rem accedam, ante novennium, cùm quotidie plures visitarem Ægros Peste infectos, *præcautionis* loco aliud non sumpsi medicamentum, quàm *vulgaris aceti Vini Cochleare unum*, mica panis exceptum, & quidem manè antequam inviserem Ægros.

Ab Auctore expertum.

CCCCXC. Id remedii genus usurpavi per octo menses continuos, nec unquam minimam percepi toto illo tempore ab Infectione noxam.

CCCCXCI. Postquam verò sublato sensim hoc malo, desiissem ab illo aceto diotiùs assumendo, sensi postmodùm, ac ferè semper, aliquem capitis dolorem mihi contingere, quoties infectam ingrediebar domum, licèt id ignorarem, nec tamen mihi metuerem. Hoc mihi contigit.

At paucild usurpare queunt.

CCCCXCII. Novi equidem, paucos potuisse meo exemplo Acetum per aliquot hebdomadas usurpare; dum aliqui ob peculiarem sui constitutionem, Melancholicam dictam, ne quidem per plures dies potuerint perseverare in ejus usu.

Utile etiam Vinum Rhenanum, & Cerevisia Vetus subacescens.

CCCCXCIII. Solent alii Vini Rhenani, aut Cerevisiæ veteris, adeoque subacescentis haustum manè assumptum commendare.

Non verò Spiritus Vini simplex vel Theriacalis.

CCCCXCIV. Novi non deesse, qui Vini Spiritum aut simplicem, aut Theriacalem laudent; sed novi quoque, multis ipsum fuisse noxium: quod de Acidis dici non potest; saltem ratione ipsius Pestis.

Utilia quoque Elixir proprietatis, Spiritus Salis, Vitrioli, Sulphuris, Fructus Acidi.

CCCCXCV. Laudantur quoque Elixir proprietatis, ut & Spiritus Salis, Vitrioli, Sulphuris ex pauca Cerevisia vel Vino assumendus. Laudantur etiam fructus Acidi, Mala Citria, Aurea, Granata seu Panica, Ribesia, &c

Aceti Odor Efficacissima præcautione.

CCCCXCVI. Confortat quoque Aceti spongia excepti Odor, sive fuerit Acetum simplex, aut aliquo Aromate, plantave Aromatica impregnatum.

Pestis Acida.

CCCCXCVII. Adeò, ut, si quis omnia in Pestis Præcautione efficacissima contulerit, comperiat pleraque Acida esse, aut cum Acidis parata.

Acidum in Peste desiderari & impugnari.

CCCCXCVIII. Unde patere puto, Acidum non tantùm desiderari contra Pestis Venenum, sed idipsm imprimis ab eodem impeti ac impugnari.

Acida meraca posse temperari.

CCCCXCIX. Quibus verò Acida meraca esse solent molesta & gravia, iisdem temperari possunt Vini Spiritu. Sic Salis Spiritus ejus ope ita tem-

temperatur, ut omnia pené ipsius Aciditas obliteretur, si sæpiùs cum eodem cohobetur, ne tamen desinit conducere in Peste.

In quo Ægrorum constitutio consideranda.

D. Interest proinde, ut in hoc casu ita cujosque temperamento ac constitutioni peculiari accommodentur medicamenta, unde nihil noxæ ipsis accidat, plorimum auxilii.

Quod multis modis fieri potest.

DI. In hunc finem variis modis & formis concinnari possunt medicamenta, tum singulis grata, tum simul corpori adversus Pestilens Venenum muniendo apta.

Conditum ex quibus parandum.

DII. Si cui proinde Conditi forma medicamentum placeat, poterit Conservæ Ros. pallid. flor. Calendulæ, Rorismarini, Garyophyllorum, Borraginis, Buglossæ, Violarum, &c. tantùm cujusvis Spiritus acidi, ut inde gratam nanciscatur aciditatem; cujus mané stomacho jejuno assumat homo ætatis florentis ad Nucis juglandis quantitatem; aliquantò minùs adolescens; adhuc minùs puer.

Ex quibus Syrupus.

DIII. Cui Syrupi magis placent, eidem exhibeantur ex Succo Berberorum, Ribesiorum, Citri, Granatorum, Aranciorum, Acetosæ, Acetosellæ, Omphacio & similibus parati, aut per se, aut ex liquore accepto ad cochleare unom, dimidiamve unciam.

DIV. Possunt etiam prædicti Succi absque Sacchari additione usurpari ex jusculo, cerevisia, Vino, &c.

Ex quibus Tabella.

DV. Si cui tabellæ magis arrideant, possunt illæ cum nominatis succis, ut & acidis Spiritibus & Saccharo parari.

Ex quibus Iusculum. Julapium &c.

DVI. Potest quoque in hunc finem tum Tartarum crudom, tum ejus Cremor ut & Sal Tartari Vitriolatum quovis modo ex Jusculo, Vino, Cerevisia, Jolapio, &c. usurpari.

Ad Pestis præcautionem conducere Acida.

DVII Uno verbo, præ cæteris omnibus ad pestis præcautionem conducunt Acida modu cujusvis naturæ maximé accommodato assumpta.

Acidum nostrum à pestilenti veneno impugnari.

DVIII. Hæc cùm verissima esse docuerit hactenus Experientia, non parùm eo ipso mea confirmatur sententia, *impugnari à pestilenti Veneno Acidum nostrum*; cui postquam nil magis observatur contrarium, quàm Sal lixivum, meritò in Sale lixivo illud Venenum consistere judicatur.

DIX. Quoniam verò velox est idem venenum, atque valdé efficax, idcircò idem in Sale Volatili & Acri consistere judicavi.

Ad Pestis præcautionē conducere Amuleta.

DX. Ad Pestis præcautionem non tantùm Interna, externaque naribus usurpata solent laudari, sed nonnulla quoque *Amuleta* dicta; de quorum viribus aliquid certi, quod mihi per experientiam innotuerit, quamvis quædam in usum revocarim, vix habeo, quod referam: sed nec sufficientes quidem ipsorum rationes hactenus potui ab ullo intelligere, aut ipsemet excogitare.

Mercurius Crudus Collo appensus.

DXI Imprimis non possum assequi, quid Mercurius Crudos in Calamo anserino Collo appensus possit ad Venenom Pestilens avertendum efficere; quamvis non negem tamen, id verum esse: idem autem non credam priùs, quàm eius certior sim factus, experientiam, qui didici omnibus dubitare, nec ampliùs fidem illis adhibere, qui quævis venditant pro veris ac certissimis, quæ opinioni suæ confirmandæ putant servitura, licèt norint, eadem esse falsissima, fictitia saltem ac minimé certa.

In Medicina præconceptis opinionibus male adhæreri.

XII. Dolendum certè, in rebus non tantùm problematicis ac quodlibeticis plerosque præconceptis suis opinionibus satis mordicùs adhærere, quò inani suæ ingenii subtilioris serviant gloriæ; verùm in tehos Medicis quoque, ac tum sanitatem, tum vitam hominum spectantibus, tàm multos cum præsenti proximi periculo & damno malle per fas & nefas nugas suas & figmenta chimætica tutari, quàm uni veritati & laborantium bono se addicere

De variis Authorum sententiis dubitandū.

DXIII. Quisquis autem me judice, volet piè ac probè in facienda medicina se genere, dubitabit præsertim de iis, de quibus variæ sunt Auctorum sententiæ, & dubitabit tamdio, donec argumentis certis ac evidentibus fuerit persuasus, hac vel illam opinionam esse veram certamque.

Nulla Auctori in Naturalibus & Medicis certitudo.

DXIV. Fateor autem, me hactenus sine experientia nullam potuisse in rebus naturalibus, ergò Medicis quoque, observare certitudinem Certitudinem dico, postquam distinguo inter verum ac certum. Potest namque quis verum nosse aliisque aperire, qui tamen incertus sit, an verum sit, nec ne. Aliud enim est probabiliter persuasum esse, aliud certum esse, de alicuius dicti opinionisve veritate.

DXV. Quoniam verò non eodem animo in rerum examine & opinionum formationes atque propagatione feruntur omnes, sed alij ubique gloriam quærunt inanem, alii lucro inhiant turpi, duoi pauci unicé divinam sectantur gloriam, proximique commodum; putamos nos nostro satisfecisse officio, si Discipulos nostros fetiò & candidè monuerimus eorum, quæ recta putamus in Dei conspectu. Nunc sævi hujusce morbi curationem aggrediemur.

Pestis Curatio.

DXVI. Quemadmodùm ex Symptomatum omnium Pestem comitari solitorum examine, atque remediorum ipsius præcautioni inservientium consideratione, lethalis plerisque Veneni naturam in Sale Volatili & Acri consistentem deduximus, ita idem ex secutura ejusdem Curatione confirmatum iri putamus.

Quomodo Methodica et Rationalis instituenda.

DXVII. Ut autem *Methodica & Rationalis* instituatur *Pestis Curatio*, considerandæ non tantùm *Functiones*, quæ primariò ac potissimùm in Peste labefactantur, verùm *Partes* quoque tam *Continentes*, quàm *Contentæ*, quæ præ aliis omnibus graviùs tunc afficiuntur.

Quanam Functiones in Peste labefactate.

DXVIII. *Functiones* in Peste potissimùm labefactatæ sunt *Vitales* dictæ, & inter has, *quæ Sanguinis Mutationem in Corde contingentem spectant*, & à quibus Vita proximé pendet.

Quanam Contenta.

DXIX. Inter *Contenta* igitur vel *Sanguis universus*, vel *quædam ad Sanguinis massam producendam concurrentia*, vel *utraque* male sunt in Peste affecta.

Quanam Continentia.

DXX. Inter Partes *Continentes* Solidasque observamus tum *Glandulas Conglobatas* à Bubonibus, tum *Externam cutim cum partibus adjacentibus* à Carbunculis & Maculis corripi ac corrumpi.

Sanguis solito fluidior

DXXI *Sanguinem* ipsom in Peste plurimùm immutari, ostendimus in superioribus, quando ipsum consistentiam suam sæpenumerò amittere ac *solito fluidiorem* fieri, affirmavimus.

Acidum Sanguinis corruptum.

DXXII. Cùm autem ab *Acido Succo Sanguini consistentiam suam* accedere, pluribus argumentis nos evicisse putemus, meritò *Acidum Sanguini admistam admiscendumve* præ cæteris contentis omnibus plurimùm in Peste pati & corrumpi concludimus.

A Sale Lixivo.

DXXIII. Cùm ampliùs à nollo tàm potenter *infringi adeòque corrumpi Acidum* ostenderimus, quam *à Sale Lixivo* meritò ab ipso Pestilens Venenum nos deduxisse existimamos

Volatili & Acri.

DXXIV. Denique cùm Veneni Pestilentis operationem velocem, ac vim acerrimam ad rationis trutinam expenderemos, *Sal* illud *lixivum & volatile*, *& valde acre* pronunciavimus.

Bilem à Veneno pestilenti reddi acriorem.

DXXV. Cùmque inter omnes in corpore nostro hactenus observatos Humores, *Bilis sola* deprehensa sit participare de Sale Volatili, existimamus nos plané secundùm rationem sanam judicasse non rarò Ipsam *vitiari à Veneno pestilenti, reddique solito acriorem magisque volatilem*.

Et ab eodē vitiari.

DXXVI. Adeò ut *Venenum pestilens Bili*, tanquam humori maximé sibi *homogenea*, se jungat, illamque vitiet; *in Acidum* verò, tanquam humo-

rem

rem ſibi maximè *heterogeneum atque oppoſitum*, vim ſuam exerat, ipſumque potenter infringat & corrumpat.

Venenum peſtilens foriſecùs accedere.

DXXVII. *Venenum peſtilens* dico, quia quantum ſaltem pleríque ac cæteris nulla in re cedentes Medici ſtatuunt, *haud in humano corpore generatur, ſed forinſecùs ipſi accedit*, atque *aliis* quoque *poſtmodùm per contagium communicatur*.

Indicationes in Peſte unde petenda.

DXXVIII. *Indicationes* proinde in Peſtis curatione obſervandæ, petendæ ſunt 1. ab *Ipſo Veneno forinſecùs in Corpus admiſſo*, atque tum Bilem inficiente, tum Succum Acidum corrumpente ac infringente, tum Sanguinem ipſum colliquante, tum Partes ſolidas, uti dictum, per Bubones, Anthraces, ac Petechias deſtruente.

DXXIX. 2. *Ab ipſa Bile* à priſtina ſua integritate degenerante, atque Peſtilentis Veneni naturam induente.

DXXX. 3. Ab *Acido in noſtro corpore Succo*, & fracto & corrupto.

DXXXI. 4. *Ab Ipſo Sanguine* liquato & conſiſtentia ſua deſtituto.

DXXXII. 5. A *Glandulis Conglobatis Bubones* patientibus.

DXXXIII. 6. *A partibus quibuſvis Anthracum* virulentia correptis, corruptiſque.

DXXXIV. 7. *Ab univerſa corporis ſuperficie multifariis petechiis & maculis* inquinata & quandoque ſimul corrupta.

Venenum Peſtilens quid indicet.

DXXXV. 1. Ipſum *Venenum Peſtilens*, quatenus *præter Naturæ leges in humanum corpus admittitur*, *reciprocam ſui ex eodem expulſionem* indicat.

DXXXVI. Idem, quatenus omnia in *corpore occurrentia inquinat* & à ſtatu laudabili in noxium mutat, *ſui alterationem & correctionem* indicat.

Quid Bilis.

DXXXVII. 2. *Bilis*, quatenus à Veneno Peſtilenti Volatilior redditur & Acrior, ſui fixationem & contemperationem indicat.

Quid Succus Acidus Corporis.

DXXXVIII. 3. *Succus Corporis Acidus*, quatenus à Venenum Peſtilenti Acrimonia ejus Acida infringitur & corrumpitur, ejuſdem Aciditatis reparationem ac reſtitutionem indicat.

Quid Sanguis.

DXXXIX. 4. *Sanguis*, quatenus à Veneno Peſtilenti conſiſtentiam ſuam amiſit, ejuſdem redintegratione indicat.

DXL. 5. 6. 7. *Bubonum*, *Anthracum* ac *Petechiarum* peculiares Indicationes proſequemur in ſequentibus: quò nunc præmiſſorum Indicantium Indicata proponamus.

Venenum Peſtilens expellendum per ſudorifera.

DXLI. 1. Venenum Peſtilens, cùm frequentiſſimè *per Corporis poros* penetret ad Interiora, commodiſſimè per eoſdem expelletur, adeòque per *Sudorifera*.

Et Vomitoria.

DXLII. Idem cùm aliquando una *cum Aere* forſan *inſpiretur*, atque Salivam tunc ſimul alteret ac corrumpat, quæ continuè deglutita in Ventriculo Nauſeam excitet, non incommodè tunc *Vomitorio*, ex parte ſaltem, iterùm è corpore propelletur.

DXLIII. Ubi autem pars ejus vomitione ejecta, reliqua cum Aere ad Pulmones, mox & Sanguinem tranſiens prædictis Diaphoreticis convenientiſſimè cum Sudore extrudetur denuò foras.

Corrigendum figentibus & Acrimoniã demulcentibus.

DXLIV. Idem Venenum, quatenus *qualitate ſua noxia* quævis in corpore occurrentia *vitiat & in pejus mutat*, & quidem *qualitate ſua Salſa Volatili & Acri*, medicamento potenter *figente* atque *Acrimoniam demulcente* corrigetur.

Sulphure ſemper fixo.

DXLV. Quoniam verò nil æquè figendi demulcendique vim habet, ac *Sulphur*, *ſed fixum*; idcircò illa vis meritò expectatur à quovis Sulphure ſimili, hoc eſt, fixo & figente, metallico puta, vel minerali.

Bilis figenda & temperãda.

DXLVI. 2. *Bilis* Volatilior & Acrior à peſtilenti veneno reddita iiſdem, quibus & illud medicamentis *figetur denuò*, *ac temperabitur*.

Succus Acidus reparandus.

DXLVII. 3. *Succus Acidus* à peſtilenti veneno fractus & corruptus reparabitur uſurpatione *Acidorum* uniuſcujuſque conſtitutioni ſingulari convenientium.

Ut & Sanguinis coaſſicatio.

DXLVIII. 4 *Sanguis* conſiſtentiam ſuam perditam recuperabit aſſumptione *Acidorum*, non conſertim, at per vices atque parva ſemper quantitate uſurpatorum.

Plurimis in Peſte indicationibus quanam Remediorũ materia ſeligenda.

DXLIX. Poſtquam verò tam *multæ* ſunt in Peſte curanda *Indicationes*, prudentis Medici erit, illam *Remediorum materiam* ſeligere, atque in uſum revocare, quæ *quamplurimis ſatisfaciat Indicationibus*, quò una ſæpè fidelia plures dealbentur parietes, atque minimè compoſitis medicamentis curetur peſte infecti.

DL. Videndum proinde, quibus ſoleant plerique, aut ſaltem primarij Practici Peſte correptos curare medicamentis, ut optimorum ſelectio inſtitui queat.

Sudorifera. Opiata.

DLI. Et 1. quidem inter *Sudorifera* commendantur imprimis compoſitiones & Opiatæ tritiſſimæ, *Theriaca Andromachi*, *Mithridatium* Damocratis, *Diaſcordium* Fracaſtorij, *Orvietanum* & ſimilia plura.

Aqua Theriacales.

DLII. His adjungi poſſunt Recentiorum *Aquæ Theriacales* dictæ, cum *Vini Spiritu* aut *Aceto ſtillatitio* multis modis paratæ.

Antimonialia.

DLIII. Quin huc referendo ſunt plurima ex *Antimonio* parata Sudorifera, Antimonium putà diaphoreticum, Bezoardicum Minerale tàm ſimplex, quàm Solare, Lunare &c. Sulphur auratum diaphoreticum, Flores Antimonij fixi.

Terra pingues ac ſigillata.

DLIV. Inter magis ſimplicia commendantur ob omnibus *Terræ pingues aut ſigillatæ*, Bolus Armena, Terra Lemnia, Sileſiaca, Turcica, &c.

Vegetabilia

DLV. Inter *Vegetabilia* laudantur *Rad.* petaſitidis, contrayerve, angelicæ, tormentillæ, zedoariæ, &c.

Fol. Card. benedicti ſcordij centaurij min. ſcabioſæ.

Ligna guaiaci, iuniperi quercus, buxi, Saſſafras.

Baccæ Juniperi, Sambuci Ebuli, & ex his paratum Rob.

DLVI. Ex *Animalibus* petita ſunt *Lapis* Bezoar, Porcinus, & ſimiles: ut & omnia *Cornua*, *Oſſa*, & *Ungues* ſive *Ungulæ*; atque imprimis *Salia Volatilia & Olea* ex iiſdem elicita & ad Sudores movendos efficaciſſima.

DLVII. Sudorifera uſitata magis in certas claſſes redegimus nuper, ac quædam in ſpecie quoque nominavimus; proximum eſt, ut cæterorum quoque in curanda Peſte Indicatorum materiam examinemus, ac ſimiliter proponamus, quæ exinde præcipua pro re nata ſeligi queant & in uſum revocari.

Vomitoria.

DLVIII. Docuimus autem, Venenum peſtilens aliquando inſpiratione allectum aliqua ſui parte cum Saliva deglutiri poſſe, atque mox Nauſeam & Vomitum aliquando parere; ſuique per vomitum è corpore exturbationem hactenus indicare.

Antimonialia.

DLIX. *Indicati* autem illius materia cùm ex variis peti queat, ego cæteris *Vomitoriis* omnibus præfero *Antimonialia*, quocunque demum modo parata; de quibus cum ſæpiùs fecerim aliàs mentionem, non videtur operæ pretium eadem ſemper atque occaſione quavis repetere: Attendendum autem imprimis, ac ritè præparentur, ac prudenter uſurpentur.

Veneni peſtilentis volatilitas figenda, & acrimonia temperanda.

DLX. Venenum Peſtilens cùm non tantùm abſolutè abeſſe, ac proinde expelli debeat è corpore; at inſuper ratione ſuæ *Volatilitatis & Acrimoniæ lixiviæ ſui alterationem, ac correctionem*, hoc eſt, fixationem ac *contemperationem* indicet, non ſine cauſa ſoliciti ſumus de materia remedij Indicati, atque *Salem* imprimis *Volatilem figentis*, *Acrem* autem *contemperantis*.

DLXI.

Salem Volatilem figere non Vegetabilia vel Animalia; ed Mineralia.

DLXI. Non sine causa; inquam, soliciti sumua de materia remedij, *Salem* imprimis *Volatilem figentis*; cùm inter *Vegetabilia* vix ulla talia noverim, quæ id præstare possint, ut nec ioter *Animalia*; adeò ut cogamur forsan ad *Mineralia*, tanquam ad sacram anchoram recurrere.

Quare veteres medici pestem ad qualitates occultas retulerint.

DLXII Cùm verò scripta veterum Medicorum, ut & Recentiorum ab istorum ore, placitisque unicè pendentium satis restentur parùm, vel nihil fuisse versatus plerosque in Chymia, sioe qua nemo unquam abstrusam *Mineralium* naturam & vires lateotes assequetur satis, ut de Volatilium fixatione aliquid solidi proferre possit, tantùm abest, ut ipsam præstare queat: mirum non est, si & Pestis essentia, præter alia multa, ad qualitates occultas, hoc est, igootas, fuerit relegata.

Recentiores quosdam nimis Veteribus esse addictos.

DLXIII. Illud autem dolendum, tantam ignorantiæ illi crassæ conjunctam esse in multis Arrogantiam, & fastum taotum, imò iosaoiam, ut aliqui uoo erubuerint, publicis scriptis testari, se ritu pecorum euntes, quà itur, non quà eundum est, malle cum Veteribus, quibus in mancipia se dederant, errare, quàm cum Recentioribus ac præcipuè Chymiæ gnaris benè sentire, ac horum ductu Ægros feliciùs curare. Indigna certè homine indignior literato, indignissima Cristiauo vox & sententia.

DLXIV. Absit verò, ut nos talium hominum exemplo malimus perire nostros ægros propter nostram socordiam vel præjudicium servile, quàm curari excitata nostra per chymicorum industriam & benevolentiam diligentia & chstitate.

Oleu Tartari Salem Volatilem figere.

DLXV. Iterum proinde repeto, vix notum esse nobis aliquod ex Vegetabilibus vel Animalibus subjectum, quod vim babeat figendi Salia Volatilia, præter unum forsan *Tartarum*, vel potiùs ipsius *Oleum* destillatione paratum; sed ob sui fœtorem, & alia plura noo satis commodè in usum revocandum.

Ut & Nitrum.

DLXVI. Ioter Mineralia verò Sal petræ sive *Nitram* plurimùm potest ad Volatilium Salium fixationem; quod Chymiæ Tyronibus jam notissimum.

DLXVII. Quis enim ampliùs ignorat, vel ignorare potest, Arsenicum, Auripigmentum, Antimonium & similia Volatili Sale constantia figi beneficio Nitri tum crudi, tum in Spiritom Acidum priùs motati?

DLXVIII. Potest idcircò idem in Peste usurpari cum bono successu.

Nec non Sulphur minerale fixatum.

DLXIX. Præstaotissimom autem atque altioris indaginis est *Sulphur minerale*, idque *priùs Arte fixatum*, cujus in figendo Sale Volatili præstantiam efficaciamque pauci observarunt, paucissimi aliis commuoicaruot: nec mirum.

Quod optimū in pluribus gravissimis morbis medicamentū

DLXX. Illud autem ego omnibus & singulis candidè commendo, & ut *ex quocunque demum subjecto parare discant optimū*, sedulo consulo: Habebuot enim tunc non tantùm in Peste, at in plurimis aliis morbis gravissimis medicamentū excellentissimum, & cui tutò quivis queat fidere.

Hæ etiam Salis volatilis acrimoniam temperare.

DLXXI. Nec taotùm figendo Sali Volatili, sed eidem quoque *Acriori temperaado*, coodu cit *quodvis Sulphur Minerale, sed fixum*: ut & *Nitrum*.

Quod & præstant plures Animalium & Vegetabiliū partes.

DLXXII. Præter quæ plures occurrunt inter Animalium Vegetabiliumque partes temperaodo Sali acriori aptæ.

Et qua ratione.

DLXXIII. Faciuot autem id istæ omnes tum ratione *Spiritus sui Volatilis*; tum ratione sui *olei*, tum denique ratione sui *Spiritus Acidis*; qoin ratione abundaatis olei faciont idem *Salia Volatilia*, *sed oleosa*.

Semina & Fructus magis Aromatici.

DLXXIV. Inter *Vegetabilium* partes primas facilè teoent *semina*. & *fructus magis aromatici*, ac ideò medicamentosi potiùs, quàm alimentosi; Baccæ potà.

Opium

DLXXV. Inter succos ex plantarum variis partibus prodeuntes primum locum occupat *Opium*, tum amarum, tum piugue: & quicquid Opij naturam æmulatur.

Spiritus Vini simplex & Aromaticus. Olea Aromatica.

DLXXVI. Et hisce autem in genere sic dictis infinitæ mox se produnt medicamentorum tam simplicium, quàm compositorium species: spiritus putà Vini, ac præsertim Aromatici, quorum iofinitæ apud Auctores extat formulæ: Olea Aromatica & simplicia, ex hoc vel illo Aromate, aot Semine, & composita ex pluribua artificiosè parata.

Spiritus Acidi.

DLXXVII. *Spiritus Acidos* hic laudo tum magis puros, tum per Spiritum Vini magis temperatos & blandiores, utroque nomine utiles.

Ex Animalibus Salia Volatilia Oleosa, vel Olea destillata ex cornibus Ossibus, &c.

DLXXVIII. Ex *Animalibus* quæ parantur in hunc finem medicamenta, præcipua sunt *Salia Volatilia Oleosa*, vel potiùs eorundem *Olea destillatione ex Cornibus*, *atque Ungulis elicita*; quæ omnia effectum hic habent mirabilem, & maximè laudabilem.

DLXXIX. Certè longum foret omnia & singula hic enumerare, quin planè inutile; cùm parùm referat, ex quo subjecto parentur ista olea, sed plurimùm, quàm benè, atque ita, ut minimè sint palato & naribus ingrata.

Iisdem Bili figi & temperari.

DLXXX. a. Quibus modò dixi Salem Volatilem acremque figi, ac temperari, *Iisdem figetur temperabiturque Bilis naturali volatilior & acrior*; ut non sit opus io eorundem inaoi repetitione tempus tenere.

Succus Acidus iners factus reparandus Acidis.

DLXXXI. 3. *Succus Acidus* in corpore nostro *iners factus reparandus Acidis* tum ex *Vegetabilium*, tum imprimis ex *Mineralium* familia petendis; Neque mihi aliquod succurrit *Acidum* ex *Animalium* partibus ollia parabile, nisi forsan *Lac* spontè, ac imprimis arte *acescens*, ipsiusque *serum acidiusculum*, vel post Butyri ex ipsius Cremore secretionem *Lac ebutyratum*, ac brevi scorem contrabens.

Quale est ex Animalibus Lac acescens, vel Ebutyratum.

DLXXXII. Piures autem sunt Plantarum partes, *folia* putà, *fructusque*, ex quibus *Acidus Succus* exprimi potest, facilè saltem acescens.

Ex Vegetabilibus Succus Acidus.

DLXXXIII. Sic ex *Acetosæ*, *Acetosellæ*, *Sempervivi majoris*, &c. *foliis* succus exprimitot acidus.

Ex Acetosa, Acetosella, Sempervivo majori &c.

DLXXX. Sic ex Berberorum, Ribesiorum, Malorum Citriorum, Granatorum, Arantiorum, &c. fructibus, ipsisque uvis immatoris succus elici potest Acidua.

Ex Berberis, Ribesiis, &c.

Ex Mineralibus Spiritus Acidi ex Salibus, &c.

DLXXXV. Ex *Mineralibus copiosum* Spiritum Acidum proiount *Salia* quævis, Vulgare tàm fossile, quàm Marinum, Gemmeum, Nitrum, Alumen, Vitriolum, &c. *paucum Argillæ* atque omoes Terræ piogues ac Boli; *mediocrem Sulphur*, *Antimonium*; & si quæ alia sunt huc referenda.

Hæc Acida esse diversi generis.

DLXXXVI. Hæc autem Acida cùm multifariis sint, atque nonnulia Austeritatis & Acerbitatis alicujus sint participia, prudeotia opus erit, tum illa ritè distinguere, tum singula pro re nata peritè seligere.

DLXXXVII. Sunt imprimi quædam Acida puriora & Acriora, quædam cùm Spiritu Volatili temperata, tum à natura, tum ab arte. Sic Acetum habet admistum sibi naturaliter Spiritum Volatilem, quem arte solemua Spiritui Salis & aliis admiscere.

Consistentia Sanguinis restituenda Acidis.

DLXXXVIII. 4. Cum *ab Acido suam consistentiam*, oostro saltem judicio, accipiat *Sanguis*, quæ modò de Acidis protuli, huc qooque faciunt.

Pestis curationem admodùm paucis posse institui. Et quibus.

DLXXXIX. Quòd si quis omnia, quæ nunc ordine docuimus de varia supra memoratorum in Peste curanda indicatorum materia medica, inter se conferat, non ita difficulter observabit, admodùm paucis posse primariam Pestis curam institui medicamentis satis simplicibus: *Vomitoriis* putà, sed Antimonialibus præsertim: *Sudoriferis* multifariis, ac itidem Antimonialibus præsertim:

sertim: *Salem ac Bilem nimis Volatilem figentibus*, inter quæ haud postrema sunt Antimonialia: *Salem* Bilemque *Acriorem temperantibus*, inter quæ plura quoque sunt Antimonialia: *Acidum* & in Sanguine & alibi *deficiens* reparantibus, quæ non desunt in Antimonio: adeò ut ex uno & forsan solo Antimonio parari possint medicamenta omnibus ac singulis Pestis Indicationibus satisfacientia.

Et ex solo forsan Antimonio paratis.

Quid præstent Salia Volatilia Oleosa.

DXC. *Salia Volatilia Oleosa* & *Sudori moventia*, simulque *Veneno Pestilenti furàt propellenda*, & *Sali*, *Bilique nimis Acris temperandæ* conducent.

Quid Acida, & imprimis Nitri Spiritus.

DXCI. *Acida*, & imprimis ex *Nitro* paratus Spiritus, *Sali*, & *Bilis Volatilitate nimia* & *Acrimonia* peccanti corrigendæ, ut & restituendæ *Sanguinis consistentiæ*, *Acidoque in corpore interiori* reparando servient.

Triplicis Medicamenta Pestisufficere;

DXCII. Adeò ut quis ad summum triplicibus medicamentis opus habere videatur ad Pestis curam internam fœliciter absolvendam: & 1. quidem *Vomitoriis*, quoties ipsis locus concedi potest aut debet: 2. *Sudoriferis*, sed Sale Volatili Oleoso imprimis constantibus, Veneni nemqe *Acrimoniam* simul *temperantibus*. 3. *Acidis*, quibus præferendus *Nitri spiritus*, eùm simul *figendi vi* sit præditus, sed Aqueis convenientibus diluenda sunt pleraque, ne noceant.

Eaque aliquando conjungi posse.

DXCIII Quinimò aliquando simul coniungi possunt Vomitoria Sudoriferis, & Sudorifera Acidis; vel saltem in medio Sudore Mixturæ subacidæ cochlearim exhiberi.

DXCIV. Dico *conjungi* posse nonnunquam *Vomitoria Sudoriferis*; nam nil nocet illa simul assumi & simul operari: postquam non sunt motus sibi contrarij, sed diversi per Vomitum & Sudorem.

Humani Corporis centrum quod.

DXCV. Nam imperitè ac ineptè Intestinorum fistula unà cum Ventriculo ac OEsophago censetur pro humani corporis Centro, Cutis autem pori pro ejusdem circumferentia.

DXCVI. Si quod enim haberi possit ipsius Centrum, id omninò dicendum foret Cor, à quo Sanguis ad Partes singulas defertur, uti Partes singulæ pro ejusdem Circumferentia, cùm ab ipsis refertur Sanguis ad Cor, idque secundùm Sanguinis motum circularem.

Et Circumferentia quæ.

DXCVII. Quòd si Corporis humani *Centrum* statuatur *Cor*, non minùs *Intestinorum fistula* in ac per quam se exonerant Fellis Folliculus & Pancreas atque ipsum *Os*, in quod ac per quod se exonerant Glandolæ Salivares, atque ipsius aliquando Ventriculus cum Intestinis tenuibus, pro ejus *Circumferentia* habenda, quàm *externa Cutis*; per quam Sudor expellitur, atque *Vesica Urinaria*, per quam Urina excernitur.

Humores eodem tempore & medicamento expelli posse per Vomitum, per secessum, & per Sudores ac Urinas.

DXCVIII. Hoc non tantùm probabile, ac verosimile, arguit Ratio, sed verum probat Experientia, quæ tum alios, tum Me quoque non semel confirmavit, eum optimo successu & magno ægrorum commodo expelli eodem tempore ac medicamento humores in corpore peccantes tum per Vomitum, tum per secessum, tum per Sudores ac Urinas.

Ut & in Peste.

DXCIX. Quod in non paucis affectibus ut. le docuit Experientia certa solidæ sanæque Rationi consentiens, id ipsum in Peste quoque fieri posse tutò ac feliciter nullus dubito.

Medicamenta ex Antimonio parata multa simul præstare.

DC. Adde quòd Arte saltem Chymica præparari possint, ex *Antimonio* præsertim, *Medicamenta*, quæ pro re nata, & humorum peccantium natura, *nunc tantùm per vomitum*, *nunc tantùm per secessum*, *nunc tantùm per Sudores aut Urinas* nunc *simul per plures vias*, nunc per nullas prædictos *humores* expellant, verùm illos duntaxat *emendent ac corrigant*, Ægrosque ad pristinum sanitatis statum reducant.

DCI. Certè cui talia supetunt Medicamenta, longè tutiùs procedit in suorum Ægrorum cura, quàm quivis alius, qui talibus destituitur.

Et quanã.

DCII. Utique testari possum ac reverà testor, id non semel à me observatum *unum idemque ex Antimonio paratum medicamentum*, *ac eidem ægro in eodem affectu* à me *exhibitum*, *omnia prædicta effecta ordinem produxisse* & primo quidem *Vomitum*, deinde *Alvum* ipsi movisse, posteà vim suam per *sudorem* exeruisse, ac tandem nil ampliùs expellendo *iadies robur ægra conciliasse*.

Qua commendat Auctor.

DCIII. Hujus rei exempla cùm non pauca in praxi mea notaverim, nulli debet videri mirum, si præter ac contra nonnullorum ex librorum lectione quàm rerum ipsarum feliciter è se gestarum observatione doctiorum placita & præjudicia audeam hæc & similia Medicorum Filiis proponere, ac commendare.

At prudentia opus.

DCIV. Prudentia interim opus est, neque enim semper omnia ubique conveniunt: *nec talia exhiberi debent*, *nisi pateat Evacuatio varia utilis ægro futura*, *viresque constent*, ne, si forsan dejectis viribus Vomitus excitetur molestior, & postea vi morbi pereat æger, credatur ipsius vi medicamenti periisse.

Ubi constat Vires vitales Polychrestis utilicos.

DCV. Ubi autem *vires* adhuc constant, *Vitales* putà *per pulsum satis magnum & robustum manifestæ*, atque *excretio aliqua per Alvum saltem judicetur* conductura, tunc intrepidè poterunt exhiberi medicamenta illa polychresta ex Antimonio parabilia

DCVI. Ne autem verba duntaxat dedisse videar, dum rationem talia præparandi retineo, ex uno verbo plurima sedulis Naturæ scrutatoribus aperiam; *Ne assurpentur tunc medicamenta nimis volatilia*, *sed ad mediocrem saltem fixitatem deducta*.

Quando Vomitoriũ & simul Sudoriferũ ex Antimonio paratũ exhibendũ.

DCVII In *Pestis Erga curatione* tutò potest *mox ejus initio*, *urgente nausea*, & *constantibus adhuc viribus*, *exhiberi Vomitorium ex Antimonio paratum*, sed *quod simul vim habeat sudorem movendi*: *Antimonium* putà *diaphoreticum* dictum, se *haud nimis fixatum*: aut *aliud præstantius*, cui tale suppetit.

DCVIII. Vel potest *cum quovis alio Vomitorio Antimoniali conjungi aliud sudoriferum*, aut ex eodem Antimonio aut ex alia materia paratum.

Quomodo se habẽdus Æger.

DCIX. Hoc assumpto medicamento *Æger se componat in lecto ad sudorem promovendam*, *tegendo se mediocriter*, hoc est, tot vestibus, quot sine anxietate poterit ferre.

Si nec Sudor nec vomitus, nec dejectio sequatur, quid agendum.

D C X. *Post hora dimidium*, *si nec sudor*, *nec vomitus*, *vel alvi dejectio* sequatur, assumat *jusculum*, *vel cerevisiam*, *vel vinum calens*; idque subinde repetatur, donec alterutra observetur evacuatio; eaque satis sufficiens.

DCXI. Quod *si post horam unam vel alteram neutra consequatur*, nil obstat, *novum ægro exhiberi medicamentum*; quin & *urgentibus angustiis tertiam*.

Quando plurimùm periclitetur æger.

DCXII. Illud enim observandum, *nisi ab assumpt sæpiùs medicamenta vel sudorifera, vel vomitario*, *sequatur vel sudor*, *vel vomitus*, *alvive dejectio*, *aut tollatur saltem minuaturve Cordis anxietas*, *plurimùm periclitari ægrum*: signum enim est, *Venenum pestilens aut copiosum*, *aut valdè volatile*, *aut valdè acre* existere in corpore: quocirca spes est in angustia.

Quando benè sperandum.

DCXIII. Quòd si contra *sursùm vel deorsùm fiat excretio*, *sudor saltem copiosus proflaat*, *Cordis anxietas & nausea minuatur*, *atque Pulsus major & robustior reddatur*, *benè sperandum* de Cura felici.

Post sudorem agendum.

DCXIV. Hæc autem ut festinetur ac promoveatur, non tantom *post finitum sudorem*, sed *ipso adhuc durante*, *mixturæ Cardiacæ & Acidis præsertim constanter* cochleatim sunt ac per intervalla brevia Ægro exhibendæ, quò *restituatur Acidum*

dum in ipsum fractum, *Sanguinique sua conservetur, restituaturve Consistentia*, sine qua diu superesse in vita homini nulli datum.

Quamdiu Pestis signũ remanet, in quibus pergendũ.

DCXV. Quamdiu verò aliquod Pestis adhuc urgentis signum in Ægro remanet, tamdiu in *medicamentis Salem Volatilem figentibus, acremque temperantibus*, & *Acidum restituentibus* pergendum; ne *Venenum neglectum ac sibi relictum novas vires acquirat, & inopinatò ægrum nimis securum opprimat & è medio tollat.*

Hac methodo multi ab Autore curati.

DCXVI. Hac certè ratione ac methodo felicissimè Ægros multos curavi, at illa neglecta plures pereuntes vidi; atque non rarò immorigeros ac sui negligentiores, quamvis frustra, monui, ac meæ saltem conscientiæ sic satisfaci.

Vomitoria quando exhibenda.

DCXVII. Illud tamen fateor, *me hactenus à Vomitoriis abstinuisse*, cùm olim, quàm nunc, minùs mihi probarentur: hoc autem anno paucis præsui peste correptis; nullis autem, quibus illa putarem futura utilia: nisi enim mox in principio exhibeantur nauseabundis ac satis robustis, necdum capere possum, qui utili queant conducere.

DCXVIII. Adde quòd, quotquot ex notis Medicis eadem cum felici successu se usurpasse narrarunt, se illa mox in principio usurpasse retulerint, atque sic suo experimento meam sententiam confirmarint.

In formulis Medicamentorum minimum consistere.

DCXIX. Hactenus Internam Pestis Curam per compendium tradidimus, in formulis variis formandis minimè hærentes, postquam illas aliis locis abundè exhibemus, atque in illis partem Artis minimam consistere putamus: Neque facilè in medicamentorum formulis laboravit, quisquis suas Indicationes ritè noverit deducere, atque Indicatorum suorum materiam habebit in promptu.

Symptomatum in Peste curatio.

DCXX. Tradidimus autem generalem Pestis Curam, necdum tamen Symptomatum peculiarium Curam peculiarem attigimus, quàm forsan satiùs erit, nunc exhibere, ac priusquam ad externam Bubonum, Anthracum ac Petechiarum Curam accedamus, cùm & hæc quoque pro peculiari horum Symptomatum & Affectuum Cura sit habenda.

1. Appetitus prostratus quibus restituendus.

DCXXI. Ut proinde eodem, quo in superioribus, pergamus ordine, 1. *Cibi appetitus prostratus restituetur Acidis*, quovis modo assumptis: & imprimis *Salis Spiritu dulci*, ut & *Elixire proprietati*, aut cum potu ordinato aut cum mixturis cardiacis usurpatis. Ubi notandum, cùm paucis ut plurimùm diebus vim suam deleteriam exerere soleat Venenum Pestilens, non esse operæ pretium, ut mox in principio de Appetitu restituendo sit valdè sollicitus Medicus, quandoquidem, superato per Acida quoque Veneno, idem spontè sensim redit; quòd si tamen segniùs revertatur, prædictis sæpiùs usurpatis reparabitur citiùs.

2. Sitis quibus minuenda.

DCXXII. 2. *Sitis* in Peste *aucta* & multis valdè molesta minuetur itidem *Acidis* Potui ordinario additis, Spiritu Salis; Vitrioli, Nitri, Sulphuris, &c. Aceto stillatitio, Lapide quoque prunellæ ac similibus: quibus non tantùm sitis aucta minuetur, sed insuper Pestis ipsius Symptomata primaria corrigentur.

3. Nausea quibus compescenda.

DCXXIII. 3. *Nausea* sæpenumerò valde gravis compescetur iisdem *Acidis*; sed *Austeris magis*, & quandoque *Opiatis*, Theriaca, Diascordio, Laudano Opiato, &c.

DCXXIV. Inter Acida Austera commendantur Fructus & Surupus Berberorum, Granatorum Acidorum, Mivæ & Caro Cydoniorum, &c.

4. Vomitus quibus sedandus.

DCXXV. 4. *Vomitus* iisdem, quibus Nausea, compescetur, sed potentioribus, diutius saltem usurpatis.

5. Cordis Anxietates quibus tollenda.

DCXXVI. 5. *Cordis anxietates*, Nauseam Vomitumque aut præcedentes, aut comitantes, aut consequentes curabuntur modò dictis medicamentis, sed additis simul Spirituosis, Aqua vitæ multifariè parari solita & Aromatica: quò Veneni pestilentis Acrimonia simul queat demulceri.

6. Alvi fluxus quibus compescendus.

DCXXVII. 6. *Alvi fluxus* tàm multis lethalis compescetur Medicamentis Austeris & Adstringentibus, tàm simplicibus, Terra sigillata quavis, & Bolo Armena, &c. quàm Compositis, Theriaca, Diascordio, &c. sæpiùs minore quantitate usurpatis.

7. Aphthæ quibus curanda.

DCXXVIII. 7. *Aphthæ*, quoties simul concurrunt, Gargarismos desiderant ex sempervivo majore, plantagine, & similibus decoctis, ut & Linctus ex Syrupis, violaceo tàm simplici, quàm composito, de Portulaca, Jujubino, &c. additis subinde aliquot Spiritus Salis guttis.

8 Leipothymia quibus curanda.

DCXXIX 8 *Leypothymia* curabitur imprimis *Acidis, sed temperatioribus*, Bilem Acriorem, halituum nempe Causam Efficientem, compescentibus, Spiritu Salis dulci, & similibus in potu exhibitis; additis semper Spirituosis & Aromaticis blandis sive Oleosis ad ipsorum halituum contemperationem ac discussionem necessariis.

9. Pulsus Parvus, Debilis & Frequens quibus corrigendus.

DCXXX. 9. *Ad Pulsus Parvi, Debilis, Frequentis, ac mirè Inæqualis* correctionem convenient omnia Sanguinis, ejusdem humoribus vitiatis corrigendis proposita in superioribus in cura Pestis interna.

10. Cordis Palpitatio quibus tollenda.

DCXXXI. 10. *Cordis Palpitationem in* Peste tollent omnia Humores Halitusque Acres tunc imaginabiles corrigentia aut temperantia, *Acida sed blanda, ut & Olea Aromatica*, Spiritus Salis vel Nitri cum Spiritu Vini dulcis factus, Sal Volatile quodvis, sed Oleosum, &c.

11. Syncope quibus curanda.

DCXXXII. 11. *Syncopen in* Peste contingentem curabunt *Acida cum Spiritu Aromatico juncta*; quò & deficiens fractumve Acidum reparetur, & Salis Volatilis Acrimonia tum infringatur, tum temperetur.

12. Sanguis fluidior factus quibus corrigendus.

DCXXXIII. 12. *Sanguinis in Peste fluidior factus* recuperabit amissam consistentiam *Acidis* vicea assumptis.

13. Urina incerta & varia quibus corrigenda.

DCXXXIV. 13. *Urina* Peste infectorum *incerta & varia* corrigetur usurpatione Medicamentorum diversitatis cujusvis Causas emendantium, & imprimis Salem Volatilem Acriorem contemperantium, fixantiumque; de quibus actum in superioribus.

14. Sudor male habens quibus emendandus.

DCXXXV. 14 *Sudor parciùs prodiens* promovebitur Sudoriferis, uti jam dictum, per vices assumptis; *Copiosus* verò, nec tamen Ægrum levans, Acidis temperatioribus per intervalla usurpatis, una cum spirituosis Aromaticis; *Fœtens*, Confectione Alkermes, aliisque odorem suavem spirantibus; *Frigidus* Aromaticis spirituosis cum spiritu salis dulci mixtis emendabitur.

15. Exhalatio Fœtens quibus emendanda.

DCXXXVI. 15. *Exhalatio Fœtens* etiam sine sudore ex Ore, naribus, & aliunde prodiens emendabitur medicamentis sapotis, odorisque grati ægris exhibitis, atque suffitibus similibus circa ægros excitatis, ex Aromatibus, plantisve Aromaticis una cum Aceto mistis.

16. Sensus externi debilitati quibus redintegrandi.

DCXXXVII. 16. *Sensus Externi* in Peste non parùm *Debilitati* redintegrabuntur post superatum ejectumque foràs Venenum *Spirituosis Aromaticis*; Animales Spiritus reparantibus ac depurantibus, & ad motum ordinatum reducentibus.

17. Dolores ac molestiæ quibus tollenda.

DCXXXVIII. 17. *Dolores ac molestiæ* in Peste tam frequentes sopientur ac tollentur imprimis *Opiatis & Anodynis* tàm externis, quàm Internis; additis tamen ubique iis, quæ vitiosos in corpore humores corrigant, expellantque.

Nempe Opio & Opiatis.

DCXXXIX. Primas hic tenet *Opium* inter vulgò nota, & quodvis ex aut cum Opio paratum medicamentum *Theriaca, Mithridatium, Diascordium, Philoniam Romanum, Requies Nicolai, Sy-*

rupus

rupus Papaveris Albi, *Diacodion*, Laudanum Opiatum, &c.

Emulsionibus. DCXL. Huc spectat Emulsiones ex *Hordeo*, *Amygdalis dulcibus*, *Seminibus papaveris Albi*, *quatuor frigidis majoribus* & similibus paratæ.

Sulphure Vitrioli Anodyno. DCXLI. Huc referenda, *Sulphur Vitrioli anodinum vel narcoticum dictum*, & similia ex mineralibus & metalis parata plura.

Unguentis. DCXLII. Huc spectant *Unguenta*, *Martiatum*, *Althææ simplex & compositum*, &c. quibus Opium quoque addi potest.

Et Oleis. DCXLIII. Huc referenda *Olea Liliorum alborum*, *Amygdalarum dulcium*, *anethinum*, *chamelinum*, &c.*

DCXLIV. Atque horum omnium variis modis inter se atque cum aliis commixtorum ope Dolores in Peste molestissimi leniri, sopiri, vel tolli possunt.

Ardor quibus minuendus. DCXLV. In specie autem molestus tunc Ægris *Ardor* minuetur usurpatione frequentis *Acidorum*, ac præsertim temperatiorum & gratiorum, & quæ potentiùs feliciusque agent, si sudor simul blandè moveatur.

Quibus Lancinationes. DCXLVI. *Inquietudo* autem minuetur ac tandem tolletur tum *Opiatis* tum *Sudoriferis* jam memoratis.

Quibus Dolor Capitis. DCXLVII. *Lancinationes* molestæ *Saltem Volatilem Oleosum* desiderant.

DCXLVIII. *Capitis Dolor* in peste tam gravis, *Opiatis* tum internis, tum externis, cedet. Conducet imprimis Epithema ex Aqua Betonicæ aut Rosacea; Aceto Sambucino vel Calendulæ, & opio paratum, ac toties, quoties iterum exsiccetur, tepide fronti ac temporibus cum linteo applicatum.

Quibus Dolor Lumborum. DCXLIX. *Dolor lumborum* cedet imprimis *Acido blando*, & *Laudano Opiato* cum Aquis aromaticis & spirituosis cochleatim per vices exhibito.

DCL. *Cardiaglia sive Ventriculi Dolor* Nauseæ toties copulatus levabitur ac tolletur medicamentis plane similibus per intervalla brevia quantitate parva usurpatis.

18. Vigiliæ quibus minuenda. DCLI. 18. *Vigilias* in Peste molestas minuent ac desideratum somnum producent, quæ Dolores, ac Inquietudinem Vigiliarum præcipuam causam tollunt, leniuntve *Anodyna vel Narcotica*, sed prudenter ac per vices usurpata.

Somnus gravis quibus frangendus. DCLII. *Somnum* contra gavem, profundumque, Vigiliis periculosiorem frangent omnia *Sensus externos potenter moventia*; & imprimis *Acria Acida* Naribus admota, vel internè usurpata, cùm præterea vim habeant oppugnandi Venenum Pestilens, ac reparandi defectum Acidi.

Acetum stillatitiũ Opii Correctoriũ. DCLIII. Quòd si à Bilis parte Oleosa producatur Sopor ille gravis, & hoc nomine conducent Addum Acre, quo & Oleosum penetrare, & idem corrigere possit.

19. Deliriũ quibus curandum. DCLIV. Idcircò forsan optimum Opii correctorium ac menstruum est *Acetum stilatitium*; ne, si non destillatum assumatur, nimiùm infringat vim ejusdem.

DCLV. 19. *Delirium*, cùm sequatur vel sensum Externum errantem, vel Imaginationem, ingeniumve vitiosè agentia, vel Animi Affectus graves, Animamque potentes turbantes, curabitur emendando vitia enumerata; & imprimis *Dolores ac Molestias sensum* Externorum, sicut dictum corrigendo: *Imaginationis* verò & *Ratiocinationis Defectus solidis rationibus* diligenter inculcatis reparando: *Animi* denique *Affectus* quosvis, ac præsertim *Panicum Terrorem* componendo viis & modis posteà secuturis.

20 Memoria laboranti quomodò succurrendum. DCLVI. 20. *Memoriæ* quovis modo in Peste laboranti non video aliter posse succurri, quàm conferendo inter se illa, quæ supersunt, & inde deducendo atque concludendo imo restituendo quæ perierunt: Ubi autem in totum exciderunt omnia, ab ovo erit Rerum omnium amissarum Idea reparanda, & gradatim aliquid coacervandũ, quod post modùm serviant. Neque puto Memoriæ rationem satis esse hactenus observantiam; postquam, sicut in plerisque fieri solet, non tam investigatur cujusque rei ratio, quam aliorum de ipsa præjudicium vel placitum; circa cujus examen aut vexamen hærent plerique de quæsitæ rei veritate minùs solliciti.

DCLVII. Optandum quidem foret omnes ac singulos, qui Doctorum nomen gerunt, atque aliorum informationi aut viva voce aut scriptis suis, vel ex officio vel ex affectu proprio serviunt, videri saltem volunt se servire, nihil proponere, nisi quod ipsi norint, atque hactenus Discipulis suis ostendere atque explicare possint. *Doctoribus nihil discipulis proponendum nisi quod noverint.*

DCLVIII. Quòd si proinde juberentur ac cogerentur silere illa, quæ ignorant, quæque Psittacorum ad instar ex aliorum tantùm relatu & dictis vel scriptis à se tàm sæpè ob ignorantiam corruptis promunt; bone Deus! quàm multi observarentur muti, qui nunc existunt mire garruli. Bonum autem publicum non parùm promoveretur, dum à quovis perito addisci possent hactenus nota, & ad ignota indies eruenda excitarentur Ingenia perspicacia, quæ nunc non rarò impediuntur, ac sistuntur ab hominibus ambitiosis, atque Doctorum nomen, quam actum sæpiùs possidentribus. *Eius utilitas.*

DCLIX. Certè longè satiùs foret, unumquemque id tantum docere, quod novit; atque silere de iis, quæ ignorat; quinimò candidè suam testari & agnoscere ignorantiam; quò alii non sistatur in opere, verùm excitentur ad latentem veritatem quærendam & inveniendam, postquam non est in homine, licèt ingenioso, ut omnem inveniat veritatem, quam vult sæpenumero Deus erui à minùs industriis; ne quis præ aliis superbiat, quin omnes Dei donum agnoscant, celebrentque, non est enim & hic quoque currentis aut volentis, sed Dei miserentis, atque dona sua pro suo beneplacito liberrimè unicuique diversimodè largientis.

DCLX. Quisquis proinde Dei gloriam in ejusdem operum manifestatione, adeòque Veritatis cognitione & agnitione consistentem unicè diligit & quærit, eidem perinde erit, an per se aut per alium, nunc vel illum, prout occasio à Divina providentia directa feret, eò perveniat, dummodò eò pervenire possit. *Veritatem Amantis Constitutio.*

DCLXI. Quinimò paratus erit quivis imperscrutabiles Dei vias & admirabilem Donorum ejusdem dispensationem per nebulam contemplans & obscurè duntaxat in hac miseriarum & infirmitatum valle assequens, curtæque in rerum cognitione supellectilis suæ conscius, quovis tempore tum errores suos deponere, tum defectus supplere, tum vera pro falsis mutare: quod nunquam expectandum ab hominibus, aut superbè suis figmentis, aut serviliter alienis commentis adhærentibus, easdemque mordicùs per fas ac nefas tuentibus, sicuti hic & alibi indies fieri videmus: ubi, quod Ignorantiæ indictum priùs, mox dissentientibus infertur bellum ab hominibus Doctorum nomen duntaxat affectantibus.

DCLXII. Sed pergamus. Ergò 21. Inter *Animi Affectus* in Peste molestos, *Metus & sollicitudo anxia* Ægros mirè torquens tolletur, minuetur saltem, considerando, ne unum quidem capillum excidere homini absque Dei voluntate, atque ita pendere ab ejus nutu omnia, ut quemadmodùm nihil possumus addere nostræ staturæ, quam à Dei præscripto habemus singuli diversam, ita omnes adversitates, ipsique adeò Morbi, & tandem Mors contingant nobis ad incomprehensibilis ac ineffabilis ejus Sapientiæ Bonitatisque beneplacitum. *21. Metus & sollicitudo quomodo tollendi & minuendi.*

DCLXIII. Utique nihil æquè Animum humanum ad plenam tranquillitatem & acquiscentiam deducet, quàm Dei omnia in bonorum bonum dirigentis Sapienta, Bonitas, Potentia, Misericordia, *Quid Animum humanum ad tranquillitatem deducat.*

Syncopes Signum Pathognomonicum.

CCXL. Cùm proinde in Syncope aboleti soleaot semper Pulsus & Respiratio permanentes iu Apoplexia; ab hisce imptimis deducendam puto Syucope Naturam. Id enim pro *Signo pathognomonico Syncopes* habendum, *Pulsus*, ioquam, & *Respirationis Abolitio*: quoniam in sola Syncope, durante vita, aboleri potest Pulsus & Respiratio, & illis abolitis de Syncopes præseotia judicium fert Medicus.

Quando Pulsus & Respiratio salva vita aboleri queant: Vita unde pendeat.

CCXLI. Cùm autem tum in Syncope, tum in Morte aboleri soleat tam Pulsus, quàm Respiratio; videndum, quando salva vita functio illa utraque possit uboleri, quando cum ejusdem interitu.

CCXLII. Suppooemus autem nunc, quod aliàs docuimus, & in confesso putamus esse apud omnes Medicos, *Vitam nostram naturalem*, de qua impræsentiarum agimus, *pendere à conservatione Ignis, Calidive Innati Corde perpetuati & quaquaversùm unà cum Sanguine ad partium singularum vivificationem propulsi.*

Ignis vitalis ubinam accendatur.

CCXLIII. Nec repetemus hic, quod itidem aliàs nos si non evicisse, saltem tanquam valdè probabile osteodisse putamus, *Ignem illum Vitalem ac Vestalem in dextro Cordis Ventriculo accendi per Effervescentiam Sanguinis utriusque Ascendentis ac Descendentis, perpetuò ad Cor affluentis.*

CCXLIV. Sanguinis, inquam, *Ascendentis* ratione admistæ Ipsi *Bilis Sale lixivo, sed Volatili & Oleoso, præditæ.*

CCXLV. Sanguinis *Descendentis* verò, ratione admistæ Ipsi *Lymphæ*, & huic accedentis *Succi Pancreatici*, vel potiùs Liquoris ex Succo Pancreatico, Bile, ac Pituita in tenui Intestino confluentibus ac simul Effervescentibus parati, & quidem *Spiritu Acido* prægnantis.

CCXLVI. Hoc ergò præjudicium nostrum itidem supponentes, applicabimus ipsum pulsui & Respirationi in Syncope abolitis.

Quamdiu conservetur in Corde Ignis vitalis

CCXLVII. Quamdiu ergò 1. *Sanguis* ad Cor undique refluens laudabilis existit, aptusque est recipiendo sustentandoque Igni iu dextro Cordis Ventticulo in prædicta Effervescentia erumpenti.

CCXLVIII. Quamdiu 2. *Bilis & Lympha*, sub quia *Pancreaticum Succum* uunc comprehendo, cum Sanguine ad Cor accedentes aptæ sunt in suo confluxu ita effervescere, ut ex se latentes iguis particulas emittant.

CCXLIX. Tamdiu conservatur in corde prædictus ignis vitalis; tamdiu Idem Sanguini se insinuat, eundemque rarefacit; tamdio Cordis Ventriculus dexter dilatatur; tamdiu Idem eo ipso ad reciprocam sui contractionem itritatur; tamdiu præsenti sufficienti Animalium Spirituum copia Cor Contrahitur; tamdiu Sanguis in Arterias propulsus easdem expandit, & pulsum io carpo & alibi observari solitum producit.

Quando deficit in corde ignis vitalis, quaenam consequantur.

CCL. Quando autem aut 1. *Sanguis est recipiendo, sustentandove Igni vitali*: aut 2. *Bilis vel Lympha* cum Sanguine ad Cor accedens *inepta est talem producere Effervescentiam*, in qua erumpant partes Igneæ in ipsis latentes, *definet accendi in Corde Vitalis Ignis*, desinet *Sanguis rarefieri*, desinet *Cor ad sui contractionem irritari*, desinet *Cor contrahi*, desinet *Sanguis in arterias propelli*, desinent *Arteriæ expandi*, ac *Pulsus in carpo & alibi produci.*

Ob pauciores, vel nullos Spiritus Animales quaenam fiant.

CCLI. Quando etiam 3. (qood propter Apoplexiam cum Syncope in multis convenientem affero) *Spiritus Animales ad Cor pauciores, vel nulli ampliùs* accedunt, tunc itidem *cessabit Cordis*, utut irritati, *Contractio*, cessabitque *Sanguinis in Arterias expulsio*, & *Pulsus*.

In quo differat in Syncope pulsus abolitus, à pulsu in lethali Apoplexia tandem abolito

CCLII. Ex quibus cùm elucescat, Cessare atque aboleti posse pulsum vel *vitio Sanguis, eorumque quæ Sanguini* admiscentur, vel vitio *Cordis & Spirituum Animalium* Cor Contrahentium: puto quoque sedulis rerum uaturalium scrutatoribus, & OEconomiæ humanæ gnaris abundè patere, in quo differat pulsus in Syncope abolitus à pulsu in lethali Apoplexia tandem quoque abolito.

CCLIII. *In Syncope* namque *aboletur Pulsus Sanguinis Contentorumque in Sanguine culpa*; in *Apoplexia* verò aboletur idem pulsus à *Spirituum Animalium ad Cor mittendorum defectu*, aut impedito eorundem ad ipsum motu.

In Peste non rarò permanere motū Animalem, quamvis debilis ac deficiens sit pulsus.

CCLIV. Hæc verò omnia ut Syncopæ, affectui ex professo nunc à nobis considerato, applicemus, & quo intendimus, eruamus; in peste non rarò permanet motus Auimalis, quamvis debilis, intermittensque, ac tandem cum morte inopinatò supervenieute deficiens observetur pulsus.

Unde deficit Pulsus in Peste infectis.

CCLV. *Non deficit* proinde *Peste infectorum Pulsus* ex *Spiritum Animalium defectu*, aliàs omnis Motus Animalis simul cessaret, deficeret atque aboleretur; *sed ob vitium in Sanguine ipso existens, aut à quibusdam ejus partibus vitiosis dependens.*

Sanguinem à veneno pestifero corruptum quaenam sequantur mala.

CCLVI. Quòd si *Bilis Acrior tunc à Veneno pestifero reddatur, aut idem Venenum Sale Volatili & Acri constans Sanguini admisceatur*, ubi ad Cor accedet, non tantùm *potr nius Acidum*, quod in Sanguine oaturaliter reperitur, *aggredietur, sed idipsum ita evertet, ut suam Sanguini consistentiam tribuere non possit*, quocirca iueptior erit Sanguis ad sui rarefactionem, iueptior ad Cordis Veottilorum dilatationem; quio minùs ad sui contractiouem irritabitur Cor, unde & minùs, & debiliùs, & rariùs contracto Corde, pulsus fiet Arteriarum & minor, & debilior, & subinde intermittens, taudem Deficiens; atque sic, *tanquam Syncope, peribit Æger; imprimis ubi concurrent anxietates circa Ventriculum excitatæ, halitusque graves quaquaversùm propellentur, atque sudor simul erumpens adventante morte reddetur frigidus.*

Ad ignem Vitalem laudabilem quaenam requirantur.

CCLVII. Ut enim Ignis Vitalis & blandus producatur contiouè in Corde, opus est, ut proportio servetur laudabilis inter Amarum Bilis & Acidum Lymphæ, quò blandè simul effervescentia Igneas particulas ex sese promant, quæ partibus Sanguiois butyrosis, sed sufficienter ab Acido admisto coagulatis & condensatis, sese insinuare possint, & in ipsis sustentari, non item ab iisdem fluidioribus obrui & suffocari.

Idem à quonam obruatur.

CCLVIII. Obruetur autem Ignis Vitalis à Sanguine minùs consistente ac fluidiore, quoties ipsius Acidum minuitur aut infringitur, & quidem à Sale Volatili & Actiore facto atque simul aucto.

Syncopen ortum ducere à Sale Volatili & Acri.

CCLIX. Potest igitur Syncope ortum ducere à Sale Volatili & Acri, & hactenus quoque Venenum pestilens in tali Sale coosistere: quod erat probandum.

Symptoma Pestis Sanguis solito fluidior.

CCLX. Inter Pestis signa & Symptomata recensetur quoque *Sanguis solitò fluidior, minùsque concrescens*: qualem in plerisque malignis febribus observari notaot practici.

Non semper.

CCLXI. Non ignoro, Sanguinem omnem fluidiorem nec concrescentem non semper observari in peste, cæterisque febribus maliguis, sed aliquando etiam concrescentem tunc temporis educi.

Et quando.

CCLXII. Sed illud accidet, quamdiu pulsus permanet satis magnus; quamprimùm verò idem minor redditur & talis permanet, noo dobito asseverare, ipsum Sanguinem tunc quoque futurum fluidiorem, suamque tunc amisisse consistentiam.

CCLXIII. Et quamvis Ego iu tali casu ounquam curaverim aperiri venam, ut extracto tunc Sanguine confirmare possem opinionem meam, quoniam id contra meam conscientiam tuuc facerem; oon puto tamen alios itidem occurrere, qui ausint asserere, institutam tunc à se Venæsectionem, eductumque Sanguinem consistentiæ laudabilis.

CCLXIV. Absit verò, ut cum Ægrorum periculo & futuro damno faciam experimentum ullum; præsertim cùm tunc subinde spontè

effluens

effluens Sanguis satis superque dictum meum confirmer.

CCLXV. Quamvis igitur non negem, posse in Pestis initio educi Saoguinem concrescentem, oego tamen illum talem prodire, ubi pulsus ex magno factus est parvus, ex robusto debilis, ex æquali Intermitteos, ac dominium accepit Veneoum.

Ejus causa.

CCLXVI. Cùm proiode, consentientibus plerisque, Sanguis per Veoenum pestilens plus minùs amittat suam consistentiam naturalem, meritò quæritur, unde illa consistentia pendeat, quid illam tollere valeat.

CCLXVII. Respondeo autem paucis, cùm idem pluribus jam me probasse putem, Consistentiam cootingere Sanguini ab Acido; tolli autem eodem aut deficiente, aut debilitato. Nihil autem æque Acidum debilitat & infringit, quàm Sal & quidem acre: cui si Volatilitas accedar, idem potentiùs ac celeriùs efficiet.

CCLXVIII. Potest igitur Sanguinis consistentia minui & tolli à Sale valdè volatili & acri: potest proinde ab eodem hactenus producti Pestis; quod erat probaodum.

Vrina via.

CCLXIX. Inter corporis excrementa è Sanguioe prodeuntia meritò primus locus tribuitur *Urinæ*, utpote quæ ex Sauguioe ad Renes delato ibidem secernitur, mox in Pelvim depluit, ac inde per Ureteres ad Vesicam delabitur, in qua plùs minùs retenta per Urethram excernitur.

Ejusdem in peste mutationes, & diversitas.

CCLXX. Hæc *Urina* miras subit in Peste mutatiooes, dum, uti jam diximus in superioribus, *aliquando nihil vel parùm recedit ab Urina Saaorum*; aliquando *veltenus* prodit *& cruda*, vel *crassa & turbata*, jumentorumque urinæ similis; aliquando, & imprimis ubi omnia ruunt in pejus, *colorem habet plumbeum vel lividum*; aliquaodo *fætorem* habet comitem, aliquando *nullum*; quin aliquando *olei colorem & consistentiam* imitatur.

Usus.

CCLXXI. Tanta est à Practicis observata diversitas in Urina Peste insectorum, adeò ut oihil forsan magis varians observetur io Ægris, quàm Urina: unde concludere licet, nihil ad pestem dignoscēdam facere Urinam; quamvis ad periculum auctum manifestandum nonnunquam inservire queat.

Causa.

CCLXXII. Si quis autem ad ea, quæ hactenus proposui & adhuc volente Deo proponam, ritè & accuratè attenderit, oon mirabitur diu tantam Urinarum in Peste differentiam.

Sanguis variè se habeas.

CCLXXIII. Cùm enim Urina, uti jam dictum, secernatur à Sanguine ad Renes delató, & satis propinque à Corde prodenoté, utique, prout diversimodè se habebit Sanguis è Corde prodiens, ita diversa separabitur ab ipso Urina; quod in Sanis quoque fieri observamus, & non semel tum publicè, tum privatim Auditores oostros monuimus, plurimùm scilicet aliquot aote & post cibum assumptum horis excretam Urinam differre, & quidem ob mutata ea, quæ unà cum Saoguine ad Cor feruntur: Chylo namque qualicunque illa debetur mutatio,

A Chyle.

A Bile.

CCLXXIV. Quòd si à Chylo solo & quidem ritè coostituto sequatur notabilis mutatio in Urina, certè non mirum, si à Causa præter naturali aut immediatè, aut per mediam bilem, eamque vitiatam, Sanguini communi ata, & Sanguinis effervescentia, hancque consequeotes ejusdem in corde atque Vasis Alteratiooes Mutationesque omoes vitientur, Ipsaque adeò Urioa multis modis mutata secernatur, excernaturque.

Et à Cateris, quæ in variis partibus parantur.

CCLXXV. Cùm ergò non tantùm Cordis Functiones, at Ventriculi quoque, Intestinorum, & aliæ, observeotur modis variis & nonnunquam sibi contrariis labefactari, quis non videt, illa quoque, quæ in partibus illis parantur, vitiari? & cùm pleraque in Sanguinis massam refundantur, Effervescentiam, cæterasque Sanguinis contingeotes Mutationes inde turbari, unà cum Urina secernenda, excernendaque.

CCLXXVI. Observatur autem in Peste Pulsus, quemadmodùm sæpiùs repetitum, nunc magnus, ounc parvus; nunc robustus, nunc debilis; nunc frequens, nunc rarus; nunc intermittens aut deficiens; Hujus diversi pulsus rationem non ab unà, sed pluribus causis & humoribus in corpore existentibus, & ad Cor delatis pendere docuimus abundè; Ab iisdem igitur similiter deducenda erit Urina tantoperè in Peste varians.

Vrina pessima à Sale Volatili & Acri.

CCLXXVII. Cùm verò hactenus notata Symptomata gravissima ostenderim, posse suum à Sale Volatili & Acri habere ortum, iisdem argumentis puto sequi, Urinam, pessimam prælertim, ab ipso posse deduci.

Vrina Oleaginosa & livida.

CCLXXVIII. Quoties enim à Veneno pestilenti Sal Bilis Volatile Acrius est factum, vel immediate tale Sal Sanguioi est consutum, continget in Corde oon blanda & lenis, sed Acris & omnia conturbans Effervescentia; quam consequetur partium Sanguinis omnium oon tantùm confusio præternaturalis, per Urinam turbatam, sed noonunquam insuper corruptio lethalis, per Urinam Oleaginosam dictam, aut lividam se manifestans.

CCLXXIX. Meritò proinde à Sale Volatili, sed Acriori, deduci potest Urina quævis valdè ac pessimè mutara in Peste: unde hactenus quoque confirmatur Pestis ortus è Sale Volatili, sed Acri.

Sudor in quibus ab Vrina differat.

CCLXXX. Post Urinam proximus assignandus inter Excrementa *Sudori* locus, quippe qui non tàm materia, quàm secretionis loco & excretionis via creditur differre ab Urina.

CCLXXXI. Postquam in commune mortalium bonum Conjecturas oostras de Veneni pestilentialis natura ingenuè aperuimus, earundem quoque ratiooes, ne scilicet mancipia potiùs nostrarum opinioourn comparare, quàm Veritatis sectatores formare videamur, cœpimus in medium proferre.

Venenum pestiferum in Sale Volatili & Acri consistere.

CCLXXXII. Asseruimus namque, videri nobis Venenum pestiferum io Sale tum valdè Volatili, tum simul valdè Acri consistere.

Id Auctorem non habere à revelatione divina nec angelica.

CCXXXIII. Illud autem non habemus ab *ulla revelatione Divina vel Angelica*, quemadmodùm aliqui auctoritatem figmentis suis conciliaturi solent nugari.

Nec per Somnium aut ecstasin.

CCLXXXIV. Sed oec *in Somno aut ecstasi tale* quid quovis demum modo fuit menti nostræ oblatum, ut idem aliis aniliter credendum obtrudamus.

Nec per Ideam innatum.

CCLXXXV. Neque ullam *Veaeni pestiferi Ideam innatam* in mente, nostra offendimus, ex cujus consideratione attenta ipsius essentiam describere possimus; qui pro vigilantium somniis habemus tamdium quascunque Ideas innatas, donec vel unicam reverà in omnibus hominibus reperiri, non tantùm temerè audacterque asseveratum, sed solidè ac oervosè probatum observaverimus.

Sed ex suis effectis per sensus innotescentibus.

CCLXXXVI. Verùm illius Veneni pestiferi, sensus scilicet nostros externos fugientis, naturam essentiamque *ex suis effectis, sive actionibus & passionibus* per *sensus externos nobis innotescentibus*, omninò & tantùm deducendam cententes, laborem Medicinæ Candidatis haud inutilem, quin necessarium, oos suscepisse putamus, quaodo cœpimus tum ab omnibus *Symptomatibus* in Peste aut sæpiùs aut rariùs occurrentibus, tum à *Medicamentis* corpora nostra vel contrà pestilens Venenum *munientibus*, vel ab ipso *liberantibus* Salem prædictum arguere.

Symptomata pestis esse à Sale Volatili.

CCLXXXVII. Existimamus enim nos hactenus ostendisse & *Cibi appetitum prostratum*; & *Sitim auctam*; & *Nauseam*; & *Vomitum*; & *Cordis anxietates*, & *Alvi fluxum*; & *Aphthas*, & *Animi deliquium*; & *Pulsum* omnibus modis Inæqualem, Intermittentem, Deficientemque; & *Cordis Palpitationem*, & *Syncopen*; & *Sanguinem* solito fluidiorem, miousque grumescentem; & *Urinam* multitariam

à re

à nulla causa commodius deduci posse; quàm à Sale valde Volatili & Acri.

CCLXXXVIII. Proximum est proinde, ut idem à *Sudore* in Peste diversimodè se habente deducamus.

Sudoris Varietates.

CCLXXXIX. Diximus namque, prodire in quibusdam *sudorem sponte*, illumque nunc *paucum* nunc *copiosum*; eundemque utplurimùm *fœtentem*; & quandoque *frigidum*; contrà verò in aliis *nullum* observari, sed *ne arte quidem* à Medicamentis potentibus elici posse.

Ejusque cum Urina convenientia & diversitas.

CCXC. Tùm autem meritò *Urinæ ac Sudoris eadem fere statuatur materia*, differantque imprimis *secretionis loco*, atque *excretionis via*, non sine causa ea, quæ suprà protuli de Urinis in Peste multifariis, in memoriam revocari opto.

Utriusque eadem materia.

CCXCI. Dixi, *eadem* statui vulgò, ac meritò *Urinæ Sudorisque materiam*; cùm non tantùm minùs mingant, qui multùm sudant, & contrà; verùm insuper, saporem penè eundem habeant Urina & Sudor; adde quòd iisdem remediis moveatur in plerisque & Urina & Sudor.

Secretionis locus diversus.

CCXCII. Addidi *secretionis loco differre*, cùm notum sit in Renibus secerni à sanguine Urinam; licèt dubitari possit etiam nunc, ubinam separetur ab eodem Sudor: certum saltem est, id non contingere in Renibus: sive quis putet, id fieri in ipsis Vasis, aut in Corporis habitu, hoc est, interstitiis mediis inter Arterias Venasque, aut in extremis Vasis Cuti insertis, vel potiùs in Glandulis miliaribus per internam cutis superficiem dispersis.

Ut & Excretionis.

CCXCIII. Urinam insuper ac Sudorem *differre via excretionis* asserui; notum enim est, Urinam per solam Urethram effluere, Sudorem autem per universos cutis poros.

Sudoris in peste diversi causa.

CCXCIV. Ut autem innotescat nobis magis Sudoris ratio in Peste tam diversi, considerandum quænam ex notis Causis soleant excitare ac promovere, quænam vice versa sistere aut impedire Sudoris effluxum.

Quænam causæ manifestæ sudorē excitent, & promoveant.

CCXCV. Ex *causis* ergò *manifestis sudorem tum excitare*, tum jam fluentem *promovere* solent 1. *Aer* tum *æstuans*, tum *humidus*. 2. *Corporis motus potens ac celer*. 3. *Animi anxietas & sollicitudo* magna. 4. *Alimentum potulentum*, tàm *copiosum*, quam *calens*, ac confertim *confestimque assumptum*. 5. *Vestimenta & Tegumenta* corpus gravantia, &, si quæ sunt, talia pluta. 6. *Medicamenta Sudorifera dicta*, inter quæ potentissimè id efficiunt, quæ *Sale Volatili blando ac Oleoso* sunt prædita, non item *Acrib*, quæ non nisi cum molestia sudorem solent aliquando tantùm producere.

Quænam ejusdem effluxum sistant.

CCXCVI. Sic ex causis omnibus notis & manifestis sudoris effluxum sistere ac impedire solent 1. *Aer* frigidus & siccus corpus ambiens ac feriens 2. *Corporis quies*. 3. *Animus tranquillus* & curis vacuus. 4. *Potus* defectus. 5. *Corpus nudum*, ac paucis vestibus munitum. 6. *Medicamenta Acida*, sed parùm vel nihil Volatilis admistum habentia. Unde ex hoc catalogo eliminandum Acetum, ejusque Spiritus Acidos, ut & Spiritus Salis dulcis dictus, & quivis alius per Vini Spiritum contemperatus.

CCXCVII. Ex quibus vulgò notis, & Sudorem tam movere quàm sistere solitis, accuratè consideratis expensisque non ita difficulter apparebit forsan, qui excitetur in nobis *Sudor*, *fere semper constans*, nunc quidem *magis Aqueo*, nunc verò *magis Salso*.

Aeris æstus qui sudorē excitet.

CCXCVIII. Utique 1. *Aeris æstus* quivis, vel à Sole, vel ab Igne vulgati productus, solvit humores in corpore nostro magis compactos & pituitosos, Aqueos verò, itidem fluidiores factos, potentiùs agitat per universum corpus, quin tum Vasorum omnium, tum cutis poros magis magisque aperit, sicque Aquæ sero in Vaporem soluto viam, exitumque patat ad Corporis superficiem, per quam Sudoris nomine erumpat; effundaturque.

Qui corporis motus vehemens.

CCXCIX. 2. *Corporis motus vehemens* & agitatio continuata Contenta omnia solito celeriùs ac potentiùs agitat, unde eadem, qualiacunque in ipso existunt, vim suam, quàm priùs exerunt magis, quin quaquaversùm propulsa fluidiora fiunt, Sudoremque præbent pro humorum in corpore contentorum diversitate, nunc Aqueum, nunc simul Salsum, nunc calidum, nunc frigidum, nunc tenuem, nunc viscidum, & sic porrò.

Qui Animi anxietas.

CCC. 3. *Animi sollicitudo & anxietas summa* modo mihì saltem hactenus inexplicabili æstum circa præcordia excitando, (an simul Bilem Succumque Pancreaticum copiosiùs ad tenue Intestinum propellendo, & singularem Effervescentiam producendo?) Sudorem proferre observatur.

Qui alimentum potulentum.

CCCI. 4. Sudorem movet *Alimentum potulentum*, & imprimis *Aqueum*, quatenus ipsi materiam suppeditat, & simul humores quosvis dissolvit, & quaquaversùm deducit; quòd efficit celeriùs ac potentiùs, si & copiosum assumatur, & confertim, & calens: ob easdem causas nunc & modò allatas.

Qui Vestimenta & Tegumenta

CCCII. 5. *Vestimenta & Tegumenta* corpus arctè concludentia vel gravantia Sudorem propellunt, quatenus & frigus externum à corpore arcent, & calidas exhalationes per poros erumpentes circa cutim sistunt, sicque Corporis calorem augent, unde, uti jam dictum, humores omnes magis magisque liquantur, & vi quaquaversùm propelluntur.

Qui Sudorifera.

CCCIII. 6. Denique *Sudorifera Volatili Sale prædita* præ cæteris omnibus & subitò & potenter Sudorem cient, quatenus de Bilis natura participantia in Corpore nostro Calorem augent; humores fundunt, solvuntque, quin potentiùs ac celeriùs quaquaversùm propellunt.

Aer frigidus qui sudorem sistat

CCCIV. Sudorem contrà sistunt vel impediunt 1. *Aer frigidus*, quatenus non tantùm poros cutis obstruit & claudit, sed imprimis per dictos cutis poros penetrans sanguini se admiscet, ac ipsius partes coagulabiles, serum præsertim inspissat & cogit, & ita partium Aquearum à cæteris separationem impedit ac sistit.

Sanguinis Serum qui coaguletur.

CCCV. *Coagulabile* dixi *Sanguinis Serum*, quod facili experimento quivis poterit observare: nam si cochleari exceptum candelæ imponatur, mox separata paucissima humiditate Aquea in gelatinam quasi concrescit.

Corporis quies qui sudorem impediat.

CCCVI. 2. *Corporis quies* Sudoris eruptionem impedit; quatenus tunc minùs quoque moventur in ipso humores, quin magis magisque in eodem concrescunt ac coagulantur, atque eo ipso inepti redduntur ad Sudorem promovendum.

Qui Animus tranquillus.

CCCVII. 3. *Animus tranquillus & curis vacuus* eatenus Sudorem impedit, quatenus in tali statu unà cum animo pacato sedatiores ac minùs agitati sunt Corporis nostri Succi.

Qui potus defectus.

CCCVIII. 4. *Potus defectus* Sudoris motum impedit, quatenus desideratur sæpe in sanguine pars Aquea, quæ Salsas & pituitosas diluat, & vehiculi loco ipsis sit ad Sudorem educendum.

CCCIX. Unde (ut hoc in transitu moneam) manifestum fit quorundam vel sciolorum, vel supra suos magistros ac duces sapere nolentium erratum satis grave, dum Ægris suis, etiam ubi Sudorifera ipsis exhibuerunt, & Sudor erumpere non vult, aut nequit, potum denegant, etiam jusculum calens: hinc non rarò animo penè linquuntur Ægroti, ac præ humiditatis defectu deficiunt; cùm contrà, si potus illis moderatus ac præsertim calidiusculus exhibeatur, observentur faciliùs & copiosiùs sudare ægri, ac simul in medio Sudore recreari. Hoc præceptum aut, si mavis, monitum practicum, tanquam millies cum summo successu expertus, omnibus ac singulis commendo Medicinam aliquando facturis.

CCCX.

Qui Corpus nudum, ac paucis vestibus munitum.

CCCX. 5. *Corpus nudum ac paucis vestibus* contra externi Aeris frigus *munitum* Sudorem sistere; norunt plerique Ægri Sudoris cum Critici, tum Symptomatici, tum Artificialis impatientes, ac idcircò corpus suum denudantes, quin non tantùm ea ratione Sudorem sistentes, at nonnunquam in gravissimum affectum, ipsamque adeò mortem se imprudenter conjicientes.

Qui Medicamenta Acida.

CCCXI. Dixi 6. *Medicamenta Acida*, sed imprimis Volatili Spiritu carentia Sudorem impedire, quod non tantùm testatur experientia, sed ipsa quoque evincit ratio.

Acidi virtutes.

CCCXII. *Acida* enim, qua Acida, & *Bilem*, primariam in nobis Caloris causam, *infringant* ac enervant, & *Sanguinem coagulant*, & *viscidis humoribus una cum pinguedine ortam præbent*. Hæc verò omnia Humorum motum, Ergò & Sudoris expulsionem impediunt.

CCCXIII. Aliter autem se habent Acida cum Volatili Spiritu juncta, quippe quæ longè debilius prædicta præstant, & humorum motum vix ac ne vix quidem impediunt, ergo nec Sudorem: quem non quidem promiscuè in omnibus, sed in quibusdam potiùs excitanr, quàm sistunt; & quidem ob certam bonorum in istorum corpore existentium dispositionem; propter quam Effervescentia excitatur ad Volatilium Acidiorum assumptionem, à qua elevati & quaquaversùm propulsi halitus sudorem quoque propellunt.

Sudorem in statu perfectè sano nunquam produci: sed à rebus non-naturalibus, causis morbificis, vel sudoriferis.

CCCXIV. Ex his ita causis manifestis, atque Sudorem tam moventibus, quàm sistentibus, præmissis puto non ita difficulter elici posse, *Sudorem nunquam in statu perfectè sano produci*; sed nunc à quibusdam *rebus non-naturalibus* dictis excessu peccantibus non-naturalem, nunc etiam à quibusdam *causis morbificis* vocatis præternaturalem; nunc *à Medicamentis sudoriferis* inde nominatis artificiosum excitari: & quidem imprimis eo, quem in variis causis descripsimus, modo.

Causa morbifica quatenus sudorem moveant.

CCCXV, *Causæ* autem *morbificæ*, hoc est, Corpus continens aut contentum ita immutantes, ut una pluresve functiones inde lædantur, videotur mihi eatenus *movere Sudorem*, quatenus simul talem *calorem in corpore excitant*, à quo solvantur & foras expellantur humores serosi, & alii: ac imprimis, quatenus *vitiosam* in tenui Intestino, aut dextro Cordis Ventriculo *efficiunt Effervescentiam*, quam modo jam aliquoties à me proposito excipiat Sudoris expulsio.

In Peste Sudorem diversimodè propelli.

CCCXVI. Hæc omnia ut tandem etiam præsenti nostro de *Peste* negotio accommodemus, considerandum, aliquando *nullum*, aliquaodo *paucum*, aliquando *copiosum sponte* propelli tunc *Sudorem*, & ipsum quidem *variam*.

Unde aliquãdo nullus propellatur sudor.

CCCXVII. *Nullas in Peste sponte prodire*, videturi mihi *sudor* ob *summam Veneni pestilentis acrimoniam*, non tam *effervescentiam* in tenui Intestino, dextrove cordis ventriculo parientem, quàm *impedientem*, & quidem *corrumpendo*, *ac solvendo confestim Sanguinis consistentiam naturalem*, ac sese *arctissimè uniendo Humori acido* ubivis in corpore ipsi occurrenti: quod nullatenus factum oportuit.

Quale Acidum aut salsum homini conducat & quale non. A quibus mutentur.

CCCXVIII. Nam nec acidum purum & acre, nec salsum purum & acre, naturale aut utile est ulli animali, multò minùs homini; sed blandum & cum aliis temperatum, dilutumque.

CCCXIX. Docui non semel, & quoniam hæc ritè observavi, omnium, qui per Chymiam, Artem verè naturalem, ratiocinari avent, interest, continuò inculcandum existimo; *Temperari & Acidum*, & *Salsum Lixivum* tam *Spiritu Volatili*, quàm *Oleo*, *Dilui utrumque Aqua*: quemadmodùm *Salsum* in specie *obtunditur Terra*.

Quid eadem temperata quid pura præstent.

CCCXX. Hæc ita temperata & sibi confusa excitant quidem aliquam, sed blandam & utilem homini effervescentiam; eadem autem pura & intemperata potentem, acrem, hominique noxiam, quippe quam ventris & tormina, & anxietates, cordisque palpitationes, &c. tam sæpe solent comitari aut excipere, atque sic ægris ac Medicis manifestare.

Quando ab his sudor, & quando non propellitur.

CCCXXI. Quoties igitur ex vitiosa illa effervescentia vapores, halitus, flatus excitaotur, toties sudor quoque propelli potest: Quoties verò se mutuò infringunt ac concrescunt Acidum & Salsum, toties nullus sudor observatur.

Nullus in peste sudor quale signũ.

CCCXXII. Ubi ergo *nullas in peste gravi sponte prodiit Sudor*, & imprimis arte quoque ac medicamentorum convenientium ope nullus propelli potest, arbitror, non tantùm *pestilens venenum esse valdè acre*, verùm offendere simul in corpore *tale acidum*, *cum quo concrescat & concentretur arctissime*; atque ideò tales admodùm rarò evadere.

Quale spontè erumpit sed paucus.

CCCXXIII. ubi verò *erumpit* quidem *sponte sudor*, *sed paucus*, arbitror Ego, *minùs acre tunc venenum pestilens* existere, aut saltem occurrere ipsum *tali acido*, *cum quo effervescens halitus aliquos* excitet, aut *calorem talem*, unde sudor ia prodeat. Hoc ideò faciliùs, cæteris paribus, curari posse autumo.

Quale spontè erumpit & copiosus.

CCCXXIV. Ubi verò sudor erumpit *spontè copiosus*, ibi major sanationis spes effulget, sive *Venenum pestilens sit minùs acre*, sive occurrat *Acidos satis apto* ut ex Illorum confluxu ac effervescentia una cum sudore copioso effluat bona veneni pars.

Quid tunc agendum Et eveniat.

CCCXXV. Quòd si tunc opus illud laudabile, ac forsan criticum promoveatur medicamentis non tàm sudorem potenter urgentibus, quàm Veneni pestiferi acrimoniam noxiam temperantibus, ejusdemque volatilitatem figentibus; nec sui negligentiores sint Ægri, aut nimis securi Medici, utique sanitas meritò expectanda.

Si sui non sint ægri negligentiores.

CCCXXVI. Dixi, *dummodò sui non sint Ægri negligentiores*: observavi enim non semel cum dolore ac mœrore, tales Ægros tum spontaneo tum artificiali sudore multùm recreatos Aeri externo cum extremo suo damno se mox exposuisse, ac ferè semper in deterius paulò post ruisse.

Et si non nimis securi existant Medici.

CCCXXVII. Addidi, dum *non minus securi existant Medici*; postqoam illis incumbit sollicitudo & cura ægrotorum, quos in seriò & sæpiùs moneant sui officii & imminentis periculi, suo certè non satisfecerant muneri, oec juvat deceptum Medicum dicere: Non putabam inde tantùm imminere Ægro periculum.

In Peste exacta habenda Ægrorum cura.

CCCXXVIII. Si alicubi ergò, certè in Peste, affectu quippe acutissimo & maximè fallaci, hactenusque valdè maligno, exacta est habenda ægrotantium ratio, ne, quamprimùm Symptomata molestiora & sensilia videntur tantillum levata, putetur affectus quoque curatus: Hic namque sibi relictus, adeòque neglectus cuniculos agit, atque ipsos ægros ex improviso opprimit ac extingnit.

Nec Pesti facilè fidendum.

CCCXXIX. Omnes proinde ac singulos Medicinæ studiosos seriò velim monitos, ne facilè fidant Pesti, utut videatur aliquod Symptoma priùs ægro molestum sublatum. Latet enim semper anguis in herba, incantos inopinatò indies tollens ac necans.

Sudor fœtens unde.

CCCXXX. Narravi superiùs. *Sudorem* in Peste spootè prodeuntem observari utplurimùm *fœtentem*; quod mioimè mirum, postquam hominis corruptionem parit Venenum pestilens; in corruptionem autem omni fœtor notatur.

CCCXXXI. Cum sudore verò prodire soli fœtor, quia aliqua corrupti Sanguinis pars, eaque fluidior simul exspirat & foras tendit.

Sudor frigidus periculosus.

CCCXXXII. Idem *Sudor* erumpit quandoque *frigidus*: qui quemadmodùm semper, sic & in Peste habetur periculosus, imprimis, ubi simul existit crassus & viscidus.

Et quare.

CCCXXXIII. Periculosus habetur sudor frigidus, quia talis nunquam prodit nisi io extremis angustiis & anxietatibus, & morbis gravissimis: unde nisi tali Sudore mox leventur ægri, brevi solent vitam cum morte commutare.

Quando spes aliqua super est, & quando non.

CCCXXXIV. Quando verò spes aliqua restitutionis superest in ægris Sudorem frigidum fundantibus, solet calidus Sudor subsequi frigidum, corpus saltem blandè incalescere: Contrà spes in angusto est, si cum Sudore frigido augeantur totius corporis frigus, simulque minor ac debilior fiat pulsus: nam id Indicio est, mortem esse præ foribus; extincto scilicet quocunque demum modo Igne vitali; cujus extinctionem comitatur vel sequitur frigus. Comitatur, quando ab eadem causa procedit; Sequitur, quando propter auctum æstum & vapores nimios suffocatur Ignis prædictus.

Sudor arte conciliatus quid indicet:

CCCXXXV. Ex *Sudore arte conciliato* aliud deduci non potest, nisi quod signum bonum sit assumptis Sudoriferis, ac corpore ritè tecto, Sudorem prodire satis copiosum, sed imprimis levari Symptomata ægrorum primaria, pulsumque redire ad statum naturali proximum.

CCCXXXVI. Atque sic quoque puto ex iis omnibus, quæ de Sudoris omnis causis manifestis protuli, & de Sudore multipliciter in pelle sè manifestante adjeci, satis patere, à Sale Volatili & Acri illum, adeòque ipsam Pestem deduci posse: quod in specie docere volebamus.

Exhalatio fœtens in Peste.

CCCXXXVII. Ad Sudorem si non referri debeat *Exhalatio fœtens* in Peste correptis erumpens, utique illum proximè debet eadem excipere.

Quibuscum prodeat.

CCCXXXVIII. Exhalatio illa non tantùm cum *Sudore* per corporis poros, sed nonnunquam *per Os*, *naresque*, imò cùm ipsa *Urina* & *alvi excrementis* prodire solet.

Et varia.

CCCXXXIX. Exhalatio ista existit varia, postquam nunc minùs, nunc magis fœter, estque aliquando penè cadaverosa.

Fœtor præternaturalis unde. Salis volatilis virtutes.

CCCXL. Ortum verò habet omnis fœtor præternaturalis à rei cujusvis corruptione

CCCXLI. Nil autem magis promovet Vegetabilium & Animalium corruptionem, quàm Sal Volatile, ad fermentationes & Putrefactiones accelerandas admodùm efficax, & Aquæ operationem lentam mirè adjuvans: uti notam est iis, qui vel primoribus labris attigerunt Chymicas operationes.

Ab eo Exhalationes in Peste fœtentes.

CCCXLII. Cùm ergò nihil æquè putredinem ac corruptionem fermentantem in homine promoveat, ac Sal Volatile, meritò exhalationes in Peste fœtentes adeòque ipsam Pestem hactenus ab illo Sale deducimus.

Acidũ putrefactionẽ non producere.

CCCXLIII. Possunt quidem Acida quoque corrumpere partes Animalium, non autem ad putredinem aut fermentationem cum fœtore ullo junctam deducere; cùm ab Acido, cæteris paribus, non excitetur, sed potiùs impediatur omnis fermentatio & putrefactio.

Nec fermentationem.

CCCXLIV. Licèt enim quædam præparentur per Acidum ad fermentationem, removendo emendandove impedimenta, viscíditatem putà fermentandorum, non fermentantur tamen ab Acido; quod ad multas difficultates aliàs subinde occurrentes tollendas exactè notandum. Confunduntur namque nimis sæpè planè diversa, etiam ab iis, qui se solos in accurato rerum examine instituendo sapere putant, aliis saltem persuadere conantur.

Symptomata in Peste spectare. Functiones Naturales vel Animales læsas.

CCCXLV. *Symptomata* in Peste quavis observabilia vel spectant *Functiones Naturales*, de quibus egimus hactenus, vel *Animales* læsas, de quibus adhuc agendum nobis est, ut videamus an ex harum quoque læsarum perscrutatione *Salem Volatilem & Acrem* in veneno pestilenti latentem possimus eruere ac elicere.

CCCXLVI. Quemadmodùm autem inter Functiones Animales primum locum assignare solemus *externis sensibus*; ita & ab illorum læsionibus faciemus investigationis hujus nostræ initium.

Sensus externos in Peste debilitari,

CCCXLVII. In genere autem plùs minùs observatur in Peste *minui ac debilitari sensus externi*; unde non tantum lumen ferè fugiunt *Oculi*; sed est quoque visus obscurior. *Aures* surditate aliquali afficiuntur; *Nares* non satis commodè olfaciunt; nec *Lingua* sapores ritè dignoscit; nec *Tactus* integer permanet; quamvis illa sensuum externorum læsio non semper observetur ab ipsis ægris, sed à Medicis potiùs & adstantibus.

Ejus causa.

CCCXLVIII. Rariùs quidem in totum excæcantur Ægri, nec nisi urgente affectu gravissimo.

CCCXLIX. Omnium autem Sensuum Externorum diminutionem simul contingentem non nisi à *vitiosa Spirituum Animalium constitutione* deduci posse autumo; utpote causa unica ad singulorum functionem concurrente ac communi.

CCCL. Quo autem vitio affecti sint Animales Spiritus, ut debiliùs solito singuli Sensus externi operentur, meritò quæritur.

CCCLI. Cui quæstioni ut satisfaciam, puto id contingere posse 1. si *pauciores* ad sensuum organa deferantur; 2. si eò ferantur *inordinatè ac confusè*; 3. si eò ferantur *impuriores*, atque cum aliis rebus confusi.

Spiritus Animales pauciores.

CCCLII. In Peste autem aliquando *pauciores* tum in corpore existere, tum ad sensuum organa deferri Animales Spiritus, non nego; id tamen continget imprimis post diuturnas vigilias & inquietudines perseverantes, aut dolores summos, Sudoresque profusos, adeòque ubi omnia in deterius vergunt Hanc proinde causam teriùs locum habere arbitror.

Inordinatè, ac confusè ad organa moti.

CCCLIII. Sæpiùs autem puto *inordinatè ac confusè* ad Sensuum organa deferri tunc Spiritus Animales, & imprimis ubi se hoc Affectu affectos sentiunt, aut metuunt Ægri, ob ferè conjunctam in omnibus Animi consternationem ac conturbationem, ad animum revocando tantum huic affectui conjunctum Vitæ periculum; unde mirum videri debet nulli, quòd mente conturbata spiritus quoque animales confusè ac inordinatè ferantur quaquaversùm.

CCCLIV. Hinc est, quòd, licèt in multis permaneat ad extremum vitæ finem Motus animalis & voluntarius, non sit tamen idem firmus & robustus, sed tremulus & infirmus: de quo agemus postmodùm.

Impuriores.

CCCLV. Eosdem Spiritus Animales in Peste *impuriores* quoque existere, arguit tam frequens in ipsa Delirium, & universi Sanguinis corruptio, impuris Spiritibus ortum necessariò præbens.

Sanguinis corruptio à Sale volatili.

CCCLVI. Nulla verò Sanguinis corruptio Spiritibus Animalibus faciliùs & nocentiùs impuritatem conciliabit, quàm illa quæ à Sale Volatili producetur; quippe quod facillimè & arctissimè se Spiritibus Animalibus, utpote Volatilibus, adjunget, ipsosque vitiabit.

CCCLVII. Cùm proinde à Sale Volatili & propter acrimoniam nimiam vitioso deduei possit memorata sensuum externorum omnium debilitas in Peste ordinaria, & hacterius quoque à Sale valdè volatili & acri produci poterit Pestis; quod erat probandum.

Sensus externi molestia et dolore affecti in Peste.

CCCLVIII. Non tantùm in operatione sua debilitantur in Peste sensus externi, verùm non raro *molestia* insuper afficiuntur & *Dolore*: Sic *Aures* quibusdam *tinniunt*, & *lumen absque molestia nequeunt ferre* multi; de *Ardore interno & molesto* cum *inquietudine conjuncto* queruntur plerique; imprimis molesti sunt nonnullis *Dolores Capitis*, *Cordis & Lumborum*.

Tinnitus Aurium.

CCCLIX. *Tinnitus Aurium* Vapores, Halitus, aut Flatus omnium consensu arguunt; istorum autem omnium efficientem in corpore Causam, præter Bilem aliosve humores Bili analogos, nemo unquam ostendet.

Ejus causa.

CCCLX. Quò autem Bilis acrior in corpore occurrit, eò plures adeòque molestiores flatus halitusque excitari notum.

CCCLXI. Eadem Bilis, cùm Sale Volatili constat, nemo non videt, Aurium tinnitum pro causa efficiente agnoscere Salem Volatilem, & Acrem, & idcircò

& idcircò hactenus quoque ab ipso deduci possè Pestem.

Lumen ocu- lis molestũ. CCCCLXII. Cùm *Lumen moderatam recreare soleat Visum*, quoties idem ipsi grave ac molestum existit, toties in oculo vitium existere oportet, ob quod minùs ferre possit Lumen, etiam mediocre.

Ejus causa. CCCCLXIII. Rursus, cùm lumen primarium & alia illustrans ac illuminans procedat imprimis à Radiis Solaribus, vel cujusvis Ignis vulgaris flamma, à quibus observamus quoque res quasvis rarefieri ac liquefieri aptas reverà liquefieri & rarefieri, meritò suspicamur, tale quid in oculis quoque fieri à Lumine in ipsos admisso: Quòd si, quemadmodùm in superioribus probabile ostendimus, Spiritus Animales ad Oculos quoque delati à Sale Volatili ipsis admisto redditi sint in Peste impuri, utique ad Luminis accessum irritabitur comes ipsis acrimunia, quæ nova & magis sensili molestia tunc afficiet ipsos Oculos; quamobrem Lumen fugiunt Ægri.

CCCLXIV. Hujus proinde molestiæ causa primaria cùm pendeat ab actimonia Salis Volatilis Animalibus Spiritibus admisti, hactenus quoque Pestis origo non malè deducetur ab eodem Sale Volatili & Acrimonia sua imprimis peccaute.

Ardor gravis in Peste. CCC L X V. Hoc idem tum probat, tum confirmat *Ardor plerisque tunc gravis & interiora præsertim urgens*: quippe à nulla re in corpore humano secundùm naturam existente com- *Ejus causa.* modè potest deduci, quàm *à Bile*, Acrimonia præsertim tunc præter naturam peccante, vel ab alio humore ipsi affini, hoc est, *Sale Volatili & Acri* abundante. Non est proinde, ut boc argumentum magis urgeamus, cùm id sæpiùs jam sit à nobis factum, &, uti putamus, plerisque satis jam notum.

Inquietudo. CCCLXVI. *Inquietudo* in Peste tàm multis tàm molesta, vel pro ipso Sensu molesto, vel pro continuà ipsum consequente corporis agitatione & quassatione haberi potest.

Ejus causa. CCCCLXVII. Sensus ille molestus non tantùm *Ardori molesto*, de quo jam dictum, debetur, sed nonnunquam aliis insuper *lancinationibus* per universum corpus dispersis, & non tantùm in Capite, Lumbis & Præcordiis gravissimè, at per totum corporis habitum satis graviter ægros vexantibus.

Lancinatio- nes unde. CCCLXVIII. Quemadmodùm autem *Ardoris sensum Bili Acriori, aut Sali Volatili & Acri* modò adscripsimus; ita *Lanciuationum sensum* adscribimus *Acido* itidem *Acriori* cum prædicto Sale Volatili in tenui præsertim Intestino vitiosè effervescenti, & halitus acres quaquaversùm propellenti, unde Lancinationes semper produci, plurima sunt quæ evincunt, quæque aliàs pluribus etiam publicè proposuimus.

CCCLXIX. Per accidens ergò peccat in Peste Acidum, corruptum scilicet *à Sale Volatili Acriore*; à quo cùm primariò deduxerimus omnia, quæ hactenus examinavimus, Symptomata, ab eodem nunc, sed *secundariò deduximus quoque Lancinationes* in multis satis molestas, & hactenus quoque Ipsam Pestem.

Dolores in Peste. CCCLXX. Gravissimi verò & imprimis molesti in Peste *Dolores* nunc *Caput*, nunc *superius Ventriculi Orificium*, nunc ipsam *Lumborum regionem* occupant.

Eorum causa. CCCLXXI. *Dolores Caput* valdè afficientes ortum habent dubio procul *ab humorum Acrimonia*, quæ cùm vel *Acida* vel *Salsa lixiva duntaxat* observetur, ab utraque ortum in Peste potest habere Dolor: *A Bile* quidem, aut quovis alio humore Sale Volatili & Acri constaute *primariò*; Ab *Acido verò secundariò*, utpote à salso vitioso itidem vitiato, atque ad Caput delato, halitus, saltem Acres eò ascendentes promente.

CCCLXXII. *Vitiatur autem Acidum* imprimis *in tenui Intestino*, unde non tantùm *Capitis*, sed

Deleboe Opera.

Lumborum quoque in prædicto intestino, atque *Cordis* dictus in superiori Ventriculi Orificio excitatur *Dolor* à præfatis humoribus ob Acrimoniam Bilis vitiosè effervescentibus, atque nunc vaporis, halitusve forma, nunc secundùm totam sui substantiam eò teudentibus.

CCCLXXIII. Dolores igitur gravissimi Capitis, Cordis, Lumborum, quia convenientissimè possunt à Sale Volatili & Acri vel primariò, vel secundariò deduci, poterit hactenus quoque ab ipso produci Pestis; quod erat probandum.

CCCLXXIV. Diximus aliàs, *Sensuum externorum affectionem* esse *Somnum & Vigiliam*; quia sicut operantur, ad operandum saltem parati & dispositi sunt durante vigilias sensus externi, ita durante Somno feriantur iidem, minùs scilicèt tunc dispositi ad externa objecta percipienda. *Somnus profundus, & Vigiliæ contumaces in Peste.*

CCCLXXV. Accidit autem in Peste, ut aliquando *Somnus profundior & Sopor*, aliquando *Vigiliæ* contumaces molesteur.

CCCLXXVI. *Vigilias* producunt quæcunque sensuum externorum organa & sensoria molestè afficiunt; quemadmodum diximus non tantùm Aurium tinnitum, Corporisque Universi Inquietudinem, quin & Ardorem, molestos esse in Peste, at præsertim graves Capitis, Cordis, Lumborumque Dolores, ut & quandoque Nauseam & Vomitum: quorum omnium nomine urgent tunc quoque Ægros vigiliæ. *Vigiliarum causa.*

CCCLXXVII. Quæ proinde ostensa est in superioribus horum Affectuum Causa, *Sal putà Volatile & Acre*; illud ipsum *Vigiliarum quoque Causa erit*, hactenus Ipsius Pestis.

CCCLXXVIII. Quòd si *à Sale Volatili & Acri* Vigilias, ab eodem saltem *Soporem Pestilentialem* deduci non posse asseverabit nonnemo; verùm præter rationem atque experientiam, cùm reverà *Affectu Soporosi*, præsertim cum aliquo Calore conjuncti, ortum habeant *à Bile secundùm partem sui Oleosam peccante*; quemadmodùm id pluribus docuimus In lib. 2. ubi de Soporosis Affectibus egimus, quandu inter alia id evincentia argumenta proposui *Opium & Amarum & pingue*: ut & *Vini Spiritum*, qui tantò est magis narcoticus, quantò magis abundat parte Oleosa: Adde quòd non tarò in *morbis à Bile ortis*, febribus putà satis ardentibus, spontè *Sopor ægros corripiat*. *Somni profundi causa.*

CCCLXXIX. Cùm proinde non tantùm Vigilia, sed *Sopor* etiam *à Bile atque adeò à Sale Volatili* possit habere ortum, nil impedit, quominùs inde quoque suum ortum habere possit Pestis.

CCCLXXX. Perpetus ferè graviores Pestis comes est *Delirium*, idque nunc levius, nunc gravius. *Delirium in Peste.*

CCCLXXXI. Est autem Delirium, Mentis à vero & æquo aberratio in judicio de objectis realibus vel fictis ferendo. *Quid sit.*

CCCLXXXII. Observatur *Delirium* non tantùm *in Affectibus cum Ardore conjunctis*, febribus putà ardeutibus, sed quoque in *Affectibus frigus potiùs comes habentibus*, Melancholia puta Hypochondriaca dicta, Senectute minùs vegeta, &c. *In quigus Affectibus observatur.*

CCCLXXXIII. Adeò ut nec Calor, nec Frigus, nec ulla alia rerum naturalium qualitas pro adæquata vel necessaria Delirii causa haberi debeat. *Ejus causa.*

CCCLXXXIV. Quinimò plurima & quidem diversissima Delirii possunt esse Causa, cùm plura desiderentur ad judicium æquum *de re quavis Rationi ab Imaginatione, vel Ingenio ipsaque Memoria oblata* ferendum. *Ad judiciũ æquum requiri plura.*

CCCLXXXV. Nam 1. *Ab Imaginatione* offerendæ sunt Rationi Notiones Rerum sensilium tam primæ, quàm secundæ rebus ipsis conformes. *1. Imaginatio recta.*

CCCLXXXVI. 2. Ab *Ingenio* subministrandæ sunt Rationi Affectionum in rebus sensilibus *2. Ingenium bene constitutum.*

libus nbservatarum ratiocinatione sollicita elicitæ rationes, atque adeò catenatæ ac solidè cohærentes.

3. Memoria bona.

CCCLXXXVII. 3. *A Memoria* suggerenda Rationi fideliter omnia ipsi concredita.

4. Mens libera.

CCCLXXXVIII. 4. *Ipsa Meas libera* debet esse ab omni præjudicio, & cnnsideratione aliusobiecti ipsam aliò vocantis, & imprimis Affectum notalem excitantis, turbantisque; ut operi attenta æquum ferre possit judicium.

5. Corpus integrum.

CCCLXXXIX. 5. Ipsum *Corpus tàm contineas, quàm contentum* integrum requiritur ad judicii integritatem.

Lædatur judicium,

CCCXC. *Lædetur autem judicium*, quoties In prædictornm uno vel pluribus aliquid desiderabitur.

1. Si Notiones non respondeant Objectis.

CCCXCI. Nam 1. *si Notioaes vel primæ vel secundæ* sive ipsorum *Obiectorum externorum*, magis vel minùs remotnrum, &c. sive *Medii externi*, quando id desideratur; sive *Lucis*, ubi & illa requiritur; sive *Sensoriorum*, sive *Animæ* minùs ad opus suum attentæ culpa, *non respondeant ex equo suis obiectis*, hactenus sequetur Delirium, hoc est, judicium rebus ipsis haud conveniens,

2. Si Ingenii si Ratiocinatio præpostera.

CCCXCII. 2. Si *Ingenii Ratiocinationes sant scopæ dissolutæ, minime cobærentes*, vel *plus minùsve*, aut *aliqud quàm decebat concludentes*, dubio procul delirabit Mens, hoc est, iniquum feret judicium, nisi hæc advertat & animadvertat corrigatque.

3. Si Memoria deficiat.

CCCXCIII. 3. Si à *Memoria* priùs ipsi ab Imaginatinne, vel Ingenio, vel à Judicio subministitatæ *Ideæ reponantur quovis modo diminutæ, truncatæ, auctæve, aut alteratæ*; utique huic fidens Ratio iniquum feret judicium, adeòque delirabit.

4. Si Mens sit malè constituta.

CCCXCIV. 4. Si *Meas ipsa vel præjudiciis occupata* fuerint, vel aliud objectum *solicite consideraverit*, vel *vehementibus Aaimi motibus* & affectibus turbata, *non attenderit satis ad res dijudicandas*; æquum de ipsis non feret Judicium, sed delirabit.

5. Si Corpus sit malè affectum.

CCCXCV. 5. Si *Corpus bominis contineas*, ac *Cerebrum* præsertim, cujus opera Mentem in quibuivis suis uperationibus imprimis uti, plurima suadent ac persuadent, *malè fuerit affectum* (ut in ejus Inflammatione, Phrenitide dicta, id contingit,) Mentem quoque sæpenumerò delirare observamus.

CCCXCVI. Sic si *Corpus bominis Contentum*, ac *Bilis* præsertim *Succusve Pancreaticas*, hinc & *Spiritas Animales male sint affecti*, & tunc quoque Mentem non raró delirare observamus, in *Ardentibus* putà *Febribus*, *Melancholica Hypochondriaca*, *Ebrietate*, &c.

Causa Delirii in Peste.

CCCXCVII. Cùm proinde à Causis tàm multis malè constitutis excitari possit *Delirium*, videndum, quænam *in Peste* habere possint locum.

Læsa imaginatio.

CCCXCVIII. Cùm autem in proximè præcedentibus retulerimus, *Sensas externos* omnes observari plùs minùs in sua functinne *diminutos*, & non raró *Dolore affectas* utique omnia objecta externa ipsis occurrentia accuratè ac distinctè non percipientur, nec proinde Notiones primæ formabuntur ex æquo ipsa repræsentantes: Ergò nec hactenus Notiones secundæ elicitur perfectæ: Hactenus ergò Delirabit Æger, ob læsam *Imaginationem*.

Ingenium minùs perspicax.

CCCXCIX. Rursus non tantùm propter vitiosas Notiones primas & secundas, sed insuper propter *Animum Doloribus & Molestijs attentam*, minùs solicitè & attentè objecta cætera considerabit ac perscrutabitur *Ingenium* hactenus peccans, minùsque solida eruet ac promet Ratinnes Affectionum in ipsis existentium; quamobrem Delirabit Peste correptus.

Memoria infidelis.

CCCC. Sed fieri quoque potest, ut tunc *Memoria* solito infidelior facta perperam reponat fidei suæ concredita, vel quædam saltem; unde & hujus culpa Delirabit Æger.

Mens præjudiciis laborant.

CCCCI. Imprimis autem Delirabit ipse, si *Mens* quoque, undecunque tandem *laboret præjudiciis*, putet se præ aliis sapere, uti sæpè id accidit, aut *vebementi mortis secuturæ terrore* sit correpta; quo nomine nbjectis cæteris *minùs attenta*, non nisi corruptum de iis feret judicium, hoc est, delirum.

Bilis volatilior & acrior.

CCCCII. Sed delirabit quoque Peste correptus, *si Bilis fuerint* in ipso reddita *volatilior & acrior*, aut si *bumor similis*, *Sale putà Volatili & Acri constaas*, sese massæ Sanguineæ insinuaverit, & non tantùm ipsius consistentiam dissolverit, sed *parti ejus spirituosæ penitiùs se admiscuerit*, atque ipsis adeò *Spiritibas animalibus* inde parandis adhærens, *omnes ipsorum operationes* vitiaverit.

CCCCIII. Cùm ergò in Peste quoque à causis variis produci possit Delirium, etiam à Sale Volatili & Acri, hactenus saltem ad illo ipsa Pestis poterit deduci; quod erat probandum.

Memoria sensuum internorum promus condus.

CCCCIV. Non tàm Sensum Internum, quàm Sensuum Internorum Promum condum arbitror ego *Memori*; quippe cui singulorum opera committuntur ac concreduntur, ut eadem, quoties opus, quamprimùm ac fideliter reponat.

In peste obliterata.

CCCCV. Hæc *Memoria* non tantùm *vacillat* in plerisque Peste correpris, sed in quibusdam observata est eo usque *obliterata*, ut ipsis non tantùm aliorum, amicorumque, sed sui quoque notitia exciderit: dubio procul deletis in mente, si quæ unquam fuerint, ideis innatis æquè ac adventitiis, dummodò ad innatis differant, de quo ego saltem nihil certi possum afferre, qui hactenus nullas in mea mente latentes potui quovis labnre eruere, ideòque nec admittere, aut credere Ideas innatas.

Memoriæ ratio & Læsiones difficiles explicatu.

CCCCVI. Sive igitur quis puret, fingatve, innatas Menti rerum omuium Ideas, sive censeat non nisi à Sensibus Internis ad rerum externis sensibus objectarum considerationem formatas reperiri in Animi Promo Condo, Memoria, arbitror, utrobique admodùm difficulter hujus Memoriæ rationem explicari posse; sed nec minùs difficulter ejusdem variis modis læsæ, ac læsionis modum, causamque adæquatam.

Eas Auctorè ignorare.

CCCCVII. Fateor equidem, me hactenus nil invenire aut elicere potuisse, in quo veri avida mens possit acquiescere, quodque pro vero-simili saltem possim proponere; malo pruinde in Memoriæ tum integræ, tum læsæ ratione promenda meam ignorantiam profiteri candidè, quàm figmentis & commentis Lectorem ludere.

Metus & Anxietates in Peste.

CCCCVIII. Plura proinde de Memoria diminuta & abolita nunc non addam, sed rectà ad *Animi motus & pathemata*, *metam putà* & *Anxietatem sollicitam* me conferam; cùm hæc frequentiùs & graviùs, quàm Memoriæ qualiscunque læsio, soleant Peste infectos afficere, ac plurimùm ipsis nocere; ita mortem videtur accersere Motis fuga.

Metus in peste causa.

CCCCIX. Non mirum autem, horrere omnes ac metuere multùm Ipsam Pestem, cùm non tantùm observetur plerisque *Letbalis*, sed insuper *Contagiosa*; unde passim deseruntur, nec ritè curantur Infecti.

CCCCX. Ubi proinde quis Mortis cogitationes ac meditationes serias procrastinare assuetus considerat, se in continuo versari mortis mox forsan secururæ periculo, quamdiu grassatur in vulgus Pestis, fieri neqnit, quin Mentem sollicitudo anxia metusque occupent.

Ab ea vigiliæ, & Animalium Spirituum consumptio.

CCCCXI. Hac autem Mentis agitatione ac perturbatione continua *Vigilias* produci, & *Animales Spiritus non taatùm consumi, sed in motu suo etiam turbari, notissimum.*

Unde Bilis acrior.

CCCCXII. Imprimis verò per sollicitas & turbulentæ formidinis plenas vigilias *Bilem acui & Acriorem reddi*, itidem notum.

CCCCXIII.

CCCCXIII. Quòd si bisce vigilis Acrior redditur Bilis Sale Volatili constans, nonne, si in tali Sale Acriori consistere possit Venenum pestilens, sicur nos id pluribus jam argumentis evicisse putamus boc *panico terrore perculsi* homines *magis disponeatur ad dictam Venenum suscipiendum, & pericalosius inde lab orandum*.

Ægros peste formidantes periculosius decumbere.

CCCCXIV. Atque boc ipso per experientiam confirmato, periculosiùs pura decumbere Ægros pestem formidantes, quam cœteros ipsam minùs curantes, confirmatur quoque nostra sententia, in Sale Volatili Acriori consistere Venenum pestileus, quippe quod ostendimus in Bile Acri à quovis Metu sollicito.

Motus Animalis læsus in peste.

CCCCXV. Animi Motus eacipit *Corporis Motus Animalis & Voluntarius* dictus, quem variis modis lędi in Peste diximus jam in superioribus: videndum autem, an inde quoque confirmari possit Sal Volatile, & Acre nunc peccans.

Et quare ratione.

CCCCXVI. Læditur verò in Peste Motus Animalis per corpus universum, in *Tremore, Motuve corporis* imbecilli & idcircò *tremulo*; quandoq; in *Motibus Convulsivis* per totum Corporis habitum observabilibus; rariùs in *Convulsione* universali; tum in determinatis partibus, ac prœferrim in *Linguæ Balbatie*, aut certæ partis Motu impedito.

Universi corporis tremor ab Animalium Spirituum defectu.

CCCCXVII. *Universi corporis Tremorem*, quoties ipsum moveri debet, observabilem deducendum puto à *Spirituum Animalium defectu*: eundem etiam ubi quiescunt membra, urgentem adscribendum existimo eorundem *Spiritu motui inordinato & turbato*.

CCCCXVIII. In Peste ob Dolores graves, Vigilias perrinaces, Continuam Animi sollicitudinem *exhaurire possunt ac deficere Spiritus Animales*, ob rationes in superioribus productas.

Et conturbantur.

CCCCXIX. Possunt quoque in Peste in suo motu *conturbari Animales Spiritus* ob Mentem Metu ac Terrore panico agitatam & turbatam.

CCCCXX. Cùm autem inter prædictorum Symptomatum Causas naturalas ostenderimus locum habere posse *Sal Volatile*, hactenus ergò ab eodem deduci poterit Tremor & ipsa adeò Pestis.

Motus convulsivi unde pendeant.

CCCCXXI. *Motus* autem *Convulsivi* cùm pendere soleant ab humoribus vel halitus acribus nervos inordinaté mordicantibus, & ad abundantiorem simul & inordinatum Spiritum Animalium affluxum irritantibus; atque in Peste ram Salis acrioris per se ac primariò, quàm Spiritus Acidi per accidens ac secundario peccantis, binorum putà acrium in rebus naturalibus hactenus notorum, signa & effecta notabilia & certa produxerim in superioribus nil obstat, iisdem deduci in Peste Motus Convulsivos, atque confirmari eadem, quæ superiùs proposuimus de Peste à Volatili & Acri Sale primariò ac per se orta; quòd erat probandum.

Unde oriantur.

CCCCXXII. Rursus, cùm *Convulsio* habeat ortum *ab iisdem Spiritibus Animalibus, sed continuè & copiosè in omnes aut certos musculos delatis*, & quidem ob irritationem continuè urgentem r quoties in Peste observatur vel Universalis, vel Particularis, toties statuendus humor Acris adhærens Partium affectarum: nervis qualem humorem actem facile quis admittet *Salem Volatilem & Acrem Pituitæ Viscidę admistum*, & hujus nomine pertinacias uni vel pluribus partibus, ac præsertim in Cerebro aut spinalis medullæ principio adhærentem.

CCCCXXIII. Quo concesso & hactenus quoque confirmatur Pestis ortus à Sale Volatili & Acri; quod urgemus.

Linguæ Balbuties.

CCCCXXIV. *Linguæ Balbaties* idcircò magis observatur, quia Auditu quoque dignoscitur, etiam ubi cæteræ partes quiescunt, estque summi Animalium Spirituum defectus aut conturbationis signum certum.

Vultus mæstus, et Oculi lachrymabundi in Peste.

CCCCXXV. Inter Symptomata Pestis recensetur quoque *Vultus mæstus*, una cum *Oculis lachrymabundis*; quod signum non est parvi pendendum, *Deleboe Opera*. quippe non tantùm in Peste frequentissimum, verùm insuper utplurimùm luctuosum.

Ejus causa.

CCCCXXVI. Meritò proinde bic quæritur quænam esse possit talis vultus causa, quænam ejusdem ratio.

CCCCXXVII. Nullus autem mirabitur in Peste infectis Vultum mœdium, qui ad Animum revocaverit ea, quæ supra dixi de rationali plerorumque metu Pestis minantis, ob suum Venenum plerisque *lethale* ac *contagiosum*, Ægrorumque in plurimis locis *desertionem*, formidabilis; *consternatione* autem ob Pestem jam urgentem ac præsentem: unde fieri nequit, ut non sit idcircò vultus ipsis mœstus, licèt consternationem suam tegere conentur aliqui, ut babeantur cæteris cordariores.

Mentis consternatio & Mortis metus.

CCCCXXVIII. Potest igitur Vultus mœstus consequi Mentis consternationem ac metum mortis minitantis.

CCCCXXIX. Quæcunque proinde attulimus in superioribus ad ostendendum, augeri posse ex solicito Pestis metu Acrimoniam Bilis & Salis Volatilis, eadem bic servient ad Vultum mœstum à Sale Volatili & Acri deducendum.

Maculæ in Peste. Nigræ, Lividæ, Rubicundæ.

CCCCXXX. Magis notabilia Pestis signa externa sunt *Maculæ*, quas diversi coloris & magnitudinis observari, docui in superioribus: Inter ipsas pessimæ babentur *Nigræ*, his proximæ sunt *Lividæ*, ac minimè malæ *Rubicandæ*.

CCCCXXXI. Ortum habent illæ dubio procul à *Sanguine* quaquaversùm è Corde propulso, & *parte sui corrupta & corrumpente* in Corporis superficie hærente.

CCCCXXXII. Mortificationi namque proximæ sunt nigræ, minùs Lividæ, minimè Rubræ.

Mortificatio omnis ab Acri.

CCCCXXXIII. Mortificatio autem omnis corrodens ac corrumpens ortum babet *ab Acri, vel Acido vel Salso lixivio*; id saltem asseverare non dubitamus, postquam longa investigatione aliud hactenus in Natura non reperimus, ne quidem Adversarii nostri, omni licet adhibita diligentia.

CCCCXXXIV. Sed nec dubitamus mutare sententiam, ubi aut per nos, aut per alios tertium Acre fuerit inventum.

Acidum partes corrosas non nigredine, sed albedine, inficere. Salsum Lixivum nigredinem inducit.

CCCCXXXV. Acidum verò corrodens partes corrosas nunquam, quod sciam, vel saltem nunc meminerim, nigredine inficit, sed potiùs albedine, quin partes vicinas colore satis eleganti solet ostentare.

CCCCXXXVI. *Acre* autem *Salsum Lixivum* ad nigredinem partem à se corrosam deducit; quin partes vicinas plus minùs simul inficit & inquinat.

CCCCXXXVII. Unde jure merito maculas illas omnes in Peste erumpentes à Sale Acri deducimus.

Quænam maculæ periculosiores.

CCCCXXXVIII. Quin ex modò dictis patet, cur periculosæ magis sint Nigræ, minùs Lividæ, minimè Rubræ: quò namque ulteriùs pergit Acre Salsum in partis cujusvis ac cutis præsertim corruptione, eò ipsam reddit magis atram.

Hoc patet ex Cauteris potentiali, & Vesicatoriis.

CCCCXXXIX. Hoc imprimis apparet tum in *Cauterii potentialis ex Sale lixivo fixo* constantiis, tum *in Vesicatoriorum* quorumvis ex *Sale Volatili & Acri* constantium operatione; primùm enim ruber inde cutis, deinde colorem lividum acquirit, & tandem atrum.

CCCCXL. Hoc unicum Experimentum Practicum ritè consideratum satisfacere posset Viro veritatem unicè quærenti, Animumque ab omni præjudicio liberum babenti.

Acetum in Vesicatorio cui inserviat.

CCCCXLI. Nec obstat Acetum multis Vesicatoriis additum: Nam si quis rem ritè examinaverit, is facilè observabit, inservire duntaxat Acetum ad Sal volatile excitandum, & facta sic Effervescentia in actum deducendum.

CCCCXLII. Longè namque faciliùs &

pore educere, ita tamen, ut sine ipsius noxa notabili, vel saltem quantum fieri potest, cum minimâ id contingat.

Quid tunc Medico agendum.

CCCCLXX. Quocirca & humoris peccantis correctio arte promoveatur, & partes affectæ juventur, & exitus facilis paratur, & eductio humoris conveniens instituitur, & partium læsarum restauratio præstatur.

Sanguinis constitutio in maligna inflammatione.

CCCCLXXI. Si proinde *in non maligna dicta Inflammatione Acidum Sanguinis tandem superat ejus Amarum*, nonne dicemus probabiliter, *in maligna idem desiderari, & minùs potens esse tunc Acidum*; hoc est, in Malignis, Pestilentibusque Bubonibus Sanguinem abundare magis, quàm decebat, *Bile, habere saltem ipsam Acriorem, aut humorem similem, Sale putà Volatili & Acri constantem, minùs autem Acidi continere*: quod est id ipsum, quod intendimus, demonstrare scilicet è Peste, omnibusque ipsius Symptomatibus ritè consideratis deduci aut confirmari Salem Volatilem, sed Acriorem tunc peccantem, adeòque Venenum Pestilens in tali Sale consistere.

Anthraces sive Carbunculi in Peste.

CCCCLXXII. Ultimum Pestis Symptoma nunc à nobis considerandum, examinandumque sunt *Anthraces* Græcis, & *Carbunculi* Latinis vocari.

Eorum loca.

CCCCLXXIII. Solent hi Carbunculi in quavis Corporis parte excitari, non certis partibus, quemadmodùm Bubones, adstringi.

Quomodo se primùm manifestent.

CCCCLXXIV. Solent iidem ut plurimùm pustulæ modo primùm se manifestare, & quidem nunc albicantis, nunc flavescentis, nunc lividioris, nunc nigricantis; quamvis semper ad nigredinem tandem abeant.

Iis ardorē adesse.

CCCCLXXV. Solet iisdem Carbunculis Ardor insignis adesse, adeò ut pars affecta uti putetur ac rodi.

Quomodò se porrò habeant.

CCCCLXXVI. Nec diu Pustulæ speciem servant Anthraces, quin mox Tumorem duriorem in universa sui circumferentia ostentant; sicut in sui medio & centro in Ulcus excedens aperiuntur; quinimò sæpenumerò quaquaversùm ambulat & vicinas partes mirè depascit, unde nonnunquam Oculos inde excidisse, notum est. Sed & post curationem sub inde contingentem fœdæ ac prægrandes Cicatrices remanent, propter Carnis multæ deperditionem.

Caro in Anthracibus quid patiatur.

CCCCLXXVII. Caro autem omnis Anthracibus correpta corruptionem Grangrænæ similem patitur; ad internecionem namque, integramque mortificationem deducitur.

Eorum causa.

CCCCLXXVIII. Enimverò, cùm in *Anthracibus Ardor corrodens* observatur, ab *Acri* illos produci arguo: ergo vel *ab Acido*, vel à *Salso lixivo*, postquam tertium acre nondum innotuit.

CCCCLXXIX. Ab Acido lancinationes quidem ac tosiones produci, notum, non item Ardorem.

CCCCLXXX. A Salso lixivo Ardorem quidem rodentem produci, testantur Cauteria potentialia cuti applicata.

Butyrum Antimonii quid præstet.

CCCCLXXXI Ab eodem in Pestilentibus Anthracibus Ardorem urentem ac rodentem produci, confirmat Butyrum Antimonii ipsorum progressum & quaquaversùm serpentem vim sistens.

Ei inesse Acidū Acre.

CCCCLXXXII. Est autem in Antimonii Butyro Acidum Acre Salem lixivum temperans & infringens.

CCCCLXXXIII. Acidum illud ipsi inesse, evincit Aqua ipsi affusa & Spiritum Vitrioli Philosophicum dictum in se alliciens.

CCCCLXXXIV. Cùm proinde hæc omnia Salem lixivum Acrem Anthraces Pestilentes producentem arguant, hactenas Pestem quoque ipsam inde ortum habere posse patet, quod hactenas suscepi probare.

Deleboe Opera.

Salem Lixivum Acrē & Volatilē in Peste peccare docent ejus Symptomata.

CCCCLXXXV. Omnia igitur Symptomata in Peste observabilia Salem lixivum, eundemque Acrem & Volatilem tunc peccare confirmant, vel probant.

Ut & Medicamenta tam in ejus præcautione, quàm curatione adhiberi solita.

CCCCLXXXVI. Illud idem ex medicamentum ad Pestis præcautionem, tam ad ejusdem Curationem cum maximo successu usurpari solitis patere, asseruimus in superioribus, & nunc est ostendendum; idem autem magis patebit ex secutura dirum hunc affectum profligandi methodo; ubi & primariorum Symptomatum Curam peculiarem addemus.[a]

Simplicia aut minimè composita consideranda.

CCCCLXXXVII. Quisquis verò è medicamentis usurpatis aliquid certi vulet elicere ac proponere, necesse habebit *Simplicia* duntaxat vel saltem *minimè composita* considerare: Quotquot enim simplicium farraginem in unum congerunt, ut cæteris doctiores aut peritiores videantur, certè apud rerum gnaros pro maximè imperitis & agendorum incertis ac dubiis habentur.

CCCCLXXXVIII. Confusum namque judicium, confusam rerum cognitionem habeat necessum, qui plurima confundit, quando uno vel paucis, & imprimis simplicibus medicamentis præstari potest, quod intenditur.

In Præcautione Pestis utile Acetum vulgare Vini.

CCCCLXXXIX. Ego sanè, ut ad rem accedam, ante novennium, cùm quotidie plures visitarem Ægros Peste infectos, *præcautionis* loco aliud non sumpsi medicamentum, quàm *vulgaris aceti Vini Cochleare unum*, mica panis exceptum, & quidem manè antequam inviserem Ægros.

Ab Auctore expertum.

CCCCXC. Id remedii genus usurpavi per octo menses continuos, nec unquam minimam percepi toto illo tempore ab infectione noxam.

CCCCXCI. Postquam verò sublato sensim hoc malo, desiissem ab illo aceto diutiùs assumendo, sensi postmodùm, ac ferè semper, aliquem capitis dolorem mihi contingere, quoties infectam ingrediebar domum, licèt id ignorarem, nec tamen mihi metuerem. Hoc mihi contigit.

At paucis id usurpare queant.

CCCCXCII. Novi equidem, paucos potuisse meo exemplo Acetum per aliquot hebdomadas usurpare; dum aliqui ob peculiarem sui constitutionem, Melancholicam dictam, ne quidem per plures dies potuerint perseverare in ejus usu.

Utile etiam Vinum Rhenanum, & Cerevisia Vetus subacescens.

CCCCXCIII. Solent alii Vini Rhenani, aut Cerevisiæ veteris, adeoque subacescentis haustum manè assumptum commendare.

Non verò Spiritus Vini simplex vel Theriacalis.

CCCCXCIV. Novi non deesse, qui Vini Spiritum aut simplicem, aut Theriacalem laudent; sed novi quoque, multis ipsum fuisse noxium: quod de Acidis dici non potest; saltem ratione ipsius Pestis.

Utilia quoque Elixir proprietatis, Spiritus Salis, Vitrioli, Sulphuris, Fructus Acidis.

CCCCXCV. Laudantur quoque Elixir proprietatis, ut & Spiritus Salis, Vitrioli, Sulphuris ex pauca Cerevisia vel Vino assumendus. Laudantur etiam fructus Acidi, Mala Citria, Aurea, Granata seu Punica, Ribesis, &c

Aceti Odor Efficacissima.

CCCCXCVI. Confortat quoque Aceti spongia excepti Odor, sive fuerit Acetum simplex, aut aliquo Aromate, plantave Aromatica impraegnatum.

In præcautione Pestis Acida.

CCCCXCVII. Adeò, ut, si quis omnia in Pestis Præcautione efficacissima contulerit, comperiat pleraque Acida esse, aut cum Acidis parata.

Acidum in Peste desiderari & impugnari.

CCCCXCVIII. Unde patere puto, Acidum non tantùm desiderari contra Pestis Venenum, sed idipsum imprimis ab eodem impeti ac impugnari.

Acida meraca posse temperari.

CCCCXCIX. Quibus verò Acida meraca esse solent molesta & gravia, iisdem temperari possunt Vini Spiritu. Sic Salis Spiritus ejus ope ita tem-

temperatur, ut omnis penè ipsius Aciditas oblitteretur, si sæpiùs cum eodem cohobetur, ne tamen desinit conducere in Peste.

In quo Ægrorum constitutio consideranda.

D. Interest proinde, ut in hoc casu ita cujusque temperamento ac constitutioni peculiari accommodentur medicamenta, unde nihil noxæ ipsis accidat, plurimum auxilii.

Quod multis modis fieri potest.

DI. In hunc finem variis modis & formis concinnari possunt medicamenta, tum singulis grata, tum simul corpori adversus Pestilens Venenum muniendo apta.

Conditum ex quibus parandum.

DII. Si cui proinde Conditi forma medicamentum placeat, poterit Conservæ Ros. pallid. flor. Calendulæ, Rorismarini, Garyophyllorum, Borraginis, Buglossæ, Violarum, &c. tantùm cujusvis Spiritus acidi, ut inde gratam asciscatur aciditatem; cujus manè stomacho jejuno assumat homo ætatis florentis ad Nucis juglandis quantitatem; aliquantò minùs adolescens; adhuc minùs puer.

Ex quibus Syrupus.

DIII. Cui Syrupi magis placent, eidem exhibeantur ex Succo Berberorum, Ribesiorum, Citri, Granatorum, Aurantiorum, Acetosæ, Acetosellæ, Omphacio & similibus parati, aut per se, aut ex liquore accepto ad cochleare unum, dimidiamve unciam.

DIV. Possunt etiam prædicti Succi absque Sacchari additione usurpari ex jusculo, cerevisia, Vino, &c.

Ex quibus Tabellæ.

DV. Si cui tabellæ magis arrideant, possunt illæ cum nominatis succis, ut & acidis Spiritibus & Sacchara parari.

Ex quibus Jusculum. Julapium &c.

DVI. Potest quoque in hunc finem tum Tartarum crudum, tum ejus Cremor ut & Sal Tartari Vitriolatum quovis modo ex Jusculo, Vino, Cerevisia, Julapio, &c. usurpari.

Ad Pestis præcautionem conducere Acida.

DVII Uno verbo, præ cæteris omnibus ad pestis præcautionem conducunt Acida modo cujusvis naturæ maximè accommodato assumpta.

Acidum nostrum à pestilenti veneno impugnari.

DVIII. Hæc cùm verissima esse docuerit hactenus Experientia, non parùm eo ipso mea confirmatur sententia, *Impugnari à pestilenti Veneno Acidum nostrum*; cui postquam nil magis observatur contrarium, quàm Sal lixivum, meritò in Sale lixivo illud Venenum consistere judicatur.

DIX. Quoniam verò velox est idem venenum, atque valdè efficax, idcircò idem in Sale Volatili & Acri consistere judicavi.

Ad Pestis præcautionem conducere Amuleta.

DX. Ad Pestis præcautionem non tantùm Interna, externaque naribus usurpata solent laudari, sed nonnulla quoque *Amuleta* dicta; de quorum viribus aliquid certi, quod mihi per experientiam innotuerit, quamvis quædam in usum revocarim, vix habeo, quod referam: sed nec sufficientes quidem ipsorum rationes hactenus potui ab aliis intelligere, aut ipsemet excogitare.

Mercurius Crudus Collo appensus.

DXI Imprimis non possum assequi, quid Mercurius Crudus in Calamo anserino Collo appensus possit ad Venenum Pestilens avertendum efficere; quamvis non negem tamen, id verum esse: idem autem non credam priùs, quàm ejus certior sim factus, experientiam, qui didici omnibus dubitare, nec ampliùs fidem illis adhibere, qui quævis venditant pro veris ac certissimis, quæ opinioni suæ confirmandæ putant servitura, licèt norint, eadem esse falsissima, fictitia saltem ac minimè certa.

In Medicina præconceptis opinionibus male adhæresi.

XII. Dolendum certè, in rebus non tantùm problematicis ac quodlibeticis plerosque præconceptis suis opinionibus satis mordicùs adhærere, quò inani suæ ingenii subtilioris serviant gloriæ; verùm in rebus Medicis quoque, ac tum sanitatem, tum vitam hominum spectantibus, tàm multos cum præsenti proximi periculo & damno malle per fas & nefas nugas suas & figmenta chimærica tutari, quàm uni veritati & laborantium bono se addicere

De variis Auctorum sententiis dubitandù.

DXIII. Quisquis autem me judice, volet piè ac probè in facienda medicina se gerere, dubitabit præsertim de iis, de quibus variæ sunt Auctorum sententiæ, & dubitabit tamdiu, donec argumentis certis ac evidentibus fuerit persuasus, hanc vel illam opinionem esse veram certamque.

Nulla Auctori in Naturalibus & Medicis certitudo.

DXIV. Fateor autem, me hactenus sine experientia nullam potuisse in rebus naturalibus, ergò Medicis quoque, observare certitudinem Certitudinem dico, postquam distinguo inter verum ac certum. Potest namque quis verum nosse aliisque aperire, qui tamen incertus sit, an verum sit, nec ne. Aliud enim est probabiliter persuasum esse, aliud certum esse, de alicujus dicti opinionisve veritate.

DXV. Quoniam verò non eodem animo in rerum examine & opinionum formationes atque propagatione feruntur omnes, sed alii ubique gloriam quærunt inanem, alii lucro inhiant turpi, dum pauci unicè divinam sectantur gloriam, proximique commodum; putamus nos nostro satisfecisse officio, si Discipulos nostros seriò & candidè monuerimus eorum, quæ recta putamus in Dei conspectu. Nunc sævi hujusce morbi curationem aggrediemur.

Pestis Curatio.

DXVI. Quemadmodùm ex Symptomatum omnium Pestem comitari solitorum examine, atque remediorum ipsius præcautioni inservientium consideratione, verbatis plerisque Veneni naturam in Sale Volatili & Acri consistentem deduximus, ita idem ex secutura ejusdem Curatione confirmatum iri putamus.

Quomodo Methodica et Rationalis instituenda.

DXVII. Ut autem *Methodica & Rationalis* instituatur *Pestis Curatio*, considerandæ non tantùm *Functiones*, quæ primariò ac potissimùm in Peste labefactantur, verùm *Partes* quoque tam *Continentes*, quàm *Contentæ*, quæ præ aliis omnibus graviùs tunc afficiuntur.

Quænam Functiones in Peste labefactatæ.

DXVIII. *Functiones* in Peste potissimùm labefactatæ sunt *Vitales* dictæ, & inter has, *quæ Sanguinis Mutationem in Corde contingentem spectant*, & à quibus Vita proximè pendet.

Quænam Contenta.

DXIX. Inter *Contenta* igitur vel *Sanguis universus*, vel *quædam ad Sanguinis massam producendam concurrentia*, vel *utraque* male sunt in Peste affecta.

Quænam Continentia.

DXX. Inter Partes *Continentes* Solidasque observamus tum *Glandulas Conglobatas* à Bubonibus, tum *Externam cutim cum partibus adjacentibus* à Carbunculis & Maculis corripi ac corrumpi.

Sanguis solito fluidior.

DXXI *Sanguinem* ipsum in Peste plurimùm immutari, ostendimus in superioribus, quando ipsum consistentiam suam sæpenumerò amittere ac *solito fluidiorem* fieri, affirmavimus.

Acidum Sanguinis corruptum.

DXXII. Cùm autem ab *Acido Succo Sanguini consistentiam omnem* accedere, pluribus argumentis nos evicisse putemus, meritò *Acidum Sanguini admissum admiscendumve* præ cæteris contentis omnibus plurimùm in Peste pati & corrumpi concinimus.

A Sale Lixivo.

DXXIII. Cùm ampliùs à nullo tàm potenter *Infringi adeòque corrumpi Acidum* ostenderimus, quam *à Sale Lixivo* merito ab ipso Pestilens Venenum nos deduxisse existimamus

Volatili & Acri.

DXXIV. Denique cùm Veneni Pestilentis operationem velocem, ac vim acerrimam ad rationis trutinam expenderemus, *Sal* illud *lixivum & volatile*, *& valde acre* pronunciavimus.

Bilem à Veneno pestilenti reddi acriorem.

DXXV. Cùmque inter omnes in corpore nostro hactenus observatos Humores, *Bilis sola* deprehensa sit participare de Sale Volatili, existimamus nos planè secundùm rationem sanam judicasse non rarò Ipsam *vitiari à Veneno pestilenti, reddique solito acriorem magisque volatilem*.

Et ab eodem vitiari.

DXXVI. Adeò ut *Venenum pestilens Bili*, tanquam humori maximè sibi *homogeneo*, se jungat, illamque vitiet; *in Acidum* verò, tanquam humo-

rem

rem sibi maximè *heterogeneum atque oppositum*, vim suam exerat, ipsumque potenter infringat & corrumpat.

Venenum pestilens fortius sit ac cedere. DXXVII. *Venenum pestilens* dico, quia quantum saltem plerique ac cæteris nulla in re cedantes Medici statuunt, *haud in humano corpore generatur*, *sed forinsecùs ipsi accedit*, utque *aliis* quoque *postmodum per contagium communicatur*.

Indicationes in Peste undè petendæ. DXXVIII. *Indicationes* proinde in Pestis curatione observandæ, petendæ sunt 1. ab *Ipso Veneno fortius in Corpus admisso*, utque tum Bilem inficiente, tum Succum Acidum corrumpente ac infringente, tum Sanguinem ipsum colliquante, tum Partes solidas, uti dictum, per Bubones, Antraces, ac Petechias destruente.

DXXIX. 2. *Ab ipsa Bile* à pristina sua integritate degenerante, atque Pestilentis Veneni naturam inducente.

DXXX. 3. Ab *Acido in nostro corpore Succo*, & fracto & corrupto.

DXXXI. 4. *Ab Ipso Sanguine* liquato & consistentia sua destituto.

DXXXII. 5. A *Glandulis Conglobatis Bubones* patientibus.

DXXXIII. 6. *A partibus quibusvis Anthracum* virulentia correptis, corruptisque.

DXXXIV. 7. *Ab universa corporis superficie multifariis petechiis & maculis* inquinata & quandoque simul corrupta.

Venenum Pestilens quid indicet. DXXXV. 1. Ipsum *Venenum Pestilens*, quatenus *præter Naturæ leges in humanum corpus admittitur*, *reciprocam sui ex eodem expulsionem* indicat.

DXXXVI. Idem, quatenus omnia in *corpore occurrentia inquinat & à statu laudabili in noxium mutat*, *sui alterationem & correctionem* indicat.

Quid Bilis. DXXXVII. 2. *Bilis*, quatenus à Veneno Pestilenti Volatilior redditur & Acrior, sui fixationem & contemperationem indicat.

Quid Succus acidus Corporis. DXXXVIII. 3. *Succus Corporis Acidus*, quatenus à Veneno Pestilenti Acrimonia ejus Acida infringitur & corrumpitur, ejusdem Aciditatis separationem ac restitutionem indicat.

Quid Sanguis. DXXXIX. 4. *Sanguis*, quatenus à Veneno Pestilenti consistentiam suam amisit, ejusdem redintegratione indicat.

DXL. 5. 6. 7. *Bubonum*, *Antharacum* ac *Petechiarum* peculiares Indicationes prosequemur in sequentibus: quò nunc præmissorum Indicantium Indicata proponamus.

Venenum Pestilens expellendum per Sudorifera. DXLI. 1. Venenum Pestilens, cùm frequentissimè *per Corporis poros* penetret ad Interiora, commodissimè per eosdem expelletur, adeòque per *Sudorifera*.

Et Vomitoria. DXLII. Idem cùm aliquando una *cum Aere* forsan *inspiretur*, utque Salivam tunc simul alteret ac corrumpat, quæ continuè deglutita in Ventriculo Nauseam excitet, non incommodè tunc *Vomitorio*, ex parte saltem, iterùm è corpore propelletur.

DXLIII. Ubi autem pars ejus vomitione ejecta, reliqua cum Aere ad Pulmones, mox & Sanguinem transiens prædictis Diaphoreticis convenientissimè cum Sudore extrudetur denuò foras.

Corrigendum figentibus & Acrimoniā demulcentibus. DXLIV. Idem Venenum, quatenus *qualitate sua noxia* quævis in corpore occurrentia *vitiat & in pejus mutat*, & quidem *qualitate sua Salsa Volatili & Acri*, medicamento potenter *figente* atque *Acrimoniam demulcente* corrigetur.

Sulphure nempe fixo. DXLV. Quoniam verò nil æquè figendi demulcendique vim habet, ac *Sulphur*, *sed fixum*; idcirco illa vis meritò expectatur à quovis Sulphure fimili, hoc est, fixo & figente, metallico puta, vel minerali.

Bilis figenda & temperāda. DXLVI. 2. *Bilis* Volatilior & Acrior à pestilenti veneno reddita iisdem, quibus & illud medicamentis *figetur denuò*, *ac temperabitur*.

Succus Acidus reparandus. DXLVII. 3. *Succus Acidus* à pestilenti veneno fractus & corruptus reparabitur usurpatione *Acidorum* unicuique constitutioni singulari convenientium.

Ut & Sanguinis consistentia. DXLVIII. 4. *Sanguis* consistentiam suam perditam recuperabit assumptione *Acidorum*, non confertim, at per vices atque parva semper quantitate usurpatorum.

Plurimis in Peste indicationibus quanam Remediorū materia seligenda. DXLIX. Postquam verò tam *multæ* sunt in Peste curanda *Indicationes*, prudentia Medici erit, illam *Remediorum materiam* seligere, atque in usum revocare, quæ *quamplurimis satisfaciat Indicationibus*, quò una sæpè fidelia plures dealbentur parietes, atque minimè compositis medicamentis curetur peste infecti.

DL. Videndum proinde, quibus soleant plerique, aut saltem primarij Practici Peste correptos curare medicamentis, ut optimorum selectio institui queat.

Sudorifera. Opiata. DLI. Et 1. quidem inter *Sudorifera* commendantur imprimis compositiones & Opiatæ tritissimæ, *Theriaca Andromachi*, *Mithridatium* Damocratis, *Diascordium* Fracastorij, *Orvietanum* & similia plura.

Aqua Theriacales. DLII. His adjungi possunt Recentiorum *Aquæ Theriacales* dictæ, cum *Vini Spiritu* aut *Aceto stillatitio* multis modis paratæ.

Antimonialia. DLIII. Quin huc referenda sunt plurima ex *Antimonio* parata Sudorifera, Antimonium putà diaphoreticum, Bezoardicum Minerale tàm simplex, quàm Solare, Lunare &c. Sulphur auratum diaphoreticum, Flores Antimonij fixi.

Terra pingues ac sigillata. DLIV. Inter magis simplicia commendantur præ omnibus *Terræ pingues aut sigillatæ*, Bolus Armena, Terra Lemnia, Silesiaca, Turcica, &c.

Vegetabilia DLV. Inter *Vegetabilia* laudantur *Rad.* petasitidis, contrayervæ, angelicæ, tormentillæ, zedoariæ, &c.

Fol. Card. benedicti scordij centaurij minoris, scabiosæ.

Ligna guaiaci, iuniperi quercus, buxi, Sassafras.

Baccæ Juniperi, Sambuci Eboli, & ex his paratum Rob.

DLVI. Ex *Animalibus* petita sunt *Lapis Bezoar*, Porcinus, & similes: ut & omnia *Cornua*, *Ossa*, & *Ungues* sive *Ungulæ*; atque imprimis *Salia Volatilia & Olea* ex iisdem elicita & ad Sudores movendos efficacissima.

DLVII. Sudorifera usitata magis in certas classes redegimus nuper, ac quædam in specie quoque nominavimus; proximum est, ut cæterorum quoque in curanda Peste Indicatorum materiam examinemus, ac similiter proponamus, quo exinde præcipua pro re nata seligi queant & in usum revocari.

Vomitoria. DLVIII. Docuimus autem, Venenum pestilens aliquando inspiratione allectum aliqua sui parte cum Saliva deglutiri posse, atque mox Nauseam & Vomitum aliquando parere; suique per vomitum è corpore exturbationem hactenus indicare.

Antimonialia. DLIX. *Indicati* autem illius materia cùm ex variis peti queat, ego cæteris *Vomitoriis* omnibus præfero *Antimonialia*, quocunque demum modo parata; de quibus cum sæpiùs fecerim aliàs mentionem, non videtur operæ pretium eadem semper atque occasione quavis repetere: Artendendum autem imprimis, ac ritè præparentur, ac prudenter usurpentur.

Veneni pestilentis volatilitas figenda, & acrimonia temperanda. DLX. Venenum Pestilens cùm non tantùm absolutè abesse, ac proinde expelli debeat è corpore; at insuper ratione suæ *Volatilitatis & Acrimoniæ lixivæ sui alterationem*, ac *correctionem* hoc est, fixationem ac *contemperationem* indicet, non fine causa soliciti sumus de materia remedij Indicati, atque *Salem* imprimis *Volatilem figentis*, *Acrem* autem *contemperantis*.

DLXI.

Salem Volatilem figere non Vegetabilia vel Animalia; ed Mineralia.

DLXI. Non sine causa, inquam, soliciti sumus de materia remedij, *Salem* imprimis *Volatilem figentis*; cùm inter *Vegetabilia* vix ulla talia noverim, quæ id præstare possint, ut nec inter *Animalia*; adeò ut cogamur forsan ad *Mineralia*, tanquam ad sacram anchoram recurrere.

Quare veteres medici pestem ad qualitates occultas retulerint.

DLXII Cùm verò scripta veterum Medicorum, ut & Recentiorum ab istorum ore, placitisque unicè pendentium satis restentur parùm, vel nihil fuisse versatus plerosque in Chymia, sine qua nemo unquam abstrusam *Mineralium* naturam & vires latentes assequetur satis, ut de Volatilium fixatione aliquid solidi proferre possit, tantùm abest, ut ipsam præstare queat: mirum non est, si & Pestis essentia, præter alia multa, ad qualitates occultas, hoc est, ignotas, fuerit relegata.

Recentiores quosdam nimis Veteribus esse addictos.

DLXIII. Illud autem dolendum, tantam ignorantiæ illi crassæ conjunctam esse in multis Arrogantiam, & fastum tantum, imò insaniam, ut aliqui non erubuerint, publicis scriptis testari, se ritu pecorum euntes, quà itur, non quà eundum est, malle cum Veteribus, quibus in mancipia se dederant, errare, quàm cum Recentioribus ac præcipuè Chymiæ gnaris benè sentire, ac horum ductu Ægros feliciùs curare. Indigna certè homine indignior literato, indignissima Cristiano vox & sententia.

DLXIV. Absit verò, ut nos talium hominum exemplo malimus perire nostros ægros propter nostram socordiam vel præjudicium serville, quàm curari excitata nostra per chymicorum industriam & benevolentiam diligentia & charitate.

Oleū Tartari Salem Volatilem figere.

DLXV. Iterum proinde repeto, vix notum esse nobis aliquod ex Vegetabilibus vel Animalibus subjectum, quod vim habeat figendi Salia Volatilia, præter unum forsan *Tartarum*, vel potiùs ipsius *Oleum* destillatione paratum; sed ob sui fœtorem, & alia plura non satis commodè in usum revocandum.

Ut & Nitrum.

DLXVI. Inter Mineralia verò Sal petræ sive *Nitrum* plurimùm potest ad Volatilium Salium fixationem; quod Chymiæ Tyronibus jam notissimum.

DLXVII. Quis enim ampliùs ignorat, vel ignorare potest, Arsenicum, Auripigmentum, Antimonium & similia Volatili Sale constantia figi beneficio Nitri tum crudi, tum in Spiritum Acidum priùs mutati?

DLXVIII. Potest idcircò idem in Peste usurpari cum bono successu.

Nec non Sulphur minerale fixatum.

DLXIX. Præstantissimum autem atque altioris indaginis est *Sulphur minerale*, idque *priùs Arte fixatum*, cujus in figendo Sale Volatili præstantiam efficaciamque pauci observarunt, paucissimi aliis communicarunt: nec mirum.

Quod optimū in pluribus gravissimis morbis medicamentū

DLXX. Illud autem ego omnibus & singulis candidè commendo, & ut *ex quocunque demum subjecto parare discant optimū*, sedulo consulo: Habebunt enim tunc non tantùm in Peste, at in plurimis aliis morbis gravissimis medicamentū excellentissimum, & cui tutò quivis queat fidere.

Hoc etiam Salis volatilis acrimoniam temperare.

DLXXI. Nec tantùm figendo Sali Volatili, sed eidem quoque *Acriori temperando*, conducit *quodvis Sulphur Minerale, sed fixum*: ut & *Nitrum*.

Quod & præstant plures Animalium & Vegetabiliū partes.

DLXXII. Præter quæ plures occurrunt inter Animalium Vegetabiliumque partes temperando Sali acriori aptæ.

Et qua ratione.

DLXXIII. Faciunt autem id istæ omnes tum ratione *Spiritus sui Volatilis*; tum ratione sui *olei*, tum denique ratione sui *Spiritus Acidi*; quin ratione abundantis olei faciunt idem *Salia Volatilia, sed oleosa*.

Semina & Fructus magis Aromatici.

DLXXIV. Inter *Vegetabilium* partes primas facilè tenent *semina*. & *fructus magis aromatici*, ac ideò medicamentosi potiùs, quàm alimentosi; Baccæ putà.

Opium

DLXXV. Inter succos ex plantarum variis partibus prodeuntes primum locum occupat *Opium*, tum amarum, tum pingue: & quicquid Opij naturam æmulatur.

Spiritus Vini simplex & Aromaticus.
Olea Aromatica.

DLXXVI. Et hisce autem in genere sic dictis infinitæ mox se produnt medicamentorum tam simplicium, quàm compositorum species: spiritus putà Vini, ac præsertim Aromatici, quorum infinitæ apud Auctores extat formulæ: Olea Aromatica & simplicia, ex hoc vel illo Aromate, aut Semine, & composita ex pluribus artificiosè parata.

Spiritus Acidi.

DLXXVII. *Spiritus Acidos* hic laudo tum magis puros, tum per Spiritum Vini magis temperatos & blandiores, utroque nomine utiles.

Ex Animalibus Salia Volatilia Oleosa, vel Olea destillata ex cornibus Ossibus, &c.

DLXXVIII. Ex *Animalibus* quæ parantur in hunc finem medicamenta, præcipua sunt *Salia Volatilia Oleosa*, vel potiùs eorundem *Olea destillatione ex Cornibus, atque Ungulis elicita*; quæ omnia effectum hic habent mirabilem, & maximè laudabilem.

DLXXIX. Certè longum foret omnia & singula hic enumerare, quin planè inutile; cùm parùm referat, ex quo subjecto parentur ista olea, sed plurimùm, quàm benè, atque ita, ut minimè sint palato & naribus ingrata.

Iisdem Bili figi & temperari.

DLXXX. 2. Quibus modò dixi Salem Volatilem acremque figi, ac temperari, *iisdem figetur temperabiturque Bilis naturali volatilior & acrior*; ut non sit opus in eorundem inani repetitione tempus terere.

Succus Acidus iners factus reparandus Acidis.
Quale est ex Animalibus Lac acescens, vel Eburyratum.

DLXXXI. 3. *Succus Acidus* in corpore nostro *iners factus reparandus Acidis* tum ex *Vegetabilium*, tum imprimis ex *Mineralium* familia petendis; Neque mihi aliquod succurrit *Acidum* ex *Animalium* partibus ullis parabile, nisi forsan *Lac* sponte, ac imprimis arte *acescens*, ipsiusque *serum acidiusculum*, vel post Butyri ex ipsius Cremore secretionem *Lac ebutyratum*, ac brevi acorem contrahens.

Ex Vegetabilibus Succus Acidus.

DLXXXII. Plures autem sunt Plantarum partes, *folia* putà, *fructusque*, ex quibus *Acidus Succus* exprimi potest, facilè saltem acescens.

Ex Acetosa, Acetosella, Sempervivo majori &c.

DLXXXIII. Sic ex *Acetosæ*, *Acetosellæ*, *Sempervivi majoris*, &c. *foliis* succus exprimitur acidus.

Ex Berberis, Ribesiis, &c.

DLXXX. Sic ex Berberorum, Ribesiorum, Malorum Citriorum, Granatorum, Arantiorum, &c. fructibus, ipsisque uvis immaturis succus elici potest Acidus.

Ex Mineralibus Spiritus Acidi ex Salibus, &c.

DLXXXV. Ex *Mineralibus copiosum* Spiritum Acidum promunt *Salia* quævis, Vulgare tàm fossile, quàm Marinum, Gemmeum, Nitrum, Alumen, Vitriolum, &c. *paucum Argillæ* atque omnes Terræ pingues ac Boli; *mediocrem Sulphur*, *Antimonium*; & si quæ alia sunt huc referenda.

Hæc Acida esse diversi generis.

DLXXXVI. Hæc autem Acida cùm multifaria sint, atque nonnulla Austeritatis & Acerbitatis alicujus sint participia, prudentia opus erit, tum illa ritè distinguere, tum singula pro re nata peritè seligere.

DLXXXVII. Sunt imprimi quædam Acida puriora & Acriora, quædam cùm Spiritu Volatili temperata, tum à natura, tum ab arte. Sic Acetum habet admistum sibi naturaliter Spiritum Volatilem, quem arte solemus Spiritui Salis & aliis admiscere.

Consistentia Sanguini restituenda Acidis.

DLXXXVIII. 4. Cùm *ab Acido suam consistentiam*, nostro saltem judicio, accipiat *Sanguis*, quæ modò de Acidis protuli, huc quoque faciunt.

Pestis curationem admodùm paucis posse institui. Et quibus.

DLXXXIX. Quòd si quis omnia, quæ nunc ordine docuimus de varia supra memoratorum in Peste curanda indicatorum materia medica, inter se conferat, non ita difficulter observabit, admodùm paucis posse primariam Pestis curam institui medicamentis satis simplicibus: *Vomitoriis* putà, sed Antimonialibus præsertim: *Sudoriferis* multifariis, ac itidem Antimonialibus præsertim:

fertim: *Salem ac Bilem nimis Volatilem figentibus*, inter quæ haud postrema sunt Antimonialia: *Salem Bilemque Acriorem temperantibus*, inter quæ plura quoque sunt Antimonialia: *Acidum* & in Saoguine & alibi *deficiens* reparantibus, quæ non desunt in Antimonio: adeò ut ex uno & forsan solo Antimonio parari possint medicamenta omnibus ac singulis Pestis Iodicationibus satisfacientia.

Et ex solo forsan Antimonio paratis.

DXC. *Salia Volatilia Oleosa* & *Sudori movendo*, simulque *Veneno Pestilenti foeas propellendo*, & *Sali*, *Bilique nimis Acelæ temperandæ* conducent.

Quid præstent Salia Volatilia Oleosa.

DXCI. *Acida*, & imprimis ex *Nitro* paratus Spiritus, *Sali*, & *Bilis Volatilitate nimia* & *Acrimonia* peccanti corrigendæ, ut & restituendæ *Sanguini consistentiæ*, *Acidoque in corpore Interiori* reparando servient.

Quid Acida, & imprimis Nitri Spiritus.

DXCII. Adeò ut quis ad summum triplicibus medicamentis opus habere videatur ad Pestis euram internam fœliciter absolvendam: & 1. quidem *Vomitoriis*, quoties ipsis locus concedi potest aut debet: 2. *Sudoriferis*, sed Sale Volatili Oleoso imprimis constantibus, Veneni nempe *Acrimoniam* simul *temperantibus*. 3. *Acidis*, quibus præferendus *Nitri Spiritus*, cùm simul *figendi vi* sit præditus, sed Aquis convenientibus diluenda sunt pleraque, ne noceant.

Triplicis Medicamenta Pestis sufficere.

DXCIII. Quinimò aliquando simul coniungi possunt Vomitoria Sudoriferis, & Sudorifera Acidis; vel saltem in medio Sudore Mixturæ subacidæ cochlearim exhiberi.

Eaque aliquando conjungi posse.

DXCIV. Dico *conjungi* posse nonnunquam *Vomitoria Sudoriferis*; nam nil nocet illa simul assumi & simul operari: postquam non sunt motus sibi contrarii, sed diversi per Vomitum & Sudorem.

DXCV. Nam imperitè ac ineptè Intestinorum fistula unà cum Ventriculo ac OEsophago censetur pro humani corporis Centro, Cutis autem pori pro ejusdem circumferentia.

Humani Corporis centrum quod.

DXCVI. Si quod enim haberi possit ipsius Centrum, id omninò dicendum foret Cor, à quo Sanguis ad Partes singulas defertur, uti Partes singulæ pro ejusdem Circumferentia, cùm ab ipsis referatur Sanguis ad Cor, idque secundùm Sanguinis motum circularem.

DXCVII. Quòd si Corporis humani *Centrum* statuatur *Cor*, non minùs *Intestinorum fistula* in ea per quam se exonerant Fellis Folliculus & Pancreas atque ipsum *Os*, in quod ac per quod se exonerant Glandulæ Salivares, atque ipsius aliquando Ventriculus cum Intestinis tenuibus, pro ejus *Circumferentia* habenda, quàm *externa Cutis*; per quam Sudor expellitur, atque *Vesica Urinaria*, per quam Urina excernitur.

Et Circumferentia quæ.

DXCVIII. Hoc non tantùm probabile, ac verosimile, arguit Ratio, sed verum probat Experientia, quæ tum alios, tum Me quoque non semel confirmavit, cum optimo successu & magno ægrorum commodo expelli eodem tempore ac medicamento humores in corpore peccantes tum per Vomitum, tum per secessum, tum per Sudores ac Urinas.

Humores eodem tempore & medicamento expelli posse per Vomitum, per secessum, & per Sudores ac Urinas.

DXCIX. Quod in non paucis affectibus utile docuit Experientia certa solidæ sanæque Rationi consentiens, id ipsum in Peste quoque fieri posse tutò ac feliciter nullus dubito.

Ut & in Peste.

DC. Adde quòd Arte saltem Chymica præparari possint, ex *Antimonio* præsertim, *Medicamenta*, quæ pro re nata, & humorum peccantium natura, *nunc tantùm per vomitum*, *nunc tantùm per secessum*, *nunc tantùm per Sudores aut Urinas* nunc *simul per plures vias*, nunc per nullas prædictos *humores* expellunt, verùm illos duntaxat *emendent ac corrigant*, Ægrosque ad pristinum sanitatis statum reducunt.

Medicamenta ex Antimonio parata multa simul præstare.

DCI. Certè cui talia supetunt Medicamenta, longè tutiùs procedit in suorum Ægrorum cura, quàm quivis alius, qui talibus destituitur.

DCII. Utique testari possum ac reverà testor, id non semel à me observatum *unum idemque ex Antimonio paratum medicamentum*, *ac eidem ægro in eodem affectu à me exhibitum*, *omnia prædicta effecta ordinem produxisse*: & primo quidem *Vomitum*, deinde *Alvum* ipsi movisse, postea vim suam per *sudorem* exeruisse, ac tandem nil ampliùs expellendo *indies robur ægro conciliasse*.

Et quando.

DCIII. Hujus rei exempla cùm non pauca in praxi mea notaverim, nulli debet videri mirum, si præter ac contra nonnullorum ea librorum lectione quàm rerum ipsarum feliciter è se gestarum observatione doctiorum placita & præjudicia audeam hæc & similia Medicorum Filiis proponere, ac commendare.

Qua commendat Auctor.

DCIV. Prudentia interim opus est, neque enim semper omnia ubique conveniunt: *nec talia exhiberi debent*, *nisi putetur Evacuatio varia utilis ægro futura*, *viresque constent*, ne, si forsan dejectis viribus Vomitus excitetur molestior, & postea vi morbi pereat æger, eredatur ipsius vi medicamenti periisse.

At prudentia opus.

DCV. Ubi autem *vires* adhuc constant, *Vitales* putà *per pulsum satis magnum & robustum manifestæ*, atque *excretio aliqua per Alvum saltem judicetur* conductura, tunc intrepidè poterunt exhiberi medicamenta illa polychresta ex Antimonio parabilia.

Ubi constant Vires vitales Polychresta usi licet.

DCVI. Ne autem verba duntaxat dedisse videar, dum rationem talia præparandi retineo, ea uno verbo plurima sedulis Naturæ scrutatoribus aperiam; *Ne usurpentur tunc medicamenta nimis volatilia*, *sed ad mediocrem saltem fixitatem deducta*.

DCVII. In *Peste Ergo curatione* tutò potest *mox ejus initio*, *urgente nausea*, & *conflentibus adhuc viribus*, exhiberi *Vomitorium ex Antimonio paratum*, sed *quod simul vim habeat sudorem movendi*: *Antimonium* putà *diaphoreticum* dictum, se *haud nimis fixatum*: aut *aliud præstantius*, cui tale suppetit.

Quando Vomitoriâ & simul Sudoriferâ ex Antimonio paratâ exhibendâ.

DCVIII. Vel potest *cum quovis alio Vomitorio Antimoniali conjungi aliud sudoriferum*, aut ex eodem Antimonio aut ex alia materia paratum.

DCIX. Hoc assumpto medicamento *Æger se componat in lecto ad sudorem promovendum*, *tegendo se mediocriter*, hoc est, tot vestibus, quot sine anxietate poterit ferre.

Quomodo se habeat Æger.

DCX. *Post horæ dimidium*, *si nec sudor nec vomitus*, *vel alvi dejectio* sequatur, assumat *jusculum*, *vel cerevisiam*, *vel vinum calens*; idque subinde repetatur, donec alterutra observetur evacuatio; eaque satis sufficiens.

Si nec Sudor nec vomitus, nec dejectio sequatur, quid agendum.

DCXI. Quod *si post horam unam vel alteram neutra consequatur*, nil obstat, *novum ægro exhiberi medicamentum*; quin & *urgentibus angustiis tertium*.

DCXII. Illud enim observandum, *nisi ab assumpto sæpiùs medicamento vel sudorifero*, *vel vomitorio*, *sequatur vel sudor*, *vel vomitus*, *alvive dejectio*, *aut tollatur saltem minuaturve Cordis anxietas*, *plurimùm periclitari ægrum*: signum enim est, *Venenum pestilens aut copiosum*, *aut valdè volatile*, *aut valdè acre* existere in corpore: quocirca spes est in angustiis.

Quando plurimùm periclitetur æger.

DCXIII. Quòd si contra *sursùm vel deorsùm fiat excretio*, *sudor saltem copiosus profluat*, *Cordis anxietas & nausea minuatur*, *atque Pulsus major & robustior reddatur*, *benè sperandum* de Cura felici.

Quando benè sperandum.

DCXIV. Hæc autem ut festinetur ac promoveatur, non tantum *post finitum sudorem*, sed *ipso adhuc durante*, *mixturæ Cardiacæ & Acidis præsertim constantes* cochlearim sunt ac per intervalla brevia Ægro exhibendæ, quò *restituatur* Acidum

dum in ipsum fractum, *Sanguinique sua conservetur, restituaturve Consistentia*, sine qua dio superesse io vita homini nulli datum.

Quamdiu Pestis signū remanet, in quibus pergendū.

DCXV. Quamdiu verò aliquod Pestis adhuc urgentis signum in Ægro remaoet, iamdiu in *medicamentis Salem Volatilem figentibus, acremque temperantibus, & Aciduum restituentibus* pergendum; ne *Venenum neglectum ac sibi relictam novas vires acquirat, & inopinatò ægrum nimis securum opprimat & è medio tollat.*

Hac methodo multi ab Autore curati.

DCXVI. Hac certè ratione ac methodo felicissimè Ægros multos curavi, at illa neglecta plures pereuntes vidi; atque non rarò immorigeros ac sui negligentiores, quamvis frustra, monui, ac meæ saltem conscientiæ sic satisfaci.

Vomitoria quando exhibenda.

DCXVII. Illud tamen fateor, *me hactenus à Vomitoriis abstinuisse*, cùm olim, quàm nuoc, minùs mihi probarentur: hoc autem anoo paucis præsul peste correptis; nullis autem, quibus illa putarem futura utilia: nisi enim mox in principio exhibeantur oauseabundis ac satis robustis, necdum capere possum, qui utili queant cooducere.

DCXVIII. Adde quòd, qootquot ex notis Medicis eadem cum felici successu se usurpasse narraruot, se illa mox in principio usurpasse retulerint, atque sic suo experimento meam sententiam confirmarint.

In formulis Medicamentorum minimum consistere.

DCXIX. Hactenus Internam Pestis Curam per compendium tradidimus, in formulis variis formandis minimè hærentes, postquam illas aliis locis abundè exhibemus, atque in illis partem Artis minimam consistere putamus: Neque facilè in medicamentorum formulis laboravit, quisquis suas Indicationes ritè noverit deducere, atque Indicatorum suorum materiam habebit in promptu.

Symptomatum in Peste curatio.

DCXX. Tradidimus autem generalem Pestis Curam, necdum tamen Symptomatum peculiarium Curam peculiarem attigimus, quàm forsan satiùs erit, nunc exhibere, ac priusquam ad externam Bubonum, Anthracum ac Petechiarum Curam accedamus, cùm & hæc quoque pro peculiari horum Symptomatum & Affectuum Cura sit habenda.

1. Appetitus prostratus quibus restituendus.

DCXXI. Ut proinde eodem, quo in superioribus, pergamus ordine, 1. *Cibi appetitus prostratus restituetur Acidis*, quovis modo assumptis: & imprimis *Salis Spiritu dulci*, ut & *Elixire proprietati*, aut cum potu ordinato aut cum mixturis cardiacis usurpatis. Ubi ootandum, cùm paucis ut plurimùm diebus vim suam deleteriam exerere soleat Veoenum Pestilens, non esse operæ pretium, ut mox in principio de Appetitu restituendo sit valdè sollicitus Medicus, quaodoquidem, superato per Acida quoque Veneno, idem spontè sensim redit; quòd si tamen segniùs revertatur, prædictis sæpiùs usurpatis reparabitur citiùs.

2. Sitis quibus minuenda.

DCXXII. 2. *Sitis* in Peste *aucta* & multis valdè molesta minuetur iisdem *Acidis* Potui ordinario additis, Spiritu Salis; Vitrioli, Nitri, Sulphuris, &c. Aceto stillatitio, Lapide quoque prunelliæ ac similibus: quibus non tantùm sitis aucta minuetur, sed insuper Pestis ipsius Symptomata primaria corrigentur.

3. Nausea quibus compescenda.

DCXXIII. 3. *Nausea* sæpenumerò valde gravis compescetur iisdem *Acidis*, sed *Austeris magis*, & quandoque *Opiatis*, Theriaca, Diascordio, Laudano Opiato, &c.

DCXXIV. Inter Acida Austera commendantur Fructus & Surupus Berberorum, Granatorum Acidorum, Mivæ & Caro Cydooiorum, &c.

4. Vomitus quibus sedandus.

DCXXV. 4. *Vomitus* iisdem, quibus Nausea, compescetur, sed potentioribus, diutius saltem usurpatis.

5. Cordis Anxietates quibus tollenda.

DCXXVI. 5. *Cordis anxietates*, Nauseam Vomitumque aut præcedentes, aut comitantes, aut consequentes curabuntur modò dictis medicamentis, sed additis simul Spirituosis, Aqua vitæ multifariè parari solita & Aromatica: quò Veneni pestilentis Acrimonia simul queat demulceri.

6. Alvi fluxus quibus compescendus.

DCXXVII. 6. *Alvi fluxus* tàm multis lethalis compescetur Medicamentis Austeris & Adstringentibus, tàm simplicibus, Terra sigillata quavis, & Bolo Armena, &c. quàm Compositis, Theriaca, Diascordio, &c. sæpiùs minore quantitate usurpatis.

7. Aphthæ quibus curanda.

DCXXVIII. 7. *Aphthæ*, quoties simul concurrunt, Gargarismos desiderant ex sempervivo majore, plantagine, & similibus decoctis, ut & Linctus ex Syrupis, violaceo tàm simplici, quàm composito, de Portulaca, Juiubino, &c. additis subinde aliquot Spiritus Salis guttis.

8 Leipothymia quibus curanda.

DCXXIX 8 *Leypothymia* curabitur imprimis *Acidis, sed temperatioribus*, Bilem Acriorem, halituum nempe Causam Efficientem, compescentibus, Spiritu Salis dulci, & similibus in potu exhibitis; additis semper Spirituosis & Aromaticis blandis sive Oleosis ad ipsorum halituum contemperationem ac discussionem necessariis.

9. Pulsus Parvus, Debilis & Frequens quibus corrigendus.

DCXXX. 9. *Ad Pulsus Parvi, Debilis, Frequentis, ac mirè Inæqualis* correctionem convenient omnia Sanguini, ejusdem humoribus vitiatis corrigendis proposita in superioribus in cura Pestis interoa.

10. Cordis Palpitatio quibus tollenda.

DCXXXI. 10. *Cordis Palpitationem in* Peste tollent omnia Humores Halitusque Acres tunc imaginabiles corrigentia aut temperaotia, *Acida sed blanda, ut & Olea Aromatica*, Spiritus Salis vel Nitri cum Spiritu Vini dulcis factus, Sal Volatile quodvis, sed Oleosum, &c.

11. Syncope quibus curanda.

DCXXXII. 11. *Syncopen in* Peste contingentem curabunt *Acida cum Spiritu Aromatico juncta*; quò & deficiens fractumve Acidum reparetur, & Salis Volatilis Acrimooia tum infringatur, tum temperetur.

12. Sanguis fluidior factus quibus corrigendus.

DCXXXIII. 12. *Sanguinis in Peste fluidior factus* recuperabit amissam coosistentiam *Acidis* vices assumptis.

13. Urina incerta & varia quibus corrigenda.

DCXXXIV. 13. *Urina* Peste Infectorum *incerta & varia* corrigetur usurpatione Medicameotorum diversitatis cujusvis Causas emeodaotium, & imprimis Salem Volatilem Acriorem contemperantium, fixantiumque; de quibus actum in superioribus.

14. Sudor male habens quibus emendandus.

DCXXXV. 14 *Sudor parcius prodiens* promovebitur Sudoriferis, uti jam dictum; per vices assumptis; *Copiosius* verò, nec tamen Ægrum levans, Acidis temperatioribus per intervalla usurpatis, una cum spirituosis Aromaticis; *Fœtens*, Confectione Alkermes, aliisque odorem suavem spirantibus; *Frigidus* Aromaticis spirituosis cum spiritu salis dulci mistis emendabitur.

15. Exhalatio Fœtens quibus emendanda.

DCXXXVI. 15. *Exhalatio Fœtens* etiam sine sudore ex Ore, naribus, & aliunde prodiens emendabitur medicamentis saporis, odorisque grati ægiis exhibitis, atque suffitibus similibus circa ægros excitatis, ex Aromatibus, plantisve Aromaticis una cum Aceto mistis.

16. Sensus externi debilitati quibus redintegrandi.

DCXXXVII. 16. *Sensus Externi* in Peste non parùm *Debilitati* redintegrabuntur post superatum ejectumque foràs Venenum *Spirituosis Aromaticis*; Animales Spiritus reparantibus ac depurantibus, & ad motum ordinatum reducentibus.

17. Dolores ac molestia quibus tollenda.

DCXXXVIII. 17. *Dolores ac molestiæ* in Peste tam frequentes sopientur ac tollentur imprimis *Opiatis & Anodynis* tàm externis, quàm Internis; additis tamen ubique iis, quæ vitiosos in corpore humores corrigant, expellantque.

Nempe Opio & Opiatis.

DCXXXIX. Primas hic tenet *Opium* inter vulgò nota, & quodvis ex aut cum Opio paratum medicamentum *Theriaca, Mithridatium, Diascordium, Philonium Romanum, Requies Nicolai, Syrupus*

rupus

rupus Papaveris Albi, *Diacodion*, Laudanum Opiatum, &c.

Emulsionibus,

DCXL. Huc spectat Emulsiones ex *Hordeo*, *Amygdalis dulcibus*, *Seminibus papaveris Albi*, *quatuor frigidis majoribus* & similibus paratæ.

Sulphure Vitrioli Anodyno.

DCXLI. Huc referenda, *Sulphur Vitrioli anodinum vel narcoticum dictum*, & similia ex mineralibus & metalis parata plura.

Unguentis,

DCXLII. Huc spectant *Unguenta*, *Martiatum*, *Althææ simplex & compositum*, &c. quibus Opium quoque addi potest.

Et Oleis.

DCXLIII. Huc referenda *Olea Liliorum alborum*, *Amygdalarum dulcium*, *anethinum*, *chamelinum*, &c.

DCXLIV. Atque horum omnium variis modis inter se atque cum aliis commixtorum ope Dolores in Peste molestissimi leniri, sopiti, vel tolli possunt.

Ardor quibus minuendus.

DCXLV. In specie autem molestus tunc Ægris *Ardor* minuetur usurpatione freqnentis *Acidorum*, ac præfertim temperatiorum & gratiorum, & quæ potentiùs feliciusque agent, si sudor simul blandè moveatur.

Quibus Lancinationes. Quibus Dolor Capitis.

DCXLVI. *Inquietudo* autem minuetur ac tandem tolletur tum *Opiatis* tum *Sudoriferis* jam memoratis.

DCXLVII. *Lancinationes* molestæ *Saltem Volatilem Oleosum* desiderant.

DCXLVIII. *Capitis Dolor* in peste tam gravis, *Opiatis* tum internis, tum externis, cedet. Conducet imprimis Epithema ex Aqua Betonicæ aut Rosacea; Aceto Sambucino vel Calendulæ, & opio paratum, ac toties, quoties iterum exficcetur, tepide fronti ac temporibus cum linteo applicatum.

Quibus Dolor Lumborum.

DCXLIX. *Dolor lumborum* cedet imprimis *Acido blando*, & *Laudano Opiato* cum Aquis aromaticis & spirituosis cochleatim per vices exhibito.

DCL. *Cardiaglia sive Ventriculi Dolor* Nauseæ toties copulatus levabitur ac tolletur medicamentis plane similibus per intervalla brevia quantitate parva usurpatis.

18. Vigiliæ quibus minuendæ.

DCLI. 18. *Vigilias* in Peste molestas minuent ac desideratum somnum producent, quæ Dolores, ac Inquietudinem Vigiliarum præcipuam causam tollunt, leniuntve *Anodyna vel Narcotica*, sed prudenter ac per vices usurpata.

Somnus gravis quibus frangendus.

DCLII. *Somnum* contra gavem, profundumque, Vigiliis periculosiorem frangent omnia *Sensus externos potenter moventia*; & imprimis *Acria Acida* Naribus admota, vel internè usurpata, cùm præterea vim habeant oppugnandi Venenum Pestilens, ac reparandi defectum Acidi.

Acetum stillatitiũ Opii Correctoriũ

DCLIII. Quòd si à Bilis parte Oleosa producatur Sopor ille gravis, & hoc nomine conducent Addum Acre, quo & Oleosum penetrare, & idem corrigere possit.

19. Deliriũ quibus curandum.

DCLIV. Idcircò forsan optimum Opii correctorium ac menstruum est *Acetum stilatitium*; ne, si non destillatum assumatur, nimiùm infringat vim ejusdem.

DCLV. 19. *Delirium*, cùm seqnatur vel sensum Externum errantem, vel Imaginationem, ingeniumve vitiosè agentia, vel Animi Affectus graves, Animamque potenter turbantes, curabitur emendando vitia enumerata; & imprimis *Dolores ac Molestias sensum* Externorum, sicut dictum corrigendo: *Imaginationis* verò & *Ratiocinationis Defectus solidis rationibus* diligenter inculcatis reparando: *Animi* denique *Affectus* quosvis, ac præsertim *Panicum Terrorem* componendo viis & modis posteà secuturis.

20 Memoria laboranti quomodò succurrendum.

DCLVI. 20. *Memoriæ* quovis modo in Peste laboranti non video aliter posse succurri, quàm conferendo inter se illa, quæ supersunt, & inde deducendo atque concludendo imo restituendo quæ perierunt: Ubi autem in totum exciderunt omnia, ab ovo erit Rerum omnium amissarum Idea reparanda, & gradatim aliquid coacervandũ, quod post modùm serviant. Neque puto Memoriæ rationem satis esse hactenus observantiam; postquam, sicut in plerisque fieri solet, non tam investigatur cujusque rei ratio, quam aliorum de ipsa præjudicium vel placitum; circa cujus examen aut vexamen hærent plerique de quæsitæ rei veritate minùs solliciti.

Doctoribus nihil discipulis proponendum nisi quod norunt.

DCLVII. Optandum quidem foret omnes ac singulos, qui Doctorum nomen gerunt, atque aliorum informationi aut viva voce aut scriptis suis, vel ex officio vel ex affectu proprio serviunt, videri saltem volunt se servire, nihil proponere, nisi quod ipsi norint, atque hactenus Discipulis suis ostendere atque explicare possint.

Eius utilitas,

DCLVIII. Quòd si proinde juberentur ac cogerentur silere illa, quæ ignorant, quæque Psittacorum ad instar ex aliorum tantùm relatu & dictis vel scriptis à se tàm sæpè ob ignorantiam corruptis promunt; bone Deus! quàm multi observarentur muti, qui nunc existunt mire garruli. Bonum autem publicum non parùm promoveretur, dum à quovis perito addisci possent hactenus nota, & ad ignota indies eruenda excitarentur Ingenia perspicacia, quæ nunc non ratò impediuntur, ac sistuntur ab hominibus ambitiosis, atque Doctorum nomen, quam actum sæpiùs possidentibus.

DCLIX. Certè longè satiùs foret, unumquemque id tantum docere, quod novit; atque silere de iis, quæ ignorat; quinimò candidè suam testari & agnoscere ignorantiam; quò alii non sistatur in opere, verùm excitentur ad latentem veritatem quærendam & inveniendam, postquam non est in homine, licèt ingenioso, ut omnem inveniat veritatem, quam vult sæpenumero Deus erui à minùs industriis; ne quis præ aliis superbiat, quin omnes Dei donum agnoscant, celebrentque, non est enim & hic quoque currentis aut volentis, sed Dei miserentis, atque dona sua pro suo beneplacito liberrimè unicuique diversimodè largientis.

Veritatem Amantis Constitutio.

DCLX. Quisquis proinde Dei gloriam in ejusdem operum manifestatione, adeòque Veritatis cognitione & agnitione consistentem unicè diligit & quærit, eidem perinde erit, an per se an per alium, nunc vel illum, prout occasio à Divina providentia directa feret, eò perveniat, dummodò eò pervenire possit.

DCLXI. Quinimò paratus erit quivis imperscrutabiles Dei vias & admirabilem Donorum ejusdem dispensationem per nebulam contemplans & obscurè duntaxat in hac miseriarum & infirmitatum valle assequens, curtæque in rerum cognitione supellectilis suæ conscius, quovis tempore tum errores suos deponere, tum defectus supplere, tum vera pro falsis mutare: quod nunquam expectandum ab hominibus, aut superbè suis figmentis, aut serviliter alienis commentis adhærentibus, eademque mordicùs per fas ac nefas tuentibus, sicuti hic & alibi indies fieri videmus: ubi, quod Ignorantiæ indictum priùs, mox dissentientibus infertur bellum ab hominibus Doctorum nomen duntaxat affectantibus.

21. Metus & solicitudo quomodo tollendi & minuendi.

DCLXII. Sed pergamus. Ergò 21. Inter *Animi Affectus* in Peste molestos, *Metus & sollicitudo anxia* Ægros mirè torquens tolletur, minuetur saltem, considerando, ne unum quidem capillum excidere homini absque Dei voluntate, atque ita pendere ab ejus nutu omnia, ut quemadmodùm nihil possumus addere nostræ staturæ, quam à Dei præscripto habemus singuli diversam, ita omnes adversitates, ipsique adeò Morbi, & tandem Mors contingant nobis ad incomprehensibilis ac ineffabilis ejus Sapientiæ Bonitatisque beneplacitum.

Quid Animum humanum ad tranquillitatem deducat.

DCLXIII. Utique nihil æquè Animum humanum ad plenam tranquillitatem & acquiscentiam deducet, quàm Dei omnia in bonorum bonum dirigentis Sapienta, Bonitas, Potentia, Misericordia,

cordia, fereno animo ſpectata, ſibique ipſi à quovis applicata.

DCLXIV. Nil namque nos juvat ſcire, Deum ſolum potentiſſimè ſcire, quæ nobis conducunt; eadem præſtare poſſe, quibus bene vult; ni ſimul perſuaſi ſimus, ipſum nobis quoque benè velle, ut oobis bene faciat.

In quibus quærendâ. DCLXV. Perſuaſio autem illa cùm paucis contingat ex peculiari revelatione, qualem habuerunt pauci, proximum eſt ut illam quæramus in geoerali Amoris ſui manifeſtatione, uniuſcujuſque conſcientiæ ſecundum ejuſdem verbum applicanda, & quidem ex agnitione Amoris noſtri mutui, quo ipſum tota meote proſequimur; ex fide, quam habemus ejus promiſſis, ac ſpe certa, quam poſſidemus bunorum non tàm præſentium ac mundatorum, quàm futurorum ac cœleſtium.

Et unde. DCLXVI. Has & ſimiles Ratiooes plures ex puto S. S. Theologiæ fonte, ac Chriſtianæ Religionis fundamentis petendas pluribus hic non proſequimur, ne videamur magis Theoſophiam, quàm Medicam artem docere.

Diſciplinarum omniū eſſe connexum mutuum. DCLXVII. Velim tamen omnes ac ſingulos mente attenta ex jam dictis à me conſiderare, eſſe revera Diſciplinorum omnium connexum mutuum & veram Encyclopædiam; ita ut una alterius ope indigeat, nec una præ altera ſuperbè gloriari poſſit, ac ſi altera facilè carcere poſſet.

Et quare. DCLXVIII. Utique ſicut hic utimur argumentis ex Theologia petitis, ita non raro Theologi argumenta perunt ex atte noſtra: Ita manus manum lavat, & omnium rerum cognito homini cedit in bonum.

22. Corporis tremor Univerſalis quibus curandus. DCLXIX. Parum autem refert, an Rationes à me allatæ ex oaturali & Philoſophica, an verò ex relevata in Dei verbo Theologia ſint deſumptæ, dummodo effectum producaot optatum, & Animum ſolicitudiuibus anxius, & Mortis metu panico liberent.

DCLXX. 22. Inter læſi variè in Peſte Animalis Motus ſpecies, Corporis *Tremor Univerſalis* curabitur exhibitis Spirituoſis, ſed Aromaticis, quo non tantùm Spirituum Animalium defectus reparetur, ſed inſuper ipſis admiſta Acrimonia temperetur, ſicque motus eorundem turbatus ac inordinatus ſenſim corrigatur ac redintegretur.

Quibus Motus convulſivi. DCLXXI. *Motus autem convulſivi* toties in Peſte moleſti & ab Acribus halitibus Salinis Nervorum principia inordinatè mordicantibus orti Curabuntur medicamentis Acrimoniam illam temperaotibus & *Spirituoſis*, *&* *Aromaticis*, *&* *Anodynis*, *Narcoticiſve* cum cantela exhibitis.

Quibus Convulſio. DCLXXII. *Convulſio ipſa* vel univerſalis, vel Particularis ab humore Bilioſo, vel aliàs Peſtileoti valdè Acri & Pituitæ immiſto, & Nervorum principio firmiter adhærente orta curabitur Medicamentis *Aromaticis* præſertim, utrique puta humori conjuncto emendato aptis; quę potentiùs agent, ſi *Sudor* ſimul promoveatur, & *Acida blanda* cooiuncta ſint, quippe quæ utrique humori ſimiliter conducunt.

Quibus Linguæ Balbuties. DCLXXIII. *Linguæ balbuties*, Tremoris particularis ſpecies, præter univerſalia omni Tremori coovenientia medicamenta, citiùs curabitur, ſi Olea Aromatica grata & potentia ore detenta diutiùs hæreant circa Linguæ radicem, atque hac quoque ratione ipſius ooxam potentius emeodent.

23. Vultus mæſtus & Oculi Lacrymabundi qui emendandi. DCLXXIV. 23. Inter notabilia Peſtis ſigna numeravimus *Vultum mæſtum & Oculos lacrymabuudos*; qui quamvis peculiarem curam non videantur deſiderare, non putavi tamen illos ſilentio hic prætereundos, Emendabuntut enim hæc Mœroris manifeſta ſigna ſublatis eius cauſis, & curata Peſte.

24. Macula quomodò curanda. DCLXXV. 24. *Maculas* quod attinet, non priùs curabuntur, quàm propulſo foras, ſuperatoque in rotam Veneno Peſtilenti: quod *Sudoriferis* fiet in ſuperioribus memoratis.

Et quibus. DCLXXVI. Putarum autem forinſecus cum commodo uſurpari poſſe fotus ex Vini vel Aceto, cum Theriaca & Camphora, Myrra & ſimilibus miſto, & calidè ſæpius applicato, imprimis, quoties ſerpere atque augeri obſervantur, qualibus fotibus feliciter quoque uti ſoleo in Gangræna, & affectibus eò vergeotibus; quale quid in maculis, liventibus præſertim; obſervamus.

25. Bubones quomodò curandi. DCLXXVII. 25. *Bubones* Peſtilentiales, quoties licet, *diſcuti* debent, ac ſi diſcuti nequeant, ad maturationem ac *Suppurationem* deduci, hinc *aperiri*, *mundari*, & tandem *conſolidari*.

Et quibus. DCLXXVIII. Iiſdem autem medicameotis, quibus alii Glandularum conglobatarum Tumores curari ſolent, inſtituenda Curatio, attendendo ſemper ad Veneoum Peſtilens, cujus cauſa ceteris addenda ſemper quæ huic conducant, *Theriaca*, *Mithridatium*, & ſimilia.

DCLXXIX. In hunc finem *Oleumè Cornu Cervi* deſtillatum, aliaque Sale Volatili Oleoſo cooſtantia vulgò notis admiſceri poſſunt.

DCLXXX. *Unguentum martiatum* cum Theriaca miſtum ad *diſcuſſionem* obſervavi præſtantiſſimum; ut & *Emplaſtrum diachylum cum gummatibus compoſitum*, & ſimilia.

DCLXXXI. Quin eadem poſtmodum blandè promovent *Suppurationem*.

Quando abſtinendum à ſcarificatione, veſicatoris vel cucurbitulis. DCLXXXII. Niſi Dolor vehemens urgeat, nolim præcipitari Bubonum *ſcarificationem*; multò minus ipſis adhiberi *Veſicatoria*, *vel Cucurbitulas*.

Et quando non. DCLXXXIII. Ubi autem grandes ſunt Bubones, ardenteſque, viribus adhuc conſtantibus ferre poſſem, tum Cucurbitulas, tum Scarificationes adhiberi; *unquam verò Veſicatoria*, à quibus quid boni expectari poſſit, aut unquam ſequatur, hactenus animadvertere non potuit.

Et quare. DCLXXXIV. Dolores enim qui tunc augetur, una cum ardore ſummo & Eryſipelatis ſpecie, nil commodi afferre poſſuot Ægris, iam morbi vehementia plus ſatis debilitatis.

Bubonum diſcuſſio & ſuppuratio quibus promoveatur. DCLXXXV. *Blandis autem medicamentis* forinſecus applicatis temperatur Acrimonia humoris, quoties in Bubonibus exiſtit; quin ſenſim promovetur cura, dummodò *interna convenientia* non oegligantur; à quibus oon parùm promoveri poteſt Buboonum diſcuſſio, ut & ſuppuratio.

Quando & quomodò aperiendi. DCLXXXVI. Quamprimum ſuppurati ſunt Bubones, *apertio*, acceleraoda vel ſcalpello, vel ruptorio: licet ſcalpellum præferam.

Quibus mūdandi. DCLXXXVII. In Apertum Bubonem cum felici ſucceſſu impoſui *Balſamum Sulphuris Terebinthinatum & Aniſatum*, *una cum Uuguento Baſilicorum*, *& Theriaca*: Huius enim ope brevi abſolvi Ulceris muodationem.

Et conſolidandi. DCLXXXVIII. Quinimo *ejuſdem Balſami* ope *Conſolidatio* feliciùs ac citiùs evenit, ſuper impoſito ad cicatricem accelerandam *Emplaſtro diapompholygos*, aliove ſimili,

26. Carbunculi quomodò curandi. DCLXXXIX. Denique 26. *Carbunculi* curabuntur *ſiſtendo* ſerpentem partium vicinarum *mortificationem*, *ſeparaudo* partem mortificatam, *mundificando* & *conſolidando* ulcus relictum.

Mortificatio ſiſtitur Butyro Antimonii. DCXC. Nihil hacteoas oovi, quod potentiùs, ac certiùs, citiùſque ſerpentem Carbunculorum mortificationem ſiſtat, *Butyrum Antimonii*, ſi circumcirca illinatur parti affectę; ad miraculum enim tunc ſiſtitur partium omnium corruptio ſerpens ac omoia depaſcens.

Et Magnete Arſenicali. DCXCI. Huic proximum cenſeo *Magnetem Arſenicalem*, ex partibus æqualibus. *Arſenici*, *Antimonii*, *&* *Sulphuris* paratum, & Emplaſtris convenieotibus immixtum; cuius ope ad ſui ſeparationem diſponitur pars corrupta: quod idem præſtat quoque *Butyrum Antimonii*: cùm oon tantum ſiſtat Veneni Peſtilentis progreſſum, at inſuper partes ab ipſo corruptas ſeparet à ſanis.

Quibus partes ſeparatæ mūdificentur. DCXCII. Partes à Carbunculo Peſtilenti ſeparatas *mundificat* efficaciſſimè noo ſemel laudatus

datus

datus a me *Sulphuris Balsamus* omnis, & imprimis *Anisatus*, unà cùm *Unguento tetrapharmaco* & *Basiliconis* vocato mistus, & ulceri applicatus.

Ulcus quibus consolidentur. DCXCIII. Mundificatum ulcus *consolidant* tum idem *Balsamus*, tum alia Emplastra vulgò nota.

DCXCIV. Atque sic per compendium proposuimus Cogitationes atque Observationes nostras de Pestis natura, Symptomatibus, causis, & Curatiune.

DCXCV. Faxit Deus Opt. Max. ut quemadmodùm hæc omnia suscepimus & absolvimus Animo Candidu, & in publicum mortalium bonum fervente, ita succedant eadem in Divini Numinis gloriam, Juniorum Medicorum informationem, ac Ægrorum quovis tempore occurrentium solatium aut restitutionem. Amen. *Authoris Votum.*

Finis Tractatus Secundi.

TRACTATUS III.

DE LUE VENEREA.

Luis Venereæ Symptomata multiplicia. I. Quoniam dudum Lui Venereæ accuratiùs tractandæ me obstrinxi, nunc fidem datam liberaturus, Affectum istum multiplicibus Symptomatibus stipatum explicare satagam.

Ejusdem, non nomina sed causa investiganda. II. Parùm autem nostra referre puto, quibus vulgò nominibus cum variarum Nationum infamia celebretur, aut quando primùm in Europa, & quibus occasionibus innotuerit hic Affectus, cùm ad Medicum imprimis spectet, ipsum rite cognoscere secundùm ejusdem Causas tum Internas, tum Externas, quò ritè quoque curari queat.

III. Illam proinde de odiosis ejus nominibus controversiam iis determinandam relinquens, quibus volupe est singula in aliorum ignominiam fingere, trahere ac referre, dabo operam, ut aptissimo Luis Venereæ nomine contentus ipsam rem ex æquo explicem; atque ita Medicinam facturos de ipso informem, ut ipsum & dignoscere, & cognoscere, & cura discant.

Eam Veteribus fuisse ignotam. IV. Hoc certè satis notum esse potest cuivis Medicorum Veterum scripta legenti, Luem Veneream, cuius explicationem aggredimur, ignotam fuisse Veteribus, nec ante duo circiter secula innotuisse Europæis: quamvis non negemus Morbis quibusdam subinde laborasse, qui Veneri nimiùm studebant, aut cum Cachecticis vel alias minùs sanis rem habebant: non fuerunt tamen isti Affectus similes Lui Venereæ nunc notæ, atque tantoperè in multos sævienti. *Tempus quo innotuit.*

Symptomata quibus innotescit, expedienda. V. Hic autem Affectus quoniam non semper iisdem se manifestat Symptomatibus, ut ritè cognoscatur, & ab aliis Affectibus dignoscatur, operæ prætium erit, si non omnia, præcipua saltem, quibus innotescere ac se manifestare solet, Symptomata enumeremus, & paucis expendamus.

1. Virulenti humoris effluvium. VI. Primùm verò locum dabimus *Virulenti humoris Effluvio*, Virisquidem per *penem*, fœminis autem per *pudenda* contingenti, & *Gonorrhææ Virulentæ* aut *Venereæ* nomine vulgo noto, ac congressum cum persona simili affectu laborante utplurimùm paulò post consequenti, adeòque contagioso: si ullum enim Luis Venereæ Symptoma contagiosum est, utique Gonorrhœa hæc est, si nomen Gonorrhœæ ipsi competat, de quo agemus in sequentibus.

Gonorrhœa post nimium Veneris usum, at non Virulenta. VII. Non est quidem novum observare Gonorrhœam, sive materiæ spermaticæ spontaneum effluvium post usum Veneris nimium; nulla tamen adest tunc illi humori virulentia, vel acrimonia.

VIII. Ubi autem Visulentia, vel Acrimonia in humore istoc se manifestat, & nonnunquam post unicum coitum ille fluxus contingit, non est de Lue Venerea præsente dubitandum, quamvis non putandum, mox esse Affectum simul gravissimum; quandoquidem non raro nullis aliis Symptomatibus accedentibus brevi ac feliciter curatur ille fluxus: qui ad tempus neglectus ulteriùs serpere solet; ac sensim Sanguinis massam inficere, atque plurima, de quibus nunc agemus, mala producere.

IX. Secundum inter Venereæ Luis Symptomata locum tribuemus *Pustulis multifariis* tum in *partibus genitalibus*, tum in *universa cute*, tum præsertim in *pilosa*, tum in *naribus*, tum in *ore*, *faucibusque* erumpentibus. *2. Pustulæ multifariæ variis in partibus.*

X. Dixi *Pustulas* istas esse *multiplices*; nam observantur aliquando *planæ*, ac minimè extantes aut protuberantes, aliquando *plùs minùs extuberantes*, ac prominentes: aliquando *subrubræ*, aliquando *subflavæ*: Omnes autem sunt *squamosæ*, ideòque *scabræ*: quia remotis squamis, tum color varius, tum cutis inæqualitas & asperitas magis patet.

XI. Aliquando nullus ex dictis pustulis promanat liquor, aliquando paucus quidem & Acris, sensim serpendo pustulas istas expandens.

XII. Tertium inter Luis Venereæ Symptomata locum dabimus *Ulceribus* prædictas pustulas consequentibus, iisque *sordidis*, *perversis*, atque partes affectas, obscænas præsertim; hoc est, *Penem ac Pudenda muliebria*, ut & *Nares*, *Labia*, *Fauces*, *Papillas*, &c. corrumpentibus, ac depascentibus. *3. Ulcera sordida post istas pustulas.*

XIII. Proximum Ulceribus locum assignamus *Cariei Ossium* tam frequenti, & tàm molestæ, Cranio imprimis, atque narium ossibus, &c. infestæ. *4. Caries Ossium.*

XIV. Quintum inter Luis Venereæ Symptomata locum concedimus, *Tuberositatibus ac Protuberantiis* hinc inde in capite, brachiis, ac cruribus, se manifestantibus, aliquando quidem sine, sæpiùs cum dolore conjunctis. *5. Tuberositates.*

XV. Hi Tophi & Nodi excitantur sub periostio, sive membrana ossa tegente: & nonnunquam ad ovi, nonnunquam ad majorem magnitudinem excrescunt, & insignem in parte affecta deformitatem pariunt. *Harum locus & magnitudo.*

XVI. Sextum inter Luis Venereæ Symptomata locum merentur *Dolores singulares*, vespertino sc. & nocturno tempore ingravescentes, matutino verò remittens, atque *non articulos*, *sed locum intermedium occupantes*, ac sæpe atrocissimi: nec tantùm artus, sed *sternum* quoque, ipsumque adeò *caput*, & imprimis frontis, temporumque sedem infestantes, nec anodynis cedentes. *6. Dolores singulares.*

XVII. Septimum inter Luis Venereæ Symptomata locum damus *Pilorum* tum *Capitis*, ac præsertim circa tempora, tum *Superciliorum*, tum *barbæ casui ac effluvio*: quod malum cùm & al às observetur; per se nil certi arguit, nisi alia concurrant Symptomata, vel constet de conversatione cum persona infecta, & desint alium affectum suspicandi rationes. *7. Pilorum effluvium.*

XVIII.

8. Maculæ variæ.

XVIII. Inter leviora levioris Luis signa recenseri possunt octavo loco *Maculæ* nunc *rubentes*, nunc *flavescentes* aut *liventes* : quæ aliquando amplo spatio cutim commaculant, frequentiùs quidem in pectore ac dorso, aliquando etiam in abdomine & alibi; has pressas, colore alieno refugiente, albicans vestigium dedisse, quod tamen mox ad pristinum colorem rediret, se observasse narrat Felix Platerus : qui ex hisce maculis solis, quoties alia ipsarum causa nulla præter congressum impurum patet, Luem Veneream, licèt leviorem, concludit.

9. Bubones venerei.

XIX. Nonum inter Luis Venereæ Symptomata locum tribuimus *Bubonibus* in Inguinibus obortis, & *Venereis* ideò nominatis, quoniam post Veneris usum vel abusum potiùs oriuntur plerumque, atque infectionis malignæ signum præbent: Hi aliquando iterum evanescunt, aliquando permanent, atque aut indurantur, aut suppurantur.

10. Condylomata.

XX. Inter Luis Venereæ Symptomata numerantur quoque *Condylomata* tum in muliebri pudendo, tum in utriusque sexus podice oborta, nec multùm à cæteris differentia.

Hæc Symptomata varia esse.

XXI. Atque hæc primaria sunt Luis Venereæ Symptomata, quæ aliquando plura, aliquando pauciora observantur, & quidem tum pro personarum affectarum temperamento vario, Luis contractæ modo diverso, quin ejusdem duratione, atque tractatione diversa: quæ omnia in sequentibus magis patebunt.

Luem Veneream esse Contagiosè invadere,

XXII. Imprimis autem ad hujus Affectus Cognitionem plurimùm facit consideratio modi, quo singulos ægros hactenus observatur est *invasisse, per Contagium* scilicet, sive id acciderit per *congressum*, sive per *oscula*, & salivæ impuræ communicationem, tumori, tum papillis factam, sive per sudorem quovis modo immediatè aut mediatè per linteamina quævis alteri communicatum, sive per *humoris virulenti ex pene, aut mulieribus pudendis effluentis* & acris, hinc & ulteriùs serpentis communicationem, sive alio quovis modo possibili translatum.

XXIII. Quotquot enim hactenus mali hujus originem accuratè examinarunt, invenerunt omnes in Europa saltem, de qua tantùm agimus, per contagium ipsum translatum esse ab uno ad alterum. Et, quamvis non semper licuerit observare occasiones, secundùm quas communicatum fuit singulis hoc malum, non benè concluditur tamen ipsum tunc absque contagio suisse ortum, quoniam quoties manifestæ fuerunt ipsius Causæ externæ, toties manifestum ejusdem fuit Contagium: unde meritò concludimus, etiam tunc habuisse ipsum à contagio ortum, quando ipsius Causæ externæ & occasiones nobis sunt ignotæ.

Ejus causa proxima & continens.

XXIV. Quamvis autem Contagiosus sit Venerea Lues Affectus, nec nisi per contagium excitari putemus illam in ullo, imprimis apud nos in Europa, nondum tamen inde patet, *quænam & qualis sit ejusdem Causa proxima & continens*, cui omnia memorata Symptomata queant debeantque adscribi.

Ex quibus investiganda.

XXV. Hanc ut eruamus faciliùs, consideranda imprimis eiusdem Symptomata primaria & graviora, ex quorum consideratione attenta non ita difficulter forsan eius Causa vera & adæquata nobis quoque innotescet.

Symptomatum primariorum enumeratio.

XXVI. Sunt autem *primaria* Luis Venereæ *Symptomata*, *Gonorrhœa* dicta *Virulenta*, *Pustulæ*, *Ulcera*, *Ossium Caries*, *Tophi*, & *Dolores satis Acres*: quæ omnia cùm nonnisi ab humorum acrimonia deduci queant, meritò *ad humores acres hic recurrimus*.

Eam ab Acrimonia humorum pendere.

XXVII. Cùm verò docuerimus alias, omnem *acrimoniam* humorum esse *Salinam lixivam*, vel *acidam*; ab *alterutra*, *vel utraque pendebit Venerea Lues*.

Non a sola salina lixiva,

XXVIII. Ab *Acrimonia salina lixiva sola* non facilè quis Luem Veneream deducet, qui tum salis lixivi vires, tum Venereorum Symptomatum naturam habuerit perspectas.

Et quare.

XXIX. *Rosio* namque à *Sale lixivo* fieri solita *cum calore notabili* est coniuncta, qualis vix unquam observatur in Lue Venerea; in qua per *lanciaationes* solent dolores infestare.

XXX. Adde quòd à *lixivo Sale partes ad internecionem & mortificationem ac nigredinem* brevi perducantur; quod cum in Lue Venerea non accidat, meritò Salis lixivi Acrimonia sola hic à prudentibus, rerumque gnaris non facilè culpabitur.

XXXI. Utique in Lue Venerea lentè solet procedere quarumvis partium corruptio, licèt nonnunquam cum atrocibus doloribus sit coniuncta.

XXXII. Hisce accedit, quod *Sal lixivum, quando uni parti adhæsit, non facilè ab illa recedat, sed in ipsam vim suam continue exerat*; quod cum aliter se habeat in Venerea Lue, utique à lixivo Sale ipsius noxa non erit deducenda.

Sed à Spiritus Acidi Acrimonia.

XXXIII. Si quis contrà *Spiritus Acidi actionem* in corporis partes varias examinaverit, haud cunctanter ab ipsius *Acrimonia* Luem Veneream deduci posse fatebitur.

Et quare.

XXXIV. *Acidum* enim non tantum *lancinantes* in corpore *dolores* producere solet, verum talem quoque in *partibus corruptionem* excitare, qualem in Lue Venerea observamus.

Imprimis quando ei pituita viscida permixtus.

XXXV. Imprimis autem id accidit, quando *Pituitæ Viscidæ* admiscetur, *quam in Lue Venerea simul peccare*, plurima sunt, quæ evincunt, uti ex secuturis ac suo dicendis tempore magis patebit.

Venenum venereum in Acido

XXXVI. Concludimus proinde, *Venenum Venereum in Acido, sed suo modo peccante consistere*.

Et aliquando Sal lixivum simul peccare.

XXXVII. Non negamus interim *aliquando* in Lue Venerea *Sal lixivum simul peccare*, imprimis ubi Pustulæ prodeunt, vel Maculæ; non putamus verò Essentiam Luis Venereæ ab illo lixivo Sale tunc adiuncto, verum ab Acido Spiritus pendere, licèt plus minus lixivi Salis admistum habeat subinde idem *Spiritus Acidus, tunc ac semper primariò peccans*.

Illud primariò, hoc verò secundariò.

XXXVIII. Quemadmodum igitur in Lue Venerea existimamus *semper ac primariò peccare Spiritum Acidum* in corpore affecti corruptum ac modo peculiari vitiatum, ita censemus *Sal lixivum* in ipso *iidem plus minus corrumpi ac vitiari, sed secundariò duntaxat*.

Et qua ratione.

XXXIX. Fieri enim nequit, ut in sua integritate permaneat *Bilis*, *Salis lixivi* nostri *fons & scaturigo*, quoties *Spiritus Acidus in Succo Pancreatico* imprimis ut & *Lympha Glandulosa luxurians* à constitutione naturali recedit, atque vitium qualecunque contrahit: postquam necesse habent, meo saltem arbitratu, tum *in tenui Intestino*, tum in *dextro Cordis Ventriculo confluere, ac in se mutuò agere*: Hæc autem actio non fiet convenienter, quoties horum agentium alterutrum malè est constitutum, & à naturali suo statu recessit: Cum autem illa actione commisceri debeant bini hi humores, & ita quidem, *ut cætera ipsis admista quodammodo in unam* eamque laxam *coeant massam*, Sanguinis nomine notam, *quodammodò à recrementis suis secedant*, quis non videt, ubi depravatur illa actio, beneficium quoque ab ipsa expectandum simul depravari & perire, si non in totum, saltem ex parte.

Omnes functiones corporis ab invicem pendere, & una læsas reliquas lædi.

XL. Quisquis proinde attenta mente omnes *Functiones* in homine perfici solitas consideraverit, facilè agnoscet, ipsas *omnes ita pendere ab invicem, ut nulla queat notabiliter lædi, quin & reliquæ aliquando inde patiantur detrimentum, atque itidem plus minùs lædantur*.

XLI. Quòd si *functiones in homine lædantur*, illa quoque *lædentur* plus minus, quæ ab ipsis expectantur tanquam effecta.

Ex Chylificatione læsa reliquas functiones lædi.

XLII. Exempli gratia: Si Chylificatio dicta & in Ventriculo perfici solita, sive Alimentorum Fermentatio lædatur, necesse est, ut Chylus

sive

sive Alimentum fermentandum non se habeat ritè, quin hoc aut illo modo reddatur vitiosum: quo vitioso existente quis non videt, functiones cæteras illam primam consequentes itidem futuras vitiosas, & quæcunque à singulis expectantur effecta, futura itidem vitiosa?

Nihil tamè mali inde oriri aliquando, imo sanitatem restitui. At tantùm casu aut ex arte.

XLIII. Interim non nego, quin potiùs id sæpiùs docui, & an omnibus opto diligenter notari; non nego, inquam, *fieri subinde, ut non tantùm noxa Ægris nulla eveniat ex Vitio à Chylificatione, quin potiùs per ipsam restituatur sanitas amissa.*

XLIV. Quoties autem id evenit, id casu evenit, aut ex arte: quoniam assumptis Alimentis non usquequaque laudabilibus, nec facilè sanis exhibendis, paratur talis in Ventriculo Chylus, qui medicamenti vices subeat vitiosis humoribus in corpore ægro existentibus corrigendis ac emendandis.

Aliquando alimentis noxiis ægros curari.

XLV. Hinc est, ut hoc obiter moneam, quòd *aliquando curentur Ægri assumptis Alimentis per se noxiis, & sibi tamen Medicamentosis*; atque nescio quo sæpe inde instinctu potenter, an impotenter appetitis, & expetitis.

XLVI. Verùm, ut ad nostrum revertamur negotium, putamus necessarium, ut, *quemadmodum inter se mutuò immediatè aut mediatè dependent Functiones corporis naturales omnes, ita suas læsiones sibi quoque communicent ac vitia.*

Quomodò partes contenta, & continentes noxam suā aliis communicent.

XLVII. Hoc certè imprimis verum de *Contentis*, quippe *quæ quaquaversùm deferuntur*, atque noxam suam universo corpori facilè ac brevi communicare possunt; quod de *partibus continentibus* æquè *dici non potest*, cùm segniùs noxam suam remotioribus communicare queant, nec nisi *per contenta sua*, & imprimis *Sanguinem affluentem ac refluentem*, cui noxam suam imprimunt, atque sic aliis quoque transmittunt.

Hoc in Lue Venerea locum habere,

XLVIII. Hoc itidem in Lue Venerea locum habere arguunt ac evincunt Symptomata nunc citiùs, nunc tardiùs prodeuntia, nunc ab una, nunc ab alia parte initium sumentia, & tandem ad cæteras quoque transeuntia.

Et quomodo.

XLIX. Cùm enim, uti jam docuimus, *per Contagium excitetur* apud Europæos *Lues Venerea Venenum illud* nunc per partes Generationi dicatas, nunc per Os, nunc per Cutis poros *penetrat in Corpus sanum, & illud pro Sanguinis præsertim ac cæterorum contentorum diversitate citiùs vel tardiùs, plùs vel minùs inficit*, citata secundùm partes continentes, Cutim, Membranas, Glandulas, Carnes, & ipsa quoque Ossa; ita nulla in corpore humano pars vel continens vel contenta fortan occurrit, quæ non subinde afficiatur in Lue Venerea.

Unde functiones in ea lædantur.

L. Cùm autem nulli parti continenti, contentæve parcat Lues Venerea, non mirum, si & *functiones omnes in ipsa lædantur, & Naturales & Animales.*

Naturales.

LI. *Naturales functiones lædantur* in Lue Venerea, non tantum secundùm *Nutritionem* in affectis partibus *vitiatam*: sed insuper, ubi præsertim malum ingravescit, secundùm ipsas omnes plùs minùs labefactatas, unde videas & appetitum sensim prosterni, Alimentorum fermentationem vitiari, excrementorum secretionē minùs ritè procedere, hinc & corpus paulatim macrescere, aut cachexia multifaria vexari.

Animales.

LII. *Animales functiones læduntur* in Lue Venerea tum ratione *Doloris sensum externum* afficientis, tum ratione *Vigiliarum* Dolores quosvis consequentium, tum ratione *Motus* Animalis multis modis lædi soliti: ut jam sileam *Motus Animi* non parùm tunc conturbatos, unde nec *Mens* satis semper sibi constat, quin non rarò simul *delirat*.

In quas partes maximè saviat.

LIII. Quamvis verò nullis partibus parcat Lues Venerea, præ aliis tamen omnibus sævit maximè in Glandulosas, unde non tantùm Peni, Prostatis, & omnibus partibus mulierum obscœnis, verùm Naribus, Labiis, Gingivis, Palato, Tonsillis, & similibus infestior existit: an quia Venenum Venereum initium habet à semine corrupto, ac præter sui naturam de Aciditate participante, quod quia in Glandulosis paratur partibus, idcircò forsan in ipsas rursus agit faciliùs & potentiùs?

Delebot Opera.

Et quare.

LIV. Docuimus autem aliàs, videri nobis Succum subacidum secerni à Sanguine in Glandulis, eundemque in ipsis contemperari à Spiritibus Animalibus per nervos ad easdem delatis. Quòd si Acidum reddatur in corpore Acrius, an mirum si idem in Glandulis secerni solitum, quoties simul redundat, easdem citiùs ac potentiùs lædat, quàm partes alias, in quibus secundùm naturam non secernitur à cæteris Sanguinis partibus.

Unde Cancer producatur.

LV. Inde diximus non semel posse deduci Cancri productionem frequentissimam in Glandulis, partibusve Glandulosis: Ab Acido enim Acri Cancrum generari, non dubitamus ampliùs, postquam novimus non tantùm ipsi lancinantes dolores esse comites, verùm quibusvis Acidum concentrantibus ac contemperantibus leniri eundem.

LVI. Cùm proinde ex prædictis constare putemus, Venenum in Venerea lue observabile, atque partibus omnibus adversum consistere primariò in Acido Acriu onia peculiari peccante, arbitramur quoque, ex illo fundamento faciliùs posse explicari singulorum symptomatum ipsam comitari solitorum naturam, quin in eorundem curatione methodum institui posse magis rationalem atque dogmaticam, quàm si duntaxat recurramus ad qualitates abstrusè occultas.

Quænam functio primariò lædatur. Nempe Nutritio.

LVII. Quæritur vulgò, nec malè, quænam Functio in Lue Venerea primariò afficiatur? Nos inter dissentientes variorum opiniones accedimus iis, qui statuunt, primariò ac per se Functiones naturales, ac imprimis Nutritionem lædi, secundariò ac per accidens tantùm Animales.

LVIII. Probatur autem illud, quia semper in Lue Venerea vel totius corporis, vel quarundam saltem partium Nutritio læditur.

Universi corporis. Eius partium.

LIX. Læditur universi corporis Nutritio, quando universa Sanguinis massa est infecta.

LX. Læduntur quædam partes, & quidem illæ tantùm, quæ infectæ erunt, quamdiu tota Sanguinis massa necdum est infecta, nec proinde Venenum per universum corpus est distributum; vel quando ita constitutum & affectum est Venenum Venereum, ut non què noceat partibus singulis, sed quibusdam duntaxat: quod imprimis observamus fieri Melancholicis, qui, quemadmodùm diutiùs resistunt Veneno Venereo, ita ferè dolores patiuntur circa Ossium membranas pertinaces atque magis rebelles, curatuque magis difficiles, quàm cæteri, & imprimis Sanguinei; quorum constitutio quemadmodùm Venenum facilè admittit & mox manifestat, ita ab eodem citiùs & faciliùs liberatur & curatur.

Animales Functiones secundariò lædi.

LXI. Animales autem Functiones læduntur secundariò, quatenus humores Acidi & Acres, quoties ad partes sensiles accedunt, dolores in ipsis excitant; & tum hactenus, tum quatenus partes à se erosas ad motum ineptas reddunt, Animali motui adversantur.

In quonam subjecto hæreat Venenum Venereum.

LXII. Quæritur etiam vulgò, in quonam subjecto hæreat Venenum Venereum, an in partibus solidis & continentibus, an in partibus fluidis & contentis? Nos putamus ipsum consistere primariò in Contentis, ac pro subjecto vero agnoscere Humores Acidos naturaliter in nobis existentes, hoc est, Venenum Venereum forinsecus communicatum, inficere ac inquinare imprimis partem humorum nostrorum Acidam, & illam ita corrumpere atque à statu naturali abducere, ut Acrimoniam rodentem acquirat, cujus ope non tantùm totam Sanguinis massam, omnesque alios in nobis observabiles humores, Bilem, Salivam, Succum Pancreaticum, Lympham, Spiritus Animales, ac imprimis Semen atque Lac inquinet atque inficiat, sed partes quoque solidas & continentes quavis, uti jam dictum, Cutim, Carnes, Glandulas, Membranas, & ipsa Ossa rodat & tandem corrodat, & consumat.

Venenum Venereum Acidum nostrum corrumpere, & eo mediante partes omnes inficere.

LXIII. Venenum ergo Venereum, & in Acido Acri consistens, Acido nostro, sed secundùm naturam temperato blandoque facillimè se jungit, illud alterat & in sui naturā vertit, ac nostri respectu corrumpi, unde priori ac externo simile factum & Acre,

tum conteotas,tum continentes partes corporis omnes inficit ac corrumpit, omniaque Symptomata io Lue Venerea observabilia producit.

Hoc in omnibus Symptomatis ostenditur.

LXIV. Hoc ut magis appareat, & Luis Venereæ natura unicuique manifestior fiat, libet singula ipsius Symptomata paucis percurrere, atque ipsorum ab Acri Acido ortum deducere: quo facto via simul sternetur ipsius Curæ ritè instituendæ.

1. Gonorrhœa Luis Venereæ initium.

LXV. Sequemur autem ordinem in superioribus observatum, faciemusque à dicta *Gonorrhœa virulenta* initium: postquam non rarò ab ipsa quoque initium habet Lues Venerea cum omnibus suis appendicibus; quin non rarò in ipsa duntaxat consistit, adeò ut eadem in tempore ac ritè curata, plura non sequantur istius Luis damna & Symptomata, sed una cum ipsa sublata tollatur omnis ulteriori mali metus.

Unde ortum ducat Semen in Coitu infici in maribus.

LXVI. Solet autem *originem suam* sumere Gonorrhœa hæc *à Coitu cum persona simili labe infecta*, à qua prodiens materia virulenta & acris se partibus genitalibus applicat, & in maribus quidem seminis reliquiis in urethra remanentibus se admiscet, ac sursum usque ad prostatas & vesiculas spermaticas serpit & ascendit, semini accedenti se insinuat, & ipsum inficiat, atque ipsa seminis receptacula itidem afficit, rodit, & corrumpit; unde accedens continuè aliud semen similiter corrumpitur, & corruptum continuè destillat: nec proinde malè affectus ille *Gonorrhææ* & quidem *Virulentæ* nomine venit.

Ut & Sanguinem.

LXVII. Interim non negavero præter semen, quod sensim allabens corrumpitur, *Sanguinem* quoque *ad partes hasce affectas* & ulceratas *delatum* itidem *aliqua sui parte corrumpi*, atque *Gonorrhææ dictæ materiam quoque suppeditare*: dum partes ejus aliæ ab illo veneno infectæ refluunt per venas versùs Interiora & Cor, atque totam Sanguinis massam citiùs vel tardiùs, leviùs vel graviùs inficiunt, & tandem Symptomatibus ubique se manifestantibus ansam præbent.

Gonorrhœa materia duplex.

LXVIII. *Gonorrhææ* igitur *materiam* putamus *geminam*, tum *semen* in suis receptaculis ulceratis corruptum, tum *Sanguinem* ad earundem partium nutritionem delatum & itidem in purulentam vel aliàs virulentam materiam mutatum.

Quomodo in feminis virus inficiat partes.

LXIX. In *fœminis* autem effusum ex maris gonorrhœa virulenta laborantis penes *viris* itidem *Collo ipsarum externo & imprimis Colli interni orificio adhærens*, ac sensum *effuso semini, ejusque reliquiis sese insinuans*, quin usque *ad Uteri cornua & seminis vasa excretoria* assurgens illa unà cum semine corrumpit, ulcera ibidem excitat, hinc tum *semen* sponte accedens, tum *Sanguinem* eò, quàm in maribus, copiosius delatum in *humorem virulentum mutat*, & illi *Gonorrhææ* occasionem præbet.

Gonorrhœa virulenta ab acido deduci.

LXX. Cùm verò omnium testimonio *acris & mordicans* sit *humor* in dicta *Gonorrhœa effluens*; illa autem acrimonia *non mortificet partem, uti solet facere sal lixivum*, sed *rodat & lancinet Acidorum more*, meritò *ab Acido ulcera illa & virulentam Gonorrhœam deducimus*.

2. Pustulæ multifariæ.

LXXI. Secundum inter Luis Venereæ Symptomata locum assignavimus *Pustulis multifariis ubivis* se manifestantibus.

LXXII. Has diximus omnes esse *squamosas & scabras*, dum *aliæ* quidem *acrem liquorem sive serum simul effundunt*, *aliæ nullum*; *sed siccæ* permaneant.

LXXIII. Aliquando pruritum molestum habent conjunctum, aliquando nullum, aut levem duntaxat.

Earum differentia à pestilentialibus.

LXXIV. Non sunt autem similes Pustulis pestilentialibus, in carbunculos desinentibus, & partis affectæ mortificationem gangrenosam comitem habentibus; quasque idcircò à sale lixivo volatili & acri in præcedenti Tractatu de Peste deduximus: verùm similes sunt potiùs iis, quas in Scabiei gravioribus speciebus observamus, absque cutis notabili aut celebri corruptione.

Unde deducenda.

LXXV. Non deducendæ proinde pustulæ Venereæ à sale lixivo vel fixo, vel volatili; sed ab acido, plùs minusve fracto ac temperato.

LXXVI. Prout namque illud plùs aut minus infringitur, graviùs idem aut leviùs sæviet in cutim, atque pruritum graviorem aut leviorem producet.

LXXVII. Ubi autem acidum illud acre magis est concentratum, pustulas producet magis aridas: Ubi contra idem est magis solutum, minùsve concentratum, pustulas producet madidiores ac serum aliquod stillantes, imò celeriùs serpentes.

LXXVIII. Ab Acidi ergo Acrimonia meritò deducimus Pustulas Venereas, ipsamque adeò Veneream Luem.

3. Ulcera sordida.

LXXIX. Tertium inter Luis Venereæ Symptomata locum fecimus *Ulceribus sordidis ac perversis*; & nulli parti parcentibus; *Glandulosis* autem *præ aliis omnibus infestis*, & ipias sensim plùs minùs, celeriùs, tardiùsve depascentibus.

Eorum ortus acido.

LXXX. Certè si quid aliud, Ulcera ista acrimoniam acidam evincunt & probant: neque mortificatio ulla nigricans, sed corruptio cum carnis rubore vel pallore conjuncta ibi deprehenditur; qualem nunquam à lixivo sale profectam reperias, semper ab acidis.

Nec obstare quòd per Acida curentur.

LXXXI. Nec est, quòd quis obiiciat, ad Ulcerum Venereorum curationem usurpari quotidie medicamenta cum Acidis parata, & quidem cum optimo successu, Mercurium putà cum variis Acidis præcipitatum, aut sublimatum: unde quis forsan putaret, non produci ab Acido Acriore Venerea, cùm ab eodem curentur.

LXXXII. Quam difficultatem non ita difficulter solvi posse puto, dicendo, Curam istam non tam pendere ab Acido, quam à Mercurio, qui cum Acido præparatus est; unde rariùs usurpatur, nisi Acidum sit valdè in ipso temperatum.

LXXXIII. Facit autem Acidum adjunctum, ut faciliùs se insinuet Mercurius Acido in ulceribus existenti.

Acidum id debere esse contemperatum in Mercurialibus.

LXXXIV. Ubi autem non satis contemperatum est in Mercurialibus medicamentis Acidum, plùs nocet, quàm prodest: nec unquam feliciter usurpatur, nisi ubi opus est promptà corruptæ ac vitiatæ partis consumptione: tunc solent quandoq; Chirurgi periti cæteris suis præcipitatis, aut sublimato dulci addere tantillum sublimati Corrosivi, nunquam verò cum ægrorum commodo utentur ipso extra simile m casum.

LXXXV. Cùm igitur non ratione Acidi, sed ipsius Mercurii usurpentur in Ulcerum Venereorum curatione Præcipitata, vel Sublimata contemperata, ex ipsorum usu laudabili & utili non tam evertitur, quàm confirmatur Acidum tunc peccans & ulcera producens.

LXXXVI. Adde quòd indies Lues ista solo Mercurio crudo cum unguentis misto & illito curetur felicissimè, una cum omnibus suis Symptomatibus, & ipsis adeo ulceribus; quod ipsum confirmat, produci ab Acido hanc luem, postquam illud in se allicit vel admittit Mercurius, mox & per Salivationem secum educit, sicque luem istam curat.

LXXXVII. Ab Acida igitur Acrimonia deduximus meritò tum Ulcera Venerea, tum Ipsam luem Veneream.

4. Caries Ossium.

LXXXVIII. Quartum inter luis Venereæ Symptomata locum dedimus *Cariei Ossium*: quemadmodùm enim partium mollium corruptio & consumptio Ulceris nomine venit, ita partium duriorum ac Ossium præsertim corruptio atque exesio *Caries* vocatur.

Quid sit Caries.

LXXXIX. Tantum autem abest, ut à lixivo Sale producatur Ossium Caries, ut ab ipso tanquam Cauterio potentiali non rarò curetur æquè, ac à Cauterio actuali, hoc est, ferro ignito, Carioso Ossi applicato.

Unde oriatur.

Acrimonia tantùm duplex.

XC. Si proinde à lixivo Sale curetur Caries, corrigaturque ipsius Causa, siquidem Ossa corrodat, itidem Acris, ad aliam Acrimoniam erit recurrendum, ergo ad Acidam: postquam præter Acidam & Salsam lixivam tertia hactenus frustrà quæsita est ab iis quoque, qui hanc ob rem ac nostri odio multum laboris huic perquisitiuni impenderunt, non

tam,

tàm, ut veritatem cognoscerent, quàm ot me falsi argueret.

XCI. Miror autem varia in hunc finem tentasse, aut, ut ab aliis cum successu tentarentur, optasse, quibus sicut aliarum rerum omnium, ita quarumvis Acrimoniarum præstò sunt dubio procul Ideæ Innatæ; quibus quoniam ultrò agnoscimus nos destitui, non est mirum, si per experientiam conemur rerum naturalium omnium qualitates ad diversitates, & inde earundem determinationes nobis comparare, quas nostris communicemus Discipulis; quis nisi Idealium Doctorum benevolentia destituar, brevi, scilique negotio fecibilis omnis perfectam notitiam poterunt assequi; sive proprias ideas spectent duntaxat, sive illis plùs minùs deleris, aut obscuriùs in Mente sua, vel Cerebro, vel Glandula pineali, vel alibi, nescio ubi, expressis excitentur aut reparentur à fortunatis illis Albæ Gallinæ, lucisque novæ filiis, solis putà Idearum quarumvis promis-condis, ac fidis & fidelibus Naturæ Interpretibus, contra quorum decreta nulli nunc licet impunè quicquam pronunciare, aut diversum ab ipsis sentire.

Rejicit Author Ideas innatas

XCII. Si commenta & figmenta ex fictis Ideis innatis deducta sint demonstrationes Mathematicæ, bone Deus! quonam non rapient nos homines superbi, ac quibusvia liberæ veritatis investigationi addicti infensi atque infesti? An igitur cogemur contra experientiam evidentissimam, contra ratiocinatio. nes carenatas & solidissimas præbere nostrum assensum futilibus ionatarum Idearum figmentis? Absit, ut, ringentibus quibusvis adversariis, tàm socordes fiamus, & umbram figmentorum præferamus veritati per sensus externos ad internos penetranti.

XCIII. Concludimus proinde non ex Ideis innatis, at secundùm experientiam, omne Acre aut esse Salsum lixivum, aut Acidum, Ossiumque Cariem uti aliàs semper, ita & in Lue Venerea pendere ab Acido: & hactenus confirmari nostram de hujus luis causa sententiam.

5. Tophi. Quid sint.

XCIV. Quintum inter luis Venereæ Symptomata locum concessimus *Tophis, ac Tuberositatibus*, hinc inde Ossibus sub periosto accrescentibus, atque materia Pituitosa, sed valdè tenaci, viscida & coagulata constantibus, & ubique deformitatem insignem ac inæqualitatem comitem habentibus.

Eorum materia.

XCV. Has protuberantias Pituitam viscidam pro materia agnoscere, visus evincit, & Curatio per medicamenta eadem Pituitam incidentia, lenimque dissolventia, Mercurium imprimis, & Olea stillatitia, ideòque Sale Volatili Oleoso abundantia, confirmat.

Viscidita; unde producatur.

XCVI. Quisquis autem viscitatem omnem ab Acido & Pingui produci novit, concluder, utrumque hic habere locum, atque Acidum necessariò simul peccare, quod intendimus.

XCVII. Concurrit ergò ad Gummatum illorum, Tophorum, ac Tuberositatum generationem Acidum; à quo ideò & Lues Venerea deduci poterit.

6. Dolores rodentes.

XCVIII. Sextum inter Luis Venereæ Symptomata locum assignavimus *Doloribus rodentibus*, atque *nocturnâ præsertim tempore graviùs ægros*, non quidem circa ipsos *articulos*, sed *locis intermediis, molestantibus*.

Unde deducendi.

XCIX. Hi Dolores quoniam per lancinationes ægros afficiunt, meritò ab Acido deducuntur; postquam omnibus constare poteft, ab Acidis per perâm assumptis Lancinantes dolores excitari; quales proinde ab Acidis foriosecùs assumptis productuntur Dolores, tales ab Acido in corpore existente ac peccante itidem produci necessum.

C. Si dolores igitur Venereæ Lui peculiares à nulla causa commodè possint deduci præterquam ab Acido, quid ni & ipsam Veneream Luem ab Acido deducemus?

7. Pilorum defluvium.

CI. Septimum inter Luis Venereæ Symptomata locum dedimus *Pilorum Capitis, Supercilliorum, & Barbæ casui ac defluvio.*

Unde oriatur.

CII. Hoc Pilorum effluvium nunquam evenit sponte, nisi ad ipsorum radices accedat aliquid acre, quod ipsas rodat, & nutritionem ipsorum impediat. *Delebit Opera.*

CIII. Acre autem illud non erit salsum lixivum; aliàs cutis ipsius conjungeretur mortificatio gangrenosa, quæ tamen nulla in omnibus luis Venereæ Symptomatibus apparet, unde merito ad illud acre non recurrimus; verùm ad Acidum, quod abundè sufficit huic malo producendo.

CIV. Cùm igitur Pilorum effluvium aliquando in Lue Venerea contingens deduci nequeat, nisi ab acrimonia acida, utique hactenus & ipsa lues ab illa deducetur commodè.

CV. Quamvis memorata Symptomata, ut potè Luis Venereæ primaria, iis probata sufficiant Efficienti ejus causæ adstruendæ, malo tamen cætera quoque ipsius Symptomata percurrere, quò ex omnibus ac singulis veritas jam satis nota si non magis innotescat, confirmetur saltem aiteriori cæterorum Sumptomatum examine.

8. Maculæ variæ.

CVI. Octavum argò inter Luis Venereæ Symptomata locum dedimus *Maculis*, nunc *lividis*, nunc *flavescentibus*, nunc *rubentibus*, atque *sui pressione albicans vestigium*, sed mox iterum se subducens, *relinquentibus*: quæ Maculæ sicut leviorem duntaxat Luis Venereæ speciem testantur, ità minùs potenter ostentant sui, atque illius causam veram & adæquatam.

Unde oriantur.

CVII. Quòd si quis tamen *omnium Macularum Causas* perscrutetur, comperiet tandem, ipsas ortum suum trahere *à corruptione incipiente aut levissimam Cutis*.

Cutis corruptio duplex.

CVIII. *Levissimam sive Incipientem Cutis Corruptionem* voco, *quæ nondum est perfecta, & à qua regressus adhuc est ad integritatem*; sicut *Gravem atque absolutam Cutis Corruptionem* dico, *à qua regressus non est ad integritatem; nec nisi cum aliqua illius partis deperditione.*

CIX. Sed ne verba videar illidare, dictum nostrum exemplis notis, atque adeò ipsa stultorum non minùs quàm sapientum Magistra Experientia confirmemus.

Gangræna quomodo se habeat.

CX. Quamdiu in *Gangrænæ metu* color Cutis est duntaxat rubeus, aut subpurpureus, tamdiu corruptio ejusdem est incipiens, atque talis, ut ad integritatem redire possit pars affecta, quamprimùm autem ad nigredinem pervenit, conclamatum est, atque tanquam extremè corrupta, emortuaque Cutis aut spontè, aut arte à vicina separanda est, ut servetur membrum affectum.

Vt & Petechia.

CXI. Sic in *Febribus malignis* vocatis ac *Petechias* comites habentibus, quamdiu Maculæ sunt rubeæ aut etiam purpureæ, tamdiu ad integritatem absque sui jactura redire potest Cutis; ubi autem extremè lividæ aut nigræ factæ sunt, non tantum Cuticula, sive Epidermis, sed ipsius Cutis aliqua pars separari solet, quando convalescunt ægri; atque foveæ tales in Cute remanent, quales à Variolis ortas conspicimus.

Quomodò Maculæ omnes degenerent.

CXII. Solent autem *illæ Maculæ omnes* cum extrema Cutis corruptione aut etiam rotius corruptione conjunctæ *in pustulas vel ulcuscula ulcerosa* degenerare priùs, quàm pars extremè corrupta secernatur ab illæsa & sana, sicut id perpetuò fit in *Variolis & Anthracibus pestiferis*: quorum *ortus semper solet incipere ab extremâ cute Maculis affecta, quæ Maculæ diutiùs permanent aliquando; uti citiùs in pustulas elevantur nonnunquam.*

Variolarum & Morbillorum differentia.

CXIII. Hinc est, quòd *in Variolarum præsertim exortu* nonnunquam per aliquot dies dubitetur, etiā à Medicis peritissimis, an *Variolæ* sint *futuræ*, an *Morbilli*; In eo namque differunt hi duo Affectus, quòd *similes planè Maculæ tantillùm quandoque protuberantes, aliquando iterum sensim disparent, nec in pustulas abeant, & tunc Morbilli* vocantur; *aliquando citiùs, tardiùsve in pustulas elevantur ac suppurantur*, atque tunc *Variolæ* nominantur: licèt alise contrariæ appellatio magis probetur ac ofurpetur: sed illam logomachiam, tanquam Medicorum inutilem, tum morosam & ingenia optima vexantem, morantemque non moramur, concedentes unicuique, ut pro lubitu hic loquatur, dummodò suorum verborum sit fidus interpres.

CXIV. Res ipsas igitur cùm venemur, atque verbis duntaxat utamur, quò nostræ cogitationes aliis pateant, utimur terminis apud plerosque probatis & usurpatis: Repetimus igitur, Variolas ut plurimùm, quando primùm erumpunt, distingui non posse à Morbilis, nequidem à Medicis peritissimis, atque diu in praxi versatis, quod verum esse observavi non semel, dum nonnulli more malo Collegarum suorum dicta vellicaturi determinarent audacter nunc Variolas certò futuras, vel Morbillos, istas Maculas, quas alij dubitanter asseverarent, posse sub Morbillorum historia iterum sensim disparere, aut in Variolas suppurari.

Variolas in initio non posse distingui à Morbilis.

CXV. Observavi, inquam, non semel, falsos fuisse ac deceptos tales Thrasones, Medicosque gloriosos, utut aliàs nec ineptos, nec indoctos, nec imperitos, sed simul & superbos, & invidos & calumniatores; quos tamen frequentissimè voluit Deus falsos ac deceptos pœnas luere suæ invidiæ, ac malevolentiæ, imò maledicentiæ.

In quo quàm plures fuisse delapsos.

CXVI. Longè proinde satiùs est in re dubia Medicum vel suspendere suum judicium, vel dubiè duntaxat respondere; quàm temerè ac sine alia certitudine aut conjectura satis solida de quibusvis pronuntiare talia, quæ aliter sæpenumerò contingentia plebi quoque ridendum propinant hominem sussenum & mulis artibus ad primatum imaginarium stolidè aspirantem.

Unde meritò de eo non pronunciandum.

CXVII. Utique longa & attenta experientia opus est ad certò determinandam tum Affectum ipsum, tum ejusdem Eventum, imprimis in hisce Regionibus, in quibus obruuntur ferè alicujus notæ Medici praxeos multitudine, nec habent Ægros satis morigeros; unde non mirum, si Medici occupati valdè non queant satis attendere ad singulas circumstantias, nec proinde sibi comparare notitiam satis exactam; festinandum enim est ad plures, ad lucellum, quod à singulis ægris leve duntaxat persolvi solet, augendum.

Morborum Eventus non facilè in his Regionibus determinari.
Et quare.

CXVIII. Sed nec mirum, si plus satis genio suo indulgentes Ægri, nec Medicorum suorum monitis satis auscultantes Diætæ perperàm in multis institutæ vitiis omnia conturbent in suis affectibus, unde impediuntur quoque in judicio solido formando Medici.

CXIX. In illis autem regionibus, in quibus Ægri sunt Diætæ ordinariæ, atque imprimis à Medicis præscriptæ magis observantes; atque honorarium persolvitur Medicis lautius, possunt Medici doctrina æquè ac Ingenio, Judicioque præstantes Notitiam Medicam sibi comparare magis solidam, certamque, atque de multis certiùs determinare, quàm, uti ostendimus, in hisce Regionibus, ubi magis vilis habetur Medicina vilissimè à plerisque factitata.

Quod alibi melius fieri potest.

CXX. Verùm, ut ad nostrum de Maculis negotium revertamur, putamus confirmari exemplis à Nobis allatis, Maculas omnes pendere à Corruptione majore vel minore Cutis.

CXXI. Quoniam verò, (uti non semel docuimus, needum, cur sententiam mutemus, aliquid urget,) omnis *Corruptio partium corporis quarumvis à causis internis oborta pendet vel à Salso lixivo, vel ab Acido*: videndum, à quonam Maculæ in Venerea lue observabiles sint deducendæ.

Corruptio partium unde pendeat.

CXXII. Idcircò autem à *Salso lixivo illas deduci non posse nec deberi* patet, quoniam ubi in pustulas & ulcuscula vel ulcera ipsæ degenerant, nihil affinia habent cum corruptione à Salso lixivo pendente sicut id jam in superioribus evicimus, quando Ulcerum Venereorum ortum excussimus.

Maculæ non à Salso lixivo.

CXXIII. Restat proinde, *ut istas Maculas ab Acido deducamus*, cùm præsertim succedentia nonnunquam ipsis post pustulas Ulcera idem adstruant, atque sic bellè omnia ubique sibi consentiant.

Sed ab Acido.

CXXIV. Quòd si Maculæ Venereæ ab Acido tantùm pendere possint ac produci, nonne hactenus ipsa quoque Venerea lues ab Acido erit deducenda? quod habebamus probandum.

9. Bubones.

CXXV. Nonum inter Luis Venereæ Symptomata locum tribuimus *Bubonibus inguinibus obortis*, & quidem in *Glandulis Conglobatis*.

CXXVI. *Bubones* autem cùm sint *Inflammationes in prædictis Glandulis Conglobatis obortæ*, aliquando dicuntur *Maligni*, aliquando non maligni.

Duplices

CXXVII. *Maligni* verò aut sunt *Pestilentes* aut *Venerei*.

Maligni quotuplices

CXXVIII. De *Pestilentibus* egimus in tractatu præced. nunc *Venereos* examinabimus.

CXXIX. In genere autem *Maligni vocantur*, quia *Symptomata habent conjuncta longè graviora, quàm exspectari poterunt à solo Sanguine notabili Acrimonia destituto*;

Quid sint.

CXXX. Ne quis enim ampliùs hic hæreat, sciendum, *Malignitatem omnem ab excedente Acrimonia pendere*, atque pro Acrimoniæ duplicitate *duplicem occurrere*, *Salinam lixivam & Acidam*: cùm *hæc duo sint in rerum Natura, quæ subitam homini ad interitum viam sternant*, ideoque *Malignitatis dictæ Causa vera existant*.

Malignitatis causa

CXXXI. Quemadmodùm igitur *Acrimonia Salina solvit Sanguinem*, ipsumque ineptum reddit ad laudabilem sui rarefactionem, unde suffocatur Ignis noster vitalis tum in Corde, tum per consequens in Universo corpore, atque sic subitò irrepit Mors in *Affectibus Pestilentibus*, ita *Acrimonia Acida* eundem *Sanguinem coagulat*, & sic quoque ad requisitam sui rarefactionem ipsum ineptum reddit, unde itidem extinguitur Ignis noster vitalis, tum in Corde, tum in universo corpore, atque sic quoque obrepit nonnunquam subitò Mors in *Syncope*, *Suffocationem Hypochondriaca*; *Terrore ac Mœrore summo*; quod ritus Acidum se quoque manifestat in *Lue Venerea*, *Cancro*, *Scrophulis & similibus* affectibus pluribus.

Effectus Acrimoniæ Salinæ.
Et Acidæ.

CXXXII. Maligni vocantur hi Affectus, quia subitam & summam introducunt in corpus universum, partemve privatam mutationem.

Maligni Affectus quinam.

CXXXIII. Quemadmodùm verò, ut ad nostrum negotium revertamur, Bubones oriuntur à Sanguine in Glandulis Conglobatis stagnante & ad Inflammationem tendente, ita prout illi conjuncta est *Acrimonia vel Salina*, vel *Acida*, peculiarem sui malignitatem ostentant.

Bubonum origo & diversitas.

CXXXIV. A *Pituita* quidem Sanguini conjuncta Bubones oriuntur magis *OEdomatosi*, à *Bile* vulgari magis *Erysipelatodes*, ab *Humore Austera* verò magis duri ac *Scirrhodes*, ab *Acrimonia verò radente Maligni*: quæ tamen Acrimonia non raro temperatur tum ab ipso Sanguine, tum à Pituita ipsi ad admista, unde Malignitas & Acrimonia rariùs ex solis Bubonibus deduci potest, sed ex aliis ferè comitantibus ipsos Symptomatibus: & *in Peste* quidem ex *Anthracibus & Maculis nigricantibus*: in *Lue Venerea* verò ex *Gonorrhæa Partium genitalium Ulceribus Cancrosis*, & similibus

CXXXV. Soli proinde Bubones cùm nunquam sint Luis Venereæ signa diagnostica, ex illis quoque solis ejusdem Essentia peti non potest, verùm ex aliis concomitantibus Symptomatibus: nisi quis velit, Bubones Venereos non extendi secundùm Cruris longitudinem, sed potiùs in obliquum, atque imitari vasorum spermaticorum situm sicut nonnulli docent; qua in re tamen putem ipsos ex præjudicio magis, quàm ex accurata observatione id asserere, dum existimant, Glandulas diversas in Peste affici, atque in Lue Venerea nisi forsan eveniat, ut cùm plures sint circa Inguina Glandulæ, in Lue Venerea illæ præ aliis afficiantur, quæ Vasis Spermaticis sunt viciniores, tum præparantibus dictis, tum deferentibus postquam per illa virus assurgit & partim universæ Sanguinis massæ, partim partibus vicinis & ipsis adeo glandulis se insinuat, & ipsas inficit.

Bubones non esse Luis Venereæ signa diagnostica

CXXXVI. Quales autem Glandulæ in Lue Venerea afficiantur nullum tamen à Bubonibus in ipsis excitatis certum istius luis argumentum petetur, nisi de congressu impuro suspicio vel confessio adsit, vel alia Venereæ luis Symptomata certiora concurrant, Gonorrhœa imprimis virulenta, vel ulcera cancrosa in partibus genitalibus.

CXXXVII.

CXXXVII. Quemadmodùm igitur ex solis Bubonibus de Lue Venerea nil certi potest statui, ita nec aliquid certi de Causa ejusdem adæquata pronunciari.

CXXXVIII. Hujus autem ratio est, quia Bubones, etiam Venerei, semper producuntur à Sanguine, qui temperat venenì Venerei acrimoniam ita, ut illa tunc minùs se manifestet, minùsque partes sic affectas rodat & corrumpat, & minùs quoque innotescat.

10. Condylomata. CXXXIX. Decimum inter Luis Venereæ Symptomata locum concessimus *Condylomatibus* tàm in Muliebri pudendo, quàm utriusq; sexus ano subinde obortis, nec moltùm à cæteris differentibus.

Quid sint: CXL. Sunt autem Condylomata Tubercula dura & obcallescentia, & tædio magis, quàm dolore patres affectas molestantia.

Eorum loca. CXLI. Oriuntur in Cute rugosa, qualis est in podice, atque Muliebri Vagina, Virilique præputio: in quibus duntaxat solent oriri partibus, & quidem à præpostero Veneris Usu & partium arcto confrictu, sive id contingat à personis Lue Venereâ correptis, vel aliàs sanis.

Esse Luis Vener a comites. CXLII. Condylomata igitur, cùm non tàm frequantur luem Veneream, quàm nimium Veneris usum, & abusum; qui familiaris esse solet iis, qui Venereâ lue sunt correpti, non mirum, si & frequentiùs illi lui copulentur, postquam rariùs evenit, ut qui Veneri nimiùm indolgent, commercium non habeant aliquando cum Infectis, atque præter Condylomata, alia quoque patiantur prædictæ luis Symptomata.

Non signa propria. CXLIII. Condylomata igitur cùm non tàm sint luis Venereæ signa propria, quàm Veneris frequentioris documenta, non possunt illa quòque aliquid certi determinare, quoad ipsius Causam veram: nec est proinde, quòd ab aliis expectemus aliquid notabilis ad luis Venereæ naturam essentiamque explanandam.

Luis Venerea unde producatur. CXLIV. Id autem tantò minùs nos augit, quoniam ex præmissis Luis prædictæ Symptomatibus abundè ostendimus, ipsam à solo Acido acriore produci posse; id quod etiam nunc persistimus, & *concludimus, Veneream Luem produci ab humoribus Acidis, & Acrimonia sua tum Sanguinem ipsum, cæterosque ex ipso humores ortos, tum Pilos, tum Glandulas, partesque glandulosas omnes, tumCutim, tum Ossa ipsa corrumpentibus ac rodentibus.*

Ejus curatio. CXLV. Hoc autem fundamento satis feliciter posito, putamus longè planiùr & faciliùs posse nos in hujus affectus Cura Ratiocinali & Dogmatica progredi, quàm ejusdem Curæ hactenus ferè Empiricè duntaxat institutæ rationes veras eliere atque explicare.

CXLVI. Non primùm autem nostram de Luis Venereæ Causa in Acido Acri consistente opinionem confirmant Medicamenta multiplicia illam curantia.

Remedia primaria. CXLVII. Hoc ut paucis ostendamus, observandum, primaria Luis hujus remedia esse aut *Mercurialia*, aut ex *Lignis radicibusque gummosis*, atque Sudores moventibus petita.

Mercurius Crudus. CXLVIII. Optimum certè, atque tutissimum Venereæ Luis remedium est *Mercurius Crudus* cum porcina axungia, vel aliis unguentis, Oleisque mistus, & forinsecùs illitus, imprimis in pedum plantis, manuumque volis, aliisque articulationibus

Et quomodo adhibeatur. quibusvis; quamvis prudentia opus sit, si & Dorsi spina eo sit illinenda; quod Ego saltem fieri nollem, nisi quando frustrà illitæ fuerunt articulationes aliæ: nullaque potest excitari salivatio, quam temen vi excitare non semper satis tutum.

Ejus finis Salivatio. CXLIX. Finis namque scopusque illitus istius cum Mercurio est Ptyalismus, sive Salivatio, cujus ope unà cum Pituita copiosa expurgatur ex universo corpore virus Venereum, sicque fatis feliciter ac certò curantur Ægri.

Mercurius sublimatus, & præcipitatus. CL. In eundem finem exhibentur sepenumerò varia medicamenta ex Mercurio tum sublimato, tum Præcipitato parata, & humores non tantum per Salivationem, sed per Vomitum quoque atque Alvum, imò Urinas & Sudores educentia.

Prudenter praparandus. CLI. In quorum delectu ac præparatione prudentia opus est: nè, cùm per Spiritus Acidus sublimetur, præcipiteturque Mercurius, acutpentur nimia Acria, verum debite priùs contemperata.

Mercurii Crudi vires. CLII. Laudamus autem non sine causa imprimis *Mercurium Crudum*, Axungiæ Porcinæ, aliisve Unguentis & Oleis admistum, & forinsecùs variis articulationibus affrictum, quoniam Pituitam omnem in corpore universo solvit, hinc ad conglomeratas tum Salivares, tum Pancreaticas Glandulas ipsam deducit atque tum Ptyalismum, tum quandoque Nauseam, Vomitumque, vel Alvi fluxum excitat.

Spiritum Acidum cū pituita evacuari. CLIII. Cum Pituita verò quia Spiritus Acidus in corpore occurrens se facilè unit & conjungit, unà cum ipsa quoque solet tunc evacuari, & è corpore exturbari: atque una, eademque opera Lues Venerea curari.

Mercurium se admiscere Spiritus. CLIV. *Præter Pituitam* verò *in humano corpore* occurrentem, *alii fonsan est extra ipsum, cui faciliùs ac penitiùs se viribus integris admisceat Spiritus Acidus*, quàm ipse *Mercurius*.

Spiritum Acidum Pituita admisceri. CLV. Nec proinde mirum, si *Pituitæ* tum *naturaliter admisceatur Spiritus Acidus* ad ipsius constitutionem; tum *præter naturam*, quoties in corpore redundat, idem Spiritus Acidus admisceatur copiosiùs & faciliùs.

Quare Salivationem promoveat Mercurius. CLVI. Sed nec mirum quoque, si *ob eundem Spiritum Acidum & naturaliter & præter naturam Pituitæ admistum eidem Pituitæ admisceatur facile Mercurius*, in quem vim suam mox & potentèr exerit Acidus Spiritus, atque se illi unienda Pituitæ admistæ itidem se adjungit.

CLVII. Hanc igitur rationem puto Mercurij in Lue Venerea curanda utilis.

CLVIII. Ptyalismum autem promovet idem Mercurius, quia Pituitosæ Sanguinis parti se admiscens, hoc est, Materiæ Salivari, unà cum ipsa Saliva secedit in Glandulis Salivatibus, quin imò Salivæ copiosiùs secretæ, hoc est, Ptyalismi Causa existit.

Quomodo Nauseam, Vomitum & Alvi fluxum excitet. CLIX. Quoties autem à Mercurio similis Materiæ Pituitosæ secretio accidit in Glanduli Pancreaticis, toties secretio humoris Pancreatici & quidē viscidioris contingit copiosior, unde non tantùm Nausea & Vomitus, sed Alvi fluxus quoque satis gravis & periculosus consequi solet nonnunquam.

Mercurii sublimatis & præcipitati vires. CLX. Quod de Mercurio crudo iam dixi, de eo. dē Præcipitato vel Sublimato dulci, imò Corrosivo etiam dicendum: Nam quod Mercurius crudus efficit deducendo Acidum in Sanguine dispersum ad Glandulas, idem efficit Mercurius per Spiritus Acidos tum præcipitatus, tum sublimatus.

Quomodò operentur. CLXI. Spiritus enim Acidi in Mercurio concentrati Effervescentiam in tenui Intestino cum Bile atque Pituita excitant talem, unde vel Nausea, Vomitusque, vel Alvi dejectio, vel utromque producitur.

CLXII. Talis enim effervescētia requiritur quæ confluentes ibi humores turbet, agitet, & ad sui expulsionem Intestina, Ventriculumque irritet.

CLXIII. Ad quam Effervescentiam concurrunt semper humores Acidi, vel in corpore contenti & ad Intestina deducti, vel forinsecùs assumpti.

Quænam Mercurialia magis salivationem, & quænam magis vomitum vel alvum moveant. CLXIV. Ad Ptyalismum verò excitandum magis conducunt medicamenta Mercurialia minùs Acidi continentia; quemadmodum Alvum, vomitumque movent potentiùs, quæ copiosiore & Acriore abundant Spiritu Acido.

CLXV. Hinc est, quòd Mercurius sublimatus corrosivus vix ad granum unum exhibitus Vomitū potentissimè cieat, & alvi fluxum: Mercurius verò dulcis dictus, & ex corrosivo cum Mercurio crudo sæpe addito paratus tutò ad grana triginta, & plura exhiberi queat, qui rariùs vomitum, sæpiùs alvum tantùm movet, rarissimè Salivationem.

Salivatio felicius excitatur Mercurio præcipitato. CLXVI. Excitatur autē feliciùs Salivatio cum Mercurio præcipitato, & quidem non nimis fixato,

Delebor Opera.

to,

to, quo vis Mercurii magis libera permanens faciliùs se immisceat Pituitæ in corpore redundanti.

Et quatenus. CLXVII. Ergò ratione Spiritus Acidi Mercurio præcipitato, sublimatove admisti faciliùs se Pituitæ admiscet idem Medicamentum, quo per vices ac intervalla sufficienti quantitate assumpto ad Glandulas Salivares, Pancreaticasque movetur Pituita corporis corrupta, quò è corpore exturbetur, & Lues Venerea sensim curetur.

CLXVIII. Ergò ratione Spiritus Acidi & Acris in Venerea Lue peccantis conducit Mercurius quin ejusdem vitium arguitur ex mali hujus medela per Argentum vivum felicissimè usurpatum.

Ligna, Cortices, Radices, Gummosa qua ratione Remedia Luis Venereæ. CLXIX. Eundem *Spiritum Acidum* in *Venerea Lue peccantem arguunt Ligna, Cortices Radices, Gummosa.*

CLXX. Gummi siquidem tale Sale Volatili & Oleo Aromatico abundat, à quo proinde cùm curetur Venerea lues, patet id accidere, quatenus occurrit suo contrario, quod corrigat & emendet.

CLXXI. *Salis autem Volatili, oleique aromatici Contrarium est Spiritus Acidus* excedente acrimonia peccans.

CLXXII. Si proinde à Volatili Sale oleoque aromatico curetur Lues Venerea, ipsam ab acido acriore pendere patet: quod erat mihi probandū.

Luis Venereæ Curatio duplex. CLXXIII. Ut igitur randem concludam, arbitror me abundè ostendisse, tum ex *Symptomatibus* plerisque ac primariis Luis Venereæ, tum ex *Medicamentis* præcipuis eam certò tutòque curantibus consistere *ipsius Causam in Acido Acri*; proximum nunc est, ut ejusdem *Curam tam universalem*, *tum singulis ejus Symptomatibus debitam proponamus.*

Universalis in quo consistat. CLXXIV. *Curam dico Universalem*, quæ in *Massæ Sanguineæ* in hac lue corruptæ atque vitiatæ *purificatione* consistit.

Particularis in quo. CLXXV. Per *Curam* verò *Particularem* intelligo eam, quæ *singulis* ejus *Symptomatibus* in specie debetur; *Gonorrhææ* putà *Virulentæ*, *Pustulis*, *Ulceribus*, *Cariei*, &c.

Et quare sic vocatur. CLXXVI. Eā, quę Sanguini purificando debetur, *Curam* idcirco voco *Universalem*, quia *ex Sanguine omnes corporis partes tàm continens, quàm contenta* suum hauriūt, accipiuntque *nutrimentum* unde si curruptus vel vitiatus fuerit Sanguis, ut plurimum partes si non omnes, pleręque saltem noxā inde nanciscuntur notabilem; quod & in Lue Venerea cùm eveniat, meritò de universali Sanguinis purificatione fit mentio in ejus cura ritè instituēda.

Universalis cura in quo ponenda. CLXXVII. Postquam verò putamus nos abundè probasse ac evicisse Venenum Venereum consistere in Spiritu Acido sed Acriore, Sanguinis massę admisto, illamque non minùs, quàm cęteros humores ex ipsa genitos inficiente, manifestum fit *Universalem Luis Venereæ Curam* quærendam ponendamq; in *Spiritus istius Acidi & Acris correctione*, ac cùm *toto genere sit præter naturam*, nec *talis in homine requiratur*, *in quantum* corrigi ac restitui nequit, *in ejusdem eliminatione*, *atque expulsione*.

Tam duobus absolvi. CLXXVIII. *Duobus* ergò absolvetur Venereę Luis *Cura Universalis*, *Correctione ac contemperatione Spiritus Acidi Acrioris*; atque *Expulsione ejusdem per vias convenientes*.

Spiritus Acidi Acrioris correctio. CLXXIX. *Spiritus Acidi Acrioris Correctionem ac Emendationem* quod attinet, absolvetur illa omnibus *Acrimoniam Acidam temperantibus*, tàm *simplicioribus* quàm *magis compositis*.

Eam præstant. 1. Spirituosa Volatilia. CLXXX. Docuimus non semel inter *simpliciora*, quæ Acrimoniam Acidam temperare solent, numerari 1. *Spirituosa Volatilia*, *Spiritum Vini*, *frumenti*, ac quemvis alium post debitam mistorum fermentationem distillatione prolectum.

2. Oleosa & Pinguia. CLXXXI. 2. *Oleosa & Pinguia omnia*, uti sunt *Olea ex fructibus*, *Olivis* putà, *vel seminibus & Nucleis*, *Lini* putà, *Raparum*, *nucium juglandium*, *Amygdalis dulcibus & Amaris*, & similibus expressa; *Pinguedines varias Animalium* variorum &c.

3. Salia Lixiva fixa. CLXXXII. 3 *Salia lixiva fixa*, ex *combustarum* rerum, *plantarum* maximè *Cineribus* extracta.

4. Aquea. CLXXXIII. Quibus si quis 4. adjungere volet *Aquea*, non tam contra ipsum pugnabo, quàm monebo, ut ritè consideret, *Aquea non tàm temperare quàm diluere Spiritum Acidum*, quo nomine etiam conducunt, ubi commodè jungi possunt tribus prędictis notabiliter Acidi vim frangentibus.

Composita. CLXXXIV. Eadem namque si commisceantur & componantur, feliciùs, & blandiùs debellant Acidi noxas: Inter quæ *magis Composita* numerantur 1. *Salia Volatilia, ex Sale lixivo fixo*, & *Spiritus Volatili vel natura vel arte junctis orta*, qualia sūt *sal Volatile Cornu Cervi*, *Urinæ* cujus Species existit *Spiritus Salis Armoniaci dictus*; *Sal Tartari Volatile*, &c.

1. Ex Sale lixivo fixo, & Spiritu Volatili.

2. Ex Sale lixivo, & oleo. CLXXXV. 2. Huc referuntur *Olea Aromatica omata*, ex *Sale lixivo*, *sed Volatili*, *& Oleo gentia*: qualia sunt *Oleum Succini*, *cornu Cervi*, *Anisi*, *Cinnamomi*, *Macis*, *Garyophyllorum*, *Majoranæ*, *Rorismarini*, &c. *Galbani*, *Myrrhæ*, *Mastiches*, &c.

3. Tincturæ Aromaticæ. CLXXXVI. 3. Huc spectant *Tincturę Aromaticę*, ex *Plantarum præsertim partibus Aromaticis per Vini Spiritum extractę*, sive id sola fiat *infusione* aut *decoctione*, sive accedat *distillatio*, in qua partes maximè Volatiles duntaxar cum Vini Spiritu assurgunt obtinentur. Tales sunt *Tinctura Cinnamomi*, *Aqua Theriacalis*, *Vitæ Matthioli*, & similes plures.

4. Decocta Aromatica. CLXXXVII. 4. Huc pertinent *Apozemata sive Decocta Aromatica*, ex *Plantarum partibus Aromaticis cum Aqua* & quandoque *Cerevisia* vel *Vino decoctis parata*. Qualibus frequenter utimur in Luis Venereæ Curatione

Aromaticæ partes Plātarum. CLXXXVIII. Aromaticæ observantur quævis Plantarum partes, adeò ut nullæ sint in Plantis, quas non in his aut illis notemus Aromaticas, *Radices* puta, *Cortices*, *Ligna*, *Truncos*, *Folia*, *Flores*, *Fructus*, *Semina*, *Gummata*, & si quæ sunt aliæ.

Quænam ita vocentur. CLXXXIX. *Aromaticas* verò vocamus *partes Plantarum*: quę *sapore sunt Acriore*, ac plerumque *odore itidem Acriore*, sæpè quando comburuntur & accenduntur; sunt enim quędam, quę priùs odorem suum, saporemque Aromaticum non promunt, quàm urantur; sic in specie *Cornu Cervi* insipidum & inodorum est, donec aut lima odor ejus Acris manifestetur, aut igne ipsius tàm odor, quàm sapor Aromaticus latens excitatur ac in lucem profcratur.

5. Sapones. CXC. 5. Ad Composita medicamenta Spiritum Acidum temperantia reducendus quivis *Sapo ex Sale lixivo cum Aqua soluto & Oleo sive pinguedine decoctione longa paratus*; & humores Acidos utriusque componentis nomine mirè temperans, imprimis si cum aliis liquoribus aptè jungatur, *Lacte* putà & aliis.

6. Emulsiones. CXCI. 6. In compositorum medicamentorum Acidum temperantium censum referendæ *Emulsiones ex Aqua & seminum parte solubili & satis Oleosa constantes*.

Decocta frequentiora quanā. CXCII. Ex quibus omnibus ad Venereæ Luis Curationem in frequentiori usu sunt *Decocta ex binis Radicibus*, *totidemque Lignis* parari solita, *Radicibus* putà *Chinæ*, atque *Salsæparillæ*; *Lignis* verò *Guajaci & Sassafras*. Quibus tum ad gratiam, tum ad comitum Affectuum, humorumve emendationem plura solent addi

Apud nos etiam esse plantas, qua luem veneream curent. CXCIII. Quamvis autem illa exoticorum Medicamentorum *quadriga*, soleamus omnes Practici plerumque, uti, non desunt tamen apud Nos tū *Radices*, tum *Ligna*, tum *Cortices*, quę idem tàm *potenter*, tàm *facilè*, tàm *tutò*, & tàm *jucundè* pręstare possint, quàm iste exotica & subinde suis ex parte viribus privata & expleta. Talia verò nostratia sunt, *Radices Smilacis asperæ*, *Petasitidis*, &c. *Radices*, *Cortices*, *& Lignum Iuniperi*, unà cū ejusdem *Baccis*, *Lignum Quercus* & similia plura.

Ea non esse negligendas. CXCIV. Utique non contemnenda sunt Exotica, sed nec negligenda sunt nostratia, quę sicut nata sunt in nostro solo, ita cum nostris corporibus majorem habent affinitatem, faciliùsque imò efficaciùs in eadē operari observantur, quàm exotica

Quinam Medicis uti debeant pre ceteris. CXCV. Optandū foret proinde, illos pręsertim Medicos uti medicamentis apud nos Natis, qui eadem pręparant, suisque ęgris exhibent Ipsi: Cęteri

nam-

namque, qui formulas suis mittunt ad Pharmacopœos, videntur, ad pompam & Eruditionis putativę commendationem teneri magis ad multorum, exoticorum præsertim, accumulationem.

Quinam doctior perhibeatur Medicus.

CXCVI. Doctor certè apud plebejos creditur, & à Pharmacopœis avaris & lucri sui, quàm ægrorum commodis magis avidis, perhibetur Medicus, qui longas & exoticis, caris præsertim Medicamentis constantes formulas præscribere solet: Ita Mundus semper vult decipi.

CXCVII. Sed ad nostrum opus revertamur; Medicamenta igitur Humorem Acidum in Lue Venerea peccantem alterantia usitatiora, sicut dixi, Radices tum Chinæ, tum Salsæparillæ; & Ligna tum Guajaci, tum Sassafras. Quæ usurpari solent frequentiùs ac commodiùs forma Decocti.

Ligna Radicibus præstare. Et qua ratione.

CXCVIII. *Temperant* quidem *humorem Acidum debiliùs Radices, potentiùs Ligna*.

CXCIX. Quæ Ligna præterea *Humorem Pituitosum*, (cui se mox admiscet ac insinuat *Venenum Venereum* Aciditate Acriore peccans, ipsumque *in corpore auget, & viscidiorem efficit*) hactenus *efficaciter corrigunt*, atque sic quoque Luis Venereæ curam promovent: postquam Experientia quotidiana constat, *segniùs & difficiliùs curat hac lue infectos, in quibus dominium habet humor Pituitosus valde viscidus, humoris Melancholici* nomine notus.

Plantas nostrates nō cedere exoticis.

CC. Cùm proinde utilis sit radicum & Lignorum prædictorum Usus in Curanda lue Venerea, absit, ut avertere ab illo velim Medicos Juniores, quamvis asseverem, Ipsis non cedere Ligna nostratia, Plantasque apud nos natas.

Etiam hic conducere Salia Volatilia.

CCI. Sed *corrigendæ Aciditati* in Venerea lue peccanti *conducere quoque novi*, & quidem per experientiam, non tantùm radicum, Corticum, Lignorum, & præsertim Aromaticorum decocta, sed *Salia* quoque *lixivia*, & *præsertim Volatilia*, quæ proinde Medicinam facientibus commendo.

Quid præstent.

CCII. Usus, inquam, Salium Volatilium frequens plurimùm præstat in correctione ac emendatione tum Spiritus Acidi, tum Pituitæ viscidæ in Venerea lue peccantis.

Etiam hic conducere cætera.

CCIII. Sed & in eundem finem accommodari possunt pro Personarum Affectarum, Infantium, Puerorum, Adolescentium, Fœminarum diversitate cætera quoque Spiritum Acidum temperantia & à me hic memorata tàm simplicia, quàm composita magis.

Quod ad Medici Industriam spectat.

CCIV. Utique ad Medici Industriam spectat, indies nova excogitare medicamenta, novas medicamentorum formas, & formulas, quibus citiùs, faciliùs, tutiùs & jucundiùs curare possit suos Ægros, sibique famam comparare bonam, quippe quam consequi solet lucrum, cui quemadmodùm non est inhiandum turpiter, ita ipsum nullatenus negligendum est à Medico; qui laborum suorum laudabilium præmio dignus existit.

Modus medicamentis utendi quis hic optimus.

CCV. *Modus* autem tàm Decoctis Aromaticis, quàm cæteris Acidum *Spiritum temperantibus* medicamentis utendi optimus est, *si sæpiùs in die assumantur & quidem quantitate minori, quò lentum eòque laudabiliorem mutationem, ac emendationem introducant in Sanguinem, omnis enim mutatio subita & præsertim magna periculosa*; quod sicut per experientiam edoctus docuit Hippocrates, ita idem observant veri ejusdem discipuli & imitatores.

CCVI. Quinimò licet, atque utile est, *eadem alterantia alimentis admiscere*, atque tum in *prandio*, tum in *cœna potus alterius loco prædictis decoctis uti*: quò alimentis admista unà cum chylo, quem præstantiorem faciunt, faciliùs, blandiùs, & utiliùs toti massæ Sanguineæ admisceantur, ipsamque insensibiliter emendent; sicuti sæpiùs tum in venerea lue, tum in aliis affectibus cum magno ægrorum commodo à me factum novi, & ut ab aliis quoque fieret Auctor fui, sicut & nunc Medicis Junioribus, ut ampliùs fiat, Auctor sum.

CCVII. Formulæ infinitæ occurrunt apud Scriptores Medicos, ut non videatur opus, ullam hic proponere, cùm præsertim cuivis justis in Arte exercenda adminiculis aliunde petendis instructo, haud queat esse difficile, *Ægris* præscribere Decocta varia *Parum siquidem industriæ in formula concinnanda consistit, multum in seligendis medicamentis tum affectui curando convenientissimis tum ægrorum palato, & peculiari constitutioni aptissimis*.

Quamdiu perseverandum in alterantibus.

CCVIII. *Tamdiu* autem *perseverandum est in Alterantium* & tam *Humorem acidiorem, acrioremque contemperantium*, quàm *Pituitosum & Viscidiorem*, quoties simul concurrere deprehenditur, *emendantium usu*; donec observentur ex Functionibus priùs læsis, & nunc integratis, ad statum bonum & laudabilem redacti.

Quando evacuatio instituenda.

CCIX. Tunc enim, *si Copia illorum nimia in corpore observetur*, *Educendi* sunt ac *Evacuandi per vias* convenientes, ac *medicamenta convenientia*.

Et per quas vias.

CCX. *Viæ humoribus tam Pituitosis, quam serosis evacuandis aptæ sunt in Lue* Venerea tum *Os*, sive hoc fiat per *Vomitoria*, vel *Salivationem* moventia, *tum Alvus*, per *purgantia deorsum*; tum *Vesica Urinaria*, per *Diuretica*; tum *Cutis Pori*, per *sudorifera*.

CCXI. Adeò nulla via est, quæ non conducat Lui Venereæ curandæ.

Per quæ cura sit blandior & jucundior, & per quæ citior & difficilior.

CCXII. *Tutiùs* quidem ac *jucundiùs & blandiùs* est curam illam, peccantiumque in venerea lue humorum evacuationem instituere per *sudorifera, diuretica & deorsùm purgantia*; *Citiùs* autem, at *difficiliùs* eadem perficitur per *Salivationem moventia*, & quandoque *Vomitoria*, quippe quæ Salivationi simul promovendæ sunt aptiora.

Quænam cura eligenda.

CCXIII. *Satiùs* certè foret *Sudoriferis, Diureticis, ac per Alvum purgantibus* absolvi curam Luis Venereæ, si semper illis absolvi posset, licet plus temporis desideret, quoniam tutiùs procedit, quàm ejusdem per *Ptyalismum* & *Vomitus* instituta cura; in qua major vis corpori infertur; adde quòd, si minùs prudens fuerit Medicus, aut *Æger*, facilè in Vitæ periculum incidat *Æger*.

Imprudentia Medici in quo hic consistat.

CCXIV. *Imprudentia Medici* consistit in festinatione nimia, vel usu medicamentorum minùs ritè præparatorum, vel non investigata, observatave satis accuratè Ægri constitutione ac idiosyncrasia, & similibus.

In quo imprudentia Ægri.

CCXV. *Imprudentia Ægri* consistit in errore aliquo in *Diæta* commisso, facilè namque ab ipso salivante delinqui potest, sive *Aeri asperiori* & frigidiori se exponat, sive *Potum paulò frigidiorem* acidioremve usurpet, sive *Animi Affectibus* indulgeat &c.

Quando ad Salivationem recurrendum.

CCXVI. Quoniam verò *semper obtineri non potest Luis Venereæ Curatio per sola sudorifera, diuretica, & purgantia deorsum*, idcircò *recurrendum est nonnunquam*, imò sæpius ad *Salivationem* tum *solam*, *tum aliis junctum*.

Sudorifera ex quibus parentur.

CCXVII. Sed ut de singulis ordine agamus; *Sudorifera* parantur ex iisdem memoratis radicibus duabus, Chinæ, atque Salsæparillę, Lignisque Sassafras & Guajacino, ut & hujus cortice, qui ligno multò est potentior, magis aromaticus & gummosus. Idem dictum esto de Radicibus, Corticibus, Lignis, &c. nostratibus.

Eodem Decocto pro assumpta ejus quantitate & humoris fit correctio, & sudor movetur.

CCXVIII. *Eodem* igitur *Decocto*, (cujus ope corrigi docuimus humorem tum acidiorem, tum viscidiorem, si copia mediocri assumatur) *promovetur* quoque *Sudor*, *si copia sumatur majore*, aut *paretur potentius*, *si sumatur calens*, *si corpus componatur ad sudorem*, vel in lecto sub stragulis, vel in laconico, vel ambulando, currendo, &c. *si jusculum calens superbibatur*.

Quod non parvi pendendum.

CCXIX. Non parvi pendendum est, quod *eodem medicamento & corrigi, & expelli queat* Humor in corpore peccans, quod mirum negari & culpari à quibusdam, & quidem in praxi quotidie occupatis, qui proinde nonnisi volentes ignorant, quod facilè possent observare. Quapropter paucis de hac controversia hic agendum, cùm sit magni momenti in arte nostra.

Purgantia & Sudorifera non nocere, si humores vel per sudorem vel per alvum non expellant.

CCXX. Occurrunt ergo non pauci, etiam Practici, qui aut ex mera ignorantia, eaque valdè crassa, aut ex præjudicio ibidem valdè crasso arbitrantur, aliis saltem persuadere conantur, *non tantùm medicamenta purgantia, sed ipsa quoque Sudorifera, quoties as-*

sumpta Humores per Alvum vel Sudoris non expellunt, valde nocere, atque in grandia incommoda conjicere ipsos Ægros.

CCXXI. Hoc ipsorum Effatum, Placitumque sicut olim me habuit solicitum, ita nunc à me ridetur, tanquam inane atque vanum, postquam nimirùm contrarium me sępenumerò docuit stultorum ac sapientum Magistra Experientia, quam si consulerent diligentiùs, suisque valedicerent pręjudicijs, meliùs & suę famę, & suorum Ægrorum commodis consulerent.

CCXXII. Nihil ergo falsiùs, ne dicam simul Ægris nocentiùs excogitatum, fictumque est unquam, quàm nocere imprimis Sudorifera, quoties illis assumptis non prodit Sudor.

Non Sudoriferum ipsũ sed ejus prapostera usũ nocere.

CCXXIII. Fateor equidem, si assumpto Sudorifero Æger stragulis multis operiatur, & diu sub illis contineatur, angi & malè habiturum ipsum, ex stragulis magis, quàm assumpto medicamento: sed illud est adscribendum ipsi medicamento Sudorifero, sed prępostero ejusdem usui & administrationi malę.

Quando Sudor excitandus.

CCXXIV. Dico pręposterum Sudoriferorum usum causam esse malorum, quę accidunt Ægris, quando ab illis anguntur magis, non verò liberantur à præcedentibus anxietatibus.

In eo Medicum posse peccare.

CCXXV. Sudor namque tum demum excitandus, promovendusque, quando Humores in corpore dispositi sunt, ut per Sudorem expellantur.

CCXXVI. Sic igitur, priusquam ad sui per Sudorem expulsionem apti ac dispositi fuerint Humores in corpore peccantes, cum Ægrorum damno & noxa urgetur Sudor, quia vel nullus prodibit, aut nonnisi violentus, unde necessariò debilitabitur Æger.

CCXXVII. Hoc quoties conatur Medicus, toties testatur simul se imperitum esse in Arte, quam profitetur, unde suę imperitię aut temeritati adscribere debet, quicquid mali patitur ęger, nentiquam Sudorifero per se laudabili, sed per accidens, quia non convenienti tempore, non convenienti modo usurpatum fuit, noxio.

Quomodo incõmodũ cavebit Medicus.

CCXXVIII. Hoc incommodum non ita difficulter cavebit ac pręvenient Medicus pręiudicijs liber atque operi suo attentus; Si 1. ex Symptomatibus pręsentibus, atque dięta pręgressa verum humorum vitium eruerit. Si 2. (ubi Sudorifera medicamenta illi vitio superando apta erunt) talia selegerit, quę desideratum effectum producere possint. Si 3. *Sudorem valde non urserit*, verùm blandè agendo, an ad Sudorem ferendum corpus ritè satisque dispositum fuerit, observaverit; & à Sudoriferorum istorum usu ulteriorem humorum pręparationem ac emendationem expectaverit.

CCXXIX. Si namque usurpaverit talia Sudorifera, quę humori peccanti corrigendo emendandoque accommodata fuerint, quamvis nullus prodeat Sudor, proficiet tamen in humorum vitiosorum emendatione, atque ad Sudorem posteà facilius eliciendum pręparationi.

Quanam Sudorifera cum fructu usurpentur.

CCXXX. Sudorifera etenim humoribus vitiosis alterandis, emendandisque apta semper cum fructu usurpantur, si corpus tegumentis non valdè, nimiùmve operiatur: quod facilè observari potest, sicque omne à Sudoriferis metuendum incommodum pręcaveri.

Quid cogno scendum Medico.

CCXXXI. Primarium igitur est, ut Medico Affectus, ejusdemque Causa vera nota sint; ut blandè in Cura procedat, omnemque violentiam, pręcipitationemque vitet.

Quid Medico in Sudore curandum.

CCXXXII. Ubi ergo judicatur Sudor utilis futurus, Ægro, Medicus prudens pro humorum peccantium diversitate seliget Sudorifera maximè convenientia, eademque Ægro exhibebit tempore aptissimo, curabit eundem tegi mediocriter, jubebitque observari an sensim Sudor erumpat, vel ad eruptionem inclinet, tunc aut jusculo calente exhibito, aut tegmentis auctis eundem promovebit: sin observet frustrà hęc omnia tentari, jubebit Ægrum esse securum, minimèque solicitum, postquam licet nullus prodeat forsan Sudor, beneficium tamen ab illis medicamentis sit habiturus laudabile.

Ut utilia sint Sudorifera.

CCXXXIII. Atque tali modo semper cum fructu & commodo, nunquam cum noxa usurpabuntur Sudorifera.

Nec non Purgantia.

CCXXXIV. Quod de Sudoriferis jam dictum, verum quoque est de ipsis Purgantibus, quę si ritè, hoc est, quantitate, tempore, modoque convenientibus exhibeantur, semper conducet, nunquam nocebunt Ægris, quamvis mox nil expurgent humorum peccantium, quippe quos tunc alterant, corrigunt, & ad secuturam posteà evacuationem blandam præparant.

CCXXXV. Sublato igitur hoc grandi & multorum animis profundiùs hærente præjudicio de noxa ex Evacuantibus dictis medicamentis sine subsequente evacuatione metuenda, pergamus ad eadem in Luis Venereę curatione usurpanda.

CCXXXVI. Diximus igitur, post pręmissam humorum Acidorum & Pituitosorum alterationem commodè institui eorundem per Sudorifera expulsionem.

Quando Sudorifera commodè in Lue Venerea exhibeãtur.

CCXXXVII. Diximus pręttereà, quò Sudor feliciùs prodeat, ad plura esse attendendum; & 1. quidem, ut eadem *Decocta*, quę priùs ad solam humorum alterationem fuerant exhibita, *si Sudor obtineri debeat, vel majori copia exhibeantur*, vel *fiant potentiora*.

Quid observandum in Decoctis.

CCXXXVIII. Sumantur proinde in *quantitate dupla vel tripla*, & quidem aut *simul*, aut *vicibus partitis*, sed *per intervalla brevia*, exempli gratia, *intra horæ dimidum*, sic enim non tantùm *aucta Sudoriferorum vi*, *sed liquore* ipso aucto Sudoris eruptio promovebitur.

CCXXXIX. Quòd si Ægro grave sit majore copia sæpiusque assumere idem Decoctum; paretur *potentiùs*; quod fiet, si *minùs Liquoris Plantis affundatur, & quandoque diutiùs decoquatur*. Longiori namque coctura plus virium elicitur è Plantis, ac præsertim è Lignis solidioribus, ac segniùs viam suam Aquæ concedentibus. Notum insuper, multa Aqua dilutius ac debilius reddi cujusvis rei decoctum, pauca verò spissius ac potentiùs.

CCXL. Diximus quoque ad promovendum sudorem multùm facere, si *Decoctum usurpetur calens*; longè namque citiùs, longè potentiùs quovis penetrant medicamenta calentia, quàm tepida, vel frigida. Adde quòd calenti decocto comes *Ignis solvat quoque Pituitam in corpore Viscidam, temperetque Humores acidos* in hoc affectu debellandos, expellendosque.

Quid in corporis dispositione.

CCXLI. Sed utile est, ut prætereà *Corpus disponatur ad sudorem ferendum*, quod fiet *componendo corpus in lecto*, illudque *operiendo stragulis*; vel *ingrediendo Laconicum*; vel *currendo*, *saltando*, *aliasve agitando satis vehementer corpus*.

CCXLII. Quemadmodum enim hæc sola solent sudorem excitare, ita eadem ipsum non possunt non promovere.

CCLIII. Quinimò utile est quandoque segniùs adveniente aut erumpente sudore *Jusculum calens assumere* cujus unius ope non rarò vi propellitur Sudor, priùs minimè prodiens. Quæ omnia & scire & notare, & in usum revocare decet Medicum.

Qui in tempore.

CCXLIV. *Tempus* autem sudori promovendo *convenientissimum* est *Matutinum*, & quidem *Stomacho vacuo*. Tunc enim & faciliùs & copiosiùs prodit sudor; nec metus est ullius noxæ, quam meritò metuimus, si post assumpta nupèr alimenta urgendus foret sudor. Aliud enim est inter prandendum, cœnandumque, aut paulò post assumere prædicta Decocta, non quidem ad sudorem movendum, sed ad Pituitam incidendam corrigendamque, atque Humores Acidos temperandos: aliud iisdem uti ad sudores mox expellendos, & quidem potenter. Quemadmodum enim istud probo, sic etiam hoc ego improbo.

Purgantia quãdo usurpanda, & qua quantitate.

CCXLV. Porrò laudavi supra Medicamenta purgantia paulò post assumpta Alimenta subinde usurpata, sed quantitate minore, & ad paucas alvi dejectiones promovendas, non item eadem majore quantitate exhibita, & ad copiosas dejectiones brevi

expel-

expellendas, tunc enim vacuo ventriculo illa vellem in usum tevocari.

Sudorifera & Purgantia, minore quantitate usurpata Alterantiũ vices supplere.

CCXLVI. Distinguendum proinde inter Medicamenta tum Sudorifera, tum Purgantia minore quantitate usurpata, quæque Alterantium vices explere possunt, quando nihil expellunt, atque eadem majori copia exhibita, quò brevi notabilem evacuationem absolvant; Illa etenim nil impedit Alimentis admisceri, hæc non item.

Sudorifera quando & quoties usurpanda.

CCXLII. Sudorifera igitur, quoties Sudorem mox cupimus promotum, exhibebimus Ventriculo cibis vacuo, & imprimis tempore matutino, & quandoque vespertino, quando præsertim bis volumus in die propellere Sudorem; quod tamen non facilè tentandum, nisi in valdè robustis: Exsolvuntur namque nimio Sudore Vites, atque multùm illo debilitantur Ægri, quod semper cavendum, & imprimis, quando diu perseverandum est in alicujus Affectus cura, qualis omninò est Luis Venereæ per Sudores absolvenda.

Qualis diæta observanda in sudore.

CCXLVIII. Observandum insuper *durante hac per Sudorifera Curatione*, jubere Practicos plerosque, ut tunc tẽporis *exactam* servent Ægri *Diætam, paucis vtantur Alimentis* nec nisi *facilis fermentationis, Jusculis* putà, *Ovis sorbilibus* & similibus; *vitent Aerem vel minimè frigidũ, Animũ habeant Curis vacuũ*, &c.

CCXLIX. Hac via si processerint cum Ægris suis Medici, non ratò intra breve tempus curari possunt à Lue nec inveterata, nec valdè gravi; allas enim longiore tempore opus est, quamvis ne sic quidem curetut perfectè Lues gravior, quin tum ad potentiora pergendum ac deveniendum est remedia.

Sudorifera Decocta etiam diuretica.

CCL. *Hæc eadem Sudorifera Decocta* per *Vrinas* quoque operantur in multis, ac præsertim, quando *simul aut seorsim* quædam *Diuretica* dicta usurpantur.

Sudorifera & diuretica simul miscenda.

CCLI. *Simul commodiùs usurpantur* Diuretica, si *Radices aperientes* dictæ, aliæve Plantarum Diureticarum partes, Baccę, semina, &c. incoquantur cum cæteris Sudoriferis: tunc enim & Sudores, & Urinæ simul propelli possunr, neque putem aliquem hic metuere impedimentum alterutri Evacuationi futurã à diversitate Medicamentorum, postquam plerique judicant, utrique Indicationi promovendę inservire utraque, & tam Sudorifera promovere quodammodo Urinas, quàm Diuretica promovere Sudores.

CCLII. Non est proinde, ut in Luis Venereę curatione per Diuretica instituenda diu hęream, cùm nullam difficultatem insignem habeat conjunctam.

Ea magis adhibenda quæ requirit ægri constitutio.

CCLIII. Imprimis observandum est Medico, An Æger assumptis Decoctis ex Diureticis & Sudoriferi paratis magis vergat ad Sudores, aut Urinas; quò illa Evacuatio maximè promoveatur, quæ facilior est Ægris, & à qua exinde plus commodi expectari potest.

CCLIV. Quoties igitur notamus, Ægrum difficiliùs sudare, copiosiùs autem Urinam tum crassam, tum sedimento multo & laudabili plenam excernere, non decet vi Sudorem in tali propellere, verùm ex sola Urinæ expulsione curationem primariam expectare.

CCLV. Quin non erit extra rem, ut in tali casu augeatur in Decoctis Diureticorum quantitas, vel seorsim subinde assumant Ægri Decoctum ex convenientibus Diureticis paratum.

Humorem Pituitosum cum Vrinis excerni.

CCLVI. *Humor* namque *Pituitosus* convenienter à *reliquo sanguine secretus vel in Renibus* ipsis, *vel in Corde*, emendata Effervescentia in dextro ipsius Ventriculo à diversis eò confluentibus orta, *deponitur feliciter cum lotio*, proditque faciliùs, quàm cum ipsis Sudoribus.

Quanam phlegmagoga commodissimè exhibeantur.

CCLVII. Præter Sudorifera & Diuretica in *blandiore Luis Venereæ Cura* diximus usurpari quoque *Purgantia per Alvum*: quę cùm ex pręmissis constet requiri *Phlegmagoga*, non parùm nostram sententiã confirmat hic Experientia, omniumque Practicorum consensus, *Colocynthidis Pulpæ* inter vulgaria, & *Mercurialibus* inter Chymica prima tribuens.

CCLVIII. Sunt autem ista *pręcipua Humori Pituitoso viscidiori evacuando dicata*. Nõ malè proinde *concludebamus* in superioribus, *Pituitę viscidę admisceri Venenum Venereum*, quin *illam* etiam *tum producere, tum augere*, atque *nunc cum eadem commodè evacuari*, sed *postquam priùs fuit quodammodo saltem correctum*.

CCLIX. Sunt, inquam, *Colocynthidis* & pleraque *ex Mercurio præparata medicamenta* tam *Humori Pituitoso viscido*, tum *Lui Venereæ curandæ* omnium Practicorum per Experientiam doctorum calculo *convenientissima remedia*.

Quomodo adhibenda.

CCLX. cui autem Vulgaria videntur magis tuta illi commendamus ipsam *Colocynthidis Pulpam* in *Decocti Sudoriferi parte aliove Apozemate* decoctam, & bis terve in hebdomade ad humores crassiores viscidioresque, nec facilè una cum sudore per Corporis poros expelli aptos per alvum deturbandos usurpatam.

Pituitam commodiùs per alvum quam per sudores expelli.

CCLXI. Nam præterquam, quòd *admodum difficulter Humores Pituitosi sanguinis massæ confusi expelli possint cum sudore per corporis poros*, accedit quod *Pituita multa* tum *unà cum Saliva*, tum una cum *Succo Pancreatico deponatur ad Intestina*; *unde satius* est, *ipsam* aliquoties in hebdomade *deponi per alvum*, quam *continua*, *solaque sudoriferorum usurpatione reduci ad sanguinem*, atque sic *Curam reddi tum longiorem, tum difficiliorem*.

Colocynthide.

CCLXII. Cui non libet ob summam Colocynthidis amaritudinem, illa uti in Decocto; licet *Trochiscos Alhandal* ex ipsa paratos *usurpare in Pilulis* additis, quæ Pituitam eandem simul incidant & educant, Gummatibus præsertim, Galbano, Sagapeno, Opopanace, Ammoniaco, Bdellio, Mastiche, &c. Quales Pilulas non semel nostris pręscripsimus in Nosocomio Ægris.

Et Mercurialibus.

CCLXIII. Potest quidem *sola Colocynthide evacuari Humor Pituitosus* in Venerea *Lue peccans*, longè autem *feliciùs*, *faciliùsque* idem fiet, si *Mercurialia medicamenta* illi copulentur, aut sola usurpentur, postquam & *blandiùs*, & *potentius illud efficere solent Mercurialia*, quàm *vulgaria omnia*.

CCLXIV. Meritò igitur non tantum à *Chymicis*, sed à *Galenicis* quoque dictis Medicis, rerum Chymicarum licet aliàs osoribus, *laudantur* tum in *omni Pituita Viscida educenda*, tum maximè *in Venerea Lue curanda*, *Medicamenta ex Mercurio*, & quidem sicut non semel docui, *tàm sublimatione*, quàm *præcipitatione parata*.

Mercurius sublimatus duplex.

CCLXV. *Sublimata bina* occurunt; *Corrosivum* & *Dulce* dictum: proinde autem est, an ex Mercurio cum Vitriolo, & Sale vulgari, Nitro, aliisve misto, atq; semel aut sæpius sublimato; an ex eodem Mercurio in spiritu aliquo acido vel Aqua forti priùs soluto, hinc post lentam liquoris evaporationem tandem igne fortiori itidem sublimato paratus sit Mercurius ille corrosivus, nec facilè talis ab ullo in usum revocandus, & quidem ob summam sui acrimoniam, & summum noxæ futuræ periculum.

Corrosivus.

Dulcis.

CCLXVI. Hoc igitur neglecto & magis temerariis relicto Mercurio sublimato corrosivo, laudo & commendo unicuique *Mercurium sublimatum dulcẽ* dictum, qui paratur ex prædicto corrosivo una cum Mercurio crudo trito, & sic simul sublimato, unde blandus & dulcis, non verò corrosivus amplius elevatur: quod nunquam considero, quin simul mirer multorum aut negligentiam, aut stuporem.

Qui paretur.

Causa quod ex corosivo fiat dulcis.

CCLXVII. *Negligentiam*, quoties non satis observant; quæ conjunguntur simul in Mercurii sublimati tam corrosivi, quam dulcis præparatione, ut veram diversitatis tantæ causam eliciant & assequantur.

CCLXVIII. *Stuporem*, quoties nolunt, aut non possunt ob stupendum præjudicium veram istius diversitatis causam agnoscere aut profiteri.

Mercurii sublimati noxa unde pendeat.

CCLXIX. Plerique siquidem ipsi Mercurio adscribunt vim noxiam in sublimato corrosivo notabilem, cum tota pendeat à Spiritibus acidis una cum ipso elevatis, & à recenti Mercurio temperatis.

Dulcedo unde.

CCLXX. Noxa igitur à Mercurio sublimato corrosivo metuenda pendet à spiritibus acidis copiosè in ipso concentratis, nec temperatis: quos temperat idem Mercurius crudus corrosivo admistus, & cum ipso denuò sublimatus.

Vis evacuandi per Alvum & Vomitum unde dependeat.

CCLXXI. An verotum per Alvum, tum pet Vomitum evacuandi vis debeatur ipsi Mercurio an ipsis quoque Spiritibus Acidis cum Mercurio elevatis nemò facilè ita determinabit, ut cujusvis assensum cogat.

Mercurii crudi vis.

CCLXXII. Marcurium certè crudum vim habere solvendi, ac per salivationem imprimis deducendi ac educendi, nemini potest nisi volenti esse ignotum, sicut postea dicemus adhuc suo loco.

Spiritus acidi quid praestat.

CCLXXIII. Ab Acidis vero Spiritibus Ipsi tum in Sublimatione, tum in Pręcipitatione admistis mutationem aliquam notabilem ipsi accidere, unde Humorum quoque Vacuatio immutetur, mihi saltem fit valdè probabile: postquam mihi non minùs, quàm multis aliis constat, sola per Salia convenientia, Nitrum præsertim, aut Spiritus Acidos, Ignemque perfecta fixatione plurimùm alterari & immutari Mineralium, Metallorumque vires, adeò ut, quæ priùs Vomitoria fuerant potentia, sensim redduntur Purgantia duntaxat, mox & Sudorifera, vel Roborantia & Alterantia blandissima.

Unde diversa vis Mercurialium.

CCLXXIV. Ex quibus sæpius accurate à me consideratis expensisque inclino, ut putem, tum ipsi Mercurio, tum Spiritus Acidis Mercurio diversa quantitate junctis, tum Igni vario modo & gradu administrato, aliisque simul accedentibus, Vini puta Spiritui, &c. adscribendam vim tam diversam in Mercurialibus Medicamentis occurrentem.

Plurima Præcipitatorum genera.

CCLXXV. Nam prætes dictum Mercurium sublimatum tam corrosivum, quam dulcem commendantur plurima *Pręcipitatorum* Mercuriorum genera; quorum alia sola *Spiritus Acidi abstractione* absolvuntur; alia *liquoris alicujus lixiviosi vel aliàs salini affusione in* Mercurium *Spiritu Acido solutum* peraguntur; alia denique *solo Ignis beneficio* præparantur.

Eorum differentia in colore.

CCLXXVI. Non parum autem *colore*, *differunt præcipitantia*, dum quædam *albent*, alia *flavent*, alia *plùs minùs rubent*.

In virtute.

CCLXXVII. Differunt eadem *viribus*, dum alia sunt *magis*, alia *minùs potentia*.

In operandi modo.

CCLXXVIII. Differunt denique *operandi modis* dum alia *per alvum duntaxat* operatur, alia *etiam vel imprimis per vomitum* aut *Salivationem*: Unde pro re nata modò his, modò illis uti convenit.

Quomodo commodissimè usurpentur.

CCLXXIX. Usurpari possunt autē cōmodissimè, quando *pilularum forma* exhibentur, ne salivatio tam facile nondum quæsita promoveatur, de qua postea.

Præcipitatum maximè fixum esse optimū.

CCLXXX. Cùm hoc loco *Mercurium præcipitatum* laudemus *ad Pituitam* Luis Venereæ Veneno infectam *per alvum expurgandam*, sciendum; conducere in hunc finem *maxime fixum*: nam *quò fixior est Mercurius præcipitatus, eo minùs vel Vomitum, vel Salivationem promovet, & contra*.

Eius fixatio unde pendeat.

CCLXXXI. *Pendet* autem *Ipsius fixatio à copia majore Spirituum Acidorum ipsi conjunctorum*: unde *præ aliis omnibus fixus est Mercurius solo Ignis beneficio paratus*; huic *proximus* est, à quo *non tantùm semel, ut sæpiùs abstractus est Spiritus Acidus*; adde quod ab *uno spiritu magis figatur, quam ab altero*; ita *Spiritus Nitri* præ cæteris omnibus potenter figit Mercurium, omnium autem *minime fixus est, qui* per *præcipitationem cum Aqua salsa* perficitur.

CCLXXXII. Hæc vero omnia notasse ac scire juvat Medicum operi suo laudabiliter instituendo attentum.

Præcipitatus Corallinus.

CCLXXXIII Inter omnes autem Mercurios pręcipitatos laudatur, & commendatur valdè *Corallinus*, ab eleganti suo colore nomen habens; atque iterata sæpius Spiritus Acid abstractione paratus.

CCLXXXIV. Tali ergo Mercurio diversimodè præcipitato, & pro re nata, hoc est, Ægri constitutione diversa humoribusq; in ipso repertis variis selecto uti convenit ad Luis Venereæ eradicationem.

Quandiu in Mercurialibus perseverandum.

CCLXXXV. Tandiu autem perseverandum est in Mercurialium medicamentorum usu, donec omnia Luis Venereę symptomata primaria ejus ope fuerint sublata.

Qua quantitate exhibenda.

CCLXXXVI. Imprimis autem cavendum, ne quid nimis fiat, & nimia copia exhibeantur Mercurialia medicamenta; quin satiùs est, quod sæpe monuimus, eadem minori quantitate, ac sæpiùs assumi, nec potentiùs commotis humoribus plus noceant, quàm prosint.

Mercurialium mira virtus.

CCLXXXVII. Mirum enim præ aliis medicamentis effectum habent Mercurialia, dum cætera utplurimùm brevi opus suum absolvunt, Mercurialia verò lentè inchoatum opus diù continuant, nec semper facilè aut tutò sisti queunt.

Ab iis majus periculum.

CCLXXXVIII. Maius autem à Mercurialibus medicamentis periculum imminet ægris, ob Salivationem, quam tum facilè, tum una cum evacuatione per Alvum, Vomitumque cient: unde quoque plus periculi ægris accedit, ob suffocationis metum, Pituita viscida turgentibus Glandulis circa fauces.

Prudenter administranda.

CCLXXXIX. Prudentia igitur opus est in Mercurialem medicamentorum administratione; quæ Prudentia consistit præsertim in lento Mercurialium usu, & accurata observatione Turbarum & Agitationum, quas excitant nonnunquam in corpore priùs, quàm potentius expurgent humores.

In quibus stantibus alterationes excitent.

CCXC. Solent, inquam, præ cæteris medicamentis omnibus Mercurialia tunc circa regionem lumbarem, tum circa Gingivas, genas, & fauces singulares alterationes excitare, atque operationis secuturæ certa signa præbere.

Earum signum.

CCXCI. Quoties igitur post assumpta medicamenta Mercurialia Ægros suos audit Medicus aliquid molestiæ in prædictis partibus percipere, toties observabit attentè, num aliqua evacuatio inchoetur, atque illa molestia per Nauseam, similemve irritationem spondeat futuram brevi excretionem.

Excretionem lentius procedere.

CCXCII Quæ idcirco lentiùs procedere solet, quoniam in humore Pituitoso, viscidoque superando occupatur Mercurius, quem solvi ac dissolvi oportet priùs quàm expellatur.

Ac tunc ab ulteriori eorum usu abstinendum.

CCXCIII. Quandiu ergo agitatio illa humorum pergit, vel augetur, tandiu ab ulteriori medicamentorum Mercurialium usurpatione abstinendum, nec nisi iusculum forsan, aut decoctum conveniens Ægro dandum, cujus ope dissolvatur faciliùs & magis humor viscidus, sicque adjuvetur Mercurialis medicamenti operatio.

Et decocto utendum.

CCXCIV. Decoctum in hunc finem conveniens erit superiùs laudatum, sive sumatur debilius & soli humori alterando dicatum; sive usurpetur potentius & sudoribus simul propellendis serviens; sive pręferatur, quod simul per alvum evacuare aptum est, quò magis deorsum, minùs sursum ferantur humores à Mercurio ad evacuationem moti & agitati.

Prudentia opus esse Medico.

CCXCV. Plurimùm igitur interest, hac in re prudentem ac rei agendæ peritum esse Medicum, quo pro re nata seligere possit atquę usurpare maximè operi suo promovendo convenientia medicamenta. Quod quemadmodum semper utile est in facienda medicina, ita præsertim ubi morbi sunt ardui & graves, adhibenturque medicamenta dubiè ac potenter agentia, qualia sunt Mercurialia; à quibus multum boni, multumve mali venit expectandum, prout ritè aut perperam fuerint parata & administrata.

CCXCVI. Atque hæc quoque de Purgatione per Alvum, tam per Colocynthidem, quàm Mercurialia medicamenta in Lue Venerea ritè curanda dicta sunto; tempus est, ut ad *Vomitoria & Salivationem promoventia* pergamus.

Vomitus per Antimonialia & Mercurialia.

CCXCVII. Quamvis verò in Vomitu ad Luis Venereæ curationem ciendo haud incongruentia putem *varia ex Antimonio* parata medicamenta, non possunt tamen cum Mercurialibus conferri ac his æquiparari: si unum forsan excipias *Vitæ Mercurium*, medicamentum verò Antimoniale, in Regulum quippe facili negotio, & sola cum Sulphure fusione reducendum.

Mercurium vitæ.

CCXCVIII. Nisi quis ergo ad Vomitum ciendum uti malit Vitæ Mercurio, ad Luis curationem optimo medicamento, usurpare poterit varia ex Mercurio ipso parata medicamenta, eaque jam memorata præcipitata, & sublimata.

Præcipitata

CCXCIX. Inter *pręcipitata* igitur, quod modo dicebam, *prefer ęnda* sunt *ad Vomitum ciendū minùs fixa*.

CCC.

Sublimata.

CCC. Ioter sublimata potentius, efficaciusque existit *Corrosivum*, at uti supra monui, magis quoque periculosum.

In Vomitu præcipitata minus fixa sublimato dulci præferenda.

CCCI. Quin faciliùs, frequentiùsque Vomitum cient *præcipitata*, *minùs fixa*, quàm sublimatum dulce; illa igitur præferenda quuque, in quorum omniom Usu legitimo attendeodum sedulò ad cujusvis Ægri constitntionem peculiarem, hancque consequentem operationem Mercurialium medicamentorum diversam.

CCCII. Et quoniam plura de Mercurio tam præcipitato, quàm sublimato attuli in superioribus, non videtur necesse, ut in iisdem diutiùs hæreamus, quin malumus pergere ad sequentia.

Salivatio præ cæteris hic conveniens.

CCCIII. Ultima ergo Humores Pituitosos peccantes in Lue Venerea evacuandi ratio & via est per *Salivationem*, præ cæteris omnibus Affectui huic curando convenientem.

Salivationis Laus.

CCCIV. Nullus certè Affectus est, cui ritè ac certò curando magis aut æquè conducit Salivatio, ac Lues Venerea: Quapropter *Curatio ipsius per Salivationem instituta cæteris præfertur, utpote talis, quæ non facile ullum Recidivæ metum post se relinquit, nisi in Lue inveterata & cum Ossium carie conjuncta.*

Quid sit.

CCCV. Est autem *Salivatio, Evacuatio, Humorum* in universo corpore peccantium, sed *maximè Pituitosorum serosorumve per Vasa Salivalia & Os*, unà cum Saliva instituta.

Saliva in quibus partibus præparetur, & per quas secernatur.

CCCVI. De Salivatione longè clariùs, distinctiùsque hoc tempore pronuntiare possumus, quàm olim; postquam non tantùm *Viæ Vasaq; Salivam in Os deferentia* innotuerunt Anatomicis non ita pridem; verùm *Partes* quoque, *in quibus eadem præparatur, vel secernitur* à Sanguine, *Glandulæ* putà, & quidem non *Conglobatæ*, ad quas & à quibus feruntur Vasa Lymphatica; verùm *Conglomeratæ*, vis certis & ductibus, per quos in Cavitatem determinatam liquorea corpori utiles effundont, donatæ.

Unde nunc clariùs, quàm olim de ea quid statuitur.

CCCVII. Hæc, inquam, ratio est, cur nunc quàm olim clariùs, & distinctiùs de ipsa quoque Salivatione disserere, atque plura eò spectantia determinare possimus.

Quid circa Salivam in statu naturali & præternaturali accidat.

CCCVIII. Quemadmodum igitur in *statu hominis naturali & sano* defertur *sola Saliva ex glandulis Maxillaribus Conglomeratis in Os*, ita non rarò in *statu* ejusdem *præternaturali & morbido* defertur unà *cum eadem Saliva Humor vel Pituitosus & Viscidus*, *vel Serosus & tenuis*.

Salivatio quotuplex.

CCCIX. Hic autem Humoris Pituitosi vel Serosi Motus ad Os, quia unà cum Saliva perfici solet, Salivationis nomine venit: sive contingat ipsa sponte atque *Naturæ Ope*, sive eadem excitetur à medicamentis & *Artis opera*.

Quibus sponte contingat Salivatio.

CCCX. In *hisce* præsertim *Regionibus* satis frequenter *sponte* contingit *Salivatio*, non tantùm *Infantibus dentientibus*, verùm *Scorbuticis multis*, ac *Melancholicis*, *Sputatoribus* factis; quod nec veteribus ignotum fuit, quamvis rariùs forsan id in græcia, Italia, Gallia & Hispania fuerit observatum.

CCCXI. Idem frequenter observavi factum in *Aphthis*.

Salivatio Critica & Symptomatica.

CCCXII. Aliquando quidem spontanea hæc Salivatio *Critica* existit, morbumque sive Affectum Ægri solvit; aliquando verò eadem *Symptomatica* est atque pro ipso Ægri Affectu ejusve Symptomate habendo, ex qua nullum levamen accipit æger, sed noxam manifestam & gravem.

CCCXIII. Sic observavi non semel, Ægros per plures annos Salivatione molesta & gravi vexatos; à qua noctu diuque cum sommis lancinationibus, & exquisitis doloribus urgebantur, profluente ipsis humore acerrimo, simul & mediocriter viscido, eoque copioso, à quo lintea quævis, imò coris quoque corrodebantur: Adeò ut in statu calamitoso Animam misceri traherent multis annis.

Salivatio triplex.

CCCXIV. *Triplex* proinde occurrit *Salivatio*, *Critica*, *Sy[m]ptomatica*, & *Artificialis* sive *Medica*.

Artificialis. Expectata vel casu aborta.

CCCXV. *Artificialem* aut *Medicam* illam voco Salivationem, quæ *Medicamentorum* vi excitatur, sive illa fiat non *expectata* & *casu*, sive eadem *optata quæratur*; tum & quæ cum ægri commodo, vel incommodo peragitur.

CCCXVI. Accidit enim non rarò, ut tam Medici, quàm alij ad Pediculos abigendos, vel Scabiem curandam Zona ex Mercurio crudo cum Terebinthina misto circa regionem Lumbarem applicata utantur; atque præter ipsorum expectationem inde excitetur Salivatio, Ægris non tantum gravis & molesta, sed nonnunquam etiam Lethalis.

A Salivatione Noxa.

CCCXVII. Sed & accidit quoque nonnunquam, ut Salivationem intendat Medicus, à qua tamen non semper in Melius, sed aliquando in pejus potiùs ruat Æger.

In Salivatione cautè procedendū. Et quare.

CCCXVIII. Quod cùm ita sit, non fine causa monendi sunt à nobis Medici Iuniores, ut cautè procedant in Salivatione instituenda.

CCCXIX. Neque sufficit feliciter successisse Medico Salivationem in Ægris suis excitatam, quin videndum, ne unquam succedat malè; cùm plus dedecoris accedat Medico ex uno eventu malo, quàm honoris ex decem eventibus bonis.

Casui eventus bonos, Medico malos adscribi.

CCCXX. Solent namque multi *Casui* vel *Naturæ* adscribere *omnes* in Ægris *eventus bonos*; *Medico verò & medicamentis* quosvis *eventus malos*.

Salivationis Artificialis duo modi.

CCCXXI. Instituta verò à Medico sive *Artificialis Salivatio* duobus modis peragi solet, tum *per Mercurium internè assumptum*, tum per eundem *forinsecùs usurpatum*.

Per Mercurium internè assumptum.

CCCXXII. *Internè* assumitur ad excitandam Salivationem *Mercurius minimè fixatus*, *præcipitatus* præsertim.

Aut externè illitum.

CCCXXIII. *Externè* ad eandem Salivationem producendam usurpari *Mercurius crudus*, tum *Unguentis*, *Linimentis*, *Oleisve inunctus*, & circa plerasque articulationes illitus; tum *Terebinthinæ* itidem permistus, & *Cinguli forma circa* Regionem lumbarem applicatus: (Quod etiam fieri potest à Mercurio præcipitato, & quidem minùs fixo) tum etiam in *Cinnabarim* per sulphur redactus, & una cum aliis, myrrha præsertim, mistus, ac *suffumigii* modo exceptus ore, donec fiat salivatio.

Aut Cingali forma applicatum.

Aut suffumigii modo exceptū.

In his omnibus lentè procedendum.

CCCXXIV. His autem tribus modis Salivationem producere solet Mercurius, in cujus administratione, quod jam ex parte monuimus, observandum sedulò, ne nimiùm festinetur, sed opus lentè procedat.

Et futuræ Salivationis signa consideranda.

CCCXXV. Lentè igitur tam externè, quàm internè usurpando Mercurium procedendum est in Salivatione excitanda, observandumque, an ipso semel aut bis mediocri quantitate usurpato futuræ salivationis signa compareant, an verò nulla ejus indicia se manifestent.

Hæc quænam sint.

CCCXXVI. Quoties enim vel Gingivæ, vel Tonsillæ: aliæve in maxillis Glandulę temere incipiunt ac dolere, quoties odor gravis expirat ex ore, toties salivationem præ foribus adesse certum.

Si non appareant, in eorundem usu pergendum.

CCCXXVII. Quoties verò nil talis intra biduum, triduumve post debitè administrata medicamenta mercurialia evenit, toties eorundem in usu amplius pergendum patet; & quidem tandiu, donec confluant Humores vitiosi ad Salivares Glandulas, effundanturque unà cum ipsa saliva.

Quando gargarismis acrem humorem temperantibus utendam.

CCCXXVIII. Ne autem *ab illis humoribus* plerumque satis *acribus nimiùm exulcerentur Gingivæ*, *Malę*, *Labia*, & quandoque ipsum *Palatum*, *Gargarismis* utendum ex *Lacte tepido*, *Raparum coctorum Succo Emulsionibus*, aliisve humorem *Acidum & Acrem contemperantibus*.

Salivatio non sistenda.

CCCXXIX. Sibi autem per aliquot hebdomadas *relinquendus hic per salivationem fluxus*, *nec facile sistendus*, ne in suffocationis periculum conjiciatur æger: cùm præsertim *spontè sensimque cessans salivatio perfectæ Curæ signum esse solet*.

Quando Gargarismis abstergentibus utendum.

CCCXXX. Ubi autem ab *Humoribus acerrimis profunda* excitātur in *Ore ulcera doloresq; intolerabiles Gargarismi* parādi ex magis *abstergētibus adstringentibusq;* dictis, addito ipso *Opio*, aliisve *dolorē potērer sedātibus*. Atque sic Instituì debet ipsa per Salivationem humoris in Venerea lue peccantis Evacua-

Symptomatum curatio.

cuatio. Nunc de Symptomatum primatiorum cusa peculiari quædam addenda.

Gonorrhœa Virulenta curatio.

CCCXXXI. Faelemus autem à *Gonorrhœæ Virulentæ* cura initium, postquam frequentissimum est Luis Venereæ Sympomata, & à quo sepenumerò incipit Lues ipsa, quin imò, si mox rite curetur, in eodem sistitur, ne ulteriùs pergat & totam Sanguinis massem inficiat.

Si Sanguinem infecit, præmittenda Universalis cura.

CCCXXXII. *Ubi ergo Virulenta Gonorrhœa sola Ægram neget, nec ab ipsa infecta est adhuc Sanguinis massa, illi soli adhibenda curatio: ubi* verò ulteriùs serpsit malum, & *Sanguinis massam totam simul infecit, tum præmittenda, conjungenda saltem Universalis Cura* de qua jam actum.

Quanam Ulcera sequatur Gonorrhœa,

CCCXXXIII Instituetur autem *rationalis* hujus *Gonorrhœæ Curatio*, si considera verimus, *consequi eam Ulcus in Prostatis & Vesiculis forsan seminariis existens*,

CCCXXXIV. Quamvis enim non negem, solã istarum Partium *Debilitatem post nimiũ coitum* non rarò remanentem posse *Gonorrhœam producere*, multis sæpe annis permanentem; nunquam tamen erit ulla *Gonorrhœa Virulenta*, nisi accesserit, *quod* non tantùm *Semen*, verùm *Sanguinem* quoque ad partiũ harumce nutritionem accedentem *corrumpat in humorem acrem ac virulentum*, qualis effundi solet in Gonorrhœa Venerea & Virulenta ideò dicta.

CCCXXXV. Illud verò quod tum Semen; tum Sanguinem ita corrumpit, *partem* quoque *continentem* plùs minùs *corrumpet*, ac proinde *Ulcus*, qualecunque tandem, in *ipsa excitabit*.

Ulcera hæc esse tantum in Prostatis & Vesiculis seminariis,

CCCXXXVI *Pars* igitur illud *Virus continens* cùm præter *Prostatas & Vesiculas seminarias* nulla esse possit alia, meritò dicuntur *illæ aut simul, aut seorsim saltem Ulcere laborare*; quod hic minimè prætereundum, ubi huius Sympomatis, *Gonorrhœæ Virulentæ*, *Curationem* instituimus, quæ *nunquam feliciter absolvetur, nisi sublato Ulcere ac Morbo. quem sequitur illud Symptoma*.

Ea esse curanda,

CCCXXXVI. In *gonorrhœa* igitur Virulentę *Curatione Dogmatica*, cogitandum de *Ulcere* illo qualicunq; *mundando* & iterum *consolidando*; atque *Causa* ejusdem *corrigenda*, vel *tollenda*.

Eorum causa.

CCCXXXVIII *Ulceris* huius *Causa* est *humor acris & virulentus coitu communicatus, & cieta hæc Vasa spermatica hœrens, Sanguinem ac Semen corrumpens*, atque *post ipsius corrupti effluxũ aliqua sui parte in solidis & continentibus partibus exulceratis remanens. atque novę materię affluentis Corruptione nova tam Ulcus*, tum *fluxũ virulentum perpetuans*.

Quomodo Gonorrhœa ex arte curatur.

CCCXXXIX. *Curabit* ergò ex arte ac feliciter Gonorrhœam Virulentam, qui 1. *Fermentum* illud *Virulentum & Acre ulcus excitans*, fovensque, atque Sanguinem cum semine corrumpens *Correxerit*, aut è corpore planè *exturbaris* 2. *Ulcus* ab ipso productum *Mundaverit* ac *Consolidaverit*.

CCCXL. Atq; hisce paucis indicationibus satisfaciunt medicamenta omnia vulgò in Gonorrhœæ virulentę Curatione commendata, ac cum laudabili successu administrata; uti hoc facilè observabit, quisquis hęc omnia mente attenta examinaverit: quamvis paucis Gonorrhęæ curam instituentes hęc omnia satis observent, unde non mirum, si tam sæpe nulla vel tardior contingat ejus Curatio.

1. Humor acris corrigendus & quibus.

CCCXLI. 1. *Humorem Acrem ac virulentũ corrigunt Emulsiones* varię hic usurpari solitę, *Decocta* emollientia & lenientia dicta ex Glycyrrhiza, Hordeo & similibus parata; Ipsa *Terebinthina*, ejusve *Oleũ*, *Balsamus Peruvianus*, *Oleum de Capaiva* dictum, &c.

2. Expellendus & quibus.

CCCXLII. 2. Eundem *humorem Acrem*, *virulentumque per Urinę vias exturbant eandem* fere memorata *Decocta*, *Emulsiones*, *Olea & ipsæ Cantharides*, &c. dum vi Diuretica prædita unà cum Urina extrudunt fermentum illud virulentum.

Gonorrhœã Virulentam ab Humore acri pendere,

CCCXLIII. Hæc autem medicamenta omnia si quis attenta mente consideravit, facilè agnoscet illa *Humori acido acriori Temperando expellendoque* convenire, ac proinde *Gonorrhœam Virulentam ab ipso pendere ac prodire*: quemadmodum ex omnibus Luis Venereæ Syptomatib. id abundè probavimus in superioribus, quod nunc medicamentis huic Gonorrhœæ curandæ convenientibus & talibus usu solo compertis confirmamus.

Ejus Medicamenta esse vel Aromatica vel acre temperantia.

CCCXLIV. Omnia certè, quæ *potentiùs alterant*, *humoremque in Gonorrhęa virulenta corrigunt*, sunt vel *Aromatica*, vel saltem plùs minùs *Acidum temperantia*, inter quæ haud postremum locum occupant *Oculi Cancri*, in hoc affectu curando tam utiles ac necessarii.

In quibus consistat Methodus Gonorrhœã curandi.

CCCXLV. Methodus ergo curandi Gonorrhœam Virulentam consistit partim in *Alteratione ac Contemperatione humoris Acris Ulcus* in spermaticis Vasis & Glandulis tum *parientis*, tum *foventis*; partim in *Ejusdem* plùs minùs contemperati *expulsione cum Urinis*; proxima nempè via & commodissima; in quem finem usurpari quoque prosunt *Decocta sudorifera* in Universalis Luis Venereę curatione laudata & notata quippe quę non tantùm per Sudores, verum per urinas quoque humores peccantes expellunt, quinimò Acres quoque Acidos temperant; partim in *Ulceris mundatione*, hinc & *consolidatione*, tum per Terebinthinam lotam, tum per eandem coctam, tum per ipsius Oleũ, tum per Peruvianum Balsamum, Oleum de Copaiva, Balsamum Sulphuris multiplicem, &ç. partim in *Earundem Glandularum Prostatarum*, & *Vesicularum seminalium* hoc maligno fluxu *debilitatarum Corroboratione*, per blandè adstringentia & Aromatica, Sale saltem fixo & Acidum frangente donata, Castoreum, Succinum, Myrrham, Mastichen, Coralia Lapidem hematitem, Laccam, &c. internè assumenda & similia; Olea, Mastichinum purà, & alia forinsecùs circa perinæum usurpanda.

Quomodo eadem reddatur incurabilis.

CCCXLVI. Atque tali methodo curabitur feliciter Gonorrhœa Virulenta, quę ipsa neglecta, vel non satis observata redditur quandoque, ex parte saltem, Incurabilis; ac præsertim ratione partis longo fluxu extreme debilitatę.

Gonorrhœã Lui Venereę conjunctam ejus curatione etiam tolli.

CCCXLVII. Ubi proinde Lui Venereę conjuncta est Gonorrhęa Virulenta, ubi Universali Luis cura tollitur simul Gonorrhęa; Ubi autem Gonorrhœa sola observatur, illi soli cura est facienda methodo ac medicamentis modò dictis

Eadem universali curatione etiam cedere pustulas.

CCCXLVIII. Sponte solent *Universali Luis Venereę Cura* cedere *Pustulę*, uti jam diximus in superioribus, tam per Sudorifera Decocta, quàm per Mercuriales evacuationes ac imprimis Salivationem, ritè institutam, unde nimirum Curæ laudabilis ac perfectę signum esse, tum Pustulas, tum cętera Venereę Luis Symptomata spontè tum cedentia

Earum curatio particularis.

CCCXLIX. Si cui tamen libet *Pustularum Curã festinare*, *aut seorsim eadem instituere*, quò minùs oriatur de Lue Venereà suspicio apud alios, tum *Guajaci*, *cęterorumque Lignorum* à me laudatorum *Decocto foveri* possunt Quin memini, aliis non proficientibus, *Sale Volatili Cupri Tinctura imbuto* me pustulas fędas & planè malignas feliciter curare, ac supra propriam expectationam subinde tollere.

CCCL. Inservit quoque Pustulis Curandis *Mercurius præcipitatus* alicui *Unguento immissus* & forinsecùs applicatus.

Easdem oriri à Spiritu acido.

CCCLI. Atque hæc omnia confirmant itidem Ipsarum *Ortum à Spiritu Acido*, quo totius Luis Venereæ naturam posuimus.

Ulcera Venerea etiã cura universali tolli.

CCCLII. Quod de Pustulis modò dictum, Idem de *Ulceribus* Venereis quoque dicendum, Ipsa *Universalis Luis Cura*, si ritè fiat, *simul curari & tolli*, tũ ea quę per *Decocta Sudorifera*, tum ea quę per *Salivationẽ*, *cęterasque Vacuationes Mercuriales* absolvitur.

Eorum curatio particularis.

CCCLIII. Possunt autem præterea Ulcera Venerea *ablui ac mundari Decocto Guajaci* & cęterorum *Aromaticorum potentium*, quin tangi possunt *Sale Volatili liquido & Cupri Tinctura imbuto*.

CCCLIV. *Unguentis* etiam feliciter admiscetur *Mercurius*, tum *præcipitatus*, tum *sublimatus* ac præsertim *dulcis*.

CCCLV. Quorum ope postquã *mundata* sunt satis *Ulcera Venerea*, *Consolidari* possunt facili negotio cęterorum more, de quibus agitur in Chirurgia.

CCCLVI.

CCCLVI. Non est, quòd quis turbetur ac miretur, proponi à me hìc ad Ulcerum Venereorum curationem *Mercurium per Acidos Spiritus* tam *præcipitatum*, quam *sublimatum*, existimetque id meam evertere de Luis Venereæ causâ, in Acido constituta, opinionem. Nam 1. novum non est, *Unum Acidum immutari ac infringi ab Altero*, & quidem secundùm *quasdam sui partes ab alterius partibus* differentes.

Unum Acidum immutari ab altero.

CCCLVII. Sic Corallia, Margaritæ, Oculi cancri, &c. soluta in *Spiritu Vitrioli Philosophico* dicto, ex Butyri nempe Antimonij in virę Mercurium per aquam affusam præcipitatione orto, iterum ab ipso secedunt, quamprimùm *Vitrioli Spiritus* ipsi instillatur, quamvis uterque Spiritus sit Acidus, & ex Vitriolo, ex parte saltem, productus, extractusque.

Quod exemplis docetur.

CCCLVIII. *Mercurius enim sublimatus corrosivus*, quo ad Antimonij butyrum parandum utimur, præparatur plerumque ex *Vitriolo & Sale* Marino vel Fossili cum Mercurio tritis & simul sublimatis, unde in ipso multum Spiritus acidi à vitriolo quoque existere, fit manifestum, quamvis ego saltem putem majorem forsan partem à sale vulgari ipsi accedere.

Mercurius sublimatus quibus constet.

CCCLIX. Diversitas proinde Spiritus Acidi in prędicto Spiritu Vitrioli Philosophico reperti pędet 1. à diversitate *utriusque Salis, Vitrioli & Marini*, conjuncti: 2. ab *ipso Mercurio* cum quo elicitus elevatusque est uterque Spiritus: 3. *ab Antimonio* cum quo fit conjunctio ad Butyri præparationem. Est autem in ipso Antimonio etiam Spiritus Acidus, cujus aliquam partem simul cum Butyro assurgere, mihi saltem est valdè probabile. In Spiritu autem Vitrioli vulgari nulla est Aciditas, nisi à solo Vitriolo. Unde notabilem in utroque diversitatem existere, quis non videt?

Diversitas Spiritus Acidi in Spiritu Vitrioli Philosophico undè pendeat.

CCCLX. Idem ex aliis Spiritibus Acidis quoque patet, quatenus aliqui hoc vel illud Metallum tantùm solvunt, non verò cetera. Sic ex. gr. Salis Spiritus Aurum solvit, non item Argentum: contrà Spiritus Vitrioli Argentum solvit, non item Aurum.

CCCLXI. *Spiritus ergo Acidus in Mercurio tam sublimato, quàm præcipitato concentratus censendus in nonnullis circumstantiis suis diversus à Veneno Venereo isidem acido*, unde fieri potest, ut *unus alterum alteret, immutet, imò figat*.

Spiritus Acidus in sublimato aut præcipitato diversus à Veneno Venereo.

CCCLXII. Adde quòd 2. precipua *Mutatio*, quę expectatur ab utroq; modo prędicto pręparato Mercurio, pendeat *ab ipsa Mercurio*, qui pręcedenti sua pręparatione per Acidum Spiritum aptior factus est alterando Veneno Venereo, quippe cui faciliùs nunc, quàm aliàs immiscetur.

CCCLXIII. Inservit ergo *Mercurius* tam pręcipitatus, quàm sublimatus Veneno Venereo corrigendo, tam *ratione sui*, quàm ratione *Spiritus Acidi in se concentrati, & Acido Venereo subcontrarii*.

CCCLXIV. Quartum Venereę Luis Symptomarum locum *Cariei Ossium* assignavimus, prę aliis omnibus *curatu difficillimo Symptomati*.

Caries Ossium curatu difficilis.

CCCLXV. *Difficultas* verò *Curationis* vel inde *pendet*, quòd *Venenum Venereum sese intimè insinuet Ossibus, quò penetrare nequeunt remedia illi corrigendo apta; nec facile igne sive cauterio actuali superari* possit idem malum.

Unde id oriatur.

CCCLXVI. *Acidum certè arctissimè ossibus sese insinuare, illaque ad internecionem corrumpere*, notum esse potest omnibus Affectuum Chirurgicorum veris Observatoribus, & supra libros Doctis.

CCCLXVII. Dico *ad internecionem corrumpi Ossa in Carie Venerea*, cùm reverà *vivant* quoque. *Ossa*, *& Carie correpta* pro *mortuis* habenda sint.

In Carie Ossa esse mortua.

CCCLXVIII. Ad *Cariei proinde Curationem* necesse est, ut *tota pars Carie affecta*, ut pote mortua, *separetur à sana* & *viva*, cum qua nec coalescere, nec diu subsistere potest Cariosa, quin eandem pariter inficiat, & ad corruptionem similem paulatim deducat.

Pars affecta à sana separanda.

CCCLXIX. Difficile autem est, aut *Igne, ferroque ignito*, aut *medicamentis convenientibus* Ossis partem Carie infectam separare ab integra, postquam per cuniculos in sanam se insinuat *Venenum Venereum* *non quiescens, sed eando vires acquirens*, sicut manifestum in omni Carie Venerea; cujus *Causa non sistitur aut infringitur ab Osse* ipso quod corrumpitur, sed indies augetur & Acrior fit, unde tandem, ubi ad summum pervenit, Caries Venerea fit incurabilis.

Id quare sit difficile.

CCCLXX. Difficultas autem summa in carię curanda etjam inde pendet, quòd *Remedia* ipsi curandę *convenientissima* sępenumero *satis convenienter applicari, usurparique non possint*.

CCCLXXI. Partes namque Ossibus vicinę *Membranæ, Tendines, Nervi*, & similęs ab *actuali Cauterio simul læduntur, & intolerabiles Dolores patiuntur*.

Ab actuali cauterio partes vicinas lædi.

CCCLXXII. *Augetur* autem idem malum, quando *sępiùs applicantur actualia* illa *Cauteria*, quę una vice parùm præstare solent, at sępius iteranda sunt, si laudabilem effectum producere debeant.

Ac eo malum augeri.

CCCLXXIII. *Cętera remedia* quę *Cariei consumendæ aut tollendę adhibentur*, vel *invalida sunt nimis* ad quęsitum effectum producendum & illud Venenum Venereum superandum, vel, uti jam dictum, *non satis penetrare possunt* ad quævis loca, in quæ se insinuavit prædictum *Venenum Venereum in Aciditate Acri consistens, ac penetrantissimum*.

CCCLXXIV. Quęcumque namque hactenus observata sunt quocunque modo *Acidi Acrimoniam debellare*, vel *Salia sunt lixiva*, tam *fixa*, quàm *Volatilia*, vel *Spiritus Volatiles*; vel *Olea*; vel *Aquea*; vel quędam ex prædictis *magis composita*.

Quænam Acidi acrimoniam debellent.

CCCLXXV. *Salia verò lixiva fixa*, quæ primaria sunt Acidi opposita & adversaria, *pura & sola* si fuerint, in superficie hærebunt, nec aliquid laudabilis, magnive præstabunt; sin *Aqua diluantur*, simul partem aliquam virium suarum amittent; si cum Spiritu *Volatili conjuncta fuerint*, penetrabunt quidem quaquaversum faciliùs, operabuntur autem simul debiliùs: Si cum *Oleo in Saponem mutata* fuerint, debiliora sunt reddita nec facilè ad interiora penetrabilia; quibus si *Aqua* accederet, ut diluantur & ulteriùs penetrare possint, reddentur simul magis inertia.

CCCLXXVI. Adeò ut inter omnia Venenum Venereum Acido-Acre cariem producens corrigentis & emendantia remedia, post *Cauterium Actuale*, primus locus videatur assignandus *Salibus Volatilibus* utut satis debilibus ad tantum & tam grave malum superandum.

Post Cauterium actuale Salia Volatilia esse aptum cariei Ossium remedium.

CCCLXXVII. Non mirum proinde, si tam *rarò curetur Caries Ossium notabilis Luis Venereæ accidens*, quin plerisque ad mortem usque comitetur.

Eam ad mortem plerisque comitari.

CCCLXXVIII. Vera etenim ratio curandi est, ut *Os infectum* quoties tutò licet, *totum tollatur*, postquam *vix unquam sisti potest in ipso Caries*, aut *pars Ossis corrupta separari à sana*.

Os infectum totum tollendum.

CCCLXXIX. Quod verò jam feci, *laudo* iterum *Salis Volatilis usum*; qui laudabilior erit, si quis *Salia Volatilia plurium generum adornet, atque optima* quęvis per *accuratam & attentâ Experientiam seligat*.

CCCLXXX. Usurpantur quoque in ossium carie curanda *Tutia*, *Lithargyrium*, *Cerussa*, imò *Guajacum*, in pulverem trita, & inspersa; quæ omnia si quis accuratè examinarit, comperiet, eatenus juvare posse, quatenus Acidum in se concentrant & ab Ossibus allectum avertunt, ne ulteriùs serpere ac ipsa corrumpere pergat.

Quænam præterea hic usurpantur.

CCCLXXXI. Hæc igitur sunt blandissima curandæ cariei remedia; proxima sunt sive media Salia tum Volatilia, tum fixa, tanquam cauteria potentialia: potentissimum verò est cauterium Actuale. Quorum ope nisi curari possit caries, habenda ipsa meritò pro incurabili.

Horum remediorum diversitas.

CCCLXXXII. Docuimus, excrescere in variis partibus sub membrana Ossa investiente, Periostio, *Tuberositates* nonnunquam insignes; quæ si Ossa non multùm affecerint, curari solent Emplastris & Unguentis Mercurialibus, imprimis universali cura per Salivationem.

Tophi qui curentur.

CCCLXXXIII. Sin Ossa infecerint, & materia Pituitosa viscidior illas constituat, vix curabuntur, nisi aperto Tumore, atque sublato sensim humore viscido, tum per Gummata Aromatica, tum caustica potentialia & actualia; perseverando tandiu in

eorun-

eorundem usu, donec Os mundátum & liberatum ab omni Phlegmate Venereo observetur, atqua tunc pergendo ad consolidationem per remedia chirurgica vulgò nota.

Dolores molesti curandi mitigantibus. CCCLXXXIV. Diximus Doloribus molestis & quidem noctu repetentibus, interdiù ferè cessantibus, & quidem non in articulis, sed loco Articulorum intermedio afficientibus teneri ac urgeri non infrequenter Lue Venerea infectos: ad quorum mitigationem tum Internis tum externis medicamentis uti possumus.

Tam externis. CCCLXXXV. Inter externa præ aliis omnibus laudantur Unguenta Mercurialia; ut & fotus Guajacini, & Iuniperini, &c.

Quàm internis, CCCLXXXVI. Inter Interna commendatur præ ceteris Sarsaparilla, & ejus Decoctum; Vix tamen aliquid efficitur absque Opiatis medicamentis; quæ plurimùm hic præstant si convenientibus unuiscujusque Ægri constitutioni misturis addantur, atque circa vesperam recrudescente dolore usurpentur.

CCCLXXXVII. Primarium tamen hic est cura Luis Universalis, cujus ope Dolores illi sensim minuuntur, & tandem in totum tolluntur.

Capillorum defluxium quomodo tractatur. CCCLXXXVIII. *Capilli abradendi*, quando effluere incipiunt, qui sponte solent absoluta ritè cura universali renasci: at non opus sit multa in ipsorum gratiam peragere.

Maculas post curam Universalem sponte abire. CCCLXXXIX. *Maculæ* sponte abire solent post curam Universalem absolutam; licet possint citiùs tolli, si Decocto Guajaci & aliorum Aromaticorum superiùs laudatorum foveantur.

Bubones Venerei quomodo curandi. CCCXC. Inter Venerea Symptomata haud postremum locum obtinent *Bubones Venerei* dicti, quamvis postremo ferè loco ipsos examinaverimus.

Eorum maturanda suppuratio & apertio. CCCXCI. In horum Bubonum Venereorum curatione notant Practici, dandam esse operam, ut quantum fieri potest, maturetur eorum Suppuratio & Apertio.

Suppuratio quibus promoveat. CCCXCII. Suppurationem promovent Emplastra cum Aromaticis Gummatibus parata, Diachylum magnum & similia.

CCCXCIII. Quòd si & tunc segniùs procedat Suppuratio, suadent cauterio potentiali festinare apertionem; quo eò alliciatur Venenum; quod ego fieri puto, ne ad interiora pergat Venenum in illo tumore existens.

CCCXCIV. Laudo proinde id, quod Experientia quotidiana docet esse optimum, licet aliter forsan explicem utilitatem ex medicamentorum usu Ægris accedentem.

Condylomata quomodo curanda. CCCXCV. Condylomata tum muliebri pudendo, tum in utriusque sexus Podice oborta, ut & Verrucæ in Membro Virili erumpentes curantur, præter Luis Universalem curationem, per medicamenta illis applicata Mercurialia Acriora, ipsa consumentia; cæterosque Spiritus Acidos, Vitrioli, Sulphuris, & similes. *Et quibus.*

CCCXCVI. Possunt ergo una Spirituum illorum Acidorum gutta tangi; & quidem toties, (at semel tantùm in die) donec corrosa sint, & siccata decidant.

CCCXCVII. Conducit quoque Aqua Plantaginis, & Rosarum ana ad libram unam cum Aluminis Crudi & Mercurii sublimati ana drachmis duabus mista, & in Vitro decocta, & post subsidentiam effusa; ac linteo parti affectæ applicata.

Plura qui volet, consulat Auctores Practicos, ubi plurima inveniet, quæ conveniant; Neque nobis mens fuit singula hic persequi, verùm Naturam Veneni Venerei investigare ac eruere; uti factum putamus, optantes, ut quæ hactenus protulimus, cedant suo tempore in multorum ægrorum commodum, & Medicorum commendationem.

Finis Tractatus Tertii.

TRACTATUS IV.

DE PHTHISI.

Phthisis quomodo generetur. INter Affectus *Uiceri Pulmonum*, &, qui huic supervenire solet, *totius corporis Marcori* ansam præbentes imprimis recenseri meretur *Pleuritis*, quæ quoties vel negligitur, vel aliàs non superatur, abit in Suppurationem; Pus autem non infrequenter in Pectoris cavitate collectum constituit *Empyema* ab hoc verò Pure Acri afficiuntur sæpenumerò Pulmones, atque *Phthisis* producitur; de qua nunc agere lubet.

Quid Phthiseos nomine vulgo significetur. II. Sciendum autem, nos non omnem *Tabem*, at eam duntaxat, quæ *Pulmonis Ulcus consequitur*, *Phthiseos* nomine intelligere, postquam in hac significatione sumi solet vulgò hæc vox apud Medicos.

Eius Symptomata. III. Præter enim *Universi Corporis contabescentiam* alia insuper in Phthisi observari solent Symptomata ipsi peculiaria; *Tussis* putà *cum Puris excretione*; quibus accedit *Febris Hectica*, una se duabusve post assumpta Alimenta horis exacarbata.

Phthisin absque Pleuritide oriri, IV. Quoniam verò non tantùm post Pleuritidem, verùm etiam sine ipsa oritur Phthisis lubet pluribus illum affectum secundùm varias suas causas examinare.

Ejus signum inseparabile pus. Quale illud pus sit. V. Cum autem *inseparabile Phthiseos signum* sit *Pus continuæ Tussi excretum*, videndum, ex quibus & à quibus tale Pus produci queat, quod ad Tussiendum, ac se excernendum Pulmones irritare valet.

VI. Et 1. quidem observandum, *Pus Phthiseorum non esse unius modi*, sed *valdè diversum* ab ipsis excerni, rariùs quidem *album ac æquale*; frequentius *subflavum*, *viridescens*, *quandoque lividum*, *atrum*, *aut variegatum*, *consistentia inæquali*; *fœtens*, *ac cum multifario Phlegmate mistum*.

Ejus materia varia. VII. Atque ex hac *Puris* varietate facillè patet, *Materiam ejusdem* non rarò esse *variam*.

VIII. *Omnis* quidem *Puris materia* est *Sanguis*, sed *non semper purus & sincerus*, *verùm hic cum humoribus ad Pulmones* per vasa delatis, aut per fauces *delabentibus mistus*.

Causa efficiens. IX. Cum proinde *Sanguis necessariò concurrat ad Puris productionem*; Sanguis autem tum demum in Pus abeat, *quando extra sua vasa*, *Capillaria præsertim*, *ac Venas est effusus*: quidquid huic Sanguinis in Pulmonibus effusioni ansam præbere potest, id omne *Phthiseos causa efficiens* esse poterit.

Pus aliunde etiam quàm à pulmone accedere. X. Si quis prætereà praxin Medicam consulat, & ea, quæ quotidie Ægris accidunt, observet; comperiet non rarò *aliunde*, *quàm à Pulmone*, *maximam Puris per Pulmones excreti partem accedere*, ac imprimis *post Pleuritidem* in Abscessum mutatam vel *hanc*, *Anginamve*, aut secundùm Hippocratem) prout ipsum aliqui saltem ad literam interpretantur Auctores Recentiores) *Lethargum* quoque *consequens Empyema*; quemadmodum id alibi docuimus.

Quando quis Phthisi laborare dicatur. XI. *Phthisis* proinde sive *Ulcus Pulmonum*, nunc esse *primarius ipsorum Affectus*, quando in Pulmone ipso læso generatur Pus; nunc *secundarius* tantum, quando aliunde ad Pulmones traducitur *Pus*, *à quo ipsi inquinantur*, inficiuntur, corrumpuntur, sicque *in Ulcus abeunt*, atque tunc itidem Pus producunt: *neque enim priùs dicitur quis laborare Phthisi*, *quàm ipse Pulmo in ipso afficiatur*, *ulcere laboret*, *atque ex suo etiam Sanguine Pus producat*.

Primarii ad Phthisin affectus causæ variæ. XII. *Primarii Pulmonum ad Phthisin* producendam requisiti *Affectus Causæ variæ* observari solent; *proxi-*

ma

ma quidem multifaria *Vasorum Apertio*, five illa fiat *Vulnere*, pungendo, cædendo; five fiat *ruptura*, cadendo, vociferando, tussiendo, distendendo; five fiat *rosione*, ab humore Acri; five fiat per *Diapedesin*, exsudationem ob vasa distenta & laxata; five quocunque alio modo. Difficile enim est, omnes causas externas, fortuitas præsertim, referre aut excogitare.

Ut ad Curationem cognoscenda.

XIII. *Interest tamen ad Curam* ritè instituendam, & non tantùm ad præcavendam *imminentem*, sed insuper ad superandam Phthisin præsentem ac urgentem, *Causas omnes proximas & remotas*, quemadmodum illæ ordine se consequuntur, perspectas habere.

a vociferatione vehementi Phthisin produci.

XIV. Quisquis enim novit atque expendit, à vociferatione putà vehementi rumpi posse Pulmonum vasa, & inde Phthisin produci, is & solicitus erit, ne ipse hac ratione peccet, aut se conscio alius; quin monebit quosvis, ut sibi caveant à simili noxa.

XV. Quinimò ubi observavit Medicus, ex simili vociferatione in dolorem pectoris punctorium, aut Sanguinis sputum incidisse aliquem consilium à se petentem, rationem habebit ejus exactam, & mox allaborabit, ut Dolor ille tollatur, & Sanguinis sputum, consolidato in tempore vase aperto, curetur. Sic enim præveniet malum faciè aliàs futurum. Cùm prudentis sit prævenire mala, ne ab illis præveniatur.

Non semper à Sanguinis sputo Phthisin metui.

XVI. Sed dicet Aliquis, *quorsum ex Sanguinis sputo quis sibi metuat à Phthisi*; postquam *ibi non stagnat, non in partes, Pulmonis putà, substantiam effunditur, quem mox* per asperam *Arteriam encernitur* è corpore *Sanguis?*

Aliquando tamen.

XVII. Cui respondeo, 1. non semper immediatè conjungi Asperæ Arteriæ Vasa Pulmonis Sanguinea, quin subinde aliquid substantiæ pulmonis intercedere, inquam aliquid cruoris, & imprimis pars ejus serosa & acrior ingredi queat, & ipsam sensim exulcere.

XVIII. Sed & respondeo 2. ipsum Sanguinem lateribus vasorum apertorum adhærentem acrimoniam aliquam concipere, quæ Ulcus sensim pariat, & in ipsam Pulmonum substantiam & parenchyma serpat.

XIV. Prudentis erit proinde, talia vel levissima incommoda nunquam negligere, quoniam ex illis neglectis lethalem Phthisin sæpenumerò suum ortum duxisse, nimis frequens incautos docuit Experientia.

Phthisin frequenter Peripneumonia supervenire non ritè curata.

XX. Quamvis autem *Sanguinis sputum* sæpiùs recurrens subsequi soleat frequenter *Phthisis*, longè tamen *frequentiùs solet eadem supervenire Peripneumoniæ non ritè Ægrotorum Medicorumve culpa curatæ*.

Ægrotorum culpa.

XXI. *Ægrotorum culpa non ritè curatur Peripneumonia*, quoties seriùs ad se vocant Medicos, aut consilia ipsorum optima negligunt, ac suo lubitu medicamenta usurpant, vel diætam instituunt noxiam, Aerem frigidum, asperioremve non satis fugiendo, potum frigidum sumendo, &c.

medicorum culpa.

XXII. *Medicorum culpa non ritè curatur Peripneumonia*, quoties Ipsi ex suo vel alieno præjudicio ipsam curare satagunt secundum nescio quam methodum generalem omnibus morbis accomodandam; quæ tamen nulla utilis excogitari potest ubique sibi similis; postquam pro re nata, hoc est, pro circumstantiarum, Personæ, Ætatis, Sexus, Anni temporis, Aeris constitutionis, Vitæ generis, & imprimis Symptomatum præsertim vel instantium diversitate omninò semper variari debet vera & Ægris profutura Medendi Methodus.

Omnibus morbis non una curandi methodus.

XXIII. Quemadmodum enim omnibus Equis unum idemque adaptari non potest Ephippium, sic & omnibus morbis debitè curandis una eademque methodus conveniens excogitari nequit.

Cur Peripneumonia superveniat Phthisis.

XXIV. *Peripneumoniæ* autem *facilime supervenire solet Phthisis*, quoniam ubi hæc in Abscessum abit, ulcus necessariò concurrit, quod nisi mundetur confestim, ac mox consolidetur, denuò Phthisin producet.

In ulcere pulmonum curando festinandū.

XXV. Neque enim mox, ubi aliquod est in Pulmonibus abscessu laborantibus Ulcus, Phthisis quoque adest; at facilè ac brevi Phthisin producet, ni quam primùm curetur; unde si in ullo affectu, certè in hoc curando festinandum.

Ex quali ulcere Phthisis producatur.

XXVI. Distinguendum proinde inter Ulcus recens, ac inveteratum in Pulmonibus: nam ex protracto, nec mox curato ulcere Phthisis sensim producitur.

Causa Phthiseos proxima.

XXVII. Causa proinde Phthiseos proxima est Ulcus tamdiu in Pulmonibus hærens, ut ab Ipso cum febre lentà corporis macies excitetur.

A quo ulcere citiùs producatur.

XXVIII. Citiùs autem ab Ulcere Pulmonum fœdo & à materia acriori producto excitabitur Phthisis quàm ab Ulcere magis blando; & à materia minùs acri generato.

Causæ ulcus producentes 1. Peripneumonia.

XXIX. Inter *Causas* proinde *Pulmonum Ulcus producentes* 1. loco debet poni *Peripneumonia*, Pulmonum scilicet Inflammatio, *in Abscessum transiens: aut Vomica*.

2. Sanguinis sputum.

XXX. 2. *Sanguinis sputum* neglectum, nec in tempore curatum.

3. Humor acer & salsus.

XXXI. 3. *Humor acer, ac salsus sive acidus à Capite per fauces in Asperam Arteriam destillans* & paulatim exedens atque exulcerans tum dictam Arteriam, tum ipsam pulmonum substantiam.

4. Humor pituitosus & viscidus.

XXXII. 4. *Humor Pituitosus & Viscidus* itidem à Capite vel Faucibus in Arteriam asperam descendens, ibidem adhærens, acriorque mora factus, hinc similiter, licet lentiùs, Pulmones exulcerans.

5. Pus acre in pulmones admissum.

XXXIII. 5. *Pus acre ex Latere in Pleuritide, aut Thoracis Cavitate in Empyemate in Pulmones admissum*, & Ulcus in ipsis pariens.

Quando citius producatur.

XXXIV. Ubi autem causæ prædictæ incidunt in Pulmonem ex naturali sua constitutione vitiosum, & ad Phthisin vergentem, longè faciliùs, citiùsque idem malum contingit.

In quo constitutio naturalis ad Phthisin consistat.

XXXV. In quo autem *naturalis hæc ad Phthisin constitutio consistat*, meritò quæritur: cùm per Experientiam admodum frequentem liquidò constet, *Integras familias* observari ad *Phthisin* ita *inclinantes*, ut pauci ex ipsis grave hoc effugiant malum.

Esse malum hæreditarium.

XXXVI. Notum quidem, malum illud esse *hæreditarium*, à parentibus transire ad liberos; sed in quonam illa Dispositio hæreditaria consistat, non æquè notum.

XXXXVII. Neque enim loquimur hic de *Vitiosa Thoracis conformatione*, tum *ab ortu* sive nativitate quibusdam propria, sive *connata*; tum *post nativitatem* aliis ex Casu, Contusione, aliove infortunio accedente; at de *Constitutione Pulmonum* aliarumve Partium *propria & hæreditaria*, ob quam non tantùm proclives sunt plures ejusdem familiæ Liberi, utut bene alias habentes, at insuper, ubi ad certam ætatem (in aliis enim citius, in aliis seriùs hoc malum se manifestare solet) pervenerant, in Phthisin subitò incidunt, & utplurimum ipsa extinguuntur.

Continua partium corporis mutatio.

XXXVIII. Ut autem facilius pateat, puto considerandum, *Humores singulos in corpore humano indies sensim mutari, & secundùm ætates notabiliter alterari*; sed & *Partes solidas & Viscera itidem notabilem Mutationem pro ætatibus variis nancisci*; quæ mutatio præsertim observatur in *Glandulis*, quarum aliquæ *minuuntur* sensim, dum aliæ *crescunt & augentur* potius indies.

Et præcipuè glandularum.

XXXIX. Sic *Glandula Thymus*, in Fœtu valdè magna, plurimum minuitur in Animalibus senescentibus.

Ut Glandula Thymi.

Pulmonis constitutio peculiaris in Phthisi.

XL. Peculiarem quoque Pulmoni constitutionem contigisse, quæ cum ætate mutetur, Phthisis, de qua nunc agimus, abundè docet; quamvis hactenus mihi non sit possibile, illam Constitutionem Pulmonum mutatam certò describere atque explicare.

Qualis.

XLI. Talem tamen oportet illam esse *Pulmonum Constitutionem*, quę tunc *faciliùs afficiatur, & patiatur ab humoribus in hac vel illa ætate magis dominantibus*.

Maximè in partibus fluidis quærenda.

XLII. Interim si, quod imprimis verius mihi videtur, proponere licet, (quid ni liceat?) arbitror, *Dispositionem illam ad Phthisin* non tantum *in partibus solidis* ac Continentibus, sed maximè in *fluidis ac Contentis* quærendam & inveniendam,

XLIII.

Humoribus nempe variè mutatis.

XLIII. Prout namque hi vel illi humores *pro ætate varia nunc vel Acriores fiunt, vel obtusiores*; sic iidem modò hos, modò illos producunt affectus, & morbos; *ab humoribus* variè mutatis *proinde petenda* videtur *potissima ratio Phthiseos Hominibus cæterùm*, quantum dignoscere licet, *sanis obveniens absque ulla sensibus externis manifesta Causa*.

Suspicio Authoris de causa Phthiseos hæreditaria.

XLIV. Observavi non semel, ad Asperæ arteriæ latera *Glandulas* duas cum Testium Parenchymate affinitatem aliquam habentes, ac *Thyroideas* dictas, applicatas, ex quibus Succum aliquem in dictam Arteriam deferri suspicor; qui si præter naturam acrior fiat, facili negotio ab ipso afficientur Pulmones; quin hic humor si secundùm ætatem variam redditur varius, ab ipso in hæreditario malo magis adhuc immutato producetur forsan Phthisis. Hanc meam Conjecturam & Suspicionem pro Conjecturà duntaxat & Suspicione haberi volo; quam idcirco tamen communico, ut si cui, quàm mihi, prius contingat occasio diligentius in hanc rem inquirendi, hoc fiat, & tanto citius Veritas eruatur, & pateat.

XLV. Ut proinde his adhuc incertis ac incompertis missis ad cætera magis certa & nota pergamus, examinemus accuratius causas a me propositas Ulceris Pulmonum.

A peripneumonia aut Vomica Phthisin oriri.

XLVI. Et 1. quidem à *Peripneumonia in Abscessum transeunte*, aut *Vomica* in Pulmone excitata Phthisin facillimè exoriri posse, quis negabit, nisi qui imperitè ignoraverit, adesse in utroque casu Ulcus in pulmone?

Non tamen semper,

XLVII. Non tamen ab omni *Ulcere* mox *Phthisis* producitur, sed ab ipso *perdurante*, *nec in tempore curato*. Nam si Pus ex rupto Abscessu aut Vomica per asperam arteriam excernatur, & Ulcus ibi existens

Et quando,

quamprimum convenientibus medicamentis mundetur, hinc & consolidetur; nullum erit futuræ aut subsecuturæ Phthiseos periculum; quemadmodum è contra, si Ulcus illud ab Ægro negligatur, aut à Medico imperito perperam tractetur, mirum non est, si brevi ulterius serpat noxa & sensim subsecutura Phthiseos ponantur fundamenta.

Non tantum Pulmonum substantia, sed Sanguini purulentam materiam communicari. Unde Febris Hectica, Tabes & Tussis.

XLVIII. Neque enim tantum *Pulmonum substantia* magis magisque *afficitur*, sed insuper aliquid *purulentæ materiæ Sanguini per Pulmones circulanti communicatur*, unde is amplius indies afficitur & inficitur, atque ad Corpus ritè nutriendum ineptius redditur; hinc una cum *Febre Hectica* dicta *Universi Corporis labes* consequitur; dum simul *Tussi* excernitur Sanguinis ad partem Pulmonum affectam delati pars *in Pus* corrupta; quæ primaria sunt Phthiseos Symptomata.

XLIX. Dixi non tantum ex *Peripneumonia*, sive Inflammatione in Pulmonum parenchymate excitata, in Abscessum mutata & rupta, sed insuper *ex Vomica* in Pulmone excitata, & rupta excitari Phthisin.

Vomica quid aliis.

L. Explicandum proinde paucis quid *per Vomicam* veniat intelligendum. Aliqui enim per Vomicam intelligunt *Sanguinem*, non in Pulmonum substantiam, sed in *membraneam capsulam sensim effusum, ibidem collectum, & tandem in Pus abeuntem*: Hoc quidem non ausim negare posse fieri, quamvis non meminerim, me tale quid unquam in lectionibus observare, aut aliquid, unde idem satis solidè possem deducere, ac concludere.

Quid Authori.

LI. Ut proinde, quid observare contigerit, profeiam, & quid mihi proinde *Vomica* sit, candidè communicem: Vidi non semel *Glandulosa in Pulmonibus Tubercula* minora vel majora, in quibus aliquando Pus varium contineri, sectio manifestavit. Hæc proinde Tubercula sensim in Pus abeuntia, & membrana sua tenui conclusa pro Vomicis habenda existimo, *ab illis* saltem non infrequenter *Phthisin ortum habere* deprehendi.

In Vomicis causa Phthiseos hæreditaria.

LII. Quinimò *in hisce Tuberculis*, si in re ulla alia sensibus externis patente, *Dispositionem illam ad Phthisin familiis certis hæreditariam, lethalemque constituere non verebor*: Solent enim illa Tubercula cum ætate augeri, atque sensim ad Suppurationem pergere.

Authoris votum.

LIII. Non possum me continere, quin hac occasione data in Medicorum uni Veritati addictorum gratiam pergam in Conjecturis meis candidè communicandis. Ex his enim, aliisque similibus observationibus investigans continentium æquè ac contentarum partium Usum & Noxas; veni tandem in varias suspiciones de Glandulis secundùm naturam minimis & oculorum aciem tunc fugientibus, nec nisi, ubi præter naturam aliquantò sunt factæ grandiores, visui se offerentibus per universa Corporis nostri Viscera & Carnes distributis.

Cura de Glandulis secundùm naturam minimis, sed præter naturam factis grandioribus.

In Plexu Choroide.

LIV. Hisce Conjecturis atque Cogitationibus meis ansam dederunt primò *Glandulæ in plexu Choroide* non nisi in statu præternaturali observabiles, tunc autem ad insignem magnitudinem, pisi pntà majusculi, nonnunquam ascendentes. 2. *Memoratæ modò in Pulmone Glandulæ* sive Tubercula Glandulosa. 3. *Glandulæ in variis corporis partibus manifestæ in strumosa vel scrophulosa constitutione*, adeò ut tunc non tantum satis exiguæ in Mesenterio & Colli lateribus secundùm naturam apparentes in magnitudinem ac duritiem prodigiosam excrescant, sed insuper infinitæ penè aliàs ignotæ tum sese manifestent; & quidem omnes Conglobatæ, non item Conglomeratæ; quas integras & salvas permanere observavimus, licet Conglobatæ ipsis adnatæ plurimùm essent vitiatæ.

In Pulmone. In variis partibus.

Distinctio glandularū in conglobatas & conglomeratas.

LV. Unde ut hoc quoque in transitu referam, patet, non, ut aliquid novi ac cæterùm inutilis proposuisse videret, sed uti rem veram, in se proinde antiquam & perutilem, Candidis bonisque communicatam, distinxisse me primarias & frequentissimas humani Corporis Glandulas in *Conglobatas & Conglomeratas*. Quam distinctionem dum aliqui Scioli quidem, reverà tamen rerum ipsarum Ignari, imperitè ac inscitè carpunt ac criminantur, Invidiam suam & maledicendi studium testantur.

Glandulas in statu naturali adesse & visum fugere.

LVI. Ex Observatis prænominatis in morbida Corporis Constitutione Glandulis, judicavi; adesse ipsas quidem in statu naturali, sed esse tàm exiles, ut visum fugiant; quemadmodùm vasa capillaria in Tunica Oculorum adnata tàm sunt exilia, ut non videantur, nisi ubi præter naturam in ipsis stagnans sanguis eadem distendat, & tunc instar fibrillarum rubearum videnda exponat.

LVII. Uti proinde nemo, qui in Oculorum Inflammatione vidit semel ista Vasa, illa negabit adesse, licet posteà eadem non videat ampliùs, ita, qui semel aut sæpiùs in statu præternaturali & circa plexum Choroeidem, & in Pulmonibus, & alibi observavit Glandulas prænominatas, præter omnem rationem denegaret easdem, quamvis perexiguas in statu sano.

Et esse forsan in omnibus corporis partibus.

LVIII. Quòd si tales sint ubique forsan, hoc est, in omnibus omnino Corporis partibus, & Parenchymatibus sive Carnibus Glandulæ Conglobatæ existentes,

Et Lympha ab illis produci.

nunne ab illis producetur Lympha, quæ in statu præternaturali, ob Aëris præsertim, Alimentorum, Animi Affectuum, Mœroris præsertim, errata evadat vel acrior, vel viscidior; sicque multorum affectuum, Dolorum, Lassitudinem & similium malorum existat Causa: quam ignoramus plerumque, unde illam nos deducere oporteat.

Causa variorum malorum.

In Glandulis Pulmonū dispositio ad Phthisin hæreditaria.

LIX. Quemadmodum igitur in *Glandulis Pulmonum secundùm naturam imperceptibilibus, præter naturam verò sensim auctis* & conspicuis *Vomicas* excitari observavimus, sic *in iisdem Dispositionem Hæreditariam ad Phthisin* forsan quærendam, inveniendamque suspicamur.

A Sanguinis Sputo Phthisin oriri.

LX. Inter Causas Ulceris Pulmonum proposuimus 2. *Sanguinis sputum*, aut neglectum ab Ægris, aut non ritè curatum à Medicis.

Ulcus quādo producatur.

LXI. Ulcus autem tunc produci arbitror, quatenus aliquid Sanguinis effusi, & continuè allabentis Vasis rupturæ adhærens & acrimoniam acquirens partes vicinas sensim rodit, donec ulcus evadat; quos indies aucto & sorditore facto Phthisis necessariò consequitur, dum puris aliqua pars sanguini communicata eundem inficit, & tum ad partes omnes nutriendas, tum ad Humores alios omnes producendos ineptum reddit; quemadmodum jam dictum.

A Catarrhis salsis & acidis Phthisia oritur.

LXII. Ulcus Pulmonum diximus 3. habere ortum à *Catarrhis salsis vel acidis*, à Capite in asperam arteriam delabentibus, a quibus corroditur alias quidem citiùs alias vero serius membrana ejus interior, mox & ejus substantia, donec sensim pertingat in ipsum Pulmonum parenchyma, & ibidem Ulcus pariat eò magis noxium & periculosum, quo acrior existit distillans eò humor.

Ut & à Catarrhis viscidis & Pituitosis.

LXIII. Docuimus 4. *à Catarrhis Crassis, Viscidis & Pituosis*, produci quoque posse Pulmonum Ulcus; quatenus iidem in Trachea Arteria hærentes, sensim acrimoniam itidem nanciscuntur, atque tunc demum ulcus excitant.

Catarrhorum species aliquando concurrere.

LXIV. Sed non raro concurrunt geminæ istæ Catarrhorum species, redduntque Malum curatu tantò difficilius, quod non pauca alterutri convenientia remedia noxia sint alteri.

Phthisis oritur à pure in Pulmones transumpto.

LXV. Diximus tandem 5. *Pus aut ex latere, aut ex Pectoris cavitate in Pulmones transumptum* eidem Ulceri ansam præbere, quatenus acrius lentiusque factum & hinc inde in Pulmonibus hæreos ipsos erodit, & in Ulcus mutat.

Et quidem faciliùs ab Empyemate, quam à Pleuritide.

LXVI. Arbitror autem, faciliùs ac frequentiùs à Pure in Thoracis Cavitate collecto, adeoque ab Empyemate, quàm à Pure in Latere confecto, adeòque à Pleuritide produci Phthisim: quoniam Pus illud in Thoracis Cavitate collectum cæteris paribus acrius existit, quàm illud, quod in Pleuritidis abscessu nuper rupto transfertur in Pulmones.

LXVII. Sive enim ex Pleuritide, sive ex Angina, sive fortassis ex Lethargo generetur aut oriatur Empyema, Pus illud aliquandiu hærebit in Pectoris Cavitate, antequam transumatur in Pulmones, mora autem fiet necessario acrius; ac proinde quam priùs nocentius, & ad Ulcus in Pulmone producendum aptius. Ab Empyematis enim pure faciliùs excitabitur Phthisis, quam à Pure in Pleuritide ex latere immediate in Pulmones translato.

LXVIII. Potest tamen accidere, ut in uno homine Empyemate laborante Pus minùs Acre colligatur in Thoracis Cavitate, quàm in alio homine Pleuritide sola in Abscessum mutata: idcirco addidi *cæteris paribus*. Na in hoc eodem homine Acre Pus in Pleuritidis Abscessu habente, si transeat masum in Empyema, Pus illud in Thoracis Cavitate collectum fiet adhuc Acrius, quam priùs erat: atq; sic & tunc quoque ejusdem hominis Empyici Pus Acrius erit, quam erat, dum tantum esset Pleuriticus.

Phthisis à Contagio.

LXIX. Atque hæ fuerunt Ulceris in Pulmonibus ad Phthisin excitandū requisiti Causę antecedentes Præter quas *Contagii* quoque fit 6. apud Authores Medicos mentio, quatenus exspiratus à Phthisicis Aer, ore, naribusque propriùs admotis excipitur & inspiratur, à quo miasmata fætida & Acria continente alii, Consanguinei præsertim, afficiantur, inficiantur & tandem in morbum similem, Phthisim prolabantur.

LXX. Et certè, si quis Experientiam cōsulat, & accuratè observet, quæ Adstantibus & Consanguineis tenerioribus ac junioribus contingere soleant, comperiet id esse nimis verum; quocirca meritò adhortātur & monēt adstantes tales & imprimis Cōsanguineos Medici, ut ab exspiraro Phthisicorum halitu sibi sedulo caveant: à quo ego illos pręsertim affici suspicor, quia non ęquè omnes affici deprehēduntur, in quibus est vel minima ad Phthisin dispositio naturalis, quam paulò ante, si quid conjectura probabili assequi potui, uixi me nunc quærere in Glandulis minimis secundum naturam in Pulmonibus imperceptibilibus, nec nisi, ubi pręter naturam intumescunt, conspicuis: ubi scilicet ab humore viscidiore obsidentur, a quo sensim magis magisque in ipsis collecto in molem maiorem expanduntur, tuncque visui & tactui exponuntur.

In quibus contingat.

LXXI. In quibus proinde aut ex constitutione nativa, aut à frigore externo, aut ab Alimentis pravis & Phituitosis, aut ab Animi mœrore, aut à sæpius redeunte cum gravedine Tussi, aut à pluribus causis concurrentibus pręter naturam augeri cęperunt hę Glandulę; in iis faciliùs halitus Phthisicorum simile malum excitabit.

LXXII. Quæ vero magis antecedentes sunt prędictarum Causarum, Inflammationis, Sanguinis sputi, Catarrhorum tum Acrium, tum viscidorum, Causæ, istę ex peculiari Affectuum istorum Tractatione peti possunt ac debent; sufficit enim nobis hic illas considerare, quatenus Ulceris in Pulmone perseverantis, adeoque Phthiseos Causæ esse possunt.

Phthiseos signa, & quidem instantis consideranda.

LXXIII. Quoniam Medici plerique censent, Phthisin curari tantùm posse in suo principio, non item, ubi jam est inveterata & confirmata, meritò non tantùm de Phthiseos præsentis, atque incipientis, aut confirmatæ, sed insuper de Ipsius instantis vel facilè futuræ signis soliciti sunt omnes, qui ex arte allaborant suis Ægris facere Medicinam.

Phthiseos consummatæ & incurabilis signa.

LXXIV. Proferemus autem *Consummatæ* atque ideò pro desperata & incurabili habitæ *Phthiseos signa*, Illa enim sunt 1. *Corporis universi macies, pallor & languor*. 2. *Tussis molesta cum puris excretione*; ideoque *Respiratio quoque difficilis*. 3. *Febris lenta hectica*, una puta duabusve post assumpta alimenta horis exacerbata. Quibus præsentibus & observatis de Phthiseos gravis præsentia judicare norunt ipsi Plebeji.

Signa Phthiseos incipientis.

LXXV. Incipientis autem Phthiseos signa sunt 1. *Tussis Peripneumoniam* præcedentem, aut *Pleuritidem*, aut *Empyema* diutiùs perseverans, cum puris excretione. 2. *Febris lenta* continua. 3. *Corporis extenuatio* cum *Appetitu dejecto, viribusque prostratis*, nec ab assumpto quidem alimento recreatis ac refocillatis.

LXXVI. Aut *Tussis* itidem post *Sanguinis sputum permanens*, cum aliqua *Puris, purulentæve materiæ, aut Sanguinis* quoque *excretione*; concurrentibus prædictis, *Febre* atque *Appetitu cum viribus prostrato*.

LXXVII. Aut itidem *perseveans cum Catarrho acri, viscidove, vel utroque Tussi*, accedentibus *Febre lenta continua, Corporisque extenuatione*, & imprimis observato aliquo in *excretis pure vel Sanguine*.

LXXVIII. Aut observata in *Consanguineis vel valde amicis* alicui ex Phthisi defuncto familiariùs adsttantibus vel ministrantibus *Tussicula cum corporis extenuatione, ac febricula* conjuncta.

LXXIX. Quoties namque memorata observantur signa, non est ampliùs de incipiente jam Phthisi dubitandum, nec in ejus Cura procrastinandum, quoniam vel minima hic mora notatur multùm noxia.

Signa Phthiseos imminentis

LXXX. *Imminentis* denique atque *facilè obventuræ Phthisis signa* sunt *Tussis quævis diutiùs perseverans, graviter affligens, aut sæpiùs repetens*; imprimis *ab humore à Capite* delabente; ab hoc enim facilè corroditur Asperæ arteriæ tunica, sicque ulcus producitur.

Tussis gravis quænam mala producat.

LXXXI. A quavis autem *Tussi* gravi concutitur vehementer corpus universum unà cum Pulmone, in quo idcirco Vas subinde rumpitur, unde à superveniente tunc Sanguinis sputo, non ita difficulter consequitur Ulcus, hinc & Phthisis, quemadmodùm id docuimus in superioribus.

Unde non negligenda.

LXXXII. Pessimè proinde sibi consulunt plerique in his regionibus, dum Tusses suas & diuturnas & graves utplurimùm negligunt, aut Empiricorum potius quàm Medicorum consiliis utuntur: quamvis, ut, quod res est, addam, plurimi Medici culpandi veniant, quòd tam negligentes sint in Tussium quoad Causas suas hinc & Curādi modos aptissimos diversissimarum examine instituēdo, ac medela ritè formanda, dum una eademque methodo tractare solent plerosque, atque infelici proinde Curatione Artem ac se ipsos ludibrio aliorum exponere.

Quid observandum in eius cura.

LXXXIII. Quisquis proinde debitè volet curare Tussientes, necesse habebit, in unaquaque specie causarum omnium syndromen ac connexionem prius diligenter examinare atque eruere, hinc pro ipsarum, & Symptomatum aliorum comitantium diversitate medendi methodum convenientem instituere, atque Ægris suis probè inserviendo, Medici periti nomen & famam certo sibi comparare.

Phthisin esse malum plerumque lethale. LXXXIV. Periculosum ac plerumque lethale malum esse Phthisin, non tàm è primarium Medicorum testimoniis notum, quàm quotidianam Experientia: qua constat, admodùm rarò curari Phthisicos, nec ferè, nisi ubi altas non egit hoc malum radices.

Quanam Phthisis valdè periculosa. LXXXV. Imprimis valdè periculosa est Phthisis ex humorum acrimonia propria orta, sive illa fuerit salsa, sive acida.

LXXXVI. Plura eventum malum vel bonum præmonstrantia signa tum apud Hippocratem, tum apud alios Practicos legere est; quorum quædam tamen hic attingere, atque paucis explicare non nocebit.

Ejus Prognostica. 1. Sputum album, æquale, unicolor. LXXXVII. Insignis est de convalitnris Hippocratis Prædictio, lib. 2. προῤῥητικῶν pag. m. 91. posita. Ubi docet 1. *eum, qui probe volet levari, debere sputum album, æquale, unicolor, ac nulla pituita commixtum Tussi facile rejicere.*

Crudum. LXXXVIII. Omne namque sputum, quod *album* non existit, pro crudo habetur, non autem cocto; ac proinde noxium, nec laudabile censendum.

LXXXIX. Idem si commodum sit futurum, *æquale* sit oportet; quod signum perfectæ coctionis, quemadmodùm inæquale imperfectæ, ideoque illaudabilis.

Diversi coloris. XC. *Unius Coloris* requiritur idem sputum, quoniam diversitas arguit humorum diversorum confluxum, & quidem non se mutuò temperantium, sed in sua intemperie omnino noxia quodammodo saltem permanentium.

Pituita destitutum. XCI. requiritur idem sputum ἀναγωγὸν, pituita destitutum & liberum; pituita enim admixta testatur novos à Capite depluere ad Pulmones Catarrhos, à quibus semper erit novi mali origo, aut præsentis continuatio.

Tussi facilè ejectum. XCII. Illud idem sputum debet *Tussi rejici facilè* quo patet, ipsum non esse valdè viscidum, quin omnem viscidítatem noxiam esse separatam: præsente namque viscíditate, adhæret Ulceri arctiùs sputum, nec nisi majore conamine potest ipsum excerni, unde vehementiùs tussiunt Ægri, ipsumque ulcus in curatione sua impeditur, quin perseverante puris viscíditate nunquam curabitur.

XCIII. Hinc patet, plurima in ipso sputo requiri, ut sit laudabile.

2. Quod à capite defluit verti debere ad nares. XCIV. 2. Ut Curationis spes adsit, vult Hippocrates, *ut id, quòd à capite defluit, vertatur ad nares*: & quidem ob rationem modò datam, ne scilicet ad pulmones distillans, Phthisin foveat aut novam pariat. Unde alibi, lib. 2. de Morb. jubet naribus admovere Medicamenta humores eò allicientia, & quamvis ipsa non mox eò alliciant humores, serosos præsertim & Salsos, vult Medicum perseverare in eorum usu, quò tandem saltem eò deducatur humor peccans & pulmonum ulcus acturus, futurus, aut renovaturus.

3. Ægrum non debere febricitare. XCV. Requirit 3. Hippocrates, *ut Æger non febricitet*: nam præsente ac permanente Febre minuitur Curationis spes, sive Febris ab ipso ulcere, cùm sit illa omnium pessima; sive à catarrho habeat ortum, quæ non potest non impedire curam, vitiatis aliis quoque in corpore humoribus; sive quævis alia febris accidat, unde itidem Ulceris curatio impedietur.

4. Non impedire cibos. XCVI. Vult 4. idem Hippocrates, *non impediri Cibos*, vel quoad *assumptionem*, vel quoad sui *Chylificationem*, nam sive appetitus & fames vitietur, sive assumpta Alimenta non ritè fermententur, fieri nequit, quin simul sanguis adsit aut producatur vitiosus, à quo necessariò damnum patietur Ulcus in Pulmonibus existens.

5. Aegro non sitiendum. XCVII. Optat 5. Hippocrates, ut Æger non *sitiat*. Sitis enim aut humoris Acris præsentiam aut æstum denotat in Corpore, unde noxa expectanda necessariò, ut & à potu liberaliùs fortè tunc assumpto.

6. Alvum debere singulis diebus dejicere. XCVIII. Desiderat 6. Hippocrates, ut *Alvus singulis diebus dejiciat*; nihil namque commodi expectari potest ab Alvo adstrictiore, utpote humoris viscíditatem ut plurimùm consequente.

7. Excrementa dura & assumptis convenientia. XCIX. Non vult tamen idcircò Alvi fluxum plerumque valdè noxium, & tandem lethalem quin 7. cupit *excrementa dura & assumptis convenientia*, tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis, Duriora enim excrementa testantur Fermentationis, Secretionisque Chyli perfectionem, dummodò quotidie excernatur. Respondere autem debent & quantitati & qualitati assumptorum; unde aliàs quidem copiosiora, aliàs pauciora, aliàs molliora, aliàs fluidiora erunt Alvi excrementa.

8. Hominem non extenuari. C. Pergit Hippocrates, & desiderat 8. *Hominem* non evadere *Tenuem*, hoc est, *non extenuari atque macilescere*; verùm habitu satis pleno, integro & carnoso permanere: quod signum certum existit Tabis nondum præsentis: Hac autem præsente difficiliùs curantur & evadunt Ægri.

9. Pectus quadratum & birsutum. CI. Requirit 9. Hippocrates, ut *pectus id confirmet & prebet*, existens sc. *quadratum & birsutum*. Illud enim habetur pro innati roboris signo: faciliùs certè superatur Phthisis ab eo, cujus constitutio naturalis est firma & robusta quàm ab eo, qui est infirmus & debilis.

10. Cartilago ensiformis exigua & valde carnosa. CII. Vult denique 10. Hippocrates, ut in tali homine *Cartilago* ensiformis dicta sit *exigua & valde carnosa*. Ubi enim grandi apparet, atque carne destituta signum est Maciei, quæ tam naturalis, quàm cum morbo adveniens noxia semper existit: uti contra Caro firma & multa signum est roboris connati.

Prognosticon de bono eventu. CIII. Tandem concludit Hippocrates, *Illum, in quo hæc omnia occurrent, maxime futurum superstitem*; quemadmodùm contrà *exitio maxime vicinum, in quo eorundem nullum reperitur*. Quo namque plura salutis signa concurrant simul, eò major convalescentiæ spes affulget; quò pauciora, eò minor.

De Malo eventu. CIV. Postquam hoc Hippocratis de bono eventu loquens prognosticum explicuimus libet, quoque aliud ejusdem de *malo eventu* exponere quod habetur *lib. v. de Morbis* pag. m. 477.

CV. *Si cui ex Pulmonis vitio tabescenti & Phthisico Capilli ex capite defluant, caputque velut ex morbo nudetur, & super prunas expuenti sputum graviter Olcat, hunc intra breve tempus & quidem ex Alvi profluvio periturum asserit. Ubi enim* (hujus affecti rationem addit Hippocrates) *jam Pus circa Cor computruit, id prunis impositum nidorem exhalat, & unà incalescens Cerebrum salsuginem emittit, quæ Alvum ciet; cujus rei indicium est, quòd Capilli ex Capite defluunt. Talem* autem monet *non esse curandum*, sed prognostico dato relinquendum.

CVI. In hunc planè sensum sunt Aph. 11. & 13. lib. 5. *Qui tabe vexantur, si sputum, quod extussiunt, carbonibus injectum olet graviter, & Capilli à capite defluunt lethale.* & *Quibus per tabem Capilli defluunt à Capite, ii fluxione Alvi superveniente moriuntur*; quò etiam spectat Aph. 6. lib. 7.

CVII. Duo autem in horum Hippocratis Dictorum examine sunt expendenda, primò res ipsa, secundò ratio ejusdem.

CVIII. Rem ipsam quod attinet, illam ipse utpote in praxi versatissimus, ab experientia multiplici desumpsit, &, quemadmodùm cætera sua omnia, bona fide posteris communicavit.

CIX. Vera proinde esse illa, quæ de malo ac lethali Phthisicorum eventu refert Hippocrates, confirmat quotidiana Experientia, idcircò majoris facienda.

Tria Phthiseos lethalis signa. CX. Tria autem hic proponit Hippocrates Phthiseos lethalis signa notabilia, quorum primum est *Capillorum effluvium, Capitisque inde consequens denudatio*. Secundum est *fœtor & gravis odor sputi in prunas conjecti*. Tertium est *Alvi fluxus superveniens*, atque *Ægrum brevi occidens*; quod fieri asserit lib. 7. Aph. 16. *quando sputum retinetur, nec ampliùs prodit*.

CXI. Atque Medico quidem sufficit, hæc observasse,

vasse, ut eventum prædicat, licet nullam illius rationem cognoscat vel promat. Longe autem gloriosius, quin insuper gratius est Medico, Causas quoque talis effectus & eventus tristis cognoscere, quam empirice duntaxat illud pronunciare.

Eorum causa.

CXII. Quòd Ergò hic & alibi fecit Hippocrates, omnes quoque Medicos decet, Causas Effectuum omnium tamdiu investigare, donec illas invenerint, quò exinde illas aliis quoque in commune bonum Hippocratis exemplo communicare possint.

Puris fœtulenti causa.

CXIII. Ut proinde Hippocratem sequamur, censet ipse, *Puris* prunis injecti *fœtorem* consequi *ejusdem circa Cor* existentis contingentem *putredinem*. Quibus verbis (meo saltem judicio) innuit, Pus degenerare à prima sua constitutione laudabili, de qua egimus in superioribus, atque novam putredinem concepisse, unde non tantum, ubi prunis injicitur, fœtorem exalat, sed etiam non accensum adstantibus, ipsisque ægris fœtet: de quo idem Hippocrates in eodem textu refert, *Ægros detestari sputum suum in ore contentum, excreandaque*; dubio procul ob fœtorem valde molestum, de quo non semel audivi conquerentes Phthisicos, & ob istum fœtorem nauseantes, ac de Animi deliquio sibi nonnunquam metuentes.

CXIV. Pus certè laudabile æquale est, album, unicolor, minimè fœtens, &c. idem verò aut mora, aut quavis alia de causa denuo mutatum & putrescens, cum pinguedinis alicuius fit quoque particeps, fœtorem inde exsurgere, atque imprimis, ubi prunis imponitur, quis mirabitur, nisi omnium putrefactionum ignarus? sed insuper idem pus putrescens Acrimoniam solet nancisci, solutis puta pinguedinis salsam puris portionem demulcentis vinculis.

Alvi laxæ & Capillorum defluvii causa.

CXV. Arbitrari autem videtur Hippocrates, ab illo putrescente circa Cor pure *incalescere Cerebrum*; atque illum præternaturalem Cerebri Calorem causa esse *Salsuginis Alvum cientis*: quemadmodùm ejusdem Caloris Cerebri præternaturalis *signum*, adeoque Effectum, *Capillorum defluvium*.

Febris lentæ unde.

CXVI. Utique à pure in pulmonibus, ergò circa Cor, putrescente, atque Sanguini communicato Febrem continuam & lentam quocunque demum modo excitari, nemo forsan negabit: Eundem Sanguinem, imprimis ubi post sumptum alimentum exacerbatur febris, sursum propulsum in *Malis & Genis ruborem* producere, omnibus esse potest notissimum; quod in eodem textu innuisse videtur Hippocrates, dum inter Phthiseos signa refert [illegible] vel [illegible], Cavitates oculorum, vel potius malarum rubentes.

Malarum & genarū rubor unde

CXVII. Eundem Sanguinem ad Cerebrum quoque deferri, quis ibit inficias? In cerebro proinde vitiabitur itidem omnis Functio à Sanguine essentiæ ullo modo pendens.

Cerebri intemperies & salsi humoris productio unde.

CXVIII. Narium autem mucum consequi aliquam similem in Cerebro Functionem, non puto aliquem rei attentum negaturum, atque ab eadem vitiata ortum habere Gravedinem, Coryzam, Raucedinem, tussim & plura has consequentia mala, puto esse notissimum. Quòd si, à præcedenti Gravedine oriatur ferè semper humoris salsi & subacidi descensus ac destillatio ac nares & fauces; quid mirum si à Phthisi talium humorum catarrhum subsequente foveatur illa in Cerebro existens Intemperiens, adeoque promoveatur similis humoris salsi productio.

CXIX. An verò *Salsi catarrhi productio* Calori adscribenda sit aucto, & *Cerebro incalescenti*, quemadmodùm loquitur Hippocrates, dubito; ne facilè illi subscribam, nisi modus, quo calor tantum auctus id præstare queat; clarè ac distinctè mihi explicetur.

Gravedo unde oriatur.

CXX. Id quidem notum per experientiam multiplicem & quotidianam, si quis aut Solis, aut Ignis, aut Balnei æstu, aut corporis motu, aut potus potentioris usu liberaliore, aut quovis alio modo valdè incaluerit, atque imprimis circa caput, quod multis familiare est, sudor erumpit, hinc se subito frigori externo exposuerit; supervenire facillimè ac sæpenumerò Gravedinem: ad quam præcedentem calorem, ac subsequens Frigus concurrere notum. Nec puto nunquam à solo calore observatam ortam Gravedinem; quamvis à solo Frigore graviore ac rigidiore productæ putem posse plura proferri exempla, & imprimis flante Boreà.

CXXI. Quæritur proinde meritò, si per Gravedinem producantur in Cerebro, Cerebrive Glandulis humores Salsi, & Grevedo nulla producatur, nisi concurrere saltem aliquo Frigore externo, quomodò à solo Cerebro incalescente possit deduci Sal humoris sive salsuginis in ipso productio?

Salsi humoris productio non à Cerebro duntaxat incalescente.

CXXII. Non dico à Cerebro duntaxat incalescente non posse produci in ipso salsuginem; sed profiteor, me illum modum necdum assequi posse; quisquis igitur, ut Hippocratem illustret, modum illum proponet, non parùm me devinciet; me inquam, qui maximi facio Hippocratem, nec nisi argumentis urgentissimis coactus; velim ab ipso dissentire: memor tamen Aurei dicti Aristotelis, asserentis Amicum quidem sibi esse Socratem, Amicum Platonem, sed magis amicam Veritatem.

CXXIII. Id & nos quoque decet, qui veritati uni studemus, nec facilè, à gravium Auctorum sententiis abire debemus.

Tria memorata lethalis Phthiseos signa non semper habere locum.

CXXIV. Cùm proinde Hipocratis mentem non satis possim assequi, meam saltem hic proponam & exponam. Censeo igitur *non in omni Phthisi* habere locum hæc signa ab Hippocrate proposita, *sed in ea præsertim, quæ à Salso & Acri Catarrho habuit ortam, hunc saltem Catarrhum habuit comitem, aut supervenientem*. Nihil enim impedit, Ægrum quacumque alia de causa ad Phthisin vergentem corripi posse Gravedine ob commissos in prædictis rebus nonnaturalibus errores.

In qua Phthisi locum habeant.

CXXV. In quibus igitur Phthisicis præcessit aut successit Gravedo & Catarrhus Salsus, in iis puto Sanguinem universum reddi Acriorem, hinc universos Corporis humores hactenus Acriores.

CXXVI. Præter autem Sanguinis à Pure ipsi communicato ortam ad nutriendum corpus ineptitudinem, concurrit in casu memorato Salsedo illam magis augens.

Capillorum defluvium unde.

CXXVII. Quòd si corporis partes omnes sensim conficiantur, macerentur, macrescant, & contabescant Sanguinis minus laudabilis culpa, mirum non est, si capilli quoque nutrimento suo destituti decidant, imprimis, ubi affectum est simul Caput Gravedine licet levissima, ob quam interim Catarrhi Salsi continuè delabuntur ad partes inferiores.

Alvi fluxus unde.

CXXVIII. Hi autem Catarrhi Salsi non tantùm ad Pulmones, sed ad Ventriculum quoque atque Intestina defluunt; quin Massam Sanguineam inficientes, quemadmodùm cæteros humores, sic Bilem quoque vitiant, & nimis Salsam præstant: unde *duobus modis Alvi fluxum promoveri* autumò; 1. quatenus scilicet *ipsi humores Salsi per Ventriculum deferuntur ad Intestina, ibidemque Pituitæ*, Bili, Succoque Pancreatico confunduntur, ipsorumque functionem vitiant; 2. quatenus ab *iisdem humoribus Salsis* per vasa Lactea ad cor deductis *tota Sanguinis Massa sensim magis magisque inficitur, hinc & cæteris ex ipsa humores, Bilis præsertim, noxii* & Alvi fluxui promovendo aptissimi producuntur: Atque hunc postremum modum præcipuum atque primarium existimo, secundùm quem Alvi fluxus Phthisicis lethalis excitatur.

Purulenti sputi retentio signum instantis mortis. Et qua ratione.

CXXIX. Inter alia ex Aph. 16. lib. 7. diximus instare mortem, quando *Purulentum sputum retinetur, nec ampliùs excernitur*; quod plerique quidem Galenum secuti putant fieri, quatenus ab illis sputis in Pulmonibus retentis Respirationis viæ obturantur, & idcircò Ægri suffocantur.

CXXX. Non negaverim ego, eorum scilicet

quæ in Ægris accidere observavi memor, Catarrhos Pituitosus, viscidosque copiosè ad Pulmones delatos, atque in ipsis hærentes suffocare posse Ægros: quin idem à pure ex Vomica vel Abscessu in Pulmonibus nuper rupto effluente aliquando accidere; verùm idem in perseverante Pulmonum Ulcere absque comite Catarrho recente, à solo pure in Ulcere indies orto fieri vel unquam factum, non puto ulla constare observatione accurate facta.

Ulcera pau-lò ante mor-tem parùm puris produ-cere.

CXXXI. Quapropter id, quod modò dicebam, & ab Experientia sum edoctus multitaria, nunc repetam, Chirurgis certè operi attentis notissimum est, *Ulcera omnia qualiacunque paulò post mortem parùm vel nihil puris producere*: unde inter *signa lethalia*, quinimò *mortis propinquæ* enumeratur ille *Puris in Ulceribus defectus*: non quod in Ulceribus coacervetur tunc Pus, sed *quòd in ipsis non producatur ampliùs*: unde labia sicca occurunt, minimè humida & pure madida,

Atque hoc in Phthisi-cis etiam evenire.

CXXXII. Id quoniam in omnibus *Ulceribus externis patentibus* accidere, quotidiana testatur Experientia, cur similiter *Phthisicis evenire* dubitabimus, postquam similes utrobique observamus Effectus, Mortem putà subsequentem, atque Puris Defectum magis, quàm Cumulum?

CXXXIII. Si quis enim Phthisicorum Cadavera secuerit, non ita multum puris reperiet in Ipsorum Pulmonibus, eorumdemve Ulceribus, à quo credi possit suffocatus Æger: adde quòd præter Inspirationis difficultatem, toto Affectus decursu æquè molestam, nullum grave morientes Phthisicos soleat infestare Symptoma, ex quo suspicio vel minima peti queat prægressæ suffocationis.

Ejus causa.

CXXXIV. Censeo itaque, quod vulgò Naturæ nescio cui satiscenti adscribitur, quærendum esse *in humoribus ad Vitalis Ignis in Corde, adeoque Vitæ conservationem absolute necessariis aut deficientibus, aut ita vitiatis*, ut Igne Vitali sensim languescente, antequam planè extinguatur, *Sanguis primùm operibus suis præstandis planè ineptus factus tum partibus ipsis, læsis præsertim, calorem vitalem parcissimum promat, tum ipsi Puri generando materiam paucissimam largiatur*; unde satiscente in parte imprimis pejùs affecta vita, mirum non est, si & pus in ea ulcerata producatur, quàm priùs, parcius, hinc parcissimum, tandem nullum: atque sic imminentis mortis præbeat signum certissimum.

Phthiseos cu-ratio.

CXXXV. Atque hæc de Phthiseos prognosi dicta sufficiant, accingamus nos nunc ad Ejusdem *Curandi rationem ac methodum*.

CXXXVI. Quamvis autem rarissimè curantur Phthisici confirmati, non tamen idcircò planè sunt deserendi; cùm & Palliativa Cura debeatur illis, qui non possunt curari perfectè: quin imò, quoniam observantur plerumque lethales Phthises diuturniores, ideò in tempore illis adhibenda medicina, quò præveniatur periculum futurum,

CXXXVII. Quapropter in tres partes distribuemus *Curam Phthysi* debitam, *Imminenti* puta, *Inchoatæ*, atque *Consummatæ*.

In tres par-tes distribu-ta, præser-vationem, curationem & palliatio-nem.

CXXXVIII. *Imminenti* debetur *Præcautio* atque *Præservatio*: *Inchoatæ Curatio*; *Consummatæ Palliatio*.

Qui præca-veatur.

CXXXIX *Præcavebitur atque prævenietur instans*, & facilè aliàs *secutura à Phthisis*, non negligendo, quin mox ac ritè *curando Affectus quosvis, à quibus ortum* suum ducere solet *Phthisis*.

1. Tussis gravis non negligenda.

CXL. Inter Affectus autem varios, à quibus solet produci Phthisis, docuimus 1. loco esse *Tussim annonem gravem ac perseverantem*. Quoties proinde molesta Tussis durat diutiùs, metus futuræ Phthiseos urgere debet Medicum ad operam omnem Tussi tali curandæ impendendam.

Ejus diver-sitas.

CXLI. *Tussis* autem illa vel *sicca* erit, sine ulla exscreatione; vel *humida* dicta, cum exscreatione aut *Cruoris*, aut *Puris*, aut *Pituitæ Aquæ*: *Salsæ. Viscidæve*; unde facilè patet singulis hisce, variisque Tussis speciebus methodum Curandi deberi diversam; de quibus suo agendum loco, quemadmodùm de quibusdam jam egimus in superioribus.

CXLII. Sed & 2. Non tantùm perseverans & gravis *Tussis* producere potest Phthisin, sed & *incipiens, cum Sanguinis, Puris, aut cujusvis Acris Humoris excretione conjuncta*, quoniam ab hisce omnibus facilè exulceratur Pulmo, & Phthisis producitur.

2. Tussis incipiens cum Sanguinis, puris, &c. excretione conjuncta curanda quàm primùm.

CXLIII. Non procrastinanda proinde Sanguinis sputi, ut & cujusvis Purulentæ per pulmones Excretionis Curatio; ut nec humoris salsi, acidive in pulmones delabentis & tussim periculosam, utpote Phthisin brevi producturam, efficientis.

CXLIV. Monendi igitur à Medicis suis Ægris, ne Sanguinis, Purisve sputum, atque omnem à Salso, acrique Catarrho ortam Tussim parvipendant, ut nec quamvis aliam diutiùs protractam. Quamvis enim nonnunquam spontè cesseot talia mala, utplurimùm tamen sui aliquas noxas relinquunt, unde facilè malum recrudescit, & indies gravius, ideòque magis periculosum redditur.

CXLV. Sed & monendi quoque Ægri, ut ab omni vehementiore Corporis motu, Saltatione imprimis, atque Vociferatione magna sedulo sibi caveant utpote semper valdè noxiis, unde facilè rumpi potest aliqod Vas in pulmones, atque Sanguinis sputum excitari, aut renovari.

Phthiseos in-cipientis & consumata curatio.

CXLVI. Atque hæc omnia propriè ad alios Affectus spectant, Præsentis autem sive Incipientis, sive Consummatæ Phthiseos Cura ex professo & quidem suo loco hic debeat tractari: quod jam ordine faciemus.

In quo præ-cipue consi-stat.

CXLVII. Cùm autem omne in Phthisi periculum sit à pulmonis Ulcere, à quo communicatum Sanguini pus & Febrem lentam Hecticam, & Tabem lethalem producit idcircò in Ulcere illo pulmonum Curando præcipua Phthiseos cura consistet.

Ulcere nem-pe pulmonis

Ejus causa tollenda vel corrigenda.

CXLVIII. Nunquam verò curabitur perfectè Pulmonum Ulcus, nisi causa illud fovens, quoties simul concurrit, priùs fuerit sublata vel correcta: neque enim semper talis causa simul adest.

Quænam ea sit.

CXLIX. Talis autem Causa Ulcus fovens aut *Catarrhus* esse solet, isque nunc *Salsus Acidusve*, & Acris; nunc blandus, & *Aqueus*, *vel viscidus*; aut *Pus* aliunde Pulmoni communicatum.

Catarrhus aliò aver-tendus.

CL. Quoties proinde Catarrhus Acris, adeoque Salsus, vel Subacidus à Capite ad Pulmones delabitur, toties ille avertendus saltem aliò; & temperandus, si curam integram respuat.

Et eius con-tinua gene-ratio aver-tenda.

CLI. Perfectè curabitur Catarrhus Acris, impediendo continuam ipsius generationem, usurpando medicamenta Salsedinem, Aciditatemve humorum non tantùm temperantia, sed insuper eosdem temperatiores servantia.

Humores salsi & sub-acidi ex-purgandi Hydragogis

CLII. Ubi talium humorum Salsorum vel Subacidorum copia magna reperitur in Corpore, nil impedit, ipsos priùs quodammodò temperatos *expurgari*, medicamentis *Hydragogis* dictis.

Ut & Diu-reticis & Sudoriferis.

CLIII. In eundem finem usurpari *possunt Diuretica aut Sudorifera* medicamenta imprimis talia, quæ simul Acrimoniam humorum temperant.

Fonticulis

CLIV. Quin ad minuendos humores illos cum felici successu adhibentur *Fonticuli*, tum in cervice, tum in dorso, circa Spinæ ductum, tum in brachiis, tum in cruribus.

CLV. Qui fonticuli non tantum minuunt humores peccantes, quin præterea ipsos à parte affecta avertunt, atque sic duplici nomine prosunt.

Errhinis.

CLVI. Idem dici potest ac debet de *Errhinis ac Sternutatoriis*, quæ humorem peccantem itidem per Nares evacuant, & simul à Faucibus avertunt.

Humorum vitiosorum productio impedienda

CLVII. Non sufficit autem minui subinde *humores illos vitiosos*, redundantesque, primarium est, ut eorundem *incrementum & productio in totum tollatur*; quod nunquam, nisi empiricè fiet, ignota vera humorum quorumvis in corpore humano origine & productionis ratione.

CLVIII. Parùm quidem interest Ægrotorum,

an

Medice perspectus esse debet verū agendi modus.

an nota fit Medicuseaacta Functinnum omnium ratio, nec ne, dummodò ipsi à suis liberentor ęrumnis ac morbis; ad Artem autem Medicam perficiendam, & multa etiam nuoc ignota eruenda conduceret multùm perspectus rerum omnium agendi modus.

Quomodo id fieri queat.

CLIX. Nunquam verò, meo saltem judicio, innotescet citiùs, & faciliùs, certiùsve, quàm obsetvandn exactè omnia & singula, quę per experientiam comperta sunt Fuoctiooes singulas io pejus, aut melius mutare, atque considerando diversiratem in singulis eorundemque mutarionibus occurrentem. Ex hisenim pensiculatè examinatis, ac diutinè eapensis puto, nos tandem aliquid boni verique posse eruere.

Pilularum de Cynoglossa vires. Ut & de Styrace.

CLX. Inter medicamenta autem usitata vulgò, & humores Salsos emendantia optimę sunt *Pilulæ de Cynoglossa* dictę, ut & de *Styrace* nominatę; utpote quę Salsam Acrimoniam temperant & obtundunr.

Simplicia humores salsos emendantia.

CLXI. Idem inter simplicia prestant *Gummi* tragacanthum, Arabicum, Mastiche, Olibanum; Styrax; rad. Althęæ, Symphyti, Glycirrhizę & similes; folia malvæ, althęæ, &c. sem. 4. frigida majora dicta, ut & Papav. Albi, Cydoniorum, Pistacia, Amygd. dulc. hordeum mundatum, &c. Opium ipsum, Succus Glycyrrhizę inspissatus; Terrę pingues omnes, Bolus Armena, Terra Lemnia, Sigillata, & Silesiaca, & Turcica; Corallia, Margaritę, Cineres Cancrorum &c.

CLXII. Ex his autem varia forma possunt adornari medicamenta Ægris conveoientia, & quidem nunc Pulveris, nunc Tabellarum, nunc Pilularum, nunc Emulsionis, nunc Conditi, aut Electuarij, & sic porrò.

Catarrhus blandus & aqueus qui curetur.

CLXIII. *Catarrhus blandus & Aqueus* curabitur imprimis *Sudore*, qui igne locusento aut Stupha siccæ, vel Vini Spiritu accenso, & assumptis quoque aliquando medicamentis excitari potest.

Sudore ex foco.

CLXIV. Certè foco ea Lignis, Quercino præsertim aut Fagino extructo Sudor non incommodè promovetor.

In stupha sicca.

CLXV. Sic in stupha sicca, dum claustris concluditur corpus universum, excepto capite, eoque interim benè munito, Sudor abundè potest elici, atque Aqueus in corpore humor sensim educi.

CLXVI. Non negligenda interim externa Caput simul roborantia & Aqueos humores tum minuentia, tum incrassantia, Suffitus putà ex Mastiche, Thure, Succino, Styrace, Benzoino, & similibus.

In Lecto & Capsula.

CLXVII. Imprimis commodissimè potest elici Sudor ęquè in Debilibus, quàm Robustis in Lecto jacentibus, atque Capsula ad pectus usque exporrectà tectis; in cujus extremo circa pedes accenditur Vini Spiritus, atque inde halitus corpus nudum afficiens absque labore atque ulla molestia sudorem eapellit è corpore copiosum, pro cujusque arbitrio moderaodum.

Ex decoctis sudoriferis. Et quibus

CLXVIII. Ad *Sudorem movendum inter assumenda* commendaotur hic *Decocta* ex *Rad. & Lignis* parata; radicibus putà Chinę, Sarsæparillæ, Bardanæ, Conrrayervæ, &c. Lignis verò Guajaci, Sassafras; Buxino, Quercino, Juniperino & similibus. Quibus aliquando addi potest aliquid Corticum Guajaci, ac præsertim Baccarum Juniperi &c.

CLXIX. Hac ratione autem non tantùm consumitur redundans in Corpore humor Aqueus, sed idem insuper, ne ampliùs tàm copiosè producatur, actu impeditur.

Humor Viscidus distillans.

CLXX. *Humor Viscidus* à Capite distillans in Pulmones tum incidentia, tum & subinde evacuantia desiderat.

Quibus incidendus & alterandus.

CLXXI. Inter incidentia & alterantia conducunt prędicta Decocta, cùm Ligna ista pleraque Sale Volatili abundeot, à quo inciduntur humores viscidi, & attenuaotur, & emendantur, & quodammodò evacuantor iidem.

CLXXII. Quibus Decoctis si Colocynthidis pulpa, vel Hermodactyli, vel Agaricum, vel Turpethum incoquaotur, eosdem humores per Alvum simul educent.

Et educendus per alvum.

Et impediendus, ne novus generetur.

CLXXIII. Ubi autem novi humoris viscidi proventum impedire volumus, addi quoque possunt hisce decoctis variæ plantæ Aromaticæ, & tum Cephalicæ, tum Pectorales dictæ, Salvia, Rosmarinus, Majorana, Betonica, Hyssopus, Capillus Veneris, Scabiosa, Enula campana, &c.

Decocta quomodò præparāda.

CLXXIV. Decocta autem ista omnia cùm diutiùs usurpari debeant, uniuscujusque Ægri palato minùs ingrata parari debent: quò minùs ab iis abhorreant, & ut in eorundem usu perseverare possint,

Hūor valdè viscidus quibus incidatur.

CLXXV. Humori valdè viscido incidendo conducunt quoque Gummata, Bdellium, Sagapenum, Galbanum, Ammoniacum, &c. in pilulas commodas redacta, additis alijs simul alterantibus, & quandoque evacuantibus prædictis; ut & Mercurialibus, Mercurio dulci putà, vel Præcipitato quovis.

Pus Pulmoni communicatum.

CLXXVI. Pus aliunde Pulmoni communicatum, & Ulcus in Pulmone non tantùm producens, at simul fovens, non desinet eò vergere, nisi per aliam viam evacuetur; aut ejus generatio nova, curato sc. ulcere, impediatur.

Quomodò evacuandum in Empyēmate.

CLXXVII. Alia via evacuabitur in Pectoris Cavitate collectum in Empyemate Pus, per foramen in pectore factum, sive paracentesin.

Et ulcus mundandū, & consolidandū.

CLXXVIII. Per hoc autem foramen non tantùm Puri exitus paratur, quin etiam Injectionibus Ulceri mundando (si quod ibi quoque fuerit productum) & consolidando convenientibus infundendis via aperitur.

Causa Ulcus fovente sublata facilius mūdatur & consolidatur.

CLXXIX. Quoties propositis aut similibus modis Causa Pulmonis Ulcus fovens, sublata, vel saltem aversa est, faciliùs procedet ipsa Ulceris in Pulmonibus existentis Curatio, in ejusdem Mundatione, hinc & Consolidatione consistens.

Medicamēta Ulcus mundātia.

CLXXX. Inter abstergentia & Ulcus mundantia medicamenta commendantur vulgò Rad. Helenij, Aristolochiæ utriusque, Iridis, ac similes; Herbæ Tussilaginis, Marrubij, Scabiosæ, Agrimonij, Hyssopi, Capilli Veneris, Veronicæ, Hederæ terrestris, Botyrus, Pulmonariæ, Verbenæ, &c.

CLXXXI. Ex quibus parari possunt decocta pectoralia, additis passulis majoribus, aut Colaturæ Syrupis, ac presertim Mellitis; cùm abstergendi vim majorem habeat Mel, quàm Saccharum.

CLXXXII. Conducit in eundem finem Terebinthina Veneta dicta, cum Ovi vitello, aut Syrupo convenienti ad ℥ iij. vel iv. subinde assumenda.

CLXXXIII. Aqua mulsa quoque laudatur, & ipsum Mel crudum per vices assumptum.

Balsamus Sulphuris commendatus.

CLXXXIV. Cæteris verò omnibus hactenus notis præfero Sulphuris Balsamum ritè paratum, & imprimis cum Oleo Anisi; quoniam parari quoque potest cum Oleo Succini, cum Oleo Juniperi, cum Oleo Terebinthinæ Venetę, cum Oleo Nucum, aliisque.

Quomodò parandus.

CLXXXV. Lentè autem si paretur, longè gratior fiet & cooveniențior, aliàs enim empyreuma sedolet, & Acrior existit; uti contra, blandior, & minùs Acris, ideoque præstantior, si paulatim conficiatur.

CLXXXVI. Nullum autem hactenus reperi medicamentum, quod vel externè, vel internè usurpatum citiùs, tutiùsque non tantùm mundaverit, sed insuper consolidaverit recentia Ulcera, atque Sulphuris Balsamum; dummodò eo uti potuerint, & voluerint Ægri.

Medicamēta ulcus consolidantia. Rosa rubra.

CLXXXVII. Cæterùm ed mundati Ulceris consolidationem multū laudari solent ac commendari Rosæ rubræ, atque ex ipsis parata Conserva; licet ego hactenus effectum ejus magnum ac bonum non viderim; quoniam ubi copia sumitur majore, quod voluot ejus laudatores, Ventriculus & Intestina multo Phlegmate replentur, unde non tantùm appetitus prosternitur, sed & Chylificatio lęditor; quinimò non semel molestum frigus in superiore abdomi-

nis, adeoque Ventticuli tegione oboritur, à quo vix aliquut mensium spatio liberari possunt iterum Ægri: quod non semel observavi factum.

CLXXXVIII. Præferreo1 ptuinde decoctum Rosarum Rubrarum cum forti expressione paratum, idque Saccharo pauco edulcoratum.

CLXXXIX. Laudantur quoque Boli atque Terræ sigillatæ omnes, ut pote potenter exsiccantes, sicque consolidationem ulceris mundati promoventes.

CXC. His addi solent Rad. & Fol. Consol. major.& mediæ, Plantaginis, Saniculæ, Pyrolæ, cæterarumque Vulnerariatum vocatarum, Flor. Hyperici, &c.

Sulphuris flores, balsamus & Lac.

CXCI. Commendaotur à quibusdam in hoc casu non tantùm *Sulphuris flores*, atque Balsamus, (de quo jam dictum) sed & *Lac*, cujus ego tamen nullum unquam observavi effectum notabilem: quamvis ipsum sæpiùs Ægris exhibuerim, & ab aliis quoque exhibitum viderim.

Phthiseos incurabilis Palliatio.

CXCII. Atque hæc de Incipieotis, nec confirmatæ aut Consummatæ Phthiseos Curatione dicta sufficiant; pergamus nunc ad ejusdem Extremæ aut Desperatæ Palliationem. Diximus enim, Ipsam inveteratam utplurimùm saltem observari incurabilem.

In quo consistat.

CXCIII. *Incurabilis Ergò Pthiseos Palliato* cousistet in Symptomatum molestorum alleviatione vel alteratione, viriumque collabentium convenienti reparatione ae sustentatione.

Symptomata maximè molesta.

CXCIV. Symptomata in Phthisi maximè molesta sunt 1. *Respiratio Difficilis*, 2. *Tussis* pto humoris excernendi varietate *multifarie gravis*. 3. *Appetitus* sæpè *prostratus*, ut & 4. *Gravitas* post assumpta alimenta.

Respirationem quanā facilitent.

CXCV. *Respirationem facilitant* omnia, quæ ipsius impedimenta minuunt.

Quænam impediant.

CXCVI. *Impediunt* Phthisicorum *Respirationem*, tum ipsum *Pus in Pulmonum Ulcere* genitum, tum *aliunde eò* delatum, tum *humores cæteri viscidi vel acres* ad Pulmones delabentes.

Pus nempe viscidum & tenax.

CXCVII. Pus utrumque difficiliorem præstat Respirationem, quoties *viscidum ac tenax* firmiter adhæret Pulmoni, nec nisi labore magno atque longo expelli potest.

Medicamenta Puris viscidítatem incidentia.

CXCVIII. Viscíditas autem illa ut solvatur, & faciliùs Pus excernatur, præstabunt Medicamenta incidentia, & ex Hyssopo, Capillis Veneris, Tussilagine, Enula Campana, Irid. tad.& similibus parata Decocta pectoralia, Syrupi, Trochisci, &c.

Balsamus Sulphuris.

CXCIX. In hunc finem commendo itidem Balsamum Sulphutis Anisatum, utpote qui non tantùm Ulceri mundando & consolidando servit, verùm insuper Pus ipsum tenuius, fluidiusque reddit, adeòque ipsius excretionem promovet, & faciliar.

Catarrhi crassi & viscidi quibus curandi.

CC. *Catarrhis Crassis & Viscidis* perseverantibus conducunt similia medicamenta incidentia, & memoratis addi possunt *Hydromel*, *ut & Oxymel* tàm *simplex*, quàm *scilliticum*; utpote in solvendo phlegmate viscido præstantissimum medicamentum.

CCI. Quinimò usurpari possunt in hoc casu *Decocta* nuper memorata ex *Rad. & Lignis* conveniectibus, cum passulis majoribus parata, tum *alterantia* duntaxat, tum & aliquando blandè simul humores crassos *expurgantia*.

Quibus acres, & salsi, & subacidi.

CCII. *Catarrhis* autem *acribus & salsi, vel subacidis* convenient memoratæ Pilulæ de Cynoglossa & Styrace, ut & Tabellæ ex similibus paratæ, quoniam omnibus ægris non arrident Pilulæ, unde tunc mutanda est medicamentorum formula.

Pilulæ de Cynoglossa & styrace.

CCIII. Hisce autem Pilulis ad grana ttia vel quatuot subinde ac pro re nata, & urgente necessitate assumptis non tantùm temperabitur dictorum humorum acrimunia, quin incrassabuotur iidem spumæ duntaxat forma ut plurimùm prodeuntes, atque in sui expulsione diu & multùm Ægros frustraneo labore fatigantes. Hisce autem Pilulis, aut ex ipsarum materia paratis Tabellis incrassati humores longè faciliùs & feliciùs prodeunt, sicque non parùm levantur Ægri.

Pro humorum diversitate diversa adhibenda remedia.

CCIV. Cùm autem aliquando accidat, ut eundem Ægrum infestent & viscidi, & tenres Salsique, quin & Acidi humores, (quamvis ratiùs eodem tempore,) observandum diligenter, pro diversi humoris quovis tempore urgentis diversitate diversa esse adhibenda remedia, nunc hæc mox illa.

CCV. Quinimò, si forsan accidat, ut simul ac eodem tempore infestent diversi humores, tunc aut utroque remedio mixto utendum, arbitror, aut illo priùs, quod urgentiuri Symptomati succurrit, ac paulò post illo, quod alteri minùs urgenti conducit.

Catarrhi acres, salsi, & subacidi evacuandi, & quibus.

CCVI. Magis autem urgere puto humorem acrem, quàm viscidum, ni ab hoc periculum suffocationis immineat; tunc namque ad hunc humorem recurreodum & illi priùs succurrendum: aliàs alteri.

CCVII. Iisdem Catarrhis actibus, tum salsis, tum acidiusculis magna copia abundantibus debetut subinde post præmissam contemperationem atque inspissationem Purgatio, & imprimis per Rad. Ialappæ, ejusve Resinam in pilulas commodiùs redigendam; pulvis enim radicis omnibus tormis exhiberi potest, pulveris, electuarij, decocti, &c.

CCVIII. Hisce Ergò aut similibus medicamentis faciiitabitur Respiratio Phthisicorum difficilis, atque malum ipsorum reddetur levius; quod gratum & acceptum est Ægris desperatè decumbentibus.

Tussis molesta levanda.

CCIX. Quinimò iisdem ferè medicamentis *Tussis molestiæ* multùm levantur, cùm ab iisdem Causis illæ pendeant; non est proinde opus, ut pluribus hisce immoremur: id unum tantùm monebimus, attendendum esse accuratè ad singulorum medicamentorū usurpatorum operationem quò in iis potissimùm perseveret Medicus, quæ Ægro cōperiet plurimū auxilij affetre & levaminis.

Appetitus prostratus quibus excitetur.

CCX. Ad *Appetitum* sæpenumerò in *Phthisicis prostratum* quodammodo saltem excitandum non putoconvenientius remedium hacteous innotuisse, quàm *Elixir proprietatis*, ad guttas 5. vel 6. ante assumeodum alimeotum dimidia circiter hora ex vino, vel alio liquore conveniente sumptum.

Elixir proprietatis quibus constet.

CCXI. Cùm enim constet hoc Elixir Myrrha, Croco & Aloe, cum Sulphuris Oleo per Campanam parato & Spiritu Vini simul digestis, *Myrrhæ* nomine, ut & *Croci* conducit Phthisi, & Tussi; Aloe autem humorem pituitosum viscidum incidit, & blandè ac lentè educit; quin ipsum Pus attenuat; sed & hæc omnia Ulceri mundando conveniunt; adeò ut Phthisi remedium sit convenientissimum, cujus acidum tempetari potest mixtura dulciore, cum qua assumatur.

Alimentorum fermentatio quibus promovenda.

CCXII. Sed illud idem medicamentum promovebit, *Alimentorum in Ventriculo Fermentationem*, à Puris omnibus corporis humoribus immissi visciditate impeditam: & sic quoque *Gravitatem* post ipsorum assumptionem Ægris molestam levabit.

CCXIII. Adeò, ut his paucis medicamentis prudenter usurpatis, levari possint Phthisici, etiam nunc, ubi perfectæ Curationis spes nulla super est.

CCXIV. *Vires Phthisicorum postratæ* tum *Cibis copiosi nutrimenti*, facilisque fetmentationis, tum imprimis potu generoso & spiritu blando abundante, ut & quibusdam Atomaticis, Ambra grisea, Confectionibus AlKermes ac Hyacinthorum, & similibus recreari solent, ac sustentari.

Vires prostrata quibus recreentur.

CCXV. Cibis, inquam, copiosi nutrimenti, & facilis fermentationis; quoniam enim non tantùm Appetitus solet simul ptusterni in Phthisicis, sed insuper ab assumptis Cibis gravari eorum Ventticulus, dum intetim sensim consumitur & perit ipsorū Caro æquè ac Pinguedo, idcircò requiruntur alimenta, quæ minore quantitate assumpta plurimùm nu-

nutriant, & reficiant corpus contabescens; quæ facilè fermentabilia minorem moram nectant in Ventriculo; quæ eadem de causa minore pondere gravent eundem Ventriculum, sed ob facilem suam fermentationem leviora appareant.

Cibi copiosi nutrimenti & facilis fermentationis.

CCXVI. Talia autem Alimenta sunt *Panis triticeus*, ritè priùs fermentatus; *Carnium jusculu* moderatò quidem, ac simul longiore Calore extracta, & ad Gelatinæ consistentiam deducta.

CCXVII. In his namque Jusculis crassioribus & Gelatinis continetur primaria vis Carnium, novæ Carni generandæ aptissima.

CCXVIII. Huc etiam spectat omne *Lac dulce*; tàm *Humanum*, quàm *Brutorum*, inter quæ hactenus prælatum est *Asininum*, hinc *Caprinum* mox *Ovillum* & *Bubulum*; quamvis hoc tempore secundùm hominum morumque inconstantiam præferatur *Bubulum*.

CCXIX. Laudantur quoque *Ovorum vitelli*, quamvis non pauci occurrant, qui ipsos ferre non possint; qui proinde ab ipsis abstinere debent.

Alimenta Medicamentosa.

CCXX. Inter alimenta quodammodò medicamentosa laudantur *Amygdalæ*, *Pistacia*; & ex his paratæ *placentæ*, etiam *Saccharatæ*, & *Anisatæ*, quin modis multis *Aromaticæ*, quibus pro re nata, & Symptomatum varietate uti licet.

CCXXI. *Panis* quoque *biscoctus* utilis observatur Phthisicis; quoniam superflua humiditate Aquea per iteratam coctionem magis privatus imbibit abundantiùs humores Pituitosos semper ferè citiùs, aut seriùs abundantes ac restagnantes in ipsis.

Potus utilis quisnam.

CCXXII. Quoad *Potum* laudatur *Vinum Generosum ac simul dulce*, quale est *Malvaticum* quodque minùs austerum, rubellum tamen producitur in regionibus calidioribus; Album enim sæpenumerò Acrius deprehenditur.

CCXXIII. Quamvis autem vinum illud potentiaa nunquam sit plenè fermentatum, non ideircò potentiùs, quin utilius existit. Qua enim parte sufficienter est fermentatum, ea Spiritus Animales simul deperditos, aut minùs ex Alimentis eductos reparat; qua verò minùs est fermentatum, Sanguinem laudabilem generat, & futuro Spiritui Animali materiam copiosam, utilemque suppeditat.

CCXXIV. Sumendum interim quantitate parva & commodè *cum Pane biscocto*, tum simplici, tum Saccharato; cujus sc. ope diutiùs sistitur in Ventriculo, minùs afficit cerebrum, viresque omnes magis reficit; uti hoc constat per experientiam.

Quomodo sumendum;

CCXXV. Potest quoque ex *Aromaticis Plantis* ve *Aromaticis* elici *Essentia*, in reparandis viribus dejectis efficacissima, ubi præsertim non tantùm *per Vini Spiritum* elicitur *Tinctura* potens, sed insuper ex superstite magmate Igne conveniente paratur *Oleum* sine empyreumate, denique ex Capite mortuo Chymicis vocato *Sal*, quæ tria simul artificiosè juncta Essentiam exhibent mirabilem, cujus guttæ, una, duæ, aut tres plurimùm præstent in collapsis viribus Ægrorum & Phthisicorum reparandis, reficiendisque.

Aromaticarum & Plantarum Aromaticarum Essentia: Tinctura, Oleum, Sal.

CCXXVI. Harum autem Essentiarum defectu, aut cum ipsis usurpari poterit *Ambra grisea*, in qua concentrata est natura Essentia potentissimè viresque mirabiliter recreans & restaurans.

Ambra grisea.

CCXXVII. Sic valdè conducunt quoque *Confectiones* nominatæ *Alkermes*, atque *Hyacinthorum*, vulgaribus & notis compositionibus omnibus præferendæ: sive per se sumantur, aut ex Vino, aliove liquore familiari; sive mixturis convenientibus admisceantur, atque per intervalla cochleatim ab Ægris assumantur, cùm perpetuò ferè de summâ debilitate conqueri solent Phthisici.

Confectio Alkermes & Hyacinthorum.

CCXXVIII. Atque sic paucis quoque Phthiseos Tractationem absolvimus, in quâ tum ipsius Causam continentem Pulmonum Ulcus, tum ejusdem Causas antecedentes multifarias exposuimus: tum ejusdem mali gravissimi, ac plerumque lethalis & instantis vel minantis, & incipientis; & consummati Curationem, Curandi saltem modum, proposuimus, cui proinde Tractationi finem tandem hic imponimus.

Finis Tractatus Quarti.

TRACTATUS V.

DE CACHEXIA.

Cachexia quid.

I. **C**achexia est *Vitiosa Corporis Universi Nutritio*: *Qualitate* scilicet nunc peccat primariò ipsâ *Nutritio*, hinc & secundariò *Quantitate*, dum vel *Contabescit Corpus* vel *Augmentum mentitur*, in Anasarca & Leucophlegmatie, Hydropis speciebus.

Nutritionis vitium Sanguini adscribendum.

II. Cùm *Sanguine nutriatur Corpus*; nemo non videt, omne *Nutritionis vitium Sanguini vitioso adscribendum*, neque enim facilè quis aut sibi, aut aliis persuaserit, *Universi Corporis partes omnes ita ab ulla Causa posse affici*, ut, *integro permanente Sanguine*, quocunque demùm modo, *vitiari possit ipsarum omnium Nutritio*.

III. Qualiscunque enim Causa externa fingatur, quæ aliquam Universi Corporis partibus omnibus, mollioribus saltem, noxam inferat, illa longè faciliùs Sanguini nocebit, utpote partibus laxiùs junctis, & idcircò magis alterabilibus constanti.

IV. Quamvis enim quædam observentur corrumpentia & alterantia res solidas durasque, intactis & immutatis laxis & mollioribus; (sic Aquæ fortes metalla solvunt & rodunt, non item Sulphur;) non puto tamen unquam observatum esse, id accipere. Rebus ejusdem naturæ, aut ex se mutuò genitis, quemadmodùm Carnes sunt ex Sanguine levi mutatione productæ.

Argumentum à simili quale esse debeat.

V. Quoties enim à simili sumendum est argumentum, aliquam dicto nostro & asserto probabilitatem allaturum, toties convenientia esse debet cum illo simili, & in ipso saltem verum esse debet quod asserimus.

Debeboe Opera.

VI. Si quis proinde ostenderet, Sulphur levi negotio acquirere naturam metallicam; quemadmodùm id de Mercurio testantur Chymici tunc procedere aliquo modo posset argumentatio à simili; verùm non puto id hactenus alicui assertum ab ullo, multò minùs probatum.

Non Sulphur sed Mercurium acquirere naturam metallicam.

VII. Idem autem si quis Mercurio vellet tribuere huic mox reponerem, non minùs ab Aquis fortibus solvi Mercurium, quàm Metalla solida; quemadmodùm sentio non minùs à Causa quacunque affici posse Sanguinem, quàm Carnes, aliasque Corporis partes ex Sanguine productas & conservatas, quemadmodùm ex Mercurio Metalla perfectiora augmentum capere posse, testantur primarii Artis Chymicæ Coryphæi, quibus ante alios credendum.

Mercurium ab Aquis fortibus solvi, & metallis perfectioribus augmentum dare.

VIII. Concludimus proinde, omnem *vitiatæ in Cachexia Nutritionis Causam in Sanguine imprimis quærendam, inveniendamque*. Quamvis nil obstet, posse ab *alicujus Partis, aut Visceris noxa pendere Sanguinis Corruptionem* dictam.

Omnis vitiatæ nutritionis causa in sanguine.

IX. *Proxima Ergò Continensque Cachexiæ Causa est Sanguis vitiosus*, & quidem non semper uno vitiosus modo, unde non parùm inter se differunt veræ Cachexiæ species; tum ratione Symptomatum comitantium, tum ratione Affectuum Consequentium, Tabis puræ, vel Anasarcæ, aut Leucophlegmatiæ.

Proxima continensque Cachexiæ causa.

X. Cùm in Cachexia omnes Corporis partes per-

 peràm

In eo omnes functiones vitiantur.

-peràm nutriantur, mirum non est, si & Functiones in Cachecticis omnes ac singulæ vitientur.

1. Fames, 2. Sitis.

XI. Nam 1. *Fames* utplurimùm *minuitur*, aut *depravatur*, rariùs intenditur.

XII. 2. *Sitis depravatur* magis, quàm *augetur*, rariùs tollitur.

3. fastidium Alimentorum.

XIII. 3. *Alimenta cum fastidio ferè assumuntur*, quandoque illa quoque, quæ perperàm desideraverant Ægri.

4. Ab iis gravatio & compressivus cordis dolor.

XIV. 4. *Ab assumptis alimentis gravantur* ferè Cachectici, unde *Compressivus* quoque *Cordis Dolor*, aliquos quidem continuè, aliquos imprimis post alimentorum assumptionem urget; aliquando *Nausea* vel *Vomitus*.

5. Tormina & Lancinationes in Abdomine.

XV. Sed nec semper 5. ubi ad Intestina protruduntur quomodocunque Fermentata in Ventriculo Alimenta, benè habent Cachectici, cùm aliqui tunc imprimis habeant malè propter *Tormina vel Lancinationes*, aut *Distrationes*, *Angustiasve in Abdomine obortas*.

6. Alvi adstrictio, vel fluxus.

XVI. Quibus nonnunquam 6. comes est *Alvi adstrictio*, nonnunquam *Alvi fluxus*, isque varius, nunc magis, nunc minùs molestus & gravis.

7. Aucta Dyspnoea.

XVII. Nec tantùm in Abdumine malis urgentur Cachectici, sed 7. adesse mox solet *aucta* tunc *Dyspnœa*, plerisque continuè præsens, & ad levissimum tamen corporis motum, ascensum præsertim, molestior.

8. Cordis Palpitatio.

XVIII. Hanc 8. comitari solet *Cordis Palpitatio*, quibusdam imprimis molestissima; & *Arteriarum circa Jugulum & Tempora Pulsatione* visui manifesta se magis manifestans; quinimò ad *quiescendum* aliquos non infrequenter cogens.

9. Febris lenta Cachectica.

XIX. Observatur quoque 9. *Febris lenta* plerisque comes, atque ubi *contabescere* simul *incipit Corpus*, paulò post Alimentorum assumptionem exacerbata, ideoque Hectica.

10. Lassitudo.

XX. Dum autem Sanguis indies vitiosior factus quaquaversùm propellitur, ejusque aliquid hinc inde partibus adhæret, mirum non est, si 10. Universi Corporis, *Crurum* præsertim *Lassitudo*, in quibusdam *Ulcerosa* observetur.

11. Animales functiones læsæ.

XXI. Interim 11. *Animales* quoque *Functiones* omnes, *Sensus* tàm *Externi*, quàm *Interni*, & *Animali Motus*, plus vel minùs *langueat*, *Animusque* ipse *tristatus*, aut *morosus* fit.

12. Color Cutis mutatus.

XXII. Quin 12. *Color Cutis vividus*, immutatur in *pallidum*, *flavum*, sive *Cereum*, & quandoque *virescentem*.

13. Macilentia, vel Leucophlegmatia, aut Anasarca.

XXIII. *Macilentia* quoque 13. accedit, ac permanet, ni accedente *Leucophlegmatia* vel *Anasarca turgidulum* quasi, *tumidumque fiat corpus*.

14. Saliva varia.

XXIV. In *Ore* ferè *Lingua* que *aridiore* mutatur 14. *Saliva*, nunc *crassior*, nunc *tenuior*, nunc *subsalsa*, nunc *subamara*, nunc *insipide dulcis* existens.

15. Urina cruda & aquea, aliquando varia.

XXV. Quin 15. Ipsa *Urina* plerumque quidem *cruda* existit & *Aquea*, aliquando *varia*; (neque enim semper uno eodemque ipsa se habet modo) cum multifacio sedimento.

16. Capitis Dolor varius.

XXVI. Quibusdam 16. accedit *Capitis dolor*, nunc in *parte anteriore*, nunc in *posteriore*, nunc in *alterutro*, nunc in utroque latere, nunc *gravans*, nunc *lancinans*, nunc *findens*, nunc *pulsans*; quis enim omnibus illis varietatibus colligendis, recensendisque par?

17. Fœminis menses suppressi.

XXVII. Quòd si quis insuper 17. sexum sequiorem, ac infirmiorem, *Fœminas* putà privatim consideraverit, observabit præter memorata Symptomata in ipsis ferè graviora, plura reperiri, *Suppressos* scilicet *Menses*, ac nescio quæ non ipsos consequentia mala, *Suffocationes*, idcircò *Uterinas dictas*, multiplicia *Animi Deliquia*, *Anxietates circa præcordia inexplicabiles*, *Insultus Epilepticos*, &c.

18. Impotentia ad generandum, vel generatio vitiosa.

XXVIII. Inter læsas *Functiones Generationi servientes* ac dicatas nonnunquam tàm Viris, quàm Fœminis observatur 18. *Impotentia ad generandum*, nonnunquam *Generatio vitiosa*, tùm ratione ipsius *Gestationis in Matre*, tum *ipsius Fœtus gestati in Utero* ac postmodùm ex *Utero exclusi*.

Sterilitas.

XXIX. Hinc enim *Sterilitas* frequens in utroque sexu: unde aut *Semen deficit*, aut *Penis erectio*, aut *Voluptas*, aut *Conceptio*, &c.

A Patre Cachectico Fœtus morbidus.

XXX. Imprimis ubi ex *Patre Cachectico* Generatur, *Fœtus*, solet is non rarò in Utero materno existere morbidus, quin nonnunquam sepulcrum invenire, ubi nactus erat vitam; & Matri quandoque, cui vitam, vitæ saltem sustentationem debeat, mortem accersere.

XXXI. Unde Uterum difficulter tunc gestat fœmina, ex fœtus Cachexia plurima mala perfert, & morbos graves patitur.

Matrem & Fœtum se invicem afficere.

XXXII. Quemadmodùm enim à Matre Ægrotante morbum accipit gestatus in Utero fœtus, sic vicissim à Fœtu in Utero existente ac ægro trahitur in consensum mater: quod evincit ac confirmat quotidiana Experientia.

A Matre Cachectica.

XXXIII. Quòd si à Matre priùs sana, in morbum autem, dum gravida existit, incidente afficiatur in consensum trahatur Infans; nonne longè citiùs, faciliùsque à Matre Cachectica & jam ægrotante, priusquam impraegnaretur, Fœtus producetur Infirmus & Cachecticus? quod itidem fieri constat Experientia.

Aliquando tamen contrarium.

XXXIV. Quamvis autem nonnunquam eveniat, ut ex Matre Cachectica prodeat fœtus sanus, id tamen non ita frequenter accidit, quàm contrarium: adde quòd talis fœtus sanus apparens paulò post labentis mali signa exhibeat, & Maternam hæreditatem testetur affectus gravi, & subinde lethali.

XXXV. Rationes verò urgentes ac unicuique satisfacientes afferre, Cur aliquando à Matre Cachectica producatur Fœtus sanus, admodum erit arduum. Nam licet aliquibus placeat, (neque enim omnes id admittunt) ex semine masculo tantùm generari Fœtum, *nutriri autem Sanguine menstruo*, *Alimento saltem à Matre suppeditato*, & in ipsa Cachectica necessariò *inquinato*; in quo exinde Fœtum Cachecticum fore, suadet ratio, ac sæpenumerò fieri, testatur Experientia.

XXXVI. Mihi verò simile videtur, aliquid aut in *Fœtu à paterno semine pendens existere*, aut eam *assumptis à matre Alimentis junctum ad Ipsum transire*, quod ipsum tutò præstet ab illa Cachexia Materna: quamvis quale quid idem illud sit, ego nec clarè conjicere, aut concipere, nec distinctè explicare queam.

Non omnia hæc in Cachecticis observari semper.

XXXVII. Non omnia quidem memorata in superioribus à me mala in singulis observantur Cachecticis, sed in quibusdam plura, in aliis paucíora, in quibusdam hæc, in aliis alia: unde quoque colligere licet, *Vitium Sanguinis non semper simile in Cachexia* existere; at modò *graviores*, modò *leviores*, modò *has*, modò *illas*, modò *plures*, modò *pauciores*, modò *magis mistas* agnoscere *Causas*.

Vitium Sanguinis in Cachexia diversum. Ejus causa diversa.

XXXVIII. Prout certè Functiones hæc aut illæ, hoc aut illo læsæ modo reperiuntur in Cachexia, has tunc vel illas Causas vitium Sanguini attulisse judicamus.

Ad sex res Non-naturales referenda.

XXXIX. *Causæ* autem illæ non malè ad *sex res Non-naturales* dictas, utpote homini necessarias & inevitabiles, *cæteraque fortuitò* cuivis subinde *accidentia* revocantur.

1. Alimenta, Medicamenta, & Venena.

XL. Inter sex res Non-naturales primus locus debetur *Alimentis*, *Medicamentis*, atque *Venenis* perperàm usurpatis & assumptis dictur.

XLI. Alimentis addo Medicamenta & Venena, de quibus, ut mea mens magis pateat, libet paucis meam de singulis sententiam explicare.

Quanam Authori dicantur Alimenta.

XLII. *Alimenta* mihi sunt & dicuntur omnia Ore assumenda, & in Ventriculo, hinc & in aliis partibus nostri corporis mutabilia & alterabilia in substantiam corpori vel Continenti, vel Contento reparando aptam.

Ea præparationem requirere.

XLIII. Quidquid enim in Corporis nostri alterutrius, vel utriusque deperditi aut consumpti locum reponi debet, id admodùm rarò tàm purum, tamque illi usui aptum assumitur, ut nullam præviam mutationem subire habeat necesse; plurima certè à fæcibus, ac inutilibus corpori partibus secerni debent, ac proinde ad illam partium inutilium ab utilibus secretionem priùs præparari.

XLIV.

Cui praxi inserviant Functiones.

XLIV. Huic præparationi, ac secretioni peculiares dicatæ Corpore nostro functiones, quales sunt, *Ciborum, masticatio* in Ore, eorundem, ut & Potus, *Fermentatio* in Ventriculo, *Chyli utilis ab Alvi fæcibus secretio* in Intestinis: in quibus omnibus puniuntur, & mutationem subeunt Alimenta usurpata.

Quænam Authori dicantur Medicamenta.

XLV. *Medicamenta* verò mihi sunt & dicuntur omnia quocunque modo assumpta vel usurpata, inepta verò in corpore nostro ita mutari, ut in ejus nutricatum abeant, quin aptissima & potentia corpus ipsum alterutrum vel utrumque ita mutato, ut Constitutio ejus inde fiat melior ac perfectior.

Ea Sanis non debentur.

XLVI. Unde Sanis non debentur Medicamenta, utpote quæ Corpus præsupponunt Ægrum, cui medeantur; quodque in statum transferant meliorem.

Quænam Authori dicantur Venena.

XLVII. *Venena* denique mihi sunt & dicuntur omnia quovis modo usurpata, & in corpore ita mutari, ut in ejus substantiam abeant, inepta; quin id ipsum ita mutare apta, ut idem non in meliorem, at in pejorem statum & constitutionem redigatur.

Alios scriptores hic terminis non id significare.

XLVIII. Quamvis autem data hic à me Alimenti, Medicamenti, ac Veneni explicatio, aut descriptio apud alios Scriptores forsan non legatur, non est ipsa idcirco rejicienda; cùm nemini non queat constare, quàm obscurè de hisce rebus loquantur plerique; adde quòd Unicuique uni Veritati studenti attendendum sit ad rem ipsam, quam qui interpretatur sitò, & vocabula rebus convenientia proponit, utique verum docet.

Authoritas mea & convenientissimum usurpari.

XLIX. Quomodocunque proinde cuicunque libeat loqui, ego Terminos vulgo Usitatos servans, puto me *rebus ipsis convenientissima* proposuisse atque exposuisse nomina, & ita quidem, ut illis admissis omnis obscuritas, difficultas, & cavillandi occasio tollatur; quod imprimis Philosophum Veritati, ac publico bono unicè addictum decet.

Quot modis assumpta in nostro corpore mutentur.

L. Res, inquam, per se manifesta est, *omnia, quæ usurpamus, vel apta esse ita in corpore nostro mutari,* ut in ejusdem substantiam & reparationem abire possint, vel inepta esse illi mutationi subeundæ, at contrà *aptanata idem mutare, & quidem vel in melius, aut in pejus*: in melius, quando à statu imperfectiore elevatur ac deducitur in perfectiorem; in pejus, quando contrà è statu perfectiore decuditur & rumpitur in imperfectiorem ac deteriorem.

Quæ propterea sunt vel Alimenta, vel Medicamenta, vel Venena. Eidem pro diverso respectu tribui posse diversum nomen.

LI. Hæc cùm ita sint, & in triplici genere constituta reperiantur omnia ab homine usurpanda, nonque quæ s. loco dixi posita, convenientissimè atque ex usu loquendi vocabantur *Alimenta*; quæ 2. *Medicamenta*; & quæ ultimo *Venena*.

LII. Adde quòd posita tali horumce Vocabulorum descriptione atque explicatione facilè patent, qui queat fieri, ut *Vini atque eidem* pro respectu tamen diverso *tribui possit, nunc Alimenti, nunc Medicamenti, nunc Veneni nomen*: Illud enim vulgo & apud probatos Auctores fieri notissimum.

Vinum esse Alimentum.

LIII. *Vinum* certè moderatè sumptum *Alimentum* est præstantissimum, atque imprimis Animales Spiritus reparans.

Medicamentum.

LIV. Idem *Vinum*, *mane* (?) præsertim iisdem convenientes sumptum Pituitam corrigit ac emendat, ejusq; noxas curat, & hactenus *Medicamentum* audit gratum.

Venenum.

LV. Idem *Vinum immoderatiùs* quocunque *sumptum* plus minùs nocet, imò quibusdam non tantùm morbos graves parit, sed aliquando ipsam mortem etiam subitò affert; quo nomine si non *Veneni* appellationem mereatur, quo alio id possit, ego saltem assequi vel conjicere nequeo.

Cachexia ortus ab assumptis.

LVI. His proinde de Alimentorum, Medicamentorum, ac Venenorum distinctione ac descriptione præmissis, non difficile erit *Cachexiæ ortum ab assumptis deducere*, utpote quæ tunc Alimenti aut Medicamenti nomen amplius non merentur, aut solius *Veneni*.

Alimenta & Medicamenta fieri Venena.

LVII. Desinunt, inquam, esse Alimenta vel Medicamenta, ex quorum abusu, hoc est, usu præpostero, excitatur Morbus.

Et quà ratione.

LVIII. Quæcunque namque Alimenta vel Medicamenta solent esse, quamdiu quantitate mediocri, ac tempore decenti usurpantur; eadem Venena fiunt, quamprimùm quantitate usurpantur nimia, vel tempore alieno, & ita quidem, ut hominis utentis sanitas inde lædatur, & hic in specie Cachexia producatur.

Venena quanà absolutè nominanda.

LIX. Quæ autem per se atque ex sua natura homini omni vel huic saltem illive solent esse noxia, eadem absolutè appellanda Venena.

Cachexia producitur 1. Ab Alimentis optimis.

LX. Cachexia Ergò produci solet 1. *ab Alimentis etiam optimis*, quoties majori copia & indecenti tempore assumuntur, & quidem diutiùs.

2. Ab Alimentis Medicamentosis.

LXI. 2. Ab *Alimentis Medicamentosis* dictis, hoc est, tum de Alimentorum tum de Medicamentorum natura participantibus; quippe quæ citiùs, faciliùs, potentiùsque ex usu perverso afferre possunt homini noxam.

3. A Medicamentis.

LXII. 3. A *Medicamentis propriè dictis*, absque urgente necessitate usurpatis.

4. A Venenis.

LXIII. 4. A *Venenis* semper talibus.

Ad Alimenta optima quanà referenda.

LXIV. Ad *alimenta optima* referendas *Panis & Vinum*. De Pane dicitur vulgò, nec malè; *omnis repletio mala, Panis Pessima*. Quantum damnorum afferat Vinum, nemo nisi volens ignorare potest; cùm tam frequentes occurrant ex ejus abusu facti Cachectici, & tandem Hydropici.

LXV. Huc spectant ipsæ *Carnes* quævis abundantiùs assumptæ, ac imprimis *Pisces*, *Marini* præsertim, utpote plus Pituitæ generantes.

Quænam ad Alimenta Medicamentosa.

LXVI. Ad *Alimenta Medicamentosa* refero Aromatibus omnia & *Condimenta*, *Fructus horarios*, *Olera*, &c. Acetum,

Qualiam ad Medicamenta.

LXVII. Ad *Medicamenta propriè dicta* pertinent Theriaca, Diascordium, Corallia, Creta, Oculi Cancri, Lacca, Pix, Resina, &c.

Quæ ad Venena.

LXVIII. Ad *Venena solenna* refero Cespites, Cineres, Calcem, &c. Neque enim *fortiora* usurpantur, quin mox vitæ periculum præsens immineat.

2. Res non naturalis Aer.

LXIX. Post ipsa Alimenta ore assumenda, & cætera ipsorum modo usurpanda, proximum ac secundum locum tribuendum existimo *Aeri*, à quo quemadmodùm commoda homini accedunt plurima, sic & noxæ obveniunt innumeræ.

Ejus Mutationes subitæ sanitatem destruere. Et præcipuè frigus aeri post magnos æstum.

LXX. Imprimis *subitæ Aeris mutationes*, eæque *notabiles*, destruunt potentes hominis sanitatem: inter quas omnium *pessima* est, *Frigus Aere magnum æstum subitò excipiens*.

Et quomodo.

LXXI. Ab hoc enim soluta & quaquaversum propulsa cum Sanguine Pituita in corporis præsertim superficie, habituve coagulatur, mox & Inflammationem, Sanguinis saltem stagnationem parit, unde Dolores tum in superficie acres, tum in habitu graves excitantur; hinc sensim à Sanguine stagnante, atque plùs minùsve corrupto Massa reliqua citiùs tardiùsve inficitur, & Cachexia producitur.

LXXII. Idem autem evenit, quoties non Corpus Universum, sed aliqua duntaxat Pars notabilis, atque imprimis Caput, vel in fœminis uterus quoque afficitur; unde in utroque sexu Gravedo, hinc & quandoque post Catarrhalem Febrem Cachexia gignitur; quemadmodùm contrà in Fœminis vel Menstruorum suppressio, vel eorundem retardatio, ac consequenter Cachexia generatur.

LXXIII. Quod contingit faciliùs, crebriùsque, quandò sæpiùs tale incommodum incurrunt homines vel sui negligentiores, vel urgens necessitate tales mutationes vitare prohibiet.

3. Res non naturalis Animi Pathemata. Hæc quomodo agant.

LXXIV. Tertium inter Non-naturales Res locum tribuo *Animi Pathematibus*, ac imprimis *Mæsti magno & Terrori inopinato, aut Mœrori ingenti*; à quibus non infrequenter produci observamus Cachexiam.

LXXV. Ab hisce namque Pituita redditur *acidior & Spiritus Acidus, Acrior*; unde cæteri quique humores aut inertiores fiunt, aut sistuntur saltem in suo motu, sicque paulatim tota Functionum omnium OEconomia perturbatur.

4. Corporis Motus & quies quomodo Cachexiam producant.

LXXVI. Aliquando quidem, licèt rariùs, à *nimio Corporis Motu & agitatione*, aut vicissim *Desidia & Torpore* producitur Cachexia; quatenus ab Exercitio immoderato exhauriuntur Spiritus humorum

Acti-

Acrimoniam temperantes, aut in Desidia minùs generantur, dum Pituita cumulatur.

5. Quomodo Vigilia.

LXXVII. Ad hanc Cachexiam producendam aliquid quoque conferre possunt *Vigiliæ diutiùs protractæ*, ut & *Somnus immodicus*.

LXXVIII. *Vigiliæ* namque *nimiæ* Spiritus Animales valdè consumunt, unde minùs temperari possunt Humores quivis; quapropter illis Acrimoniis permanentibus, vitiosa contingere saltem in tenui Intestino quæ à Corde Effervescentia, hinc & tandem Cachexia.

Quomodo Somnus.

LXXIX. *Somnus* autem *immodicus* & Spiritus Animales facit torpidos, & humorem Pituitosum reddit Viscidiorem; unde Cacochymia & Cachexia Pituitosa necessariò consequitur.

6. Quomodo Excreta & Retenta.

LXXX. Inter sex Res non-naturales dictas ultimum locum assignamus *Excretis* ac *Retentis* non secundùm naturæ leges ac morem se habentibus, atque sic quoque Cachexiam producere aptis.

1. Alvi Excrementa nimium fluentia.

LXXXI. Nam 1. *Alvi Excrementa nimium fluentia*, cùm Alvi fluxum habeant comitem, etiam certus sæpissimè consequentem habent Cachexiam, quoniam in omni Alvi fluxu vel Bilis peccat primariò, vel saltem secundariò, ob vitium Succi Pancreatici, vel Salivæ, vel Alimentorum Medicamentorum, Venenorumve assumptorum.

LXXXII. Arbitror enim, uti aliàs pluribus deduxi, Bilem in omni alvi fluxu semper affici; quamvis necdum satis constet mihi, quot, quibusve modis affici queat, ut Alvi fluxus provocatur.

LXXXIII. Illud obiter notabo, leviorem esse alvi fluxum, qui proprium consequitur Bilis vitium, gravioremque, qui à Succo pancreatico vitiato pendet.

LXXXIV. Quotiescunque autem aut primariò aut secundariò peccat Bilis, toties (licèt ritè fermententur in Ventriculo Alimenta) secretio Chyli à fæcibus alvi contingit vitiosa, & consequenter Sanguis producetur vitiosus & Nutritio fiet vitiosa, hoc est, producetur Cachexia, ut nunc nil dicam de noxa sæpè graviore tunc concurrente, quando Succi Pancreatici culpa vitiatur Bilis.

2. Alvi Excrementa durara.

LXXXV. 2. *Alvi Excrementa duriora* cum Alvo adstrictiore Cachexiam valent producere; quatenus Alvi adstrictio, meo saltem judicio, debetur *Succo Pancreatico* vel primariò vel secundariò peccanti.

Quid primariò tum faciat.

LXXXVI. *Primariò* tunc peccare mihi videtur *Succus Pancreaticus*, quando *justo viscidior*, idemque *minùs Acidus & Acris* existit.

Quid secundariò.

LXXXVII. *Secundariò* censetur mihi Alvi adstrictionis Causa existere *Succus Pancreaticus*, quando is ab allabente *Pituita*, vel *Saliva*, vel *Alimentis valdè viscidis* talis evadit, *viscidior* inquam, ac *inertior*.

Experimentum ab Acrimonia Succi Pancreatici.

LXXXVIII. Quòd si Succus Pancreaticus valdè Acris & Acidus existens offendat habitantibus Pituitam impensè Viscidam, præter *alvum adstrictiorem Pituitæ viscositate adscribendam lancinationes producentur in ventre ob Acrimoniam Succi Pancreatici Acidiore* quemadmodum id quotidiè Ægris accidere observare poterunt, qui monitionem sequuti attendent accuratè ad omnia, de quibus conqueri solent Ægri.

Abdominis Distensio et Excrementa induratæ à Flatibus.

LXXXIX. Observabunt autem in talibus Ægris præter Alvi adstrictionem, & lancinationes molestas concurrere in plurimum Abdominis Distensionem, atque Excrementa valdè indurata; quæ omnia ego (saltem) judico deberi flatibus ex pituita excitatis ortis.

A vitiosa fermentatione intestinorum Cachexia.

XC. Ubi verò hoc modo vitiosa existit Effervescentia in tenui Intestino, propter Acrimoniam Succi Pancreatici concurrentem aliquantò atrior transcolabitur Chylus, qui similem producet Sanguinem, & quidem pro illius acrimoniæ diversitate ac gradibus variis, non parùm diversum; unde necessariò continget Nutritio certo modo & gradu vitiosa, hoc est, Cachexia. Nequaquam unius modi est Cachexia, sed plurimùm differens; quod qui non observant, aut negligunt misere cum Ægris suis procedunt.

Tamen non esse unius modi.

2. Ratione excreta Urina.

XCI. Ad Excreta omnibus hominibus communia secundùm, post Alvi Excrementa, locum obtinet *Urina*. Quemadmodum enim post Alimenta fermentata secernuntur Fæces Alvi ab ipsorum Chylo: sic post Chylum in Sanguinem mutatum secernitur Urina in Renibus.

Ab Urina non sufficienter secreta Cachexia.

XCII. Hæc *Urina si non sufficienter secernatur*, atque in Sanguine stagnet, noxam necessariò adfert, illumque inficit, & qualitatibus vitiosis inquinat, unde Nutritio fiet vitiosa, hoc est, Cachexia.

Ab eadem copiosius secreta eadem Cachexia.

XCIII. Eadem *Urina si copiosiùs à Sanguine secernatur*, partem ipsius integritati necessariam simul adimet, ac proinde Sanguinem imperfectiorem præstabit, hinc & Nutritionis vitiosæ, hoc est, Cachexiæ Causa existet.

Semen Excreta retentum.

Ad utrumque nobilem Cachexiam.

XCIV. Ad Excreta refertur 3. loco etiam *Semen*, cujus in Corpore *retentio* non pauca hominibus mala creat, idque tam Viris, quàm Feminis. Ab ipso autem retento & stagnante assurgunt halitus nidorosi versùs Sanguinis massam eamque ita inficiunt, ut Nutritio inde consequatur vitiosa, hoc est, Cachexia.

Eadem ab ejusdem nimia Effusione.

XCV. Ejusdem *Seminis nimia Effusio* in Venere immodica non tantùm Vires exhaurit, & omnes functiones debilitat, sed insuper partem Sanguinis optimam, ut & Animales Spiritus nimiùm consumit; unde præter alia mala determinata nunc lentam, nunc subitò Cachexiam inducit.

4. Inter Excreta Narium Mucus.

A quo parte ejus productio, aliquando tamen Cachexia.

XCVI. Nil impedit, quo minùs 4. loco ad Excreta revocemus *Narium Mucum*, à quo parcè ejus producto rariùs quidem, aliquando tamen excitabitur Cachexia; quatenus scilicet illa Mucis materia in Sanguine permanens illum præstat impurum, & Nutritionem affert vitiosam.

Eadem ab eodem copiosiore & simul vitiato & acriore.

XCVII. Quoties autem in *Gravedine* idem *Narium Mucus* non tantùm *copiosior*, sed simul *salsior* & *Acrior*, hoc est, *Salsior*, & *Acidior*, effluit, ac non raro homini ad partem fauces petit, atque nunc ad Pulmones delapsus *Tussim*, ac non infrequenter *Phthisin* parit; nunc per *Œsophagum* ad *Ventriculum* delapsus *Alimentorum fermentationem* unà cum *prostrato Appetitu* impedit, ac consequenter *Chyli vitiosi secretionem* gignit, mox & *Sanguinis similis generationem* promovet; toties *Nutritionis pravæ*, hoc est, *Cachexiæ Causa* existit.

5. Inter Excreta Menstruorum fluxus.

A quo suppresso Cachexia.

XCVIII. 5. Loco ad Excreta referre oportet in Feminis *Menstruorum fluxum*, à quo *suppresso* Cachexiam frequentissimè ortum suum ducere, nemo ignorabit, nisi hospes fuerit in praxi Medica.

XCIX. *A nimio* autem *eorundem fluxu* idem contingere, sæpenumerò quotidiana nos docet Experientia.

Eadem ab eorum nimio fluxu.

C. Idem omninò dicendum est 6. de *Lochiorum fluxu*, partum excipere solito, à quo & parcius, & copiosius fluente plurima mala incurrunt Feminæ, & inter alia ipsam Cachexiam.

6. Lochiorum fluxus a quo Cachexia.

CI. Ad Excreta referendum tandem 7. *Lac*, postquam ab ipsius *nimio effluxu* tam sæpe valdè debilitantur Feminæ, atque non infrequenter incidunt in Cachexiam.

7. Lac.

A cujus nimio fluxu Cachexia.

CII. De *Muliebri fluxu*, licet frequentissima Cachexiæ Causa, hîc non loquor, quandoquidem in Feminis naturalis non existit, sed duntaxat præter naturæ leges ipsis accidens. Hoc autem loco agimus tantùm de Excretis ac Retentis secundùm Naturæ leges contingentibus, præter Naturam verò vitiatis.

A Muliebri fluxu frequentissimè Cachexia.

CIII. Antequam ad Affectus hujus curam difficilem ac molestam me ulteriùs accedam, pauca subjungam de Causis antecedentibus, ac fortuitis atque à non-naturalibus rebus diversis.

Causæ antecedentes fortuitæ.

CIV. Ad has Causas fortuitas referri possunt tam Medicamenta, quàm Venena, postquam illis carere atque ab iisdem abstinere possumus; quoniam tamen aliquando ipsorum, quatenus Alimentorum loco subindè usurpantur aut exhibentur, mentionem feci, paucis nunc de iisdem loquor; & imprimis de iisdem, quatenus fortuitò adhibentur, atque sic quoque nocent, licèt tunc nullo modo Alimentorum vices supplere possint.

Medicamenta & Venena.

A Medicamentis optimis sinistrè usurpatis Cachexia.

CV. Non raro autem à *Medicamentis* etiam optimis, sed præposterè usurpatis, & quidem externè, Cachexia suum ortum habet, quatenus aliqua vitio in-

in Corporis superficie existente ac molesto, Scabie putà, pustulis, & similibus: per Medicamenta forinsecus applicata exsiccantur quidem & obliterantur illa vitia, ita tamen, ut introrsum propellatur humor peccans, qui Sanguini communicatus eundem inficit & vitiosæ Nutritionis, hoc est, Cachexiæ Causa existit:

CVI. Nec tantùm, quatenus hærens in Corporis superficie vitium & humor peccans introrsùm pellitur, excitatur à Medicamentis externis Cachexia, sed insuper ac non rarò, quatenus humor vitiosus per Corporis superficiem propellitur, atque expellitur, is verò denuò repellitur introrsum, vel sistitur in superficie per medicamenta perperam usurpata, eadem producitur Cachexia.

Quid observandum Medico. CVII. Quapropter sedulo attendendum est unicuique Medico, nè temere Medicamenta humores vitiosos in expulsione sua & exitu sistentia, vel impellentia usurpentur, postquam non infrequenter graviora, imo gravissima, & quandoque lethalia inde exsurgunt damna.

A Venenis Cachexia. CVIII. Quod de Medicamentis nunc dictum, magis de *Venenis* propriè dictis, atque homini semper noxiis dicendum, à quibus videlicet præter detrimentum nihil venit expectandum.

CIX. Quo imprimis referenda illa Venena, quæ in specie Cachexiam producere solent, atque non quidem subito mortem inducere, at post vitiatam demum Nutritionem, hoc est, Cachexiam.

Ad fortuitas Cachexiæ causas referenda omnia, quæ contundendo, vulnerando, &c. labefactant partes externas. CX. Ad fortuita referenda quoque sunt omnia, quæ partes externas *Contundendo*, *Vulnerando*, aliisve modis lædendo ita possunt labefactare, ut inde Sanguis ad ipsarum nutritionem appellens corrumpatur & ita vitietur, ut Cachexia inde sequatur.

CXI. Nihil enim refert, an Sanguis vitiatus accedat ed partes integras, an idem à partibus corruptis corrumpatur, hinc Nutritio vitiosa consequatur.

CXII. Id autem sæpenumero accidere norunt, qui Praxim Medicinam norunt.

CXIII. Neque opus est, ut sempet universa Corporis superficies, vel habitus Contundantur, Vulneretur ve, quo Cachexia Universalis producatur; Sufficit enim in una parte corrumpi Sanguinem, eundemque in suo circuitu ad massam reliquam remeantem universam sensim afficere ac inficere, unde necessariò Cachexia consequetur universalis.

CXIV. Sic ex *Vulnerata* parte si *copiosius effundatur Sanguis*, totum corpus detrimentum inde capit, dum minùs laudabilis producitur & in amissi locum reponitur Sanguis: Sanguine autem minùs laudabili, atque magis aquoso existente Cachexia universalis consequi solet.

In Cachexiæ Curatione plures occurrere Indicationes. CXV. Atque sic quot quot insuper externæ ac fortuitæ, Cachexiæ observabuntur Causæ antecedentes, agnoscuntur facilè simili aliquo à me narrato modo illam producere; quapropter, ut ad *Affectus gravissimi & frequentissimi Curam* me accingam, considerandum *plures* hic occurrere *Indicationes*, quibus omnibus ni satisfiat, rite haud curabitur Cachecticus.

Præcipua unde asfumenda. CXVI. Et prima quidem, omniumque primaria & *præcipua Indicatio* est, quæ sumitur *ab ipsa Cachexia speciali* in quovis subjecto curanda occurrente.

Cachexia diversitas. CXVII. Cum enim *plures* observentur non *tantùm gravibus*, sed etiam *modo* differentes Cachexiæ, illa differentia ante omnia erit accuratè notanda & consideranda.

Quomodò se manifestent quoad modum diversum. CXVIII. *Diversitas* autem illa *sese manifestat*, quoad *modum diversum*, tum per *Coloris mutati diversitatem*, nam nunc pallet, nunc flavet, nunc rubet, nunc diversicolor existit Cutis: tum *per conjuncta in Cute Symptomata*, Tumores putà: excrescentias, pustulas, ulcera, eaque omnia modis variis inter se differentia.

Quoad gradus. CXIX. Eadem *Diversitas quoad Gradus* sese manifestat, tum *per Coloris* cujusvis *majorem aut minorem intensionem*; tum per cæterorum *Symptomatum gravitatem* aut *levitatem*.

CXX. Nam quò magis à naturali statu recedit Color cutis mutatus, eò etiam gravius judicandum vitium illam mutans, & vice versa.

CXXI. Sic quò graviora existunt Symptomata Cachexiam comitantia, eò gravior judicanda ipsa Cachexia, & vice versa.

Quare diversitas hæc observanda. CXXII. Diversitas verò specierum Cachexiæ idcircò debet observari, quoniam, sic Causæ ejusdem diversitas innotescit. Alia certè Causa erit Cutis pallidæ, alia nigricantis, aut virescentis, aut lividæ, Alia proinde Curandi ratio debebitur singulis differentiis.

Secunda Indicatio unde petenda. CXXIII. Observata verò Cachexiæ Curandæ specie ac gradu, secunda *Indicatio* erit petenda *à determinato Sanguinis vitio, hanc vel illam Cachexiæ speciem* producente, & quidem *in hoc vel illam gradu*.

Tertia unde. CXXIV. *Tertia* verò *Indicatio* petetur ab *universa sese consequentium Causarum Antecedentium Syndrome*.

Quarta unde. CXXV. *Quarta Indicatio* deducenda erit à *Causa procatarctica*; sive *Antecedentes omnes irritante*, & inter naturales prima, illa *cæteras duntaxat* movendo *excitaverit*, sive ipsas etiam corrumpendo, aut quovis alio modo alterando *vitiosas effecerit*.

CXXVI. Potest enim *Causa procatarctica, sive Naturalium prima* vel *latentes* duntaxat in corpore humano Causas *commovere*, & ad noxam homini afferendam infereudamque *excitare*; vel *efficientius* quoque *rationem habere*, quatenus *humores, partesve solidas integras corrumpit* & ita *pervertit*, ut hactenus *Functiones lædant*, & hic *Cachexiam producant*.

Cachexia sui curationem indicat. CXXVII. *Cachexia* quidem *omnis sui Curationem indicat*, ut quævis ipsius species; sed hæc indicatio inutilis est, ni simul pareat, qua ratione, quibusque mediis curari possit & tolli.

Non curatur nisi sublata causa. CXXVIII. Non tollitur autem aut curatur Cachexia, nisi sublata Causa; ergo ad indicationes à Causis petitas transeundum.

Ea est Sanguinis vitiosus. CXXIX. Quemadmodum autem in genere Cachexia ortum habet à Sanguine vitioso, Nutritionem vitiosam producente; sic unaquæque Cachexiæ species ortum habet à speciali ac determinato Sanguinis vitio, Nutritionem hoc vel illo modo vitiante.

Et quidem diversimode. *Cujus causa proxima spectanda.* CXXX. Quævis proinde Cachexiæ species hoc vel illud Sanguinis vitium pro *Causa proxima agnoscens* indicabit *hoc vel illud Sanguinis vitium* esse tollendum, quòcunque demum id fieri queat modo.

Quot modis vitiari possit Sanguis. CXXXI. Videndum proinde, *quot modis probabilissime vitiari possit Sanguis, aut Nutritio inde consequatur vitiosa, & Cachexia*: quoniam verò id non est à me factum in superioribus, non nocebit hic paucis de hac re Considerationes meas nuper obortas communicare.

Quid in ea considerandum. CXXXII. Censeo igitur observanda esse omnia Sanguinem constituentia & ad ipsius integritatem aliquid conferentia; ubi præter *humores Sanguinem componentes*; simul considerandas puto *Mutationes Sanguini per Viscera varia delato evenientes*.

Quænam ad Sanguinem constituendum concurrat. CXXXIII. Ad Sanguinem constituendum concurrere judico, 1. Ipsum *Sanguinem* perpetuò *circulantem*. 2. *Chylum* ex Alimentis assumptis eductum. 3. *Lympham*. 4. *Liquorem ex Succo Pancreatico, Saliva & Bile in tenui Intestino producentem* atque per Lacteas Venas delatum. 5. *Bilem* ipsam per Ductum Hepaticum ad Sanguinem transeuntem. Plura verò non memini me observare, quæ huc debeant referri. Huic tamen 6. *Aer* addi potest ac debet, qui in Pulmonibus Sanguini jungitur.

In quibus visceribus sanguis mutationem subeat. CXXXIV. *Mutationem Sanguini* per diversa Viscera circulanti aliquam accidere puto, imprimis in *Liene*, ac *Testibus*, *Utero*que.

In quibus et aliquid decedat. CXXXV. Aliquid quoque *Sanguini decedere* puto in *Cerebro*, *Renibus*, *Glandulis*, &c.

CXXXVI. Hæc omnia paucis placet delibare, quo res ipsa fiat manifestior, & cogitationes de hac re meæ uagis pateant iis, qui necdum, quid sentiam & cur hoc vel illud sentiam, intellexerunt.

Ad Sanguinis massam constituendam concurrit. 1. Ipse sanguis refluens. CXXXVIII. Ad Sanguinis ergo massam constituendam concurrit. *Ipse Sanguis ab universi Corporis partibus* omnibus, uno Pulmone excepto, *ad dextrum* Cordis Ventriculum refluens; residuus videlicet tum à Nutritione ipsatum, tum ab illa sui parte, quam

quam in ipsis deposuit, ut in hunc vel illum Liquorem mutetur.

CXXXVIII. Cùm autem *variæ* sint ac *plurimùm inter se differentes Partes Corporis*, utique diversas quoque desiderabunt Sanguinis partes ad sui Nutritionem; quamvis non putem hactenus notabilem mutationem facilè ipsi accidere posse, ut inde Cachexia sequatur.

CXXXIX. Plus momenti ad hanc rem conferent *Liquores ex certis Sanguinis partibus producendi*, *Saliva* putà, *Succus Pancreaticus*, &c. de quibus mox dicemus.

2. Chylus.

CXL. Ad Sanguinis massam constituendam dixi concurrere 2. *Chylum, ex assumptis Alimentis oriundum.* Cujus nomine Cacheviam frequentissimè produci, pluribus docui in superioribus; prout enim Alimentum quantitate, qualitate, assumendive modo ac tempore vitiosum usurpatur, Chylus quoque producitur aut elicitur inde vitiosus, cujus notabile ac perseverans Vitium nunquam emendabitur in subsequentibus Functionibus, quin Sanguis necessariò conficietur ex ipso vitiosus, fietque proinde Nutritio itidem vitiosa, & genarabitur Cachexia quemadmodùm ipsa à memorata Causa sepissimè originem suam ducere, quotidiana testatur ac evincit Experientia.

3. Lympha.

CXLI. Ad Sanguinis massam constituendam dixi 3. *Lympham* concurrrere; Lympham *in Glandulis Coaglobatis*, per universum Corpus dispersis, *bona & forsan maxima, certè maximè notabili sui parte genitam*: licèt non negem, quin potiùs magisque putem Animales Spiritus quaquaversùm delatos, nec in variis, quibus servire solent, functionibus Animalibus, aliisque, consumptos transfundi in Vasa Lymphatica, sicque redire ad Sanguinis massam, postquam Lympham Glandulosam in medio suo fluxu deliniverunt ac temperarunt.

Lympha Aciditatem à Spiritibus Animalibus temperari.

CXLII. Huic usui inservire posse Spiritus Animales undecunque refluantes, vel inde patet, quod tam multi in prædictas Glandulas Conglubatas inferantur Nervi; haud in alium usum probabilem quàm ut generatam in ipsis Lympham subacidam temperent: Quis enim putet ipsis Animali motui, Glandulis denegato, inservire posse; aut sensui externo in Glandulis minimè Membranosis in suo parenchymate?

CXLIII. Cùm enim indies magis magisque confirmer per ea, quæ nunc accuratius, quam unquam, observo in Praxi Medica, & Sanis æquè ac Ægris de *Aciditate participare Lympham*, nemo, nisi rudis in operationibus & Mutationibus Chymicis, negabit, *temperari, demulceri, ac deliniri* posse à *Spiritibus Animalibus* cum Vini Spiritui plurimùm convenientibus *Lymphæ Aciditatem*.

CXLIV. Quemadmodum autem *Aciditas temperata benigna est, blandaque*; sic eadem *minus temperata & purior Acris existit & vi sua corrodēte noxia.*

Lympha sæpius acrior.

CXLV. Quoties proinde à quocunque demum *errato in sex rebus Non-naturalibus, aliisque fortuitis* commisso vel *exauriuntur*, vel *torpescunt*, vel *alias in suo ad Glandulas*, vel *Vasa Lymphatica motu impediuntur spiritus Animales*, utique producetur, permanebitve *Acidior & Acrior*, ideoque homini nocentior *Lympha*.

In hominibus labori deditis humores quare acriores.

CXLVI. Hoc verum esse, confirmat Experientia, dum per ipsam constat; in hominibus *vehementi Corporis exercitio* aut laboribus deditis aut *perpetua Mentis defatigatione, ac Vigiliis* detentis Humores omnes existere Acriores:

CXLVII. Unde autem id continget probabiliter quam ab exhaustis magna copia Spiritibus Animalibus? quod vix aliquis negabit, cui do Spirituum Animalium existentia nullum dubium.

CXXVIII. Cur antem Spiritibus Animalibus consumptis abundantius omnia existent in homine Acriora, nisi ab ipsis præsentibus temperentur Acria?

Ibidē quare magis irritabiles, quā segnes & torpidi.

CXLIX. Hinc est, quod Homines tales asperiores, atque magis irritabiles existant, quam segnes, torpidique: In quibus redundantes Spiritus iidem, ut alia nunc taceam, omnem Acrimoniam demulcent ac leniunt, eosdemque Animo præstant mansuetiore, minùsque irritabili.

Lympham Acidiorem Cachexiam producere.

CL. *Lympha* ergò si *Acidior* existat, *effervescentiam in Corde Acriorem*, adeoque noxiam & *Sanguinem vitiantem*, hinc & *Nutritionem lædentem*, quin *Cachexiam* producet.

CLI. Prout autem *aciditas plùs vel minùs peccaverit*, plùs quoque vel minùs peccabit Cachexia.

Ut & Lympham non satis acidā.

CLII Non tantùm ratione *Aciditatis* auctæ peccare potest *Lympha*. sed aliquando *Diminutæ*; unde *non sufficiens* contingent in *Corde Sanguinis Effervescentia*, nec proinde Sanguis existet laudabilis, corporique ritè nutriendo utilis, sed hactenus noxius & Cachecticus: sive *Viscidior* simul existat, sive aliter peccans.

Causæ mutationum Lymphæ.

CLIII. Ab *Acriore enim & Acidiore* Lympha fiet *Cachexia doloribus & lancinationibus* comitibus *molestior*; ab *eadem viscidiore aut minùs Acida* sequetur *Cachexia doloribus gravativis* vocatis, & *motus tarditate* molesta.

CLIV. Hæ in Lympha mutationes debentur vel *Acri* externo, nunc Asperiori, nunc Æstuanti, nunc Aqueo & pluvioso: vel *Alimentis* nunc acidioribus, nunc viscidioribus, nunc pinguioribus, nunc spirituosioribus, &c. vel *Animi motibus* vehementibus, & quidem nunc *Iræ*, nunc Terrori, nunc Mœrori, nunc Gaudio, &c. vel *Corporis Motui vehementiori*, aut *Quieti* & segnitiei turpi; vel *Vigilis Somnove* immoderatis; vel inter *Excreta retinenda*, Hęmorrhagię qualicunque enormi, vel Narium, vel Mensium, vel Lochiorum, vel Hęmorrhoidum, vel ex Vulnere fortuito, aut Vena secta, &c. *Vomitui* quoque, aut *Alvi fluxui* qualicunque, *Seminis profusioni* voluntarię, aut *profluvio spontaneo*, sponte aut ex nimia impurave Venere contracto, &c. Ex quibus omnibus Lympham quoque mutari & vitiari, testantur varii affectus hasce Excretiones consequentes: Sic contrà *Retentis excernendis* idem contingit; Exempli gratia, *Menstruis*, *Lochiis*, *Urinæ*, ipsisque *Alvi Excrementis*, unde Lympham quoque vitiari, persuasum habeo.

CLV. Longum autem foret, singula hic persequi, sufficit summa Capita attigisse; cùm unicuique rei attento facile sit futurum ex delibatis cætere deducere.

4. Ad Sanguinis Massam concurrit Liquor ex Saliva, Succo Pancreatico & Bile compositus. Quomodo Succus Pancreticus ad Intestinum effluat.

CLVI. Ad Sãguinis massam constituendam dixi concurrere 4. *Liquorem ex Salivę, Succi pancreatici, & Bilis confluxu* in tenui Intestino exsurgentem. Quisquis enim in sectionibus Anatomicis diligens fuerit & accuratus, is facilè agnoscet *Succum Pancreaticum perpetuò effluere ad Intestinum*, postquam nullum in ipsius Ductu observatur obstaculum, quod contentum, delatumque in ipso Liquorem & Succum in exitu suo ad intestinum moretur.

Quomodò Bilis ex Folliculo ad Intestinum propellatur.

CLVII. Rursus, licet quis *Felis Folliculi Cervicem contortam & interne corrugatam*, & *hactenus effluenti Bili aliquam remoram afferentem* observaverit: quoniam tamen non *Animali*, seu *voluntario sed naturali motu cietur*, probabile, imò necessarium videtur: *Bilem* aut *continuè*, aut *certis intervallis ad certa irritamenta ex suo Folliculo expelli & ad Intestinum propelli*.

Salivā perpetuò in Os effluere & deglutiri sponte.

CLVIII. Denique *Salivam nobis vel non cogitantibus, adeoque dormientibus perpetuò ac sponte in Os confluere*, hinc *& deglutiri*, plurima sunt, quę evincunt: inter alia & Infantibus, & Fatuis, & Dormientibus quibusdam emanans, effluensque ex ore Saliva; ut taceam, unumquemque in semet ipso posse observare ac notare illam Salivæ in Os effusionem, deglutitionemque perpetuam.

Ut & ad Voluntatis dictamen.

CLIX. Non nego interim; ad Voluntatis dictamen integrum esse nobis copiosiorem in Os allicere Salivam, dum per Suctus Lingua & buccis effecti modum Os illa brevi repletur.

CLX. Continuum Salivæ in Os confluxum confirmat quoque Os Saliva mox plenum, si caveatur tantisper à contentæ in Ore Salivæ Deglutione.

CLXI. Eandem *Salivam* ita copiosè ad Os perpe-

tuò

Tamen Ventriculo ad Intestina traduci.

tuò fluentem ac deglutitam *non permanere in Ventriculo, verùm ad Intestina mox traduci*, atque *ibidem diutinam moram non nectere*, probatur, 1. ex *ipsius deglutitæ copia*; 2. ex *ejusdem in Ventriculo repertæ paucitate*; 3. ex *Pituitæ Intestinis secundùm Naturam adhærentis*, ex Saliva ortum totum si habeat, *itidem paucitate*.

Hos tres Liquorē quartum constituere.

CLXII. Cum ergò & *Succus Pancreaticus* continuè, & *Bilis* forsan itidem continuè, & *Saliva* similiter continuè ad tenue Intestinum confluant, nec tamen in ipso permaneant, nec secundùm naturam per Alvum notabili saltem quantitate excerni observentur; utique opus videtur ac necesse, ut simul confluant, misceantur, in se mutuo agant, & Liquorem aliquem pareut, qui per Lacteas Venas transferatur ad Ductum Thoracicum, atque ibidem cum Lympha junctus Sanguini ad Cor Descendenti admisceatur.

Hic cujus sit natura.

CLXIII. Interest autem scire, cujus naturæ sit futurus ille ex his tribus conflatus Liquor. In *Saliva* & *Succo Pancreatico* namque docui non semel inesse, meo saltem judicio, *Spiritum Acidum*, sed temperatum; in *Bile* autem *Salem lixivum*, itidem temperatum; Excitabitur proinde ex horum confluxu Effervescentia, sed blanda; & jungentur simul tres Liquores, ita tamen, ut dominium habeant Saliva & Succus Pancreaticus, cum quibus concrescente Bile, Liquor parabitur cum Sale Armoniaco affinitatem aliquam habens.

CLXIV. Probabile namque videtur mihi, *abundè infringi Salem lixivum Bilis à Saliva & Succo Pancreatico*, & ita quidem, ut cum *Lympha nullam novam excitet* Effervescentiam in Ductu Thoracico, sed illi placidè jungatur.

Quam vim hic liquor Lymphæ adferat.

CLXV. Ex *hac proinde miscella roborabitur Lymphæ vis*, quin ut cum *ascendente Sanguine faciliùs misceatur & naturalem Effervescentiam* excitet, magis disponetur.

Quid Sanguini.

CLXVI. *Ab eadem miscella* verbo attigi aliquando, & indies magis confirmor, *pendere maxima* sui parte *Sanguinis concretionem, & laxam compagem*, variis Sanguinis usibus perutilem, imò necessariam.

Quo modis Cachexiam producat.

CLXVII. Hæc Miscella modis variis lædi potest, atque Cachexiæ diversæ Causa existere, & quidem tum ratione Salivæ & Succi Pancreatici, vel Acidiorum, vel Salsiorum, vel dulcium, vel viscidiorum, vel quovis alio modo peccantium; tum ratione Bilis, vel amarioris & acrioris, vel minùs amaræ ac inertioris, vel pinguioris, vel viscidioris, vel quovis modo alio vitiosæ.

Salivam & Succū Pancreaticum esse nonnunquam aciciores præter naturā.

CLXVIII. Salivam vel Succum Pancreaticum Acidiores nonnunquam præter naturam occurrere, quotidiana evincit Experientia, dū *Saliva in Os sæpiùs effunditur tàm Acida & Acris*, ut totā Oris superficiem ac Linguam exulceret, quin deglutita fauces ac OEsophagum similiter afficiat, mox in Ventriculo ad Intestinis Dolores torminaque producat intolerabilia, & ita quidem, ut omnia erodi atque dilacerari credantur in Ventre: Cujus exemplum deplorandum, & curatu tantò difficilius habemus hoc tempore in Filia Clar. D. Vorstii, quòd ab omnibus medicamentis vehementer abhorreat, & raiò bis eodem uti queat In hac autem hæc incommoda sæpiùs se manifestarunt, & per intervalla repetierunt.

Succi Pancreatici Acidioris exemplum.

CLXIX. *Succo Pancreatico itidem Acridiore & Acriore notabile quoq; habeo* hoc ipso tempore *exemplum* in Uxore Ampliss. D. Meerman, impræsentiarum Consulis Leidensis primarii, quæ licet per dies quindecim ac plures nihil Acidi assumpserit aut in Alimentis, aut in condimentis, subinde tamen Aquam tàm Acidam ab inferioribus assurgentem evomit, ut impensè stupeant inde ipsi dentes, & vix elui queat in ore manens Acrimonia Acida.

Liquor hic Acidior quanā mala producat.

CLXX. A Saliva autem vel Succo Pancreatico Acidioribus, neque enim semper observatur uterque Liquor simul Aciditate nimia peccare, producetur dubio procul ex Triumvirato illo exurgens Liquor Acidior, à quo eadem in Sanguine mala producentur, quæ dixi superiùs produci à Lympa itidem Acidiore.

5. Ad Sanguinis Massam concurrit Bilis.

CLXXI. Ad *Sanguinis Massam constituendam* dixi concurrere 5. *Bilem per Ductum Hepaticum refluenti per Venæ Portæ Ramos Sanguini*, & speciatim *Lienoso*, in contempto quidem vulgo, à rei peritis tamen maximè laudando viscere plusquam perfecto, ex mea conjectura *miscendam*.

CLXXII. Non repetam hic, quæ pluribus alibi proposui ad probandum, Sanguini admisceri in Hepate Bilem, non item separari eandem ibi ab ipso, quod Dictatoriè asseverant quidem multi, probat verò nemo.

In Bile exsuperare Salem lixivū volatilem Oleosum.

CLXXIII. In *hac Bile* dixi sæpiùs *exsuperare naturaliter Salem lixivum, sed Volatilem atque Oleosum*, cujus malè affecti nomine imprimis noxam contrahet Sanguis, & Cachexiam producet.

A quo minùs volatili Cachexia oritur.

CLXXIV. Accidit autem illud 1. quoties *Sal lixivus minùs* erit *Volatilis & Oleosus*, ac proinde *solito debitoque acrior*: unde universus Sanguis evadet itidem acrior, atque imprimis ejus serum; quod sæpiùs in hisce forsan Belgii, cæterisque Mari Balthico adjacentibus accidit Regionibus; in quibus ob frequentiorem ac perpetuum ferè Carnium Pisciumque muriā conditorum, aut fumo insuper induratorum usum ac abusum *Serum* observari solet in plerisque *subsalsum* quod secundùm naturam requirebatur insipidum.

CLXXV. *Ab* hoc autem *sero salso* pendet *Cachexia Scorbutica*, in iisdem regionibus plerisque familiaris & omoinò endemia.

Vt & à nimis Volatili.

CLXXVI. Sanguis quoque noxam contrahet 2. *à Bile*, quoties *magis* existit *Volatilis*, quàm decebat, unde facilè ac crebrò ad Ventriculū assurget, nauseam, vomitumque pariet, quin universum Sanguinem efficiet magis fluidum, & ad hæmorrhagiam pronum; qua crebrò accidente, atque Sanguine optimo sensim diminuto, aquosior atque Cachexiæ producendæ aptissimus conficitur novus.

Nec non à nimis Oleosa Bile.

CLXXVII Sanguis rursus noxam à *Bile* contrahet 3. quando Ipsa *magis existit Oleosa*, ideòque ad agendum *inertior*, unde *minùs retunditur Lymphæ, Succi Pancreatici, & ipsius quoque Salivæ Aciditas temperata*; quapropter Sanguis faciliùs degenerat in *Pituitam viscidam*, ex qua non tantùm *flatus* in tenui præsertim excitatur Intestino, sed insuper *Leucophlegmatia, Affectio hypochondriaca, & similes Affectus* producuntur in Ægris, unà cum ipsos comitante Cachexia.

Ab aere variè affecto Bilis vitiosa.

CLXXVIII. Quemadmodùm *ab Alimentis* modis variis peccantibus producitur *Bilis Vitiosa*; ita idem accidere solet *ab Aere* variè affecto, tum ratione temporum anni, tum ratione Ventorum, Pluviarum, aliorumque ipsi admistorum.

Et quot modis.

CLXXIX. Ab *Aeris* namque *æstu, æstate* secundùm naturam contingente, *Acrior redditur Bilis*; uti ab ejusdem *frigore, hyemis* tempore imprimis urgente, *temperatur & compescitur eadem*.

Vt & ab Ira mærore, vigiliis, corporis motu, somno & inedia.

CLXXX. Sic ab *Ira excandescit Bilis, ab Animi mærore aut Metu infringitur*: Idem de *Vigiliis, Corporisque motu*, atque *Somno & Inedia* dicendum.

CLXXXI. Qualis autem Bilis existit in homine, talis ab ipsa in Sanguine, hinc & consequente Nutritione Effectus sequetur.

CLXXXII. Atque hæ sunt partes omnes, ex quibus hactenus observare potui constitui Sanguinem in dextro Cordis Ventriculo paratum, & inde ad Pulmones propulsum.

Ab Aere Sanguini dum per Pulmones transit, aliquid misceri.

CLXXXIII. Idem Sanguis antequam cæteris Corporis partibus inserviat, per Pulmones minore circulo cieri solet, donec ad sinistrum Ventriculum deductus, atque ab inspirato Aere modo suo alteratus reliquo corpori advehatur.

CLXXXIV. Mihi autem valdè fit probabile, Aeris, quò Sanguinem in dextro Cordis Ventriculo effervescentem contemperet, aliquid circulanti ipsi per pulmones admisceri, atque unà cum ipso ad sinistrum ventriculum pergere.

Esse vias per quas id fieri queat.

CLXXXV. Nihil enim impedit, Canales tenuissimos pertingere ex aspera arteria in Arteriæ Venæve pulmonalis Ramos, atque per ipsos Aerem ad Sanguinem usque penetrare; modo forsan non pla-

nè

ne dissimili ei, quo per Ureteres in Vesicam penetrat Urina.

CLXXXVI. Quin tale quid actu existere, confirmare videtur Observatio non semel cum successu facta cum flatu in asperam arteriam ex vesica vel folle propulso, & in sinistrum Cordis Ventriculum, magnamque arteriam usque deducto.

Halituosum quid ex Sãguine Aeri exspirando jungi.

CLXXXVII. Quemadmodùm autem Ratio suadere, atque memoratum modò Experimentum persuadere videtur, Vias esse aliquas ex Aspera arteria in Venam Pulmonalem; sic probabile mihi est, vias alias patere ex Arteria pulmonali in prædictã arteriam asperam, per quam halituosũ quid & valdè æstuans, & à Sanguine secedens se jungat Aeri expirando, quem proinde simul calefaciat.

Ab his, si debitè non fiant, Sanguinem & Nutritionẽ vitiari.

CLXXXVIII. Sive igitur Aer aut non sufficiens, aut minùs conveniens inspiretur, sive excludeadis halitibus & fuliginibus dictis via præcludatur, vitiabitur necessariò Sanguis per Pulmones pergens; quin Nutritio idcircò continget vitiosa.

Ut & Sanguinem eodẽ diversũ.

CLXXXIX. Quin ex eodem fundamento patet, pro Aeris necessariò ac semper inspirandi diversitate, Sanguinem futurum necessariò diversum, & Corpori nutriendo magis vel minùs aptum.

Quænam Aeris partes Sanguini misceantur.

CXC. Quamvis autem nondum satis constet, an universus Aer, an aliquæ, ac quænam ejus partes penetrent ad Sanguinem per Pulmones delatum; fit tamen ab effectu, refrigerio sc. & Sanguinis contemperatione inde procedente valdè probabile, illas Aeris partes præ cæteris Sanguini ferventi accedere, quæ aptæ sunt natæ æstum illum ac Effervescentiam temperare, atque cum Effervescentibus sese jungere.

Quid se habeant, quæ æstum temperant.

CXCI. Quòd si effervescentia contingat uti reverà contingit, inter partes Salinas lixivas, & Acidas, utique medio se habeant modo necessum, quæ æstum nimium temperabunt.

Id præstare nitrum.

CXCII. Vix autem aliquod Salim hi notum, cui illas partes assignare possim, præterquam uni Nitro; cujus aliquid Aeri inesse, atque tunc, ubi in ipso abundat, plurimùm æstum nostrum temperare, plura docent; atque inter alia Nitrum in Aqua dissolutum, & potum quemvis frigidiorom faciens, ut & Nitrum purum, aut ex ipso præparato & cum Sulphure fuso exsurgens Lapis prunellæ dictus, temperando Sanguinis nostri æstui tàm conveniens Medicamentum.

Id in Aere contineri.

CXCIII. In Aere autem contineri Salem Nitrosum, & imprimis flante Boreà & Euro, demonstrat fertilitas inde Terris obveniens, atq; omninò à Nitro pendens, uti hoc irrefragabilibus & ab experientia multifaria petitis argumentis evicit Glauberus.

Proinde varietate Sãguinis mutatione ut & nutritionem esse variam.

CXCIV. Prout verò Aeris Nitrum, aut quocunque nomine id alicui appellare libebit, quod ex Aere inspirato communicatur Sanguini per Pulmones circulanti, variè mutabitur, Sanguini quoque inde continget mutatio & vitiatio varia, hinc & Nutritio ad diversas Cachexiæ inclinabit species.

CXCV. Quamvis verò hactenus pauci forsan Scriptores hanc rem accuratè investigarint, utpote qui ex Libris duntaxat solent sapere, poterit tamen tandem aliquando à Practicis Affectibus ab Aere mutato obortis magis attendentibus, & in Chymia præsertim simul versatis hæc difficultas tolli, & in commune bonum ab uno vel altero Viro ingenuo publici juris fieri. Neque enim ab uno debent omnia exspectari; quin laudabile est, plures manum operi admovere, ac collatis operis bonum publicum promoveri.

Cachexiæ curatio varia.

CXCVI. Cùm ex dictis nunc & anteà pateat, plures ac diversissimas observari Cachexiæ species plurimùm inter se differentes; manifestum fit, non uno curandam Cachexiam modo, imprimis ubi simul consideratur, quod omninò faciendum, *Causarum omnium se mutuò consequentium Syndrome ac Catenatio*, postquam non parùm eo nomine veniet mutanda *Curandi ratio, methodusque Dogmatica* & Rationalis.

1. Vitanda & corrigenda vitia in Rebus non naturalibus.

CXCVII. Imprimis & ante omnia *vitanda* vel *corrigenda sunt 1. quævis in Rebus seu non naturalibus observabilia* vitia & errata; quin pro virili præveniẽda sunt omnia fortuitò accidẽtia & valdè noxia.

2. Incommoda in humoribus & Sanguine.

CXCIII. 2. *Incommoda* tum in variis *Corporis Humoribus*, tum in *Sanguine* ex ipsis *partibus Continentibus* & solidis à prædictis rebus oborta, quovis modo possibili & quantùm fieri potest *emendanda*, & singula ad naturalem, laudabilemque sui dispositionem reducenda sunt.

In duobus his consistere curationem.

CXCIX. Atque in his duobus generalibus scopis consistent Cachexiæ omnis Cura: quam nunc per partes explicabimus.

Universi Aeris correctionem non esse Artis opus.

CC. Ut proinde à dictis sex non-naturalibus rebus faciamus initium, *Aerem* universum pro lubitu mutare ac vitiosum corrigere, homini non datum: quamvis enim accensis Sylvis aliqua illi mutatio pro tempore induci possit, ad paucos tamen illa mutatio dies durabit, & imprimis, ubi potentes ipsum perflant venti, qui eundem mox immutant denuò & suis imprægnant viribus: adde quòd omnis Aeris vitiosi emendatio ab Igne accenso non possit expectari, cùm non rarò ab Æstu ejus nimio pendeat ejus vitium.

Sed tamẽ Aeris in Cubiculo conclusi.

CCI. Universi proinde Aeris correctio ab Arte non potest, non debet expectari; potest tamen in aliquo Cubiculo conclusus Aer variis modis pro lubitu immutari & alterari: quod imprimis quoque faciendum à Medico, quando externus Aer valdè noxius existit alicui Cachectico, qui proinde tunc jubendus vel persuadendus ad illum vitandum, & se ipsum intra domum continendum, cùm minùs turbatus & noxius sit intra privatos parietes conclusus, quàm ventis, pluviis, aliisque meteoris expositus ac liber: adde quòd intra unum, plurave cubicula conclusus Aer non ita negotio magno modis variis corrigi possit ac emedari.

Et qua ratione.

CCII. Nam non tantùm *frigidus* accenso foco luculento calefieri potest, sed *æstuans* quoque vel frigida in vasis variis hincinde dispositis contenta, vel plantis refrigerantibus per pavimenta dispersis alterari potest & frigefieri; quinimò *malignus*, vel aliter *graveolens* Aceto cum Aromatibus, plantisve Aromaticis in vaporem gratum elevato corrigi potest ac insalutarem mutari.

CCIII. Arte possunt igitur pleraque aeris vitia intra privatus parietes emendari.

Alimenta vitiosa vitanda & meliora usurpanda.

CCIV. *Alimenta* vitiosa quod attinet, extra meliorum defectum (quod sæpiùs in Obsidionibus, ut & Navibus à Continente remotioribus & similibus casibus contingere solet) facilè possunt *vitari & meliora usurpari*, dummodò Medicis suis magis, quàm vitiato suo Appetitui obediẽtes sint Ægri. Nil enim juvat Consilium expetere atque audire Medicorum quando nulla est salutaribus ipsorum monitis auscultandi voluntas in Ægris; quippe qui non verbis tantùm, sed imprimis herbis, hoc est, usurpatione rerum utilium, veniunt curandi.

CCV. Quoties autem licet convenientia & salubria habere alimenra, toties nisi urgente paupertate impediantur homines, monendi sunt à Medicis, ut sepositis noxiis, utantur salubribus.

Quænam Alimenta Cachecticis noxia.

CCVI. *Noxia* sunt omnia, quæ *difficiliores vacantur digestionis* ac fermentationis: ubi observandum, non unicuique Individuo æquè noxia aut concoctu difficilia esse singula alimenta; cùm occurrant plures, qui ea, quæ pro concoctu difficilibus habentur, concoquunt faciliùs, quàm alia inter concoctu facilia numerata.

CCVII. Sic non pauci reperiuntur, qui Carnem bubulam concoquunt facilè, non item Lac bubulum; quod aliàs pro concoctu facili habetur, cùm passim & à pueris & à senibus digeratur facilè, utut pro debilibus habeantur.

Qualia Alimẽta unicuique conveniãt, quænam nocitura sint ab Experientia discendum.

CCVIII. Non possum, quin duo adhuc hic moneam, & 1. quidem, *Nulli Medico datum esse, citra experientiam determinare, qualia unicuique conveniant, qualia nocitura sint Alimenta.*

CCIX. Unde & hic quoque locum habet tritissimum Practicorum Axioma & præceptum: *A juvantibus & nocentibus potissimam sumi Indicationem.*

CCX. Hoc dum non tantùm rident, sed & negli-
gunt

gunt Aliqui, quod doctrinæ famam, quàm Praxeos felicitatem, majoris nominis Medici, tam sæpè cum Ægrotorum damno impingunt in hunc scopulum; dumq; se non tantùm omnia præ cæteris scire somniant, sed cuncta suo imperio subjecta esse putant, miserè labuntur, & auxilii loco detrimentum afferunt Ægris.

Quid Medico in medicamentorum prascriptione considerandum.

CCXI. Ne quis proinde praxin temerè, at prudenter discat exercere, suadeo omnibus & singulis, *ut ubique, & in medicamentis præscribendis, & in diæta constituendâ considerent, quid uniuscujusque ægri Natura ferre possit, quid ferre recuset.*

CCXII. Hoc autem non nisi per experientiam sedulam & accuratam potest addisci; Interrogandi sc. Ægri *qualia Alimenta commode ferant qualia ipsis molestiam creent. Qualia insuper incommoda à singulis Alimentis noxiis patiantur.* Neque enim eodem modo afficiuntur singuli à singulis. Hæc *si ignorent ipsi ægri*, jubendi sunt ad singula diligenter attendere, ac postmodùm Medico suo referre.

CCXIII. Fateor equidem, *Medicum multorum annorum praxi* ac diligenti observatione in multis facta *peritiam* consequi, secundùm quam *præter propter judicare poterit* de multis Alimentis huic aut illi vitiosæ corporis constitutioni noxii; accidet tamen indies, *ut Medicus aliàs peritissimus fallatur nihilomnus in plurimis aliter in uno, quàm altero Ægro simili corporis ægritudini prædito evenientibus.*

CCXIV. Sic Exempli gratia, occurrent plurimi affectibus Melancholicis & Hypochondriacis laborantes, qui lac dulce ferre nequeant, quin ab ipso tensa Hypochondria habeant: dum nonnullis nulla inde accidet noxa; quod sola duntaxat constare potest experientia, & *singulari observatione, quo scientia non pertingit, in universalibus hærens.*

Causa vera cur male habeat quis ad hoc vel illo alimento, investiganda.

CCXV. Alterum, quod hic habebam monendũ, est, ut *Medicus quoties aliquid singularis observat in suis ægris, ab his aut illis Alimentis male habentibus, toties sedulò scrutetur ac investiget Symptomatis illius causas veras; quibus, quantu possibile accuratè inventis faciliùs ac feliciùs iisdem succurrere queat malis.*

Quid Medicum Ægris commendet.

CCXVI. Nam, ut hoc etiam obiter moneam, *nihil æque commendat Ægris Medicum*, quàm *inventio Causæ latentis, ejusdemque Curatio artificiosa*, cæteris Medicis inaccessa.

CCXVII. Quotidie namque accidit Practici, ut Affectus rebelles ipsis occurrant; quorum dum exẽpla non habent in suis Auctoribus Medici, ex libris tantùm docti, nec illorum causas veras eruere didicerunt, hæret illis Aqua, nec curantur Ægri donec alii vocentur in rerum arduarum examine exercitati, qui solertia sua illas eruant. & sæpè non tantum feliciter, sed & facilè curent Ægros pro incurabilibus habitos; quod quantùm ad famam Medico conciliandam faciat, nemo non videt.

CCXVIII. Hæc etiam Causa est, cur non tantùm suadeam omnibus Medicinæ Tyronibus, ut sensim assuefaciant se Affectus quolvis lectos, visosve accuratè examinare, & causarum omnium inter se colligatarum connexionem perspicere; ac insuper in Nosocomio Academico in Ægrotorum nobis occurrentium examine ipsos in tali opere exerceam, & quantum in me est, *Ipsorum Ingenia & Iudicia formem*, quo ad Praxim propriam accedentes omnia contingant ipsis faciliora. Sed pergamus.

Ægri ubi peccaverint quid Medico agendum.

CCXIX. Ubi proinde Medicus ad Cachecticos ex vitiosis Alimentis tales factos vocatus cognovit quænam illa sint, in quibus fuit ab Ægris delictum, *suadebit, quoties* jubere ac imperare non licet, *ut imposterum à talibus abstineant, vel saltem rariùs & parciùs illis utantur; quin Medicamenta tunc simul usurpent, quæ istorum vitia quodammodò saltem corrigant & emendent.*

CCXX. Illa persuasio imprimis debet habere locum in hisce regionibus, in quibus dominium detrectant omnes nisi blandum & precarium. Eadem persuasio locum debet habere apud Magnates ac Principes, imperare non item obsequi assuetos.

CCXXI. Ut autem locum inveniat Medici Consilium, idemq; suis Ægris persuadeat, quod ab ipsis factum cupit, opus est, ut per propriam ipsorum experientiam & noxiam illos ab ulteriori noxiorum abusu avertat; quin per commoda integram Valetudinem comitantia vel consequentia, functionum putà integritatem & alacritatem, ad convenientiora & utiliora Alimenta usurpanda hortetur.

CCXXII. Cùm autem *non semper obtinere possit ab Ægris Medicus ut abstineant in totum ab Alimentis noxiis, allaborandum ipsi sedulò, ut nota perspectaque habeant medicamenta pleriſque noxis inde obortis succurrentia.*

Medicamenta plerisque noxis succurrentia Medico esse cognoscenda.

CCXXIII. Sic Exempli gratia si ab assumptis certis alimentis, Lacte putà & similibus, Ventris tensio excitari soleat Ægro alicui, tensionem autem illam sciat Medicus pendere à flatibus ex lacte ortis, utiq; flatus discutientia erunt Ægro simul præscribenda, & ex variis quæ hoc præstare solent, talia seliget ac præscribet Medicus, quæ per experientiam edoctus fuerit servire discutiendis flatibus à lacte productis, & singulariter quæ unicuique Ægro conduxisse observaverit.

Alimenta condiendi ars unde orta, & cui nunc inserviat.

CCXXIV. Ex hoc fundamento cœpit Alimenta condiendi Ars excoli, donec tractu temporis, uti pleraque alia solent, in abusum degenerarit. Nunc enim non tam corrigendorum alimentorum in quibusdam vitiosorum ergo, quàm diversorum saporum Gustui gratiorum, & ad Ingluviem homines excitare aptissimorum causa videtur excogitata multifaria Alimentorum Conditura.

CCXXV. Ubi autem ex præscripto Artis Medicę condiuntur Alimenta, utique noxę non paucę ab ipsis alias expectandæ caventur & præveniuntur.

CCXXVI. Impossibile autem est, paucis omnia, pleraq; saltem Condimenta hic convenientia percurrere. Ne igitur nimis longus ac prolixus hic videar, sufficiet mihi nunc in genere multiplicis Conditurae utilitatem, imò necessitatem commendasse.

Diætetica Tyronibus addiscenda.

CCXXVII. Hortor idcirco Medicinæ Tyrunes omnes ac singulos, si cum laude ac Ægrorum commodu praxin velint aliquando exercere, ut aliquid temporis parti Diæteticæ addiscendæ ac cognoscendæ impendant; & imprimis scrutentur, quid Condimenta singula mutationis afferant alimentis, tum ratione saporum, tum ratione variarum alterationum, quæ tam Sanis, quàm Ægris inde accidunt in corpore.

Ut & quid condimenta præstat.

Sanorum Diætam ad artem Medicam etiã spectare.

CCXXVIII. Falluntur autem, ut hoc obiter moneam qui putant, non spectare ad Artem Medicam Dię̨tam Sanorum. Nam non tantum Infirmis, & in alterutra neutralitate constitutis, sed maxime Sanis, qui in Sanitate sua permaneant, conveniens debetur Diæta, tum in cæteris rebus non-naturalibus dictis, tum maxime in alimentis consistens; postquam ejus vitiosæ existentis culpa plurimi solent Affectus produci.

CCXXIX. Talia autem mala & damna ut vitentur, laudabilem ac convenientem unicuique, sano licet, Diætam servandam quis negabit?

CCXXX. Qualis autem unicuique homini conveniens Diæta sit, quis nisi Medicus & Alimentorum multifariorum viribus versatus determinabit?

Ac Medicinæ esse partem.

CCXXXI. Hęc Dię̨tę Sanis convenientis determinatio si ad Medici munus pertineat, uti pertinere jam ostendimus, quis Dię̨tę Sanorum Considerationem & Doctrinam Medicinæ partem esse amplius ambiget aut negare audebit? Nemo forsan, nisi prę̨judicio suo, quàm sanæ rationi magis addictus.

Alimentorum vires Medico cognoscenda.

CCXXXII. Utique Medici est præscire, à quibus alimentis Affectus hi aut illi habere possint ortum; Medici proinde est itidem, rogati pręsertim, quolvis sanos licet, monere, ut ab alimentis vel qualitate, vel quantitate, vel assumendi ordine, modo aut tempore noxiis sibi temperent, atque opera eadem Morbos alias facile secuturos præcaveant.

Ut & omnium rerum non-naturaliũ.

CCXXXIII. Quod de Alimentis tunc à me dictum, id de cę̨teris non-naturalibus rebus itidem dictum velim; cùm eadem sit omnium & singulorum in morbis producendis hinc & præcavendis ratio.

CCXXXIV. In rerum non-naturalium Cachexiam producentium emendatione post Alimento-

rum

Phthisin esse malum plerumque lethale.

LXXIV. Periculosum ac plerumque lethale malum esse Phthisin, non tàm è primarium Medicorum testimoniis notum, quàm quotidianam Experientia: qua constat, admodùm tarò curari Phthisicos, nee ferè, nisi ubi altas non egit hoc malum radices.

Quanam Phthisis valdè periculosa.

LXXXV. Imprimis valdè periculosa est Phthisis ex humurum acrimonia propria orta, sive illa fuerit salsa, sive acida.

LXXXVI. Plura eventum malum vel bonum præmonstrantia signa tum apud Hippocratem, tum apud alios Practicos legere est; quorum quædam tamen hic attingere, atque paucis explicare non nocebit.

Eius Prognostica. 1. Sputum album, æquale, unicolor. Crudum.

LXXXVII. Insignis est de convalituris Hippocratis Prædictio, lib. 2. περὶ νούσων pag. m. 91. posita. Ubi docet 1. *eum, qui probe volet levari, debere sputum album, æquale, unicolor, ac nulla pituita commixtum Tussi facile rejicere.*

LXXXVIII. Omne namque sputum, quod *album* non existit, pro crudo habetur, non autem cocto; ac proinde noxium, nec laudabile censendum.

LXXXIX. Idem si commodum sit futurum, *æquale* sit oportet; quod signum perfectæ coctionis, quemadmodùm inæquale imperfectæ, ideoque illaudabilis.

Diversi coloris.

XC. *Unius Caloris* requiritur idem sputum, quoniam diversitas arguit humorum diversorum confluxum, & quidem non se mutuò temperantium, sed in sua intemperie omnino noxia quodammodo saltem permanentium.

Pituita destitutum.

XCI. requiritur idem sputum ἀφλεγματον, pituita destitutum & liberum; pituita enim admixta testatur novos à Capite depluere ad Pulmones Catarrhos, *a* quibus semper erit novi mali origo, aut præsentis continuatio.

Tussi facile ejectum.

XCII. Illud idem sputum debet *Tussi rejici facile* quo patet, ipsum non esse valdè viscidum, quin omnem viscididatem noxiam esse separatam: præsente namque viscididate, adhæret Ulceri arctiùs sputum, nec nisi majore conamine potest ipsum excerni, unde vehementiùs tussiunt Ægri, ipsumque ulcus in curatione sua impeditur, quin perseverante puris viscididate nunquam curabitur.

XCIII. Hinc patet, plurima in ipso sputo requiri, ut sit laudabile.

2. Quod à capite defluit verti debere ad nares.

XCIV. 2. Ut Curationis spes adsit, vult Hippocrates, *ut id, quòd à capite defluit, vertatur ad nares*: & quidem ob rationem modò datam, ne scilicet ad pulmones distillans, Phthisin foveat aut novam pariat. Unde alibi, lib. 2. de Morb. jubet naribus admovere Medicamenta humores eò allicientia, & quamvis ipsa non mox eò alliciant humores, serosos præsertim & Salsos, vult Medicum perseverare in eorum usu, quò tandem saltem eò deducatur humor peccans & pulmonum ulcus actutus, futurus, aut renovaturus.

3. Ægrum non debere febricitare.

XCV. Requirit 3. Hippocrates, ut *Æger non febricitet*: nam præsente ac permanente Febre minuitur Curationis spes, sive Febris ab ipso ulcere, cùm sit illa omnium pessima; sive à catarrho habeat ortum, quæ non potest non impedire curam, vitiatis aliis quoque in corpore humoribus; sive quævis alia febris accidat, unde itidem Ulceris curatio impedietur.

4. Non impedire cibos.

XCVI. Vult 4 idem Hippocrates, *non impediri Cibos*, vel quoad *assumptionem*, vel quoad sui *Chylificationem*, nam sive appetitus & fames vitietur, sive assumpta Alimenta non ritè fermententur, fieri nequit, quin simul sanguis adsit aut producatur vitiosus, à quo necessariò damnum patietur Ulcus in Pulmonibus existens.

5. Ægro non sitiendum.

XCVII. Optat 5. Hippocrates, ut Æger non *sitiat*. Sitis enim aut humoris Acris præsentiam aut æstum denotat in Corpore, unde noxa expectanda necessariò, ut & à potu liberaliùs fortè tunc assumpto.

6. Alvum debere singulis diebus dejicere.

XCVIII. Desiderat 6. Hippocrates, ut *Alvus singulis diebus dejiciat*; nihil namque commodi expectari potest ab Alvo adstrictiore, utpote humoris viscididatem ut plurimùm consequente.

7. Excrementa dura & assumptis convenientia.

XCIX. Non vult tamen idcircò Alvi fluxum plerumque valdè noxium, & tandem lethalem quin 7. cupit *excrementa dura & assumptis convenientia*, tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis, Duriora enim excrementa testantur Fermentationis, Secretionisque Chyli perfectionem, dummodò quotidie excernatur. Respondere autem debent & quantitati & qualitati assumptorum; unde aliàs quidem copiosiora, alias pauciora, aliàs molliora, aliàs fluidiora erunt Alvi excrementa.

8. Hominem non extenuari.

C. Pergit Hippocrates, & desiderat 8. *Hominem* non evadere *Tenuem*, hoc est, *non extenuari atque macilescere*; verùm habitu satis pleno, integro & carnoso permanere: quod signum certum existit Tabis nondum præsentis: Hac autem præsente difficiliùs curantur & evadunt Ægri.

9. Pectus quadratum & hirsutum.

CI. Requirit 9. Hippocrates, ut *pectus id confirmet & prebet*, existens sc. *quadratum & hirsutum*. Illud enim habetur pro innati roboris signo: faciliùs certè superatur Phthisis ab eo, cujus constitutio naturalis est firma & robusta quàm ab eo, qui est infirmus & debilis.

10. Cartilago ensiformis exigua & valde carnosa.

CII. Vult denique 10. Hippocrates, ut in tali homine *Cartilago* ensiformis dicta sit *exigua & valde carnosa*. Ubi enim grandi apparet, atque carne destituta signum est Maciei, quæ tam naturalis, quàm cum morbo adveniens noxia semper existit: uti contra Caro firma & multa signum est roboris connati.

Prognosticon de bono eventu.

CIII. Tandem concludit Hippocrates, *Illum, in quo hæc omnia occurrent, maxime futurum superstitem*; quemadmodùm contrà *exitio maxime vicinum, in quo eorundem nullum reperitur*. Quo namque plura salutis signa concurrant simul, eò major convalescentiæ spes affulget; quò pauciora, eò minor.

De Malo eventu.

CIV. Postquam hoc Hippocratis de bono eventu loquens prognosticum explicuimus libet, quoque aliud ejusdem de *malo eventu* exponere quod habetur *lib. v. de Morbis* pag. m. 477.

CV. *Si cui ex Pulmonis vitio tabescenti & Phthisico Capilli ex capite defluant, caputque velut ex morbo madetur, & super prunas expuenti sputum graviter Oleat, hunc intra breve tempus & quidem ex Alvi profluvio periturum asserit. Ubi enim* (hujus affecti rationem addit Hippocrates) *jam Pus circa Cor computruit, id prunis impositum nidorem exhalat, & unà incalescens Cerebrum salsuginem emittit, quæ Alvum ciet; cujus rei indicium est, quòd Capilli ex Capite defluunt. Talem* autem monet *non esse curandum*, sed prognostico dato relinquendum.

CVI. In hunc planè sensum sunt Aph. 11. & 13. lib. 5. *Qui tabe vexantur, si sputum, quod extussiunt, carbonibus injectum olet graviter, & Capilli à capite defluunt lethale. & Quibus per tabem Capilli defluunt à Capite, ii fluxione Alvi supervenïente moriuntur*; quò etiam spectat Aph. 6. lib. 7.

CVII. Duo autem in horum Hippocratis Dictorum examine sunt expendenda, primò res ipsa, secundò ratio ejusdem.

CVIII. Rem ipsam quod attinet, illam ipse utpote in praxi versatissimus, ab experientia multiplici desumpsit, &, quemadmodùm cætera sua omnia, bona fide posteris communicavit.

CIX. Vera proinde esse illa, quæ de malo ac lethali Phthisicorum eventu refert Hippocrates, confirmat quotidiana Experientia, idcircò majoris facienda.

Tria Phthiseos lethalis signa.

CX. Tria autem hic proponit Hippocrates Phthiseos lethalis signa notabilia, quorum primum est *Capillorum effluvium, Capitisque inde consequens denudatio*. Secundum est *fœtor & gravis odor sputi in prunas conjecti*. Tertium est *Alvi fluxus superveniens*, atque *Ægrum brevi occidens*; quod fieri asserit lib. 7. Aph. 16. *quando sputum retinetur, nec ampliùs prodit*.

CXI. Atque Medico quidem sufficit, hæc observasse,

vasse, ut eventum prædicat, licet nullam illius rationem cognoscat vel promat. Longe autem gloriosius, quin insuper gratius est Medico, Causas quoque talis effectus & eventus tristis cognoscere, quam empirice duntaxat illud pronunciare.

Eorum causa.

CXII. Quòd Ergò hic & alibi fecit Hippocrates, omnes quoque Medicos decet, Causas Effectuum omnium tamdiu investigare, donec illas invenerint, quò exinde illas aliis quoque in commune bonum Hippocratis exemplo communicare possint.

Puris fœtentis causa.

CXIII. Ut proinde Hippocratem sequamur, censet ipse, *Puris prunis injecti fœtorem* consequi *ejusdem circa Cor* existentis contingentem *putredinem*. Quibus verbis (meo saltem judicio) innuit, Pus degenerate à prima sua constitutione laudabili, de qua egimus in superioribus, atque novem putredinem concepisse, unde non tantum, ubi prunis injicitur, fœtorem exalat, sed etiam non accensum adstantibus, ipsique ægris fœtet: de quo idem Hippocrates in eodem textu refert, *Ægros detestari sputum suum in ore contentum, excreandaque*; dubio procul ob fœtorem valde molestum, de quo non semel audivi conquerentes Phthisicos, & ob istum fœtorem nauseantes, ac de Animi deliquio sibi nonnunquam metuentes.

CXIV. Pus certè laudabile æquale est, album, unicolor, minimè fœtens, &c. idem verò aut mora, aut quavis alia de causa denuo mutatum & putrescens, cum pinguedinis alicuius fit quoque particeps, fœturem inde exsurgere, atque imprimis, ubi prunis imponitur, quis mirabitur, nisi omnium putrefactionum ignatus? sed insuper idem pus putrescens Acrimoniam solet nancisci, solutis puta pinguedinis salsam puris portionem demulcentis vinculis.

Alvi luxa & Capillorum defluvii causa.

CXV. Arbitrari autem videtur Hippocrates, ab illo putrescente circa Cor pure *incalescere Cerebrum*; atque illum præternaturalem Cerebri Calorem causa esse *Salsuginis Alvum cientis*: quemadmodùm ejusdem Caloris Cerebri præternaturalis *signum*, adeoque Effectum, *Capillorum defluvium*.

Febris lenta unde.

CXVI. Utique à pure in pulmonibus, ergò circa Cor, putrescente, atque Sanguini communicato Febrem continuam & lentam quocunque demum modo excitari, nemo forsan negabit. Eundem Sanguinem, imprimis ubi post sumptum alimentum exacerbatur febris, sursum propulsum in *Malis & Genis ruborem* producere, omnibus esse potest notissimum; quod in eodem textu innuisse videtur Hippocrates, dum inter Phthiseos signa refert τὰ κοῖλα vel τὰ κοῖλα ἐρυθρὰ, Cavitates oculorum, vel potius malarum rubentes.

Malarum & genarũ ruber unde

CXVII. Eundem Sanguinem ad Cerebrum quoque deferri, quis ibit inficias? In cerebro proinde vitiabitur itidem omnis Functio à Sanguine effluente ullo modo pendens.

Cerebri intemperies & salsi humoris productio unde.

CXVIII. Narium autem mucum consequi aliquam similem in Cerebro Functionem, non puto aliquem rei attentum negaturum, atque ab eadem vitiata ortum habere Gravedinem, Coryzam, Raucedinem, tussim & plura has consequentia mala, puto esse notissimum. Quòd si, à præcedenti Gravedine oriatur ferè semper humoris salsi & subacidi descensus ac destillatio ac nares & fauces; quid mirum si à Phthisi talium humorum catarrhum subsequente foveatur illa in Cerebro existens Intemperiens, adeoque promoveatur similis humoris salsi productio.

CXIX. An verò *Salsi catarrhi productio* Calori adscribenda sit aucto, *& Cerebro incalescenti*, quemadmodùm loquitur Hippocrates, dubito; ne facilè illi subscribam, nisi modus, quo calor tantum auctus id præstare queat; clarè ac distinctè mihi explicetur.

Gravedo unde oriatur.

CXX. Id quidem notum per experientiam multiplicem & quotidianam, si quis aut Solis, aut Ignis, aut Balnei estu, aut corporis motu, aut potus potentioris usu liberaliore, aut quovis alio modo valdè incaluerit, atque imprimis circa caput, quod multis familiare est, sudor erumpit, hinc se subito frigori externo exposuerit; supervenire facillimè ac sæpenumerò Gravedinem: ad quam præcedentem calorem, ac subsequens Frigus concurrere notum. Nec puto nunquam à solo calore observatam urtam Gravedinem; quamvis à solo Frigore graviore ac rigidiore productæ potem posse plura proferri exempla, & imprimis flante Boreà.

CXXI. Quæritur proinde meritò, si per Gravedinem producantur in Cerebro, Cerebrive Glandulis humores Salsi, & Grevedo nulla producatur, nisi concurrere saltem aliquo Frigore axterno, quomodò à solo Cerebre incalescente possit deduci Sal humoris sive salsuginis in ipso productio?

Salsi humoris productio non à Cerebro duntaxat incalescente.

CXXII. Non dico à Cerebro duntaxat incalescente non posse produci in ipso salsuginem; sed profiteor, me illum modum necdum assequi posse; quisquis igitur, ut Hippocratem illustret, modum illum proponet, non parùm me devinciet; me inquam, qui maximi facio Hippocratem, nec nisi argumentis urgentissimis coactus; velim ab ipso dissentire: memor tamen Aurei dicti Aristotelis, asserentis Amicum quidem sibi esse Socratem, Amicum Platonem, sed magis amicam Veritatem.

CXXIII. Id & nos quoque decet, qui veritati uni studemus, nec facilè, à gravium Auctorum sententiis abire debemus.

Tria memorata lethalis Phthisicos signa non semper habere locum.

CXXIV. Cùm proinde Hipocratis mentem non satis possim assequi, meam saltem hic proponam & exponam. Censeo igitur *non in omni Phthisi* habere locum hæc signa ab Hippocrate proposita, *sed in ea præsertim, quæ à Salso & Acri Catarrho habuit ortum, hunc saltem Catarrhum habuit comitem, aut supervenientem*. Nihil enim impedit, Ægrum quacumque alia de causa ad Phthisin vergentem corripi posse Gravedine ob commissos in prædictis rebus nonnaturalibus errores.

In qua Phthisi locum habeant.

CXXV. In quibus igitur Phthisicis præcessit aut successit Gravedo & Catarrhus Salsus, in iis puto Sanguinem universum reddi Acriorem, hinc universos Corporis humores hactenus Acriores.

CXXVI. Præter autem Sanguinis à Pure ipsi communicato ortam ad nutriendum corpus ineptitudinem, concurrit in casu memorato Salsedo illam magis augens.

Capillorum defluvium unde.

CXXVII. Quòd si corporis partes omnes sensim conficiantur, macerentur, macrescant, & contabescant Sanguinis minus laudabilis culpa, mirum non est, si capilli quoque nutrimento suo destituti decidant, imprimis, ubi affectum est simul Caput Gravedine licet levissima, ob quam interim Catarrhi Salsi continuè delabuntur ad partes inferiores.

Alvi fluxus unde.

CXXVIII. Hi autem Catarrhi Salsi non tantùm ad Pulmones, sed ad Ventriculum quoque atque Intestina defluunt; quin Massam Sanguineam inficientes, quemadmodùm cæteros humores, sic Bilem quoque vitiant, & nimis Salsam præstant: unde *duobus modis Alvi fluxum promoveri* autumo; 1. quatenus scilicet *ipsi humores Salsi per Ventriculum deferuntur ad Intestina, ibidemque Pituitæ*, Bili, Succoque Pancreatico confundantur, ipsorumque functionem vitiant; 2. quatenus ab *iisdem humoribus Salsis* per vasa Lactea ad cor deductis *tota Sanguinis Massa sensim magis magisque inficitur, hinc & cæteris ex ipsa humores, Bilis præsertim, noxii* & Alvi fluxui promovendo aptissimi producuntur: Atque hunc postremum modum præcipuum atque primarium existimo, secundùm quem Alvi fluxus Phthisicis lethalis excitatur.

Purulenti sputi retentio signum instantis mortis. Et qua ratione.

CXXIX. Inter alia ex Aph. 16. lib. 7. diximus instare mortem, quando *Purulentum sputam retinetur, nec ampliùs excernitur*; quod plerique quidem Galenum secuti putant fieri, quatenus ab illis sputis in Pulmonibus retentis Respirationis viæ obturantur, & idcircò Ægri suffocantur.

CXXX. Non negaverim ego, eorum scilicet

quæ in Ægris accidere observavi memor, Catarrhos Pituitosus, viscidosque copiosè ad Pulmones delatos, atque in ipsis hærentes suffocare posse Ægros: quin idem à pure ex Vomica vel Abscessu in Pulmonibus nuper rupto effluente aliquando accidere; verùm idem in perseverante Pulmonum Ulcere absque comite Catarrho recente, à solo pure in Ulcere indies orto fieri vel unquam factum, non puto ulla constare observatione accurate facta.

Ulcera paulo ante mortem parùm puris producere.

CXXXI. Quapropter id, quod modò dicebam, & ab Experientia sum edoctus multitaria, nunc repetam, Chirurgis certè operi attentis notissimum est, *Ulcera omnia qualiacunque paulò post mortem parùm vel nihil puris producere*: unde inter *signa lethalia*, quinimò *mortis propinquæ* enumeratur ille *Puris in Ulceribus defectus*: non quod in Ulceribus coacervetur tunc Pus, sed *quòd in ipsis non producatur ampliùs*: unde labia sicca occurunt, minimè humida & pure madida.

Atque hoc in Phthisicis etiam evenire.

CXXXII. Id quoniam in omnibus *Ulceribus ocalis patentibus* accidere, quotidiana testatur Experientia, cur similiter *Phthisicis evenire* dubitabimus, postquam similes utrobique observamus Effectus, Mortem putà subsequentem, atque Puris Defectum magis, quàm Cumulum?

CXXXIII. Si quis enim Phthisicorum Cadavera secuerit, non ita multum puris reperiet in Ipsorum Pulmonibus, eorumdemve Ulceribus, à quo credi possit suffocatus Æger: adde quòd præter Inspirationis difficultatem, toto Affectus decursu æquè molestam, nullum grave morientes Phthisicos soleat infestare Symptoma, ex quo suspicio vel minima peti queat prægressæ suffocationis.

Ejus causa.

CXXXIV. Censeo itaque, quod vulgò Naturæ nescio cui satiscenti adscribitur, quærendum esse in *humoribus ad Vitalis Ignis in Corde, adeoque Vitæ conservationem absolute necessarii aut deficientibus, aut ita vitiatis*, ut Igne Vitali sensim languescente, antequam planè extinguatur, *Sanguis primùm operibus suis præstandis planè ineptus factus tum partibus ipsis, læsis præsertim, calorem vitalem parcissimum promat, tum ipsi Puri generando materiam paucissimam largiatur*; unde satiscente in parte imprimis pejùs affecta vita, mirum non est, si & pus in ea ulcerata producatur, quàm priùs, parcius, hinc parcissimum, tandem nullum: atque sic imminentis mortis præbeat signum certissimum.

Phthiseos curatio.

CXXXV. Atque hac de Phthiseos prognosi dicta sufficiant, accingamus nos nunc ad Ejusdem *Curandi rationem* ac *methodum*.

CXXXVI. Quamvis autem rarissimè curantur Phthisici confirmati, non tamen idcircò planè sunt deserendi; cùm & Palliativa Cura debeatur illis, qui non possunt curari perfectè: quin imò; quoniam observantur plerumque lethales Phthises diuturniores, ideò in tempore illis adhibenda medicina, quò præveniatur periculum futurum.

CXXXVII. Quapropter in tres partes distribuemus *Curam Phthysi* debitam, *Imminenti* puta, *Inchoatæ*, atque *Consummatæ*.

In tres partes distributa, præservationem, curationem & palliationem.

CXXXVIII. *Imminenti* debetur *Præcautio* atque *Præservatio*: *Inchoatæ Curatio*; *Consummatæ Palliatio*.

Qui præcaveatur.

CXXXIX. *Præcavebitur atque prævenientur instans*, & facilè aliàs *secutura à Phthisis*, non negligendo, quin mox ac ritè *curando Affectus quosvis*, *a quibus ortum* suum ducere solet *Phthisis*.

1. Tussis gravis non negligenda.

CXL. Inter Affectus autem varios, à quibus solet produci Phthisis, docuimus 1. loco esse *Tussim omnem gravem ac perseverantem*. Quoties proinde molesta Tussis durat diutiùs, metus futuræ Phthiseos urgere debet Medicum ad operam omnem Tussi tali curandæ impendendam.

Ejus diversitas.

CXLI. *Tussis* autem illa vel *sicca* erit, sine ulla exscreatione; vel *humida* dicta, cum exscreatione aut *Cruoris*, aut *Puris*, aut *Pituitæ Aquæ*: *Salsæ*. *Viscidæve*; unde facilè patet singulis hisce, variisque Tussis speciebus methodum Curandi deberi diversam; de quibus suo agendum loco, quemadmodùm de quibusdam jam egimus in superioribus.

2. Tussis incipiens cum Sanguinis, puris, &c. excretione coniuncta curanda quàm primùm.

CXLII. Sed & 2. Non tantùm perseverans & gravis *Tussis* producere potest Phthisin, sed *& incipiens, cum Sanguinis, Puris, aut cujusvis Acris Humoris excretione conjuncta*, quoniam ab hisce omnibus facilè exulceratur Pulmo, & Phthisis producitur.

CXLIII. Non procrastinanda proinde Sanguinis sputi, ut & cujusvis Purulentæ per pulmones Excretionis Curatio; ut nec humoris salsi, acidive in pulmones delabentis & tussim periculosam, utpote Phthisin brevi producturam, efficientis.

CXLIV. Monendi igitur à Medicis suis Ægris, ne Sanguinis, Purisve sputum, atque omnem à Salso, acrique Catarrho ortam Tussim parvi pendant, ut nec quamvis aliam diutiùs protractam. Quamvis enim nonnunquam spontè cessent talia mala, ut plurimùm tamen sui aliquas notas relinquunt, unde facilè malum recrudescit, & indies gravius, ideòque magis periculosum redditur.

CXLV. Sed & monendi quoque Ægri, ut ab omni vehementiore Corporis motu, Saltatione imprimis, atque Vociferatione magna sedulò sibi caveant utpote semper valdè noxiis, unde facilè rumpi potest aliqod Vas in pulmones, atque Sanguinis sputum excitari, aut renovari.

Phthiseos incipientis & consummata curatio.

CXLVI. Atque hæc omnia propriè ad alios Affectus spectant, Præsentis autem sive Incipientis, sive Consummatæ Phthiseos Cura ex professo & quidem suo loco hic debeat tractari: quod jam ordine faciemus.

In quo præcipue consistat.

CXLVII. Cùm autem omne in Phthisi periculum sit à pulmonis Ulcere, à quo communicatum Sanguini pus & Febrem lentam Hecticam, & Tabem lethalem producit idcircò in Ulcere illo pulmonum Curando præcipua Phthiseos cura consistet.

Ulcere tempe pulmonis.

Ejus causa tollenda vel corrigenda.

CXLVIII. Nunquam verò curabitur perfectè Pulmonum Ulcus, nisi causa illud fovens, quoties simul concurrit, priùs fuerit sublata vel correcta? neque enim semper talis causa simul adest,

Quænam ea sit.

CXLIX. Talis autem Causa Ulcus fovens aut *Catarrhus* esse solet, isque nunc *Salsus Acidusve*, & Acris; nunc blandus, & *Aqueus*, *vel viscidus*; aut *Pus* aliunde Pulmoni communicatum.

Catarrhus aliò avertendus.

CL. Quoties proinde Catarrhus Acris, adeoque Salsus, vel Subacidus à Capite ad Pulmones delabitur, toties ille avertendus saltem aliò; & temperandus, si curam integram respuat.

Et ejus continua generatio avertenda.

CLI. Perfectè curabitur Catarrhus Acris, impediendo continuam ipsius generationem, usurpando medicamenta Salsedinem, Aciditatemve humorum non tantùm temperantia, sed insuper eosdem temperatiores servantia.

Humores salsi & subacidi expurgandi Hydragogis & Diureticis & Sudoriferis.

CLII. Ubi talium humorum Salsorum vel Subacidorum copia magna reperitur in Corpore, nil impedit, ipsos priùs quodammodò temperatos *expurgari*, medicamentis *Hydragogis* dictis.

CLIII. In eundem finem usurpari *possunt Diuretica aut Sudorifera* medicamenta imprimis talia, quæ simul Acrimoniam humorum temperant.

Fonticulis.

CLIV. Quin ad minuendos humores illos cum felici successu adhibentur *Fonticuli*, tum in cervice, tum in dorso, circa Spinæ ductum, tum in brachiis, tum in cruribus.

CLV. Qui fonticuli non tantum minuunt humores peccantes, quin praetereà ipsos à parte affecta avertunt, atque sic duplici nomine prosunt.

Errhinis.

CLVI. Idem dici potest ac debet de *Errhinis ac Sternutatoriis*, quæ humorem peccantem itidem per Nares evacuant, & simul à Faucibus avertunt.

Humorum vitiosorum productio impedienda.

CLVII. Non sufficit autem minui subinde *humores illos vitiosos*, redundantesque, primarium est, ut eorundem *incrementum & productio in totum tollatur*; quod nunquam, nisi empiricè fiet, ignota vera humorum quorumvis in corpore humano origine & productionis ratione.

CLVIII. Parùm quidem interest Ægrotorum,

an

Medico perspectus esse debet verũ agendi modus.

au nota sit Medicus exacta Functionum omnium ratio, nec ne, dummodò ipsi à suis liberentùr ęrumnis ac morbis; ad Artem autem Medicam perficiendam, & mulra etiam nunc ignota eruenda conduceret multùm perspectus rerum omnium agendi modus.

Quomodo id fieri queat.

CLIX. Nunquam verò, meo saltem judicio, innotescet citiùs, & faciliùs, certiùsve, quàm observando exactè omnia & singula, quę per experientiam comperta sunt Functiunes singulas in pejus, aut melius mutare, atque considerando diversitatem in singulis eorundemque mutationibus occurrentem. Ex his enim pensiculatè examinatis, ac diutinè expensis puto. nos tandem aliquid boni verique posse eruere.

Pilularum de Cynoglossa vires. Ut & de Styrace.

CLX. Inter medicamenta autem usitata vulgò, & humores Salsos emendantia optimę sunt *Pilulæ de Cynoglossa* dictę, ut & de *Styrace* nominatę; utpote quę Salsam Acrimoniam temperant & ubtundunt.

Simplicia humores salsos emendantia.

CLXI. Idem inter simplicia prestant *Gummi* tragacanthum, Arabicum, Mastiche, Olibanum; Styrax; rad. Althęæ, Symphyti, Glycirrhizę & similes; folia malvæ, althęæ, &c. sem. 4. frigidæ majora dicta, ut & Papav. Albi, Cydoniorum, Pistacia, Amygd. dulc. hurdeum mundatum, &c. Opium ipsum, Succus Glycyrrhizę inspissatus; Terrę pingues omnes, Bolus Armena, Terra Lemnia, Sigillata, & Silesiaca, & Turcica; Corallia, Margaritę, Cineres Cancrorum &c.

CLXII. Ex his autem varia forma possunt adornari medicamenta Ægris convenientia, & quidem nunc Pulveris, nunc Tabellarum, nunc Pilularum, nunc Emulsionis, nunc Conditi, aut Electuarij, & sic porrò.

Catarrhus blandus & aqueus qui curetur.

CLXIII. *Catarrhus blandus & Aqueus* curabitur imprimis *Sudore*, qui igne loculento aut Stupha siccæ, vel Vini Spiritu accenso, & assumptis quoque aliquando medicamentis excitari potest.

Sudore ex foco.

CLXIV. Certè foco ex Lignis, Quercino præsertim aut Fagino extructo Sudor non incommodè promovetur.

In stupha sicca.

CLXV. Sic in stupha sicca, dum claustris concluditur corpus universum, excepto capite, eoque interim benè munito, Sudor abundè potest elici, atque Aqueus in corpore humor sensim educi.

CLXVI. Non negligenda interim externa Caput simul roborantia & Aqueos humores tum minuentia, tum incrassantia, Suffitus putà ex Mastiche, Thure, Succino, Styrace, Benxoino, & similibus.

In Lecto & Capsula.

CLXVII. Imprimis commodissimè potest elici Sudor ęquè in Debilibus, quàm Robustis in Lecto jacentibus, atque Capsula ad pectus usque exporrectà tectis; in cujus extremo circa pedes accenditur Vini Spiritus, atque inde halitus corpus nudum afficiens absque labore atque ulla molestia sudorem expellit è corpore copiosum, pro cujusque arbitrio moderandum.

Ex decoctis sudoriferis. Et quibus

CLXVIII. Ad *Sudorem movendum inter assumenda* commendantur hic *Decocta* ex *Rad. & Lignis* parata; radicibus putà Chinę, Sarsæparillæ, Bardanæ, Contrayervæ, &c. Lignis verò Guajaci, Sassafras; Buxino, Quercino, Juniperino & similibus. Quibus aliquando addi potest aliquid Corticum Guajaci, ac præsertim Baccarum Juniperi &c.

CLXIX. Hac ratione autem non tantùm consumitur redundans in Corpore humor Aqueus, sed idem insuper, ne ampliùs tàm copiosè producatur, actu impeditur.

Humor Viscidus distillans.

CLXX. *Humor Viscidus* à Capite distillans in Pulmones tum incidentia, tum & subinde evacuantia desiderat.

Quibus incidendus & alterandus.

CLXXI. Inter incidentia & alterantia conducunt prędicta Decocta, cùm Ligna ista pleraque Sale Volatili abundent, à quo inciduntur humores viscidi, & attenuantur, & emendantur, & quodammodò evacuantur iidem.

CLXXII. Quibus Decoctis si Colocynthidis pulpa, vel Hermodactyli, vel Agaricum, vel Turpethum incoquantur, eosdem humores per Alvum simul educent.

Et educendus per alvum.

Et impediendus, ne novus generetur.

CLXXIII. Ubi autem novi humoris viscidi proventum impedire volumus, addi quoque possunt hisce decoctis variæ plantæ Aromaticæ, & tum Cephalicæ, tum Pectorales dictæ, Salvia, Rosmarinus, Majorana, Betonica, Hyssopus, Capillus Veneris, Scabiosa, Enula campana, &c.

Decocta quomodò præparãda.

CLXXIV. Decocta autem ista omnia cùm diutiùs usurpari debeant, uniuscujusque Ægri palato minùs ingrata parari debent: quò minùs ab iis abhorreant, & ut in eorundem usu perseverare possint.

Hũor valdè viscidus quibus incidatur.

CLXXV. Humori valdè viscido incidendo conducunt quoque Gummata, Bdellium, Sagapenum, Galbanum, Ammuniacum, &c. in pilulas commodas redacta, additis alijs simul alterantibus, & quandoque evacuantibus prædictis; ut & Mercurialibus, Mercurio dulci putà, vel Præcipitato quovis.

Pus Pulmoni communicatum.

CLXXVI. Pus aliunde Pulmoni communicatum, & Ulcus in Pulmone non tantùm producens, at simul fovens, non desinet eò vergere, nisi per aliam viam evacuetur; aut ejus generatio nova, curato sc. ulcere, impediatur.

Quomodò evacuandum in Empyēate.

CLXXVII. Alia via evacuabitur in Pectoris Cavitate collectum in Empyemate Pus, per foramen in pectore factum, sive paracentesin.

Et ulcus mundandũ, & consolidandũ.

CLXXVIII. Per hoc autem foramen non tantùm Puri exitus paratur, quin etiam Injectionibus Ulceri mundando (si quod ibi quoque fuerit productum) & consolidando convenientibus infundendis via aperitur.

Causa Ulcus fovente sublata faciliùs mũdatur & consolidatur.

CLXXIX. Quoties propositis aut similibus modis Causa Pulmonis Ulcus fovens, sublata, vel saltem aversa est, faciliùs procedet ipsa Ulceris in Pulmonibus existentis Curatio, in ejusdem Mundatione, hinc & Consolidatione consistens.

Medicamẽta Ulcus mundãtia.

CLXXX. Inter abstergentia & Ulcus mundantia medicamenta commendantur vulgò Rad. Helenij, Aristolochiæ utriusque, Iridis, ac similes; Herbæ Tussilaginis, Marrubij, Scabiosæ, Agrimonij, Hyssopi, Capilli Veneris, Veronicæ, Hederæ terrestris, Botyros, Pulmonariæ, Verbenæ, &c.

CLXXXI. Ex quibus parari possunt decocta pectoralia, additis passulis majoribus, aut Colaturæ Syrupis, ac prȩsertim Mellitis; cùm abstergendi vim majorem habeat Mel, quàm Saccharum.

CLXXXII. Conducit in eundem finem Terebinthina Veneta dicta, cum Ovi vitello, aut Syrupo convenienti ad ℥ iij. vel iv. subinde assumenda.

CLXXXIII. Aqua mulsa quoque laudatur, & ipsum Mel crudum per vices assumptum.

Balsamus Sulphuris compositus.

CLXXXIV. Cæteris verò omnibus hactenus notis præfero Sulphuris Balsamum ritè paratum, & imprimis cum Oleo Anisi; quoniam parari quoque potest cum Oleo Succini, cum Oleo Juniperi, cum Oleo Terebinthinæ Venetę, cum Oleo Nucum, aliisque.

Quomodò parandus.

CLXXXV. Lentè autem si paretur, longè gratior fiet & convenientior, aliàs enim empyreuma redolet, & Acrius existit; uti contra, blandior, & minùs Acris, ideoque præstantior, si paulatim conficiatur.

CLXXXVI. Nullum autem hactenus reperi medicamentum, quod vel externè, vel internè usurpatum citiùs, tutiùsque non tantùm mundaverit, sed insuper consolidaverit recentia Ulcera, atque Sulphuris Balsamum? dummodò eo uti potuerint, & voluerint Ægri.

Medicamẽta ulcus consolidantia. Rosa rubra.

CLXXXVII. Cæterùm ed mundati Ulceris consolidationem multũ laudari solent ac commendari Rosæ rubræ, atque ex ipsis parata Conserva; licet ego hactenus effectum ejus magnum ac bonum non viderim; quoniam ubi copia sumitur majore, quod volunt ejus laudatores, Ventriculus & Intestina multo Phlegmate replentur, unde non tantùm appetitus prosternitur, sed & Chylificatio lęditur; quinimò non semel molestum frigus in superiore abdomi-

nis, adeoque Ventriculi regione oboritur, à quo vix aliquot mensium spatio liberari possunt iterum Ægri: quod non semel ubservavi factum.

CLXXXVIII. Præferrem pruinde decoctum Rosarum Rubrarum cum forti expressione paratum, idque Sacchаro pauco edulcoratum.

CLXXXIX. Laudantur quoque Boli atque Terræ sigillatæ omnes, ut pote potenter exsiccantes, sicque consulidationem ulceris mundati promoventes.

CXC. His addi solent Rad. & Fol. Consol. major. & mediæ, Plantaginis, Saniculæ, Pyrolæ, cæterarumque Vulnerariatum vocatarum; Flor. Hyperici, &c.

Sulphuris flores, balsamus & Lac.

CXCI. Commendantur à quibusdam in hoc casu non tantùm *Sulphuris flores*, atque Balsamus, (de quo jam dictum) sed & *Lac*, cujus ego tamen nullum unquam observavi effectum notabilem: quamvis ipsum sæpiùs Ægris exhibuerim, & ab aliis quoque exhibitum viderim.

Phthiseos incurabilis; Palliatio.

CXCII. Atque hæc de Incipientis, nec confirmatæ aut Consummatæ Phthiseos Curatione dicta sufficiant; pergamus nunc ad ejusdem Extremæ aut Desperatæ Palliationem. Diximus enim, Ipsam inveteratam utplurimùm saltem observari incurabilem.

In quo consistat.

CXCIII. *Incurabilis Ergò Pthiseos Palliato* cousistet in Symptomatum molestorum alleviatione vel alteratione, viriumque collabentium convenienti reparatione ac sustentatione.

Symptomata maximè molesta.

CXCIV. Symptomata in Phthisi maximè molesta sunt 1. *Respiratio Difficilis*, 2. *Tussis* pro humoris excernendi varietate *multifarie gravis*. 3. *Appetitus* sæpè *prostratus*, ut & 4. *Gravitas* post assumpta alimenta.

Respirationem quando facilitent.

CXCV. *Respirationem facilitant* omnia, quæ ipsius impedimenta minuunt.

Quanam impediant.

CXCVI. *Impediunt* Phthisicorum *Respirationem*, tum ipsum *Pus in Pulmonum Ulcere* genitum, tum *aliunde eò* delatum, tum *humores cæteri viscidi vel acres* ad Pulmones delabentes.

Pus nempe viscidum & tenax.

CXCVII. Pus utrumque difficiliorem præstat Respirationem, quoties *viscidum ac tenax* firmiter adhæret Pulmoni, nec nisi labore magno atque longo expelli potest.

Medicamenta Puris viscidiatem incidentia.

CXCVIII. Viscidiтas autem illa ut solvatur, & faciliùs Pus excernatur, præstabunt Medicamenta incidentia, & ex Hyssopo, Capillis Veneris, Tussilagine, Enula Campana, Irid. rad. & similibus parata Decocta pectoralia, Syrupi, Trochisci, &c.

Balsamus Sulphuris.

CXCIX. In hunc finem commendo itidem Balsamum Sulphuris Anisatum, utpote qui non tantùm Ulceri mundando & consolidandu servit, verùm insuper Pus ipsum tenuius, fluidiusque reddit, adeòque ipsius excretionem promovet, & faciliat.

Catarrhi crassi & viscidi quibus curandi.

CC. *Catarrhis Crassis & Viscidis* perseverantibus conducunt similia medicamenta incidentia, & memoratis addi possunt *Hydromel, ut & Oxymel* tàm *simplex*, quàm *scilliticum*; utpote in solvendo phlegmate viscido præstantissimum medicamentum.

CCI. Quinimò usurpari possunt in hoc casu *Decocta* nuper memorata ex *Rad. & Lignis* convenientibus, cum passulis majoribus parata, tum *alterantia* duntaxat, tum & aliquando blandè simul humores crassos *expurgantia*.

Quibus acres, & salsi, & subacidi.

CCII. *Catarrhis* autem *acribus & salsi, vel subacidis* convenient memuratæ Pilulæ de Cynoglossa & Styrace, ut & Tabellæ ex similibus paratæ, quoniam omnibus ægris non arrident Pilulæ, unde tunc mutanda est medicamentorum formula.

Pilulæ de Cynoglossa & styrace.

CCIII. Hisce autem Pilulis ad grana tria vel quatuor subinde ac pro re nata, & urgente necessitate assumptis non tantùm temperabitur dictorum humorum actimonia, quin incrassabuntur iidem spumæ duntaxat forma ut plurimùm prodeuntes, atque in sui expulsione diu & multùm Ægros frustraneo labore fatigantes. Hisce autem Pilulis, aut ex ipsarum materia paratis Tabellis incrassati humores longè faciliùs & feliciùs prodeunt, sicque non parùm levantur Ægri.

Pro humorum diversitate diversa adhibenda remedia.

CCIV. Cùm autem aliquando accidat, ut eundem Ægrum infestent & viscidi, & tenues Salsique, quin & Acidi humores, (quamvis rariùs eodem tempore,) observandum diligenter, pro diversi humoris quovis tempore urgentis diversitate diversa esse adhibenda remedia, nunc hæc mox illa.

CCV. Quinimò, si forsan accidat, ut simul ac eodem tempore infestent diversi humores, tunc aut utroque remedio mixto utendum, arbitror, aut illo priùs, quod urgentiori Symptomati succurrit, ac paulò post illo, quod alteri minùs urgenti conducit.

Catarrhi acres, salsi, & subacidi evacuandi, & quibus.

CCVI. Magis autem urgere puto humorem acrem, quàm viscidum, ni ab hoc periculum suffocationis immineat; tunc namque ad hunc humorem recurrendum & illi priùs succurrendum: aliàs alteri.

CCVII. Iisdem Catarrhis acribus, tum salsis, tum acidiusculis magna copia abundantibus debetur subinde post præmissam contemperationem atque inspissationem Purgatio, & imprimis per Rad. Ialappæ, ejusve Resinam in pilulas commodiùs redigendam; pulvis enim radicis omnibus formis exhiberi potest, pulveris, electuarij, decocti, &c.

CCVIII. Hisce Ergò aut similibus medicamentis facilitabitur Respiratio Phthisicorum difficilis, atque malum ipsorum reddetur levius; quod gratum & acceptum est Ægris desperatè decumbentibus.

Tussis molesta levanda.

CCIX. Quinimò iisdem ferè medicamentis *Tussis molestæ* multùm levantur, cùm ab iisdem Causis illæ pendeant; non est proinde opus, ut pluribus hisce immoremur: id unum tantùm monebimus, attendendum esse accuratè ad singulorum medicamentorũ usurpatorum operationem quò in iis potissimùm perseveret Medicus, quæ Ægro cõperiet plurimũ auxilij afferre & levaminis.

Appetitus prostratus quibus excitetur.

CCX. Ad *Appetitum* sæpenumerò in *Phthisicis prostratum* quodammodò saltem excitandum non puto convenientius remedium hactenus innotuisse, quàm *Elixir proprietatis*, ad guttas 5. vel 6. ante assumendum alimentum dimidia circiter hora ex vino, vel alio liquore conveniente sumptum.

Elixir proprietatis quibus constet.

CCXI. Cùm enim constet hoc Elixir Myrrha, Croco & Aloe, cum Sulphuris Oleo per Campanam paratu & Spiritu Vini simul digestis, *Myrrhæ* nomine, ut & *Croci* conducit Phthisi, & Tussi; Aloe autem humorem pituitosum viscidum incidit, & blandè ac lentè educit; quin ipsum Pus attenuat; sed & hæc omnia Ulceri mundando conveniunt; adeò ut Phthisi remedium sit convenientissimum, cujus acidum temperari potest mixtura dulciore, cum qua assumatur.

Alimentorum fermentatio quibus promovenda.

CCXII. Sed illud idem medicamentum promovebit *Alimentorum in Ventriculo Fermentationem*, à Puris omnibus corporis humoribus immissi viscitate impeditam: & sic quoque *Gravitatem* post ipsorum assumptionem Ægris molestam levabit.

CCXIII. Adeò, ut his paucis medicamentis prudenter usurpatis, levari possint Phthisici, etiam nunc, ubi perfectæ Curationis spes nulla super est.

CCXIV. *Vires Phthisicorum postratæ* tum *Cibis copiosi nutrimenti*, facilisque fermentationis, tum imprimis potu generoso & spiritu blando abundante, ut & quibusdam Aromaticis, Ambragrisea, Confectionibus AlKermes ac Hyacinthorum, & similibus recreari solent, ac sustentari.

Vires prostrata quibus recreentur.

CCXV. Cibis, inquam, copiosi nutrimenti, & facilis fermentationis; quoniam enim non tantùm Appetitus solet simul prosterni in Phthisicis, sed insuper ab assumptis Cibis gravari eorum Ventriculus, dum interim sensim consumitur & perit ipsorũ Caro æquè ac Pinguedo, idcircò requiruntur alimenta, quæ minore quantitate assumpta plurimùm nu-

natriant, & reficiant corpus contabescens; quæ facilè fermentabilia minorem moram nectant in Ventriculo; quæ eadem de causa minore pondere graventeundem Ventriculum, sed ob facilem suam fermentationem leviora appareant.

Cibi copiosi nutrimenti & facilis fermentationis.

CCXVI. Talia autem Alimenta sunt *Panis triticeus*, ritè priùs fermentatus; *Carnium jus cula* moderato quidem, ac simul longiore Calore extracta, & ad Gelatinæ consistentiam deducta.

CCXVII. In his namque Jusculis crassioribus & Gelatinis continetur primaria vis Carnium, novæ Carni generandæ aptissima.

CCXVIII. Huc etiam spectat omne *Lac dulce*; tàm *Humanum*, quàm *Brutorum*, inter quæ hactenus prælatum est *Asininum*, hinc *Caprinum* mox *Ovillum* & *Bubulum*; quamvis hoc tempore secundùm hominum morumque inconstantiam præferatur *Bubulum*.

CCXIX. Laudantur quoque *Ovorum vitelli*, quamvis non pauci occurrant, qui ipsos ferre non possint; qui proinde ab ipsis abstinere debent.

Alimenta Medicamentosa.

CCXX. Inter alimenta quodámmodò medicamentosa laudantur *Amygdalæ*, *Pistacia*; & ex his paratæ *placentæ*, etiam *Saccharatæ*, & *Anisatæ*, quin modis multis *Aromaticæ*, quibus pro re nata; & Symptomatum varietate uti licet.

CCXXI. *Panis* quoque *biscoctus* utilis observatur Phthisicis; quoniam superflua humiditate Aquea per iteratam coctionem magis privatus imbibit abundantiùs humores Pituitosos semper ferè citiùs, aut seriùs abundantes ac restagnantes in ipsis.

Potus utilis quisnam.

CCXXII. Quoad *Potum* laudatur *Vinum Generosum ac simul dulce*, quale est *Malvaticum* quodque minùs austerum, rubellum tamen producitur in regionibus calidioribus; Album enim sæpenumerò Acrius deprehenditur.

CCXXIII. Quamvis autem vinum illud potentius nunquam sit plenè fermentatum, non idcircò nocentius, quin utilius existit. Qua enim parte sufficienter est fermentatum, ea Spiritus Animales simul deperditos, aut minùs ex Alimentis eductos reparat; qua verò minùs est fermentatum, Sanguinem laudabilem generat, & futuro Spiritui Animali materiam copiosam, utilemque suppeditat.

Quomodo sumendum.

CCXXIV. Sumendum interim quantitate parva & commodè *cum Pane biscocto*, tum simplici, tum Saccharato; cujus ope diutiùs sisti tur in Ventriculo, minùs afficit cerebrum, viresque omnes magis reficit; uti hoc constat per experientiam.

Aromatica & Plurimarum Aromaticorum Essentia, Tinctura, Oleum, Sal.

CCXXV. Potest quoque ex *Aromatibus* Plurimis *Aromaticis* elici *Essentia*, in reparandis viribus dejectis efficacissima, ubi præsertim non tantùm *per Vini Spiritum* elicitur *Tinctura* potens, sed insuper ex superstite magmate Igne conveniente paratur *Oleum* sine empyreumate, denique ex Capite mortuo Chymicis vocato *Sal*; quæ tria simul artificiosè juncta Essentiam exhibent mirabilem, cujus guttæ, una, duæ, aut tres plurimùm præstent in collapsis viribus Ægrorum & Phthisicorum reparandis, reficiendisque.

Ambra grysea.

CCXXVI. Harum autem Essentiarum defectu, aut cum ipsis usurpari poterit *Ambra grisea*, in qua concentrata est natura Essentia potentissima viresque mirabiliter recreans & restaurans.

Confectio Alkermes, & Hyacinthorum.

CCXXVII. Sic valdè conducunt quoque *Confectiones* nominatæ *Alkermes*, atque *Hyacinthorum*, vulgaribus & notis compositionibus omnibus præferendæ: sive per se sumantur, aut ex Vino aliove liquore familiari; sive mixturis convenientibus admisceantur, atque per intervalla cochleatim ab Ægris assumantur, cùm perpetuò ferè de summâ debilitate conqueri solent Phthisici.

CCXXVIII. Atque sic paucis quoque Phthiseos Tractationem absolvimus, in quâ tum ipsius Causam continentem Pulmonum Ulcus, tum ejusdem Causas antecedentes multifarias exposuimus tum ejusdem mali gravissimi, ac plerumque lethalis & instantis vel imminentis, & Incipientis; & consummati Curationem, Curandi saltem modum, proposuimus, cui proinde Tractationi finem tandem hic imponimus.

Finis Tractatus Quarti.

TRACTATUS V.

DE CACHEXIA.

Cachexia quid.

I. Cachexia est Vitiosa Corporis Universi Nutritio: *Qualitate* scilicet nunc peccat primariò ipsa *Nutritio*, hinc & secundariò *Quantitate*, dum vel *Contabescit Corpus* vel *Augmentum mentitur* in Anasarca & Leucophlegmatia, Hydropis speciebus.

Nutritionis vitium Sanguini adscribendum.

II. Cùm *Sanguine nutriatur Corpus*; nemo non videt, omne *Nutritionis vitium Sanguini vitioso adscribendum*; neque enim facilè quis aut sibi, aut aliis persuaserit, *Universi Corporis partes omnes ita ob ullam Causam posse affici*, ut *illæso permanente Sanguine*, quocunque demùm modo *vitiari possit ipsarum omnium Nutritio*.

III. Qualiscunque enim Causa externa fingatur, quæ aliquam Universi Corporis partibus omnibus, mollioribus saltem, noxam inferat, illa longè faciliùs Sanguini nocebit, utpote partibus laxiùs junctis, & idcircò magis alterabilibus constanti.

IV. Quamvis enim quædam observentur corrumpentia & alterantia res solidas durasque, intactis & immutatis laxis & mollioribus; (sic Aquæ fortes metalla solvunt & rodunt, non item Sulphur;) non puto tamen unquam observatum esse, id accipere Rebus ejusdem naturæ, aut ex se mutuò genitis, quemadmodùm Carnes sunt ex Sanguine levi mutatione productæ.

Argumentum à simili quale esse debeat.

V. Quoties enim à simili sumendum est argumentum, aliquam dicto nostro & asserto probabilitatem allaturum, toties convenientia esse debet cum illo similis, & in ipso saltem verum esse debet quod asserimus.

Non sulphur sed mercurium acquirere naturam metallicam.

VI. Si quis proinde ostenderet, Sulphur levi negotio acquirere naturam metallicam; quemadmodùm id de Mercurio testantur Chymici nunc procedere aliquo modo posset argumentatio à simili: verùm non puto id hactenus esse assertum ab ullo, multò minùs probatum.

Mercurium ab Aquis fortibus solvi & metalla perfectioribus augmentum dare.

VII. Idem autem si quis Mercurio vellet tribuere huic mox reponerem, non minùs ab Aquis fortibus solvi Mercurium, quàm Metalla solida; quemadmodùm sentio non minùs à Causa quacunque affici posse Sanguinem, quàm Carnes, aliasque Corporis partes ex Sanguine productas & conservatas, quemadmodùm ex Mercurio Metalla perfectiora augmentum capere posse, testantur primarij Artis Chymicæ Coryphæi, quibus ante alios credendum.

Omnis viciata nutritionis causa in sanguine.

VIII. Concludimus proinde, omnem *vitiatæ in Cachexia Nutritionis Causam in Sanguine imprimis quærendam, inveniendamque*. Quamvis nil obstet, posse ab *alicujus Partis*, aut *Visceris noxa pendere Sanguinis Corruptionem* dictam.

Proxima continensque Cachexiæ causa.

IX. *Proxima Ergò Continensque Cachexiæ Causa est Sanguis vitiosus*, & quidem non semper uno vitiosus modo, unde non parum inter se differunt variæ Cachexiæ species; tum ratione Symptomatum comitantium, tum ratione Affectuum Consequentium, Tabis puræ, vel Anasarcæ, aut Leucophlegmatiæ.

X. Cùm in Cachexia omnes Corporis partes per-

In ea ex. ac functio- ac vitia- ta.

-peràm nutriantur, mirum non est, si & Functiones in Cachecticis omnes ac singulæ vitientur.

1. Fames, 2. Sitis.

XI. Nam 1. *Fames* utplurimùm *minuitur*, *aut depravatur*, rariùs intenditur.

XII. 2. *Sitis depravatur* magis, quàm *augetur*, rariùs tollitur.

3. fastidium Alimentorum.

XIII. 3. *Alimenta cum fastidio ferè assumuntur*, quandoque illa quoque, quæ perperàm desideraverant Ægri.

4. Ab iis gravatio & compressivus cordis dolor.

XIV. 4. *Ab assumptis alimentis gravantur* ferè Cachectici, unde *Compressivus* quoque *Cordis Dolor*, aliquos quidem continuè, aliquos imprimis post alimentorum assumptionem uiget; aliquando *Nausea* vel *Vomitus*.

5. Termina & Lancinationes in Abdomine.

XV. Sed nec semper, 5. ubi ad Intestina protruduntur quomodocunque Fermentata in Ventriculo Alimenta, benè habent Cachectici, cùm aliqui tunc imprimis habeant malè propter *Tormina* vel *Lancinationes*, *aut Distentiones*, *Angustias*ve in *Abdomine* obortas.

6. Alvi adstrictio, vel fluxus.

XVI. Quibus nonnunquam 6. comes est *Alvi adstrictio*, nonnunquam *Alvi fluxus*, isque varius, nunc magis, nunc minùs molestus & gravis.

7. Anhela Dyspnoea.

XVII. Nec tantùm in Abdomine malis urgentur Cachectici, sed 7. adesse mox solet *anhela* tunc *Dyspnoea*, plerisque continuè præsens, & ad levissimum tamen corporis motum, ascensum præsertim, molestior.

8. Cordis Palpitatio.

XVIII. Hanc & comitari solet *Cordis Palpitatio*, quibusdam imprimis molestissima; & *Arteriarum circa Jugulum & Tempora Pulsatione* visui manifesta se magis manifestans, quinimò *ad quiescendum* aliquos non, in frequentie cogens.

9. Febris lenta Cachectica.

XIX. Observatur quoque 9. *Febris lenta* plerisque comes, atque ubi *contabescere* simol incipit *Corpus*, paulò post Alimentorum assumptionem exacerbata, ideoque Hectica.

10. Lassitudo.

XX. Dum autem Sanguis indies vitiosior factus quaquaversùm propellitur, ejusque aliquid hinc inde partibus adhæret, mirum non est, si 10. Universi Corporis, *Crurum* præsertim *Lassitudo*, in quibusdam *Ulcerosa* observetur.

11. Animales functiones læsæ.

XXI. Interim 11. *Animales* quoque *Functiones* omnes, *Sensus* tàm *Externi*, quàm *Interni*, & *Animali Motus*, plùs vel minùs *languent*, *Animus*que ipse *tristatur*, *aut morosus* fit.

12. Color Cutis mutatus.

XXII. Quin 12. *Color Cutis vividus*, immutatur in *pallidum*, *flavum*, sive *Cereum*, & quandoque *virescentem*.

13. Macilentia, vel Leucophlegmatia, aut Anasarca.

XXIII. *Macilentia* quoque 13. accedit, aut persmanet, ni accedente *Leucophlegmatia* vel *Anasarca turgidulum* quasi, *tumidumque fiat corpus*.

14. Saliva varia.

XXIV. In *Ore* ferè *Lingua que utilitate* mutatur 14. *Saliva*, nunc *crassior*, nunc *tenuior*, nunc *subsalsa*, nunc *subamara*, nunc *impensè dulcis*, existens.

15. Urina cruda & aquea, aliquando varia.

XXV. Quin 15. Ipsa *Urina* plerumque quidem *cruda* existit & *Aquea*, aliquando *varia*; (neque enim semper uno eodemque ipsa se habet modo) cum multifario sedimento.

16. Capitis Dolor varius.

XXVI. Quibusdam 16. accedit *Capitis dolor*, nunc in *parte anteriore*, nunc in *posteriore*, nunc in *alterutro*, nunc in utroque latere, nunc *gravans*, nunc *lancinans*, nunc *findens*, nunc *pulsans*; quis enim omnibus illis varietatibus colligendis, res contendisque par?

17. Defectus menses suppressi.

XXVII. Quòd si quis insuper 17. sexum sequiorem, ac infirmiorem, *Fœminas* putà privatim consideraverit, observabit præter memorata Symptomata in ipsis ferè graviora, plura reperiri, *Suppressos* scilicet *Menses*, ac nescio quæ non ipsos consequentia mala, *Suffocationes*, idcircò *Uterinas dictas*, multiplicia *Animi Deliquia*, *Anxietates circa præcordia inexplicabiles*, *Insultus Epilepticos*, &c.

18. Impotentia ad generandum, vel generatio vitiosa.

XXVIII. Inter cæteras *Functiones Generationi servientes* ac dicatas nonnunquam tàm Viris, quàm Fœminis observatur 18 *Impotentia ad generandum*, nonnunquam *Generatio vitiosa*, tum ratione ipsius *Gestationis in Matre*, tum *ipsius Fœtus gestati in Utero* ac postmodùm ex *utero exclusi*.

Sterilitas.

XXIX. Hinc enim *Sterilitas* frequens in utroque sexu: unde aut *Semen deficit*, aut *Penis erectio* aut *Voluptas*, aut *Conceptio*, &c.

A Patre Cachectico Fœtus morbidus.

XXX. Imprimis ubi ex *Patre Cachectico* Generatur, *Fœtus*, solet is non rarò in Utero materno existere morbidus, quin nonnunquam sepulcrum invenire, ubi nactus erat vitam; & Matri quandoque, cui vitam, vitæ saltem sustentationem debeat, mortem accersere.

XXXI. Unde Uterum difficulter tunc gestat fœmina, ex fœtus Cachexia plurima mala persert, & morbos graves paritur.

Matrem & Fœtum se invicem afficere.

XXXII. Quemadmodùm enim à Matre Ægrotante morbum accipit gestatus in Utero fœtus, sic vicissim à Fœto in Utero existente ac ægro trahitur in consensum mater: quod evincit ac confirmat quotidiana Experientia.

A Matre Cachectica.

XXXIII. Quòd si à Matre priùs sana, in morbum autem, dum gravida extitit, incidente afficiatur in consensum trahatur Infans; nonne longè citiùs, faciliùsque à Matre Cachectica & jam ægrotante, priusquam impregnaretur, Fœtus producetur Infirmus & Cachecticus? quod itidem fieri constat Experientia.

Aliquando tamen contrarium.

XXXIV. Quamvis autem nonnunquam usuveniat, ut ex Matre Cachectica prodeat fœtus sanus, id tamen non ita frequenter accidit, quàm contrarium: adde quòd talis fœtus sanus apparens paulò post labentis mali signa exhibeat, & Maternam hæreditatem restetur affectus gravi, & subinde lethali.

XXXV. Rationes verò urgentes ac ubicuique satisfacientes afferre, Cur aliquando à Matre Cachectica producatur Fœtus sanus, admodum erit arduum. Nam licet aliquibus placeat, (neque enim omnes id admittunt) ex semine masculo tantùm generari Fœtum, *nutritur tamen Sanguine menstruo*, *Alimenta saltem à Matre suppeditato*, & in ipsa Cachectica necessariò *inquinato*, in quo exinde Fœtum Cachecticum fore, suadet ratio, ac sæpenumerò fieri, testatur Experientia.

XXXVI. Mihi verò simile videtur, aliquid aut in *Fœtu à paterno semine pendens existere*, aut *cum assumptis* à matre Alimentis *junctum ad Ipsum transire*, quod ipsum tuti præter ab illa Cachexia Materna: quamvis quale quid ideò illud sit, ego nec clarè conjicere, aut concipere, nec distinctè explicare queam.

Non omnia hæc in Cachecticis observari semper.

XXXVII. Non omnia quidem memorata in superioribus à me mala in singulis observantur Cachecticis, sed in quibusdam plura, in aliis pauciora, in quibusdam hæc, in aliis alia; unde quoque colligere licet, *Vitium Sanguinis non semper simile in Cachexia* existere; at modò *graviores*, modò *leviores*, modò *has*, modò *illas*, modò *plures*, modò *pauciores*, modò *magis mistas* agnoscere *Causas*.

Vitium Sanguinis in Cachexia diversum: Ejus causæ diversæ.

XXXVIII. Prout certè Functiones hæc aut illæ, hoc aut illo læsæ modo reperiuntur in Cachexia, has tunc vel illas Causa vitium Sanguini attulisse judicamus.

Ad sex res Non-naturales referenda.

XXXIX. *Causæ* autem illæ non malè ad *sex res Non-naturales* dictas, utpotè homini necessarias & inevitabiles, *cæteraque fortuitò* cuivis subinde *accidentia* revocantur.

1. Alimenta, Medicamenta, & Venena.

XL. Inter sex res Non-naturales primus locus detur *Alimentis*, *Medicamentis*, *atque Venenis* perperam usurpatis & assumptis datur.

XLI. Alimentis addo Medicamenta & Venena, de quibus, ut mea meos magis pateat, libet paucis meam de singulis sententiam explicare.

Quænam Authori dicantur Alimenta.

XLII. *Alimenta* mihi sunt & dicuntur omnia Ore assumenda, & in Ventriculo, hinc & in aliis partibus nostri corporis mutabilia & alterabilia in substantiam corpori vel Continenti, vel Contento reparando aptam.

Ea præparationem requirere.

XLIII. Quidquid enim in Corporis nostri alterutrius, vel utriusque deperditi aut consumpti locum reponi debet, id admodùm rarò tàm purum, tamque illi usui aptum assumitur, ut nullam prævìam mutationem subire habeat necesse; plurima certè à fæcibus, ac inutilibus corpori partibus secerni debent, ac proinde ad illam partium inutilium ab utilibus secretionem priùs præparari.

XLIV.

Cui quando usurpianda (?) functiones.

XLIV. Huic præparationi, ac secretioni peculiares dicatæ Corpore nostro functiones, quales sunt, *Ciborum masticatio* in Ore, eorundem, ut & Potus, *Fermentatio* in Ventriculo, *Chyli ejusque ab Alvi Fæcibus secretio* in Intestinis: in quibus omnibus patiuntur, & mutationem subeunt Alimenta usurpata.

Quænam Authori dicantur Medicamenta.

XLV. *Medicamenta* verò mihi sunt & dicuntur omnia quocunque modo assumpta vel usurpata, inepta verò in corpore nostro ita mutari, ut in ejus nutricatum abeant, quin aptissima & potentia corpus ipsum alterutrum vel utrumque ita mutare, ut Constitutio ejus inde fiat melior ac perfectior.

Cur Sanis non debentur.

XLVI. Unde Sanis non debentur Medicamenta, utpote quæ Corpus præsupponunt Ægrum, vel medeantur, quodque in statum transferant meliorem.

Quænam Authori dicantur Venena.

XLVII. *Venena* denique mihi sunt & dicuntur omnia quovis modo absorpta, & in corpore ita mutari, ut in ejus substantiam abeant, inepta; quin id ipsum ita mutare apta, ut idem non in meliorem, at in pejorem statum & constitutionem redigatur.

Alios scriptores hic terminis non id significare.

XLVIII. Quamvis autem data hic à me Alimenti, Medicamenti, ac Veneni explicatio, aut descriptio apud alios Scriptores forsan non legatur, non est ipsa idcircò rejicienda, cùm nemini non queat constare, quam obscurè de hisce rebus loquuntur plerique; adde quòd Unicuique uni Veritati studenti attendendum sit ad rem ipsam, quam qui interpretatur rite, & vocabula rebus convenientia proponit, utique verum docet.

Authoritas mihi convenientissimum videri.

XLIX. Quomodocunque proinde unicuique libeat loqui, ego Terminos vulgò Usitatos servans, puto me rebus ipsis convenientissima proposuisse atque exposuisse nomina, & ita quidem, ut illis admissis omnis obscuritas, difficultas, & cavillandi occasio tollatur; quod imprimis Philosophum Veritati, ac publico bono unicè addictum decet.

Quæ mutari aptæ in nostro corpore sint.

L. Res, inquam, per se manifesta est; omnia, quæ usurpamus, *vel apta esse ita in corpore nostro mutari*, ut in ejusdem substantiam & reparationem abire possint, vel inepta esse illi mutationi subeundæ, at contrà *aptata idem mutare, & quidem vel in melius, aut in pejus*: in melius, quandò statu imperfectiore elevatur ac deducitur in perfectiorem; in pejus, quandò contrà è statu perfectiore detruditur & sutripitur in imperfectiorem ac deteriorem.

Quæ proptereà sunt vel Alimenta vel Medicamenta vel Venena. Eadem pro diverso respectu, tribui posse diversum nomen.

LI. Hæc cùm ita sint, & in triplici genere constituta reperiantur omnia ab homine usurpanda, indeque quæ 1. loco dixi posita, convenientissimè atque ex usu loquendi vocabuntur *Alimenta*; quæ 2. *Medicamenta*; & quæ ultimo *Venena*.

LII. Adde quod posita tali horumce Vocabulorum descriptione atque explicatione, facilè patent, qui queat fieri, ut *Vini atque eidem* pro respectu tamen diverso *tribui possit, nunc Alimenti, nunc Medicamenti, nunc Veneni nomen*: illud enim vulgò & apud probatos Auctores fieri notissimum.

Vinum esse Alimentum.

LIII. *Vinum* certè moderatè sumptum *Alimentum* est gratissimum, atque imprimis Animales Spiritus reparans.

Medicamentum.

LIV. Idem *Vinum*, generosum præsertim itidem convenienter sumptum Pituitam corrigit ac emendat, ejusque noxas curat, & hactenus *Medicamentum* audit gratum.

Venenum.

LV. Idem *Vinum immoderatiùs* à quocunque *sumptum* plùs minùs nocet, imò quibusdam non tantùm morbos graves parit, sed aliquando ipsam mortem etiam subitò affert; quo nomine si non *Veneni* appellationem mereatur, quo alio id possit, ego saltem assequi vel conjicere nequeo.

Cachexia ortus ab assumptis.

LVI. His proinde de Alimentorum, Medicamentorum, ac Venenorum distinctione ac descriptione præmissis, non difficile erit *Cachexiæ ortum ab assumptis deducere*, utpote quæ tunc Alimenti, aut Medicamenti nomen ampliùs non merentur, aut solius *Veneni*.

Alimenta & Medicamenta fieri Venena & quo ratione.

LVII. Desinunt, inquam, esse Alimenta vel Medicamenta, ex quorum abusu, hoc est, usu præpostero excitatur Morbus.

LVIII. Quæcunque namque Alimenta vel Medicamenta solent esse, quamdiu quantitate mediocri, ac tempore decenti usurpentur; eadem Venena fiunt, quamprimùm quantitate usurpantur nimia, vel tempore alieno, & ita quidem, ut hominis utentis sanitas inde lædatur, & hic in specie Cachexia producatur.

Venena quanā absolutè nominanda.

LIX. Quæ autem per se atque ex sua natura homini omni vel huic saltem istive solent esse noxia, eadem absolutè appellanda Venena.

Cachexia producitur. 1. Ab Alimentis optimis.

LX. Cachexia Ergò produci solet 1. *ab Alimentis etiam optimis*, quoties majori copia & indecenti tempore assumuntur, & quidem diutiùs.

2. Ab Alimentis Medicamentosis.

LXI. 2. Ab *Alimentis Medicamentosis* dictis, hoc est, tum de Alimentorum tum de Medicamentorum naturæ participantibus; quippe quæ citiùs, faciliùs, potentiùsque ex usu perverso afferre possunt homini noxam.

3. A Medicamentis.

LXII. 3. A *Medicamentis propriè dictis* absque urgente necessitate usurpatis.

4. A Venenis.

LXIII. 4. A *Venenis* semper talibus.

Ad Alimenta optima quænā referenda.

LXIV. Ad *Alimenta optima* referendos *Panis & Vinum*. De Pane dicitur vulgò, nec malè, *omnis repletio mala, Panis Pessima*. Quantum damnorum afferat Vinum, nemo nisi volens ignorare potest, cùm tam frequentes occurrant ex ejus abusu facti Cathectici, & tandem Hydropici.

LXV. Huc spectant ipsæ *Carnes* quævis abundantiùs assumptæ, ac imprimis *Pisces*, *Marini* præsertim, utpote plus Pituitæ generatores.

Quanā ad Alimenta Medicamentosa.

LXVI. Ad *Alimenta Medicamentosa* refero *Aromatibus* omnia & *Condimenta*, *Fructus horarios*, *Olera*, &c. Acetum.

Quænam ad Medicamenta.

LXVII. Ad *Medicamenta propriè dicta* pertinent Theriaca, Diascordium, Corallia, Creta, Oculi Cancri, Lacca, Pix, Resina, &c.

Quænam ad Venena referenda. Res non naturalis Aer.

LXVIII. Ad *Venena lethalia* refero Cespites, Cineres, Calcem, &c. Neque enim *sortiora* usurpantur, quin mox vitæ periculum præsens immineat.

LXIX. Post ipsa Alimenta ore assumenda, & cætera ipsorum modo usurpanda, proximum ac secundum locum tribuendum existimo *Aeri*, à quo quemadmodum commoda homini accedunt plurima, sic & noxæ obveniunt innumeræ.

Ejus Mutationes subitas sanitatem destruere. Et præcipuè frigus Aeris post magnum æstum.

LXX. Imprimis *subitæ Aeris mutationes*, eæque *notabiles*, destruunt potentes hominis sanitatem: inter quas omnium *pessima* est, *Frigus Aeris magnum æstum subitò excipiens*.

Et quomodo.

LXXI. Ab hoc enim solutà & quaquaversum propulsa cum Sanguine Pituita in corporis præsertim superficie, habituve coagulatur, mox & Inflammationem, Sanguinis saltem stagnationem parit, unde Dolores tum in superficie acies, tum in habitu graves excitantur; hinc seorsim à Sanguine stagnante, atque plus minùsve corrupto Massa reliqua citiùs tardiùsve inficitur, & Cachexia producitur.

LXXII. Idem autem evenit, quoties non Corpus Universum, sed aliqua duntaxat Pars notabilis, atque imprimis Caput, vel in fœminis uterus quoque afficitur, unde in utroque sexu Gravedo, hinc & quandoque post Catarrhalem Febrem Cachexia gignitur; quemadmodum contrà in Fœminis vel Menstruorum suppressio, vel eorundem retardatio, ac consequenter Cachexia generatur.

LXXIII. Quod contingit faciliùs, ubiqùe, quandò sæpiùs tale incommodum incurrunt homines vel sui negligentiores, vel urgente necessitate tales mutationes vitare prohibiti.

2. Res non naturales Animi Pathemata. Hæc quomodo agant.

LXXIV. Tertium inter Non-naturales Recolo cum tribuo *Animi Pathematibus*, ac imprimis *Metui magno & Terrori inopinato*, aut *Mœrori ingrato*, à quibus non infrequenter product observamus Cachexiam.

LXXV. Ab hisce namque Pituita redditur *viscidior & Spiritus Acidus Acrior*, unde cæteri quoque humores aut inertiores fiunt, aut sistuntur saltem in suo motu, sicque paulatim tota Functionum omnium OEconomia perturbatur.

4. Corporis Motus & quies quomodo Cachexiam producant.

LXXVI. Aliquando quidem, licet rariùs, à *nimio Corporis Motu & agitatione*, aut vicissim *Desidia & Torpore* producitur Cachexia; quatenus ab Exercitio immoderato exhauriuntur Spiritus humorum

Acti-

Acrimoniam temperantes, aut in Desidia minùs generantur, dum Pituita cumulatur.

5. Quomodo Vigiliæ.

LXXVII. Ad hanc Cachexiam producendam aliquid quoque conferre possunt *Vigiliæ diutiùs protractæ*, ut & *Somnus immodicus*.

LXXVIII. *Vigiliæ* namque *nimiæ* Spiritus Animales valdè consumunt, unde minùs temperari possunt Humores quivis; quapropter illis Acrimoniis permanentibus, vitiosa contingit tam in tenui Intestino quàm Corde Effervescentia, hinc & tandem Cachexia.

Quomodo Somnus.

LXXIX. *Somnus* autem *immodicus* & Spiritus Animales facit torpidos; & humorem Pituitosum reddit Viscidiorem; unde Cacochymia & Cachexia Pituitosa necessariò consequitur.

6. Quomodo Excreta & Retenta.

LXXX. Inter sex Res non-naturales dictas ultimum locum assignamus *Excretis* ac *Retentis* non secundùm naturæ leges ac morem se habentibus, atque sic quoque Cachexiam producere aptis.

1. Alvi Excrementa nimiùm fluentia.

LXXXI. Nam 1. *Alvi Excrementa nimiùm fluentia*, cùm Alvi fluxum habeant comitem, eundemque sæpissimè consequentem habent Cachexiam, quoniam in omni Alvi fluxu vel Bilis peccat primariò, vel saltem secundariò, ob vitium Succi Pancreatici, vel Salivæ, vel Alimentorum Medicamentorum, Venenorumve assumptorum.

LXXXII. Arbitror enim, uti alias pluribus declaravi, Bilem in omni alvi fluxu semper affici; quamvis necdum satis constet mihi, quoque, quibusve modis affici queat malè, ut Alvi fluxus prosequatur.

LXXXIII. Illud obiter notabo, leviorem esse alvi fluxum, qui proprium consequitur Bilis vitium, graviorem, qui à Succo pancreatico vitiato pendet.

LXXXIV. Quotiescunque autem aut primariò aut secundariò peccat Bilis, toties (licet ritè fermententur in Ventriculo Alimenta) secretio Chyli à fecibus alvi continget vitiosa, & consequenter Sanguis producetur vitiosus & Nutritio fiet vitiosa, hoc est, producetur Cachexia; ut nunc nil dicam de noxa sæpè graviore tunc concurrente, quando Succi Pancreatici culpa vitiatur Bilis.

2. Alvi Excrementa durata.

LXXXV. 2. *Alvi Excrementa durata* cum Alvo adstrictiore Cachexiam valent producere; quatenus Alvi adstrictio, meo saltem judicio, debetur *Succo Pancreatico* vel primariò vel secundariò peccanti.

Quid primariò tum peccet.

LXXXVI. *Primariò tunc* peccare mihi videtur *Succus Pancreaticus*, quando *justo viscidior*, idemque *minùs Acidus & Acris* existit.

Quid secundariò.

LXXXVII. *Secundariò* censetur mihi Alvi adstrictionis Causa existere *Succus Pancreaticus*, quando is ab allabente *Pituita*, vel *Saliva*, vel *Alimentis valdè viscidis* talis evadit, *viscidior* inquam, ac *inertior*.

Lancinationes ab Acrimonia Succi Pancreatici.

LXXXVIII. Quòd si Succus Pancreaticus valdè Acris & Acidus existens offendat hinc lominùs Pituitam impense Viscidam, præter *alvum adstrictiorem Pituitæ viscidiori adscribendam lancinationes producentur in ventre ob Acrimoniam Succi Pancreatici Acidam*, quemadmodum id quotidiè ægris accidere observare potestis, qui meum in omnium sequuti attendet accuratè ad omnia, de quibus conqueri solent Ægri.

Abdominis Distensio et Excrementa indurata à Flatibus.

LXXXIX. Observabunt autem in talibus Ægris præter Alvi adstrictionem, & lancinationes molestas concurrere implurimùm Abdominis Distensionem, atque Excrementa valdè indurata; quæ omnia ego saltem judico deberi flatibus ex pituita viscida ortis.

A vitiosa in tenui intestino Effervescentia Cachexia.

XC. Ubi verò hoc modo vitiosa existit Effervescentia in tenui Intestino, propter Acrimoniam Succi Pancreatici concurrentem aliquantò atrior transcolabitur Chylus, qui simplicem producet Sanguinem, & quidem pro illius acrimoniæ diversitate ac gradibus variis, non parùm diversum, unde necessariò contingat Nutritio certo modo & gradu vitiosa, hoc est, Cachexia. Neque tamen in ejusmodi est Cachexia; sed plurimùm differt: quod qui non observant, aut negligunt misere cum Ægris suis procedunt.

Eam non esse unius modi.

2. Urina excreta Urina.

XCI. Ad Excreta omnibus hominibus communia secundum, post Alvi Excrementa, locum obtinet *Urina*. Quemadmodum enim post Alimenta fermentata secernuntur Fæces Alvi ab ipsorum Chylo: sic post Chylum in Sanguinem mutatum secernitur Urina in Renibus.

Ab Urina non sufficienter secreta Cachexia.

XCII. Hæc *Urina si non sufficienter secernatur*, atque in Sanguine stagnet, noxas necessario adfert, illumque inficit, & qualitatibus vitiosis inquinat, unde Nutritio fiet vitiosa, hoc est, Cachexia.

Ab eadem copiosiùs secreta eadem Cachexia.

XCIII. Eadem *Urina si copiosiùs à Sanguine secernatur*, partem ipsius integritati necessariam simul adimet, ac proinde Sanguinem imperfectiorem præstabit, hinc & Nutritionis vitiosæ, hoc est, Cachexiæ Causa existet.

3. Semen Excreta retentum.

XCIV. Ad Excreta refertur 3. loco etiam *Semen*, cujus in Corpore *retentio* non pauca hominibus mala creat, idque tàm Viris, quàm fœminis. Ab ipso autem retento & stagnante assurgunt halitus nidorosi versus Sanguinis massam, eamque ita inficiunt, ut Nutritio inde consequatur vitiosa, hoc est, Cachexia.

Ad eamque adducit Cachexia.

Eadem ab ejusdem nimia Effusione.

XCV. Ejusdem *Seminis nimia Effusio* in Venere immodica non tantùm Vires exhaurit, & omnes functiones debilitat, sed insuper partem Sanguinis optimam, ut & Animales Spiritus valdè consumit, unde præter alia mala determinata nunc lentiùs, nunc subitò Cachexiam inducit.

4. Inter Excreta Narium Mucus.

XCVI. Nil impedit, quo minùs 4. loco ad Excreta revocemus *Narium Mucum*, à quo parcius producto rariùs quidem, aliquando tamen excitabitur Cachexia; quatenus scilicet illa Muci materia in Sanguine permanens illum præstat impurum, & Nutritionem affert vitiosam.

Atque parciùs prodeunte aliquando Cachexia.

Eadem ab eodem copiosiore ac simul salsiore & acriore.

XCVII. Quoties autem in *Gravedine* idem *Narium Mucus* non tantùm *copiosior*, sed simul *salsior* & *Acrior*, hoc est, *Salsior* & *acidior*, effluit, ac non raro bona sui parte fauces petit, atque nunc ad Pulmones delapsus *Tussim*, ac non infrequenter *Phthisin* parit; nunc per *Oesophagum* ad *Ventriculum* delatus *Alimentorum fermentationem* unà cum *prostrato Appetitu* impedit, ac consequenter *Chyli vitiosi secretionem* gignit, mox & *Sanguinis similis generationem* promovet, totiusque *Nutritionis gravia*, hoc est, *Cachexiæ Causa* existit.

5. Inter Excreta Menstruorum fluxus.

XCVIII. 5. Loco ad Excreta referre oportet in fœminis *Menstruorum fluxum*, à quo *suppresso* Cachexiam frequentissimè ortum suum ducere, nemo ignorabit, nisi hospes fuerit in praxi Medica.

A quo suppresso Cachexia.

XCIX. *A nimio autem eorundem fluxu* idem contingere sæpenumerò quotidiana nos docet Experientia.

Eadem ab eorum nimio fluxu.

C. Idem omninò dicendum est 6. de *Lochiorum fluxu*, partum excipere solito, à quo & parciùs, & copiosiùs fluente plurima mala incurrunt Fœminæ, & inter alia ipsam Cachexiam.

6. Lochiorum fluxus à quo Cachexia.

CI. Ad Excreta referendum tandem 7. *Lac*, postquam ab ipsius *nimio effluxu* tàm sæpe valdè debilitantur Fœminæ, atque non infrequenter incidunt in Cachexiam.

7. Lac. A cujus nimio fluxu Cachexia.

CII. De *Muliebri fluxu*, licet frequentissima Cachexiæ Causa, hic non loquor, quandoquidem in fœminis naturalis non existit; sed dun taxat præter naturæ leges ipsis accidens. Hoc autem loco agimus tantùm de Excretis ac Retentis secundùm Naturæ leges contingentibus, præter Naturam verò vitiatis.

A Muliebri fluxu frequentissimè Cachexia.

CIII. Antequam ad Affectus hujus curam difficilis ac molestii medelam accedam, pauca subjungam de Causis antecedentibus, ac fortuitis, atque à nonnaturalibus rebus diversis.

Causæ antecedentes & fortuitæ.

CIV. Ad has Causas fortuitas referri possunt tàm Medicamenta, quàm Venena, postquam illis carere atque ab iisdem abstinere possumus; quoniam tamen aliquando ipsorum, quatenus Alimentorum loco subinde usurpantur aut exhibentur, mentionem feci, pauciis nunc de iisdem loquar, & implimis de iisdem, quatenus forinsecùs adhibentur, atque sic quoque nocent, licet tunc nullo modo Alimentorum vices supplere possint.

Medicamenta & Venena.

CV. Non raro autem à *Medicamentis* etiam optimis, sed præposterè usurpatis; & quidem externè, Cachexia suum ortum habet, quatenus aliquo vitio in-

A Medicamentis optimis quomodo Cachexia producatur.

in Corporis superficie esistente ac molesto, Scabie putà, pustulis, & similibus: per Medicamenta forinsecus applicata exsiccantur quidem & obliterantur illa vitia, ita tamen, ut introrsum propellatur humor peccans, qui Sanguini communicatus eundem inficit & vitiosæ Nutritionis, hoc est, Cachexiæ Causa existit:

CVI. Nec tantùm, quatenus hærens in Corporis superficie vitium & humor peccans introrsùm pellitur, excitatur à Medicamentis externis Cachexia, sed insuper ac non raro, quatenus humor vitiosus per Corporis superficiem propellitur, atque expellitur, is verò denuò repellitur introrsum, vel sistitur in superficie per medicamenta perperam usurpata, eadem producitur Cachexia.

Quid observandum Medico.

CVII. Quapropter sedulo attendendum est unicuique Medico, nè temere Medicamenta humores vitiosos in expulsione sua & exitu sistentia, vel impellentia usurpentur, postquam non insiequenter graviora, imo gravissima, & quandoque lethalia inde exsurgunt damna.

A Venenis Cachexia.

CVIII. Quod de Medicamentis nunc dictum, magis de *Venenis* propriè dictis, atque homini semper noxiis dicendum, à quibus videlicet præter detrimentum nihil venit expectandum.

CIX. Quo imprimis referenda illa Venena, quę in specie Cachexiam producere solent, atque non quidem subito mortem inducere, at post vitiatam demum Nutritionem, hoc est, Cachexiam.

Ad fortuitas Cachexiæ causas referenda omnia, quæ contundendo, vulnerando, &c. labefactant partes externas.

CX. Ad fortuita referenda quoque sunt omnia, quæ partes externas *Contundendo*, *Vulnerando*, aliisve modis lædendo ita possunt labefactare, ut inde Sanguis ad ipsarum nutritionem appellens corrumpatur & ita vitietur, ut Cachexia inde sequatur.

CXI. Nihil enim refert; an Sanguis vitiosus accedat ad partes integras, an idem à partibus corruptis corrumpatur, hinc Nutritio vitiosa consequatur.

CXII. Id autem sæpenumero accidere norunt, qui Praxim Medicinam norunt.

CXIII. Neque opus est, ut semper universa Corporis superficies, vel habitus Contundantur, Vulnereturve, quo Cachexia Universalis producatur; Sufficit enim in una parte corrumpi Sanguinem, eundemque in suo circuitu ad massam reliquam remeantem universam sensim afficere ac inficere, unde necessariò Cachexia consequetur universalis.

CXIV. Sic ex *Vulnerata* parte si *copiosus effundatur Sanguis*, totum corpus detrimentum inde capit, dum minùs laudabilis producitur & in amissi locum reponitur Sanguis: Sanguine autem minùs laudabili, atque magis aquoso existente Cachexia universalis consequi solet.

In Cachexię Curatione plures occurrere Indicationes.

CXV. Atque sic quot quot insuper externæ ac fortuitæ, Cachexiæ observabuntur Causæ antecedentes, agnoscuntur facilè simili aliquo à me narrato modo illam producere; quapropter, ut ad *Affectus gravissimi & frequentissimi Curam* me accingam, considerandum *plures* hic occurrere *Indicationes*, quibus omnibus ni satisfiat, rite haud curabitur Cachecticus.

Præcipua unde assumenda.

CXVI. Et prima quidem, omniumque primaria & *præcipua Indicatio* est, quę sumitur *ab ipsa Cachexia speciali* in quovis subiecto curanda occurrente.

Cachexiæ diversitates.

CXVII. Cum enim *plures* observentur non *tantùm gravibus*, sed etiam *modo* differentes Cachexiæ, illa differentia ante omnia erit accuratè notanda & consideranda.

Quomodò se manifestent quoad modum diversum.

CXVIII. *Diversitas* autem illa *sese manifestat*, quoad *modum diversum*, tum per *Coloris mutati diversitatem*, nam nunc pallet, nunc flavet, nunc rubet, nunc diversicolor existit Cutis: tum *per conjuncta in Cute Symptomata*, Tumores putà: excrescentias, pustulas, ulcera, eaque omnia modis variis inter se differentia.

Quoad gradus.

CXIX. Eadem *Diversitas quoad Gradus* sese *manifestat*, tum *per Coloris* cujusvis *majorem aut minorem intensionem*; tum per cæterorum *Symptomatum gravitatem* aut *levitatem*.

CXX. Nam quò magis à naturali statu recedit Color cutis mutatus, eò etiam gravius judicandum vitium illam mutans, & vice versa.

CXXI. Sic quò graviora existunt Symptomata Cachexiam comitantia, eò gravior judicanda ipsa Cachexia, & vice versa.

Quare diversitas hæc observãda.

CXXII. Diversitas verò specierum Cachexię idcircò debet observari, quoniam sic Causæ ejusdem diversitas innotescit. Alia certè Causa erit Cutis pallidæ, alia nigricantis, aut virescentis, aut lividæ, Alia proinde Curandi ratio debebitur singulis differentiis.

Secunda Indicatio unde petenda.

CXXIII. Observata verò Cachexię Curandę specie ac gradu, secunda *Indicatio* erit petenda à *determinato Sanguinis vitio*, *hanc vel illam Cachexiæ speciem* producente, & quidem *in hoc vel illam gradu*.

Tertia unde.

CXXIV. *Tertia* verò *Indicatio* petetur ab *universa sese consequentium Causarum Antecedentium Syndrome*.

Quarta unde.

CXXV. *Quarta Indicatio* deducenda erit à *Causa procatarctica*, sive *Antecedentes omnes irritante*, & inter naturales prima, illa *cæteras duntaxat* movendo *excitaverit*, sive ipsas etiam corrumpendo, aut quovis alio modo alterando *vitiosas effecerit*.

CXXVI. Potest enim *Causa procatarctica, sive Naturalium prima* vel *latentes* duntaxat in corpore humano Causas *commovere*, & ad noxam homini afferendam inferendamque *excitare*; vel *efficientis* quoque *rationem habere*, quatenus *humores*, *partesve solidas integras corrumpit* & ita *pervertit*, ut hactenus *Functiones lædant*, & hic *Cachexiam producant*.

Cachexia sui curationem indicat.

CXXVII. *Cachexia* quidem *omnis sui Curationem indicat*, ut quævis ipsius species; sed hæc indicatio inutilis est, ni simul pateat, qua ratione, quibusque mediis curari possit & tolli.

Non curatur nisi sublata causa.

CXXVIII. Non tollitur autem aut curatur Cachexia, nisi sublata Causa; ergo ad indicationes à Causis petitas transeundum.

Ea est Sanguis vitiosus.

CXXIX. Quemadmodum autem in genere Cachexia ortum habet à Sanguine vitioso, Nutritionem vitiosam producente; sic unaquæque Cachexiæ species ortum habet à speciali ac determinato Sanguinis vitio, Nutritionem hoc vel illo modo vitiante.

Et quidem diversimodè.

Cujus causa proxima spectanda.

CXXX. Quęvis proinde Cachexiæ species hoc vel illud Sanguinis vitium pro *Causa proxima agnoscens* indicabit *hoc vel illud Sanguinis vitium* esse tollendum, quocunque demum id fieri queat modo.

Quot modis vitiari possit Sanguis.

CXXXI. Videndum proinde, *quot modis* probabilissime *vitiari possit Sanguis*, *aut Nutritio inde consequatur vitiosa*, *& Cachexia*: quoniam verò id non est à me factum in superioribus, non nocebit hic paucis de hac re Considerationes meas nuper obortas communicare.

Quid in eo considerandum.

CXXXII. Censeo igitur observanda esse omnia Sanguinem constituentia & ad ipsius integritatem aliquid conferentia; ubi præter *humores Sanguinem componentes*; simul considerandas puto *Mutationes Sanguini per Viscera varia delato evenientes*.

Quænam ad Sanguinem constituendũ concurrat.

CXXXIII. Ad Sanguinem constituendum concurrere judico, 1. Ipsum *Sanguinem* perpetuò *circulantem*. 2. *Chylum* ex Alimentis assumptis eductum. 3. *Lympham*. 4. *Liquorem ex Succo Pancreatico, Saliva & Bile in tenui Intestino producentem*, atque per Lacteas Venas delatum. 5. *Bilem* ipsam per Ductum Hepaticum ad Sanguinem transeuntem. Plura verò non memini me observare, quæ huc debeant referri. Huic tamen 6. *Aer* addi potest ac debet, qui in Pulmonibus Sanguini jungitur.

In quibus visceribus sãguis mutationem subeat.

CXXXIV. *Mutationem Sanguini* per diversa Viscera circulanti aliquam accidere puto, imprimis in *Liene*, ac *Testibus*, *Uteroque*.

In quibus ei aliquid decedat.

CXXXV. Aliquid quoque *Sanguini decedere* puto in *Cerebro*, *Renibus*, *Glandulis*, &c.

CXXXVI. Hæc omnia paucis placet delibare, quo res ipsa fiat manifestior, & cogitationes de hac re meæ magis pateant iis, qui necdum, quid sentiam & cur hoc vel illud sentiam, intellexerunt.

Ad Sanguinis massam constituendã concurrit. 1. Ipse sanguis refluens.

CXXXVIII. Ad Sanguinis ergo massam constituendam concurrit. Ipse *Sanguis ab universis Corporis partibus* omnibus, uno Pulmone excepto, *ad dextram* Cordis Ventriculum refluens; residuus videlicet tum à Nutritione ipsarum, tum ab illa sui parte,

quam

quam in ipsis deposuit, ut in hunc vel illum Liquorem mutetur.

CXXXVIII. Cùm autem *variæ* sint ac *plurimùm inter se differentes Partes Corporis*, utique diversas quoque desiderabunt Sanguinis partes ad sui Nutritionem; quamvis non putem hactenus notabilem mutationem facilè ipsi accidere posse, ut inde Cachexia sequatur.

CXXXIX. Plus momenti ad hanc rem conferent *Liquores ex certis Sanguinis partibus producendi*, *Saliva* putà, *Succus Pancreaticus*, &c. de quibus mox dicemus.

2. Chylus.

CXL. Ad Sanguinis massam constituendam dixi concurrere 2. *Chylum*, *ex assumptis Alimentis oriundum.* Cujus nomine Cachexiam frequentissimè produci, pluribus docui in superioribus; prout enim Alimentum quantitate, qualitate, assumendive modo ac tempore vitiosum usurpatur, Chylus quoque producitur aut elicitur inde vitiosus, cujus notabile ac perseverans Vitium nunquam emendabitur in subsequentibus Functionibus, quin Sanguis necessariò conficietur ex ipso vitiosus, fietque proinde Nutritio itidem vitiosa, & generabitur Cachexia quemadmodùm ipsa à memorata Causa sepissimè originem suam ducere, quotidiana testatur ac evincit Experientia.

3. Lympha.

CXLI. Ad Sanguinis massam constituendam dixi 3. *Lympham* concurrere; Lympham *in Glandulis Conglobatis*, per universum Corpus dispersis, *bona & forsan maxima*, *certe maximè notabili sui parte genitam*: licèt non negem, quin potiùs magisque putem Animales Spiritus quaquaversùm delatos, nec in variis, quibus servire solent, functionibus Animalibus, aliisque, consumptos transfundi in Vasa Lymphatica, sicque redire ad Sanguinis massam, postquam Lympham Glandulosam in medio suo fluxu deliniverunt ac temperarunt.

Lympha Aciditatem à Spiritibus Animalibus temperari.

CXLII. Huic usui inservire posse Spiritus Animales undecunque refluentes, vel inde patet, quod tam multi in prædictas Glandulas Conglobatas inserantur Nervi; haud in alium usum probabilem quàm ut generatam in ipsis Lympham subacidam temperent: Quis enim putet ipsos Animali motui, Glandulis denegato, inservire posse; aut sensui externo in Glandulis minimè Membranosis in suo parenchymate?

CXLIII. Cùm enim indies magis magisque confirmet per ea, quæ nunc accuratius, quam unquam, observo in Praxi Medica, & Sanis æquè ac Ægris de *Aciditate participare Lympham*, nemo, nisi rudis in operationibus & Mutationibus Chymicis, negabit, *temperari, demulceri, ac deliniri* posse à *Spiritibus Animalibus* cum Vini Spiritui plurimùm convenientibus *Lymphæ Aciditatem*.

CXLIV. Quemadmodum autem *Aciditas temperata benigna est, blandaque*; sic eadem *minus temperata & purior Acris existit & vi sua corrodente nonia.*

Lympha sæpius acrior.

CXLV. Quoties proinde à quocunque demum *erratoin seu rebus Non-naturalibus, aliisque fortuitis* commisso vel *exauriuntur*, vel *torpescunt*, vel *alias in suo ad Glandulas*, vel *Vasa Lymphatica motu impediuntur spiritus Animales*, utique producetur, permanebitve *Acidior & Acrior*, ideoque homini nocentior *Lympha*.

In hominibus labori deditis humores quare acriores.

CXLVI. Hoc verum esse, confirmat Experientia, dum per ipsam constat; in hominibus *vehementi Corporis exercitio* aut laboribus deditis aut *perpetua Mentis defatigatione*, *ac Vigiliis* detentis Humores omnes existere Acriores:

CXLVII. Unde autem id continget probabiliter quam ab exhaustis magna copia Spiritibus Animalibus? quod vix aliquis negabit, cui de Spirituum Animalium existentia nullum dubium.

CXXVIII. Cur autem Spiritibus Animalibus consumptis abundantius omnia existent in homine Acriora, nisi ab ipsis præsentibus temperentur Acria?

Iidé quare magis irritabiles, quã segnes & torpidi.

CXLIX. Hinc est, quod Homines tales asperiores, atque magis irritabiles existant, quam segnes, torpidique: In quibus redondantes Spiritus iidem, ut alia nunc taceam, omnem Acrimoniam demulcent ac leniunt, eosdemque Animo præstant mansuetiore, minùsque irritabili.

Lympham Acidiorem Cachexiam producere.

CL. *Lympha* ergò si *Acidior* existat, *effervescentiam in Corde Acriorem*, adeoque noxiam & *Sanguinem vitiantem*, hinc & *Nutritionem lædentem*, quin *Cachexiam* producet.

CLI. Prout autem *aciditas plùs vel minùs peccaverit*, plùs quoque vel minùs peccabit Cachexia.

Ut & Lympham non satis acidã.

CLII Non tantùm ratione *Aciditatis* auctæ peccare potest *Lympha*. sed aliquando *Diminutæ*; unde *non sufficiens* continget in *Corde Sanguinis Effervescentia*, nec proinde Sanguis existet laudabilis, corporique ritè nutriendo utilis, sed hactenus noxius & Cachecticus: sive *Viscidior* simul existat, sive aliter peccans.

Causæ mutationum Lymphæ.

CLIII. Ab *Acriore enim & Acidiore* Lympha fiet *Cachexia doloribus & lancinationibus* comitibus *molestior*; ab *eadem viscidiore* aut *minùs Acida* sequetur *Cachexia doloribus gravativus* vocatis, & *motus tarditate* molesta.

CLIV. Hæ in Lympha mutationes debentur vel *Aeri* externo, nunc Asperiori, nunc Æstuanti, nunc Aqueo & pluvioso: vel *Alimentis* nunc acidioribus, nunc viscidioribus, nunc pinguioribus, nunc spirituosioribus, &c. vel *Animi motibus* vehementibus, & quidem nunc *Iræ*, nunc Terrori, nunc Mœrori, nunc Gaudio, &c. vel *Corporis Motui vehementiori*, aut *Quieti* & segnitiei turpi; vel *Vigiliis Somnove* immoderatis; vel inter *Excreta retinenda*, Hemorrhagię qualicunque enormi, vel Narium, vel Mensium, vel Lochiorum, vel Hemorrhoïdum, vel ex Vulnere fortuito, aut Vena secta, &c. *Vomitui* quoque, aut *Alvi fluxui* qualicunque, *Seminis profusioni* voluntarię, aut *profluvio spontaneo*, spontè aut ex nimia impurave Venere contracto, &c. Ex quibus omnibus Lympham quoque mutari & vitiari, testantur varii affectus hasce Excretiones consequentes: Sic contrà *Retentis excernendis* idem contingit; Exempli gratia, *Menstruis*, *Lochiis*, *Urinæ*, ipsisque *Alvi Excrementis*, unde Lympham quoque vitiari, persuasum habeo.

CLV. Longum autem foret, singula hic persequi, sufficit summa Capita attigisse; cùm unicuique rei attento facile sit futurum ex delibatis cætera deducere.

4. Ad Sanguinis Massam concurrit Liquor ex Saliva, Succo Pancreatico & Bile compositus. Quomodo Succus Pancreaticus ad Intestinum effluat.

CLVI. Ad Sãguinis massam constituendam dixi concurrere 4. *Liquorem ex Salivę*, *Succi pancreatici*, *& Bilis confluxu* in tenui Intestino exsurgentem. Quisquis enim in sectionibus Anatomicis diligens fuerit & accuratus, is facilè agnoscet *Succum Pancreaticum perpetuò effluere ad Intestinum*, postquam nullum in ipsius Ductu observatur obstaculum, quod contentum, delatumque in ipso Liquorem & Succum in exitu suo ad intestinum moretur.

Quomodò Bilis ex Folliculo ad Intestinum propellatur.

CLVII. Rursus, licet quis *Felis Folliculi Cervicem contortam & interne corrugatam*, & *hactenus effluenti Bili aliquam remoram afferentem* observaverit: quoniam tamen non *Animali*, seu *voluntario sed naturali motu eicitur*, probabile, imò necessarium videtur: *Bilem* aut *continue*, aut *certis intervallis ad certa irritamenta ex suo Folliculo expelli & ad Intestinum propelli*.

Salivã perpetuò in Os effluere & deglutiri sponte.

CLVIII. Denique *Salivam nobis vel non cogitantibus*, *adeoque dormientibus perpetuò ac sponte in Os confluere*, hinc *& deglutiri*, plurima sunt, quę evincant: inter alia & Infantibus, & Fatuis, & Dormientibus quibusdam emanans, effluensque ex ore Saliva; ut taceam, unumquemque in semet ipso posse observare ac notare illam Salivæ in Os effusionem, deglutitionemque perpetuam.

Ut & ad Voluntatis dictamen.

CLIX. Non nego interim; ad Voluntatis dictamen integrum esse nobis copiosiorem in Os allicere Salivam, dum per Suctus Lingua & buccis effecti modum Os illa brevi repletur.

CLX. Continuum Salivæ in Os confluxum confirmat quoque Os Saliva mox plenum, si caveatur tantisper à contentæ in Ore Salivæ Deglutione.

CLXI. Eandem *Salivam* ita copiosè ad Os perpe-

tuò

Tamen Ventriculo ad intestina traduci.

tuò fluentem ac deglutitam *non permanere in Ventricalo, verùm ad Intestina mox traduci*, atque *ibidem diutinam moram non aclere*, probatur, 1. ex *ipsius deglutitæ copia*; 2. ex *ejusdem in Veatriculo repertæ paucitate*; 3. ex *Pituita Intestinis secundùm Naturam adhærentis*, ex Saliva ortum totom si habeat, *itidem paucitate*.

Hos tres Liquorè quartum constituere.

CLXII. Cum ergò & *Saccus Pancreaticus* continuè, & *Bilis* forsan itidem continuè, & *Saliva* similiter continoè ad tenue Iotestinuni confluant, nec tamen in ipso permaneant, nec secundùm naturam per Alvum notabili saltem quantitate excerni observentur; utique opus videtur ac oecesse, ut simul confluant, misceantur, in se mutuo agant, & Liquorem aliquem parent, qui per Lacteas Venas transferatur ad Ductum Thoracicum, atque ibidem cum Lympha junctus Sanguini ad Cor Descendenti admisceatur.

Hic cujusfit natura.

CLXIII. Interest autem scire, cujus naturæ sit futurus ille ex his tribus conflatus Liquor. In *Saliva* & *Succo Pancreatico* namque docui non semel inesse, meo saltem judicio, *Spiritum Acidum*, sed remperatum; in *Bile* autem *Salem lixivum*, itidem temperatum; Excitabitur proinde ex horum confluxu Effervescentia, sed blanda; & jungentur simul tres Liquores, ita tamen, ut dominium habeant Saliva & Soccus Pancrearicus, cum quibus concrescente Bile, Liquor parabitur cum Sale Armoniaco affinitatem aliquam habens.

CLXIV. Probabile namque videtur mihi, *abaadè infringi Salem lixivum Bilis à Saliva & Succo Pancreatico*, & ita quidem, ut cum *Lympha nullam novam excitet* Effervescentiam io Ductu Thoracico, sed illi placidè jungatur.

Quam vim hic liquor Lymphaadferat.

CLXV. Ex *hac proinde miscella roborabitur Lymphæ vis*, quin ut cum *ascendente Sanguine faciliùs misceatur & naturalem Effervescentiam* excitet, magis disponetur.

Qui Sanguini.

CLXVI. *Ab eadem miscella* verbo attigi aliquando, & indies magis confirmor, *pendere maxima* sui parte *Saaguinis concretionem, & laxam compagem*, variis Sanguinis usibus perutilem, imò necessariam

Quo modis Cachexiam producat.

CLXVII. Hæc Miscella modis variis lædi potest, atque Cachexiæ diversæ Causa existere, & quidem tum ratione Salivæ & Succi Pancreatici, vel Acidiorum, vel Salsorum, vel dulcium, vel viscidiorum, vel quovis alio modo peccantium; tum ratione Bilis, vel amarioris & acrioris, vel minùs amaræ ac inertioris, vel pinguioris, vel viscidioris, vel quovis modo alio vitiosæ.

Salivam & Succū Pancreaticum esse nonnunquam acidiores præter naturā.

CLXVIII. Salivam vel Succum Pancreaticum Acidiores nonnunquam præter naturam occurrere, quotidiana evincit Experientia; dū *Saliva in Os sæpiùs effunditur tàm Acida & Acris*, ut totā Oris superficiem ac Linguam exulceret, quin deglutita fauces ac OEsophagum similiter afficiat, mox in Ventriculo ad Intestinis Dolores torminaque producat intolerabilia, & ita quidem, ut omnia erodi atque dilacerari credantur in Ventre: Cujus exemplum deplorandum, & curatu tantò difficilius habemus hoc tempore in Filia Clar. D. Vorstii, quòd ab omnibus medicamentis vehementer abhorreat, & raròbis eodem uti queat In hac autem hæc incommoda sæpiùs se manifestarunt, & per intervalla repetierunt.

Succi Pancreatici Acidioris exemplum.

CLXIX. *Succo Pancreatico itidem Acridioro & Acriore notabile quoq; habeo* hoc ipso tempore *exemplum* in Uxore Ampliss. D. Meerman, in præsentiarum Consulis Leidensis primarii, quæ licet per dies quindecim ac plures nihil Acidi assumpserit aut in Alimentis, aut in condimentis, subinde tamen Aquam tàm Acidam ab inferioribus assurgentem evomit, ut impensè stupeant inde ipsi dentes, & vix elui queat io ore manens Acrimonia Acida.

Liquor hic Acidior quanā mala producat.

CLXX. A Saliva autem vel Succo Pancreatico Acidioribus, neque enim semper observatur uterque Liquor simul Aciditate nimia peccare, producetur dubio procul ex Triumvirato illo exurgens Liquoe Aeidior, à quo eadem in Sanguine mala producentur, quæ dixi superiùs produci à Lympa itidem Acidiore.

5. Ad Sanguinis Massam concurrat Bilis.

CLXXI. Ad *Saaguinis Massam constituendam* dixi concurrere 5. *Bilem per Ductum Hepaticum refluenti* per *Venæ Portæ Ramos Saaguini*, & speciatim *Lienoso*, in contempto quidem vulgo, à rei peritis tamen maximè laudando viscere plusquam perfecto, ex mea conjectura *miscendam*.

CLXXII. Non repetam hic, quæ pluribus alibi proposui ad probandum, Sanguini admisceri in Hepate Bilem, non item separari eandem ibi ab ipso, quod Dictatoriè asseverant quidem multi, probat verò nemo.

In Bile exsuperare Salem lixivū volatilem Oleosum.

CLXXIII. In *hac Bile* dixi sæpiùs *exsuperare naturaliter Salem lixivum, sed Volatilem atque Oleosum*, ejus malè affecti nomine imprimis noxam contrahet Sanguis, & Cachexiam producet.

A quo minus volatili Cachexia oritur.

CLXXIV. Accidit autem illud 1. quoties *Sal lixivas minùs* erit *Volatilis & Oleosus*, ac proinde *solito debitoque acrior*: unde universus Sanguis evadet itidem acrior, atque imprimis ejus serum; quod sæpiùs in hisce forsan Belgii, cæterisque Mari Balthico adjacentibus accidit Regionibus; in quibus ob frequentiorem ac perpetuum ferè Carnium Pisciumque muria conditorum, aut fumo insuper induratorum usum ac abusu in *Serum* observari solet io plerisque *subsalsum* quod secundùm naturam requirebatur insipidum.

CLXXV. *Ab* hoc autem *sero salso* pendet *Cachexia Scorbatica*, in iisdem regionibus plerisque familiaris & omoinò endemia.

Vt & à nimis Volatili.

CLXXVI. Sanguis quoque noxam contrahet 2. *à Bile*, quoties *magis* existit *Volatilis*, quàm decebst, unde facilè ac crebrò ad Ventriculū assurget, nauseam, vomitumque pariet, quin universum Sanguinem efficiet magis fluidum, & ad hæmorrhagiam pronum; qua crebrò accidente, atque Sanguine optimo sensim diminuto, aquosior atque Cachexiæ producendæ aptissimus conficitur novus.

Nec non à nimis Oleosa Bile.

CLXXVII Sanguis rursus noxam à *Bile* contrahet 3. quando Ipsa *magis existit Oleosa*, ideòque ad agendum *inertior*, unde *minùs retunditur Lymphæ, Succi Pancreatici, & ipsius quoque Salivæ Aciditas temperata*; quapropter Sanguis faciliùs degenerat in *Pituitam viscidam*, ex qua non tantùm *flatas* in tenui præsertim excitatur Intestino, sed insuper *Leucophlegmatia*, *Affectio hypochondriaca*, & *similes Affectus* producuntur in Ægris, unà cum ipsos comitante Cachexia.

Ab aere variè affecto Bilis vitiosa.

CLXXVIII. Quemadmodùm *ab Alimentis* modis variis peccantibus producitur *Bilis Vitiosa*; ita idem accidere solet *ab Aere* variè affecto, tum ratione temporum anni, tum ratione Ventorum, Pluviarum, aliorumque ipsi admistorum.

Et quot modis.

CLXXIX. Ab *Aeris* namque *æstu*, *æstate* secundùm naturam contingente, *Acrior redditur Bilis*; uti ab ejusdem *frigore*, *hyemis* tempore imprimis urgente, *temperatur & compescitur eadem*.

Vt & ab Ira mœrore, vigiliis, corporis motu, somno & inedia.

CLXXX. Sic ab *Ira excandescit Bilis*, ab *Animi mœrore aut Metu infringitur*: Idem de *Vigiliis*, *Corporisque mota*, atque *Somno & Inedia* dicendum.

CLXXXI. Qualis autem Bilis existit in homine, talis ab ipsa in Sanguine, hinc & consequente Nutritione Effectus sequetur.

CLXXXII. Atque hæ sunt partes omnes, ex quibus hactenus observare potui constitui Sanguinem in dextro Cordis Ventriculo paratum, & inde ad Pulmooes propulsum.

Ab Aere Sanguini dum per Pulmones transit, aliquid misceri.

CLXXXIII. Idem Sanguis antequam cæteris Corporis partibus inserviat, per Pulmones minore circulo cieri solet, donec ad sinistrum Ventriculum deductus, atque ab inspirato Aere modo suo alteratus reliquo corpori advehatur.

CLXXXIV. Mihi autem valdè fit probabile, Aeris, quò Sanguinem io dextro Cordis Ventriculo effervescentem contemperet, aliquid circulanti ipsi per pulmones admisceri, atque unà cum ipso ad sinistrum ventriculum pergere.

Esse vias per quas id fieri queat.

CLXXXV. Nihil enim impedit, Canales tenuissimos pertingere ex aspera arteria in Arteriæ Venæve polmonalis Ramos, atque per ipsos Aerem ad Sanguinem usque penetrare; modo forsan non pla-

nè

ne dissimili ei, quo per Ureteres in Vesicam penetrat Urina.

CLXXXVI. Quin tale quid actu existere, confirmare videtur Observatio non semel cum successu facta cum flatu in asperam arteriam ex vesica vel folle propulso, & in sinistrum Cordis Ventriculum, magnamque arteriam usque deducto.

Halituosum quid ex Sãguine Aeri expirando jungi.

CLXXXVII Quemadmodùm autem Ratio suadere, atque memoratum modò Experimentum persuadere videtur, Vias esse aliquas ex Aspera arteria in Venam Pulmonalem; sic probabile mihi est, vias alias patere ex Arteria pulmonali in prædictã arteriam asperam, per quam halituosũ quid & valdè æstuans, & à Sanguine secedens se jungat Aeri expirando, quem proinde simulcalefaciat.

Ab his, si debite non fiant, Sanguinem & Nutritionẽ vitiari.

CLXXXVIII. Sive igitur Aer aut non sufficiens, aut minùs conveniens inspiretur, sive excludendis halitibus & fuliginibus dictis via præcludatur, vitiabitur necessariò Sanguis per Pulmones pergens; quin Nutritio idcircò continget vitiosa.

Ut & Sanguinem reddi diversũ.

CLXXXIX. Quin ex eodem fundamento patet, pro Aeris necessariò ac semper inspirandi diversitate, Sanguinem futurum necessariò diversum, & Corpori nutriendo magis vel minùs aptum.

Quænam Aeris partes Sanguini misceantur.

CXC. Quamvis autem nondum satis constet, an universus Aer, an aliquæ, ac quænam ejus partes penetrent ad Sanguinem per Pulmones delatum; fit tamen ab effectu, refrigerio sc. & Sanguinis contemperatione inde procedente valdè probabile, illas Aeris partes præ cæteris Sanguini ferventi accadere, quæ aptæ sunt natæ æstum illum ac Effervescentiam temporare, atque cum Effervescentibus sese jungere.

Quis habeant, quæ æstum temperant.

CXCI. Quòd si effervescentia contingat uti reverà contingit, inter partes Salinas lixivas, & Acidas, utique medio se habeant modo necessum, quæ æstum nimium temperabunt.

Id præstare nitrum.

CXCII. Vix autem aliquod Salim hi notum, cui illas partes assignare possim, præterquam uni Nitro; cujus aliquid Aeri inesse, atque tunc, ubi in ipso abundat, plurimùm æstum nostrum temperare, plura docent; atque inter alia Nitrum in Aqua dissolutum, & potum quemvis frigidiorem faciens, ut & Nitrum purum, aut ex ipso præparato & cum Sulphure fuso exsurgens Lapis prunellæ dictus, temperando Sanguinis nostri æstui tàm conveniens Medicamentum.

Id in Aere cõtineri.

CXCIII. In Aere autem contineri Salem Nitrosum, & imprimis flante Boreà & Euro, demonstras fertilitas inde Terris obveniens, atq; omninò à Nitro pendens, uti hoc irrefragabilibus & ab experientia multifatia petitis argumentis evicit Glauberus.

Pro ejus varietate Sãguinis mutatione ut & nutritionem esse variam.

CXCIV. Prout verò Aeris Nitrum, aut quocunque nomine id alicui appellare libebit, quod ex Aere inspirato communicatur Sanguini per Pulmones circulanti, variè mutabitur, Sanguini quoque inde continget mutatio & vitiatio varia, hinc & Nutritio ad diversas Cachexiæ inclinabit species.

CXCV. Quamvis verò hactenus pauci forsan Scriptores hanc rem accuratè investigarint, utpote qui ex Libris duntaxat solent sapere, poterit tamen tandem aliquando à Practicis Affectibus ab Aere mutato obortis magis attendentibus, & in Chymia præsertim simul versatis hæc difficultas tolli, & in commune bonum ab uno vel altero Viro ingenuo publici juris fieri. Neque enim ab uno debent omnia exspectari; quin laudabile est, plures manum operi admovere, ac collatis operis bonum publicum promoveri.

Cachexiæ curatio varia.

CXCVI. Cùm ex dictis nunc & anteà pateat, plures ac diversissimas observari Cachexiæ species plurimùm inter se differentes; manifestum fit, non uno curandam Cachexiam modo, imprimis ubi simul consideratur, quod omninò faciendum, *Causarum omnium se mutuò consequentium Syndrome ac Catenatio*, postquam non parùm eo nomine veniet mutanda *Curandi ratio, methodusque Dogmatica* & Rationalis.

1. Vitanda & corrigenda vitia in Rebus non naturalibus.

CXCVII. Imprimis & ante omnia *vitanda* vel *corrigenda sunt quævis in Rebus sex non naturalibus observabilia* vitia & errata; quin pro virili præveniendaque sunt omnia fortuitò accidẽtia & valdè noxia.

2. Incommoda in humoribus & Sanguine.

CXCVIII. 2. *Incommoda* tum in variis *Corporis Humoribus*, tum in *Sanguine* ex ipsis *partibus Continentibus* & solidis à prædictis rebus oborta, quovis modo possibili & quantùm fieri potest *emendanda*, & singula ad naturalem, laudabilemque sui dispositionem reducenda sunt.

In duobus his consistere curationem.

CXCIX. Atque in his duobus generalibus scopis consistent Cachexiæ omnis Cura: quam nunc per partes explicabimus.

Universi Aeris correctionem non esse Artis opus.

CC. Ut proinde à dictis sex non-naturalibus rebus faciamus initium, *Aerem* universum pro lubitu mutare ac vitiosum corrigere, homini non datum: quamvis enim accensis Sylvis aliqua illi mutatio pro tempore induci possit, ad paucos tamen illa mutatio dies durabit, & imprimis, ubi potentes ipsum perflant venti, qui eundem mox immutant denuò & suis impraegnant viribus: adde quòd omnis Aeris vitiosi emendatio ab Igne accenso non possit expectari, cùm non rarò ab Æstu ejus nimio pendeat ejus vitium.

Sed tantũ Aeris in Cubiculo conclusi.

CCI. Universi proinde Aeris correctio ab Arte non potest, non debet expectari; potest tamen in aliquo Cubiculo conclusus Aer variis modis pro lubitu immutari & alterari: quod imprimis quoque faciendum à Medico, quando externus Aer valdè noxius existit alicui Cachectico, qui proinde tunc jubendus vel persuadendus ad illum vitandum, & se ipsum intra domum continendum, cùm minùs turbatus & noxius sit intra privatos parietes conclusus, quàm ventis, pluviis, aliisque meteoris expositus ac liber: adde quòd intra unum, plurave cubicula conclusus Aer non ita negotio magno modis variis corrigi possit ac emedari.

Et qua ratione.

CCII. Nam non tantùm *frigidus* accenso foco luculento calefieri potest, sed *æstuans* quoque vel frigida in vasis variis hinc inde dispositis contenta, vel plantis refrigerantibus per pavimenta dispersis alterari potest & frigefieri; quinimò *malignus*, vel aliter *graveolens* Aceto cum Aromatibus, plantisve Aromaticis in vaporem gratum elevaro corrigi potest ac insalurarem mutari.

CCIII. Arte possunt igitur pleraque aeris vitia intra privaros parietes emendari.

Alimenta vitiosa vitanda & meliora usurpanda.

CCIV. *Alimenta* vitiosa quod attinet, extra meliorum defectum (quod sæpiùs in Obsidionibus, ut & Navibus à Continente remotioribus & similibus casibus contingere solet) facilè possunt *vitari & meliora usurpari*, dummodò Medicis suis magis, quàm vitiato suo Appetitui obediẽtes fiot Ægri. Nil enim juvat Consilium expetere atque audire Medicorum quando nulla est salutaribus ipsorum monitis auscultandi voluntas in Ægris; quippe qui non verbis tantùm, sed imprimis herbis, hoc est, usurpatione rerum utilium, veniunt curandi.

CCV. Quoties autem licet convenientia & salubria habere alimenta, toties nisi urgente paupertate impediantur homines, monendi sunt à Medicis, ut sepositis noxiis, utantur salubribus.

Quænam Alimenta Cachecticis noxia.

CCVI. *Noxia* sunt omnia, quæ *difficiliores vocantur digestionis* ac fermentationis: ubi observandum, non unicuique Individuo æquè noxia aut concoctu difficilia esse singula alimenta; cùm occurrant plures, qui ea, quæ pro concoctu difficilibus habentur, concoquunt faciliùs, quàm alia inter concoctu facilia numerara.

CCVII. Sic non pauci reperiuntur, qui Carnem bubulam concoquunt facilè, non item Lac bubulum; quod aliàs pro concoctu facili habetur, cùm passim & à pueris & à senibus digeratur facilè, utut pro debilibus habeantur.

Qualia Alimẽta unicuique conveniãt, quænam nocitura sint ab Experientia discendum.

CCVIII. Non possum, quin duo adhuc hic moneam, & 1. quidem, *Nulli Medico datum esse, citra experientiam determinare, qualia unicuique conveniant, qualia nocitura sint Alimenta.*

CCIX. Unde & hic quoque locum habet tritissimum Practicorum Axioma & præceptum: *A juvantibus & nocentibus potissimam sumi Indicationem.*

CCX. Hoc dum non tantùm rident, sed & negligunt

gunt Aliqui, quod doctrinæ famam, quàm Praxeos felicitatem, majoris nominis Medici, tam sæpè cum Ægrotorum damno impingunt in hunc scopulum; dumq. se non tantùm omnia præ cæteris scire somniant, sed cuncta suo imperio subjecta esse putant, miserè labuntur, & auxilii loco detrimentum afferunt Ægris.

Quid Medico in medicamentorum præscribere considerandum.

CCXI. Ne quis proinde praxin temerè, at prudenter discat exercere, suadeo omnibus & singulis, *ut ubique, & in medicamentis præscribendis, & in diæta constituenda considerent, quid uniuscujusque ægri Natura ferre possit, quid ferre recuset.*

CCXII. Hoc autem non nisi per experientiam sedulam & accuratam potest addisci; Interrogandi sc. Ægri *qualia Alimenta commode ferant qualia ipsis molestiam creent. Qualia insuper incommoda à singulis Alimentis noxiis patiantur.* Neque enim eodem modo afficiuntur singuli à singulis. Hæc *si ignorent ipsi ægri*, jubendi sunt ad singula diligenter attendere, ac postmodùm Medico suo referre.

CCXIII. Fateor equidem, *Medicum multorum annorum praxi* ac diligenti observatione in multis facta *peritiam* consequi, secundùm quam *præter propter judicare poterit* de multis Alimentis huic aut illi vitiosæ corporis constitutioni noxii; accidet tamen indies, *ut Medicus aliàs peritissimus fallatur nihilomus in plurimis aliter in uno, quàm altero Ægro simili corporis ægretudini prædito evenientibus.*

CCXIV. Sic Exempli gratia, occurrent plurimi affectibus Melancholicis & Hypochondriacis laborantes, qui lac dulce ferre nequeant, quin ab ipso tensa Hypochondria habeant: dum nonnullis nulla inde accidet noxa; quod sola duntaxat constare potest experientia, & *singulari observatione, quo scientia non pertingit, in universalibus hærens.*

Causa vera cur male habeat quis ad hoc vel illo alimento, investiganda.

CCXV. Alterum, quod hic habebam monendũ, est, ut *Medicus quoties aliquid singularis observat in suis ægris, ab his aut illis Alimentis male habentibus, toties sedulò scrutetur ac investiget Symptomatis illius causas veras; quò illis, quantum possibile accurate inventis facilius ac felicius iisdem succurrere queat malis.*

Quid Medicum Ægris commendet.

CCXVI. Nam, ut hoc etiam obiter moneam, *nihil æque commendat Ægris Medicum*, quàm *inventio Causæ latentis, ejusdemque Curatio artificiosa*, cæteris Medicis inaccessa.

CCXVII. Quotidie namque accidit Practici, ut Affectus rebelles ipsis occurrant; quorum dum exempla non habent in suis Auctoribus Medici, ex libris tantùm docti, nec illorum causas veras eruere didicerunt, hæret illis Aqua, nec curantur Ægri donec alii vocentur in rerum arduarum examine exercitati, qui solertia sua illas eruant, & sæpè non tantum feliciter, sed & facilè curent Ægros pro incurabilibus habitos; quod quantùm ad famam Medico conciliandam faciat, nemo non videt.

CCXVIII. Hæc etiam Causa est, cur non tantùm suadeam omnibus Medicinæ Tyronibus, ut sensim assuefaciant se Affectus quosvis lectos, visosve accuratè examinare, & causarum omnium inter se colligatarum connexionem perspicere; ac insuper in Nosocomio Academico in Ægrotorum nobis occurrentium examine ipsos in tali opere exerceam, & quantum in me est, *Ipsorum Ingenia & Iudicia formem*, quo ad Praxim propriam accedentes omnia contingant ipsis faciliora. Sed pergamus.

Ægri ubi peccaverint quid Medico agendum.

CCXIX. Ubi proinde Medicus ad Cachecticos ex vitiosis Alimentis tales factos vocatus cognovit quænam illa sint, in quibus fuit ab Ægris delictum, *suadebit, quoties* jubere ac imperare non licet, *ut imposterum a talibus abstineant, vel saltem rariùs & parciùs illis utantur; quin Medicamenta tunc simul usurpent, quæ istorum vitia quodammodò saltem corrigunt & emendant.*

CCXX. Illa persuasio imprimis debet habere locum in hisce regionibus, in quibus dominium detrectant omnes nisi blandum & precarium. Eadem persuasio locum debet habere apud Magnates ac Principes, imperare non item obsequi assuetos.

CCXXI. Ut autem locum inveniat Medici Consilium, idemq. suis Ægris persuadeat, quod ab ipsis factum cupit, opus est, ut per propriam ipsorum experientiam & noxiam illos ab ulteriori noxiorum abusu avertat; quin per commoda integram Valetudinem comitantia vel consequentia, functionum putà integritatem & alacritatem, ad convenientiora & utiliora Alimenta usurpanda hortetur.

CCXXII. Cùm autem *non semper obtinere possit ab Ægris Medicus ut abstineant in totum ab Alimentis noxiis, allaborandum ipsi sedulò, ut notã perspectaque habeant medicamenta plerisque noxis inde obortis succurrentia.*

Medicamenta plerisque noxis succurrentia Medico esse cognoscenda.

CCXXIII. Sic Exempli gratia si ab assumptis certis alimentis, Lacte putà & similibus, Ventris tensio excitari soleat Ægro alicui, tensionem autem illam sciat Medicus pendere à flatibus ex lacte ortis, utiq; flatus discutientia erunt Ægro simul præscribenda, & ex variis quæ hoc præstare solent, talia seliget ac præscribet Medicus, quæ per experientiam eductus fuerit servire discutiendis flatibus à lacte productis, & singulariter quæ unicuique Ægro conduxisse observaverit.

Alimenta condiendi ars unde orta, & cui nunc inserviat.

CCXXIV. Ex hoc fundamento cœpit Alimenta condiendi Ars excoli, donec tractu temporis, uti pleraque alia solent, in abusum degenerarit. Nunc enim non tam corrigendorum alimentorum in quibusdam vitiosorum ergo, quàm diversorum saporum Gustui gratiorum, & ad Ingluviem homines excitare aptissimorum causa videtur excogitata multifaria Alimentorum Conditura.

CCXXV. Ubi autem ex præscripto Artis Medicę condiuntur Alimenta, utique noxę non paucę ab ipsis alias expectandæ caventur & præveniuntur.

CCXXVI. Impossibile autem est, paucis omnia, pleraq; saltem Condimenta hic convenientia percurrere. Ne igitur nimis longus ac prolixus hic videat, sufficiet mihi tunc in genere multiplicis Conditurae utilitatem, imò necessitatem commendasse.

Diætetica Tyronibus ad discenda.

Ut & quid condimenta præstent.

CCXXVII. Hortor idcircò Medicinæ Tyrones omnes ac singulos, si cum laude ac Ægrorum commodo praxin velint aliquando exercere, ut aliquid temporis parti Diæteticæ addiscendæ ac cognoscendæ impendant; & imprimis scrutentur, quid Condimenta singula mutationis afferant alimentis, tum ratione saporum, tum ratione variarum alterationum, quæ tam Sanis, quàm Ægris inde accidunt in corpore.

Sanorum Diætam ad artem Medicam etiã spectare.

CCXXVIII. Falluntur autem, ut hoc obiter moneam qui putant, non spectare ad Artem Medicam Diętam Sanorum. Nam non tantum Infirmis, & in alterutra neutralitate constitutis, sed maxime Sanis, quo in Sanitate sua permaneant, conveniens debetur Diæta, tum in cæteris rebus non-naturalibus dictis, tum maxime in alimentis consistens; postquam ejus vitiosæ existentis culpa plurimi solent Affectus produci.

CCXXIX. Talia autem mala & damna ut vitentur, laudabilem ac convenientem unicuique, sano licet, Diætam servandam quis negabit?

CCXXX. Qualis autem unicuique homini conveniens Diæta sit, quis nisi Medicos & Alimentorum multifariorum viribus versatus determinabit?

Ac Medicinæ esse partem.

CCXXXI. Hęc Diętę Sanis convenientis determinatio si ad Medici munus pertineat, uti pertinere jam ostendimus, quis Diętę Sanorum Consideratio. nem & Doctrinam Medicinæ partem esse amplius ambiget aut negare audebit? Nemo forsan, nisi pręjudicio suo, quàm sanæ rationi magis addictus.

Alimentorum vires Medico cognoscenda.

CCXXXII. Utique Medici est præscire, à quibus alimentis Affectus hi aut illi habere possint ortum; Medici proinde est itidem, rogati pręsertim, quoslvis sanos licet, monere, ut ab alimentis vel qualitate, vel quantitate, vel assumendi ordine, modo aut tempore noxiis sibi temperent, atque opera eadem Morbos alias facile secururos præcaveant.

Ut & omnium rerum non-naturaliũ.

CCXXXIII. Quod de Alimentis tunc à me dictum, id de cęteris non-naturalibus rebus itidem dictum velim; cùm eadem sit omnium & singulorum in morbis producendis hinc & præcavendis ratio.

CCXXXIV. In rerum non-naturalium Cachexiam producentium emendatione post Alimentorum

rum

3. Excreta & Retenta.

rum initam rationem libet 3. loco expendere *Excreta & Retenta*, utpote quæ Alimentorum consequuntur assumptionem, & ab illis suam nanciscuntur materiam.

Alvi Excrementa.

CCXXXV. Quæ primum consideranda veniunt, Excreta, *Alvi sunt Excrementa*, quippe quæ immediate ab assumptis secernuntur Alimentis.

Quænam circa ea veniant notanda,

CCXXXVI. Circa hæc Alvi Excrementa plurima contingunt notanda, ut illorum vitiis succurratur in tempore. Possunt enim peccare dum 1.*nulla*, 2.*pauciora*; 3.*nimia*; 4.*aliena* excernuntur; ut & dum 5.*varius*, vel 6.*frequentius*, vel 7.cum *molestia & torminibus* expelluntur.

1. Quando sunt nulla.

CCXXXVII. Ubi 1.*nullæ excernantur Alvi faeces*, solvenda Alvus, & quidem pro Causæ adstrictam alvum causantis diversitate diversimode, tum per Enemata, vel Suppositoria, tum per assumpta laxantia præsertim, & quandoque elective dicta purgantia.

2. Quando sunt pauciora,

CCXXXVIII. Ubi 2.pro assumptorum alimentorum copia *Parciora* secedunt Alvi Excrementa, ideoq; reliqua eorum Pars retenta sensim cumulatur in Crassis Intestinis, unde noxa corpori expectanda necessario; oportet, ut per intervalla remanens pars arte excludatur per præfata Medicamenta vel injecta, vel assumpta. Ubi observandum, quibusdam Enemata prodesse magis, aliis verò medicamenta ore sumpta. Quod, uti alibi monebam, rite observare debet Medicus.

3. Quando sunt nimia pro assumptorū quantitate.

CCXXXIX. Ubi 3. pro assumptorum alimentorum quantitate *nimia copia excernantur per Alvum secreta*, cùm necessario pas utilis simul pereat, videndum, an prò Lienterico, an pro Cœliaco, aliove affectu sit habendum illud vitium.

Quando mox excernuntur in Lienteria.

CCXL. Nam si paulo postquam assumpta sunt, iterum excernantur Alimenta, & *Lienteria* laboret Æger; quoniam Alimentorum mora & Retentio necessaria in Ventriculo læsa est, & quidem, ut alibi docui, Ventriculi male affecti & assumpta mox iterum excludentis culpa: Is aut roborandus, aut ab irritatione molesta liberandus, medicamentis tum Acres humores temperantibus, tum eosdem, si redundent, evacuantibus,

Quando Chylus non ritè secernatur à faecibus.

CCXLI. Quod si alimenta moram quidem necessariam nectant in Ventriculo, ac sufficienter & rite fermententur in eodem, constituantque massam pultaceam, quæ talis quoque per Alvum excernatur, sitque *prima Cœliacæ Affectionis species*, quoniam tunc Chyli ab Alvi fæcibus secretio desideratur, ut hoc malum curetur, & nimia Alvi dejectio minuatur, promovenda erit ac restituenda dicta secretio, & quidem per Amara Aromatica, quippe quæ Bilem inertiorem aut parciorem acuunt vel augent, illius saltem vices supplent, & sic malum satis grave ac ægros sensim conficiens curant.

Quando per Crustam Intestinorū pancream non transcolatur.

CCXLII. Quòd si non quidem pura puta Alimentorum fermentatorum Massa pultacea excernatur, sed cum secreto ac innatante ipsi Chylo permista vel confusa, *quæ secunda est Cœliacæ Affectionis species* alias pluribus à me explicata; quoniam tunc impedita est Chyli per crustam Intestinorum panneam transcolatio in Lacteas Venas, sive illa ortum habeat à Pituita Orificia ipsius obducente, sive consequatur eadem Crustæ consumptionem, abrasionemve, atque cicatricem vias illas impedientē: usurpanda erunt Medicamenta Pituitam istam incidentia, abstergentia, evacuantiaque; Nam cicatricem tollere, atque Crustam deperditam reparare, Arti denegatum est; ideoque jactura dicta patienter tum ferenda, quia inemendabilis.

Quando alius est Alvi fluxus.

CCXLIII. Quòd si alius concurrat Alvi fluxus, *Diarrhæa* puta, vel *Dysenteria*, & hactenus quoque nimia excernantur per Alvum; utiq; Affectus ille Curandus erit ocyus, quo cętera ipsum alias consequentia mala vel sponte, vel facilius tolli queant.

4. Quando aliena excernuntur.

CCXLIV. Ubi 4.*Aliena excernuntur* per Alvum præter ejus Excrementa Naturalia, Sanguis puta, Pus, Intestinorum Ramenta, Humores atri, virides & similia plura, & hactenus pręter Naturæ leges se habeant dicta excrementa: diligentia & solertia summa est adhibenda, quo mox curentur præfata vitia, eorundemque tollantur, emendenturve Causæ, de quibus alibi agendum.

5. Quando varius excernantur.

CCXLV. Ubi 5 *varius excernantur Alvi faeces*, atque sic quoque nocent homini, quemadmodum id quotidie fieri notamus; opera omnis danda est, ut vel Alimentis Medicamentosis, vel Medicamentis subinde assumptis, aut forinsecus admotis, applicatis, injectisve obtineatur frequentior, adeoque unicuique conveniens Alvi fæcum Excretio.

Notandum, quænam unicuique alvum reddant laxā, aut segnem. Et quare.

CCXLVI. Attendendum imprimis, à *quibusnam Alimentis contingere soleat unicuique Alvus laxior, aut segnior*.

CCXLVII. Neque enim semper idem effectus observatur in omnibus & singulis ab eadem causa productus: nec quæ adstringentia vulgo dicuntur & sunt, in omnibus Alvum adstringunt, qui non raro in quibusdam ipsam solvunt.

Id sola experientia observari.

CCXLVIII. Quæ proinde sola experientia observabilia deprehenduntur huic aut illi individuo Alvum solvere Alimenta, illa, quoties rarius dejicitur Alvus, sunt ab illis usurpanda.

Alvus segnior si nequeat laxior ob assumpta alimenta, medicamenta usurpanda. Et qualia.

CCXLIX. Quòd si ob præassumpta Alimenta segniorem Alvum præstantia id beneficium obtineri non possit à solis Alimentis Alvum alias ipsis solventibus, tum recurrendum est ad Medicamenta idem ipsis blande præstantia.

CCL. Cavendum enim sedulo à Medicamentis elective ac copiose id efficientibus, tum quia ut plurimum longè adstrictior solet ipsorum usurpationem consequi Alvus, tum quia in sanis utiles quoque humores simul solent expelli, & quidem semper cum Sanitatis detrimento.

Singulorum humorum naturam sola experientia cognosci.

CCLI. Imprimis consulo omnibus, Alvi adstrictionem aut laxitatem naturalem à Bile, Succo Pancreatico, & Pituita in tenui Intestino concurrentib, mecum deducentibus, ut continua & attenta observatione discant accuratius & distinctius singulorū præfatorum humorum naturam & mutationes varias ipsorum mutationem multiplicem consequentes. Sola namq; experientia, quidquid alii frustra clamitent, certo constare poterit de cujusvis rei veritate. Ingenio quidem opus est, ut excogitentur media probabiliter desideratum effectum productura; illa verò comprobabit aut improbabit, adeoque utilia vel inutilia determinabit sola Experientia.

Ad quod requirantur, pluriū Operæ, non Cavillatorum vitilitigationes.

CCLII. Quoniam verò tempore opus est ad facienda Experimenta, nec uni semper homini aut incidunt, aut ab ipso tentari possunt omnia, idcirco desiderantur plurium Operæ, quo citius & facilius promoveatur bonum publicum: quod tantum abest, ut efficiant Cavillatores suis cavillationibus, ut non parum idem remorentur, ac plures Viros bonos ab utilium suorum experimentorum communicatione dimoveant: neque enim unicuique rebus utilibus excogitandis, & multiplici observatione confirmandis occupato aut licet aut lubet cum illis Cavillatoribus & quosvis dissentientes contumeliose calumniantibus stridentem concertationis serram trahere: ne, dum in verborum vitilitigationibus hęrent garruli sophistæ, verba & tantum verba dare docti atq; exercitati, pateat viris in rerum ipsarum investigatione ac cognitione peritis Veritas multo serioque labore quæsita & inventa.

6. Quando frequentius excernuntur Alvi faeces.

CCLIII. Sed ad negotium nostrum revertor, Ubi 6.*frequentius* & quidem cum detrimento excluduntur *Alvi faeces*, quod tum ab ipsarum *liquiditate*, tum ab earundem *Acrimonia* Intestina mordicante & ad sui excretionem frequentiorem irritante fieri solet: danda opera, ut liquidiores fæces inspissentur, & crassiores reddantur.

Ejus causa Liquiditas & Acrimonia.

CCLIV. Fiet autem id, observando prius à qua causa pendeat illa *Liquiditas*. Potest enim fieri, ut aliquando *potui copiosiori & Aqueo* debeatur, aliquando *Alimentis medicamentosis & laxantibus*, prunis puta, & passulis Corinthiacis; & imprimis, fructibus horariis, & plantis Cichoraceis, aliisque similibus, Acetosæ puta, Betæ, Atriplicis, &c.

Quæ quomodo curanda.

CCLV. Abstinendum proinde à nimio istorum omnium Usu: quin eorum loco usurpanda, quæ aridiora

diora ſolent præbere Alvi excrementa, Oriza putà, Caſtaneæ, Cydonia, &c. & quidem pro cujuſque conſtitutione ſingulati, Sympathiæ, atque Antipathiæ nomine nota.

CCLVI. Ubi *Acrimonia Fæcum Alvi* qualiumcunque Cauſa eſt frequentioris ipſarum Dejectionis, *Temperanda* erit tum *Anodynis*, tum, ſi valdè laceſſat nonnunquam *Narcoticis*; ut & cæteris Acria omnia demulcentibus, Spirituque volatili, aut Oleo abundantibus, & quandoque Sale volatili; quando ſc. Acidum, quod frequentiſſimè accidit, peccat.

CCLVII. Conducunt autem in tali Caſu non tantùm aſſumpta, ſed & injecta, & imprimis ex Lacte dulci, juſculis, aliiſque convenientibus plantis in apto liquore decoctis, addendo ovorum albumina, Terebinthinam, Olea, & ſimilia.

7. Quando cum moleſtia & torminibus excernuntur.

CCLVIII. Ubi tandem *7. cum moleſtia & torminibus excluduntur Alvi excrementa*, quod ſemper in *Dyſenteria*, & quandoque in *Diarrhœa* fieri ſolet, & aliquando etiam in *adſtrictiore Alvo*, aut *multis flatibus comitata*, tunc pro affectus comitis varietate varianda erit Curatio.

In Dyſenteria.

CCLIX. Nam in *Dyſenteria* uſurpanda imprimis *Anodyna* & *Narcotica* humores acerrimos contemperantia & ſenſum ſopientia, ſomnumque promoventia, imò procreantia.

In Diarrhœa.

CCLX. In *Diarrhœa cum torminibus* conjuncta, ſi *à flatibus* habeat ortum, quod nonnunquam evanit, illi erunt diſcutiendi per exhibita Carminantia; Sin ab *humorum Acrimonia*, illa temperanda erit per ſæpiùs propoſita.

In alvo adſtrictiore cũ flatibus.

CCLXI. In *Alvo adſtrictiore cum flatibus* conjuncta & *torminibus moleſta*, cùm tunc viſciditati humorum in flatibus abeuntium Aciditas ſoleat eſſe comes, utendum imprimis Sale Volatili Oleoſo, cum Opiatis permiſto, cęteriſque Aromaticis omnibus, flatuſque ſimul diſcutere aptis.

In excrementorum ariditate ſumma.

CCLXII. Sin *ſola Excrementorum Alvi ariditas ſumma* moleſtiam creet in ipſorũ exeretione, humectanda, emmolliendaque erunt excrementa priùs, quàm excernantur, & quidem vapore, aut applicatione per pannum laneum ſpongiamque Decocto emolliente impregnatam; ſic enim quodammodò emollientur fæces, atque faciliùs excernentur; quin Unguento emolliente illinendum abdomen, quò fæces emollitæ faciliùs excernantur: Cujus memorabile exemplum habui nuper Hage-Comitis; ubi ante paucos dies ad perſonam primariam vocatus reperi infantem quatuor annos natum ad ſummum, valetudinarium, cui fæces Alvi tertia demum hebdomade excerni ſolebant, & interim plurimùm in ſcybala craſſiora indurari, quin eadem per abdominis muſculos diſtinctè tangebantur, & ipſorum magnitudo explorabatur, nec niſi cum ſumma moleſtia, & non rarò ſanguinis effuſione ac univerſi corporis Sudore expellebantur; cui ab Unguento emolliente à me preſcripto, aliquoties jam cum facilitate intra octiduum prodiere Alvi fęces.

Ejus Exemplum.

Huic Enema ex Lacte plurimũ prodeſſe.

CCLXIII. Non ſemel obſervavi, enema ex Lacte Vaccino paratum, addito tantillo mellis roſati plurimùm profuiſſe in tali Caſu. Nam ratione Lactis temperabatur aciditas flatibus illis feré comes, quin eodem laxabantur quodammodo & molliebantur ipſa Excrementa.

4. Urina.

CCLXIV. Poſt examinata Alvi Excrementa, proximum locum aſſignandum putamus *Urinæ*, itidem Univerſali & naturali Aſſumptorum Alimentorum Excremento, ſed poſtquam in Cordis Ventriculis novam mutationem ſubiere alimenta & in Sanguinem fuere mutata.

Quomodo fiat.

CCLXV. Hujus Sanguinis pars ſuperflua & Corpori continenti, Contentiſve humoribus reparandis minùs neceſſaria ſeparatur naturaliter in Renibus, atque inde per Ureteres defluit in Veſicam Urinariam inde dictam; ut in ipſa ſenſim coacervetur, ac tandem per Urethram è corpore excernatur.

Nihil ejus in corporis commodum cedere.

CCLXVI. Nihil enim Urinę, Seri putà in Renibus à Sanguine ſecreti, atque ad pelvim, mox per Ureteres ad Veſicam delati, cedit ampliùs in corporis commodum, quin univerſus ille liquor Veſicà ſua exceptus pro mero habendus excremento: quod itidem de fæcibus alvi non poteſt dici, cùm in craſſa quoque Inteſtina plantentur Venæ Lacteæ, per quas aliquid utilis poteſt tunc quoque ſecerni; quamvis parùm id ſit, quod ibi ſeparatur, ſi conferatur cum Chylo in tenui Inteſtino ſecreto.

Quot modis ea peccet.

CCLXVII. Hoc ſecundum Excrementum, Urina ſive *Lotium*, peccat 1. quando *nullum*; 2. quando *paucum*, 3. quando *nimium*; quando *in colore, odore &c. qualitatibus exiſtit alienum*; 5. quando *cum multifariis contentis permiſtam aut confuſam*; 6. quando *rariùs*; 7. quando *frequentiùs*; 8. quando *continue & cum ſtillicidio*; 9. quando *cum dolore ac moleſtia*; 10. quando *per vias alienas, alvum aut Uteri ſinum* excernitur.

CCLXVIII. Pluribus ergò modis peccare poteſt Lotium, de quibus ſingulis agamus ordine, nam à ſingulis ortum poteſt habere Cachexia, ni citò ægrum interimat.

1. Quando nullũ excernitur.

CCLXIX. Ubi autem 1. *nullum excernitur Lotium*, quoniam diu cum tali affectu vitam trahere nequit homo, maturè illi proſpiciendum, & quidem pro Cauſæ diverſitate diverſimodè.

Ejus cauſa.

CCLXX. Cauſa enim ſuppreſſi ac deficientis Lotii quærenda interdum in *Veſica*, ejuſve *callo*, aut *Urethra*; rariùs in *Ureteribus*; ſæpius in ipſis *Renibus* & aliquandò forſan in ipſo *Sanguine*.

Veſica nimiùm diſtenta.

CCLXXI. In *Veſica* hæret ſuppreſſi Lotii Cauſa, quoties ipſa eodem eſt nimium *Diſtenta*, ut contrahi nequeat; vel contrà *rupta*, adeò ut Urinam non contineat, verùm per Vulnus aut foràs aut intùs ipſam affluere ſinat.

Ejus cauſa.

CCLXXII. *Colligitur nimium in Veſica* ſuà Lotium ipſamque diſtendit, tum *volentibus & illam diutiùs præ pudore præpoſtero* retinentibus, aut *præſentibus aliis excernere* ac reddere nequeuntibus; tum *inadvertentibus*, ac *inebriatis*, aut aliàs *narcoſi, affectuque ſoporoſo correptis*; vel *ſublimi meditatione extra ſe quodammodò raptis* & ad ſtimulum non attendentibus.

Et pudore retentio.

CCLXXIII. *Pudor ille noxias ratione corrigendus & tollendus*; quin ab adſtantibus & periculum in talibus futurum prævidentibus monendi tales, ut ſui rationem habeant, ſeque tam gravi & noxio pondere liberent.

Urinam reddendi coram aliis impotentia.

CCLXXIV. *Qui coram aliis urinam reddere nequeat* vel *non audeat*, locum liberum petere poſſunt, in quo mejant, vel talis ab aſtantibus ſponte faciendus & concedendus.

Mora diutina, vel ebrietas.

CCLXXV. Quibus autem *ob diutinam moram ebrietatemve ampliùs jam excerni nequit Urina*, licèt conentur ac velint, facilem modum excogitavi & aliquoties cum ſucceſſu egregio inſtitui, per *immiſſam in Urethram uſque ad Veſicæ cavitatem candelam ceream tenuiſſimam*, quali uti conſueverunt Sartores, ſi priùs in ſui extremo obtuſa reddatur, & *oleo illinatur*.

Candela cerea tenuiſſima.

CCLXXVI. Hac verò utor loco Catheteris, qui quoniam Maribus præſertim intrudi nequit, niſi cum aliquà difficultate aut comite dolore, ad ejus imitationem hanc tentavi candelam & ſucceſſum egregium obſervavi: quod artificium tantò faciendum majoris, quòd ubique ad manus ferè ſit, atque ab omnibus uſurpari queat talis candela, dum Catheter non niſi a peritis, & tunc quidem cum moleſtià intrudi poſſit.

CCLXXVII. Interim, ſi adſit Ebrietas, aliuſve affectus ſoporoſus, ſua illis aptanda ſunt remedia, quæ non ſunt hujus loci.

Veſica rupta lethale malum.

CCLXXVIII. Quando *ex ruptà Veſicà* effunditur continuè *Lotium in Abdominis Cavitatem*, ut plurimùm *lethale* exiſtit hoc malum, ſive à Caſu, Contuſione, aut Vulnere id ſuum habeat ortum.

Et quare.

CCLXXIX. Ratio, cur lethalis ſoleat eſſe illa Urinæ ſuppreſſio, aut potiùs in Abdominis Cavitatem effuſio, facilè patet. Nam & Hydrops inde excitatur Aſcites; Gangræna brevi veſicam corripit; & conſolidando vulneri convenientia non poſſunt uſurpari remedia, ſi nullum aut exiguum ſit in abdomine vulnus; quod vix unquam non erit non lethale, ſi tantum fuerit, ut per ipſum medicamenta ad Veſicam læſam immitti poſſint.

CCLXXX. Tantum periculum non obſervatur, quo-

Nisi ex tra corpus effundatur Urina.

quoties extra corpus effunditur per *Vesicæ Vulnus Latium*; quoniam per illud idem indi possunt Medicamenta vulnus consolidantia; qualia indies usurpantur post Calculi extractionem, unde etiam non pauci convalescunt; nisi ex majore vi vesicæ illata subsequatur cum gangræna mors.

CCLXXXI. *Fasciæ* autem convenientes simul adhibendę sunt in tali casu, quò impediatur ulterior urinæ per vulnus effluxus, quin cogatur ipsa Viam suam ordinariam repetere. Sed de his consulendi sunt Chirurgiam docentes libri, ac imprimis per autopsiam observandæ sunt tales Ligaturæ, quales difficile est accuratè describere, haud ita difficile autem easdem oculis percipere.

In Collo Vesicæ.

CCLXXXII. In *Vesicæ Collo hæret* quandoque *Suppressi lotii Causa*, quoties *Calculus* ipsum obstruens illi est impactus, aut *Carnea* ex Vesicæ membrana prodiens excrescentia idem orificium obturat, & Urinæ exitum occludit.

Calculus.

CCLXXXIII. *Calculos minores* orificium Vesicæ occupantes non semel immissa candela cerea modo mox antè memorato removi, & suppressam Urinam mox curavi.

Vel Carnea Excrescentia.

CCLXXXIV. *Carnem Excrescentiam* totum orificium replentem non semel paulatim ab interiore parte vidi spontè secedentem, ac tunc effluxum Urinę priùs impeditum denuò concedentem: An verò liceret tunc Carnem istam resecare, valdè dubito, cùm forsan sic aliqua vi avelletur totum carnis frustum, cum interna Vesicæ superficie cohærens.

Caruncula circa vesicæ cervicem.

CCLXXXV. Idem aliquando accidere potest à *Caruncula* circa Vesicę cervicem existente, atque in ipsum ejus orificium ob violentam Urinę expressionem inversa, illudque occludente, nec nisi cathetere, aut, quod præstare puto, candela cerea blandè iterum intrusa Urinæ suum exitum concedente.

In Urethra.

CCLXXXVI. Idem frequentiùs accidit à *Caruncula in ipso Urinario meatu & Urethra* nimiùm excrescente, nec nisi illa sensim consumpta Urinæ transitum permittente.

Urethrâ coalitus.

CCLXXXVII Accidit aliquando *Urinæ defectus* ob *Urethrę* excoriatæ aut exulceratæ *coalitum*; quo sublato iterum restituitur liber Urinæ effluxus.

Calculus in exortu Ureteris.

CCLXXXVIII. Consequi potest aliquando *Urinæ suppressio Ureteris affectum*, quando in *ejus exortu acutus calculus* hęret; à quo in alterutro Uretre constituto Urinam utrinque sisti putant aliqui, quod sola potest docere Experientia, postquam pro & contra possunt produci rationes probabiles, at non hoc vel illud necessariò evincentes: unde & hinc quoque patet, omnem in re Medica certitudinem ab unica pendere Experientia, sine qua fluctuamus omnes incerti: neque putandum, illos certos esse suorum decretorum, qui hoc alios credere volunt, sed qui idipsum demonstrant & adversariis probant, eorundemque assensum cogunt.

Omnis certitudo in Medicina ab Experientia.

CCLXXXIX. Illa verò assensus coactio sola contingit Experientia: nam, ut in præsenti exemplo id ostendam, qui censent altero Uretere in suo exortu ab impacto calculo obstructo utrinque supprimi Urinæ descensum, idipsum probant Experientia & Cadaverum sectione, dum in ex suppresso lotio demortuis observatum est aliquando, alterum renem fuisse integrum & sanum, in altero verò calculum obstruxisse Ureteris exortum: qua experientia evictum putant, altero Rene ac Uretere valdè impedito in suo munere absolvendo, alterum quoque per consensum simul impediri.

Calculus in Uretere quando lethalis.

CCCX. Ubi autem suspicio est calculum alterutri esse impactum, ni *inverso in Caput universo corpore, ac sursum elevatis cruribus, mox concusso & agitato aliquoties corporis trunco removeri* queat grandior calculus ab Ureteris orificio, pro desperato & lethali habendum hoc malum.

Renum mala constitutio.

CCXCI. Sæpiùs in *Renibus ipsis* putatur *consistere suppressi Lotii causa*, & quidem quatenus naturalis Renum aut Caruncularum in ipsis existentium constitutio qualis qualis, & ad serum urinosum à reliquo Sanguine secernendum requisita Dispositio ita vitiatur, ut dicta secretio cesset.

Ægros brevi jugulat.

CCXCII. Hoc vitium utplurimùm Ægros intra dies quatuordecim jugulat, nec nisi admodùm raro ad vigesimum diem pertingit. Unde festinandum hic ad curam, quando ejus aliqua superest spes.

Qui curetur.

CCXCIII *Curabitur* imprimis hoc malum usu *remediorum Diureticorum* dictorum, & præsertim *Sale Volatili Succini, aliisque Salibus Volatilibus Aromaticis*; quorum ope non tantùm Curatur, sed prevenitur tàm gravis, & tàm sæpè lethalis Urinæ suppressio, in qua plurimùm anguntur circa præcordia Ægri, an ob serum copiosiùs in Vasis redundans & omnes functiones, ipsamque Succi Pancreatici præparationem vitians? unde forsan idem Succus vitiosus existens vitiosam in tenui Intestino excitat Effervescentiam, anxietates & angustias inexplicabiles in Ventriculo, Intestinis, ipsoque Corde ac Pulmonibus patientem.

Urina Suppressio forsan à Sanguine.

CCXCIV. Dixi in superioribus *Urinæ Suppressionem* agnoscere forsan aliquando pro *Causa* sua *ipsum Sanguinem*; ita scilicet affectum, & secundùm varias sui partes confusum ac mixtū, ut à cęteris secedere aut secerni nequeat in Renibus serum. Quod fortassis frequentiùs accidit, quàm quod ipsa Renum Carunculæ sint malè affectæ: cùm præsertim nulla noxa in Renibus observatur, quando maximè ipsi culpantur. Et certè ipsum Sanguinem ita affici posse, ut partes ipsius serosæ, ac Urinæ materiam subministrantes cæteris misceantur intimiùs, ac ideo ab illis secerni nequeant, plurima sunt, quæ persuadere videntur; sive quis *ægrotorum Symptomata tunc urgentia* consideraverit; sive *curandi rationem per Salia Volatilia* expenderit; sive *plurima in Chymicis mutationibus indies occurrentia simul contulerit*.

Et quomodò.

Salis Volatilis vis.

CCXCV. Nam ut *solo Sali Volatili*, non sine gravi causa, propter non contemnendam virtutum in ipso existentium notitiam per multiplicem experientiam mihi comparatam toties à me decantato & laudato, aliquid nunc proferam; certum est, *ipsum Vim habere solvendi omnem humorem viscidum, à quo partium fluidarum æquè ac solidarum connexus vitiosus ortum habere solet*: soluto autem humore viscido *secedere possunt faciliùs ab invicem partes Sanguinis haud ità intimè* sibi alias *junctæ*.

CCXCVI Quòd si quis putet, si humori viscido in Sanguine existenti, atque partium secessum impedienti, adscribi debeat Urinę toties lethalis suppressio, posse non incommodè *ob eadem visciditate deduci qualem qualem in Renum Carunculis obstructionē, Urinæ secretionem, aut Transcolationem impediendo, ejusdem suppressionem causantem*; utique cum illo non pugnavero, quin potiùs utramque Causam conjungendam, & sæpiùs conjunctam putavero; adeò ut *ab illa* cujusvis humoris in Sanguine existentis *visciditate* tum *cæteræ Sanguinis partes colligentur simul intimiùs, & ad sui secessum reddantur ineptiores*, tum *Caruncularum pori obstruantur*, atque *sic Urinæ transcolatio, secretio atque Excretio aboleatur*.

2. Quando Urina parcior excernitur.

CCXCVII. Atque sic varias suppressi Lotii causas excussimus, quin paucis ejusdem curandi modos varios proposuimus; proximum nunc est, ut ad *secundā Urinę* vitiosè se habentis speciem pergamus; quādo scilicet non quidem in totum nulla, sed *Paucior* tamen, *quàm pro assumpti Potus copia decebat excernitur.*

Urina & Sudoris materia eadem.

CCXCVIII. Ubi mox notandum *eandem esse Urinæ atque Sudoris materiam*; unde mirū non est Illos, qui multùm sudant, minùs meiere, quin non est, quòd sit sollicitus Medicus de Ægro minùs Urinæ excernente qui multùm sudaverit; quamvis grave possit esse ipsi Ægro multo Sudore diffluere; nā longè magis à Sudore quàm à lotio copioso debilitatur Æger.

Sudoris & Urinæ excretionis differentia.

CCXCIX. *Cum sudore* namque omnes corporis *vires debilitantur, exhaustis simul spiritibus*, quod cum urina non contingit: *In Urinę namque secretione naturali nulli, pauci* saltem *spiritus pereunt*; quod tamen copiosè in omni contingit etiam minimo *Sudore*: quę prętereà *pro naturali excretione non habeo*, quamvis non negem ipsum non rarò esse Ægris utilem, uti non infrequenter iisdem ut & sanis noxium.

CCC. Ubi proinde per sudorem effunditur Urinę materia, ni propter alias causas noxa sudanti accidat

non

non est quòd idcircò valdè sollicitus sit Medicus, cùm non in Sanguine permaneat tunc serum, verùm in corporis habitu secedat ab ipso, hinc & per corporis poros evacuetur, effundaturque è corpore.

Cur Urina minus excernatur.

CCCI. Cæterùm minùs, quàm pro assumpto potu decebat, *Urina excerni solet* ut plurimùm, quia minùs ejus secernitur, & quidem *ob Causas modo dictas*, sed leviores; *Connexum puta arctiorem partium sanguinis, & aliquarum in Renibus Caruncularum obstructionem ab humore viscido Sanguini admisso ortum habentem.*

CCCII. *Urina* quoque observatur aliquando *parcior excerni, in summo corporis æstu ac febrili præsertim*; tunc enim minuitur humiditas Aquea, sicque maxima Urinæ pars consumitur.

3. Quando nimium Urina excernitur.

CCCIII *Tertium in Urina* observabile *vitium* diximus esse, quando *plus ejus secernitur, excerniturque, quàm respectu* ad potum assumptum habito *decebat*. Neque enim propriè hic agimus de Urina post multum potum haustum copiosè reddità, quippe quæ Medici consilio vel auxilio haud indiget; sed de illa, quæ copiosè procedit, etiam tunc, ubi parùm vel nihil potus assumpsit Æger, atque idcircò malè habet.

Eius Causa

CCCIV. Quamvis autem vulgò Copiosæ hujus Urinæ secretionis, mox & excretionis Causa tribui soleat *Renibus potentiùs serum ad se trahentibus*; non satisfacit tamen mihi hæc ratio, quamdiu non constet, vim attractricem inesse ipsis Renibus, quam illis duntaxat tribuere non sufficit, ni quoque talis evincatur ac probetur.

Omnia in corpore mechanicè perfici.

CCCV. Accedo autem illis magis, qui, quantùm licet, *omnia mechanicè in corpore nostro perfici autumant*, & mechanicè demonstrari cupiunt: Id autem nunquam fiet, nisi *corporis fabricam cognoscamus, & cum mechanicis organis similitudinem habere ostendamus.*

Corporis fabrica investiganda.

CCCVI. Nam, ut hoc obiter moneam, graviter mihi peccare videntur, quotquot mutationes in corpore mechanicas urgent, interim omnem laborem subterfugiunt, ex quo corporis nostri partium cum mechanicis instrumentis similitudinem ac conformitatem deducere licet.

Non pro lubitu fingenda.

CCCVII. Unde videas hic quoque nonnullos quævis pro lubitu Corpori affingere, fabricam ipsius partium nescio quam commini[s]ci, non item talem actu existere autopsia demonstrare, quod tamen omnino necessarium.

CCCVIII. Novi quidem haud ita difficile esse, hanc vel illam huic illive parti fabricam in musæo suo affingere, at illam in corporis dissectione ad oculum demonstrare arduum est.

Dissecandi laborem Theoretici Anatomicis commendare.

CCCIX. Hunc autem laborem plerique Speculatores ac Theoretici Medici commendant Anatomicis, quos pro famulis ac ministris suis habent, quibus gravia imponunt onera, quæ digitis suis extremis ne attingere quidem volunt homines delicatuli & nasuruli, io sola scilicet contemplatione tempus terentes, atque manuum operam tum difficilem, tum longam fugientes, atque aliis relinquentes.

Et tamen de corporis fabrica iudicium inferre.

CCCX. Hoc autem imprimis est molestum ac intolerabile, homines tales inertes ac solis sui speculationibus turgidos ac inflatos, Dictatoriam Censoriamque auctoritatem sibi arrogare, ac temerè, insolenterque de rebus sibi planè incompertis ac ignotis decernere, atque inter dissentientes circa experimenta judicium suum interponere, imò tanquam cæcos de coloribus judicare.

Mentis & Corporis opera coniungenda.

CCCXI. Utique ab invicem sejungenda non sunt, sed conjungenda Mentis Corporisque opera; quin imò quoties aliquis effectus notabilis & abstrusus occurrit Medico circa suos ægros, toties & *Ingenio sagaci* excogitandæ sunt aliquæ probabiles illius effectus Causæ, & *Manus industria* vel quovis alio experimento examinanda est, trutinandaque Causarum excogitatarum soliditas & veritas, & *Judicio severo* decernendum, num, secundùm experientiam, rejici, admittive debeat Ingenii fœtus.

Et hac ratione examen instituendum.

CCCXII. Et utinam examen tale institueretur non tantùm circa ea, quæ in dies tanquàm nova exhibentur Orbi literato, sed circa illa quoque, quæ quoniam à Veteribus aut Recentioribus Auctoribus lau-datis sunt proposita, pro veris assumuntur ac creduntur ab iis, qui laborem ad singula exactè examinanda necessarium vel non volunt, vel non possunt ferre, quique malunt videri, quàm reverà esse docti. Neque illi docti sunt actu, qui aliorum dicta & placita tenent memoria, sed qui res ipsas cognoscunt. Cognitionem autem rerum quamvis habuissent, qui de ipsis scripserunt, non habent tamen & illi quoque, qui Psittacorum ad instar repetunt aliorum dicta, dum res ipsas negligunt.

Quomodo Veterum scripta sint legenda.

CCCXIII. Nemo sanè res ipsas cognoscere avidus, negliget lectionem istorum, qui de ipsis scripserunt, sed tanquam quæsitæ cognitionis auxilia scripta illa evolvet, at mox eadem cum rebus ipsis, conferet, at in tantùm duntaxat illa admittet, in quantum illa cum rebus ipsis convenire competiet; nec dubitabit pro falsis habere, quæcunque à rebus ipsis dissentire observabit, utpote vel figmenta Ingenii humani ex præjudicio talia deducentis, vel corrcepta ria ex rebus non satis exactè consideratis, vel relata aliorum, eaque bonà fide pro veris admissa, &c. Multis enim modis contingit homines falli, dum non semper aut licet, aut libet accuratè omnia examinare, unde tunc ferè probabilia pro probatis aut vero similia pro veris solent optimis quoque, probatissimisque auctoribus excidere: Quod facilè admittet quisquis aliquando aliquid scripsit, atque se suaque scripta sine philautià examinaverit: agnoscet namque non æquè solidà, exasciataque esse omnia, quæ promit; dum non pauca vera esse judicat, quia videntur consentanea iis, quæ vera esse novit; quamvis non rarò in eo falli possit, unde gradatim ab uno absurdo levi sequuntur tandem multa absurda graviora.

Accurata Corporis descriptio extendenda.

CCCXIV. Ut autem ad nostrum negotium revertamur, optandum foret, tàm lynceos contigisse nobis oculos, ut minutissima quæque in corpore perspicere, atque accuratam ejus fabricæ descriptionem aliis dare possemus, quo verè mechanicè explicari quirent omnes in ipso obiri solitæ functiones; ne, quod modò dicebamus, necesse habeamus possibilem aut probabilem fingere corporis fabricam, verùm realem & actu existentem, adeòque sensuum testimonia probatam exhibere possimus.

De eo dubitandum donec experientia probetur.

CCCXV. Quoniam autem nulli hominum datum est, minutissima sensibus percipere, cavendum ne aliquid temerè asseramus, & Ingenio humano nimiùm fidamus, quin ejus commenta omnia tamdiu falsitatis, suspecta habeamus, donec per multiplicia argumenta ab experientia petita confirmetur Ingenii excogitatum figmentum, illudque comprobetur non tantùm rationi consentaneum, sed insuper necessariò tale, quale fingebatur.

Diversarū Sanguinis partium separatio mechanica.

CCCXVI. Sic quoties Oculis observamus Cribri multifariis foraminibus in diversis locis ita pertusum, ut diversæ figuræ semina illi confusim imposita agitatione ac quassatione ipsius singula seorsim per convenientia suæ formæ ac figuræ foramina penetrent ac colligantur in Sacculis diversis ad singula foramina diversa affixis; toties ad hujus exemplum concipere potest Ingenium humanum in variis humani corporis partibus circa extremas arteriarum & venarum commissuras diversæ figuræ poros & aperturas existere posse, per quos ad aliquas quidem partes transeant quæ in Sanguine sunt magis spirituosa, ad alias verò quæ in eodem sunt magis salsa, ad alias iterum quæ in ipso sunt magis oleosa, & ad alias quæ in ipso sunt magis Aquea, & sic porrò. An verò ita se res habeat in corpore actu, nondum indeliquet; utut commentum tale videatur rationi consentaneum, propter experimentum simile in rerum natura existens atque sensibus manifestum.

Possibile, non necessaria.

CCCXVII. Illo ergò experimento aliud nil evincitur præter possibilitatem similis effectûs, non item necessitas ejusdem: nisi constet priùs, alio modo talem effectum produci non posse, quod probare admodùm est difficile, quinimo illis impossibile, qui omnes in rerum natura existentes agendi modos non habent perspectos, quosque nemo unquam assequetur, nisi longa & multiplici omnium mutatio-

Hh 2 num

num observatione atque experientia; quæ quantum temporis & laboris requirat, norunt optimè, qui aliquando manum operi admoverunt, & ultra libros sapere didicerunt,

Sanguinis & seminis comparatio non legitima.

CCCXVIII. Ut enim exemplum aliquod proferam; Si quis unquam Oleum tartari à suo spiritu separare sategit aut per Chartam bibulam, aut per Vitri fragmenta & pulverem, aut per Cineres, in quibus omnibus sistitur oleum, dum Aqua & Spiritus mox penetrant & colantur: fieri nequit, quin ad hoc spectaculum anxius fiat veritatem investigantis Animus, dum hic materiam cum Sanguine affinitatem majorem quàm cum Seminibus variis habentem observat, Multùm enim differunt Semina suis terminis consistentia, à Sanguine alienis duntaxat terminis consistente ac fluido, ideoque cum distillatis ex tartari spiritu ac oleo itidem fluidis magis conveniente,

Et quare.

CCCXIX. Quod vel idcircò addo, ut omnes hinc discant, quævis similia non esse continuè similia, nisi illâ imprimis parte, quâ conferuntur aut conferri debent, sint similia: Atqui semina, & quævis alia consistentiam propriam, & formā figuramque determinatā habentia plurimùm differunt ab iis, quæ fluida sunt & liquida, nullamque externam figuram obtinent certam ac definitam, quin rebus ambientibus, seque continentibus debitam: Quomodò ergò tatis solidè procedet illa similitudo à figura externa petita, quæ in altero similium est certa & manifesta, in altero planè vel saltem incerta & dubia.

Quæ ratione esset legitima.

CCCXX. Quòd si alicui per similia liberet hic progredi, petenda, foret similitudo non à rebus siccis, sed humidis, quemadmodùm hic à me factum in separatione partis oleosæ à spirituosa & aquea tartari, & quidem per varias vias, ubique tamen per modum colaturæ.

CCCXXI. Antequam verò ritè possit procedere similitudo, debet ante omnia constare de modo, quo penetrat tum per Chartam emporeticam sive bibulam, tum per vitri pulverem, tum per cineres Spiritus & Aqua, dum in singulis sistitur Oleum; debet quoque constare, hactenus saltem similem esse Sanguinem Liquori Aquoso, Spirituoso & Oleoso ex Tartaro distillato.

Olea hærere in charta & pulveribus. Aquā & Spiritus ea penetrare. Dissimilitudo inter liquorem tartari & Sanguinem.

CCCXXII. Id quidem constat per experientiam, Olea omnia hærere in prædictis Charta & Pulveribus, Aquam verò & Spiritum per eandem penetrare; an verò istius affectionis utriusque diversæ ratio æquè pateat, valdè dubito. Magnam præterea dissimilitudinem observo inter Sanguinem, quippe partes magis conjunctas habentem, & Liquorem Tartari, quippe partes à distillatione minùs conjunctas ostentantem, dum partibus Aqueis ac Spirituosis innatat Oleum.

Plurima credula juventuti obtrudi, quæ viris exercitatis non satisfaciūt.

CCCXXIII. Quibus ritè observatis & expensis, quis non videt, quàm difficile sit aliquid certi hic constituere. Hoc dum negligunt plerique ex librorum lectione aut mentis meditatione, quàm rerum ipsarum accurato examine magis docti, mirum non est, si multa inania & vana credulæ, quia imperitæ, Iuventuti obtrudant figmenta & commenta; quæ licèt illorum menti tanquam tabulæ rasæ inscribantur & insculpantur profundè, atque à multis defendantur mordicùs, non satisfaciunt tamen Viris multo rerum usu exercitatis & à quovis præjudicio liberis, liberatisve, quique non credunt amplius fabulis, utut acceptis & plausibilibus, verùm solidam quærunt eruditionem, ac intimam rerum quarumvis notitiam.

Methodus procedendi per similitudinem.

CCCXXIV. Atque hæc in genere dicta sunto de methodo procedendi in rerum abstrusarum cognitione per manifestarum & jam notarum applicationem & similitudinem.

Sententia Auctoris de copiosiore Urina à Sanguine secreta.

CCCXXV. Ut autem, quod ego de Copiosiore Urina à Sanguine secreta, excretaque suspicor, paucis proponam: existimo illud vitium non tàm in Renibus, quàm ipso Sanguine latere.

CCCXXVI. Nam si, quam ego non levibus argumentis motus assertam omnium examini ac censuræ submisi, Effervescentia notabilis & in tenui Intestino, & in dextro Cordis Ventriculo excitetur ex confluxu Bilis, ibi quidem cum Succo Pancreatico, hic verò cum Lympha secundùm naturam Subacidis; utique prout & ipsa Bilis erit variè affecta, & Succus Pancreaticus, Lymphaque erunt diversimodè à statu suo & constitutione naturali aberrantes, quinimò prout Venena potentiora vel leviora erunt in corpus & Saguinem admissa, multis modis varians continget Effervescentia.

Effervescentia in tenui intestino, & dextro Cordis Ventriculo varia.

Quid in Sanguinis partibus producat.

CCCXXVII. Iterum, si Effervescentiæ istius utriusque ope, quod me quoque suspicari publicè sū professus, Sanguinis partes diversissimæ laxo duntaxat vinculo inter se sunt sub spontè mox mutabili Sanguinis forma confusæ, utique ob Venena præsertim, hoc est res qualescunque hominis corpus continens aut contentum à naturali suo temperamento pervertentes; ob Venena, inquam, Sanguinis nimium in serum convertentia consequentur facilè copiosior Urinæ in Renibus secretio, mox & ad vesicam delatio, denique per Urethram excretio.

Diureticorum vis in quo consistat.

CCCXXVIII. Ut autem *innotescat* nobis in quo *natura istius Veneni copiosiorem Urinæ secretionem exeretionemque causantis* consistat, expendenda sunt *omnia Medicamenta Diuretica* dicta, & Urinæ secretionem excretionemque promoventia; mox & in *quo conveniant, si non omnia, pleraque saltem illa Diuretica*, considerandum; quo sic aditus aliquis paretur *ad potentioris adhuc, ideoque nocentis Diuretici*, hoc est, *quæsiti Veneni* penetralia.

Nempe in Sale Volatili.

CCCXXIX. Ne autem hic longior sim, notum est per experientiam, 1. *Omnia Salia Volatilia esse Diuretica*. 2. *potentissima Diuretica*, Cantharides putà; Vermes Majales, Millepedes, similes *abundare aut Volatili, aut fixo saltem Sale*. 3. hæc eadem *Diuretica potentissima proximè ad Venenorum naturam accedere*, si nimirum quantitate aliquanto majore exhibeantur.

Venenum Diureticum in sale volatili & valde acri.

CCCXXX. Ex quibus omnibus concludo, *Venenum* illud Sanguinem ad copiosiorem seri productionem cogens aut eundem in serum corrumpens *consistere in Sale Volatili & valdè Acri*; utpote cui, præ aliis rebus omnibus, competit res quasvis corrumpere, & ad fluiditatis statum deducere.

Quod intimè sit conjunctum.

CCCXXXI. Huic si *intimè admixta sit Aciditas acerrima, & latens tamen*, putem potentiùs ideoque nocentiùs tunc in Sanguinem acturum, ipsumque in serum conversurum.

Sulphur vulgare continere spiritū acidū acrem.

CCCXXXII. Et nequis putet, non posse *Spiritum Acidum acerrimum* latere in mixtis, *Sulphur vulgare* propono exempli loco; in quo qui Acidum Spiritum Acrem ignorat, is verè rerum potissimarum ignarus existit,

Ut & Arsenicis & Auripigmentū, & Mercurium sublimatum.

CCCXXXIII. An non talis spiritus acidus in *Arsenico & Auripigmento* lateat, judicent Chymiæ periti; ac præsertim, qui talem in Mercurio sublimato corrosivo ideò dicto evidentem, in *dulci* autem vocato latentem norunt.

Qui Spiritus sublatis impedimentis se demū prodit.

CCCXXXIV. Neque omnia in mixtis existentia acria & acida externis sensibus mox se produnt, cùm non pauca tunc demum manifestentur, quando sublata sunt impedimenta & vincula, quibus vincta concludebantur quasi & celabantur.

CCCXXXV. Sic Acidus in Sulphure latens spiritus sub corpore insipido, acrimoniam suam manifestat, quamprimùm accenditur, & à parte oleosa recedit acida,

Ab Oleosa mixtorum parte acidam tegi.

CCCXXXVI. Ab oleosa verò mixtorum parte Acidam tegi & obtundi, non tantùm hæc præfata sulphuris analysis facillima & clarissima manifestat; verùm cujuscunque spiritus acidi & acerrimi cum Oleo lentè decocti synthesis & compages in substantiam butyri consistentiam æmulantem idem evincit.

Spiritum Acidum Volatili temperari & quomodo.

CCCXXXVII. Non tantùm ab oleo obtunditur spiritus acidus, sed à volatili spiritu quoque sola cohobatione ita temperatur, ut frustrà ipsum ampliùs quæras, & amissum aut à famulo sublatum rei ignarus suspicari queas.

CCCXXXVIII. Hæc & similia Nobilissimæ

ac

Spagyrica ars in rerum cognitione eruenda utilis. ac Utilissimæ Artis Spagyricę experimẽta tàm illustrem in rerum naturalium cognitione eruẽda Mentis humanę tenebris discutiendis facem promentia qui alto supercilio despicit, aut calumniatur, ne suam ille ignorantiam putidam, quin in se aliosque homines odium abominabile prodit: indignus certè, qui fruatur bono in bonos duntaxat erogando.

Diabetis causa & curatio. CCCXXXIX. Quòd si, ut tandem concludam, à Sale Volatili, eoque Acri aut forinsecùs assumpto, admissove, aut quocunque demum modo in corpore nostro secreto, ac existente producatur *Diabetes*, utique Curatio ipsius consistet in prædicti Salis Volatilis Acrioris contemperatione tum per *Oleosa*, emulsiones putà Hordei, Amygd. dulcium, sem. papav. Albi, Melonum, Cucumerum, &c. per Lac dulce Vaccinum, Ovillum, Caprillum, Humanum, Asininum, &c. tum per *Acida*, sed per Volatilem spiritum *contemperata*, spiritum salis dulcem, &c. miscendo illa cum potu conveniente, jusculis, &c. non item cum prædictis Emulsionibus aut Lacte, cùm ab omni Acido concrescere soleant.

Quartum Urinæ vitium. CCCXL. *Quartum in Urina* observabile vitium diximus esse, quando illa in *colore*, *odore aliisque qualitatibus sensibilibus propriis* aliena secernitur atque excernitur.

De Colore. CCCXLI. *Coloris ratione* multis modis peccare aut mutari solet Urina, quę in sanis naturaliter *subflava* excernitur; quamvis, quæ paulò post assumptum potum, eumque imprimis copiosum prodit, *pallidior & Aquea* quasi prodire, uti econtrà, quæ sex aut septem post horis emittitur, colore *magis tincto* excerni soleat.

CCCXLII. Ab hoc Colore Urinæ naturali recedit, quoties aut *minùs*, aut *magis* eadem *tincta* apparet.

Urina minùs tincta. CCCXLIII. *Minùs tincta* occurrit Urina, ubi *valdè pallida* existit, vel *planè Aquea*, *quæ cruda* quoque vocatur.

Magis tincta. CCCXLIV. *Magis tincta* est eadem Urina, quando vel *impensè flavet*, vel etiam *rubet plùs minùs*, vel *nigricat*; vel aliàs *obscuro tingitur colore*.

Minus tincta & aquea cur Cruda vocetur. CCCXLV. *Minùs tincta & Aquea* Urina videtur mihi *Cruda* idcircò vocari, quoniam in febribus plerisque circa principia talis excerni solet, quo tempore omnia Cruda vocantur à Medicis; ut

Quænam dicatur Cocta. Cocta, quando humorum vitiosorum Sanguini penitiùs immixtorum secretio, hinc & quodammodò per Urinas primùm excretio evenit, unde Urinæ magis solent tunc tingi.

CCCXLVI. Nam præter sedimentum, quod tunc simul accedit vel augetur, Urinarum color magis est tinctus, quando excernuntur.

Urina unde minùs vel magis tincta. CCCXLVII. Unde licet colligere, *Urinas minùs esse tinctas, quoties non secernantur à Sanguine partes illæ, quæ colorem Urinæ flavum largiuntur*; *Easdemque magis esse tinctas, quoties plus illarum partium ab eodem Sanguine secedit*, sive hoc fiat *post quam præcessit ipsarum mora præternaturalis* in Sanguine, sive idem contingat *sine præcedente tali mora*, & quidem *ob aliam causam quamcunque partium illarum secretionem præternaturalem producentem*, sive ea sit *Febris*, aliud've *affectus quivis cum universi sanguinis & corporis incendio conjunctus*.

Urinarum rubor unde. CCCXLVIII. Observamus certè, quoties *notabile in corpore urget Incendium, tingi magis, ac rubere solito magis Urinas*: unde non malè puto inde elici; *à primaria Caloris in* corpore *nati causa pendere* quoque *Urinarum ruborem*.

Calor omnis à Bile. CCCXLIX. Si quis autem omnia, quæ *in praxi* occurrunt, consideraverit attentè, quin *omnes corporis tàm contentas, quàm continentes partes*, una cum ipsas *consequenti totiùs OEconomia naturali* simul expenderit sine præjudicio, non puto aliquem facilè iri repertum, qui non *Bili* tunc *primas in calore tum naturali, tùm præternaturali producendo tribuat*.

Ruboris in Urina Causa Bilis. CCCL. Nec dubitamus ex tali gemino naturalis & præternaturalis status fundamento, quamvis nemo mortalium id unquam priùs asseruisset, Bili præsertim adscribere Urinas magis rubore tinctas, sive illa moram priùs aliquam in Sanguine longiorem traxerit, sive ipsa copiosiùs ad Sanguinem ex folliculo suo propulsa fuerit; sive eadem quacunque de causà incendium solito majus susceperit, ab Aeris putà æstu, Alimentis Acrioribus & Sale Volatili Oleoso abundantibus, Vigiliis protractis, Corporis exercitio vel agitatione vehementiore, Ira & aliis Animi pathematis gravioribus, suppresa aliqua evacuatione solita, Sanguinis, Seminis, Fæcum Alvi, &c. Quò referri quoque debent assumpta præposterè medicamenta & imprimis Venena Sale Volatili Acriore ac Oleoso prædita: quod imprimis notandum, ad remedia hinc ortis malis curandis convenientia invenienda & usurpanda.

Urinæ Color etiam à Sanguine. CCCLI. Non tantùm à Bile oritur Urinæ Color, sed etiam non raró ab ipso Sanguine, quoties ejus aliquid unà cum ipsa profunditur, excernitutque.

Qui illi jungitur. CCCLII. Hic autem Sanguinis Urinæ jungitur aut in Renibus, aut in Vesica Urinaria, rariùs in Ureteribus.

In Renibus. Ex quibus CCCLIII. Utplurimum in Renibus jungitur Urinæ Sanguis, ob Renes à Calculis acutis læsos imprimis ad vehementiorem corporis motum saltum, equitationem, aut vectionem in rhæda; unde tum Renum Caro, tum Vasa sensim atteruntur & Sanguini exitus paratur.

CCCLIV. Aliquandò idem accidit ab humoribus Acribus Urinæ junctis, à quibus eroduntur Vasa Renum, mox & Sanguis ex ipsis effluit.

CCCLV. Rariùs purem ex sola vasorum laxitate exstillare Sanguinem.

In Vesica CCCLVI. Eędem Causę in Vesica existentes, atque vasa reserantes Cruentę Urinę ansam præbent.

Urina rubens à Bile & Sanguine quomodò differat. CCCLVII. Differt autem Rubens à Bile, & Sanguine Urina; cùm ibi & minùs crassa, & magis permanens sit in colore & consistentia, hic verò non tantùm crassior, sed mox sedimentum cruentum & quandoque grumosum deponens observetur Urina.

Color nigricans unde. CCCLVIII. *Color idem rubens*, quando magis adhuc intenditur, *nigricans* evadit; ab iisdem causis sed potentiùs adhuc agentibus.

Urina fœtens unde. CCCLIX. Non tantùm *Urinę* Color, sed & *Odor* frequenter mutatur, imprimis, ubi *fœtorem* notabilem acquirit, non tantùm ob pus similiaque fœda, & fœtida sedimenta, sed etiam secundùm totam suam substantiam.

Fœtor cujus signum? CCCLX. *Fœtor* autem omnis in corpore *putrefactionis* alicujus *signum* existit; non tantùm in *fæcibus alvi*, sed & *ipsa Urina & Sudore*, *cæterisque excretis omnibus*.

Putrefactio sine & cum fœtore. CCCLXI. *Putrefactio* autem sequitur *partium misti secessum ab invicem*, adeoque *misti dissolutionem* peculiarem: neque enim quoties dissolvitur mistum, toties id cum fœtore contingit, sed imprimis quando effervescentia concurrit cum partibus oleosis minùs exactè cum cæteris mistis.

Fœtor ab Effervescentia. CCCLXII. Ita, ubi effervescentia contingit inter acetum, vinumve acidiusculum & Lixivium quodvis forte, cui sulphur incoctum est, aut quid simile, tunc fętor abominabilis excitatur latrinæ fœtorem æmulans.

Fœtor in humano stercore unde. CCCLXIII. Et ut, quod nunc mihi incidit, addam, annon ex hoc simili ratio peti possit fœtoris in humano stercore observabilis, qualis & major forsan in porcino reperitur; nempe ex parte oleosa in Bile cum sale lixivo, sed volatili existente ob succi pancreatici aciduli affluxum;

Quando maximè observetur. CCCLXIV. Ubi notandum, non tantum tunc quando fæces simul propelluntur deorsùm, fęturem illum observari, sed etiam tunc & maximè quando aliquantò diutiùs abstinuimus ab alimentis, adeò ut tunc vix aliquid præter flatus & parùm materiæ pituitosę cum bile mistę expellatur: quinimò non rarò in Diarrhęa summus in excrementis fętor urget.

Urinæ Sapor. CCCLXV. Non tantùm *Urinę* Color & Odor, sed *Sapor quoque mutatus* deprehenditur ab illis; quibus urinam gustare volupe est, quia lucrosum: aut saltē qui casu vel data opera eam aliquoties gustarũt. Notant enim tales Urinam, quæ uti jam dictum, paulò post assumptũ potum copiosum redditur, ferè insipi-

Insipidus.

Salsius.

dam esse; sed salsam observari, quæ aliquot post excernitur horis; præter naturam vero aliquando esse planè insipidam, aliquando solito salsiorem aliquando etiam de aciditate participare.

Urina insipida unde.

CCCLXVI. Ubi autem præter naturam insipida deprehenditur, necesse est, partem salsam permanere in Sanguine, quod noxium.

Magis salsa unde.

CCCLXVII. Ubi magis salsa existit, plus salini usurpatum, aut à reliquo Sanguine secretum, aut priùs retentum excerni arguit.

Acida unde.

CCCLXVIII. Ubi aciditas observatur in Urina, signum est plurimum acidi redundare in Succo pancreatico vel Lympha; eosdem ve liquores copiosiùs in homine existere, aut ita corrumpi, quemadmodùm in gravedine fieri sæpiùs monui & docui.

Urina Calor unde.

CCCLXIX. Mutatur quoque *Urian* subinde quoad *Calorem*, dum reddita sensim apparet *Ardens*; quod imprimis ejus acrimoniæ summæ, acidæque præsertim, puto adscribendum.

Calculi in Urina.

CCCLXX. Quoad *Duritiem* mutata quoque dici potest Urina, quoties in *Calculos* vel ante vel post sui excretionem concrescit, eosque varię magnitudinis, figuræ, soliditatis, coloris, &c.

Post ejus excretionem concreti.

CCCLXXI. Cuivis certè licet notare, urinam limpidam sępius excerni, in cujus fundo nequidem post horam unam vel plures ullę subsident Arenulę; verùm aut eodem; aut sequenti demùm die plurimę tum in fundo, tum in lateribus, tum in superficie, tum in media nubecula concrescunt ac conspectui se promunt arenulæ ut plurimùm flavescentes, aut rubentes, rariùs albicantes.

Ut & in Renibus & Vesica.

CCCLXXII. Quemadmodùm verò ex Urina excreta secedunt aliquę partes, quę sensim coagulantur in arenulas minores, varię tamen magnitudinis & duritieę, sic omninò arbitror idem contingere posse in ipsis renibus aut vesica, & arenulas ibi genitas sensim augeri, donec tandem in magnos etiam calculos excrescant, ni priùs exturbentur, excernanturque.

Earū causa.

CCCLXXIII. Quęritur autem, quęnam causa sit istius concretionis? quam ego quidem tantum abest ut Calori exsiccanti adscribam, ut potiùs Calorem impedire putem, ne concrescant; quod, ne exempla in Chymia obvia proferam, ex ipsa Urina excreta patet, in qua, dum calet, rariùs ullæ comparent arenulæ, plures, ubi calorem suum amisit, mox concrescere incipiunt.

CCCXXLIV. Quantum ego valeo conjicere, à Sale pendet omnis talis concretio, quamvis putem quoque pro adjunctæ materię diversitate diversum salis genus requiri: quæ tum materiæ, tum salis coagulantis diversitas per Chymica experimenta est addiscenda, ut pote hactenus mihi denegata.

Sonus in Urina.

CCCLXXV. *Sonus* quoq; diversus in Urina reddita observatur, dum aliàs sonore ac cum copiosa spuma simul producta; alias sine sono, ac si oleum effunderetur, excerni solet. Et soni quidem fortioris editi causam putem ego adscribendam Urinæ magis serosæ, hoc est, aqueæ & salsæ; uti soni diminuti, Urinæ magis pingui, & multas partes oleosas in se continenti.

Horum in Urina vitiorum medela.

CCCLXXVI. Quomodo autem variis propositis Urinę in qualitatibus sensilibus propriis spectabilibus vitiis medendum sit, quodammodò ex allegatis ipsorum Causis deduci potest.

CCCLXXVII. Quicquid enim huic illive vitio originem dedit, corrigi debet ac emendari; aut sine queat, tolli; quin nonnunquam deficientia addi.

Totā Medicinam in additione & sublatione consistere.

CCCLXXVIII. Adeò ut si quis rem ritè examinet, facilè admittat, *totam Medicinam in additione & sublatione consistere.*

Et quaratione.

CCCLXXIX. Nam reverà *ut corrigamus, emendemus, alteremus qualitate peccantia, addere solemus ea, quæ desunt, ut sint temperata*; sic ubi aliquid *absolutè abest aut deest, id addimus.* Ita in spirituum animalium consumptione ac defectu, exhibemus Vini Spiritum, quo reparantur.

CCCLXXX. Ubi verò *aliquid redundat, illud tollimus ac demimus; Sanguinem* quidem per *Venæ sectionem, Humores alios* per *Vomitum, Purgationem, Salivationem, Sudores*, &c.

5. Urina contenta.

CCCLXXXI. Proximum nunc est, ut 5. Urinam *secundùm contenta multiplicia peccantem* consideremus.

Quadruplicia.

Et quænam.

CCCLXXXII. *Contenta Urinæ triplicia* ferè numerari solent, alia quidem, quę *fundum petunt & sedimenti* nomine veniunt; alia quæ *superficiem petunt* vel *urinæ innatant*; alia, *quæ per urinæ medium corpus vehuntur*, & nunc *nubeculæ*, nunc *enæorematis* appellatione clarent: quibus quartò addi possunt, quę *vasorum lateribus adhærent vel accrescunt*, Arenulę putà &. similia.

Nullum in Sanorum Urinæ deponi sedimentum.

CCCLXXXIII. Dixi jam in superioribus, & nunc repeto, quamvis non ignorem aliter sentire multos Medicos, *nullum in Sanorum Urinis deponi sedimentum*, sed tantùm in iis, qui à perfecta recedunt Sanitatem; non quidem in omnibus sed in quibusdam.

CCCLXXXIV. Quamvis enim nullum putem in sanis observari Urinæ sedimentum, non tamen sequitur inde, observari illud in omnibus, qui non sunt sani, sed omnes illos non esse sanos, in quibus observatur.

Sedimentis unde.

CCCLXXXV. *Sedimentum* autem omne ortum habet à partibus Sanguinis crassioribus & gravioribus in Renibus secretis ac cum Urinis excretis.

CCCLXXXVI. *Partes illæ crassiores* cum Urinis excretę non *consequuntur vitia primæ coctionis*, uti solemus loqui, hoc est, vel Alimenta copiosiùs assumpta, vel eadem crassiora usurpata, vel eadem minùs commodè in ventriculo fermentata, vel ipsa in tenuibus Intestinis prętertim non debitè ab excrementis Alvi secreta: nunc eędem partes crassiores cum Urinis excretę *consequuntur proprium Sanguinis vitium*, sive illud pendeat à prima Chyli Sanguificatione vitiosa, indecunque à Bile aut Lympha, &c. citra Chyli culpam orta; sive illud Sanguini circulanti ab Aere externo, &c. obvenerit; sive à Febre qualicunque continua vel intermittente Sanguinem inficiente id contingerit: nunc eędem partes crassiores cū Urinis excretę *à male affectis partibus Saguini admiscentur*, quemadmodùm in Phthisi nonnunquàm Pus ab exulceratis Pulmonibus Sanguini communicatur, & tandem cùm Urinis excernitur: Idem dici potest de Pure aut Sanie itidem cum Urinis excretis in Pleuritide, aut Empyemate.

Sedimentū multiplex.

CCCLXXXVII. Sedimentum autem multiplex observatur; cujus species omnes persequi non est hujus loci.

In Urina Spuma & pinguedo

CCCLXXXVIII. *In Urinæ superficie* observatur non infrequenter *Spuma*, quin eidem sæpenumerò *innatat pinguedo*, plerumque *telæ araneaurm* similis.

Quā Spumam hic intelligat author.

CCCLXXXIX. Per *Spumam* non eam hic intelligimus, quæ in forti Urinæ excretione Sanis quoque accidit, & paulò post iterum dissipatur, sed eam quæ in Urina diutiùs permanet, quamque *Catarrhosæ materiæ in capite existentis signum* plerumque observavi.

Ea unde.

CCCXC. Arbitror autem ego, quemadmodùm in Gravedine *humor Acido Salsus* secernitur in Cerebro, qui nunc ad nares, nunc ad fauces delabitur, ita nonnunquam *simili humore turgere universum Sanguinem*, illumque in Cerebro magis quàm alibi stagnare, caput gravare, atque non infrequenter in externis quoque partibus & Corporis habitu se manifestare, dum ejus pars aliqua cum Urinis quoque excernitur, & spumam prædictam in sui excretione producit, matinæ in quibusdam non dissimilem.

Pinguedo quid significat.

CCCXCI. Quæ *in hisce regionibus* frequenter observatur *cæruleo colore prædita & aranearum telis similis ac tenuissima Urinis innatare pinguedo, Scorbuti* ferè signum existit, rariùs *consumptionis & tabis*; quamvis nil obstet, utriusque signum esse posse illam pinguedinem.

Unde oriatur.

CCCXCII. Cæterum toto cœlo errare videntur, qui pinguedinem illam deducunt ab adipe renibus circumjecto, liquato, & Urinis communicato; cùm in tabe tantus non sit in Renibus calor, qui liquare possit ipsorum adipem, et insuper impossibile liquatam illam pinguedinem penetrare membranam densam

renes

renes investientem, & hinc & parenchyma eorundem crassum, quò tandem Urinæ jungatur.

Ardorem molestum in Renibus non esse.

CCCXCIII. Nam qui in Lumborum regione sentitur in multis ægris ardor molestus, non idcircò in Renibus existit, quoniam post alios id referunt plerique Practici, cadavera infrequentiùs secantes; cùm alia Symptomata concurrentia in tenui Intestino lumborum regioni sub mesenterio apposito illum dolorem quærendum inveniendumque evincant. Sed de hoc negotio aliàs & pluribus agemus, si Deus volet.

CCCXCIV. Unum tamen addendum adhuc, si *Ardor ille molestus in Renibus* foret, unde haberet ipse *suum ortum*, quid illum foveret tamdiu, absque ipsorum *Renum consumptione aut exsiccatione & torrefactione*?

CCCXCV. Producatur enim aliquod simile in totam rerum natura exemplum indubitatum & manifestum: quo si caremus, uti caremus, qua fronte audent homines illud audacter asserere, aliisque credendum obtrudere?

CCCLCVI. *Per se* sanè *tantum ardorem nunquam concipient Renes*: quòd si aliunde accendatur in Renibus tantum incendium, utique à *solo Sanguine arterioso* id fiet, cùm aliud ad Ipsos non deferatur, quod saltem sciatur.

Neque à Sanguine Arterioso.

CCCXCVII. *A Sanguine* verò *arterioso si oriatur tantus* & tamdiu perseverans *in Renibus Ardor*, utique vel *ipse Sanguinis affluens tanti ardoris erit particeps*, vel *ad ejus saltem* affluxum tantus ardor excitabitur.

CCCXVCIII. In Sanguine ipso atterioso ad Renes delato si tantus, quantus in Lumbari regione observatur, inesset ardor, *febri ardente laborarent* necessariò illi, *ex quorum corde tam ardens effluit Sanguis*: quod tamen non observatur, ergò ab ipso Sanguine summopere calefacto ac incenso non pendet præfatus Ardor.

CCCXCIX. Si *ex Sanguinis allabentis cum Renibus confluxu & contactu fingat aliquis excitari summum* illum in Lumbari regione ardorem; explicet idem, *qualis sit & Renum Sanguinis conflatio, ob quam id contingat*; quin exemplo simili ardoris illa excitatio illustretur. Quod quoniam fieri nequit, frustrà se macerabunt quotquot in hoc perseverabunt figmento.

Sed esse in tenui intestino.

CCCC. Quisquis autem unà mecum molestum illum, *gravemque in multis Ardorem Lumborum regionem occupantem tenui ascribet Intestino*, facili labore inveniet, quibus illum ferat acceptum, *Bilem* putà, *Succumque Pancreaticum vitiatos, confluentes, atque vitiosam Effervescentiam excitantes*. Exemplum verò simile desideranti exhibebimus *Oleum Vitrioli spiritui Terebinthinæ affusam*, & ardorem in excitata tunc inter utrumque effervescentia consimilem ac ita vehementem, ut vitrum manibus teneri nequeat, producentem.

A Bilis & Succi Pancreatici effervescentia.

CCCCI. Hac ratione tum à partium situ & Historia Anatomica, tum ab experimentis Chymicis petitis argumentis longè commodiùs, longè certiùs procedit investigatio atque inventio causarum Symptomata hæc & similia producentium.

Pinguedo Urinæ ab ipso Sanguine.

CCCCII. Pinguedo ergò Urinis aliquando innatans à Renum adipe non est deducenda, verùm ab ipso Sanguine, in quo partes pingues non desunt, quæ ab excitato præternaturali in ipso calore vel ardore, aut potiùs ab eadem causa istum ardorem producente ita possunt affici, ut à cæteris secedant, & cum Urinæ materia in Renibus planè secretæ tandem cum ipsa excernantur, ac in ejus superficie manifestentur.

Non à partium adipe.

CCCCIII. Non nego in plerisque tabis & contabescentiæ speciebus, quamvis non in omnibus consumi sensim pinguedinem, sed & musculorum carnes: inde tamen non puto sequi, eandem pinguedinem, ejusve partem aliquam transferri in Vasa, & sic excerni cum urinis.

Unde corporis tabes.

CCCCIV. Nam nulli debet esse ignotum, secundùm naturam atteri & consumi in nobis partes ipsa continentes, ac imprimis laxiores, quales sunt pinguedo & musculorum carnes; quæ ni continuè reparentur, deficiunt, illisque destituta ossa, cæteræque partes solidiores, adeoque minùs ac segniùs macrescentes corporis tabem indicant & manifestant.

Omnes partes consumi.

CCCCV. Illa non tantùm partium liquidiorum & fluidarum, in perpetuo sc. motu permanentium, Sanguinis putà, Spirituum Animalium, Salivæ, Bilis, Succi Pancreatici, Lymphæ, aliarumque, si plures adhuc observari detur; sed solidiorum quoque partium consumptio perpetua necessitatem imponit hominibus assumendorum indies alimentorum, quibus deficientibus in fame qualicunque contabescit confestim corpus, nisi, quod sæpiùs in quibusdam morbis contingere observamus, ita vitiati sint humores in corpore, ut tunc non tàm consumantur, quàm præter naturam penitùs misceantur humores omnes, & quidem cum ægrorum molestia vel dolore: quæ notasse & ritè observasse plurimùm faciet ad praxin ritè faciendam, postquam non pauca in ægris corrigenda hinc pendent.

Enæorema, & Nubecula in Urina.

CCCCVI. Sed ad Urinarum Contenta revertamur: diximus autem præter sedimentum aut subsidentiam sive hypostasin & innatantem cum spuma pinguedinem, per mediam urinam ferri tum *loco inferiore Enæorema*, tum *superiore Nubeculam*.

Quomodò differant.

CCCCVII. Non videntur enim hæc duo Contenta nisi materiæ suæ *gravitate* ac *levitate*, ut & *crassitie ac tenuitate* inter se differre.

Crassities à Gravitate, & Tenuitas à Levitate distinguenda.

CCCCVIII. Crassitiem distinguo à Gravitate, sic Tenuitatem à Levitate, cùm non omnia crassa sint gravia, nec omnia gravia sint crassa, sed conjuncta reperiatur nonnunquam tenuitati gravitas, & crassitiei levitas: utplurimùm tamen conjungitur crassitiei gravitas, & tenuitati levitas.

Crassiora et tenuiora quænam.

CCCCIX. Contenta ergò illa nunc crassiora apparent, nunc tenuiora; *Crassiora* dicuntur, *quæ magis compactam* habent *substantiam*, *tenuiora*, quæ *magis diductam*.

Eadem opaca vel pellucida.

CCCCX. Accidit iisdem contentis, ut quoque magis obscura & *opaca*, vel minùs opaca & quodammodò *pellucida* occurrant. Quæ qualitates itidem à Crassitie ac Tenuitate distinguuntur, cùm multa crassa occurrant & tamen pellucida, quemadmodùm Vitrum; multa vicissim tenuia & tamen opaca, quemadmodùm Fumus.

Hæ qualitates distinguendæ.

CCCCXI. Hæ qualitates toto genere diversæ cùm ab imperitis sæpenumerò confundantur non parùm confundunt Tyronum Ingenia, quin falsis assertis ipsos perperàm imbuunt ac præjudiciis, semper noxiis.

Earum natura.

CCCCXII. Non nocebit forsan, nec pigebit, hac occasione data de opacitatis & pelluciditatis causis aliquid notare, quod aliàs inserviet. Continuitatem sc. requiri ad Pelluciditatem, Opacitatem verò semper consequi Discretionem ac Divisionem, adeò ut quæ Diaphana erant, ubi erant concreta, Opaca fiant, ubi fiunt discreta. Contrarium autem evenit in quibusdam. Sic Vitrum vel maximè Diaphanum si redigatur in pulverem, erit is mox opacus: quin imò Arena purissima & secundùm singula sua corpuscula existens Diaphana, Opaca observatur, qua multitudinem constituit. Contrà Cineres convenientes, ut & Vitri pulvis, ipsaque adeò Arena si vehementi Igne fundantur, atque sufficienti tempore excoquantur, moxque effundantur, Vitrum pellucidum præbebunt, quatenus erit continuum.

CCCCXIII. Ad pelluciditatem, si non semper, utplurimùm saltem requiri Continuitatem, vel inde quoque apparet, quòd Aqua, si agitatione continuitatem suam amittat, eatenus reddatur Opaca, dum sc. in spumam mutatur, vel aliàs quoque divellitur; quod itidem de Spiritibus Volatilibus verum; unde quoque de Aere verum esse puto, præsertim ubi observo, quod sæpiùs à me cum attentione factum, Aerem serenum & nullis nubibus obscuratum, minùs tamen reddi pellucidum, quoties ventis agitatur; tunc enim nec tàm remota, nec tàm distinctè discerni possunt objecta, quàm Aere tranquillo simul & sereno existente.

CCCCXIV. Ex talibus verò experimentis ut sæ-

Omnis humana cognitio ab Experientia.

piùs a me laudatum. Theorema confirmem, Affectionum rebus contingentium rationes & causæ tandem eliciuntur, *omnisque adeò Humana cognitio pendet ac dependet ab Experientia, sine qua nil veri, nil saltem certi habemus*, modo sc & via naturali; nã de revelatione divina nunc non loquimur, nec aliquid ei detrahimus: Innatas autem Ideas cùm in me nullas inveniam, nec multi alii mecum pro figmentis habeo & præjudiciis, donec solidè probentur, nec tantùm gratis asserantur.

Enæorema & Nubecula unde.

CCCCXV. Ut autem ad *Enæoremata & Nubeculas* in Urinis redeamus, *ortum habent à Materia Urinæ heterogenea, & à Sanguinis massa*, non in Renibus, at *in dextro Cordis Ventriculo Effervescentiæ ope secreta, quia lotio tamen per Renes transeunte*.

1. A materia Urinæ Heterogenea.

CCCCXVI. Dixi 1. habere illa contenta ortum *à materia Urinæ Heterogenea*, illi hanc ob rem non permista, sed confusa, & sensim denuò ab ipsa secedente, atque suæ gravitatis respectu locum convenientem in ipsa occupante.

2. Secreta à Sanguinis massa.

CCCCXVII. Dixi 2. *hanc Materiam secerni à reliqua Sanguinis Massa*, quemadmodùm reliqua omnia vel Urinam constituunt; vel cum ipsa excernuntur.

3. Non in Renibus.

CCCCXVIII. Addidi tamen 3. *Illam secretionem non fieri in Renibus*; cùm ibi Urinæ duntaxat materia secernatur, cujus partem ostendi modò non esse illa Contenta.

4. Sed in dextro cordis Ventriculo.

CCCCXIX. Locum autem Secretionis illius assignavi 4. *In dextro Cordis Ventriculo*, nam secretionem illam *Effervescentiæ Sanguinis*, & quidem in illo Ventriculo contingenti adscripsi.

Et quare.

CCCCXX. Siquis enim ipsos Cordis Ventriculos unà cum annexis auriculis & Vasis ritè consideraverit, Cavitates putà sibi continuas, & cum Cordis parenchymate nullo modo participantes; si quis omnia ad Cor cum Refluente undique Sanguine allabentia expenderit; si quis Mutationem Sanguini ibidem contingentem absque præjudicio examinaverit; fieri nequit, quin aliunde quàm à Corde, aut Sanguine in ipso remanente; aut Chimærico Calido ipsi innato, humidoque primigenio nescio quo deducendam illam Mutationem mox agnoscat & sollicitus illam cognoscere aveat.

CCCCXXI. Ab hisce autem si deduci nequeat ille Calor notabilis Sanguini in dextro Ventriculo præsertim accedens, ut nec Sanguinis ebullitio & rarefactio insignis, utique proximum est, ut aliunde detatur. Unde verò commodiùs, quàm à liquoribus variis unà cum Sanguine eò affluentibus, & tàm mirabili ratione mox undique admissis, mox ab invicem iterum remotis? quemadmodùm id peculiari Disquisitione publico omnium examini quondam exhibuimus.

Effervescentia in Sanguine unde.

CCCCXXII. In hoc enim humorum variorum Sanguini tum ascendenti, tum descendenti confusorum confluxu & contactu excitatur extemplò Effervescentia Visui & Tactui ex Chymica productis exemplis jam satis manifesta, sed blanda & Naturæ amica, quandiu proportionem omnimodam servant Humores singuli Sanguini confusi, vitiosa verò & vel nimia, vel deficiens, adeòque Naturæ adversa, quamprimùm unus vel plures humores à statu suo laudabili plùs minùs recesserunt.

In Vitiosa quid contingat.

CCCCXXIII. In *vitiosa* proinde Sanguinis *Effervescentia* nonnunquam potest accidere, ut *partes ejus aliquot à reliquis secedant*, ac *impermistæ serosis confundantur*, quin cum iisdem in Renibus transcolentur, atque postea ab Urinæ substantia secedentes, in ejus medio hæreant.

CCCCXXIV. Quid autem partes Sanguinis certas à cæteris separet, ac quo modo id fiat, id verò fateor me necdum satis assequi aut explicare posse.

Effervescentia inter Martis limaturam, & Vitrioli Oleum.

CCCCXXV. Exempli tamen loco exhibeo Effervescentiam inter Martis limaturam & Vitrioli Oleum Aqua sufficienti dilutum institutam, in cujus & superficie quippiam supernatans, & in fundo subsidens observatur; magis vero notabiliter Antimonii cum Salis Tartari lixivio soluti ad Aceti affusionem Effervescentia inde contingit.

Effectus rationem posse esse incognitam, cujus modus tamen cognoscitur.

CCCCXXVI. Atque hic notandum, non semper elici posse rationem effectus, cujus modus tamen apparet: atque viam esse ad ipsam quoque rationem tandem inveniendam modum novisse, quo perficitur effectus, cujus rationem investigamus.

CCCCXXVII. Sic quærimus tum *modum*, quo secedit à reliquo Sanguine pars, quam in Urinæ medio hærentem tam sæpè videmus; tum rationem, ob quam fiat iste nubeculæ ac enæorematis à cæteris Sanguinis partibus secessus.

CCCCXXVIII. Modum & possibilitatem videor mihi ostendisse, si Sanguinis in corde admittatur Effervescentia, per dicta exempla; rationem autem & causas veras hujus & istius secessus adhucdum investigo.

Arenulæ, & Calculi in Urina.

CCCCXXIX. Ad *Contenta* referri possunt ac debent *Arenulæ minores, majoresve*, ipsique adeò *Calculi* cum Urina excreti.

Unde oriantur.

CCCCXXX. Quamvis autem nuper dixerim & idem nunc repetam, *ortum* habere suum *Arenulas & Calculos ex ipsa Urina, sed suo modo vitiosa*, non tamen impedit eosdem pro *ejusdem* haberi *contentis*.

Esse Urinæ contenta.

CCCCXXXI. *Quamprimùm* enim *secessum fecerint ab Urinæ substantia*, mox pro *Contentis* habendæ Arenulæ; quod etiam verum de iis, quæ non nisi post aliquot excretionis horas producuntur in & ab Urinis.

Arenulae ubique in Urina reperiri.

CCCCXXXII. Consideratione verò dignum, non tantùm in fundo cum calculis observari *subsidentes arenulas*; nec easdem duntaxat *matulæ lateribus adhærere*, at *in superficie* quoque Urinæ quandoque innatare, quin nonnunquam hinc inde *per nubeculæ aut enæorematis corpus plures paucioresve accrescere*, atque non ingrato, quin potiùs jucundo & admirationem pariente spectaculo ibidem considerari.

Earum color.

CCCCXXXIII. Illud quoque consideratione dignum, *Arenulas plerasque ex flavo rubescere, paucas albescere*.

Quid significent.

CCCCXXXIV. Minores Arenulas observavi hactenus signa præbere *affectarum Glandularum Conglobatarum*; unde cœpi suspicari, à Glandulis illis malè affectis communicari Sanguini *Lympham Subausteram & suo modo vitiatam*, quæ Effervescentiam excitet in corde itidem vitiosam, quam consequatur *partium quarundam concrescere aptarum secretio*, perfici autem & *absolvi concretionem illam nunc in Renibus*, quando *potens est ille Succus & Lympha*, in *Matula* verò, quando idem est *minùs potens*.

Earum causa.

CCCCXXXV. Quod *Conglobatis præsertim Glandulis* accidit, & *casei veteris abusum imprimis* consequitur, causa est, cur *Sanguis omnis vitietur*, atque *Saliva* quoque & *Succus Pancreaticus* similiter vitientur, unde tum Alimentorum *fermentatio*, tum *fermentatorum secretio*, tum *continua in tenui Intestino accidens Effervescentia* itidem vitiantur, sicque malum in dies augetur, & Calculorum generatio vires sumit.

CCCCXXXVI. Observandum autem, *Arenulas in superficie hærentes Capitis* malè affecti, *subsidentes* Autem effectus *in abdomine urgentis*, in medio autem Urinæ atque nubecula ac enæoremate hærentes, *Thoracis* laborantis signa esse.

Eas dolores comitari.

CCCCXXXVII. *Dolores* autem ac *molestiæ* tunc temporis *ut plurimùm concurrunt*, *aliquando præcedunt aut sequuntur* vel in *Regione Lumbari*, ut & *partibus viciniis* cingulis ad instar *Hypochondrium utrumq;* & *Ventriculi regionem prementes*; vel in *Capitis parte anteriore circa oculorum radices, tempora & frontem*, & aliquando in *occipite præsertim universove capite, ipsum gravando ac premendo*, vel *in lateribus, pectorisve medio*, itidem *angendo premendove*.

Qui quid significent.

CCCCXXXVIII. Hic verò *doloris modus* ubique *premens atque gravans Succi peccantis austeritatem* designare videtur & confirmare.

Ardor in regione lumbari unde.

CCCCXXXIX. Rariùs in *Regione Lumbari concurrit Ardor*, qui adscribendus *Bili* tunc *simul peccanti*. Nil enim impedit, plures humores simul peccare in corpore, atque tunc Symptomata ibidem graviora gignere.

CCCCXL. Arenulas ergò observavi hactenus

affe-

affectas Glandulas indicare, imprimis Conglubatas hinc & Conglomeratas.

Arenularū colores quid significent.

CCCCXLI. Quoad *Colorem* Arenularum, observantur *albicantes cæteris solidiores ac duriores*, ideoque *periculosiores*: quod itidem de *calculis* verum; qui *quo rubent magis*, eò quoque *magis* habentur *friabiles & solubiles*, quò verò *magis albent*, eò *duriores ac solidiores* existunt.

6 Urina rariùs excreta.

CCCCXLII. Urinam dixi in superioribus peccare 6. quando *rariùs excernitur*. Aliud enim est minùs excerni Urinæ, quàm pro assumpti potus quantitate oportebat, aliud eandem convenienti quantitate, rariùs tamen excerni.

Quid fiat.

CCCCXLIII. Quamvis enim rariùs quoque soleat ferè excerni Urina, quæ parcior prodit, atque parciorem Urinam soleat consequi rarior ejus excretio; fieri tamen potest ut satis frequenter, licèt parcior, excernatur Urina; quin ut satis copiosa excernatur, licèt rariùs.

Et quot modis.

CCCCXLIV. *Rariùs* proinde *excernitur Urina*, vel quia *non satis* ad sui evacuationem *excitatur*, aut *irritationem* illam *non sentit*, aut *se exonerare non potest Vesica*.

Quando ad sui evacuationem non excitatur Vesica Eius causa.

CCCCXLV. Ad *sui evacuationem non excitatur Vesica*, quoties *Urinas minùs existit acris & salsa* ob causas superiùs memoratas.

CCCCXLVI. *Irritationem non sentit* Vesica, in *stupore* tum universali, tum Vesicæ singulari, aut ab externo frigore, aut à narcoticis orto. Haud facilè namque puto fieri, ut paralysi laboret Vesica, integro permanente ipsius sphinctere, quem contrà non infrequenter paralysi corripi constat, illæsa Vesica.

Quando se exonerare non potest vesica.

CCCCXLVII. *Se exonerare non potest Vesica*, sive *paralysi* laboret, sive *nimiùm distendatur* ab Urina diutius retenta, nimiumque cumulata.

7. Urina frequentius excreta.

CCCCXLVIII. *Urinam* dixi contrà 7. peccare, quando *frequentiùs excernitur*, quod longè frequentius evenit, quàm ut rarius expellatur.

Quot modis id fiat.

CCCCXLIX. Frequentius excernitur Urina tum ob *irritationem molestam*, tum ob *sensum Vesicæ exquisitum*, tum ob *Sphincteris functionem diminutam, sublatamve*.

Ob irritationem molestam.

CCCCL. *Irritatio molesta* est ab *Urina Acri*, undecunque orta.

Ob sensum Vesicæ exquisitum.

CCCCLI. *Sensus Vesicæ exquisitus* consequitur ferè ejusdem *Excoriationem Exulcerationem*, aut *Ulcus*; quapropter etiam minimè Acris Urina mordet tamen vehementer partes sua membrana extima denudatas: quod imprimis in externa cute sua cuticula privata apparet.

Ob sphincteris functionem læsam.

CCCCLII *Sphincteris Functio diminuitur tolliturve* in ejusdem *paralysi* aut *vulnere*, per quod continuè expelli solet lotium, atque ipsum in Vesicam suam esi delatum.

8. Urinæ stillicidium.

CCCCLIII. Ad præcedentem speciem quodammodò referri posset, quam 8. *Urinæ stillicidii* nomine indicavi; in qua Urina frequenter ac guttatim exstillat, & *Stranguria* quoque vocatur.

Eius species.

CCCCLIV. Hujus duæ occurrunt species, altera quidem indolens, altera verò *ardendum dolorem* comitem habens; unde & illam *Urinæ Ardorem* vocant, & *Dysurium* de qua mox.

Simplex.

CCCCLV. *Simplex Urinæ stillicidium* sequitur ferè *Sphincteris vesicæ affectum* modo propositum, *paralysia* aut *vulnus*.

9. Dysuria.

CCCCLVI. *Dysuria* verò quæ *cum dolore ardente ac mordente fit*, quamque 9. loco citati, sive conjunctum habeat Urinæ stillicidium, sive copiosiori Urinæ excretioni copuletur, ortum habet nunc *à sola Urinæ Acrimonia, vel Salsa, vel Acida*; nunc *à vesicæ collo excoriato, exulceratove*, unde à quavis urina, etiam minime acri, dolor excitatur vehementissimus & post urinam quoque redditam excrucians, quin ad novam mictionem impellens.

10. Urinæ per loca aliena excretio.

CCCCLVII. Peccat tandem 10 *Urina*, quando *per vias alienas*, *vulnera*, *fistulas* in *medio pene*, aut *Vesicæ Sphinctere*, *alibive* existentia effluit; atque aliquando in *Uterum* prius, aut *Crassum Intestinum* effunditur, quàm excidat.

Per Vulnera.

CCCCLVIII. *Vulnerant* Vesicam, hujusve collum, aut Urethram varia instrumenta, pungendo, secandove, quò & ruptura ex casu aut contusione referenda.

Per Fistulas.

CCCCLIX. *Fistulæ* autem *vulnera non ritè curata* consequuntur, aut spontè *post rupta Apostemata* excitantur.

CCCCLX. In externarum remotiorumve Cachexiæ Causarum investigatione occupati, sex res nonnaturales dictas perlustrandas docuimus: atque hactenus præter *Aerem* atque *Alimenta*, de *Alvi fæcibus & Urinis* egimus, ad *Excreta Retentaque* referri solitis.

Narium Mucus.

CCCCLXI. Proximum autem inter naturalia Excreta locum *Narium muco* assignabimus.

Etiam in sanis habere locum.

Persas nullū habuisse.

CCCCLXII. Quamvis enim aliqui putent, *secundùm naturam & absolute Sanis nullum è naribus defluere Mucum*, quoniam Persæ valdè sobriè viventes nullum creduntur habuisse prodeuntem è naribus mucum, nullum exscreasse sputum; nescio tamen an illa in Persis observatio, dummodo vera sit, satis evincat, quod asseritur.

Et forsan quare.

CCCCLXIII. Fieri enim potest, ut talis sit Aeris in Perside constitutio, ob quam accedente sobrio alimentorum usu, nullus coacervetur in naribus, tenuis saltem mucus, pauco, eoque exsiccato duntaxat occurrente, qui pro muco tunc non habeatur.

CCCCLXIV. Nam & in hisce regionibus æstatis tempore accidit multis, ut nullum tenuem habeant in naribus mucum, nisi exsiccatum; quin observantur aliqui, quibus nunquam, ne hyeme quidem autumnive tempore, aliquis prodit mucus.

In his regionibus naturalem esse Mucum.

CCCCLXV. Quicquid sit, observamus in hisce regionibus Septentrionalibus tàm naturalem esse muci productionem ac profluxum, ut paucis sine sanitatis detrimento illius proventus desit.

Ejus Via.

CCCCLXVI. Hic ergo saltem pro naturali & necessario excremento habebimus *Mucum*; quantum judicare datum, *à glandula pituitaria imprimis ad nares delatum*.

Vnde ortum habeat.

CCCCLXVII. An verò à *Glandulis choroeidem plexum cum arteriis constituentibus* aliqua sui parte ortum suum habeat is mucus, ac insuper *à Pituita in Spiritum Animalium* in Cerebro ac Cerebello facta *secretione* simul à Sanguine secreta, & ad Ventriculos, hinc per infundibulum ad Glandulam Pituitariam delata, an præterea à *Succo peculiari in Glandulosa narium tunica* secreto trahat suam originem, nec affirmare nec negare ausim.

CCCCLXVIII. Utrique non desunt argumenta, quæ singulos istos muci ortus suadeant, nondum sufficientia, quæ unum aut plures persuadeant.

Mucū omnem esse Viscidum.

CCCCLXIX. Id saltem manifestum, *Mucum* omnem naturalem *viscidıtatem* aliquam in se continere, cujus ratione, ubi tantillum exsicatur, *tenacitatem* notabilem acquirit: quod & Salivæ quoque accidit..

Quot modis peccet.

CCCCLXX. *Mucus* hic *peccare* videtur 1. quando *deficit* 2. quando *minuitur & parcior* existit. 3. quando *copiosius* prodit 4. quando *fluidior & Aquosior*. 5. quando *tenacior*. 6. quando *Acrior*, & nunc *Salsus*, *nunc Acidus* occurrit.

1. Quando deficit.

Et quot modis id fiat.

CCCCLXXI. *Mucus in naribus deficit* 1. quando ejus materia à reliquo Sanguine non separatur, vel in Cerebro ac Cerebello, vel in plexus choroeidis Glandulis, vel in glandula Pituitaria, vel in Glandulosa narium tunica; dummodo ab hisce partibus omnibus proveniat.

CCCCLXXII. 2. Quando alio, & imprimis ad fauces transfertur.

CCCCLXXIII. *Non secernitur à reliquo Sanguine Muci materia ob affectus Cerebri Calidos, cum calore saltem manifesto conjunctos, aut ab æstu quocunque ortos*.

CCCCLXXIV. Alio ad fauces transfertur Mucus, & imprimis obstructis aut quovis modo angustatis circa sui radicem naribus, quod circa Gravedinis initia non raro contigit, quamvis id à Scriptoribus non est forsan observatum.

CCCCLXXV. Idem *Mucus parcior ad Nares defluit*

2. Quando plurimus ad nares defluit. fiunt, 1. quando *pauca ejusdem materia* secernitur à Sanguine in partibus, in quibus secerni solet: & quidem ob causas modò memoratas, sed leviores.

Et quot modis id fiat. CCCCLXXVI. 2. Quando *ejus pars aliqua*, uti dictum, *transfertur ad fauces*, itidem ob causas jam dictas, sed leviores.

3. Quando copiosior prodit. CCCCLXXVII. *Copiosior* autem *prodit per Nares Mucus*, 1. quando *illius plurimum separatur* in partibus illi secretioni dicatis.

Et quot modis id fiat. Cum illius plurimum separatur. CCCCLXXVIII. Illud autem accidit, tum ubi *Sanguis abundat Pituita*; tum ubi *Partes illi secretioni dicatæ ab externo præsertim frigore ac Boreali vento corpus calens & caput imprimis ex improviso corripiente sunt male affectæ*; unde corrumpitur quodammodò in ipsis Sanguis, atq; plus partis Pituitosæ solet à cæteris tunc secerni, ut in Coryza hoc accidit.

Cùm mucus per nares stillat. CCCCLXXIX. Prodit idem Mucus copiosior per nares 2. quando *ejus parum, vel nihil transfertur ad fauces, sed omnis, plus unus saltem, per nares* stillat: quem motum antrorsùm promovere potest Capitis inclinatio diutiùs continuata; sive ob affectum aliquem illam inclinationem desiderantem aut urgentem, sive ob morem malum; cùm non pauci se vitiosæ corporis positioni sensim assuefaciant.

Fluidior & Aquosior. CCCCLXXX. *Fluidior & Aquosior* distillat per nares *Mucus*, quoties multum seri à Sanguine illi admiscetur; quod fit, tum quando *sero abundat Sanguis*; tum quando ab *externo frigore affectum est graviter Caput*, unà cum *Glandulis* in ipso existentibus, unde plus partis serosæ secerni solet in ipsis; quemadmodùm fieri videmus in Gravedine sive Coryza.

Tenacior. CCCCLXXXI. *Tenacior prodit è Naribus Mucus* quoties *suo sero destituitur Sanguis*, aut *illud per Urinas, Sudoresve copiosiùs evacuatur*, aut in Affectibus cum calore manifesto copulatis *idem consumitur, inspissatur* saltem: Unde in febribus ardentibus ab expirato per nares Aere non parum incrassatur Mucus & exsiccatur, adeòque tenacior fit.

Acrior, vel Salsus, vel Acido salsus. CCCCLXXXII. *Acrior existit Mucus* & quidem nunc *Salsus*, nuc *Acido-salsus*; quoties illi simile admiscetur in Cerebro serum; quod frequentissimè accidit in Gravedine, quibusdam sine Gravedine. Illud autem contingit præsertim tempore frigido, aut à quovis caput afficiente frigore.

Ejus causa. CCCCLXXXIII. Existimo autem *externum frigus*, quoties potentiùs, ac imprimis à quacunq; causa calens afficit caput, *Glandulas* præsertim *corripere* atque *in Sanguine Serum ita alterare, ut copiosiùs in Glandulis secernatur, & non tam in Vasa Lymphatica propellatur, quàm per Glandularum membranam penetrans in partes vicinas effundatur*; In *Cerebro* verò ex Glandulis plexui choroeidi implicatis partim in *laterales Ventriculos effusum* sensim per Infundibulum ad Glandulam Pituitariam, & hinc ad Nares pergat: *partim ad spinalis medullæ latera deorsùm tendat*, & varia ubique damna & noxas excitet.

Aurium sordes. CCCCLXXXIV. Plura sunt Utrique Sexui communia Excrementa, præter Alvi fæces, Urinam, & Narium Mucum; *Aurium sc. sordes*, à quibus tamen quoniam vix aliquid notabilis homini contingere solet ad Cachexiam producendam, de illis nunc non agemus.

Peculiaria Utrique sexui excrementa. CCCCLXXXV. Utrique autem sexui peculiaria sunt Excrementa, non quidem Individui, sed Speciei conservationi propriè dicata; à quibus malè habentibus quoniam non raró Cachexia producitur, de illis quoque nunc agemus.

Viris semen, fœminis semen & sanguis menstruus &c. CCCCLXXXVI. *Viris* autem ad Generationem solum *Semen* excernitur; *fœminis* autem tum *Semen*, tum *Sanguis Menstruus*, ad quem *Lochia* referenda, tum *Lac*.

Cui ætati semen effundatur. CCCCLXXXVII. Non in omni ætate Maribus *effunditur Semen*; *non pueris*, *non senibus decrepitis*, sed primùm *Adolescentibus ad pubertatis annos perductis*, circa decimũ quartũ ætatis annum incipiendo, & tãdiu continuãdo, donec decrepiti fiant senes.

CCCCLXXXVIII. *Semen* igitur *tum demum produci*, ad Venerem excitare, hinc & effundi solet manibus, *quando maximam augmenti sui partem sunt nacti & robustiores facti*.

Ejus Materia. CCCCLXXXIX. *Generatur Semen* tum ex *Sanguine*, tum ex *Animalibus Spiritibus beneficio fermenti in testibus parati*.

Sanguis. CCCCXC. Ex Sanguine, ejusve parte peculiari generari Semen, patet ex *Arteriis copiosis* ad Testes, aut Epidymidas saltem pergentibus.

Cui forsan admixtum est quid à singulis corporis partibus. CCCCXCI. An verò à *singulis corporis partibus aliquid semini generando ad Testes transferatur*, quis audebit affirmare aut negare: Nun ego, qui nil absurdi invenio in affirmatione, nil in negatione.

CCCCXCII. Cùm enim in *perpetuo fluxu* eoque *circulari* vertetur Sanguis, quis negare audebit, Sanguinem partes singulas pertranseuntem aliquid à singulis mutuari, ac illud ipsum circulatione iterata tandem aliquando ad testes appellere, atque in ipsis hærens talem semini materiam præbere, ex qua similis pars producatur.

CCCCXCIII. Quis autem considerans, quàm incertum sit, quàm fortuitum, ut Sanguis à singulis partibus ad Cor refluens, novo inde effluxu pergat ad testes, non item ad partes alias, idem audebit affirmare? tunc enim particulis ab his aut illis partibus residentibus destituti Testes producturi erunt necessariò semen hactenus imperfectum, nec ad singulas corporis partes ritè efformandas aptum.

CCCCXCIV. Adde, quòd *si à partibus singulis recedetur quasi Seminis materia*, quæ postmodum singulis in fœtu efformandis inserviat, nonne metus est mitæ confusionis, si tàm à matre, quàm patre accedat semen, & à matre insuper Sanguis menstruus? quo concesso, nonne magna inde exurget confusio?

CCCCXCV. Adeò ut, quocunque te vertas, difficultates urgeant undique, nec facile sit se ex illis extricare.

Seminis color. CCCCXCVI. *Semen* autem laudabile *coloris* est *albicantis*, *substantiæ subviscidæ*, ac dum effunditur *spumosæ*.

Spiritus Animales concurrere ad seminis productionem. CCCCXCVII. *Spirituum Animalium plurimum concurrere ad seminis productionem* vel inde patet, quòd *omnes functiones Animales, Sensus & Motus, non parùm debilitentur ab effuso, liberaliùs præsertim, semine*.

Semen quot modis peccet. CCCCXCVIII. Hoc *Semen peccare* dicitur, 1. quando *Nullum*. 2. quando *paucum*. 3 quando *nimium* 4. quando *colore, consistentia, odore, acrimonia, aliisve qualitatibus Vitiosum* 5. quando *difficiliùs & rariùs*. 6. quando *faciliùs ac frequentiùs* excernitur.

1. Cùm nullum excernitur. CCCCXCIX. In quibusdam *Nullum* excerni potest, qui frigidi ac maleficiati solent vocari. Sic memini, aliquando me in consilium vocatum apud hominem Uxoratum, Pene satis crasso & testibus crassiusculis præditum, ineptum tamen ad conjugii munia ubeunda; imprimis *ob defectum sufficientis ac satis diu perseverantis erectionis in pene*, ob quem defectum forsan desiderabatur quoque seminis (si quod erat) excretio; quamvis *circa illam erectionem penis fieri seminis effusio possit*.

Ejus causa. D. Causa proinde nullius effusionis seminis est imprimis ejusdem defectus; ob *viarum*, *Testiumve vitium*.

Viarum vitium. DI. *Viæ peccant*, quoties aut arteriæ spermaticæ non communicant cum Testibus, aut Nervi pauci vel nulli ad Testes, aut Epidydimidas feruntur.

Vt & Testium. DII. *Testes peccant*, quoties suo naturali destituuntur fermento spermatopœietico, aut planè desunt, ut in Eunuchis.

2. Cùm paucum excernitur. DIII. *Paucum generatur, effunditurque semen*, si *vasa tenuia* duntaxat & *pauca* ferantur ad Testes; si *Testes ipsi debiles sint* ac imbecilles; quod *grandibus* ferè accidere observamus, qui nunquam laudantur sed potiùs mediocres.

3. Cùm nimium excernitur. DIV. *Nimium contra producitur effunditurque semen*, quando Arteriæ ac Nervi insignes ad Testes feruntur, eoque potentes.

DV. Idem aliquando accidit in Venere nimia, ob quam affluit Sanguis unà cum animalibus spiritibus copiusiùs ad Testes; tunc verò debilius simul & Aquosius produci solet semen.

4. Cùm Qualitatibus vitiosum est. DVI. Peccat idem *Semen*, quoties his aut illis *qualitatibus vitiosum* prodit.

Nipe Colore DVII. Nam 1. *Colore* non raró alieno præditum effluit,

efluit, dum, quod naturaliter albicat, præter naturam flavescit aut viridescit: quod imprimis contingere solet in Lue Venerea, in qua pluribus insuper nominibus peccat.

Odore. DVIII. Ubi 2. *Odorem* quoque alienum ac fœtorem subinde acquirere solet, ob corruptionem illi comitem.

Acrimonia. DIX. Quin in eadem Lue 3. *Acrimoniam* solet nancisci semen, cujus nomine, ulcera circa penis radicem in parastatis & vesiculis seminariis producuntur.

Consistentia. DX. Sed & 4. *Consistentia* seminis mutatur in Gonorrhœa tum Venerea, tum simplici; longè namque *liquidius* solet tunc existere, quo homine etiam sponte tunc & continuè effluit.

Ejus mutationis causa. DXI. Liquidius autem evadit semen, aut *ob seri admistionem nimiam*, aut *ipsius seminis corruptionem*: Illud in non virulenta, hoc in virulenta solet accidere Gonorrhœa: quæ molestior erit, si serum Sanguinis concurrat.

DXII. *Extra Gonorrhœam* observatur etiam *semen nimis liquidum*, ac ideò minùs prolificum; quod sequitur tum *universi Sanguinis constitutionem pituitosam*, tum imprimis *Testium Dispositionem imbecillam*, ob quam Frigidi ferè vocantur, qui tales observantur; sive paucum, sive satis copiosum, aqueum tamen habent semen, nunquam tamen valdè fœcundum.

5. Cùm difficiliùs & rariùs prodit. DXIII. *Difficiliùs & rariùs prodit semen*, ubi paucum producitur, imprimis si tunc Veneri nihilominùs frequentiùs opera detur. Nil enim impedit, aliquem sæpiùs coire, qui tamen rariùs effundat Semen, cùm aliud sit ad Coitum, aliud ad Seminis excretionem irritari, licèt utplurimùm hæc conjungantur: possunt tamen seorsim consistere; adeò ut, quis ex sola cogitatione sine coitu semen effundat, vel licèt coeat, semen tamen non effundat.

DXIV. Ubi autem quis sine coitu semen effundit, necesse est, ut aut semine abundet, imprimis fluidiore, aut pridem illud non effuderit.

6. Cùm faciliùs & frequentiùs effunditur. Hæc omnia fœminarum semini etiā accidere. DXV. Denique *faciliùs ac frequentiùs effunditur semen*, quando id in corpore *abundat*, & maximè *fluidius*.

DXVI. Quæ *de semine in Maribus* peccante diximus, *ad Fœminas* non ita difficulter transferri possunt: non opus proinde, ut eadem pluribus hîc persequamur; quin potiùs ad cæteras Fœminis peculiares *Evacuationes*, *Sanguinis* putà *Menstrui* & *Lactis*, pergendum foret, ni earundem vitia jam in lib. 4. prolixè essent enarrata & exposita, unde eadem revocari possunt ac debent, hucque inter Cachexiæ remotiores causas, sicut aliæ res non-naturales omnes peccantes, referri.

DXVII. Postquam igitur tum primò de Aeris vitiosi correctione, tum secundò de Alimentorum peccantium emendatione, tum tertiò de Excretorum, Retentorumque vitiis multifariis, eorundemque medela hactenus egimus: Proximum est, ut de reliquis quoque non naturalibus dictis Rebus, Corporis motu, Animi Affectibus, atque Somno Vigiliisque ordine quædam proferamus.

DXVIII. Faciemus autem à *Corporis Motu exercitioque vitiato* sæpenumerò dicendorum initium.

Corporis Motus quot modis peccet. Nimio excessu. DXIX. *Peccat* verò duobus imprimis modis *Corporis Motus*, quando Cachexiæ causa debet existere, aut *excessu*, aut *defectu*.

DXX. *Ex nimio* siquidem *Corporis Motu*, eoque diu continuato, *exhauriuntur Spiritus Animales*, *acrioresque fiunt humores in corpore existentes*, *Biliosi*, *serosi*, *Acidi*; unde fortàn molesta illa Corporis Lassitudo, eum Artuum lancinationibus conjuncta.

Humorum Acrimonia quid producat. DXXI. Ab humorum verò qualicumque Acrimonia, vel in tenui Intestino, vel in dextro Cordis Ventriculo, vel utrobique vitiosa excitatur Effervescentia, & Febris, magnæ corporis Defatigationi utplurimùm comes, quamvis non semper æquè gravis soleat observari; quoniam, præterquam quòd Defatigatio non semper contingit æqualis, humores in corpore cujusvis, aut omni tempore non existunt similes, nec proinde eandem Acrimoniam suscipere apti.

DXXII. Sunt enim in multis corporibus humores Acres quidem, at per Animales Spiritus, aliaque temperati, quibus pereuntibus aut non accedentibus, Acrimonia illa se magis magisque manifestat; in aliis corporibus nulli existunt aut producuntur humores Acres, unde licèt minus Animalium Spirituum ad omnes accedat, persistunt tamen temperati nec nisi aliis accedentibus Acrimoniam nanciscuntur, vel saltem valdè rarò. *Per Spiritus Animales temperatur.*

DXXIII. Hinc etiam est, quòd aliqui ex minimo labore & defatigatione corporis mox malè habeant, dum alii & gravem & diuturnum satis perferre possunt laborem absque notabili corporis noxa. *Quare quidam laborem ferre quidā non ferre queant.*

DXXIV. Ubi autem ex nimia defatigatione Humores in corpore Acriores fiunt, quid miri, si Cachexia quoque consequatur, quæ proinde non curabitur, nisi mitigata priùs illa vehementiore Corporis agitatione ac defatigatione; quia usurpando medicamenta consequentem humorum quorumvis Acrimoniam temperantia, & maximè Spirituosa. *Ex nimia defatigatione Cachexia.*

DXXV. Quemadmodùm verò à nimio exercitio generatur Cachexia, sic contrà *à nimio Otio & corporis quiete* ea itidem observatur produci, sed alia ejus species. *Ut & ex nimio otio & corporis quiete. Quare id fiat.*

DXXVI. Accidit autem id, quatenus in *Otio cumulantur in* Corpore *humores Pituitosi*, quin imperfectiùs contingit Alimentorum in Ventriculo Fermentatio, Parcior sequitur Animalium Spirituum ex Sanguine separatio, &c.

DXXVII. Quoniam igitur in Otio & corporis quiete nimia impeditur Alimentorum Fermentatio, proditque Chylus & Sanguis partes nimiùm junctas habens, necesse est, ut omnes ex ipso parandi Liquores solito Pituitosiores atque Crassiores existant, & consequenter universi corporis constitutio existat *Pituitosa* & *Oedematosa*, hoc est, *Cachectica*.

DXXVIII. *Medebitur* autem tali Cachexiæ æger, *disponendo sensim corpus ad motum majorem*, & *usurpando medicamenta* humorem pituitosum *incidentia*, *attenuantia*, &, si simul redundaverit, *evacuantia*, & quidem per vices ac intervalla, quà ratione non solent ita debilitari vires. *Ejus Medela.*

DXXIX. Longè frequentiùs Animi, quàm Corporis Motus vehemens solet Cachexiam producere. *Ex Animi Motu vehementi Cachexia.*

DXXX. *Plerique autem Animi Affectus & Motus*, si *vehementiores fiant*: & quidem si *sæpiùs tales contingant*, vel *diutiùs perseverent*, id efficiunt.

DXXXI. Imprimis verò id præstant *Ira*, *metus*, *Tristitia*, *Spes Auxia*, *Desperatio*, *Invidia*, *Commiseratio*, excedentes ac diu permanentes. *Et ex quibusnam.*

DXXXII. Videntur autem singuli hi Affectus id præstare; quatenus ipsi conjunctas habent *Mentis sollicitudines*, *vigilias*; & *hinc consequentem Spirituum Animalium consumptionem*, ac *proinde Humorum variorum Acrimoniam*. *Et quare.*

DXXXIII. Nàm præterquam quòd in *Ira* in specie *Bilis* observetur irritari, acriorque efferri; in *Tristitia* verò & *Metu Succus Acidus*; quemadmodùm alibi pluribus hoc ostendimus; accedit, quod in pravioribus illis Animi motibus, ac imprimis diutiùs permanentibus, & sæpiùs repetentibus, *Curæ* conjunguntur *cum vigiliis*; quæ spiritus animales exhauriestes, uti notum, causæ sunt auctæ in humoribus peccantibus acrimoniæ.

DXXXIV. Pluribus hanc rem nunc non prosequemur, quia aliàs id à me factum; quin potiùs paucis illorum Affectuum noxas deducemus.

DXXXV. Prout enim Bilis, vel Succus Acidus Acrimoniam concipit majorem, ita diversa contingit Cachexiæ species, & diversa requiretur uniuscujusque Curatio. *Ejus Curatio.*

DXXXVI. Cæterùm in genere allaborandum, ut, quantum fieri potest, compescantur, *mitigentur ac regantur Affectus*, tum vitando omnes ipsorum occasiones, tum obfirmando Animum contra singulorum excessus. *Affectus mitigandi & regendi.*

DXXXVII. *Humores* quod attinet tunc simul vitiatos, *corrigendi* erunt singuli pro sui diversitate diversimodè, atque medicamentis sæpiùs à me propositis, & subinde iterum proponendis. *Humores vitiati corrigendi.*

DXXXVIII.

Deficientes restaurandi & excedentes purgandi. DXXXVIII. Quòd si aut *deficere aut excedere* comperiantur *Humores* qualescunque, ijaut *redintegrandi* erunt *Alimentis Medicamentosis*, aut *evacuandi purgantibus*, & quidem per vias singulis & humoribus peccantibus, & corporibus affectis convenientissimas.

Vigiliarum & Somni excessus causa Cachexiæ. DXXXIX. Eadem ferè ratio est *Vigiliarum & Somni mediocritatem excedentium*, quæ sunt *Corporis motus & quietis* immoderatorum: quemadmodum enim à nimio corporis motu, sic & *à Vigiliis protractis consumuntur, exhauriuntur atque Spiritus Animales, Acriores fiunt Humores* in cujusvis corpore dominantes *Bilis, Succusve Acidus*, & eâ utroque fortè ortū *Serum*.

Et quomodo. DXL. Quemadmodum rursus à nimia Corporis quiete, atque otio; sic & *à Somno multo augentur in Corpore humores Pituitosi ac viscidi.*

Eius Curatio. DXLI. Cùm proinde similis observetur harum Rerum Effectus, similia erunt adhibenda, quæ prioribus, auxilia.

DXLII. Interim ad mediocritatem deducendæ sunt Vigiliæ, vel minuendus Somnus.

Cachexiæ curatio. DXLIII. Quemadmodùm verò *Affectuum omnium*, sic & *Cachexiæ Curam consistere* docuimus tum 1. in *Vitatione, Correctione sex Rerum non naturalium dictarum, quomodocumque peccantium, ceterarumve causarum fortassè vel studio homini accidentium*, ipsiusque Sanitatem depravantium: tum 2. in *Partium corporis Continentium, Contentarumve Qualitate sensili vel propria vel communi peccantium emendatione*, atque ad pristinam integritatem restitutione.

Quinam Sani, quinam Ægri dicendi. DXLIV. Quoniam enim illi demum, tantumque *sani sunt ac dici possunt*, in quibus *Functiones omnes rite* obeuntur; quemadmodùm contrà illi *Ægri sunt & vocari debent*, in quibus *una vel plures Functiones quocumque modo labefactatæ observantur*.

Functionum integritatis unde pendeat. DXLV. *Quoniam rursus Functionum omnium Integritas pendet* immediate tum *ab Anima rite disposita*, tum *ab omnibus singulisque Corporis Continentibus, Contentisque Partibus* itidem *rite dispositis*: mediatè verò & imprimis à *sex rebus non-naturalibus dictis* convenienter usurpatis.

Quando Corporis partes rite sunt dispositæ? DXLVI. Quoniam dènique *rite dispositæ sunt Partes* corporis *Continentes Contentæ*, quando singulæ *qualitatibus sensilibus tam propriis, quam communibus, qualibus decet, sunt præditæ*.

Quando functiones in Ægris labefactentur. DXLVII. Fit unicuique manifestum, *Ægris labefactari Functiones unam vel plures*, quamprimum *vel ipsa Anima* est ad Functiones suas obeundas *male disposita*, vel *Una pluresve Corporis Continentis, Contentive Partes secundùm Qualitates suas sensiles proprias vel communes occurrant male dispositæ*.

Quando Ægrorum curatio ritè instituatur. DXLVIII. Unde nulli non patet, *Ægrorum Curationem* ritè institui, quando hæc *qualiacunque Animæ, Corporisve Contenti Vitia citissime, tutissime ac jucundissime emendantur, & ad pristinam integritatem reducuntur*.

DXLIX. Quod fit, ut de Animæ Curatione nil dicam, quando *Qualitates* prædictarum *Corporis Continentis, Contentive partium sensiles tam propriæ, quàm communes*, in quibus ritè dispositis earum perfectionem consistere, atque ab ipsis Functiones manare, docui in superioribus, quatenus vitiatæ observantur, *convenientibus auxiliis instaurantur & ad amissam perfectionem reducuntur*.

Primaria curandæ Cachexiæ indicationes unde. DL. Videndum porrò, quænam partes, & quibusnam qualitatibus peccare soleant, ut Cachexia inde consequatur: unde non ita difficile erit, primarias Curandæ Cachexiæ Indicationes eruere, ac ipsam curandi rationem proponere.

Cachexiæ Causa universalis. DLI. Cùm autem in *Cachexia vitiata sit universi corporis Nutritio*, universalis quoque ipsius Causa fuit à me ponenda, *Sanguis putà vitiosus*: ad quem cæteri quoque humores vitiati, vel ut Causa, vel ut Effectus sunt revocandi.

Ejus species earumque curatio. DLII. Quoniam verò non una, sed plures observantur Cachexiæ species quarum primam *Serosam*; secundam *Pituitosam*; tertiam *Biliosam*; quartam *Acidam*; quintam *Flatulentam* licet nominare, singulis pro Causæ proximæ diversitate Curam peculiarem assignabimus.

Serosa Cachexia curatio. DLIII. *Serosam*, sero in corpore abundanti debitam, *curabimus & minuendo, evacuandoque* per intervalla serum, & novam ipsius *generationem impediendo*, idque Diæta convenienter.

Serum evacuando per alvum. DLIV. *Serum* per alvum *evacuant* Medicamenta purgantia, *Hidragoga* dicta, inter quæ excellunt Mechocanna, Jalappa, Gummi Gotte, & similia.

Per Sudores. DLV. Idem per *Sudores* expellunt Ligna Guajaci, Sassafras, Buxi, Quercus & similia.

Per Urinas. DLVI. Serum quoque per *Urinas* educunt Diuretica plura, sed imprimis Salia Volatilia, Succini, Urinæ, Salis Armoniaci, & similia.

Seri generationem quænam impediant. DLVII. *Generationem seri impediunt* Aer siccus; Potus parcus; Cibus gratus & boni Succi; Somnus moderatus; Corporis motus mediocritatem tantillùm excedens; Animus ad hilaritatem compositus.

Pituitosa Cachexia curatio. DLVIII. *Pituitosam Cachexiam*, redundanti in corpore Pituitæ tribuendam, curabimus *Pituitam minuendo*, evacuandoque per vias commodas, eandemque *corrigendo*, & *ejus proventum majorem impediendo*.

Pituitam minuendo. DLIX. *Minuemus Pituitam*, ipsam deorsum imprimis, & aliquando sursum evacuando, per medicamenta *Phlegmagoga* dicta, Colocynthidem, Agaricum, Hermodactylos, Turpetum, &c. imprimis per Mercurium modis quibusvis præparatum, Præcipitatum putà, vel Sublimatum, Dulcem præsertim.

Et quibus. DLX. Eandem *Pituitam corrigemus* per Medicamenta Volatili Sale, ac Oleoso præsertim abundantia & Aromatica, vulgo incidentia & attenuantia dicta, Rad Enul. Campan. Iridis, Galangæ, Cyperi, &c. Ligna Guajaci, Sassafras, &c. Fol. Majoranæ, Salviæ, Rorismarini, Rutæ Hortensis, Menthæ, Calaminth. mont. &c. Baccas Lauri, Juniperi, &c. Sem. Anisi, Feniculi, Cumini, &c. Flores Rorismarini, Lavendulæ, Chamæmel. Rom. &c. Cort. Arantiorum, Citri, &c. Aromata pleraque.

Corrigendo. Et quomodo. DLXI. *Proventum Pituitæ impediemus*, vitando Aerem pluviosum ac nebulosum, inter Alimenta Pisces Marinos, Carnes pinguem, Potum multum & Aquosum, Somnum nimium, Otium, Timorem & Tristitiam longam.

Ejus proventum impediendo. DLXII. *Cachexiam Biliosam* & ab abundante in Corpore Bile ortam curabimus, *Bilem minuendo*, evacuandoque, eandem *corrigendo*, atque *proventum ipsius impediendo*.

Cachexia Biliosa curatio. DLXIII. *Bilem evacuabimus sursum* imprimis per *Antimonialia* Medicamenta, *deorsum per Chologoga*, *Rhabarbarum, Scammoneum, Tamarindos*, &c.

Bile evacuando & quibus. DLXIV. *Corrigemus Bilem Acriorem* per *Acida* vel blandiora, vel cum aliis saltem priùs temperata, Succum Citriorum, Arantiorum, Granatorum Acidorum, Berberorum, Ribesiorum, &c. Spiritum Salis dulcem, Oleum Sulphuris per Campanam, Spiritum Vitrioli, Aluminis, Nitri, &c. *Bilis proventum impediemus*, abstinendo ab Aere fervido, Alimentis Acrioribus, Potu generoso, Vigiliis multis, Corporis exercitio vehementiore, Ira, &c.

Corrigendo & quibus.

Ejus proventum impediendo. DLXV. *Cachexiam Acidam curabimus*, à Lympha, Succoque Pancreatico acidioribus pendentem, non tàm minuendo, quam alterando, & corrigendo acidum in corpore humorem, atque ipsius proventum novum pro virili impediendo.

Cachexia Acida curatio. DLXVI. *Acidum* commodè *minui ac evacuari non potest*, *nisi priùs temperetur*, aliàs tormina excitat horrenda.

Acidum. Temperando. DLXVII. *Temperabitur* autem Acidum potentissimè a Sale volatili, & oleoso, cùm præterea ipsum temperare soleat & Sal lixivus, & Spiritus Volatilis, & Oleum quodvis, aromaticum præsertim.

Evacuando. DLXVIII. Acidum temperatum *evacuabitur* memoratis supra *Hydragogis*.

Ejus proventum impediendo. DLXIX. *Impedietur Acidi proventus*, cavendo ab Aere frigido, ventoque Boreali, Alimentis Acidis, vel cum acido conditis, Animi mœrore ac Timore, &c.

Cachexia flatulenta curatio. DLXX. *Flatulentam Cachexiam*, *Flatibus* in tanui præsertim Intestino ex *Pituita Viscida & Bile ortis*, atque per Lactea vasa in Ductum Thoracicum, mox Cor, & universum Sanguinem delatis proficiscentem

Cura-

Curabimus utramque hanc *Causam corrigendo*, ac *redundantem minuendo*, quin *novum proventum impediendo*, denique *Flatus ubique discutiendo*.

Pituitam viscidam incidendo Et quibus. DLXXI. *Pituitam Viscidam incidunt* tum Aromatica omnia & sale volatili abundantia; tum Acida; & efficacissimè Gummata aromatica, Galbanum, Sagapenum, Ammoniacum, Bdelium, Opopanax, Mastiche, & similia.

Bilè Acriorem alte. rando. DLXXII. *Bilem Acriorem*, uti dictum, *infringunt* eadem Acida, Diluunt Aquea, Obtundunt Oleosa, Temperant spirituosa.

DLXXIII. Quæ tum *Pituitam Viscidiorem*, tum *Bilem* quamvis *educant*, jam dictum.

DLXXIV. Dictum quoque, quænam utriusque humoris *proventum impediant*.

Flatus discutiendo, Et quibus. DLXXV. Flatus autem discutiunt imprimis Semina Aromatica, utpote Sale volatili, sed oleoso, præ ceteris plantarum partibus prædita; quippe quæ salia volatilia oleosa, ex quibusvis etiam parata, idem præstant, alia tamen aliis potentiùs & commodiùs.

DLXXVI. Unde quoque olea aromatica ex quibusvis destillatione elicita, potentissimè atque præ aliis medicamentis omnibus flatus discutiunt.

Spiritus Nitri Vires. DLXXVII. Hisce meritò annumeramus *Spiritum Nitri*, summum flatus discutiens medicamentum, atque ex Sale maximè Oleoso paratum. Nullum enim Sal, quod sciam, occurrit, quod & Ignem concipiat, & proinde tàm Oleosum sit, atque Sal petræ, sive Nitrum.

Opii vis. DLXXVIII. Ad flatus discutiendos plurimùm quoque conferre potest *Opium*, & quodvis opiatum medicamentum.

DLXXIX. Atque sic paucis Curationem variarum Cachexiæ specierum secundùm ipsarum Causas proximas proposuimus, nec formulas, nunc varias addidimus, idem aliàs in aliis affectibus facturi.

Finis Tractatus Quinti.

TRACTATUS VI. DE HYDROPE.

H drops quomodo oriatur. I. Cachexia perseverante, cum *totius corporis langvore* atque nonnunquam, imò frequentiùs *Febre lenta*, aliisque *Molestiis ac Symptomatibus* variis sensim excitatur illa Aquea Corporis Intumescentia, *Hydrops* vulgò dicta, cujus explicationem discursui de Cachexia meritò subjungimus.

Quid per Hydropem intelligat Auctor. II. Per Hydropem autem intelligo Humoris Serosi vel Pituitosi in Corporis Habitu vel Cavitate quavis Collectionem.

Quid sit. III. Adeò ut Hydrops sit Morbus in Sero vel Pituita extra sua vasa effusis, hinc & Collectis in loco quovis præternaturali.

Ejus differentiam, ut petantur. IV. Hydropis omnis differentia petitur tum à materia diversâ, tum à Collectionis loco diverso.

Locus ejus varius. V. Locus enim Collectionis Hydropicæ aut est Corporis habitus, aut Abdominis, aut Pectoris, aut Capitis, aut Scroti, aut alterius partis Cavitas.

Et variis nomina. VI. Hinc Abdominis Hydrops Ascites vocari solet, Capitis Hydrops Hydrocephalus, Pectoris Hydrops proprio nomine caret; Scroti Hydrops Hydrocele dicitur.

Hydrops in corporis habitu duplex. VII. Hydrops in Corporis habitus observatus, rationes materiæ à quibusdam & quidem meritò in duas species dividitur.

Anasarca & Leucophlegmatia. VIII. Nam quoties à sero tenui, Aqueo, vel Salso trahit originem, toties *Anasarca* quibusdam vocatur; uti quoties à Pituita Gelatinam imitante ortum ducit, toties *Leucophlegmatia* iisdem dicitur.

Quomodo differant. IX. Non ignoro, multis eundem Affectum utroque nomine venire, quod nec improbo, interim & hoc non ignoro, diversas observari in praxi species talis Hydropis in corporis habitu reperti, secundùm materiæ diversitatem, quæ quoniam diversis non fuerunt à Veteribus distinctæ forsan nominibus, meritò à recentioribus in praxi versatis citra Veterum contumeliam distingui potuerunt duobus istis nominibus jam usu receptis, sed quodammodò aliter quàm olim explicatis.

Hydrops Universalis. X. Hinc in habitu Corporis observatus Hydrops vulgò Universalis vocari solet, quamvis, si quis rem ritè consideret, non sit magis universalis, quàm cæteri: Neque enim Corporis habitus est corpus universum. Licet namque facilè huic externo potiùs nominando Hydropi diutiùs perseveranti succedere vel potiùs accedere soleat Ascites, quamdiu tamen ille non adest, imò licèt adsit, dummodò Caput & Pectus, quemadmodùm ferè fieri solet, libera permaneant ab Hydrope, tamdiu universalis vocari nequit.

XI. Aliquando tamen verè universalem Hydropem observamus in hisce regionibus; quando sc. & Corporis habitus, & Venter, & Pectus, & Caput observantur Aqua plus minùs oppleri, atque ill im ubique coacervare.

Unde liquor Hydropem producens effundatur. XII. His ita observatis, meritò quæritur, non tàm quæ sit Hydropem constituens Materia, cùm geminam ex praxi assignaverimus, Serum & Pituitam, sed unde uterque hic liquor in Corporis habitum vel Cavitates effundatur & ibidem sensim colligatur.

XIII. Non putem autem id commodè ex Venis vel Arteriis peti, sed duntaxat ex Vasis Lymphaticis & Lacteis.

Non ex Venis vel Arteriis. XIV. Non ex Venis vel Arteriis, quia in illis Sanguis continetur, non solum serum; unde ipso effuso non Hydrops, se Inflammatio & Suppuratio solent consequi, & denique Empyema, de quibus Affectibus jam egimus aliàs.

Sed ex Vasis Lymphaticis. XV. Per vasa verò Lymphatica delatus Liquor secundùm dispositionis cujusvis diversitatem diversus, nunc tenuior & serosior, nunc crassior & Pituitosior, si vasis istis ruptis effundatur, Hydropem constituit.

Et Lacteis. XVI. Per Vasa verò Lactea tum Chylus, tum præsertim Potus affatim haustus qui defertur, si eadem rumpi contingat, in abdominis cavitatem effundi solet, atque Ascitem subito quandoque contingentem producere.

Et quando rumpuntur. XVII. Effunditur Ergò ex Vasis vel Lymphaticis vel Lacteis contentus Liquor, quoties eadem rumpuntur.

Quod à quibus fiat. XVIII. Rumpuntur verò tum à re dura sive rigida illas pungente aut secante, tum à Liquore proprio in ipsis stagnante, atque ipsa eousque magis magisque distendente, ut tandem rumpantur, unde contetus & continuè adhuc affluens Liquor in locum viciniù qualecunque effunditur, atque ibidè colligitur, aut aliè transfertur, atque sic Hydropem producit.

Quare Liquor in Vasis stagnet. XIX. Stagnat in prædictis Vasis perfluens Liquor, ob ipsorum qualemcunque angustiam, licèt frequentissimam putem Obstructionem.

Obstructio in iis unde. XX. Obstructio fit in dictis vasis ab humore viscido in ipsis coagulato.

Quare humor coaguletur. XXI. Coagulatur is humor à frigore externo, vel forinsecùs corporis superficiem feriente, vel cum potu in partes interiores admisso; aut à causa quavis humores per illa vasa delatos coagulare apta, tum interna tum externa; fomentis purà, &c. coagulandi vi præditis.

Humor viscidus unde deferatur. XXII. Humor viscidus ad Vasa Lactea defertur ex Intestinis, & quidem tum ab Aere æstuante, tum à ve-

à vehementi corporis excercitio, tum ab alimentis spirituosis & aromaticis, tum à potu mulio calidè assumpto, tum ab Ira vechementi, tum à Vigiliis, &c. solutus & fluidior factus.

XXIII. Idem humor viscidus transfertur in Vasa Lymphatica ob easdem ferè causas humorem talem in Sanguinis massà redundantem aut per glandulas conglobatas, aut ex quavis forsan parte eo propellentes.

XXIV. Dico ex quàvis forsan parte, quoniam etiam nunc ignoramus totam & accuratam Lymphę originem, quam longè satiùs foret examine exacto & laudabili conjunctis operis investigari à Viris animi corporisque dotibus præ aliis excellentibus, quàm perpetuis jurgiis & rixis, imò conviciis & calumniis bonam bonorum famam indignè lacerari & traduci, quemadmodùm indies fieri, non sine indignatione observant quivis Reip. amantes.

Obstructionem esse frequentissimam Hydropis Causam.

XXV. Obstructionem igitur existimo ego potissimam & frequentissimam Hydropis cujusvis Causam: quam consequatur Lymphæ vel Chyli & potùs præsertim in Vasis suis stagnatio, hinc vasis distensio, mox ruptio, & tandem Contenti Effusio & Collectio in loco ad illam apto.

Ejus causa antecedens Lympha vitiosa.

XXVI. Ex supradictis facilè patet, inter Antecedentes cujusvis Hydropis Causas concurrere utplurimùm Lympham in corpora vitiosam, & quidem imprimis ratione salsedinis aut viscitatis majoris, unà cum ejusdem copià auctà.

Et aliquando potus copiosus.

XXVII. Quamvis enim aliquando fieri observetur, ut sine auctis multùm Pituità vel sero in corpore, consequatur nihilominùs ex multo potu in febribus ardentibus ingurgitato Hydrops, id tamen rariùs contingit, estque infrequentior Hydropis Causa

Obstructio à Pituita vel seri redundantia.

XXVIII. Utplurimùm autem solet præcedere in Corpore Pituitæ aut seri, & quidem vitiosi, Redundantia, cui quamprimùm accedunt aliæ Causæ externæ Pituitam solventes, atque in Vasa Lymphatica vel Lactea nimiùm propellentes, hinc & aliæ eandem coagulantes, adeoque Obstructionem parientes, sistitur in ipsis Lympha vel Potus, donec nimia distensione disruptis vasis effundatur contentus in ipsis vel amplius affluens Liquor, sicque citiùs vel seriùs producatur in partibus diversis Hydrops.

Hydrops unde paulatim aliquando generetur.

XXIX. Sed & observatur non raro Hydrops non subitò & confestim, sed paulatim generari; quod fieri solet, quoties auctis præter naturam in corpore Pituità vel sero, solà ipsorum copià distenduntur nimiùm, & si non rumpantur, ad diapedesin saltem deducuntur vasa, adeò ut sensim colligatur in ipsorum vicinia effusum serum vel tenuis Pituita.

Ejus principium in pedibus, Et quare.

XXX. Illud autem imprimis contingere observamus in parte pedum inferiore, atque facie.

XXXI. In pedibus id evenit frequentiùs, quàm alibi, ob motum humorum quorumvis sursùm difficiliùs contingentem; unde etiam noctu non rarò disparere solet idem Tumor, quando sc. minor adhuc existit, disperso nempe quaquaversùm sub ipsà Cute ac per Corporis habitum Sero; quo interdiu denuò ad partes infimas delabente, ibidèque hærente paulatim excrescit iterum remissus noctu Tumor.

In Facie tumor Aquosus.

XXXII. In Facie quoque observatur non infrequenter Tumor Aquosus, vel ibidem permanens, vel iterum recedens, atque noctu præsertim sese manifestans.

Differentia Tumoris faciei, & pedum.

XXXIII. Cùm autem hic contrarium eveniat ejus, quod pedibus accidere notum, qui interdiu magis solent intumescere, atque noctu detumescere; Facies verò noctu intumescat, & interdiu detumescat, quæritur meritò hujus diversitatis ratio.

Ejus Causa.

XXXIV. Dixi quidem modò, cur ita interdiu afficiantur Pedes; unde magis mirum videbitur forsan quibusdam, quòd idem Faciei eveniat noctu.

Tumoris faciei causa.

XXXV. Censeo autem ego, idcircò noctu intumescere Faciem iis, in quorum corpore tum Serum, tum Pituita tenuis redundat; quoniam tunc capite pulvinaribus incluso atq; magis calente dissolvitur quoque magis & foràs Sudoris specie propellitur Serum prædictum vel Pituita.

XXXVI. Idem verò Serum vel Pituita in faciei partibus externis, hoc est, sub Cute facilè sistitur & coagulatur iterum, hinc & parvum tumorem ibidem ostentat: quod adscribendum Aeri externo vapores illos, humoremve vaporosum iterum coagulanti.

XXXVII. Sistitur facilè sub faciei Cute Pituita vel serum, ob partes illas solito laxiores; quod intelligo de Viis & Ductibus inter Arterias & Venas mediis.

Arterias desinere in venas.

XXXVIII. Nam si putemus, non ubique Arterias desinere in Venas, verùm in plerisque saltem partibus dari aliquod in ipsis intermedium, per quod colet ut quasi Sanguis, quò partibus singulis accedat illa ejus pars, quæ desideratur vel ad Ipsarum nutritionem, vel ad Functionem naturalem in ipsis absolvendam; utique Canalium vel Ductuum modo se habere debet illud Interstitium, Sanguinem ex Arteriarum extremis excipiens, ac in Venarum extrema capillaria refundens.

Venarum & Arteriarum conveniens firmitas. Quid Aneurisma. Quid Varix.

XXXIX. Quemadmodùm verò tum in Venis, tum in Arteriis requiritur conveniens firmitas & soliditas, quò Sanguis per Ipsas debitè moveri & propelli queat; unde Arteriæ Tunicà læsà excitari solet *Aneurisma*; Venæ autem Tunicà itidem læsà & laxata *Varix*: Ita in præfatis Ductibus partium Singularũ requiritur firmitas conveniens Sanguini transmittendo ex Arteriis in Venas; quà læsà & labefactatà in ipsis partibus hærere potest aliqua Sanguinis pars, quæ tum à totà massà recedere potest faciliùs tum ipsis partibus adhærere promptiùs.

Serum à Sanguinis massa facillimè cedere.

XL. Illud autem, quod a massa reliqua cedere potest ac solet facillimè, Serum esse, quis ignorat, nisi in Arte Medica Hospes?

XLI. Hoc enim vel unicà Venæ sectione Sanguinisque missione mox evincitur, quoniam intra breve temporis spatium à reliqua Sanguinis massa in unum concrescente spontè secedit ac separatur serum.

XLII. Quoniam igitur serum minùs arctè junctum est cæteris Sanguinis partibus, idcircò facilè ab ipsis secedit quavis vel minima ejus occasione.

Sudorem prodire aut nonnaturaliter aut præter naturam.

XLIII. Hoc autem itidem evincitur Sudore ad minimum sæpè corporis Animive motum, aut externum æstum tàm copiosè erumpente; quod fieri non posset, nisi Sudoris materia Serum levi negotio à reliqua Sanguinis massa secedere posset facillimè. Adde quòd ipse Sudor nulli prodeat naturaliter, at duntaxat nonnaturaliter, aut præter naturam.

XLIV. Nolim hanc distinctionem idcircò rejici, si forsan illa consensu, quo ipsam propono, non reperiatur apud Galenum, vel alium Auctorem classicum, vel nondum sit usurpata ab aliquo Professore Veterano.

Hominibus accidere quædam secundùm naturam.

XLV. Quotquot enim Medicinæ faciendæ dant operam, quique soli Medicorum nomine digni sunt, observare potuerunt imò debuerunt, accidere 1. quædam hominibus *secundùm Naturam*, hoc est, vi atque energià eorum omnium quæ ad hominis Integritatem tum constituendam, tum conservandam concurrunt & requiruntur: tale quid est Seri secretio in Renibus, quò per Ureteres in Vesicam delatum atque suo tempore excretum promat Urinam.

Quædam nonnaturaliter.

XLVI. 2. Accidere quędam iisdem hominibus *non naturaliter*, hoc est, rebus non naturalibus vulgò dictis excessu peccantibus Ita in Pudore facies rubere solet, in Metu pallere; Ita pulsus ad quosvis Animi Motus excedentes variè immutari solet, &c. absque tamen ulla functionum læsione permanente.

Quædam præter naturam.

XLVII. 3. Quædam accidere solent hominibus *præter naturam*, hoc est, cum Functionum læsione permanente, atque notabili Corporis vel Animæ læsione. Ita ex summa Animi conturbatione fieri sæpenumero Delirium multiplex, in Mania, Fatuitate, Amore Insano, & Infinitis Melancholiæ Hypochondriacę dictæ speciebus; Ita Febres, Epilepsiæ, aliique affectus præter naturam excitantur semper.

XLVIII. Hac præmissà Naturalis, Non-natura-

lis,

Sudorem nunquam esse naturalem.

Iis, & Preternaturalis distinctinne, assero Sudorem quemcumque in homine quocunque quandocunque undecumque ortum, semper aut nonnaturalem aut præternaturalem esse, nunquam vero naturalem.

Et quare.

XLIX. Ratin est, quia secundùm naturę leges, atque corporis constitutinnem natutalem nullus excitari debet aut prodire homini sudnr.

Sudoris ea

L. Quisquis autem sudnr ipsi prodit, is nmnis agnoscit aliquod erratum in Dięta, hoc est, rebus nonnatutalibus dictis; quapropter talem sudnrem nonnaturalem vocandum putavi; servans terminos vulgo nntos & in Medicina frequentes; vel agnnscit pro Causa Morbum in homine preexistentem, quo, circa illum sudorem pręternaturalem, ac morbosum nnminandum dnxi.

Sudor artificialis.

LI. Occurrit adhuc alia Sudnris ab Arrifice Medico instituta species, qui sudor Artificialis dicitur, & meo arbitratn ad Nnnnaturalem referendus: quo vel assumptis jusculis calentibus, ac medicamentis nmninn ad Alimenta revocandis, vel externo Ignis, Balnei, Tegnmentnrum calnre, vel Cnrporis motn, &c. prnvocari solet.

Criticus.

LII. Nnn tantùm hunc Artificialem, quin etiam Criticum Sudnrem ad Nonnaturalem revocari posse atbitror; Accidit enim, quoties in statu pręternaturali unius Diętę non qnidem naturalis, & uti solebat durante sanitate observari, sed nonnaturalis, hoc est, in multis à naturali recedentis ope superatur Affectus ac Morbus Contentntnm, sicque propellilitur foràs Sudnr.

Cujus ratio, ne contingat Crisis naturæ adscripta.

LIII. Ne quis enim nesciat; Omnis Naturę adscripta Crisis contingit ratione Dietę aut simpliciter naturalis, in quantitate tamen, vel qualitate, vel tempore ac similibus mutatę; aut simul Medicę, quando sc. Exempli gratià insueta subinde exhibentur Ægris Alimenta, eaque medicamentosa, hoc est, nntabilitet corpus quoque alterare apta; atque sic ita immutantur sensim Contenta peccantia, ut nnxia ab utilibus secernantut atque posteà excernantur in tntum.

LIV. Hęc aliquantò pluribus libuit proponere, qnoniam non idem sentinnt tum de Sudore, tum de Natura, tum de Crisi Auctores, ac plerique ignorant quid dicant, quid doceant, contenti aliorum verba non satis perspecta proferre.

Plurimos ignorare qd sit natura, & Natura Crisis.

LV. Imò verò ignorant plerique, qund de Natura & Naturæ motu Criticn tàm nbscurè, tàm confusè dicunt & docent, snnse muneri ac officio abundè satisfecisse putantes, si re ipsa neglecta, quippe non intellectà, protulerint & allegarint plurima Veterum ac Recentiorum dicta itidem à se non intellecta, sicque videantur saltem & habeantur prn Viris doctis. Hoc enim quærunt & optant plerique: Inanis enim Docti gloria illos delectat, Videantur proinde, qui vnlunt videri, & fiant, qui optant esse docti.

Differentia eorum qui videri volunt docti, & eorum tales esse optant.

LVI. Ista autem inter illos erit ac suo tempore constabit differentia, quòd qui optant esse docti, si fiant, utiles quoque sint futuri Reip.; dum cæteri, quos gloria vexat inanis, non tantùm inutiles, quin & noxii deprehendentur Reip., utpote ubique Veritati ac prninde bono publicn sese npponentes, ac per fas, & nefas proborum conatus eversos cupientes. Hinc tot indies prodeunt in publicum Libelli famosi, tot Calumniæ, tot Cavillationes, tot Rixæ, & nescio quid non.

Facies manè turgidula unde.

LVII. Setum igitur Sanguinis sub stragulis & ob lecti Calorem magis solutum, & Sndnris quoque crassioris forma forsan versùs cutem propulsum, & ibidem hærens Faciem manè ostentat turgidnlam, & metnendi Hydropis Anasarcæ aut Leucophlegmatiæ indicia promit.

Et quid significet.

LVIII. Signum enim est, 1. *abundare* imò *redundare* in talibus *Serum vel Pituitam tenuiorem*, 2. Eundem *humorum Sudoris forma noctu forás propelli*, 3. *Faciei habitum minùs robustum existere*, hoc est, solito laxinrem factum, & forsan infirmitatem aliam insuper nactnm, ob quam citiùs & faciliùs in ipso hæreat & dennò concrescat idem humor, nec foràs propellatur vel erumpat. Quibus si 4. accedat *frigus externum*, Faciei cutem afficiens, copinsior sub ipsa concrescit & colligitur Humnr vaporis forma eò propulsus.

Hydropis instantis signum!

LIX. Meritò igitur observatis talibus metuitur de Hydrnpe tandem secuturo, nnn tantùm Anasarca, vel Leucophlegmatia, sed & Ascite, postquam illum, si negotium illud negligatur, utplurimùm subsequi testatur Experientia quotidiana; quam qui suis figmentis ac stnlidis præjudiciis postponunt, ambitinnem suam testantur & ignorantiam.

Eius curatio.

LX. Cæterùm Hydropis multifarii Naturam & ortum, imò generandi modum paucis & quantum mihi datum dilucidè proposui: ut proinde ipsi medendi methodn rationali viam convenientem parem ac stetnam, quædam veniunt repetenda; quò Indicationes necessarias eruamus.

Indicationis nomine q̃d

LXI. Indicationis quidem nnmen non sempet in eodem sumitut apud Medicos significatu, dum Theoretici & Cathedrales Doctntes ipsam terminis definiunt arctintibus, Practici vero, qui soli Medici nomine digni, laxiores servant, quippe rebus magis attenti, quàm verbis; quæ quoniam usu valere nnrunt, illis utuntur secundùm loquendi morem consuetum, parùm curantes, an aliqui morosi vocabulorum rosnres quosvis ad suum captum & sensnm loqui cupiant.

A iuvantibus & nocentibus peti potissimas Indicationes.

LXII. Cùm enim Practici snleant nre rotundo asserere, *A juvantibus & nocentibus sumi ac peti potissimas Indicationes*, atque hoc dictum à quibusdam morosis ac præjudicin excæcatis Doctoribus arrodatur, lubet hac occasione aliquantò pluribus Practicorum mentem explicare, atque Dicti ipsorum veritatem, summamque in facienda medicina utilitatem confirmare.

Indicationis vocabulum variis modis accipi.

LXIII. Nulli, nisi volenti, potest esse ignotum, & Galenn & aliis post ipsum Medicis vncabulum *Indicationis* variis modis accipi, tnm in genere pro *quavis ostensione ac monstratione*, tum in specie atque in Medendi methodo pro *Agendorum demonstratione*: quæ forsan præferenda multis aliis Definitionibus à variis excngitatis, & ipsam rem magis confundentibus, quàm illustrantibus.

Quid sint indicantia, & indicata.

LXIV. Quoties proinde in Arte Medica dicuntur demonstrari agenda; utique illa quæ demnnstrant *Indicantia*, quæ agenda veniunt *Indicata*, uti solent, vncabuntur.

LXV. *Quicquid* proinde *Medico demostrat & ostendit agenda*, id omne *Indicantis* nomine ipsi veniet.

Indicantis definitio vulgaris.

LXVI. Si quis proinde me rogaverit, *quid sit Indicans?* ab sit ut cum plerisque antecedentinm gregem sequentibus, ac quà itur, non quà eundum sit spectantibus, respondeam, esse *Agens aliquod in corpore humano permanens, quodque per naturam & essentiam propriam auxilium aliquod indicet, atque indicatum, quod expostulat, ad sese dirigendum esse monstret, ut sanitas hominis amissa restituatur.*

Eiusdem Definitio Authoris.

LXVII. Obscura enim, perplexa & ambiguitatum plena est ista definitin, cujus locn sequentem breviorem ac dilucidinrem substituo, & dicn, *Indicans* esse, *Quicquid ostendit agenda, ut homini sanitas sua restituatur.*

Indicans & in Ægro & extra ipsum esse.

LXVIII. Perinde itaque mihi est, *an in ipso homine ægro*, ejusque adeo anima vel Corpore, *an extra ipsum sit, quod mihi monstrat, quid agere me oporteat*, ut ipsum sanem.

Vulgaris Definitio vitiosa.

LXIX. Superior ergo Definitio Indicantis angustinr est sun Definito, ideoque vitiosa.

Cholera Morbus.

LXX. Et ut hæc res magis pateat, exemplo negotium totum manifestandnm & illustrandum. Curandus venit Medico Æget, & quidem *Cholera Morbo*, hoc est, *Vomitu & Alvi fluxu Biliosò gravi laborans.*

Eius signa.

LXXI. Hujus affectum ejusdemque ortum & causas examinans Medieus intelligit ex ipsius Ægri relatu, deliquisse ipsum in nimio fructunm hotariorum, Persicorum putà Malorum vel Uvarum usu an potius abusu, atque post paucas horas anxietates circa præcordia, angustias, tormina Ventris, Nauseam, Vomitum & crebras Alui dejectiones

nes

nes ipsi obvenisse, atque eadem omnia perseverare.

Causa. Medela.

LXXII. His perfectis facilè colliget Medicus in arte sua versatus, totum malum habuisse ortum à nimio illo fructuum horariorum usu; atque medelam ipsi allaturus, *non tantùm* agnoscet, *abstinendum esse Ægro ab ulteriori eorundem aut similem fructuum assumptione*; at insuper *talia ipsi administranda esse, quæ prædictis fructibus sint adversa, & illorum noxam emendare queant*.

Indicatio.

LXXIII. Illa verò *agendorum*, quæ *partim in noxiorum vitatione, partim in utilium usurpatione* consistunt, *Indicatio petitur à Nocentibus, fructibus sc. horariis*; ex quorum videlicet notitia deducit Medicus peritus, quid facto sibi opus sit, ut restituat Ægrum Cholera morbo laborantem.

Non tantum affectus, sed & ejus causa remotissima Medico considerandæ.

LXXIV. Frustra enim erit Medicus & Chimericus Thrasonicus, qui ex præjudicio suo imponet sibi ac ægro suo, considerando duntaxat ipsum affectum Vomitum puta & Alvi fluxum molestum neglecta, ejus causa remotissima; quippe quæ sola ipsi totum affectum, ipsumque ritè curandi modum demonstrat & indicat.

Medici officium.

LXXV. Utique oportet Medicum probum ac peritum ad omnia esse attentum, & singula considerare, ex quibus aliquid lucis haurire possit ad Ægros suos feliciùs, faciliùsque curandos.

Indicantia quænam.

LXXVI. *Quæcunque* proinde *Medico manifestant, qui curari possit Æger, ea omnia Indicantium nomine dignubitur*, cùm *reverà ipsi agenda indicent*.

Agenda & Vitanda.

LXXVII. *Agenda* verò, uti modò dixi, comprehendunt etiam *vitanda*; duobus namque præceptis generalibus comprehenduntur omnia Medicorum consilia, *Vitandis & Usurpandis*. *Vitari* enim debent, *quæ jam usu observavimus nocuisse Ægris*, aut *illis nocitura meritò metuimus*; Contra *usurpari* debent tum quæ *jam Ægris convenientia fuisse* novimus, aut *futura probabiliter speramus*.

Probabilitas in Medicina.

LXXVIII. Addidi *probabiliter speramus*, quoniam non raro accidit, ut hac in spe sua & opinione fallatur Medicus, & quidem *ob peculiarem singulorum Hominum constitutionem*, quam nemo Mortalium assequetur unquam certò, *nisi per experientiam*, tam utilem, tàm in Medicina necessariam.

Juvantia & Nocentia esse Indicantia optima.

LXXIX. Ut ergò tandem ad controversiam motam revertamur concludimus, *Juvantia & Nocentia*, utpote ab Ægris jam usurpata & observata, *præ cæteris Indicantibus omnibus potissimas & certissimas promere Indicationes*, adeò ut nulla omninò in arte occurrant, quæ illis queant æquiparari; tantum abest, ut illa ex Indicantium numero putemus eliminanda.

Hydropis Indicationes variæ.

LXXX. His ita de Indicantibus præmissis, revertimur ad Hydropem, cujus rationali methodo curandi varias proponemus Indicationes.

Distinguendum inter Hydropem incipientem & perfectum.

LXXXI. Imprimis verò distinguendum est inter *Hydropem in corporis habitu incipientem, ac perfectum* ut & in *variis cavitatibus existentem*.

Incipiens quisnam. Perfectus quinam.

LXXXII. *Incipientem voco in Corporis habitu Hydropem*, quamdiu meatus inter arterias & venas existentes nondum sunt hiantes ac rupti, omnisque humiditas serosa vel pituitosa in ipsis adhuc hæret: uti *perfectum*, quando ex dictis meatibus cavernosis hiantibus ac ruptis effusa est sub cute, ac circa musculorum membranas dicta humiditas.

Hic quomodò se manifestet.

LXXXIII. Talis *perfectus* in habitu corporis hydrops sese manifestat tum *permanente in affecta parte tumore*, tum eodem *secundùm decubitum* varium quodammodò *mutabili*, quemadmodùm id præsertim apparet in cruribus ob decubitum detumescentibus, & ob incessum magis intumescentibus.

Aquarum migratio quomodò fiat.

LXXXIV. Hanc autem Aquarum migrationem de loco in locum fieri puto *secundùm Musculorum membranas & sub Cute*; ubi non rarò in sectionibus Cadaverum Gelatinam reperi concretam.

Indicationes diversæ.

LXXXV. Cùm proinde diversa sit meatuum nominatorum constitutio in Hydrope incipiente ac perfecto, & in hoc quidem noxa longè major, quàm in illo, facilè putet, alias esse utrobique Indicationes.

LXXXVI. Nam in Hydrope incipiente relaxatio quidem est ac imbecillitas prædictorum meatuum, in perfecto autem Continui solutio plena.

In incipiente, & perfecto.

LXXXVII. *Relaxatio* verò istorum Meatuum indicabit sui *adstrictionem*, & *Imbecillitas* sui *corroborationem*; uti *Solutio*, sui *adunationem*.

Quid Relaxatio meatuum, quid solutio indicent.

LXXXVIII. Quoties autem Vasorum Lacteorum vel Lymphaticorum priùs obstructorum ruptioni acceptus ferendus est hydrops: toties *Aqua loco peccans* sui inde *remotionem*, *Vasorum* autem *ruptio* sui *consolidationem*; *Obstructio* denique sui *reserationem* indicat.

Quid Aqua loco peccans, quid Vasorum ruptio, quid Obstructio.

LXXXIX. *Seri vel Pituitæ Redundantia* in Corpore sui quoque *diminutionem*; uti illius *salsedo*, vel hujus *Viscidítas* sui *correctionem ac emendationem* itidem indicat.

Quid Seri vel Pituitæ Redundantia. Quid illius Salsedo. Quid hujus viscíditas.

XC. Adeò ut sic paucis pleraque in Hydropis curatione agenda proposuerim, & quidem per *Indicationes ex variis Corporis Continentis ac Contenti morbis petitas*.

Remediorum materia, & forma.

XCI. Interest autem, ut similiter paucis exponam cujusvis remedii & auxilii materiam, hujusque formam convenientem.

Inter quæ distinguendum.

XCII. Non male namque distinguitur inter ipsum Indicatum sive Remedium, & multifariam sæpenumero hujus Materiam, quam diversa forma administrari posse ac nonnunquam debere quis ignorat nisi eorum quæ in praxi geri solent ignarus?

1. Meatuum Relaxatio qui curetur.

XCIII. Proposui autem 1. loco *Meatuum Relaxationem*, quam dixi indicare sui *adstrictionem*: Hæc autem ipsorum adstrictio *variis rebus* obtineri potest, & quidem *modis variis & formis* administratis.

Per adstringentia.

XCIV. Adstringentium Materia ex variis peti potest, ex Vegetabilibus præsertim atque Mineralibus.

Externa.

XCV. Cùm autem in Corporis habitu hæreat malum, imprimis per externa instituenda erit Curatio, & forma medicamenti aptissima erit Balneum, vel Fotus: ut & Emplastrum & similia.

Interna.

XCVI. Nil tamen impedit, Interna quoque usurpari tunc medicamenta leniter adstringentia & aromatica, & imprimis Decocti forma exhibita.

Eorum materia.

XCVII. Ex *Adstringentibus* autem sunt *Rad.* Tormentillæ, Bistortæ, Caryophyllatæ, Petasitidis.
Folia Plantaginis, Equisetum, Bellis minor, Sanguisorba, Myrtus.
Flor. Rosarum Rubrarum, Balaustiorum.
Semina Portulacæ, Plantaginis.
Nuces Cupressi, Myrtilli.
Inter *Fructus*, Mespila, sorba, Corna.
Succus Hypocystidis, Agrestæ, Acaciæ.
Cortices Granatorum, Culpæ Glandium.

XCVIII. Ex *Mineralibus* sunt Terræ pingues omnes ac sigillatæ, Lemnia, Silesiaca, Turcica, &c. Bolus Armena, Alumen, Lapis hæmatites, Sanguis draconis, Ferrum, &c.

XCIX. Decocta ut & fotus parari possunt in Vino rubello & adstringente, vel in Aqua & imprimis ferrata sive chalybeata.

C. Emplastris conducunt insuper Mastiche, Olibanum, &c.

2. Partium imbecillitas qui curetur.

CI. Proposui 2. loco partium in habitu corporis existentium & meatus dictos formantium *Imbecillitatem*, ipsamque dixi sui Indicare *corroborationem*.

Et quibus.

CII. Hanc imbecillitatem à laxitate distinguo, & corroborationem non ab Adstringentibus, sed *Aromaticis* exspecto.

Aromatica quænam.

CIII. *Aromatica* voco, quæcunque *odore vel sapore acri & grato sunt prædita*: quò spectant omnes plantæ *moderatè calidæ atque siccæ*, vulgò dictæ.

Quot modis usurpanda.

CIV. Hæc Aromatica itidem tum *externè* tum *internè* possunt usurpari, uti dictum de Adstringentibus, & quidem *formis similibus*; nisi quod internè pluribus formis & tutiùs exhiberi possint, quàm Adstringentia.

CV. Possunt enim & *Tincturæ*, & *Extracta* & *Vina medicata*, & *Decocta* & *Olea stillatitia*, & *Mixturæ*, & *Conservæ*, & *Electuaria*, & *Pulveres*, & nescio quid non hunc finem ex Aromaticis parari & commodè ipsis Ægris adhiberi; quod æquè tutò ac commodè ex Adstringentibus fieri nequit.

CVI.

3. Meatuũ solutio qui curetur.

CVI. Proposui 3. loco *Meatum* in corporis habitu existentium & *continuorum solutionem*. quam dixi sui indicare *adunationem*,

Et quibus.

CVII. In hunc finem plura possunt administrari medicamenta, & quidem forma diversa, tum internè, tum externè.

Consolidantia quonam.

CVIII. Quę autem solutam unitatem curare possunt Medicamenta, *Consolidantia* vulgò dicuntur, ad quæ, tum glutinantia, tum vulneraria sunt referenda quorum bona pars inter adstringentia fuit posita.

CIX. Sunt autem Rad. Consolidæ majoris & minoris cum toto: Tormentillę; Caryophyllatæ, &c.
Folia Consolidæ Saracenicę, Saniculæ. Agrimoniæ, Alchimillæ, Verbenæ, Pyrolæ, Veronicæ; Vincæ Pervincæ, Virgæ aureæ, Pilosellæ, Herniariæ, &c.
Flores Ros. Rubr. Hyperici, &c.
Corallia, Bolus Armena, Lithargyrium, Sarcocolla, Thus, Sanguis Draconis, Lapis Calaminaris, &c.

Quot modis usurpanda.

CX. Ex his parari possunt *Fomentationes*, decoquendo ipsa in Vino rubello vel Aqua ferrata, ut & *Emplastra* forinsecùs usurpanda.

CXI. Internè quoque assumi poterant *Decocta Vulneraria* dicta ex plantis præsertim parata: quorum ope paulatim consolidari poterunt Meatus dicti soluti.

4. Aqua loco peccans qui tollatur.

CXII. Proposui 4. Loco *Aquam* serosam aut Pituitosam in omni Hydrope perfecto, ac præsertim Ascite, similibusque speciebus *Loco peccantem*, atque *sui inde remotionem* indicantem.

Quando Hydropem producat.

CXIII. Quamdiu enim in Vasis Lymphaticis & Lacteis stagnant duntaxat Lympha & Chylus, Potusve, tandiu abest Hydrops; ubi verò in habitus corporis Meatibus serum ita stagnat, ut tumorem ibidem pariat notabilem, Mox Hydropis Anasarcæ initia observantur.

CXIV. Quamprimùm autem ex Vasis Lymphaticis vel Lacteis ruptis, ut & Meatibus dictis itidem disruptis Lympha, vel Chylus, vel Serum effunditur, aut in cavitate aliqua, aut sub Cute colligitur, Hydrops perfectus existit, in quo Loco peccat effusus Liquor, suique, quemadmodum dictum, inde remotionem indicat.

CXV. Inde autem *removeri* potest modis mediisque variis: & imprimis per *Sudorifera*, vel *Paracentesin*.

Removetur per Sudorifera.

CXVI. Per Sudorifera tollitur ac removetur inde Liquor, quatenus tunc omnes corporis pori reserantur, & humores Aquei vaporis forma quaquaversum propulsi simul foràs expelluntur, sicque ex illo præternaturali loco removentur.

Et quænam

CXVII. Conducunt verò inter *Sudorifera* illa præsertim, quæ *Acriora* existunt, & *vi Aromatica* sunt prædita: Qualia sunt Ligna & Cortices Guajaci, Sassafras, Juniperi, Quercus, Buxi, &c. Radices Apii, Fœniculi, Angelicę, Imperatoriæ, &c.

Et quomodò.

CXVIII. Oportet autem Sudorifera illa, quacunque demum forma pręparata, continuè assumantur ab Ægris, atque in perpetuo quasi sudore ipsi serventur, si felicem successum optemus.

CXIX. Hac enim ratione aperti servantur corporis pori, & via expellendis Aquis patens: quod si diu intermittantur Sudores, toties claudũtur dennò pori, augeturque iterum Aqua, cui postmodum majori labore & molestia novus rursus parandus exitus;

CXX. Non tantum in hoc affectu, sed & aliis quoque utilem observavi Sudorem modo prędicto perpetuatum.

Et qua forma.

CXXI. Sudorifera autem in hoc casu convenientissimè usurpabuntur forma liquida, & quidem aut decocti, aut misturę ac potionis: addendo semper Spirituosa, & Sale Volatili abundantia.

Extrinseca etiam adhibenda.

CXXII. Non tantùm assumptis intrinsecùs medicamentis commodè promovetur ad Hydropis Curationem Sudor; sed insuper forinsecus administratis variis, quæ itidem aut *poros aperiant*, aut *Aquas foras eliciant*.

Poros aperientia.

CXXIII. *Poros aperient* commodissimè *Balnea* quævis *calida*, cum majori tamen commodo *sicca*, *Delebœ Opera*. vel *cum Vini Spiritu* accenso instituta; cum si non tantùm viam patent Aquis, sed insuper ipsas temperent Acriores.

Et Aquas foras elicientia.

CXXIV. *Aquas foras elicient Sacculi* ex floribus, seminibus, foliis, radicibus, & similibus in pulverem redactis, & cum *Sale tosto aut Cineribus*, *arenave* mistis parati, & calidè corpori applicati, ac subinde mutati.

Quænam ea sint.

CXXV. Nihil enim potentiùs Aquas ad se trahit, quàm *Sal*, & quidem tostum, sicque omni humiditate Aquea penè privatum, in cujus locum venit Aqua in corpore cõtenta. Idem & forsan potentiùs pręstant *Cineres*, & imprimis *clavellati*, cæterique omnes molto Sale lixivo turgidi; qui potẽtissime Aquas ad se alliciunt: Imbecillius id *Arena* pręstabit.

Removetur Aqua per Paracentesin.

CXXVI. Per Sudorifera prædicta; cæteraque jam recensita externa lentè quidem evacuari, atque loco isto præternaturali removeri possunt Aquæ, at subito & consertim *Paracentesi*.

Ea quid sit.

CXXVII. Est autem Paracentesis Apertio per Cutim & partes cæteras intermedias usque ad Locum Aquas continentem facta; per quam via paratur Aquæ, ut effluat.

Eius periculum.

CXXVIII. Magnum verò Paracentesi conjunctum est periculum, si nempe magna copia effluant Aquæ consertim, unde non raro subito fuere extincti Ægri.

Eius modus.

CXXIX. Hanc ob causam soliti fuerunt Chirurgi facta scalpello apertione, ipsi tubulum vel canaliculum plumbeum immittere, ac circa ipsum cutim firmare & colligare, ne sc. nisi sublato tubuli operculo aut turunda effluat Liquor, qui sistitur immissa turunda.

CXXX. Interim propter dolorem ex illa cutis colligatione obortum, non raro in somno canalem à vulnere removerunt Ægri, unde effluente tunc consertim Aqua omni perierunt.

CXXXI. Quin nonnunquam Gangræna ibidem fuit oborta, unde & sic quoque in Vitæ discrimen conjecti sunt Ægri.

Eius instrumentum.

CXXXII. Quapropter non satis laudari possunt Acus Cavæ, quippe quæ sine notabili Ægrotorum dolore per carnes immitti possunt in qualvis cavitates, atque educta sufficienti Aquę quantitate, iterum extrahi, atque solo Emplastro Diapalmæ imposito omnis ulterior effluxus sisti; donec alio tempore ad aliam denuò educendam vel in idem foramen intrudantur, vel novum alibi parentur, atque sic tutissimè per vices Aqua educatur.

Medicorũ quorundã iniquitas adversus suos Ægros.

CXXXIII. Vix enim una Aquę gutta effluet educta tali acu, quę non nisi angustum foramen facit, ulli periculo sobiectum, ut mirari me subeat, imò dolere cogat, quoties considero non tantum tàm suffenos, ac prejudiciis suis mordicus addictos, sed insuper ęgris suis tam iniquos reperiri ubivis Medicos, qui contradicendi studio laborantes & invidię æstro acti malint Ægris perire, quam remedio ab illis, non à se proposito & sibi hactenus ignoto curari; quemadmodùm id sæpissimè in praxi mea factum memini.

Eorum invidia.

CXXXIV. Abhorrent tales a labore, & diligentibus gloriam suo labore partam invidentes, malunt, rebus optimis protervè ac tam imprudenter, quam Inscitè contradicere, quàm rerum gnaris auscultare, ac per ipsos in ægrorum bonum proficere.

Auctoris in docendo scopus.

CXXXV. Talia cùm non mihi tantùm, sed aliis quoque Artis pomœria promovere studentibus quotidie accidant, mei muneris esse puto discipulos meos adversus talia præjudicia & affectus malos munire, singuli non tantùm in doctos, sed insuper in bonos evadant Medicos, qui metu in docendo unicus scopus est, laudem eo nomine à Deo expectans, si malevolorum calumniæ debita gloria me fraudent.

5. Vasorum Lymphaticorum vel Lacteorum ruptio qua curanda.

CXXXVI. Proposui 5. loco *Vasorum Lymphaticorum vel lacteorum ruptionem*, quam dixi sui indicare *Consolidationem*.

CXXXVII. Quoniam vero jam actum de *Cõsolidantibus*, obi de Meatuum vasis intermediorum ruptione tractavi, non est necessum, ot nunc pluribus in hisce morer, quin potiùs ad sequentia pergam.

Eorundem obstructio quî tollatur.

CXXXVIII. Proposui ergò 6. loco eorundem *Vasorum Obstructionem*, quam dixi indicare sui *Reserationem*.

XXXIX. Contingit autem reseratio illa *Solvendo Pituitam* in Vasis prædictis *coagulatam* eandemque inde *removendo*

Pituitam coagulatã solventia medicamenta.

CXL. Pituitam coagulatam solvunt Medicamenta incidẽtia & attenuantia dicta, quę partim *Sale lixivo*, tum *Fixo* tum *Volatili*, & imprimis *Oleoso sive Aromatico* sunt prædita, partim *Acida* sunt; partim *spirituosa*; partim ex *variis hisce mista*.

Salia fixa.

CXLI. *Salia fixa* sunt Cardui Benedicti, Absinthii, Tartari &c.

Volatilia.

CXLII. *Salia Volatilia* parantur ex Urina, Sale Armoniaco, Cornu Cervi, Cranio humano, similibus.

Oleosa.

CXLIII. Ad *Salia Volatilia Oleosa* referenda sunt omnia Olea stillatitia, & imprimis ex Aromatibus, Seminibus, Baccis, Lignis, Radicibus, & similibus parata.

Acida.

CXLIV. Ad *Acida* pertinent Spiritus Salis vulgaris, Nitri, Vitrioli, Sulphuris, Acetum crudum & stillatitium, &c.

Spirituosa.

CXLV. Inter *Spirituosa* primus locus debetur Spiritui Vini; proximus Spiritui ex quibusvis plantarum partibus fermentatis elicito.

Mista.

CXLVI. Ad *mista* pertinent Sal Tartari Vitriolatum, Sal Armoniacum, ut & omnes Aquæ *Theriacales*, *Antinephriticæ*, ac similes: ut & compositiones pro re nata institutę, nunc misturę, nunc Apozematis, nunc alterius Potionis forma.

CXLVII. Sic in eundem finem usurpari possunt Oculi Cancri, aliaque Ossa, vel lapilli in brutis reperti, & cum Aceto stillatitio pauco aliisque misti & convenienter exhibiti.

Quomodò usurpanda.

CXLVIII. Ubi notandum, illa omnia Incidentia & aperientia dicta conducere, ubi in lecto continetur corpus, idemque ad sudorem blandum componitur; sic enim feliciùs & faciliùs præstant, quod præstare debebant: promovetur enim ea ratione tum illorum motus ad partem affectam, tum operatio in humorem peccantem.

Pituitam coagulatã solutam ad motũ quoque promoveant.

CXLIX. Eadem quæ humorem Pituitosum coagulatum solvunt, eundem fere simul stagnantem ad motum interruptum promovent, sed imprimis ea quæ simul Sudorifera sunt.

CL. Juvat enim plura simul conjungere, quæ pluribus satisfaciant indicationibus, dummodò blande operentur singula.

Nempe Sudorifera.

CLI. Nil autem æquè motum interruptum renovat, ac id quod Sudores movet. Seligenda verò in hoc casu talia Sudorifera, quæ simul humorem Pituitosum incidant, & cæteris concurrentibus malis auxilientur: unde præferenda erunt cæteris omnibus Salia Volatilia Oleosa, quippe quæ pluribus indicationibus satisfaciunt, sicque modis variis curando Hydropi serviunt.

Et quidem Salia Volatilia Oleosa.

7. Seri vel Pituitæ redundãtia quî curetur

CLII. Proposui 7. loco *Seri Pituitæ Redundantiam* ut plurimum in Hydrope observabilem, quam dixi sui indicare *diminutionem*.

CLIII. Quæ autem de Aquarum alicicubi collectarum evacuatione dici possunt, hinc quoque peti poterunt.

Diminutionem Seri aut Pituitæ omnem non esse Aquis evacuandis convenientem.

CLIV. Diminutio namque Seri aut Pituitæ quovis modo facta creditur quoque Aquis evacuandis conveniens; quamvis ego saltem id hactenus verum non potuerim observare: quoniam nunquam ego collectas in Abdominis cavitate Aquas ullis per vomitum aut secessum operantibus medicamentis observavi eductas: quocirca etiam ab illis, ubi semel atque iterum sine fructu ac successu fuerunt administrata, puto abstinendum; ad superiùs memorata auxilia mox recurrendum.

Quando & quomodo ista diminutio instituenda.

CLV. Ubi verò Hydropis futuri periculum imminet ob redundans in Sanguine Serum aut Pituitam; tum puto & tutiùs & felicius instituti peccantium humorum diminutionem, per *Vomitum*, vel *Alvum*, vel *Urinas*, vel *Sudores*, vel *Salivationem* quoque aliquando absolvendam.

CLVI. Sanguis ipse redundans potentissimè ac citissimè minuitur per Sanguinem è Vasis sectis eductum; quod beneficium perperàm expectatur à quibusdam in aliis quoque humoribus redundantibus.

Non Venæ-sectione.

CLVII. Quamvis enim *Venæ-sectione* serum unà cum reliquo Sanguine minuatur in corpore; non minuitur tamen eo respectu, quo redundat.

Serum quando dicatur redundare.

CLVIII. Dicitur autem redundare serum in corpore, quando ejus plus generatur & coacervatur in ipso, quàm ejus cum Sanguine reliquo desiderabat proportio naturalis.

CLIX. Ubi proinde minuendum serum, non credendum, mox perinde esse, an Sanguis simul minuatur; cujus proportio tunc mutata est, & ita quidem, ut potiùs optare liceat posse augeri reliquas pręter serum Sanguinis partes, quàm ut simul cum ipso sero minuantur.

CLX. Venæ-sectio igitur perperàm commendatur à quibusdam non tantùm ad Sanguinis copiam nimiam minuendam, ad quod conducit, sed ad cæteros quoque humores unà cum Sanguine per vasa delatos educendos: quippe qui soli, remanente universo Sanguine laudabili in vasis, ea trahi nequeunt; quod tamen erat necessarium.

Modis quibus Seri & Pituitæ redundantia minuitur.

CLXI. Modi ergò convenientissimi Sero aut Pituitæ redundantibus minuendis, sunt Evacuationes per *Vomitum*, per *Secessum*, per *Urinas*, per *Sudores*, per *Salivationem*.

CLXII. Rariùs quidem *Vomitus* in hunc finem movendus, nec nisi in Vomiturientibus: in his enim proni sunt humores per vomitum exire.

Motus humorum spõte sursum factus promovendus.

CLXIII. Et ne quis putet Bilem tantùm sursùm ac per Vomitum affectare viam; Experientia quotidiana nos docet, & Aquas insipidas, & Salsas, & Acidas, tum tenues, tum crassas, imò Pituitam impensè viscidam spontè vomitu excerni pluribus; quod ubi observatur fieri, dummodò nil obstet, commodum est illum dictum Naturæ ductum sequi, hoc est, Motum humorum sponte sua sursùm factum promovere.

Motus iste quando fiat.

CLXIV. Sponte autem sua, hoc est, à Natura moveri puto sursùm humores, quoties per ductum Pancreaticum ac Bilarium in tenue Intestinum delati, atque Pituitæ ea Saliva perpetuò deglutita præsertim productæ, aut assumptis Alimentis, Medicamentis, Venenisque è Ventriculo per pylorum delabentibus occurrentes, tàm inter se, quàm cum his Effervescentiam excitant, & quidem talem, ob quam sursum ad Ventriculum propellantur, vel aliqua eaque minori majorive sui parte, vel universi; quod, licet rariùs aliquando tamen contingit.

Vomitoria quænam.

CLXV. *Medicamenta* verò, quæ similem humorum motum sursum afferunt, *Vomitoria* dicuntur; ubi notandum Vomitum aliquando cieri ab iis quoque medicamentis, quæ non tantùm recensentur inter Vomitoria, sed contra Vomitum commendantur.

CLXVI. Accidit autem illud, quoniam vel cum nausea assumuntur, vel vitiosam, uti modò dictum, Effervescentiam, & quidem talem cum humoribus ad Intestinum tenue propulsis excitant, ut inde Vomitus assumptorum quoque ad Vomitum compescendum medicamentorum consequatur.

CLXVII. Inter *Vomitoria* numerantur 1. Radices Raphani, Asari, Atriplicis, Cortex medius juglandis & Radicum Sambuci & ebuli, ut & horum summitates, &c. quæ minùs vehementia sunt.

CLXVIII. His 2. succedunt potentiora, ex Rad. Elleb. Albi, Cataputiæ, Cyclaminis, & similibus parata.

Vomitoria Chymica quænam.

CLXIX. Inter *Chymica* laudantur Vitriolum Album, Sal Vitrioli, & plurima ex Antimonio parata, Vitrum purà, Regulus, Flores, Crocus Metallorum, Mercurius Vitæ dictus; ut & plurima alia ex hisce parata.

CLXX. Ex Mercurio conveniunt omnia ejus pręcipitata, Alba, Flava, Rubea, &c. ut & ipse Mercurius sublimatus Corrosivus; quo tamen non nisi dosi minima & in convenienti liquore utendũ, vix enim unquam ad unum granum est ascendendum.

CLXXI.

Mercurius quibus imprimis conducat.

CLXXI. Conducit autem Mercurius imprimis peccante *Pituita viscidissima*, quam ob conjunctum in sui præparatione Spiritum Acidum potenter incidit & attenuat; & ob propriam vim fluxilem facit & ad eductionem aptissimam: adeò ut non putem hactenus innotuisse nobis medicamentum dictę Pituitæ debellandæ tam aptum, atque ipsum Mercurium ritè paratum ac pręparatum, atque prudenter usurpatum.

Quænam in Vomitorus exhibendis observanda.

CLXXII. Imprimis commendo omnibus & singulis Medicis junioribus Vomitoria Ægris sui exhibituris, ut attendant 1. an proclivitas in Ægro sit ad vomendum, ratione ipsius affectus urgentis, 2. an in eodem sit naturalis facillitas ad vomendum, an difficultas; 3. an vomitum facilè ferre possit, an verò malè inde olim habuerit; 4. an, si nausea desit, cęteris purgantibus nullum, non sufficiens saltem levamen ac commodum perceperit; signa tamen humorum circa Ventriculum & tenuia Intestina hærentium, aut notabili copia eò delatorum adsint.

Humores Viscidi priùs præparandi.

CLXXIII. In exhibitione autem Vomitoriorum velim humores viscidos priùs incidi & ad evacuationem aptos reddi; atque tunc à blandioribus, hoc est, cum minima corporis concussione ac conturbatione Vomitum cientibus initium fieri; sed his non proficientibus, gradatim ad potentiora & vehementiora, si aliter curatio absolvi nequeat, ascendi.

Quid post assumptum vomitorium exhibendũ.

CLXXIV: Assumptis denique Vomitoriis, quò faciliùs vomant Ægri, commodum erit jusculis calentibus, tepidis saltem, aut Carevisia calente, aliisve liquoribus convenientibus per vices assumptis uti; sic enim humores tenaces diluuntur & faciliùs excernuntur.

In vehementiori Vomitione quid agendum.

CLXXV. Quòd si vehementiùs procedat Vomitio, ejus violentia compescenda mixturis Opiatis per intervalla usurpatis: ut & Virium lãguor, si enormem Vomitum is consequatur, reparandus Spirituosis & Aromaticis minori quantitate subinde assumptis, Vino putà generoso, aut mixturis cordialibus dictis: ex confectione AlKermes, Ambra grisea, Aqua Vitæ Matthioli & similibus paratis.

Purgatio.

CLXXVI. Tutiùs & faciliùs educitur Serum & Pituita *per Alvum deorsum*, quàm per Ventriculum & Os sursum: neque enim ulla requiritur ad *purgationem deorsum* vehementia, nulla corporis concussio, quæ omnino concurrit ad Vomitum ciendum.

Qua via serum & pituita in sanguine redundantia educi possint per alvum.

CLXXVII. Quæri posset hoc loco, *qua via Serum & Pituita in Sanguine redundans educi possit per Alvum?* Cui questioni ut satisfaciam, non videtur mihi Corporis fabricæ vel Rationi sanæ contrarium, si dicamus 1. viam esse patentem per *Ductum Pancreaticum*, 2. per *Ductus Salivales*, aliosve in ore patentes.

Nempe per Ductũ Pancreaticum.

CLXXVIII. Per Ductum Pancreaticum tàm Serum quàm Pituitam ad tenue Intestinum Catharticorum ope propelli, vel illud suadet, quod tàm sæpè *nausea totis fere, quoties nova dejectio imminet, repetens* observetur post purgans assumptum, imo non rarò etiam in ventris perturbationibus spontè contingentibus.

Nausea unde oriatur.

CLXXIX. Nausea vero omnis, si quis rem ritè examinaverit, & omni præjudicio mentem suam liberaverit, aliundè non potest commodè deduci, quàm à Bilis & Succi Pancreatici, aliorumve humorum in tenui Intestino confluentium, simul effervescentium atque halitus molestos ad Ventriculum propellentium vitio.

CLXXX. Nisi enim hanc causam quis assignaverit, omnibus concurrentibus Symptomatibus maximè consentaneam, optem aliquam audire, quæ seposita cujusvis Scriptoris auctoritate, ullam probabilitatem involvat.

Qui Auctoris cujusdã sententiam profert, quid faciat.

CLXXXI. Quisquis enim alicujus egregii Auctoris opinionem profert ac illi multùm defert, eo ipso quidem suam reverentiam & observantiam testatur erga Viros magnos, deque Rep. benè meritos, non item suam scientiam aut certam de re quæsita notitiam.

CLXXXII. Aliud planè est adulari magnis Viris, aliud sincerè philosophari, atque suos Discipulos fideliter informare.

Auctor mavult suam ignorantiam profiteri, quàm discipulis suis imponere.

CLXXXIII. Ego sanè longè satius puto, meam ignorãtiam candidè confiteri ac profiteri, quàm, ut doctus & sciens videar, Iunioribus imponere, atque meo exemplo malo à veritate avertere.

Eius votũ.

CLXXXIV. Utinam omnes agnoscerent atque manifestarent suam ignorantiam, & paterentur se per alios erudiri, quibus sua Deus largitus est dona, pro suo beneplacito diversimodè in varios distributa.

CLXXXV. Sed ad rem, Puto igitur corporis humani fabricam, prout hoc tempore magis quàm olim, tum ratione partium continentium, tum ratione contentarum innotuit sedulis operum divinorum scrutatoribus, favere impensè humorum Serosorum & Pituitosorum per Ductum Pancreaticum ad Intestina Motui.

CLXXXVI. Via enim ibi patens est, præter quam alia forsan ad Intestina nulla nota est immediata.

Per ductum Bilarium Serum vel pituitam à Sanguine non educi.

CLXXXVII. Non puto namque fututum, ut quis facilè *Ductum Bilarium* sit in auxilium advocaturus ad *Serum vel Pituitam* è Sanguine ad Intestinum deducendum.

Et quare.

CLXXXVIII. Cum Succo Pancreatico, quemadmodùm jam tum ratione tũ experientia evidentissima nobis est notissimum, subacido facilè jungi & moveri potest serum, sive Salsum, sive Aqueum, ut & Pituita; non item cum Bile, cum qua serum, Salsum pręsertim & hactenus quodammodò Acidum aut sensibiliter Acidum, Effervescentiam in ipsius folliculo facilè excitaret, atque in pręsens vitę discrimen Ægrum conjiceret.

CLXXXIX. Ob has, pluresque alias diligentiùs hoc negotium perscrutanti obventuras rationes arbitror ego minimè per Ductum Bilarium expectandam Seri aut Pituitę evacuationem ab assumptis purgantibus.

Nullam immediatè ad Intestina viam esse præter ductum Pancreaticum.

CXC. Concludo idcircò, immediatam ad Intestina viam nullam esse hactenus notam pręter Ductũ Pancreaticũ: quicquid enim de *Arterijs* eò tendentibus dicitur, dicitur tantùm, nec satis probatur; postquam nullo quod sciam, experimento id evincitur; patere sc. Arteriarum oscula in Intestinorum cavitatem, quod tamen foret planè necessarium.

Sed quidem mediatas nempe Ductus Salivales, &c.

CXCI. Pręter viam illam immediatam, proposui quoque *alias mediatas* & in os primùm, deinde per Oesophagum ac Ventriculum Pituitam & serum ad Intestina deducentes, *Ductus sc. Salivales, aliosque ad os tendentes.*

Et quare

CXCII. Notum enim est, Salivam, si tenuis existat, sero esse simillimam, sin crassior evadat, Pituitam viscidam repræsentare, quin facilè in Pituitam abire.

CXCIII. Cùm præterea Pituitæ in tenui Intestino repertæ origo meritò deducatur ex Saliva perpetuò deglutita & paulatim ad Intestinum delabente, non immeritò per has quoque vias Pituitosum humorem à purgantibus eductum per ductus Salivales propelli credimus.

CXCIV. Quod vel inde quoque patet, quòd post assumpta purgantia observemus sæpenumero Saliva os repleri, quando evacuatio præstò adest: sive tum nausea conjungatur aliqua, sive nulla.

Ad ductus Salivares referendi infiniti in palato pori.

CXCV. Ad hos ductus salivares revoco *infinitos poros in palato* & universa *faucium tunica glandulosa* nuper observatos, & partim jam notos, partim in dies magis innotescentes, atque contentum in se Liquorem in Os & fauces continuè deponentes.

Hunc liquorem esse Salivaris natura.

CXCVI. Hunc autem liquorem Salivaris esse naturę, nulli erit dubium, qui consideraverit & *glandularum*, in quibus præparatur, *similitudinem*, sunt enim è genere conglomeratarum; & *locũ communẽ*, in quem unà cum Saliva effunditur, Os ipsum. Atqui notabilis inter ipsum & Salivam si differentia foret, utique aliquam in ore mutationem parerent, quam à nemine hactenus observatam, nec proinde ab ullo prudenter asseverari posse puto.

Quid ex hoc liquore oriatur.

CXCVII. Ex illo autem Liquore imprimis Mucum ad Nates delabentem, atque ibi mora magis incrassatum, ut & alium in faucibus sæpenumero collectum, & viscidam pituitam constituentem ortum suum trahere arbitror.

Ejus & salivæ discrimen.

CXCVIII. Quin imo si quod inter ipsum & salivam discrimen sit, censeo illud in crassitie, & visciditate majore aut minore consistere.

Viæ per quas Serũ & Pituita expurgantur.

CXCIX. Ceterùm per has vias omnes satis patentes puto in humorum serosorum & Pituitosorum expurgatione aliquid quoque propelli primùm ad hos, hinc & ad Ventriculum, ipsaque Intestina.

Ad occultas non confugiendum.

CC. Hę sunt igitur Vię patentes, ac per quas continuè aliquid secundùm naturā vel mediatè vel immediatè ad Intestina depellitur, ut non videam, quid nos urgere possit aut debeat, ad vias occultas confugere, per quas fingamus humores purgandos extrudi. Atque hoc ipso putamus satisfactum quæstioni à me propositę de viis, per quas Serum & Pituita per alvum expurganda deducantur ad Intestina.

Medicamenta serum & pituitā evacuantia.

CCI. Proximum videtur, ut nunc *præcipua medicamenta* proponamus, quorum ope illa potest ac debet institui *Humorum serosorum aut Pituitosorum expurgatio*, ad Hydropem imminentem prævenendum, aut incipientem curandum.

Qui distinguantur medicamēta blandiora, vel vehementiora à potentioribus & imbecillioribus.

CCII. Medicamenta hęc sunt vel *blandiora*, vel *vehementiora*, quæ distinguo à *potētioribus & imbecillioribus*. Nam illa sunt *potentia* medicamenta, quæ parva quantitate multùm pręstant, uti contrà *imbecillia*, quę magna pręstant parùm. *Vehementia*, verò sunt, quę cum molestia ęgri operationem suam exercent, sive parva, sive magna sumantur quantitate; uti contrà *Blanda*, quę commodè & absque molestia vel torminibus humores educunt.

Scammoniam potens & blādum. Senna imbecillis & vehemens.

CCIII. Sic exempli gratia *Scammonium*, quamvis *potens* sit Medicamentum; quippe quod ad quindecim grana exhibitum purgationem facit, non est tamen *vehemens*, quippe quod sine torminibus vel molestia ęgri suum producit effectum; Contra *Senna*, licet *imbecillum* sit purgans, quippe quod ad ℥ij. exhibetur, est tamen *vehemens* Medicamentum, quippe quod plerisque solet tormina ciere adeoque cum molestia evacuationem facere.

Purgantia imbecilliora.

CCIV. Inter Medicamenta Pituitam imbecilliùs evacuantia numerantur aliquot *Myrobalanorum* species, *Chebulæ*, *Emblicę*, *Bellericæ*, ad ℥ij. in substantia exhiberi solitę. Ut & *Agaricus*, itidem ad ʒii. dari solitus. Quò *Mechoacannam* quoque referunt eadem dosi exhibendam. Hæc autem omnia tenuem imprimis Pituitam & Serum educunt, non item humores crassiores aut viscidiores.

Potentiora.

CCV. Potentiùs Pituitam & quidem crassam, viscidamque expurgat *Turbith*, ad ʒi. vel ℈iv. in substantia dandum; ut & *Hermodactylus*, ad ʒiſ. exhiberi solitus. Huc spectant Gummi *Opopanax & Sagapenum*, crassæ viscidæque Pituitæ convenientia & ad ʒi. dxhibenda.

Potentissima.

CCVI. Potentissima est *Colocynthis* ad gr. xv exhibenda, & imprimis correcta & in Trochiscos Alhandal dictos redacta. Ea potentius adhuc est *Euphorbium*, ad viii. vel x. gr. exhibendum. Utrumque hoc Medicamentum crassę Pituitę conducit, & postremum Aquas simul ac serum potenter educit.

Serum purgantia.

CCVII. Ad Serum in specie commendantur *Radicis Ireos Succus*, ab ℥i. ad ℥iſ. dandus, ut *Sambuci ac Ebuli* Radicis, foliorumque Succus, ab ℥ſ ad ʒvi. Cortex medianus ad ʒii. & Semen ad ʒi. exhibenda.

CCVIII. Huc facit *Jalappæ Radix*, ad ℈ii. & ʒi. exhiberi solita; ex qua hoc tempore elici solet Resina.

Potentiora.

CCIX. His omnibus potentius est *Elaterium*, sive Cucumeris Asinini Succus, rariùs ad gr. vi. dandum. Cui proximè accedit *Esulæ Radicis Cortex*, à gr. vi. ad gr. xv. & *Succus sive Lac*, à gr. iv. ad gr. viii. exhibenda. Denique *Gummi Gottæ*, à gr. iv. ad vi. vel viii. usurpandum.

Pituitam Purgantia Chymica. Mercurius Sublimatus, Præcipitatus.

CCX. Ex Chymicis, quę Pituitam educant, commendavi & laudavi non semel omnia ex ipso Mercurio tum sublimatione tum pręcipitatione parata Medicamenta, quorum alia quidem majore, alia verò minore dosi solent exhiberi: Nam ex *Sublimatis corrosivus* dictus, rariùs ad unum granum, *Dulcis* verò etiam ad triginta grana potest dari. *Præcipitata* verò quò magis sunt Acido Spiritu & Igne longo ac potenti *fixata*, eò majore quantitate assumi possunt, quò verò minùs fixata, eò minore.

CCXI. Huius affectus diversi rationem si quis me roget, sequentem dabo, ubi ex ipsa præparatione diversa Medicamenti cujusvis Mercurialis diversitatem ostendero.

Mercurius corrosivus à Dulci quomodò differat.

CCXII. Ergò *Mercurius sublimatus Corrosivus* dictus à *Dulci* in hoc differt, quòd illi admodùm Acri ac corrodenti novus addatur Mercurius crudus, cum ipso teratur, ac iterum sublimetur; qua sublimatione nova per accedentem ipsi ac conjunctum Mercurium recentem infringitur Spiritus Acidus in priore existens, ac ita quidem, ut omnis ejus Acrimonia videatur obliterata, ideoque Dulcis nomine gaudeat.

Mercurii sublimati acrimonia unde.

CCXIII. Unde patet quoque, *non ab ipso Mercurio pendere summam illam Corrosivi Mercurii rodendi vim & Acrimoniam*, sed ab *Acido Spiritu* copiosè in ipso concentrato & cum ipso sursum propulso & sublimato; nam non tantùm plus est Mercurii in Dulci, quàm in Corrosivo, sed insuper non tantùm duplo vel triplo, sed tricecuplo plus Mercurii Dulcis, quàm Corrosivi, & quidem tutiùs potest usurpari.

CCXIV. Unde quoque patet, *Vim noxiam* Mercurii sublimati Corrosivi non esse ipsi Mercurio, sed Spiritui Acido magna copia in ipso concentrato & in Acrimonia sua permanenti adscribendam, postquam ipsa per novum Mercurium additum & simul sublimatum dulcescente tricecuplo ad minimum blandior fit tunc Medicina.

Mercurius sublimatur non tātum per Mercurium novum, sed etiam per alia fieri Dulcem.

CCXV. Hoc autem non tantùm per *novum Mercurium*, verùm *per alia* quoque potest obtineri, secundùm illa fundamenta, quæ ringentibus adversariis ex rerum natura, Deique operibus eruta toties inculcavi, & licèt rumpantur ilia Momis, non desinam in commune bonum sedulis veritatis Scrutatoribus inculcare; quò tandem aliquando Veritatis Sol verus, non fictitius exsurgat, & ex ipsis Naturæ latebris, hoc est, Dei operibus, arte sedula detectis & manifestatis Veritas per tot secula densis humanarum auctoritatum tenebris tecta & obscurata in apricum & apertum deducatur.

Præcipitatum Mercurium differre pro sua fixitatis gradu.

CCXVI. Dixi quemvis pręcipitatum Mercurium differre pro suæ fixitatis gradu diverso; id ut magis pateat, quædam sunt adhuc addenda & curiosis explicanda, cùm egregium habeant & in Medicina Ægris facienda, & in rerum naturalium cognitione illustranda usum, licèt ipsa ex Veterum monumentis non hauriamus; quod qui faciunt, & lumen ab iilis mutuatum in communem hominum usum refundunt, non Soli, sed Lunæ duntaxat conferri possunt; quicquid mutuò sibi adulando, ac se mutuò scalpendo somniant & fabulantur aliqui vanorum titulorum avidi Scriptores, simulque bonorum ac se peritiorum calumniatores.

1. Ratione spiritus.

CCXVII. Primò autem differt Mercurius pręcipitatus *ratione spiritus acidi*, cum quo pręcipitatur; unde alius planè producitur ab Oleo Vitrioli, alius ab Oleo Sulphuris, alius à Spiritu Nitri, & sic porrò. Nam à Spiritu Nitri longè citiùs, longè potentiùs figitur, quàm à duobus cæteris.

2. Ratione ignis diversi.

CCXVIII. 2. Differt Mercurius præcipitatus ratione *Ignis diversi*, cum quo absolvitur illa præcipitatio: nam longè magis figitur administrato igne potente, minùs verò adhibito debiliore. Id verò contingit, tum quatenus *intimiùs ipsi jungitur spiritus acidus* per ignem potentiorem & diuturniorem, tum quatenus *plus spiritus acidi ab eodem removetur* per ignem potentiorem & acriorem: à quo Spiritu Acido minùs concentrato ac refracto dixi jam pendere operationem Mercurii tàm sublimati quàm præcipitati molestiorem.

3. Ratione Spiritus Vini.

CCXIX. 3. Differt Mercurius pręcipitatus ratione *Spiritus Vini* ab uno aut nunquam, aut semel,

aut

aut ſæpius abſtracti, vel uſtione ſeparati: A quo ſpiritum acidum in præcipirato reſiduum valde corrigi & temperari, evincit vel unus ſpiritus ſalis ejus ope dulcis factus.

4. Ratione Additamenti.

CCXX. 4. Differt Mercurius præcipitatus ratione alicuius, vel nullius ad faciendam præcipitationem additi, ejuſque multifarii; nam nunc Aqaa marina vel alias ſalſa, nunc Lixivum tartari, cinerumve clavellatorum, nunc aliud quid ſoluto in ſpiritu acido Mercurio affunditur, ſicque præcipitatio abſolvitur.

5. Ratione additi ſpiritus acidi.

CCXXI. 5. Differt Mercurius præcipitatus, ratione additi alicuius ad ipſum ſolvendum ſpiritus acidi, vel nullius: Poteſt enim ſine ullo ſpiritu acido adiuncto Mercurii præcipitatio perfici, ſed admodùm longo tempore; quod ego ſaltem ſic quoque ab acido ſpiritu fieri puto, quamvis nullo Mercurio tunc affundatur, ſed ipſe vaſi concluſus ſolus ſolo igne tandem in egregium præcipitatum abeat. Puto enim cum Ignis cujuſvis fumo aſſurgere Spiritum Acidum, in fuligine obſervabilem, cujus pars tenuiſſima ſenſim penettet Vitri poros, ſe paulatim Mercurio inſinuet, atque tandem ipſum ſolvat & figat, pulveris forma, & ſic præcipitatum efficiat.

Spiritus Acidus in fumo.

CCXXII. Ab illo Spiritu Acido cum fumo aſſurgente omnis arena diutine in Balneo ſuo uſurpata Acidum ſpirat, uti notiſſimum eſt Chymiæ cultoribus.

CCXXIII. His ita præmiſſis oſtendendum paucis, quod facere ſuſceperam, pro diverſo fixitatis gradu differre inter ſe Mercurios præcipitatos in ſua operatione.

Mercurium ab acido ſpiritu figi.

CCXXIV. Probandum verò primo, ab Acido Spiritu *figi Mercuriū*; hoc eſt, *ita immutari, ut diutius permaneat in Igne*, nec tam ſubito avolet; quam illo abſente. Id autem evincitur ſola Mercurium Spiritu Acido qualicunque diſſolutione; tunc enim longè diutiùs, quàm priùs Ignis vim etiam potentem ſuſtinet; Ergo ab Acido Spiritu figitur.

CCXXV. Probatur idem 2. *frequenti Spiritus Acidum novi affuſione & abſtractione, ſive cohobatione*, cuius ope magis adhuc obſervatur per experientiam figi & diutiùs ignis virtuti reſiſtere Mercurius.

Itaut in aurum abeat.

CCXXVI. Quinimò, quod magis mirandum, poteſt illo modo, accedente levi artificio, eouſque figi, ut eius pars aliqua, & tandem omnes fortam eius partes in Aurum purum abeant.

Nec tātùm figi, ſed perfici.

CCXXVII. Unde aliud quid ſublimius elici poteſt, *non tantùm figi, ſed perfici per Spiritum Acidū ipſum vulgarem Mercurium*, quod an de *Metallis imperfectis* non poſſit quoque dici, aut expectari, jam non diſputo; cum id Metallicam tranſmutationem quodammodo redoleat, ita Doctoribus gartulis exoſam & cum ſuis patronis malignè traductam, ut vix liceat impune ac ſine calumnia non dicam Cogitationes ſuas & Ratiocinationes, ſed operationes proprias & Experimenta certiſſima proferre.

Differentia Mercurii crudi & præcipitati.

CCXXVIII. Notabile autem id eſt, quod Mercurius crudus longè minus operetur in humorum viſcidorum ſolutione ac eductione: quàm idem præcipitatus & cum Acido Spiritu coniunctus.

Differentia Præcipitatorum reſpectu fixitatis & effectus.

CCXXIX. Quin & hoc eſt notabile, quod idem Mercurius, quo minus eſt per Spiritum Acidum fixus, eo magis operetur in eorundem humorum Pituitoſorum & viſcidorum ſolutione ac eductione; & vice verſa, quo magis eſt idem fixus eò minus operetur.

Utrumque hoc conſtare experientia.

CCXXX. Utrumque autem, quod hic aſſevero, conſtat per experientiam & obſervationem ſenſualem; cuius rationem inveſtigare ac eruere nos decet ratiocinatione: quam non ſemel docui tum demum exiſtere ſolidam, cum ad omnes circumſtantias ſedulò notatas accuratè attenditur; ac ſecundum ipſas argumentatio noſtra ritè inſtituitur ac formatur.

Ratiocinatio à circūſtantiis petenda.

Quænam ea hic ſint.

CCXXXI. Dico nos debere argumenta noſtræ ratiocinationis petere à circumſtantiis per experientiam, ſenſuſque adeò externos nobis inoteſcentibus: Sunt autem illæ 1 uti dixi, Operatio minor à Mercurio crudo & pura, maior ab eodem cum Acido Spiritu ad fixitatem aliquam deducto. 2. Operatio iterum minor à Mercurio magis fixo, maior ab eodem minùs fixo.

In iis difficultatas

CCXXXII. Ubi mox notabilis Rationi humanæ multa ſibi præjudicia gratis figenti remora occurrit: Dicet enim aliquis Sophiſta vel Philoſophus imaginarius; Si fixione ſui reddatur operatio Mercurii potentior, Ergò eiuſdem fixione maiori reddetur illa adhuc potentior; Cuius contrarium nos teſtamur per Experientiam, quam qui ſuæ Rationi aliter cenſenti poſtponet: an non Ægros ſuos egregiè, ac ſecundum Rationem ſuam in errore ſuo ſuperbientem trucidabit?

Cur Mercurius ſpiritu acido fixus, humores ſolvat & educat, & quò magis figatur, minus id præſtet.

CCXXXIII. Sed quæritur, cùm à Spiritu Acido figatur Mercurius, atque tunc quàm priùs potentiùs ſolvat & educat humores Pituitoſos, cur ergò, quando ampliùs adhuc, ab eodem Acido Spiritu figitur, minuatur denuo eadem humores Pituitoſos ſolvendi ac educendi vis?

Modus Mercurii præcipitādi & figendi.

CCXXXIV. Ego ad dubium illud ritè ſolvendum velim conſiderare ſingulos, qui aliquando Mercurium ipſi præpararunt, atque Animo attento omnia quæ tunc ſimul contingunt, notarunt, ad fixionem augendam urgeri quoque gradatim Ignem. Opus enim eſt, ut tum ſenſim abſtrahatur, tum ſæpius cohobetur Spiritus Acidus, tum tandem potentiori igne ampliùs ſeparetur; Hoc enim niſi fiat, non figetur valde Mercurius.

Quando ejus fixio contingat.

CCXXXV. Cùm proinde ipſius fixio contingat præſertim, quando poſtremi ab ipſo ignis potentioris vi propelluntur Spiritus Acidi, quæritur; an ergo diverſi ſint, qui primùm elevantur, ab iis qui poſtmodum & tandem attolluntur?

Diverſos eſſe Spiritus Acidos à Mercurio diverſo tēpore abſtractos.

CCXXXVI. Cui queſtioni ut ſatisfiat, reſpondeo, diverſos eſſe Spiritus Acidos diverſo tempore abſtractos, cum in principio maximè ſubtiles ac volatiles, in fine maximè craſſi ac fixi avocentur: ideoque etiam potentiori igne tandem indigeant.

Ejus probatio.

CCXXXVII Id autem verum eſſe, docet nos eadem toties laudata Experientia: qui enim à ſpiritu acido elevantur halitus, dummodo ſit idē ſuo phlegmate ritè orbatus, ſunt primò ſubtiliores & acrimonia volatili præditi, poſtea verò craſſiores & aut minus acres, aut fixa ſaltem acrimonia donati: Quod magis adhuc apparet, quando prægreſſa Effervescentia contingit partium illa diverſarū ſpiritus acidi ſeparatio, uti hic accidit Mercurio prius cum acido ſpiritu effervescenti, atque ab ipſo ſimul ſoluto. Nam propter illam Effervescentiā diverſimodè ſibi commiſcentur variæ tum Mercurii, tum ſpiritus acidi particulæ, quarū volatiliores in principio aſſurgunt, fixiores non niſi aucto valdè igne, dū fixiſſimæ permanent in Igne, abeunte, quicquid ex ſpiritu acido non eſt concentratum & unitum Mercurio.

Ratio cur Mercurius fixior debilius operetur minùs fixiori.

CCXXXVIII. Aucto igitur Igne, quicquid nondum eſt unitum & concentratum in Mercurio ſpiritus acidi, id omne foras pellitur. Non poteſt proinde ampliùs vim aliquam in humores pituitoſos & viſcidos exercere, nec mirum, idcirco debilius operari Mercurium præcipitatum fixiorem, potentiùs minus fixum.

Mercurius ſublimatus quomodo dulcis reddatur per Mercuriū crudum.

CCXXXIX. Hoc idem patet quoque ac confirmatur Mercurio ſublimato gemino, de quo iam egi. Nam ſublimatione corroſivi attollitur tantum ſpiritus acidi, quantum cum additi Mercurii quantitate poterat adminiſtrati ignis vi attolli. Sublimati autem illius acrimonia corrodens temperatur, ubi plus Mercurii additur, & quidem tantum quantum poteſt redundanti acido ſpiritui iungi, unde dulceſcat.

In Mercurio magis fixo minus ſpiritus acidi.

CCXL. In Mercurio ergo magis fixo minus eſt ſpiritus acidi, quam in minùs fixo, minor exinde ſpiritus acidi pituitam viſcidam incidendi vis & poteſtas: quod ſatisfacit quæſito.

CCXLI. Quò enim vehementiore igne abſtractus eſt ſpiritus acidus, eò minus eius non concentrati remanet in Mercurio, unde & minus ab ipſo ſolvitur educiturque humoris pituitoſi & viſcidi.

Abſtractione Spiritus Vini blandiorem fieri præcipitatū Mercurium.

CCXLII. Quemadmodùm autem id verum eſſe probat & teſtatur experientia, ita per eandem innotuit nobis, ſi à Præcipitato abſtrahantur & combu-

ratur aliquoties Spiritus Vini, eo ipso itidem blandiorem, imò minorem fieri Præcipitati cujusvis operationem.

Et quare. CCXLIII. Contingit autem id, ne longior sim, quatenus à Spiritu Vini temperatur & infringitur, si quæ superfit, spiritus acidi acrimonia: postquam id contingere tàm manifestè evincit Spiritus salis dulcis præparatio, quam utpote lippis & tonsoribus notissimam, sæpiùs commemoravi, & tanquā exemplum tritissimum in medium produxi.

CCXLIV. Ut igitur tandem aliquando concludam, licet Mercurii vis solvendi ac educendi pituitam viscidam plurimùm intendatur à Spiritu Acido, cum quo tum sublimatur, tum præcipitatur; minuitur tamen ac infringitur eadem istius spiritus acidi concentratione intimiore ac contemperatione; quam in fixiore observari, putem me tum ratione tum experientia certa sufficienter evicisse, atque Viris veri amantibus hactenus satis fecisse.

Medicamenta Diuretica. CCXLV. Cæterùm *Per Urinas*, quæ humores Serosos & Pituitosos evacuant Medicamenta plurima commendantur; quorum primaria ferè sunt,

Rad. Apii, Asparagi, Petroselini, Fœniculi, Eringii, Rusci, Valerianæ, Pimpinellæ, Spicæ Nardi, Asari, Urticæ, &c.

Folia Urticæ, Cerefolii, Absinthii, Eupatorii, Betonicæ, Chamæpityos, Rutæ, Scordii, Petroselini, &c.

Sem. Anisi, Fœniculi, Dauci, Seselios, Chærefolii, Milii Solis, Saxifragiæ, 4. Frigida Majora dicta, Violarum, &c.

Baccæ Juniperi, Ribesiorum nigrorum, &c.

Amygdalæ Amaræ, Nuclei persicorum,

Hordeum, Ficus, Ciceres, Fraga,

Succus Citri, Limonum, Serum Lactis,

Terebinthina,

Vinum Rhenanum & Musellanum, ut & aliàs tenue, atque tale per Experientiam notum.

Inter *Chymica* commendantur Spiritus Salis, Tartari, Sal Tartari Vitriolatum, Sal Volatile Urinæ, & alias omne, Olea stillatitia Baccarum Juniperi, Succini, &c.

Composita vero infinita occurrunt descripta, vel concinnari possunt ab Artis peritis.

Quibus formis queant exhiberi. CCXLVI. Variis autem formis exhiberi possunt prædicta Diuretica; Decocti, Aquæ stillatitiæ, Emulsionis, Mixturæ, Boli, Olei, Spiritus, Vini Medicati, &c.

Forma quomodò varianda. CCXLVII. Variari possunt Medicamentorum formæ tum pro Ægrorum morosorum aut delicatorum lubitu, tum pro simplicium diversitate, tum pro singulorum operatione magis vel minùs felice, & quidem secundùm ipsorum subjectorum diversitatem.

Et quare. CCXLVIII. Notum enim, in uno homine non tantùm unum Medicamentum, sed unà forma exhibitum feliciùs operari, quàm aliud, vel formà alia: ad quam rem Medicum imprimis attendere oportet, quò & suis Ægris placeat, & feliciùs faciliùsque curet.

Quare diversa serosos & pituitosos humores expellant. CCXLIX. Medicamenta hæc Diuretica Humores tum Serosos, tum Pituitosos per Urinas educere ac propellere, docet Experientia; quæ cùm & sapore, & odore, & colore, aliisque qualitatibus sensilibus non parùm inter se differant, non mirum, si mirentur curiosi rerum abstrusarum *effectus similis à rebus tàm dissimilibus pendentis rationem*, ac mox illam aut sponte invenire, aut ab aliis sibi explicari optent.

CCL. Qua in parte, ut quantùm in me est, Curiosis satisfacere studeam, quædam præmittam notanda, ex quibus totum hoc negotium manifestius futurum confido.

Non omnia Diuretica promiscuè quosvis humores evacuare. CCLI. Et 1. quidem notandum, *non omnia enumerata modò à me Diuretica promiscue in quovis affectu, aut humore cum ægri commodo per Urinas evacuando conducere, sed in diversis affectibus & humoribus peccantibus diversa usurpanda.* Quod ego pro lubitu haud fingo, sed experientia doctus assevero.

Quænam Bili conducant. CCLII. *Alia certè Bili, alia Pituitæ peccanti* ac per Urinas educendæ conducunt Diuretica. Nam Bili conducent, Succus Citri, Emulsio Hordei, Fraga, Spiritus Salis, Sal Tartari Vitriolatum, &c. *Pituitæ* antem pleraque à me recensita, quin & Acida modò ad Bilem commendata, quoniam Pituitā *Quænam Pituitæ.* non minùs alterant, imò per Urinas propellunt Acida, quàm Aromatica & Sale Volatili constantia, uti hoc quoque unica nobis constat Experintia: quam qui negligunt, se quoque ac ægros suos negligunt Medici, nam de Doctoribus Cathedralibus non loquor, sed Clinicis, atque Ægris Medicinam facientibus; ubi nil juvat obtundere aut obruere multiloquio Discipulos, sed maximè convenientibus ac selectissimis medicamentis restituere Ægros.

CCLIII. Ergò pro diversitate aliorum humorum simul in corpore unà cum Pituita aut Sero peccantium adhiberi debent Diuretica diversa.

Diuretica Aromatica Acidis præstantiora. CCLIV. Quamvis autem non minùs *Acida* conveniant *Pituitæ incidendæ ac educendæ*, quàm *Aromatica & Sale Volatili prædita*; *Hæc tamen* ut plurimùm observantur præstantiora, & Sanitati restituendæ aptiora, postquam non tantùm Pituitā corrigunt, verùm Bilem quoque in naturali suo statu conservant, quinimò ipsam perfectiorem faciunt. *Acida* verò Pituitam licèt incidant & ad Urinas propellant, Bilem tamen simul infringunt, atque à naturali statu abducunt, & hactenus nocent.

Ad omnia præcedentia attendendū Medico. CCLV. Attendendum est proinde ad hæc omnia Medico ritè praxin facturo, & si ex Ægri relatu, & mox ipsi occurrentibus Symptomatibus non satis constet Medico de quovis humorum simul peccantium vitio, ex *prudenti Medicamentorum* sibi perspectorum *usurpatione, atque singulorum operationis observatione* non ita difficulter innotescet ipsi, *Quales humores, ac quibus modis peccantes simul in Ægro existant*.

Cavendum ne dum uni humori peccanti prosimus alii noceamus. CCLVI. Illis autem observatis longè facilius erit Medico & Humorum & Medicamentorum singulis accommodatorum gnaro feliciter, hoc est, citò, tutò, & jucundè suos Ægros curare.

Et quare. CCLVII. Illud enim cavendum imprimis, ne dum uni humori peccanti prosumus, alii noceamus.

CCLVIII. Quamvis enim nobis constet experientia, *Medicamenta assumpta imprimis agere in humores peccantes*, quoties ipsis corrigendis sunt maximè convenientia; tamen constat quoque eadem experientia, *medicamenta pluribus humoribus diversis alterandis apta quodammodò etiam operari in non peccantes humores, ubi vel Copia majori simul assumuntur vel diutiùs usurpantur.*

CCLIX. Quamvis proinde non semper mox noxa notabilis observetur ex usurpatione medicamentorū non usquequaque humoribus peccantibus accommodatorum, eadem tamen sensim se promit attentis omnium, quæ Ægris contingunt, mutationum observatoribus Medicis; qui mox, ubi aliquid nociturum prævident, eidem prudenter provident; atque mutant medicamenta, à quibus scopum sibi propositum plenè non vident sperandum.

CCLX. Quæ hic inculco præcepta, non tantùm ad præsens de Hydrope negotium pertinent, verùm universalia sunt, per totam praxin usurpanda.

Quænam Diuretica in Hydrope præsertim conducant. CCLXI. Ut autem tandem de Diureticis concludam, assero in antecessum, *quoniam rariùs Bilis acrimonia aucta simul peccat*, illa præsertim *Diuretica conducere Pituitæ ac Sero in* Hydrope imminente *exsuperanti, quæ Aromatica sunt & Sale volatili prædita*: rariùs autem, quæ subinde ex *utrisque mista*.

Qua ratione Urinas moveant, & cum ipsis humores expellant Diuretica. CCLXII. Videamus nunc, an propositæ quoque à me quæstioni satisfacere queam, *Qua ratione sc. Urinas moveant Diuretica, & cum ipsis Humorem Pituitosum ac serosum expellant*, licèt plurimùm inter se differant, tum sapore, tum odore, tum aliis qualitatibus sensilibus.

De quibus Diureticis loquatur Auctor. CCLXIII. Hoc ut faciliùs pateat, notandum adhuc, nos hic propriè quærere ac loqui de iis *Diureticis*, quæ *humores Serosos ac Pituitosos in corpore* redun-

redundantes educunt; quocirca consideranda priùs *istius redundantiæ Causa*, quæ raro unica sed sæpenumerò multiplex existit.

Cur redundant in Sanguine Serū & Pituita. Quia non separantur ab eo. Et quidem Sanguinis vitio.

CCLXIV. *Redundat* enim in massa Sanguinea Serum & Pituita, vel quia *non separantur ab ipsa*, vel quia *tanta copia producuntur, ut sufficienter ab ipsa secerni ac excerni non possit*.

CCLXV. Si à *Sanguinis massa non separantur* Serum vel Pituita, *id non tam Renum, quam ipsius Sanguineę Massę vitio accidere arbitrior*, quin omne in *Renibus* observabile aliquando *vitium ab eadem Sanguinea massa* plerumque deducendum, rariùs à *primario ipsorum vitio*, ab *externo frigore vel calore* imprimis tunc petendo.

Non renū.

CCLXVI. Renum, inquam, vitium, rariùs ortum habet ab externo frigore vel calore, ut plurimùm à vitio in massa Sanguinea existente, atque ab externo frigore calore producto, & vias Renum obstruente, aut aliàs malè afficiente.

Secretio Seri & Pituita à Sanguine quando deficiat.

CCLXVII. *Secretio* autem *Seri ac Pituitę à Sanguine deficit* plerumque *ob intimiorem, quam decebat, partium Sanguinis conjuctionem ac unionem*; unde tunc non tantùm *minùs Urinę* solet secerni ac excerni, sed & *minùs contentorum*, una cum Urina, ubi in corpore redundant, & omnia benè se habent, secerni excernique solitorum.

Intimior partium Sanguinis unio unde pēdeat.

CCLXVIII. Quæritur proinde, *unde pendeat intimior illa partium Sanguinis unio, ob quam nec Serum, nec alia cum ipso secernenda secerni possunt, aut excerni?*

CCLXIX. Hanc quæstionem ut solvam, ex meis loquar præjudiciis, (dum aliis sua relinquo illibata,) & dicam id accidere *propter Acidum pręsertim, aut Salsum lixivum purius in corpore existens*.

CCLXX. Arbitrur, inquam, imprimis ac frequentius *propter Acidum*, aliquando & rariùs *propter Salsum lixivum purius in corpore humano existens contingere arctiorem, intimioremque omnium Sanguinis partium conjunctionem ac unionem*.

CCLXXI. Ratio est, quia tunc, & potentior, & humanæ naturæ minùs conveniens accidit inter ista contraria tum in tenui Intestino, tum in dextro Cordis Ventriculo Effervescentia; unde hic pręsertim concurrentes simul *humores cæteri potentius agitantur, rarefiunt, hinc & intimiùs junguntur, & commiscentur*.

CCXXII. Quonamque Acrior fit inter Acidum & Salsum pugna, eo plus partium ignearum secernitur ab utrisque, eò plus ab iisdem alterantur & rarefiunt cęterę Sanguinis partes ab ipsis alterari & rarefieri aptę, eò proinde aptiores fiunt intimiori partium omnium & singularum unioni & conjuctioni; & imprimis partium Effervescentium, Acidi puta Spiritus & Salis Lixivi, quæ partes tunc sine controversia coeunt & adunantur arctius, & cum ipsis cæteræ utrisque magis affines.

CCLXXIII. Quoniam verò Sanguinis Serum (ex quo in Renibus secreto constituitur Urina) ortum habet ab illis partibus Effervescentibus, atque bona sui parte à reliqua massa sponte, levi saltem negotio separabilibus & Aqua dilutis, nulli debet videri mirum, si vitiosa contingente & quidem Acriore potētioreque Effervescentia, non laxè, uti decebat, sed arctè jungantur hę cęteris Sanguinis partibus.

Causa externæ corpus ad Hydropem disponentes.

CCLXXIV. Hoc ita se habere posse, imò admissis meis pręjudiciis de Succo Pancreatico, Bile, Lympha, Pituita, & cęteris in humano corpore jam notissimis humoribus, ita se habere, confirmant omnes Causæ externę Corpus ad Hydropem disponentes, *Aer puta frigidior & Acrior*, & quandoque *Solis vel Ignis æstus*; *Alimenta tum Acidiora, tum Acidis condita*, & quandoque *Acidum concentrantia*, *Vigiliæ vel Somnus excedentes*, atque Spiritus Animales aut consumentes, sicque humorum Acrimoniam promoventes, aut inertiores & pauciores prębentes, atque sic Pituitæ proventum augentes: *Corporis motus minùs*, vel *Quies nimia* eodem, quo dictum, modo humores vitiantes: Inter Animi pathemata tum *Ira* frequens & fortis Bilem acuens, tum præsertim *Mœror*, *aut Metus gravis* & improvisus,

Deleboe Opera.

Acidum in corpore augens & Acrius imò purius reddens.

Causa antecedentes coacervationis Pituita & Seri.

CCLXXV. Cùm ergò hę soleant esse Causę antecedentes illam Pituitę ac Seri coacervationem atque productionem nimiam in Corpore, meritò concludemus eo modo illas id efficere; quo secundùm phænomena (quę habemus pro certissimis) modò memoravimus.

CCLXXVI. Secretio ergò Seri à Sanguine in Renibus minùs contingit sufficiens, non tàm ipsorum Renum, quam partium Sanguinis arctiùs sibi unitarum culpa, quod erat probandum.

In Sanguine quare augeatur.

CCLXXVII. Quòd si prædicto à me modo minùs secernatur à Sanguine pars Pituitosa & Serosa, ergo eadem de causa *augebitur & cumulabitur eadem in ipso Sanguine*.

Causa, cur plus pituita in Massa Sanguinea producatur.

CCXXVIII. Quinimò ob eandem causam in tenui præsertim Intestino observabilem *producetur plus ejusdem humoris pituitosi in Massa Sāguinea*, quoniam, existente Succo Pancreatico acriore ac puriore, acrior quoque continget non tantùm continuè cum Bile Effervescentia, sed & tunc quoq;, quando e Ventriculo ad Intestinum propellitur Alimentum in ipso fermentatum; cui proinde intimiùs admiscebitur Succus Pancreaticus, ideoque crassiores quoque & in Pituitam facilè mutabiles transferentur cum cæteris Chyli partibus ad Venas Lacteas, & tandem ad Cor; ubi & similis generabitur Sanguis, Pituitosus sc. & Hydropi ansam præbens.

Unde Seri & Pituita redundantis generatio, Coacervatio & Retentio.

CCLXXIX *Ab Acidi* ergò in corpore observati *sed acrioris vitio* pendet imprimis *Seri & Pituitæ* in corpore hydropicorum redundantis tum *Generatio*, tum *Coacervatio*, tum *Retentio*.

Quomodò illud vitiū per Diuretica tollendum.

CCLXXX. Quisquis proinde per Diuretica volet illud vitium tollere, opus erit, ut illas noxas omnes tollat, tum *impediendo novam Pituitę productionem, corrigendo Acidum noxium*: tum *emendando cætera inde orta vitia* in Sanguine Pituitosiore & viscidiore, ipsum sc. *incidendo & attenuando*.

Et quibus,

CCLXXXI. Hoc autem pręaliis omnibus præstant omnia *Salia Volatilia & Aromatica*, quippe quę & *Acidum temperant*, & *Pituitam incidant*, hacque imprimis ratione Urinas movent.

CCLXXXII. Cætera verò *Acida* inserviunt quidem Pituitæ viscidiori incidendæ; diutiùs tamen usurpari non debent, quia sine graviori detrimento non possunt, aucto, sc. & acriori facto ab ipsis Acido in corpore, unde Ventris tormina, aliaque producuntur ægris damna.

Sudorifera.

CCLXXXIII. Atque sic puto me quæstioni à me propositæ satisfecisse, ostendendo modum, quo Urinas moveot Diuretica, & cum ipsis expellunt humorem pituitosum ac serosum. Pergamus nunc ad sudorifera, quæ 4. loco dixi conducere iisdem expellendis.

Quanam Serum & Pituitā foras propellant

CCLXXXIV. *Sudorifera* verò, quę tum Serum tum Pituitam foras propellant, & ipsis Sanguinem liberent, plurima occurrunt; & inter alia.

Radices Apij, Fæniculi, Bardanæ, Pimpinellæ, Angelicæ, Zedoariæ, Tormentillæ, Chinę, Impetatoriæ, Sarsæparillæ, Asari,

Folia Cardui Benedicti, Capillorum Veneris, Scordij, *Sum.* Cent. minor. melilot. *Flor.* Chamæmel.

Lignum Guajacum, Sassafras, quercus, Juniperi, Buxi.

Baccæ Juniperi, Sambuci, Ebuli, &c. ex quibus *Rob* paratur.

Semen Milii, Aquilegiæ, Card. Bened. &c.

Opium, quod Sudoriferum planè est, & *Opiata* omnia. Theriaca, Mithridatium, Diascordium, &c.

Hæc variis formis exhiberi posse.

CCLXXXV. Atqne ex hisce varia forma parantur medicamenta sudores moventia, Pulveris, Decocti, Aquæ stillatitiæ, Extracti Salis, rob, Electuarii, &c.

Sudorifera Chymica.

CCLXXXVI. Pręter hęc vulgò nota suot & nonnulla Chymicis celebrata sudorifera ex Mineralibus præsertim ac Metallicis parata.

CCLXXXVII. Ex Antimonio quidem occurrit

Antimonium Diaphoreticum

primùm *Antimonium Diaphoreticum* dictum, & sola ejus cum Nitro fusione ac fixione paratum.

Bezoardicum Minerale.

CCLXXXVIII. Huic proximum est *Bezoardicum Minerale* dictum, ex eodem Antimonio sed cum Mercurio sublimato in Butyrum priùs destillato, hinc cum Nitri Spiritu fixatu confectum.

Lunare, Solare, &c.

CCLXXXIX. Præter hoc Bezoardicum Minerale simplex dictum, plura numerantur adhuc à disso luto in figente spiritu Metallo nomen sortita; unde laudantur, Lunare, Solare, &c. quæ ab addito metallo dubio procul singularem vim sunt nacta.

Antimonii sulphur auratū Diaphoreticum

CCXC. Laudatur etiam *Antimonii Sulphur auratum diaphoreticum* dictum, ex Ipsius cum Nitro & Tartaro fusi Scoriis Aqua calente exactis & Aceto destillato præcipitatis, & diligenter edulcoratis paratum.

Ejus flores.

CCXCI. Laudantur quoque *Antimonii flores* iterata sublimatione tandem *fixi* facti.

Mercurius Præcipitatus Diaphoreticus.

CCXCII. Sic ex *Mercurio* paratur *Præcipitatum Diaphoreticum*, quod quò accuratiùs præparatur, eò efficacius efficitur.

Ex omnibus omnis generis ac operationis medicamēta confici posse.

CCXCIII. *Mineralia* certè ac *Metalla* pro diversa sui præparatione vires suas mutant, quin ex singulis (quod de Vegetabilibus quoque verum) omnis generis ac operationis medicamenta confici possunt; Hoc qui naturalium & artificialium mutationum imperiti ignorant, manu operi admotà tentare priùs deberent, quàm negare.

Animaliū Ossa, Cornua & Ungues, &c. Sudorifica.

CCXCIV. Ad Sudores movendos conducunt quoque ex *Animalium* partibus omnia ferè *Ossa, Cornua & Ungulæ*, ac præsertim parata ex ipsis, *Spiritus, Salia Volatilia, & Olea stillatitia*.

Sudorifera externa.

CCXCV. Non tantùm intrò assumptis promoveri possunt Sudores, sed *forinsecus quoq; usurpatis*, *Balneis* putà multiplicibus, *naturalibus*, sive *Thermis*, & *Artificialibus*, iisq; tū *Aquæ dulcis*, tum *Variorū Decoctorum*, tum *Spiritus Vini*, & *Laconicis dictis*.

CCXCVI. Est autem magnum illud beneficium, posse citra ullius medicamenti assumptionem promoveri Sudorem, quod imprimis usu venit in delicatulis. Sed de hoc modo egi jam alio loco.

Sudorifera quomodo sudorem moveant.

CCXCVII. De modo, quo Sudorifera assumpta Sudorem moveant, & promoveant, non puto multis esse mihi nunc disputandum, postquam ex iis, quæ jam de Diureticis proposui, hanc rem satis planam esse puto.

Sudorifera & Diuretica non nisi gradibus differre.

CCXCVIII. Vix enim inter se differunt Sudorifera & Diuretica, nisi gradibus; cùm eadem Medicamenta nunc Sudores, nunc Urinas moveant, prout sc. majore vel minore quantitate assumuntur & illius quantitatis respectu humore in corpore se habent diversimodè, atque cætera disponuntur variè; nam humorum præsertim & externorum, tegumentorum putà, Aeris, aliorumque respectu vel Sudor, vel Urina prodit.

Urinæ & Sudoris eadem materia.

CCXCIX. Unde etiam patet *materiam eandem esse Urinæ ac Sudoris*, differre tantùm, imprimis saltem, via excretionis. Quod benè notasse juvat Medicum Tyronem, ne sc. mox terreatur cum vulgo, imò Medicorum vulgo, ubi non prodit mox Sudor post assumpta Sudorifera; neque enim semper parata est ad excretionem materia Sudoris, nec semper per habitum corporis & poros, sed non raró per Renes ac vesicam cum reliqua Urina excernitur, & quidem cum summo Ægrotorum commodo.

Nullum esse periculū à Sudoriferis, quāvis nullus prodeat sudor.

CCC. *Nihil certe periculi imminet Ægris ab assūptis Sudoriferis, quamvis nullus prodeat Sudor*: Neq; enim noxia sunt Sudorifera per se; & si quid noxæ metuendum sit post assumpta Sudorifera, non prodeūte tamē Sudore, id omne pendet aut ab humore in corpore peccante ac rebelli, aut à tegumentis nimis Ægros penè suffocantibus, quod imprimis culpandum & vitandū in Sudore movendo, hac enim in parte delinquunt non tantùm adstantes, sed gregarii quoque Medici plebeiis moribus præter rationem se accommodantes, & ipsos laudantes.

Non tamen esse bonum signum.

CCCI. *Non est quidem bonum signum, non prodire Sudorem assumpto Sudorifero satis potente*, & concurrentibus cæteris ad Sudorem promovendum requisitis.

Quenam indicet

CCCII. Alterutrum enim hoc indicat, & hactenus pro indicante habendum, vel *humores in corpore non esse adhuc aptos & dispositos, ut per Sudorem expellantur; vel conclamatam esse, atque functiones naturales omnes fatiscere*, atque *ad mortem* properare Ægrum.

CCCIII. Ubi enim dejectæ vires simul observantur, idque ob penè *suffocatam dissipatumve* Ignem in Cordis dextro Ventriculo perpetuandum, nil boni potest ampliùs sperari.

Unde vita nostra sustentetur.

CCCIV. *Vita certè nostra conservatur naturaliter sustentatione Ignis temperati in dextro Cordis Ventriculo, perpetuò excitandi*, & una cum Sanguine in corpus universum distribuendi.

Unde pereat.

CCCV. Eadem contra *Vita nostra perit naturaliter Extinctione ejusdem Ignis, vel Suffocati, vel minùs accensi & sponte fatiscentis*, vel etiam post summum incendium extincti.

Quid ad ejus conservationem faciendum.

CCCVI. Quæcunque proinde ad istius Ignis perpetuationem facere possunt, conservari debent ac instaurari ad vitę ipsius conservationem; uti etiam vicissim omnia removenda sunt, quę Ignem illum aut suffocare valent, aut languidum reddere.

CCCVII. Quęnam verò illa mihi esse videantur alibi docui, nec opus idem hic repetere, quapropter ad alterum modo memoratum revertor, ad *humores minùs aptos, aut Sudoris specie foras propellantur*.

Quinam humores inepti sint, ut sudoris specie foras propellantur.

CCCVIII. Humores autem illi prę sertim observantur *inepti*, qui vel sunt *valde viscidi*, vel *cum viscidis commisti*; à quibus proinde nequeunt secedere, ni adjunctorum visciditas priùs incidatur.

CCCIX. Visciditas ergo humorum aut Sudore expellendorum, aut ipsis admistorum impedit quęsitum Sudorem.

Sudoriferorum vires, & operatio.

CCCX. Quoniam verò Sudorifera pleraque vim habent incidendi & attenuandi, adeoque visciditatem omnem corrigendi, (quamdiu cętera bene se habent in corpore) licèt Sudor nullus prodeat, nil inde continget ęgris damni, quin iidem sensim ad Sudorem disponuntur humores expellendi, remotę saltem tolluntur paulatim.

CCCXI. Quinimò si à frigore externo coarctati sint in corporis superficiè & cute pori, aut ibidem coagulati potiùs humores Pituitosi eosdem obstruentes, atque sic Sudorem impedientes, assumptis Sudoriferis ex incidentibus paratis dissolvetur iterum prędicta Pituita, solvetur Obstructio, aperientur pori, atq; Sudori postea secuturo parabitur denuò via: Constat enim experientia quotidiana, assumptis crebrius Sudoriferis, sed benignis, Ægroque mediocriter nec nimiùm tecto, Sudorem, qui priùs nondum prodibat, sensim prorumpere, & quidem cum magno Ægri commodo.

Festinandū lentè in Medicina facienda.

CCCXII. Quod proinde inculcavi sępiùs, iterum inculco, festinandum lentè in Medicina facienda, hoc est, non differendam quidem Curam necessariam, sed in ipsa procedendum lentè, & agendum blande, qualibuscunque tandem quis utatur medicamentis.

Et quomodo.

CCCXIII. Festinandum quidem aliquando in cura instituenda, ne occasio nonnunquam pręceps Medico elabatur: usurpanda autem semper auxilia non vi ac vehementer, sed blandè agentia, hoc est, sine virium Ægri dejectione notabili.

Qui Sāguis educendus.

CCCXIV. Unde si *Vena Ægro secanda*, & Sanguis educendus, satius est partitis vicibus, & quantum Æger commodè ferre poterit, evacuari Sanguinem, quàm simul & semel cum ejusdem insigni debilitatione.

Qui humores evacuandi.

CCCXV. Si *humores Biliosi, Pituitosi, Serosi evacuandi*, satius est per epicrasin & blandis medicamentis illos paulatim evacuari, quàm adhibitis potentioribus vel copia majore in Hypercatharseos adeoque vitę periculum ægrum conjicere; quod nimis frequenter Thrasonicis Medicis accidere, quotidiana docet Experientia.

Qui Sudor movendus.

CCCXVI. Si rursus *Sudor veniat movendus*, satius est ipsum lentè ac repetitis vicibus propelli, quàm eodem vi propulso Ægrum ad languorem debilitare; quemadmodùm id uum semel imprudenter

à qui-

à quibusdam Scioli potiùs quàm periti, Medicis factum novi, qui nimirum plus imaginariæ Scientiæ Medicæ, quæ nulla fuit vel erit unquam, quàm Arti reverà existenti & solo exercitio atque observatione diligenti eorum, quæ Ægris benè aut malè cedunt, comparandæ, adeoque peritiæ tribuunt, & non tantùm sibi, quod ferendum ac ridendum, sed miseris Ægris quoque, quod dolendum & culpandum noxam afferunt.

Qui humores vitiosi alterandi.

CCCXVII. Si, ut hoc etiam addam, *alterandi sint humores in corpore vitiosi*; satius iisdem non simul ac semel, at per partes assumi medicamenta humores alterantia & corrigentia; sic enim plùs præstare toties laudata evincit Experientia; quin ejusdem rationes invenit Ratio. *Et quare.* Si enim vel Bilis, vel Pituita, vel Succus Pancreaticus qualitate peccet vitiosa, & talis effundatur continuè in tenue Intestinum, quicquid assumetur medicamenti, ut vitium illud qualecunque corrigat, debet illi peccanti humori admisceri; at non admiscebitur, nisi parti in tenui intestino occurrenti; cui si multum Medicamenti alterantis admisceatur, illam nimiùm alterabit & non tam temperabit, quàm contrariam ipsi qualitatem imprimet, atque sic ab uno extremo conjicietur peccans humor in alterum, secundùm tritum proverbium:

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

CCCXVIII. Quòd si contrà vice quavis minùs medicamenti assumatur, humor ipsi occurrens corrigetur, atque sic correctus per venas lacteas perget ad Sanguinem; dum alius vel in tenue Intestinum propulsus à novo Medicamento paulò post iterum quantitate parva assumendo similiter sit temperandus; quin eà ratione omnis humor vitiosus paulatim ad pristinam temperiem deducetur, & vitiosi generatio nova impedietur.

Semper blandè ac lentè procedendum.

CCCXIX. Esto igitur in Arte Medica Regula Universalis & Aurea, *Semper blandè ac lentè procedendum in omni Cura Ægrotorum rite ac secundùm rationem sanam Experientiæ indubitatæ innitentem instituenda.*

Sudorifera quid præstent.

CCCXX. *Sudorifera* ergò ex *incidentibus & attenuantibus* parata & *paritìtis viribus exhibita* tum ipsos *humores Sudores propellendos*, ubi existunt viscidi, tum *alios ipsis admistos & itidem viscidos*, tum & aliàs *in corporis ac superficie coagulatos solvunt incidunt, & ad Sudorem secuturum sensim omnia disponunt.*

CCCXXI. Atque hæc de Sudoriferis dicta sufficiant, de *Salivatione* nunc quoque aliquid dicendum.

Salivatio quid.

CCCXXII. Est autem *Salivatio*, *Evacuatio humoris Pituitosi ac Serosi per Vasa Salivalia, & omnes in Os patentes hiatus.*

Quibus humoribus conducat.

CCCXXIII. Illis enim humoribus in Sanguine redundantibus conducit Salivatio sive Pryalismus.

Salivatio spontanea.

CCCXXIV. Contingit quidem aliquando, licèt rariùs, *Salivatio sponte*; quod in hisce regionibus nonnunquam factum observavi, & quidem cum notabili ægrotorum commodo, & liberatione à *morbis chronicis à Pituita semper pendentibus.*

Artificialis à Mercurio.

CCCXXV. Utplurimùm tamen à *Medicamentis* excitatur Salivatio, & imprimis *à Mercurio tam crudo, quàm sublimato, aut præcipitato*; sive *forinsecùs*, sive *intrinsecùs usurpato*: Variis namque modis usurpari potest Mercurius ut Salivationem promoveat.

Internè Assumpto.

CCCXXVI. Aliàs enim vel sublimatus dulcis, vel præcipitatus multiplex *intrà corpus assumitur*, unde non tantùm vomitus vel Alvi dejectio, sed Salivatio quoque excitatur.

Vel externè.

CCCXXVII. Aliàs Crudus Oleis & Unguentis innutritur, atque tunc partes variæ, volæ manuum & plantæ pedum, quin omnes articulationes, & spina dorsi iisdem *illinuntur*, & post tres quatuorve dies utplurimùm Salivatio consequitur. *Et quomodo.*

Et per fumum.

CCCXXVIII. Aliàs idem in Cinnabarim sublimatus cum Sulphure, Myrrhæ aliisque additur, in pulverem redigitur, atque prunis injectus *fumum promit*, qui per infundibulum *hiante ore exceptus*, sensim Salivationem movet.

Qui modus tutissimus.

CCCXXIX. Atque hic modus postremus Salivationem movendi omnium tutissimus est, si prudenter adhibeatur; Est enim tunc in Medici potestate Salivationem pro lubitu regere ac moderari; quod non æquè fieri potest ab assumpto, vel inuncto Mercurio.

CCCXXX. Quinimò à prudente Medico ita potest excitari Mercurii fumo Salivatio, ut à nemine facilè possit observari, nisi à rei peritissimis. Hoc autem fieri tantùm potest æstatis tempore, aut Aere calente.

Frigus externum nocere salivantibus.

CCCXXXI. Observandum namque *Nihil æque nocere Salivantibus, ac frigus externum*, à quo sibi cavere debent studiosè, qui felicem optant à Salivatione successum.

CCCXXXII. A frigore namque impeditur Humoris effluxus, unde ab illis circa glandulas Salivales stagnantibus nonnunquam Suffocationis periculum imminet ægris, aut ab iisdem deorsùm ad alvum ruentibus Ventris fluxus gravis, & aliquando Vomitus enormis cietur.

CCCXXXIII. Cavendum proinde sedulò, ne frigori externo exponantur quotquot Salivationem patiuntur.

Iis obvenire Oris ulcera.

CCCXXXIV. Observandum quoque, in Salivatione, potentiore præsentim, gingivas & linguam & labia & buccas ulcera perpeti satis molesta, & fœtentia; quæ nisi exactè observentur, nonnunquam graves post se noxas ægris relinquunt, dum & Columella, & Glandulæ in Faucibus, & Linguæ pars absumuntur, & Cicatrices grandes ac molestæ in Buccis producuntur.

CCCXXXV. Quomodò verò illis molestiis sit per oris collutiones & gargarismos occurrendum, non est hujus loci disquirere, cùm spectet imprimis ad Luis Venereæ Curationem, ad quam feliciùs absolvendam frequens est Salivationis excitatio.

8. Seri Salsedo, & Pituita viscidities qui curetur.

CCCXXXVI. Sic itaque puto me sat multis egisse de modo minuendi Humorem serosum ac Pituitosum in Corpore humano redundantem, atque Hydropi futuro ansam præbentem.

Salsedo unde.

CCCXXXVII. Ultima & *Octava in Hydropis Curatione Indicatio a Seri Salsedine*, ac *Pituitæ viscidıtate* deducta restat explicanda.

CCCXXXVIII. Quoniam verò suprà egi de viscidiitatis correctione, non est opus, ut pluribus nunc de eadem agam: quin sufficiet mihi pauca de seri salsedine corrigenda proferre.

CCCXXXIX. Quòd si benè conjectem, *Salsedo*, qualem in Sale marino, gemmæ, similibusque observamus, *ortum ducere videtur* imprimis *ex sale lixivo & spiritu acido satis puris commistis, exsuperante tamen tantillùm spiritu acido.*

Quibus temperetur.

CCCXL. Hanc verò salsedinem contemperant *Gummi Tragacantha, Arabicum, Mastiche, Thus, Styrax calamita, Hyoscyami Semen, Cynoglossæ Radix, &c.* ut & *Pilulæ de Styrace, Cynoglossa, & Arnoglosso*, sive Plantagine dictæ: quorum ope humores salsos ac serosos temperari & corrigi, constat per experientiam; licèt non æquè forsan rationi nostræ pateat, quomodò ista & alia id præstent.

Verùm hæc sunt, quæ de Hydrope, ejusque Curatione hac vice proponenda habui. Spero, inde emolumentum aliquod in omnes eos, qui circa periculosi hujus affectus medelam subinde occupantur, redundaturum.

Finis Tractatus Sexti.

TRA-

TRACTATUS VII.

DE AFFECTIONE HYPOCHONDRIACA.

Affectio Hypochondriaca notabilis.

I. CUm Medicis & cognitu necessaria, & curatu ardua sit *Affectio Hypochondriaca*, illam meritò inter notabiles Affectus memoramus, peculiarique discursu exponendam suscipimus.

Varia eam Symptomata comitari.

II. Ne autem ullius mentem ullo præjudicio præoccupemus, aut saltem præoccupare velle videamur, antequam Affectionem describamus Hypochondriacam, & qualem affectum ipsam esse putamus, determinemus; proponemus varia Symptomata & mala, quibus catervatim comitata sese manifestare ac Ægros infestare solet, ut ex ipsis accuratè atque ordine examinatis unicuique proclive sit de ejusdem natura & essentia judicium ferre adæquatum & æquum.

Ejus sedes.

III. Observandum autem mox in limine plurima Hypochondriacam affectionem comitari solita *Symptomata*, ejusdemque *signa exacerbari maxime post alimentorum assumptionem*; unde non malè conjici posse videtur, *sedem focumque hujus mali esse si non ipsum ventriculum, ventriculo saltem vicinas partes.*

Symptomata.

IV. Inter multiplicia autem in affectione Hypochondriaca observabilia Symptomata sequentia sunt præcipua.

Angustia circa præcordia.

V. Et 1. quidem *Angustia circa præcordia* post alimentorum assumptionem in aliis quidem citiùs, in aliis tardiùs, rursùs in aliis graviùs in aliis leviùs affligens, tàm ratione Individuorum diversorum, quàm alimentorum variorum.

Præcordiorum distentio.

VI. Huic Angustiæ plerumque comes est 2. *præcordium distentio*, & non raró 3. *Animi Deliquium*.

Animi deliquium. Ructus acidi.

VII. Hæc mala comitantur utplurimùm 4. *Ructus acidi*, *rariùs nidorosi*.

Nausea. Vomitus.

VIII. Sed prætereà frequenter urget 5. *Nausea*, cum insequente *Vomitu*.

Varia Vomitu ejecta.

IX. Quodque hic notabile est, *vix cessant aut minuuntur prædicta & non adhuc dicenda Mala*, nisi 6. *Vomitu ejiciatur Pituita* varia, nunc *aquea*, crebriùs *crassa & viscida*; nunc *insipida*, sæpe *acida*, *acerba*, *pontica*; & nonnunquam simul *amaricans*, & *Bili mixta*; Ubi ejiciuntur, liberantur brevi, aliàs per plures horas protrahitur malum & angustia.

Effervescentia in ventre. Flatus per intestina.

X. Interim sæpenumero 7. *effervescentia* aliqua notabilis *sentitur in ventre* atque ebullitio quasi, unde & *sursùm halitus*, *vapores*, *ructus* observantur elevari, & *per intestina flatus* devolvi *cum rugitibus*, quibus per *crepitum emissis* levamen accipit æger, iisdem autem retentis angustias majores, aut tormina etiam patitur.

Hypochondriorum distentio.

XI. Unde 8. *Hypochondriorum*, *sinistri* præsertim, *distentio & tumor* ægros urget adeò ut aliquando tympani ad instar distentum sit abdomen.

Alvus adstrictior.

XII. Sed & 9. *Alvus* plerumque *adstrictior* existit, rariùs *laxior*.

Frigus in dorso.

XIII. Ubi Effervescentia prædicta excitatur 10. *frigus* ferè *circa regionem lumbarem atq; inter scapulas dispersum* molestum est, *febremq; intermittentem* mentitur, atque *ephemeram* nonnunquam excitat.

Æstus in Hypochondriis.

XIV. Quin 11. hoc frigus excipit aut sine frigore sensili exoritur *Æstus in Hypochondriis* valdè molestus; moxque sursùm communicatur, unde varia consequuntur Symptomata.

Strangulatio faucium apparens.

XV. Nam 12. in quibusdam Uterinæ suffocationi passio similis producitur, adeò ut *sibi fauces occludi*, *seque strangulari* putent ægri.

Pulsus compressus.

XVI. Interim 13. *Pulsus* primùm *compressus* editur, quandoque nullus sentitur; se paulò post *frequentior ac febrilis* redditur, concurrente ferè *Cordis palpitatione*.

Respiratio difficilis.

XVII. Ipsa quoque 14. *Respiratio difficilis* existit.

Sudor frigidus.

XVIII. In mediis hisce angustiis 15. non raró *Sudor* erumpit *frigidus*, qui decrescente malo mutatur in *calidum*.

Faciei rubor & calor post pallorem & frigus.

XIX. Sed & 16. tunc simul *Faciei rubor & calor* observatur, cùm priùs *pallor & Frigus* ipsam obsideret.

Caput grave.

XX. Nec tamen hic malorum finis, nam 17. *Caput* quoque *gravitatis sensu* afficitur, & non rarò *dolor lancinans* ipsum occupat.

Dolor lancinans.

XXI. Quinimò 18. *Oculi Caliginosi* fiunt, & quandoque *Vertigine* corripitur æger.

Oculi Caliginosi. Aurium tinnitus.

XXII. Sed & 19. *Aurium tinnitu* vexatur idem.

Stupor & formicationis sensus.

XXIII. Partes autem extremas 20. *Stupor & formicationis sensus* prehendit.

Lassitudo spontanea.

XXIV. Quin 21. Corpus Universum *Lassitudo spontanea* occupat, ac si defatigatum esset labore multo & fustibus exceptum.

Vigilia. Insomnia.

XXV. Multo 22. *Vigiliæ* urgent molestæ, alios *Insomnia*; quosdam mox ab assumpto Alimento satis placidè *dormientes excitat* aliquot post horis malum, ubi sc. absoluta est qualis qualis Alimentorum in Ventriculo alteratio.

Tristitia & Metus. Delirium Melancholicum.

XXVI. Sed nec 23. *Mentis functionibus* parcit hic affectus, quin potius *Animum ad tristitiam & Metum* disponit, cum leviori aut graviori *Delirio Melancholico* dicto.

Epilepsia & Convulsio, &c.

XXVII. Quin nonnunquam 24. gravissimis affectibus Praxeos hujus nostræ lib. 1. explicatis, *Epilepsiâ*, *Convulsione*, *Apoplexia* vel *Paralysi* Ægros hos teneri observatum est.

Saliva multa.

XXVIII. Sed & 25. in plerisque Ægris *Saliva multa* observatur, & imprimis aucta, quando graviùs affligit malum.

Fames læsa.

XXIX. Multis 26. *Fames intenditur aut depravatur*, *aut etiam minuitur*.

Sitis aucta.

XXX. Nonnullis 27. *Sitis augetur* in Paroxysmo, aliis non item.

Vrina varia

XXXI Denique 28. *Vrina* observatur *planè varia*, nunc pauca, nunc multa; nunc *tenuis*, nunc *crassa*; nunc *albicans vel Aquea*, nunc *rubicanda*, nũc *nigricans*: in qua plerumque subsident *arenulæ rubicundæ tenuiores*, *crassioresve*, laterum contusorum farinæ non absimiles, & nitentes; nunc in fundo, & in parietibus subsidentes, nunc in superficie innatantes, nunc per contenta omnia dispersæ.

Hæc Symptomata non semper nec in omnibus apparere, &c.

XXXII. Atque hæc sunt primaria, quæ in unum acervum corradere valuimus, Hypochondriacæ affectionis Symptomata simul & signa: quæ in omnibus non apparent omnia, nec semper æquè gravia: unde prout plura existunt vel pauciora, leviora vel graviora, sic affectum etiam leviorem vel graviorem esse arguunt.

Materia Efficiens, & locus.

XXXIII. Hæc omnia autem qui ritè expenderit, & cum iis, quæ non uno loco de *Bilis & Pituitæ in tenui Intestino confluxu*, atque *inde excitato motu alterativo*, *sive Effervescentia* diximus, contulerit; non vehementer laborabit *in causa & materiali & efficiente* ructuum, flatuum, halituum, vaporumque & omnium ab ipsis excitatorum malorum reliquorum assignanda, & *loca affecto* designando.

De Humore Pituitoso & Bilioso Authoris sententia.

XXXIV. Quapropter ut in omnibus illis *Symptomatibus à duplici humore simul pleramque hic peccante*, *Pituitoso & Bilioso* deducendis & breviores esse queamus & magis perspicui, non abs re nos facturos arbitramur, si paucis nostras de hisce humoribus observationes & ratiocinationes repetamus & dicendis præmittamus. Speramus enim sic futurum, ut reliqua omnia non ita difficulter percipi queant.

Pituitā reperiri in Ventriculo, & Intestinis tenuibus.

XXXV. Observavimus ergò, idemque observarunt dubio procul etiam alii, quinimò observare poterunt, qui volent, omnes & singuli in cadaverum huma-

humanorum & brutorum vivorum sectione naturalium rerum scrutatores accurati, & à præjudiciis liberi, 1. *Pituitam multam semper ac secundùm naturam reperiri tàm in Ventriculo, quàm imprimis in tenuibus intestinis.*

Salivam deglutiri.

XXXVI. 2. *Salivam ab omnibus naturaliter deglutiri* continuè in Ventriculum.

Eam incrassari in succum pituitæ similem.

XXXVII. 3. *Salivam eandem facilè incrassari & inspissari in Succum Pituitæ subviscidæ planè similem:* si nimirum in vase aliquo collecta asservetur aliquandiu.

Ductum Pancreati. cum biare in tenue intestinum.

XXXVIII. 4. *Pancreaticum Ductum biare in tenue intestinum.*

Succus Pancreaticus Salivæ similis.

XXXIX. 5. Collato Pancreatis corpore Glanduloso cum non dissimilibus ipsi Maxillaribus Glandulis, Salivam præparantibus: & Pancreatico Ductu itidem cum non dissimilibus ipsi Ductibus Salivalibus; non ita perperam *suspicionem moveri de Succo Pancreatico Salivæ quoque simili, ac proinde Pituitæ producendæ aptissimo.*

Primaria Pituitæ causa Saliva & Succus Pancreaticus.

XL. Adeò ut *primaria Pituitæ causa & interna* videatur statuenda tum *Saliva*, tum *Succus Pancreaticus*; uti *secundaria & externa*, *Alimentum*, pro sua diversitate plus & minus materiæ in Pituitam mutari aptæ continens.

Bilem ad intestina deferri.

XLI. *Bilem ad Intestina deferri* posse ac quotidie deferri, tàm manifestum est Anatomicis, & tam sæpè à nobis, aliisque ostensum, ut injurium videamur facere Lectori, si pluribus hoc illi probare tentemus.

Ejus secretio, præparatio, & motus.

XLII. Aliud autem est quærere, *An Bilis in Hepate secernatur à Sanguine*, atque *tàm ad Intestina rectà, quàm ad ejusdem Folliculũ obliquo ductu deferatur*, uti communis est plerorumque sententia; *An verò in suo folliculo præparetur, atque partim ad Intestina partim ad Hepar moveatur, ut Sanguini admisceatur*, quæ nostra est suspicio; Quæ tamen quæstio hoc loco non incommodè potest omitti, quamvis satius foret de hujus rei veritate plenè nobis constare.

XLIII. Sufficit tamen, ut quæ hic dicenda habemus intelligantur, *nosse Bilem effundi ad Intestina per meatum suum Intestinalem, Choledochum vulgò dictum*, atque omnem Bilem in Ventriculo aut Intestinis repertam inde deducendam: Interim concedamus lubentes, *partem Alimentorum assumptorũ posse in Ventriculo atque Intestinis ab hac Bile malè disposita corrumpi in humorem Bili analogum*, & non rarò Bilis nomine apud Medicos æquè ac Plebejos venientem.

Partẽ Alimentorum ægrè à bile affecta corrumpi.

XLIV. Quibus ita præmissis, proximum est, ut paucis utrumque humorem, & naturalem & præternaturalem describamus, ut commodiùs utriusque effectus dignoscatur.

Bilis naturalis quibus constet.

XLV. *Bilem* quod attinet naturalem, hanc si quis examinat, comperiet tanquam *primariis partibus cõstare tribus, Sale lixivioso, Spiritu Volatili, & Oleo*, intimè unitis, & in unam naturam digestis: His pauca est admista *Aqua*, paucissima *Terra*: *Spiritum Acidum* ipsi naturaliter inesse non putem.

Pituita naturalis quibus constet.

XLVI. *Pituitam verò naturalem* in tenuibus Intestinis repertam & mediocris visciditatis participẽ si quis examinet, comperiet constare *multa Aqua, Spiritu Acido & Volatili paucis; Oleo & Sale lixivioso adhuc paucioribus; Terra paucissima, vel penè nulla.*

Bilis variæ constitutiones præternaturales.

XLVII. Præter naturam observatur idem humor variis modis affectus, prout variè immutatur miscibilium proportio, & mistionis gradus.

XLVIII. Nam 1. *si in Bile Sal lixiviosum exuperet*, Acrior evadet ipsa, & ad effervescentiam potentiorem producendam aptior; cum fiat inter Salem lixiviosum, remve ipsi analogam, & Spiritum Acidum.

XLIX. Sin 2. in eadem contrà *minuatur idem Sal lixiviosum*, imbecilior reddetur ipsa Effervescentiæ etiam naturali producendæ.

L. Sin 3. in *eadem Bile exuperet Oleum*, reddetur ipsa nimiùm inflammabilis.

LI Sin 4. contrà *deficiat* in eadem *Oleum*, minùs apta fiet suscipiendo naturali incendio.

LII. Sin 5. *exuperet in Ipsa Spiritus Volatilis*, nimis mobilis & agitabilis reddetur ipsa.

LIII. Sin contrà 6. *deficiat in ipsa idem Spiritus Volatilis*, segniùs movebitur eadem, fietque fixior.

LIV. Sin 7. *Aqua exuperet in Bile*, diluetur nimiùm & debilitabitur in omni suo opere.

LV. Sin contrà 8. *deficiat eadem Aqua*, viscidior erit, minùsque fluida.

LVI. Sin 9. *exuperet in Ipsa Terra*, aridior evadet, ac in calculos inde generandos prona.

LVII. Sin 10. contrà *deficiat eadem Terra*, consistentiam habebit minorem; quamvis ob Terræ naturalem paucitatem minùs periculum exinde orietur ipsi.

Pituitæ constitutiones præternaturales.

LVIII. Sic rursus si 1. *In Pituita exuperet Aqua*, nimis tenuis & fluida, imò debilis reddetur ipsa.

LIX. Sin contrà 2. *deficiat in ipsa Aqua* crassior evadet & viscidior, & hactenus iisdem debilior.

LX. Sin 3. *exuperet in pituita Spiritus Acidus*, acrior evadet, & ad effervescentiam cum Bile potentiorem producendam agilior.

LXI. Si contrà 4. *deficiat in eadem Spiritus Acidus*, imbecillior & ineptior evadet ad naturalem quoque effervescentiam excitandam & sustinendam comprimendamve.

LXII. Sin 5. *exuperet in Pituita Spiritus Volatilis*, eo ipso quoque debilior evadit spiritus acidus; redditurque fluidior, minùsque coagulabilis tota Pituita.

LXIII. Sin contrà 6. *deficiat in ipsa idem Spiritus Volatilis*, acrior exister spiritus acidus, totaque pituita erit magis coagulabilis, aut jam coagulata.

LXIV. Sin 7. *exuperet in Pituita Oleum*; viscidior existet ipsa, & omni Bilis actioni suscipiendæ ineptior.

LXV. Sin contrà 8. *deficiat in eadem Oleum*, liquidior existet ipsa, & sustinendæ Bilis actioni ineptior.

LXVI. Sin 9. *exuperet in Pituita Sal lixiviosum*, ad omne suum opus reddetur ineptior, dum spiritum acidum infringit, acuitque bilem potiùs, quam ut ipsam temperet.

LXVII. Sin contra 10. *deficiat in eadem Sal lixiviosum*, cum Bile coibit difficiliùs, & ne sic quidem apta erit operi suo perficiendo: Congressus enim sic facilitatur bili in pituitam per communem utrique salem.

LXVIII. Sin 11. *Terra redundet Pituita*, concrescet & in calculosam naturam abibit facilè.

LXIX. Sin contrà 12. *Terra omni destituatur Pituita*, cùm ipsa carere queat commodiùs, vix inde aliquod continget incommodum.

LXX. Uterque autem hic humor cùm ex miscibilium suorum uno aucto vel imminuto tantam mox mutationem ostendat in effectibus suis; quanta expectanda erit, si in pluribus simul continget illa mutatio, dum infinitis penè modis accidere queat ipsa; dum non tantùm in unius, sed utriusque humoris partibus variis compositionem ipsius ingredientibus illa mutatio veniat expectanda?

LXXI. Quas differentias omnes cùm impossibile sit, saltem nimis longum, debitè persequi, ab eorundem ulteriori enarratione supersedebimus, & ad affectionem Hypochondriacam ipsam ulteriùs explicandam denuo nos accingemus.

Hypochondriacæ Affectionis Symptomata unde.

LXXII. Videndum proinde, an à binorum horumce humorum vitio multifario deduci queant multifaria Hypochondriacæ Affectionis Symptomata supra à nobis recensita.

A Bilis & Pituitæ Effervescentia vapores, halitus & flatus.

LXXIII. Et probandum in antecessum excitari posse ab illis humoribus binis malè affectis Effervescentiam sive Pugnam, ex qua Vapores, Halitusve atque flatus produci queant, & quaquaversùm propelli.

LXXIV. Hanc Effervescentiam *non tàm probabimus, quàm confirmabimus per varia Febrium intermittentium incipientes paroxysmos comitari solita Symptomata.*

LXXV. *Probabimus* verò dictam *Effervescentiam per simile affectum ad acidorum, dulciumque assumptionem excitatum.* Qualem suffocationi hystericæ obnoxiis quotidie accidere docet Experientia.

LXXVI.

Ab acidis & dulcibus bilem & salem lixiviosum effervescere.

LXXVI. *Ab Acidis* autem atque *dulcibus* (acido spiritu turgentibus) *& Bilem & omnem omninò salem lixiviosum* effervescere, noto notius est: ut probatione ulteriore aut explicatione non videatur indigere.

LXXVII. Qui tamen dubitat, observet, quæ praxis quotidiana demonstrat, & roget ægros simili malo subjectos; sicque dubitare cessabit brevi.

Ut & ab amaris.

LXXVIII. Similem in aliis excitari *ab amaris assumptis Effervescentiam*, arguit *Nausea, Vomitusque* multis inde superveniens, cum ascendente simul in os *multa spuma, certo Effervescentiæ signo*.

Purgantia per Effervescentiam operari.

LXXIX. Hoc cùm non infrequenter contingat post assumpta purgantia, non malè conjicitur à quibusdam, ut hoc obiter notem, *per Effervescentiæ majoris minorisve modū operari in humorum massa purgantia*, ut noxii secernantur à bonis & utilibus.

A Bile acriori, & pituita acidiore Effervescentiam excitari.

LXXX. Cùm ergò tam ab assumptis Acidis, quàm amaris; tam dulcibus, quàm lixivioso Sale prędıtis excitetur non rarò in nobis magis vel minùs notabilis Effervescentia; quidni *concludamus, ex eorundem humorum in corpore nostro existentium, & à variis partibus in unum locum confluentium mistione similem produci in nobis Effervescentiam, & quidem maxime à Bile Acriori & Pituita Acidiore Effervescentiam magis notabilem?*

LXXXI. A majore autem ad minus non malè procedit Consequentia, adeò ut *si ab excedente utroque humore in propria utrique Acrimonia fiat Effervescentia major magisque notabilis, utique ab eodem minùs Acri fiet quoque Effervescentia & minor & minùs notabilis; nec nisi ab effectu dignoscibilis*.

Hanc Effervescentiā posse culpari, quamvis sensu minime dignoscatur, cum effectu ægris molesta sit.

LXXXII. Atque hisce rite expensis nemo mirabitur facilè, si culpetur Humorum confluentium Effervescentia, licet non sit ipsa sensu dignoscibilis, sed insequente demum effectu molesta.

LXXXIII. Neque enim semper tanta est illa humorum conturbatio, ut mox dignosci queat; qualem in febrium Paroxysmi parte prima observari sępissimè, aliàs diximus, & sæpiùs in Nosocomio audivimus à querulis eo nomine Ægris: nec tamen idcircò negari debet, quin potiùs propter effectum similem conjici debet, ortam Effervescentiam, sed leviorem; à qua sc. producantur Symptomata similia illis, quæ in graviori excitari solent Effervescentia, tuncque mox notabili & dignoscibili.

Ab Effervescentia hac omnia Hypochondriacæ affectionis Symptomata.

LXXXIV. Postquam ergò possibilis est Effervescentia in humano corpore, & quidem orta ex humorum Biliosi & Pituitosi confluxu, utpote quæ non rarò in ipso fieri est observata, proximum nunc est, ut videamus, an omnia Hypochondriacam Affectionem comitari solita Symptomata à tali deduci queant Effervescentia; Ab illa etenim si valeant deduci, non video, cur ab illa non deducantur, & frustrà in causis aliis fingendis tempus teramus.

1. Angustia circa præcordia.

LXXXV. Ut autem eodem, quo proposita sunt, ordine singula prosequamur Symptomata, diximus 1. *Angustiam circa præcordia* observari, post assumptionem Alimentorum Ægros nunc citiùs, nunc tardiùs, nunc graviùs, nunc leviùs affligentem.

Ejus causa.

LXXXVI. *Supposita* verò nunc, quam alibi nos satis probasse putamus, *Alimentorū in Ventriculo fermentatione*, & quidem *à Saliva* præsertim, *tanquam fermento vel fermenti fomite, promoveri solita; consideratisque, quę* aliàs *de Salivę* & modò de *Pituitę materia & generatione protulimus*, non puto magnam me in Lectore excitaturum admirationem, si dixero, *Ubi male disposita est Saliva, & hinc Ventriculi fermētum, & Pituita naturalis; ac pręsertim, si exuperante Spiritu Acido peccet*, aliter perfici, quàm priùs solebat, Alimentorum fermentationem; atque *partem ejus fluidiorem citiùs*, uti fieri aliàs solet, *ad intestina defluentem*, & quàm debebat, *Acidiorem redditam ad Bilis effluentis occursū Effervescentiam excitare naturali majorem*; ac proinde elevari simul halitus & vapores, qui sursùm ascendentes in *Ventriculum Angustiam in ipso pariāt* partim *distendendo* ipsius parietes, partim *vellicando* superius ejusdem orificium, partim *turbando* reliquorum adhuc in ipso Alimentorum fermentationem, & ita quidem, ut ab iisdem Alimentis itidem novi excitentur vapores & halitus angustiam prædictam augentes & aggravantes.

2. Præcordiorum distentio. Ejus causa.

LXXXVII. Ab iisdem halitibus & vaporibus flatulentis existentibus, procedit, quam 2. loco prędictam *pręcordiorum* angustiam diximus comitari, *eorundem Distentio*. Quotiescunque enim exitum sursum non habent halitus & vapores, in concava parte accumulati eandem sensim replent ac consequenter expandunt & distendunt, Cujus distentionis cùm susceptibilis sit Ventriculus membraneus, mirum non est, si non tantùm accidat illa, sed & sentiatur cum Ægrotantis molestia, utpote in parte sensili excitata.

3. Animi Deliquium. Ejus causa.

LXXXVIII. Ab eadem planè causa pendet 3. *Animi Deliquium*, sive per consensum illud dicatur excitatum, sive, quod mihi magis placet, quoniam Pulsus exilis aut nullus simul observatur, halitus aliquis per OEsophagum ascendens, inspiratoque Aeri junctus in Pulmones alliciatur, & Sanguini circulanti permistus ad Cordis Ventriculum sinistrum transeat, atque naturalem Sanguinis rarefactionem immutet; impediatve; sive halitus talis, qualis sursum fertur ad Ventriculum, per venas lacteas assurgat quoque ad Cor.

Cisterna Chylosa vel lactea.

LXXXIX. Ubi, quod olim post sectionem in Nosocomio habitam diligenter & accuratiùs omnia expendenti & meditanti incidit, omnibus censeo communicandum; *Eo sc. loco, quo tenue Intestinum inter utrumque renē sub mesenterio in lumborum regione transversim & quidem sinistrorsum fertur, observari Vesiculam, sive Cisternam Chylosam vel Lacteam*, uti in Disputatione sua ex Pecqueti, aliorumque, & sua quoque observatione id accuratè descripsit *Clarissimus noster Collega*, D. van Horne: *In quam Intestino tenui prædicto proximam suspicor plura vasa inseri, quæ Chylum, aliamve inde afferant*: atque *sic via brevissima contenta propelli poterunt ad Cor, hinc & universum corpus*.

Ejus usus.

Animi Deliquium duplex.

XC. Observandum autem, *duplex* in praxi Medica occurrere *Animi deliquium*, gradibus inter se differens. Nam *Deliquium animi gravissimum* illud est, quando pulsu ad sensum sublatu externa omnia frigent, sudor erumpit frigidus, cessantque ad tempus omnes quoque functiones animales; diciturque propriè *Syncope*.

Gravissimum. Syncope.

Levius.

XCI. Aliàs verò, quamvis debilis observetur pulsus, quandoque nullus, tamen animales functiones plùs minùs perstant, nec semper frigent extrema, vel sudor erumpit frigidus, quod *levius* est *Animi Deliquium*; cujus varias quoque secundùm gradus species observari, ex prædictis patet.

Quod in affectione Hypochondriaca occurrit. Rarissimè prius.

XCII. In affectione autem Hypochondriaca levius observari solet Animi Deliquium, non item, nisi rarissimè, gravissimum.

XCIII. Non semel enim curavi tales, quibus tàm debilis erat pulsus, ut vix ac ne vix quidem digito posset explorari; aliis verò satis constabat durante animi Deliquio Pulsus.

XCIV. In aliis observari nullum, in aliis calidum, in aliis frigidiusculum erumpere sudorem; nunquam Syncopticum.

XCV. In aliis pro tempore sensus externi aboliti videbantur; in aliis satis constantes; dum interim plerique loqui non possent, nec nisi peracto paroxysmo, quid vidissent vel audivissent, referebant ægri.

Affectionis Hypochondriacæ paroxysmi.

XCVI. Notandum enim, per paroxysmos affligi plerosque affectione Hypochondriaca laborantes, nec continuè laborare æquè difficulter, sed nunc leviùs, nunc graviùs; ipsosque paroxysmos nunc crebriùs, nunc rariùs redire; nunc diutiùs, nunc breviùs durare.

XCVII. Quæ omnia uti in plerisque symptomatibus observantur, sic in doloribus & animi deliquio atque angustia imprimis notantur, quoniam de ipsis maximè conqueruntur ægri, utpote sibi præsertim molestis.

Causa diversitatis in animi deliquio.

XCVIII. Prout autem diversimodè affecti sunt assurgentes ab effervescentia vapores, halitusve, ita multis nominibus gravius, leviusve producunt Animi deli-

mi deliquium; quod observasse non parùm juvabit Juniorem Practicum, ad Ægros vulgi more loquentes, non autem ad Criticos, & verba venantes homines vocatum, & ex ipsorum loquendi modo Affectus cujusvis naturam ac essentiam eruere coactum.

Animi deliquio laborantibus quanam obveniat.

XCIX. Promiscue namque Belgæ nostri omne Animi Deliquium vocant *Flaeute*, & *Qualijkhepdt*: discrimen autem raro nisi privatim rogati exponunt. *Flaeute* autem propriè significat Debilitatem; & *Qualijkhepdt*, male habere. Et reverà Animi Deliquio laborantes primùm malè habent circa præcordia & superius ventriculi Orificium, mox debilitatem & languorem experiuntur inexpectatum, & magis minusve gravem, urgentemve.

Ructus Acidi, rarò nidorosi.

C. Diximus 4. affectionem Hypochondriacam in comitatu suo habere *Ructus plerumque Acidos, rariùs Nidorosos*. Acidos ab exuperante spiritu acido suum ortum ducere, notissimum est in Chymia versatis; Nihil enim in rerum natura occurrit Aciditatis particeps, quod non simul sit Spiritus particeps Acidi.

Acidorum causa.

Nidorosorū causa.

CI. In quibus autem Nidorosi ructus observantur, in iis Bilem corruptam redundare, quotidiana testatur Experientia; tum ratione ipsius non raro spontè simul eructatæ; tum ratione ejusdem arte sursum aut deorsum cum euphoria & Ægrorum levamine evacuatæ.

CII. Hisce proinde ructibus & materia peccans, redundansque, & prædicta confirmatur Effervescentia per ructus illos manifestata.

5. Nausea & Vomitus. Eorū causa.

CIII. Addidimus 5. non infrequenter *Nausea, & Vomitu* urgeri Affectione Hypochondriaca detentos. *Nausea* verò ab halitibus totam Ventriculi superficiem interiorem titillantibus & leniter vellicantibus; *Vomitus* autem ab ipso Effervescente humore gemino, sursum assurgente, atque Ventriculum ad sui exonerationem cogente commodè deducitur.

6. Paroxysmi cessatio. Ejus causa.

CIV. Ubi autem cum vitiosis humoribus excretum est quodammodo depravatum & corruptum in Ventriculo Alimentum, non ita mirum est, si 6. *tunc cessare videatur Paroxysmus, sublato sc. cum Effervescente ad bilis affluxum Pituita, Pituitosove Alimento, ejusdem Pituitę fomite, Alimento putà in Ventriculo cum affluente Saliva adhuc hærente*, & consecutivè ad Intestina delapsuro, ni Vomitu priùs ejiceretur.

Quales humores in Affectione Hypochondriaca peccent.

CV. Ejecta autem cum alimentis *Pituita Acida, Acerba, Pontica*, eaque subinde simul *Amaricans*, satis superque probat & evincit, quales in hac affectione Hypochondriaca peccent humores: cùm illis spontè evacuatis cessent paulatim omnia ejusdem Symptomata; quæ non minùs cessabunt, si medicamentis aptis iidem peccantes humores corrigantur, aut educantur.

7. Sensus Effervescentia cum elevatis ructibus &c.

CVI. Diximus 7. *Sentiri quandoque in ventre Effervescentiam quandam & Ebullitionem cum elevatis sursum* ructibus, & propulsis deorsùm flatibus atque post rugitus crepitibus, & quidem cum ægrorum notabili levamine; uti contra pejus habent iidem, quoties conclusi manent in Ventriculo aut Intestinis prædicti flatus, à quibus sc. distenduntur & angustantur nominatæ partes, uti jam monuimus.

Opinio Auctoris de Effervescentia cōfirmata.

CVII. Hæc autem sensu quandoque notabilis Effervescentia confirmat imprimis nostram de semper contingente majore vel minore, insigniore aut obscuriore Effervescentia opinionem.

Hanc non semper Ægros eodem modo afficere.

CVIII. In qua Effervescentia ægrorum sensibus dignoscibili observandum, non semper eodem modo illam ipsos afficere, dum quandoque Ebullitioni similis deprehenditur, quandoque cum Interiorum contorsione conjuncta judicatur.

Et quare.

CIX. Prout sc. diversimodè affectæ sunt Bilis & Pituita, diversa quoque contingit Effervescentia, diversi elevantur vapores, diversimodè afficiuntur ipsos continentes partes.

Exemplum notabile affectionis Hypochondriacæ.

CX. Hujus rei, postquam hucusque hæc annotaveram, memorabile nobis in Nosocomio publico obvenit exemplum, in Viro tali affectione Hypochondriaca detento; cui inter alia Symptomata plura notabilis est Abdominis non distensio, sed contractio; cum maxime molesta & dolorifica partium contentarum omnium contorsione.

Abdominis contractio.

Ejus distensio à purgantibus.

CXI. Quodque in ipso etiam est notatu dignum, ab assumptis purgantibus non movetur facile Alvus, verùm tum demum ipsi distenditur Abdomen, priùs in angustum contractum.

Harum causa.

CXII. Non semper proinde, ubi ab Effervescentia humorum excitantur aliqui halitus, mox simul distenditur ab ipsis Abdomen, quod accidit tantùm ratione Pituitę existentis admodum viscidæ, nec sufficienter in flatus copiosos expandi aptæ, nisi accedente insuper potu copioso, quo dissolvitur; aut materia Bilis operationem adjuvante, purgantibus sc. Acrioribus, & Pituitam simul incidentibus.

Contorsio intestinorū & ventriculi unde.

CXIII. Contorsio verò Intestinorum & Ventriculi sequitur Bilis in viscida Pituita hærentis Acrimoniam, quæ partes, quibus Pituita adhæret & agglutinantur, mordicans molestiam illam, ac si contorquerentur, in ipsis excitat.

Quare à ructuum et crepituum eruptione levantur Ægri.

CXIV. Quoties autem aut ructus, aut crepitus erumpunt, levari ægros non mirum; ab illis namque in corpore hærentibus, & Ventriculum atque Intestina vel distendentibus, vel contorquentibus dolor excitatur Ægris gravissimus, qui sublata ipsius causa, tollitur simul, & levamen inde accipiunt Ægrotantes.

Effervescentiam variis modis percipi.

In quibusdam levis Ebullitio.

CXV. *Effervescentia* verò, de qua modo loquebamur, *variis modis percipi solet*, nam in quibusdam *videtur aliqua levis observari in corpore ebulitio*, à qua mox halitus calentes sursum assurgunt, & Cor primum, mox Caput & faciem universam, quin imò partes etiam externas Sudore levi afficiunt.

In aliis Pulsatio in regione lumbari.

Unde Angustia circa præcordia, frigus & tremor.

CXVI. In *aliis Pulsatio aliqua in lumborum regione sentitur*, uti etiam prædicto ægro accidere, ex ipso tum temporis audivimus, *quæ sensim assurgens Angustiam pariat circa præcordia*; *ut taceam frigus & tremorem*, quibus, ac si febre corriperetur intermittente, urgetur aliquando; quodque aliis itidem accidit.

Atque pro Intermittentis febris specie habenda.

CXVII. Et certè, si quis rem ritè examinet, pro intermittentis febtis specie leviori omninò habēda illa passio, quamvis, cùm non semper diuduret, nec certum typum observet, verùm promiscuè nūc sæpius, nunc rariùs ægris obveniat, pro febre non habeatur, à plerisque; ab aliis tamen pro febre habetur, diciturque lenta, aut ut Belgæ loqui solent, *een Binne-koortse*, quasi diceres, febrem Internam; quoniam frigus & tremor vix sentiuntur in partibus exteris, verum imprimis in partibus internis, & lumbis vicinis: quę omnia accuratè observasse juvabit Practicum Juniorem in affectibus variis ab invicem dignoscendis, hinc & feliciùs curandis.

8. Hypochōdriorum distentio, & tumor.

Unde difficilior Respiratio.

CXVIII. Recensuimus 8. inter cujus affectionis Hypochondriacę Symptomata ipsam *Hypochondriorum Distentionem & Tumorem*, eousque interdum assurgentem, ut totus inde attollatur in altum Venter, & *Tympani instar ob* distentionem expansus sentiatur; gravissimum certè ipsis Ægris malum, nam & ipsa *respiratio difficilior* inde fit.

Eorum causa.

CXIX. Ex supradictis autem facilè Distentionis ac Tumoris causa elici potest; nam à flatibus copiosis ex Pituita mediocriter viscida excitatis totum hoc pendet.

Flatus copiosi unde.

CXX. Ubi enim maximę viscida existit Pituita, vix copiosi excitabuntur flatus, nisi simul illis excitandis apta sit Bilis, visciditatem prædictam simul incidens: & hinc copiosos flatus generans.

CXXI. Quod si minùs viscida sit Pituita, copiosiores producentur flatus, & quidem in Ventriculo & Intestinis facile hęrentes; atque illam Distentionem in ipsius efficientes, ac consequenter totum Abdomen in Tumorem durum elevantes.

Vapores unde.

CXXII. Ubi verò minimè viscida existit Pituita, tum vapores potius elevantur quàm flatus, aut saltem flatus humidi, quippe facilè denuò resolvuntur & subsident aut per Intestina feruntur, illis minùs adhærent, ac sponte sursùm ac deorsùm exitum quærunt ac inveniunt.

CXXIII. Hi si copiosi fuerint, hæc imprimis nomine

mine molesti existunt; sin pauci, vix aliquam pariunt molestiam.

9. Alvus plerumque adstrictior, rarius laxior. Alvi adstrictæ causa.

CXXIV. Diximus 9. *Alvum in hac affectione plerumque observari adstrictiorem, rarius laxiorem.* Cùm enim plerumq; Pituita peccet viscidior, quotquot tunc ab ipsa elevantur flatus, non tantùm ipsi Pituitæ, adeoque Intestinis (quibus Pituita adhæret) firmiùs quoque adhærent, verùm à Pituita, sive causa materiali, etsi subinde separentur, mox tamen vicinis excrementis agglutinantur, illaque compingunt & indurant; unde adstrictam Alvum consequi nil mirum.

Laxioris causa.

CXXV. Laxior autem Alvus vix observabitur, (ut de illa ob diætam peculiarem nil dicam) nisi præter Bilem peculiarem ob singularem corporis constitutionem aliquis humor ad Intestina perductum fortè Pancreaticum, aut etiam cum Saliva defluat, cujus nomine solvantur excrementa & propellantur ad dejectionem frequentiorem.

CXXVI. Deduco autem illam Alvi laxitatem è Liquore in Glandulis Maxillaribus Salivam præparantibus, ut & Pancreate adornato, ad Intestina delato; cùm hactenus nullæ viæ ab ullis partibus derivatæ, & ad Intestina mediatè vel immediatè aliquid deferentes innotuerit Anatomicis; hæ autem hujus ævi Anatomicorum solertia erutę sunt & videre volentibus patent; adeò ut ampliùs de illis dubitandi ansa sit omnibus sublata.

10. Frigus in dorso.

CXXVII. Enumeravimus 10. inter Symptomata Hypochondriacæ affectionis *Frigus circa regionem lumbarem atque inter scapulas* non rarò molestum, quodque *febrem Intermittentem æmuletur*, & quandoque pro *Ephemera* accipiatur. De quibus quia mox egi §. 126. *& seq.* eadem repetere supersedebo; & dictis hoc unum addam, pro Ephemera fuisse aliquando habitam à quibusdam, quam modo vocabamus Lentam; quando sc. molestior existit cum levi frigore horror, qualis in febrium Ephemerarum initiis non rarò sentitur.

11. Post frigus Calor & Æstus in Hypochondrio. Quæ causa.

CXXVIII. Diximus 11. non raro illud frigus excipi à subsequente *Calore, & Æstu in Hypochondriis* primùm, hinc & aliis partibus.

CXXIX. In hypochondriis sentiri æstum primò quid mirum? Ibi etenim fit humorum Effervescentia, ibi hærent diutiùs elevati halitus, ibi proinde uti frigus, sic & æstus primùm sentitur molestus, in multis ob Pituitæ Intestinis adhærentis visciditatem perseverans & permanens.

CXXX. Dispersi autem quaquaversum halitus varia in partibus variis excitant Symptomata, quæ nunc quoque ordine sunt examinanda.

12. Faucium præclusio.

CXXXI. Diximus enim 12. produci in quibusdam *passionem Uterinæ Suffocationi similem*, adeò ut *fauce, præcludi, seque strangulari* putent aliqui.

In fœminis vulgaris.

CXXXII. In fęminis affectione Hypochondriaca detentis vulgare est, quamvis omnibus id non accidat, tunc pro Uterina Suffocatione habetur.

Suffocationis uterinæ causa.

CXXXIII. Quisquis autem omnia Symptomata Suffocationis Uterinę variis modis fœmina invadere solitæ expenderit accuratè, & cum Medicamentis illam levare ac curare solitis, adeoque circumstantiis ipsi in curatione observabilibus contulerit diligenter, is facillè comperiet, à flatibus, & quidem Melancholicis, hoc est, ex Pituita viscida elevatis, & Intestina, hinc & Ventriculum & EOsophagum imprimis variè afficientibus illam ortum suum ducere.

Quare id mali magis fœminas, quam viros affligat.

CXXXIV. Et ut paradoxon forte an hinc addam, non idcirco frequentiùs strangulatione, aut strangulationis illius metu laborant, fœminæ, quod ipsis ab Utero communicetur illud malum, aut elevetur halitus strangulationem illam efficiens (neque enim putamus rem acu tangere illos, qui suffocationem uterinam dictam deducunt ab Utero:) verùm ideò frequentiùs graviusque laborant hac strangulatione fœminę, quia ad melancholiam, hoc est, mœstitiam, metumque magis pronæ sunt fœminæ, quam mares; ac proinde in illis, quam maribus magis exuperant & cumulantur humores pituitosi ac viscidi, hoc est, melancholici.

Ad mœstitiam & metum quare pronæ Mulieres.

CXXXV. Ad mœstitiam verò, metumque magis sunt pronæ mulieres, quàm viri, quoniam Ipsis sunt subjectæ: omnis enim subjectio mœstitiam parit, hæc metum & animum prostratum sive dejectum; quemadmodùm contrà dominium Gaudium excitat in homine, Gaudium verò Confidentiam & Animum fortem, & ubi excedit, Audaciam vel Temeritatem.

Quales viros affligat id malum.

CXXXVI. Quotquot exinde ex Maribus animo sunt quacunque demum de causa abjecto, & pusillanimes, iis itidem generantur in corpore copiosi humores pituitosi ac viscidi, quinimò similem planè suffocationi uterinę dictę affectum patiuntur non rarò, ubi excitatur in ipsis pituitę & bilis effervescentia; quales nonnullus observavi in mea praxi, & etiam nunc, cum hęc scribo, habeo ęgros: affectum autem Suffocationis Uterinę ęmulum in maribus vocant rudiore ascensum patris, uti in fœminis ascensum matris, aut matricis: simile namque fœminis malum cùm patiantur isti mares, illud deducunt à patre, sive parte mascula, quem in fœminis audiunt deduci à matre, vel matrice, tanquam parte fœminea.

Affectus hic Suffocationi similis non ab aliqua parte generationi inserviente, sed à flatibus melancholicis.

CXXXVII. Interim si quis rem ritè pensitet, & *in fœminis, & in maribus* observabit *affectum* illum *Suffocationi aut strangulationi similem a nulla parte generationi inservieate*, verùm *flatibus melancholicis*, hoc est, *ex pituita viscida in tenuibus intestinis elevatis ortum ducere*: quapropter assumptis medicamentis flatus tales dissipantibus, materiam eorundem corrigentibus, educentibusve curantur convenientissimè tàm mares, quàm fœminæ.

CXXXVIII. Deducitur proinde commodè strãgulationis ille in affectione Hypochondriaca mètus à flatibus & halitibus per effervescentiam humoris pituitosi & biliosi elevatis.

13. Pulsus compressus, & postea febrilis, & cordis palpitatio.

CXXXIX. Diximus 13. *Pulsum edi* in eadem affectione Hypochondriaca per paroxysmos exacerbata primùm *compressum, & quandoque nullum* sentiri; sed paulò post *frequentiorem* observari adeoque *febrilem*, concurrente ferè *Cordis palpitatione*.

Pulsus compressi causa.

CXL. *Compressus fit Pulsus, ut quandoque nullus sentiatur*, ob halitus & vapores elevatos in principio de Pituita magis participantes, quam de Bile; unde ad Cordis ventriculos cum Sanguine delati, ipsum rarefactioni reddunt ineptiorem, utpote nimis condensatum; ubi autem minùs rarefit Sanguinis quoque expanduntur Cordis ventriculi, minùs proinde rursus contrahuntur iidem ventriculi, minus in arterias expellitur Sanguinis, minùs expanduntur dictæ arteriæ, minùs sentitur pulsus quod observatur in principio paroxysmi Hypochondriaci; eodem planè modo, quo fieri solet accedente febre intermittente, cum qua hoc Symptoma habet commune, nisi quis malit pro leviore febre habere hoc Symptomata, uti jam in superioribus monuimus: adeò ut hanc affectionem Hypochondriacam tunc comitetur febris intermittens; Symptomatica dicenda.

Pulsus febrilis causa.

CXLI. *Ubi* autem *Bilis dominatum accipit, superatque Pituitæ viscediatem*, tunc, & *ipsa sentiri occipit*, ac *quod pulsum*, ipsius observatur *frequentia*; tunc enim rarefit potentiùs ac celerius Sanguis, ac simul à Bilis acrimonia lancinatur Cordis parenchyma; unde frequentiùs contrahitur idem parenchyma, propellitur frequentiùs in arterias Sanguis, expanduntur frequentiùs arterię, sentitur frequentiùs pulsus; isque nunc simul major, nunc minor; & quidem pro adjunctæ adhuc Pituitæ copia & visciditate majori vel minori, superata sc. vel permanente.

Causa Pulsus majoris. Causa Pulsus frequentioris, sed simul minoris.

CXLII. *A bile namque si superetur & corrigatur Pituitæ viscidutas, major excitabitur simul Pulsus; Sin aucta licet Bilis copia & vi permaneat nihilominùs Pituitæ admistæ viscediatas, frequentior quidem observabitur Pulsus, sed simul minor, & compressior;* quod imprimis observandum ad Medicinam ægris ritè faciendam.

Cur Affectio Hypochondriaca tam rarò,

CXLIII. Et quoniam hoc signum negligitur à multis, ejusve causa vera ignoratur, nec investigatur.

Tam tardè, & tam imperfectè curatur.

tur à pletisque, censeo tàm ratò, tàm tardè, tàm imperfectè curari plerosque affectione Hypochondriaca detentos.

Hypochondriacæ affectionis species consideranda.

CXLIV. Cùm autem variæ existant plurimùm à se invicem tam ratione dispositionis causatum, quàm ratione curationis ex arte instituendæ, *differentes affectionis hujus species*; maximè interest Medici, ut & Ægri, hanc differentiam differentiæque rationem innotescere atque observari.

Acida.

CXLV. Et ut hac occasione data notabilem & facilè *primariam Hypochondriacæ affectionis speciem* proponam, *petitur* illa *ab utriusque humoris peccantis diversitate*, unde *ab humore pituitoso & acido quæ pendet*, cùm ferè comites habeat ructus acidos, *non incommode vocari queat Acida*, utpote *Cruditati acidæ vulgò* dictæ juncta.

Nidorosa.

CXLVI. *Ab humore bilioso* verò & cum *amarore olidum & ingratum odorem, sive nidorem spirante, cum ructibus nidorosis quæ oritur*, *Nidorosa* dici queat, utpote quæ *Cruditati Nidorosæ* vocatæ copulatur.

Insipida.

CXLVII. Si cui lubeat, non incommodè *media species* addetur *ex utroque humore medio modo se habente orta, & nec acidos, nec nidorosos ructus, sed insipidos potiùs comites habens*, atque cæteris blandior, quinimò curatu facilior.

CXLVIII. Talia autem in praxi medica in dies observari, testatur etiam ille Æger in publico Nosocomio decumbens, de quo jam sumus loquuti in superioribus; cui ructus elevantur nidorosi.

CXLIX. Concurrit autem in affectione Hypochondriaca cum Pulsu frequentiore *Cordis ferè Palpitatio*.

Cordis Palpitatio quid.

CL. Est autem *Cordis Palpitatio Motus Cordis inordinatus & pene convulsivus*: quod vel inde patet, quòd in eadem affectione Hypochondriaca graviore existente non raro cū Cordis palpitatione observetur aliarum quoque partium, artuum præsertim, nunc superiorum, nunc inferiorum motus convulsivus, cum Cordis palpitatione in suo motu inordinato conveniens, & cum ipsa ferè incipiens ac desinens: uti in ęgris quibusdam cum admiratione observavi, & hæc meditanti rursus venit in memoriam.

Ejus causa.

CLI. Accidit autem hæc Cordis palpitatio sive motus convulsivus ab *inordinato spirituum animalium in Cordis musculos motu*, non tam ob irritationem ab acri bile ortam, quàm ob halitus eosdem vitiosos ad caput vel cum Sanguine vel seorsim assurgentes, atque Spiritibus Animalibus mistos; à quibus ad inordinatum & turbatum motum coguntur, & cum ipsis spiritibus ipsi quoque musculi vel Cordis tantùm, vel aliarum insuper partium.

Tremor & motus & inordinatas.

CLII Observandum enim, licet non semper manifesta fiat Cordis palpitatio, motusque aliarum partium convulsivus, raro tamen sine aliquo Tremore & motu inordinato reperiri artus ægrorum affectione Hypochondriaca detentorum.

14. Respiratio difficilis. Ejus causa.

CLIII. Diximus 14. *Respirationem difficilem accidere* affectione eadem laborantibus, cujus causa ex dictis patet; *Elevati namque tam per OEsophagum inde halitus & vapores, hinc cū Aere in Pulmones attracti* Respirationem dubio procul efficient difficilem quinimò iidem *halitus per venas Lacteas in Cavā delati, & cum Sanguine in dextrum Cordis Ventriculum, hinc per arteriā Pulmonalē in ipsos Pulmones delati*, Respirationē difficilem reddent: visciditate etenim sua Pulmonibus diutius adhærent, eosdem distendunt & ad motum suum ineptiores pręstant; sicque Respirationis difficultatem pariunt & conservant: quibus adde contingentem sępenumero *Abdominis distensionem, atque Suffocationis metū*, de quibus supra.

15. Sudor plerumque calidus.

CLIV. Diximus 15. *Sudorem* erumpere hisce ægris, *variùs quidem frigidum, crebriùs calidum*. Frigidus quoties erumpit, halitibus Pituitosis debetur ipsis; quoties calidus, iisdem quidem, sed à Bile victis ac superatis; uti hoc frequentissimum est in febrium intermittentium declinatione.

Raró frigidus.

CLV. Longè autem graviùs & periculosiùs laborant, quibus frigidus Sudor erumpit; non item, quibus calidus; dummodo cum [illegible] contingat, ægrique levamine.

16. Faciei rubor & calor post pallorem & algorem.

CLVI. Addidimus 16. conjungi tunc ferè *Faciei ruborem & Calorem*, uti incipiente Paroxysmo ejusdem *pallor & algor* observatur non infrequenter, non secùs atque in febribus intermittentibus accidit sæpenumero.

Eorum causa.

CLVII. Habent autem hę mutationes omnes itidem ortum suum à vaporibus & halitibus nunc Pituitosis, nunc Biliosis: uti aliquoties id explicuimus.

17. Capitis gravitas, vacuitas & dolor lancinans.

CLVIII. Diximus 17. *Caput* nonnunquam *gravitatis*, adde quandoque *vacuitatis & inanitatis sensu affici*; quin & subinde *dolore lancinante* urgeri: quæ omnia diversæ ascendentium halituum dispositioni adscribi debent.

Eorum causa.

CLIX. Ubi enim Pituitosi ascendunt vapores caput opplentes, *Gravitatis sensus* in ipso excitatur.

CLX. Ubi contrà Biliosi & Acres existunt, aut etiam Acidi vapores, *Lancinatio* quędam excitatur.

CLXI. Ubi denique halitus benigniores existunt & subtiles, *Inanitatis & vacuitatis sensus* videtur excitari.

18. Oculi Caliginosi, & Vertigo.

CLXII. Diximus 18. *Oculos fieri* quoque *Caliginosos*, & aliquando *Vertigine* corripi Ægros.

Caliginis causa.

CLXIII. *Caligo* autem ortum habet ab halitibus in oculos delatis & humores obscurantibus.

Vertiginis causa.

CLXIV. *Vertigo* verò ab iisdem halitibus cum Animalibus Spiritibus mistis, & motum in ipsis inordinatum producentibus, & turbatum.

19. Aurium Tinnitus. Ejus causa.

CLXV. Diximus 19. *Aurium tinnitu* quandoque affici eosdem Ægros: idque ab halitibus ad Aures delatis, & in iisdem quandoque hęrentibus, atque perdurantem tinnitum producentibus; quandoque autem simili modo ex iisdem erumpentibus, sicque affectu illo Ægros liberantibus.

20. Stupor & formicationis sensus.

CLXVI. Diximus 20. *Stupore ac Formicationis sensu* corripi eosdem Ægros. *Stupor* autem oritur à Pituitosa halituum parte cùm & in febribus intermittentibus multis circa Paroxysmorum initia, dominatum obtinente parte humorum Pituitosa, similis observetur nonnunquam in partibus externis & internis stupor.

Stuporis causa.

Formicationis sensus unde.

CLXVII. *Formicationis* autem *sensus* oritur ex accedente stupenti parti halitu Bilioso & Acriori, partem stupentem excitante & sensum in ipsa sopitum resuscitante.

21. Lassitudo spontanea. Ejus causa.

CLXVIII. Diximus 21. *Corpus universum Lassitudine* occupari sæpenumero *Spontanea*, ac si multo labore foret defatigatum. Accidit autem illud ab halitibus musculosas partes occupantibus & fatigantibus distensione molesta, ob quem sensū molestum non minus Spirituum Animalium consumitur, quàm si exercitium corporis fuisset vehemens. Adde quod omnia conjuncta Symptomata & Corpus variè afficiunt, & Animum angunt, unde non pauci pereunt Spiritus Animales.

22. Insomnia & Vigiliæ.

CLXIX. Diximus 22. *quosdam Vigiliis urgeri molestis; alios Insomniis.*

Vigiliæ unde.

CLXX. *Vigiliæ* oriuntur partim ab agitatione & continuo inordinatoque Spirituum Animalium motu; partim ab Acrimonia elevatorum sursum halituum, somnum impedientium.

Insomnia unde.

CLXXI. Ubi somnus aliquis obrepit, tunc *Insomnia* solent accedere, & quidem ob cogitationes tristes, ac vigilantibus molestas, dormientibus magis adhuc graves, & insomnia parientes: hæc enim vera est Insomniorum causa & ratio.

Somnus ab assumpto alimento placidus, à quo post aliquot horas molestè excitantur.

CLXXII. Accidit etiam interdum, quemadmodum in Symptomatum enumeratione retulimus, ut quidam Affectione Hypochondriaca detenti mox ab assumpto Alimento in *Somnum satis placidum* ferantur, *à quo tamen aliquot post horis molestè excitentur*, ubi sc. absoluta est quodammodo Alimentorum in Ventriculo qualis qualis fermentatio.

Ejus causa.

CLXXIII. Illo nempe tempore deorsum fertur copiosiùs alteratum in Ventriculo Alimentum, atque ubi in duodeni Intestini extremo Bili allabenti immiscetur, Effervescentia pręternaturalis contingit, unde assurgentibus tunc sursum halitibus vitiis à somno excitatur æger.

CLXXIV.

23. Turbatio operationũ mentis. CLXXIV. Diximus 23. *Ne mentis quidem functionibus parcere hunc affectum*, quin potius præter *Apprehensionis simplicis confusionem, Ingenii operationes turbat, Memoriã tollit, Mentemque eousque dementat*, ut *Animus* continuè impellatur & *moveatur ad mœstitiam & metum*, & quidem *cum aliquo delirio*, eoque nunc leviori, nunc graviori: *quod tunc Melancholicum dici solet*; ipsaque *Affectio Hypochondriaca Melancholiæ Hypochondriacæ nomen* tunc sortitur.

CLXXV. Utique, si quid malè habet hac affectione laborantes, id est, quod Mentis functiones omnes sibi sentiant labefactari.

Prima objectorum apprehensionis. CLXXVI. De *prima objectorum apprehensione* non parùm conqueruntur Ægri, adeò ut nullum ferè occurrentium sibi objectorum conceptum formare queant; atque objecta ipsi observentur, ac si nulla essent.

Ingenii. CLXXVII. *Ingenium* verò ita habens multis redditur, ut nulla ratiocinatione, nulla objectorum investigatione uti queant.

Memoriæ. CLXXVIII. Nullius præterea objecti *meminisse* possunt, præsentium imprimis, quod citiùs ipsis excidit, quàm accidit.

Judicii. CLXXIX. *Judicium ipsum* tum ratione præcedentium Facultatum læsarum, tum ratione sui ipsius læditur, & sæpè in tantum corrumpitur, ut de paucis ritè arbitrentur, de quibusdam insuper tam perperam censeant, ut omnino desipere videantur aliis hominibus; in certis objectis perpetuò delirantes, & absurda quævis cogitantes & loquentes.

Animi mœror ac Tristitia. CLXXX. Imprimis autem *Animi mœrore ac tristitia* conficiuntur Affectione Hypochondriaca detenti, quemadmodum vicissim ex mœstitia nimia, diutiùsque continuata in hunc affectum incidunt multi.

Metus. CLXXXI. Mœstitiæ accedit plerumque *Metus*, adeo ut tutissima quævis timeant.

Melancholia Hypochondriaca. CLXXXII. Ubi autem præter rationem magis magisque augetur Delirium cum metu conjunctum, ut diutiùs tegi nequeat, verùm foras & quidem palam erumpit, tum demùm *Melancholia Hypochondriaca* vocatur hic affectus; gradibus differens, ratione vehementiæ majoris aut minoris.

Ejus exemplum. CLXXXIII. Quem autem nunc habemus in Nosocomio publico Melancholicum Hypochondriacum, illi prima origo mali fuit jactura facta in bonis fortunæ; unde metuens ne damnum illud superare nequeat, nec uti olim suo marte sibi suisque prospicere, unde fortè ad mendicitatem redactus, cogatur aliorum egere subsidio, Animum suum continuis anxietatibus & solicitudinibus torquens sensim in hanc tristitiam morbosam & Melancholiam Hypochondriacam incidit; à quâ non nisi cum difficultate magna liberabitur.

24. Affectus gravissimi. CLXXXIV. Diximus 24. supervenire quandoque Hypochondriacæ affectioni affectus gravissimos, *Epilepsiam*, *Convulsionem*, *Apoplexiam*, vel *Paralysin*.

Epilepsia. CLXXXV. *Epilepsia* quidem (uti Cordis Palpitatio, leviorque corporis motus convulsivus ortum ducit ab halitibus benignioribus) ab iisdem graviùs corpus ac cerebrum præsertim, & simul Animales Spiritus afficientibus producitur.

Convulsio. CLXXXVI. Iidem habitus acriores si existant, & sini uni, pluribusve partibus adhæreant, *Convulsionem* particularem, aut magis minùsve universalem proferunt.

CLXXXVII. Iidem halitus si Spiritus Animales graviùs afficiant, atque ipsorum ad partes singulas transitum impediant, *Apoplexiam* excitant.

Apoplexia. CLXXXVIII. Iidem tandem si motus præcipuum organa invadant, *Paralisin* efficere solent, sic Tactus sensum simul ferè afficere; cùm sem Motus & Tactus affectio sit Paralysis.

Paralysis. CLXXXIX. Docuimus 25. *In plerisque affectione Hypochondriaca laborantibus Salivam multam observari, & tam auctam maximè, quando gravius sævit malum.*

25. Saliva multa. CXC. Ex quo Symptomate non parùm lucis supradictis videtur affulgere.

CXCI. Cùm enim nunc constet, præparari in maxillaribus glandulis Salivam; in hoc affectu illas glandulas simul affici, quis non videt? *Ejus causa.*

CXCII. Affici cùm simul dico Glandulas maxillares, non puto primariò id semper fieri, quin etiam secundariò fieri potest, ab ipsis putà humoribus ad ipsas delatis, & Salivæ materiam suppeditantibus.

CXCIII. Salivæ materiam superiùs descripsimus, partem putà Sanguinis Pituitosam, unde sequi videtur, eandem quoque partem Pituitosam in corpore redundare, quandoquidẽ copiosior tunc observatur in corpore Saliva; ad quam copiosiùs producendam necesse est, ut materia ejusdem adsit copiosior, sive hæc pendeat assumptis alimentis & ipsis quoque Aere pituitosis, hoc est, materia pituitam suppeditante abundantibus; sive ex vitiosa alimentorum in ventriculo, intestinis & alibi præparatione, variaque immutatione, unde pars alimentorum Pituitosa nimia quantitate accumuletur in corpore, nec per vias convenientes excernatur; aut cum aliis non convenienter, vel sufficienter uniatur & conjungatur: unde vel quantitate nimia, vel qualitate excellenti peccans inepta reddatur functionibus, quibus ministrat, ritè absolvendis. *Salivæ materia.*

CXCIV. Non tantùm quantitate aucta peccat in affectione Hypochondriaca Saliva, verùm non raro quoque qualitate: quamvis non semper satis queat explicari qualitas illa, nisi sapore notabili sese manifestet. *Saliva qualitate peccans.*

CXCV. Multis non rarò *muco obducta observatur Lingua*; quod adscribendum Salivæ viscidiori Linguæ adhærenti. *Muco obducta lingua.*

CXCVI. Quibusdam ingratus Sapor simul adest, & quidem varius; ubi indigitari potest, ad *aciditatem* ferè inclinans vel *austeritatem*; quandoque ad *amaritudinem levem ac nidorem*, uti nostro accidit Ægro, circa noctus in ore permanentem: *Sapor ingratus.*

CXCVII. Diximus 26. *Famem* in affectione Hypochondriaca nunc *intendi*, nunc *minui*, nunc *depravari*, atque *Cibi fastidium* in quibusdam excitari. *26. Fames læsa.*

CXCVIII. Si, quemadmodùm existimamus verum, Saliva plurimùm confert ad Alimentorum fermentationem in Ventriculo perficiendam; utique, quæ modò de Salivæ varietate in hoc affectu observabili proposuimus, unde Famis immutatæ causæ sunt petendæ, satis arguunt. *Ejus causa.*

CXCIX. Scilicet prout varia existit Saliva, sic etiam, quia continuè deglutitur, varium existet in Ventriculo Fermentum; varium sequetur Famis incrementum, aut decrementum, aut etiam depravatio.

CC. Nam *Saliva Acida Famem adauget*, *Amaricans* verò *minuit*: accedente *Nidore Fastidium* parit, aut *depravat*.

CCI. Diximus 27. *augeri* nonnullis *Sitim*, ac præsertim *durante paroxysmo*; quamvis aliquibus etiam subinde *minuatur*. *27. Sitis aucta & diminuta.*

CCII. *Augetur Sitis* à Bile acriore & lixivioso sale redundante. *Prioris causa.*

CCIII. Augetur imprimis *durante paroxysmo*, quia tunc ob effervescentiam halitus acriores ad ventriculum, ejusque orificium superius, atque per œsophagum in ipsum os non rarò assurgunt, atque siccitatem & ariditatem ubique pariunt. *Et tempus.*

CCIV. *Minuitur quibusdam sitis*, ob acidi spiritus exuperantiam, vel pituitam, ipsamque adeò salivam copiosiùs ad os delatam, & sitim tollentem sua aquositate, aut mucositate, mucilaginem imitante. *Posterioris causa.*

CCV. Diximus tandem 28. *Urinam* in affectione Hypochõdriaca *observari variã*, nunc *tenuem*, nunc *crassam*; nunc *albicantem*, nunc *aqueo colore* præditã, nunc *rubentem*, nunc *citrinam*, nunc *nigricantem*. *28. Urina varia.*

CCVI. Cùm autem bini humores in hac affectione peccantes, variis modis affici queant & vitiari; non mirum, si Sanguini variis viis communicata labes, per urinas quoque se manifestet ipsa, & quidem modis itidem variis. *Ejus causa.*

CCVII. Quoties namque penitiùs Sanguini commiscentur humores peccantes, nec ab illo facilè *Tenuis Urina unde.*

eilè separari queant, *Tenues Urinas* tunc existere nil mirum.

Crassa unde. CCVIII. Quoties contra iidem humores peccantes denuò secernuntur à Sanguine, sivè spontè hoc fiat, vel ope Medicamentorum assumptorum, hinc & cum Urinis excernuntur, non tantùm sedimentum evadet copiosius & crassius, verùm ipsa quoque *Urinæ substantia erit crassior*.

Aquea unde. CCIX. Quoties itidem permixta manet Sanguinis Massæ pravorum humorum sabura, toties *aqueum colorem* æmulabitur *Urina*.

Flammea unde. CCX. Quoties verò aliqua peccantium humorum pars Urinę miscebitur, si pauca fuerit & à Bile imprimis dependens, *flammeam* reddet Urinam.

Rubea unde. CCXI. Sin ejus multum contineat, *Rubea* existet.

Lactea & albescens unde. CCXII. Sin cum Urina minùs sit permixta, vel mox dum amittitur, observabitur *lactea*, & *albescens* vel licet *Rubea reddatur*, *vel flammea*, paulò post tamen *turbabitur & albescere* incipiet.

Nigricans unde. CCXIII. Sin verò in ipso Sanguine corruptio aliqua contingat, & vita versetur in discrimine summo, tunc non infrequenter *Urina* redditur *nigricans*.

CCXIV. Contingit etiam aliquando, vel humores corrupti secernantur à Sanguine, & *colorem nigricantem* communicent Urinæ cum ægrotum levamine: ad alia ergo simul attendendum.

Urina contenta. Sedimentū varium. CCXV. Non tantùm ipsa Urinæ substantia, & color variant in hoc affectu, verùm insuper *contenta*; unde videas nonnunquam *Sedimentum* copiosum, quandoque paucum; nonnunquam album; nonnunquam subrubens; nonnunquam æquale ac cohærens, quandoque inæquale ac divulsum.

Nubecula varia. CCXVI. Sic & *Nubecula* non parùm in hoc affectu variat, dum aliquando pauca est, aliquando multa; aliquando dispersa, aliquando coacta.

Pinguedo. CCXVII. Quin & in superficie aliquando *pinguedo* paucior vel copiosior innatare videtur, aliquando nulla cernitur.

Arenulæ grandiores aut minores. CCXVIII. Imprimis, *Arenulæ* grandiores aut minores observantur tam in Urinæ fundo & Vasis lateribus; quàm in ejusdem superficie, quàm insuper in medio liquore, ut & inter ipsa contenta, nubeculam imprimis, cui inspersas diceres.

Earum color varius. CCXIX. Sunt autem illæ *Arenulæ* nunc *Rubicundæ*, nunc *flavæ*, nunc *albicantes*.

Cujus sint signum. CCXX. Docui vero aliàs, *Arenulas* omnes in Urina quocunque tandem modo apparentes; ac imprimis *Rubicundas vel flavescentes*, *Glandularum affectarum signum* præbere, postquam id confirmavit, imò docuit Experientia. Comperi namque in demortuorum dissectis cadaveribus malè affectas Glandulas, quibus frequens fuerat & copiosa Arenularum cum Urina Excretio.

Affectionē hypochondriacam ortum ducere ab effervescentia Bilis & pituita. CCXXI. Idem Experimentum ut supradicta haud contradicere ostendam; censeo me si non probasse, saltem probabile ostendisse, *Affectionem Hypochondriacam ortum ducere ab Effervescentia humoris Biliosi* è Fellis folliculo per Ductum suum in tenue Intestinum delati, sed *vitiosi*, & *humoris pituitosi*, itidem *vitiati*, ortique partim ex Saliva in Maxillæ inferioris Glandulis parata, partim ex Alimentis Pituitosis, partim ex Succo Pancreatico, in Pancreatis Glandulis parato, & per Ductum suum in idem tenue Intestinum cum Bile delato; & fortè partim ex alio insuper Liquore in quibusdam Glandulis parato, & itidem per vias nondum explanatas, & demonstratas eodem delato.

CCXXII. Affectio, inquam, Hypochondriaca ortum videtur mihi ducere ab Effervescentia humoris Biliosi & Pituitosi, in variis Glandulis parati.

Pituita origo. CCXXIII. *Originem* autem suam in corpore primariam *si à Glandulis habeat humor Pituitosus*, utique mirum non est, *si tunc malè affectarum Glandularum signum*, *Arenulæ* putà, *in Urinis simul observentur*.

Arenula unde. CCXXIV. Observavi autem in talibus, quibus multæ aut continuò aut per intervalla excernerentur cum Urina Arenulæ, Glandulas ferè tumentes,

Delebat Opera.

ac humore crasso, viscido, adeoque Pituitoso infarctas fuisse, & quidem Consistentiæ; Colorisque varii: quod ipsum Pituitam indicat peccasse, quodque in hac affectione itidem ostendimus.

Affectionis Hypochondriaca curatio. CCXXV. Postquam ergo in Symptomatum omnium & singulorum, quæ in affectione Hypochondriaca vel ab aliis annotata, vel à me observata occurrerant, examine satis prolixo ab humorum Biliosi & Pituitosi vitiatorum Effervescentia in tenuis Intestinis sub Mesenterio secundùm lumbarem regionem protensi ea præsertim parte, in quam fit Bilis & Succi Pancreatici effusio, excitata ortum eam ducere posse; eùmq; non rarò satis manifesta ab ægris ipsis sentiatur in illa regione effervescentia revera ortū ducere ostendimus & declaravimus; atq; simul symptomatum omnium, adeoq; ipsius Hypochondriacæ affectionis causas, earumq; agendi modum proposuimus & explicuimus; proximum nunc est, ut similiter Affectus difficilis curationem optimum, labore magno etiam, & multorum annorum usu feliciter in multis per Dei gratiam comprobatam paucis & fideliter exhibeamus & inculcemus: Nihil enim juvat nosse affectuum causas, ni simul ipsos ritè curandi artem noscamus.

Ejus causa effervescentia Bilis, & pituitæ modis variis peccantis. CCXXVI. *Affectionis* quidem *Hypochondriacæ causam* constituimus *Effervescentiam humoris biliosi, & pituitosi*, sed *modis variis peccantis*, secundùm partes varias utriumque humorem constituentes.

Ob vitia Diætæ in rebus nonnaturalibus. CCXXVII. Peccat autem variis modis, uterque humor imprimis ob *vitia diætæ in sex rebus nonnaturalibus* dictis consistentis.

1. Ratione Aeris. CCXXVIII. Et 1. quidem ratione *Aeris*, pluvia multa, nebulis & ventis, Borealibus imprimis ac Occidentalibus inquinati & vitiati; ut & continua Aeris mutatione: Ad Aeris corruptionem multum quoq; facit proximitas paludum, omniumq; Aquarū stagnantium, & fætori subjectarum, cùm & ille fœtor Aeri communicetur, & cum Aere inspiretur.

2. Cibi, & potus. CCXXIX. Imprimis 2. utriusq; humoris vitium gignit & auget *Cibus & Potus*, quantitate, qualitateve peccans, non convenienti tempore assumptus, aut corpore animoque non benè constitutis; in Paroxysmo febrium, durante ira, aliove vehementi animi motu; mox ante aut post somnum, &c.

CCXXX. Hinc & Bilis & Pituitæ quantitas & qualitas variè immutatur, tandemque Hypochondriacæ Affectioni ansam præbet.

3. Somni, & vigilia immoderatorum. CCXXXI. Non parùm 3. *Somnus & Vigilia immoderati* ad utriusque humoris vitiosi generationem promovendam facere possunt; dum Somnus Pituitam, Bilem Vigilia auget.

4. Excretorum, & retentorum. CCXXXII. Sic & 4. *Excrementa* naturalia nimis diu in corpore retenta noxam afferunt, ut & *Retinenda*. Semen putà per nimiam Venerem, aut aliter atque *Sanguis* præter naturam per Menstrua, Hæmorrhagiam, Hæmorrhoides effusa, magnam in Humoribus mutationem producunt.

5. Motus & quietis. CCXXXIII. Sed & 5. *Corporis motus*, & *exercitium* in excessu ad defectu peccans plurimùm conferre potest ad utrisq; humoris in hoc affectu peccantis vitium augendum.

6. Animi affectuum. Mæstitia. Ira. CCXXXIV. Plurimùm deniq; & 6. hic faciunt *Animi motus vehementes*, atq; imprimis *Mæstitia* qualiscunque, cui si subinde jungatur *Ira*, tantò gravius erit malum; hi namq; affectus non tantùm contrarios producunt in homine effectus; sed & humores contrarios; uti non semel hoc jam sum testatus, & ita se rem habere fatebuntur mecum, quotquot rei Medicæ sunt attenti, &, quæ ægris quotidie contingunt, observant accuratè.

Metus. CCXXXV. *Mæstitiæ* accensendus *Metus*, qui panicus non parùm ad *humoris melancholici*, hoc est, *pituitosi viscidi*, & *quandoque* simul *Acidi* augmentum multum facit cum ipsa *Mæstitia*; Uti contrà *Bilem auget & acriorem reddit Ira*.

Affectio hæc ex læsis mentis functionibus. CCXXXVI. Contingit etiam non tardò, ut ex *mentis functionibus perperàm se habentibus oriatur affectio Hypochondriaca*; quod autē quoniā non accidit nisi ob simul tunc consequentes perversos Animi motus & Affectus jam recensitos, ad hos refert

debet. Horum autem causam antecedens statuenda mens junctiones suas perperam exercens; alibi docuimos.

Curatio in quibus consistat.

CCXXXVII. His autem ita præmissis nunc rectà tendimus ad *Hypochondriacæ affectionis curandæ; modum*, qui consistit 1. *In Diætæ vitiosæ emendatione*. 2. *In humorum peccantium alteratione aut correctione*. 3. *In eorundem, quoties in totum corrigi nequeunt, Artificiosa evacuatione*. 4 *deniq; in deperditorum reparatione*, deperit namque in Symptomatum vehementia, & duratione corpori nunc Spiritus Volatilis, nunc aliud quid quod omninò restitui debet; & reddintegrari.

1. Diæta vitia qui emendanda.

CCXXXVIII. 1. *Diætæ vitia emendabatur*, lentè, cavendo è noxiis, quærendo & usurpando utilia. Attendendum enim accuratè ad ea omnia, à quibus malum & ortum habuit, vel habere potuit, & augmentum indies sumere potest; ut ab illis caveatur sedulò.

CCXXXIX. Contra verò æquè diligenter attendendum ed omnia, unde auxilium vel levamen accipiat aut accipere queat æger, ut administrentur continuè, nec negligatur aliquid eorum unde aliquid commodi venit expectandum.

2. Humores peccantes qui alterandi.

CCXL. 2. *Humorum peccantium alteratio* varia erit, & pro humore vario, & pro utriusque vitio vario.

CCXLI. Peccantem humorum docuimus esse tam Pituitosum, quàm biliosum.

CCXLII. *Pituitosus* peccat imprimis *aciditate* aut *viscidiitate* aucta.

Pituitæ aciditas aucta quibus corrigatur.

CCXLIII. *Aciditas humoris Pituitosi* aucta corrigetur 1. & imprimis *Sale lixivioso*, rebusq; omnibus Sale lixivioso præditis: Qualia sunt Sal omne è cineribus plantarum extractum, ut & Corallia, Margaritæ, Oculi Cancri, Limatura ferri & similia.

Et qua ratione.

CCXLIV. Horum enim ope dum instituitur cum Acida Pituita Effervescentia, coagulatur cum ipsis acidus humor.

Effervescentia non irritanda. Et quomodo

CCXLV. Quoniam autem urget jam in hoc affectu Effervescentia nimia, pleraque Symptomata suprà enumerata producens, cavendum sedulò, ne irritetur magis, quàm compescatur ac emendetur illa per assumpta hæc novam Effervescentiam producentia: quòd fiet usurpando primum ea, cum quibus concentratur potiùs Spiritus acidus, quàm coagulatur; qualis est Creta; cui succedunt Oculi Cancri, Corallia, & Limatura Ferri.

Sal lixiviosum quibus temperetur.

CCXLVI. Quòd si cui *Sale lixivioso* uti libuerit, quò minor fiat ab ipso Effervescentia *temperet* ipsum priùs mediis alio tempore à me propositis; *Spiritu puta Volatili*, *vel Oleo*. Unde *Sapo Venetus*, *& vulgaris* magnarum est in Effervescentia compescenda virium.

Pituitæ viscidiitas aucta quibus temperetur.

CCXLVII. *Viscidiitate* quoties peccat *humor pituitosus*, toties incidendus, attendusq;, *tam acidis*, *quàm gummosis*; prout his vel illis magis auscultabit humor peccaos: quod facilè est experiri, & tentare; imò prudentis Medici est, nunquam putare se omnia scire; quin potiùs sibi præ cæteris omnibus diffidere, ac semper paratum esse cogitationes suas emendare; nam suffeoi omnes errare solent sæpenumerò, quodque pessimom est, ne videantur errasse, in errore suo præfractè perseverare.

Quomodo in curatione Ægrorum se gerere debeat Medicus.

CCXLVIII. Est ergo prudentis non temerè incipere, verùm observato in casibus dubiis a quo imprimis juvetur æger, tunc non timidè progredi, ast generosè.

CCXLIX. Postquam ergo lentè progediendo inventum est remedium, cujus imprimis ope auxilium affertur ægrotanti, tunc in illius usurpatione procedendum est cordatiùs.

Gummata in hoc casu conducentia.

CCL. *Gummata* autem varia occurrunt convenientissima in hoc affectu, *Galbanum*, *Sagapenum*, *Ammoniacum*, *Opopanax* & similia, quæ omnia & singula pro re nata usurpari possunt, & imprimis pilulerum forma usurpari.

Ut & acida.

CCLI. Inter *Acida* quæ exhiberi quoque possunt, vari occurrunt arte parati *Spiritus*, *Salis*, *Nitri*, *Vitrioli*, *Sulphuris*, ipsumque adeò *acetum Vini destillatum*, & quandoque non destillatum; cui si bulbus squillæ infundatur, vocabitur *squilliticum*, egregium in hoc & similibus a Pituita viscida ortis affectibus remedium.

Nec non alia medicamenta.

CCLII. Eidem pituitæ viscidæ corrigendæ conducit *Mastiche*, *Succinum*, & ex ipso paratus *Sal volatilis*, ut & ex *Cornu Cervi* sublimatus, *Castoreum*, *Myrrha*, quinimo *Chalybs vulgari* modo *præparatus*, aut *ejusdem Vitriolum*, cum quo parentur quorundam *Pilulæ aperitivæ*.

Sal volatile

CCLIII. Pituitæ viscidæ corrigendæ atq; emendandæ conducit ante omnia *Sal volatile* quodvis, vim habens humorum illum insensibiliter ad mediocritatem reducendi: Unde omnibus commendo talium salium præparationem & usurpationem, sive forma parentur sicca, sive humida.

De eo observatio.

CCLIV. Illud interim notandum, Salia volatilia sicca forma parata, ubi subtilia existunt, vix asservari posse, verùm facilè abire in auras. Præstat proinde ipsa humidiore forma parare, aut humidis saltem & aquosis dissoluta servare ad usum.

Bilis peccans quibus emendetur.

CCLV. *Biliosus humor* peccat imprimis ratione *Salis sui lixiviosi*, quod emendabitur ac temperabitur potentissimè quidem *per acida*; quoniam autem simul tunc excitatur Effervescentia, cujus ratione producitur hæc affectio Hypochondriaca; non ita tutò vel commodè videntur in usum revocari *acida nisi temperata*, & quidem *Spiritu volatili*, cujus ope non parùm infringitur Spiritus acidi ferocia, ut minor tunc exciterur ab ipso effervescentia.

Et quomodo

Sal lixiviosum quibus temperetur.

CCLVI. *Ad salis lixiviosi contemperationem* usurpari quoque possunt *acida oleosis mixta*; pinguibus enim omnia temperantur acria, tam salina, quam acida.

CCLVII. *Cavendum* interim ab *acidis oleosis*, *quando præter sal lixiviosum exuperat in bile oleum*; quod imprimis patet ex conjuncto in corpore calore, ardore, & febrili incendio majore.

3. Humores inemendabiles quomodo educendi.

CCLVIII. 3. Educentur sola alteratione inemendabiles humores prædicti, & exuperantes per vias convenientes, atq; imprimis per alvum, utpote via Naturæ commodiore & faciliore; rariùs per vomitum, nisi deorsum expelli nequeant, aut sursum viam affectent humores peccantes.

Pituita quibus purgetur.

CCLIX. *Pituitosum humorum deorsum evacuant* varia passim nota, inter quæ tamen primas tenet *Colocynthis*, & ipsa parati *Trochisci Albandal dicti*; quibus proximè accedunt *Agaricus*, *Hermodactyli*, *Turbith*, & ipsa *Aloe*.

CCLX. Ex Chymicis laudantur omnia *Mercurialia*, tam *præcipitata* varia, *alba*, *flava*, *rubea*, &c. quam *sublimate dulce à corrosivo* omnesque ut omnes abstineant, moneo & hortor; cùm minima duntaxat exhiberi quantitate possit, & præterea *vomitum* semper ferè soleat movere, corpusque vehementer agitare.

CCLXI. Conveniunt etiam hic *Antimonialia* varia & excellentia, quamvis pleraque simul vomitoria existant, de quibus mox.

Bilis quibus

CCLXII. *Bilem expurgant Rhabarbarum Scammonium*, *Aloe*, *Tamarindi*.

CCLXIII. Ubi *Salina Bilis pars* imprimis peccat usurpari possunt commodè *Rad. Jalappæ*, *atque Mechoacannæ*, *Gummi Gotte*, & similia.

CCLXIV. Inter Chymica conveniunt *Antimonialia*.

Pituita quibus per vomitum purgetur.

CCLXV. *Per vomitum expurgant Pituitam Mercurialia*, *& Vitriolum album*, *& Vitrioli Sal*: *Helleborus albus* unacum *Antimonialibus* omnibus.

Quibus Bilis.

CCLXVI. *Bilem per vomitum* evacuant commodissimè *Antimonialia*, quæ cùm non minùs Pituitam educere soleant, & simul deorsum utrumque humorem propelle, atque insuper tutiùs quam Mercurialia queant exhiberi, illa cæteris omnibus præfero, si parentur ex *Antimonio vitri*, *Regulo*, *Croco mettalorum*, *vitæ Mercurio* (qui Medicamentum Antimoniale) *floribus Antimonii*, & similibus.

Lentè festinandum.

CCLXVII. Imprimis commendamus Practicis Junioribus omnibus, ut *lentè festinent*, nec præcipites sint in quibusvis Medicamentis cum vehemen-

hementia operantibus exhibēdis. *Satiùs enim est bis blādiùs ægros suo purgare, quā semel violentiùs procedendo ipsis nocere:* neq; enim sēper licet bis peccare.

CCLXVIII. *In Formulis Medicamentorum* propo-nendis non hæremus, cùm illæ commodissimè addiscantur circa ipsos Ægros.

4. Animales Spiritus quibus reparandi.

CCLXIX. 4. Reparanda etiam, durantibus hujusce Affectionis Hypochondriacæ Paroxysmis, quæ ægro depereunt, atq; imprimis *cum Animales Spiritus minuantur, redintegrandi* veniunt per *Spirituosa*; sed ita temperata, ut solitæ Effervescentiæ irritandæ non inserviant, sed potiùs eandem compescant. Unde pro Symptomatibus Ægrum quemvis affligentibus muratio aliqua erit instituenda.

Spiritus Vini, & Tinctura.

CCLXX. Primum tamen inter illa locum obtinet *Spirit. Vini* vel simplex, vel *cum aliis compositus & Tincturæ forma* aliorum viribus imprægnatus, *Cinnamomi* puta, *Croci, Castorei, Nucis Moschatæ, Corticum Citri, vel Arantiorum,* &c. plurimùm vel pauciorum simul conjunctorum.

Spiritus Vini quibus infringatur.

CCLXXI. Quibus *Spiritus Vini purus Acrior existit, Infringi* potest *Aqua pluviali, aliave stillatitia* ex herbis variis & Aromaticis, *Rosarum, Fœniculi, Menthæ, Melissæ, Borraginis, Betonicæ, Petroselini, Pulegii, & similium.*

5. Paroxysmi & Symptomata quomodo sedanda.

CCLXXII. Si cui lubeat 5. addere *Paroxysmorum sedationem*, aut *Symptomatum* tunc maximè *urgentium contemperationem*, cum ipso non pugnabo, quin potiùs idipsum laudabo.

In quibus illa sedatio consistat.

CCLXXIII. Consistit autem illa medicatio imprimis in *Effervescentiæ contemperatione, halituum elevatorum discussione, Dolorum lenitione, Sitis subinde urgentis sedatione,* & similium Symptomatum molestiorum emendatione.

Effervescentia qui temperetur.

CCLXXIV. Effervescentia contemperabitur imprimis Medicamentis utriusque humoris Acrimoniam corrigentibus & temperantibus; quod pinguibus debetur & Spirituosis, sed pro Effervescentiæ modo in singulis vario varie cum aliis contemperatis. Unde quòd uni prodest Medicamentum, nocet non rarò alii; nisi omnis qualitatum excessus observetur in ipso: unde imbecillius quidem erit tale Medicamentum, sed simul tutius.

CCLXXV. Opus est autem, ut tale *medicamentum temperatum aqua multa* simul constet, atq; simul

paaco Oleo; sed ita *Sali Volatili immisso, ut Aquæ simul queat conjugi.* Ideo namque consistit primarium artifici; quod repeto; Temperatum Medicamentum constare debet *Aqua multa*; utpote quæ per se & lenem lixiviosum, & spiritum acidum diluere apta est, atque sic ejus vim infringere. Huic aquæ conjungi debet *Oleum, sed paucum*; utpote quod itidem & salem lixiviosum, & spiritum acidum contemperare aptum est. Quoniam verò *Aquæ admisceri negat: Oleum, nisi mediante Sale lixivioso, hoc* simul adesse debet, ast *Spiritu volatili correctum & volatilisatum, postquam idem & volatilis spiritus itidem lixiviosum Sale & Acidum Spiritum* temperare solet.

Quibus constare debeat Medicamentum hoc præstans.

CCLXXVI. *In tali ergo medicamento temperato* tria occurrunt, bina activa *Salem lixiviosum & spiritum acidum*; *temperantia, Aqua, Oleum & Spiritus volatilis.* Unde quid boni à tali medicamento expectari queat; facile vident, qui ad ea, quæ sæpiùs & diversis occasionibus protuli, attenderunt.

Medicamenti alicujus Analysin similium Synthesin docere.

CCLXXVII. Quinimò ex talis medicamenti analysi, quàm facile similis synthesis excogitari queat, vident omnes, etiam mediocriter in Chymia versati, & ad dicta sæpiùs à me attenti.

Experientia in Rebus Naturalibus.

CCLXXVIII. Id enim sum edoctus è medicamentorum usu compertorum ægrisq; utilium analysi, hinc & novorum secundum eadem fundamenta synthesi; quibus cùm responderet successus optatus, confirmatus sum per experientiam in ratione & ingenio excogitatis post præviam eandem experientiam: quemadmodum id in rebus naturalibus & fieri debere, & tantùm utiliter fieri posse non semel inculcavi; interim utilia quæ sunt, nimium inculcari nequeant, imprimis quando passim nota non sunt; & tunc revera veritatis amantibus decies repetita displicere nequeunt.

Ab ea omnis earum cognitio.

CCLXXIX. Quapropter adhuc semel hic repetam; Cognitio rerum naturalium omnium est ab Experientia per sensus facta; unde causas effectuum sic compertorum exquirit ratiocinatione concatenata Ingenium humanum; de veritate tamen invēta certus esse potest nemo, nisi postquam de suæ ratiocinationis soliditate confirmatus fuerit per eandem Experientiam, ratiocinationem prædictam ipse opere confirmando & comprobando. De Affectu autem nostro nunc equidem nil proferemus amplius.

Finis Tractatus Septimi.

TRACTATUS VIII.

DE ARTHRITIDE.

Arthritis Affectus curatu difficilis.

I. INter Affectus curatu difficiliores, lubet porrò nunc exhibere aliquem & gravem, ægrisque non parum molestum, & Medicis tum ratione Caussarum eruendarum, tum ratione modi productionis, tum ratione curationis non parum arduum, *Arthritidem* puta.

Authoris eā tractandi methodus.

II. Hujus autem naturam & essentiam quò commodiùs explicemus, libet more nobis usitato (quandoquidem magnus hic est Authorum tam Theoreticorum, quàm Practicorum dissensus) fundamenti loco præmittere illa, in quibus consentiunt Authores, aut quæ unicuique saltem in praxi versato esse possunt ac debent nota; qua ratione speramus futurum, ut & breviores simus, & magis perspicui, & nulli graves: neque enim animus est dissentientes vexare aut carpere; verùm sufficiet nobis, ea, quæ vera putabimus, argumentis ab experientia præsertim petitis probare.

1. Quas partes infestet.

III. Consentiunt autem 1. in eo Authores, *affectū hunc infestare partes sensiles articulis vicinas,* non item remotiores: unde etiam ipsi nomen, dum Græcis *Arthritis*, Latinis *Articulorum dolor* dicitur.

2. Quot infestet.

IV. Consentiunt & in eo 2. quòd Affectus hic aliàs *unum*, aliàs *plures* occupat *Articulos & Artus*; unde vel *particularis* vel *Universalis dicitur.*

3. Fixa & vaga.

V. Consentiunt & in eo 3. Authores, quòd aliàs in parte affecta permaneat dolor, aliàs eandem iterum brevi deserat & mox aliam invadat; unde nunc *fixa*, nunc *vaga* vocatur *Arthritis*.

4. Nunc longioribus nunc brevioribus intervallis recurrit & rarissimè perseverat.

VI. Consentiunt 4. in eo Authores, quòd plerumque *intervallis nunc longioribus, nunc brevioribus recurrat, & rarissimè perseveret*; quod vix observatur, nisi postquam sæpiùs infestavit, & diætam pravam servant Ægri Medicis planè inmorigeri, atque suis voluptatibus quàm valetudini suæ magis dediti.

5. Ejus qualitas.

XII. Consentiunt 5. in eo Authores, quod *sæpenumerò rubore & ardore Acri*, quandoque *cum pallore potiùs & levi tumore œdemati magis affini, absque ullo calore* observetur, unde etiam *ibi dolor gravior, hic ferè nullus occurrit.*

6. Nodi & tophi in articulis.

VIII. Consentiunt 6. Authores, nonnunquam *nodos, & tophos in affectis articulis & vicinis partibus excrescere*, atque ex iis spontè vel arte apertis materiam diversam, nunc fluidam, nunc gypseam, aut calculosam, & friabilem; nunc albam, raridò cineritiam aut subflavam effluere aut elici.

7. Ejus comes Febris.

IX. Consentiunt 7. Practici, *Arthritidi comitem esse Febrem*, quæ nunc die unu præcedat, nunc

& plerumque simul invadat, & quidam eum frigore ac horrore levi, subsequente mox calore quandoque majore, quandoque minore, & ut siti; unà cũ Pulsu concitatiore, & Urinis magis rubentibus, quę nonnunquam ante accessũ erant minùs tinctæ.

Et quidem semper.

X. Febrem hactenus semper in Arthriticis observavi, non tamen semper ęquè molestam, quinimò quandoque ita levem, ut illam non agnoscerent Ægri, dolori quippe urgenti magis attenti.

Ejusque signa.

XI. Febris illius prę̨sentiam prę̨ter alia enumerata Symptomata arguit absolutè Pulsus frequentior semper Paroxysmi Arthritici accessu observabilis, & nonnunquam, ubi gravior existit, & dolor acerbus, perseverans; quinimò per intervalla concitatior factus Febrim intendi docet.

Ad repellentium Dolor nunc propellitur & nunc gravior nunc levior redditur.

XII. Consentiunt 8. Practici, non rarò *à Medicamentis repellentibus* dictis forinsecùs affectę parti, aut casu aut datâ opera applicatis *Dolorem nunc in alios articulos, nunc ad Interiora corporis propelli*, nunc eundem in parte permanentem aut *graviorem*, aut *leviorem reddi*.

XIII. Atque ex his datis conabimur dubia notabilia circa hunc Affectum occurrentia solvere.

Quinque de Arthritide quæsita.

XIV. Quæritur enim 1. quænam circa Articulos *pars primariò afficiatur* in Arthritide. 2. quęnam sit ejus *Causa efficiens*, & humor verè peccans. 3. Quinam sit ejusdem *humoris Focus & Locus, in quo generetur aut coacervetur*. 4. *Quibus viis & modis ex suo Foco ad Articulos deferatur* humor Arthritidem pariens. 5. denique *Qua methodo, Quibusque mediis ab* Affectu tam molesto *liberandi* veniant *Ægri*, tum durante ipso Paroxysmo, tum etiam extra ipsum Paroxysmum.

XV. Atque his quinque quæsitis egregiis puto absolvi posse omnem de Arthritide moveri & agitari solitam difficultatem, & eorundem solutione solvi.

1. Quænam pars primariò afficiatur.

Nempe ligamenta membranea.

XVI. Ut autem à Primo faciamus initium, censemus *Partem primariò affectam in Arthritide* esse non interstitia Ossium simul articulatorum, sed *membranea Ligamenta* ipsos *articulos vincientia & colligantia*.

XVII. Hoc probamus 1. per *dolores atroces* Arthritidem utplurimùm comitantes, qui in Ossibus sentiri non possunt, verùm in partibus tantùm Membranosis, adeoque sensilibus 2. per *Doloris metastasin*, & Arthritidis non tantùm spontè, sed insuper ad repellentium Medicamentorum applicationem non rarò ab uno Articulo ad alium translationem; quod fieri non posset, si in articulationis cavitatem effusus esset humor illum dolorem gignens.

Non musculi aut carnes.

XVIII. Sed nec musculi, aut Carnes articulis vicinæ locus sunt primario affectus, tum quia sensu exacto non sunt prædite, nisi ratione fibrarum & membranarum, tum quia ubi Dolores Arthritici observari solent, carne ferè sunt destituti articuli.

XIX. Neque hoc evincit Dolor Ischiadicus, aut in humero vexans: quamvis enim multa carne tectę sint illæ partes, dolor tamen non sentitur in illis carnibus utpote quę sine doloris augmento contrectari possunt; verùm circa ipsum articulum, qui sine notabili doloris augmento contrectari nequit: in motu autem illo *Ligamenta imprimis tenduntur, ad quam tensionem augetur dolor*.

2. Quænam sit causa efficiens.

XX. Ut autem ad secundum quęsitum pergamus & *Causam Efficientem Arthritidis verã* Assignemus observandum, Dolorem utplurimùm quidem adesse Acrem, non tamen semper, eundemque Dolorem cum ardore ferè occurrere conjunctum, rarò sine calore: quo circa etiam anodynis ardorem simul temperantibus imprimis ipsum demulceri.

Nempè humor acris.

XXI. Unde facilè patet, cum à Causa interna ad locum affectum aliunde delata oriatur ille Dolor, ipsum pro Causa Efficiente necessario agnoscere *Humorem Acrem*, & quidem, quoties cum Ardore conjunctus reperitur, *Biliosum, Sale saltem lixivo, vel fixo, vel Volatili abundantem, ac Serosum*.

Acidus.

XXII. Quoties autem Ardor ipsi comes non adest, toties si Acris dolor extiterit, *humorem Acidum* existere.

Pituitosus.

XXIII. Quoties verò nec Ardor, nec Acris dolor urget, toties *Humorem Pituitosum* imprimis peccare, à quo prę̨ter tumorem subœdematosum major excitatur Motus impotentia & gravitas, quam Dolor.

Et exhis mixtus.

XXIV. Quoniã verò unà cum *Febre* observatur semper adventare paroxysmus Arthriticus, & quidem cum majore aut minore frigore, ipsumque subsequente diverso calore; (unde quoque humoris primariò peccantis qualitas ampliùs manifestatur) facile patet, *non unum duntaxat humorem semper peccare, sed aliquando plures*, ita tamen, ut *ab eo, qui primariò & maximè peccat, desumatur denominatio*.

XXV. Prę̨ter hos primarios humores Arthriticum Dolorem parientes nil obstat alios concurrere à quibus reliqua deducantur Symptomata, Nodi puta, Tophi &c.

3. Quinam sit humoris focus & locus.

XXVI. Non parùm dissentiunt Authores Medici de *Foco & Loco, in quo generatur vel coacervatur humor Arthritidem producens*: dum alii Caput, ejusque nunc superficiem, nunc interiora culpant, alii in vasis, Venis putà & Arteriis Caviam ejus quærunt.

Nempe Glandula Pancreatis conglobatæ omnia.

XXVII. Nos unicuique suę assertionis probationem committentes, putamus *eundem esse Arthritidis & Febrium Intermittentium, Catarrhalium præsertim, Focum; Glandulas putà tum Pancreatis conglomeratas, tum passim Conglobatas omnes*.

Quæ etiam febrium intermittentium fontes.

XXVIII. Neque enim hactenus ex iis, quæ per Anatomen patent, alias partes eruere valuimus, in quibus febrium Intermittentium [illegible] ve cum apyrexia perfecta occurrentium, sive confusarum & intercurrentes paroxysmos habentium, (quando scilicet priusquam prior paroxysmus cessaverit, posterior se illi immiscet, adeò ut ulla vera contingat intermissio & libertas à febre) fomitem generari aut coacervari solidè possit asseverari, præter solas Glandulas, tùm Conglobatas qualvis, tum Pancreatis Conglomeratas; utpote quæ mox cum Corde per Vasa Lymphatica participant.

Earum Focus, & causa primaria.

XXIX. Ut autem quę modò asservimus magis pateant, non abs re forsan erit, paucula de Febribus tum Intermittentibus, tum Catarrhalibus quibusdam dictis adjungere.

XXX. *Intermittentium febrium omnium Focum arbitramur Pancreas*, illarumque *Causam primariam Succum Pancreaticum in quibusdam, non omnibus ejus glandulis hærentem ac vitiatũ, & diverso tempore pro sui constitutione varia in Communem Ductum, hinc & tenue Intestinum erumpentem, atque cum Bile nunc laudabili, nunc vitiosa perperam effervescentem, atque pro Pituita sæper in tenui Intestino tunc reperta, aut Cibi Potusque, Medicamentorumve &c. eò tunc confluentium diversitate diversimodè alteratum*; uti hoc ex Symptomatibus Ægros circa singula cujusvis paroxysmi tempora infestantibus facilè deduci potest.

Febre catarrhales unde provincatur.

XXXI. *Catarrhales Febres* quibusdam sic dictas quod attinet, cùm illæ *ortum habeant fere à frigore externo calens corpus, & imprimis Caput & Colli glandulas* (utpote partes aeri externo magis expositas) *afficiente*, arbitror ipsas produci à *male affecta in Glandulis Conglobatis tum in Cerebro existentibus, tum adstantibus Lympha, eaque ob spiritus animalis ad eas effluxum impeditum acriori & acidiori facta*, adeoque in Cordis Ventriculo dextro Effervescentiam vitiosam, hinc & febrem excitante; & quidem Febrem non intermittentem, at continuam, non tamen ardentem, sed intermistum frigus non rarò habentem.

Febris ardentior unde.

XXXII. *Cui quoties concurrit* Bilis ob Diætam in Aere æstuoso, Alimentis nimis aromaticis, acribus vel salsis, Ira, Vigiliis, Corporis exercitio, &c. nimis peccantem *acrior, toties ardentior existit Febris*, adeoque ob causas oppositas concurrentes curatu difficilior: neque enim tunc se mutuò temperant humores contrarii, aliàs non urgeret ita febris, sed utrique suo modo intemperati confluentes febrem producunt molestiorem.

Arthritidis & Febrium Intermittentium & Catarrhalium focus idem.

XXXIII. Idcirco autem *Arthritidis & intermittentium, Catarrhaliumque Febrium censemus Focum* cum-

eandem, quoniam semper, quantùm ego saltem & alii mecū observare potuimus, *cum Febre tali accedit paroxysmus Arthriticus*: cui hoc tantū *peculiare* accidit, quòd *Febrilis causa tunc bona sui parte circa articulos hæreat, & dolores ibidē nunc majores nunc minores pariat*: quod in cęteris febribus nō solet accidere.

Bilem non primario peccare in Arthritide.

XXXIV. Putamus autem *non Bilem primariò peccare in Arthritide*, quoniam aliàs *continuus* esset affectus: Bilis enim omnis in uno eodęmque folliculo generata, tota sibi est similis, atque ideò continuum producet effectum, sive effundatur per vias ordinarias, quod accidit in Febribus Continuis, sive non effundatur, quod accidit in Ictero, ductu scilicet Intestinali tunc obstructo.

At liquorem in glandulis præparatum.

XXXV. Putamus contrà *Liquorem in Glandulis pręparatum peccare primariò in Arthritide*, quoniam is concervari potest in quibusdam Glandulis, aut etiam in quibusdam Glandularum ductibus & finibus; qui tandem aut sponte, aut ab externo eerore in diæta, Aera imprimis aut potu, commisso motus Paroxysmum novum producat, nunc tardiùs, nunc citiùs repetentem.

Quando simul peccet Bilis.

XXXVI. Quamvis autem utplurimùm *Arthritidicomes sit Ardor*, non tamen idcircò iudicamus primario peccare Bilem; verùm *ipsam tunc simul peccare*, in vitiosa saltem sua cum Succo Pancreatico vel Lympha Acidiore instituta Effervescentia ita immutari; ut Calor ejus magis se manifestet: quamvis non semper tam Calor sit molestus, quàm Dolor à Calore diversus.

Pro diversitate liquorum & subiectorum diversa Effervescentia.

XXXVII. Hoc enim observandum diligenter, *Liquores* ad sui confusionem *Effervescentes non parum & alterari & mutari pro adversi liquoris differentia*; quod planè reciprocum est.

Tam in Metallis & Mineralibus.

XXXVIII. Hoc ut exemplis e Chymia petitis demonstremus, velim considerari à curiosis & solertibus naturalium rerum indigatoribus, quàm *diversa* excitetur *Effervescentia pro diversitate subiectorum, Metallorum putà vel Mineralium cum eadem Aqua forti Effervescentium*; dum non tantùm quædam citiùs, alia tardiùs ab ipsa solvuntur & corroduntur; sed imprimis quædam cum majori vi & commotione efferuntur, alia cum minori; quædam hunc, alia alium odorem, calorem, & saporem promunt aut relinquunt:

XXXIX. Nec tantùm tanta observatur diversitas Effervescentię pro diversitate subiectorum cum eodem Acido Effervescentium verùm etiàm *pro diversitate Acidorum cum eodem subjecto Effervescentium*. Sic aliter procedet Effervescentia cum eodem Sale Tartari excitata à Spritus vel Oleo Vitrioli, aliter à Spiritu Salis, Aluminis, Nitri, Aceto stillatitio, vel communi: aliàs enim potentior, aliàs debilior existet; Elevatique Odor, Sapor, &c. erunt diversi.

Quàm corpore humano.

XL. Simili planè ratione in corpore humano tam pro *Bilis*, quàm pro *Succi Pancreatici*, aut *Lymphæ diversitate* continget tam *in tenui Intestino* quàm *Corde Effervescentia modis pluribus varians*, nec nisi temporis tractu & multiplici observatione, eaque accuratà; in certas classes distinguenda.

Qua diversitas consiferandu:

XLI. Interest utique, diversitates illas, si quæ sint, accuratè considerari, & in certa capita redigi, quò aliquando in praxi facienda serviant.

De qua Authores votum.

XLII. Optavi sæpiùs, & etiam nunc opto, plures Viros egregios & in praxi occupatos 1. *accuratè observare omnia quæ ipsi contingunt quotidie circa ægros notanda, & ex ipsis concludere, an talis Effervescentia*, qualem ego me comperisse autumo, admitti debeat, ac reverà existat, necne. 2. *si existat*, uti persuasus sum illam existere, *collatis mecum operis allaborare, ut tandem aliquando in certas classes redigantur infinitæ penè plus minùs variantes inter se Effervescentiarum species*. 3. *attendere quoque ad ea, quę Effervescentias quasvis vel excitant, vel promovent, vel cohibent, reprimunt ac coercent*: quò non tantùm illarum *cognitio, verùm & curatio*, & quandoque *productio artificialis* innotescant.

Ab Effervescentia vitiosa Febres intermit.

XLIII. Utique si *ab Effervescentia vitiosa ortum suum ducant febres intermittentes omnes*, ut & *Catarrhales*; quinimò ipsæ quoque *Continuę*, uno verbo Febres omnes; nonne rem apprime Arti Medicæ utilem proferent illi, qui modum & rationem quamvis Effervescentiam vitiosam præveniendi, compescendive invenient & aliis patefacrent, sicque methodum Febres curandi optimam erunt atque manifestabunt?

Dolebo Opera.

tentes, Catarrhales, & Continuæ.

Vt & Affectionis Hypochondriacæ species, Scorbutus, Passio Hysterica, Incubus, Vertigo, Epilepsia, Oscitatio, Sternutatio, Nausea, Vomitus, Alvi fluxus & adstrictio, Flatus, Colicus Dolor Tympanites, Cordis Palpitatio, Asthma, Cordis anxietas, Animi Deliquium.

XLIV. Nec tantùm Febrium generationis & Curationis ratio inde deducetur, verùm plurimorum insuper affectuum ab eadem Effervescentia vitiosa, meo saltem judicio, prodeuntium: quales sunt omne *Affectionis Hypochondriacæ species*, ipsaque adeo *Melancholia* dicta Hypochondriaca, *Scorbutus*, *Passio Hysterica*, *Incubas*, *Vertigo*, *Epilepsia*, *Oscitatio*, *Sternutatio*, *Nausea*, *Vomitus*, *Alvi fluxus & adstrictio*, *Flatuum Generatio*, unà cum *Dolore Colico*, *Tympanites*, *Cordis Palpitatio*, *Anhelatio*, *Asthma*, *Cordis anxietates*, *Animi Deliquium*, & nescio quid non.

XLV. Hos ergo affectus omnes cum ego saltem arbitrer ortum suum habere ab Effervescentia vitiosa val in tenui Intestino, vel in Corde facta; nec illud pro lubitu duntaxat fingam & aliis ceedendum obtrudam, verùm ex praxi Medica mea deducam id probantia & confirmantia, iterum urgeo, rem tanti momenti dignam videri, in quam inquiratur à quibusvis, ac præsertim ab Artis peritis & in praxi Medica quotidie versatis, & versantibus diligenter, quò tandem aliquando & rei veritas & ejusdem utilitas pateat.

XLVI. Novi quidem, multis non displicere meum laborem, meas vigilias, meam investigationem, meum in communicandis inventis meis candorem; verùm optarem placere iisdem collatis operis levare mcum laborem, minuere meas vigilias, promovere meam investigationem, adaugere mea inventa, sicque cum propria gloria sua inservire publico.

In suis laboribus adjuvari optat Auctor.

XLVII. Utique aliquid est, probari probis conatus nostros laudabiles, & in publicum bonum susceptos; sed majus esset illos adjuvari & facilitari plurium manibus.

XLVIII. Quamvis autem nemo auxiliares manus nobis sit commodaturus, non desinemus tamen animo forti & labore indefesso spartam, quam semel sumus nacti, pro virili parte adornara; quamvis prævideamus quoque longiori tempore sic duraturum opus.

Eius Animus.

XLIX. Quòd si non deficiat nobis animus, quamvis deficiant nobis auxiliatores; multò minùs deficiet nobis idem animus, quamvis insurgant contra nos Calumniatores quidam & maleferiati homines non aperta vi, sed per insidias duntaxat & detrectationibus Veritatis manifestioni se opponentes; sive omnia Veteribus perspecta falsò inculcent ac nunquam probent, vel probare audeant; sive laudabilia Recentiorum inventa obscurent atque obnubilare tentent; sed quemadmodum non cedendum malis, sed contrà audentiùs eundum, sic & nos invidorum dementiam ridentes cordatiùs pergemus in adhucdum in multis latitante Veritate magis magisque eruenda, de benedictione Divina planè confisi.

Quid Arthritidi sit peculiare.

L. Ut proinde ad rem nostram revertamur, & aliquid saltem *ad vitiosæ Arthritidem parientis Effervescentiæ naturam & Causas elucidandas proponamus*; considerandum imprimis, *quid peculiare sit Arthritidi* præ cæteris Affectibus omnibus Febrem comitem habentibus; quò inde eliciatur, quod lucem nobis afferat.

Nempe Dolor circa articulos hærens.

Et quoad respectu differens.

LI. *Peculiare* autem *Arthritidi* est *Dolor circa articulos hærens*, isque differens. 1. ratione *vehementię* majoris vel minoris. 2. ratione *adjuncti Caloris*, ejusque majores vel minoris, cùm aliquando nullus adsit, aliquando vehemens 3. ratione *Tumoris* itidem majoris, vel minoris, nam etiam nullus aliquando obsecvatur 4. ratione *Coloris*, qui nunc rubens, quandoque pallidus, vel minimè à naturali mutatus. 5. ratione *Motus* magis vel minùs impediti 6. ratione *durationis* majoris vel minoris. 7. ratione *Nodorum* succrescentiam, aut nullorum. 8. ratione *fixitatis vel*

volatilitatis, cùm aliàs in unà sede fixus maneat dolor, aliàs ab uno articulo vagetur & properet ad alium, vel alios.

Arthritidis causa constitutio,

LII. Atque ex *Dolore articulorum*, ut pote Arthritidi peculiari, deducimus, 1. *Causam* ejus habere in se *qualitates sensui* externo & quidem *Tactui & Caloris sensui molestas*, cùm illi soli afficiantur. 2. *Causam* eandem *affinitatem habere cum ea Sanguinis parte*, quæ in sui circulatione deterri solet *ad partes Articulorum ligamentosas & membranosas*, quæque ob *vitiosam sui constitutionem in ipsis hæreat*, & ob qualitatem sensui, uti dictum, molestam, dolorem in ipsis pariat.

Ejus causa ex Sanguine.

LIII. Utique, *Causa Efficiens Arthritidem meritò deducitur ex Sanguine, postquam*, uti sæpius dictum, *cum* mox præcedente aut comitante *Febre producitur*. Nullam autem febrem, nisi ab iis, quæ cum Sanguine ad Cor pergunt, excitari in confesso est, facili saltem negotio posset probari.

LIV. Si ex Sanguine Arthritidis causa deducitur, necesse est, aut omnem Sanguinem esse in culpa, aut quasdam ejusdem partes.

Non omni.

LV. *Omnem Sanguinem non esse vitiosam*, vel inde patet, quòd ante & post Paroxysmum plerique Arthritici sint satis sani: unde iterum patet, *eos qui extra Paroxysmum male habent, præter Arthritidem alio insuper laborare affectu*, qui non rarò curatu difficiliorem facit Arthritidem.

Sed ex parte. Et quanam.

LVI. Cùm proinde quædam duntaxat Sanguinis partes vitiosæ sint in Arthritide producenda, necesse est, vitium illud existere *in partibus ad Ligamenta & Membranas articulorum delatis, aut illis saltem admissas esse*.

Nempe ad Ligamenta & Membranas depulsa.

LVII. Ad *Ligamenta & Membranas peculiariter deferri dicantur illæ Sanguinis partes, quæ illorum nutritioni inservire* debent; quamvis non sit negandum, Sanguinis massam promiscuè propelli ad partes quasvis.

Sanguinis massam esse quid confusum.

LVIII. Interim nec hoc negandum, *Sanguinis massam esse quid confusam, non permistam*; cujus scilicet partes multùm inter se diversæ, quippe diversis usibus destinatæ, confluunt quidem simul per eosdem canales, facilè tamen ab invicem secedere possunt.

Sanguinis partes alias penitius, alias laxiùs coniungi cum aliis.

LIX. Sed nec hoc negandum, *inter diversas illas Sanguinis partes alias penitùs, alias laxiùs conjungi cum aliis*. Sic partes Aquosæ penitùs copulantur Salsis vel Spirituosis, laxiùs Oleosis aut Terreis, & quidem ob rationes ex Physicæ scientiæ fundamentis & principiis veris deducendas, & per Experientiã quotidianam confirmatas, confirmandasque.

Eius in corde mutationem non vergere ad intimam partium ejus permistionem, & inutilium quarundam secretionem. Et quare.

LX. Utique toto cœlo videntur mihi errare, atque parum Rationi aut Experientiæ consentanea proferre, qui tam sibi, quàm aliis persuadere conantur, *Sanguini contingentem in Corde Mutationem vergere ad intimam partium ejus omnium permistionem, atque excrementitiarum quarundam, tanquam inutilium secretionem, cùm plane contrarium suadeat Ratio, evincat Experientia.*

LXI. Cùm enim *Sanguis in Corde* non longiore & protracta Fermentatione, aut Digestione potius elaboratus, sed *momentaneam Effervescentiam perfectus pluribus inservire debeat usibus, & longe diversissimis Liquoribus materiam subministrare* (neque enim tantùm partium corporis omnium plurimum inter se differentium nutritioni materiam conferre diversam debet Sanguis, sed insuper in Cerebro ac Cerebello Spiritibus Animalibus, in Pancreate Succo Pancreatico, in Glandulis Maxillaribus conglomeratis tam superioribus, quàm inferioribus Salivæ, in cæteris Conglobatis Lymphæ, ac meo judicio in Vesica Bilaria Bili, in Testiculis Semini, &c. materiam promere: *¿ nonne decet partes ejus esse tam laxè dispositas, & compositas, ut ubique facile secedant illa, quæ in hunc aut illum liquorem abire debent?* suadet proinde & tantùm non *persuadet ratio, Sanguinis partes non requiri intimè, sed laxè conjunctas.*

Sanguinis partes tres à se invicem secedere.

LXII. Experientiam verò si insuper consulas, testabitur ipsa Sanguinem vel maximè laudabilem, sanisque ex apertis vasis extractum sponte ac brevi in partes varias, tres saltem notabiles secedere, Caseosam subsidantem, Butyrosam superficiem legentem, & Serosam plurima continentem, & toti massæ circumnatantem.

Liquorum omnem non fermentatione, sed digestione in unam massam redactum rursus in partes secedere.

LXIII. Quis verò observabit Liquorem aliquem ex partibus diversis confusis constantem non *Fermentatione* (hæc enim separationem partium producit, nullam conjunctionem) sed *Digestione diutinam* in unam massam redactum, & sibi relictum, non dicam paucis horis, sed multis diebus septimanisve, spontè in partes varias iterum secedentem?

Quinam Veritatis & Reip. detrimentum.

LXIV. Utique dolendum est cum insigni Veritatis ac Reipublicæ detrimento, tam multos reperiri non dicam Chymicæ Artis, sed Mutationum naturalium etiam passim obviarum ignaros ac imperitos tantam etiam apud Rerum Dominos consecutos Authoritatem, ut ipsorum & Somnia, & Figmenta, & nonnunquam putida Mendacia pro veris ac certis Historica fide ab incautis hauriantur, admittantur, credantur, & mordicùs defendantur, & non rarò, quod omnium pessimum est, cum contumelia Virorum in experimentis faciendis indefessorum, in iisdem communicandis candidorum, adeoque de Republ. tam literariam, quàm civili optimè meritorum. Tantum prævalet præjudicium: quod utinam ad Magni Cartesii monitum seriò ac verè, non perfunctoriè ac fictè se liberarent omnes Philosophiæ severiori ac Medicinæ tam utili, tam humano generi necessariæ addicti. Hoc si fieret à cunctis, brevi paterent & à veris Philosophis distinguerentur Sophistæ, in quamvis disciplinam & sectam latentes & calumniando viris bonis insidias struentes.

Cur internis corporis partibus molestia, dolor & angustia producatur.

LXV. Sed ad rem; Postquam ergo & Ratione & Experientiâ constat, Sanguinis partes tam multifariis usibus destinatas non requiri, sed nec inveniri intimè simul, sed laxè duntaxat conjunctas & quasi confusas, nemini valdè mirum videri debet, si dum tota Sanguinis massa à fermento febrili inquinata, prout ab illo hæc aut illa ejus pars cum hac aut illa Corporis parte majorem affinitatem habens magis inquinatur, & à laudabili sua constitutione pervertitur, in ipsa etiam hærens molestiam, dolorem, angustiam, &c. producat.

Diversa Febrium Symptomata unde.

LXVI. Hinc accidit, ut in quibusdam febribus infestentur Ægri nunc nausea & vomitu; nunc Ventris distentione ac torminibus; nunc etiam aliquot Alvi dejectionibus; nunc siti, nunc etiam fame; nunc inquietudine & corporis jactatione, nunc Cordis Palpitatione, nunc anhelatione, nunc tussi; nunc Capitis gravitate, Pulsatione, aut dolore; nunc Vigiliis, nunc Somno; nunc delirio, eoque vario; nunc dolore membra contundente, osteocopo dicto; nunc, quemadmodum in affectu quem tractamus, circa Articulos dolore plerumque intolerabili.

Quæ cui adscribenda.

LXVII. Quis autem tam variis Symptomatibus tam rarò simul in eodem Ægro concurrentibus, sed modò pluribus, modò paucioribus Febres comitantibus ritè observatis atque expensis, non agnoscet adscribenda esse ista omnia diversitati Materiæ febrilis, & quidem pro relatione & affinitate, quam habent cum partibus tunc magis affectis?

LXVIII. Hæc vera ejus diversitatis causa si non sit, assignetur alia. Ego saltem in quamcunque partem me vertam, aliam comminisci non possum tam corporis fabricæ convenientem, tam difficultatibus omnibus removendis aptam, tam curationi legitimæ conformem.

Quis sit Doloris articularis causa.

LXIX. Illud ergo *in Glandulis paratum fermentum febrile Sanguini communicatum febrimque pariens, aut per se Causa est Doloris* articularis, dum ligamenta membranosa circa articulos consistentia pertransiens illis adhæret, atque in ipsis Dolores producit, aut *per accidens ejusdem Doloris causa est*, quatenus cum cæteris Sanguinis partibus in Corde, aut Bile atque Pituita in tenui Intestino effervescens, illas ita afficit, ut Acrimonia noxia inde resultet, quæ ad Articulos delata & ibi hærens Dolores producat Arthriticos.

Potissimum esse acidum.

LXX. Cùm autẽ *Fermentum* illud *Febrile* secundùm ea, quæ docuimus in superioribus, *consistat in succum*

gli-

aliqua Succi Pancreatici parte in quibusdam ejusdem Glandulis aut ductibus retenta & vitiata, vel Lympha itidem in quibusdam Glandulis Conglobatis retenta & corrupta, adeoque Acriore facta, hoc est; *Aciditate nimiu molesta*, ubicunque *Ardor* conjunctus est Dolori Arthritico, quem à *Bile petendum* diximus non semel, ibi *præter Succum Acidum & Bilem simul peccare in corpore, vel in Paroxysmo saltem, atque Effervescentia febrili ita depravari putamus*, ut inde *Calor ille* simul molestus producatur; dū tamen *potissimā Doloris Arthritici causā ab Acido deducimus*.

LXXI. *Dolorem* igitur *Arthriticum propriè ac primariò* deducimus *à Succo Acido Acriore à Lympha præsertim aut Succo Pancreatico vitiatis* originem suam habente.

Ardoris causa Bilis. LXXII. *Ardorem* verò plerumque Arthritidi comitem à *Bile* itidem vitiosa, vel saltem ex febrili Effervescentia vitiata oriri putamus.

Differentiarum causa. LXXIII. Atque his ita constitutis, non ita difficile erit Differentiarum superiùs à me enumeratarum causas reddere.

1. Doloris Vehementis & levioris. LXXIV. 1. Etenim *Vehementior* excitatur *Dolor* ab humore acriore, *Levior* à minùs acri.

2. Caloris & Ardoris. LXXV. 2. *Calor & Ardor* percipitur ut dictum, quando per se aut per accidens simul affecta est malè Bilis; pro cujus vitio majore vel minore Ardor excitatur major vel minor, quemadmodùm ipsa minimè peccante nullus ab Ægris percipitur Calor, quod nonnunquam accidere testatur Experientia.

3. Tumoris. LXXVI. 3. *Tumor* ubi simul concurrit, ibi humorem crassiorem, non halitum duntaxat, vel spiritum ex Sanguine in partes affectas effundi, adhærere, ipsasque expandere atque in tumorem attollere indicio est. Atque pro effusi humoris copia majore vel minore Tumor quoque major producitur vel minor; qui si nullus appareat, in materia valde subtili & spirituosa consistere Acrimoniam Arthriticam sponte patet.

4. Coloris. LXXVII. 4. *Calor*, qui plerumque Rubellus, rariùs Pallidur existit, aut Bilem simul peccantem, aut Pituitam arguit.

5. Motus impediti partis affectæ. LXXVIII. 5. Partis affectæ *Motus* magis impeditus agnoscit aut *Causæ dolorificæ acrimoniam magnam*, aut *Humoris simul effusi copiam notabilem*: uti contrà idem magis integer significat Dolorificæ Causæ acrimoniam levem, humorisque effusi copiam parvam.

6. Durationum Doloris. LXXIX. 6. *Duratio* Arthritici doloris protracta & longior pendet à *copia Fermenti febrilis & Arthritici* non simul ac semel at sensim erumpentis, novumve producentis ac per intervalla populsi, aut humoris comitis viscidítate notabili:, uti contra mox recedens malum & fermenti Arthritici copiam exiguam, & humoris conjuncti fluiditatem vel paucitatem.

7. Nodorum Arthriticorum. LXXX. 7. *Nodi* Arthritidi conjuncti humorum asioram ad gypseam vel cretaceam naturam vergentium in corpore præsentiam; uti iidem desiderati eorundem absentiam arguunt.

8. Doloris in parte fixi. LXXXI. 8. *Arthriticus Dolor* in eadem parte *fixus & permanens*, innuit humorem tenacem parti semel affectæ firmiùs adhærentem; uti contrà idem dolor vagus & ex una parte ad alteram subitò translatus, eundem humorem mobilem, tenuem, atque minimè viscidum.

LXXXII. Atque sic non tantùm Partem primariò in Arthritide affectam, verùm insuper causam ejus Efficientem atque Focum patere putamus: proximum nunc est, ut & *Viæ*, per quas à Foco & Loco in quo generatur Efficiens illa causa, properat & ad Articulos fertur; & *Modus*, quo eò defertur, explicetur.

4. Quibus Viis humor ex suo foco ad articulos deferatur. LXXXIII. Huic quæstioni geminæ ut satisfaciam & 1. Vias patentes manifestem, observandum est, à *Pancreate*, si hoc habeamus pro Arthritici Doloris Foco, *Ductum esse manifestum & patulum in tenue Intestinum*; ex hoc vias manifestas esse *Lacteas venas in communem Ductum, vulgò Thoracicum* dictum aut potiùs *spinalem*, (quoniam non minùs per Abdomen, quàm per Thoracem, & quidem secundùm spinam Dorsi fertur) dicendum desinentes: *A Ducta autem hoc Lymphatico spinali patens via est in venam Jugularem vel Axillarem sinistrám, in Cavam, hinc in dextram Cordis auriculam & dextrum ejus ventriculum. Ex Cordis dextro ventriculo* manifesta est via *in Arteriam, hinc & venam Pulmonalem* ipsamque adeò *sinistram Cordis auriculam*, mox & *sinistrum Ventriculum*. Ex hoc denique in *Arteriam Aortam*, & per hunc *in Universi corporis partes omnes ac singulas*: uti demùm ab illis per *Venæ cavæ propagines* iterum ad Cor; per *Portæ autem ramos* priùs *ad Hepar*, & inde itidem per Venam Cavam ad Cordis dextrum Ventriculum.

LXXXIV. Quòd si quis Focum habeat, quemadmodum ego ut plurimùm habendum suspicor, *Glandulas corporis universi conglobatas*, & imprimis *in Abdomine atque Mesenterio sitas*, ut & non rarò *in Capite* residentes; tunc ab ipsis manifesta via est per *Vasa Lymphatica ab ipsis omnibus & singulis prodeuntia & ad communem Truncum spinalem properantia*, & in ipsum Lympham suam exonerantia. A quo cæteras vias modò deduximus, & ne actum agere videamur, nunc omittimus.

LXXXV. Viæ ergo à *Glandulis tum Conglomeratis Pancreatis*, *tam Conglobatis* omnibus & singulis ad Cor, & hinc ad Articulos manifestæ sunt à nobis assignatæ, ut pote quas & nos & alii non semel ad oculum demonstravimus in sectionibus tam publicis, quàm privatis.

LXXXVI. Non autem tam proclive atque facile erit, *Modum* explicare atque Vim, cujus ope ab illo Foco transferatur ad partes dolentes, Articulos, Causa Efficiens Dolorem Arthriticum. *Et quomodo.*

LXXXVII. Non esset tamen valdè arduum, illum Modum explicare, si nobis constaret de Modo, quo secundùm naturam & in sanis moventur ac promoventur omnes in corpore existentes humores, tā à Glandulis præfatis, quàm aliunde propulsi.

LXXXVIII. Ne autem discendi cupidos diutiùs morer, aliorumve Opiniones exagitem, sufficiet mihi ea proponere, quæ ipse puto esse vera, vero saltem maximè similia, & probabilia.

LXXXIX. Arbitramur ergo in genere, ex Glandulis quibusvis secretum ac temperatum in ipsis humorem aut per Vasa Lymphatica, aut per Ductus suos proprios propelli aut Ductus majores, aut in cavitates singulares, Intestinum tenue puta, vel Oris cavitatem. *Quomodo humor ex Glandulis naturaliter movetur.*

XC. Propulsionem verò illam fieri putamus 1. impulsi per arterias Sanguinis, per nervos autem Spiritus Animalis impetu & vi; quoniam ab utroque hoc liquore arbitramur suum ortum ducere quicquid præparatur in Glandulis quibusvis. *Propellitur 1. per arterias Sanguinis & per nervos Spiritus Animalis vi.*

XCI. 2. Compressione & Vasorum Lymphaticorum, & Ductuum in Conglomeratis Glandulis observatorum, eaque peristaltica. *2. Compressione Vasorum Lymphaticorum.*

XCII. 3. Effervescentia ubi vis excitata & liquores sic Effervescentes non tantùm magis mobiles reddente, at insuper actualem motū in ipsis excitante. *3. Effervescentia.*

XCIII. 4. Contractione arctiore atque sæpius iterata canalium, per quos deferuntur illi liquores, irritatorum sc. ab humoribus ob majorem sui Acrimoniam Effervescentiam molestam excitantibus. *4. Contractione canalium.*

XCIV. Quemadmodum enim humores in tenui Intestino Effervescentes aliquando magis magisque implicantur humoribus Pituitosis & viscidis ibidem hærentibus, adeoque tormina vel distensiones in ipsis producunt Intestinis, ita contrà nonnunquam humores iidem ibidem Effervescentes eandem Pituitam solvunt, magis fluxilem reddunt, quin & cum ipsa in Vasa lactea penetrant, sicque ad cor tendunt. *Humores in tenui Intestino effervescentes, quid præstent.*

XCV. Quemadmodum autem in primo casu incommoda pleraque sentiuntur in dictis Intestinis, ita in secundo aut in corde, pulmonibusve, aut in capite, aut in corporis habitu vel superficie observantur.

XCVI. Sed & accidit nonnunquam, ut humores Acres tormina in Intestinis priùs parientes, postmodum transferantur in alias cavitates, cor- *Dolores & cruciatus aliquando unde.*

porisve habitum, atque ibi nunc Dolores ac cruciatus, nunc Motus producant læsiones varias, Paralysin, Convulsionem, Motusve convulsivos. Quemadmodum id accidere solet in Paresi ex Colica dicto affectu, eoque & gravi, & molesto, & curatu difficili; cujus generandi modum vixaliquis alium proferet prædicto æquè manifestum.

Ut & Paralysis & Convulsio. Nec non Paresis.

XCVII. Putamus ergo Modum, quo ex Foco suo non tantùm movetur, sed & insuper ad Locum in Arthritide affectum promovetur humor Dolores Arthriticos pariens, principijs Anatomicis & Mechanici planè convenientem proposuisse nos & expoluisse.

XCVIII. Superest proinde, ut ad quintum & ultimum quæsitum pergamus, atque methodum proponamus, qua idem malum tam in Foco suo latitans, sensimque cumulatum, quàm in furore suo Effervescens, Articulosque infestans debellari debeat; & Media quoque sive Instrumenta, quorum ope id præstari queat, recenseamus; hoc est Curandæ Arthritidis rationem adjiciamus.

5. Quamodo curanda Arthritis.

XCIX. Inchoabimus autem hanc Medendi Methodum ab ipso *Paroxysmo Arthritico*, quandoquidem ita se solet ut plurimùm Medico curanda præbere Arthritis; rariùs enim extra Paroxysmum vocabitur Medicus, quem durans Dolor acciri non coegit Ægrum.

Paroxysmus Arthriticus qui curetur.

C. Durante igitur Paroxysmo Arthritico accersitus Medicus ad quatuor ipsius tempora attendet, *Initium*, *Augmentum*, *Vigorem*, *ac Declinationem*.

Ad quatuor est. udendum.

CI. *Incipiente* Paroxysmo Arthritico, quem semper cum febre accedere docui, *Effervescentiam* ita *temperare*, quin & *cohibere* studebit Medicus, ut Humoris tàm primariò, quàm secundariò *peccantis Acrimonia* simul *corrigatur*.

Incipiente Paroxysmo quid agendum.

CII. *Effervescentiam* præternaturalem omnem *temperant*, & quandoque cohibent *Opiata* omnia cæteraque *Anodyna* undecunque parata, quò & *Vitrioli aliorumque Sulphura* pertinent, cùm omnia ritè parata sint, *Anodyna & pacativa*.

Effervescentiam quænam temperent.

CIII. Quinimò hæc eadem vim habent *corrigendi*, *contemperandique quamvis Acrimoniam*, sive *Acidam*, sive *Salsam lixiviosam*.

Ut & Acrimoniam quamvis

CIV. Hinc est, meo saltem judicio, quòd circa Febrium intermittentium à vitiosa Effervescentia ortarum initia exhibita *Narcotica & Opiata*, Theriaca, Mithridatium, Diascordium, Philonium Romanum, ipsumque adeò Laudanum Opiatum, & similia, *febris vehementiam minuant*, *compescant & quandoque sistant*: quod verum esse per Experientiam norunt etiam Plebei, quamvis ejusdem effectus rationem ignorent æquè ac multi è magni nominis Medicis.

Circa Febrium intermittentium à vitiosa Effervescentia ortarum initia quænam exhibenda.

CV. Utique ubi dolores graves exercent miseros ægrotos, ubi inquietudo ex humorum agitatione in ipsis deprehenditur, solent ad Opiata & narcotica tanquam ad sacram anchuram recurrere Prudentes Medici, quamvis non putem multos reperiri, qui tanti tamque salutaris effectus causam cognoscant: Eam si quis à me rogaverit, respondebo id fieri, quatenus *omnia narcotica & anodyna Sulphure abundant*, *cujus vis est*, *omne acre tam acidum*, *quam lixiviosum temperare*, uti non semel hoc exemplis manifestis evicimus, idemque comprobari potest infinitis experimentis Medicis.

Et quare.

CVI. Præter ista primaria & vitiosam Effervescentiam per effervescentium acrium contemperationem coercentia & compescentia Anodyna & Narcotica, Sulphure sive Oleo abundantia; utilia quoque sunt *Spirituosa*, *& Aquea*, illa quidem, dum utrumque acre demulcent, hæc, dum utrumque diluunt & enervant; quod pluribus experimentis non semel ostendimus verum esse.

Ad effervescentiam compescendam conducere Spirituosa & Aquea.

CVII. Hinc est, quòd non rarò cum successu laudabili exhibeantur ægris Febre intermittente corripiendis ipse *Vini spiritus & Aquæ variæ*, cum Vini spiritu paratæ, qualis est Juniperina, Theriacalis, &c.

[illegible] Febribus intermittentibus conducere.

CVIII. Observandum autem, hic opus esse circumspectione, cùm non omnibus æquè conducat *Spiritus Vini* qualiscunque datus; nec facilè nisi iis, quos frigus molestius & gravius infestare solet, sit dandus; uti contrà commodè soleat exhiberi *Acetum stillatitium*, *aliave acida*, quibus gravis solet adesse Calor: denique utraque simul mista, quibus & Frigus & Calor solent esse molesta.

Spiritus Vini & Acetum stillatitium quibus conducat.

CIX. Ubi autem *Spiritus acidus solus* peccat, præter jam enumerata conducet omne *Sal lixivium tam fixum*, *quàm volatile*. Sal tartari putà, Cardui Benedicti, Absinthij, Centaurij Minoris, &c. quò referri debent Oculi Cancri, Corallia, Margaritæ, Creta, Lapis hæmatites, Sanguis Draconis, Limatura Chalybis, & similia.

Spiritus acidus solus si peccet, conducere Sal Lixivium. Et quare.

CX. Inter *Salia Volatilia* numerari debent 1. Sal Volatile, Cornu Cervi, Urinæ, Salis Armoniaci & similia. 2. Spiritus omnes Aromatici & Acres ex supradictis; ut & Cochlearia, similibusque parati.

Quænam inter Salia Volatilia numeranda.

CXI. Hæc enim omnia vim excellentem habent, diversam tamen, omnem in corpore nostro Aciditatem contemperandi & concentrandi; quamvis quædam id agant potentiùs, fixiùsque; quædam debiliùs, laxiùsque.

Horum omnium vires.

CXII. *Quò enim purus magis est Spiritus Acidus*, *Salque lixivus*: *eò arctior fit eorundem conjunctorum complexus*; *quò rursus magis est impurus*, *hoc est*, *cum aliis*, *Oleosis putà*, *Spirituosis*, *Aquеisve mixtus*, *eò laxior fit ipsorum coalitio*.

Et quò puriora, eò potentiora.

CXIII. Quod de utroque puro & simplici, ut & impuro & mixto dictum, idem dicendum de alterutro, nisi quòd tunc medio modo se habeat illorum confluxuum insequens conjunctio & commixtio. Ad quæ per infinita experimenta confirmanda nisi quis attenderit sedulò, nihil laudabilis præstabit unquã tã in mutationibus in corpore nostro contingentibus cognoscendis quàm in iisdem corrigendis.

CXIV. Quod si præter Spiritum Acidum semper plùs minùs vitiosum, *Bilis* insuper occurrat in Arthritico *Acrior*, ita contemperanda erunt medicamenta Effervescentiam vitiosam febrilem atque Arthriticam correctura & sedatura, ut hujus quoque Bilis ratio habeatur exacta.

Si Bilis acrior occurrat, ejus habenda ratio.

CXV. Hic autem mirari libet, quod tamen millies me docuit aliosque Experientia, commixta, an confusa potiùs, hoc in casu Acida, non quibusvis promiscuè Salsis, sed lixiviosis, atque non tam puris, quàm naturaliter mistis, Oculis Cancri putà, Corallis & similibus, utrique satisfacere indicationi; atque non Bilem tantùm temperare, sed insuper liquorem Acidum in corpore peccantem, sive illum quis Succum Pancreaticum volet vocare, aut Lympham, sive alio nomine indigitare.

Commista medicamenta pluribus satisfacere indicationibus.

CXVI. Observarunt certè Auditores nostri sæpenumerò, Ægros in Nosocomio Academico Intermittentibus febribus laborantes mixturis, pro frigoris, calorisque ipsos urgentis ratione præscriptis semper ex ipsis levamen sensisse; postquam illis casu vel sponte neglectis semper habuerunt pejùs, uti contrà iisdem assumptis meliùs.

In Febribus intermittentibus.

CXVII. Quod accidere docuimus & per experientiam demonstravimus in Febribus Intermittentibus, idem fieri observabunt in Paroxysmis *Arthriticis*, quotquot sub illorum initia exhibebunt *Ægris similia remedia*, *additis* tamen semper, ob dolorem ipsos præsertim urgentem, *Anodynis & Narcoticis copiam & quantitate sufficiente*.

In Paroxysmis Arthriticis.

CXVIII. Cùm enim primarium & maximè urgens in Arthritide Symptoma sit Dolor circa articulos hærens, meritò illi ante omnia Medicina aptatur conveniens.

Dolori ante omnia medendum.

CXIX. Hæc *non tantùm ubi dolor sævit exhibenda*; verùm, ut, quantum possibile, præcaveatur, in tempore saltem minuatur & tollatur, *mox sub Paroxysmi initia* usurpanda. Satiùs namque est prævenire quàm præ veniri.

Idemque præveniendus.

CXX. Quamvis autem ad hæc præcepta non attendant plerique, ea tamen cum Ægrotorum commodo negligi, nemo facile dicet, qui praxin Medicam intelligit, & dicti mei veritatem observavit; Quapropter moneo omnes ac singulos, qui sibi, Ægrisque suis benè consulere volent, ut hæc mea

Et eum in finem medicamentum in promptu habendum.

monita

monita attento hauriant animo, & in antecessum Ægris suis Arthriticis præscribant, aut asservandam jubeant *mixturam* ipsorum humoribus cõvenientẽ, ipsamque *febrifugam & Anodynam*: quam mox ubi accessum sentiunt Arthriticum, assumant Ægri, ne procrastinando ejus assumptionem Paroxysmum suo damno & culpa patiantur graviorem.

Ad singula Symptomata attendendũ.

CXXI. Magni semper feci Medicos, qui ad singula Symptomata Ægris per se aut per accidens molestiam parientia attendunt accuratè, illisque ritè levandis remedia subministrant convenientia.

Nec methodum medendi esse perturbari.

CXXII. Neque enim, quod vulgus Doctorum imaginariorum delirat, [illegible] tum contingis, perturbaturque Methodus Medendi vera; utpote quæ non pendet ab hominum in theoria hærentium, & pro lubitu quævis fingentibus & dictantium arbitrio, verum à Virorum in praxi diu versatorum, & per multiplicem experientiam edoctorum, confirmatorumque judicio subacto & observatione accurata.

Medicamẽta Symptomata demulcentia quid præstent.

CXXIII. Hanc Experientiam si quis consulat veri avidus, bonique publici cupidus, comperiet illa medicamenta quævis Symptomata nec dum valdè urgentia demulcere solita, 1. humorum acrimoniam contemperare, atque sic aut emendare, aut saltem ad faciliorem secretionem, excretionemque disponere 2. Dolores, Angustias, aliasque molestias præveniendo, leniendove vires omnes corporis conservare atque à sui prostratione semper noxia præservare.

Methodum hanc medendi esse verã Et quare.

CXXIV. Quę Methodus, si non sit vera Medendi methodus, qua citò, tutò, ac iucundè curantur Ægri, utique illa non erit, quæ hisce neglectis patitur Ægros vel Doloribus excruciatos, vel anxietatibus oppressos ita exhauriri suis viribus, ut quamvis tandem iterum convalescant, id tamen contingat lentè, difficulter, ac cum summo vitæ discrimine; uti quotidiana sunt ac nimis frequentia hujus rei experimenta, Ægris præsertim gravia, utpote quibus non tantùm cum Morbis attrocibus, verùm insuper cum Medicis morosis, & Ægrorum salutem quam præconcepta sua placita minùs curantibus, est lucta.

Medicos mo do affectibus abripi.

CXXV. Dolendum certè, serióque dolendum perversis Ambitionis ac [illegible] affectibus ita abripi homines in publica functione cõstitutos, ut malint perire Ægrotos, quàm ut vel latum unguem recedant à suis præiudiciis, nec resipiscere multos eventibus in felicibus, cùm tamen Piscator ictus sapiat, hosque Aristarchos muneris sui commonefaciat.

Consiliis Anẽlo vir salutaribus auscultandum

CXXVI. Pluribus hæc deduxi, quò Juniores de agendis informem, atque meo officio atque consciẽtię satisfaciam. Cui proinde non placebit meis consiliis salutaribus auscultare, per me licet, suo periculo desipiat & deliret. Aliquando forsan, sed serius, culpam suam agnoscet, & maledictus frustra deplorabit; neque enim fieri potest, ut Deus ęquus arbiter benedicat hominibus proximi sui commodum suę imperitię ac morositati postponentibus.

In principio paroxysmi Arthritici humores etiam diminuendi. Et quare.

CXXVII. Non tantùm præmissis alterantibus utendum in principio paroxysmi Arthritici, cùm non, semper ita in totum restitui queant humores acres vitiosè, effervescentes; quin copia simul excedentes sui diminutionem non rarò indicant.

CXXVIII. Quemadmodum enim humores quivis qualitate peccantes sui alterationem ac emendationem, sic etiam iidem quantitate nimia peccantes sui diminutionem, adeòq; evacuationem postulant; quæ nunquam fieri potest utiliùs, & commodiùs, quàm in paroxysmorum principiis, quando scturgent humores, dummodò sint ad evacuationem apti, nec aliis crassis, viscidisq; immersi, aut commixti; quod tamen non rarò accidit.

Effervescentiã aliquãdo in tenui intestino aliquando in corde fieri.

CXXIX. Quoniã verò de humorum in Arthritide copia peccantium evacuatione mentionẽ nunc facimus; observandum, humores illos aliquando in tenui Intestino priùs vitiosè effervescere, quàm ad Cor delati paroxysmum febrilem, hinc & Arthriticum producant; quando nimirùm in Pancreate est hujus mali Fons & Focus: aliquando verò in Corde tantùm fieri illam Effervescentiam vitiosam; quando nimirum in Glandulis Conglobatis quibus libet latet hujus mali origo prima.

Purgantiũ ratio diversa.

CXXX. Quapropter prout in Glandulis Conglomeratis Pancreaticis aut Cõnglobatis quibusvis Focum Arthritidis statuemus, ita diversa erit Purgantium ratio ineunda.

In Pancreate quando focus mali est, ad quos humores attendendum.

CXXXI. Quotiescunque enim *in Pancreate Focus mali* hujus statuitur, toties ad tres humores varios in purgationem instituenda erit attendendum; ad ipsum *Succum Pancreaticum*, ad *Bilem*, & ad *Pituitam* in tenui Intestino stabulantem.

Quid in Succo Pancreatico considerandum

CXXXII. *Succus Pancreaticus*, cùm à nobis *Aciditate vitiosa* peccare sit dictus, atq; ideò alterationem, non evacuationem indicet; fieri tamen potest, ut simul copia peccet, cui evacuatio debetur.

Medicamentum Acidos humores purgans incognitum. Eos humores cum difficultate purgari.

CXXXIII. Verum enim verò *hactenus mihi incompertum est Medicamentum humoribus Acidis, quà Acidis, evacuandis aptum*: Quinimò constat per Experientiam multiplicem, *cum difficultate atque Ægrorum incommodo institus purgationem in iis, in quibus Acidus humor peccare observatam*, propter tormina intolerabilia à purgantibus excitata.

CXXXIV. Quapropter, donec compertum fit Medicamentum humori Acidò cum [illegible] educendo aptum, non ausim aut instituere in tali casu purgationem aut illam aliis commendare.

CXXXV. Novi equidem dari medicamẽta Hydragoga, non tamen Acidos humores evacuantia.

Post temperationem per Hydragoga evacuari.

CXXXVI. Attamen non negaverim illorum, si priùs temperantur, ipsorumque Aciditas mitigetur aut concentretur, institui tunc posse per Hydragoga eductionem: verùm ubi hoc extra Paroxysmum Arthriticum fuit neglectum, in principio ipsius tentari nequit; cùm sensim pergat omnis alteratio, nec subitò contingat.

At non temperatos minimè.

CXXXVII. Ergò Succi Pancreatici, utpote Acidioris, quoties ante Paroxysmum quodammodò saltem non fuit temperatus, in ejus principio per purgantia evacuatio institui non debet, quia commodè non potest.

Bilis in Paroxysmo principio evacuanda. Et quare.

CXXXVIII. *Bilem* quod attinet, quoties illa simul peccat, & imprimis copia quoque, cùm *illius proprium sit turgere*. ipsa commodissimè mox in Paroxysmis principio evacuari potest ac debet.

CXXXIX. Quicquid enim ejus educetur sive sursum, sive deorsum (prout viam deprehendetur affectare diversam) id omne nullam producet Effervescentiam vitiosam, ut nec ardorem Ægris tam molestum.

Considerandum, an Pituita viscida sit permixta. Si non, evacuanda. Sin verò, incidentia purgantibus addenda.

CXL. Considerandum autem, ac sedulò expendendum, an Pituita viscida hæreat in tenui Intestino, cui implicetur, ideòque difficiliùs educatur tunc Bilis.

CXLI. Nisi enim adfuerit viscida Pituita, sine hæsitatione præscribi & assumi poterit Cholagogũ.

CXLII. Quòd si Pituita crassa & viscida deprehendatur in dicto intestino, illi & incidendę & simul educendę convenientia erunt adjungenda remedia; ne frustretur sua expectatione Medicus æquè ac Æger.

Vt & Pituita si redundet.

CXLIII. Potest enim fieri, ut & *Pituita* (tertius nempe in tenui Intestino repertus humor) redundet; quę idcircò etiam erit tunc educencenda, evacuandaque.

Et quidem peculiaribus remediis.

CXLIV. Hęc Pituita cùm aliàs consistentiam servet naturalem, aliàs viscidior occurrat, non tantùm ratione alterationis, sed & ratione evacuationis peculiaria desiderabit remedia.

Pituitam naturalem quænam educant.

CXLV. Agaricus enim, Manna, & similia Pituitam dicuntur naturali consistentia præditam expurgare.

Quænam crassam & viscidam.

CXLVI. Turbith verò, Hermodactylus Colocynthis & similia Pituitam perhibentur, crassam & viscidam evacuare.

Hanc quænam incidant.

CXLVII. Viscidam verò incidunt omnia Sale Volatili abundantia & Sapore Aromatico prędita, & imprimis Gummata, Bdellium, Galbanum, Ammoniacum, Opopanax, Sagapenum, Mastiche. &c.

CXLVIII.

Bilis sola quibus evacuetur Scāmoniū medicamentū potens & blandum.

CXLVIII. Quoties ergò purgatione opus est, ubi sola Bilis redundat & turget, Cholagogo utendum, & imprimis Rhabarbaro, vel Scammonio, à quo non est, quod sibi metuat Medicus, dummodò non peccet in dosi; Est enim Medicamentum potens quidem, at simul blandum & naturæ amicum, quod qui negant, citra & contra experientiam loquuntur.

Bilis Pituita mixta quibus purgetur.

CXLIX. Ubi præter Bilem Pituita redundat, Purgans exhibendum ex Cholagogo & Phlegmagogo mixtum.

Potius in defectu dosis, quam excessu purgandum.

CL. Notandum autem, ubi dubium est, qua dosi commodè purgari possit Æger, satiùs esse in defectu peccare, quàm in excessu, imprimis ubi turget Bilis, utpotè quę tunc levi Pharmaco educitur; adde quod tunc facilè sequatur Hypercatharsis.

Repetitis vicibus exhibēdam medicamentū. Et quidem forma Apozematis. Et quare.

CLI. Quapropter optimum in tali casu est, non simul ac semel, at repetitis vicibus exhibere Medicamentum blandum, atque imprimis Apozematis forma, potest enim tunc singulis horis aut rarius assumi ejus haustulus, donec incipiat fieri evacuatio; tunc enim ab ulteriori assumptione cessandum; nisi per unam vel alteram horam nulla dejectio, nullus dejectionis futuræ conatus observetur, parumque dejecerit æger; tunc licet repetere ejusdem Apozematis assumptionem, dummodò eam alia non impediant vel prohibeant Symptomata.

Vomitionem aliquando habere locū.

CLII. Præter hanc propriè dictam Purgationem, qua per Alvum evacuantur humores prẹter Sanguinem redundantia peccantes; non rarò locum habere potest evacuatio per Vomitum: qui tum tantùm instituendus, quando 1. sursùm vergunt humores, atque nausea id manifestant: 2. quando facilitas est in ægro ad Vomendum: 3. quando satis constant vires, suntque illæ non prostratæ aut consumptæ; oppressę namque Vomitione ut plurimùm levantur.

Quando instituenda.

Et quando ab ea abstinendum.

CLIII. Abstinendum autem à Vomitoriis, 1. quando nullus est humorum conatus sursùm, 2. quando nulla est ad Vomendum facilitas, sed contrà magna Vomendi difficultas in Ægro. 3. quando dejectæ, consumptæve sunt Ægrorum vires, ipsique languent.

Vomitus quare commodissimè instituitur.

CLIV. Cæterùm quoties Vomitus institui potest, commodissimè instituitur, quoniam ab Intestino duodeno & Loco, ubi in hoc Intestinum sese exonerant Folliculus Fellis & Pancreas, ad Ventriculum via est brevissima, rarò transversam manum superans, à ventriculo autem per OEsophagum via est brevis & facilè vomentibus tuta & commoda.

Curanda Arthritidi utilis.

CLV. Hanc autem viam & Vomitionem curandæ Arthritidi utilem esse, non semel comprobavit Experientia, per quam constat, uno Vomitorio non tantùm Paroxysmum Arthriticum fuisse mox sublatum, verùm insuper novi ortum in longum tempus delatum.

CLVI. Id contigit bis Domino de Offenberg, Rhinbergæ Gubernatori, jam seni ac debili, hoc & superiori anno; & quidem cum successu felici, quamvis Vomitio ipsi acciderit cum summis anxietatibus, adeò ut in ipsa Vomitione animam crederetur expiraturus; postea tamen optimè se habuit.

Focus Arthritidis confirmatus.

CLVII. Hoc Experimento *confirmatur Focus* à me nominatus, Pancreas, unà cum Intestino tenui.

Quibus Vomitoria tātum sint exhibenda.

CLVIII. Hoc eodem Experimento *confirmatur mea solicitudo de Vomitoriis non quibusvis Ægris*, sed ad vomendum facilibus & benè dispositis *exhibendis*: quamvis enim felix fuerit successu, fuit tamen cum manifestu vitæ discrimine conjunctus.

Empiricorū & Dogmaticorum diversitas.

CLIX. Hoc eodem experimento *confirmatur Empiricorum & Dogmaticorum diversitas*: Illi enim promiscuè omnes pari curant ratione; Hi verò pro Ægrotorum diversitate curam instituunt diversam, & non rarò abstinent à medicamentis utilibus, ubi inepta sunt illis ferendis corpora: Unde pro Empiricis, non Dogmaticis habendi, quotquot Ægris promiscuè omnibus & singulis vomitoria exhibent, quamvis se solos & Doctos & Hippocraticos esse autument.

Vomitoria Antimonialia in Bili Mercurialia in Pituita exhibenda.

CLX. Inter Vomitoria prę cæteris omnibus prefero *Antimonialia*, quoties Bilis præcipuè peccat; Ubi Pituita redundat, *Mercurialia* laudo, rei solæ vel aliis admistæ, quoniam præ cæteris Pituitam etiam viscidam educunt, quam insuper incidunt; quapropter *Mercurius Sublimatus Dulcis* optimè hîc audit, etiam ad humores pituitosos per alvum educendos. Ex *Vitriolatis* conveniunt quoque *Vitriolum album*, ac *Vitrioli Sal*; quæ vim quoque habent humores viscidos incidendi hinc & ipsos faciliùs educendi.

Mercurii Dulcis vires.

Vitriolum album.

Vitrioli Sal.

Diuretica et Sudorifera ad evacuātiam classe pertinere.

CLXI. Ad Purgantium sive Evacuantium classem pertinent quoque *Diuretica*, per Urinas humores noxios propellentia, ut & *Sudorifera*, eosdem per sudores expellentia.

Quomodo differant.

CLXII. Hæc utraque secundùm magis ac minùs differre videntur, unde non rarò eadem medicamenta utramque præstant evacuationem.

Earum Vires.

CLXIII. Eadem verò Diuretica & Sudorifera vim ferè habent humorum acrimoniam temperandi, sicque Effervescentiam vitiosam cohibendi, quinimò humorum vitiosorum à bono & laudabili Sanguine secretionem, hinc & excretionem dictam geminam promovendi.

Pro humorum diversitate iidem expellendi.

CLXIV. Prout enim humores alterandi, expellendique crassiores sunt ac viscidiores, aut tenuiores, magisque serosi, ita vel per Urinas, vel per Sudores expelluntur frequentiùs.

Ad Diuretica & Sudorifera alteranda quadam referri.

CLXV. Ad Diuretica verò & Sudorifera revocari quodammodò possunt Medicamenta alterantia in superioribus à me memorata, & in principio paroxysmi commendata; utpote quæ alterando humores vitiosos emendant, eosdèmque, in totum emendari si nequeant, aliqua sui parte correctos à Sanguine bono secernunt, & si secerni potuerint, una opera cum Urinis aut Sudoribus è corpore propellunt.

Ab Authore cum Ægrorum euphoria exhibita.

CLXVI. Illud enim notandum, Medicamenta ista, si modo à me præscripto, & millies in ægris à me observato, exhibeantur, nec Ægris tegumentis multis ut plurimùm noxiis urgeantur, sed blandè eorum operatio expectetur, semper cum [illegible] usurpari, ac inde ęgros levamen sentire; quoniam nihil adest hic coacti, quin omnia peraguntur leniter & blandè. Quam qui negant veram esse praxin feliciter exercendi rationem, aut imperiti sunt, nec audiendi; aut maligni, & fugiendi.

Authoris Medendi Methodus Ægris salutaris.

CLXVII. Utique non vereor publicè testari, & Medicinæ studiosis inculcare Medendi Methodum, quam per Dei benedictionem, ringentibus adversariis, tam multis annis expertus sum facilem & tutam Ægrisque meis non minùs quàm meæ famæ ac fortunæ salutarem.

Diuretica et Sudorifera Sale Volatili abundantia & contrà.

CLXVIII. Pleraque autem Diuretica & Sudorifera siquis accuratè examinaverit, observabit abundare Sale Volatili, quinimò omnia ferè Sale Volatili abundantia esse Diuretica & Sudorifera.

Qua ratione quadam talia sint.

CLXIX. Non nego esse nonnulla Diuretica & Sudorifera, in quibus frustrà Salem Volatilem perquiras, sed & affirmare ausim, eadem non tam per se, quàm per accidens esse talia, dùm sc. impedimenta quædam tollunt magis, quàm ut vel Urinas vel Sudores moveant; qualia sunt Tartarum Vitriolatum, & similia, quæ Pituitam viscidam incidunt, & hactenus Urinę Sudorisque impeditorum propulsionem adjuvant.

CLXX. Atque hæc de Diureticis atque Sudorificis nunc dicta sufficiant, neque enim in ipsorum materia nunc hærendum.

Circa initia Paroxysmi Arthritici Salivationē non convenire.

CLXXI. Queri autem posset meritò, cùm nuper fecerim quoque mentionem *Salivationis*, Evacuationis itidem Universalis, an & illa conveniat circa initia Paroxysmi Arthritici?

CLXXII. Cui quęstioni ut paucis satisfaciam respondeo, nullam me ejus habere Experientiam nullam quoque mihi succurrere Rationem, quę ejus usum hic suadeat, sed plures, quæ dissuadeant.

Et quare.

CLXXIII. Neque enim in plerisque mox cieri potest Salivatio, sed post aliquot demum dies; quo nomine ineptè hic institueretur Salivatio.

CLXXIV. Adde quòd lentè procedat Salivatio; hic

hic verò opus est Evacuatione celeriter ac brevi absolvenda.

CLXXV. Accedit, quòd si quis Salivationem nimiùm promovere studeat, in evidens vitæ discrimen Ægrum conjiciat.

Quando conveniat,

CLXXVI. Non negaverim tamen, in quibusdam Pituita multa, eaque viscida gravatis Arthriticis utilem quandoque fore Salivationem, at non in ipso Paroxysmo, verùm tempore libero, & ubi constant vires; dummodò alia tunc non negligantur, verùm cæterorum humorum simul peccantium ratio habeatur exacta.

Salivationē excitare Mercurialia. Et Salia Volatilia,

CLXXVII. *Salivationē à Mercurialibus* Medicamentis excitari notissimum, & vix ab aliis, quamvis non semel observarim, *Salis Volatilia levem excitasse Salivationem*, minimè gravem aut molestam, qualem solent producere Mercurialia cum Gingivarum, Genarum, ipsiusque adeò Linguæ exulceratione & profunda & nonnunquam periculosa.

CLXXVIII. Sed non videtur opus, ut pluribus agamus de Salivatione; postquam ipsam in Arthritici initiis noxiam potiùs, quàm utilem judicamus.

Externa etiam convenire,

CLXXIX. Atque hæc de multiplici Purgatione ac Evacuatione humorum copia peccantium in cujusvis Paroxysmi Arthritici principio instituenda dicta sufficiant, proximum est, ut dispiciamus, an & tunc *externa* conveniant Medicamenta; hactenus enim de internis duntaxat egimus.

CLXXX. Cùm enim docuerimus, Arthritidi semper esse comitem Febrem unà cum dolore Articulorum, utriusque nomine videntur externa Medicamenta commodè posse usurpari.

Ad febrile Paroxysmū. Sed ratio habenda, quibus partibus applicantur.

CLXXXI. Ad febrilem Paroxysmum tollandum, minuendum saltem, usurpari varia externa notissimum: Quapropter & illa hic in usum revocari nil vetat; nisi quod ratio videatur habenda partium ab Arthritide imprimis affectarum; ne, si illis applicentur Medicamenta prædicta, aliqua inde ipsis concilietur noxa.

CLXXXII. Si proinde affectæ parti sunt applicanda Medicamenta externa, talia esse debent, à quibus non tantùm non augeatur, sed potiùs minuatur simul dolor.

Vesicatoria qua ratione applicanda.

CLXXXIII. Vesicatoria igitur nonnunquam ad fermentum febrile eliciendum extremis partibus adhiberi solita non facilè affectis, afficiendisve partibus applicanda, ne sic malum augeatur, nisi apta sint acrem humorem doloris causam simul elicere: de quo cùm non nisi per experientiam constare possit, cavendum, ne quis inexpertus hoc tentet in personis primariis, utpote quæ non nisi priùs experta, & quidem sæpiùs experta sibi cupiunt adhiberi: aliàs enim ægerrimè ferunt in se fieri alicujus remedii dubii aut incerti periculum.

Sanæ parti remedia febrifuga applicanda.

CLXXXIV. Interim nihil impedit, sanæ parti applicari remedia febrifuga, cùm sic non raró simul doloribus Arthriticis sint futura remedio.

Externa in Doloribus Arthriticis

CLXXXV. Quoad ipsos Dolores Arthriticos videntur ipsi remedia externa non respoere, quæ aut Dolorem ipsum præveniunt & arcent, aut ipsum leniunt & demulcent.

Quoniam eos præveniant, & arceant.

CLXXXVI. *Dolorem Arthriticum præveniunt & arcent* remedia externa, quę partem ita roborant, ut humores vitiosi in ipsa non hęreant, sed rursus ab aut ex ipsa repellantur; qualia sunt adstringendi viprędita, Bolus, Terra sigillata, & similia, Emplastri vel Cataplasmatis forma usurpata.

Quænam eo leniant.

CLXXXVII. *Eundem Dolorem Arthriticum leniunt & demulcent* remedia externa, quę partem laxant, sicque minùs sensilem efficiunt, de quibus postea, ut & *quæ humorum Acrimoniam temperant*, de de quibus actum in superioribus, quò referri quoque possunt, quę sensum partis hebetant & stuporem ipsi inducunt, Narcotica omnia; Theriaca, &c.

CLXXXVIII. Atque sic primaria remediorum in principio Paroxysmi Arthritici usurpandorum capita percurrimus; videndum porrò, quid in ejusdem *Augmento* agendum sit.

Curatio augmenti Arthritidis

CLXXXIX. *Augescente igitur Paroxysmo Arthritico unà cum Dolore*, agenda sunt eadem Anodyna & Narcotica, eademque copia majore, frequentiùs saltem exhibenda.

Tam internis, quàm externis. Cataplasma ad Arthritidem ex quibus.

CXC. Sed non tantùm interna, quin externa quoque adhibenda sunt: Usurpantur verò formâ varia, Cataplasmatis, Fotus, Linimenti, &c. Inter Cataplasmata non immeritò laudatur paratum ex Mica panis triticei & albi, ex Lacte dulci coctâ, addito tantillo Croci, quod dolores admodùm lenit, Ubi autem ardor Acrior comes adest, loco Lactis dulcis usui pari potest ebutyratum; Quin & Sambuci, Chamęmeli, Romani pręsertim, flores & similia nō incommodè possunt simul incoqui & addi; & quidē pro Symptomatum diversitate diversa.

Fotus ex quibus.

CXCI. Fotus fiunt ex similibus in Aqua, Cerevisia, Lacte, &c. coctis, & cum spongiis aut pannis applicantur.

Linimenta ex quibus,

CXCII. Linimenta parantur ex pinguibus & Anodynis, quoties pinguia ferre possunt Ægri; quò spectant Axungia porcina. Unguentum Rosatum, Populeonis, Martiatum, &c. Oleum Liliorum Alborum, Violaceum, Chamęmelinum; &c. pro humorum peccantium varietate varianda.

Sapo Venet

CXCIII. Huc referri potest *Sapo Venetus*, (ut taceam quędam ex Sapone extracta Medicameta) si linteo affricetur, & parti dolenti applicetur. Inter externa imprimis etiam laudo *Theriacam* Emplastri forma dolenti parti mox applicatam, uti hoc aliquoties cum successu notabili usurpavi.

Theriaca,

Si Febris per maneat, quænam usurpanda.

CXCIV. Quòd si, quemadmodùm ferè fieri solet: augeatur, permaneat saltem Febris in Arthritici doloris augmento, usurpanda simul Medicamenta illi debellandę utilia, in Arthritico dolore tantò utiliora quòd cum febre accedat, cum febre augeatur Arthritis.

CXCV. Non est autem hujus loci, medicamenta febri Arthritidem comitanti curandę convenientia proponere, cùm id alibi faciendum, sitque jam olim à nobis factum.

Et ad quid attendendum.

CXCVI. Unum tamen hic à nobis monendum; attendendum in quibusvis medicamentis febri Arthriticę pręscribendis ad ipsam Arthridem. cujus ratio exacta semper habenda.

Curatio in statu Paroxysmi Arthritici.

CXCVII. *In statu paroxysmi Arthritici*; quo tempore Symptomata omnia Dolores pręsertim, solent esse gravissima, usurpanda medicamenta eadem potentissimè sedantia & lenientia nisi ex iisdem statim ab initio commodè usurpatis Symptomata omnia reddita fuerint levoria, ipseque adeò paroxysmi status & vigor solito blandior & levior.

Eius vehemen iam, convenientibus medicamentis adhibitis reddi levem.

CXCVIII. Observandum enim, quamvis *sibi & Naturæ relictus affectus Symptomata soleat in augmēto quàm sui principio habere graviora, & in statu gravissima, idem tamen non semper accidere, si convenientibus utatur Medicus medicamentis, quorum ope non tantùm uniuscujusque paroxysmi duratio sæpenumerò redditur brevior, sed insuper Symptomatū vehementia levior*, adeò ut futurus status nonnunquā ita lenis sit, ut pro declinatione haberi tunc possit.

Medicos qui curam Morborum Naturæ committunt in defectu peccare & esse spectatores

CXCIX. Quotquot enim Veterum more maximam Curę partem Ægrorum Naturę Chimęricę. aut nescio quali committunt, atque tunc excepta Dięta, quam quodammodò regunt, spectatores sunt tantùm pugnę, quam inter Naturam fabulantur & Morbum excitari; atque sic Arbitri sunt victoriæ, nunc Morbo nunc Naturę cedentis, illi reverà peccant in defectu.

Qui verò Medicamenta præscribunt, esse Actores.

CC. Quotquot verò præter Diætam, in sex rebus non-naturalibus ritè administratis consistentem, Medicamenta quoque censent à Medicis Cordatis in plerisque saltem Affectibus pręscribenda, quæ id omne, quod præter naturam se habere deprehenditur in Ægris, corrigant vel eliminent; utique non spectatores, at simul Actores volunt Medicos,

Priores suo muneri non satisfacere.

CCI. Et certè non videtur officio suo & muneri Ægrorumque exspectationi æquè satisfacere Medicus, qui unam tantùm sui muneris partem in Diæta ritè ordinata consistentem absolvit, dum binas cæteras in Chirurgia & Pharmacia ritè dirigendis negligit.

CCII. Neque enim puto facilè accidere, ut locus

non

non sit Pharmacis quibusdam præscribendis.

Sine Pharmacis sæpe Ægros fuisse curatos.

CCIII. Non nego quidem curari posse, quinimò reverà curari sæpenumero Ægros, quibus nulla præscripta fuere à Medicis pharmaca; nemo autem facilè persuaserit mihi, æquè citò, tutò, & facilè jucundèque curari eosdem, ac si medicamenta convenientia simul fuissent administrata.

At citiùs tutiùs & faciliùs id futurum fuisse medicamentis adhibitis.

CCIV. Sæpiùs namque observare licuit, tales Ægros sola diæta adjutos diutiùs malè habuisse, non rarò recidivas periculosas passos esse, aut non nisi cum difficultate ac molestia è malis suis evasisse; cùm è contra ii, quibus apta fuere adhibita medicamenta, & brevi, & tutò, & jucundè fuerint curati.

Nunquam remedia Medico negligenda.

CCV. Hoc à me audiant & discant meditenturque serio Medicinæ Alumni, nunquam spontè aut propria culpa negligenda ulla felici curæ absolvendæ remedia: Alia etenim ratio est Ægrorum morosorum ac quævis medicamenta repudiantium, nec nisi summa urgente necessitate ipsa admittentium. Neque enim tunc Medici, at Ægri culpa non usurpantur quævis auxilia Curam promotura. Nam volenti non fit injuria; quapropter tunc non habet, de quo conqueratur Æger Medico morem gerere recusans.

CCVI. Sed cùm Naturæ non semel fecerimus mentionem, nō immeritò aliquis rogare posset, quid per tantoperè decantatam Medicis Naturam debeat intelligi; cùm non videatur probabile, nihil ipsam indicare, aut absque ullo fundamento tam frequenter ipsam apud Medicos in scenam produci.

Plurima à Medicis naturæ nomine designari.

CCVII. Huic difficultati ut, quantum in me est, satisfaciam, censeo & ego, non esse de nihilo, quod Naturæ nomine venit apud Medicos; quamvis doleam ipsam non satis explicari; Rem enim si quis accuratè examinet, observabit *plurima & diversissima eodem illo Naturæ nomine à Medicis passim designari*: quod pluribus hic prosequi, longum nimis foret. Sufficiet autem impræsentiarum illud paucis delibasse & demonstrasse; quid *Naturæ nomine* sit sumendum, quoties *Natura dicitur cum Morbo pugnare, ipsum debellare, aut ipsi succumbere.*

Per Naturam quid intelligatur.

CCVIII. *Per Naturam* verò tunc intelligi videtur *aliquid in Ægro existens*, non forinsecùs ipsi accedens; quoniam *præter diætam commodam & satis strictam nihil præscribi solet Ægro, à cujus Natura cupit Medicus superari Morbum.*

Minus alimenti Ægris exhiberi, quam sanis.

CCIX. Quæritur proinde, quidnam illud in *corpore* esse possit, quod tunc *Naturæ* nomine venit.

CCX. Hoc ut eruamus, considerandum, *Minùs tantummodò alimenti exhiberi* tunc *Ægris, quàm in perfecta sanitate*.

CCXI. *Illud* ergò *quod alimentis immutandis inservire* solet, cùm minùs, quàm priùs, occupetur *Naturæ nomine appellandum* videtur.

Quid in Ægri corpore Alimenta assumpta immutet.

CCXII. Interest igitur, ut ritè cognoscatur, *quid illud sit in corpore nostro, à quo pendet Alimentorum assumptorum immutatio; si illud ipsum Natura sit, & Morbos superet.*

CCXIII. Verùm quàm multùm, hoc præsertim tempore, inter se hic dissentiant Medici, notissimum.

Alimentorum prima alteratio in ore, perfecta in Ventriculo. Secunda in tenuibus intestinis. Tertia in Cordis Ventriculis, & Arteriis.

CCXIV. *Primam Alimenti alterationem* in ore masticando inchoatam *in Ventriculo perfici*, puto esse in confesso.

CCXV. *Secundam in tenuibus Intestinis absolvi*; & quidem magni momenti mutationem, ego saltem arbitror.

CCXVI. *Tertiam in Cordis Ventriculis atque Arteriis consummari* censeo.

CCXVII. Atque hisce tribus functionibus & alterationibus omnem Alimentorum dictam Præparationem comprehendi judico.

Saliva primaria alterationis Alimentorum causa. Ab acidiore quænam oriantur.

CCXVIII. Ne autem aliorum Opiniones hic vellicem, verùm meam duntaxat sententiam de hisce nunc paucis proponam, existimo *Salivam esse primariam Alimentorum in Ventriculo alterandorum Causam Efficientem.*

CCXIX. Hæc dum *Acidior* existit, promovetur intenditurque Alimentorū *Appetitus* ac Fermentatio in Ventriculo: quin & quandoque corrumpitur: Ubiq; namque mediocritas requiritur. Nam in medio virtus.

Quænā ab hebetiore.

CCXX. Hæc eadem quoties *hebetior* atque minùs existit Acida, tardioris, imbecilliorisque Fermentationis Causa existit, Famisque diminutæ, quandoque nullius.

Aciditas deficiens in Saliva restituitur, si minori quantitate assumantur Alimenta.

CCXXI. Existente verò Saliva minùs Acidà, & inde Alimentorum Fermentatione minùs sufficiente, si minori quantitate tunc assumantur Alimenta, sensim redintegrabitur Salivæ minùs occupatæ Aciditas, ipsorumque Alimentorum Fermentatio diminuta & insufficiens; quæ restitutio in integrum Naturæ adscribetur: Si quis verò rem ipsam ritè consideraverit ac expenderit, comperiet fieri hoc ipsum, quatenus Alimentorum quantitas diminuitur; Cùm autem minor Alimentorum quantitas assumitur, faciliùs eadem digeritur & fermentatur in Ventriculo, quinimò sensim Acidior redditur ipsa Saliva; sibi nempe magnam partem relicta, & in semetipsā quodammodò agens, sicque sensim fermentatione propriâ magis acescens: pleraque enim fermentationis ope plùs minùs observantur acescere, & illa imprimis, quæ aliquid Acidi in se continent, & benè constituta Subacida vel Acida esse solent.

Pleraque fermentationis ope acescere.

CCXXII. Sic panis fermentum sibi relictum potenter acescit, utpote quod benè constitutum esse solet Subacidum.

Alimenta minore quantitate assumpta faciliùs in Ventriculo fermentari

CCXXIII. Dum ergò minus Alimenti assumitur, faciliùs ac pleniùs fermentatur idem in Ventriculo, ac proinde aptior inde paratur Chylus, hinc & Sanguis Salivæ præstantiori conficiendæ serviturus.

Quod Naturæ adscribi solet.

CCXXIV. Hæc autem in melius mutatio, quoniam nulli assumpto venit adscribenda Medicamento, cum nullum fuerit usurpatum, sed sola Alimenti assumendi quantitas diminuta, soli Naturæ solet adscribi; quam ostendi ex totius istius mutationis enarratione uni Salivę tribuendam; postquam ex Salivæ minus quàm prius in Alimentorum fermentatione occupatæ spontaneâ restitutione reddita est corpori amissa Sanitas.

Secunda Alimentorum mutatio in tenui intestino.

CCXXV. Atque hæc de Prima functione Alimentis dicata, sive Fermentatione sponte aut Naturæ vi restituta dicta sufficiant: pergamus nunc ad *Secundam*, quam ego in tenui Intestino fieri censeo; ignarus an illi Thrasones, qui me omnia mea ex se hausisse ridiculè ac pueriliter gloriantur, hæc etiam ante plures annos censuerint.

Chyli à Fæcibus alvinis secretio.

CCXXVI. Censeo igitur *in tenui Intestino secundam eamque notabilem accidere assumptis, & in Ventriculo priùs Fermentatis Alimentis mutationem*, quam *Chyli à Fæcibus Alvi secretionem* in Disputationibus publicis vocavi, quamque *non sponte, at propter Bilis, Succique Pancreatici affluxum & admistionem, excitata insuper tunc ab ipsis Effervescentia, sed blanda & leni, fieri sum persuasus.*

CCXXVII. Utique in duas partes planè diversas omne assumptum elaboratumque in Ventriculo Alimentum, solidum præsertim, Cibi nomine notum, ab invicem in tenui Intestino secedere, notissimum; & ita quidem, ut, dum crassior & inutilis sensim deorsum ad crassum Intestinū propellitur, tenuior & utilis sub Chyli nomine transcoletur in Venas inde Lacteas dictas.

Hanc non sponte fieri.

CCXXVIII. Hanc secretionem dixi non sponte fieri; quemadmodùm id observamus fieri in Ictero & Lienteria dicto affectu, in quo Alimenta, quamadmodùm fuerunt in Ventriculo præparata, excernuntur per Alvum, dum sensim contabescit universum corpus.

Eius causa Bilis & Succus Pancreaticus.

CCXXIX. Addidi secretionis istius Causam naturalem esse Bilem, Succumque Pancreaticum, circa tenuis Intestini principium affluentes, & Alimentis sese immiscentes; atque tum inter se, tum cum prædictis Alimentis blandam, levemque Effervescentiam excitantes: cujus ope contingat illa Chyli à fæcibus Alvi secretio.

Quando deficit, quid agendum.

CCXXX. Quoniā verò aliàs pluribus ostendere sum conatus, produci per illam Bilis, Succique Pancreatici cum Alimentis fermentatis Effervescentiam

tiam Chyli fæcibus Alvi secretionem, pro tempore supponemus, hanc veram esse istius secretionis Causam.

CCXXXI. Quotiescunque ergò vel deficit hæc secretio, uti plura sunt ejus exempla in Ictero, Lienteria, &c. vel etiam turbatur eadem, in variis Alvi fluxibus, Diarrhœa præsertim, ut & Alvo quandoque adstrictiore: si à Natura exspectetur illius restitutio in integrum, quid aget Medicus? Abstinebit à Medicamentis quibusvis & diætam duntaxat emendabit; Minus Alimenti exhibebit, quoties à copiosiore contigit illa noxa; Copiosius imperabit, quoties ab Alimenti defectu ortum habuit idem malum; Qualitatem Alimenti mutabit, quoties ab Alimento pravo originem duxit hæc Infirmitas: Somnum & quietem imperabit, quoties à vigiliis nimiis aut exercitiis excitatus est morbus; atque sic porrò Diætam immutabit secundùm eas circumstantias, secundùm quas observabit peccatum esse ab Ægro: sed in quem finem? Non in alium, nisi *ut vel Bilis, vel Succus Pancreaticus à vitiosa Diæta*, alia vere externa fortuitò occurrente, non tamen valdè gravi, *aliqua sui parte impediti aut oppressi Diæta in contrarium directâ, sensim expediantur aut liberentur mole sibi graviore*; atque sic in integrum restituatur sensim Functio prædicta vitiata.

Et in quem finem.

CCXXXII. Non dicam, nunc, longè citiùs, longè tutiùs expectandum esse illud Naturæ beneficium, si blandis medicamentis, iisque tantùm non alimentosis promoveatur illud bonum tardiùs & solicitiùs à sola Natura præstolandum: quandoquidem hic versamur in curatione unius Naturæ dictæ ope ac beneficio præstanda, citra medicamentorum usum.

Bili & Succo Pancreatico Naturæ nomen tribui.

CCXXXIII. Atque sic videmur quoque alios humores, *Bilem* putà, *Succumque Pancreaticum* protulisse, quibus vitiatis & Diætæ Medicæ ope rursus restitutis Naturæ nomen tribui solet: videamus nunc, an plures adhuc in corpore humano reperiantur humores, quibus idem contingit.

CCXXXIV. Pergamus proinde & Chyli motum persequamur, an fortè hujus ductu plura queamus expiscari ad præsens nostrum negotium servitura.

Chyli motus & via.

CCXXXV. *Chylum* ergò si quis *mentis & corporis oculis* contuetur; observabit ipsum *confluere in Ductum Thoracicum dictum*, & *Lymphæ* ibidem *continuè* confundi, atque cum ipsa in axillarem, jugularemve sinistram exonerari, sicque cum descendente Sanguine in dextram Cordis Auriculam, hinc & Ventriculum deponi; ibidemque cum ascendente Sanguine permistum & alteratum in Sanguinem transire & mutari.

Tertia Alimentarum mutatio Sanguificatio. Ejus causa Efficiens.

CCXXXVI. *Tertia proinde Alimentis contingens mutatio notabilis, est Sanguificatio, sive Chyli in Sanguinem mutatio, in dextro Cordis Ventriculo inchoata, & in sinistro absoluta.*

CCXXXVII. Hic autem quæritur meritò, quænam sit Sanguificationis, hoc est, Chyli in Sanguinem mutati Causa Efficiens?

Primaria B[illegible]a. Secundaria Lympha. Ab utraque malè affecta vitiari Sanguificationem.

CCXXXVIII. Cui quæstioni ut paucis satisfaciam, & meam saltem opinionem aperiam, arbitror, Sanguificationis *Causam esse tum primariam Bilem cum Sanguine in Liene plusquam perfecto & per hepar refluente mistam, tum secundariam Lympham cum Sanguine descendente junctum.*

CCXXXIX. Unde sive *Bilis* præter naturam suam malè afficiatur, aut *Lympha*, aut utraque, vitiabitur statim Sanguificatio, & quidem pro alterutrius vel utriusque vitio diverso diversimodè. Quod *Sanguificationis Vitium ut dicatur à Natura sponte corrigi*, necesse est, ut pro vitio ipsarum diverso diæta instituatur diversa, & semper prædicto vitio subcontraria; quemadmodùm id ex jam commemoratis facilè peti potest & deduci: dummodò priùs monuero, *Lympham*, meo saltem arbitratu, *esse natura sua subacidam & spirituosam*; quamadmodùm *Bilis amaricat & pinguedine* præ cæteris humoribus omnibus *scatet*.

Lympha & Bilis qualitates.

Bilis & Lymphâ emendata naturâ nomine venire quando Sanguificatio restituitur.

CCXL. Quoties igitur *à Natura dicitur restitui in integrum Sanguificationi contingens Vitium*, toties id accidit, quatenus *Diætæ ope emendatur Bilis vel Lympha vitiosa.*

CCXLI. Unde si quis accuratè observet, quæ hactenus sunt à me dicta, videbit *quatuor humorum, Salivæ, Succi Pancreatici, Bilis & Lymphæ*, factam à me mentionem, *quibus potissimas* [illegible] *Alimenta assumpta in Sanguinem mutentur, partes adscribendas* puto; His igitur malè habentibus, v[illegible]æ alimentis contingentes functiones [illegible], iisdem Diætæ convenientis ope [illegible] & functiones redintegrantibus Naturæ nomen & [illegible] tribuentur.

Quatuor Humoribus alimentorum in Sanguinem mutatio adscribenda. His vitiatis varias functiones lædi. Et Diæta in integrum restitutis Naturæ nomen tribui.

CCXLII. *Ab Humoribus* [illegible] *non ab ipsis Visceribus & partibus producuntur* [illegible] *quàm à sua Causis Efficientibus, omnes* [illegible] *contingentes alterationes & mutationes in corpore.*

Ab Humoribus non à partibus continentibus Alimentorum mutationes produci.

CCXLIII. Ab iis [illegible] humoribus ob Diætæ vitia vitiatis vitiantur [illegible].

Et à vitiatis Functiones lædi.

CCXLIV. [illegible] humoribus à Diæta convenienti & [illegible] restituentur itidem functione [illegible] *Diætæ opera possunt effectus* [illegible] *accidere.*

Ab iis restitutis restitui.

CCXLV. De Sali[illegible] Succi Pancreatici vitiis per [illegible] quædam protulimus.

Lympha vitia unde.

CCXLVI. *Lympha, cùm* [illegible] *Spiritu Acido & Volatili* [illegible] us quoque vitia patebunt, *Alterutrius* [illegible], vel excessus. *Spiritus Acidi defectus* [illegible] Alimentis, potu imprimis, [illegible] corporis temperantibus; uti [illegible] *abundantia* diminuetur, cavendo ab omni[illegible] *Spiritus verò Volatilis defectus* Univer[illegible] reparabitur Alimentis Spiritu Volat[illegible]ntibus, & imprimis Vino generoso, ejusve [illegible] u-surpato, *ejusdem autem redundantia* minuetur abstinendo à Spirituosis, & utendo Aqueis.

CCXLVII. Atque sic quoque per Diætam convenientem, id est, per Naturam curabuntur Lymphæ vitia, & Affectus inde orti.

Et per Diætam curari.

CCXLVIII. Sed hæc de Natura [illegible] Curatrice nunc dicta sufficiant; progredi[illegible] ad reliqua de Arthritidis curatione propo[illegible].

CCXLIX. Egimus quidem hactenus de [illegible] affectus curatione durante ipso Paroxysmo, [illegible] deamus nunc, quid Medico sit agendum *extra Paroxysmum.*

Arthritici curatio [illegible] *Paroxysmum.*

CCL. Hoc ut ritè consideretur atque determinetur, observandum, *Arthriticos aliquos cessante Paroxysmo & sublatis doloribus proximè convalescere, ut nullo morbo ampliùs videantur detineri*, alios verò etiam post Paroxysmum vel in *partibus affectis* vel *in universo corpore molestias retinere.*

Arthriticorum [illegible] *Paroxysmum diversa* [illegible].

CCLI. Hæc cùm ita se habere doceat nos quotidiana Experientia, utique diversa ratione curandi & tractandi erunt singuli.

Unde curatio diversa.

CCLII. In quibus enim *nulla molestia remanet post Paroxysmum*, in iis certum est, humores cæteros Sanguinemque ritè se habere, atque vel in Glandulis duntaxat vitium aliquod remanere, vel *ex diætæ vitiis idem denuò excitari*, quod cùm observetur imprimis accidere 1. à *potu Vinorum Acidiusculorum*, qualia, sunt *Rhenana*; 2. ab *Aere frigidiore*, flante præsertim *Vento ex Boreali & Occidentali* composito, 3. à *Venere nimia*: videndum, in quo conveniant hæ tres Causæ, ut eundem producant effectum, & Arthritidem pariant.

Causa Paroxysmi Arthritici. Vitium in Glandulis vel Diæta. 1. Vina Acidiuscula. 2. Aer frigidus. 3. Venus nimia.

CCLIII. Ut verò à postremo faciam initium, certum est, *Spiritus Animales* imprimis *exhauriri Venere nimia*, unde functiones Animales tunc languent. Ubi autem exhauriuntur & deficiunt in corpore Animales Spiritus, fieri nequit ut sufficienter *temperetur Spiritus Acidus*, siquod ego censeo, ab Animali Spiritu, utpote Volatili, temperari debeat. *Peccabit* proinde in talibus *Spiritus Acidus Acrimonia majore.*

Ex Venere nimia Spiritus Acidi Acrimonia major.

CCLIV. *Vina autem Rhenana*, ut & cætera Acidiuscula, utpote *Spiritu Volatili parciore prædita augebunt Spiritum Acidum* in corpore nimium.

Vina Acidiuscula Spiritum acidum augere.

CCLV. *Ventus* denique ex *Borea & Occidentali constans* observatus potenter *corpus penetrare*, atque

frigus

A Vento Boreali & Occidentali spiritum acidum augeri.

frigus in ipsum introducere, ac frequenter parere *gravedinem*; in qua Spiritum Acidum redundare testatur Sapor Salso-acidus Liquoris ex naribus tunc stillantis. *Introducitur* [illegible] *ab illo* [illegible] *Spiritus Acidus in corpus* [illegible] *nos* saltem, (quod mihi magis videtur probabile) *impeditur ejusdem per Spiritum Volatilem* [illegible] *temper* [illegible], & forte *stupefaciendo Cerebrum Nervos*, vel [illegible] *adulans*, ut Spiritus Animalis ad [illegible] [illegible].

Quatenus hæ causæ, conveniant. CCLVI. [illegible] ut ergo tres illæ *Arthritidem* producere [illegible] *Fœtus* [illegible] *Acidius, & Volatius* [illegible] [illegible] *Spiritum* [illegible] *in corpore augent* [illegible] *imperatum* [illegible] Pendebit proinde *Arthritis* primario à *Spiritu Acido*. Qui si quod ego judico, secern[illegible] [illegible]aliter in [illegible] tam Conglomeratis [illegible] [illegible]globatis, *Pars primario affecta & Focus Arthritidis* erunt *Glandulæ* [illegible] [illegible] [illegible] in supe[illegible] corporis.

Arthritis à Spiritu Acido.

Ejus Focus Glandulæ.

Præcautio ejus in intemperatione Spiritus acidi. CCLVII. *Præcautio* [illegible] *Arthritidis* [illegible], de qua [illegible] [illegible] *intemperatione* [illegible] *Aciditate* [illegible] *Spiritum Volatilem*, atque [illegible] quod *Spiritus Acidi Acrimoniam* [illegible], [illegible] *Volatilia* [illegible] usurpata: [illegible]orum enim ope & *temperatur Spiritus Acidus potenter*, & *impeditur* [illegible] *generatio* [illegible]: videntur enim id, quod in [illegible] *Spiritus* [illegible] *secretionem promovet*, & [illegible] *Volatilis* [illegible] *conjunctionem* [illegible] *ac conservare*. Utrumque [illegible] [illegible] *Lymphæ* productionem in Glandulis Conglobatis desideratur, & Spiritus Acidi à Sanguine secretio ac Spiritus Volatilis cum eodem permistio, ac intima unio.

Quaquaversum & quibus fiat.

CCLVIII. In hisce verò præsertim consistere videtur Arthritidis cum integri corporis restitutione contingentis Præservatio & Præcautio extra-Paroxysmum instituenda, *fugiendo scilicet noxia, & usurpando utilia*.

In quibus Arthritidis præcautio consistat.

CCLIX. Quoties verò in partibus affectis vel *languor & debilitas*, vel *Nodi* & similia mala remanent; tunc *Languor quidem & debilitas* per Medicamenta *Spiritu Volatili*, ut & *Oleo Aromatico* prædita curatur præsertim; *Nodi* verò difficiliùs, imò rariùs curantur, nisi ad *Suppurationem priùs* deducantur; Si tamen innotescerent Medicamenta calculos solventia, sperarem fore, ut faciliùs Nodi quoque Podagricorum curari possent; nondum autem mihi tàm licuit esse fortunato, ut tale Medicamentum offenderem.

Qui curetur Languor & debilitas.

Qui Nodi.

CCLX. Quoties denique *universale malum* remanet in corpore post sublatum Paroxysmum Arthriticum, illud prout varium erit, curandum erit quoque variè.

Arthritidis Universalis Curatio.

CCLXI. Petenda verò talis mali notitia & Cura ex Symptomatum præsentium Natura & Causis; uno verbo, è cæteris Praxeos Medicæ partibus, & Affectibus alibis tractandis.

Atque sic cum Deo Arthritidis tractationem absolvimus.

Finis Tractatus Octavi.

TRACTATUS IX.

De Febre Epidemia, Lugduni Batavorum Anno 1667. plures affligente.

Qua Methodo utatur Author.

I. UT datam coràm pluribus fidem meam liberem, quam diebus Canicularibus hîc atque ac vicinis aliquot Urbibus Epidemiam observavimus Febrem nunc accuratè describere ac explanare lubet, & ita quidem ut ejus Natura, Causæ, atque Curatio faciliùs innotescant; methodum itaque servabo eam, quæ *à notis* progreditur *ad ignota*.

II. In hoc, ut & aliis Affectibus omnibus, *maximè nota* sunt *Symptomata* Ægros vexantia.

Symptomata.

III. Inter *Symptomata* primum locum sibi vendicant, quæ omnibus Ægris sunt molesta; quibus succedere debent illa, quæ plerisque solent esse gravia, non tamen omnibus; ac denique illa, quæ in paucis observata sunt Ægris.

Eorum ordo.

IV. *Symptomata* igitur, quæ hoc tempore *omnes Ægros* vexarunt, sunt *Anxietas summa*, atque *Dolores circa præcordia*, hoc est, *Ventriculi regionem*, ac præsertim ejus *Orificium superius*.

Anxietates & dolores circa præcordia.

V. Hæ Anxietatis Doloresque, quamvis continuè Ægros exercuerint, certis tamen temporibus fiebant graviores, ac primùm ferè *diebus alternis*, mox & *singulis* per Paroxysmos aucto, diminutoque hoc malo.

Certis temporibus graviores.

VI. Præter Anxietates Doloresque omnibus graves, ac plerisque intolerabiles, adfuit quoque in plurimis *Nausea* & Vomendi conatus; ut & in non paucis *Vomitus*, primùm quidem *Pituitæ* variæ, hinc & *Bilis* flavæ & amaræ; quin quandoque *Acidi* quoque Liquoris; ac præsertim post assumptum Potum copiosum.

Nausea.

Vomitus.

VII. Per Paroxysmos excitabatur in plerisque primùm *Frigus* in variis corporis partibus aliquando sine, aliquando cum Tremore, Corporisque universi concussione succedente postmodùm *Calore*, eoque diverso, nunc leviore nunc graviore, sive sponte sequeretur *Sudor* aliquis, sive nullus, nisi arte paratus prodiret.

Frigus per Paroxysmos.

Calor.

Sudor.

VIII. *Sitis* plerisque fuit molesta, omnisque penè *potus fastidium* æquè ac *desiderium* ægros torquebat.

Sitis.

IX. *Lingua* multis fuit *arida*, quibusdam solus *siccitatis sensus* molestus, quamvis nulla visu vel tactu perciperetur.

Lingua arida.

X. Non paucis eruperunt *Aphthæ*, non tamen in plerisque valdè graves aut molestæ.

Aphthæ.

XI. *Capitis Dolor* in multis fuit gravis, quem alii neutiquam senserent.

Capitis Dolor.

XII. *Vigiliæ* multis molestæ, paucis *Somnus aut Somnolentia*.

Vigiliæ.

XIII. *Dolor in regione Lumbari* multis fuit gravissimus, paucis nullus.

Dolor in regione Lumbari.

XIV. *Alvi adstrictione* laborarunt aliqui, & ejus *fluxu*, eoque vario, alii, adeò ut aliqui etiam Dysenteria laborarint.

Alvus adstricta & laxa.

XV. *Urinæ* fuerunt variæ, in plerisque *rubicundæ*, aliquando claræ, aliquando cum satis multo sedimento; ut & turbidæ.

Urinæ variæ.

XVI. *Pulsus* in omnibus *frequentior*, & multis satis *robustus & magnus*, in aliis contra *debilior & minor*.

Pulsus frequentior.

XVII. *Pauci* ex hoc affectu *perierunt*, plerique tamen *diu eodem* fuerunt *vexati*, & *segniùs curati*.

Pauci mortui, diu tamen vexati.

XVIII. Atque hæc sunt primaria hujus Affectus Epidemii Symptomata, cui nunc ex iisdem aptum est assignandum nomen.

XIX. *Febrem* fuisse, ac esse, quamvis nemo forsan negaverit, probatur tamen ex *Pulsu frequentiore*, citra causas externas ab internis sui tempore excitato, tum ex *reciproco Frigore & Calore*, aliisque Symptomatibus præternaturalem ipsius frequentiam demonstrantibus.

Affectum hunc fuisse Febrem.

XX. *Febrem* hanc *Intermittentem*, & quidem *Tertianam* in principio *simplicem*, ac mox *duplicem* fuisse, patet è Paroxysmis alternis diebus recurrentibus.

Intermittentem Tertianam.

XVI.

Simplicem ut priori pio. Postea duplicem.

XXI. Observavi autem in plerisque; cœpisse hanc Febrem Epidemicam à Tertiana simplice, quæ paulò post mutatam est in duplicem, atque in principio quidem in plerisque paroxysmos fuisse tum leviores, tum breviores, ac fensim redditos tum graviores, tum longiores, adeò ut tandem continuè Ægri laborarent Febre, quamvis non putem dicendos ideò laborasse Febre continua.

Differentia Febrium continuè affligentium, & continuarum.

XXII. Atque hac occasione necesse habeo hic monere, non rarò malè confundi à plerisque, non tantùm à plebeiis, verùm Medicis quoq; Febres continuè Ægros affligentes cum Febribus continuis.

XXIII. Possunt, inquam, Ægri continuè affligi Febribus, sed intermittentibus, quæ idcircò neutiquam pro continuis habendæ.

Quænam febris continua dicenda, & quænam non.

XXIV. Hoc imprimis observandum ab iis, qui mecum arbitrantur, Febres intermittentes omnes ortum habere ab obstructione Ductuum Pancreaticorum Lateralium, quarum materia cum nec sit in Venis, vel Arteriis, nec necessariò perpetuum habeat cum Sanguine commercium, continuam non producet Febrem: qualis quoties ab intermittentibus excitatur toties unus vel plures humores, Bilis saltem, Succusve Pancreaticus, In universum ita corrumpuntur & alterantur, ut continuè eorum vitium Sanguini communicetur, atque inde pulsus fiat præter naturam frequentior, quod ad Febrem continuam producendam omninò requiritur: non item ad Intermittentem.

Quis dici possit continuè febricitare, non tamen febri continua.

XXV. Potest autem fieri, ut unius vel plurium Febrium Intermittentium paroxysmi tamdiu protrahantur, ut antequam cesset paroxysmus prior, invadat sequens, adeò ut nunquam immunis sit æger à febrili paroxysmo, quocirca meritò dici queat continuè febricitare, non tamen Febre continua, verùm Intermittente per paroxysmos longiores continuè ægros affligente.

Quod considerandum in curatione.

XXVI. Nec tantùm id noto, ne confusio fiat ratione notitiæ, quam quærimus ipsarum febrium sed insuper ac imprimis propter curam, quæ Intermittentibus atque continuis sæpenumero debetur planè diversa.

Febrem intermitten. tem adsci, scere aliquando continuam.

XXVII. Non nego interim, evenire sat sæpè, ut Intermittens Febris adsciscat sibi continuam, & quidem quatenus paulatim à Succo Pancreatico in Laterali ductu hærente ac corrupto, Febremque Intermittentem producente, nunc Bilis, nunc reliquus quoq; Succus Pancreaticus unà cum Sanguinis massa universa ita inficitur & afficitur, ut continua exinde producatur Febris, permanente aliquando simul Febre Intermittente, aut eadem quovismodo cessante, curatave.

XXVIII. Quod igitur aliquando evenire observamus, non evenit tamen semper, nec proinde omnis æger continua Febri laborans, credendus, dicendusve continua laborare Febri: quod velim omnes seriò expendere, in ægris observare, atq; in usum medicum revocare.

Epidemica Febris intermittens Tertiana tùm simplex, tùm duplex.

XXIX. *Febris* igitur *Epidemica*, quæ hoc tempores nos afflixit, *Intermittens* fuit, & quidem *Tertiana*, tum *simplex*, tum *duplex*: Quam verò in nonnullis observavi *Continuam*; eam *non primariam*, *sed secundariam* duntaxat, hoc est, ex præcedente Intermittente ortam fuisse existimo.

Ejus differentia a reliquis tertianis.

XXX. Quoniam verò frequentes sunt æstivo præsertim tempore, imò toto anni tempore Tertianæ, tum simplices, tum duplices; quæritur, quonam distinguatur hæc nostra Epidemia à cæteris.

Fuisse febrim Cardiacam.

XXXI. Huic quæstioni ut satisfaciam, dico hanc nostram fuisse ex genere *Cardiacarum*, hoc est, superius Ventriculi orificium, cordis nomine notum, præ aliis partibus omnibus maximè affligentium.

Quibus distinguatur à reliquis.

XXXII. A primario nempe Symptomate omnibus Aegris valdè molesto Anxietatibus putà, Doloribusque Præcordia affligentibus, & inexplicabili verbis modo urgentibus, torquentibusq; distinguitur hæc Febris Intermittens à cæteris omnibus alio Symptomate qualicunque ægris maximè molestis.

XXXIII. Quòd si tamen alicui nomen Cardiacæ minùs arrideat, alio utatur magis emphatico, quod ego minimè improbabo, quin potiùs laudabo & ipsemet usurpabo.

Hujus febris Causæ, & symptomata.

XXXIV. Atque sic constituto, determinato; Affectu nostro Epidemio, proximum est, ut ejus causas & Symptomatum omnium in multis rám diversorum rationes scrutemur; eruamus, omniumque judicia exponamus.

Anxietatis & dolorum circa præcordia cum nausea & vomitu causa.

XXXV. Anxietates proinde Doloresque præcordiorum cum Nausea, Vomitumve Aegros omnes præ aliis Symptomatibus omnibus mirè torquentes cùm causam proximam agnoscant non externam, sed internam, videndum, quænam in homine ipse reperiantur, reperiri possint, quæ rum Anxietates, tum Dolores circa præcordia, tum Nauseam, Vomitumve producere sint apta.

Quæ pars primariò fuerit affecta.

XXXVI. Per Præcordia & partem primariò hic Affectam, superius præsertim Ventriculi Orificium intelligendum, statuendumq; vel ex Nausea, Vomitumve omnes ægros occupantibus, & torquentibus, quinimò Anxietates, Doloresq; ipsorum circa præcordia affligentes agentibus liquet.

XXXVII. Ubi notandum, quoties hic partem primariò, & maximè affectam dicimus Orificium Ventriculi superius, toties non negari reliquum ventriculi corpus quin reouja intestina Ventriculo proxima, ipsumque Diaphragma in Nausea, Vomitumque semper concurrens simul affici, sed non primariò & maximè, sed aut secundariò, aut minùs, quàm ipsum Ventriculi Orificium superius, in cujus regione tum dolores sentiuntur acriores, tum anxietates majores.

A qua causa partes presse angantur.

XXXVIII. Angi autem solent Partes, quæ præmuntur; ab interna causa sponte, non item ab externa vi, aut violentia mota, quoties subitò præmuntur partes sensiles, toties halitus flatusq; imprimis peccare notum, tum per ipsorum discussionem, tum per ipsorum excitationem.

Anxietates à flatibus oriri.

XXXIX. Quoties namque discussis flatibus cessant Anxietates, toties ab ipsis ortas fuisse Anxietates patet.

XL. Quoties rursum excitatis à causa quavis flatibus oriuntur anxietates, toties ipsarum causam flatus existere posse patet.

Et in hac febre fuisse ortas.

XLI. *Anxietates* proinde cum *à flatibus ortum habere* possint, quæritur meritò, an quæ in Febribus hisce Epidemicis observatæ sunt Anxietates, à flatibus ortum habuerint? Respondeo autem, omninò habuisse ab ipsis ortum; quod vel maximè probatur ex iisdem flatibus in plurimis ægris tàm sæpe magna copia eructatis, & Anxietates plùs minùs minuentibus

Et quomodò.

XLII. Dico *plùs minùs minuentibus*, quoniam etiamsi ab eructatis flatibus ex parte levarentur ægri, tamen, quoniam continuè novi producebantur in corpore, Anxietates illæ confestim denuò recrudescebant.

Flatuum causa pituita & Bilis.

XLIII. Flatuum causas qui diligenter investigaverit, comperiet materialem ipsorum causam esse Pituitam viscosam, efficientem autem Bilem acriorem.

Dolorum causa.

XLIV. Quoniam verò non tantùm anxietates inferunt circa præcordia Aegros, verùm Dolores quoque ibidem molesti; *Dolores* autem tum *à distensione Ventriculi flatulenta*, tum *à tensione ejusdem* humorem, halitumve acrem consequente ortum habere possint: quæritur, an ab alterutra, an ab utraque causa modo enumerata ortum habuerint Dolores in hisce Febribus Epidemicis circa præcordia Aegros urgentes, torquentesque? Respondeo autem, *ab utraque causa dolores* illos in plerisque habuisse ortum, in paucis ab alterutra.

Nausea, & vomitus causa.

XLV. Hisce anxietatibus & doloribus cùm perpetuus comes fuerit *Nausea* molesta & importuna, quin frequentiùs *Vomitus* quoque gravis, atque utrque hic Affectus causas agnoscat easdem, sed gradibus duntaxat differentes, *Humores* puta vel halitus tum *volatiles*, tum *subacres* saltem, Intestinorum tenuium præsertim, hinc & Ventriculi substantiam sensilem ad motus peristaltici inversionem irritantes & cogentes,

XLVI.

Acrimonia ab amaritum.

XLVI. Cùm præterea in non paucis vomitu excreti fuerint *Humores biliosi, sed acres*, ac in quibusdam *Acidi* quoque; quin in benè multis *Aphthæ* fuerint excitatæ, *Ulcuscula* nempe *albicantia Linguam, & Palatum*, totumque adeò *Oesophagi Ductum* occupantia, itidemque ab acri, sed acido humore biliosove oriunda; confirmatur & hinc quoq; Acrimonia humorum in corpore peccantium.

Hujus febris causa externa communis.

XLVII. Ex quibus omnibus quoniam non tantùm Bilis acrimoniam salinam, sed Succi Pancreatici acrimoniam acidam quoque requiri ad enumerata Symptomata producenda, nemo non videt; quæritur meritò, cùm hic Affectus fuerit, & etiam nunc sit *Epidemius*, hoc est, *Causam externam communem agnoscens*, an *Externæ causæ* locum habuerint, quæ talem humorum *Biliosorum acrimoniam salinam*, & *Pancreaticorum Acidam*, quin etiam *Pituitosorum viscositatem* potuerint producere vel augere in corpore humano?

In Aere.

XLVIII. Hinc quæstioni ut satisfiat, non vereor asseverare, *Aere*, atque *in sola præsertim Aere* causas illas extitisse sufficientes ad affectus humoresq; tàm diversos in hominibus producendos.

Et quomodo orta.

XLIX. Postquam etenim satis diu nos vexavit & torsit cum frigore protracto *Ventus Borealis* plerumque satis gravis; atque ab ipso aucti sunt in corpore nostro tum *Pituita viscosa*, tum *Succus Pancreaticus*, *acidior*; secutus est per quatuor circiter septimanas *Æstas magnus, Bilis copiosæ acrioresq; Causa*, permanente licet *Vento Boreali*; cui mox successit denuò *Aer frigidus*, & satis *multa pluvia* plerisque gravis, *Humores omnes solvens*, *& ad vitiosam effervescentiam movens*; qualis Aeris constitutio ad hoc usque tempus continuè ferè permansit.

Ut & in quibusdam fructus immaturi.

L. Ab illa verò *Aeris mutatione sola* cùm omnes memorati, notatique Humores vitiosi potuerint commodè in homine produci, non est, quòd ad plures Causas recurramus externas; licet in multis plures habuerint locum, *Fructus* nempe tum *immaturi*, tum aliàs facilè *corruptibiles*: à quibus majori copia & immoderatiùs assumptis quemadmodùm facilè *conturbantur corrumpunturque* corporis nostri *humores*, ut inde produci possint omnia illa incommoda, quæ in Affectu nostro Epidemico recitavimus observata; ita frustra à causis nescio quibus occultioribus deducemus ipsum, quem facilè à memoratis causis deduci posse arbitramur.

Ab aeris frigore pituita viscosior ab ejus Æstu. Bilis acrior, et volatilior

LI. *A vento* igitur *Boreali*, *Aerisque frigore* tum *Humores Pituitosi* redditi sunt *viscosiores*, tum *Succus Pancreaticus* factus est *Acidior*; ab *Aeris* verò *Æstu* summo *Bilis* evasit tum *Acrior*, tum *Volatilior* ab eodem Aere humidiore soluti sunt humores omnes, deductique faciliùs in actum vitiosum.

LII. Cùm proinde à præcedente Aeris mutatione haud vulgari & ordinaria omnia ad molestias memoratas (Anxietates, Doloresque circa Præcordia, Nauseam, Vomitusque, frequentissima nempe hujus Affectus Epidemici Symptomata) producendas necessaria, requisitaque commodè possint deduci, quorsum ad alias recurreremus Causas externas, cùm istæ sufficiant?

LIII. Ab Aere igitur vario, utpote communi omnibus causa, deducimus Humorum variorum alterationem in corpore, hinc & notarum sæpiùs affectum Epidemicum.

Cur in pluribus non productus fuerit hic affectus.

LIV. Quemadmodùm autem præter dictum Aeris vitium multiplex plures causæ concurrerunt ad Affectum non tam producendum, quàm augendum ita in plurimis non excitatus est notarus Affectus, quoniam vel propter Corporis sui constitutionem peculiarem magis restiterunt illis Aeris mutationi variæ, vel propter Diætam in Cibo & Potu, Corporis Exercitio, Animique Motibus vel casu, vel consilio ita quovis tempore institutam, ut minùs nocere posset Aer varius, minùs affecti sunt quàm cæteri Diætam in cæteris rebus nonnaturalibus minùs aptam observantes.

Res non naturales qui in se invicem agant.

LV. Plurimùm enim possunt Res nonnaturales sibi mutuò oppositæ ad effectus mutuos infringendos, seprimendos, curandosve.

Aeris frigidi & Borealis incommoda qui prave niantur.

LVI. Sic exempli gratia, Aere urgente frigido & Boreali, bonum est, abstinere ab Aere externo; Ignem accendere in conclavi suo; usurpare alimenta tum Spirituosa, tum Aromaticis condita; Corpus solito magis movere ac exercere; Animum habere hilarem, & iræ potiùs, quàm metui addictum; Somnum vitare profundum & longum, &c.

Qui aeris calidis & æstuantis.

LVII. Contrà Aere existente calido, æstuanteque, bonum est itidem abstinere ab Aere externo, se recipere in locum subterraneum, vel aliàs frigidum, & Boreæ, non item Meridiei obversum usurpare Alimenta Acidia, & Austeris condita; Corpus solito minùs agitare, adeoque quieti magis & somno sedare; Animum habere hilarem, aut etiam tristem, ac meticulosum.

LVIII. Quoties proinde Homines casu vel studio emendant ex parte saltem Aeris externi damna, & noxas cæteris Diætæ partibus, mirum non est, si effugiant, superentque incommoda externo Aeri vitioso debita.

LIX. Quoties contra Homines per incuriam, petulantiamve jungunt Aeri corrupto aliæ Diætæ vitia, toties citiùs graviusque, ac periculosiùs incidunt in malo à solo Aere prædicto produci apta.

LX. Sic quò quis plura opponit Aeri noxio Diætæ reliqua auxilia, eò minùs patietur mali, citiùsque idem malum superabit, si ab ipso patiatur, lædaturque.

LXI. Affectus huic præsertim Urbi memorato anno Epidemii naturam investigaturi ac proposituri enumeravimus ac fundamenti loco præmisimus Symptomata tum Ægris omnibus communia, tum plerisque familiaria, tum quibusdam singularia.

Febris hoc Tertiana intermittes tũ simplex tum duplex Cardiaca.

LXII. Ex quibus deduximus 1. Affectum hunc *Febris* nomine appellandum & quidem *Intermittentis*, ac *Tertianæ*; subinde *simplicis*, plerumque *duplicis*.

LXIII. Deduximus ex iisdem symptomatibus 2. Febrem hanc Tertianam revocandam esse ad *Cardiacas* propter Anxietates inexplicabiles, Doloresq; atroces circa præcordia Ægros mirè cum nausea, ac sæpenumero cum Vomitu torquentes.

Ejus causa mala humoris Biliosi, Acidi & Pituitosi constitutio.

CXIV. Deduximus ex iisdem Symptomatibus, ac præsertim ex Vomitu humorum *& Biliosorum*, *& Acidiorum*, *& Pituitosorum*. 3. *Causam* ejus esse *Humorum horumce trium constitutionem vitiosam Effervescentiam* in tenui Intestino itidem vitiosam, & pravam producentem, atque sursum tam halitus, quàm humores Acres tam versus Ventriculum, quàm Cor propellentem.

Hujus constitutionis causa antecedens aeris mutatio.

LXV. Hujus Triadis humorum vitiatæ *Causas antecedentes* ostendimus 4. commodè peti ac deduci posse imprimis *ab aere miras* mutationes passo, nunc *frigido & boreali*, nunc *æstuante*, ac iterum *frigido & humido*.

Ejus præcautio per ceteras Diætæ partes.

LXVI. Quoniam verò, si non omnes, plerique saltem homines illis Aeris mutationi fuere expositi, nec tamen homines, aut plerique eandem Febrem sunt experti, addidimus id factum, quatenus incommoda illa vitiosum Aerem consequentia præverterunt multi cæteris Diætæ partibus, huic Aeris vitio oppositis, atque sic ejusdem vitia corrigentibus. Novimus enim sex rebus nonnaturalibus dictis contineri nostram Diætam, atque posse nunc Alimentis nunc Corporis exercitio emendari mala externo aeri vitioso debita.

Symptomatum causæ.

LXVII. Postquam igitur docuimus, imprimis *ab Aere varie mutata* deducendas diversas symptomatum in Febre nostra Epidemia observatorum causas, *Humorem*, puta *Biliosum Acrem*, *Volatilemque*, *Humorem Pituitosum crassum*, *viscosumq*; ac denique *Humorem Acidum seu Pancreaticum*, *Melancholicumve salsa Acriorem & Acidiorem*; operæ pretium videtur Symptomata omnia priùs à nobis enumerata ordine ab iisdem deducere.

Anxietatũ circa præcordia causæ pituita et bilis.

LXVIII. Et 1. quidem *Anxietates præcordiorum* Inexplicabiles partim *à Pituita viscosa*, partim *à Bile Acriore* deducimus, quatenus Pituita *in Flatus* à Bile distenta, & intestina tenuia mox & Ventriculũ distendens Anxietates illas parit, flatuũ eructatinne

tione tantillùm levatas, sed mox continua novorum productione, ascenduque iterum auctas.

Dolorum causa Succus Pancreaticus & Bilis. LXIX. 2. *Dolores* itidem in præcordiis, ac imprimis superiore Ventriculi Orificio graves molestosque deducimus imprimis à *Succo Pancreatico Acidiore, Acrioreque*, cum *Bile itidem sultò Acriore* vitiosè *Effervescente*, atque tum *halitus*, *tum humoris Acrioris forma* ex tenui Intestino usque ad *Ventriculum* assurgente, ibidemque *Orificium* ejus *sæpe. rius* potentiùs *afficiente ac rodente*.

Nauseæ causa Bilis volatilior. LXX. 3. *Nauseam* omnibus molestam deducimus præsertim à *Bile volatiliore* ad ventriculum quovis modo & forma assurgente, ipsumque ad vomendum irritante.

Vomitus causa Bilis acrior. LXXI. 4. *Vomitum* plerisque gravem deducimus tum ab eadem *Bile volatiliore*, tum præsertim ab ipsa *acriore* ad Ventriculum deducta, eundemque ubique mordicante, quin ad Motus peristaltici inversionem cogente.

Quomodo fiat Vomitus. LXXII. Quoties namque Humores acres ad tenue Intestinum propelluntur, sive ex Fellis folliculo, sive ex ipso Pancreate, atque ab ipsis solis, aut simul vitiosè effervescentibus, acrimoniamque suam subindeservantibus, subinde auctam habentibus rodunt, mordentur, acriterque ad sui contractionem magnam coguntur Intestina tenuia, ubi contingit Humorum istorum effluxus, confluausve, toties arctè se constringunt ibi tenuia Intestina, hoc est, quatuor circiter sub Pyloro digitorum transversorum distantia, qua constrictione permanente nullus conceditur per locum illum constrictum, ideòque angustatum transitus contentis in Ventriculo deorsùm; quin potiùs à constrictionis hujus violentæ loco quicquid à Ventriculo eò pergit, id omne denuò sursùm versus Ventriculum repellitur, inverso sc. propter notatam tennis Intestini constrictionem vitiosam motu Intestinorum peristaltico deorsùm, unde non ampliùs deorsùm, sed sursùm propellitur tum humorum in tenue Intestinum confluentium pars, tum quicquid deorsùm è ventriculo descendere satagit: qui motus Intestini & Ventriculi peristalticus præter naturam inversus ac pervertsus facilè omnia supra dictam Intestini tenuis constrictionem notatam contenta vomitu excludit, multumque Vomitus Symptoma parit.

Frigoris causa succus Pancreaticus. LXXIII. 5. *Frigoris* nunc levioris, nunc gravioris per intervalla & paroxysmos tedeuntis Causam eandem putamus, quam alibi docuimus habere locum in principio Febrium Intermittentium pleratumque; Succum sc. Pancreaticum in uno, pluribusve Ductibus Pancreatis propter obstructionem stagnantem, atque stagnatione acriorem factum, ideoque acrimonia sua obstruentem Pituitam perforantem, viamque sibi facientem, donec ad tenue Intestinum penetrans, & Bili nunc vitiatæ, nunc integræ, laudabilique occurrens, vitiosè tamen cum ipsa effervescat, & Halitus Acidiusculos emittat, qui per lacteas venas usque ad Cor, hinc & universum corpus delati sensum Frigoris in partibus sensilibus producant, eumque tamdiu durantem, donec Succo illo vitiosè stagnante omni ad tenue Intestinum delato, Bilis ab illo ampliùs non opprimatur, sed potiùs, quoties licèt, ipsi vicissim dominetur, atque Caloris sensum, de quo nunc dicendum, producat.

Caloris causa primaria Bilis, secundaria Succus Pancreaticus. LXXIV. 6. *Caloris* nunc levioris, nunc gravioris per paroxysmos exacerbati *Causam primariam* putamus Bilem tum à præcedente Aeris æstu *auctam*, & *acriorem* factam, tum à *Succo Pancreatico* febriles paroxysmos producente & cum ipsa vitiosè effervescente magis corruptam; adeò ut hic *Succus vitiosus & acidior* pro *secundaria & irritante Caloris Causa* sit habendus.

Et quomodò. LXXV. Quemadmodùm enim à Succo Pancreatico Paroxysmos febriles producente infringitur & opprimitur tamdiu Bilis, quamdiu idem ad tenue Intestinum confluit, frigus simul pariens; ita postmodùm à Bile parim oppressa & in tenui Intestino ex parte forsan quoque retenta corruptaque, & à nova continuè affluente, prioremque iterum excitante, adeoque roborata & potentiore opprimitur vicissim

plùs minùsve Succus Pancreaticus blandior ex Ductibus apertis, non item obstructis confluens, unde similiter halitus magis Biliosi non tantùm ad Ventriculum, Fauces, ac Os feruntur, sitimque pariunt, verùm per Lacteas Venas ad Cor tendunt, æstumque in universo Sanguine, hinc & partibus omnibus producunt.

LXXVI. Nec tantùm, quo diximus, modo Calor in corpore augetur, verùm *à Bile quoque per ductum hepaticum ad Cor rodente*, quatenus ipsa in eo à Succo Pancreatico, Paroxysmum febrilem producente itidem ad vitiosam Effervescentiam cogitur, unde, postquam Succi Acidi Acidioris non ampliùs accedentis vis cessavit, hic quoque ac in universo Sanguine Bilis dominium nanciscitur; quin ab hac itidem, ast suo modo, vitiosè Effervescente & Acriore facta reliqua quoque ex folliculo accedens corrumpitur, Acrior redditur; æstumque ubique auget.

LXXVII. Adeò ut *æstus ille* in universo corpore auctus pendeat tum *à Bile ad tenue Intestinum, hinc ad Cor tendente* tum *à Bile rectè per Ductum hepaticum ad Cor delata*.

LXXVIII. 7. *Sudor* plerisque *sponte prodiens*, ac utilitet *arte productus* pro causa sua agnoscit; ille quidem tum *potum copiosum*, quem hauserunt plerique, tum præsertim *præcordiorum Anxietates*, propter quas plerumque solet erumpere Sudor, tum *halitus febriles* utplurimùm in febrium intermittentium declinatione per cutis poros Sudoris forma erumpentes. *Sudoris spontanei causa potus copiosus, & præcordiorum Anxietates.*

LXXIX. *Arte productus Sudor* Medicamentis Sudori movendo aptis ritè usurpatis acceptus est ferendus. *Sudoris arte producti causa medicamenta.*

LXXX. Non inquirimus nunc in rationes omnes & modos, secundùm quos varius in homine prodit *Sudor Nonnaturalis*, *Præternaturalis*, & *Medicus* sive *Artificialis*, quò referendus *Criticus*: de quibus alibi & aliàs erit dicendi locus.

LXXXI. 8. *Sitis* gravis & molestæ Causa fuit *Bilis* tum per se Acrior, tum ab Effervescentia febrili adhuc Acrior, pejorque facta. *Sitis causa Bilis.*

LXXXII. Potus autem *omnis Fastidium* æquè ac *Desiderium* adscribendum puto utriusque *Acris Salini & Acidi vitiosi* confusioni ac perversæ Effervescentiæ: accedente Muco linguam obducente. *Potus fastidii & Desiderii.*

LXXXIII. 9. *Linguæ Siccitatis sensu gravatæ*, absque ariditate vera, Causa petenda videtur ab *Utroque Acri* tum halitus forma per Ventriculum ad Os assurgente, tum ipsi Sanguini confusi, & *Salivæ permisto* viscosiori; unde simul Muco quasi obducta visa est Lingua plerisque: cui quoque gustus deptavatus videtur adscribendus, cum Potuum æquè ac Ciborum penè omnium fastidio: Mucus autem hic partim ex Saliva, partim ex humore secundùm fauces descendente ortum habet. *Linguæ Siccitatis causa utrumque acre.*

LXXXIV. 10. *Aphtharum* tum frequentium, tum singulis molestarum Causa fuit dubio procul *Acrimonia Succi Pancreatici*, tum *Halitus*, tum *Humoris* forma per Ventriculum ac OEsophagum ad Os assurgentis, atque Ulcuscula albicantia non tantùm in Lingua Palato, & Gingivis totoque adeò Ore, verùm in OEsophago & Ventriculo etiam excitantis. *Aphtharū causa Acrimonia Succi Pancreatici.*

LXXXV. A *Succi Pancreatici*, utpote *Acidi*, *Acrimonia* pendere *Aphthas*, ex frequentissimo ipsarum colore albo patet; postquàm ab Acrimonia salsa lixiva nunquam albicantia, sed nigricantia produci solent Ulcera. *Ulcuscula Nigricantia ab Acrimonia Salsa lixiva.*

LXXXVI. Hoc vel idcircò notandum accuratè; quò Cura utriusque Ulceris & in Calore & in Causa differentis faciliùs observetur, & feliciùs absolvatur, de qua re infrà pluribus agi poterit.

LXXXVII. 11. *Capitis Dolor* multis valdè gravis pro Causa agnovit utramque *Acrimoniam*, sed imprimis *Salsam* lixivam, quoniam dutante Calore ac dominium obtinente Bile urgebat maximè. *Capitis Doloris Causa utrumque Acre.*

LXXXVIII. 12. *Vigiliarum* Causas meritò ab utraque acrimonia tum salsa, tum acida deducimus; à qua malè affectæ partes sensiles Somnum exulare, atque Vigilias perennare jusserunt. Durant enim *Vigiliarum causa eadē.*

perdurantque tamdiu Vigiliæ, quamdiu Objecta vehementer afficiunt sensuum externotum organa, atque molestiam, si non dolorem in ipsis excitant.

Somni Causa Pituita viscida.

LXXXIX. *Somnus* in paucis notabilis, nec nisi in Pituitosis; unde ipsum à Pituita multa & viscosa ortum habuisse putamus; In his ergo utramque Acrimoniam hebetiorem judicavimus ex Dolore minore tales urgente.

Doloris in regione lumbari causa Bilis & Succus Pancreaticus Acriores.

XC. 13. *Dolor in regione lumbari* multis gravis, paucis blandus, ortum habuit haud dubiè ab utroque humore Acriore, Bile, Succoque Pancreatico in tenui Intestino, adeoque in regione Lumbari confluente, vitiosè simul Effervescente, atque post Pituitæ abrasionem, partialem saltem, ipsum Intestinum mordicante, rodente, atque Dolorem multifarium, aliàs cum frigoris, aliàs cum caloris sensu, aliàs cum tusione, aliàs alium producente.

Alvi adstrictioris causa Succus Pancreaticus austerior, & Pituita viscida.

XCI. 14. *Alvi adstrictioris* nonnullis Epidemia febre laborantibus familiaris Causa fuit partim *Succus Pancreaticus Austerior*, partim *Pituita viscosior*.

XCII. Ab *Austero* namque *Succo Excrementa* non tantùm *incrassantur*, & ad motum ineptiora redduntur, verùm ipsa *Intestina* quoque *corrugantur*, & ad motum petistalticum perficiendum segniora efficiuntur.

Qua ratione Austerus Succus id præstet.
Qua ratione Pituita viscida.

XCIII. E *Pituita* verò *viscosa flatus* multi & quidem similes producuntur, viscosi nempe, à quibus *alvi excrementa indurantur*, & sic quoque ad sui motum ineptiora redduntur: quin ab iisdem non raro *Intestina ita distenduntur*, ut ad sui contractionem, contentorumque propulsionem inepta fiant.

Alvi fluxus spontanei causa Bilis Acrior.

XCIV. *Alvi fluxus* verò quoties observatus est spontè quibusdam evenisse, toties pro Causa sui agnovit *Bilem acriorem* præ Succo Pancreatico & Pituita viscusa dominium habentem, atque *Alvi Excrementa diluentem*, *Intestinaque ad sui contractionem* nimiam *cogentem*, quin *humorum serosorum secretionem copiosam in Sanguinem promoventem*, atque ad Intestina deducentem.

Torminum & Dysenteriæ causa Succus Pancreaticus acidior.

XCV. Quoties autem Alvi fluxui adfuere *tormina*, vel etiam ursit Dysenteria, toties Succus Pancreaticus simul extitit, non quidem austerior, sed acidior, propter quam aciditatem rosio, excoriatio, exulceratioque facta tunicæ internæ Intestinorum, hinc Dolor eorundem terebrans, ipsaque adeò Dysenteria: quæ utrique humori Acriori, dominium tamen servante Bile, accepta est ferenda.

Vis & Bilis.

XCVI. Dominium dixi servante Bile, non quoad Acrimoniam, sed quoad quantitatem, propter quam simul rapitur cum ipsa Succus Pancreaticus Acidior, & qualitate sua dominatum servans supra Bilem; adeo ut in fluxu Dysenterico quantitate Bilis, qualitate Succus Pancreaticus excedat.

Urinarum Varietatis causa varietas Humorum Bilis & Succi Pancreatici, & Pituitæ.

XCVII. 15. *Urinarum varietas* debetur *Humorum notatorum trium* in Affecto hoc variè peccantium *varietati*.

XCVIII. *Rubicundæ* namque acceptæ sunt ferendæ *Bili*; *Claræ*, *Crudæque Succo Pancreatico*; *quæ mediocre habebant modo, utrique illi humori se mutuò contemperanti*; *Turbidæ utrique humori simul peccanti*, & vitium suum in Urinis variis manifestanti, ac præsertim Succo Acido Bilis mala reprimenti.

Sedimenti varii causa Bilis varia.

XCIX. *Sedimentum paucum* vel *nullum in Urinis rubicundis* testabatur summum *Bilis* in Sanguine dominium, ac furorem; *Sedimentum* in iisdem *copiosum* testabatur *Bilem à Succo Acido* quodammodò *temperari ac debellari*.

C. Atque à tribus hisce Humoribus primariis, Bile, Succo Pancreatico & Pituita, diversimodè se habentibus ritè consideratis & cum Urinis variis collatis non ita difficulter forsan quivis mediocriter ingeniosus rationes Urinarum variarum eliciet, atque de illis judicium solidius, quàm multi agyrtæ, proferet: de qua re aliàs erit forsan dicendi locus.

Pulsus frequentioris causa Halitus Acidi.

CI. 16. *Pulsus* in omnibus ægris *frequentioris*, adeoque febrilis, Causa fuit eadem, quæ ipsius *Febrilis*; quam diximus fuisse in omnibus *Intermittentem*, ac quidem *Tertianam* tum *simplicem*, tum *duplicem*, ac in quibusdam etiam *Continuam*.

Et quomodo.

CII. Frequentiam igitur Pulsus quatenus Tertianæ Febris Symptoma fuit, agnovit durante frigore, ac Pulsu existente tunc simul Minore, ac Debiliore *Halitus Acidos* à prædominante tunc Succo Melancholico & Pancreatico priùs propter sui in lateralibus Ductibus obstructis subsistentiam Acriore facto in vitiosa sui cum Bile Effervescentia excitatos & per Lacteas Venas ad Cor delatos, atque ipsius Parenchyma mordicando & rodendo ad frequentiorem sui contractionem cogentes.

Pulsus Minoris Causa Halitus iidem Acidi ad Cor delati.

CIII. *Pulsus* autem tunc simul *Minor* acceptus ferendus iisdem Halitibus Acidis ad Cor delatis & Sanguini admistis, eundemque solito magis coagulantibus, adeò ut tunc densior factus segniùs ac difficiliùs rarefieri queat: unde necessariò sequitur Pulsus Minor.

Pulsus debilioris causa eadem.

CIV. Pulsus denique tunc simul Debilior debetur iisdem Halitibus Acidis Sanguinem non tantùm, sicut dictum, coagulantibus, verùm eo ipso ipsum ad partium quarumvis secessum ac secretionem ubivis absolvendam ineptiorem facientibus; unde in Cerebro Animales Spiritus minori copia tunc à Sanguinis Massa secedentes Animalem Motum ubique languidiorem efficiunt; quapropter multi eo tempore pedibus suis stare non possunt aut partes aliàs commodè movere.

CV. Secretionem eo tempore minùs ubique succedere, patet quoque ex Urinis, durante frigore febrili tenuioribus, ac minùs tinctis prodeuntibus.

Pulsus frequentioris causa durante calore Halitus Biliosi & Acidi juncti.

CVI. Eadem frequentia Pulsus Tertianæ febris Symptoma durante Calore agnovit *Halitus Biliosos, sed Acidis junctos*, atque itidem ad Cor delatos, ipsiusque Parenchyma mordicantes, atque ad sui contractionem similiter cogentes.

Cū Sanguinis rarefactione majore.

CVII. Cui accessit Sanguis rarefactio major cum Calore notabili à Bile quavis via ad Cor delata, & inibi Effervescentiam solito ferventiorem, calidioremque excitante, hoc est, ita ut Partes igneæ in conflictu illo erumpentes, atque subjectum pabulumque conveniens invenientes, Sanguinem putà minus coagulatum, condensatumque, incendium in ipso majus excitent, quod universo corpori communicatum calorem in ipso pariat notabilem ac molestum; unde solito quoque magis rarefactus ab illo igne Sanguis citiùs & ampliùs Cordis Ventriculos explicans, expandensque eosdem ad frequentiorem sui contractionem cogit.

Quæ Pulsus Majoris Causa.

CVIII. Ex iis, quæ jam diximus, patet, quænam Pulsus durante Calore febrili observati Majoris Causa sit assignanda, Sanguinis nempe rarefactio major, Cordis parietes, mox Arterias quoque solito magis expandens.

Pulsus frequentioris & Minoris Causa.

CIX. Quoties autem *durante Calore febrili Pulsus frequentior* quidem observatur, at *simul solito Minor*, quod haud infrequenter contingit, & malum portendit, quæritur, quænam ejus existat Causa? Respondeo autem illud fieri, quando Austerior fuit Succus Pancreaticus paroxysmum febrilem excitans, à quo eousque inspissatus fuit Sanguis, ut à Bile dominium occupante atque in Corde æstus causam excitante nequeat tamen Sanguis eousque rarefieri, ut simul pulsus fiat pro ratione caloris magnus.

Frequentioris & robustioris causa.

CX. Nec tantùm durante Calore febrili observatur præter *Pulsum frequentiorum* aliquando *Major*, & aliquando *Minor*; sed etiam aliquando *Robustior*, aliquando *Debilior*.

CXI. Quoties Robustior existit Pulsus, toties Spiritus Animales majori copia & à Sanguine secedere, & ad omnes partes, ipsumque adeò Cor propelli oportet: unde universus quoque Animalis Motus itidem potentior plerumque observatur.

CXII. Hujus autem secretionis copiosioris Causam putamus *Bilem* cæteris Humoribus prædominantem, atque universum sanguinem magis solutum, magis fluidum, minùsque concretum, coactumque præstantem: unde faciliùs, unde copiosiùs putamus secedere varios ex Sanguinis massa Liquores.

Debilioris causa.

CXIII. Quoties contrà durante Calore *Pulsus* existit *Debilior*, toties Animales Spiritus pauciores à Sanguinis massa secerni, pauciores ad Motus æquè ac Sensus organa deferri, atque ideò Functiones

nes Animales omnes imbecilliùs exerceri existimamus.

CXIV. Illud autem fieri censemus propter *Succum Pancreaticum* vitiosum, atque *acerbum magis, quàm Acidum* Sanguini aut durante frigore, aut continuè majori copia admistum, eundemque plus minùsve coagulantem, & ita quidem, ut à Bile durante calore dominium habente satis solvi, & ad partium variarum secretionem disponi nequeat.

Pulsus minores & Debiliores nil boni portendere.

CXV. Unde facilè patet, hos Pulsus durante Calore febrili Minores, Debilioresque nil boni portendere quin potiùs periculum magnum manifestare.

Ægros tales subitò perire.

CXVI. Hinc non mirum, si aliquando satis subitò pereant Ægri tales, præsertim, quando absque causa ejus manifesta, qui priùs habuerant durante Calore Pulsus satis Magnos & Robustos, paulò post obtinent Parvos ac Debiles.

Et quare.

CXVII. Signum enim est, *Humorem Acidum vel Acerbum aliquamdiu in quibusdam Ductibus Pancreatis lateralibus subsistentem tunc effundi*, atq; *Sanguini admistum ejus consistentiam vitiare*, atque *in Vitæ fonte, Corde, Sanguinis Effervescentiam vitalem ita turbare ac invertere, ut facile extinguatur Ignis vitalis, ipsuque adeò vita pereat.*

In quibus Febribus id sæpe accidat.

CXVIII. Illud autem non ratò evenit non tantùm in Febribus Epidemiis, qualem tractamus, verum aliis quoque tum Intermittentibus, tum Compositis, quoties præsertim nunquam immunes sunt à Febre ipsi Ægri, atque permanente in ipsis Calore fit tamen Pulsus tum Minor, tum Debilior, ut plurimùm Mortis metum incutiens, ipsamque plerumque tandem producens.

Ignis Vitalis in quibus consistat, & cur extinguatur.

CXIX. Quòd si, quemadmodùm arbitramur, *Vita nostra pendeat ex continua Ignis Vitalis propter* utriusque Humoris subcontrarii, *Succi Pancreatici Acidiusculi, & Bilis Amaricantis Effervescentiam blandam* mediocri copia erumpentis, atque in parte Sanguinis pinguiore subsistentis conservatione, facilè patet, quoties ille ignis minori quantitate erumpit, minùs ab ipso universum rarefieri in Corde Sanguinem, minùs promoveri Spiritum Animalium secretionem, faciliùsque opprimi, extinguique Ignem illum Vitalem jam per se debilem, paucumque.

CXX. Hoc autem fit præsertim, quando Succus Pancreaticus Austeritate notabili peccat, ideòque non tantùm minus cum Bile pugnat, Effervescitq; sed insuper Sanguinem efficit densiorem, coactioremque, adeoque ad rarescendum, partesque suas ubique promendas ineptiorem.

Pulsus intermittentis causa.

CXXI. Ab eadem Causa *Pulsum* & in hisce Febribus Epidemiis, & in aliis quoque subinde *Intermittentem* deduci posse autumo, & quidem non tàm ab ipso Succo Pancreatico Austero, quàm ab Halitibus similibus, hoc est, Austeris ad Cor delatis, & prout pauciores, pluresve sunt, pauciores pluresve Pulsus Intermittentes producentibus.

CXXII. Quoties namque Halitus Austeri Cor ingrediuntur, toties Sanguinem plus, minùsve pro majore, minoreve sui copia & Austeritate, coagulant, & in sua rarefactione impediunt; unde non mirum, si Corde segniùs ad sui Contractionem irritato, unus, pluresve Pulsus intermittant.

Halituum Acerborum causa.

CXXIII. Causa verò istorum Halituum Acerborum petenda mihi videtur ab uno, pluribusve Ductibus Pancreatis leviter obstructis, Succumque Acerbiorem in se continentibus, eundemque per intervalla breviora, vel longiora in tenuem Intestinum emittentibus, atque ob suum vitium Effervescentiam cum Bile vitiosam producentibus, ita tamen, ut Bile Succus notatus inferior, ipsam haud opprimat, quin potiùs ab ipsa in Halitus Austeros elevatus, & per Lacteas Venas in cor penetrans, sicut jam docuimus, Effervescentiam in ipso Vitalem tantillum comprimat, & quasi sistat, unde semel, aut sæpiùs intermittit Pulsus, hoc est, tam parvus, debilisque saltem existit, ut Tactu nequeat percipi.

Succus Pancreaticus unde Austerior.

CXXIV. Austerior autem existit Succus ille Pancreaticus in quibusdam Ductibus minoribus subsistens, forsan propter sui Subausteri stagnationem, forsan propter Causam externam Glandulas minores ad obstructos Ductus suum Liquorem emandantes præ cæteris afficientem, adeo ut non tantùm Ductus laterales istis glandulis ministrantes obstructi fuerint, sed insuper ipsæ Glandulæ ita fuerint affectæ, ut Succus in ipsis secerni, præparatique solitus reddatur Austerior.

CXXV. Dico, id *forsan* ita fieri, quoniam id certò asseverare non possum, Conjicio tamen, hoc ita fieri posse, quia quæ Causa, quando gravis est, Universum Pancreas, Succumque Pancreaticum potest efficere acerbum, eadem, quando levior est, videtur mihi aliquam Pancreatis partem præ aliis afficere, ac imprimis eas glandulas, quæ undecunque noxam aliquam sunt passæ.

Quare Inflammationes varias partes afficiant. Unam Pancreatis glandulam præ aliis affici.

CXXVI. Talia in alias Corporis partibus observamus indies, Inflammationes Exempli gratia nunc afficere notabiles, nunc exiguas corporis partes; nunc internas, nunc externas; prout nimirùm hæ aut illæ injuriis externis tunc temporis magis fuerunt expositæ.

CXXVII. Nec video, quid obstare possit, quò minùs similiter una Pancreatis Glandula præ aliis queat malè affici, si præsertim consideraverimus præter Causas externas posse aliquando in unam vel plures, non tamen omnes glandulas deferri Sanguinem vitiosum; Nam universus Sanguis ne quidem in eodem vase uniformis est, sed è partibus valdè diversimodè confusis constans: adeò ut nonnunquam eductus una hora vel die Sanguis plurimùm differat ab alio hora vel die alia eductu, unde unus erit dissolutus, alter mox ad coagulationem tendens.

Cur pauci perierint licet gravissime affecti.

CXXVIII. Symptomatum, si non omnium, certe plurimorum ac primariorum, à me saltem in ægris meis observatorum Causas & rationes aliquot hactenus enarravi, unum adhuc videtur examinandum, explicandumque; Cur, licet *gravissimè affecti* fuerint plerique, *pauci* tamen *perierint*, atque *Curatio* absoluta sit *segniùs*.

CXXIX. Affectum fuisse gravissimum ex Symptomatibus vehementibus patet: ipsum autem haud fuisse plerisque lethalem, censeo factum, propter Humores triplices ita peccantes, ut, quamvis notabilis fuerit singulorum à statu naturali recessus, tamen se mutuò tandem iterum contemperate, atque ex parte à medicamẽtis convenientibus emendari potuerint.

CXXX. Humor namque Biliosus acrior & volatilior à Succo Pancreatico acidiore & austeriore non parum fuit correctus, uti & hic ab illo: quemadmodùm utriusque Acrimoniam obtudit Pituita viscosior, atque hæc incisa est, atque quodammodò emendata ab utriusque Humoris prænominati acrimonia; Potuerunt igitur hi humores tres peccantes semetipsos ex parte corrigere ac emendare; quod tamen factum faciliùs accedentibus atque in usum revocatis medicamentis cujusvis vitio aptis & convenientibus, de quibus agemus mox.

Cur segnius absoluta fuerit curatio.

CXXXI. Quemadmodùm verò Humorum vitiosorum contemperatio mutua segnius, difficilius atque incertius absolvitur, ita quæ à medicamentis facta est convenientibus, citius, faciliùs, ac certius, est perfecta.

CXXXII. *Segniùs* autem *ad finem in* plerisque *deducta est Curatio*, propter Humores duos magis rebelles, atque correctu difficiliores, *Succum Pancreaticum acidiorem*; & imprimis *acerbiorem*, atque *Pituitam Viscosiorem*.

Affectus Chronici nam.

CXXXIII. Notum enim est, *Affectus omnes à Pituita, & viscosiore præsertim ortos, illamve comitem habentes vocari Chronicos*, hoc est, Curationis tardioris longioris, & diuturnioris.

CXXXIV. Non mirùm proinde, si hę quoque Febres Epidemiæ protractam habuerint Curationem, lentamque.

Curationem in tribus consistere.

CXXXV. Ut autem harum Febrium *Curationem* ordiamur, notandum, ipsam *consistere* 1. *in Febris Intermittentis*, qua Intermittentis, *sublationem* 2. *in Humorum* singulorum peccantium *Correctione* aut *Evacuatione*, sive Diminutione. 3. in *Symptomatum* singulorum ægris molestorum *mitigatione*; quò referri po-

test Febris Continua, in quibusdam ab Intermittente excitata, adeoque Symptomata.

Instrumenta curandi triplicia. CXXXVI. *Instrumenta*, quibus hunc in finem ut i potuimus ac debuimus, fuerunt, uti aliàs semper, *triplicia*: *Diætetica*, *Pharmaceutica*, & *Chirurgica*.

Diæta observanda. CXXXVII. *Diæta* igitur cùm in convenienti *Sex non-naturalium rerum* Usu consistat, I. ad *Febris* cujuslvis, ergò hujus quoque Intermittentis curationem promovendam conducebat

1. In Aere. 1. *Aer* ad *caliditatem* & serenitatem inclinans, qui quemadmodùm toto Affectus hujus Epidemici durationis tempore talis non fuit per se, quin potiùs asper, frigidus ac pluviosus, ita talis necesse habuit arte parari, accendendo in conclavi & cubiculo ægris destinato Ignem luculentum.

2. In Cibo & Potu. CXXXVIII. 2. *Cibus* usurpandus fuit Aromaticis blandis conditus. *Potus* autem utilis fuit Diureticus, atque Pituitam viscosam, Ductus Pancreaticos obstruentem incidere aptus: desiderantur enim Alimenta Medicamentosa in statu præternaturali emendando.

3. In Corporis Motu. CXXXIX. 3. *Corporis Motus* mediocritatem tantillum superans conducit ad omnes humores (& Pituitam præsertim omnem ipsisque Ductus obstruentem) fluidos, mobilioresque præstandos, sicque facilitandam notatæ obstructionis reserationem.

4. In Vigiliis & Somno. CXL. 4. *Vigiliæ* aliquantùm protractiores *Somno* longiori præferendæ.

5. In Animi Motibus. CXLI. 5. *Animi Motus* ad *Hilaritatem* componendi, & *Iræ* potiùs, quàm *Tristitiæ* aliquid indulgendum.

6. In Excretis. CXLII. 6. *Alvus* imprimis servanda libera & soluta; ut & *Urinæ* secretio, excretioque integra.

Et Menstruis. CXLIII. Quin opera danda, ut in Fœminis commodè fluant menstrua, dummodò id commode fieri & obtineri queat; neque enim semper id potest haberi.

Remedia Pharmaceutica quali applicanda. CXLIV. II. Ad *Febris Intermittentis omnis*, *Pancreatici Ductus Lateralis Obstructioni Pituitosæ ortum* suum debentis, ergò ad hujus quoque Epidemicæ *Curationem per Instrumenta Pharmaceutica* conducunt omnia, quæ tum *Pituitam Glutinosam incidere*, *attenuare*, *solvere*, *atque fluidam mobilemque possunt præstare*, tum quæ porrò *candem in Ductum Pancreaticum medium*, *hinc & in Tenuis Intestini Cavitatem*, *tandemque* extra *corpus propellere* possunt.

Pituitam Glutinosam obstructionem parere. CXLV. *Pituita* siquidem *Obstructionem* in Lateralibus Pancrearis Ductibus factura *Glutinosa* requiritur, quò & *partes ejus* simul *cohæreant*, & facilè *parietibus Ductus adhæreant*, motumque Succi continuè allabentis sistant, & quidem Acidiusculi; à quo iterum solvere tur confestim, nisi foret Glutinosa.

Hanc inciden da attenuanda & dissolvenda. CXLVI. Hæc Pituita si Glutinosa sit, uti mox eam requiri ostendimus, *incidi* debet, *attenuarique*; quò iterum reddatur fluida & mobilis, quin subinde *dilui* quoque debet ac *dissolvi*, ubi valdè Tenax existit.

Et ad intestina tenuia propellenda. CXLVII. Ubi autem fluida est facta, non ita difficulter *ad Intestini tenuis cavitatem propelletur à Succo Pancreatico* priùs propter ipsam *subsistente*; hoc tamen potentiùs, certiùs, citiùsque obtinebitur, *si Medicamenta* usurpentur, quæ non tantùm ipsam possint *dissolvere*, at simul *alteriùs propellere*.

Pituitam Incidentia Medicamenta. CXLVIII. *Pituitam Glutinosam incidunt* 1. omnia *Medicamenta Aciditate Acri prædita*, quæ vulgò tenuium ajunt esse partium; Acetum putà, & imprimis stillatitium, Spiritus Salis, Nitri, Vitrioli, Oleum Sulphuris per Campanum paratum, Succus Citri, Limonum, &c.

1. Acidiuate acri prædita. Eorum Usus. CXLIX. Quibus omnibus tutò utimur, quoties abundat simul in ægris Bilis, non item quando peccat Succus Acidus à quibus hic augeretur, sicut illa temperaretur: ne quis promiscuè ac temerè in quibusvis Ægris se iisdem uti posse Medicamentis præsumat; quæ pro peccantium simul humorum varietate varianda.

2. Aromatica & Sale lixivo prædita. CL. Pituitam Glutinosam incidunt 2. Omnia *Medicamenta Aromatica* & Subacria imprimis, ut & *Sale lixivio tam fixo*, *tam Volatili prædita*, qualia reperiuntur infinita ex variis Plantarum partibus, Radicibus, Corticibus, Lignis, Foliis, Floribus, Fructibus, Seminibus, Lachrymis, Gummi, &c. petita: quæ hic memorare infiniti esset laboris: Præ aliis tamen à Tyronibus malim usurpari vulgò febrifuga & specifica dicta, donec sensim alia quoque explorando longè plura agnoscant, quàm hactenus vulgo Medicorum innotuit.

Et quænam. CLI. Inter notissima sunt Carduus Benedictus, Scurdium, Centaurium minus, Euparorium, Juniperus, Angelica, Imperatoria, Nasturtium, tàm hortense, quàm Aquaticum, Erysimum, Guajacum, & cætera, quæ blandè Sudores movere solent, ac Urinas.

Salia fixa unde petenda. CLII. *Salia fixa* petuntur è plerisque *Plantarum* partibus ustis, moxque elixiviatis.

Unde Volatilia. CLIII. *Salia Volatilia* nullibi abundant æquè, ac in omnibus *Animalium* quorumvis partium.

CLIV. Paucæ occurrunt *Plantæ*, ex quibus facili negotio eliciuntur Salia Volatilia, inter quas primum forsan locum occupat Cochlearia, cum nonnullis Plantis Antiscorbuticis, non tamen omnibus.

Horum omnium Usus. CLV. Hæc autem Aromatica omnia, ut & Salia Volatilia, & imprimis Oleosa tutò usurpantur, quoties simul peccat in Ægrorum corpore *Succus Acidus*, non item quoties quantitate vel Acrimonia excedit *Bilis*; unde & in horum quoque administratione convenienti prudentia opus est, ne plus noceant ægris, quàm prosint Medicamenta imprudenter ac temerè usurpata.

Medicamenta varia utiliter posse confundi. CLVI. Sed possunt nonnunquam utiliter confundi simul Medicamenta tum Acida, tum Aromatica & Salina; quoties nimiùm aut simul quoque peccant Humores Biliosi & Acidi, aut neutri: ne nimirum in postremo hoc casu alterutros humores augeamus in corpore, sicque noceamus ægris.

CLVII. Et ne quis Ratione sua tumens Philosophaster in nos insurgens putet se cavillando posse Naturæ opera evertere, arguendo; Si confundantur Salina & Acida, futurum, ut illa simul effervescendo & in se mutuò agendo vim suam amittant, concentrata nempe atque simul unita.

Et quomodo. CLVIII. Sed respondeo, illa ita debere confundi, ut illa coagulatio & concentratio intima caveatur; quod fiet, si 1. confundantur utraque quodammodo saltem temperata, nec summè contraria. Si 2. alia simul confundantur, quæ intimam illam impediant concentrationem. Si 3. paulò post illam confusionem usurpentur eadem medicamenta, quæ si diutiùs serventur ita confusa, sensim uniuntur ac concentrantur intimiùs, sicque vim suam amittunt paulatim.

Hæc & Rationem & Experientiam docere. CLIX. Atque hæc omnia non docuit nos Ratio, verùm Experientia, cui re diligentiùs expensa subscripsit Ratio, patiens se informari ab Experientia de multis, quæ fugiunt tantisper Rationem, donec illa per sensus ipsi manifestarit Experientia.

Pituitæ glutinosæ Incidentia quænam. CLX. Sunt igitur omnia Pituitæ Glutinosæ incidendæ, attenuandæque convenientia Remedia vel Acida acriora, vel Salina lixiva, tum fixa, tum volatilia, quò referenda sunt Aromatica: quæ, uti diximus, possunt commodè simul confundi aliquando, & variis formis in usum revocari, tàm externè, quàm internè.

CLXI. Possunt enim forma Pulverum Pilularum, Tabellarum, Electuariorum, Potionumque variarum internè usurpari, additis sæpè aliis tum ad gratiam minùs gratis conciliandam, tum ad formam desideratam facilius habendam.

Qua forma exhibenda. CLXII. Possunt eadem forma Oleorum, Linimentorum, Unguentorum, Ceratorum, Emplastrorumve applicari externè, ac imprimis Regioni Lumbari, ubi situm est Pancreas.

Quo tempore. CLXIII. Possunt ac debent internè usurpari præsertim ventriculo jejuno, & quidem quantitate parva, quoties multa in corpore occurrit Lenta Pituita, quò illa sensim emendetur, nec glutinosa ex Intestino tenui ad sanguinem deducatur.

CLXIV. Possunt eadem itidem vacuo alimentis stomacho assumi quantitate majore, quoties pauca vel nulla in tenui Intestino est collecta Pituita Glutinosa; quò citiùs & abundantiùs pertingant ad Pancrearis Glandulis ipsosque Ductus ejus laterales obstructos, sique faciliùs feliciùsque solvant Pituitam obstruentem.

CLXV.

Quid Ægro in eorum Usu conveniat.

CLXV. Hæc eadem ut feliciùs, certiùsque suum absolvant opus, bonum est aut Corporis motu, aut Igne quovis, aut Tegumentis blandè movere sudorem; quò sic fusis & ignatis, atque commotis vehementiùs Humoribus omnibus faciliùs ad motum deducatur Pituita obstruens, sicque tollatur Intermittentis Febris Causa vera & unica.

Pituita præparata purganda.

CLXVI. Possunt in eundem finem post præviam Pituitæ universæ, si redundaverit in corpore, præparationem, exhiberi Medicamenta vel *Vomitoria*, vel etiam *per alvum purgantia*, ac præsertim *phlegmagoga*, quorum ope non semel una evacuatione notabili solutæ, ablatæque sunt Febres Intermittentes, dictæ tunc jugulatæ.

Vena-sectionem subinde convenire.

CLXVII. 3. Ad Febris Intermittentis cujusvis, quatenus eam Ductuum Pancreaticorum lateralium Obstructioni deberi existimamus, Curationem, an aliquo *Remedium Chirurgicum* notum sit, quod ipsi tollendæ conducat, dubito, adeòque de ipsa quoque Venæ-sectione, sanguinisque per ipsam emissione; utut reperiantur permulti, qui *Venam in quavis febre*, ipsisque adeò *Intermittente* aperiendam, sanguinemque continuò mittendum censeant.

CLXVIII. Quoniam verò existimamus & nos quoque, *conducere subinde*, quamvis *non semper, in Febribus Intermittentibus Sanguinis eductionem*, videndum quo fundamento nitatur tanta, quæ hic agitari solet, Medicorum discrepantia.

Quosdam existimare in omni febre conducere Vena-sectionem.

CLXIX. Qui *omnem Febrem*, non tantùm Continuam, sed Intermittentem quoque credunt consistere *in Calore præter naturam in Corde aucto*, atque *inde unà cum Sanguine in corpus universum distributo*; ex illo fundamento non malè concludunt, *Calorem illum præternaturalem minuendum* & in Corde & in Sanguine: Hoc autem cùm satis citò ac potenter efficiat sanguinis diminutio, mirum non est, si tales judicent in omni febre mittendum sanguinem.

Essentiam febris non consistere in Æstu.

Esse Febres algidas.

CLXX. Sed iidem nec probarunt, nec probabunt unquam Essentiam Febris omnis consistere in isto æstu in Corde, hinc & universo corpore præter naturam aucto, postquam dantur *Febres algidæ*, *frigore continuo*, & nullo calore aut ægris, aut Medicis, adstantibusve aliis notabili *molestæ*; quas, ne suis præjudiciis valedicere cogantur homines credere, quàm scire magis apti, negant simpliciter & audacter; quoniam in Auctoribus suis classicis, atque sua ex se mutuò exscribentibus, quos solos habent pro bonis, talia non legerunt, in musæo suo somniis excogitandis & conscribendis, quàm circa ægros Symptomatibus eorum observandis magis dediti; pro quibus orandum est, ut sit mens sana in corpore sano, ni & hoc ex affectatione, quin & quandoque Melancholia Hypochondriaca sit minùs sanum, sicut ex vultu talium tetrico, & moroso facile est Medicis practicis hoc deducere.

CLXXI. Sed quid dicent fusseni bonorum Auctorum helluones, ac nil prætereà ferè sapientes, *de frigore* tàm sæpe *per horas plures* tàm *graviter circa Intermittentium initia ægros vexante*, & lacerante, subsequente non rarò Calore leni, ac nullatenus molesto?

CLXXII. Audebuntur negare, durante frigore laborare suos ægros febre? An potiùs dicent toto illo tempore tàm longo auctum esse ac concentratum in Corde Calorem suum fictitium ac præternaturalem, quamvis nec sibi nec aliis, nec ægris ullo signo observabilem, præjudicio tamen suo necessariò concludendum?

CLXXIII. Sed pro his quoque orandum, postquā mirè delirat ipsorum mens. An quæso assentiamur hominibus omnem tum ægrorum, tum aliorum, tum suum sensum suis præjudiciis postponentibus, & quidem cum quotidiano ægrorum suorum detrimento? Absit, ut hoc agat vir bonus, ac Deum timens.

CLXXIV. Postquam verò non tantùm Experientiæ multiplici contradicit hominum vanorum præjudicium, sed insuper tam sæpè successus infelicissimus eodem vanitatis suæ convicit Sanguis in febribus intermittentibus eductus, meritò vani homines negliguntur à Viris tum Deum timentibus, tum proximum ægrum diligentibus; ejusdemque curationem omnibus Animi sui viribus quærentibus.

CLXXV. Postquam igitur etiam nunc sub judice lis est, in quonam consistat Febris omnis Essentia, nec ulli mortalium illa est unquam concessa in Medicina Auctoritas, ut pro lubitu de Affectus ullius essentia judicium ferat, verùm secundùm Experientiam certam & Rationem solidam; omnibus ex æquo incumbit Asserti sui probatio, quod eo ipso non probatur magis, quando plures alicui sua minimè probanti assensum suum præbent, quamvis ferat, talem assensum allicere & illaqueare rudiores ac imprudentiores, non item prudentes, nec minùs de rei veritate, quàm Ægrorum utilitate sollicitos Viros.

Authoris de Vena-sectione in febribus sententia.

CLXXVI. Quoniam igitur neminem novimus, qui vel olim, vel hoc etiam tempore, quin postquam publicè aliter de Febrium omnium essentia cœpimus ratiocinari, quàm vulgò solet, conatus fuerit Febris essentiam secundùm ea, quæ in febricitantibus observantur Symptomata, solida & certa Ratiocinatione constituere, probare ac demonstrare, ita, ut vel vulgarem de ipsa Veterum ac plerorumque Recentiorum Opinionem confirmaret, vel novam in medium produceret: non verebimur secundùm ea, quæ hactenus de Febrium omnium, tum præsertim Intermittentium (quas nunc tractamus) essentia in medium protulimus, quæque quotidiana continuatæ cum iis, quæ in febricantibus eveniunt, collatione indies firmiora & solidiora observamus, de Sanguinis per venam sectam missione judicium nostrum candidè ac liberè proponere, atque cujusvis Censuram æquam, non item calumniosam expetere atque exspectare.

Intermittenti Febri non conducere Vena-sectionem quà tali.

CLXXVII. Si proinde Febris Intermittentis omnis, quà talis, Causa primaria & adæquata sit Obstructio Ductuum Pancreatis Lateralium à Pituita in ipsis coagulata, Succumque allabentem tamdiu sistente, donec Acrimonia sua ideò aucta viam sibi denuò paraverit, facto, sicut indies magis magisque persuademur hanc esse causam Intermittentium Febrium unicam, non dubitamus asserere, Intermittenti Febri, quà tali, neutiquam conducere Sanguinis per apertam Venā evacuationem qualemcūque.

Sed propter Symptomata.

CLXXVIII. Non negamus interim, conducere aliquando in Febribus Intermittentibus Venæ-sectionem Sanguinisque missionem, verùm non tanquam Intermittentibus Febribus, sed tanquam Symptomatibus ipsas comitantibus; de quibus agemus posteà, ubi Symptomatibus Febrilibus sua præscribemus Remedia peculiaria.

In Orientali India & China Methodus curandi febres.

CLXXIX. In Orientali India & China solent multi Medici ad Febrium variarum curationem Acus aureas longas ac tenuissimas in varias Corporis partes intrudere, atque, uti putant, Febres miraculosè curare: quod fieri, audivi non semel à Viris, etiam primariis ex India reducibus; quamvis rationem istius operationis verè portentosæ à Medicis istis Empiricis nullam accepissent. Modus autem administrandi & intrudendi Acus istas aureas, cùm tenuissimæ sint & longissimæ, singularis est; Inter duos enim digitos longiores, indicem ac medium, Acus illas, quales ipse vidi, & manibus tractavi meis, sensim per cutim circa varios articulos intrudunt per modum terebrationis. Non potui autem hactenus ex tali Acuum aurearum immissione rationem ullam curationis febrium, aliorumque affectuum tam prodigiosæ comminisci.

Ægrum sublata febre, non dum esse curatum.

CLXXX. Cæterùm non putandum, Ægrum Intermittente Febre laborantem curatum, quoties sublata est ista Febris, ni cætera Humorum vitia, si quæ concurrerint, fuerint simul sublata, quoniam sæpenumerò recidivas patiuntur aliàs ægri, vel in alios incidunt affectus, si notata permaneant vitia; quibus proinde sua debetur Medicina.

Sed insuper Humorum vitia tollenda.

CLXXXI. Non immeritò igitur partem Curationis Febrium nostrarum Epidemicarum, quas Intermittentes fuisse docuimus, posuimus in Humorum quorumvis in Ægrorum nostrorum corporibus peccantium *Correctione*, quin aliquando *Diminutione* quoque per *Evacuationem multifariam*.

Secunda Curationis pars in humorum peccantium correctione, & evacuatione.

CLXXXII. Postquam verò ostendimus, peccasse in plerisque non tantùm *Bilem Acrimonia & Volatilitate auctis*: verùm *Pituitam* quoque *viscositate nimia*, ipsumque *Humorem Melancholicum sive Pancreaticum Aciditate*, & quandoque *Austeritate excedente*: in horum omnium tum *Correctione*, tum subinde *Diminutione ac Evacuatione* consistet secunda Curationis nostræ pars.

Remedia Diætetica Bili Acriori temperandæ utilia. 1. Aer.

CLXXXIII. Et primò quidem quoad Instrumenta Remediaque *Diætetica*, *Bili Acriori temperanda*, conducit 1. *Aer* ad frigiditatem blandam vergens, non autem asper ac Borealis, à quo irritatur potiùs, quàm corrigatur aut temperetur Bilis Acrior.

2. Alimenta subpinguia Farinæ subpingues.

CLXXXIV. 2. *Alimenta subpinguia*, atque *farinæ subpingues* hordeique adeò, & Amygdalarum dulcium Emulsiones; Talibus enim leniuntur, obducuntur, obtunduntur que partes Bilis acriores, non item ad æstum majorem producendum irritantur, exacerbanturve, quod sedulò hic cavendum, alterumque curandum.

Jusculu Carnium juniorum Animaliũ.

CLXXXV. Huc faciunt *Jusculu Carnium à junioribus animalibus petitorum*, quippe quæ subpinguia sunt, egregiamque continent *gelatinam*, quæ Bilis acrimoniam demulcet, obtunditque.

Potus tenuis & paucus.

CLXXXVI. Potus conducit similis, paucusque, Cerevisia tenus, ex hordeo præsertim satis coctο, ut & ex Fagopyri semine ex parte parata; Laudentur quoque ptisanæ ex hordeo mundato, Glycyrrhizæ radice, Passulis majoribus, ac similibus paratæ; ipsæque adeò emulsiones modò laudatæ; quorum ope mirùm quàm egregiè corrigatur, temperetur que Bilis acrimonia excedens.

3. Corporis quies. 4. Somnus longior.

CLXXXVII. 3. Ad Bilis acrimoniam temperandam confert quoque *Corporis quies*; atque 4. *Somnus longior*, quorum respectu quoniam minùs consumuntur Animales Spiritus, eorum pars solito major ad Bilem pergit, quam temperat, ipsiusque acrimoniam minuit.

5. Hilaritas Mœror levis.

CLXXXVIII. 5. Inter *Animi Affectus* ad Bilem acriorem temperandam conducit tum *Hilaritas*, tum *Mœror* levis, non item gravis: quoniam in Hilaritate functiones omnes obeuntur perfectiùs, ipsique Animales Spiritus & generantur, & quasquos versum propelluntur copiosiùs, ergo ad Bilem quoque, quam temperent.

A quo Succus Melancholicus fit austerus.

CLXXXIX. A mœrore autem levi Succus Melancholicus redditur blandè austerus, qui acriori junctus Bili non valdè molestam excitat Effervescentiam, quin potiùs leviorem, concentratis mox partibus Bilis acrioribus cum Succo Pancreatico blandè parumque austero.

Bilem volatiliorem figunt. 1. Alimenta, seu Condimenta subaustera. 2. Aer subasper. 3. Mœror.

CXC. Eandem *Bilem Volatiliorem* blandè *figunt* 1. *Alimenta* vel potiùs *Condimenta subaustera*, Omphacium, aliique Succi fructuum ferè maturorum, Succus Granatorum acido-dulcium, &c.

CXCI. 2. *Aer* subasper ac Orientalis vento blando perflatus.

CXCII. 3. *Mœror Animi* tum *levis*, tum *gravior*, cùm Austeram in corpore augeat; à quo vincitur, figiturque quasi Bilis.

Bilem evacuant.

CXCIII. *Bilem* eandem copia simul aucta peccantem minuit ac evacuat inter Diætetica Remedia, quicquid leniter alvum sollicitat, quod imprimis blandè præstant *Pruna exsiccata*, & cruda, coctave usurpata; quæ admodùm leniter Bilem evacuant.

Pruna exsiccata.

Pituitæ viscosiori corrigendæ conducit. 1. Aer serenus.

CXCIV. *Pituitæ* similiter *viscosiori corrigendæ* cõducit 1. *Aer serenus*, ac mediocriter saltem *æstuans*, qui sicut rarò fuit talis observatus hoc anno, ita necesse habuit talis arte parari concluso in conclavi mundo ipso ægro, excitatoque in ipso Igne luculento; dispersis per pavimentum, aut suspensis ex tabulato, appensisve parietibus plantis aromaticis suaveolentibus, ægroque gratis.

2. Alimenta Spirituosa, vel Acidis & Aromaticis condita.

CXCV. 2. Eidem Pituitæ viscosiori corrigendæ conducunt *Alimenta* tum *Spirituosa*, tum *Acidis* vel *Aromaticis Condita*, Vinum generosum, modisve variis factum Medicatum & Aromaticum; Condimenta verò petenda ex Aromatibus, Cinnamomo, Nuce moschata, Macere, Caryophyllis, Pipere, partibusve quibusvis plantarum Aromaticarum, Radicibus, Lignis, Corticibus, Foliis, Floribus, Fructibus, Seminibus, &c.

3. Exercitia, & Motus Corporis.

CXCVI. 3. Eandem Pituitam viscosiorem corrigunt *Exercitia & Motus Corporis diuturna* & satis vehementia.

4. Vigilia.

CXCVII. Ut & 4. *Vigiliæ* quoque, licèt debiliùs illæ id præstent.

5. Ira.

CXCVIII. 5. Inter *Animi Motus* plurimùm præstat *Ira*; dummodò non sit nimia nec diutiùs durans; propter quam Bilis reddita acrior non parùm incidere solet Pituitam Glutinosam.

Humori Melancholico Acidiori temperando conducit. 1. Aer Calidior.

CXCIX. *Humori Melancholico Acidiori temperando* conducit 1. *Aer calidior* ac serenus, quoties talis haberi à Solis æstu potest, qualem hoc anni tempore frustrà desideramus. Ejus tamen vices gerere potest *Ignis ex lignis suaveolentibus*, *juniperino*, ac similibus accensus paratus. Vis namque istorum lignorum aromatica & sale volatili blando abundans unà cum Aere inspirata sensim temperat in nobis Acidum exuperans.

2. Alimentum temperatum, sed Aromaticis conditum, &c.

CC. Eidem humori Melancholico Acidiori temperando conducit 2. quodvis *Alimentum temperatum*, sed *Aromaticis conditum*; ut & quodvis Alimentum *valdè Spirituosum*; denique quodvis Alimentum *Pinguedine subtili* præditum.

Alimentum temperatũ quale.

CCI. Dixi 1. *Alimentum temperatum*, hoc est, blandissimum, atque nullo modo à mediocritate recedens, penè insipidum ac inodorum, non valdè pingue aut spirituosum, quale sunt plerorumque Animalium juniorum carnes, ova, panis, &c.

Quid præstet.

CCII. Tale Alimentum per se Humores quosvis acriores lenit ac demulcet; potentiùs autem ac efficaciùs idem Humori acido præstat beneficium, ubi *Aromaticis* est *Conditum*; à quibus scilicet Aciditas infringitur, temperaturque aptissimè.

Alimentum spirituosum in quibus reperiatur.

CCIII. Dixi 2. conducere *Alimentum valdè spirituosum*, quod imprimis observatur in Potu, Vino putà generoso, aliove quovis potu Vinoso, vel Spirituoso, Cerevisia potentiore, Hydromelite, Succo fructuum quorumvis, Pomorum, Pyrorum, &c. fermentato, ac Vinum mentiente.

Alimentũ pinguedine subtili præditum quid præstet.

CCIV. Dixi conducere 3. *Alimentum pinguedine subtili præditum*, cujus ope quodvis Acre demulcetur & obtunditur, ac semper absque ulla novæ ullius formidine Acidum.

CCV. Subtilem laudavi pinguedinem, & maximè fluidam, quippe quæ parum in se continet Acidi, quod majori copia inest pingui coagulato, quale sevum, postquam omnis ab Acido fit pinguis coagulatio.

Pinguedines Aromaticas esse Medicamenta.

CCVI. Nullam hic facio Pinguedinis Aromaticæ, Oleorum putà stillatitiorum, mentionem, cùm hæc Pinguedo neutiquam pro Alimento, sed Medicamento sint habenda.

3. Corporis motus moderatus.

CCVII. Acido humori temperando conducit 3. *Corporis motus moderatus*, non item immoderatus, ut nec otium & quies multa. Moderato namque corporis Motu perfectiùs obeuntur Universę corporis humani Functiones, promoveturque Spirituum Animalium generatio & quaquaversùm propulsio, unde blandiores existunt Humores quivis, adeòque Melancholicus quoque, quem optamus temperatum.

Immoderatus motus quid efficiat.

CCVIII. Immoderato verò Corporis Motu sicut multi exhauriuntur Spiritus Animales, ita destituuntur necessariò iidem Humores omnes, qui proinde existunt Acriores.

Quid torpida quies.

CCIX. Quiete autem torpida sicut legniùs obeuntur omnes hominis Functiones, ita minùs sufficienter fermẽtatis tunc Alimentis pauciores Spiritus separantur in Cerebro, pauciores proinde quaquaversùm feruntur ad partes omnes, minùsque ab ipsis temperantur humores Acres, ipseque adeò Succus Melancholicus præter naturam existens Acidior.

4. Vigilia moderata.

CCX. Huic eidem Succo Melancholico Acidior temperando conducit 4. *Vigilia moderata*, non item nimia, vel Somnus multus; cujus cùm eadem sit penè ratio, quæ motus & quietis, non est quod actum agamus, eandemque cramben bis coquamus.

5. Ira.

CCXI. Huic Succo Acidiori temperando conducit 5 ex *Animi Affectibus Ira*, sed moderata potiùs,

quàm

quàm excedens; cujus vi agitatur solitò magis, & quaquaversùm propellitur Bilis, quæ Succo Acido permista ipsum reddit magis temperatum.

Humori Melancholico Austeriori conducit. 1. Aer blandè æstuans, & serenus.

CCXII. Eidem autem *Humori Melancholico Austeriori* corrigendo conducit 1. *Aer blandè æstuans*, & multùm *serenus*, cujus ope sicut Fructus omnes primùm Austeri, Acerbique paulatim dulcescunt, Acerbitatem saltem suam mutant, ita non improbabile, ab eodem Humorem Acerbum in nobis existentem fieri blandiorem, & quasi dulcescere.

2. Alimenta Spirituosa & Aromatica blandiora.

CCXIII. Eidem Humori Austeriori corrigendo conducunt 2. *Alimenta Spirituosa*, & *Aromatica blandiora*; Vinum generosum, Vinique Spiritus sua vistimus, qualem exhibet Vinum Malvaticum, & quodvis rubrum dulce.

CCXIV. Aromata blandiora condimenti loco addi possunt & Cibis & Potui cuivis.

3. Gaudium perseverans.

CCXV. Eidem Austeriori humori corrigendo conducet 3. ex Animi Affectibus *Gaudium perseverans*; Mœroris noxas, ideòque Austeritatem quoque tollens ac emendans.

4. Motus corporis Mediocris.

CCXVI. Eidem Austeriori humori corrigendo tantillùm confert 4. *Motus corporis Mediocris*, quatenus Animales Spiritus quaquaversùm propellit, unde ad Pancreas quoque delati Humorem Melancholicum blandiorem præstant.

5. Somnus aliquanto longior.

CCXVII. Eidem humori Austeriori corrigendo plùs confert 5. *Somnus aliquanto longior*, quàm *Vigilia*, vel minimùm excedens; quoniam *durante Vigilia non tam propelluntur* quaquaversùm, sicut heri diximus ob motū, *quàm exhauriuntur, consumuntur que Spiritus Animales*, unde propter vigiliam semper Acriores fiunt omnes in corpore humores, nunquā blandiores, quod de motu blando dici non potest. In hoc ergo differunt imprimis hę duæ res nonnaturales, Somnus Vigiliaque, atque Quies Motusque.

In quo differant Somnus Vigiliaque & Quies Motusque. Motus blandus quid præstet?

CCXVIII. Propter Vigiliam etenim semper consumuntur copiosi Animales Spiritus, quatenus tàm Internis, quàm Externis sensibus inserviunt, & utrobique pereunt. Propter motum verò levem, blandumque non tàm consumuntur, quàm augentur in corpore Spiritus Animales, quatenus ejus ope functiones omnes excitantur, perfectiùsque obeuntur, unde ipsa quoque Alimentorum Fermentatio in Ventriculo, eorundem secretio in tenui Intestino, Chyli Cor versus propulsio, Ignis vitalis generatio in Corde, Sanguinisque elaboratio ibidem, & motus per vasa redduntur perfectiores, unà cum Animalium Spirituum in Cerebro successu, atque quaquaversùm per nervos motu; quod frustrà expectabis à Vigilijs, quæ functiones istas omnes labefactant potiùs, quàm ut ipsas juvent, sicut id quotidiana testatur experientia, qua constat, durante Somno easdem commodiùs absolvi, quàm durante vigilia.

CCXIX. Sed dicet aliquis: non videntur hæc satis quadrare, postquam, si somnambulos exceptis, frustra quis expectaverit blandum corporis motum durante somno, quibus tamen duobus adscripsi modo Functionum naturalium promotionem.

Vigilia duplex.

CCXX. Cui respondeo, quamvis corporis motus non soleat fieri durante Somno, sed vigilia: vigiliam tamen esse diversam, aliam, in qua potenter aguot sensus externi, aut interni, aut utrique; aliam, in qua si non ferientur ipsi, agunt tamen potenter, aut valdè attentè nulli.

Propriè dicta. impropriè dicta.

CCXXI. Vigilia Ergò propriè dicta, in qua in opere attento versantur sensus, Animales Spiritus exhaurit multos: vigilia autem impropriè dicta, in qua parùm occupantur Sensus, talem non affert nobis Animalium Spirituum jacturam,

Quo respectu effectus Vigiliæ Motus affectibus opponatur.

CCXXII. Quoties proinde opponimus effectus Vigiliæ Motus effectibus; toties intelligimus Animali motui copulatam vigiliam inertem, non laboriosam, Spiritusque consumentem: si quis enim attentione magna consideraverit objecta præsentia, vel absentia, dum corpus mediocriter atque blandè movet, exhaurientur quidem multi Spiritus, sed propter Mentis operationes sensibus junctas, non itam propter corporis motum blandum; cui si copuletur vigilia negligens, nulla observabitur spirituum animalium jactura notabilis; cujus ego sequentem puto rationem, quoniam animales spiritus motui animali servientes videntur maxima sui parte ad sanguinis massam redire, imprimis quando nullus illi cumes est sudor; quod in Sensuum tum externorum, tum internorū operationibus evenire nondum adducor, ut credam; quin potiùs videntur mihi tunc, si non omnes, plerique saltem perire; quocirca forsan tanta virium animalium djectio, atque ad corpus movendum, ulteriùsque meditandum, sensibusque externis utēdum impotentia consequitur attentam meditationem, sensuumque externorum operationē protractam & objecta cum attentione directam.

Humorem Acidum, Austerioremque correctum educunt Sambucus ac Ebulus.

CCXXIII. *Humorem Acidum Austerioremque* priùs correctum *quę educant, Evacuentque Alimenta, vel Condimenta*, vix occurunt, præter *Sambuci*, *ac Ebuli folia teneriora*, & *nondum explicatos ipsorū flores*, si parùm decoquantur, & in principio aut medio prandii, cęnæve cum Aceto, vel aliter usurpentur; Alvum namque subducunt, atque humores Serosos blandè expurgant, & aliquādo etiam per vomitum.

Instrumenta Pharmaceutica Humoribus vitiosis corrigendis utilia.

CCXXIV. Atque hæc fuere Instrumenta Diætetica Humoribus in Ægrorum nostrorum corpore vitiatis, adeoque Bili acriori & volatiliori; Pituitæ verò Glutinosiori, atque Succo Melancholico Acidiori, Austeriorive corrigendis atque minuendis utilia; proximum est, ut nunc Pharmaceutica quoque pronamus, exponamusque.

Bili Acriori temperare.

CCXXV. *Bili* proinde *Acriori temperandæ* conducunt 1. Omnia *Acida*, præferendo semper *blandiora*, quippe quæ cum minore Corporis læsione, Humorumque agitatione opus suum absolvunt.

1. Acida blandiora. Subaustera.

CCXXVI. Inter Acida blandiora laudo imprimis *Subaustera*, quippe quæ Bilis Acrimoniam Salinam potentiùs reprimunt & infringunt, blandè tamen.

2. Subpinguia, simulque aquea.

CCXXVII. Conducunt Bili Acriori temperandæ 2. *Subpinguia*, simulque *Aquea*, & imprimis Emulsiones, ex Leguminibus, Nucleis, Seminibusve paratæ ex hordeo puta, Amygdalis dulcibus, Seminibus frigidis majoribus dictis, Papaveris Albi, &c. Terræ pingues.

3. Spirituosa.

CCXXVIII. Conducunt Bili Acriori temperandę 3. *Spirituosa*, sed nonnisi cautissimè usurpata, & in iis tantùm, in quibus eadem minùs est inflammabilis; ne plùs noceant, quam prosint; præferenda, proinde duo præmissa, utpote tutiora.

4. Aquea.

CCXXIX. Sed conducunt quoque 4. *Aquea*, licet potiùs diluant & debilitent Bilis Acrimoniam, nec ipsam propriè corrigant, temperentque.

Bilem Volatiliorem figunt subaustera.

CCXXX. Eandem *Bilem Volatiliorem figunt* præ aliis omnibus *Subaustera*, de quibus egimus sæpissimè, ut non videatur opus eadem iterum repetere,

Bilem evacuant. 1. Sursum commodissimè Antimonialia. 2. Deorsum Rhabarbarum, Tamarindi, Scammonium.

CCXXXI. *Bilem copia excedentem*, ideoque *minuendam educunt* 1. *sursum* commodissimè ac tutissimè *Antimonialia* Medicamenta ritè parata ac usurpata.

CCXXXII. Eandem 2. *deorsum educunt Rhabarbarum, Tamarindi, Scammonium*, &c. de quibus omnibus quoniam sæpiùs egimus, plura nunc addere, aut eadem repetere, non videtur operæ pretium.

Pituitam Viscosam quænam incidunt.

CCXXXIII. *Pituitam Glutinosam ac viscosiorem incidunt* 1. Omnia *Acida*, non item Austera. 2. Omnia *Aromatica* & *Sale Volatili* Acri prædita. De quibus abundè actum est à nobis in superioribus, Huc referri debent ex *utrisque mistis composita* medicamenta, quò referendum *Oxymel Scyllitícum*, & similia plura.

Incisam quænam evacuant.

CCXXXIV. *Pituitam viscosiorem incisam diminuunt, evacuantque Phlegmagoga* dicta, *Agaricus*, *Hermodactyli*, *Turpetum*, *Colocynthis*, *Aloe*, &c atque inter Chymica quęvis arte ritè parata *Mercurialia*, quæ omnibus aliis facilè palmam præripiunt.

Humorem Melancholicum acriorem temperant. 1. Aromatica. 2. Spirituosa. 3. Subpinguia.

CCXXXV. *Humorem Melancholicum* Pancreaticumve Acidiorem corrigunt temperantque 1. *Aromatica omnia*, & *Sale tum fixo*, *tum Volatili prædita*, sępiùs à nobis memorata, cum quibus concentrari, solet Acidum, ac infringi.

CCXXXVI. 2. *Spirituosa*, & imprimis *Aromaticis juncta*.

CCXXXVII. 3. *Subpinguia*, & quidem *volatili* & *aromatica pinguedine* prædita, quò revocanda Olea stilla-

stillatitia, & inter ipsa cæteris præferenda benigniora.

CCXXXVIII. Sed conveniunt hic quoque *Subpinguia Aquea*, *Emulsiones* putà modo in Bilis correctione laudatæ.

...tis & Salia volatilia.

CCXXXIX. Eundem *Humorem Austeriorem* præ aliis omnibus efficaciter atque blandè corrigunt, emendantque *Salia volatilia*, & inter alia Spiritus salis Armoniaci, omnibus hactenus mihi notis *Aromaticis* præferendus, quamvis & illa hic conveniant, ut & *Spirituosa*; non item *Pinguia*, exceptis nonnullis *Oleis stillatitiis*; *flatus dissipare aptis*.

Humorem Melancholicum correctū quænam educant.

CCXL. Humorem autem *Melancholicum* tàm acidiorem, quàm austeriorem correctum, atque ex parte saltem emendantum *redundante minuunt* ac educunt *Hydragoga* dicta, *Ebuli & Sambuci* Radicis, atque Ramorum Cortex, folia, floresque nondum explicati; *Semina Cathartmi*; *Mechoacanna* atque *Ialappæ* Radices, *Gummi Gotte*, &c. De quibus quoque egimus; agemusque sæpiùs.

Instrumenta Chirurgica Humoribus vitiosis corrigendis & minuendis apta.

CCXLI. Atque sic paucis & tanquam in compendio dedimus Instrumenta Pharmaceutica Ternario Humorum in Epidemia nostra febre vitiatorum corrigendo, minuendoque convenientia; videndum proinde, an Chirurgia quoque aliqua nobis queat suppeditare in hunc finem utilia.

Sanguinis missionem affectibus quibusvis non conducere.

CCXLII. Quamvis autem Parisienses Medici plerique Affectibus quibusvis curandis *Sanguinis missionem* optimum & unicum penè arbitrentur remedium, non possumus tamen nos idem cum ipsis sentire, atque in Humoribus ternis vario modo peccantibus emendandis, aut minuendis, aliquid eam præstare posse non putamus, postquam nulla ejus afferri potest ratio probabilis, nulla observatio certa: quin contrarium potiùs suadet ratio, testaturque idipsum experientia.

Nec in Epidemia febre humoribus vitiosis.

CCXLIII. Non negamus quidem, potuisse aliquando in nostrarum febrium Epidemiarum curatione cum utilitate adhiberi Venæsectionem; negamus tamen illam profuisse, quatenus ejus ope *Bilis* fuerit reddita minus Acris, vel Volatilis; multò minùs *Pituita* minùs viscosa, vel Succus Melancholicus minùs Acidus vel Austerus.

Externa remedia utilia quidem fuisse.

CCXLIV. Censemus igitur; potuisse quidem adhiberi externè Auxilia, remediaque humores notatos emendantia, sed quę potiùs pro Pharmaceuticis, quàm Chirurgicis habenda sint; quamvis de nomine cum nemine litem hic putemus movendam.

Symptomatum curatio.

CCXLV. Pergamus proinde ad tertium Curationis nostræ Caput, *Symptomatum* putà *multifariorum* Ægris nostris molestorum *Sublationem aut mitigationem* saltem; singula igitur ordine prosequamur.

Curatio Anxietatū & Dolorum circa præcordia.

CCXLVI. Inter Symptomata primum locum dedimus *Anxietatibus, Doloribusque circa præcordia, & imprimis superius Ventriculi Orificium & cominus, & maximè cum Febris exacerbatione nova ægros vexantibus.*

CCXLVII. Has Anxietates, hosque Dolores cùm deduxerimus à *Flatibus* Ventriculum, Partesque vicinas *distendentibus*, & ab *iisdem, vel halitibus Acrimonia sua* easdē partes *rodentibus*, nemo non videt, *mitigādis tollendisve* illis *Anxietatibus Doloribusque* convenisse omnia tū *genitos flatus halitusque discutientia & demulcentia*, tū *eorundē ortum impedientia*, quin *causas ipsorum emendantia vel educentia*.

Quænam ad flatus discutiēdos conferant.

CCXLVIII. Inter *Res nonnaturales* discutiendis Flatibus confert aliquid *Aer* ad caliditatem vergens ac serenus; ut & *Alimentum Spirituosum, Condimentumque Aromaticum*, ac præsertim ex *carminantibus* dictis, Seminibus putà Cumini, Carvi, Fœniculi, Anisi, &c. Macere, Nuce Moschata & similibus paratum: atque *demum Corporis motus* moderatus, sed ad Sudorem blandum usque pretractus.

CCXLIX. Ex *Pharmaceuticis* Remediis conveniunt *Flatibus discutiendis* eadem *carminantia* dicta, sed sine alimentis usurpata, & quidem forma varia; Pulveris, Decocti Potionis, Tincturæ, Olei stillatitii, Conditi, Tabellarum, Pilularum, & quavis alia, Unguenti, Linimenti, Cerati, &c.

Flatibus ... Acribus temperandis quænā conducant.

CCL. Iisdem *Flatibus & Halitibus Acribus temperandis* conducūt ex rebus nonnaturalibus *Alimenta* subpinguia, Iuscula, Emulsiones, &c.

CCLI. Ex *Pharmaceuticis* tum *Anodyna*, tum *Narcotica*, ut & *Spirituosa & Oleosa*, & *Aromatica*, & Sale Volatili blando sive Oleoso prædita, qualia sunt multa Olea stillatitia, sed minus Acria, uti Anisi, Fœniculi, Corticum Arantiorum, Citrorum, &c. de quibus omnibus sæpiùs egimus.

CCLII. Huc referenda iterum externa Olea, Linimenta, Ungenta, Emplastra, & similia lenientia, & humores, halitusque Acres temperare apta: quæ si quis ad Chirurgica Remedia putet revocanda, per me licet.

CCLIII. *Materiam flatuum*, *Pituitam viscosam*, *Efficientemque Causam*, *Bilem Acriorem*, quæ corrigant Remedia tum Diætetica, tum Pharmaceutica, enumeravimus nuper in Humorum vitiatorum Curatione.

Generationem flatuū impediunt Opiata.

CCLIV. *Generationem Flatuum impediunt* præ aliis multis *Opiata*; Theriaca, Mithridatum, Philonium Romanum, Requies Nicolai &c.

Eadem Dolores leniunt.

CCLV. Eadem *Opiata* præ aliis omnibus vulgò notis *Dolores* quosvis lenire solent ac demulcere, junctis præsertim aliis, quæ hic Flatibus, Halitibusque noxiis curandis docuimus utilia; dum non tantùm Humores plerosque corrigere apta sunt nata, & flatus dissipare, verùm insuper sensum sopire, atque sic somnum blandum producere.

Nauseæ & Vomitus curatio.

CCLVI. Secundum inter Symptomata Ægris nostris molesta locum dedimus *Nauseæ atque Vomitui* Humorum in superioribus notatorum, *Pituitæ vitreæ*, *Bilis amaræ*, atque *Melancholiæ Acidæ*.

Eorum Causa.

CCLVII. Causam verò tum Nauseæ, tum Vomitus diximus esse *Humores hos* modò dictos, vitiosè effervescentes, atque sua acrimonia Intestinum tenue ac Ventriculum mordicantes, tum *Bilem* volatilitate aucta viam sursùm affectantem, & notatam modò irritationem sursùm dirigentem.

Et Remedia.

CCLVIII. Utique proinde notato Affectui tum mitigando, tum tollendo conveniunt, quæcunque 1. *Humorum* præfatorum *acrimoniam temperare*, & vitiosam ipsorum Effervescentiam corrigere, aut cohibere; 2. *Bilis volatilitatem figere*; 3. *Partium affectarum Sensum sopire*; atque 4. *Partes vomendi* conatu, vomitùve defatigatas, *debilitatasque recreare* possunt.

CCLIX. Quę humores quovis modo acres temperant, enumeravimus non semel in superioribus.

CCLX. Ut & quę Bilis Volatilitatem figere possunt, proposuimus.

Partium affectarum sensum sopire Anodyna & Narcotica.

CCLXI. Partium affectarum sensum irritatione multa, continuave, valdeve molesta magis acutum redditum sopiunt blandè Anodyna, potenter Narcotica, conveniente quantitate ac modo usurpata.

Eorū Usus.

CCLXII. Quantitate parva exhibentur tutissimè, postquam sępiùs & tandiu possunt exhiberi, donec optatum obtineatur beneficium.

CCLXIII. Usurpari possunt hic tum externè, tum internè, & quidem forma varia, & imprimis Ægris gratiore & acceptiore, Exempli gratia internè forma Pilularum, Electuariorum, Tabellarum, Potionum &c.

Partes affectas & Vomitu labefactatas quænam reficiant.

CCLXIV. Partes hic affectas & vomendi conatu irrito, ipsove vomitu labefactatas, defatigatas, debilitatasq; reficere solent post sedatum priùs Vomitum, Nauseamve, tum Aromatica blandiuta, tum Spirituosa Aqueis diluta, & dulcibus gratiora reddita, Potionis pręsertim forma, cochleatim exhibenda, & quandoque Conditi forma usurpata.

CCLXV. Huc spectant Conservę Borraginis, Menthę, Flor. Rorismarini, Cortices Citri, & Arantiorum Conditi, Radices Enulę Campanę, Zingiberis, & similes itidem conditę, Nux Moschata & Juglans condita, &c.

CCLXVI. Huc faciunt Vina Medicata & Aromatica, & imprimis Aquę vitę multifarię, vitę Matthioli, stomachicę, & similes plures.

CCLXVII. Hisce si Opiata admisceantur, utrique Indicationi postremę conducent simul.

Frigoris Calorisque febrilis cū sudore Curatio.

CCLXVIII. Tertium inter Febris nostræ Epidemicę Symptomata locum assignavimus *Frigori*,

Calo-

Caloriq; Febrili per Paroxysmos repetenti, atque diversimodè Ægros afficienti, ac ferè *cum Sudore* recedenti.

Frigoris Causa.

CCLXIX. *Frigoris* hujus febrilis eandem putavimus causam, quę solet esse frigoris omnes penè Intermittentes Febres comitantis; *Succum* nempe *Pancreaticum* stagnatione in uno, vel pluribus Lateralibus Ductibus *Acidiorem factum*, atque post perforatam Pituitam Obstructem in tenue Intestinum certis temporibus effusum, ibidemque *cum Bile* nunc prius corrupta, nunc adhuc integra *vitiosè Effervescentem*, *Halitusque Acidiusculos & ad Cor, & ad partes alias deferendos excitantem*, qui hunc *Frigoris Sensum* in partibus sensilibus *producant*, & quidem tamdiu, quamdiu imperium in Bilem obtinet notatus Succus Acidior.

Curatio quibus absolvatur.

CCLXX. Unde facilè patet, *Frigoris hujus febrilis curationi* conveniret. quę *Obstructionem* in Ductibus Pancreaticis *solvāt tollantque*. 2. quę *Succum* stagnatione *Acidiorem* factum corrigant. 3. quę *Effervescentiam vitiosam reprimant, aut emendent*. 4. quę *Halitus Acidiusculos temperent*. 5. quę *Caloris sensum in partibus excitent*.

CCLXXI. 1. Quę Obstructionem notatam tollere possint, pluribus proposuimus in superioribus.

CCLXXII. Ut & 2. quę Succum Acidiorem corrigere valent.

CCLXXIII. Quin & 3. quę vitiosam Effervescentiam queant compescere, Opiata.

CCLXXIV. 4. Halitus Acidiusculos temperabunt eadem, quæ Succum Acidiorem, si fuerint multùm Spirituosa & Volatilia.

Calorem quęnam excitent.

CCLXXV. 5. Caloris sensum in partibus quibusvis excitabunt, & Aeris Calor auctus, quò tegumenta referimus; & Potus generosus, & Corporis Motus aliquanto validior, & quandoque Ira vehementior, & potentissimè Sudorifera ex Aromaticis & Spirituosis parata, si Sudor sequatur.

Caloris febrilis causa.

CCLXXVI. *Caloris* autem *Febrilis Causā* primariam judicavimus *Bilem*, tum ab externis Causis, atque in nostra febre à pręcedente solis ęstu, & in quibusdam ab Alimentis quoque *Auctiorem, Acrioremve*, tum à Succo Pancreatico febriles Paroxysmos pariente amplius *corruptam*, & postquam illius vis desiit propter Effervescantiam etiā tunc & in tenui Intestino, & in Corde Vitiatam loco frigoris nunc vicissim *Calorem auctiorem in corpore producentem*.

Ejus Curatio quibus perficiatur.

CCLXXVII. Adeò ut Caloris hujus Febrilis curatio pendeat 1. à *Bilis auctioris diminutione, & Acrioris contemperatione*. 2. à *Bilis* propter vitiosam Effervescentiam *corrupta correctione*. 3. *ab Effervescentię utriusque* tàm in tenui Intestino, quàm Corde, *Ardentioris*, atque *Sanguinem* universum solito *magis rarefacientis sedatione*. 4. ab *Æstus* in corpore universo *aucti compressione* aut sublatione.

CCLXXVIII. *Bilem quæ minuant, temperentque*, docuimus in superioribus.

Quęnam Bilem ab effervescentia vitiosa corruptam corrigant.

CCLXXIX. 2. *Bilem ab Effervescentia vitiosa corruptam quę corrigant restituantque*, an hactenus nota sint, valdè dubito, postquam Corruptio ista qualis sit, & in quo consistat, nos adhuc lateat? quocirca hanc difficultatem ampliùs examinandam censeo, priusquam quid solidi ad ejus solutionem afferri queat, à me saltem, qui necdum mihi hac in parte possum satisfacere.

Effervescentiam in tenui intestino, & cordis ardentiorem quęnam sedent.

CCLXXX. 3. *Effervescentiam* & in tenui Intestino, & in Corde pręsertim *ardentiorem, auctāque Sanguinis rarefactionem sedant*, cum omnia *Acida*, potēter id pręstantia, in potu præsertim usurpata; tum *Oleosa Aquea*, qualia sunt Emulsiones, debiliùs idem efficientia; tum *Sanguinis missio*, & *Halitibus Acrioribus* unà cum Sanguine copiosiùs tunc erumpētibus, & ipso *sanguine* sua effusione locum reliquo faciente, sicque *suffocationis metum minuente aut tollete*, simulque Corporis æstum notabiliter compescente: quā imprimis ratione ardori febrili temperando putamus conducere Sanguinem per Venam sectam eductum.

Æstum auctum quęnā minuant & tollant.

CCLXXXI. 4. *Æstus in universo corpore auctus minuitur, tolliturque* modò laudatis ad Effervescentiam ardentiorem sedandam remediis; quibus addi possunt *Aer frigidior*, vel quovis modo refrigeratus *Potus Aqueus & Acidiusculus*; *Corporis quies, ac Somnus*, & aliqualis *denudatio*; cavendo semper, ne ab uno extremo incidamus in aliud, & mutatione magna, subitaneāque in periculum novum conjiciamus ægros.

Sudoris spontè prodeuntis causa.

CCLXXXII. *Sudoris* plerisque *spontè prodeuntis Causas* posuimus tum *Pręcordiorum Anxietates*, propter quas ut plurimùm erumpit Sudor, tum *Halitus febriles* in Paroxysmorum declinatione per cutis poros Sudoris forma exhalare solitos; tum *Potum copiosum* ob urgentem sitim haustum, atque Sudoris eruptionem promoventem.

Qui non impediendus, sed promovendus.

CCLXXXIII. Hic *Sudor*, quatenus ægros levare solet, haud impediendus, sed partim *potu concesso*, partim *grato sudorifero* exhibito blande *promovendus*, additis, quæ Anxietates Cordis minuant, de quibus jam actum.

Sitis curatio.

CCLXXXIV. Quartum inter Symptomata molesta locum tribuimus *Siti* admodùm gravi, postquam cum *plerorumque Potuum Fastidio* fuit conjuncta.

Ejus causa.

CCLXXXV. Hāc adscripsimus *Bili*, partim *per se*, hoc est, ab Aeris vitio, partim *per accidens*, hoc est, ab Effervescentia febrili *Acriori factæ*; partim *utrique Acri, Salino & Acido* vitioso & simul confuso; partim *Muco & Salivæ viscosiori Linguam obducenti*, atque *Gustum pervertenti*.

Per Acidulas fuit curata.

CCLXXXVI. Hujus *non minùs depravatæ, quàm auctæ Sitis* cùm Causa fuerit multiplex ac mirè confusa, non mirum, si non minùs Medicos confuderit, quàm ægros convenientis Potus selectio: adeò non nisi seriùs potuerit superari, ac nullo potu citiùs, quàm per *Acidulas*, quoties illas ferre potuerunt, ac bibere optarunt Ægri: Hæ namque tum *Bilem acriorem corrigere*, tum *utrumque Acre* quodammodò *temperare* ac *emendare*, tum *Mucum, Salivamque Glutinosiorem incidere*, ac *diluere*; omnesque hos humores partim ad Urinæ vias, partim per Sudores deducere ac educere potuerunt; atque sic felicissimè sitim fallere ac tollere.

Et qua ratione.

Siccitatis in Lingua causa.

CCLXXXVII. Quintū inter Symptomata molesta locum dedimus *Sensui siccitatis in Lingua observatæ*, quam deduximus tum *ab utroque acri* in tenui Intestino vitiosè *effervescente*, atque partim per ventriculum halitus, aliave forma *ad Os assurgente* partim *ad Sanguinem pergente*, atque *Salivæ admisto*; tum *ab eadem Saliva solito viscosiore*, propter quam muco quasi obducta vita est Lingua, Gustum habens depravatum, sicut modò diximus.

Ejus curatio unde pendeat.

CCLXXXVIII. Hinc patet, Sensus hujus valdè molesti atque Sitim auctam mentientis *Curationem* pendere 1. *ab utriusque Acris contemperatione*; de qua non semel actum in superioribus.

CCLXXXIX. 2. Ab *Effervescentiæ vitiosæ correctione*, aut *aliquali* saltem *suppressione*; de qua itidem actum in superioribus.

CCXC. 3. Ab *Halituum humorumve* vitiosorum *Muriatico-Salsoram* ad Os assurgentium *emendatione*, quam imprimis promovet *Sal prunellæ* potui ordinario admistum, ut & *Emulsio hordei* non semel laudata.

CCXCI. 4. Ab eorundem *halituum, humorumve salsorum* Sanguini admistorum correctione, iisdem remediis absolvenda & obtinenda.

CCXCII. 5. A *Salivæ viscosioris incisione ac emendatione*, de qua itidem auctum abundè in superioribus.

Segniùs quare successerit.

CCXCIII. Quoniam verò hæc omnia non nisi temporis tractu obtineri possunt, mirum non est, si segniùs istius molestiæ cura succedat.

Aphtharū causa.

CCXCIV. Sextum inter Symptomata ægris nostris molesta locum dedimus *Aphthis*, quas *Succi Pancreatici* quavis halitus, humorisve forma per Ventriculum. Oesophagumque ad Os assurgentis *Acrimoniæ* adscripsimus.

Earum Curatio in quibus consistat.

CCXCV. Unde patet, earundem *Curationem* cōsistere 1. in *Acrimoniæ* notata *correctione*, in superioribus proposita; ubi notandum, quoniam Medicamenta

menta omnia in hunc finem usurpanda per Os, Fauces, Gulam, Ventriculumque Ulceribus hisce scatentia transire debent, talia esse oportere, quæ omnis acrimoniæ sint expertia, ne in transitu illo plus noceant, quàm prosint.

CCXCVI. 2. In *Ulcerum* eorundem *mundatione, delinitione, atque exsiccatione*.

Aphtharũ ulcera quænam mundent.

CCXCVII. Aphtharum *Ulcera mandant*, quæ blandè abstergent, *Melrosatum*, *Syrupus violarum* simplex, ac compositus; *Lactis* serum, *Decoctum Raporum*, &c.

Mixtura Aphthas.

CCXCVIII. Omnibus Indicationibus tribus satisfacit *Ovi vitellus conquassatus & Aquæ rosaceæ, plantaginisve admistus cum tantillo Sacchari*: Hujus namque ratione abstergentur, atque vitelli ope deliniuntur, & utriusque beneficio exsiccantur notata ulcera. Conducunt etiam in hunc finem *Emulsiones* hordei atque similes.

CCXCIX. Usurpantur pleraque forma gargarismi, qui nonnulla ore aliquandiu continentur, atque paulatim deglutiuntur.

Doloris capitis causa.

CCC Septimum inter symptomata molesta locum dedimus *Capitis Dolori* durante Calore febrili maximè urgenti, quapropter quamvis ipsum ab utraque acrimonia deduxerimus, deduximus tamen imprimis ab acrimonia salsa lixivia.

Curatio.

CCCI. Quin observavimus, eundem etiam cessisse imprimis *Emulsionibus* sæpiùs à nobis laudatis, quas non semel docuimus conducere Acrimoniæ omni, sed maximè salsæ temperandæ. Convenerunt tamen hîc non tantùm *Anodyna*, *sed Narcotica* quoque.

Vigiliarum causa.

CCCII Octavum inter Symptomata molesta locum dedimus *Vigiliis perdurantibus*, ab *utraque acrimonia sensiles partes malè afficiente*, atque somnum impediente deducendi. Nec tantùm *Cerebri meninges*, ast Ventriculi præsertim ac *Intestinorum membranæ* hic fuerunt malè affectæ.

Curatio.

CCCIII. *Curatio* proinde vigiliarum harumce molestarum expectanda fuit 1. ab *utriusque Acris contemperatione* sæpiùs memorata.

CCCIV. 2. *A stupefactio* quodammodò *partium malè affectarum sensu* per *Narcotica & Anodyna*: de quibus egimus ex professo in Doloris Orificii ventriculi, atque Vomitus curatione.

Somnolentiæ causa.

CCCV. Quemadmodum vix aliquem offendimus *Somno alto* correptum, non usum tamen subinde *Somnolentum*, ita hujus *Somnolentiæ* causam deduximus à *Pituita multa & vitiosa Caput occupante*.

CCCVI. *Curationem* autem *Somnolentiæ* hujus medicamentis *Pituitam viscosam ita emendantibus, ut reliquorum humorum vitiatorum acrimoniam neutram augerent*, perficiendam fuisse omnes ad hujus Affectus naturam & Symptomata attenti satis vident.

Doloris in regione Lumbaris causa & curatio.

CCCVII. Nonum inter Symptomata ægris nostri molesta locum dedimus *Dolor in Lumborum regione plerisque satis gravi*, atque *utrique humori* toties notato *acriori* vitiosèque effervescenti adscribendo, quin secundum ea, quæ toties repetita sunt, *curando*.

CCCVIII. Decimum inter Symptomata ægris molesta locum fecimus *Alvo* nunc *adstrictiori* nunc *laxiori*.

Alvi adstrictæ causa & curatio.

CCCIX. *Alvum adstrictiorem* quoniam deduximus & à *Succo Pancreatico Austeriore Alvi excrementa inspissante*, atque ipsa *Intestina quodammodò corrugante*; & à *Pituita viscosa in flatus resoluta & Alvi fæces indurante*, ipsius Curatio petenda à sequentibus.

CCCX. 1. A *Succi Pancreatici Austerioris curatione* per *Salia Volatilia*, sicut dictum in superioribus.

CCCXI. 2. A *Pituitæ glutinosæ incisione* per *Aromatica* suo loco in hunc finem laudata.

CCCXII. 3. A *Flatuum dissipatione* per carminantia itidem jam memorata.

CCCXIII. 4. Ab *Excrementorum inspissatorum, induratorumque emollitione* facili ac brevi per enemata difficili magis, ac segniore per Apozemata incidentia, emollientia, & carminantia, quin eorundem eductione per eadem, sed additis purgantibus humori peccanti convenientibus.

Alvi laxioris causa & curatio.

CCCXIV. *Alvum laxiorem*, adeoque *Alvi fluxum* spontaneum sicut deduximus à *Bile Acriore* duobus humoribus cæteris dominante; ita ejusdem *Curationem* putamus petendam à *medicamentis Bilem Acrem blande temperantibus*: sæpiùs laudatis.

Torsionum causa & curatio.

CCCXV. Quoties autem *Torsiones Intestinorum* comitatæ sunt *Alvi fluxum*, toties *Succum Pancreaticum Acidiorem, parciorem*q; *Bili Acri* admistum fuisse judicavimus atque ad Ipsarum Curationem talia fuisse usurpanda medicamenta censuimus, observavimusque, quæ utrumque humorem Acriorem, per tenuia Intestina motum, ibique maximâ noxium temperare possent, simulque eundem inspissare; qualia sunt Opiata multa, & imprimis Diascordium; Terræ pingues, ac sigillatæ omnes.

CCCXVI. Ubi verò notatæ Intestinorum *Torsiones* non tantùm in tenuibus, verùm *in crassis quoque Intestinis urgere* solent, tunc præter modò memorata remedia per os assumenda usurpari quoq; possunt utiliter Enemata humores Acres temperantia, Intestinaque malè affecta demulcentia, & si excoriata fuerint exulcaratave, consolidantia. In quem finem multis aliis preferendum est Enema ex Lacte bubulo, Terebinthina Venera, Ovi vitello, & similibus paratum; quoniam omnibus istis satisfacit Indicationibus, ipsique adeò Dysenteriæ, quæ coneutere observatur, curandæ aptissimum est auxilium, primariumque remedium.

Urinas varias esse quidem signa, sed etiam pro Symptomatis posse haberi.

CCCXVII. Quamvis *Urinæ variæ* in Ægris observabiles non tam inter Symptomata, quam signa soleant recenseri; possunt tamen ac debent nonnunquam pro Symptomatibus quoque haberi, qualitatis saltem mutatæ, & imprimis, quando Acres sunt, ac cum molestia, difficultate aut dolore redduntur, aut solito pauciores, copiosioresve mittuntur.

CCCXVIII. Ea de causâ inter Symptomata in febribus nostris Epidemiis observata undecimum ipsis dedimus locum, quæ cùm variæ fuerint redditæ, diximus 1. *Rubicundas* deberi *Bili* dominanti, *Claras, Crudasque Succo Pancreatico* præ aliis peccanti; *Medias utrique* simul peccanti & se mutuò contemperati; *Turbidas, turbatasque* itidem *humori utrique* simul peccanti, & alternatim vires suas exerenti.

Sedimenti variantis causa.

CCCXIX. Quin *Sedimentum paucum vel nullum in Urinis rubicundis* adscripsimus *Bili furenti*; *Sedimentum* verò in *iisdem copiosum Succo Acido* prædictam *Bilem opugnanti*, atque paulatim debellanti; sicut *Sedimentum album, crassumque in Urinis parum tinctis* arguit *Pituitam multam*, atque ex parte saltem solutam, & à Sanguinis massa secedentem.

Urinarum rubicundarum absque sedimento curatio.

CCCXX. Quoties proinde *Urinæ* excernuntur *rubicundæ, talesque absque sedimento permanentes*, opus est *auxiliis potenter Bilem furentem*, hoc est, Acrem, pinguemque *corrigentibus*, *Evacuantibusque* superiùs laudatis ut & aliis *Æstum Sanguinis temperantibus* paulò antè propositis.

Clararum crudarumque curatio.

CCCXXI. Quoties contrà *Urinæ Claræ, Crudæque* prodeunt, toties opus est remediis *Succum Acidum omnia in Sanguinis massa coagulantem alterantibus, ac corrigentibus*, ac præsertim *Sudoriferis temperatioribus, Aromaticis* tamen, ac simul *Spirituosis*.

Urina inter rubicundas & crudas qua signif.

CCCXXII. Quoties *medio modo inter Rubicundas & Crudas se habebant Urinæ*, toties hactenus licebat benè ægrorum restitutione sperare.

Urinarum Turbidarum curatio.

CCCXXIII. Quoties verò *Turbidæ reddebantur, vel paulò post turbabantur Urinæ*, toties *utrique humori simul peccanti corrigendo utilia* erant usurpanda remedia.

Sedimenti copiosi in Urinis rubicundis curatio.

CCCXXIV. Quoties *Sedimentum copiosum in Urinis* occurrebat *rubicandis*; toties promovenda erat *Succidi Acidi Bilem* paulatim expugnantis, *expugnantisque* vis, per subacida volatilibus Salibus nimiùs oleosis temperata.

Albi & multi in Urinis non valdè tinctis curatio.

CCCXXV. Quoties *Sedimentum album & multũ* repertum est in *Urinis non valde tinctis*, toties conducebant Medicamenta *Pituitam viscosam tum incidentia, tum evacuantia*, in superioribus proposita.

CCCXXVI.

Pulsui vario nullam deberi curationem peculiarem.

CCCXXVI Ultimum ac Duodecimum inter Symptomata locum dedimus *Pulsui* multis modis mutato, tum semper *Frequentiori* durante Febre, tum subinde *Minori*, subinde *Majori*; subinde *Debiliori*, subinde satis *Robusto*, qui Pulsus omnes cùm diversis Febrium Intermittentium temporibus ratione frigoris & caloris, aliorumque Symptomatum observentur, nulla peculiaris debebitur illis Curatio, postquam in præcedentibus abundè proposita sunt, quæ huc facere possent; ulterior proinde eorundem tractatio supervacanea foret; quare, quum nil quicquam reliquum sit, huic Febris Epidemiæ Descriptioni finem imponimus.

Finis Tractatus Noni.

TRACTATUS X.

De Affectu Epidemio, ab Augusto mense 1699. ad finem Ianuarij 1670. in Leidensis Vrbis Incolas sæviente.

Auctoris scopus in hoc Tractatu.

I. AFfectum Epidemium, atque huic præsertim Urbi nuperrimè gravem; exitialemque Medicorum Filiis suscepi explicandum, quò singuli non tantùm istum etiam nunc multorum, & quidem Medicorum quoque animos torquentem discant cognoscere, ac curare, verùm insuper alios aliàs hinc inde obventuros perscrutari ac intelligere.

Affectum hunc fuisse Epidemium.

II. *Epidemium* fuisse Affectum, qui anno superiore sub finem æstatis, cum ipso Augusto mense in hujus Urbis Incolas quosvis cœpit sævire, ac plures ad plures transferre, inde patet, quòd *plurimi ac penè omnes* in hac Urbe degentes illo fuerunt correpti, & *Causa ejus* fuit *communis*, non semper quidem hìc præsens, aliàs Endemius esset, sed illo imprimis tempore urgens, sicut ex dicendis adhuc posteà patebit.

Et valdè gravem, ac exitialem.

III. Nec tantùm Epidemius fuit iste Affectus, sed insuper *valde gravis*; & plurimis *Exitialis*. *Gravis*, ratione Symptomatum molestorum; *Exitialis*, ratione Mortis tam multos obruentis.

Primum in Cives Opulentiores, postmodum in Plebejos sævisse.

IV. Nec tantùm, quod in Epidemiis Affectibus sæpiùs evenire solet, *Plebeiis*, aut maximè Plebeiis infestus fuit hic Affectus, sed in *Ditiores ac Opulentiores Cives* plurimùm & primò sævit, postmodùm in Plebejos quoque.

Et partes duas tertias è medio sustulisse.

V. Et ita quidem sævit hæc Lues, ut Primariorum Incolarum partes duæ tertiæ ejus vi fuerint è medio sublatæ, adeò ut tota Civitas in luctu vixerit communi, tot familiis Parentibus utriusque sæpè orbatis.

Non tam Junioribus, quam Adultis fuisse lethalem.

VI. Illud enim notandum, licet nulli ætati, nulli sexui, nulli ordini pepercerit hæc Lues, Adultis tamen ac ætatis provectioris hominibus fuisse magis lethalem, non item Junioribus.

Eius Durationem & Recidivam.

VII. Quod Affectum hunc fecit graviorem, *Duratio* ejus fuit longo tempore protracta, & *Recidiva* frequens.

Acutum fuisse & Chronicum.

VIII. Nec tantùm *Acutus* fuit & gravibus Symptomatibus comitatus, adeòque plures brevi necans hic Affectus; sed *Chronicus* quoque diu alios crucians, & tandem similiter interimens.

Ejus Recidiva frequens.

IX. Imprimis *Recidiva frequens* plurimos afflixit gravissimè, nec tantùm Ægros temerarios, suique negligentiores, verùm continentes quoque, atque sui curam exactiorem observantes: ita fuerunt ab illo non tantùm fractæ & attritæ plerorumque Vires, sed, quod maximè considerandum & notandum, corrupti & malè constituti ab ipso plerique in corpore humores: qui à minima Causa externa, etiam inevitabili, mox iterum turbabantur, & novas in corpore adhuc ægro procellas prioribus non multùm dissimiles concitabant, quin sæpè graviores ac periculosiores.

X. Igitur præter Symptomatum varietatem & gravitatem cum aliis Epidemiis Affectibus multis communem, Affectui huic magis propria, quippe variùs se veniens, fuit ejus perdurans Diuturnitas, & Recidiva non una, sed frequens.

Felices & infelices in morbis quinam.

XI. Qui Affectu gravi correpti eo brevi tolluntur, hactenus felices habendi, quemadmodùm contrà infelices, quotquot illo diu macerantur, torquentur, & tandem eodem intereunt.

XII. Sic & illi habendi sunt pro Fortunatis, qui, postquam Affectûs periculosi vehementiam evaserunt, ad pristinam sanitatem redeunt, amissumque robur recuperant; & contrà pro Infortunatis, quotquot se Affectus gravis pericula sperant eluctatos, in eundem tamen mox iterum, & imprimis sæpiùs incidunt ac relabuntur: quod hìc factum.

Miseria ex hoc affectu Epidemio.

XIII. Quam miseriam, infelicitatemque publicam plurimùm auget communis afflictio plurimos eodem tempore exercens, adeò ut desint sæpenumerò qui tàm multis, tàm graviter afflictis satis succurrant; quod & in hac urbe & affectu Epidemio habuit locum: adeò ut nil videatur defuisse ad Incolarum conditionem valdè miseram reddendam miseriorem. Ita libuit Deo Sapientissimo multifariis suis telis eodem tempore in nos vibratis omnium ad incudem revocare patientiam, & castigare peccata. Non quòd putem, hujus Urbis Incolas in Deum peccasse graviùs, quàm vicinarum Urbium, aliarumve Regionum remotiorum habitatores, sed quòd libuerit Deo in judiciis suis imperscrutabili, horum castigatorum exemplo alios ad resipiscentiam hortari, ne, quod frequentiùs fieri solet, illam negligentes castigentur postmodùm his adhuc graviùs. Quod Medicos etiam decet ad animum revocare, ne putent ad secundas duntaxat ipsis attendendum caussas, sed ad primam quoque assurgendum; quippe quæ secundis imperat, nec Remediis Medicorum benedicit, quamdiu perdurant in suis peccatis Ægri, ad pœnitentiam subinde à Medicis quoque monendi.

Medicis non tantùm attendendum ad causas secundas sed & primam.

XIV. Utique imperitus, eorumque, quæ indies fiunt, planè ignarus est ille Medicus, qui non videt, qui ad animum non revocat, toties impeditam medicamentorum etiam optimorum & usu longo compertorum vim, efficaciamque, haud dubiè ab irato Deo, Ægrosque ad resipiscentiam salutarem per immissos ipsis morbos invitante & hortante.

Medicamentorum vires à Deo irato impedita.

XV. Tantùm enim abest, ut Medicina, quod improbè mussitant aliqui, Alumnos suos ad profana ducat; ut contrà pietatem ipsis, charitatemque Christianam potenter inspiret, quibus si destituantur aliqui Medici, hoc Arti, quam profitentur, non est adscribendum, verùm proprio vitio, & malignitati Cordis Deum nec satis agnoscentis, nec satis colentis.

Medicinam non impietatem, sed pietatem & charitatem inspirare.

XVI. Sed notatu valdè dignum, quod dicebamus modò, Affectum hunc Epidemium priùs & graviùs in Opulentiores ac Delicatiores sævisse, seriùs & quodammodò leviùs in Plebejus & Duriores; quod vel idcircò notavi denuò, quoniam illius Causa naturalis & modus agendi ejusdem ab hoc effectu dignoscetur faciliùs; sicut Deo juvante docebimus in sequentibus.

Notatu dignum, affectum hunc potius in Opulentiores, post in Plebeios sævisse.

XVII. Quoniam verò hic Affectus non tantùm

Illite-

Cur hunc affectum tractet aliter.

Illiteratis, sed inter Literatos Medicis quoque non paucis dubius est, ac etiam nunc habetur pro tam miro & abstruso, ac si ejus Causæ, ac earundem agendi modus humanum superarent intellectum, operæ pretium me facturum existimavi, si eundem accuratiùs proponerem, atque ipsius tum Causas evidenter ostenderem, tum Symptomata multifaria enuclearem, ut eorum cum proponendis Caussis connexum manifestarem, tum protractæ Durationis, frequentiorisque Recidivæ rationes, tum denique Curandi methodum Dogmaticam & Rationalem explicarem.

XVIII. Id autem à me meritò expectant multi, postquam & pluribus hoc Affectu Epidemio correptis præfui, & ipse eodem laboravi, & Practicæ Medicinæ Professionem suscepi, atque hactenus Affectus Epidemios durante Professoratu meo hic grassantes publicè tractavi: nec est, quod metuat ullus, me Affectus postremi tractationem detrectaturum, quamvis fuerit præcedentibus omnibus gravior & intricatior; quin imò vel ea de causa ipsum secundùm minimas etiam circumstantias mihi notas, vel in memoriam revocandas examinabo accuratiùs, & nil conscius omittam, quod ad ipsius dilucidationem putabo posse aliquo facere modo.

Ejus Symptomata.

XIX. Tractationis itaque hujus initium faciam ab enumeratione Symptomatum multifariorum non quidem in omnibus & singulis, sed in variis Ægris observatorum. Nam omnes non iisdem omnino laborarunt, & afflicti sunt Symptomatibus, verùm diversis, & quidem pro cujusvis Constitutione varia, Diæta diversa, Vitæ Genere, Ætate, Sexu, & similibus diversis; sicut ex dicendis unicuique patebit facilè.

1. Febris intermittens tertiana, primum simplex, mox duplex, & aliquando triplex.

XX. Primum autem locum dabimus *Febri*, & quidem *Intermittenti*, ut *Tertianæ*, singulos primùm corripienti, atque nunc in primo, nunc in sequentibus Paroxysmis Ægros ratione Symptomatum conjunctorum & mox dicendorum leviùs, graviùsve afficienti: & quidem primùm *simplici*, mox *duplici*, & quandoque *triplici* cum frigore atque horrore, nunc majore, nunc minore, mox etiam æstu, sed diverso, invadenti.

2. Febris continua superveniens.

XXI. Secundum locum assignabimus *Febri continuæ* in plerisque paulò post se priori jungenti, & ab ipsa sæpiùs productæ.

3. Anxietates circa præcordia.

XXII. Tertium inter Symptomata locum concedemus *Anxietatibus circa præcordia* plerosque mirè torquentibus.

4. Nausea.

XXIII. Quartum locum teneat *Nausea* omnibus ferè valdè molesta.

5. Vomitus.

XXIV. Quintus locus tribuendus *Vomitui* multifario rerum nunc insipidarum, sæpiùs amararum, acidarum austerarum & quandoque vitriolatarum; colore ipsarum existente quoque vario, albo, flavo, viridi, aut nigricante.

6. Appetitus prostratus.

XXV. Sexto loco considerabimus *Appetitum* Ciborum in plerisque *prostratum*.

7. Alimentorum fastidium.

XXVI. Ut & Septimo loco importunum in quibusdam quorumvis *Alimentorum Fastidium*, ad plures nonnunquam hebdomadas permanens ac vexans.

8. Sitis.

XXVII. Octavum locum habebit multifaria *Sitis*, nunc inextinguibilis, nunc penè nulla.

9. Potus aversio.

XXVIII. Nonum locum occupabit *Potus omnis aversio* mira & diuturna.

10. Linguæ ariditas & mucositas.

XXIX. Considerabimus 10. *Linguæ* nunc *Ariditatem*, nunc *Mucositatem*: nam eodem modo semper non erat ipsa in singulis constituta.

11. Aphthæ.

XXX. Spectabimus 11. *Aphthas*, plurimis valdè molestas.

12. Alvi fluxus & Dysenteria.

XXXI. Examinabimus 12. *Alvi fluxum* non tam in principio, quàm postmodùm quosdam Ægros urgentem, ut & *Dysenteriam*, licèt rarissimam.

13. Alvus adstrictior.

XXXII. Considerabimus 13. *Alvum* in plerisque inchoante morbo *adstrictiorem*.

14. Abdominis distensio, & dolor in Regione Lumbari.

XXXIII. Spectabimus 14. Multis gravem *Abdominis distensionem*, & *dolorem* varium, etiam *pertenebrantem*, ut præsertim in *Regione Lumbari* valdè molestum, cum Borborygmis.

15. Suffocatio Hypochondriaca.

XXXIV. Nec prætereundus 15. *Suffocationis & strangulationis Hypochondriacæ Sensus* ac metus.

16. Respiratio difficilis.

XXXV. Mentio etiam facienda 16. *Respirationis* nonnunquam *difficilis*.

17. Incubus.

XXXVI. Examinandus quoque 17. multis molestus *Incubus*, & quidem cum *Paroxysmis febrilibus accurrens*, atque urgente tunc ferè Somnolentia plurimùm angens.

18. Somnus profundus cum insomniis.

XXXVII. Unde non negligendus 18. multis gravis *Somnus satis profundus*, & *Insomniis multifariis* comitatus.

19. Vigiliæ cum Capitis dolore.

XXXVIII. Sicut contrà molestæ fuerunt aliis 19. *Vigiliæ*, cum *Capitis dolore intolerabili*.

20. Lassitudo spontanea.

XXXIX. Locum vigesimum occupet *Corporis Lassitudo & Defatigatio spontanea*.

21. Urina multifaria.

XL. *Urina* fuit 21. multifaria, plerumque satis *rubens*, mox *turbata*, & *multum* deponens *sedimentum*, itidem varium.

22. Virium dejectio.

XLI. *Virium*, & quidem *omnium* fuit 22. *dejectio*, & *prostratio* prodigiosa, & quidem tanta, ut eas vix longo tempore potuerint recuperare Ægri.

23. Recidivæ frequentes.

XLII. *Recidivæ* fuere 23. *valdè frequentes*, & ad minimum in Diæta erratum accidentes.

24. Abortus in Gravidis.

XLIII. *Gravidis* plerisque 24. factus est *Abortus*: adeò ut perpaucæ viros, vitalesque fœtus ediderint.

25. Dolores vagi.

XLIV. Atque Symptomata memorata Ægris plerisque fuere molesta, licèt & pauca alia quædam fuerint quoque gravia: uti sunt 25. *Dolores vagi*, & modò has, modò illas corporis partes vexantes.

26. Motus convulsivi, & spasmi flatulenti.

XLV. Sed & in nonnullis molesti fuere 26. *Motus convulsivi*, & illi quoque vagi; ut & *Spasmi flatulenti* ad hoc usque tempus multis graves.

27. Maculæ Scorbuticæ.

XLVI. Quin observatæ sunt in quibusdam 27. *Maculæ Scorbuticæ*, quæ ob hoc affectu ad solutionem copiosiorem excitatæ sunt.

28. Sanguinis eruptiones.

XLVII. Evenerunt etiam nonnullis 28. *Sanguinis eruptiones*, tum per *nares*, tum per *anum*, sive *hæmorrhoides*.

Symptomatum mutatio ob mutatum Anni tempus.

XLVIII. Quoniam verò hic Affectus non tantùm exeunte Æstate, atque incipiente Autumno Urbis hujus Incolas vexavit, verùm maximâ hyemis parte permansit molestus, nec satis urgenti Frigori cedens, factum est, ut tunc temporis ex parte mutarentur quædam ipsa Symptomata, & alia præterea in ægris manifestarentur.

29. Febris lenta.

XLIX. Plurimi namque à præcedente morbo & *infirmi* permanebant, & 29. *febre lenta* vel *quotidie*, vel *alternis*, vel *incertis diebus* afficiebantur.

30. Febris quartana.

L. Quin 30. admodùm multi *Quartana febre* sunt correpti, nunc *simplici*, mox *duplici*, & quandoque *triplici*; & quidem nunc ratione *frigoris*, nunc ratione *caloris*, nunc ratione *utriusque graviore*, aut *leviore*; perdurante ipsa in plerisque ad hoc usque tempus, tum ratione Affectus rebellis, tum ratione diætæ vitiosæ, tum ratione neglectionis medicamentorum convenientium; quorum ope plures paulatim curavi, postquam ex parte salutem restitutus potui denuò ægros invisere, atque ipsorum curam exactam magis habere.

31. Gravedines.

LI. Tota hyeme frequentes fuere 31. Ægris nostris *Gravedines*; atque

32. Tusses.

LII. 32. His succedentes *Tusses*; in quibus id observavi notatu dignum, cessisse ipsas magis & faciliùs *Flatus discutientibus*, quàm aliis medicamentis usitatis: quod imprimis factum iis, quorum Tusses plurimùm exacerbabantur ad lecti ingressum.

33. Raucedo.

LIII. Non paucis successit 33. Gravedini *Raucedo*, & ipsa quoque molesta; comitante ipsum, ut & Tussim *excretione varia*, tum *Serosa*, tum *Pituitosa Glutinosa*, tum aliquando *Vomitu assumptorum*, atque *Eructatione Flatuum*.

34. Inflammationes in faucibus.

LIV. Sed & 34. nonnullis obvenerunt *Inflammationes in Faucibus*; cum vel sine *Tonsillarum Tumore*.

35. Erysipelas Serosum.

LV. Non paucis 35. *Erysipelas in facie* obortum, & quidem *Serosum*, Belgis *Belroos* vocatum, admodùm multis, adeòque uni ex Collegis nostris quoque funestum atque exitiosum; imprimis, quando neglectum, aut non ritè curatum & fauces oppressit, & Cerebrum mentemque infecit.

LVI.

37. Tumores Oedematosi & Serosi.

LVI. Frequentiores fuere in quibusvis corporis partibus 36. *Tumores* nunc *OEdematosi*, nunc *Scrosi*, in *facie*, *pedibus*, *cruribus*, & quandoque *Universo corporis habitu*: *Leucophlegmatiam* veram, hoc est, Pituitosam, vel Serosam, quæ Anasarca quibusdam in specie nominatur, constituentes.

37. Ascites.

LVII. Quin 37. non pauci facti sunt *Ascitici*, tumore crurum aliquando præcedente, aliquando sequente abdominis tumorem.

38. Diarrhœa varia.

LVIII. Nonnullis 38. *Diarrhœa* supervenit varia, *Serosa* præsertim, vel *Pituitosa*, sed Affectum modò notatum haud tollens. Plures autem, quibus sine tali excretione disparebant subitò notati tumores, totius corporis vel crurum tantum, paulò post peribant.

LIX. Atque hæc sunt pleraque, & primaria Symptomata, quæ in Ægris nostris fuere observata, multa certè, molestaque, & propter Aeris constitutionem minus laudabilem hactenus continuantem rebellia.

Et quidem permanentem.

LX. Illud enim notandum, quin exactè notandum, hactenus *vitiosam* permansisse *Aeris constitutionem*, dum aliàs *mutabilis* esset *continuò*, aliàs *perdurans in constitutione* humanæ valetudini *noxia*.

Mutatio Aeris subita periculosa.

LXI. Quemadmodum enim omnis mutatio subita est homini periculosa, ita in specie Aeris quoque, dum aliàs *siccus* est, mox *humidus*; aliàs *calidus* mox *frigidus*; aliàs *serenus & tranquillus*, mox *turbidus & procellosus*.

LXII. Sicut autem omnis *Aeris mutatio subita* solet esse non tantùm *homini periculosa*, sed simul *noxia*; cujus noxa in quibusdam *confestim*, & in aliis *paulò post* aut seriùs manifestat, præsertim in Valetudinariis, & adhuc infirmis: ita, quoties *Aeris constitutio* per se homini *noxia perdurat aliquamdiu*, noxa cunctis evenit manifestior & gravior.

LXIII. Exempli gratia, *Æstus magnus*, *Frigus vehemens*, *Humiditas multa*, *Siccitas molesta*, *Agitatio Procellosa in Aere* homini sunt semper noxia; quæ, quò durant diutiùs, eidem sunt nocentiora, & ita quidem nocentia, ut ejus noxam evadant perpauci quemadmodum id anno superiore in Affectu Epidemio, quem nunc examinamus, producendo factum patebit ex dicendis.

LXIV. Postquam igitur Symptomata, si non omnia, pleraque saltem protulimus, quæ in notato Affectu Ægris fuere molesta; ad eorundem Causas proximas & adæquatas determinandas opus est, ut Affectus communis Causas communes, adeoque remotiores & magis evidentes præmittamus; ex quibus ritè consideratis expensisque faciliùs ad proximas & latentiores eruendas perveniemus.

Causa communes.

LXV. Solent autem *Causæ* illæ communes magisque *Universales* in *Rebus nonnaturalibus* dictis quæri ac inveniri, ac frequentissimè quidem in *Aere*, aliquando in *Alimentis*, Cibo vel Potu; nonnunquam in *Animi Affectibus* vehementibus, rarò in *Corporis Motu*, vel *Vigiliis*, nunquam fortè in *Excretis ac Retentis*.

Rectoratus Authoris pacatus, ac Luctuosus.

LXVI. Dico Causas Communes, magisque Universales, adeoque pluribus hominibus simul noxias *frequentissimè in Aere* existere, quod inde patet; quoniam *eodem omnes utimur Aere*, parùm atte mutabili, nec nisi ferè in locis conclusis.

LXVII. *Alimenta* verò tam esculenta, quàm potulenta, quibus utimur, cùm sint multiplicia, *nec iisdem utantur omnes homines*, nisi forsan in gravissima obsidione, aut simili casu valdè rarò, aliquando tantùm poterit ab ipsis produci Affectus Epidemius.

Authoris jactura domestica.

LXVIII. *Animi Affectibus valdè diversis* cum soleant homines plures simul viventes agitari, admodùm rarò fiet, ut eodem afficiantur diu omnes, nisi forsan *in communi periculo vel naufragii*, *vel alterius eversionis* versantes, ideòque *eodem Metu* ac *Tristitia* agitati.

LXIX. Sic mente vix potest excogitari, longè minus experientia confirmari Casus, in quo cuncti in eadem urbe aut regione homines cogantur *Corpus nimium movere* ad Affectum ipsis omnibus communem inferendum, nisi forsan in *fuga imminentis* aut urgentis mali; hostis, Aquæ, Ignis.

LXX. Idem dicendum de *Vigiliis*, quæ rarò tantæ observari poterunt in ejusdem Loci incolis omnibus, ut inde communem contrahant Affectum.

Jactura Publica in Academia Professorum.

LXXI. Sic locus non videtur concessus fictioni probabili, de *Excretis aut Retentis* cunctos, plerosque saltem in eodem loco afficientibus, nisi hoc fiat memorati jam Aeris, Alimenti, Animive Affectus ratione.

LXXII. Videamus proinde, quo se habuerint modo Res nonnaturales anno superiore 1669. ut determinemus, à quibus & possit, & debeat deduci Affectus noster Epidemius: Hoc enim facto erunt omnia longè planiora, & solidiora, quæ postmodùm deducemus ordine.

LXXIII. *Verno tempore*, atque *priore Æstatis parte Aer* fuit satis *frigidus & Borealis*. Huic successit mense *Julio*, *Augusto*, *Septembri & Octobris parte Æstus summus*, *nullo* penè flante *Vento*; *rara* decidente in hanc urbem, & loca viciniora *pluvia*.

LXXIV. Hoc verò observandum accuratè, postquam, etiamsi Pluvia decidat in unum locum, non cadit semper in alium quoque satis propinquum, quod & hic factum, unde etiam hic locus pejus affectus est vicinis plerisque, pluvia frequentiùs recreatis.

LXXV. Quoad ipsum Aerem, huic urbi, & regioni circumjacenti peculiare est ac noxium, quod careat Aquis mobilibus, scateat stagnantibus ac per se quiescentibus; adeò ut in hac Urbe locisque vicinioribus Aquarum mobilitas, & à putredine noxia præservatio pendeat à Ventis contrariis; quorum alii Aquas expellant foras, alii rursùm advehant foris.

Quomodò infectio Aeris Leidensis præcavenda.

LXXVI. Qua sui agitatione ac reciproca loci mutatione, quoties carent Aquæ, mox, liquidorum plerorumque more, corrumpuntur, vaporesque pro Soli & quandoque Aquarum diversitate assurgunt diversi, omnes tamen plus vel minùs noxii, quibus non parùm infici solet Aer, homines & bruta similiter inficiens.

Aeri contaminato remedia investigare omnium proborum esse.

LXXVII. *Aer* igitur tam *Solarium radiorum*, *Ventorum*, *Pluviæ*, *aliorumque aliunde* ac è longinquo *ipsi communicatorum* ratione, quàm *Vaporum*, *Exhalationumque* ex *Aquis* proximis & subjacentibus sed *stagnantibus* & sponte quiescentibus, atque *proximo territorio satis paludoso* assurgentium nomine infectus fuit & infestus factus hujus Urbis, & locorum proxime adjacentium Incolis.

Aeris mutationes notabiles.

LXXVIII. In Aere igitur observatæ sunt. 1. *Mutationes* notabiles, *Frigoris & Caloris*: quemadmodum enim post intentum satis & diuturnum Vernum, hinc ex parte Æstivum quoque *Frigus*, *Calor*, *Æstusque* successit sub Æstatis medium, usque ad bonam Autumni partem, isque grandis ac perdurans; ita rursus hunc Æstum excepit Algens, rigidumque *Frigus* tota hyeme adhuc usque tempus valdè molestum: intercurrentibus aliquando hujus frigoris remissionibus, sed levioribus, ac recurrente novo frigore itidem gravi, ac semper novam ægris, & sanis quoque noxam afferente.

LXXIX. Adeò ut illæ frigoris remissiones plus detrimenti ægris attulerint quàm solatii, propter frigus mox iterum repetens, atque incautos sæpius obruens ac premens.

In Siccitate.

LXXX. Nec tantùm illa noxia frigoris & caloris intensorum vicissitudine infestus fuit nobis *Aer*; verùm *siccitate* quoque solito diuturniore, idque propter *Pluviarum Defectum*.

Quid in Aere efficiat pluvia.

LXXXI. Plura siquidem Aeri consata, & Ventorum ope quaquaversùm translata Pluviarum ope solvi solent, cum ipsis saltem in Terram deponi ad ejusdem fertilitatem augendam, & Aerem illis ex parte liberandam.

Mundus propter Hominem.

LXXXII. Cùm enim totus *Mundus creatus sit propter Hominem*, *ut commodam in Terris agere vitam queat*: & aliæ quidem immediatè, aliæ verò mediatè ipsi serviant *Creaturæ*, opus est, ut illæ Creaturæ omnes ita sint mutuò sibi subordinatæ, ut beneficium illud contingat homini magnum, imò maximum.

LXXXIII.

Ex creaturas inservire duplicitèr. Vitæ simpliciter sustentandæ quænam inserviant.

LXXXIII. Inter illa verò quædam inserviunt *vitæ absolute ac simpliciter transfigendæ*, quædam eidem *feliciori ac beatiori præstandæ*.

LXXXIV. *Vitæ simpliciter sustentandæ & transfigendæ* conducunt 1. *Aer inspiratione attractus*. 2. *Alimenta Esculenta*, *Potulentaque* ad Nutritionem assumenda: quibus 3. addere possumus *Vestimenta* & quævis alia *Tegumenta*, *Domos* & similia, corpora nostra contra Aeris præsertim iotemperati injurias munientia.

Feliciori ac Beatiori transfigendæ quænam inserviant.

LXXXV. *Vitæ feliciori ac beatiori transfigendæ inseviunt* omnia, quæ *Sensus externos queunt demulcere*, atque *voluptatem inculpatam* homini afferre, qualia sunt nmoia quæ *Sensus delectant*, Objecta visibilia colorum varietate mirabili Oculos, Musica sonorum harmonia inexplicabili Aures, Odores suavitate exquisita Nares, Sapores Linguam & Palatum gratia multiplici, Calor & Frigus, ubi moderata sunt, ut & Mullities blanda totam Cutim voluptate minimè culpanda afficientia.

Deum Creaturas condidisse propter hominem.

LXXXVI. Hoc autem ut homini, imò hominibus contingat verè divinum beneficium, voluit Deus Creaturas omnes concurrere, atque Homini servire: quamvis propter primorum Parentum inobedientiam, peccatumque in Posteros transmisum, ac indies auctum voluerit idem rerum omnium Author & Dominus pœnæ immorigeris hominibus infligendæ loco Creaturas reliquas minimè consentire ampliùs in beneficio tanto indighis præstando.

Omnia tendere ad Hominis utilitatem. Et quomodo.

LXXXVII. Ita autem consentire sulent creaturę, ut Cœlum respondeat Terræ, Hominum domicilio, ipsamque in fluxu suo fœcundo reddant homini utilem, dum convenienti tempore *Pluviam* ipsis communicant, quin rursus Aquæ superfluæ sursum alliciuntur, dum *Sol radiis suis* Terram verberat & vaporis forma sursùm aquas movet; omniaque ex ipsa proventura excitat, vegetat, & fovet: tum in Hominis alimentum immediatum, tum in Brutorum nutrimentum, & imprimis eorum, quæ vicissim destinata sunt Homini alendo. Sic Plantæ tam mediatè, quàm immediatè inserviunt homini nutriendo.

Aeris mutationes à Cœlo. Utiles.

LXXXVIII. *Aer* autem inferior, in quo vivimus, à Cœlo similiter sive Aere superiore varias subit mutationes Homini aliàs utiles, aliàs noxias.

LXXXIX. Utiles quidem, quando secundùm Dei benedictionem inserviunt Hominis vitæ faciliùs & beatiùs transfigendæ.

Noxiæ.

XC. Noxiæ verò sunt, quando secundùm Dei maledictionem peccatis nostris debitam inserviunt vitæ nostræ miseriori præstandæ.

Aere quare indigeamus.

XCI. Aere verò indigemus præsertim ad respirationem, vitamque adeò conservandam, quemadmodùm & Bruta homini aliquando servitura.

Aerem Respirationi inservire moderatum, & quid præter.

XCII. *Respirationi* autem commodè inservit *Aer in qualitatibus suis sensilibus moderatus*, *Æstumque* adeò in Sanguine nostro secundùm naturam excitandum perpetuandumque *blandè temperans*.

Quænam in Aere requirantur.

XCIII. Requiruntur proinde talia in Aere, quæ id præstare possint nobis beneficium tantum, quippe sustentandæ vitæ naturali planè necessarium.

Ea ipsi aliunde communicari.

XCIV. Illa verò ipsi Aeri soli non esse propria, verùm aliunde Aeri communicari, ut nobis communicentur, facilè agnoscet, quisquis mente attenta expenderit, quali Aere tam benè, quàm malè valeamus, & tam recreemur, quàm premamur & quandoque opprimamur.

Eius ratio.

XCV. Aerem solum illud beneficium nobis præstare haud posse, patet ex impedita, & quandoque sublata hominum respiratione in excelsiorum montium cacuminibus Ventorum afflatu destitutis, ubi & Arcoæ inscripta quævis post annos multos conservata reperiuntur, & sine spongia Aqua madida & naribus applicata perfici nequit respiratio, quin mox sequi solet Suffocatio.

Venti aliud quàm Aer.

XCVI. *Venti* autem aliud dubio procul sunt, quàm ipse Aer, quippe qui spontè quiescens ab illis movetur & agitatur.

Eos esse vel natura diversos, vel aliud secum vehere.

XCVII. *Venti* rursus aut *natura sunt planè diversi*, aut *aliud secum vehunt*, quod tantam hominibus, aliisque Creaturis afferat mutationem.

Unde variæ mutationes.

XCVIII. *Mutationes* illæ non tantùm *frigoris* sunt & *caloris*, verùm *odorum* quoque variorum, quin *Acrimoniæ multifariæ*, aliarumque *qualitatum* vel *Sensus externos manifestè*, vel ipsum saltem corpus *occultè afficientium*, & quidem nunc benè, nunc malè.

Diversorū Ventorum aut diversa vehentium causa.

XCIX. Sive statuamus autem ipsos Ventos esse Naturæ diversæ, sive putemus alia quædam, & itidem naturæ diversæ transferri & quaqua versùm propelli cum Ventis; inquirendum erit in Ventorum istorum, aliarumve rerum cum ipsis delatarum diversitatem, diversitatisque Causas veras.

Aliquid ex Terra & Aqua attolli, idque à Ventis transferri.

C. Me quod attinet, magis probabile mihi videtur, aliquid *ex Terra & Aqua in Aere ubique attolli*, *aut eò propelli*, & illud multifariam à Ventis quaquaversùm transferri.

Id autem esse multifarium.

CI. Quod in Aerem ex Aqua, Terraque attollitur, multifarium esse, quivis facilè capiet, qui infinita in Terra & Aqua reperiri, & ut sursum alliciantur propellanturve, apta esse consideraverit.

Vapores ex Aqua.

CII. Id probant 1. *Vapores visibiliter ex quavis Aqua* elevati.

Halitus ex Terra. Sulphuris.

CIII. 2. *Halitus* similiter ex Terra assurgentes, ac imprimis è Locis, ubi *Metallorum & Mineralium* aliorum fodinæ sunt frequentes, *Sulphuris* præsertim, quo accenso assurgunt Halitus & Acidi & Pingues: his namque constituitur Sulphur, cujus accensi fumus odore admodùm gravi nares solet afficere, quin respirationem impedire; atque insuper plantarum partes rodere ac corrumpere.

Hoc ex quo constituatur.

Halitus Sulphureos plantas urere.

CIV. Quoties proinde observamus Arborum non tantùm folia, sed ramos quoque, magisque plantas uri quasi vel corrodi à quibusdam exhalationibus vel halitibus cum Vento per Aerem propulsis, & nunc spatio latiore, nunc angustiore aliquam Terræ plagam perrepantibus; toties Halitus illos esse Sulphureos, vel Sulphureis similes, ex effectu & odore licet conjicere, si non simul concludere.

Halitus per Aerem dispergi noxios & utiles.

CV. Postquam igitur patet modò memorata Experientia, dispergi ac deferri per Aerem Halitus & Hominibus, & Brutis, & Plantis noxios, meritò quærat quivis veritatis Curiosus, an non utiles quoque tam Hominibus, quàm Brutis & Plantis deferantur similiter per Aerem Halitus, vel quævis alia corpuscula ipsis utilia.

CVI. Nec dubito ego id asserere, postquam non tantum Pluvia nominatis Creaturis utilissima defertur, delabiturque indies per Aerem, verùm non raro cum Ventis blandioribus observantur ferri per Aerem Halitus suaveolentes, Hominesque manifestè recreantes ac roborantes.

Pro Aeris diversitate respirationem esse diversam.

CVII. Quemadmodùm prætereà experimur indies propter Aerem procellosum aut valdè pluviosum impediri variis modis Respirationem, ita experimur similiter ab Aere sereno & frigidiusculo feliciùs procedere eandem Respirationem, nostrasque augeri ac refici vires.

Et oriri vel varios morbos, vel sanitatem conservari.

CVIII. Rursus, quemadmodum experimur indies ab Aere ardentiore aut algentiore tum Caput, tum alias corporis partes notabile pati detrimentum, afficique morbis gravibus, Gravedine, Catarrhis, Raucedine, Tussi, Phthisi, & similibus pluribus; ita experimur quoque ab eodem Aere temperatiore, nec à Solis Radiis æstuante, nec à Septentrionalibus rigoribus glaciante, non tantùm conservari in sanitatis statu sanos, sed non parùm commodi accipere ipsos Ægros.

Quorum respectu plurimùm sit diversus Aer.

CIX. Quoniam verò non semper sibi est similis Aer, sed plurimùm diversus 1. *ratione diei*, *vel noctis*, propter quotidianum Solis ortum, ascensum ac descensum; occasumque. 2. ratione *Verni*, *Æstivi*, *autumnalis*, aut *hyemalis temporis*, propter ejusdem Solis ad nos accessum ac recessum. 3. ratione *pluviæ* cadentis *multæ vel paucæ*, *nulliusve*. 4. ratione *Ventorum à Meridie* imprimis aut *Septentrione* flantium, minùs ab *Oriente*, aut *Occidente*, plagisve intermediis. 5. ratione *Nebulosi* existentis *Cœli*, aut *Sereni*. 6. ratione *Cœli* ejusdem *tranquilli* existentis, aut *procellosi*, & *conturbati*, & sic porrò, necesse est, ut aliunde ipsi

hæc

hæc accidat diversitas ; ergo ab aliis rebus ipsi admistis

A Cœlo superiore Aeri admiscentur Radii Solares.

CX. A *Cœlo* quidem *superiore* manifestè ipsi admiscentur *Radii Solares*. An verò à *cæteris Astris* aliquid quoque Aeri accedat & admisceatur, non æquè manifestum.

A Cœlo medio, Pluvia, Nix Grando, &c.

CXI. A *Cœlo medio* admiscetur Aeri nostro, in quo vivimus, quemque inspiramus, *Pluvia*, *Nix*, *Grando*, & quivis Tonitruum, Fulgurum, Fulminumque fructus.

Ab Aquis Vapores.

CXII. Ab *Aquis* assurgunt & Aeri communicantur *Vapores* multifarii, *puri & impuri*, & forsan aliquid *Salis marini*.

A Terræ visceribus Halitus multifarii, Sulphurei, Acidi &c.

CXIII. A *Terræ visceribus* attolluntur & Aeri admiscentur *Halitus*, *Exhalationesque multifarii*, Sulphurei, Acidi, Salsi, Arsenicales, & similes plures.

A Terræ superficie Halitus varii.

CXIV. A *Terræ Superficie*, ac præsertim à *Plantis Halitus* varii *suaveolentes*, aut *fœtentes*, *Utiles* aut *Noxii*: & quidem *Spirituosi*, *Oleosi*, vel *Salini Volatiles* efferuntur.

Ut & à Brutorum excrementis.

CXV. A *Brutorum excrementis* Halitus itidem suaveolentes, quales sunt vaccini; aut fœtentes, quales plerique alii; ab eorundem autem *Cadaveribus putrescentibus* Halitus *semper* fœtentes ac noxii.

Unde tanta in plerisque Plantarum fructibus Spiritus volatilis copia.

CXVI. Quoniam verò *nec Aqua* quævis; Fontana, Puteolis, Pluvialis, Fluviatilis, Paludosa, vel Marina ; *nec Terra* Arenosa, vel Argillacea post qualemcunque sui fermentationem *notabilem Spiritus Volatilis partem distillatione promit*; meritò quæri potest, *unde igitur tanta in plerisque Plantarum Fructibus, tam humidis quàm siccis* ejusdem *Spiritus Volatilis copia?*

Ex Uvis, Pomis, Pyris, &c. Spiritus Volatilis.

CXVII. Notum enim, non tantùm ex Uvis maturis expressis mustum, & post hujus fermentationem Vinum haberi Volatili Spiritu abundans, verùm ex Pomorum quoque, Pyrorum, aliorumque fructuum expressis, mox fermentatis quoque Succis copiosum elici posse Spiritum Volatilem.

Et non solùm humidis, sed & siccis.

CXVIII. Sed insuper notum, non tantùm ex laudatis fructibus humiditate multa scatentibus educi volatilem Spiritum, verùm ex siccis quoque fructibus, frumento quovis & similibus, postquam cum Aqua multa fuerunt decocta, hinc & fermentata & tandem distillata; tunc enim copiosus solet prodire spiritus volatilis ex ipsis.

Spiritus volatilis non ex Aqua nec Terra.

CXIX. Cùm igitur ex sola Aqua, ut & eadem cum Terra fermentata nullus, vel paucissimus saltem elici possit Spiritus volatilis ; opus est, ut aliunde adveniat, & Plantis, earundemque fructibus communicetur.

Sed à Solis radiis, vel Pluvia, vel utrisque.

CXX. Quòd si omnia expendamus, quæ Aeri, aut per Aerem Aquæ ac Terræ communicari notavimus, quæque tunc maximè ipsis communicantur, quando plus Spiritus Volatilis prodit ex laudatis fructibus ; facilè agnoscemus, id fieri à *Solis radiis*, vel *Pluvia*, vel *utrisque* ; postquam istis convenienter concurrentibus turgere solent Plantarum fructus spiritu volatili.

Pluviam nihil vel parùm promere Spiritus Volatilis.

CXXI. Verùm enimverò diximus modò, Pluviam, quàm facilè colligere atque asservare possumus, quin sentiemus, utut diu fermentatam, nihil vel parum de se promare spiritus volatilis.

Unde est à Radiis Solaribus.

CXXII. Cogimur proinde concludere, *A Solaribus radiis*, aut saltem *cum radiis Solaribus Plantis communicari volatilem Spiritum*.

Eius promum condum esse cœlum superius.

CXXIII. Unde insuper patet, *Spiritus Volatilis promum-condum quærendum in loco à nobis remotiore, ipsoque adeò cœlo superiore*: quod quadrat optimè cum multis aliis phænomenis, quæ faciunt ad constitutionem Naturalium Rerum Scientiæ, sed solidæ, atque, quàm hactenus ab ullo accepimus, longè certioris, & à somniis vel figmentis planè alienæ. Sed de his aliàs, si Deus volet.

Spiritum acidum in Terræ visceribus reperiri. Ut & variis rebus.

CXXIV. Quemadmodum Volatilem Spiritum deduximus à Cœlo, ita *Spiritum Acidum* offendimus *in Terræ visceribus*, & quidem *manifestè* in variis corporibus concentratum, nec tantùm in *Salibus* variis, *Marino*, *Gemmæ*, *Fossili*, *Vitriolo*, *Nitro*, *Alumine*, &c. verùm in *Sulphur* quoque & *Argila* quavis pinguedine multa scatentibus: magis verò *obscurè* in metallis tam perfectis, quàm imperfectis.

Eum à corporibus sejungi per ignem.

CXXV. Hunc *Spiritum Acidum* à corporibus, quibus junctus est, *sejungit* ac separat iterum *Ignis* in Terræ visceribus similiter observatus, & in *Sulphure conservatus*.

Et Aeri communicari, & per ventos quaquaversùm ferri.

CXXVI. Separatus & halitus forma existen Spiritus Acidus, quoties ad Antrorum Subterraneorum ostia pertingit, Aeri externo communicatur, quin Ventorum occurrentium ope quaquaversùm propellitur, & aliò etiam transfertur, plantas & Animalia sua lædens acrimonia.

Ut & Sal Volatile factum.

CXXVII. E Terræ Visceribus non tantùm Acidus Spiritus attollitur in Aerem, verùm *Sal* quoque *Spiritus Volatilis ope Volatile* factum.

Hoc à Zona Torrida Aeri maximoperè communicari.

CXXVIII. Unde patet, à Regionibus Zonæ Torridæ subjectis Salem volatilem Aeri maximoperè communicari, tum quia ibidem Solis radii sunt potentissimi, adeòque ad spiritum volatilem secum abundantiùs eò depulsum aut delatum arctiùs Sali cuivis, etiam fixo immiscendum aptissimi.

Et quare.

CXXIX. Cum enim ex iis, quæ diximus superiùs, nobis maximè probabile visum sit, volatilem Spiritum à Cœlo superiore cum Solis radiis deferri per Aerem versùs Terram, quocunque & quandocunque potissimi ferentur Solis radii, eodem ac tunc quoque abundantiùs feretur cum ipsis volatilis spiritus; Et maxime in Locis Zonæ Torridæ subjectis, aut propinquioribus, ut & in Regionibus versus Polum Arcticum vergentibus, quando Sol à Linea æquinoctiali vergit plurimùm versùs Tropicum Cancri hoc est, Æstare, & vice versa.

Fructuum maturitas unde.

CXXX. Unde non mirum, si ubi *Æstas viget*, atque Sol radios suos liberè quaquaversùm vibrat, nec in opere suo à Ventis potentibus, ac præsertim cum frigore notabili comitatis, aut multà pluvia impeditur, *Fructus* omnes citiùs & faciliùs *maturentur*, & quidem *ratione Salis & Spiritus volatilis maturitatem promoventis*; quemadmodùm ab intermixta per vicissitudines convenientes *pluvia augmentum* accipiunt iidem Fructus, ac præsertim humidiores, quales Uvæ, Cerasa, Poma, Pyra, Pruna, &c.

Ab Halitibus variis commodum & noxa.

CXXXI. Quemadmodùm verò ab illis Halitibus variis temperatioribus commodum notabile accipiunt Plantæ, quin magnum beneficium Animalia; sic ab iisdem minùs temperatis, acrioribusque noxam notabilem, & quandoque necem.

Ut & ex Vaporibus ex Aquis, exhalationibusque ex Terra & Plantis.

CXXXII. Idem omninò statuendum de Vaporibus ex Aquis, exhalationibusque ex Terræ superficie, Plantarumque partibus maximè Volatilibus assurgentibus, ac per Aerem dispersis, atque pro sui abundantia & diversitate Animalibus, & Homini præsertim mutationem aliquam afferentibus.

Aeris notabiles mutationes unde.

CXXXIII. *Aer* igitur notabiles mutationes accipit 1. à *Solis Radiis* æstum excitantibus. 2. à *Spiritu volatili* unà cum Solis Radiis Aeri communicato. 3. à *Pluvia* frequenti vel rara, copiosa vel pauca. 4. à *Meteoris Aereis* cæteris. 5. ab *Exhalationibus Terreis*, *Acidis* putà, *Salinisque* tum *Muriaticis*, tum *Lixivis*, sed *Volatilibus*, *Sulphureis* &c. 6. à *Vaporibus* ex Aquis vicinis & maximè quietis assurgentibus, & in Aere inferiore permanentibus, neutiquam ad Nubium regionem usque sublatis. 7. à *Ventis multifariis*, tum solitariis, tum comitatis.

In Anno 1669. valdè noxius. 1. Ob frigus.

CXXXIV. Aer autem noster Anno memorato superiore, si non omnium recensitorum, plerorumque saltem nomine fuit nobis redditus valde noxius.

CXXXV. Nam 1. *Solis Radii* toto tempore Verno, & aliqua Æstatis parte, quin sabsequente Hyeme ad hoc ferè tempus parum viriam habuerunt in Calore in Aere excitando, quippe qui toto penè tempore isto *frigore* nos ursit molesto.

Et postea Æstum summum, cum siccitate & quiete.

CXXXVI. Verùm tempore intermedio, Mense putà Julio, Augusto, Septembri, & Octobri *Æstum magno*, *imò summum* excitarunt in Aere, Hominibus penè intolerabilem, cum *siccitate* importuna, & *quiete* nimia: idque defectu Pluviæ ac Ventorum, rariùs tunc hic & in vicinia observatorum.

Qui Æstus Humores liquavit & Bilē auxit.

CXXXVII. *Æstus* autem ille magnus *Humores* omnes in corpore nostro liquavit, & *Bilem* insuper *auxit Acrioremque* fecit.

CXXXVIII.

Frigus humorem Acidum auxit & Pituitosum.

CXXXVIII. *Frigus* contrà *Humorem Acidum* in nobis reddidit *abundatiorem*, *Pituitosum* verò & *Glutinosiorem* & *Copiosiorem*.

Unde varia mala.

CXXXIX. Unde ad Æstus notati accessum & continuationem pugna excitata est solito gravior inter Bilem Acidumque Humorem, donec prædominium obtinente à Bile Febres secutæ sunt satis ardentes, cum Anxietatibus circa præcordia inexplicabilibus, propter Pituitam Glutinosam Bili segniùs cedentem, quinimò ipsam irretientem, donec eadem vi erumpente Nauseæ succederet Vomitus tam Bilis, quàm Pituitæ notatæ, & quandoque Humoris Acidi; quo existente in quibusdam simul Austero, Symptomata omnia erant molestiora & graviora.

Et tota corporis OEconomia turbata.

CXL. Redeunte autem denuò Frigore tam intenso & aspero, quàm diuturno, aucti sunt denuò Humores Acidi & Pituitosi ex parte priùs à Bile subacti, à quibus vicissim oppressa est Bilis, totaque corporis nostri OEconomia turbata est magnoperè.

Ut & functiones læsa, & tardè ad pristinā integritatem redacta,

CXLI. Postquam enim Functiones in nobis pleræque à notatorum Humorum, sed quantitate mediocri & qualitate moderata existentium Ternario pendent; non mirum, si eisdem alternatim se multùm superantibus læsæ fuerint notabiliter Functiones omnes, nec nisi tardè ad pristinam redigi potuerint integritatem.

Primaria Affectus Causa.

CXLII. Hæc namque primaria fuit Affectus diuturni & diversimodè affligentis Causa.

2. Spiritus volatilis sanguinis coagulationem impedivit, & noxiam humorum fluiditatem auxit.

CXLIII. 2. *Spiritus Volatilis* durante Solis æstu magna copia nostro Aeri communicatus, & in eodem Pluviæ ac Venti defectu permanens, quin continuè inspiratione attractus naturalem Sanguinis coagulationem ex parte impedivit & noxiam Humorum omnium fluiditatem auxit.

3. Ob Pluviam paucam Bilis acrior, & Copiosior.

CXLIV. 3. *Pluvia* toto Æstus istius tempore *infrequens & pauca*, nec proinde Salem Volatilem copiosum per Aerem dispersum ex æquo dissolvens, atque in terram deferens, hactenus & ipsa quoque Causa fuit, quòd deficiente Aeris æstuantis refrigerio pluviam sequi solito Bilis fuerit reddita in nobis Acrior & copiosior, adeoque nocentior.

4. A Meteoris Aeris nihil noxæ.

CXLV. 4. *A Meteoris* cæteris *Aeris* notabilem nobis noxam evenisse, non memini.

5. Ab Exhalationibus Terreis Aer corruptus.

CXLVI. Sed 5 ab *Exalationibus Terreis* ob ardentissimos tam diu Solis radios sursùm elevatis, sed Uliginosis, Aeris nostri infectionem, corruptionemque auctam fuisse, non est quod dubitemus.

6. Ut & ab Aquarum vaporibus. Aquæ Leidenses quare corruptioni obnoxia.

CXLVII. Et imprimis 6. ab *Aquarum* & in hac Urbe & in locis propinquioribus propter Ventorum potentiorum silentium importunum stagnantium, & spontè putrescentium, vaporibus similibus, hoc est, putridis ac fœtentibus Aer jam æstuans nimiùm redditus est insuper putidus, ideòque Hominibus nocentissimus. *Aquæ* autem *Leidenses* non tantùm *corrumpantur* ac putrescunt *propter sui moram & stagnationem*; verùm etiam propter *Salsas* aliquot retro annis *huc transmissas*, & ipsarum Corruptionem augentes. Unde nisi *utrique malo remedium inveniatur & in actum deducatur*, *Corruptio* ista in annos singulos reddetur *gravior & nocentior*, ipsaque Civitas florentissima sensim suis *destituetur Civibus primariis*, mox & *plebeiis*. Sicut proinde *Magistratus Leidensis meritò ac prudenter dat operam, ut avertantur hinc Aquæ Salsæ*, ita idem omnem absolvet hìc paginam, si præterea *curet aquas suas esse spontè mobiles*, nec tantùm à Ventis agitari ultrò, citroque; postquam Æstate solent silere sat sæpè ipsi Venti nec magna vehementia cieri: quò tamen tempore maximè solent corrumpi Aquæ atque putrescere, Vaporesque promere fœtentes, noxiosque.

Ejus medela.

Ab Aere puro ac temperato Sanguinem in statu conservari, ab impuro corrumpi.

CXLVIII. Quemadmodum enim ab Aere puro ac temperatiore inspirato Sanguis noster in statu conservatur laudabili, ita ab eodem impuro & intemperato Sanguis noster corrupitur, ac degener factus vitæ diu conservandæ ineptus redditur.

7. Defectu ventorum Aqua immota & Aer infectus permansit.

CXLIX. 7. *Ventis*, *potentioribus* præsertim, rariùs toto illo æstus magni tempore flantibus, non tantùm immotæ manserunt Aquæ in suis alveis, verùm infinita & multifaria per Aerem volitantia corpuscula reddiderunt ipsum nobis nocentem.

CL. Quamvis enim ab istorum undecunque Aeri communicatorum corpusculorum nimia multitudine liberetur felicissimè Aer Pluviarum ope, aliquid tamen etiam illi beneficio conferre solent Venti corpuscula illa non tantùm dispergentes, ast deorsùm quoque in Terram & Aquam prætertim, cui immerguntur, depellentes.

Soli adscribenda Ventorum frequentia & violentia; & contra quies & silentium.

CLI. Quoniam verò *Venti* observantur *Æstate rariores & blandiores*, *cæteris autem anni temporibus frequentiores ac vehementiores*, adeoque *procellosi*, non videtur improbabile, *Soli* tunc *à nobis remotiori ex parte saltem adscribendam Ventorum frequentiam & violentiam*; sicut *eidem viciniori Ventorum quietem ac silentiam*.

A Solis radiis & spiritu, ut & Sale Volatili vim Ventorum frangi.

CLII. Hoc si verum sit, videtur inde quoque concludi posse, *à Solis Radiis*, ut & *Spiritu Volatili* (quem cum Solis Radiis docuimus antea à Cœlo superiori quaqua versùm deferri) quin & *Sale Volatili*, quoties Solis Radii dominium obtinent in Aere, ibidem abundante *Vim Ventorum frangi & ad silentium paulatim deduci*.

Flatus à quibus in nobis dissipentur.

CLIII. Quod egregiè quadrat cum iis, quæ observamus in nobis fieri respectu *Flatuum*, qui similiter & ab *Igne Solari vel vulgari*, & à *Spiritu Volatili*, & à *Sale Volatili* ac præsertim Oleoso felicissimè *superantur & discutiuntur*.

Flatuum Materia Aqua. Efficiens Ignis.

CLIV. Unde quis prætereà suspicari queat, *Ventorum*, sicut *Flatuum*, *Materiam* esse *Aquam* & imprimis *Glutinosam*: *Efficientem* autem *Ignem qualemcunque*, *Solarem aut Subterraneum*, & quicquid Igne multo abundat, *vimque habet rarefaciendi Aquam concretam*.

Ventorum Materia Aqua marina viscosa, vel in Terra cavitatibus hærens Sale austero impregnata.

CLV. Quemadmodum enim *Flatus* in Corpore nostro generari observantur *ex Pituita* quavis, sed inprimis *Glutinosa & Tenaci*, & a *Bile*, præ cæteris humoribus & contentis omnibus *cum Igne proximè conveniente*, à quo *imbecilliore* promovetur Flatuum proventus, sicut ab eodem *auctiore* obtinetur eorundem discussio: ita non videtur mihi improbabile, ex *Aqua* tum *Marina multum* viscosi continente, tum *in Terræ Cavitatibus* amplissimis *hærente*, atque ibidem *Sale Aluminoso*, aliove magis vel minùs *austero* imprægnata excitari *Ventos* tum à *Solis radiis debilius Marinam ferientibus & rarefacientibus*, tum ab *Ignibus subterraneis* in Sulphure accensis, atque conclusas *Aquas* plùs minùs *austeras*, vel etiam ab admistis partibus *Sulphuris pinguibus glutinosas factas incidentibus & rarefacientibus &*, quin vi in *Aerem liberum* ipsos agitatos, qua data porta, propellentibus, & ubi via denegatur *horribilem Terræ Motum* ac *Tremorem*, quin quandoque *Montium & Urbium eversionem* producentibus: donec tandem aut *ab Igne auctiore* magis magisque rarefacti *dissipentur*, diruptique discutiantur, aut *Pluvia* occurrente *dissolvantur* & dejiciantur, sicque evanescant: sicut observamus *Flatus* in nobis aut *sponte tandem* rumpi ac *subsidere*, aut *arte assumptis Aromaticis*, *vel Sale volatili*, *oleoso præsertim* constantibus *discuti ac evanescere*: Adeò in omnibus ferè conveniunt inter se Macrocosmus & Microcosmus.

Efficiens Solis radii, vel Ignes subterranei.

Terræ motus causa.

Ventos in Terra cavernis produci.

CLVI. Ventos, si non semper, aliquando saltem in Terræ Cavernis produci, ac inde expirantes quaqua versùm ferri, omninò videtur ex dictis & similibus observationibus pluribus sequi.

Venti Septentrionales potentissimi unde.

CLVII. Cum verò *Septentrionales* notentur, in *Europa* saltem, omnium *potentissimi ac vehementissimi*, valdè probabile videtur, *e locis Polo Arctico maximè vicinis*, atque *inhabitatis Ventos istos* maximam partem *Aeri communicari*; quamvis *alibi quoque*, *ubi Metallorum fodinæ* sunt, *eosdem excitari*, & tandem *erumpere*, inter alia *Terræ Motus*, ac *Montium eversiones* videntur evincere.

Ex ipso Mari Ventos assurgere.

CLVIII. Qui per Oceanum feruntur, observant non rarò *ex ipso mari Ventos assurgere*, atque *procellas quoque certis in locis excitare*, dum alibi & in vicinia sæpè satis tranquillum est mare ob Ventorum ibi flantium penuriam.

Et quomodo id fiat.

CLIX. In quo Casu valdè mihi videtur probabile, *Hiatus* esse ibidem *ad Terræ interiora penetrantes*,

per

per quas Venti la Terra producti viam quærant & inveniant per Aquai medias: cùm non tantùm in Mari verùm in variis quoq; Lacubus, imò Fluviis reperiantur loca profundissima, immensa, & vorticula. An ideò Venti Occidentales ex Oceano ad nos delati Septentrionalibus sunt in violentia proximi?

Ventos in terræ Cavitatibus excitari.

CLX. Utrum verò in Aquis quibusvis Venti possint produci, non ausim asserere, ut nec negare: quamvis hactenus inclinem magis ut credam, in Terræ Cavitatibus potiùs illos excitari tantùm, quàm in mediis quoque Aquis: à quibus nimirum solent infringi & paulatim superari, sicut de Pluviis notavimus in superioribus, quæ ventorum Domitores solent esse non rarò.

Aquis & pluvia infringi.

Aeris notabilis mutatio à quibus.

CLXI. *Aer* igitur noster, ut tandem aliquid de Causa Epidemii nostri Affectus Universali concludamus, notabilem mutationem accepit 1. à *Solis Radiis* durante æstate, atque autumno æstum in ipso summum excitantibus. 2. à *Spiritu atque Sale Volatili* copioso Aeri nostro tunc communicato, & in eodem diutinè permanente. 3. à *Pluvia deficiente*. 4. ab *Exhalationibus Terris* paludosis, adeoq; *Salso Sulphureis*. 5 à *Vaporibus Aqueis* putridis ex Aquis stagnantibus, & tàm sponte, quàm propter admistas Aquas Salsas insuetas corruptis ac putrescentibus sursùm assurgentibus. 6. à *Ventis* suo silentio nec Aquas moventibus, nec contenta in in Aere satis depellentibus aut dispergentibus.

A causis Aerem corrumpentibus.

CLXII. Ab hisce autem Causis variis ad Aeriis corruptionem augendam concurrentibus 1. *Sanguis* noster factus est *solito Biliosior*, hoc est, fluidior, & ad incendium capessendum aptior.

1. Sanguis solito biliosior.

CLXIII 2. *Bilis aucta* est in corpore nostro, quin eadem facta *Volatilior & Acrior*: unde productus circa præcordia æstus, Anxietas, Nausea, Vomitus, &c.

2. Bilis aucta, volatilior & acrior.

CLXIV. 3. *Pituita* reddita *minùs tenax & Glutinosa*; quin ex ipsa plures producti *Flatus*, abdomen distendentes, ac præcordiorum Anxietates augentes.

3. Pituita minùs tenax & glutinosa.

CLXV. 4. *Succus Pancreaticus* redditus *minùs Acidus*, tractus nempe à parte Biliosa in Sanguine aucta, *minusque Austerus*: unde liberiùs sæviit Fel Acre, auctusque in corpore calor, non quidem tam urens; quam Suffocans & angens.

4. Succus Pancreaticus minùs Acidus & austerus.

CLXVI. Quemadmodùm autem Æstate ac durante in Aere Æstu sicco & Sudo modò a me notata mutatio evenit nostris humoribus; ita tum *ante*, tum *post illam Æstum* molestum & motosorum propter *Frigus* itidem *diuturnum & grave* 1. *Sanguis* redditus est solito *Pituitosior*, hic est, *Crassior*, *Tenacior*, *minùsque fluidus*, & ad vitale incendium ritè suscipiendum minùs aptus.

A frigore diuturno post æstum. 1. Sanguis pituitosior.

CLXVII: 2. *Pituita aucta est* in corpore, quin eadem facta est *Glutinosior*; unde facilè potuerunt excitari in corporis partibus variis *Obstructiones*, mox & *Sanguinis aut Lymphæ stagnationes*, *Febres Intermittentes*, aliaq; *ipsas consequi solita incommoda*.

2. Pituita aucta & glutinosior.

CLXVIII. 3. *Succus Pancreaticus* productus & *Copiosior*, & *acidior*, & *Austerior*: quo ipso Pituitæ modò notatum vitium redditum pertinacius.

3. Succus Pancreaticus copiosior & acidior & austerior.

CLXIX. 4. *Bilis* contra *Diminuta* est, factaque *Obtusior* ac *Inertior*; unde *Calor* quoque *naturalis* est *Diminutus* in Corpore, quin secuti *Affectus Frigori aucto vulgò adscripti*; de quibus postea agemus pluribus.

4. Bilis Diminuta, obtusior, ac inertior.

CLXX Cui *Aeri*, quemadmodum narratum est, *plurimùm mutato*, tanquam *Universali Causæ*, quamque vitare potuit nemo in eodem permanens, meritò *adscribimus Affectum nostrum Epidemium*, tum quia ab *Ipso deduci possunt commodè omnia Symptomata in Ipso observata*, tum quia *nullæ aliæ Causæ Universales*, *à quibus notatus Affectus cum suis Symptomatibus deduci queat habuerunt locum*: quod priùs ostendendum, quam ad Symptomatum singulorum dicto Aeri debitorum explicationem pergamus.

Aer sic mutatus tanquam universalis hujus affectus, & quare.

CLXXI. Diximus autem in superioribus, *Causas Epidemiorum Affectuum Universales* quærendas, inveniendasque *in sex rebus dictis nonnaturalibus*; docuimusque Ipsorum *Causam frequentissimam* existere *Aerem*; *rariorem Alimenta*; *rarissimam Motum Animi*, *Corporisque vehementem*.

Non fuisse alimenta & quare.

CLXXII. Epidemium nostrum Affectum ab *Alimentis deduci non posse* inde patet, quòd *nec eodem cibo*, præsertim noxio, *nec eodem potu* usi fuerint omnes Leidæ Incolæ: non potuit proinde, nec debuit ab alterutro vel utroque deduci notatus, & Universalis Affectus

Cibum duobus contineri.

CLXXIII. *Cibus* duobus ferè continetur, *Pane*, aliisque *omnibus*, *quæ cum Pane*, *aut* præter Panem *comedi solent*, sive *Carnes* sint, sive *Pisces*, sive *variæ Plantarum partes*, & imprimis *Fructus horarii*.

Non fuisse & alia Esculenta.

CLXXIV. Anno autem superiore *Panem* habuimus *laudabilem*, *Carnesque ac Pisces haud contemnendos*, sed *nec aliæ Plantæ edi solitæ fuere vitiatæ*. Cibo igitur non potest, non debet adscribi Affectus noster Epidemius.

CLXXV. Si quis tamen *Cibum* ingurgitaverit *copia nimia*, vel usurpaverit *non satis laudabilem*, *minusq; ritè paratum*, potuit eo ipso Affectum dictū reddere in se *graviorem*, aut simili ansam præbere: quod tamen quia non est factum ab omnibus, aut plerisque, non potest quoque Cibus, tanquam Universalis nostri Affectus Causa culpari.

Non fuisse potum.

CLXXVI *Potus* verò cùm hisce in locis *frequentissimus* sit *Cerevisia*, eaque *multifaria varioe* vero *Vinum*, idque similiter *multifarium*; *nec* tamen *eadem Cerevisia*, *eodemve Vino* usi fuerunt omnes hujus Urbis Incolæ, non video qua fronte Potui queat tribui Affectus noster Epidemius.

Affectus hic cerevisiæ salsæ non adscribendus & quare.

CLXXVII. Omnino namque ridiculum & planè absurdum est, quod aliqui Cerevisiæ Salsæ, utpote ex Aqua Salsa paratæ adscripserint hunc Affectū.

CLXXVIII. Nam reposito, quod tamen falsum est, omnes usos tunc fuisse Cerevisia Salsa, an ex ipsa omnia Symptomata in Affectu nostro observata deduci possent? nil minùs.

CLXXIX. 2. Etsi, Cerevisia salsa usi fuerint subinde, vel aliquandiu aliqui, potuit ab illa reddi affectus notatus in quibusdam Symptomatibus gravior & molestior, neutiquam vero ab ipso effici ac produci.

CLXXX. 3. Non minùs eo Affectu laborarunt qui nulla sunt usi Cerevisia salsa, ergo huic Cerevisiæ salsæ adscribi non potest idem Affectus.

CLXXXI. 4. VVesopiæ, unde tantùm dulcem, hoc est, minimè salsam huc translatam somniarunt aliqui, aliisque persuadere conati sunt, Cerevisiam, æquè gravis, imo gravior, quam hic, fuit idem Affectus Epidemius; is proinde salsæ Cerevisiæ minimè adscribendus.

Non tantū Plebeios, sed & literatos fuisse hic deceptos.

CLXXXII. Sed homines in rebus ipsi accuratè ac distinctè expendēdis parū versati, ne videantur minimè sapere, desipientiam suam testantur abundè talibus, tamque ridiculis commentis; quibus non tantùm auscultare observo Plebejos, & Disciplinarum bonarum rudes, sed, quod non tantùm mirum, verùm insuper turpe, Literatos; nec tantùm, qui ex ipsis Bœotum in patria, crassoque sub aere nati sunt, sed etiam Ingenio, Judicioque alias præditos & valentes: quamvis plerique tum Theologi, tum Jurisperiti, (& utinam excusari possent ab illo errore multi magis nomine tenus, quam reipsa Medici?) tam inepti observentur rerum Medicarum Arbitri ac Censores, (quam tamen provinciam affectant plerique) ut me sæpè pudeat crassæ ipsorum ignorantiæ & ad judicium aptum de medicis rebus referendum ineptitudinis.

Theologi et Jurisperiti inepti rerum medicarum censores.

Eorum judicia apud plebem nimium ponderis habere.

CLXXXIII. Dum verò authoritate valent isti homines apud imperitam plebem, ridicula ipsorum effata & judicia plus ponderis habent apud ipsam, quam solidissima Medicorum præstantissimorum ratiocinia: ita desueverunt plerique solidè ratiocinari, atque ad veritatis stateram dicta quævis expendere, contenti cum turba insana sequi antecedentium gregem, ac gregis Ducem qualecumque, quinimo ire qua itur, non qua eundum est.

CLXXXIV. Affectus ergo noster Epidemius nec Cibo, nec Potui ab omnibus usurpato & vitioso adscribi potuit, aut debuit.

Affectus hic non adscribendus Animi & Corporis motibus,

CLXXXV. Quemadmodùm autem Alimentis communibus & corrapris adferibi oon potest Affectus noster Enpidemius, ita idem longè minùs odiscribi poterit *Animi*, binc & Corporis motibus vehementibus, & *similibus & communibus*.

CLXXXVI. Diwi Animi Corporisque Motibus *Vehementibus*, nisi enim vebementes faerint & violenti, Affectum aliquem gravem oc molestam in corpore nunquam excitobunt.

Et similibus

CLXXXVII. Addidi *Similibus*, nisi enim simili modo Animi bominnm moveantur, & commoveontur, similes in ipsis Effectus & Affectas prodacere non poterunt.

AtqueCommunibus.

CLXXXVIII. Subjunxi tendem *Communibus*, nisi enim & vehemenies, & similes tum Animi ram Corporis Motas, quibus Homines plures eommoveantnr ae eieantur, sint illis omnibus commanes, similes adeoque Epidemlos Affectas hoad poterunt in illis prodncere.

Et quare.

CLXXXIX. Cùm ergo nullæ causæ entiterint anno superiore, quæ tum vehementes, tum similes in omnibus, plerisque ialtem bominibus potuerint producere Animi, Corporisque Motus binc & alicui Epidemio Affectai ansam præbere; meritò *omnem tunc temporis sævientis Affectas Epidemii Causam ex Aere tunc plurimùm à statu natusali eecedente putamus dedutendam*, eùm *præterea* non ita diffical. ter eam *omnibus suis Symptomatibus ex ipso potesli deduci*; quemmadmodū id omne non semel jom monuimus, & imposterū ordine probare aggrediemur.

Febris in hoc affectu inter m.. ... ..ums,

CXC. Postquam verò inter varia *Symptomatu* vel Affectus in Epidemio isto malo moiestiores peimum locum *Febri*, & qaidem *Intermittenti* omnes omnindò Ægros tunc afficienti dedimas, ab illa qaoqae nostræ explicationis & Aeri corrupto applicotionis soeiemus initinm.

Tertiana primùm simplex mox duplex, quandoque triplex,

CXCI. Fuit ergo commanis omnibus *Febris*, sed *Febris Intermittens*; & quidem cùm primùm sævirez hoc malum, *Tertianu*, eoque in plerisqae primū *Simplex*, & mux *daplex*, quendoque *triplex*.

Intermittentes Febres unde oriantur,

CXCII. *Intermittentes Febres omnes ordinatas & statis paroxysmis accedentes arbitroe* ego (sicut in Praxeos meæ lib. 1. c. 30. id piuribus deduni) *ortum babere ab Obstructione una vel pluribus Dactaum Pancreatlcoram Lateralium à Pituitu plùs vel minùs copiosa & glutinosa ibidē berente, atq; tamdiu Succum Pancreatlcam continuè in Pancreatis Glandulis à Sangaine secretum ibidem qaoq; sistente, donec à notato Suceo propter sui moram acriore facto per obstruentem Pituitam via ipsi perforatione paretur, atque ab eodem tunc ad tenue Intestinnm delato & vitioso, quippe aerlore, vitiosa fiat eum Bile eòconfluente Effervescentia*; unde tam *balitus similiter vitiosi, & solito acidioses, tum Liquor ex Bilis, Succi Pancreatici, & Pituitę confluentium & in unum coenntium Ternario exurgens per Lacteas Venas ad Coe delati Effervescentiam in Sanguine eòconfluente excitent itidem vitiosam*, & quidem taiem, *quæ non tantùm frequentiorem peoducat Pulsum*, verùm *totam Sanguificationem vitiet, cam multifariis Symptomatibus multiforium illud Sangainis vitium consequentibus*.

CXCIII. Hæc mea dicta eùm ampliorem mereontur explieationem, liber in nonnalloeum gratiam singula accuratiùs examinare atque expendere.

Ab Halitibus acidioribus, & liquore simili

CXCIV. Existimo igitur Febres Intermittentes omnes, & quidem ordinatas, statisque temposibas pes Paroxysmos reeurrentes; quales Tertianæ sunt & Quartonæ, ut de notissimis & frequentissimis tantùm loquar, ortum habere ob Halitibas Acidioribas, atque Liquore penè simili à Tenui Intestino & quidem per Lacteas Venas, binc & Ductom Thoracicum eum Songuine deseendente od dextrum Cordis Ventriculum delotis, & ibidem *vitalem Sanguinis Effervescentiam vitiantibus*, atque *peæter Palsam frequentiorem alias quoque Functiones* plures paaciores've, plùs minùs've *lædentibus*.

In Pancreate Febrium Intermittentium focus,

CXCV. Quoniam namq; *ad Intermittentem Febrem producendam* (*Febrem* enim *omnem in læsa vitali Sangui. catione*, quæ in Corde fit, *consistere* admitto cam pleeisque Medicorum) *requiritur*, ut 1. *ejas Causa feratue ad Sanguinem in Cordis Ventricalis matationem vitalem subiturum*. 2. ut *Ejus Causa non feratue eò continue, verùm per Intervalla nunc beeviora, nunc longiora*. Et *nulla pars in Universo corpore assignari potest, uno excepto Pancrate à qua deseetue aliquid ad Sanguinis massam continuè cujusque pars aliqua impediri potest, ne eò feratur perpetuò, quæque iterum sublato ex parte, aut in totum impedimento, eò deferei potest tempore litèt diverso; meritò in Panersate quæsitus*, qain Deoannuente *inventus est Intermittentium Fbrium Focus* postqaam *in ipso culpatæ à me Obstructiones ex irrefragabilibas Reductę ut demōstratę sunt experimentis*.

CXCVI. *Saccum Ponceaticum Subacidum* esse manifesta evincunt Experimenta.

Succum Pancreaticum esse subacidum.

CXCVII. *Enndem mora fieri solitò Acidiorem*, potet qaoque plaribus experimentis, tum in corpore ipso, tum extra ipsam factis.

Et mora fieri acidiorem.

CXCVIII. *Ab Acido verò aucto & aeriore Intermittentium Fbrium Paroxysmos suum babere ortum*, evineunt & *Symptomata in earundem principio molesta, Frigus, Horror, Rigor, & eorundem Emendatio per Medicamenta Acidam temperantia*.

Ab Acido Acriore Febrium Intermittentium Paroxysmi.

CXCIX. *Succum Pancreaticum* in *Ductibus suis lateralibus per eorundem Obstractionem sisti posse*, evincit *Obstructionis Essentia*.

Succum Pancreaticum ia Dactibus sisti, Per Obstructionem.

CC. *Obstructionem sæpiùs in nelatibas Ductibus Lateralibus excitari*, probat *Liquor cæruleas, aliove colore notabili tinctas pes Ductum mediam* in tenae Intestinum desinentem *Syringæ ope immissus, & in quasdam* duntaxot, *non verò omnes Pancreatis glandulas admissus*.

CCI. Per patentes namqae Laterales Ductus penetrat usque od Glandulas Liquor dictus, eusq; colore sao inficit; per quos autem oequit penetrare, eosdem obstractos, aliterve extremè elausos esse oportet, sed obstructos eos potiùs esse, arguit Liqnor ex Soie Volutili eonstons & coloee olieno tinctus paulatim per occlusos Ductus lateroies viā sibi parans.

A Pituita glutinosa.

CCII. In *Ductibus illis Obstenctionem* & quidem à *Pituita Glutinosa* producl posse, probat Pituita similis in Ductu medio à me in Caduverum dissectione reperta satis copiose.

CCIII. Ab eodem Pitaita Glutinosa in Ductibus dictis obstructionem exeitari, & Intermittentes Febres inde produei, evincunt plerumque *Febrifuga Pituitam Glutinosam incidentia & solventia*, eandemque non raró sensibiliter per *Vomitum aut Dejectionem* Expellentia, vel insensibilitee eum *Urinis aut Sudoribus* Evacuantia.

Pituita nullibi copiosior quam in tenui intestino.

CCIV. *Pituita qualiscunqn:* nullibi copiosior *repertus* cumulatu & pura, quàm *in Tenui Intestino*.

Eadem unde fluidior fiat.

CCV. Eodem *solvitus & fluidior* fit, mox & per Lacteas Venas ad Cor, binc cum Songuine qaoquaversùm transfertur, 1. ab *Aeris æstu quovis*, Soliis Radiis vel Igni nostro accepto ferendo. 2. à *Corporis motu vebemente*; & quondoque forsan 3. ab *Ira immoderata* & oliquandiu perseverante. 4. Ab *Alimentis, Condimentis Medicamentisve* Spirituosis vel *Aromaticis*, ut & *Sale Volatili* copia nimia usurpatis.

Unde iterum coagulatur.

CCVI. Eadem *coagulatus* iterum & imprimis in Vasis angustioribus 1. à *frigore externo* Aeris, Aqaæ Venti, Pavimenti, Vestium, Indusiorum, & 2. à *quiete corporis* mox vebementem corporis motum sabseqaente 3 à *Terrore aut Mærore magno, inexpectatoque* 4 *ab Alimentis, Condimentis aut Medicamentis frigidis & coagulandi* præsertim *ut prædictis, Potu* præsertim *gelido* statim hausto, & imprimis *Glacie, aliisque gelidiore* atq; *glaciante facto*.

Quare Intermittentes febres excitentur omni Anni tempore.

CCVII. Hinc est, quòd tam frequenter Intesmittentes eneitentur Febres omni anni tempore, quoniom semper potest solvi à re nonnoturali Pituita, & ad Songuinem, quin quaqaaversùm ad omnes Corporis partes, ipsumque adeò Pancreas propelli; atque mox ibidem à re itidem nonnotarali peecante coagulari, atque sie Obstructionem parere, adeoque Inrermittenri Febri ansom præbere.

Quare frequentius Æstate & Autumno quàm Vere aut Hyeme,

CCVIII. Hinc est, qaòd tam Æstate, tū Autumno frequētiùs quā Vere aut Hyeme Intermittētes

excl.

excitentur Febres; quoniam Æstate quidem ob Aeris æstum soluta est magis Pituita, & quaquaversùm delata, quæ à re nonnaturali, Aere inexspectato frigidiore, Potuve simili facilè coaguletur & obstructionem parit; Autumno verò à Re nonnaturali peccante solvitur notata Pituita, & ab Aeris mutabilis frequentiore frigore facilè coagulatur iterum, Obstructionem producens febrilem.

Quare Æstate magis Tertianæ, quàm alia.

CCIX. Quia verò Æstate, quando Æstus urget, Bilis augetur in Corpore, ipsaque Pituita redditur fluidior, succusque Pancreaticus temperatior, idcircò, quæ tunc producuntur Obstructiones, solutu solent esse faciliores, ideoque citiùs solubiles; adeoque Febres inde ortæ Tertianæ potiùs, quin cum calore majore ac molestiore copulatæ.

Quare Autumno magis Quartanæ.

CCX. Rursum quoniam Autumno, quando magis mutabilis est Aeris constitutio & ad frigus tendens, parcior existit tunc in corpore Bilis, & ipsa Pituita redditur copiosior & Glutinosior, Succusque Pancreaticus Acidior, idcirco, quæ tunc producuntur Obstructiones, solutu sunt difficiliores, setiùsque solubiles, adeòque Febres tunc frequentiores oriuntur Quartanæ, quàm aliàs, quin cum frigore majore ac diuturniore copulatæ.

Quare in hoc affectu Febres intermittentes 1. fuere Tertianæ.

CCXI. Anno igitur superiore cùm inciperet hic sævire Affectus Epidemius, quoniam id suo finem mensis Iulii factum, urgente tunc Solis æstu vehementi post præcedens Aeris longum ac grande frigus, quæ fuerunt excitatæ Febres fuere 1. Intermittentes, & quidem Tertianæ, quæ facilè potuerunt produci ob Pituitam durante frigore antecedente copiosâ & tenacem in corpore genitam, sed à subsequente Æstu solutam, & quaquaversùm propulsam, ideòque ad Pancreatis glandulas & Ductus quoque delatâ, mox ed quodvis in Diæta commissum erratum, Potum frigidiorem, Frigus aeris qualecunque, nocturnumque adeò denudato corpore exceptū, &c. iterū in notatis Ductibus pluribus, paucioribusve coagulatam, eusdemque Obstruentem, & quidem *Obstructione Febrili*.

Ab obstructione Febrili Symptomata hujus affectus.

CCXII. *Obstructione* dicta *Febrili*, quoniam non Sanguinem, Inflammationem pariturum, sed Succum acidum in vasis suis sistebat, qui mora factus acidior, adeòque acrior, non Ductus solidiores ac firmiores, sed Pituitam Obstruentem sequiorem perforans, viam sibi fecit ad tenue Intestinum, in quo ratione suæ acrimoniæ cum Bile affervescentiam instituens vitiosam, & quidem febrilem, Symptomata produxit superiùs enumerata, & in sequentibus explicanda.

CCXIII. Quemadmodùm verò per plures Pancreatis Ductus delata est ista Pituita, ita in pluribus quoque potuit eadem coagulari, & Obstructionem Febrilem producere.

CCXIV. Quemadmodùm rursus potuit eadem Pituita diversa quantitate contenta fuisse in Ductibus diversis; ita potuit Obstructio diversa produci in Ductibus diversis, adeò ut una citiùs, altera solveretur tardiùs, ideòque Paroxysmus diversus produceretur ab Obstructione notata diversa.

CCXV. Amplius, quemadmodùm sæpiùs potuit peccare idem Homo in variis diætæ partibus, ita potuit diversis temporibus produci in diversis Pancreatis Ductibus Obstructio Febrilis.

Quare Tertiana fuerit simplex, quare duplex aut triplex.

CCXVI. Atque hinc deduci debet Febris Tertiana tunc omnes affligens, quosdam quidem simplex alios verò duplex, aut triplex.

Unde diversitas temporis accessus, durationis, & Symptomatum in Paroxysmis.

CCXVII. Quin hinc deduci potest diversitas temporis accessus, durationis & Symptomatum in Paroxysmis Tertianarum istarum diversarum singulos Ægros diversimodè afficiens.

CCXVIII. Alii enim Paroxysmi anticiparunt, alii postposuerunt, alii eadem hora accesserunt.

CCXIX. Rursus Alii Paroxysmi diutiùs, alii breviùs, alii eodem durerunt tempore.

CCXX. Denique Alii Paroxysmi fuere prioribus leviores, alii graviores, alii quoad Symptomata similes.

Unde Febris continua diversitas.

CCXXI. Verùm necesse est, ut *Febris Continuæ* in aliis citiùs, in aliis tardiùs priori rationem quoque afferamus.

Delrbee Opera.

Febris intermittens in quo consistat.

CCXXII. Quemadmodùm verò docui nos in præcedentibus, Intermittentem Febrim pro Foco requirere atque agnoscere Partem, cui cum Sanguine, adeoque Corde commercium est continuum, sed ita, ut ex parte saltem possit ad tempus impediri & postmodùm sponte, hoc est, à Rebus in corpore existentibus, ac per se agentibus restitui notatum commercium; ita Febris Continuæ Causæ vel in ipsis Vasis Sanguinem vehentibus, ipsoque adeò Sanguine, ipsiusque partibus multifariis, vel in tali parte consistet, quæ continuum cum dicto Sanguine, ipsoque Corde habeat commercium, sed ita, ut illud non nisi in totum posset impediri ac interrumpi, nec certis temporibus ab internis causis denuò restitui.

In quo Continua.

Aerem primariam fuisse Febris Continuæ causam externam.

CCXXIII. Cùm verò *Sanguis* vel ab *externis causis* malè possit affici, adeò, ut inde excitetur *Febris*, vel *ab internis*, & his multifariis; considerandum est, inter *Causas externas* ipsum *Aerem* jam sæpiùs notatum *primariam fuisse Continuæ Febris Causam*, quatenus valdè *æstuans* tum *per Cutis poros* quaquaversùm penetrans, tum in *Pulmones inspiratus Sanguini se junxit*, *eundemque* non tantùm *fluidiorem* præstitit, verùm eidem *partes igneas*, ut & *Salinas Volatiles* multas communicavit, unde ipsius *Effervescentia & ratefactio*, *dissolutioque* facta est *major*, sicque *Continua excitata Febris*.

Internam Bilem.

CCXXIV. Inter *Causas Internas* propter *Bilem ab eodem Aere tum Igneis*, tum *Salinis Volatilibus* partibus abundante *Acriorem* factam cuotioue *vitiosa* tum in *tenui Intestino*, tum in *Corde*, est producta *Effervescentia*, eaque cum *Calore notabili* conjuncta, ideòque *Febrilis*.

His accessit Massæ Sanguineæ constitutio vitiosa.

CCXXV. Æstuans igitur Aerem immediatè, tum per intermediam *Bilem* priùs à se malè affectam Continuæ Febris Causa fuit: cui accessit *Totius Massæ Sanguineæ*, *omniumque ex ipsa productorum humorum vitiem & constitutio vitiosa à Tertiana Intermittente memorata dependent*.

Eius causa.

CCXXVI. Nam *Succus Pancreaticus* propter Ductuum internalium obstructionem ibidem moram nectens, Acriorque factus, postquam per obstruentem Pituitam viam sibi fecit, non tantùm Paroxysmum Febrilem producit, sed *Sanguinem universum omnesque ex ipso producendos humores plùs minùsve* pro vitio suo majore aut minore *corrumpit*. Unde propter illam corruptionem in ipsis etiam desinente paroxysmo remanentem, Continua potuit imò debuit subsequi Febris.

CCXXVII. Illud autem faciliùs, citiùsque contingit, quando *plures concurrant Causæ*, sicut in hoc Affectu Epidemio factum, *Æstus* sc. *Aeris permanens*, ut & *Bilis ab eodem Aere* antequam Febris ulla excitaretur *jam vitiata*, & indies ampliùs à naturalis statu abducta, etiam eb *Effervescentia vitiosa* propter *Succum Pancreaticum* Intermittentis Tertianæ Paroxysmos producentem.

CCXXVIII. *Continuæ* igitur *Febris* Affectum nostrum Epidemium comitantis *Causam internam primariam* censemus *Bilem* multis nominibus malè affectam, sicut jam dictum, explicatumque.

Anxietates circa præcordia unde.

CCCXXIX. Tertium inter notati Epidemii Affectus Symptomata locum dedimus *Anxietatibus circa præcordia plerosque mirè torquentibus*.

1. Ab effervescentia vitiosa.

CCXXX. Easdem Anxietates deducimus 1. *ab Effervescentia vitiosa perpetuò in tenui Intestino propter Bilem*, uti dictum, *vitiatam excitata*, & *halitus* solito *plures*, *acrioresque* producente, qui tum ipsum *Intestinum*, tum *Ventriculum distendentes anxietatem* illam pariant.

2. A Pituita glutinosa.

CCXXXI. Easdem Anxietates deducimus 2. à *Pituita Glutinosa* præcedenti Aeris frigori debita, & in *tenui Intestino hærente*, nunc verò partim à subsequente *Aeris æstu*, partim à notata *Bile* soluta, & modò memoratis Halitibus sub *Flatuum* juncta, eandemque *Anxietatem augente*.

3. A Succo Pancreatico.

CCXXXII. Easdem Anxietates deducimus 3. à *Succo Pancreatico* suo tempore paroxysmos febriles producente, atque tunc Effervescentiam in tenui Intestino ampliùs vitiante, & *Anxietates* dictas simul *augente*.

Anxietatum augmentum à primaria Febris causa.

CCXXXIII. Quoties namque novi excitabantur Parcaysmi, toties augebantur simul in Ægris notatæ Anxietátes; quarum proinde augmentum meritò adscripsimus primariæ Intermittentia Fabris Causæ.

Nausea à Bile.

CCXXXIV. Quatto loco *Nauseam* plerisque valdè molestam recensuimus: eamque à modò memoratis & Bili præsertim adscriptis deducimus *Halitibus*, ut & ipsi *Bili* omnia in tenui intestino turbanti, & aliqua sui parte ad Ventriculum assurgenti, atque unà cum halitibus ipsum ad vomendum irritanti.

Ut & Vomitus.

CCXXXV. Iisdem *Halitibus & Bili* potentiùs Ventriculum irritantibus, ut pote majore copia eò assurgentibus, tribuimus *Vomitum* tunc frequentem, molestumque, quinto loco memoratum.

Hic quando frequentior & molestior.

CCXXXVI. Fuit autem iste Vomitus frequentior, & molestior ad singulos paroxysmorum novorum febrilium accessus, & quidem plerumque, quando frigori qualicunque succedebat Calor: quo tempore in plerisque Febribus Intermittentibus excitari solet Vomitus, rariùs aliàs; nec mirum.

Eius causa.

CCXXXVII. Tunc enim (postquam à Succo Pancreatico Acidiore, ac imprimis simul Austeriore Paroxysmum febrilem producente oppressa fuit in tenui Intestino Bilis, ac compressa) desinente notati Succi affluxu novu vires & dominium vicissim nanciscitur *Bilis*, aliqua sui parte ibidem subsistens & à recenti continuò accedente aucta; unde *plures*, *volatilioresque* tunc assurgunt *Halitus*, qui *totum Intestinum* irritantes tum ad sui, tum ad Pituitæ à notato Succo magis solutæ ac mobilis, tum ab Bilis, tum ad Succi Pancreatici cum Pituita juncti propulsionem tam sursùm, quàm deorsùm huic Vomitui ansam præbent.

Qualis Materia vomitu excreta.

CCXXXVIII. Materia Vomitu excreta fuit multifaria, semper *Biliosa* & amara, sæpiùs simul *Pituitosa*, subinde simul *Acida*, vel *Austera*, ingratum ob Bilis admistionem saporem *vitriolatum* producens: Colore nunc *flavo*, nunc *pallido*, quandoque *virescente*, aut *subnigricante*.

Biliosa, & quare.

CCXXXIX. *Biliosa* & *Amaricans* fuit materia vomitu excreta propter Bilem in corpore auctam & mobiliorem factam, quin ob sui volatilitatem facilè ad Ventriculum propulsam.

Pituitosa & quare.

CCXL. *Pituitosa* fuit eadem propter Pituitam durante frigore antecedente auctam & glutinosam, tunc demùm à subsequente Aeris æstu, & Bile auctiore atque acriore solutam, fluidamque factam.

Acida austeraque, & quare.

CCXLI. *Acida* fuit & *Austera* eadem vomitu excreta materia propter Succum Pancreaticum à præcedente frigore acidiorem, austerioremque factum, & nunc Intermittentem febrem producendo ad tenue Intestinum delatum, sed itidem propter moram acidiorem factum, & Pituitæ immersum, & unà cum ipsa excretum.

Ingratum saporem habrue, & quare.

CCXLII. *Vitriolatam*, aliasve *ingratam saporem* habens materia Vomitu excreta est, propter *Succum* eundem *austeram* unà cum *Bile* intimiùs junctum & saporem illum producentem.

Color excretoram.

CCXLIII. *Color* excretorum *flavus* fuit à Bile copiosa, *Pallidus* à Pituita multa, *Virescens* ab acido succo ac Bili juncto, uti *Nigricans* ab eodem magis corrupto, Bilemque ampliùs corrampente.

Appetitus prostratus unde.

CCXLIV. *Appetitus Ciborum* fuit 6. in *plerisque prostratus*, talisque permansit in multis longo tēpore ob memoratos modò Humores ternos vitiatos, Bilem acriorem, copiosioremque, Succum Pancreaticum austeriorem, ac Pituitam glutinosam. Permansit autem talis diutiùs, quoties plures simul concurrerunt causæ notatæ, ac segniùs fuerunt emendatæ: sicut contrà cessavit citiùs, quoties causæ concurrerunt pauciores, minùsque graves, citiùsque cesserunt Medicamentis, aut Diætæ convenienti.

Et eius duratio unde.

Emendari sæpe humores vitiosos ope Diætæ.

CCXLV. Emendantur namque non raró Humores vitiosi non tantùm vi Medicamentorum cùm sæpè nulla sumantur, sed etiam Diætæ ope, sed illi emendationi conciliandæ aptæ, non quidem temperatæ qualis Sanis deberur, sed à Temperie ac mediocritate recedentis, ita tamen, ut cujusvis humoris peccantia vitio sit subcontraria, & illi proinde corrigendo, temperandoque conveniens: sive Diæta illa præscribatur à *Medico* perito, sive, quod frequentiùs evenit, casu talia eligatur, usurpeturve ab *Ægro*: nam in ea adornanda sępiùs casus, quàm ratio habet locū.

CCXLVI. Et profectò miramur meritò tantas non tantùm in pejus, verùm in melius quoque mutationes fieri à Diæta toties casu mutata; nec tamen istarum mutationum rationes, Causasque veras observari satis à Medicis, aut notari in eorum scriptis, quò & aliis serviant: postquam longè faciliùs per Diætam regi se patiuntur Ægri, quàm per Medicamenta; quæ Diæta si præscribator illis non morosa, & fastidiosa, quin sat sæpè imaginaria; verùm facilis, grata, & ab experientia desumpta, plurima ejus ope bona redundant in Ægros & Convalescentes.

Ciborum Fastidium molestum unde.

CCXLVII. Importunum & maximè molestum fuit 7. in nonnullis Ægris quorumvis *Ciborum*, Esculentorumque *Fastidium*, ad plures nonnunquam hebdomadas ipsos vexans & angens: quod meritò ab iisdem deducimus causis. Cùm enim Ciborum præsertim Appetitus excitetur ab *Acido Spiritu* in *Saliva* latitante, aut à *Succo Pancreatico* ad Ventriculum assurgente; quoties idem *obtunditur à Bile Acriore Pituitaque Glutinosa*, vel *corrumpitur in Austeram*, mirum non est, si *Fames* tunc exulet, quin paulatim *Ciborum* omnium *Fastidium* consequatur.

CCXLVIII. Ubi autem Causæ tales humores in nobis producentes diutiùs permanent, mirum non est, si Fastidium quoque notatum perennet, quin ampliùs augeatur.

CCXLIX. Tales autem Causæ locum habuerunt anno superiore, quin perseverarunt sat diu cum magno Ægrotantium fastidio, & Ciborum Fastidii continuata excitatione.

CCL. Variis modis se habuit 8. *Sitis*. Nam quosdam ursit *magna*, quosdam *parva*, quosdam *nulla*. *Sitis varia.*

CCLI. *Bilis Acrior & copiosa* dominium in corpore obtinens *Sitim* excitavit *magnam* & inextinguibilem. *Magna unde.*

CCLII. Eadem *Bilis à Pituita Glutinosa quodammodò obtusa* & fracta *mediocrem* duntaxat excitavit *Sitim*. *Mediocris unde.*

CCLIII. Eadem *Bilis* partim *à Pituita Glutinosa*, partim *ab humore Austero* in tenui intestino *retusa & iners facta nullam* in Ventriculo potuis excitare *sitim*. *Nulla unde*

CCLIV. Nec tantùm varia sitis excitata est in Ægris, verùm 9. in non paucis, æquè ac in me. *Potus omnis* etiam aliàs *suavissimi & gratissimi Aversio* est observata, eaque diu perdurans. *Potus omnis aversio.*

CCLV. In me quidem Ciborum omnium Aversio extrema duravit per aliquot dies, atque paulatim cępit denuò locum habere Appetitus, indies accrescens: Ast Potus omnis ordinarii, Vini putà qualiscunque, Rhenani, Mosellani, Gallici, Hispanici, & quidem singulorum multifarii, ut & Cerevisiæ cujusvis, dulcis ęquè atque amaricantis, ac è locis variis huc translatæ Aversio tanta in me fuit, & tamdiu perseverans, ut metuerem ne unquam amplius ordinario quidem frui potu; Solis Acidulis Spadanis existentibus & gratis, & mihi vasis nominibus aptis & utilibus. *In Authore externa.*

CCLVI. Quod mihi, hoc ipsum aliis quoque multis evenit.

CCLVII. *Causam* verò istius *à Potu omni ordinario Aversionis* existimo fuisse *Humore Austerum vitiatæ Bili junctum*, atque *Halitus tales producentem*, ut *Lingua & Palatum* inde inepta redderentur ad Potum ordinarium cum voluptate gustandum, exhauriendumque. *Eius causa.*

CCLVIII. Austerum verò hic maximè culpatum sicut cum Acido habet affinitatem magnam, iis Ciborum quàm Potum Appetitus restituitur faciliùs citiùsque.

CCLIX. Videtur igitur Potus Aversio diutiùs vexasse nonnullos, quàm Ciborum Fastidium, quoniam citiùs Aciditas corrupta restitui potuit in Saliva, quàm in Succo Pancreatico; quo diutiùs in Austeritate perdurante, atque unà cum ipso Bilis *Potus aversio diuturnior, quam ciborum, unde.*

corra-

corruptione notata, perduravit etiam diutiùs Potuum Aversio, quàm Ciborum.

Acidulæ qua ratione utiles.

CCLX. Aqua verò tum pura Putealis vel Pluvis, tum Medicata, qualis est Acidularum, non tantùm eatenus assumi potuit faciliùs & citiùs, quia erat insipida, sed etiam quatenus vim habet laudabilem, aptamque ad emendandos Humores vitiosos, tàm Austeros, quàm Biliosos.

CCLXI. Quicquid enim est insipidum, id quemadmodum Gustum haud movet, ita ejusdem fastidium non excitat, nec auget; quod dici nequit de sapido.

Alium potum magis Gustum efficere.

CCLXII. Nullus præterea potus est ordinarius, Vinum aut Cerevisia, qui non magis Gustum afficiat moveatque, quàm ipsæ facient Acidulæ: quæ proinde cum minore fastidio assumi potuere, quam Vinum vel Cerevisia, cujuscunque demum essent Saporis aut virtutis.

In quibusdam aversio Acidularum.

CCLXIII. Nam, ut & hoc addam, non paucis ne quidem Aqua pura, vel Acidularum placuit, sed itidem Aversionem peperit, sed tamen minorem semper, ac Potus ordinarius.

CCLXIV. Ubi iterum animadvertendum est, non deesse, qui naturaliter abhorreant ab Acidulis, in quibus itaque non mirum, si & tunc quoque adfuerit harum fastidium.

Fastidii varietas unde.

Cur serius ægrotantibus citiùs potuerit restitui fames quàm sitis.

CCLXV. Humorum autem diversitas peperit quoque magnam in hisce Fastidiis varietatem. Ubi & hoc notandum, quò seriùs ægrotarunt Ægri, eò citiùs restitui potuisse Famem, non item Sitim: quoniam sub Autumni medium Æstui successit à Ventis in Aere Frigus, à quo fames iterum ex parte excitata denuò fuit propter partes Acidas tunc Aeri admistas & unà cum ipso inspiratas, sicque in corpore nostro auctas.

CCLXVI. Quicquid autem Potus omnis Fastidium pepereat, id omne à succedente Aeris frigore neutiquam fuit emendatum, quin potiùs in sua operatione roboratum, sive quis Pituitæ Glutinositatem, sive Succi Pancreatici Austeritatem consideraverit; cùm utraque à frigore producatur, foveatur, & augeatur.

Linguæ Ariditas & Mucositas.

CCLXVII. Inter Affectus nostri Epidemii Symptomata memoravimus 10. *Linguæ* nunc *Ariditatem*, nunc *Mucositatem*, postquam non semper ipsa eodem se habuit modo.

Ariditas unde.

CCLXVIII. Ariditatem quidem adscribimus *Bili auctiori & Acriori absque Pituita* vel *Saliva Glutinosa* ipsi juncta; Bilis namque talis quemadmodùm in universo Sanguine, hinc & Corpore incendium auget, ita plures in exspiratione halitus simul expellit, à quibus pendet Linguæ Ariditas.

Ejus augmentum unde.

CCLXIX. Hæc Ariditas Linguæ augetur in Ægris ore patulo somnum capientibus. Quoties namque per nares non satis patentes transitum sufficientem non habet Aer exspiratus, toties os, etiam dormientibus, plùs minùs aperitur, atque tunc semper arescit Lingua.

CCLXX. Quòd si prætereà incendium febrile in Sanguine fuerit excitatum, tum Aer, qui exspiratur, siccior existit, tum halitus, cum fumo comparandi, simul prodeunt, & Linguæ ariditatem augent.

Mucositas unde.

CCLXXI. Quoad *Mucositatem linguam obducentem*, debetur illa tum *Salivæ* aut *Pituitæ* à capite delabenti, tum modo memorato *æstui febrili* eandem exsiccanti, atque subductis partibus magis aqueis inspissanti, atque Glutinosam tenacemque facienti.

Aphthæ.

CCLXXII. Accesserunt et multis ægris anno superiore *Aphthæ*, molestum malum.

Quid sint.

CCLXXIII. Sunt autem, ut satis notum *Aphthæ Ulcuscula, quæ sed cuticulam novasi, quando crusta decidit, à subjectis partibus tollentia*, & omnem Oris superficiem interiorem occupantia, quin OEsophagum quoque aliquando afficientia.

In iis quidnam peculiare.

CCLXXIV. In Aphthis ergò hoc singulare observatur, quod cùm *cætera Ulcera* mox *Cuticulam solent corrumpere ac consumere*, adeò ut eadem nuda existant, nisi pure obtegantur; *Aphthæ corrumpunt* quidem *Linguæ*, *palati*, reliquarumque Oris partium *cuticulam*, *non item ipsam consumunt*, *Ulcera Operta*.

sed *crustæ ad instar ipsis adhærentem sinunt* donec paulatim decidant, nova cuticula sæpiùs priori succrescente, iterumque corrupta, ac similiter decidente.

In Aphthis cuticula coloris varii.

CCLXXV. Observatur autem ista in Aphthis corrupta & ab inferioribus partibus paulatim secedens *cuticula coloris varii*, sæpiùs *candicantis*, aliquando *flavescentis*, quandoque *nigricantis*.

CCLXXVI. Eadem *Cuticula* nunc *faciliùs & citiùs*, nunc *difficiliùs & segniùs secedit à subjectis partibus*.

Aphtharū Prognosis.

CCLXXVII. Hæc idcircò noto, quia usum habent in Medicina, serviuntque prognosi formandæ. Nam quò magis albicant Aphthæ, hoc est, Cuticula ab ipsis corrupta; quò faciliùs, citiùsque secedunt ipsæ à subjectis partibus; quin imò quò pauciores observantur rariùsque regenerantur aut succrescunt; eò sunt salubriores, eò faciliùs citiùsque curantur, ipsique Ægri convalescunt citiùs.

CCLXXVIII. Contrà, quò eædem sunt à colore albicante remotiores, flavæ, ac imprimis atræ; quò segniùs ac difficiliùs secedunt, adeoque subjectis partibus adhærent arctiùs, suntque magis compressæ; quò succrescunt lentiùs, permanentque diutiùs; quò plures occupant partes, perdurantque diutiùs, eò sunt periculosiores ac nocentiores; eò curantur difficiliùs & rariùs, pereuntque adeò Ægri frequentiùs.

Earum causam apud authores non inveniri.

CCLXXIX. Cùm ergò diversæ naturæ Ulcuscula sint Aphthæ, libet ipsarum causas veras, modum generationis peculiarem investigare accuratiùs idque eò magis, quòd non meminerim me apud Authorem ullum talia legere, quæ veritatis avidæ satisfaciant menti.

Ulcerum diversa origo.

CCLXXX. Ulcera pleraque aut consequuntur Vulnera vel Excoriationem circa tertium diem, quando Sanguis in Pus incipit mutari, aut per se habent ortum ab humoribus acribus partes molles rodentibus, atque in ulcus vertentibus.

Humores acres quomodo ulcera producant.

CCLXXXI. Hi humores sunt ferè salsi muriatici, vel acidi; à quibus partium superficies sive cuticula primùm corrodi ac consumi solet, mox & pars subjecta similiter exedi, quæ partis excisæ apertio Ulcus vocatur, in quo Sanguis eò ad nutritionem delatus in Pus corrumpitur, semper ad albedinem vergens, nisi mali moris reddatur ulcus, vel ab errore aliquo in rebus nonnaturalibus vel medicamentis commisso illud alteretur ac mutetur. Sic exempli gratia à sulphure medicamentis immixto nigricabit ferè Pus priùs albicans.

Aphthæ qui oriantur.

CCLXXXII. Aphthæ autem, ubi exoriuntur, statim per vesiculas exiguas & albicantes se manifestant: adeò ut ipsarum ortus videatur fieri per talem Cuticulæ corruptionem, quæ ipsam reddat spissiorem & à subiectis partibus secedentem, donec paulatim ampliùs crassescens tandem ab ipsis decidat crustæ modo: succrescente ac sæpiùs mox similiter corrupta nova cuticula, donec itidem decidat.

Corruptio in Ulceribus & Aphthis diversa.

CCLXXXIII. Quemadmodùm verò pleraque Ulcera post cuticulæ corruptionem ac secessum, novæ ortum impediunt, quin continuè in latum vel profundum serpunt, subiectasque partes consumunt; ita contrà in Aphthis hæret in cuticula præsertim corruptio, nec facilè tunc aliquam profunditatem nanciscuntur Ulcera verè superficiaria, Cuticulæ soli infesta & illam continuè succrescentem iterum corrumpentia, ipsamque non tam consumentia, quàm inspissantia, & simul partibus subiectis inutilem facientia.

A Vomitione humorū Acrium & halituum similium ascensu Aphthas excitari.

CCLXXXIV. Unde non mirum, si à Vomitione humorum Acrium, eorundemve aut halituum similium ascensu per OEsophagum ad Os excitentur tàm sæpè Aphthæ: quatenus illi humores halitusque Acres quovis modo ad Os delati partium omnium ibi contentarum Cuticulam corrumpunt, & post sui incrassationem notabilem ad secessum & casum aptam reddunt, quoties salubres sunt Aphthæ; quæ periculosæ ac lethales ferè observantur, quoties Cuticulæ istius incrassatio, & secessus non succedit, quin potiùs ipsa tenuis permanens partibus subjacentibus firmiter adhæret, nec ab illis secedit facilè.

CCLXXXV. Unde & hoc notandum, Cæterorum

Curatio in Ulceribus & Aphthis diversa.

Ulcerum Curationem promoveri, quando paulatim exsiccantur, & minùs humoris ex ipsis prodit; Aphthas contra Curationis spem facere, quando ipsæ sunt humidæ, atque multum humoris effunditur ex Ore, ptyalismum mentieos, tunc enim citiùs & faciliùs solent curari Aphthæ.

CCLXXXVI Unde sicut ad cæterorum Ulcerum Curationem laudantur Medicamenta humorum Acrimoniam, sed Acidam temperantia, non exsiccantia; ita contrà Curandis Aphthis conducunt Medicamenta lenientia quidem, Acidamque Acrimoniam temperantia, sed simul humectantia & madefacientia.

Ulcerum & Aphtharũ causa diversa, & quanam.

CCLXXXVII. Ex quibus videor mihi posse de Ulcerum cæterorum, atque Aphtharum Causa diversa hoc statuere: In cæteris Ulceribus Acrimoniam Acidam similitudinem habere cum illis Acidis, quæ humiditate Aquea dissoluta vim suam magis exerunt, ideòque concentrantibus indigent; in Aphthis contrà similitudinem habere Acrimoniam Acidam cum illis Acidis, quæ ab humiditate Aquea dissoluta vim suam amittunt, ideòque iisdem opus habent.

Ulcera ab acido valdè acri; Aphtha ab acido minùs acri.

CCLXXXVIII. Quin inde videor mihi haud malè concludere, Ulcera cætera excitari ab acido valdè acri, Aphthas verò ab acido minùs Acri, quodque vim suam amittat in ipsa cuticula, quam corrumpere quidem possit, non item consumere, atque ideò in ea hæreat: unde, dum corrumpitur magis magisque simul incrassescens atque à subjectis partibus sensim secedens Cuticula, nova illi succrescit, quæ, postquam prior decidit, paulatim pari modo corrumpi incipit, donec tandem aut corrigatur, evacueturque Acidum peccans, aut sponte superetur, deficiatve in corpore.

Quisnam humor Aphthas producat.

CCLXXXIX. Quoniam verò inter Purgantia in Aphthis curandis convenientissima optimum observatur Rhabarbarum, Bilem purgans; & tàm sæpè, ac imprimis in pueris Bilem æruginosam consequuntur Aphthæ; valdè probabile videtur, Humorem Acidum Aphthas producentem aut esse Bilem æruginosam, aut Humorem illi planè affinem; ideoque minùs purum, adeoque minùs Acrem, quàm observatur esse Humor cætera Ulcera gignens.

Quale Medicamentũ in Aphthis curandis utile.

CCXC. Unde videtur adhuc idcircò in curandis Aphthis conducere medicamentum acrimoniam temperans, sed simul humectans, quò hujus ope diluatur magis Æruginosa Bilis, ex flava & Succo Pancreatico acido & acri, non tamen extremè acri, confluentibus producta, & diluta reddatur infirmior & inertior.

Unde Anno 1669. Aphtha ortum habuerint.

CCXCI. Existimamus ergò anno superiore Aphthas frequentes habuisse ortum ex confluxu Bilis acris, & Succi Pancreatici similiter acris, unde vitiosè simul Effervescentes Halitus excitarint naturæ mediæ, qui Humorem, Liquoremve constituerint non extremè acrem (Dysenteriam in quibusdam producentem, de qua mox agemus) sed tractum acrem, qui Vomitu ad Os delatus Aphthis dederit ansam & ortum.

CCXCII. Utrumque autem Humorem notatum simul peccasse in multis, non semel jam evicimus in superioribus, tàm ex Causis præcedentibus, quàm Symptomatibus Affectum Epidemium nostrum comitantibus.

Alvi fluxus & Dysenterica.

CCXCIII. Quoad Alvi Dejectionem, observatus est 13. in multis Ægris tàm in principio Affectus, quàm postmodùm etiam *Alvi fluxus*, & in paucissimis *Dysenteria* ipsa.

Alvi fluxus unde.

CCXCIV. *Alvi fluxum* deducimus hìc meritò à *Bilis abundantiore & acriore* Aeris æstui debita, sicut aliàs plerumque ab eadem ortum habet Diarrhœa, & maximè Biliosa, qualis fuit anno superiore.

Dysenteria unde.

CCXCV. Quoad *Dysenteriam* seriùs observatam, tribuenda ipsa tum eidem *Bili notatæ*, tum *Succo Pancreatico Acidiori*, partim à similium nimio usu & abusu, partim à subsequente Novembri mense *frigore acri* orto.

In ea quid fiat, & quænam excernantur.

CCXCVI. In Dysenteria namque Ulcerantur, exeduntur que Intestina, fitque tum Sanguinis, tum maximè Puris excretio copiosa: unde à tali Causa producetur, quæ Intestina exedere atque ulcus excitare apta est nata, ergò ab Humore acido.

Dysenteriã non esse à sola Bile.

CCXCVII. Quotquot proinde à *sola Bile* quoquo modo per se corrupta & acriore facta Dysenteriam deducunt, toto cœlo errant: postquam *Sal lixivum Bilis acerrimum* factum *Gangrænam* quidem tum alibi, tum in tenui Intestino excitabit, *nunquam Ulcus*.

Ulcus esse ab Acido, non à Lixivo.

CCXCVIII. Est enim Ulcus Acidi, non Lixivi effectus: unde nisi Acidus & quidem Acris humor jungatur Bili, nunquam efficietur ab ipsa Dysenteria, quam solus Humor valdè Acidus & acer ad Intestinum delatus producet.

Anni 1669 Dysenteria unde.

CCXCIX. Anno autem superiore, qui pauci passi sunt Dysenteriam, illam Bili æruginosæ, ab Acido acri corruptæ, debuerunt.

Alvus adstrictior unde.

CCC. Sed 13. *Alvus* in plerisque ab initio Affectus fuit *Adstrictior*: & quidem propter Pituitam Glutinosam, Humoremque Austeram à præcedente frigore in Corpore abundantes, nec mox Bile ab æstu Aeris subsequente acriore facta correctos aut devictos, verùm illi resistentes, atque in flatus austeros ac tenaces mutatos Alvi excrementa indurantes, sicque Alvum adstringentes, atque propter urgentem calorem febrilem molestiam ægrorum & anxietates non parùm augentes.

Et postea solutior unde.

CCCI. Postquam verò partim ab Aeris æstu, partim à calore febrili, partim à Medicamentis correcti, debellative fuere humores austeri & Glutinosi, reddita est quoque paulatim Alvus solutior.

Abdominis distensio. Dolor perterebrans, in regione lumbari.

CCCII. Notavimus 14. inter Symptomata molesta non tantùm gravem *Abdominis Distensionem*, verùm *Dolorem* quoque *varium*, & in quibusdam *Perterebrantem*; tum ubique, tum præsertim in *Lumbari Regione* valdè sævientem: accedentibus non rarò *Borborygmis*.

Borborygmi Abdominis distensio unde.

CCCIII. *Distensionem Abdominis* adscribimus *Flatibus Glutinosis* ex Pituita simili à Bile acri tanquam Efficiente Causa productis: Utriusque autem ortum non semel ab Aere contrario se alternatim subsequente deduximus.

Dolor unde.

CCCIV. Prout autem Utrique humori jam notato, *Pituitæ Glutinosæ*, *Bilique Acri* conjunctus est Succus Pancreaticus variè corruptus, ita *Dolor excitatus* est *varius*, aliquando blandior, aliquando acrior: inter quos atrocissimus solet esse, qui terebræ ad instar *Intestina* videtur *perterebrare*, ortum habens ab humore *Austere-Acido* binis notatis juncto.

In regione lumbari unde.

CCCV. *Molestissimus* autem ac *frequentissimus* fuit *in Regione Lumbari*, quo loco tres culpati confluunt Humores; ubi non mirum est, si graviùs afficiant Continentes partes, utpote acrimoniam integram, necdumq; fractam obtinentes: dum autem paulatim se mutuò frangunt, temperantque Humores subcontrarij, hebescit eorundem acrimonia, reduntque minùs partes, ad quas propelluntur.

Borborygmi unde.

CCCVI. Addidimus *Borborygmos*, Ventrisque murmura & rugitus exercuisse quosdam; cùm non sit necesse, ut flatus Intestina, hinc & abdomen distendentes loco suo moveantur, sicque sonum aliquem ibidem edant, postquam non rarò conclusi manent in fistula Intestinali, atque absque sono permutant locum.

Quinam flatus in intestinis muti, quinam sonori.

CCCVII. Cur autem aliquando *muti*, aliquando *sonori*, volvantur flatus per Intestinalem fistulam, difficile dictu existimo: nisi quòd *sicciores* observentur *magis sonori*, *humidiores magis muti*, saltem in sui excretione, quin tum diversa quoque sortiuntur apud plerosque nomina, Latinis non æquè observata, Crepitus namque vocantur ipsis pedentium flatus.

Suffocatio Hypochondriaca.

CCCVIII. Attigimus 15 *Suffocationis & strangulationis Hypochondriacæ* Sensum ac Metum, quo nonnulli sunt affecti.

Non propria Mulieribus. Non ab ascẽsu Uteri.

CCCIX. Hunc affectum existimant quidem Medicorum plerique *proprium* esse *Mulierum*, & falluntur, imprimis quando censent ipsum pendere *ab ascensu Uteri ad fauces usque assurgentis*, atque ibidem fœminas penè suffocantis.

Et quare.

CCCX. Hanc verò sententiam in plebejis, rerum plerarumque abstrusarum ignaris, quemadmodùm

ferre

ferre possumus, ita meritò ridemus & carpimus in Medicis, quorum interest, Corporis structuram eo usque saltem nosse, ut non ignorent impossibilem esse talem Uteri ad fauces ascensum propter ipsius vincula multifaria ipsum arctissimè in hypogastrii cavitate detinentia.

CCCXI. Adde quòd Affectus omnibus modis similis observatus in maribus sat sæpè opinionis prioris absurditatem evincat.

CCCXII. Cui accedit, quòd solutionis modus absurditatis convincat eandem Opinionem. Nam duobus tribusve flatibus per os erumpentibus tollitur sæpenumerò iste strangulationis metus. Unde facilè patet, à flatibus habuisse ipsum ortum.

Sed à flatibus.

CCCXIII. Quòd si à flatibus habeat ortum, quis non videt, quàm sit absurdum, eundem Uteri adscribere ascensui?

CCCXIV. Non sine causa judicavimus proinde aliam ipsi assignandam veriorem causam, Flatus putà, Halitusve in tenui Intestino excitatos & ad Ventriculum, hinc OEsophagum quoque atque Fauces assurgentes, atque pro sui diversitate *Affectum* illum *diversimode* se manifestantem producentes.

Suffocationis species diversæ.

Constrictio faucium unde.

CCCXV. Aliàs enim *constringi videtur Ægris fauces*, ac si in strangulationis versarentur periculo: quod evenit, quoties *Austeri* sunt notati *Flatus*, *Halitusve*.

Anxietas faucium unde.

CCCXVI. Aliàs *unguntur* quidem *Fauces*, *ac si continuè in illis aliquid hæreret*, quod difficulter posset degluriri; unde tunc OEsophagum, ac si quid deglutiendum foret, continuè coarctant; quod fit ab *halitibus*, *flatibusve acribus & viscosis*, OEsophagi parietibus adhærentibus, ipsosque continuè Irritantibus.

Languor & Animi deliquium unde.

CCCXVII. Aliàs *Languore continuè urgentur Ægri*, *ac si Animi deliquium instaret continue*, & subinde *in Aqua videretur natare Cor*, id est, Pars Cordis nomine insignita, Ventriculi putà Orificium superius: quod accidit *ab Halitibus magis Aquis & assidue assurgentibus*, *vt nriculique Orificium magis*, *quàm OEsophagum afficientibus*.

CCCXVIII. Hæc ita se habere, confirmant & evincunt Medicamenta singulis notatis speciebus maximè convenientia.

Harum species remedia.

CCCXIX. Licèt enim occurraut remedia, quæ promiscuè in omnibus hisce speciebus sunt utilia, reperiuntur tamen alia quoque, quæ singulis speciebus sunt magis specifica.

Remedia omnibus communia.

CCCXX. Sic *omnibus speciebus conducunt omnia Salia Volatilia*, & præ cæteris omnibus *Spiritus Salis Armoniaci* ad Guttas iij. iv. v. vel plures ex Vini, alteriusve liquoris convenientis cochleari sæpiùs assumptus.

Remedia quando flatus sunt austeri.

CCCXXI. Ubi *austeri* sunt flatus, halitusve, præter eundem salis Armoniaci spiritum, conducit *Castoreum*, ejusque *Tinctura*, ut & *Oleum Succini*, *Macis* stillatitium, &c.

Quando habitus sunt glutinosi & acres.

CCCXXII. Ubi *glutinosi & simul acres* sunt halitus, flatusve, conducunt præter Salia volatilia, *Spiritus Nitri dulcis*, *Ol. cort. Aurantiorum*, *Rorismarini*, *&c.*

Quando sunt Aquei.

CCCXXIII. Ubi *magis Aquei* existunt Halitus, conducunt præter laudata semper Salia Volatilia, *Tincturæ Aromaticæ Cinnamomi*, *Croci*, *Nux Moschata*, *&c.* non neglectis *Hydragogis* subinde usurpatis ad humiditates aqueas in corpore redundantes minuendas.

Suffocationis Hypocondriacæ causa.

CCCXXIV. Ex quibus omnibus per multiplicem & longam experientiam notis concludo 1. *Halitus Flatusve varios* nunc *ad Ventriculi orificium superius* tantùm, nunc *ad OEsophagum* quoque *& fauces* assurgentes producere hunc Affectum.

Focus.

CCCXXV. 2. *Focum hujus mali* esse *Intestinum tenue proximum* Ventriculo.

Fomes.

CCCXXVI. 3. *Fomitem ejusdem mali* esse *confluentes ad tenue Intestinum Humores tres*, *Pituitam*, *Bilem*, *Succumque Pancreaticum* diversimodè affectos, & ideò Affectum diversum producentes.

Eam & Mulieres & Viros afficere.

CCCXXVII. 4. Licèt *Mulieres afficiat frequentiùs*, *afficere* tamen *Viros quoque*, cùm non tantùm id reverà fieri observetur indies, sed etiam, quoniam illius Causæ occurrunt in Viris.

Ejus nomē convenientius Suffocatio Hypochondriaca.

CCCXXVIII. 5. *Convenientius* ipsi *nomen* tribui non posse *Suffocatione Hypochondriaca*, cùm in sinistro Hypochondrio habeat ortum, & famigliare sit omnibus, qui decantata vexantur Affectione Hypochondriaca.

Cur ea magis Mulieres afficiuntur, quā Viri.

CCCXXIX. Afficiuntur autem hac suffocatione Mulieres, quàm Viri, frequentiùs, quia sexus sui ratione variis sunt subjectæ molestiis, ex quibus huic malo producendo apti generantur humores.

Ejus causa in hoc affectu Epidemio unde.

CCCXXX Causa verò talis Suffocationis multifariæ commodè potest deduci ex Humoribus anno superiore in Ægris variis prupter variam Aeris mutationem occurrentibus; ut alia Diætæ vitia non memorem, quæ tamen haud dubiè illi quoque malo dederunt ansam in non paucis.

Respiratio difficilis.

CCCXXXI. Inter Affectus nostri Epidemii Symptomata notavimus 16. *Respirationem Difficilem* multis gravem.

Ejus causa Halitus & Flatus ad Cor delati.

CCCXXXII. Inter varias Respirationis difficilis *Causas* postrema non est *Halitus*, & imprimis *Flatus* unà cum Sanguine ad Cor, & mox *ad Pulmones delatus*, ibidemque tum *in Vasis*, tum *in parenchymate*, *ductibus* putà *inter Arterias & Venas positis hærens*, atque *Pulmonem aut distendens*, *aut distentum servans*, sicque *expirationem* primò, ac proinde *inspirationem* quoque *impediens*.

CCCXXXIII. Halitum autem, Flatumque in Febrium Intermittentium initio, quin augmento, ipsoque statu vel vigore, ut & in multis Febribus continuis in tenui Intestino excitari, atque inde ad Cor & ultrà deferri, notissimum est iis, qui Ægros suos exactè observant & ad singula ipsorum Symptomata attendunt.

CCCXXXIV. Non defuit proinde anno superiore in Affectu nostro Epidemio causa difficilis respirationis, postquam & Intermittentibus & Continuis laborarunt plerique Febribus.

Incubus.

CCCXXXV. Nec tantùm sola difficili respiratione laborarunt multi, verùm 17. etiam *Incubo* nonnulli; & inter ipsos ego quoque; qui cum paroxysmis febrilibus repetens atque Somnolentiam simul excitans fuit mihi valdè molestus, donec ipsum agnoscens rogarem adstantes, ut tamdiu somnum, in quem tunc valdè propendebam, inter turbarent ac impedirent, donec paroxysmo declinante in somnum suavem & commodum incidetem absque omni Incubo.

Ejus causa halitus melancholici.

CCCXXXVI. Observavi autem Incubum habuisse ortum *ab Halitibus melancholicis*, hoc est, *austeris* cum febrili paruxysmo in tenui Intestino excitatis, & non tantùm *ad Cor*, verùm *ad Cerebrum* quoque assurgentibus, atque ibidem tum *Somnolentiam*, tum hæc *Insomnia* producentibus.

Et narcotici.

Propensio in somnum à Bile.

CCCXXXVII. Quoniam verò *Somnus* erat *coactus*, & aliquid *narcotici redolens*, judicavi *hali us* illos ex *vitiosa* humoris *austeri cum Bile effervescentia oriundos* etiam aliquid *narcotici à Bile* accepisse: difficulter namque poterat impediri Somnus; tanta in ipsum erat proclivitas.

Insomnia ab Humore austero.

CCCXXXVIII. Quemadmodùm verò à *Bile* concurrente deduco *insuperabilem Ægro in Somnum propensionem*, ita ab *humore austero* deduco *anxietatem inexplicabilem insomniis sollicitam*, hoc est, *Incubum* producentem.

Et quomodo.

CCCXXXIX. Cùm enim Somnus unà cum Febre invaderet non placidus, sed coactus & turbatus, halitusque mentem Somno penè sopitam multùm angerent, fieri non potuit, quin phantasmata mira formarentur à mente, à quibus eadem rursus turbaretur, nec tamen quasi ebria se liberare posset ab ipsis; donec paulatim subsidentibus aut discussis notatis halitibus ad se rediret mens, Spiritibus Animalibus existentibus aut productis denuo purioribus, & ad omnes functiones Animales ritè obeundas aptioribus.

CCCXL. Anxietas verò illa sentiebatur imprimis circa præcordia prupter halitus tàm in tenui Intestino, quàm Ventriculo hærentes, patesque illas angentes.

Cur incubo affectis videantur præcordia aliquo pondere premi.

CCCXLI. Quapropter videntur *Incubo* affectis *partes illæ pondere aliquo premi, totumque Hypochondrium comprimi* tunc ab aliqua persona exosa, vel quavis alia nota vel ignota corpori insidente, atque Suffocationem nonnunquam minante, & imprimis, quando in dorsum decumbit æger, tunc enim promovetur à plumarum calore halituum excitatio, quibus copiosiùs productis non mirum si angantur magis notatæ partes.

Humoris austeri causæ plures.

CCCXLII. *Humoris* autem *Austeri* plures *causæ* habuerunt locum in multis, nec tantùm *consideratio Incolarum tàm universali malo & omnes pene afficiente oppressorum*, & *metus mali diutiùs duraturi*, cæterosque similiter oppressuri, sed insuper *consideratio status privati*, in quo versabantur cum suis plerique, ut & *metus mali majoris*, quin & memoria *jacturæ passa in Suorum obitu*.

CCCXLIII. Ex quibus omnibus non potuit non excitari *Mæror summus* in multis, & maximè prudentibus, atque suos imprimis valdè diligentibus.

CCCXLIV. *Mæroris* autem *summi effectum* esse *Austeri productionem*, non semel evici per experientiam multiplicem.

CCCXLV. Quotquot igitur *propter afflictionem, jacturamve privatam, publicamve Animi Mærore affecti sunt gravi*, totidem auctum habuerunt in semetipsis humorem austerum, non tantùm *Incubo*, sed aliis quoque modis, *Vomitu* putà *austeri*, *alvo adstricta*, *Suffocatione Hypochondriaca*, & similibus *se manifestantem*.

Somnus profundus, & Insomnia.

CCCXLVI. Quia verò non tantùm cum Incubo, sed absque ipso quoque *Somnum* passi sunt Ægri multi *profundum*, & *insomnia multifaria*, meritò eorum 18. fecimus seorsim mentionem.

Somnolentia à Pituita: Somnus profundus & Insomnia à Bile corrupta.

CCCXLVII. Quemadmodùm *Somnolentiam* deducimus à *Pituita*, ita *Somnum profundum* atque *Insomnia* deducimus à *Bile*, quoties *corrupta* vim *Narcoticam induit* & *Animales Functiones omnes turbat*, sive hoc fiat *continue* in *Febribus Continuis*, sive *per Intervalla in Febribus Intermittentibus*.

CCCXLVIII. Anno autem superiore *ob frigus præcedens diuturnum Pituita fuit aucta* in multis, unde in *Somnum propensio* & *Somnolentia* potuit produci.

CCCXLIX. Postmodùm autem succedente *summo Aeris æstu aucta* est similiter in omnibus *Bilis*, à qua propter *Febrem* tàm intermittentem, quàm continuam in plerisque ortam, eadem ita *corrupta* est in multis, ut *Narcoticam vim* acceperit, & *Pituitæ* præexistenti juncta *Somnum profundum* excitarit *cum Insomniis*, quæ pro cæterorum humorum diversitate, pro cujusvis occupationibus & sollicitudinibus diversis plurimùm differebant.

Vigiliæ capitisque dolor. Ad eadem causa Effectus contrarios produci, & contra.

CCCL. Addidimus 19. pluribus molestas *Vigilias* perdurantes, *Capitisque Dolorem* intolerabilem: Symptomata præcedentibus contraria: quod mirum videbitur iis, qui *ab eadem Causa Effectus contrarios* nesciunt negantve *produci*, ut & *Effectum eundem à causis contrariis*.

CCCLI. Verùm enim verò si tales attenti fuissent magis faciendis experimentis, quàm fingendis Chimæris, non haberent animum tot præjudiciis ægrum & ad benè Philosophandum ineptum.

CCCLII. Utique nil magis est ridiculum, quàm negare id, quod evidenti constat experientia, quia ejus rationem non capit Mens immeria commentis, & falsis præoccupata principiis & suppositis.

CCCLIII. Ut autem ad propositum accedamus, pernotum esse potest omnibus, qui anno superiore adfuerunt, aut præfuerunt ægris, *plurimos laborasse somno profundo*, *plurimos Vigiliis*: *plurimos sensisse dolores capitis*, *aliarumve partium exquisitos*, *plurimos nil talis esse passos*: quinimò *nonnullos successive vexatos fuisse hisce Symptomatibus contrariis*.

Et quomodo id fiat.

CCCLIV. Quæ cùm ita sint, quærenda istius diversitatis & contrarietatis ratio & causa.

CCCLV. Utique *idem modo eodem in idem agens contrarios effectus producturum*, *non est probabile*; sed nil impedit, *unum*, *idemque diversimode agens in idem id efficere*.

CCCLVI. Hoc ut magis pateat, dico non esse probabile, *eosdem humores modo eodem in corpore humano se habentes & agentes producere contrarios effectus*; sed nil obstat, *eosdem humores modo diverso in corpore humano se habentes & agentes id efficere*.

CCCLVII. Sic *eadem Bilis eodem modo se habens & agens in corpore humano eodem modo itidem se habente non producet contrarios effectus*; sed nil obstat, *Bilem modo diverso se habentem, aut in corpore diversimode se habente occurrentem & agentem producere contrarios effectus*.

CCCLVIII. *Bilis* ergò *anno superiore in omnibus quoad exteriorum Aerem multùm æstuantem corrupta & vitiata produxit hactenus in omnibus effectum similem*.

CCCLIX. Quatenus autem *Bilis eadem propter reliquas Diætæ partes se habuit modo diverso in diversis*, *produxit procul dubio in ipsis effectus diversos*.

CCCLX. Sed *eadem* quoque *Bilis propter humores cæteros diversimodè in diversis repertos produxit quoque haud dubie effectus diversos*.

CCCLXI. Quinimò tum *propter Bilem diversimodè se habentem in diversis*, tum propter *humores quoque diversimode se habentes in ipsis produci potuerunt aliquando effectus contrarii*: quemadmodùm id factum constat experientia multiplici.

CCCLXII. Sed in quonam *consistit hæc Bilis*, *aliorumque Humorum diversitas*; ut non tantùm *diversi*, *sed contrarii producti* fuerint *Effectus* in ægris?

Somnus profundus cum insomnis unde.

CCCLXIII. Docuimus modò, quænam fuerit *Somni profundi cum insomniis turbulentis Causa*, *Bilis* nempe *Narcoticam vim nacta secundùm partem suam pinguem & oleosam*.

Vigiliæ unde.

CCCLXIV. *Vigiliæ* autem ortum habuerunt *ab eadem Bile*, *sed Acriore*, *nec à Pituita Glutinosa obtusa*, *nec à pinguedine propria aucta satis temperata*; quin *Effervescentiam in tenui Intestino*, & *Corde Acrem atque halitibus Acribus molestam producente*: Undè *ad sensationem continuam*, *tristemque coactæ sunt Cerebri membranæ*, *Somnusque interruptus aut impeditus*.

Capitis dolor unde.

CCCLXV. *Dolor* namque *ab Acribus halitibus ad Cerebrum delatis & circa membranas hærentibus ibidem excitatus Somnum fugavit & vigilias perennantes produxit*.

CCCLXVI. *A Bile* igitur *diversimodè se habente* productus est in quibusdam *Somnus Soporosus*, in aliis *Vigilia*; quin *in eodem nunc Somnus*, nunc *Vigilia*.

CCCLXVII. Quæ *Vigiliarum*, *Doloris quoque causa fuit plerumque*: at quæ *Doloris fuit Causa*, *fuit semper quoque Vigiliarum*.

CCCLXVIII. *Dolor* autem *Capitis vehemens* quamvis frequenter habuerit pro *Causa Bilem Acriorem* vitiosè cum Lympha, Succove Pancreatico Effervescentem, atque *Halitus Acres Salinos* caput petentes promentem: potuit tamen aliquando *etiam produci ab Acidis*, *itidemque Acribus halitibus*, Lymphæ Succoque Pancreatico *Acidioribus* imprimis adscribendis; ac præsertim quando *in Febribus Intermittentibus frigus fuit vehementius* propter Causas multiplices ex Diætæ vitiis petendas, nec mox Aeris æstui, vel Bilis Acrimoniæ unctæ cedebant Humores Acidiores.

Lassitudo spontanea.

CCCLXIX. Inter Symptomata in Affectu nostro gravia & molesta recensuimus. 20. *Lassitudinem ac Defatigationem Corporis spontaneam*, quæ sicut pleraeumque Febrium Intermittentium solet esse comes, ita in hac fuit non parum importuna.

Lassitudo unde.

CCCLXX. Cùm sit autem *Lassitudo Symptoma consequens* ut plurimùm *Corporis motum vehementem*, *aut* etiam *diuturnum*, quo & *Animales Spiritus consumuntur*, & *musculi multùm exercentur fatiganturque*, necesse est, ut aliquid alterutri vel utrique simile accidat corpori per talem Febrem Intermittentem.

A Spirituum Animalium consumptione, & impedita novorum productione.

CCCLXXI. Intermittente autem Febre non rarò *Spiritus Animales copiosè consumi*, *aut ipsorum saltem productionem novam impediri*, nemo valdè mirabitur, qui consideraverit, non tantùm *Vigiliis perseverantibus & doloribus vehementibus*, *quin Corporis quoque agitatione continua* perire atque *exhauriri plures Spiritus*; verùm propter *humores vitiatos turbari Functiones naturales omnes*, Appetitum Ciborum prosterni aut corrumpi, Ventriculum, mox & Intestina ab assumptis

Alimentis gravari, & quidem ad nauseam vel vomitum; Vires ab iisdem minimè recreari aut refici; *Sensus externos æque ac internos sæpenumerò hebetari; Motum animalem tardiùs, difficiliùsque absolvi ac perfici: quæ omnia & Sanguificationem, & Animalium Spirituum Confectionem* aut Secretionem arguunt læsas *& labefactatas*.

CCCLXXII. Quid mirum proinde, si tunc Ægri patiantur Lassitudinem ac Defatigationem talem, qualem solet producere Animalium Spirituum consumptio motum vehementem aut diuturnum Corporis subsequens?

Ad Halituum vitiosorum translatio. ne ad artus & musculos.

CCCLXXIII. Præter hanc Causam Defatigationis & Lassitudinis spontaneæ in Febribus Intermittentibus, alia insuper occurrit haud contemnenda, *Humorum* nempe, *Halituumque multifariorum*, & quidem *vitiosorum translatio quaquaversùm*, ad *ipsosque adeò artus, artuumque musculos, musculorumque membranas, cæterasque partes valde sensiles*; quæ ab ipsis tum *gravantur*, tum *roduntur ac mordeantur*, adeòque non minùs *defatigantur*, ac si motu diuturno, aut vehementi essent agitatæ.

Dolor lacerans ab humoribus acrioribus.

CCCLXXIV. Quoties namque diutiùs, simulque vehementiùs agitatæ sunt ac motæ partes, toties *dolore lacerante* urgentur, quod videtur adscribendum *Humoribus* propter Spirituum Animalium magnam deperditionem motui notato debitam *Acrioribus*, hoc est, minùs temperatis existentibus.

CCCLXXV. Cùm verò Humores illi acriores facti febres producant molestas, & continuas & intermittentes, fieri nequit, ut ab *iisdem humoribus non rodantur, mordeanturque partes sensiles* patianturque *Affectionem similem Lassitudini* modò descriptæ.

Urina multifaria.

CCCLXXVI. *Urinam* quoque notavimus 21. *multifariam, plerumque satis rubentem, mox turbatam, & multum sedimentum* idque *varium deponentem*.

Ejus diversitates unde.

CCCLXXVII. *Urina* verò quemadmodùm pro *materia sua primaria* agnoscit *Potum*, vel quicquid potulentum est, aut habetur in Alimentis; ita *diversitates suas omnes* quoad *Colorem, Saporem, Odorem, Calorem*, quin & *Consistentiam & Contenta multifaria*, mutuatur *ab Effervescentia vitali in Corde facta*: quæ cùm *pendeat* tum *ab ipso Sanguine* undique ad dextrum Cordis Ventriculum *refluente*, tum à *Lympha* undique itidem ad Cor affluente, tum à *Bile* Sanguini ascendenti, mea saltem sententia, juncta & itidem ad Cor confluente, tum à *Chylo multifario* post assumpta nuper Alimenta similiter ad Cor delato, tum à *peculiari Humore aut Liquore*, quando Alimentis liber est Ventriculus, ex *Pituita Salivarii tenuibus* Intestinis hærente, *Succoque Pancreatico ac Bile* simul confluentibus exsurgente atque similiter per Venas lacteas, hinc & Ductum Thoracicum ad Cor delato; ab illis omnibus ac singulis tàm multis modis mutari solitis non parùm *alterari debet laudata* in Corde Sanguinis *Effervescentia vitalis*, *secernasque ab ejus massa, quod Urinæ materiæ junctum non parùm ipsam mutet*.

CCCLXXVIII. *Quicquid* igitur *in Effervescentia vitali secedit à Sanguine*, tanquam ipsi *heterogeneum, hominique nutriendo minùs idoneum*, idipsum *jungitur* facilè *sero* in renibus in Urinam secernendo, percolandoque.

Urinæ Color rubeus à Bile Acriori.

CCCLXXIX. *Color* autem *rubeus* debetur semper, quando is à Rebus assumptis non oritur, *Bili Acriori & incendium in Sanguine augenti*; sive permaneat idem in eo incendium, sive idem paulò post aut seriùs minuatur, tollaturve iterum.

In Febribus continuis & intermittentibus.

CCCLXXX. Nam non tantùm in *Febribus continuis*, plùs minùs ardentibus, sed *Intermittentibus* quoque, *durante* scilicet *Incendio febrili*, *Colore rubeo tingi solet Urina*.

Quamdiù is permaneat.

CCCLXXXI. Qui *color permanere* solet in Urina, *nullo vel pauco secedente sedimento*, quamdiu *Humorum noxiorum Febrim parientium nulla fit à Sanguine secretio*.

Quando evanescat.

CCCLXXXII. *Idem* autem cum *subsidente sedimento ex parte saltem Urinæ liquorem deserit*, quamprimùm *desiderabilis* contingit *partium noxiarum à sanguinis massa secretio*.

Urina turbida & clara unde.

CCCLXXXIII. Hæc *secretio* quando *inchoata est tantùm*, *turbida redditur vel mox talis fit permanetque Urina*; quæ iterum *clarescit*, quando *eadem secretio est magis absoluta*, & sanitatem instantem denunciat.

Urinæ constitutio in Febribus Catarrhosis.

CCCLXXXIV. Observatur etiam *Urina in Febribus Catarrhosis* multis dictis, potiori autem jure *Gravedinosis* vocandis, postquam individuus Gravedinis gravioris est comes, *reddita clara & rubens, quæque mox turbatur*, & prout citiùs, segniùsve iterum clarescit, turbulentamque opacitatem cum perspicuitate mutat, citiùs, segniùsve unà cum Gravedine superatum iri insultum febrilem significat.

Ut & in affectu Epidemio.

CCCLXXXV. Utroque autem modo & *Rubentes*, & *mox Turbatæ* sunt anno superiore excretæ Urinæ, cùm non pauci Gravedinosa laborarint tunc febre, dum cæteri absque Gravedine tum Intermittente, tum continua correpti fuerunt febre.

Sedimentum copiosum, quale signum.

CCCLXXXVI. *Sedimentum* quando *copiosum* deponitur, *levanturque Symptomata* reliqua, signum est superati morbi, sed cum multa humorum immunditia conjuncti.

CCCLXXXVII. Ubi contrà *Sedimentum copiosum deponitur, nec levantur* inde à cæteris Symptomatibus Ægri, signum est, non tantùm periculosum, ast sæpè quoque lethalem esse morbum.

Sedimentum paucū quale signū.

CCCLXXXVIII. Ex quibus facilè patet, quid de *Sedimento pauco* sit judicandum.

Ejus color, consistentia &c.

CCCLXXXIX. Prout autem *Colore, Consistentia, & similibus* qualitatibus variat Sedimentum, Spes quoque aut Metus non parùm variabit.

CCCXC. *Sedimentum* namque *Album* ac *æquale* landatur; sicut culpatur, quò magis recedit ab albedine, occurritque *rubrum, lividum vel nigrum*; aut *inæquale*.

Color urinæ naturali similis quid significet.

CCCXCI. *Color Urinæ naturali maximè similis* testatur, si cætera Symptomata ritè se habeant, ad sanitatem properare Ægrum, fierique Sanguificationem naturali fere similem.

Color valdè rubens quid significet.

CCCXCII. Contrà *Color valde rubens* testatur magnum in Sanguine Incendium, Bilemque solito acriorem, ac nonnunquam simul pinguiorem; sive per se acris existat, sive ratione Succi Pancreatici malè se habentis, ac proinde vitiosam in tenui intestino Effervescentiam excitantis talis evadat.

Quid color aqueus.

CCCXCIII. Rursus *Color Aqueus*, à quo Cruda nominatur Urina, diminutum in Sanguine calorem indicat, Bilemque inertiorem aut oppressam testatur.

Urinæ sapor salsus unde.

CCCXCIV. Si cui Urinam gustare libeat, ejus *Sapor valde salsus* debetur Bili & Lymphæ satis acribus, & satis arctè in Effervescentia in Corde simul adunatis.

Amarus unde.

CCCXCV. *Amarus* verò Urinæ *Sapor* debetur haud dubiè Bili abundanti & minùs arctè cum Lympha in vitali Effervescentia junctæ, ideòque Saporem suum in Urina servanti.

Acidus unde.

CCCXCVI. *Acidus* autem Urinæ *Sapor* ortum habet à Lympha acidiore, ac minùs arctè cum Bile in eadem vitali Effervescentia mixta, ideòque Aciditatem suam in Urinam transferente.

Urinæ odor gravis quid significet.

CCCXCVII. *Odor Urinæ gravis & ingratus* indicat Effervescentiam vitalem valdè vitiosam, Corruptionemque in Sanguine valdè noxiam, periculosamque.

Urina ardorem conjunctum habens unde.

CCCXCVIII. *Urina* in sui emissione *ardorem* conjunctum habens accepta ferenda est Acrimoniæ qualicunque, ac præsertim Biliosæ in ea repertæ.

Frigus conjunctum habens unde.

CCCXCIC. Contrà *cum frigoris sensa reddita Urina* tribuenda videtur humori Acido, sed non valdè Acri; præsertim quando ipsi aliquid admistum Pituitæ non valdè Glutinosæ.

Consistentia urinæ crassior unde.

CD. *Consistentia Urinæ crassior* debetur multo Sali ei admisto in Effervescentia vitali à Sanguine secreto, aut à Chylo exorto: Unde Urina paulò post Alimentorum Fermentatorum ad Intestina propulsionem, Chylique à Fæcibus Alvi secretionem, mox & ad Cor deductionem prodiens *Crassior* esse solet, ut & in Febrium Declinatione.

Tenuior unde.

CDI. Contrà *Tenuior Urina* sequitur pauci Salis in Effervescentia vitali à Sanguine secessum: quod

in Fe-

in Febrium initiis solet contingere, quo tempore Sanguineæ massæ intimiùs conjuncti sunt Humores omnes.

Urinæ contenta varia.

CDII. Quoad *Contenta ipsa*, eorundemque *Colorem*, *Odorem*, *Consistentiam*, *Figuram*, *Situm*, & quæ sunt plura, non parum observantur variare ipsa pro *diversis Febrium temporibus*, *Humoribus* maximè *peccantibus*, & *Diæta*, ut & *Medicamentis*.

Fundum quænam petant.

CDIII. *Fundum* namque petunt, Sedimentique nomen obtinent, quæ magis sunt Terrestria, Glutinosa, & Salsa, sed prædictis juncta.

Superficië quænam.

CDIV. *Superficiem* contrà legunt, quæ sunt maximè Pinquia & Volatilia.

In medio quænam ferantur.

CDV. *In medio* feruntur, quæ sunt naturæ mediæ.

Eorum consistentia æqualis & calor albicans quid significet.

CDVI. *Consistentiam* quæ habent magis *Æqualem*, *Coloremque albicantem*, laudantur maximè, cùm spem faciant restitutionis ægrorum, sintque signum, restaurari ac redintegrari Effervescentiam vitalem.

Quid inæqualis, & color ab albo recedens.

CDVII. Contrà, quorum *Consistentia* est *Inæqualis*, & *Color ab albo multùm recedens*, significant vitiatam multùm vitalem Effervescentiam, ideòque in pejus ruere Ægrorum res; unde, quò recessus ille major est, eò periculum urget majus.

Fœtor Sedimenti quid indicet.

CDVIII. *Fœtor Sedimenti* corruptionem aliquam, si non in Sanguine, saltem in Renibus aut Vesica existere indicat.

Arenulæ ubique in urina & ejus contentis.

CDIX. *Arenulas* solas inter Contenta ubique observavi, nec tantùm in Urinæ fundo, verùm in superficie quoque ac medio, quin lateribus Vasorum, ut & inter contenta reliqua omnia.

Earum color varius.

CDX. *Color arenularum* apparet varius, nunc *rubeus*, nunc *flavus*, nunc *cinereus*, nunc *albus*: minùs noxius rubens, pejor albus.

Figura diversa.

CDXI. *Figura* quoque *ipsarum* est diversa, nunc globosa, nunc diversimode angularis.

Calculi varii.

CDXII. *Calculi* quoque *majores*, *minoresque* cum Urinis excreti varii occurrunt *colore*, *figura*, *duritie*.

Eorum color.

CDXIII. *Color* plerumque ex flavo cinereus existit, aliquando magis ad albedinem tendens, qui pejor, uti flavior minùs malus.

Figura.

CDXIV. *Figura* non rarò est oblonga, vel etiam ovalis, subinde sphærica, & aliquando variis superficiebus planis multifaria, plùsque aut minùs regularis, tetraedra, cubica, vel mixta; conica, cylindrica, &c.

Durities.

CDXV. *Durities* quoque Calculorum varia est, cùm aliqui occurrant friabiles, alii valdè solidi, & sic porrò.

CDXVI. Sed ista omnia ex professo tractare non est hujus loci; primaria verò capita paucis attigisse sufficiat.

Virium prostratio.

CDXVII. Inter Affectus nostri Epidemii Symptomata recensuimus 22. *Virium omnium Dejectionem ac Prostrationem stupendam*, & quidem *tantam*, *ut vix longo tempore ipsas recuperare potuerint Ægri*.

Vires duplices.

CDXVIII. *Vires* consideramus & *Vitales*, & *Animales*, utrasque tunc prostratas.

Vitales quænam.

CDXIX. *Vitales* voco *vires*, quæ sunt ad vitam sustentandam necessariæ, quas, si quis malit, *Naturales*, quoque haud ineptè vocaverit.

Ad eas referri debet. 1. Effervescens Sanguis.

CDXX. Ad Vitales, Naturalesque Vires referendus primo & primario loco *Effervescens Sanguis* in dextro Cordis Ventriculo; quatenus *ab illo non tantùm Vita immediatè pendet*, verùm *Continentes* quoque *partes omnes nutriuntur*, quin *Contenta omnia originem trahunt*.

2. Fermentata in Ventriculo Alimenta, & Chylus.

CDXXI. Ad easdem Vires Naturales referimus 2. *Fermentata in Ventriculo Alimenta*; ut & *secretum ex ipsis* in tenui Intestino *Chylum*, qui exinde *transcolatur* in Vasa lactea, hinc & *transfertur* ad Cor, quò *ex ipso conservetur ac renovetur Sanguis*.

3. Bilis.

CDXXII. Ad easdem Vires vitales puto referendam 3. *Bilem in Hepate à Sanguine* quovis tandem modo *secretam*; tum *ad Sanguinis Effervescentiam* in Corde, tum *ad Chyli secretionem* in tenui Intestino, tum *ad Liquoris peculiaris confectionem* ibidem non tantùm utilem, verùm necessariam quoque.

4. Lympha.

CDXXIII. Ad easdem Vitales vires arbitror referendam 4. *Lympham in Conglobatis Glandulis præparatam*, & continuè per vasa sua similiter ad dextrum Cordis ventriculum delatam, *vitalemque* in eo *Effervescentiam cum Bile producentem*.

5. Succus Pancreaticus.

CDXXIV. Ad easdem Vires vitales existimo referendum 5. *Succum Pancreaticum in Conglomeratis Pancreatis Glandulis præparatum*, atque *una cum Bile* in tenui Intestino effervescentem, atque laudatum modò *Liquorem peculiarem*, qui mea conjectura *Consistentiam Sanguini confert*, imprimis constituentem.

6. Saliva.

CDXXV. Ad easdem Vires vitales judico referendam 6. *Salivam* continuè deglutitam, & non tantùm in ore, ast in ventriculo quoque *assumptis alimentis admistam*, eorundemque *Fermentationem* præcipuè *efficientem*: atque in tenui Intestino, Pituitæ nomine notam, ad memorati modò *Liquoris confectionem* concurrentem.

7. Animales Spiritus & quatenus.

CDXXVI, Possunt ac debent forsan ad vitales vires referri 7. *Animales Spiritus*, quatenus non tantùm *concurrunt ad* recensitorum modò *Humorum variorum*, *Bilis*, *Lymphæ*, *Succi Pancreatici & Salivæ*, *confectionem*; ast insuper inserviunt *motui* Labiorum, Maxillæ inferioris, Linguæ, OEsophagi, Ventriculi, Intestinorum, Vasorum omnium, Cordisque adeò ipsius quoque, in Alimentorum Assumptione, Contritione, Deglutitione, Propulsione, Transcolatione, ut & Sanguinis quaquaversùm propulsione ad Vitæ conservationem tàm necessariis.

Animales Vires quænam.

CDXXVII. *Animales Vires* vocandas existimo, quæ non tam sunt ad vitam necessariæ, quàm *utiles ad vitam præstandam beatiorem*.

Vitam beatiorem quænā faciāt.

CDXXVIII. *Vitam* quæ *faciunt beatiorem*, *Sensus* tam *externi* sunt, quàm *interni*: ut es *Motus Animi & Corporis*, *animalis* dictus.

Sensibus externis quænam serviant.

CDXXIX. *Sensibus externis* serviunt 1. *Sensoria*, Oculi, Aures, Nares, Lingua cum Palato, & Membranæ. 2. *Nervi*. 3. *Cerebrum ac Cerebellum*. 4. *Spiritus Animales*.

Quænam internis.

CDXXX. *Sensibus Internis* arbitror ministrare *Cerebrum cum Cerebello*, atque *Spiritus Animales*.

Quænam Animi motibus.

CDXXXI. An *Motibus Animi serviant Spiritus Animales*, *aliæve Corporis partes*, *dubito*; quamvis non dubitem, plurimùm *ab ipsis agitari sæpè Animales Spiritus*, & *alterari Humores omnes*, ac cum ipsis *Partes Continentes*.

Quænam corporis motui.

CDXXXII. *Animali Corporis Motui* serviunt 1. *Musculi*. 2. *Nervi*. 3. *Cerebrum ac Cerebellum*, 4. *Spiritus Animales*. & 5. *Ossa*, *vel Partes movendæ*.

Virium prostratio unde.

CXXXIII. Cùm tàm multa constituant Vires nostras & Vitales, & Animales, concurrant saltem ad ipsas constituendas, conservandasque, fuerintque utræque anno superiore in Ægris tàm notabiliter prostratæ, investigandum porrò, unde originem habuerit eadem virium prostratio.

Quando vires dicantur prostratæ.

CDXXXIV. Nam *prostratæ* dicendæ sunt *Vires* hę tum *Vitales*, tum *Animales*, quoties *Partes tam Continentes*, *quàm Contentæ* ad *Functiones* memoratas exercendas *necessariæ à statu naturali* eosque *recesserunt*, ut *Functiones* illas *vel in totum*, vel *saltem maxima ex parte* nequeant producere.

1. Sanguis à quibus ineptus factus.

CDXXXV. Et 1. quidem *Sanguis* factus est *ineptus* Effervescentiæ vitali ritè subeundæ propter *Humores plures* ad dictam Effervescentiam efficiendam concurrentes *vitiatos*, & imprimis *Massam ipsam Sanguineam* multis modis *male affectam*, tum immediatè ab ipsis *Solis radiis* tandiu ardentibus, tum mediatè à notatis modò *Humoribus* vitium suum Sanguini communicantibus.

2. Chyli defectus & vitium unde.

CDXXXVI. 2. *Alimenta* sicut à multis fuere *fastidita* nec proinde assumpta, unde *Chyli defectus* fuit ad Sanguinem reparandum; ita, quoties assumpta fuere à quibusdam, *perperam* fuere in *Ventriculo fermentata*, unde ne tunc quoque *Chylus* laudabilis secerni potuit & ad Cor deferri pro Sanguinis continuè pereuntis refectione: idque propter *Salivam* vitiatam, ut & *Bilem* non rarò ad Ventriculum assurgentem, atque *Appetitum* non minùs *corrumpentem*, quàm *Fermentationem Alimentorum vitiantem*.

3. Bilis unde acrior & volatilior.

CDXXXVII. 3. *Bilis*, quemadmodùm dictum in superioribus, *Acrior est facta & Volatilior* à Solis

Radiis

Radiis tentum & tamdiu durantem *Æstum* in Aere excitantibus.

4. Lympha acidior unde.

CCCCXXXVIII. 4. *Lympha* in non paucis à *Frigore* summo in Aere occurrente ante noxium illum Solis æstum reddita est *Acrior*, hoc est, *Acidior*, ideóque viteli Effervescentiæ blandę promovendæ ineptior, quia ob Bilem paulò post Acriorem factam Effervescentiæ noxiæ ac vehementiori procurandæ nimis apta.

5. Pancreaticus Succus acrior unde.

CCCCXXXIX. 5. *Succus Pancreaticus*, quem sæpiùs docui pro *Melancholico* Veterum *Humore* omninò habendum, ab eodem *Frigore prævio* Acrimoniam noxiam est nactus, hinc tum Intellinalem, tum Vitalem læsit Effervescentiam.

6. Saliva unde vitiata.

CCCCXL. 6. *Saliva* & à præcedente *Frigore* magno, diuturnoque, & à subsequente *Calore* summo, itidemque diutino inspissata fuit & noxia facta, suisque muniis probè obeundis inepta.

7. Animales Spiritus unde consumpti.

CCCCXLI. 7. *Animales Spiritus* non tàm *impediti* fuerunt à præcedente, *Frigore*, quàm *consumpti ab Æstu* subsequente; unde *Humores* omnes minùs potuere ab ipsis temperari, partiumque *Motus naturalis* absolvi.

Vires Animales læsa in Sensibus externis unde.

CCCCXLII. *Vires* autem *Animales* quod attinet, 1. in externorum Sensuum *Sensoriis* notabilis mutatio in paucis observata; ut nec 2. in Nervis; ast 3. ob *Febres* tam *Intermittentes*, quàm *Continuas* in *Cerebro* ac *Cerebello*; ut & 4. in *Spiritibus Animales* tam *Consumptis*, quàm multis modis ab ascendentibus *Halitibus conturbatis & infectis*; sed 5. *In corpore* suere *objecta plura*, *Humores* scilicet à quibus *Dolor* per *Distensionem*, *Acrimoniam*, *Felgus*, *Ardorem*, ac similia fuit productus.

In Sensibus internis unde.

CCCCXLIII. *Internos Sensus* si spectes, hic similiter culpamus malè affectum *Cerebrum ac Cerebellum*; malè affectos *Spiritus Animales*; unde *Somnia turbulenta* & *Deliria* ortum habuerunt.

Animi Motus quinam in Ægris reperti.

CCCCXLIV. *Animi Motus varii* fuerunt in Ægris, & inprimis *Mæror* ratione malorum præsentium, & *Metus* ratione malorum futurorum, ac non minùs prævisorum, quàm formidatorum; *quos graviores fecerunt Animales Spiritus malè constituti*; quemadmodùm vicissim non parùm sunt à notatis pathematis affecti malè, conturbatique in motu suo Animales Spiritus.

Corporis motus quomodo labefactatus.

CCCCXLV. Quoad *Corporis Motum Animalem* in paucis labefactatus fuit ratione *Musculorum*, aut *Nervorum*, aut *partium* movendarum, nisi diutiùs perseverante malo; in pluribus ratione *Cerebri Cerebellique*, atque *Spirituum Animalium* malè affectorum: sicut modò dictum.

CCCCXLVI. Adeò ut sic ex jam dictis pateat omnibus prostratarum Virium omnium ratio & Causa vera.

Quare Vires eitò non potuerint reparari.

CCCCXLVII. *Eadem longo tempore non potuerunt reparari*, tum propter *Humores omnes unà* cum *Sanguine* in Corpore *vitiatos*, tum propter *Causas externas in notabili excessu peccantes, & diu ita permanentes*: nam sicut *Æstum Aeris summum ac longum præcessit*, ita eundem *consecutum est Frigus grande ac diuturnum*.

Recidivæ frequentes unde.

CCCCXLVIII. Inter affectus nostri Epidemii Symptomata recensuimus a 3. *Recidivas frequentes*, ad minimum Diętæ vitium obvenientes; Unde non parùm turbati sunt plerique, ac si malum esset insuperabile. Fatigati namque fuere illi quoque à Medicamentorum assumptione, qui præ aliis facilè poterent quibusvis uti; unde recidivam patientes aversabantur tandem remedia, & dolebant, se tàm facilè in affectum incidere eundem, ac plerumque graviorem, multisque lethalem.

CCCCXLIX. *Recidivarum* autem istarum *Causa* fuit *omnium penè Humorum Constitutio* in *plerisque læsa*, nec tàm facilè proinde in statum naturalem reducibilis. Unde quamvis multi liberarentur à Febre tam Intermittente, quàm Continua, levarenturque gravioribus suis Symptomatibus; nondum tamen erant Sani, quoniam Humorum variorum vitium varium non poterat subitò emendari, nec proinde ipsorum vires in Humoribus maximè consistentes renovari. Hinc non mirum, si ad leve patratum in dięta erratum incidebant pleriq; in novas febres nunc Continuas, nunc intermittentes, Symptomataque priora redderentur non rarò prioribus graviora & periculosiora, & iàm sæpè lethalia.

Cur recidivas patiantur homines.

CCCCL. Si namque maxime Virium nostrarum pars consistat in laudabili Humorum omnium dispositione, sicut diximus nuperrimè, quoties illi Humores nondum sunt omnibus modis emendati, toties debiles censentur ac sunt tales Homines; quin ad affectum difficilem, gravemque perferendum, superandumque minùs apti; quemadmodùm eo ipso dispositi sunt, ut in quemvis affectum citiùs, graviùsque incidant.

Cur facilè quivis quemvis patiatur affectum.

CCCCLI. Vitium namque varium in variis Humoribus existens Causa est, cur facilè quivisquemvis patiatur affectum, quippe qui tunc offendit in tali corpore Humores, qui aditum ipsi facilitent, ipsumque foveant.

CCCCLII. Adde quòd permanente in Aere Causa Communi affectus præcedentis, atque in pluresè continuè sævientis, admodùm facilè renovari potest idem in Hominibus necdum ex hoc naufragio planè emersis, verùm adhucdum eum ipso ex parte luctantibus.

CCCCLIII. Nec mirum, facilè delinqui à convalescentibus, atque omnia penè adhuc fastidientibus in hac vel illa Diætæ parte; in quibus tunc minimum erratum plus solet nocere, quàm aliàs ubi validi sunt, habentque Humores omnes benè constitutos, erratum maximum.

Frequens Abortus Gravidarum nonnisi in affectibus gravissimis.

CCCCLIV. Inter Symptomata Epidemii nostri Affectos notavimus 24. *Abortum plerisque Gravidis obortum*, adeòque frequentem, ut *paucæ vivos, paucissimæ vitales ediderint Fœtus*: quod nunquam evenit, nisi in Affectibus gravissimis & periculosissimis, qualis etiam fuit noster Epidemicus.

Ejus causa Bilis multùm acris & volatilis. Et quomodo.

CCCCLV. Causam ejus si quis me roget, dicam id evenisse imprimis propter *Bilem multum Acrem ac Volatilem*, non tantùm maternum, sed maximè Fœtus Sanguinem fluidiorem præstantem.

CCCCLVI. Maternus, præsertim ad Uterum delatus Sanguinis fluidior, cur laxiùs Utero adhæserit Placenta, hinc & totus Fœtus, in causa fuit; quapropter facilè potuit sequi abortus, concurrente imprimis Fœtus Languore ac Debilitate.

Languor in Fœtibus.

CCCCLVII. *Languentes*, & ideò Debiles fuisse plerosque *Fœtus evincit* plerorumque *Mors paulò post nativitatem superveniens*, etiam ubi ordinario nati sunt tempore.

Ejus causa.

CCCCLVIII. *Languorem* istum, Debilitatemque Fœtuum adscribimus *Materno Sanguini* plurimùm vitiato, & quidem ob Causas nuper quoque in Virium prostratione propositas.

CCCCLIX. Non potuit namque conservari robur Fœtus, Materno Sanguine existente modis omnibus ita vitiato, ut Matres diu pergerent languere, ac segniùs restaurari.

Dolores Vagi.

CCCCLX. Observati sunt 25. in Ægris nonnullis *Dolores Vagi*, & modò has, modò illas Partes afficientes.

Unde orti.

CCCCLXI. Dolores illi ortum habuerunt quandoque *ab Humoribus*, *Halitibusve acribus* Partes sensiles rodentibus, atque sic Dolorem in illis parientibus, quandoque à *Flatibus* Partes distendentibus, atque sic quoque Dolorem producentibus.

Halitus & flatus quidnam præstent.

CCCCLXII. Quemadmodùm autem plerique Humores acres confluunt ad tenue Intestinum, Bilis, Succusque Pancreaticus, ita in illo confluxu vitiosè ideò effervescentes nunc Halitus, nunc Flatus excitant, qui non minùs, quàm Humores ipsi tum in eodem Intestino, tum in annexo Crasso, tum in proximo Ventriculo & Anxietates, & Distensiones, & Rosiones producere solent; quin per Lacteas Venas festinantes ad cor, ibidem turbant Effervescentiam vitalem, Anxietates, Difficilemque in Pulmonibus Respirationem efficientes; ulteriùs autem cum Sanguine ad Partes quasvis delati & in Capite, & in Artubus Dolores pariunt varios.

CCCCLXIII. Docuimus autem in superioribus, & Bilem fuisse acrem factam ob Æstum Aeris summum;

mum ; & Lympham, Succumque Pancreaticum fuisse similiter acriores factos ob Frigus Aeris grave tàm præcedens, quàm subsequens illum æstum.

Dolores cur Vagi. CDLXIV. *Vagi* autem fuere notati Dolores, hoc est, nunc hanc, mox aliam Partem occupantes, propter *Halitum*, *Flatuumque*, quin & *Humorum* quoque *Volatilitatem ac Mobilitatem magnam*, propter quam potuerunt facilè locum mutare, atque ex una parte transferri ad aliam.

Motus convulsivi. CDLXV. Notavimus 26. fuisse nonnullis molestos *Motus Convulsivos*, & ipsos itidem *vagos*; ut & *Spasmos flatulentos* ad nuperi veris finem, quin æstate quoque in quibusdam perdurantes, gravesque.

Unde. CDLXVI. *Convulsivos* quidem *Motus* deducimus *ab Halitibus Acribus* quaquaversùm cum Sanguine, ac imprimis ad Nervorum principia, ubi fuere magis universales, aut quosvis Nervos, ubi fuere iidem magis particulares, delatis, ipsosque rodentibus, atque ad Spiritus Animales majori copia per ipsos mittendos cogentibus.

CDLXVII. Qui Halitus quemadmodùm non semper ad ejusdem membri nervos ferebantur, ipsosque rodebant, sed in aliis postrà membris motus similes producebant, ita fuere dicti *Motus Convulsivi vagi*.

Spasmi flatulenti unde. CDLXVIII. Rursus, quemadmodùm ab Acribus Halitibus Nervos mordentibus deducimus Motus Convulsivos, ita à *Flatibus* similiter quaquaversùm cum Sanguine delatis, atque in *Partium quarumvis substantia facilè* hærentibus, & in musculorum membra contorquentium spatia sese insinuantibus, nec facilè inde recedentibus deducimus *Spasmum flatulentum*, tàm sæpè multos *in lecto* invadentem, idque propter *flatus lecti calore mobiliores* factos, excitatosque.

Halituum & Flatuum frequentium causa. CDLXIX. Causam verò tam Halituum, quàm Flatuum frequentium non semel demonstravimus in superioribus Effervescentiam, putà Febrilem, aliàsve aeriorem in tenui Intestino; ut & Pituitæ Glutinosæ deductionem in flatus à Bile Acriore.

Flatus tenaces unde producti. CDLXX. Cùm verò Æstui summo successerit denuò frigus vehemens ac diuturnum, sub initiū Hyemis, auctum frigus diu permanans Pituitæ Glutinositatem auxit, quapropter copiosiores producti hoc anno quoque in multis, & quaqua versùm propulsi Flatus tenaces in quodvis spatium per musculos sibi factum se insinuantes, sicque Spasmum molestissimum, & dolorem gravissimum parientes.

Macula Scorbutica. CDLXXI. Observatæ sunt quoque 27. inclinante ac diminuto Affectu Epidemio *Maculæ Scorbuticæ* in prædispositis majore copia erumpentes.

Scorbutus quibus locis Endemius. CDLXXII. Nec mirum, postquàm Scorbutus in locis paludosis & maritimis Endemius se cuivis Affectui copulat libenter atque facilè.

Ejus causa. CDLXXIII. Scorbuto autem fovendo, quin excitando faventissima fuit Humorum omnium ac singulorum corruptio in superioribus non semel notata; quæ proinde faciliùs potuit in Scorbuto affectis augere ipsius malitiam & promovere Macularum Scorbuticarum eruptionem abundantiorem.

Ut & Macularum Scorbuticarum. Sanguinis Eruptiones unde. CDLXXIV. Observatæ sunt in quibusdam 28. *Sanguinis Eruptiones* tum per *Nares*, *scilicet Hæmorrhagiæ*, tum per *Anum*, sive *Hæmorrhoides*.

CDLXXV. Sanguis erumpit facilè *fluidior ac tenuior*, hoc est, *Biliosior*.

CDLXXVI. *Biliosior* est factus *Sanguis* ab *Aeris æstu vehementi & diuturno*.

CDLXXVII. Atque ista fuere Symptomata præcipua, quæ durante Aeris Æstu, & ante urgens denuò Frigus affecere nostros Ægros. Ubi autem auctum est in Aere Frigus, idque similiter grave & acre, alia quoque supervenere Ægris Symptomata.

Febres Lentæ. CDLXXVIII. Unde in nonnullis 29. à Morbo præcedente nondum liberis mutatæ sunt *Febres in Lentas*, nunc quotidie, nunc alternis tantùm diebus per novos Paroxysmos Ægris molestas.

Quænam vocentur. CDLXXIX. *Lentas voco Febres*, quæ nec Frigore Acri, nec Ardore urente afficiunt Ægros, sed blandiora producunt Symptomata, vires interim Ægros sensim conficiunt.

CDLXXX. Ortum autem suum debuerunt hæ Febres Lentæ *Bili* ab urgente Frigore gravi *retusæ*; atque *Lymphæ* nōn minùs quàm *Succo Pancreatico Acidioribus* iterum factis, ut & *Pituitæ Glutinosiori* redditæ, atque singulorùm notatorum *Acrimoniam retundenti*; unde excitabatur quidem Febrilis Paroxysmus, non item Frigus intensum, sed frigusculum tantùm, non Calor ardens, sed satis blandus. *Unde orta.*

CDLXXXI. *Perdurabant* autem hæ Febres propter *Pituitam Glutinosam* in corpore productam, & *Humoribus* primariò atque maximè *peccantibus se admiscentem*. *Quare perdurabant.*

CDLXXXII. *Vires* interim *magis deficiebant*, quàm recreabantur, propter Humores omnes etiam tunc vitiosos, vitiatosve; nec ab illa Aeris mutatione correctos, emendatosve. *Quare vires deficiebant.*

CDLXXXIII. Sed 30. admodùm multi & ipsa *Hyeme*, & ipso *Vere*, quin subsequente *Æstate*, & hoc etiam *Autumno* inciderunt in *Febrem Quartanam*, nunc *simplicem*, mox *duplicem*, aut *triplicem*. *Febris Quartana multiplex.*

CDLXXXIV. Febris autem hujus Causa petenda omninò à *Pituita* propter *frigus Hyemis ac Veris Aere Glutinosiore & copiosiore* facta, ut nunc non addam plura in *cæteris Diætæ* (Aeris præsertim frigidioris) *partibus* patrata *errata*, quæ non parùm *facilitarunt & promoverunt tenacis Pituitæ proventum*. *Ejus causa.*

CDLXXXV. A *Pituita* verò *tenaci* excitatæ in Pancreatis Ductibus Lateralibus *Obstructiones* fuere magis *contumaces*, *solutuque difficiles*, unde seriùs potuere à collecto in ipsis, Acriorique ideò facto Succo Melancholico perforari, Paroxysmique novi excitari.

CDLXXXVI. Quemadmodùm quarumvis Febrium Intermittentium, sic *Quartanarum* quoque *Duplicitas*, *Triplicitasve* debetur *pluribus Ductibus Lateralibus eodem tempore obstructis*, *diverso tamen reseratis*. *Febrium duplicitas & triplicitas quibus debeatur.*

CDLXXXVII. *Referantur diversis temporibus & diebus* diversi Ductus Laterales simul obstructi; *quoniam diversis temporibus ac diebus factæ sunt ac productæ in ipsis notatæ Obstructiones*

CDLXXXVIII. Ut alias nunc silentio prætercam Cautas subinde forsan locum habentes, existimo *frequentiùs contingere diversis à paroxysmi primæ Quartanæ diebus novas in aliis Ductibus Obstructiones propter frigus imprudenter circa Lumborum regionem admissam*, & quidem *durante Sudore in Paroxysmi Declinatione utplurimùm sponte aut arte propulso*. *Novam quartanam priori supervenire ob frigus circa Lumborum regionem admissum.*

CDLXXXIX. *Admittitur circa Lumborum Regionem Frigus*, *quoties aut in totum removentur Tegamenta*, *aut saltem in Corporis agitatione aut dejectione attolluntur plùs minùs eadem*, imprimis quando *decumbentes priùs in dorsum Ægri se cum impetu conjiciunt in alterutrum latus*. *Hoc quando admittatur.*

CDXC. Fuere autem illæ Quartanæ durante *Hyeme* ac *Vere curatu difficiles*, *faciliores Æstate* atque hoc *Autumno*. *Quartanæ Hyeme & Vere curatu difficiles, faciliores Æstate & Autumno.*

CDXCI. Id factum, quoniam tota Hyeme ac Vere adhuc minimè correcti erant Humores omnes: unde quamvis plures liberarentur Paroxysmis Febrilibus, incidebant paulò post in novos, & quidem ratione Pituitæ Glutinosæ ex Ductibus Pancreaticis remotæ, at in Sanguinis massa & tenui Intestino residuæ, ac novam Obstructionem facilè ac brevi post parientis. *Et quare.*

CDXCII. In quibus verò vel Diæta conveniente, vel Medicamentis aptis correcta fuit, emendataque paulatim hæc Pituita tenax, in illis feliciùs, citiùs, certiùsque fuere curatæ Quartanæ.

CDXCIII. Hanc methodum quia neglexerunt plures aut per ignorantiam, aut per arrogantiam, non mirum, si à multis non fuerint hactenus curari Quartanarii: quorum tamen Curatio non est adeò difficilis, vel ardua, sicut dicemus inferiùs, si Deus sinet ac volet.

CDXCIV. Tota *Hyeme* fuere 31. frequentes *Gravedines*, ut & *Vere*, ac non rarò præterita etiam *Æstate*, hocque *Autumno*. *Frequentes gravedines.*

CDXCV.

Vnde.

CCCCXCV. Ortum habuerunt ipsæ à *Frigore Aeris mol.sto* sæpius nos urgente, quoties *supervenit hoc Capiti calenti & imprimis sudanti*, sicut sæpiùs docuimus.

Tusses.

CCCCXCVI. *Successere* 32. *Gravedini* sæpenumerò *Tusses*, quod non est novum, nec mirum visum est mihi, quoniam priùs non visum à me, observatumve, *Tusses has cessisse citiùs; faciliùs, feliciùsque Flatus Discutientibus*, quàm ullis *aliis Medicamentis in Tussi tali curanda* usitatis; quod factum Hyeme superiore.

Feliciter curata per Flatus Discutientia.

Cur Gravedini Tussis succedat

CCCCXCVII. Non mirum, inquam, novumve succedere Gravedini Tussim, quoties Humor Serosus & Salsus, æquè ac Pituitosus aliquandiu in Cerebro moratus tandem ad fauces depluens properat in asperam arteriam, eandemque mordet, aliterve irritat ad sui repulsionem, atque expectorationem Tussi absolvendam.

Quomodo ex ea Phthisis oriatur.

CCCCXCVIII. Quòd si perduret Humoris Acris distillatio in asperam arteriam, excitatur paulatim Ulcus in ea superficiarium, mox & profundum, & tandem Phthisis; hancque excipeta solita Mora, incautos è medio tollens.

Tussim hanc non cessisse ordinariis medicamentis.

Et Ægros ad Lecti ingressum maximè ursisse.

CCCCXCIX. Quidquid autem nobis est incompertum ac novum, quandiu ejus ignoramus causam & rationem, admirationem in nobis parere solet, sicut & mihi evenit, postquam observavi, & quidem in me primùm, segniùs cessisse hanc Tussim superiore Hyeme Gravedini supervenientem ordinariis Medicamentis similem Tussim facilè curare solitis, atque ipsam *urgere potissimum me aliosque ad Lecti ingressum*.

Ejus ratio quomodò ab Authore detecta.

D. Hæc autem Observatio in me adhuc infirmo aliisque facta & mira visa *excitavit me ad istius* eventus Causam & rationem diligentiùs investigandam, *notatis flatibus eodem tempore me urgentibus, ad flatus discutientia primùm in lecto, deinde ante lecti ingressum assumenda; unde factum est, ut eructatis aliquot flatibus compesceretur brevi Tussis penè sicca, aliàs per horæ quadrantem, & aliquandò diutiùs me vexans.*

DI. Hoc Experimento in aliis quoque cum pari successu feliciter facto, rationem ipsius visus sum mihi assequi sequentem. *Pituitam* videlicet *satis copiosã in me aliisque occurrentem in tenui Intestino plurimorum calore fuisse solutam & à Bile Acriore tunc simul commota in Flatus redactam, mox & ad Pulmones delatam; à quibus irritati Pulmones tussiebant, & tussi tum reliquũ corpus omne, tum cerebrum quoque concutiendo Humores simul inibi contentos agitabant, qui ad fauces delabentes Tussim omnem à se productã mentiebantur; donec observatis flatibus, eorundẽque ascẽsu, facilis fuerit per Carminantia dicta Olea ante Lecti ingressum ex liquore cõveniẽte ad aliquot guttas assumpta hujus Tussis Curatio.*

Raucedo Gravedinẽ secuta.

DII. Non tantum Gravedinem Tussis, sed 33. *Raucedo* quoque in non paucis est secuta, itidem molesta; comitante ipsam, ut & imprimis Tussim *Excretione varia*, tum *Seri*, tum *Pituitæ Glutinosæ è Pulmone*; ut & quandoque *Assumptorum, aliorumque Vomitu*, atque *flatuum Eructationi spontanea*.

Vnde.

DIII. *Raucedo* ortum habuit præsertim *ab Humore Salso-muriatico à Cerebro in fauces distillante*, atque *in Vocis organis asperitatem producente*.

Expectoratio humorũ unde.

DIV. *Expectoratio Humoris tam Serosi tenuis & Acris muriatici, quàm Pituitosi Glutinosi & Crassi* secuta est utriusque à Cerebro in Pulmonum asperam arteriam delapsum, excitata ab iisdem Tussi.

Vomitus assumptorum unde.

DV. Vomitus fuit Assumptorum, aliorumque partim à Capite ad fauces decidentium, deglutitorumque; partim ex intestino tenui assurgentium, & in Ventriculum tam Tussis, quàm ipsius Vomitus vi propulsorum.

DVI. *Excitatus* autem fuit plerumque *Vomitus vehementia Tussis*, quemadmodum id notissimum. Tunc enim omnes Abdominis Musculi non minùs; quàm Diaphragma conspirant ad expulsionem violentam, sæpiùsque repetitam Aeris, omniumque in aspera arteria contentorum, atque Pulmones irritantium. Quocirca Ventriculus ipse tum ratione Diaphragmatis sibi annexi conquassati agitatus, tum ratione ejusdem atque abdominis, musculorum abdominis cavitatem angustantium compressus ad violentam & inversam sui contractionem adactus Vomitum excitat, & contenta quævis expellit.

Flatuum Eructatio unde.

DVII. *Flatuum Eructatio* debebatur *Flatibus*, sicut modò dictum, in tenui Intestino per se excitatis; atq; non tantùm deorsùm per Intestinorum fistulam, hinc & Venas Lacteas usque ad Cor & Pulmones, verùm sursùm quoque ad Ventriculum propulsis, atque Tussis vehementia, sicut de Assumptis dictum, vi è Ventriculo per Os expulsis.

Faucium ardores.

DVIII. Nonnullis 34. excitatæ sunt in *Faucibus & Tonsillis Ardores, Inflammationes, aliique Tumores.*

Vnde.

DIX. *Faucium Ardores* debentur frequentissimè, quod & hic factum, *Humoribus Salsis Muriaticis ad Fauces delatis*, earundemque *superficiem rodentibus*, atque Affectũ *Erysipelati non valde dissimilem* producentibus. *Rubet* enim & urdet tunc *Membrana* plerasque faucium partes tegens, palatumque adeò ipsum quoque.

Faucium Inflammatio unde.

DX. *Inflammatio faucium* ortum habet à *Sanguine in Tunicam ipsarum Glandulosam effuso*, & ni curetur in tempore, *Apostema* constituente, moxque ad ipsius ruptionem, purisque excretionem *Ulcus* relinquente, sed facile curabile.

Tonsillarum Inflammatio unde.

DXI. *Tonsillarum Inflammatio* debetur eidem *Sanguini in Glandulosam ipsarum Substantiam* ex vasis obstructis, mox & ruptis *effluenti*, atque similiter, ni brevi prævaniatur, in *apostema* abeunti & tandem pus effundenti.

Tonsillarum Tumores unde.

DXII. Alii præter inflammationem *Tumores* observantur quandoque *in Tonsillis à Pituita tenaci, Serove in earum substantia hærentibus orti*, minùs Caloris, minùs Ruboris, minùsque adeò Doloris producentes.

DXIII. Sanguinis ut & Pituita & Serum ad notatas istas partes defertur per Arterias, & in ipsis Sanguis quidam sisti videtur *obstructis* venis exilibus, Pituita verò & Serum vasis Lymphaticis.

Obstructio quomodò fiat.

DXIV. *Obstructionem*, uti aliàs forsan semper, *fieri* putamus hic, quoties *toto* præsertim *corpore*, *capite saltem* cum partibus maximè vicinis ab *Æstu Solis, Foci, Balnei*, vel *Potu generoso*, vel Aromatico, *Corporis motu* vehementi aut febre ardente, &c. *incalescente solvitur* solito magis *Pituita*, eademque *transfertur* quaquaversùm; ergò *in exigua* quoque *Faucium, Tonsillarumque vasa*, hoc est, per Arterias, venasque cum Sanguine, ast per Vasa Lymphatica vel propria cum Lympha, vel proprio Liquore inibi præparato, *superveniente* autem confestim, satisque manifesto *frigori* nunc *Aeris* Ore paulo inspirati, nunc *Potus* imprudenter magna copia ingurgitati denuò *Coagulatur eadem*, paritque *in ipsis subsistens notatam Obstructionem*, quam subsequuntur descripti modò *Tumores* varii & *Ardores*.

Erysipelas Faciei Serosum lethale

DXV. Fuit quoque 35. molestum ac periculosum, imò lethale multis Ægris Symptoma *Erysipelas*, & præsertim *Faciei*, idque *Serosum* vulgò *Bel.roos* vocatum.

DXVI. Hoc Symptoma sicut seriùs se manifestavit, ita ad hoc usque tempus perseveravit, & plures malè curatos, vel sui negligentes peremit.

Erysipelas unde.

DXVII. *Ortum videtur mihi habere omne Erysipelas ab Humore Bilioso & Lymphatico vel Pancreatico Acribus & vitiosè in Corde simul Effervescentibus febrimque producentibus, arctiùsque inter se, ideòque lentius Sanguini junctis, atque cum ipso tamen quaquaversùm propulsis, & facilè in corporis superficie, ut & alibi forsan hærentibus, ibique Tumorem levem, Ardorem autem ac Dolorem magnum, Erysipelatis nomine notum excitantibus.*

DXVIII. *Lympha, vel Succus Pancreaticus si fuerit Salso-muriaticus, scateatque in corpore adeòque Sanguine quoque Aqua multa, tunc solet Erysipelas paulatim vesiculis emergentibus, atque plus minùsve Seri effundentibus degenerare in Serosum dicendum.*

DXIX. Quoniam verò in plerisque auctum fuit propter Aeris frigus perseverans, & humiditatem conjunctam Serum, Erysipelas excitatum in plerisque fuit Serosum, in uno tamen magis, in aliis minùs

Sero-

Serosum, prout quis vel natura, vel ratione morbi & diætæ plùs vel minùs featebat Sero.

DXX. Notandum autem *Erysipelas* hoc *excitatum* toto hoc anno *plerumque in facie*, *rarò alibi*:

Cur frequentiùs hoc anno Erysipelas excitatum.

DXXI. *Frequentiùs* autem *hoc anno*, quàm aliàs excitatum Erysipelas existimo propter *Bilem anno superiore ab Æstu Aeris valde corruptam*, eamque *corruptionem diu servantem*, *supervenient ob frigus consequens & itidem diuturnum & atrox Humors Acido & non rarò simul Austera*, à quibus facilè potuit parari Humor Erysipelati producendo aptissimus.

Et cur frequentiùs in facie.

DXXII. Ideò autem *in facie* exortum forsan frequentiùs, quàm in aliis corporis partibus *Erysipelas*, propter *Cutim faciei teneriorem atque Aeri maximè expositam*, ideòque ab Aere faciliùs graviùsque affectam, & *Humori notato excipiendo aptiorem* redditam.

Cur Erysipelate supervenient febris cum delirio, & sæpè mors.

DXXIII. Cùm autem Erysipelas fiat ab Humore misto, & vitioso Sanguinis massæ confuso tantùm, & ad corporis superficiem quasi expulso; *si humor idem ampliùs ibi corruptus ab externo frigore imprudenter admisso repellatur ad interiora & Sanguini admisceatur, vel non satis Medicamentorum externorum ope via ipsi sternatur ad exitum, nec internorum opera propellatur idem foras, solet gravior excitari febris cum delirio, & sæpè mors sequi.*

DXXIV. Horum autem Symptomatum ratio sequens videtur: Humor hic ad corporis superficiem propulsus & de Bile maximè participans, ibidem falcem ipsius naturam imprimis nactus, magisque à mediocritate ac temperie prima degenerans & acrior factus, non sine summa sanguinis noxa eidem admiscetur, unde mox ardentior excitatur febris & Effervescentia nocent in Corde, ante omnia Cerebro Animalibusque Functionibus adversa, quas mox ita turbat & confundit, ut sensus externi vacillent, interni delirant, Animique Motus turbentur æquè ac Motus Corporis Animalis.

Bilem Acriorem Delirium parare in febre.

DXXV. Proprium est *Bilis Acrioris* sanguini admistæ *Delirium parere in Febre* tam intermittente, quàm continua.

Functiones Animales labefactat, & Sanguinis consistentiam infirmare.

DXXVI. Quemadmodùm autem Functiones Animales labefactat, & depravat præ aliis Humoribus omnibus *Bilis Acrior*, ita plurimùm quoque *Sanguini*, *Consistentiam naturalem infirmat*, *vitæque fundamenta destruit eadem*.

Mors post turbatam in Erysipelate retroacta mentem nat sit in propinquo.

DXXVII. Hinc est, quòd post turbatam in Erysipelate retroacto mentem mors sit plerisque in propinquo: quod nupertimè factum quoque in Nosocomio in misero sene, cujus cura fuit neglecta ab ægrotanti Præfecta, imperitaque ancilla, mox & malum auctum ab Ægro jam delirante, atque tum medicamenta externa detrahente, tum noctu è lecto aliquoties surgente atque sic noxium frigus excipiente, sicut futurum prædiximus immorigeris.

Cur etiam fauces angantur.

DXXVIII. Id quoque notandum, plerisque à retrocedente ad interiora Erysipelate faciei *fauces angi*, quod men arbitrato tribuendum *Erysipelati sponte ad collum usque ambulanti*, partesque colli extimas postremò etiam occupanti, atque illas præsertim partes ultimò afficiendas graviùs invadenti, atque facilè ad interiora ibidem penetranti: cui accedit forsan, quòd in faucibus existentes glandulæ, tunicæque glandulosæ non parùm afficiuntur ab illo Humore jam Erysipelas producente ac retrocedente, aut adhuc producturo & magis mobili ad interiora repulso, & ad fauces maximam partem propulso.

Tumores OEdematosi aut serosi.

DXXIX. Non tantùm frequens fuit in facie Erysipelas, sed 36. in quibusvis Corporis partibus excitati *Tumores OEdematosi, aut Serosi*; quin etiam in Universo corpore *Anasarca* ex sero, vel *Leucophlegmatia* ex pituita imprimis orta.

Anasarca. Leucophlegmatia.

Horum causa.

DXXX. Ortum autem suum habuerunt ferè *Tumores* illi *à nimio potu*, cui indulserunt non pauci ob sitim inextinguibilem, quà fuere affecti in quibusdam Febribus & continuis & intermittentibus; imprimis durante frigore; tunc imprimis existente potu pernicioso.

DXXXI. Quemadmodùm enim aliqui, inter quos ego etiam fui, paucam sunt experti Sitim, propter Bilem minùs acrem, minùsque copiosam & sponte vel arte diminutam; ita nonpauci passi sunt sitim vehementem, quam ullo potuerunt restinguere potu; cui proinde qui indulserunt nimiùm, totam Sanguinis massam nimio obruerunt liquore, qui pro sui diversitate nunc Serum, nunc Pituitam nimiùm auxit, & ubique partium substantiæ adhærens, atque subsistens *Tumores* excitavit *OEdematosos*, *Serososve* in partibus particulares, Cruribus præsertim ac Pedibus, aut Universales per totum corporis Habitum, *Leucophlegmatiam* putà, vel *Anasarcam*.

Ascites qualis Affectus.

DXXXII. Præter quas Hydropis particulares atque universales species curatu minùs difficiles, ideòque minùs periculosas; non paucis supervenit 37. *Ascites*, omnium curatu difficillimus, & ideò maximè periculosus, & plerumque lethalis: *Collectio* nempe *Aquarum in Abdominis cavitate*, ut & *Scroto ac Cruribus*; dum partes superiores paulatim contabescunt, & Ægri sensim deficiunt: quo signo dilinguitur à Leucophlegmatia & Anasarca.

DXXXIII. Hæc Hydropis Species ni curetur in tempore, curatur tardò vel nunquam.

Quomodo Arte curetur.

DXXXIV. *Curatur Ascites arte*, quando *Medicamenta Aquas per Alvum, Urinas & Sudores educentia* in tempore usurpata illas evacuant viis laudatis: vel quando frustrà sunt ista usurpata, festinatur ad innoxiam *cum acu cava paracentesin*, antequam mora nimia reddantur Humores in abdomine Acriores, rodanturque Viscerum, Intestinorumque Membranæ, quin eorundem substantia corrumpatur; educuntur autem tunc iteratis vicibus quantitate exigua Aquæ.

Quomodo sponte.

DXXXV. *Curatur* aliquando Ascites sponte, quando *in Scroto vel Crure* alterutro ab Humoribus Acribus excitantur *vesiculæ*, mox & *ulcuscula*, per quæ paulatim evacuatur etiam in Abdomine contenta Aqua.

Aut casu.

DXXXVI Observavimus quoque *Casu* aliquando *Curatus Ascites ex vulnere* fortuitò accepto in crure, aut ipso etiam Scroto, per quod similiter effluxit paulatim Aqua.

Paracentesi perperam contradicere Medicos.

DXXXVII Hæc cùm nota sint, non satis possum mirari tam sæpè Paracentesi tempestivæ contradicere ac se opponere multos Medicos, sicque impedire miserorum ac miserrimè tandem morientium Asciticorum Curationem.

Vena Lactea cur obstruantur a Pituita.

DXXXVIII. Ortum habere potest *Ascites Hydrops*, vel *à venis Lacteis obstructis & ruptis*, vel *à Sero in Pedibus ac cruribus primùm subsistente, & paulatim assurgente, sicque in Abdominis Cavitatem penetrante, atque ibidem collecto*.

DXXXIX *Venæ Lacteæ obstruuntur à Pituita* ob causas nuper memoratas in tenui Intestino futura, in eas delata, *mox* verò plerumque à *Potu frigido* copia nimia ingurgitato, aliquando *ab Aere itidem frigido* imprudenter contra denudatum Abdomen admisso, rariùs *ob aqua frigida* similiter cultu vel imprudenter Abdomen attingente *iterum coagulata*, & in ipsis hærente; consequente *ab Chyli, Potusve accessum* ipsarum nimia *distensione*, & tandem *ruptione*, hinc utriusque *in Abdominis cavitatem effusione ac collectione*.

Ascites intra duos tresve dies in fine febrili productus.

DXL. Sic observatum est non semel, in Ardore ac Siti febrili intra duos tresve dies à Potu copiosiùs ingurgitato excitatum Ascitem; dubio procul propter Pituitam à febrili Ardore solutam & in Lacteas Venas translatam, mox verò ad Potus frigidi assumptionem coagulatam; hinc ad subsequentis Potus copiosi ingurgitationem, post notatarum venarum distensionem, ac ruptionem, propter ipsum in Abdominis cavitatem effusum, & ibidem collectum, ipsumque implentem ac distendentem.

DXLI. Causæ autem ad hæc omnia præstanda sufficientes occurrerunt anno superiore in Aere multipliciter mutato, ut alia Diætæ vitia frequentia non memorem, omninò tamen consideranda, ubi ad Curam devenitur

Diarrhœa critica.

DXLII. Postremum & trigesimum octavum interest cluendi Epidemii Symptomata locum dedimus *Diarrhœa* nunc *Serosa*, nunc *Pituitosa*, notatis *Tumoribus supervenienti*, ac subinde *Tumores* illos

tollenti

tollenti & carnati; fiat quo quoties disparuerunt subitò illi, brevi post sequebatur Mors.

DXLIII. In hac ergo *Diarchœa Critica* quærenda, ostendendaque ipsius & *Tumor Carnationis ratio*: addendumque, cur perierint, quibus sine tali Diarrhœa disparebant illi Tumorea.

Quando notatis Tumoribus supervenerit, DXLIV. Diarthœa supervenit notatis Tumoribus, quoties illorum Causa, Serum vel Pituita, translata est à Corporis Habitu ad Intestinorum Cavitatem, atque porrò expulsa per anum.

DXLV. Translata sunt *Pituita & Serum à Corporis Habitu ad Intestinorum Cavitatem*, quatenus admissa sunt *in Venas*, & unà cum Sanguine refluo *ad Cor*, atque inde *per arterias* delata ad *Pancreas*, & inde unà *cum Succo Pancreatico in cavitatem* Intestini tenuis.

DXLVI. Nec improbabile videtur mihi, aliquid hujus Seri ac Pituitæ translatum ad *Glandulas Salivares*, & unà cum Saliva in Oris Cavitatem, mox in Ventriculum & Intestina: Huc refero *Muci Glandulas*.

DXLVII. Quin non contradixero illi, qui suspicabitur, Serum præsertim & Pituitam quoque aliqua sui parte unà *cum Bile* secerni potuisse in Hepate, atque cum ipsa propelli ad tenue Intestinum.

Tres ad Intestina viæ, DXLVIII. Aliam viam ad Intestina non novi præter modò assignatas tres, quas si quis observaverit & monstraverit, habebit me promptum paratumque asseclam, quippe qui unicam veritatem sector, bonumque publicum, hoc est ægrorum commodum.

DXLIX. Serum autem ut & Pituita idcircò videntur mihi *à corporis habitu translata in Venas*, quòd & *Humor uterque factus sit mora quadammodò acrior & fluidior, paraveritque sibi ex habitus canalibus inter arterias & venas sitis viam in venas priùs angustiores, nunc patentiores.*

DL. Priùs *angustiores* erant *Venæ* propter *Pituitam ipsas si non in totum obstruentem, ex parte saltem obducentem & angustantem.*

DLI. *Patentiores* sunt factæ istæ Venæ ita priùs augustatæ *ab utroque illo Humore acriore facto, atque Pituitam notatam incidente, fluidamque reddente*: accedente nonnunquam etiam *quavis alia Causa eandem Pituitam liquante aut solvente*, Aeris putà ab Igne aut Solis æstu, Corporis motu, Potu generoso, & imprimis Medicamentis aromaticis, & quovis alio modo Pituitam solventibus, Diureticis, Sudoriferis, & similibus.

DLII. Quoties autem *Humores* hi *Sanguinis massæ fuat*, sicut jam dictum, *iterum admissi, nec invenerunt exitum qualemcunque e corpore, ac præsertim per alvum, Viam tritissimam & tutissimam, permanseruntque ideò in Vasis Sanguineis*; toties partim *Sanguinem corruperunt* atq; ad *vitalem effervescentiam subeundam turpium reddiderunt, partim vitalem Ignem languidiorem factum planè obruerant, extinxeruntq;*

Affectus Epidemii prognosis, DLIII. Sic igitur plerorumque Symptomatum in Affectu nostro Epidemio satis magno numero observatorum ratione tradidimus, atque imprimis *ab Aere nunc algente, mox ardente, hinc denuò algente omnino* eadem deducenda ostendimus. Proximum est, ut nunc paucis prognosin ejusdem affectus proponamus, & demonstremus, *Cur tàm diuturnus, tamque curatu difficilis extiterit* denique, *qui curari debuerit atque curatus sit.*

DLIV. Quisquis 1. Aeris Constitutionem noxiam, nunc algentem, mox ardentem attenta mente consideravit, non potuit non Affectum & chronicum & difficilem prædicere, si perduraret ille Æstua, sicut perduravit.

Cur diu duraverit affectus. DLV. Quisquis 2. Symptomata Ægris plerisq; tum gravissima, tum plurima simul concurrentia mente attenta consideravit, non potuit non difficilem judicare nostrum Affectum Epidemium.

DLVI. *Diu duravit* Affectus noster Epidemius quia perduravit ejus causa communis, Aer nunc algens, hinc ardens, tandem iterum algens.

Cur curatu difficilis fuerit. DLVII. *Curatu difficilis* extitit noster Affectus Epidemius, tam propter perdurantem ipsius causam eatenus penè inevitabilem, quàm propter Sympromatum multitudinem, varietatem ac vehementiam.

Ejus curatio. DLVIII. Curari debuit ac potuit, & revera Curatus est, 1. Cùm emendari non potuerit *Aer*, imprimis *Ardens*, *subducendo Ægros in partem domus maximè temperatam*, hoc est, Solis radiis minùs expositam.

DLIX. 2. *Temperando Humorum Qualitates modis variis peccantes* per Alterantia cuivis Ægro maximè accepta, & Symptomati magis apta.

DLX. 3. *Minuendo Humores quosvis nimis abundantes* per purgantia blanda.

DLXI. 4. *Tollendo Febres tam Intermittentes, quàm Continuas* per sua Specifica.

DLXII. 5. *Leniendo* vel *Tollendo Symptomata cætera omnia recensita* per Medicamenta singulis appropriata.

DLXIII. 6. *Instituendo Diætam* cujusvis Ægri Ætati, Sexui, Statui, Vitæ generi, Consuetudini, & Symptomatibus maximè urgentibus maximè convenientem.

DLXIV. Hæc omnia, ut magis pateant, ordine proponenda deducendaque singula.

1. Aer mutandus. DLXVI. Quoad *Aerem* ipsum, quoniam multùm Arte mutari non potuit, optimum erat, quibus licebat, ipsum cum salubriore mutare, & quidem ad præcautionem ac præservationem mali futuri.

Aer quintupliciter noxius. DLXVI. Quoniam verò *Aer* noster *noxius* erat nobis, non tantùm 1. ratione *Solaris æstus* per quatuor menses non algentis, verùm 2. etiam ratione *silentii* penè toto illo tempore *Ventorum*; quin & 3. ratione *Pluviæ parcissimè* hic & in vicinia *deciduæ*; Ut & 4. ratione *Vaporum pravorum ex stagnantibus*, ideòq; *corruptis Aquis* per Urbis Alveos & Canales vicinaq; loca, emanantium; atq; ultimo 5. quoq; ratione *Exhalationum ex Terris paludosis* post Aquarum evaporationem erumpentium, notandum.

Ratione radiorum Solarium. DLXVII. 1. *Solares Radios* per universam penè Europam peperisse tunc temporis *Æstum in Aere summum* ac diuturnum, ideoque ubique hactenus noxium: qua de causa nil profuisset aliò migrare, cùm non tantùm in faciendo itinere noxa ejus esset futura gravis, sed in quovis Europæ loco, etiam multùm Septentrionali, molesta: tunc enim æstus in Suecia quoque summus.

Ratione Ventorum. DLXVIII. 2. *Ventos* alibi, quam hic frequentiores, adeòque Aeri temperando desiderabiles sibi promittere, sicut fuisset ridiculum, ita nulli à prudente Medico Loci mutatio erat tunc hactenus suadenda.

Ratione Pluviarum DLXIX. Sic & 3. *Pluvias* frequentiores alibi quàm hic casuras, sicut nemo norat, sic nemini hactenus Loci hujus mutatio erat proponenda.

Ratione Vaporum. DLXX. Sed 4. propter *Vapores pravos Aquis* hic quàm alibi magis stagnantibus, quippe minùs mobilibus, assurgentes atque Ventorum contrariorum & quidem satis potentium defectu hic necessariò expectandos, potuit ac debuit unicuique, cujus res hoc sinebant, Loci hujus in alium Aquis mobilibus si non donatum, saltem stagnantibus destitutum mutatio esse cordi, nec temerè negligi.

DLXXI. Dico *mutationem illam loci debuisse cordi esse unicuique, cujus res hoc sinebant*: si quis enim publicis muneribus impeditus, vel aliàs hic sibi suisque aut aliis necessarius se tunc subduxisset, illum graviter peccaturum fuisse arbitror.

Ratione Exhalationum. DLXXII. Nec tantùm propter Aqueos vapores corruptos, sed 5. etiam propter *Exhalationes Terreas*, & itidem corruptas hic molestas mutari potuit locus hic, & cum ipso Aer ab ipsis contaminatus & infectus, ideòque omnibus infestus.

Studiosos & otiosos Aerem potuisse mutare. DLXXIII. Paucis ergo consultum fuit, locum hunc anno superiore mutare, nisi forsan *Studiosis & otiosis*. Studiosis, quoniam commodiùs alibi & in Aere puro, utut etiam æstuante vacare poterant studiis, quàm hic, ubi plerique laborabant & egrotabant Professores. Otiosis, quoniam inutiles sunt ignavi Reip. Quos verò haud decebat stationem suam deserere, atque locum hunc cum magis salubri

bri

bri mutare, illorom intererat *Diætam exactam* servare, atque *ab Aere ardente imprimis metuendos noxos prævenire*, usurpandn quæ Humores ab ipso variè corrumpendos variè munirent, quæque ex paulò post dicendis facilè capi poterunt.

Aliot dom, isse Aeris noxa prævenire.

Quibus Aer potuit temperari.

DLXXIV. Potuit autem ac debuit, quoties *locus* in quo decumbebant Ægri, *expositus* erat plùs vel minùs *Solis Radiis, corrigi Aeris ab æstu illo vehementi orto noxa* tum *plantorum refrigerantium* dictarum foliis, Acetosæ putà, Vitis, & similibus per *pavimentum dispersis*, tum & *Aquo frigida* vel in vasis majoribus hinc inde disposita & indies mutata, vel per Aerem atque pavimentum effusa; tum *Aceto* aut ignitis filicibus, lateribusque infuso, aut unà cum Caryophyllis vel Cinnamomo contusis in vase figulino supra prunas leniter evaporante, atque non tantùm Aerem temperante, verùm ægros ipsos & adstantes quoque recreante ac firmante.

Humores corrigendi.

DLXXV. II. Quoad *Humores* ipsos ab Aere valdè intemperato *variè corruptos*, Eorundem *Correctio ac Emendatio* pro *ipsorum varietate ac alienatione varia*, *Ægrorum constitutione propria* institui debuit varia.

Et primò Bilis.

DLXXVI. Inter Humores ab æstuante Aere corrumpendos primum locum meritò assignavimus *Bili*, utpote ob affinitatem cum ipso maximam præ aliis omnibus facilè & maximè corruptibili.

Ea primaria Caloris vitalis causa.

DLXXVII. *Bilis* certè *in corpore nostro primaria & princeps Causa est Caloris vitalis*, ergò affinitatem habet maximam cum rebus externis Calorem similiter per se producentibus.

Quot modis vitiata.

DLXXVIII. Debuit proinde Bilis activitas & ad Calorem producendum vis maximè intendi à Solaribus radiis haud impeditis, sed potenter vim suam in Aerem nostrum, omniaque in Aere viventia exerentibus.

DLXXIX. Debuit porrò Bilis præ aliis Humoribus omnibus citiùs & ampliùs à temperie sua deflectere, atque noxas in nobis hactenus proferre.

Ejus intemperies qui vocata.

DLXXX. *Bilis* à solaribus radiis ardentiùs nos ferientibus orta *Intemperies* nominata est à nobis *Acrimonia Salina & Volatilitas nimia*; quamvis eadem *copia* etiam peccarit *aucta*.

Quomodo considerando.

DLXXXI. Necesse autem habuimus, aliter ac vulgò fieri solet, Bilis considerare ac indigitare Intemperiem, cùm non tantùm Calorem in nobis producat Bilis malè affecta diversum, sed imprimis plures Functiones lædat, ipsosque Sensus externos molestet, modis per Calorem haud explicabilibus.

Res naturalis per plures qualitates se manifestare, & operari, quàm calorem, frigus, humiditatem & siccitatem.

DLXXXII. Utique Res naturales non tantùm per Calorem aut Frigus, perque Humiditatem aut Siccitatem nostris sensibus externis se manifestant, longè minùs Mutationes multiplices ac sæpè mirabiles in rerum natura producunt, verùm per longè plures Qualitates à modò nominatis nullo mentis artificio deducendas.

DLXXXIII. Nam præter modò recensitas Qualitates vulgò, licet perperam, pro Primis habitas, plures occurrunt *Sensiles*, *quæ aut notabiles edunt effectus*, *aut illorum rationi eruendæ solæ præbent ansam*, non item memoratæ.

Quales sunt Colores.

DLXXXIV. Tales sunt 1. *Colores varii*, solo *Visu* perceptibiles, atque non tantùm diversitate sua hominem hactenus recreantes, & quandoque noxam ipsi afferentes; ast aliis quoque in rerum naturalium mutatione obscuris adhuc eruendis dubio procul servituri.

Odores.

DLXXXV. Tales sunt 2. *Odores* itidem varii, atque in Plantis, earundemque partibus imprimis luxuriantes ac frequentes, solo tamen *Olfactu* perceptibiles; à quibus & Rerum vires manifestiùs, quàm ex vulgò & falsò nominatis qualitatibus primis, innotescunt, & aliis adhuc latentibus eruendis via sternitur: sed Chymiæ præsertim ope.

Sapores.

DLXXXVI. Tales sunt 3. *Sapores*, solo *Gustu* dignoscendi, & in Arte nostra ceteris qualitatibus sensilibus omnibus præponendi, postquam non tantùm illa, quæ ad Corporis Nutritionem, Augmentum, qui imò, ubi malè affectum est, Restitutionem usurpari solent, imprimis secundùm Sapores suos considerantur & innotescunt, quin præparantur & adhibentur; verùm Humores nostri tam secundùm, quàm præter naturam constituti per Sapores imprimis dignoscuntur, & ab invicem distinguuntur, sic in Sanis *Sanguis* judicatur à Medicis Dulcis, *Serum* & *Saliva* insipida, *Bilis* Amara, *Succus Melancholicus* vel Pancreaticus Acidiusculus, & sic porrò. In statu autem morbido sæpiùs gustatur *Sanguis* vel Salsus, vel Amaricans, vel Acidus, Austerusve. Ipsius verò *Serum* sæpenumerò Salsum, aliquando vel Acidum, vel Austerum, vel Amarum. *Saliva* non rarò Subsalsa vel Amara; quandoque Subacida, vel Saccharinam dulcedinem fastidiosè superans. *Bilis* nunc minùs, nunc nimis Amara, subinde Vitriolatum Saporem referens aliumve maximè ingratum atque innominabilem. *Succus Pancreaticus* modò Salsus, modò Austerus, modò Acidissimus & hactenus Acerrimus, modò insipidus & ignavus.

Humorum sapores naturales & præternaturales.

Sapores in Arte Medica maximè considerandi.

DLXXXVII. Quoniam igitur & *reperiuntur in nobis Humores varii*, & *quæ assumuntur à nobis Alimento, Medicamentaque* multiplicia & *innotescunt nobis*, & *distinguuntur à nobis* maximè ratione suorum *Saporum*; meritò *secundùm ipsos* etiam *Mutationes plerasque in corpore nostro contingentes* considerandas deducendas, explicandasque judicavimus; Quin hactenus quoque Conatibus nostris bono publico ac ægrotum solatio unicè dicatis benedicente Deo non sine successu inter plurium contradictiones hisce fundamentis planioribus novum Medicum Ædificium superstruere cœpimus.

Durities.

DLXXXVIII. Sicut Colores, Odores, & Sapores, sic 4. *Durities* qualitas est Mutationes notabiles in corpore humano producens: ab illa namque & Contusiones, & Puncturæ, & Vulnera, & Compressiones vasorum, similiaque plura exsurgunt; quæ Qualitatibus primis dictis adscribi non queunt.

Soni.

DLXXXIX. An 5. plura nobis à *Sono* incommoda obveniant, præter Auditus læsionem, dubito, cùm ejus exemplum nullum mihi nunc occurrat. Sonus saltem ad plures Affectus dignoscendos inservit nobis, ejus enim ope Asthma & Anhelatio percipitur & distinguitur; Ejus quoque ope Ructus & Crepitus, quin conclusi Ventris Flatus dignoscuntur.

DXC. Ex quibus omnibus Qualitatibus sensilibus non minùs propriis, quàm sunt calor & frigus (nam humiditas & siccitas inter sensiles proprias referri non possunt,) patet, ad rerum Naturalium, Medicarumque cognitionem distinctam, perfectamque obtinendam, æquè ad cæteras, atque ad calorem & frigus esse attendendum. Quoad Calumniæ à me amovendæ causa dictum esto.

Bilem durante æstu peccasse.

DXCI. Peccavit ergo durante Solis æstu magno & diuturno, & quidem ob illum æstum, *Bilis Acrimonia Salina & Volatilitate aucta*.

Acrimonia Salina, lixiva, volatili.

DXCII. *Acrimonia* inquam *Salina*, & quidem *lixiva*, non tamen *fixo* sed *volatili*: ne quis seriò putet, non dari, nec dari posse Salem lixivum volatilem.

Dari Salem lixivum volatilem.

DXCIII. Ne autem incauti turbentur, ostendam *non tantùm dari posse*, *ast reverà dari Salem lixivum volatilem*; postquàm si non primus proposui hanc distinctionem, primus saltem ipsam docui & usus sæpius.

Salem lixivum fixum quanam promant.

DXCIV. *Salem lixivum*, sed *fixum*, dant nobis omnes plantarum combustarum *Cineres*, si *Aqua* ipsis affundatur, & ex ipsis *Sal eliciatur*; quod Aquæ sic conjunctum *Lixivium* vocatur, & postquam Aqua iterum vaporis forma est separata, *Sal Lixivum*: quod quia permanet in Igne, nec facilè ejus vi attollitur, *fixum* simul vocatur.

Fieri volatilem Spiritus volatilis ope.

Sal Tartari fixum qui fiat volatile.

DXCV. Hoc *Sal lixivum* & *fixum* omne *fieri potest volatile*, *nò pinguedinis vel Olei*, sed *Spiritus volatilis ope*. Sic paratur *Sal Tartari fixum* ustione, atque ex ipso rursus *volatile* cohobatione cum *Vini Spiritu alcoholisato*, hoc est, maximè ab Aqua puro.

Sal lixivũ volatile facilè sublimari.

DXCVI. Tale *Sal lixivum arte volatile factum Ignis non adeò potentis vi assurgit & sublimatur in altum*, quod frustrà tentaveris cum Sale fixo ante ipsius volatilisationem modò descriptam.

DXCVII. Tale Sal lixivum volatile solis concessum est Artificibus & industriis & patientibus,

non

non aliis, laborem diu patienter continuandum refugientibus.

Magnarum esse virium.

DXCVIII. Tale *Sal lixivum volatile* magnarum est virium, quo tamen *artificiali carere possumus*, postquam voluit Deus ipsum *abundare in omnibus omninò Animalium partibus*, sicut id sępiùs inculcavimus, nec frustrà.

Bilis Acrimoniam Salinam temperari ab Austero blando.

DXCIX. Cæterùm pergamus in Remediis, *Bili Acrimonia Salina Lixiva & volatilitate auctis peccanti* assignandis.

DC. Illam diximus non semel corrigi ac temperari felicissimè ab *Austero blando* & grato; quippe quod utrique satisfacit Indicationi, nec facilè nauseam vel fastidium parit Ægris.

Quod in quibus reperiatur.

DCI. Optima ergo in tali casu fuerunt *Omphacium* inter condimenta, ut & *Succus Granatorum*, *Prunorum Sylvestrium*, *Mala Cydonia*, *Mespila*, *Berberes*, *Acetosella*, *Plantago*, *Sempervivum majus*, Alumen rubeum; uno verbo quicquid sapore est subacerbum; vel subausterum, in quo & aciditatem valdè temperatam observamus & blandam Linguæ constrictionem.

DCII. Huc referri debent omnes *Argillæ medicatæ*, Terra Lemnia, & Sigillata quævis, Turcica, Silesiaca &c. in quibus præter *substantiam terrenam* occurrit pars *Sulphurea* illi permista, adeò ut nonnisi magna Ignis vi secedant ab invicem, & quidem *Spiritus Acidus* relinquens conjunctam Terræ partem maximam olei.

DCIII. Inter composita & officinalia meritò laudatur Diascordium, Cydoniorum caro & Miva, Syrupus Myrtinus, de Portulaca, Confectio Hyacinthorum &c.

DCIV. Varia verò forma potuerunt, imò ad ægrorum palatum & placitum debuerunt hæc omnia præscribi, atque exhiberi; Julapii, Syrupi, Conditi, Decocti &c.

DCV. Hisce ergo Austeris blandis & gratis correcta est optimè aucta Bilis tum Acrimonia Salina, tum Volatilitas: Et nisi permansisset longo tempore Sol æstuans, eandem similiter continuè vitians, potuisset citiùs & in totum brevi curari noster Affectus Epidemius talibus subausteris.

Pituita vitiata.

DCVI. Sed non Bilis tantùm alterata & corrupta est ab Æstu Solari, verum *Pituita* à pręcedente Frigore *glutinosa* reddita, postmodùm à subsequente Æstu *incisa est*, *attenuataque*, quin *mutata in Flatus*; atque paulatim *fluida nimis* facta.

Unde noxii flatus.

DCVII. Utile quidem erat incidi & attenuari à Solis æstu glutinosiorem Pituitam, si hoc paulatim fuisset factum; id autem quoniam contigit cũ violentia, noxii Flatus excitati sunt ex ipsa.

Eorum productio quâ emendanda.

DCVIII. Hactenus igitur hæc Flatuum productio & noxa erat emendanda, & quidem 1. *Incidendo*, sed blandè notatam *Pituitam Glutinosiorem*. 2. *Discutiendo*, *dissipandoque*, *aut* aliàs *Suffocando eosdem Flatus*: ne addam. 3. *corrigendo Bilis Acrimoniam*, Efficientem Flatuum causam, quoniam illa Correctio jam est tradita.

Pituita soluta fluidior blandè incrassanda.

DCIX. *Pituita* verò, postquam soluta est à Bile atque in Flatus mutata, quæ *postmodum reperta est*, *productaque* durante summo Aeris ęstu, quoniam *soluto fluidior* hactenus existit, denuo *blandò incrassari* debuit, non tamen valde Glutinosa fieri.

Pituitam quanam incidant.

DCX. Pituitam incidere possunt & Salia Volatilia, Aromaticaque omnia, & Acida pleraque: sed in hoc casu haud consultum erat vel Salibus Volatilibus, vel Aromaticis uti, tum ne augeretur Flatuũ Ægros valdè angentium proventus, tum ne Bilis redderetur, si non Acrior, saltem Volatilior.

Quanam ei incidenda convenie-bant.

DCXI. *Incidendæ* proinde *Pituitæ Glutinosiori* conveniebant imprimis *Acida*, & quidem *temperatiora*, ne augeretur, intendereturve utraque Effervescentia in Corde ac Intestino tenui.

Nempe Spiritus Nitri.

DCXII. Inter Acida ista primum locum *Spiritui Nitri* tàm *puro* quàm *dulci* dandum censebunt plerique, ac meritò; cùm non tantùm Pituitam Glutinosam incidat, sed insuper Flatus discutiat & rumpat, quin etiam Bilem Acriorem temperet, Volatilioremque figat.

Deltboe Opera.

Hic quomodo exhibendus.

DCXIII. Potuit autem iste Spiritus Nitri commodè admisceri Potui ordinario, aut cuivis alii medicato, & quidem ad mediocrem quantitatem, quò nec Nausea inde excitaretur, nec operatio ejus nimis potens aut debilis observaretur; quæ quantitas non ita difficulter ex ipsius operatione poterat determinari & regi.

DCXIV. Inter Medicamenta vulgatia in eundẽ finem usurpari potuit *Acetum & Oxymel Squilliticũ*, ut & *Oxysaccharum*, & *Syrupus de Aceto*, *Aqua Alexipharmaca Amstelodamensium*, *Aqua Prophylactica nostra*, quin variæ Aquæ cum Aceto distillatione paratæ, atque cum aliis mistæ, sicque usurpatę.

Mixtura.

DCXV. Sic Exempli gratia sequens potuisset Mistura præscribi, quæ.

℞. *Aqu. Plantaginis,*
Acetosæ, an. ℥ ij.
Alexipharmac. ℥ vj.
Oxymel. Squillitici, ℥ ß.
& Syr. Acetos. citr. ℥ j.

Eius vires Usus.

Cujus ope non tantùm Pituita Glutinosa poterat incidi, sed Bilis quoque Acrior temperari: si ejus cochleare unum sæpiùs fuisset assumptum.

DCXVI. Atque hoc Medicamento utraque Flatuum causa, & Materialis & Efficiens poterat corrigi, & sic Flatuum Generatio impediri.

Flatuum discussio per Spiritum Nitri.

DCXVII. Quoad ipsorum *Flatuum* jam productorum, existentiumque *discussionem*, nil novi quòd laudato *Nitri* tàm *puro & simplici*, *quàm dulci* facto Spiritui queat comparari & æquari: postquam pleraque vulgo nota sunt Aromatica, & hactenus Bilis Acrimoniam quodammodò saltem intendentia & augentia, quò ipsa refero Salia Volatilia qualiacunque, quæ omnia Spiritui Nitri cedunt.

Flatus discutientia Bilem acriorem reddere.

DCXVIII. Hinc est, quòd tam solicitè discutiendis Flatibus Medicamenta præscribant nostri Medici, sæpius experientia tristi edocti, non parùm ipsa nocuisse suis ægris, propter Bilem ab ipsis Acriorem factam, incendiumque in corpore ab ipsis auctum.

DCXIX. Hujus autem effectus rationem ignorant quotquot Effervescentiæ utriusque, calidę frigidæque, ignorant & naturam, & rationem: quibus perspectis percipitur facilè ratio incendii ab usu carminantium facti, & quod primarium est, percipitur quoque ratio, qua possit preveniri hoc malum.

Doctrinam de Effervescentia magnum in Praxi habere usum.

DCXX. Usum ergò magnum in praxi rectè ac ritè instituenda habet Doctrina de Effervescentia, ejusque differentijs & causis veris.

DCXXI. Non tantùm peccavit in Affectus Epidemii principio & quidem in multis, non tamen omnibus, Glutinositate nimia *Pituita*; verùm postmodùm perseverante Aeris æstu reperta est eadẽ Pituita in non paucis *plurimùm fluida*, quæ proinde, sicut jam dictum, incrassatione blanda tunc indigebat.

Subaustera blandè Pituitam incrassare.

DCXXII. *Blande incrassant Pituitam* præ aliis omnibus *Subaustera*, modò in Bilis Acrimonia & Volatilitate auctis & corrigendis laudata & ex parte recensita.

Fructuum subausterorum vires.

DCXXIII. Ubi non possum silentio præterire, quàm bonum sit habere ad manus Medicamẽta, imò Alimenta medicamentosa, quæ pluribus sæpè concurrentibus indicationibus planè diversis satisfaciant: quemadmodum id paret in Fructibus Subausteris Alimentorum loco sæpenumerò usurpari solitis, qui 1. Bilis Acrimoniam Salinam temperant, 2. ejusdem Volatilitatem auctam minuunt, 3. Pituitam tenuiorem, fluidioremque incrassant, minùsque mobilem faciunt.

Melancholicus & Pancreaticus Succus, in principio acidior & austerior postmodum multum aciditatis & austeritatis amisse.

DCXXIV. Quemadmodum *Melancholicus*, *Pancreaticusque Succus & Humor* à præcedente frigore hyberno ac verno redditus erat *aliquantò Acidior* & in quibusdam *simul Austerior*, ita idem à cęlo tamdiu ardente, imprimis propter Bilem primariò Acriorem factam, mutatus est paulatim à statu priore, *amisitque multum suæ Aciditatis* nõ tantùm acquisitæ & auctæ, sed nativæ quoque, ut & *Austeritatis* advenientiæ; unde sicut priùs, ità & postmodum quoque, quibus destinatus est functionibus & usibus, satis utilis esse non potuit, quin potiùs utroque

tempore ipsius culpa læsæ sunt illæ Functiones, & noxa corpori ab ipsis evenit.

Unde fuit emendandus.

DCXXV. Ergo in Affectus nostri Epidemii principio indigebat *Succus Melancholicus blanda suę Aciditatis Temperatione*, ut & *Austeritatis*, quoties illa simul peccabat, *Emendatione*.

Temperatio & Emendatio quomodo distinguantur.

DCXXVI. Distinguo inter Temperationem, ac Emendationem. *Temperatio* siquidem debetur Qualitati secundùm naturam in Humore aut Parte quavis existenti, sed à mediocritate requisita recedenti, qualis est in Succo Pancreatico Aciditas: *Emendatio* verò Qualitati præter naturam in Humore aut Parte quavis repertæ, ideoque in totum immutandæ; qualis est in eodem Succo Pancreatico Austeritas, quantum ego saltem potui hactenus ex iis, quæ observavi, conjicere ac concludere. Si quis tamen levissimam in ipso desideraret non quidem Sensibus externis observabilem, ast Mente duntaxat probabiliter conclusam Austeritatem, cum illo haud pugnarem: cùm & id non videatur mihi absurdum vel improbabile.

Cur Succi Pancreatici Aciditas temperanda & Austeritas emendanda.

DCXXVII. Sed mirabitur fortassis nonnullus, me hic desiderare Succi Pancreatici tum Acidioris Temperationem, tum Austerioris Emendationem; postquam utraque ista Qualitas videtur Bili ab Æstu Solari Acrimoniam nimiam & Volatilitatem majorem acquisituræ optatum Remedium. Verùm enim verò id quidem foret verum, si Aciditas illa fuisset moderata; sed quoniam in excessu peccabat notabili, excitata est ejus culpa Effervescentia potentior, ideoque homini noxia.

DCXXVIII. Paulatim namque, & quidem satcitò aucta est admodum Bilis tum Acrimonia, tum Volatilitas unde occurrente ipsi Succo Pancreatico Acidiore, non potuit non excitari in tenui Intestino Effervescentia vehemens ac lędens; quin & in corde similis & quidem febrilis Effervescentia, cum aucto in corpore calore juncta.

A Succo Pancreatico austero Flatus.

DCXXIX. In quibus autem fuit *Succus Pancreaticus* simul *Austerus*, in iisdem aucta, conservatave fuit Pituitę Glutinositas nimia (de qua suprà actum) ac proinde hactenus Materia subministrata Glutinosis, & facilè cedere nesciis Flatibus.

DCXXX. Opus erat proinde, quò obviam iretur Effervescentiæ nimiæ ac noxię, quò Flatibus tot Anxietates molestissimas, colicumque Dolorem parientibus Materia subtraheretur quasi & minueretur, ut Succus Pancreaticus existeret maximè naturalis.

Sub finem Aciditas Succi Pancreatici diminuta fuit restituenda.

DCXXXI. Postquam verò permanente Solis Æstu paulatim devicta est, *diminutaque Succi ejusdem Aciditas* non tantùm præternaturalis, sed *naturalis* quoque, opus fuit eandem paulatim *restitui*. Ergo sicut circa hujus Affectus initia Temperanda erat & Minuenda excedens Aciditas, ita eodem Affectu permanente rursus *Augenda* erat eadem *Aciditas Deficiens*. Distinguenda sunt exinde Affectuum Tēpora, & agnoscent Prudentes, non raró Affectum eundem Medicamenta exigere inter se contraria: & quidem ratione Humoris ejusdem, diverso tempore diversimodè peccantis. Aliàs non est novum, sicut aliàs diximus, etiam eodem tempore indicari Medicamenta contraria, sed propter Humores sibi plùs minùsve contrarios, simulque peccantes.

Hoc optimè prœstare Spiritum Vini Volatilem. Sed aliis mixtam.

DCXXXII. Nihil autem tam commodè atque utiliter *Succum Melancholicum Acidiorem Temperat*, ac *Spiritus Volatilis*, qualis è *Vino* habetur præstantissimus.

DCXXXIII. Hic verò si purus assumatur ab Ægris, quoniam segniùs se Humori Acido in corpore atque Sanguine existenti admiscet, atque non raró alia molesta producere solet incommoda, si præsertim notabili usurpetur quantitate; quod hic factum fuisset necessarió propter Bilem paulatim Acriorem factam & Volatiliorem, quæ volatilitas non parùm fuisset ab eodem Spiritu Volatili aucta; quamobrem talis erat hic pręscribendus & usurpandus Spiritus Volatilis, à quo Temperaretur quidem Succi Pancreatici excedens Aciditas, sed simul impediretur potiùs, quàm promoveretur Bilis Volatilitas noxia futura.

Et quidem Spiritum Nitri dulcem.

DCXXXIV. In hunc finem laudò iterum; quem antea laudavi, *Spiritum Nitri Dulcem*, imò valde dulcem, hoc est cum multò Vini spiritu dulcem factum.

Ejus vires.

DCXXXV. Sic enim ratione Spiritus Nitri Acidi admisti se immiscuisset facilè cuivis Humori Acido in corpore nostro reperto atque ipsius temperasset Aciditatem nimiam; quin ejusdem Spiritus Nitri ratione impedivisset instantem Bilis volatilitatem excessuram, sed infregisset quoque Bilis ejusdem Acrimoniam indies augendam; sicut jam dictum in superioribus.

Qui temperandus in Affectus principio.

DCXXXVI. In principio igitur Affectus nostri Epidemii conveniebat Spiritus Nitri, sed cum multo Spiritu Vini Volatili ad dulcedinem gratam perductus.

Qui in progressu.

DCXXXVII. Postea verò perdurante Solis Æstu noxio, eodemque in plerorumque corpora ita dominante ac sæviente, ut Succi Pancreatici Aciditas defecerit, non parum potuit eadem augeri rursus & intendi ab eodem Spiritu Nitri, sed non multùm dulci facto, hoc est, cùm pauciore Vini spiritu pręparato.

Spiritus Nitri Dulcis varius, qui paretur.

DCXXXVIII. Si proinde, ut inexpertos juvem, ad Nitri Spiritum valdè Dulcem parandum sumatur Spiritus Vini rectificati quadruplum ad eundem minùs Dulcem habendum, accipientur partes utriusque æquales, & aliquando Spiritus Vini pars duntaxat dimidia: sic obtinebitur Spiritus Nitri plùs vel minùs dulcis, adeóque in operatione sua multùm diversus.

Conveniebat quoque Aqua Prophylactica Auctoris. Vel Alexipharmaca Amstelodamensis.

DCXXXIX. Si quis autem propter pręjudicium non ausus fuisset usurpare Spiritum Nitri, etiam dulcem factum, aut illo caruisset, potuisset ejus loco usurpare *Aquam* nostram *Prophylaticam*, vel Amstelodamensium *Alexipharmacam*, vel aliàs cum Acetò ritè destillatas, sed addito Vini Spiritu rectificato vel puro, vel blandè Aromatico, additis aliis quoque Aquis Aromaticis, sed cum Aqua solùm paratis. Ubi pro re nata, hoc est, ipsorum *Ægrorum Constitutione naturali*, *Ætate*, *Sexu*, *Vitæ genere*; ut & *Constitutione præternaturali*, *Humoribusque variis varie vitiatis*, adeoque *ipsis* quoque *Symptomatibus diversis*; mutanda erunt diversimodè composita quacunque demum forma pręscribenda.

In Succi Pancreatici Austeritate convenire Salia Volatilia & Spiritum Salis Armoniaci.

DCXL. Hisce igitur, similibusve Medicamentis potuit mox in Affectus nostri principio temperari excedens *Succi pancreatici* Aciditas. In quibus autem ex causis nonnaturalibus præcedentibus & manifestis, aut Symptomatibus in Ægris observabilibus non tantùm conjectare, sed & certò concludi potuit ejusdem *Austeritas*; in eis usurpanda erant prioribus admista quævi *Salia Volatilia*, & imprimis *Salis Armoniaci Spiritus*; qui & subinde solus ex tantillo Vini vel Cerevisiæ poterat exhiberi Ægris, donec observaretur eadem correcta.

Ut & Castoreum.

DCXLI. Convenit quoque in hoc Casu & *Castoreum* in substantia sumptum, & Tincturę modo paratum; quamvis ejus vim longè superet toties laudatus Spiritus Salis Armoniaci, qui prętereà potest faciliùs assumi, cùm ingratus sit admodum Castorei & Sapor & Odor.

Lympha Glandulosa vitiata quomodo curanda.

DCXLII. Quod de Succi Pancreatici noxa & vitio dictum est, dicendum quoque de *Lympha Glandulosa*, cùm ex parte saltem convenire videantur hi Humores, atque mutuò se juvare: Convenient proinde Lymphæ alterandæ ac temperandę laudata nuper Medicamenta.

Sanguinis consistentia in principio nimia in fluiditatem mutata.

DCXLIII. Nec tantùm hi Humores fuere malè affecti, verùm 4. *Sanguis* quoque, qui incipiente Affectu illo Epidemio habuit forsan in plerisque *consistentiam nimiam*; quæ paulatim mutata est in *fluiditatem excedentem*.

Qui producta & qui curanda. In principio alteratione non indiget.

DCXLIV. Quæ gemina & quidem contraria successivè peccans in Sanguine Qualitas, sicut partim ortum habuit à memoratis Humoribus vitiatis, partim ab Aere immediatè ac vi propria ipsius alterante ac vitiante, ita debuit tempore diverso alterari ac restitui diversimodè.

DCXLV. In principio quidem consistentia pręditus

ditus

ditus nimia multa non indigebat sui alteratione, cùm ab Æstu Solis ejusdem dissolutio expectanda esset. Adde quòd segniùs affecti sint & levius ij, quorum Sanguis consistentiam habebat majorem, utpotè diutiùs Solis Radiis resistens, ipsiusque vim eludens. Unde *illi, quorum Corporis Constitutio naturalis vel paulatim acquisita erat Melancholica, leviùs affecti sunt, quàm illi, qui habebant ipsam vel Biliosam, vel Sanguineam*, hoc est, *optimam*. *Biliosa* siquidem constitutio juvit Solarium radiorum vim, quàm excepit facilè *Sanguinea*.

Quibus corporis constitutio erat Melancholica levius affecti.

DCXLVI. *Non erat proinde opus, ut in Affectus nostri principio Sanguinis Consistentia nimia, utut præternaturalis, emendaretur* in quovis postquam ejus ratione impedita est quodammodo ipsius noxa, ut segniùs valdè noceret.

Sanguinis fluiditas corrigenda Subausteris.

DCXLVII. Sed *postquam duravit aliquandiu æstuans Aer*, atque paulatim *redditus est Sanguis magis fluidus* ac *minùs consistens*, opus fuit, ut *in cæteris Sanis*, & maximè *in Affectu nostro correptis Consistentia ipsius augeretur*; quod imprimis poruerunt præstare *Subaustera* tum *Alimenta*, tum *Medicamenta*, suprà enumerata.

Bilis aucta educenda.

DCXLVIII. Quoniam verò *Bilis* non tantùm Qualitate tunc *peccavit*, sed *Quantitate* quoq; *aucta*, debuit eadem hactenus & quidem non semel, ast *sæpiùs*, etiam Præservationis nomine, *minui per Cholagoga dosi parva exhibita*, quoniam erat multùm mobilis & fluida, ideòque facilè foras expellenda.

Quibusnam Sanguis etiam educendus.

DCXLIX. Sed quærat aliquis curiosùs, *An non debuerit* quoque *ad præveniendum hoc malum Sanguis educi?* Cui respondeo: *In assuetis aut multo Sanguine turgentibus* haud inutilem fuisse Sanguinis missionem; in cæteris autem potiùs noxiam.

Nempe Assuetis.

DCL. Dico in *assuetis* utilem fuisse Sanguinis non valdè largam eductionem, cùm in talibus soleat continuè Sanguis produci abundantior, sui proinde diminutionem consuetam indicans.

Et Sanguine abundantibus.

DCLI. In *quibus verò solito magis abundabat Sanguis*, omninò educendus ac minuendus erat idem, metus enim erat, ne, si differretur, postmodum à Bile Acriore facta nimis rarefactus Ignem suum vitalem extingueret oppressum: quod præveniri poterat ejusdem extractione, sic enim spatium parabatur Sanguini solito magis rarescenti.

Symptomatum curatio.

DCLII. Postquam Humorum variorum in corpore existentium ac diversimodè peccantium Curam tam in Affectus nostri principio, quàm eodem (durante Solis Æstu) nos valdè urgente paucis proposuimus, proximum est, ut jam Symptomatum multifariorum tunc maximè nostros Ægros molestantium Curam similiter proponamus.

Febris intermittentis Curatio.

DCLIII. Primum verò locum dedimus *Febri*, sed *Intermittenti*, & quidem *Tertianæ*, tàm *simplici*, quàm *duplici*, & quandoque *triplici*.

Febres Intermittentes unde.

DCLIV. Postquam verò *Febres Intermittentes omnes à Ductuum Pancreaticorum Lateralium Obstructione Pituitæ debita deducimus*, & ita quidem, ut propter illam obstructionem *sistatur, cumuleturque in ipsis Succus proprius de Aciditate participans*, qui *mora ista reddatur Acrior*, donec *notatam Pituitam pertere-brare aptus viam sibi paret per ipsam in Ductum medium ac communem, sicque in tenue Intestinum effusus febrilem instituat* tum *in dicto Intestino cum Bile*, tum *in dextro Cordis Ventriculo cum Sanguine Bilioso Effervescentiam, plura & diversa Symptomata itidem producentem*: facilè patet, *Intermittenti febri, qua tali, convenire omnia*, quæ 1. *Pituitam Glutinosam* Ductus Pancreaticos *Obstruentem solvant, & inde removeant*. 2. quæ *Succum Pancreaticum* mora redditum *Acidiorem mitigent ac temperent*. 3. quæ *Effervescentiam Febrilem* tàm in tenui Intestino quàm Cordis Ventriculo dextro *sedeat, compescant*, & *corrigant*. 4. quæ *Symptomata cætera* multifaria concurrentia *leniant & tollant*.

Iis quænam conveniant.

DCLV. 1. *Pituitam Glutinosam* ubivis *solvunt & incidunt*, tum *Acida*, tum *Aromatica & Salia Volatilia* sæpiùs laudata.

Pituitam glutinosam solvere Acida & Aromatica & Salia Volatilia.

DCLVI. Eadem ipsam in notatis Ductibus solvunt, *si eò deferantur*.

Deleboe Opera.

DCLVII. *Deferuntur* citiùs & potentiùs *quovis Medicamenta*, si fuerint *Evacuantia*, vel *Evacuantibus juncta*. Id enim videtur *peculiare* in *Evacuantibus* per Vomitum, Alvum, Urinas, Sudores, & Salivationem, quòd in ventriculo ac intestinis longam non nectant moram, sed nisi impediantur ab humoribus & Alimentis, *citò pergant in Venas Lacteas & Cor, hinc & quaquaversum cum Sanguine*.

Quomodo Medicamenta citiùs quovis deferantur.

DCLVIII. In nostro verò Casu, hoc est, *Intermittentibus Febribus*, observata sunt longo rerum usu præ omnibus aliis facillimè ad Causam ipsarum superandam conducere *Sudorifera*, quorum ope ipsi Plebeii quotidie curant Intermittentes.

Febrium Intermittentiũ causam optime tollere Sudorifera.

DCLIX. Videntur autem idcircò præ aliis conducere Sudorifera, *quoniam Sudor non excitatur nisi commoto simul Sanguine universo*, qui tunc quoque fit *solito fluidior*, unde *cum ipso* quaquaversùm *faciliùs, & citiùs, & abundantiùs feruntur quævis Sanguine admissa* ergo & *Medicamenta Pituitæ solvendæ destinata*.

Et quare.

DCLX. Quemadmodum verò *Pituitam solutura medicamenta* imprimis *Sudoriferis sunt copulanda*, ita *Medicamenta eandem loco illo motura præferuntur tã Purgantia per alvũ, quàm Vomitoria*. Est enim brevis inde via ad tenue Intestinũ, hinc ad Ventriculũ, quò sursum expellatur illa Pituita; & sæpè uno Vomitorio juguletur Tertiana, Pituitæ non valdè tenaci aut copiosæ originem suam debens. Si ordinaria & facilis est Humoribus ad tenue Intestinũ delatis via deorsũ, imprimis quando eò detruduntur à Purgantibus.

Ut & purgantia tàm per alvum, quàm per vomitum.

DCLXI. Sic & ego sæpissimè observavi, Sudore, Vomitu & Alvi dejectione citò tutòque curari Intermittentes, ac præsertim *Tertianas*, quippe *quæ omnium curantur facillimè*, utpote *ortum plerumque habentes ob Obstructionem leviorem*, hoc est, *à Pituita minùs tenaci Ductus notatos obstruente*.

DCLXII. Ad solvendam igitur & fluidam reddendam Pituitam Ductus dictos obstruentem conducunt præ aliis omnibus Sudorifera ex Aromaticis & Salibus Volatilibus, ut & Acidis subtilioribus parata, & sæpiùs quovis tempore assumpta, etiamsi non urgeatur semper Sudor.

Sudorifera in Febribus ex quibus componenda.

DCLXIII. Ad eandem *solutam loco inepto removendam* conducunt 1. eadem *Sudorifera*, sed non nisi ante Paroxysmi adventum assumpta, *corpore ad Sudorem promovendum ritè constituto*, sive quis currat, vel igni luculento assideat, aut lectum calefactum ingrediatur, vel aliàs corpus satis tegat.

DCLXIV. 2. *Vomitoria, & Purgantia* per alvum, quatuor aut circiter horis ante Paroxysmi adventum assumpta, quò interea temporis Humor priùs laudatis Sudoriferis fluidior factus ad exitum ampliùs præparetur, sicque unà cum stagnante Succo exturbetur, ac è corpore eliminetur.

Vomitoria & Purgantia quando assumenda.

DCLXV. 3. *Succum Pancreaticum* mora & stagnatione *Acidiorem* factum *mitigant & temperant* efficacissimè *Salia Volatilia*, cæteraque *Aromatica*, sæpiùs à me laudata & memorata: quippe quæ quaquaversùm penetrant facillimè, nec tantùm notatam temperant & infringunt Aciditatem auctiorem, verùm insuper Pituitam incidunt solvuntque obstruentem; sicque diversis nominibus conducunt.

Succum Pancreaticum Acidiorem temperare Salia Volatilia & Aromatica.

DCLXVI. Quin, ut hoc etiam nunc addam, Salia Volatilia puriora, nec Oleosa, nullum æstum sæpiùs in Paroxysmorum augmento excitari solitum & molestum fovent, augentve; quod de Aromaticis non potest dici, cùm ab ipsis non parùm sæpè augeatur Æstus febrilis.

Salia Volatilia æstum febrilem non fovere.

DCLXVII. Quapropter in *Medicamentorum* Febribus Intermittentibus curandis convenientium *delectu attendendum* est imprimis ad cujusvis *Ægri Constitutionem naturalem* ac *præternaturalem*, *Humoresque* adeò in ipso magis *abundantes* ac *peccantes* & magis adhuc ad *Symptomata cum ipso Paroxysmo febrili excitari solita*, & præsertim ad frigus & *calorem*, utpote molestissima ægris.

In Medicamentorum delectu in febribus ad quanam attendendum

DCLXVIII. Quibus omnibus accuratè in censum revocatis, expensisque, non ita difficulter Medicus in Medicamentorum suorum qualitatibus ac affectibus benè versatus seliget cuivis Ægro medicamenta maximè utilia & convenientia.

Salum Volatilium laus.

DCLXIX. Et tunc agnoscet quivis non tantùm summam *Volatilium Salium efficaciam*, sed insuper vim eorundem *maxime tutam & innoxiam*; quæ de variis Plantarum partibus, & medicamentis ex ijs paratis non semper dici potest: quippe quæ manifestiorem ac sæpè molestum in nobis producunt Calorem, ut de Frigore nunc nil addam; quod similiter à Vegetabilibus excitatur serquenter, non item à Volatilibus Animalium Salibus, sed minimè Oleosis, qualia parari possunt facillimè.

Et in curandis febribus intermittentibus Utilitas.

DCLXX. Ex quibus ampliùs patet, *Salium volatilium in curandis Febribus Intermittentibus Utilitas*: quippe quæ sola *pluribus satisfaciunt Indicationibus* & 1. quidem *solvendæ Pituitæ Obstruenti*, ut & eidem *Loco movendæ*. 2. *Temperando Succo Pancreatico Acidiori facto*: quod posteemum non fiet ab Acidis, utut Spirituosis.

Effervescentia Febrilis compescenda Anodynis & Narcoticis.

DCLXXI. Diximus autem ad Intermittentium Febrium Curationem requiri 3. ut *Effervescentia Febrilis tàm in tenui Intestino, quàm Corde compescatur, sedetur & corrigatur*: quod in specie faciunt *Anodyna & Narcotica sive opiata*, ut & alia quævis ad ipsorum naturam vergentia qualia sunt *Sulphura Mineralium*, *Metallorumque fixa*, & ideò nunc Anodyna, nunc Narcotica dicta.

Quomodò Anodyna et Narcotica id præstent.

DCLXXII. Eatenus verò *Effervescentiam vitiosam & propter Acidum auctam nimiam compescunt, corriguntque Anodyna*, & imprimis *Narcotica*, quatenus potenter, licèt blandè quoque, *Acidum illud acrius infrigunt*, tàm sui *Olei*, quàm *sui Salis Volatilis Opio inexistentis ratione*.

Opiatis præstare Sulphura Mineralium et Metallorum fixa,

DCLXXIII. Multùm autem Opiatis præstant *Sulphura mineralium, metallorumque fixa*, quoniam *operationem habent blandiorem, & suat narcotica vi destituta, Somnum tantum blandissimum inducentia, nequiquam Staporem, utut majori usurpentur quantitate*, quod de Opiatis verè dici non potest.

Hæc cæteris addenda,

DCLXXIV. Illa verò addi possunt cęteris medicamentis ac Febres Intermittentes, quà tales, curandas nuper laddatis, & aliis ad Symptomata comitantia mitiganda, tollendave adhuc proponendis.

DCLXXV. Atque his puto Curari posse ac debere Intermittentes Febres omnes, quà tales. *Singulis* autem *debentur* insuper *medicamenta Symptomatibus comitibus leniendis, tollendisve dicata*: qualia *Symptomata*, quæ in Febris nostra fuerint observata, deduximus in superioribus; quibus autem medicamentis eadem indiguerint, ostendemus in sequentibus.

An in Febribus intermittentibus Sanguinis Eductio instituenda.

DCLXXVI. Unum autem videtur hic monendum, *An in Febribus Intermittentibus, quà talibus, institui debeat Sanguinis eductio*, postquam plures ipsam urgent, quin ad ipsam veluti sacram Febrium quarumvis ritè curandarum ancho. ram confugiunt, existimantque, non fuisse curationem adhibitam debitam, si neglecta fuerit Venæ-sectio, Sanguinisque emissio.

Febris essentiam non consistere in Calore aucto.

DCLXXVII. Verùm ipsorum *assertam falso nititur principio*, *Febrem sc. omnem consistere in Calore in Corde, hinc & Corpore universo nimium aucto*. Quod licèt observetur in plerisque Acutis & Ardentibus Febribus habere locum, non est tamen id universalitee ac semper verum; postquam non tantùm occurrunt *in febribus Intermittentibus, quia Continuis quoque Tempora*, *quibus* tantùm abest ut deprehendatur Calor nimiùm in Corpore auctus, ut contrà *Ægros tunc urgeat Frigus*, non tantùm *leve*, ast sæpenumerò *algentissimum*, & *ad horas plures* ipsos crucians. Ne nunc loquar de *febribus vere ac semper Algidis*, ac frigus continuum parientibus.

DCLXXVIII. Quoniam verò, secundùm eorum præceptum, Uno absurdo dato, multa absurda sequuntur: non mirum, si hic quoque processerint perperàm in Ægrorum suorum cura Medici falsò illi innisi fundamento ac principio.

Sanguinis extractio quibusdam noxia.

DCLXXIX. Quamvis enim *multi* Febrientes *optime habuerint à Vena secta & Sanguine misso*; non sequitur tamen omnibus idem remedium esse utile: cùm præsertim *haud infrequentia* occurant *exempla eorum, quibus non tantum inutilis sed plane noxia exstitit Sanguinis extractio*.

DCLXXX. *Ex quo gemino* & quidem *contrario experimento* verè, tantùmque concludi potest *aliquando conducere, aliquando nocere in Curatione febrium non tantùm Intermittentium, sed Continuarum quoque Sanguinis eductionem*.

Ejus ratio Medico rationali indaganda.

DCLXXXI. Quapropter Medicorum, si Rationales haberi volunt, interest, intelligere *rationem, cur aliquando prosit, cur aliquando noceat in febrium curatione Sanguinis diminutio*; ut præceptum formari possit, quando Venæ apertionem instituere liceat, quando eadem omitti debeat.

Intermittenti Febri, quà tali, non competere Venæ-sectionem.

DCLXXXII. Ut proinde de hoc quęsito aliquid certi concludam, non dubito asserere, postquam non semper profuit, verùm nocuit non rarò *Venæ* in Febribus Intermittentibus administrata *Sectio*, *Sanguinisque misso*, ipsam *Intermittenti Febri quà tali, non competere*; ast certis duntaxat Symptomatibus huic vel illi Febri Inteemittenti copulatis conducere, atque hactenus conferre.

Unica Venæsectione non semel curatam fuisse Febrem.

DCLXXXIII. Sed instabit Sanguinis humani Effusos Prodigus, *non semel unica Venæsectione, largaque subinde Sanguinis eductione curatam Febrem Intermittentem*, ideoque *aptum fuisse ipsi curandæ auxilium ac remedium*.

Affectus leves sola Diæta curari.

DCLXXXIV. Cui respondeo, *Multos affectus leves sponte curari sola Diæta ritè instituta*: unde nun mirum, si *præter Sanguinis evacuationem commodam in Plethoricis laudabilis observetur Diæta, curari nonnunquam Febrem Intermittentem*; quam *sola* potuisset *curare laudata Diæta*.

Ut & Febres intermittentes leves.
Et qua ratione.

DCLXXXV. Illa verò *Diæta curat sæpe* Febres Intermittentes leviores, quæ consistit in *Alimentorum* paucorum & facilè fermentabilium ac præsertim liquidorum, Sudorique mediocri promovendo conducentium assumptione, 2. in *Corporis Motu* aliquantum vehementiore, & quidem ad Sudoris eruptionem usque. 3. in *Aere calidiore* atque corporis *tegumentis* variis Sudorem blandum promoventibus. Quibus omnibus ritè observatis, nec Pituitam Obstructionem facientem, aut facturam augentibus, facilè à Succo Pancreatico hactenus potentiore facto solvitur Pituita Obstruens, quin eadem Sudore levi accedente propellitur in tenue Intestinum.

Quomodo prodest in Febris Curatione Venæ-sectio.

DCLXXXVI. Non mirum proinde, si aliquando *ubi levior est Febris Intermittens, ubi adest Plethora, ubi modo laudata ea parte saltem observatur Diæta, Curetur* in principio talis *Febris evacuato per venam sectam Sanguine*. *Quæ Curatio minime missio Sanguini debetur, sed Mutationi laudatam Diætam imprimus consequenti*.

In Plethora & Calore ardente.

DCLXXXVII. Non negaverim tamen promoveri à dicta Venæ-sectione istius Febris Curationem quoties adfuit Plethora, & Paroxysmis copulatus Calor ardens; nam non tantùm tollitur ejus ope periculum Suffocationis, Extinctionisque Ignis vitalis à nimio Sanguine vasa ita opplente, ut eidem in Corde rarefacto desit spatium, quo excipiatur, imprimis quando durante Calore Febrili aucto idem solito magis rarefit; verùm minuitur quoque in Sanguine incendium noxium.

DCLXXXVIII. Hæc verò pericula præveniuntur instituta in tempore Venæ-sectione, eductoque Sanguine satis multo; quin facilè succedit tali evacuationi sudor Curandis Intermittentibus semper utilis, præsertim quando fit cum Ægri levamine, atque ipsam fert idem facilè, & ipsi confert.

Sudorem in febribus intermittentibus convenire.

DCLXXXIX. Dixi *convenientem esse Intermittentis Febris Curationi Sudorem*, postquam omnibus notum esse potest, imò debet Medicis, malum signum esse, quoties in febrium Intermittentium paroxysmis nullus prodit sub finem, hoc est, in declinatione Sudor; solent namque Febres tales esse diuturnæ; sicut contrà breves, quarum paroxysmi singuli desinunt cum Sudore, dummodò talis tunc instituatur Diæta, quæ nec impediat istum Sudorem, nec quosvis humores vitiosos in corpore foveat, augeatve.

DCXC. *Videtur* proinde *Sanguinis eductio non per se, ast per accidens tantùm convenire non semper, ast aliquando tantùm in Febrium Intermittentium Curatione*.

DCXCI.

Febris Continuæ Curatio.

DCXCI. His antem de Vena secanda, & Sanguinoe mittendo dictis, pergamus ad *Febris Continuæ Curationem*: Diximus namque, quamvis in plerisque fuerit mox à principio Febris Intermittens, eidem tamen paulò post in quibusdam quidem citiùs, in aliis verò feriùs copulatam fuisse Continuam secũdo loco inter Affectus nostri Epidemii Symptomata positã.

Quænam ad eius constitutionem requirantur.

DCXCII. In ipsius autem explicatione docuimus requiri, ut *Febris Continuę Causa vel in ipsis vasis Sanguinem vehementibus, ipsoq; adeò Sanguine, ipsiusve partibus multifariis; vel in tali Corporis parte alia consistat, quæ continuum cum dicto Sanguine, ipsoque adeò Corde habeat commercium*, sed ita, *ut illud non nisi in totum possit impediri ac interrumpi, nec certis temporibus ab internis causis* (quod Intermittentibus febribus evenire solet) *denuò restitui*.

DCXCIII. Addidimus *Sanguinem nunc ab externis, nunc ab internis causis posse ita affici, ut continuam producat Febrim*.

Eius causa externa.

DCXCIV. Inter *Causas enternas* nostræ Febris Continuæ notavimus *Aerem* tunc valdè *æstuantem*, atque tàm *per Cutis poros* quaquaversùm, ergò *ad Sanguinem* quoque penetrantem, quàm *in Pulmones inspiratum*, ibidemque *Sanguini junctum*, nec ipsum secundùm naturam effervescentem blandè iterum temperantem, verùm *eidem partes suas & igneas & Salinas Volatiles communicando, ipsum nimiùm dissolventem, liquantem, & rarefacientem, sicque Vitalem in Corde Effervescentiam cum aucto Calore plurimùm vitiantem, atque Continuam Febrem, ipsamque* in multis *satis ardentem* produeentem.

Interna.

DCXCVI. Inter *Causas internas* culpavimus *Bilẽ* ab iisdem *Aeris partibus Igneis & Salinis Volatilibus, sed Acribus*, & *Acriorem, & Volatiliorem, & Abundantiorem factam*, ideoque tùm *in tenui Intestino*, quàm *Corde ipso Effervescentiam vitiosam*, & quidem *cum notabili Calore conjunctam*, ideoque absque omni controversia *Febrilem excitantem*.

DCXCVI. Qui necessariò ex Massa Sanguinea universa paulatim corrupta producti sunt *Humores varii multifariam vitiosi*, *non* tàm dici possunt *Causa Febris Continuæ* tum urgentis, *quàm Symptomatum variorum multifarie Ægros diversos vexantium*.

Ejus curatio in quibus consistat.

DCXCVII. *Curatio* proinde *Febris Continuæ*, *quà talis, & tunc urgentis consistere debuit* 1. *in Aere vitioso vitando vel corrigendo*. 2. *in Bile Acriore temperanda, Volatiliore figenda, & Abundantiore minuenda*. 3. *in Effervescentia vitiosa & quidem* cum notabili & molesto *Calore conjuncta moderanda, compescenda, & ad temperiem naturalem redigenda*. 4. *in Sanguine nimis soluto blandè coagulando, nimis rarefactò condensando, & nimis æstuante refrigerando, aliterve vitiato ad integritatem laudabilem reducendo*.

Aer noxius corrigẽdus.

DCXCVIII. Si *Febris nostra Epidemia Curari non potuit, nisi correcto, vitatoque Aere noxio*; & illa Correctio & Vitatio Aeris noxii consideranda & præscribenda erat à Medicis, quò feliciter curaretur Affectus nostee Epidemius; non video, cur non debeat *Indicatio* etiam *peti à rebus extra ægros cõstitutis*, cùm *illis remedium inveniri & administrari debeat*, quò Affectus ab ipsis producti ex arte Curentur.

Indicationes non tãtùm peti à rebus in Ægro, sed etiam extra eum existentibus.

DCXCIX. Hoc idcirco attingo, ut cuivis pateat, *Indicationes non tantùm peti à rebus in Ægris existentibus; verùm etiã à rebus extra ipsum constitutis*, dummodo *Affectuum Curandorum sint Causæ, aut Remedia*: quorum ratione dicitur verè à Medicis Practicis, *à Iuvantibus & Nocentibus* (sive in Corpore Ægrorum existant, nec ne,) *peti potissimam Indicationem*.

Et quare.

DCC. Nec mirum, hæc namque sunt, habentur saltem manifesta, cùm Causæ in corpore latentes nõ rarò lateant quoque ipsos Medicos, nec nisi conjectando determinentur plerumque, quocirca etiam tunc Indicatio ab illis desumpta est duntaxat incerta, dubia & conjecturalis, cum illa juvantibus & nocentibus debita sit certa, indubia & demonstrativa.

Indicationes peti à causis externis.

DCCI. Et certè *Indicationes* omnes, quæ petuntur *à Causis* quosvis affectus producentibus, petuntur non minùs *à Causis externis, quàm ab internis*; sed & nonnunquam à solis Causis externis, quando illæ immediatè, hoc est, sine Causa interna intermedia producunt Affectus: Sic Gladius, Culter, &c. Causæ sunt externæ, ac solæ, adeòque immediatè Vulneris: à quibus in Vulnerum Curatione petuntur Indicationes, adeò ut aliquando ex Causarum istarum externarum circumstantiis sedulò perpensis facilior & tutior instituatur Curatio.

DCCII. Sed de his aliàs, si Deus volet, agemus forsan ex professo, & ostendemus hic, uti ubique, se te laborare multos Medicos præjudiciis, atque supponere, quod est in quæstione, quodque probari debet, non supponi.

Aer vitiosus mutandus.

DCCIII. Ut proinde ad Febrium continuarum Affectui nostro Epidemio copulatarum Cueationem redeamus: diximus 1. *Aerem nostrum Solaribus Radiis, non item Pluvia, Ventisque verberatum*; ideoque admodum *ardentem Affectus* nostri Epidemii, atque *Febris Continuæ* ipsi copulatę fuisse *Causam*: qua permanente quis non agnoscit perduratarum quoque ipsius Effectum, Febrem Continuam, cæteraque Symptomata in Affectus nostri enarratione superiùs enumerata.

Quomodo id fiat.

DCCIV. *Debuit* proinde *mutari Aer vitiosus*, *quò curarentur Ægri. Mutatur Aer*, quando *illius vitium emendatur*, vel quoties *illud à nobis emendari nequit*, quando *idem relinquitur*, & in Aerem salubriorem se confert Æger.

DCCV. Unde oon malè sibi consuluerunt, quotquot Aerem nostrum multis nominibus inquinatum deseruerunt, & in alium, etiam vicinum, vel ob Aquas mobiles, non stagnantes, vel ob situm loci Montanum, & imprimis Aquilonium & hactenus salubriorem concesserunt, quoties ipsorum res id concedebat.

Indignum urgẽte malo Medicos, Magistratus, Ecclesiasticos, Patres, Matresque familias, Liberos, aut famulos, fugere.

DCCVI. *Indignum* autem fuisset, urgente malo *Medicos* fugere, atque suos Ægros deserere; Indignum fuisset, *Magistratus* populum suæ curæ commissum urgente tanta necessitate fuga deserere, atque sic sibi tantùm prospicere; Indignum fuisset, *Ecclesiasticos* Ægros ac morientes deserere, atque fuga sibi consulere, Indignum fuisset, *Patres Matresque familias* Liberos suos graviter decumbentes turpiter deserere, atque fugiendo ipsos negligere: quod similiter dici debet *de Liberis ad* ætatem provectiorem deductis Parentes suos deserentibus, & imprimis de *Ancilis, aliisque famulis* Dominos suos & Dominas deserentibus & alio fugientibus.

Homines liberos debuisse se aliò conferre.

DCCVII *Potuerunt* autem, imo *debuerunt Homines liberi*, atque *ab omni memorato munere publico, privatoque immunes* (quales *Studiosi, aliique animi gratia hic degentes*) *aliò se conferre*, atque affectum in plerisque magis magisque sævientem fugere, sicque sibi fuga honesta consulere.

Aer emendandus.

DCCVIII. Quoniam verò plerique non potuerunt, nec debuerunt hinc fugere, bonum fuisset, optandumque, *Corrigi ac emendari Aerem*: quod tamen vix potuit obtineri, nisi *in locis, in quibus decumbebant Ægri*, quemadmodùm docuimus io superioribus.

Noxa ab Aere prævenienda, aut facta tollenda.

DCCIX. Imprimis allaborandum erat, ut *noxæ ab Aere nostro* ita tum ardente tum infecto *expectandæ in tempore præveniretur, aut factæ tollerentur*.

Et qua ratione.

DCCX. Illud autem imprimis exspectandum erat à *Bilis contemperatione & iterata diminutione*: quibus continetur Secundum nostrum in Febrium Continuarum Curatione Indicatum.

Bilis temperanda.

DCCXI. Temperanda erat *Bilis*, & ratione suæ *Acrimoniæ* & ratione suæ *Volatilitatis auctarum*.

Eius Acrimonia temperanda Acidis & Austeris.

DCCXII. *Acrimonia Bilis Salina lixiva nimiùm aucta temperatur* potentissimè ab *Acidis* & *Austeris*, blandiùs ab *Oleosis & spirituosis* quibus tamen in hoc casu sat tutò non licuit uti, cùm incendium Bilis & Sanguinis facilè augeant, foveantque, nisi *fixata* fuerint priùs *Olea*.

Et quibus.

DCCXIII. Sola proinde *Bilis Acrimoniam tutò tẽperantia fuere Acida & Austera*, & quidem inter vulgaria Acetosa, Acetosella, Plantago, Sempervivum majus, Ribesia, Berberes, Mala Citria, Aurea, Punica, Cotonea, Omphacium, &c. Ex Chymicis laudo Alumen, ipsiusque Spiritum, ut & è Vitriolo, Sale vulgari, Nitro, Sulphure ac similibus para-

paratum: Acetum ſtillatitium, tàm ſimplex, quàm cum aliis paratum. Quæ omnia nunc per ſe poſſunt uſurpari, nunc Cibis Condimenti loco addi, nunc Potui admiſceri vel Julapiis. De quibus non ſemel actum à me aliàs.

Ejus volatilitas Acidis quibus minuenda.

DCCXIV. *Volatilitas Bilis aucta minui* potuit ac debuit per *figentia*, & imprimis laudata modò *Acida & Auſtera*, inter quæ primas forſan tenet *Spiritus Nitri*, cæteros Spiritus Acidos omnes in figendo ſuperans.

Bilis aucta minuenda Cholagogis, Et quibus.

DCCXV. *Bilis aucta nimiùm minui* debuit per *Cholagoga* dicta, tàm *ſurſùm*, quàm *deorſùm* ipſam educentia, ſæpiùs laudata. Inter vulgaria ſunt Rhabarbarum, Tamarindi, Caſſia, Scammonium, & infinita ex illis præparata Compoſita, Syrupi, Electuaria, Extracta, Pilulæ, &c. Inter Chymica & quidem ſimul Vomitoria, plurimæ *Antimonii* præparationes, Crocus, Regulus, Vitrum, Vitæ Mercurius dictus, Flores, &c.

DCCXVI. Quibus aliquando ſolis, aliquando cum vulgaribus junctis uti poſſumus aptiſſimè.

Quibus Malum imminens poterat præveniri.

DCCXVII. Potuit igitur, debuitque Bilis anno ſuperiore tum temperari, tum minui Medicamentis modò commendatis: ſed propter diu perſeverantem Aeris æſtum debuit toto illo tempore *malum ſæpiùs imminens ac recidivas faciens præveniri Medicamentis iiſdem* Bilem indies Acriorem factam temperantibus, Volatiliorem figentibus, & auctam minuentibus. Sed & iiſdem *Acido auſteris ac figentibus* impediri poterat & *præveniri futura* ipſius *Acrimonia & Volatilitas nimia*.

Effervescentia in tenui intestino compescenda. Per Acida & Austera Opiatis juncta. Et præsertim Sulphura mineralium & metallorum.

DCCXVIII. III. *Effervescentia utraque in tenui Inteſtino & Corde vitiata & cum Calore moleſta juncta compeſci* debuit, & ad *moderatum gradum temperatumque reduci*.

DCCXIX. Id ex parte faciunt memorata modò *Acida & Auſtera*, ſed imprimis *Opiatis juncta*; quibus haud dubiè præferenda ſunt *Sulphura Mineralium, Metallorumque fixa*: quæ ſi quis habere non poſſit in gradu excellenti perfecta, conetur ſaltem *illa præparare ſuavia & nullum Vomitum aut ſeceſſum ampliùs moventia*. Solent enim *Sulphura* illa, quamdiu *Volatilia* ſunt & *combuſtibilia*, *Vomitum, alvumve ciere*, quod hic noxium; quando nempe animus eſt nimiam Effervescentiam compeſcere, atque ad mediocritatem laudabilem reducere: A purgantibus enim omnibus tàm ſurſum, quàm deorſum commoventur Humores ac promovetur ipſorum Effervescentia, neutiquam compeſcitur eadem.

DCCXX. In defectu autem illorum *Sulphurum* ſufficienter *fixorum* feliciter utemur *Opiatis cum Acidis & Auſteris junctis*. Unde & hoc quoque nomine conducit magis *Extractam Opii cum Aceto ſtillatitio, quàm Vini Spiritu paratum*: poſtquam præparatione tali aptum redditur coortemperandæ & compeſcendæ nimiæ Sanguinis Effervescentiæ.

Per Emulsiones.

DCCXXI. Ad eandem Effervescentiam nimiam leniter compeſcendam conduxit plurimùm *Emulſio Hordei*; *ſeminumque papaveris albi*; & quandoque, ubi alvus erat laxior, *Amygdalarum dulcium*.

Sanguis vitiatur corrigendus Acidis & Austeris.

DCCXXII. IV. *Sanguis paulatim ſolutus, rareſactus æſtuans, vel aliàs vitiatus* ampliùs *coagulandus condenſandus, refrigerandus, aliterve reſtituendus* fuit laudatis jam ſæpiùs *Acidis & Auſteris blandioribus*.

DCCXXIII. Diutino namque ipſorum uſu ad priſtinum ſtatum redigi potuit ac debuit Sanguis.

His curari continuas febres.

DCCXXIV. Ut non mirum ſit, *ſolis Acidis & blande Auſteris Curari* tum ſæpè *Continuas Febres cum Calore conjunctas*, poſtquam omnibus penè ſatisfaciunt illa Indicationibus, ipſique adeò Bili minuendæ conducunt Tamarindi.

Et felicius ſi Opiata jungantur.

DCCXXV. Quibus tamen ſi jungantur Opiata, feliciùs citiùſque idem præſtatur Ægris beneficium: unde laudabilis eſt *Diaſcordii Fracaſtorii & mei Uſus*. *ſi cum Acidis uſurpetur*.

Sanguinis miſſio non inutilis.

DCCXXVI. Quamvis autem hactenus in Febris noſtræ continuæ curatione nullam fecerimus *Sanguinis ex aperta vena miſſionis* mentionem (quia illa omnino carere poſſumus, & abſque illa plures fuerunt feliciter curati) non eſt tamen illa hic contemnenda; cùm præſertim utilis fuerit *temperando Sanguinis æſtui*, ac *præveniendæ in plethoricis Suffocationi*, ſicut docuimus in præcedentibus.

Et in quibus.

DCCXXVII. *Utilis* ergò fuit *Sanguinis eductio in Plethoricis*, utilis in *Juvenibus*, utilis in *conſuetis*, utilis in *æſtum magnum patientibus*, utilis in eam *deſiderantibus*, *atque ex imaginationis firmæ vi commodum majus inde percipientibus*.

Et quantitate parva.

DCCXXVIII. Educi debuit *Sanguis quantitate parva*, & quidem pro ejus abundantia, Ægrorum euphoria, æſtu, & ſimilibus diverſimodè. Quæ prudentis Medici relinquuntur arbitrio.

DCCXXIX. Hiſce igitur modis mediiſque potuit, debuitque curari, ſed & curata eſt feliciter continua Febris non parum anno ſuperiore noſtris Ægris gravis.

Anxietatum circa præcordia curatio.

DCCXXX. Inter Affectus noſtri Epidemii Symptomata locum tertium dedimus *Anxietatibus præcordiorum pleroſque mire, graviterque torquentibus*; quarum proinde Curationem ut nunc tradamus, ordinis ratio videtur poſtulare.

Earum cauſa. Bilis Acrior. Pituita glutinoſa. Succus Pancreaticus acidior.

DCCXXXI. Poſtquam verò *Anxietates* illas deduximus *à triplici Cauſa*, 1. *Bile Acriore* continuè ad Inteſtinum tenue defluente, atque vitioſam ibidem Effervescentiam cum *Halitibus Acrioribus & moleſtis* excitante 2. à *Pituita Glutinoſa* & frigori præcedenti debita & à *Bile Acri in Flatus diſſeuta*, & ideò Inteſtina quoque diſtendente. 3. à *Succo Pancreatico* tàm *univerſim* ob præcedens frigus *Acidiore*, quàm *ex parte* in ſuis vaſis hærente, adhuc *Acidiore* facto, atque *Intermittentis Febris Paroxyſmos producente*, atque vitioſam, vitioſioremque in tenui Inteſtino cum Bile Effervescentiam, Halituſque Acres producente, à quibus augebatur Anxietas continua.

Earum curatio in quibus conſiſtat.

DCCXXXII. Poſtquam, inquam, deduximus Anxietates illas à triplici cauſa denuo memorata, meritò illarum *Curationem* expectare debuimus 1. à *Bilis Acrioris correctione*, de qua jam actum. 2. à *Pituitæ viſcoſæ emendatione*, de qua ſimiliter actum eſt in ſuperioribus. 3. à *Succi Pancreatici & univerſi Acidioris*, & ex *parte adhuc Acidioris temperatione*, quam ſimiliter propoſuimus in ſuperioribus. 4. *ab Halituum* partim *Biliosorum*, partim *Melancholicorum*, hoc eſt, *Acidorum temperatione* aut *diſcuſſione*. 5. *à Flatuum viſcoſorum inciſione ac diſſipatione*. 6. *à Senſus moleſti blanda ſtupefactione & doloris ſedatione*: quæ omnia ſimiliter ſunt jam propoſita, ut plura non videantur addenda.

Nauſea curatio a quibus pendeat.

DCCXXXIII. Quarum Affectus noſtri Epidemii Symptomatibus locum aſſignavimus *Nauſeæ* cujus cauſam cùm docuerimus fuiſſe partim *Halitus* modò iterum notatos, & *Bilem* quoque ad Ventriculum aſſurgentem, unde ipſius irritatio & vellicatio facta & Nauſea excitata: meritò ipſius curatio pendebit. 1. *à Bilis correctione*; atque *fixatione*. 2. *ab Halituum præſentium Diſcuſſione*. 3. *a ſimilium Halituum excitatione nova impedita*. 4. *à Senſus ſtupefactione blanda*.

DCCXXXIV. Hæc omnia verò quoniam abundè ſunt in ſuperioribus propoſita, atque Medicamenta illis Indicationibus ſatisfacientia recitata, ne actum agamus, ad ſequentia pergemus.

Vomitus cauſa & productio.

DCCXXXV. Quintum inter notata Symptomata locum invenit *Vomitus*, quem oſteodimus habuiſſe ortum ab iiſdem *Halitibus & Bile majore copia vel Acrimonia præditis*, & ideò præter Nauſeam, Vomitum quoque producentibus, & imprimis quando ad *ſingulorum Paroxyſmorum Febrilium reditus Frigori ſuccedebat Calor*; quo tempore priùs preſſa, oppreſſaque à Succo Pancreatico ex obſtructis reſeratiſque vaſis erumpente *Bilis dominiam viciſſim accipiens Halitus promebat copioſos & Volatiles*, atque *ipſamet ſæpenumerò ſimul efferebatur ad Ventriculum*; qui tum à Bile, tum ab Halitibus illis vehementiùs irritatus, ac utplurimùm tenuis Inteſtini motum periſtalticum inverſum ſequens contenta ſua effundebat.

Ejus curatio à quibus expectanda.

DCCXXXVI. Unde patet Vomitus illius curationem expectandam fuiſſe 1. à *Bile quoad Acrimoniã temperata*, & quoad *abundantiam diminuta*. 2. *à præ-*

ſcatium

sentium Halituum discussione. 3. *ab instantium præcautione, atque suppressione*. 4. *à Sensus blanda Stupefactione*; imprimis calore febrili inchoante. Quibus omnibus quoniam convenientia Medicamenta satis superque sunt tradita, sequentia considerabimus Symptomata.

DCCXXXVII. Prout autem materia Vomitu excreta fuit diversa, Medicamenta quoque fuerunt præscribenda singulis accommodata, Humoresque Vomitu ejectos pro suo vitio diverso diversimodè alterantia, & quandoque deorsum educentia: imprimis quando simul peccabant copia nimis aucta.

Appetitus prostrati curatio.

DCCXXXVIII. Inter Affectus nostri Epidemici Symptomata posui 6. *Appetitum* in plerisque *prostratum, permanentemque*. Hunc quoniam deduxi à *Bile Acriore ac copiosiore*, *Succo* verò *Pancreatico Austeriore*, atque *Pituita Glutinosa*, unde ad Appetitum ciborum excitandum desiderata in Ventriculo *Aciditas blanda* reddita est *obtusa*: meritò ad ipsius *Curationem*, hoc est, *instaurationem* opus fuit Medicamentis *humores notatos corrigentibus, redundantesque minuentibus*; hinc & *Acidis blandis, temperatisque Acidi defectum reparantibus*, non semel in superioribus propositis & laudatis: ac imprimis *Salis, vel Nitri Spiritu dulci*.

Quando causa Appetitus spontè restituatur.

DCCXXXIX. Novi aliquando *restitui spontè Appetitum*, sed id evenit plerumque aut propter *Diætam exactam* etiam *casu* quandoque *ritè observatam*, aut propter *notabiles Humorum evacuationes*, aut *alterationes sponte factas*: unde superatis ac emendatis, evacuatisve Humoribus noxiis, paulatim utiles ac necessarii amissam vim recuperant, exeruntque.

Ciborum fastidii causa.

DCCXL. Grave Symptoma Ægris fuit Appetitus prostratu, sed 7. ipso longè gravius *Omnium Ciborum Fastidium & Aversio extrema diu in multis perseverans*: Cujus causam diximus *Humorum* modò *notatorum Vitium extremum ac pertinax*, propter causas externas ipsum producentes perdurantes, & nonnunquam à Medicamentis præposterè præscriptis aut usurpatis auctas.

Curatio.

DCCXLI. Eadem verò quæ Appetitui prostrato debebatur *Ciborum fastidio Medicamenta, sed valdè efficacia*, & quidem *debite ac diu usurpata*. Ubi laudo iterum *Nitri, Salisque Spiritum dulcem*; ut & *Elixir proprietatis* ritè paratum: quibus conducunt hic quoque *Salia volatilia blandiora & quantitate parva subinde ex Vino usurpata*, cùm & *Austerum & Glutinosum potenter corrigant, & Halitus ingratos ad Ventriculum assurgentes discutiant, novumque ipsorum exortum impediant*; non neglectis eo tempore *Spiritibus Acidis cum Spiritu Vini temperatis*.

Sitis varia curatio.

DCCXLII. Enumeravimus 8. *Sitim multifariè* in ægris nostris observatam, cùm in aliis fuerit *Magna*, in aliis *Pauca*, in aliis *Nulla*.

DCCXLIII. *Magnam Sitim* deduximus à *Bile multa & Acri*; *Paucam ab eadem*, sed *Pituitæ glutinosæ admista* & tantillùm *obtusa*; *Nullam* ab eadem *Bile minùs Acri, & copiosa*, concurrente *Pituita glutinosa & Succo pancreatico plùs minùs Austero*.

DCCXLIV. Quibus proinde modis ac mediis succurrendum fuerit tam diversimodè occurrenti Siti, facilè ex ejus causis determinatis patet: quorum Remedia supra sunt data.

Symptomata multa & multifaria à causis perpaucis deducí & perpaucis medicamentis curari.

DCCXLV. Non possum autem hic, quin Curiosos quosvis excitem, ut ad animum suum revocent, quàm commodè *tam multa & multifaria Symptomata deducta fuerint à me à Causis perpaucis, tam Internis quàm Externis*, quàm commodè *iisdem præscripta sint à me Medicamenta pauca, imò paucissima*, quæ tamen *illis Symptomatibus omnibus superandis sunt, imò fuerunt convenientissima*, sicut idem magis adhuc patebit ex iis, quæ adhuc habemus addenda benè multa.

Potus fastidium.

DCCXLVI. Diximus 9. non tantùm fuisse in Ægris magnam Sitis varietatem, sed in nonnullis etiam *morosum & fastidiosum, perdurantque Potus omnis, etiam diversissimi & aliàs gratissimi Fastidiū*.

In ipso autore memorandum.

DCCXLVII. Hujus exemplum singulare ac memorandum habui in memetipso, scilicet post *Vomitum spontaneum Humorum variorum, Pituitosorum, Biliosorum, Acidorum, Austeriorumque, ac Vitriolatorum per horas quatuor & viginti me urgentem*; & quidem, cùm me iterum in salvo putarem, atque post recidivam ex Praxeos renovatæ, curru licèt institutæ, molestiis me opprimentem, ac tantùm non superatam de visendis denuò Ægris seriò cogitarem, omnibus Functionibus ritè se habentibus, Appetitu integro, Alimentorum fermentatione facili, Somno existente blando & vires augente; Tunc enim inexspectatus me aggressus est per noctem tranquillam & somnum placidum Vomitus, sicut dictum, Humorum multifariorum, *Concurrentibus flatibus totum abdomen mirè distendentibus ac perterebrantibus, Colicumque dolorem atrocissimum excitantibus*: Quæ omnia, cùm in extremis versarer, atque cum instante vomitu novo me Animam simul effusurum crederem, atque aliorum Medicorum defectu, quid agendum esset, in mediis & summis Anxietatibus sollicitè cogitarem, *tandem solis Acidulis Spadanis rursus sopiebantur*; nam quævis alia Vomitu mox excindebam; usurpatis verò paucis Acidularum laudatarum cochlearibus, seorsim ad optatam deducta sunt Symptomata vehementissima tranquillitatem, cessante omninò ulteriore Vomitu.

Vomitus, Flatus & Colicus dolor acidularum usu curatus.

DCCXLVIII. Quamvis autem compesceretur repetito Acidularum per intervalla brevia usu parco Vomitus, *sublatus tamen omnium Alimentorum Appetitus*, quin tantum in me *excitatum Cibi, Potusque omnis, solis exceptis Acidulis*, Fastidium, ut post quintum diem de sanitate ampliùs mediis humanis recuperanda desperarem, atque Mortem tanquam ærumnarum mearum Colophonem imò extremum remedium animo forti & alacri expeterem, ac præstolarer.

Ciborum fastidium quibus in autore curatum.

DCCXLIX. Quid enim aliud expectandum erat mihi, (qui nec Vinum qualecunque, nec Cerevisiam, nec jusculum, nec quidvis aliud esculentum, potulentumve, quicquid conarer, poteram propter summum fastidium ore capere, quin mox iterum cogeret exspuere, auctis confestim Anxietatibus & animi languore) quàm ut instaret vitæ meæ finis certus: Nam sicut priùs *Humorum* Effervescentiam in tenui Intestino compescuerant & deorsum ad alvum deduxerant Acidulæ; ita *eosdem paulatim reddiderunt Acriores & quodammodo Acidiores, unde nova subinde tormina me angebant & plùs mali minabantur*: donec, sic jubente Deo *ab illo Acidularum Acido aliquid Appetitui simile videretur in me suscitari*; quare potulentum cibum ex Aqua cum pane candidiore & Cinnamomo decoctis, & Ovi vitello in tantillo Vini soluto, Sacharo pauco addito curavi parari; ejusque subinde Cochleare unum, vel duo assumpsi, & sic paulatim Esculentis assuevi, idque intra dies paucos.

DCCL. Tam *importunum autem ac diuturnum fuit mihi Potus omnis, Acidulis exceptis, Fastidium*, ut *post plures septimanas dubitarem*; an unquam cum voluptate aut Vinum aut Cerevisiam essem ampliùs bibiturus, erant enim magis aut æquè ingrata atque Medicamenta quævis, à quibus omnibus abhorreo à natura; nec, nisi quantum ratio linguæ atque palato imperat, possum etiam nunc illis uti.

Acidularū Spadanarū beneficium geminum.

DCCLI. Hactenus quidem *Acidularum Spadanarum beneficium geminum* mihi factum memoravi, dum 1. *Humorum vitiosè in me Effervescentium ac quo Vomitione violenta mortem minantium impetum & motum compresserunt, atque ipsos ad alvum deduxerunt*. 2. *Appetitum prostratum forsan extinctumque iterum excitarunt*: quod vel idcirco enarro pluribus, ut aliis quoque serviant aliquando; sicut nonnullis aliis itidem fuere tunc utiles.

Potus Fastidii causa.

DCCLII. *Potus* autem *Fastidium* deduximus à *Succo Pancreatico valdè austero vitiatæ Bili* juncto atque *Halitus similes* producente, *Linguamque unà cum Palato pessimè afficiente*, unde cùm nulla voluptas percipi posset ex potu qualicumque sapido, ejus Fastidium sequutum est importunum ac diu permanens: Quoniam *ex omnibus Humoribus nullus difficiliùs, segniùsque corrigitur ac emendatur, quàm Austerus a Melancholicus* dictus.

Acidularũ esu Appetitus restauratus, non potus desiderium. Sitis restituta Sale lixivo volatili.

DCCLIII. Qui meo exemplo usi sunt *Acidulis*, cùm reverà *aliquid, sed volatilis contineant spiritus*, non mirum, si *obscurus Ciborum Appetitus restauratus* sit ab iis, *non* item *Sitis*, vel potiùs *Potuum ordinariorum, aliquemque saporem continentium Desiderium*.

DCCLIV Quemadmodùm autem *Spiritus Acidus, sed volatilis, superavit Ciborum Fastidium, ita sal lixivum, sed volatile, restitui naturalem Sitim, abegitque Potuum Fastidium*: quod tolli non potuit, nisi *emendato Austero*, difficulter, nec nisi lentè *Sali volatili* cedente: cùm Ciborum Appetitus citiùs potuerit restitui ab *Acidis volatilibus & Spirituosis facilè Austero se jungentibus*, nec cum ipso pugnam ineuntibus, quod *de Salibus volatilibus* dici non potest, quippe *quæ absque Effervescentia non videntur posse immutare ac corrigere Austerum*.

DCCLV. *Austeri* ergo, quatenus *Ciborum Fastidium* producebat, remedium fuit *Spiritus Acidus, sed volatilis*; quatenus verò *Potuum Fastidium* pariebat, remedium fuit *Sal lixivum, sed volatile*, atque tum *Aromaticum*, tum *Oleosum*; quod tempore longiore indigebat ad nonam illam superandam, & naturalem sitim restituendam.

Linguæ ariditas & mucositas unde.

DCCLVI. Ioter Affectus oostri Epidemii Symptomata consideravimus 10. *Linguæ* tum *Ariditatem*, tum *Mucositatem*. Et Linguæ quidem *Ariditatem* deduximus *à Bile auctiore atque acriore, non concurrente* tunc simul *Pituitæ aut Salivæ Glutinositate*: sicut contrà ipsius *Mucositatem* adscripsimus Salivæ, aut *Pituitæ Glutinositati cum Bilis Acrimonia copulatæ*.

Et qui curanda.

DCCLVII. Unde facilè patet, *Ariditatem Linguæ Curandam* fuisse *Contemperatione Bilis* per medicamenta sæpiùs laudata & *Acidiuscula* præsertim; *Mucositatem* autem *iisdem, sed magis volatilibus*, aut cum *Sale volatili* junctis: quemadmodùm ono semel diximus illa posse aptè misceri, & Ægris exhiberi.

Aphtha quid.

DCCLVIII. Locum inter Symptomata molestiora undecimum dedimus *Aphthis*, quas docuimus esse *Ulcuscula omnes interiores Oris partes superficialiter afficientia*, & ita quidem, ut *Cuticula ipsas tegens paulatim crassescens ab ipsis separetur, ac decidat, dum nova succrescit, mox similiter corrumpenda*.

Earum causa Acidum minus Acre

DCLIX. Non repetam hic, quæ pluribus docui in superioribus de Aphtharum Causis veris, & imprimis de ipsarum productione singulari, & subjectio peculiari: hoc tantùm monebo, me *Aphthas* deduxisse *ab Acido minùs Acri*, quodque vim suam ferè tantùm exerat, exerceatque in *Cuticulam*; cùm reliqua Ulcera sæviant magis in partes reliquas Cuticulæ subjectas.

DCCLX. Videtur autem *Acidum* illud Aphthas producens utplurimùm *minùs Acre* fieri *à Bile simul concurrente Acriore*, atque in *Æruginosam* mutata: Cui multi adscribunt Aphthas, nec malè, quamvis non satis exactè observent, non *Bili*, quà *Bili*, sed quà *Æruginosæ*, hoc est, *ab Acido Acri corruptæ, & hactenus Acidæ* productionem Aphtharum deberi; ac proinde in Aphtharum *Curatione* attendendum imprimis *ad Acidi correctionem ac temperationem*; quamvis quoties simul est *Humor copia peccans minuendus, expurgandusque*, opus sit *Chologogis*, quoniam *Bili est immersus Humor Acidus* primariò hactenus peccans, nec nisi *cum subjecto suo debitè potest educi*.

Earum Curatio per Acidum temperantia.

DCCLXI. *Curatio* igitur *Aphtharum* sicut aliàs semper, sic & anno superiore quoque instituenda fuit per *Medicamenta utrumque Acre, sed Acidum præsertim temperantia, & quandoque Bilem Æruginosam blandè minuentia, & per alvum educentia*, non sursum per Vomitum effundentia, unde augerentur ampliùs Aphthæ.

Et quænam.

DCCLXII. Inter *Alterantia* illa non minùs utiliter, quàm frequenter usurpatur *Raparum* din Aqua decoctarum, vel assarum *Succus* expressus, atque Gargarisando administratus; ut & *Ovi vitellus* conquassatus, & cum Aqua Rosacea, Sacchar que tantillo mistus, sæpiùs ore contentus, aut etiam deglutitus. Sic decoquuntur ab aliis in *Cerevisia paucæ ficus*, illoque liquore utuntur Ægri. Sic *Sola Cerevisia nondum fermentata* commendatur à nonnullis: sic *Emulsio Hordei* & similium conducit. Quin *Lac Ebutyratum, Lactisve Serum* calefactum, addido tantillo Sacchari, prodest. Huc spectat quoque *Syrupus violaceus* tàm simplex, quàm compositus, *Injubinus, de Glycyrrhiza*, & similes plures.

Quid præstent.

DCCLXIII. Horum autem omnium ope demulcetur Humor noxius & Acrimonia Acida excedente, licèt ab Acido Bilioso fracta peccans, leniturque molestus ariditatis mentitique caloris sensus in Ore.

Ea pro varietate humorum varianda.

DCCLXIV. Prout verò *magis vel minus* in Humore illo misto & noxio *exsuperat Acidum*, vel simul quoque *excedit* subinde *Salsum*, *Medicamentis* utendum *diversis*, seligendaque ex modò dictis, aut similibus, quæ humori maximè peccanti conducunt maximè.

Quænam Aphthæ citiùs curentur.

DCCLXV. Quò namque *minùs est in ore* sentitur, quò *Aphthæ* sunt *magis humidæ*, *magis albæ*, quò *citiùs ad maturitatem tendunt*, hoc est, *sponte secedunt*, eò non tantùm *facilior* est, *citiorque Cura*, sed quibusvis ferè cedens.

Quænam seguius & quare.

DCCLXVI. Quò contrà *uritur magis Lingua*, cum partibus in ore contentis, quò *nigricant*, vel *rubent*, *flavente magis Aphthæ*, quò *acidiores* sunt, *segniùsque à subjectis partibus secedunt*; eò *difficiliùs procedit Cura*, propter *Humores binos Acres simul exsuperantes, vimque suam simul exerentes*: unde tunc opus est *medicamentis magis compositis, & utrique Acri temperando magis accommodatis*; ubi præter jam memorata *Sempervivum majus* vim præstat egregiam, *Bilis* quoque *Acrimoniam* efficaciter ac utiliter *temperando*.

Bili Æruginosa evacuando conducit Rhabarbarum.

DCCLXVII. Quoad *Bilis Æruginosæ copia simul excedente peccantis Diminutionem ac Evacuationem*, laudavimus, aliisque vulgò notis omnibus prætulimus *Rhabarbarum*, *etiam tostum*, cùm non tantum *blande purget Bilem*, verùm *imbibat* quoque *Succum Acidum primariò hic peccantem*; quod frustrà sperabis à plerisque Chologogis, præsertim plùs minùs Acidis, qualia Tamarindi, Cassia, &c.

Alvi fluxus.

DCCLXVIII. Duodecimum Symptomatibus locum assignavimus *Alvi fluxui*, tàm *in Affectus principio*, quàm *postmodum* quoque subinde urgenti, atque *varò in Dysenteriam degeneranti*.

Causa & cura.

DCCLXIX. Quem *Alvi Fluxum*, *verè Biliosum*, licèt subinde *cum aliis Humoribus junctum*, quoniam meritò deduximus *à Bile* tum *copia* tum *Acrimonia* peccante, ipsius *Curatio* expectanda fuit ab ejusdem *Bilis ulteriori Diminutione*, ut & *Correctione & Acrimoniæ contemperatione*.

Bili alvi fluxum parienti evacuanda conducit Rhabarbarum tostum.

DCCLXX. *Ad Bilem alvi fluxum parientem* evacuandam nil æquè conducit, atque modò laudatum *Rhabarbarum in pulverem redactum*, aut insuper *prius tostum*, & *quantitate parva*, hoc est, ad ʒß. ℈ij. vel ℥j. exhibitum: quò finita illa evacuatione *reddatur Alvus tantillùm adstrictior*; quod semper observandum in Alvi fluxu per Purgantia curando.

Bilem corrigere Acida Austeriuscula.

DCCLXXI. Quæ *Bilem corrigant* plura sunt in superioribus recensita, & imprimis *Acida*, inter quæ hic præ aliis omnibus conducunt *Austeriuscula*, quippe quæ *Alvum simul adstringunt*.

Ad Dysenteriæ curationem quænam requirantur.

DCCLXXII. Quoties autem *Humore Acido simul existente valdè acri*, nec tamen sursum ac deorsum tsurùm aut præcipuè saltem vergente quibusdam perpaucis contigit *Dysenteria*, quoniam illud *Acidum auctius* ortũ habuit nunc à *Medicamentis Acidis perperam & nimia quantitate usurpatis*, nunc ab *Aeris frigore summo mense Novembri valde urgente*; illi *Curandæ* conduxerunt 1. *Vitatio Acidi, Aeris que frigidioris*; 2. *Usurpatio medicamentorum Acidum concentrantium & absorbentium*, Coralliorum, Margaritarum, Oculorum cancri, Cretæ, quin ad erula intestina & vasa citiùs consolidanda, *Sanguinis Draconis*, *Lapidis hæmatitis*, & c. 3. *Erosorum Intestinorum Abstersio & Consolidatio per Enemata Lacte bubulo, Terebinthina Veneta, Ovi vitello, & Melle rosato* parata, & semel aut iterum injecta, quin tamdiu in corpore retenta, quamdiu commodè fieri potest, quò illa mora plus commodi afferatur Ægris. In quem finem internè poterant, debebantque usurpari *Theriacarecens*,

gens, *Diascordium Fracastorii*, *ac meum* quoque in hoc Affectu valdè efficax, & quantitate parva multum præstans.

Alvus adstrictæ causa.

DCCLXXIII. Non tantùm multis gravis fuit 21. vi fluxus, sed 13. non paucis, & quidem incipiente malo, *Alvus adstricta, Pituitæ Glutinosæ Humorive Austero in corpore præexistenti* à nobis adscripta, quatenus ob *auctu & acriore factu Bile Flatus & Austeri & Glutinosi* producti *indurarunt Alvi Excrementa*.

Curatio.

DCCLXXIV. Tunc temporis ergo *Curatio* erat expectanda à *Medicamentis & Humorem Glutinosum*, *& Austerum*, *& Biliosum temperantibus*, atque *Flatus* qualescunque *discutientibus*; ubi cæteris præstabant *Salia Volatilia*, sed (paroxysmo febrili excitatis & ad Cor propter *Bilis Acrimoniam delatis*) *Spiritibus Acidis*, & maximè *Spirituosis*, *dulcibusque*, qualis *Spiritus Nitri dulcis*, *contemperata*.

Salia Volatilia Alvū reddere laxiorem.

DCCLXXV. Hinc est fortassis, quòd *Salia Volatilia diutiùs usurpata præstent alvum laxiorem*; *quatenus*, inquam, & *Humorem Glutinosum incidunt*, & *Austerum corrigunt*, *& Biliosum Acriorem faciunt*, & *Flatus Halitusque Glutinosos*, *Austerosque discutiunt*. Quapropter cæteris præstant, quæ simul sunt *Oleosa*, ideòque flatus potentiùs, efficaciùsque discutientia.

Ventris Distensio, Dolor multifarius, & perterebrans.

DCCLXXVI. Alvum adstrictam sicut comitantur sæpe, sic & 14 considerat sunt à me non tantùm *Ventris Distensio*, sed *Dolor* quoq; *multifarius*, ac omnium gravissimus *Perterebrans*, tum per totam *partem Abdominis anteriorem*, tum *in regione lumbari* frequentiorem concurrentibus non rarò *Borborygmis*, *ac Murmure*.

Curatio Distensioni Abdominis quanam requirat.

DCCLXXVII. *Distensio* autem *Abdominis*, & *Borborygmi* cùm *ortum* habeant à *Flatibus*, indicatur hic 1. *Flatuum præsentium Discussio*, aut *per Anum eductio*. 2. *Generationis novorum Impeditio*, adeoque *Causæ* tam *Efficientis*, quàm *Materialis Emendatio ac Correctio*; & quandoque ubi copia simul peccet, *Diminutio* per Evacuationem.

Flatus quomodo discutiantur.

DCCLXXVIII. *Flatus quæ discutiant*, non semel proposuimus in superioribus; *eosdem per alvum educant felicissime*, atque facillimè Clysteres ex plantis aromaticis in aqua vel urina pueri decoctis parati, additis *Electuariis purgantibus*, *& Oleis carminantibus* dictis, chamæmelino, anethino, nardino, rutaceo & similibus. Quibus oleis potest quoque inungi Abdomen.

Varietatis doloris causa & cura.

DCCLXXIX. *Pituitam Glutinosam quæ incidant ac emendent*, *Bilemque Acriorem quæ temperent*, quin *utramque educant*, docuimus in præcedentibus.

DCCLXXX. *Varietas Doloris* quoniam ortum habuit ab *Humore Pancreatico diversimodè constituto*, atque tum *Bili Acriori*, tum *Pituitæ Glutinosæ admisto*, pro singulorum diversitate *Curari* debuit diversimodè; aut utendo medicamentis *polychrestis*, aut ex variorum commistione præparando & conficiendo *polychresta*.

Salium volatilium vires.

DCCLXXXI. Ubi necesse habeo iterum laudare atque commendare *Salia Volatilia Spiritibus Acidis*, *sed Volatilioribus & per vim Spirituum temperatioribus* &c. junctа.

In doloribus conducere Opiata.

DCCLXXXII. Omnibus autem utiliter admiscentur semper *Opiata*, tum *quosvis Humores Acres temperantia*, tum *Glutinosos incidentia*, tum *Sensum ipsum obtundentia*, ideòque *in quovis Dolore mirè conducentia*.

Dolorum Perterebrantium causa & cura.

DCCLXXXIII. Sed *Dolorum Perterebrantium Curationem* quod attinet, quos *ab Humore Austero Acido Pituitæ Glutinosæ*, *Bilique Acri juncto diximus habere ortum*, opus est, *uti Medicamentis hos humores* *eres*, at imprimis *Austero Acidum corrigentibus*, *Sale Volatili cum Opiatis junctis*; Nam *Volatile Sal* non tantum *Austero-Acidum* emendat, temperatque, sed *Pituitam* quoque *Glutinosam* incidit & attenuat; quemadmodùm *Opiata idem præstant*, & insuper *Bilem Acrem leniunt*, *Partesque sensiles sopiant*, *sensumque stupefaciant*.

Opiatorum usus.

DCCLXXXIV. In horum autem Usu requiri Medici prudentiam, quis non videt, quò paulatim obtineatur, quod quærimus, atque tunc ab ulteriore Opiatorum præsertim usu mox desistendum, *ne Somnus nimis profundus*, *utroque Mors* sequatur. A quibus nullus est metus, si Medicamenta, sicut sæpiùs monui, quantitate parva, sæpiùsque usurpentur, & quidem tamdiu, donec notabiliter minuantur Dolores tam atroces, blandèque obrepat Somnus. Quo cessante, nec cessantibus Doloribus, usurpanda sunt iterum eadem Medicamenta: quæ vim suam citiùs, efficaciùsque exerunt, si forma liquida usurpentur, quò faciliùs penetrent quoquoversùm.

Suffocatio Hypocondriaca neutiquam fæminis propria.

DCCLXXXV. Inter Symptomata nostri Affectus notavimus 15. *Suffocationis & strangulationis Hypocondriacæ Sensum ac Metum*: ostendimusque Affectum hunc neutiquam *Fæminis* proprium, quamvis *frequentiùs ipsas*, *& rariùs mares* corripiat.

Unde orientur.

DCCLXXXVI. Diximus autem, molestiam hanc ortum habere *ab Halitibus multifariis*, *& imprimis Austeris ex Intestino cæco ad Ventriculi Orificium superius*, *hinc & OEsophagum assurgentibus*, atque in partibus his *Suffocationis vel strangulationis*, *& aliquando Languoris tantùm Sensum producentibus*.

Ab ea Ægros aliquando suffocari.

DCCLXXXVII. Quoties autem *Halituum* eorundem *pars per Lacteas Venas tendit ad Ductum Thoracicum*, *penetratque* in dextrum *Cordis Ventriculum ac Pulmones*, *atque in ipsis hærens ampliùs angit Respirationem*, *non mirum*, *si tunc aut defectu Medicamentorum convenientium*, *aut propter Halituum abundantiam nimiam aliquando suffocentur*, *extinguunturque Ægri*; quod semel alicui ex meis Ægris memini accidere, translatis ad Pulmones Halitibus Austeris copiosissimis, cum Suffocatione Hypochondriaca vehementi, tanquam maximè urgente tunc Symptomate, atque tanta violentia singulis Paroxysmis redeunte, ut nullis Medicamentis cederet, quin mortem afferret. Illud autem malum neglectum fuerat in principio, quare cùm simul advocarer, fractas reperi ægrotantis vires, Paroxysmos graves, atque Suffocationem molestissimam. Tantùm interest in tempore omnia curare.

Salia Volatilia & Spiritus Salis Armoniaci utilia in suffocatione.

DCCLXXXVIII. Utique nimis sæpè negligitur in hisce regionibus hoc malum, multis Medicis non satis notum, ideòque rariùs ritè curatum; Cui tamen curando utilissima sunt Salia Volatilia, & inter ipsa Spiritus Salis Armoniaci. Cujus si aliæ nullæ forent vires, hujus saltem Affectus gravissimi causa omnibus Medicis deberet is esse valdè commendatus.

DCCLXXXIX. Extra hunc casum non memini à Suffocatione Hypochondriaca extinctum ullum ex meis ægris; quibus soleo in tempore præscribere, atque inculcare *Salia Volatilia*, quibus uti possunt omnes facilè, etiam in potu ordinario; cùm *Castoreum*, quo aliàs utuntur omnes feliciter, valde sit ingratum, & à multis fastidiatur.

Ejus cura quibus absolvatur.

DCCXC. *Cura* siquidem multifaria hujus Affectus absolvitur 1. *Halituum qualiumcunque Discussione ac suppressione*. 2. *Humorum*, ex quibus exsurgunt, *Correctione*, & ubi *copia* quoque *excedunt*, *Diminutione*.

Halitus quanam discutiant.

DCCXCI. *Halitus quosvis discutiunt Salia Volatilia* omnia, & imprimis *Oleosa*, ut & *Aromatica*. Inter quæ ipsum quoque referendum *Castoreum*, cùm sit Animalis pars, vel Excrementum, quod perinde; postquam Animalium partes omnes ac singulæ Sale abundant Volatili.

DCCXCII. Humores autem singuli, prout qualitatibus peccare possunt diversis, Corrigendi sunt diversimodè. Medicamentis non semel in superioribus laudatis; Minuique suis Purgantibus.

In Strangulationis sensu quænam conducant.

DCCXCIII. Quoties verò *Strangulationis sensus manifestus Ægros* urget, præter hunc Salis Armoniaci Spiritum, convenit quoque *Castoreum*, ejusque *Tinctura*, ut & *Oleum macis & Succini stillatitium* ad guttas, unam, duas, tresve similiter usurpatum.

Halitibus Glutinosis, & Acribus quænam conducant.

DCCXCIV. Quoties *Halitus* illi sunt magis *Glutinosi*, aut etiam *Acres*, toties præter *Salia Volatilia* usurpatur *Spiritus Nitri dulcis*, *Oleum cort. Arantiorum*, *Rorismarini*, *&c.*

DCCXCV. Quoties *magis Aquei* existunt iidem *Halitus*, adestque *Animi Languor* magis quàm strangulatio.

gulationis sensus, toties *Salibus Volatilibus adduatur* utiliter *Tincturæ Aromaticæ*, *Cinnamomi*, *Croci*, *Nucis Moschatæ*, *Maceris*, *&c.* cum Vini rectificato Spiritu paratæ, non neglectis *Hydragogis* subinde ad Humores Aquosos minuendos assumptis.

Respirationis difficilis causa.

DCCXCVI. Decimum sextum inter Symptomata locum dedimus *Respirationi difficili*, multisque valdè gravi.

Halitus flatusque multifarii.

DCCXCVII. Sed addidimus quoque Difficilis tunc in multis Respirationis *Causam non* postremam minimamve, quin potiùs unam ex primariis fuisse aliquoties jam *culpatos Halitus*, *Flatusque multifarios* ex notatis sæpiùs Humoribus in tenui Intestino productos, ac per Lacteas Venas, Ductumque Thoracicum ad dextrum Cordis Ventriculum, mox & Pulmones delatos, ibidem moram nectentes, ipsosque adeò *Pulmones* tum *distendentes*, tum *distentos tenentes*; sicque ipsorum complicationem, atque ideò Exspirationem quoque, ac proinde Inspirationem similiter impedientes.

Quovis tempore producti, sed maximè incipientibus Febrium intermittentium paroxysmis.

DCCXCVIII. Hos quidem Halitus, Flatusque *quovis tempore produci* posse docuimus, *sed copiosiùs ac nocentiùs incipientibus Febrium Intermittentium Paroxysmis*, ut & *iisdem ad augmentum tendentibus*, quin etiam *vigentibus*: quamvis pro temporibus illis variis varii soleant attolli Halitus, Flatusve: prout scilicet nunc hic, nunc ille dominium tenet Humor: quod est notissimum iis, qui ad querelas Ægrorum attendunt, observantque ipsarum circumstantias plurimùm sæpè inter se discrepantes.

Halituum diversitas in frigore & calore.

DCCXCIX. Incipiente namque Paroxysmo & urgente *frigore* qui attolluntur Halitus, magis solent esse *Austeri*, *Acidi & Glutinosi*: quemadmodum qui *Calore incipiente* aut urgente quaquaversùm propelluntur, *subtiles* magis sunt, *æstuantesque*, atque ad Inclinationem usque ac Sudoris eruptionem valdè angentes.

Et eorundē curatio.

DCCC. Unde *diversis* quoque *discutiendi* sunt *singuli Medicamentis*; quemadmodum enim conducunt incipiente ac *durante Frigore Salia Volatilia & Olea Aromatica*, *&* in specie *Garyophyllorum*, sic *urgente æstu* præferendus *Nitri Spiritus tam purus*, *quàm dulcis potui* admistus, à quo simul promovetur exoptatus Febrientibus *Sudor*, Paroxysmum solvens, dummodò non sit *nimius*, *viresque exsolvens ac deterens*.

Ab Halitibus Austeris Ægros strangulari.

DCCCI. Ab Hisce Halitibus noxiis & copiosis retuli modò semel mihi extinctum in Paroxysmi principio Ægrotantem, & quidem *Strangulationis* Hypochondriacæ specie, cùm essent illi *Austeri*, atque ideò nocentiores.

Hoc malum qui præveniatur.

DCCCII. Ubi verò talium *Halituum metus* est, propter similes jam in præcedentibus Paroxysmis observatos, bonum est, *longo ante Paroxysmi adventum tempore* assumi quantitate parva *Medicamenta illis corrigendis*, *discutiendisque*, atque adeò *præveniendis* accommodatissima: quorum ope observavi semper habuisse Ægros meliùs, atque paulatim superasse Anxietates inexplicabiles, multisque Medicis incredibiles.

Incubus cū somnolentia

DCCCIII. Difficili Respirationi subjunximus 17. *Incubum*, peculiarem ipsius speciem, cum *Somnolentia*, *durante saltem Somno Ægros invadentem*, atque non paucos ex Ægris nostris *una cum febrili Paroxysmo corripientem*, quod & mihi evenit tunc aliquoties.

Ejus causa.

DCCCIV. Hujus *Incubi* cum febrili præsertim Paroxysmo recurrentis *Causam* censui *Halitus Melancholicos*, id est *Austeros* unà cum notato Paroxysmo febrili *ex tenui Intestino assurgentes*, atque tum *ad Cor*, tum *ad Cerebrum* propulsos, atque ibi quidem *Febrem*, hic verò & *Somnolentiam & Insomnia* multifaria & sollicita producentes.

Somni cocti causa.

DCCCV. Et quoniam præter Somnolentiam coactus quoque observatus est Somnus, qui nonnisi cum difficultate poterat impediri, arbitratus sum, aliquid Narcotici fuisse huic junctum Incubo, adeòque *non tantùm Austerum* peccasse tunc, verùm *Bilem quoque*, à qua *vim Narcoticam* in corpore nostro expectandam pluribus ostendi aliàs, *Opium* præsertim *Amarum & pingue cum Bile* simili conferens.

DCCCVI. A *Bile* ergo tunc simul peccante deduxi *violentam* illam Ægrosque *cogentem in Somnum propensionem*; *ab Austero* verò Humore *inexplicabilem & inextricabilem sollicitorum Insomniorum Anxietatem* & rationem.

Incubi Curatio unde petenda.

DCCCVII. Unde nunc *Incubi* illius *Curationem* arbitror fuisse petendam. 1. *à correctione Bilis Narcoticam vim obtinentis*. 2. *ab emendatione Humoris Austeri*, *tam noxios Halitus* producentis. 3. *à discussione Halituum Austero-Biliosorum*, Paroxismi tempore assurgentium. 4. ab *Interruptione Somni noxii*.

Bilis vim Narcoticā quænam corrigant.

DCCCVIII. *Bilis Narcoticam vim* corrigunt præ aliis feliciter *Acida*, sed *Spirituosa*, *Spiritus Nitri* tam purus, quàm dulcis factus, *Acetum* & similia; quin solus Aceti Acris ac potentis, adeòque valdè Volatilis & Spirituosi Odor juvat Homines Narcosi captos: huc faciunt quoque Salia Volatilia, sed Acriora, & hactenus pinguedinem Bilis corrigentia.

Quænam humores austeros.

DCCCIX. *Austeros Humores* à nulla re nota feliciùs emendari, quàm à *Volatilibus Salibus*, docuimus sæpiùs.

Quænam utrosque discutiant.

DCCCX. *Halitus Austero-Biliosos discutiunt* felicissimè eadem Salia Volatilia cum Nitri Spiritu dulci juncta.

Somnus qui interrūpendus & impediendus.

DCCCXI. *Interrumpetur*, *impedieturque Somnus importunus*, *Incubum producturus*, partim *adstantium alloquio*, & cum ipsis *habita confabulatione*, partim *Ægri ad Somnum inclinantis agitatione qualicunque*, objectisque quibusvis sensus valdè afficientibus.

DCCCXII. Sic potuit, sic debuit Curari Incubus Ægris admodùm gravis & molestus.

Somnus profundus cum Insomniis.

DCCCXIII. Non tantùm cum Incubo, sed absque ipso gravis fuit 18. Ægris multis *Somnus profundus*, *& Insomniis multifariis molestus*.

Somnolentia à Pituita multa: Somnus profundus à Bile corrupta.

DCCCXIV. Aliàs deduximus *Somnolentiam*, hoc est, *in Somnum proclivitatem cum capitis gravitate*, à *Pituita multa* in corpore latente, atque ad caput vel *vaporum forma*, vel *consistente magis substantia delata*, ibidemve *collecta*; sicut *Somnum profundiorem*, *ac cum delirio aliquo conjunctum à Bile corrupta & Narcoticum vim adepta*, similiterque quavis forma *in Cerebrum delata*, ibidemque *Functiones Sensuum externorum sopiente*, *Internorum verò turbante ac confundente*, *unde Insomnia & deliria*.

In Somno profundo absque delirio minuenda pituita.

DCCCXV. In quibus proinde *Somnus* est observatus *profundus cum Capitis gravitate*, *absque Delirio*, in illis *corrigenda*, *minuendaque fuit Pituita*, vera hujus Somnolentiæ, Somnique profundi blandioris causa; sicut id abundè docuimus passim.

Cum Calore Acri & Delirio Bilis emendanda & minuenda.

DCCCXVI. *Somnus* autem *profundus Calori Acri copulatus & Delirio comitatus*, *Insomniisque ferocioribus*, *Curari* debuit per *Medicamenta Bilem Acriorem*, *pinguioremque*, *visque Narcotica præditam emendantia*, *& blande minuentia*.

Et quibus.

DCCCXVII. In hunc finem laudandus iterum *Spiritus Nitri dulcis*, *Aqua Prophylactica* nostra, & Amstelodamensium *Alexipharmaca*; quam Prophylacticæ postpono, quia postponenda, quippe omnibus modis cedens priori. Quin laudo hìc quoque *Acidulas*, ipsi etiam Incubo utiles; Et subinde *Salia Volatilia Acriora*, sed *Acidis Spirituosis juncta*.

Vigiliæ & Capitis Dolor intolerabilis.

DCCCXVIII. Si plures ursit Somnus profundus & gravis, alios 19. torserunt molestæ *Vigiliæ*, atque aliquando etiam *Capitis Dolor intolerabilis*.

Vigiliæ à Bile Acriore

DCCCXIX. Quemadmodum autem Somnum profundum & Narcosin deduximus à Bile satis pingui, & hactenus quoque peccante; ita *Vigilias* contra deduximus ab *eadem Bile*, *sed Acriore*, *nec à pinguedine propria*, *nec à Pituitæ Glutinositate aliena sufficienter obtusa*, *temperatave*; quin potiùs tam *in tenui Intestino*, quàm *in Corde Halitus Acres* in sui cum *Acido Pancreatico*, *Lymphaticoque* itidem Acribus, *Effervescentia* producente; à quibus *ad Caput assurgentibus* & *Capitis Dolor*, *& Vigiliæ* habuerunt necessariò suum ortum.

Ut & Capitis Dolor. Eorum curatio.

DCCCXX. *Capitis* proinde *Dolor*, ut & *Vigiliæ curari* debuerunt. 1. Medicamentis *Bilem Acriorem obtundentibus ac temperantibus*. 2. Medicamentis *Halitus illos Acres plus minùs correctos per Sudores expel-*

lenti-

lentibus. 3. Medicamentis *Animales Spiritus blandè sopientibus, atque ad exactè sentiendum ineptos reddentibus*.

Bilem quanam obtundant.

DCCCXXI. *Bilem obtunduat* præ aliis felicissimè *Anodyna* dicta, & imprimis *Emulsionis forma* usurpata, *Hordeum* putà, *Semina Papaveris albi*, *Violarum*, *Amygdalæ dulces*, & si quæ plura occurrunt hisce similia.

Quanam temperent.

DCCCXXII. *Bilem temperaat tum Aquæ tam Acida, sed blandiora*, vel arte talia facta, *Spiritus Acidi omnes eum Vini Spiritu dulces facti*,

Halitus quanam corrigant.

DCCCXXIII. *Halitus Acidis* præsertim *Spiritibus blandioribus & corriguntur, & ad Sudoris vias deducuatur*; imprimis quoties *jusculi tenuioris ac calentis haustus* simul assumitur.

Animales Spiritus quanam sopiant.

DCCCXXIV. *Aaimales Spiritus* nimiùm propter Dolores *agitatos blandè sopiuat* modò laudata *Anodyna*, sed efficacius *Opiata* prudenter, hoc est, parva quantitate, vicibusque partitis sępiùs assumpta, quin *& forinsecas* quoque *temporum regioai applicat*: unde similiter *Dolor lenitur, & Sopor affertur*.

Lassitudo spontanea.

DCCCXXV. Post Vigilias & Dolores consideravimus 20. *Lassitudinem ac Defatigationem Corporis Spontaneam*, frequens satis Febriū Iotermittentium Symptoma, & Dolores, Vigiliasque subsequens.

Quorum sit Symptoma. Et quare,

DCCCXXVI. Illis namque consumuntur Spiritus Animales, partim propter Sensus externos internosque tunc valdè occupatos, partim propter Corporis agitationem multam Dolorum causa institutam.

Ejus causa,

DCCCXXVII. Quovis autem modo *deperditos Spiritus Animales copiosos sequitur Corporis debilitas & Lassitudiais, Defatigationisque Sensus*.

DCCCXXVIII. Cui accedit *Humorum, & Halituum variorum tam Glutinosorum, quàm acrium translatio quaquaversùm*, ergò *ad partes quoque externas & membraneas, sensilesque*: in quibus *& gravitatis & rodeasis, mordentisve Doloris* sensus tunc producitur: & imprimis *redeunte* quovis *Paroxysmo Febrili*.

Curatio,

DCCCXXIX. Unde facilè patet, *Lassitudinem* hanc, *Defatigationemque Curandam* fuisse partim *Animalium Spirituum reparatione per Alimenta Spirituosa* debitè assumpta; partim *Halituum & Humorū Glutinosoram & Acrium Correctione per Medicamenta sæpiùs laudata*; partim *Humorum eorundem Diminutione ac Eductione* subiode iterata per alvum; *Halituum autem Discussioae per corporis poros, & Sudorifera*.

Urina varia.

DCCCXXX. *Urinam* quod attioet, eam examinavimus, & docuimus fuisse in variis Ægris, sed & iisdem diverso tempore *variam*, plerumque satis ob *Bilem abundaatiorem rubentem*, *mox turbatam, & multam Sedimentum, idque varium deponcatem, non tamea Ægros levantem, ideòque vera coctione*, hoc est, *Humoram peceaatium Secretione atque Excretione destitutam*.

Quid indicaverit.

DCCCXXXI. *Indicabat* igitur, utendum *Medicamentis* tum *Bilem primariò peccantem corrigentibus ac minuentibus*; tum *Humores reliquos quovis modo peccaates itidem alteraatibus emendantibusque*, ac subinde pro re nata *Miauentibus ac Edaceatibus*, sicut sępiùs idjā inculcavimus pluribus in locis.

Quibus curanda.

DCCCXXXII. Imprimis autem utendum fuit *Medicamentis Digerentibas aas Concoctioni Humorum dicatis*, hoc est, *Diureticis & Sudoriferis blandioribus, sed Humorum quorumvis peccantium vitio qualicuaque simul emendando aptis*.

Diureticorum vis.

DCCCXXXIII. *Diuretica* siquidem vim habent egregiam *Humores vitiosos Sanguinis Massæ penitiùs immistos ab eadem secernendi, atque ad excretionem qualemcunque præparandi*.

Quoanm inter eafeligenda.

DCCCXXXIV. Quocirca seligenda fuot *semper* inter *Diuretica*, quæ insuper vim habent *Corrigendi humorem peccantem*.

Spiritus Salis & Nitri dulcis vis.

DCCCXXXV. Ut ounc vulgò nota prætercam, laudo hic maximoperè *spiritum salis & Nitri dulcem, Bili Acriori & incendium augenti ut & Pituitæ Glutiaosæ corrigeadis convenientissimum, simulque Diureticum*.

Salium Volatilium vires.

DCCCXXXVI. Commendo *Salia Volatilia & Diuretica*, tum *Pituitæ eidem Glutinosæ*, tum *Humori austero, acidove corrigeadis aptissima*.

Ex iis, Misturas male culpari.

DCCCXXXVII Possunt igitur hæc nunc *sola*, nunc pro renata *simul mista*, io convenente liquore aut mistura Ægris exhiberi, atque illis mediaotibus *Humorum peaitùs sanguiai immistorum secretio artificialis perfici*.

DCCCXXXVIII. Ex quibus meridiana luce clariùs patet, quàm iniqui, quàm rerum bonarum & in Medicina ritè facieuda utilium ignari sint nostri Censores Thrasooici, nunc Salia Volatilia, nunc Spiritus Acidos, nuoc Misturas nostras ex his præsertim concinnatas ridentes, culpantes, aut traducentes.

DCCCXXXIX. Nimis longus forem, quin Lectori simul forsao tædiosus, si omnia, quæ tum ex vulgatiori, tum ex sublimiori pharmaciæ hic possent commodè proponi ad secretionem Humorum taoi necessariam in Sanguioe promovendam, hic afferrem.

Virium prostratio.

DCCCXL. Inter Affectus nostri Symptomata retulimus 22. *Viriam omnium Dejectionem ac prostrationem stupendam, segniùs superaadam*.

Tam naturalium quā vitalium. Ejus Curatio.

DCCCXLI. Id verum ostendimus & ratione *Virium Vitalium, sive Nataralium*, & ratione *Viriam Animaliam*.

DCCCXLII. Quoniam autem plurima concurrunt ad Vires tum Vitales, tum Animales constituendas, & multifariæ sunt easdem prosternentes causæ, singulis curationem suam immediatè adjungemus, quò simus breviores.

DCCCXLIII. Primò singulorum *Hamoram* vitia diversa, sicut eorundem *Causas & Caram*, dedimus jam suprà, ut noo videatur operæ pretium eadem hic repetete.

Spiritus Animales quibus restaurentur,

DCCCXLIV. *Spiritus Aaimales* Doloribus, Vigilijs, & quibusvis aliis modis deficientes qui restaurari ac reparati debeaot, docuimus itidem, idque per Alimenta Spirituosa, Vinum generosum, Vinique spiritum distillatum tam simplicem, quàm Aromaticum, & aliquando Acidis spiritibus junctum: ubi prudentia opus est, ne inde noxa ægris accidat, imprimis ob Bilem tunc maximè æstuaotem ac fureotem io plerisque. Debuetunt igitur dilui hæc potentiora liquoribus aliis aliàs utilibus.

Lingua affecta quomodo curanda.

DCCCXLV. Externorum Sensuum Organa quoties aliquo vitio visa sunt laborare, toties aptis hoc medicamentis fuit curandum; & imprimis Lingua nunc aridior, nunc muco, nunc Aphthis obducta, colluendo nimirum Os, blandis præsertim medicamentis, jam supra memoraris.

DCCCXLVI. Nervi quemadmodum rariùs malè fuerunt affecti, ita vix peculiarem desiderarunt sui nomine curam.

Quomodo Cerebrum.

DCCCXLVII. Cerebrum autem ac Cerebellum non rarò Doloribus variis, & aliquando Gravedine quoque affectum, Anodynis, & Opiatis, sed Humores noxios simul alterantibus curandum fuit.

DCCCXLVIII. Quæ verò Gravedini debentur Remedia, suot illa suo recensita loco.

Quomodo Spiritus animales nimiùm agitati aut torpidi.

DCCCXLIX. De Spiritibus Animalibus deficieotibus restaurandis jam egimus: Quoniam autem iidem in quibusdam agitati sunt nimiùm, aut torpidi facti; ad quietem, tranquillitatemque Anodynis & Opiatis deducendi fuerunt; sicut contrà torpidi, & minùs mobiles ad Motum iterum urgendi Salibus Volatilibus Acrioribus & quandoque Spiritibus Acidis, sed spirituosis.

Humores Halitusque noxii ad musculos delati qui curandi.

DCCCCL. Quoties ad Musculos delati sunt Hūmores Halitusque noxii, ac subsistentes ibidem Doloris sensum quemvis produxerunt, toties imprimis per Sudorifera inde fuere amovendi, expellendique, quin Anodynis, vel Narcoticis additis Dolores leniendi, tollendive.

Anima & mens Ægrorum quomodo curanda.

DCCCCLI. Ossibus & Partibus aliis per musculos ipsis implantatos movendis cùm ratiùs aliquod observatum sit accidisse vitium, quod saltem nunc occurrat, nec de illius Curatione habeo quod addam.

DCCCCLII. Animam ipsam, Mentemque nostrorum Ægrorum tam sæpenumero ægram, & nunc Corpori patienti compatientem, ounc affectu proprio,

prio, Tristitia, Metuve quassatam Curare potuit nemo, nisi Corporea mala superando, & Animum vacillantem contra adversa patienter ac fortiter ferenda firmando, idque rationibus undecunque haustis, ac ipsi adaptatis.

Recidiva frequentes unde. DCCCLIII. Inter Affectus hujus Symptomata retulimus 23. *Recidivas frequentes*, ad minimum in Diæta vitium patratum contingentes; quarum *Causam* diximus fuisse *Omnium pene Humorum vitium, in plerisque tantùm, ut non nisi paulatim ac segniùs potuerit adstatum laudabilem atque naturalem reduci: ac præsertim permanente Causa externa idem vitium continuò renovante.*

Quomodo præveniendo. DCCCLIV. Unde facilè patet, *præveniendas* tales *Recidivas* opus fuisse, postquam Affectus primarii, Febris qualiscunque cum cæteris suis adjunctis malis Curatio feliciter fuit perfecta, ut neutiquam mox à medicamentis assumendis abstinerent Curati, verùm in eorum, sed *alterantium, Humorésque contra imminentes corruptiones munientium usu perseverarent.*

DCCCLV. Quamvis enim Fastidium omnium & Medicamentorum & Alimentorum tenuerit plerosque sanatos, debuerunt tamen singuli; ne in novum malum inciderent, quantum possibile, usurpare medicamenta gratiora, Humoresque ad statum naturalem, quinimò Aeri noxio ex parte oppositum deducentia, sed imprimis omnia Diçtæ vitia Recidivis faventia vitare. Sic enim possunt multa præveniri mala, quæ aliàs videntur inevitabilia.

Abortus frequentes. DCCCLVI. Porrò notavimus 24. *Abortum plerisque Gravidis supervenientem*, adeòque frequentem, ut *paucæ vivos, paucissimæ vivaces ac vitales ediderint Fœtus.*

Eorum causa. DCCCLVII. Hujus autem mali Causam adscripsimus *Bili multùm Acri ac Volatili*, non tantùm *Matris Fœtusque Sanguinem nimis fluidum facienti*, verùm insuper *Fœtus per Placentam cum Utero connexionem laxiorem præstanti*, atque *Fœtus ipsos Languidos propter Sanguinem à Bile vitiatum reddenti*, quin imò *Matres* quoque, dum gestarent Uterum, nimiùm *debilitanti.*

Eorum præcautio & Fœtus ac Matris corroboratio unde. DCCCLVIII. Quapropter meritò & *Abortus præcautio, & Fœtus æque ac Matris corroboratio exspectanda fuit à Bilis valde vitiatæ Correctione per medicamenta & grata, & blandiora Bilem tum figentia, tum temperantia.*

Et quibus instituenda. DCCCLIX. In quem finem laudo iterum sæpiùs laudatum *Spiritum Nitri Dulcem*, & quævis alia *subaustera vel* à Natura, vel ab Arte nobis parata, & grata, quò possent assumi à Fęminis & quidem Gravidis, Huc referenda Omphacium, Cydonia mala, & quævis inde parari solita, Mala Granata, &c.

Dolorum vagorum causa & cura. DCCCLX. Quoad *Dolores Vagos*, quos 25. examinavimus, cùm habuerint ortum *ab Humoribus & Halitibus Acribus*, & quandoque *Flatibus* quoque quaquaversùm motis, & modò has modò illas partes mordicantibus aut distendentibus, meritò illorum *Curatio* exspectari debuit à *Medicamentis Humores, Halitusque Acres temperantibus*, hinc & *per Alvum, Urinas, & Sudores expellentibus, flatusque discutientibus*, sæpiùs jam laudatis & propositis.

Motuum convulsivorum & spasmorum Flatulentorum causa & cura. DCCCLXI. 26. Culpavimus *Motus Convulsivos*, atque *Spasmos Flatulentos* itidem *vagos*, usque ad vernum, æstivumque tempus in multis perdurantes ac molestos; cùm simul ortum dixerimus duxisse ab *Acribus Halitibus Nervorum ad Musculos tendentium Principia rodentibus*, & à *Flatibus inter consuptas Musculorum carnes nimis vacuas hærentibus*, & ad corporis motum, vel contorsionem levem *agitatis*; atque mox has, modò illas Corporis partes afficientibus facilè patet, Ipsorum *Curationem* sperandam fuisse à *Medicamentis Halituum Acrimoniam temperantibus, mox & ipsos æque ac Flatus discutientibus, atque unà cum sudore foras expellentibus, sæpiùs memoratis.*

Maculæ scorbuticæ unde. DCCCLXII. Inter Symptomata tum rariora, tum declinante jam Epidemii Affectus vehementia in quibusdā observata consideravimus 27. *Maculas Scorbuticas* in prædispositis præsertim subinde erumpentes: quod adscripsimus *morbo* hisce regionibus *Endemio*, & quibusvis *Affectibus* se facilè jungenti *Scorbuto*; ex *Humorum* omnium *corruptione* tunc facilè aucto, atque in partibus externis maximè se manifestante.

Scorbuti curatio optima per Salia Volatilia. DCCCLXIII. Quòd si affectus in Medicina ullus reperiatur, qui *Salium Volatilium efficaciam ac necessitatem clamet*, atque omnes ipsa temerè ac imperitè *ridentes confundat*, & ridiculos testetur, *Scorbutus* est, nullus remediis æquè cedens; atque *Salibus Volatilibus*, adeòque *Plantis Sale Volatili manifesto abundantibus, Cochleariæ, Erysimo, Nasturtio utrivis, Raphano utrique, Sinapi & similibus*: ad quorum exēplum exhibui jam multis annis cum felici successu in curando Scorbuto Salia Volatilia; ex quibusvis Animalium partibus facilè parabilia ideòque à perito Artifice multifariè paranda.

Ut & per Acida spirituosa. DCCCLXIV. Præter quæ *Salia Volatilia* observantur quoque in Scorbuto curando *Acida, sed spirituosa, prodesse*, tum à Natura nobis subministrata, tum Arte Chymica ingeniosè parata; Succus Citri, Arantiorum, Granatorum; Acetosa, Acetosella, Trifolium Aquaticum, Spiritus Salis & Nitri Dulcis, &c.

DCCCLXV. Atque in hisce *Maculis scorbuticis* in specie *curandis* utilia fuere *duo hæc, Salia Volatilia & Spiritus Acidi* pro re nata diversimode confusa, & *Sudorem simul moventia*, sæpiùs jam memorata & laudata.

Hæmorrhagia & Hæmorrhoides. DCCCLXVI. Evenerunt quibusdam 28. tum *Hæmorrhagiæ*, tum *Hæmorrhoides*, & quidem cum noxa fuere proinde ipsæ *Symptomaticæ.*

Unde. DCCCLXVII. Has à *Bile Acriore Sanguinem fluidiorem atque ad exitum procliviorem reddente* tanquam potissima deduximus Causa.

Quomodo curandæ. DCCCLXVIII. Quocirca illarum *Curatio* fuit exspectanda tum à *Medicamentis Bilem temperantibus*, tum à *Medicamentis Sanguinem blande incrassantibus, & Subausteris*. Quæ quoniam sæpiùs fuere jam memorata, pergemus ultesiùs.

Febre Lente. DCCCLXIX. Postquam cessavit Aeris Æstus, ipsumque est secutum Frigus Aeris atrox, corripuere nonullos adhuc infirmos & languentes 29. *Febres Lentæ*, nunc quotidie, nunc alternis per novos Paroxysmos recurrentes diebus.

Unde. DCCCLXX. Has *nec Frigore magno, nec Calore insigni molestas, vires tamen paulatim atterrentes adscripsimus Bili à superveniente Aeris frigore retusæ, ut & Lymphæ, Succoque Pancreatico Acidioribus factis, sed à Pituita Glutinosiori reddita ex parte illorum Acrimoniam obtundente fractis*; quapropter Frigus extitit Paroxysmo quovis levius, calor levior.

Quomodo curanda. DCCCLXXI. Harum proinde *Curatio* speranda fuit à *Medicamentis Humores omnes ad laudabilem, optatamque mediocritatem redigentibus*, adeoque *Tēperatioribus* dictis ac nil excedentis habentibus; qualia sunt *Salia Volatilia, sed Aromatica, & quandoque Spiritibus Acidis, sed Vini spiritu mitigatis*, ampliùs *temperata*. Quò refero ex vulgò notis, quęcumque cum hisce communicant.

Febris Quartana multiplex. DCCCLXXII. Addidimus 30. Multos superiore tum hyeme, tum vere, tum ęstate, tum autumno incidisse in *Febrem quartanam*, & simplicem, & duplicem, & triplicem; & variè mutabilem, multos adhuc vexantem.

Ejus causa. DCCCLXXIII. Hujus causam diximus esse *Pituitam* propter Frigus toto ferè illo tempore, ut plurimum saltem, urgens *Glutinosam factam & Copiosam*, faciliùs ac frequentiùs in *Pancreaticis* Ductibus Lateralibus *Obstructiones* sed magis contumaces, atque solutu difficiles parientem.

DCCCCXXIV. Cęterorum autem *Symptomatum* rationem à *cæteris Humoribus diversimode simul peccantibus* petendam addidimus.

Quartanæ curatio à cæterorum intermittentium curatione quomodo differat. DCCCCXXV. Quocirca in eo *Quartanarum Curationem* à cæterarum intermittentium Curatione differre statuimus, quòd in Quartanis requirantur *Medicamenta Pituitam Glutinosam efficaciùs incidentia*, hinc & *subinde Minuentia*, sed diligenter usurpata, donec paulatim *superata Pituitæ Glutinositate* solvi possint notatæ Obstructiones.

DCCCCXXVI.

DCCCLXXVI. Præter quæ pro *ceterorum Humorum* simul plùs minùs peccantium *diversitate* alia sunt præscribenda *Medicamenta illis Corrigendis*, & quandoque simul *Minuendis convenientia*: sæpiùsque in superioribus proposita.

Felix Quartana curatio.

DCCCLXXVII. Quali methodo qui utuntur Medici, quali methodo qui auscultant Ægri, atque Diętę rationem habent exactam; felicem intra septimanas paucas experiuntur Quartanæ Curationem: sicut contrarium evenit, quoties aut ex prejudicio inveterato, aut ex contradicendi libidine maligna contemnunt, quæ aut ignorant, aut imitari nolunt Medici altum sapientes; aut nagligunt Ægri morosi, nec satis obedientes.

Gravedo frequens.

DCCCLXXVIII. Fuere 31. Hyeme superiore *Gravedines* frequentes, à quibus immunes non fuere nostri Ægri ad hoc usque tempus, idque propter *magnam Aeris mutationem*, urgensque utplurimùm *frigus* Capiti calenti, & pręsertim sudanti superveniens.

Quomodo curanda.

DCCCLXXIX. *Curandæ* fuere illæ *Gravedines propellendos iterum foras poros & Sudorifera Frigus* per eusdem admissum: hinc impediendo, ne novum eò penetraret, *cavendo ab Aere frigido*, imprimis quandu *calebat*, & magis adhuc quandu *sudabat Caput*.

Tusses unde.

DCCCLXXX. Successere 32. sepenumerò Gravedini *Tusses*, sed *Tusses Flatus Discutientibus*, quàm *Humores Salsos Muriaticos temperantibus, faciliùs, feliciùsque cedentes*: unde illas non tantum ab *Humore Salso Muriatico à Capite in Fauces, Asperamque Arteriam delabente*, verum ac *imprimis à Flatibus copiosis cum levi Paroxysmo febrili e tenui Intestino per Lacteas Venas Ductumque Thoracicum in Venam Cavam superiorem, hinc & Cordis Ventriculum dextrum, mox & Pulmones translatis, eosdem ad Tussiendum irritantibus* ortum habuisse, atque ad Lecti ingressum graviùs Ægros affecisse docuimus.

Quomodo curanda.

DCCCLXXXI. Quamprimùm verò id in me primùm, mox in aliis quoque observavi, facilis fuit huic Tussi *medela* per assumpta *Aromatica flatus discutientia* Corticum Arantiorum, Citri, Sem. Anisi, Fęniculi, & similia, ad aliquot guttas ex conveniente liquore, Vino qualicunque, Hispanico præsertim, Canariensi, Mixtura Aromatici & similibus sumpta.

DCCCLXXXII. Non negligenda erant interim *Medicamenta Humorem Salsum Muriaticum corrigentia Pilulæ de Cynoglossa, de Styrace*, & similia, licet ab hisce solis non juvatentur Ægri.

DCCCLXXXIII. Cætera *Humores Pituitosos viscosos, Bilemque Acriorem, Flatuum causas Materialem ac Efficientem Corrigentia*, Emendantiaque non debebant negligi; quæ non semel protulimus in superioribus.

Raucedo, & Humorum variorum excretio.

DCCCLXXXIV. Notavimus 33. *Raucedinem* satis molestam, imprimis quando Tussi jungebatur, habebatque comitem *Humorum variorum, Serosorum Acrium, Pituitosorumve crassiorum Excretionem*, sive illa solùm fieret è *Pulmonibus*, sive aliquando è *Ventriculo* quoque in consensum tracto: accedente nonnunquam modò memorata *Flatuum Eructatione*; unde semper pejus habebant tunc Ægri.

Raucedo ab humores salso-muriatico acri quomodo curanda.

DCCCLXXXV. Quoniam vero Raucedo illa ortum habeat ab *Humore Salso-Muriatica Acri à Cerebro ad* fauces delabente, *Curanda* erat ipsa *Medicamentis modò laudatis notatum Humorem corrigentibus*, & quandoque ipsum *Minuentibus ac Educentibus*, Pilulis de Cynoglossa, Styrace & similibus; Hydragogis tam simplicibus, quàm compositis.

Raucedinis gravissima curatio per Spiritum Salis armoniaci.

DCCCLXXXVI. Non possum hac occasione silentio præterire *Raucedinis gravissimæ, & cum omni vocis sublatione ad plures sæpe Menses durantis Curationem solo Spiritu Salis Armoniaci sæpiùs à me feliciter factam, embibendo nempe indies in potu ordinario aliquot ejus guttas*.

Ea unde orta.

DCCCLXXXVII. Ex hac autem Raucedinis illius peculiaris Curatione singulari judicavi habuisse illam *ortum à Spiritu Salino Muriatico* non tā *rodente* partes voci dicatas, quàm *ipsas non satis explicabili modo male afficiente*, atque crassis Medicamentis neutiquam, huic autem *Spirituosa facile cedente*. Scilicet cùm in tali Vocis extinctione frustrà ferè adhiberentur Medicamenta vulgaria humoribus Salso-Muriaticis, vel Acidis corrigendis, educendisque convenientia, meritò existimavi, non ab ipsis Humoribus crassioribus, & corporeis, verùm Spiritus & Halitus forma existentibus productum illud malum, ideòque curandum fuisse Medicamentis similiter Spirituosis, sed sub contrariis adeòque Salibus non fixis, sed Volatilibus, quibus data potestas tum Humores ipsos Acidos, Salso-Muriaticos, & Glutinosos, tum ipsorum Spiritus & Halitus corrigendi ac emendandi, ideoque Spiritu Salis Armoniaci: quod & successus bonus, & Curatio confirmavit, quamvis lentè procedens.

DCCCLXXXVIII. Quomodo cæteris huic Raucędini copulatis Excretionibus adhibenda fuerit Cura, dictum jam est abundè.

Ardores, Inflammationes, & Tumores in Faucibus & Tonsillis.

DCCCLXXXIX. Excitati fuerunt 34. in nonnullis *Ardores atque Inflammationes*, quin & *Pituitosi Tumores in Faucibus & Tonsilis*.

Ardorum causa & cura.

DCCCXC. Quoniam verò *Ardores* in partibus illis non multùm ab *Erysipelate* differentes *ortum* habuere *ab Humoribus Salsis Muriaticis*, sed aliquandò *magis Biliosis Curari* debuerunt *Medicamentis Humorem Salso-Muriaticum & Biliosum temperantibus ac minuentibus* sępiùs memoratis.

DCCCXCI. Præter quæ in hoc casu desiderabantur *Gargarismi* Acrimoniam notatam & ardorem temperantes, ut & *Linctus* similes.

Gargarismi unde parandi.

DCCCXCII. *Gargarismi* parari poterant ex Foliis Violariæ, Fragariæ, Betonicæ, passulis Majoribus, Hordeo, Sem. Papav. Alb. & similibus decoctis ex Aqua pura, Cerevisia tenui, Lactis Sero, & similibus, additis Syrupo Violarum, Jujubino, Diamoro, Melle Rosato, Lapide Prunellæ, &c. Linctus autem è postremis

Inflammationum causa & curatio.

DCCCXCIII. *Inflammationes* ibidem obortæ, atque *Sanguini* aut in *vasis capillaribus hærenti*, aut in *Partium istarum & Glandularum* præsertim *substantiam effuso* debitæ *Curari* debuerunt *Medicamentis Incidentibus*, adeòque *deobstruentibus* blandioribus Gargarismi forma usurpatis.

DCCCXCIV. In hunc finem conducebant pleraque modò proposita: additis mox *in principio paucis Acidis*, à quibus abstinendum erat, quoties *ad Suppurationem* videbatur *tendere* Inflammatio: atque tunc usurpanda erant *Emollientia* ex Rad. & Foliis Althęæ, Malvæ, Sem. Lini, Fęnugræci, & similibus, in Lacte dulci decoctis, ut & Lac solum cum Ovi vitello, & Melle aut Saccharo.

DCCCXCV. Quoties *intumescebant* tunc *Raninæ sub Lingua Venæ*, utiliter Sanguis ex ipsis apertis poterat educi.

Tumores Pituitosi quibus curandi.

DCCCXCVI. *Tumores Pituitosi curandi* erant per *plantas Aromaticas* in Gargarismos decoctas, Folia Salviæ, Majoranæ, Rutæ Hortensis, Hyssopi, & similia; non neglectis aliis quoque Pituitam incidentibus, & incisam minuentibus ac Evacuantibus.

Erysipelas in facie.

DCCCXCVII. Trigesimum quintum ac multis lethale fuit tota Hyeme superiore ad hoc usque tempus subinde se manifestans Symptoma *Erysipelas*, & quidem *in facie*; Quòd namque alibi erupit, parum periculi habuit conjunctum.

Serosum unde.

DCCCXCVIII. Illud quemadmodum in plerisque fuit Serosum, hoc est, non sincerum, sed cum Sero, Serosisque bullis aut vesicis domitatum, vulgò *Bel-roos* dictum, ac si Bullatum diceres; ita ortum habuit à *Sanguine* tam *Bilioso*, quàm *Sero Acri* Effervescentibus, ac cum Febrili Paroxysmo versus faciem exitum quærentibus, ibidemque in Cute, atque sub Cuticula secedente hærentibus.

Quomodo curanda.

DCCCXCIX. Cum autem illa foràs *protrusio* esset *Critica*, licet *imperfecta*, *Curatia* institui debuit *promota illa protrusione foràs per Sudorifera*, non neglectis aliis *utrumque Humorem Acrem, Biliosum ac Serosum Lymphaticum, Salso-Murjaticum temperantibus*, & quandoque blandè *evacuantibus*.

DCCCC.

DCCCC. Hoc qui neglexerunt, aut contra monita frigori se exposuerunt, in febrem graviorem cum delirio inciderunt, ac obierunt.

Tumores OEdematosi & Serosi. Anasarca & Leucophlegmatia. Eorum causa & curatio.

DCCCCI. Non tantùm in paucis Faciei Erysipelas, sed 36. in multis excitati sunt variis in partibus *Tumores EOdematosi aut Serosi*, adeòque in quibusdam etiam *Anasarca ex Sero*, vel *Leucophlegmatia ex Pituita*.

DCCCCII. Hi Tumores sicut ortum habuerunt imprimis *à Potu nimio* propter sitim diu urgentem abundantiùs ingurgitato, & ab *Humore vario* in corpore simul existente nunc *magis Salso-muriatico*, nunc magis *Pituitoso Glutinoso*; unde utriusque Humoris diversitas, ita curandi fuerant 1. *abstinendo à potu multò ampliùs* sumendo. 2. *usurpando Medicamenta humores* peccantes quavis via *educentia*, per Alvum, per Urinas, & imprimis per Sudores.

DCCCCIII. Ne autem à multa evacuatione sæpiùs iteranda multùm debilitarentur Ægri, adhibenda simul erant *Medicamenta Roborantia* dicta, & imprimis *Aromatica blanda* peccantibus humoribus maximè opposita.

Ascites, Anasarca & Leucophlegmatia pejor.

DCCCCIV. Sed in multis ob dictas causas excitatus quoque 37. *Ascites Hydrops*, ex notatorum Humorum in Abdominis Cavitate Collectione originem habens, atque Anasarca, Leucophlegmatiaque tantò pejor, & curatu difficilior, quòd non in Corporis habitu hæreat, sed in Abdominis Cavitatem feratur nocens Humor, unde admodum difficulter potest amoveri.

Ejus curatio.

CMV. Unde ad ipsius *Curationem* opus est, ut in tempore *Obstructiones vasorum Lacteorum, aut Lymphaticorum*, si quæ simul adsint, *solvantur*, atque *humorum redundantia per alvũ minuatur*, ac educatur: quin per *Sudores quoque* ac *Urinas* evacuetur.

CMVI. Quibus si parum proficiatur, festinandum ad *paracentesin* per Acum argenteam cavam, extrahendusq; paulatim collectus in Abdominis Cavitate Liquor; qui quò diutiùs sibi hęret, eò fit acrior & nocentior, eò corrumpuntur magis partes in Abdomine contentę, eò difficiliùs restituuntur Ægri.

Diarrhœa Critica.

CMVII. Ultimum & trigesimum octavum locum assignavimus *Diarrhœæ* tam *Serosæ*, quàm *Pituitosæ* multis *Salubri*, adeòque *Criticæ*, notatis *Tumoribus supervenienti*, & illos tollenti: unde addidimus eos, quibus absque tali Diarrhęa vel spontanea, vel artificiali disparuerunt isti Tumores, paulò post periisse.

Quid in iis agendum.

CMVIII. Quotquot exinde talibus Ægri præerant Medici, quoties observabant *disparere illos Tumores, sine conjuncta Diarrhœa* laudata, debebant ipsis mox exhibere *Purgantia per Alvum*, quò prævenirent illorum peccantium Humorum evacuatione mox secuturam mortem, & quidem propter Suffocatum ab ipsis in Corde Ignem Vitalem.

F I N I S.



FRAN-

FRANCISCI DELEBOE, SYLVIJ,

OPUSCULA VARIA,

Quorum Series inferiùs exſtat.

CATALOGUS OPUSCULORUM.

FRANCISCI
DELEBOE, SYLVIJ,
DICTATA
AD
CASPARIS BARTHOLINI
INSTITUTIONES ANATOMICAS,

Ab eodem, in Collegio Anatomico sub finem Anni 1640. & initium Anni 1641. Lugduni Batavorum habito, explicatas.

PROŒMIUM.

Anthropologia divisio.

I. ANthropologiæ, seu Doctrinæ de Homine, à partibus ejus essentialibus desumpta divisio, est in Psychologiam, quæ de Anima, & quæ de ejus agit Corpore. Somatologiam.

Ejus species Anatome, & quid.

II. Hujus autem peculiaris species est Anatomè, ea scilicet humani corporis, ejusque Functionum cognitio & Doctrina, quæ per artificiosam partium ejusdem dissectionem comparatur.

Cur magni facienda.

III. Quæ vel ideò facienda maximi, quòd perspecta ejus ope humani corporis Fabrica, Functionumque essentia, tutiùs in conservanda Sanitate, morbisque profligandis procedat Medicus.

IV. Quin si ad Ethicam eandem extendas, quatenus corporis nostri infirmitates nobis ob oculos ponit, à Superbia & Philautia nos revocat ad Humilitatem veramque Charitatem.

Ejus subjectum humanum corpus.

V. Anatomes autem, quà Anthropologiæ pars censetur, subjectum est humanum, quà verò in genere consideratur, etiam brutorum corpus.

Cur hujus & Brutorũ instituenda sectio.

VI. Utriusque autem facienda sectio: Humani quidem primariò, & per se, brutorum verò secundariò & quatenus in Viventibus præsertim instituta, Functiones quasdam, partesque in demortuis obliteratas manifestat; quas in vivo homine per sectionem inquirere nefas.

Humani corporis partes duæ.

VII. Hoc Anatomes primarium Subjectum, qua totum integrum in suas dividitur partes, vel propria circumscriptione, & terminatione in prima sui conformatione ab invicem distinctas, vel arte casuve postmodum diremptas, illas facilioris doctrinæ ergo Naturales, has artificiales appellare licet.

Naturalis quænam.

VIII. Partem Naturalem ad Mathematicorum imitationem definio corpus corporis, minus majoris, cùm minore completur majus.

Corpus dico, quia vel minima Naturalis pars circumscriptionem suam habet, & terminationem: Ergo & dimensiones: adeoque Corpus est.

Addo *Corporis*; Totius scilicet, cujus est Relatum: est enim pars Totius pars.

Est ergo pars corpus Corporis, & quidem minus majoris: Totum enim majus sua parte.

Nec omne majoris corporis minus corpus pars est; Sed illud tantùm, quo completur majus; illa quippe pars tantùm est, qua deficiente incompletum est reliquum, nec proinde Totum.

Quænam inter partes non numeranda.

IX. Atque ex hac partis Naturalis explicata definitione facilè patet, quænam sint in humano corpore, quibus inter partes concedendus locus, quibus contrà denegandus.

Excluduntur tamen è partium Numero, quæcumque circumscriptionem, & determinationem in prima conformatione non acceperunt, ut sunt humores omnes, calculi, vermes, excrementa varia, &c.

Quænam verò numeranda.

X. Pro partibus verò habebuntur, quæ & circumscripta sunt, aliquamque proinde consistentiam habent, & cùm deficiunt, relinquunt incompletum Corpus reliquum. Tales sunt pinguedo, cuticula, capilli, ungues, &c. Nam licèt uno aut altero duntaxat deficiente capillo, reliquum corpus non judicatur confestim incompletum, ubi tamen notabilis eorum deest copia; vel sensuum judicio pro incompleto habetur corpus, cui ideò complendo ita sedulò student ii, quibus & sanitas & ornatus imprimis curæ sunt.

Vitam in parte non requiri.

XI. Requirunt quidem plerique in parte vitam, verùm nulla necessitate. Licet enim Vita totius sit Affectio, non tamen necessariò & singulatum partium erit seorsim. Sic Visio totius quidem Affectio est, at non singularum partium seorsim consideratarum, sed oculorum tantùm. Adde quòd vel ipsi capilli, quibus omnium facillimè carere possumus, quosque minimè partes esse volunt, vivunt, cùm Sanguine nutriantur: Cujus rei locuples documentum nobis præbet Polonica plica, in quo affectu exstillare ex resectis capillis Sanguinem, quis ignorat? Quòd si exstillet, ut exstillat, eò affluat Sanguis necesse, at cui bono, nisi ut eo nutriantur capilli? Dùm autem sine vita nulla fiat secundùm ipsos nutritio, vivent vel ipsis invitis capilli.

Plica Polonica.

Artificialis pars quænam.

XII. Atque hæc de Parte Naturali. Artificialis pars est id omne quod è reliquo corpore resecatur, sive Naturalis pars sit, sive ejus tantùm portio.

Naturalis partis divisio.

XIII. Partem Naturalem dividere solent Medici in Similarem & Dissimilarem.

Similaris quid.

XIV. Similaris pars est, cujus vel minimæ partes artificiales omnes, ejusdem sunt inter sese Naturæ, & Substantiæ. Ejusmodi est Os, Cartilago, Membrana, Cutis, &c.

Dissimilaris quid.

XV. Dissimilaris contrà, quæ in diversæ naturæ, & substantiæ partes arte potest dissecari. Talis est musculus: in quo reperiuntur, & ab invicem separari possunt, (præter venas & arterias, quæ ad musculi

quà

quà musculus est, constitutionem non concurrunt) caro, fibræ, membrana. Atque ita composita est ex similaribus partibus pars dissimilaris.

Partes cur organa dicantur.

XVI. Cùm autem in Vivente corpore nihil sit otiosum, sed partes singulę, ut in Republica bene constituta, tum privato bono laborent, tum publico, sciendum partes, quatenus in functione versantur publica, organa dici, partesve organicas, sive similares sint, ut cutis Tactus, sive dissimilares, ut musculus animalis Motus organum.

Partium Dissimilarium singulas partes sua propria habere munia.

XVII. Quandoà dissimilari parte constituitur organo, concurrunt quidem ad functionem obeundam partes ejus omnes, propria tamen munia habent singulæ.

In iis alias primas tenere.

XVIII. Et r. quidem alię primas tenent, ut in oculo non humor Crystallinus, quem transeat, sed Tunica retina, in qua species sistuntur.

Alias Functionem juvare.

XIX. 2. Aliæ Functionem juvant, ut cornea tunica, eæsque humores quorum ope transmissæ species, variè infringuntur. Musculi autem oculi non faciunt ad visionem absolutè, sed ad plurium rerum visionem, quatenus scilicet in objecta varia oculum quaquaversum contorquent.

Alias non juvare, nisi aliquatenus.

XX. 3. Alię non juvant quidem, nisi quatenus sine ipsis non fit actio, ut fortè processus ciliares, quatenus scilicet obscuritatem in oculo creant, sine qua nullam permanere omninò necessariam specierum picturam documentum est & magisterium opticum, nisi enim obscurum fuerit cubiculum dissipantur species nec videtur.

Huc non referendus Nervus opticus, utpote qui nec oculi pars est, nec aliquid facit ad visionem, quæ hic pictura tantùm est objecti in retina Tunica repræsentata.

Alias Actionem conservare.

XXI. Adduntur 4. Partes actionem conservantes, talesque dicuntur esse palpebræ quæ non tàm visionem conservant, quàm oculum visionis organum, nisi quis velit palpebras magnam lucem arcere ab oculis, dum connivent, sicque conservase visionem, quod munus pupillæ est, & meliori jure, cùm organi pars sit secus ac palpebræ.

Primariæ parti Functionem, reliquis usum tribui.

XXII. Atque Primariæ quidem parti Functio ipsa vulgò tribuitur, reliquis usus tantùm, quem præcipue in obeunda sua functione præbeant. Cùm autem omni etiam dissimilari parte, in qua fit aliqua actio, non reperiantur semper partium illarum diversa genera, factum est ut rarò illa functionis & usus distinctio observetur, sed passim promiscuè usurpentur. Quæ confusio ita plurimos confudit, ut nullum fortè reperias, qui quid functio ususve propriè sit, definiat.

Functio, & Usus qui differant.

XXIII. Malim proinde Functionem toti organo, Usum verò partibus singulis, etiam, præcipuè adscribere.

Functionis definitio.

XXIV. Atque in hac acceptione, *Functionem seu Actionem* licet definire, *quòd sit Mutatio in Organo facta ob propriam ipsius aptitudinem.*

Et genus quidem Functiones statuimus *Mutationem*, cùm citra Mutationem nulla fiat in corpore functio.

In differentia dicimus 1. Eam fieri *in Organo*, ut ostendamus non determinatam partem, sed universum corpus respicere functionem.

2. *Ob propriam organi aptitudinem*; ut doceamus & diversas esse in corpore Functiones, & in unoquoque quærendam causam cur hęc potiùs, quàm illa fiat in ipso functio. Eam autem *Aptitudinis* nomine designamus, cùm sit Naturalis organi potentia, per quam natura sua aptum est ad agendum, vel patiendum, qualitasque adeò sensibus non obvia, nec proinde calor aut frigus, aliave patibilia qualitas, cujus ratione subjectum passionem tantùm efficit in sensu, nec agit immutativè, sed duntaxat repræsentativè: cujusque ideò actio in id tantùm dirigitur utiliter, quòd, & qua sensu pollet, non autem in res sensu carentes.

Functio duplex.

XXV. Functio autem omnis vel Activa est vel Passiva.

Activa.

XXVI. Activa, quæ fit ab organo, ut Motus à Musculo.

Passiva.

XXVII. Passiva, quę fit in organum, ut visio, seu pictura objectorum in oculi tunicam retinam.

Quibus & illa addi debet, quæ fit tantùm in organo, ut Chylificatio in Ventriculo.

Usus quid.

XXVIII. Usus autem nobis nihil aliud est, quàm singularem dissimilaris Organi partium, ad functionem obeundam officium, & munus. Sic Tunicæ Retinæ in Visione usus seu officium est sistere Species, Humorum trium easdem transmittere, & infringere, &c.

Utilitas quid.

XXIX. Pręter hunc partium in edendis Functionibus usum, fit & alterius usus è Medicis Mentio, qui magis propriè utilitas vocari possit: sic Cuticulæ hæc utilitas est, ut impediat humoris roridi è cute effluxum; sic oculis utiles sunt palpebræ, dum ab externis Injuriis eos tuentur.

Functionũ alia principes, alia ministra.

Principes tres; Naturalis Vitalis Animalis. Earum organa.

XXX. Solent præterea cum Organis suis Functiones vulgo dividi in Principes & Ministras. Medici cum Galeno tres numerant Principes, Naturalem, Vitalem, & Animalem; singulisque præcipuas suas assignant sedes, seu Organa, Naturali quidem Hepar, Vitali cor, Animali Cerebrum. Philosophi autem plerique cum Aristotele Vitalem à Naturali non distinguunt, eamque volunt in corde præsidere. Quibus & nos accedimus, utpote qui Circulari Sanguinis Motu sumus edocti, Sanguinem præparari tantùm in hepate, perfici demum in corde, à quo per Arterias in Universum derivatur Corpus, cui ubi prospexit per venas ad cor refluit, ibidem denuò elaborandus. Naturali proinde Functioni organum præcipuum tribuimus Cor, Animali Cerebrum relinquimus.

Cordi quænam partes ministrant.

XXXI. Cordi ministrant reliqua Thoracis & Abdominis Organa, & fortè ipsum quoque Cerebrum, cui cùm Cor Materiam Animalium Spirituum subministret, Cerebro inservient omnia. Nec mirum est ministras sibi esse mutuò has partes principes, cùm corpus non tam sit instar Horologii, in quo una pars reliquas regit omnes, quàm instar Reipublicæ, in qua qui cæterorum videntur principes, eorundem ministri verè sunt. Idem planè in Corpore nostro, utpote Microcosmo experimur.

Corporis Materia.

XXXII. Atque ita egimus hactenus de Corporis humani partium essentia, differentiis, affectionibus, adeoque principatu: restat ut de earundem ortu quędam addamus, ubi & Materia, ex qua, & ordo, quo formantur, perficiunturque & incrementum capiunt, considerabuntur. Et Materiam quidem, ex qua tum formantur, cum perficitur universum corpus, statuimus solum semen; ex qua verò nutritur & incrementum capit, Maternum Sanguinem, quod abundè testatur pullorum generatio. Hos enim ex solo albumine, tanquam semine, partium omnium & conformationem & perfectionem nancisci; Vitellum autem Materni Sanguinis, & lactis vicem gerentem, etiam post exclusionem integrum in eorum abdomine reperiri docet experientia, cuique obvia, & Harvejo lib. sui de Cordis Motu cap 56. annotata. Ad horum autem pullorum instar, cæterorum Animalium, hominisque adeò corpus ex solo semine construi probabilissimum est, cùm diversitatis nulla occurrat ratio, reperianturque quotidie summè exiles fœtus, in quibus partium omnium miranda occurrit perfectio.

Ejus conformationis ordo.

XXXIII. Ponuntur autem simul partium omnium rudimenta, quod canis fœminæ nuper impręgnatę dissectione confirmat Bartholinus in Controvers. Anatom. de Part. earumque fact & Function. Quæst. 9 Docet enim in ejus Utero non tantùm tres veluti Bullulas, Cerebri, Cordis & Hepatis: sed & quibus illæ nexæ sunt, filamenta innumera, exactius examinanti offerri tenuia, candida, quaquaversum exporrecta, arteriarum, venarum, nervorum, &c. rudimenta.

XXXIV. Ut autem omnes partes simul inchoantur, sic & quodammodo perficiuntur, quod pullorũ generatio arguit; in eo tamen videntur reliqua, quæ in utero Materno Sanguine utuntur, differre, quòd imperfectior sit illorum perfectio ob incrementum, quod alię partes majus accipiunt ante alias,

& illæ quidem priùs, quæ ad vitam maximè sunt necessariæ, quarumque opera plurimùm opus habet in utero fœtus. Sic observatum est quandoque ab Harvejo, ut citato loco refert, in humano fœtu membra omnia perfectè delineata, ipsaque genitalia distincta fuisse nondum positis Hepatis rudimentis; quod intelligo de Hepatis parenchymate, cujus cùm nulla sit in fœtu, optimum à Matre Sanguinem accipiente, necessitas mirum non est si tardiùs augeatur, potuit tamen etiā in illo abortivo fœtu illud fuisse contra Naturam.

Corporis divisio respectu Artificialis dissectionis. XXXV. Atque hæc de Anatomes subjecto in se considerato dicta sufficiant; quod quatenus artificialem sui spectat dissectionem, commodissimè ab artificibus in tres ventres, superiorem seu Caput, medium seu Thoracem, & infimum seu Abdomen, duplicesque dividitur artus superiores, manus; inferiores, pedes.

Corporis distributio in tres regiones. XXXVI. Coronidis loco hoc addere libet, posito circulari Sanguinis Motu, evanescere Corporis in tres regiones secundùm portæ & cavæ venæ majores, capilaresque ramos distributionem: neque enim per venas fit ullus humorum ad Intestina motus, sed tantùm per arterias: *Purgantiū divisio.* Nec tamen ideò perit purgantium in blanda, mediocria, & vehementia partitio; quin potiùs, quod quotidiè testatur Experientia, hoc motu admisso redditur manifestius, cur scilicet blandis sæpè purgentibus educantur è distantibus partibus pravi humores; quia scilicet purgantium vis unà cū Sanguine per arterias in universum defertur corpus, unde peccantes Succos cum refluente Sanguine per venas secum reducit versùs cor, à quo præcipitantur ad arterias mesenterij, sicque per alvum aut os excluduntur: Hinc etiam dari potest ratio, cur sæpè protrahatur purgatio, aut nulla sequatur, cur moveantur, non semper emoveantur pravi humores & similia plura.

LIBER I.

DE INFIMO VENTRE.

Sectionis initium unde. I. AB Infimo Ventre, utpote Excrementorum aptissimi putredinis Fomitis Sentina, Sectionis & Doctrinæ initium facere solent Anatomici.

Abdomen à Thorace & pedibus qui dirimatur. II. Hunc, Abdomen vulgò dictum, à Thorace dirimit Diaphragma, à pedibus ossa Coxendicis.

Distinguitur in tres regiones. III. Distinguitur commodissimè in Regiones tres superiorem, mediam, & inferiorem.

Superior Epigastriū. IV. In superiore, Epigastrium dicta, duobus supra Umbilicum transversis digitis desinente, considerantur, & in utroque latere Hypochondria; eæ scilicet Epigastrii partes, quæ sub notharum Costarum cartilaginibus continentur; & in horum medio ventriculi Regio, Epigastrium, generis nomine simpliciter dicta.

Media Umbilicalis. V. In Media, Umbilicalis appellata, Abdominis regione, duobus supra, totidemque infrà Umbilicum transversis digitis potensa, spectatur itidem tres partes, Laterales scilicet, Lumbares vocate, & Media Mesomphalium, quòd in ejus medio sit Umbilicus.

Inferior Hypogastrium. VI. Inferior Abdominis Regio, quæ Hypogastrium dicitur, & duobus transversis digitis infra Umbilicum terminatur, partes laterales habet, Ilia, ab Ileo Intestino plurimùm ibi contento, indigitatas, & mediam quæ generis appellatione gaudet, & Hypogastrium absolutè nuncupatur.

Alia præterea in abdominis partes. Pubes. Inguina. Pudenda. VII. Occurrunt præterea in Abdominis pedumque limitibus partes tres, hic tractari solitæ Harum laterales sunt inguina, in femoris ad abdomen flexura; Media pubes dicitur, pars supra pudenda proxima & pilosa, quo loco pubis inde dicta ossa concurrunt, huic subsunt in utroque sexu pudenda.

Abdominis partes. VIII. Ut in Regiones distinguitur, sic Abdomen in suas dividitur partes; easque vel continentes, virilitatemque formantes, vel intra cavitatem contentas.

Continentes. IX. Continentes vel reliquo Corpori, & Abdomini sunt Communes, vel huic propriæ.

Communes. X. Communes sunt Cuticula, cutis pinguedo cum sua Membrana, & panniculus Carnosus; Membrana autem musculorum communis eorundem pars est.

Propria. XI. Propriæ sunt Musculi Abdominis dicti, & Peritonæum.

Contenta. XII. Contentæ in Abdomine partes vel Individui Conservationi per nutritionem: vel Speciei propagationi per generationem dicatæ sunt.

Nutritioni Inservientes. XIII. Nutritioni inserviunt, quæ circa alimentorum Chylosin & sanguificationem sunt occupatæ, ut Ventriculus, Hepar, &c.

Generationi inservientes. XIV. Ad Generationem quæ faciunt partes vel Viriles sunt, vel Muliebres.

Viriles. XV. Viriles sunt Vasa præparantia, deferentia, testes, penis, &c.

Muliebres. XVI. Muliebres sunt Vasa Spermatica, testes, uterus, &c.

XVII. Quò referuntur vasa Umbilicalia, fœtus Membranæ, uteri placenta, &c. Quibus, dum generatur inque utero est humo, opus habet. Et de singulis ordine.

CAPUT I.

De Cuticula.

Cuticula descriptio. I. CUticula est Pars similaris, tenuis, albicans, pellucida, Cuti ubique cohærens, ipsamque regens.

Materia. II. Generatur cuticula cum cæteris Corporis partibus ex semine; Regeneratur, Nutritur, & augescit ex Sanguine, quem exstillantem Roris instar à cute accepit.

Eam à partibus non excludi. III. Quæ Cuticulæ regeneratio, eam ex partium numero non excludit, cùm non tantùm in serpentum exuviis, cervorumque Cornibus idem accidat, sed in ipsis dentibus humanis, quos postquam exciderunt, iterum generari, quis non videt?

Ejus Utilitates duæ. IV. Functionem nullam habere videtur Cuticula, cujus duæ sunt Utilitates. 1. Humoris roridi è Cute efflaxum impedire; unde eadem attrita, vesicalis, aliave ratione à Cute remota, continuò madescit Cutis 2. Cutim ab Aeris, acriumque omnium inclementia tueri; unde ea ablata molestissimus Cutis est aer frigidior imprimis, ut & acria omnia.

Pelluciditas. V. Pellucida est, unde, qui ipsi insunt Colores, per ipsam lucent, qui & cernuntur.

CAPUT II.

De Cute.

I. CUtis est pars similaris, crassa, albicans, subpellucida, corpus reliquum undique ambiens, Tactu prædita.

Cutis descriptio. Materia. II. Generatur ex Semine: Nutritur, augescit, & Ipsa consolidescit ex Sanguine, quem per arterias accipit, venasque ideò habet, quia ex eodem Sanguine in Cutis ablatæ locum fit Cicatrix, cujus ope coalescunt cutis lęsę labia, non tamen semper, cùm etiam sine cicatrice uniantur denuò, quod non tantùm in pueris accidit, sed adultis quoque; quod non ita pridem in me sum expertus: Novacula enim duos digitos ad os usque læsi; Imposito autem emplastro stiptico intra viginti quatuor horas in totum curatum est utrumque vulnus, & ita quidem ut cicatricem & læsionis locum adhuc quæram: Erat nihilominùs vulnus alterum supra medii digiti cum Metacarpoarticulationem.

Functio. III. Functio Cutis Tactus estquo sola Cutis propriè prædita est, unde & nervos accepit: est autem in quibusdam Cutis partibus tenerioribus acutior Tactus, quàm in aliis magis callosis.

Utilitates tres. IV Cutis Utilitas. 1. Est Corpus reliquum tegere & ab externis injuriis tueri.

V.

V. 2. Est sudori per suos poros exitum præbere, & Medicamentis foris applicatis Ingressum.
VI. 3. Pilis firmamento esse.

CAPUT III.

De Pinguedine.

Pinguedinis descriptio. I. Pinguedo est pars similaris, albicans, mollis, oleaginosa.

Materia. II. Generari videtur ex Semine. Nutritur autem, & incrementum sumit ab oleosa sanguinis parte, unde ubique ferè venas & arterias comitatur, illisque accrescit.

Formatio. III. Exsudat quasi in minima distractus ab interno igne oleosus Sanguis, & vasorum Tunicas pervadit; à circumjacentibus autem Membranis magis densis sistitur; ubi abeunte in auras igne, Spiritus acidi sibi admisti beneficio concrescit.

Diversitas. IV. Reperitur autem alia mollior, alia durior, ob admisti Spiritus majorem, minoremve copiam, & activitatem.

V. Consumi in Tabe plurimùm, nunquam in totum pinguedinem, non mirum, cùm sit conveniens interni Ignis pabulum; quo dum in Tabe destruitur, Ignis, pinguedinem depopulatur, novaque in absumptæ locum non reponitur.

Cur ejus plurimum in Tabe consumatur. Utilitates tres. VI. Hæc ergo 1. est Pinguedinis Utilitas, Internum Ignem, adeoque vitam, in summa inedia aliquandiu sustinere.

VII. 2. Ejusdem subitum effluxum cohibere, sicque Coctioni inservire.

VIII. 3 Frigori externo, nentiquam Calori Ingressum impedire, & sic contra Aeris frigidi inclementiam Interiora tueri.

COROLLARIUM.

Cur Arteria duplici donata sit Tunica. Cùm Sanguis Arteriosus interno igne sit quasi turgidus, ea etiam fortè de causa duplici donatæ sunt Arteriæ Tunica, ne per simplicem pars sanguinis oleosa nimiùm emanaret, cujus nullus erat in venis & extremis arteriis metus, imminuta tractu Viarum Ignis & copia, & Activitate.

CAPUT IV.

De Membranis in genere, Membrana Carnosa, & Musculorum propria.

Membrana Tunica distinctio. I. Membrana aliàs cum Tunica confunditur, aliàs ab ea distinguitur, & tum Tunica ferè pars est dissimilaris, Membrana similaris. Meninges autem propriè vocantur binæ Cerebri Membranæ.

Ejus Descriptio. II. Est ergò Membrana pars similaris, tenuis, pellucida, partes ab invicem distinguens, easve simul connectens & firmans.

Functio. III. Membranarum Functio Tactus creditur; licèt molesta tantùm in Membranis sentiantur, nec objectis externis pateant, de quo accuratiùs infrà.

Utilitates duæ. IV. Earundem 1. Utilitas est partes diversas ab invicem distinguere, unde omnes ferè Corporis partes Membrana donatæ sunt.

V. 2. Partes simul connectendo, easdem in determinato cuique loco firmare, ut evitetur confusio.

Ab Ejus natura quomodo desciscat Membrana Carnosa, seu panniculus carnosus. VI. A Membranæ natura desciscit Carnosa Membrana, seu panniculus Carnosus, & musculis accedit. Cujus adeò ope universam Cutim movent Bruta, quibus & cuti subest; in homine autem interponitur ferè ubique cuti & huic Membranæ pinguedo, præterquam in paucis partibus mobili cute præditis, ut in fronte & quorundam Integro capite, rariùs in aliis locis.

Panniculi Carnosi functio. VII. Est ergo Panniculi Carnosi in Brutis & hominum fronte, præter Tactum functio eadem, quæ Musculorum, fibrarum scilicet suarum Contractio.

Utilitas. VIII. Et hujus Functionis utilitas est Cutis, cui inseritur, Motus.

Deleber Opera.

IX. Panniculi autem ipsius Utilitas est, Musculos à pinguedine secludere.

X. De Membrana Musculorum propria sequenti agetur capite, cum Musculi pars sit.

CAPUT V.

De Musculis in genere.

Musculi descriptio. I. Musculus est Pars dissimilaris, motus Animalis organum.

II. Dissimilaris pars est, constat enim fibris, carne, & Membrana.

Fibra duplices. III. Fibræ vel dispersæ sunt, vel in unum coactæ.

Dispersa & quidem diversimode. IV. Dispersæ sunt vel per totum musculi ductum, ut in Sphincteribus; vel in Medio tantùm, ut in plerisque artuum Musculis; vel in extremis tantùm, ut in Diaphragmate; vel in altera tantùm parte, ut in Pyramidalibus; vel mixtim, ut mox dispersæ sint, mox iterum unitæ, ut in musculis abdominis rectis: Nullius musculi fibræ ubique unitæ sunt.

Musculorum oblongorum partes tres. V. Musculi oblongi, quorum fibræ in Medio dispersæ, in utroque extremo sunt unitæ, in tres partes dividi solent; principium sive caput musculi, illud scilicet extremum, cui inseritur Nervus: finem seu Caudam, oppositum scilicet extremum: & Medium seu Ventrem, quo loco dispersis fibris intertexta est Caro, quæ in extremis nulla. Plerisque Caput Ligamentum; Cauda verò musculi Tendo vocari solet.

Musculi Functio. VI. Musculi Functio est Partium variarum Motio.

Partium motio quot modis fiat. VII. Partes autem aliæ, dum à Musculis moventur, ad se invicem trahuntur, ut sternum & pubis ossa per musculos abdominis rectos; aliæ flectuntur & vicissim extenduntur, ut Brachii & Cubiti ossa, aliæ propelluntur, ut abdominis viscera, per suos musculos, & Diaphragma; aliæ constringuntur, ut Vesicæ cervix per Sphincterem.

VIII. Ut ita moveat partes Musculus contrahitur.

Musculi contractio. Quid sit. IX. Estque nihil aliud Musculi contractio, quàm ejus fibrarum Animali Spiritu turgidarum distensio, & hinc ejus abbreviatio.

Animalis spiritus affluxus ad fibras a triplici causa. Unde motus triplex. X. Affluit ad Musculi fibras Animalis Spiritus per Nervos, & quidem vel jubente voluntate, vel ob irritationem naturalem, præternaturalemve. Hinc variæ pendent Animalis motus differentiæ, Voluntarii, Naturalis, Præternaturalis.

Musculis remissio. XI. Cessante irritatione, aut Voluntatis imperio remittitur Musculi Contractio, etiam non agente musculo opposito.

Ejus præcipua pars Fibra: quibus inserviunt carò & Membrana. XII. Præcipua in Musculo pars sunt Fibræ; quibus in functione sua inserviunt Caro, & Membrana; illa quidem, dum tumentibus fibris locum facit sua mollitie; hæc verò dum easdem continet, & in extremis firmat, ut validior fiat motus.

CAPUT VI.

De Musculis Abdominis,

Musculorũ Abdominis numerus. I. In Abdomine semper octo, quandoque decem reperiuntur Musculi.

Eorum functiones. II. Rectorum Musculorum (quos unum par tantùm constituere inter alia & hoc videtur arguere, quòd in Canibus Similisque Sternum supergredientes nullas habeant intersectiones) propria Functio videtur Sterni ad ossa pubis Attractio; Transversorum, partium in Abdomine contentarum compressio; Obliquorum, mixta cum costarum detractione, & Abdominis compressione.

Eorum Utilitates duæ. III. Duplex autem est harum Functionum Utilitas, & Exspirationis, & contentorum in Vesica, Intestinis, ac Utero exclusionis promotio.

CAPUT VII.

De Peritonæo.

Peritonæi descriptio.

I. PEritonæum est Membrana Cavitatem Abdominis proximè constituens, Visceraque omnia in eo contenta investiens.

Ejus Membrana duplex.

II. Duplici Membrana constitui Peritonæum docent processus ab exteriore constituti, ac in Viris seminaria vasa cum testibus complectentes; in quibus & hernia fit.

CAPUT VIII.

De Omento.

Omenti descriptio.

I. OMentum est Membrana tenuissima, à Ventriculi fundo & colo in reliqua Intestina dependens, Cavitatemque Aucuparii Marsupi forma constituens.

Utilitas.

II. Cùm plurimis vasis, Arteriis scilicet & Venis donatum sit Omentum, ac ex multiplici experientia constet repertum in ejus cum Cavitate, tum propria Substantia, non parùm sæpè incrassata, chronicorum Morborum fomitem, videtur, ea esse omenti Utilitas, ut redundantes humores colligat, &, cùm possibile, iterum convenienti tempore per venas deponat.

CAPUT IX.

De Ventriculo.

Ventriculi descriptio.

I. VEntriculus est Pars Dissimilaris, cava; Chylificationis officina.

Esse partem dissimilarē.

II. Dissimilaris Pars est: Constat enim Membranis tribus, quarum extima communis ipsi est, & cæteris Abdominis visceribus, Peritonæo continua: Media carnosa est, ac transversis donata Fibris: Intima rugosa est, glutinosa humiditate imbuta.

Habere cavitatem.

III. Cavitatem habet insignem, ad Continendum cibum & potum, quem per sinistrum Orificium, Stomachus dictum, & OEsophago continuatum admittit; per dextram autem seu Pylorum in Intestina amittit.

Ejus Materia Nutritionis.

IV. Nutritur Sanguine per Arterias affluente, cujus reliquiæ per venas refluunt, etiam vas breve dictum; quod in Ramum splenicum desinit.

In eo Alimentum hærere & mutari.

V. Hæret aliquandiu in Ventriculo assumptum Alimentum, ibique in albicantem massam subviscidam fermentatur.

In quibus consistat Fermentatio.

VI. Consistit autem Fermentatio in Mistionis, adeoque Naturalis partium Alimenti compagis solutione tali, ut à fæculentis educi queant fæculentæ, Corporique Alendo aptæ.

Ventriculi Fermentū pro ætate diversum.

VII. Hoc Chylificans Fermentum in recens natorum Vitulorum Ventriculis reperitur crassiusculum, diciturque Coagulum. Sensim autem minuitur, ac in Adultis Glutinis instar offenditur liquidiusculum, inter Ventriculi rugas hærens.

Quomodo continuò regeneretur.

VIII. Miscetur per minima Alimenta; atque ex hujus reliquiis inter rugas ventriculi remanentibus regeneratur continuò hoc fermentum, Salivæ indesinenter ex ore in Ventriculum delabentis beneficio: non dissimili ratione, qua Pistores ex fermentatæ panis massæ reliquiis, addito pauco sale, novum sibi parare solent fermentum. Unde & primum Chylificationis rudimentum in ore accipit Cibus à Saliva, quam Salinæ Naturæ esse docet inter alia Ulcerum per eam Curatio.

Chylificationis rudimētū à Saliva.

Saliva ubi & unde generetur.

IX. Generatur autem Saliva in Tonsillis, à defluente ex cerebri Ventriculis sero; quo in gravedine subsistente perit cum gustu appetitus; quin & difficiliùs tunc procedit Chylificatio, gravaturque facilè ab Alimento Ventriculus. Ubi verò Naturalem fluxum repetit, redit appetitus ac sæpè intenditur ob Acrimoniam, quam mora serum contraxit majorem: quæque itidem Salinæ naturæ esse arguit Salivam.

Ejus effecta.

Serum unde oriatur.

X. Ortum autem suum debere nobis videtur hoc serum Spirituum Animalium reliquiis: His enim maximè Spirituosis, & ut Chymici loqui amant Mercurialibus in Cerebro per Alkoholisationem summè depuratis, segregatur cum Aqua fixius Sal, quæ duo serum hoc constituunt. Sed de Spirituum Generatione postmodùm agemus suo loco.

Fermentationem adjuvare ignē internum.

XI. Adjuvat hujus Chylificantis Fermenti operationem internus Ignis; ut panis Fermentationem externus.

Alimentum fermentatū per Pylorum ad intestina propelli.

XII. Fermentatum Alimentum per Pylorum in Intestina deponitur, motu Ventriculi peristaltico, à transversis ejus fibris perfecto, ac in vivis sectionibus non rarò ad oculum apparente.

CAPUT X. & XI.

De Intestinis.

Intestinorum descriptio.

I. INtestina sunt Partes dissimilares fistulosæ, à Ventriculi Pyloro ad podicem usque per gyros productæ, mesenterio ac omento alligatæ, fermentati Alimenti Chylum ab alvi fæcibus in lacteas venas experimentes, fæcesque per anum excludentes.

Esse partes dissimilares.

II. Dissimilares sunt Partes: Constant enim Membrana triplici; extima à Peritonæo communi, ac duabus interioribus propriis; media quidem carnosa, fibrisque transversis donata; intima verò nervosa, crusta in tenuibus Intestinis prædita.

Fistularum instar esse cava.

III. Fistularum instar excavata sunt Intestina, præsertim tenuia, quia transmittere tantùm debebant fermentatam Alimentorum massam: Crassa autem cellulas acceperunt, ut retinerent ad tempus alvi fæces.

Eorum divisio.

Et differentia.

IV. Propriè enim & verè in duplicia Intestina dividitur tota eorum Fistula: In tenuia scilicet, & crassa, plurimùm inter se differentia. Et 1. quidem meatus sui amplitudine, quæ in tenuibus minor, in crassis major existit. 2. Ejusdem meatus interiori æqualitate, quæ in tenuibus tantùm, quamque tollunt crassorum cellulæ. 3. Interiori crusta, quæ in crassis nulla, in tenuibus autem spongiosa est, intimè eorum tunicæ adnata, coli instar aut panni, chylo cea liquidiori fermentatorum Alimentorum parti transitum in lacteas venas concedens, crassiori, & fæculentæ denegans.

Intestina Tenuia.

V. Tenuia autem à Pyloro Ventriculi orta in crassa implantantur, eorumque Cavitatem transverso penè digito penetrant, quam eorum partem pro valvula habent; ne cùm arctatur, detur ex crassis in tenuia reflexus.

Eorum longitudo, situs & connexio.

VI. Hæc quia longissima sunt, quatuor scilicet & triginta Palmorum, variè in Abdominis cavitate convolvuntur; & ne implicarentur, mesenterio per totum ductum communi membrana connectuntur.

Intestina Crassa Eorum longitudo, situs, &c.

VII. Crassa verò ad Podicem usque protenduntur, decem ferè palmos longa; ad asservanda excrementa cellulis donata; in suo sita, quàm tenuia, magis firmata, ne, si libera forent, in unum locum facilè conglomerarentur, indurataque tum, & compacta excrementa damnum corpori crearent.

Appendix vermiformis.

VIII. Circa Tenuium in Crassa insertionem exporrigitur appendix ob similitudinem vermiformis dicta, cava, dubii usus.

Intestinorū Functio.

IX. Intestinorum Functio est, Chyli in lacteas venas expressio, fæcumque propulsio & expulsio.

Quomodo peragatur.

X. Id autem perficiunt Motu suo peristaltico per fibras suas transversas circulares; quibus sese contrahentibus angustatur intestinalis fistula, sicque contenta in ipsa comprimuntur, ac propelluntur, quodque tenue, & liquidum, per tenuium intestinorum crustam in lacteas exprimitur, ac quasi colatur: unde & plurimæ, in hæc inseruntur, paucissimæ in crassa.

Chyli à fæcibus separatio per Bilem.

XI. Promovet autem Chyli à fæcibus separationem Bilis ex suo folliculo in tenuia intestina, ubi gyros accipiunt, effusa, ac fermentatam Alimentorum massam fundens ac fluidam reddens.

XII.

Bilem non tantùm ad expulsionē intestina irritare.

XII. Neque enim probabile est Bilem tantùm in intestina excerni, ut ipsa ad expulsionem irritet. Nam 1. in Naturali statu nulla sentitur ejus acrimonia ad irritationem necessaria 2. Præterquam quòd rum intestinorum motus semper inchoandus foret ab insertionis loco, sive ibi aliqua adhuc sive nulla contineretur Chyli potio; metus quoque 3. foret, ne inquinaretur Bile alimentum fermentatum, si modò talis, qualis describitur, Naturæ sit Bilis; quam cùm 4. in externis fundendi & liquandi vi pollere quotidiana nos doceat experientia, non sine ratione ipsi, quam tribuimus, facultas adscribi queat.

CAPUT XII.

De Mesenterio,

Mesenterii descriptio.

I. MEsenterium est Pars dissimilaris intestina colligans, vasaque ad ipsa delata fulciens.

Est pars Dissimilaris.

II. Dissimilaris Pars est: Constat enim duplici membrana, pinguedine & glandulis.

Membranis intestina vincit.

III. Membranis Intestina vincit quasi & investit.

Pinguedine vasa fulcit.

IV. Pinguedine vasa fulcit, Nervos, Arterias, Venas vulgares & lacteas: unde in Macilentis brutis, ut canibus, ibi tantùm pinguedine obsitum est mesenterium, ubi deferuntur vasa.

Pancreas Glandularum Mesenterii maxima.

V. Inter Mesenterii glandulas notabilis est, quæ omnium maxima in ejus centro reperitur. Pancreas Asellio dicta, in quam lacteæ venæ, de quibus suo loco, concurrunt.

Glandulas receptui humorum inservire:

VI. Inserviunt aliàs glandulæ receptui humorum crassorum, quos si attenuaverint, in Venas deponunt, ut aut Sanguini reliquo permisceantur iterum, ubi debellati, aut Sanguini tantùm confusi cum excrementis excludantur, ubi in Alimentum abire nequeunt: sin ipsos attenuare nequeant, eos tum coacervant; unde plurimi Chronici Morbi ortum ducunt.

CAPUT XIII.

De Pancreate.

Pancreatis descriptio.

I. PAncreas est Pars dissimilaris, glandulosa, mollis, foris rubea, intus albicans, ad intestinum duodenum, venamque Portæ sita.

Utilitas.

II. Glandulis constat tenui membrana investitis; unde & eandem, quam reliquæ glandulæ, corpori præbet utilitatem: Infercitur in Cacochymicis non rarò humoribus crassis pravis.

CAPUT XIV.

De Epate.

Epatis descriptio.

I. EPar est pars Dissimilaris Sanguificationis officina.

Est pars Dissimilaris.

II. Dissimilaris pars est; constat enim Venarum Cavæ & Portæ, & fortè lactearum quoque Radicibus, Parenchymate, & membrana.

Vena Cava & Porta quomodò per Epar pervagantur.

III. Cavæ & Portæ propagines per universum Epar dispersæ oculis suis & Anastomosibus coeunt præsertim circa medium, penetrat enim Cava Epatis gibbum seu conveaam partem, Portæ autem vena simam seu Concavam.

Ductus ex Vena porta in Cavam.

IV. Hic non prætereundus insignis ex portæ vena in Cavam penetrans ductus; magni procul dubio in ubstructo hepate usus.

Lactearum Truncum in venam Portam inferi.

V. Cùm de Lactearum Trunco certi adhuc habeatur nihil, probabile nobis videtur, si non semper in ipsum hepatis parenchyma penetret, saltem in Portæ inferi, cùm non semel & Asellio & nobis visi sint ejus surculi Chylo turgentes ad hepar usque delati.

Parenchyma Cava & Porta radicibus circumfusum. Ejus Membranae

VI. Circumfusum est his cavæ & portæ Radicibus Sanguini concreto non absimile parenchyma rubicundum & molle.

VII. Hoc investit Membrana tenuis, à Peritonæo orta,

Deleboe Opera,

Hepatis Functio Sanguificatio. Quomodò peragatur.

VIII. Quæ in Hepate fit Functio Sanguificatio dicitur: Chyli scilicet per Lacteas venas affluentis in Sanguinem mutatio.

IX. Sanguificationem autem sequenti modo se habere judicamus: Chylus in Portæ venæ Radices effunditur, refluentique sanguini miscetur, cum ipso digeritur sicque in sanguinem abit.

Sanguinem in Liene plus quam perfici.

X. Præcipuas autem hic sanguini à Liene refluenti tribuimus, quem suo loco dicemus in liene circulari quasi, & plus quàm perfici: cujus adeò ope breviori temporis spatiò in Sanguinem vertitur Chylus; sola digestione, at longiore mora in Sanguinem abiturus. Sic testatur Guidus de la Brosse, mutasse se sola digestione panem vinumque simul mista, primò in Materiam Chylo similem, albicantem, hinc Sanguinis instar rubentem, denique ad Carnis modum incrassatam. Sic in Essentiarum Chymicarum præparatione, solemus crudiori Materiæ perfectam essentiam miscere, simulque digerere, unde sæpè tantum intra octiduum proficimus, quantum vix bimestri spatio, circa illam mistionem proficeremus.

Bilem Sanguinem crassiorem, in Porta venā refluum, attenuare, & Sanguinem promovere.

XI. Cùm autem non tantùm à Liene, ubi ulteriùs elaborari Sanguinem diximus, sed & à reliquorum Abdominis Viscerum nutritione refluat in Portæ venam Sanguinis, qui crassior existit, quàm ut commodè tenues Portæ Cavæque radices pervadere queat, Bilis, fundendi, crassaque dissolvendi & liquandi vi prædita, ex suo folliculo per innumeros surculos in portæ venæ radices, quas comitantur, affluit, quæ Sanguinem incrassatum attenuet, reddatque fluxilem; & fortè intimiorem Chyli & Sanguinis permistionem promoveat.

Hanc digestionem Parenchyma Hepatis promovere.

XII. Adjuvat hanc digestionem Parenchyma Hepatis, in quod ut in M. B. immerguntur dictarum venarum radices.

Sanguinem ultimò in corde perfici.

XIII. Ultimum tamen sui complementum in Corde accipere Sanguinem, ibique quasi destillari proximo dicemus libro.

CAPUT XV.

De Bilis Vesicula.

Vesicale Bilaria descriptia.

I. VEsica Bilaria est pars dissimilaris, membranea, cava, pyriformis, cavæ Hepatis parti impressa, Bilem in se generatam continens, & partim in Intestina per meatum Bilarium ad fermentatę alimentorum massæ solutionem, partim in Hepar Portæque venæ Radices per infinitos surculos ad refluentis à partibus abdominis per venas Sanguinis crassioris attenuationem expellens.

Est pars dissimilaris.

II. Dissimilaris Pars est: Constat enim Membrana duplici, exteriore communi à Peritonæo, qua scilicet extra hepar protuberat; interiore propria, crassiore, valida, fibrosa; unde & excernit Bilem.

Ejus cavitas varia.

III. Cavitas ejus pro Bilis quantitate varia est.

Ejus Figura.

IV. Figura ejus est Pyriformis; à fundo scilicet ampliore sensim in angustiam seu cervicem rugosam arctata.

Situs.

V. Sita est in parte Hepatis sima, quò suam commodiùs obiret functionem.

Functio Bilis generatio ex Sanguine.

VI. Est autem Vesiculę hujus Functio, Bilis generatio, quæ fieri videtur ex Sanguinis parte biliosiore Bili in ejus cavitate admixta, ibidemque in Bile fermentata.

Eam habere Arterias.

VII. Habet enim hæc Vesicula arterias, & ad sui Nutritionem, & ad Bilis generationem Sanguinem advehentes.

Et nervulum.

VIII. Habet eadem & Nervulum, in emaciatis magis conspicuum, & ad sensum, & ad motum expulsivum.

Bilis quomodo excernatur.

IX. Excernit siquidem suam Bilem obliquo ductu in Bilarium inde ductum Meatum, partim in Intestina, partim in Hepar tendentem.

In intestinis quid praestat.

X. Quę in Intestina propellitur Bilis Fermentatam Alimentorum Massam, ad faciliorem Chyli expressionem dissolvit.

Quid in Hepate.

XI. Quę verò in Hepar defertur, per infinitos surculos Portæ Radicibus insertos in easdem infunditur; Sanguinemque ab omnibus Abdominis

 par-

partibus per Portæ venam redeuntem crassiorem attenuat, ut Cavæ Portæque angustas Radices pervadere queat, & fortè Chyli Sanguinisque promovet permistionem.

Rarus ad Ventriculū surculus. XII. Rarus in Ventriculum fertur ex Bilario Meatu surculus, unde Bilis Vomitus sequitur.

CAPUT XVI.

De Liene.

Lienis descriptio. I. Lien est Pars dissimilaris, magnitudinis & Figuræ variæ, Sanguinem quodammodo plus quàm perficiens ad faciliorem Chyli in Sanguinem mutationem.

Est Pars dissimilaris. II. Dissimilaris Pars est: Constat enim plurimis arteriis, venisque, Parenchymate, & Membrana.

Eius Functio. III. Functionem Lienis statuimus Sanguinis in ejus vasis ulteriorem elaborationem, & Circulationem, unde plusquàm perficitur quasi Sanguis, quem per Arterias tantùm admittit, per venas iterum emittit, etiam per malè descriptum à multis vas breve quod à Ramo Splenico in lienem ventriculumque divaricatum constitui nos docuit Autopsia.

Sanguinis Motus ad Lienem. IV. Motum autem Sanguinis ad Lienem per Arterias, à Liene verò per Venas esse, institutta in vivis ligatura abunde probat: Tum enim intumescunt Arteriæ à Corde; venæ verò à Liene versus ligaturam, quæ ultra ligaturam inaniuntur.

V. Atque hanc unam Ligaturam cæteras omnes de Lienis usu opiniones satis superque refutare arbitramur; in quibus proinde non est quod amplius immoremur.

VI. Non frustrà in Liene elaboratur sanguis, quem superiùs diximus promovere plurimùm chyli sanguificationem, non nisi longiori tempore absolvendam. Atque hoc sensu vera sunt, quæ pro Lienis sanguificatione adduci solent argumenta à Praxi desumpta.

CAPUT XVII.

De Renibus.

Renum descriptio. I. Renes sunt Partes dissimilares, serum à sanguine segregantes.

Eorum Functio. II. Accipiunt autem per Emulgentes arterias sanguinem, quem à sero repurgatum, & à sui Nutritione residuum per venas, malè proinde emulgentes dictas, in cavam refundunt.

Seri colatio quā fiat. III. Colatur quasi hoc serum per Carunculas Renum parenchymati immersas in pelvim; quam constituunt Ureteres in Renum cavo sese expandentes.

CAPUT XVIII.

De Capsulis Atrabilariis.

Capsularum Atrabilariarum descriptio. I. Capsulæ Atrabilariæ sunt glandulæ binæ, variæ figuræ, cavæ, calore flavo fœdo, ad cavæ venæ latera supra renes sitæ, vasis affixæ, sæpè vacunæ; ejusdem cum cæteris glandulis Utilitatis.

CAPUT XIX.

De Ureteribus.

Ureterum descriptio. I. Ureteres sunt Partes dissimilares, fistulosæ, renibus & Vesicæ insertæ, in hanc serum ab illis advehentes.

Esse Partes dissimilares II. Dissimilares sunt partes; constant enim Membrana duplici, externa communi à peritonæo, interna propria, renum pelvi, & vesicæ tunicæ interiori continua & simili.

Eorum Functio. III. Colatum in pelvim serum deferunt in Vesicam, cujus cavitatem antequam penetrant, inter tunicam ejus interiorem & excretivum Musculum ac tranversi digiti longitudinem protenduntur. Unde non datur Urinæ regressus. Inseruntur autem in partem vesicæ posticam non procul à cervice.

CAPUT XX.

De Vesica Urinaria.

Vesica Urinaria descriptio. I. Vesica Urinaria est Pars dissimilaris ad pubis ossa inter peritonæi duplicaturam sita, cava, urinæ receptaculum.

Est Pars dissimilaris. II. Dissimilaris pars est. Constat enim Membrana duplici, exteriore à Peritonæo, interiore propria, quæ absente Urina rugosa est; & duobus Musculis, altero excretivo totam vesicam ambiente inter geminas ejus Membranas; altero sphinctere, collum ejus fibris suis circularibus amplectente.

Eius Functio. III. Urinam ex allabente per Ureteres sero ortam continet hæc vesica, arctata per sphincterem ejus cervice: eamque voluntariè excernit per Excretivum inde dictum musculum cavitatem ipsius undique constringentem.

CAPUT XXI.

De Vasis Spermaticis Virilibus præparantibus.

Vasa Spermatica virilia præparantia quænam. I. Pro Vasis Spermaticis vulgò habentur duæ Venæ totidemque Arteriæ, Spermaticæ inde dictæ; ex Circulari tamen Sanguinis motu arteriis tantùm id muneris tribui potest, cùm venæ Sanguini referendo fiunt dicatæ, unde & plurimis donatæ sunt valvulis, Sanguinis motum testes versùs impedientibus.

Eorum insertio. II. Inferuntur hæc Vasa partim in testes; partim in Epididymidas, quò antequam perveniant sinuoso feruntur ductu, membrana tenui firmata.

CAPUT XXII.

De Testibus.

Testium descriptio. I. Testes sunt Partes dissimilares, seminis generationi dicati.

Substantia. II. Constant autem substantia alba, Spongiosa, membranæ validæ involuta.

An iis Semen generetur. III. Dubitari potest, an in ipsis Testibus generetur Semen, an tantùm fermentum, quod in Epididymidas transmissum Sanguinem ibi mutet in semen.

Unde pendeat virilitas. IV. Ab hoc Fermento pendet Virilitas, quo destituuntur Animalia castrata, quæ carnem proinde habent suaviorem, quæ in non castratis durities aliquam exhibet.

CAPUT XXIII.

De Vasis deferentibus Ejaculatoriis, de Parastatis, Vesiculis Seminariis, & Prostratis.

Vasorum deferentium descriptio. I. Deferentia Vasa sunt Corpora alba, nervosa, tertia, fistulosa, serpentino ductu à Testibus ad Vesicæ cervicem delata, semen eò deferentia.

Parastatæ quomodò ab iis differant. II His continuæ sunt Parastatæ (Epididymides quoque dictæ) nec ab iis differunt, nisi in eo, quòd Serpentinus earum ductus magis sit confusus & anfractibus implicatus.

Eorum initium & terminus. III. Incipiunt ubi desinunt vasa præparantia dicta, quorum partem accipiunt, ac Testibus toto suo ductu adhærentes in deferentia vasa terminantur.

Functio. IV. Accipiunt à testibus per communes fistulas exiles aut Semen, aut, quod fortian non improbabile, fermentum, cujus ope in semen fermentatur in ipsis sanguis.

Vesicula Seminaria. V. Antequam Vesicæ cervicem attingant deferentia vasa, in Vesiculas aliquot Seminarias dictas dilatantur, in quibus asservatur Semen.

In Prostatis qualis humor. VI. Post constitutas has Vesiculas coeunt vasa deferentia, & in Prostatas desinunt, Glandulas ad Penis radicem sitas, quas humorem oleaginosum tenuem continere volunt ad Urethram illinendam voluptatemque in Coitu excitandam, quem tamen humorem crassiorem pro semine habent alii.

CA-

CAPUT XXIV.

De Pene.

Penis descriptio. I. PEnis est Pars dissimilaris, oblonga, erigi apta, sicque in coitu tum voluptati, tum feminis ad Uteri orificium delationi inserviens.

Quibus partibus constet. II. Constat autem partibus communibus, cuticula, cute, & carnoso panniculo, propriis verò Urethra, corporibus nervosis, glande, musculis & Vasis.

Urethra quid. III. Urethra est Canalis Membraneus à Vesicę cervice sub medio pene per glandem productus, feminis & Urinæ deferendis dicatus.

Penis Corpora nervosa. IV. Corpora nervosa duo sunt, rotunda, oblonga, sibi cohærentia, & penis corpus constituentia, sub quibus fertur Urethra, Substantiam habentia fungosam, ut arterioso Sanguine repleta turgere queant & extendi.

Arteriæ. V. Unde & insignes arterias acceperunt ab Hypogastricis.

Caput. VI. Penis caput glans dictum, Substantia constat, quàm nervosa corpora, solidiore, estque figuræ turbinatæ.

Præputium. VII. Tegitur præputio, quod ex communibus partibus constitutum naturaliter à glande removeri potest, Judæis resecari solitum.

Ejus frænum. VIII Hoc glandis inferiori parti ad ejus foramen connectitur per Vinculum, frænum dictum, quod per totam penis inferiorem faciem ferè ad modum cicatricis ferri videtur.

Penis Musculi. IX. Musculorum duo paria accepit penis, alterum ejus erectioni, alterum Urethræ dilatationi præfectum.

CAPUT XXV. XXVI. & XXVII.

De Vasis Præparantibus, Deferentibus, & Testibus Fœmineis.

Vasorũ præparantium fœminarũ à virilibus differentia. I. VAsa Fœminarum præparantia à Virilibus differunt situ, qui in fœminis intra abdomen tantùm est, cùm in Viris etiam in scrotum excurrat; unde & breviura sunt in fœminis, in quibus inferuntur partim in testes, partim in vas deferens, partim in Uteri cervicem exteriorem.

Fœminarũ Testes. II. Testes, quàm Viris minores, in Abdominis cavitate ad Uteri latera reconditi ex pluribus quasi glandulis & vesiculis constare videntur, feminisque generationi, ut viriles, inserviunt.

Vasa deferentia. III. Deferentia Vasa testibus per Media tantùm vasa & membranas connexa sinuoso ductu partim in uteri protuberantias laterales, cornua dictas, partim in cervicem feruntur exteriorem: unde & gravidis major in coitu voluptas excitatur.

CAPUT XXVIII. & XXIX.

De Utero.

Uteri descriptio. I. UTerus est pars Membranosa, cava, hominis generationi dicatus locus.

II. Substantia Uteri Membranosa est, & gravidi tatis tempore in immensum dilatabilis, ita tamen ut post partum naturalem ferè magnitudinem resumat, quæ vix transversos digitos duos in latitudine superat, totidemque à fundo ad Cervicem.

Cavitas. III. Cavitatem exiguam habet, vix Amygdalam capientem; cuius Figura eam quodammodò refert trianguli speciem, cujus recta quidem sunt duo crura, tertium curvum.

Figura. IV. Pyro compresso non malè assimilatur uteri *Collum. Cervix.* Figura; à latiore enim fundo sensim desinit in oblongum collum, ejusdem cum Utero substantiæ, & in exteriorem cervicem angusto hians orificio.

Eius Functio. V. Allicitur per hoc orificium semen virile in Uterum; in quo si fœmineo mixtum servetur; *Uteri Functio.* conceptio fit.

VI. Conceptionis enim & generationis locus Uterus est: Generatur autem & Formatur fœtus ex semine utriusque parentis, nutritur Sanguine materno ab utero accepto. *Fœtus utriusque parentis semine.*

VII. Plurima ideò data sunt utero vasa, quæ graviditatis tempore multùm augentur, post partum iterum minuuntur. *Plurima uteri vasa.*

CAPUT XXX.

De Uteri Collo exteriore.

I. COllum Uteri exterius, penis vagina dictum, situm est inter Uterum & pudendum, Substantia præditum Membranea, fungosa, rugosa. *Colli Uteri situs. Substantia.*

II. Faciunt rugæ tum ad Voluptatem, tum ad colli in partu explicationem. *Rugarum eius utilitates.*

CAPUT XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. & XXXV.

De Pudendo Muliebri, & Partibus ibi contentis.

I. IN Muliebris pudendi examine occurrunt primo locu Pubis pili ad labia erumpentes. *Muliebris Pudendi Pili.*

II. Rima Magna exterior à labiis constituitur; quæ diducta fossam navicularem manifestant; quin & cum alis minores formant rimas, utrinque unam. *Rima. Fossa navicularis.*

III. Labiorum exuberantię Veneris dicuntur Monticuli. *Monticuli Veneris.*

IV. Alæ, quæ & Nymphæ vocantur, ex interiore labiorum superficie cristæ galli instar efferuntur, & in superiori Vulvæ parte coeunt ad Clitorida. *Nymphæ.*

V. Est autem Clitoris processus virili peni quoad conformationem non absimilis: quin non rarò ex petulanti contrectatione plurimùm excrescit, ut ea abuti possint Mulieres, & aliquando ad Colli anserini magnitudinem observata est. *Clitoris.*

VI. Post hæc sequitur ipsum Cervicis exterioris orificium, cui quatuor appositæ sunt carunculę Myrtiformes dictæ, in Virginibus cornosa membrana vinctæ, relicta in sui medio exigua hiatura. *Cervicis exterioris Orificium. Carunculæ Myrtiformes.*

VII. Atque in his partibus cum Pinæo, Riolano, aliisque Virginitatem collocamus & frustrà alia in exteriore Uteri cervice quęritur à quibusdam Membrana Hymen, quę post vesicę in hâc Uteri insertionem sita sit adeò quòd non in Uteri collum, sed fossam magnam inseritur Vesicę cervix, uteri colli orificio superior, in quam reclinatur ut plurimùm Caruncularum myrtiformium maxima, quę cęteris ex parte ad tempus obliteratis, sola ferè remanet integra. *Virginitas. Hymen.*

VIII. Faciunt autem hæ carunculæ, & ad testandam puellarum Virginitatem, & ad excitandam in coitu voluptatem majorem: Atque ob hiaturæ hujus angustiam comitatur ferè primum coitum dolor, & Sanguinis profluvium. *Carunculorum myrtiformium Utilitas.*

CAPUT XXXVI.

De Membranis Fœtum involventibus.

I. DUæ tantùm humanum Fœtum involvunt, & continent Membranæ, Amnios & Chorion, quæ & secundina dicuntur. *Membranæ Fœtum involventes.*

II. Amnios immediatè fœtum cingit, multumque humoris continet, cui innatat fœtus. *Amnios.*

III. Chorion exterior est, & Uteri fundo connexa per carneam massam, Uteri placenta & hepar dictam, Sanguinis ad fœtum amandandi elaborationi dicatam. *Chorion.*

CAPUT XXXVII.

De Vasis Umbilicalibus.

I. CUm Membranis suis & Utero communicationem habet fœtus per Umbilicalia dicta vasa, Venam, Arteriasduas, & Urachum. *Vasa Umbilicalia.*

II. Per venam ex Utero in fętus hepar ad Nutritionem, & augmentũ, allabitur maternus Sanguis. *Vena.*

Seriq. III. Per arterias defertur in fœtus membranas arteriosus Sanguis ab ipso fœtu, unde ligatę hæ arterię pulsant versùs fœtum, non versùs Membranas.

Vrachus. IV. Urachum pro ligamento Vesicæ habemus, non pro meatu excernendæ Urinæ dicato.

Finis Libri Primi.

LIBER II.

DE MEDIA CAVITATE,

C A P V T I.

De Mammis.

Mammarũ in fœminis Vtilitas. I. CUm erectæ incedant Fœminæ, in Hypogastrio, aut reliquo abdomine impedimento fuissent Mammæ, quas ad commodam lactationem in pectore sitas habent, ut scilicet Maternis ulnis admoveretur Mammis infans.

Substantia. II. Substantia Mammarum glandulosa, est vi Sanguinem in lac convertendi prædita.

Papilla. III. Exurgit e Mammarum medio papilla, fungosa substantia, exquisiti sensus, aliquot pertusa foraminibus, per quæ exugitur lac, & exstillat.

C A P V T II.

De Musculis Intercostalibus.

Intercostalium Musculorum externorũ insertio, Vsus. I. INtercostalium musculorum externi à Costarum superiorum partibus inferioribus orti in partes inferiurum superiores inferuntur obliquè antrorsùm delati.

II. Hi dum contrahuntur inferiorum costarum partem Sterno viciniam ad superiorum remotiorem sursùm & retrorsùm trahunt, sicque Thoracis elevationem promovent, & amplitudinem, adeoque inspirationem.

Internorũ Insertio. III. Interni ab inferiorum costarum parte superiori orti superiorum inferiori implantantur, fibris itidem obliquè antrursùm præcedentibus, ut ita cum externorum fibris Chiasmum efficiant.

Vsus. IV. Hi dum agunt, partem costarum superiorem, sterno viciniorem ad inferiorum remotionem trahunt deorsùm & retrorsùm, sicque juvant pectoris detractionem, & angustiam, adeoque exspirationem.

C A P V T III.

De Diaphragmate.

Diaphragmatis descriptio. I. DIaphragma musculus est Tenuis, in medio Nerveus Circuli modo expansus, costisque implantatus; Thoracis Cavitatem convexa, Abdominis verò concava sua facie spectans, eorumque viscera ab invicem segregans, inspirationi & exclusioni contentorum in Abdomine inserviens.

Ejus Vsus. II. Dum agit, & contrahitur, planus fit, vergitque deorsùm centrum ejus nerveum, unde & Thoracis cavitas amplior fit, & Abdominis viscera deorsùm urgentur.

C A P V T V.

De Pericardio.

Pericardii descriptio. I. PEricardium Membrana densa est, Cor capsæ modo continens, & humorem Glutinosum ad superficiei Cordis humectationem.

C A P V T VI. & VII.

De Corde.

Cordis descriptio. I. COr est Pars dissimilaris perfectum in suis Ventriculis Sanguinem in Universum corpus vi constrictione dispensans.

Cordis partes. II. Ad utilem hanc Functionem exercendam data Cordi vasa, sanguini afferendo, & efferendo; Auriculę eidē infundendo; Ventriculi excipiendo; musculosa verò caro effundendo dicata; quin ne irritus foret hic conatus, si per eandem viam emitteretur, per quam fuerat admissus sanguis, appositæ sunt vasorum Orificiis Membranulæ, valvulæ dictæ.

Ventriculi Bini. III. Binos accepit hominis Cor Ventriculos, ut bina quasi destillatio ne, majori proinde elaboratione sanguis evaderet perfectior.

Septum. IV. Distinguit in dextrum & sinistrum hos ventriculos medium septum neutiquam pervium, sed eiusdem cum reliquo corde substantiæ.

Sanguinis ad & per Cor Motus. V. Sanguinem in hepate genitum & ab universo corpore redeuntem corde advehit Vena Cava, in dextram ejus auriculam hians, & in eam sanguinem suum exonerans; unde & ubi auriculæ committitur carnosas accepit fibras, quibus mediantibus contentum in se sanguinem in auriculam protrudit motu constrictionis non rarò ad oculum in vivis sectionibus apparente.

Auricula dextra. VI. Auricula hæc dextra sanguine plurimùm distenta, eundem in dextrum cordis ventriculum deponit, dum sese undique coarctat, fibrarum suarum musculosarum beneficio.

Sanguinis è Corde ad Pulmonem Motus. VII. Protrusus in Ventriculum Sanguis, ab interno Cordis igne rarefit, inque majorem attollitur mo. lem; unde expansis ab ipso Cordis Parietibus dilatatur Ventriculi cavitas: dum autem magis magisque rarescit Sanguis, estque molesta nimia Parietum distensio, insurgit & Fibrarum suarum musculosarum contractione, adeoque cavitatis ventriculi constrictione, exitum sponte quærentem Sanguinem in Pulmunalem arteriam Cor protrudit.

Orificii clausura per valvulas tricuspidales. VIII Hoc dum fit, membranei circuli cavæ orificio circumtensi, & in tricuspides valvulas abeuntis, fibræ columnarum musculosarum, quibus insertæ sunt, tractum sequentes, dictas valvulas tendunt, orificiumque ita claudunt, ut sanguini non detur regressus.

Cor esse Musculum. IX. Nec est, quod quis miretur, tribui cordi motum musculosum, cùm reverà ex musculis pluribus constituatur, ut continuata ad plures septimanas ejus coctura unumquemque docere potest.

Membranulę semilunares. X. Quò minùs autem is, qui in pulmones propulsus est è cordis ventriculo dextro sanguis, in eundem relabatur, appositæ sunt arteriæ orificio tres membranulæ semilunates, marsupiolorum instar, quæ à recurrente in arteriæ constrictione sanguine distentæ, ne in ventriculum refluat, prohibent.

Sanguini Motus per pulmones. XI. Hujus sanguinis parte àliqua nutritur pulmo, maxima in pulmonalem venam, malè venosam dictam arteriam, penetrat, atque aere per asperam arteriam in inspiratione attracto alterata, & tanquam per refrigeratorium destillata, in sinistram cordis deducitur auriculam.

Ad sinistrũ Cordis Ventriculum. XII. Hoc suum onus in Sinistrum Ventriculum deponit hæc auricula.

Et rursùm exeo. XIII. Atque non minùs quàm in dextro rarescit in sinistro cordis ventriculo sanguis, ejusque distendendo Parietes ad sui excretionem cor excitat, quod ut iam dictum insurgens, ac sese contrahens eum in aortam excludit arteriam tribus valvulis itidem munitam, sicque pulmonibus exceptis in universum distribuit corpus.

Orificii clausura per valvulas mitrales. XIV. Interim clauditur pulmonalis Venæ Orificium, valvulis binis mitralibus, circumtensum ipsi membraneum circulum, à quo oriuntur, detrahentibus.

XV. Harum Valvularum Crassior & longior ea est, quæ utriusque vasis orificia sibi contigua disterminat.

XVI.

Auricularum, Ventriculorum Motus variari pro varia interni cordis ignis constitutione. XVI. Atque ita se mutuò excipiunt Auricularum Ventriculorumque Motus, quamdiu scilicet Vergetus est cordis internus ignis, qui ubi languet undique potens est admissum sanguinem rarefacere, sæpiùs se in Ventriculos exonerant auriculæ, antequam semel ad expulsionem insurgat cor, cujus parietes manifestè tunc temporis cernuntur ab immisso sanguine expandi, præterim in anguilla.

Ventriculorum dilatatio, & constrictio unde fiant. XVII. Fit ergò Cordis Ventriculorum dilatatio, à sanguine in ipsus ex articulis presso, & sui rarefactione aut copia parietes expandente; Constrictio verò à musculosa cordis substantia ob distectionis fibrarum molestiam insurgente, seseque contrahente.

Sanguinis motus circularis. XVIII. Quemadmodùm in Pulmones amandati sanguinis pars minima in eorum abit nutricatum, maxima ad Cor revertitur, sic & qui in magnam arteriam in reliquum corpus propellitur sanguis ad ipsum per venas refluit, qui Circularis vocatur sanguinis motus.

XIX. Ut motus sanguinis circularis aliud nihil sit, quàm sanguinis à corde per arterias in in universum corpus fluxus, ac inde per venas Cor refluxus, itque continuus.

Sanguinem à Corde per Arterias moveri. XX. Non tantùm contineri, sed & moveri per arterias sanguinem à corde, licèt nullus fortè negaverit, unà tamen comprobari arteriæ ligatura potest: Ubicumque enim eam instituas, comperies turgere arteriam plurimùm citra ligaturam & fortiùs pulsare, quin inflicto vulnere sanguinem vi erumpere: sub ligatura autem nec tumor, nec pulsus, nec violenta sanguinis percipietur eruptio.

XXI. Sic si venam quocunque ligaveris loco, videbis eam citra ligaturam cavam & cor versùs detumescere, vix que aliquid ex aperta emitti sanguinis, nisi id quod inter dictam & proximam continetur valvulam, aut ex arteria per anastomosin communicari potest: Ultra ligaturam contrà intumescet plurimùm Vena, & tendetur, & sanguis ex secta effluet copiosè: certo argumento ferri Cor versùs in Venis Sanguinem; cui rei etiam suffragatur valvularum in venis cavitas cor spectans.

Et quidem reciprocè per venas. XXII. Continuum autem esse reciprocum hunc per arterias venasque sanguinis motum, vel inde patet, quòd exiguo temporis spatio ex aperto alterutro vase tota sanguinis massa effundatur.

Ejus Motus per Arterias causa. XXIII. Movetur per Arteria Sanguis & earum & cordis constrictione: dum autem constringitur cor & propellit Sanguinem, dilatantur arteriæ, & mox iterum constringuntur, idque per fibras suas trasversas.

Ut & per Venas. XXIV. Sic & per trasversas Venarum fibras cor versùs promovetur Sanguis, qui in iis continetur.

Anastomoses. XXV. Ex Arteriis in Venas penetrat Sanguis per Anastomoses, in variis locis Anatomico diligenti reperiendas.

Pulsus quã. de fiat. XXVI. Pulsus denique in Arteriarum sentitur diastole & Cordis sistole, dum scilicet erectus ejus mucro pectus ferit.

CAPUT VIII.

De Vasorum Cordis Fœtus Unione.

Vasa Cordis Fœtus cum Vena cava & arteria magna unita. I. Cum in Fœtu, dum Materno concluditur Utero, liber non sit Pulmonum nec Sanguinis per ejus vasa motus, ipsa cum cava Vena & magna Arteria uniit Natura.

Quomodò Vena Pulmonalis sit unita cum cava. II. Et Pulmonalem quidem venam, cum cava per foramen ovale, per quod ex cava in pulmonalem transit Sanguis, in magnam arteriam deferendus. Unde & apposita huic foramini Membranula, in pulmonali vena sita, Sanguinem in eam admittens, regressum impediens,

Quomodò Arteria magna cum Pulmonali. III. Magnæ autem & Pulmonalis Arteria Unio per canalem ext Arteriosum, quem ideò putamus factum, ut ex pulmonali arteria bona Sanguinis portio in aortam feratur, minùsque in Pulmones propellatur.

Uniones has IV. Remanent aliquando in Adultis hæ Uniones, posterior præsertim, ut plurimùm tamen seorsim coalescunt, cum nulla amplius earum post partum sit necessitas. *aliquando remanere, ut plurimùm coalescere*

CAPUT IX. & X.

De Pulmonibus.

Pulmonis descriptio. Partes. I. Pulmo est pars dissimilaris, præcipuum respirationis organum.

II. Constat autem ex Trachea arteria, per quam inspiraturque, & parenchymate Spongioso, in quo hæret aliquandiu Aer.

Trachea. III. Constituunt Tracheam Cartilagines anonlares, qua Oesophagum spectant Membranosæ, intermediis ligamentis connexæ, unde per earum fistulam patet semper Aeri ingressus & egressus.

Parenchyma. IV. Hujus Tracheæ, ut & Pulmonalis Venæ, Arteriæque ramis intertexitur Pulmonum parenchyma, ut dictum, spongiosum, tenui Membrana vestitum; & in lobos divisum.

Functio. V. Functio Pulmonis respiratio est, duabus cõstans partibus inspiratione & exspiratione.

Respiratio. Inspiratio. VI. Inspiratio est Aeris externi per Os, nares-ve in Pulmonem attractio.

Expiratio. VII. Expiratio verò est attracti Aeris per vias easdem expulsio.

Aer quemodò in pulmones attrahatur. VIII. Attrahitur Aer amplificata Thoracis cavitate, tum ob ejus à suis Musculis elevationem, tum ob diaphragmatis depressionem, quorum mutum sequitur Pulmo, proprio destitutus.

Quomodò expellatur. IX. Expellitur contrà arctata eadem pectoris cavitate, tum ob ejus relaxarionem, detractionemve à musculis Abdominis rectis, tum itidē ob Diaphragmatis relaxationem, autem Abdominis musculorum impressionem, sursùm adactionem: unde constricto Pulmone exspirat Aer.

Cur Aer inspiretur. X. Inspiratur autem Aer, ut Sanguis in dextro Cordis Ventriculo elaboratus, & in Pulmonalem arteriam destillatus, tanquam refrigeratorio denuò condensetur, & ad mox sequuturam in sinistro cordis Ventriculo destillationem præparetur.

Cur expiretur. XI. Hoc ubi præstitit Aer, exspiratur, ut novus denuò inspiretur, sic in distillatione per refrigeratorium, ubi eousque incaluit Aqua, ut vapores à materia elevatos amplius condensare nequeat, effundenda, & nova affundenda.

XII. Atque hæc primaria est inspirati Aeris utilitas, cui accedit secundaria Vocis scilicet reformatio, quæ cùm alium præterea requirat apparatum, de ea plura addere supersedemus.

Finis Libri Secundi.

LIBER III.

DE SUPREMA CAVITATE.

CAPUT I.

De Pilis.

Pilorum descriptio. I. Pili sunt partes similarum, tenues, longæ, quadrangulares, porosæ.

Esse corporis partes. II. Partes sunt, quia ex Semine generantur; inde pulli ex solo albumine generati plumis vestiuntur.

Nutriri sanguine. III. Nutriuntur Sanguine, qui in Polonica Plica ex resectis stillat; sic in pullorum plumis reperitur Sanguis.

Cutim transire. IV. Cutim transeunt, & in Carnosa, adiposa-ve firmantur Membrana.

Eorum Utilitates. V. Partes substratas adversùs Aeris inclementiam tuentur, suntque homini Ornamento.

CA-

CAPUT II. III. IV. V. & VI.

De Cerebro & Cerebello, eorumque Membranis, &c.

Cerebri descriptio. Ejus partes.

I. CErebrum est Pars dissimilaris, Animalium Spirituum officina.

II. Constat autem præter Membranas, quibus vestitur, vasa, ex quibus Sanguinem accipit; & Glandulas, in quas excrementa deponit; propria substātia albicante, friabili.

Meninges.

III. Membranas accipit duas, Meninges dictas, crassiorem alteram, & exteriorem, Calvariæ proximam; tenuiorem alteram & interiorem, substantiam ejus immediatè amplexantem.

Ejus divisio in Cerebellum & Cerebrum, per membranam crassam.

IV. Per crassam membranam dividitur in partem posteriorem minorem, Cerebellum dictam, & anteriorem, Cerebrum absolutè vocatam; quæ per eandem falcis modo antrorsùm protensam, in dextram sinistramque dividitur partem.

Per tenuem in anfractus, & laminas.

V. Per tenuem Membranam in Anfractus dispergitur exterior Cerebri Substantia; in laminas totum fere cerebellum,

Per quæ vasa sanguinē accipiat.

VI. Ex Carotidibus arteriis non tantum anfractuosam, sed & intimam substantiam penetrantibus, & in sinus abeuntibus sanguinem à corde accipit Cerebrum; ut à Cervicalibus, in lammellas retium modo dispersis, & in quartum sinum desinentibus, Cerebellum.

Sanguinem ex sinibus ad cor reflare.

VII. Delatus in sinus sanguis jugulares venas petit, & ad Cor refluit.

Excrementorum ex Animaliū Spirituum generatione separatorū motus.

VIII. In Animalium Spirituum generatione separata excrementa, partim in Pinealem, plexusque Choroidis glandulas, absorbentur, partim in Ventriculis cumulata, sensim per infundibulum ad pituitariam glandulam defluunt, unde pars tenuior in Palatum distillans in salivam mutatur, crassior in Naribus hærens Mucum constituit.

Catarrhorum materia.

IX. Excrementa hæc si nimia copia generentur, Catarrhis variis materiam præbent.

Cerebrum quomodò sit formatum.

X. Ipsa Cerebri Substantia exteriùs, uti dictum, anfractuosa, à binis spinalis medullæ radicibus educitur, ac retrorsùm extrorsùmque expansa, hinc demissa circa easdem contorquetur, & utrinque flacatæ figuræ Ventriculum format, qui in medio concurrentes inter dictas radices tertium constituunt, sub testium natiumque ponte ad quartum penetrantem.

Animalis Spiritus quomodò fiat.

XI. Cerebellum enim cum coeuntibus in scriptorium calamum spinalis medullæ radicibus cavitatem format seu quartum Ventriculum.

XII. Rectificatur quasi & ab omni phlegmate separatur per cerebri cerebellique substantiam pars sanguinis spirituosissima, Animalis Spiritus dicta, modo non ita diverso illi, quo Vini Spiritus per spongiam oleo imbutam destillatus, in alcohol abit.

Eius Usus,

XIII. Inservit Animalis Spiritus per Nervos in Universum corpus delatus, & objectis per sensus percipiendis, & motui per fibras perficiendo.

CAPUT VIII.

De Oculis.

Visus sensuum primarius.

I. INter Externos sensus primas facilè tenet Visus, vel ob admirandum organi sui, Oculi scilicet fabricam, magnumque constituentium eum partium apparatum.

Eius Organon Oculus. Eius partes.

II. Neque enim tantùm partibus ad Visionem absolutè facientibus donatus est oculus, sed & iis quæ eam reddunt faciliorem & ampliorem.

Musculi.

III. Ad plurium rerum Visionem faciunt Musculi, Oculum quaquaversùm contorquentes, in homine sex, recti quatuor, attollens, deprimens, adducens & abducens, obliqui duo, internus & externus.

Cilia & Palpebra.

IV. Facilitant visionem cum ciliis palpebræ, nimiam arcentes lucem, & vim ejus infringentes.

Tunicæ & Humores.

V. Præcipuæ Oculi partes sunt Tunicæ quinque & humores tres.

Tunica cornea.

VI Tunicarum harum, ut de adnata & innominata nihil dicam, extima in parte anteriore perspicua, indeque cornea dicta, posteriure opaca est & dura, à crassa nervi optici meninge ortum ducens, Oculi globum format, & humores continet præsertim Aqueum.

Eius Usus

VII. Hæc ubi perspicua esse incipit, aliquantùm extuberat, & speciebus à se refractis ingressum concedit, & transitum.

Uvea.

VIII. Eam sequitur Uvea, à tenui optici nervi meninge orta, ubique Corneæ per filamenta annexa, nisi ubi perspicua fit, ibi enim ab ea secedens, introrsùm fertur, & Iridem constituit; hinc foramen pupillam dictum relinquens, & duplicata in posteriora retorquetur, tandemque in Crystallini humoris circumferentiam ciliares mittit processus.

Pupilla.

IX. Coguntur in pupilla admissæ per Corneam species, nimiumque arcetur lumen, in quo angustatur, in tenebris contrà ampliatur: Angustatur item in Visione distincta, ampliatur in confusa.

Processus ciliares.

X. Novas in Oculi fundo faciunt ciliares processus tenebras, ne ab admissa per pupillam luce obliteretur, quæ in retina fit objectorum pictura.

Retiformis.

XI. Quæ Tertia est oculi Tunica, à similitudine Retiformis dicta, orta à Medullosa nervi optici substantia, intra Uveam ad ciliares processus usque expansa.

Quare præcipuum visionis organon.

XII. Sistuntur in hac species, specierumque pictura: unde & meritò pro præcipuo visionis habetur organo.

Tunica Cristallina, & Vitrea.

XIII. Quæ reliquæ sunt Tunicæ humoribus terminatis Crystallino, & Vitreo, quos investiunt, propriæ sunt, & inde Crystallina Vitreaque dictæ.

Humores.

XIV. Humores omnes perspicui sunt, variæ tamen perspicuitatis, unde & transmittendis, varieque infringendis speciebus dicati.

Aqueus, Vitreus, Crystallinus.

XV. In anteriori oculi parte Aqueus est, in postica Vitreus, quos cum ciliaribus processibus ab invicem distinguit Crystallinus, forma lenticulari, anteriùs magis depressa.

Aqueum non habere Tunicam propriam.

XVI. Aqueus propriam non habet Tunicam, nec consistentiam; unde læsa cornea statim exstillat, in junioribus tamen subinde regeneratur.

Finis Libri Tertii.

APPENDIX.

De Venis Lacteis.

Venas esse Lacteas.

I. DIximus superiùs deferri ex Intestinis in Hepar Chylum per Venas Lacteas, quas existere demonstrat Autopsia.

II. Fertur in eas Chylus ab Intestinis expressus; non autem ab Hepate, ipsisve attractus: Ligatæ enim detumescunt quidem Hepar versùs, at intumescunt quoque versùs intestina quod non fieret si ab Hepate in eas alliceretur Chylus, interrupta per ligaturam Communione.

In eas Chylum ab Intestinis ferri, non ab Hepate. Nec ab ipsis venis.

III. Sed nec ab ipsis Venis atrahitur, cùm alicubi tractioni suæ fundamentum habere deberent & principium, sive illud Hepar statuas, mediamve Mesenterii Glandulam, quod itidem evertit ligatura.

IV. Admissus in Lacteas Chylus peristaltico earum motu ad Hepar protruditur.

V. Qui ne ad Intestina refluat faciunt, quæ in ipsis plurimæ sunt, Valvulæ cavitate sua Hepar spectantes.

Chyli in iis motus.

VI. Cùm autem earum officium sit non asservare, sed recta in Hepar Chylum deferre, idque sui perficiant coarctatione; mirum non est, si, ubi munus suum exequutæ sunt, arctatæ maneant sub fibrillarum in media pinguedine latitantium, & quasi transparentium specie: Unde & post mortem eas, in non nimis pinguibus demonstrare haud difficile.

Cur post mortem non facilè demonstrentur.

VII. Quin hinc subitæ disparitionis, plerosque adhuc dum torquentis causa reddi hæc queat: majori

scilicet

scilicet opus esse in intestinis laxis ad Chyli ab excrementis expressionem vi, quàm in tensir naturaliter hisce venis ad ejusdem in hepar propulsionem. Unde etiam post mortem quamdiu scilicet calent adhuc Chylo turgentia Inrestina, tamdiu enim in has venas exprimunt, quas in cane tribus post mortem horis ante duos menses reperimus Chylo aliquantùm, & post ligaturam magis turgentes, vidimus aliquot Intestina serpentino ductu perreptantes, etiam non ligatas Chylo remansisse turgidas, quod frigori acceptum refero, Venarum harmmce tenuium vim citiùs opptimenti, quàm Intestinorum.

FINIS.

FRANCISCI DELEBOE, SYLVIJ,

In Illustri Lugduno-Batava Academia Medicinæ Practicæ Professionem auspicaturi,

ORATIO INAUGURALIS,

DE

HOMINIS COGNITIONE,

Habita 15. Kalend. Octobris Anni à Christo nato 1658.

Magnifice Domine Rector.

Nobilissimi, Amplissumque inclytæ hujus Academiæ Curatores.

Spectatissimi, Prudentissimique Florentissimæ hujus Leidensis Resp. Prætor, Consoles, Iudices, Senatores, quippe ipsi estis à Consiliis & Secretis.

Professores Celeberrimi, Collegæ Venerandi.

Ecclesiastæ Reverendi.

Doctores, Artiumque Magistri Eruditissimi.

Viri, quotquot adestis, Honorati, Doctissimique.

Generosa denique, Lectissimaque studiosæ Iuventutis Corona, spes Patriæ maxima.

Socratem Naturalis scientiæ investigationi deservisse, & Morali se dedisse.

SOcratem, Atheniensem Philosophum, dicere solitum narrant, se hoc unum scire, se nihil scire. Absit, ut tantum virum ex arroganria id dixisse suspicer, qui ex conscienria id ab ipso prolatum censeo. Utique hunc ipsum Naturæ abdita scrutatum quidem tradunt, ad eam tamen aditum, si non omninò præclusum, certè arduum & perdifficilem animadvertentem, hinc de piospeio successu diffidentem ac desperantem (requisitam interim ad scientias comparandas in humana mente dispositionem, ingenuam scilicet imbecillitatis nativæ agnitiunem, atque imprimis dissimulatæ à plerisque, utut omnibus communis, ignorantiæ derectionem ac perceptionem apprimè necessariam, egregia illa & ob summum candorem laudarissima confessione cunctis præmonstrantem) naturalis scientiæ investigationem ulteriorem deservisse, & morali Philosophiæ adornandæ se totum dedisse, tantosque & sibi, & aliis in ea profectus fecise, ut inter primarios ævi sui Philosuphos nierito suo numeraretur.

Optandum equidem foret, hominem hunc inanis gloriæ & sui contemptorem, atque in primo ad scientias gradu jam constitutum, sed & consistentem, animo fortiori & constantiori occurrentibus in naturalium rerum perquisitione difficultatibus obviam ivisse; isque superatis viam nobis ad illius atcana feliciter à se ttitam patefecisse, nec tantùm in moralem, sed & naruralem, hominis cognitionem penitissimè nos deduxisse.

Quoniam autem nobis per ipsum non licet tam esse beatis, aliunde petendum, quod ab ipsu factum desideramus frustià.

Naturalis scientiæ investigatio difficilis.

Desudarunt quidem ante & post ipsum in hoc opere philosuphi quamplures, quamvis successu & laude impares, pro laudabili tamen conatu laudandi omnes.

Et magni momenti.

Enim verò se ipsum, hominem, undique nosse, omnium hominum interest, ergò & nostià; Quapropter si quas de huminis cognitione animo volvo, foveoque cogitationes, inangurali hac oratione comprehensas paucis persequar, tem & nobis umnibus, hominibus, & angustissimo hoc templo Academico, & expectatione vestra haud indignam me facturum existimavi.

Hominis dignitas.

Quid enim hominibus dignum magis perpendi potest, ipso eodem homine, Creaturarum omnium complemenro, mundique majoris compendio, & microcosmo, quodque rei caput est, ad Dei Creatoris sui imaginem, atque similitudinem creato?

Quid venetabili hoc loco dignum magis proferri porest, ipso eodem homine, qui parte sui meliore hic & formatur, & informatur?

Homo Medicinæ subiectum.

Quid denique expectatione vestra, (hominem quippe in hominibus corpore, menteque non raró captis liberandis, & integræ valetudini, ut sit mens sana in corpore sano, restituendis penè tritum audituri confluxistis) dignum magis enarrabo ipso eodem homine, Medicinæ, Artium reginæ subjecto?

Cognitionis Organa, & obiecta.

Hominem dico sensibus præditum & ratione, quorum adminiculo & se novit, & cæteras creaturas; quinimò se transcendens ad Creatotis insuper notitiam evehitur; in qua, utpote summo bono, figitur tandem, & conquiescit anima humana.

Sui ipsius cognitio via ad felicitatem.

Utique ad felicitatem quæ duceret, viam esse sui ipsius cognitionem, jam olim ipsis Ethnicis, ex Oraculo Delphico innotuisse perhibent. Equidem omnia quodammodò novit, qui se ritè novit; nam ne se quidem novit, qui cetera ignorat; adeò concatenata est, & indissolubils tui sui ipsius, tum illarum rerum omnium cognitio.

De qua nostra nostrique cognitione pro more solenui, cui & me morem gerere æquum, facturus impræsentiarum verba, audebo vestra benevolentia fretus rem mihi novam tentare, & publicè loqui. Quòd autem minùs compta, ornataque sit mea disserrario, non tam culpam à Vobis deprecabor, Audiores, quàm veniam optimo jure exposcam. Neque enim me profiteor Oraturem, ast Philosophum & Medicum; cui inter medias ægrutorum querelas, & ejulatus per annos complures animam trahenti non licuit esse verborum ad amussim dispositorum, sententiarumque in quadium redactarum indagarori curiosu, quin potius auxiliorum levamen ipsis & sanatiunem allatururum investigarori strenuo.

Pugnandum erenim fuit cum infestissimis humanis generis hostibus, morbis; qui verborum lenoci-

nis

niis nec capi se patiuntur, nec abigi; verùm medicamentis potentibus, utut barbarè nonnunquam præscriptis. Curati sermonis delicias & illecebras parùm curat, solicitè qui curat ægros. Mihi ergò practico, & Praxin Medicam docturo vitio verti nolim sermonem minùs elegantem, dum modò dilucidum, atque perspicuum. Sed ad rem.

Sui ipsius cognitio res ardua.

Nosse nos-ipsos jubemur omnes. Atque hic Rhodus, hic saltus. Neque enim facilis, quin summè ardua res est, se-ipsum nosse. Non desperandum tamen mox de successu, aut cedendum occurentibus difficultatibus, verùm iis audentius obluctandum: quam ob rem postquam in magnis vel voluisse sat est, tentabo & ego hoc vadum, an fortè detur emergere.

Mentis nostræ in rebus cognoscendis processus.

Quandoquidem, quod uni duntaxat omnium parenti, Adamo, contigit, non creemur viri, sed nascamur infantes, nec mox ab ortu ingenio valeamus, judicioque; nam hæc quoniam in cæteris infantibus observamus imbecilla, eadem similiter in nobis infirma fuisse opinamur; nec quid primum, quidve secundum, & sic deinceps mox à nativitate nobis obvenerit cognoscendum, quave methodo in singulorum cognitione progressa fuerit in tenero corpusculo anima nostra satis constet; mentis nostræ in cognoscendis rebus processum diligentiùs jam viri facti pervestigantes, sequenti ferè methodo totum hoc negotium, meo saltem arbitratu, absolvi comperiemus.

Omnis cognitionis initium à Sensibus.
Notio prima & prima mentis operatio.

Quicquid in sensus externos, à quibus omnis cognitionis nostræ initium naturaliter fieri tam mihi certum est, quàm quòd certissimum; unde etiam ab antiquis Philosophis sancitum verissimè, Nihil in Intellectu, quod non priùs fuerit in sensu; Quicquid, inquam, in externos sensus quosvis incurrit, id omne cognoscendum proponitur animæ, quæ munere suo fungens, admissumque sensus organo objectum apprehendens, ac perpendens, ideam ipsius & notionem format, confusam, distinctioremve, prout operi suo minùs, magisve attentus est animus. Quam *notionem*, & *primam*, & *prima mentis operatione* formatam, & rem, uti in se est atq; primo illo intuitu dijudicata est, repræsentantem vocant Dialectici.

Secunda mentis operatio.
Notio secunda duplex.

Ubi autem plures à se formatas, coacervatasque in memoria Ideas & notiones primas inter se confert humana mens, easque in quibusdam sibi similes, in aliis verò circumstantiis dissimiles observat & notat; mox *secunda sua operatione* novas sibi fabricat *notiones*, easque duplices, utrasque *secundas* dictas; illas in quibus primæ conveniunt; has, per quas à se invicem differunt. Illas, infimas quidem, & primis proximas, *speciei*; superiores autem & à primis remotiores, *generis*; has denique *differentiæ*, tum specificæ; tum genericæ nomine vulgò insignitas. Pluribus quippe abstractionum gradibus progreditur in illâ secundarum suarum notionem formatione humanus intellectus.

Scientiæ desiderium à notionum multitudine & varietate.
Ratiocinatio.
Quid peragat.

Quæ notionum multitudo, & varietas admirationem primùm, mox & varietatis omnis rationes & causas veras sciendi desiderium in homine parit. Unde scientiæ illius cupiditate excitata mens, & ad *tertiam suam operationem*, *Ratiocinationem*, se accingens, notiones nuper & olim à se formatas recolit, singulasque accuratiùs expendendo, & inter se comparando, in quo diversitas illa imprimis consistat, scrutatur, & tandem in qualitatibus sensibilibus, tam cuivis sensui propriis, calore putà, colore, sapore, odore sono, duritie & cæteris; quàm pluribus sensibus communibus, numero, magnitudine, figura, motu & similibus diversitatem omnem reperiri animadvertit; atque post multas cogitationes perplexas & discursus, sequentes elicit conclusiones, &c.

Multum esse materiæ.

1. Quidem, Materiæ multum esse, unde tot & tanta constituuntur objecta.

Et quidem sibi dissimilis.

2. Non esse sibi ubique similem materiam illam, ex qua tam dissimilia constant objecta, sed dissimilem; adeòque plura, eaque inter se differentia esse sensibilium rerum omnium primordia.

Rerum primordia esse finita.

3. Cùm finita sint, non infinita, ut ut plurima, objecta sensibilia, eorundem primordia itidem finita esse, non infinita; certo proinde numero & definita in se, & definienda, determinandaque à nobis.

De iis diversæ sententiæ.

Ubi ob neglectas magno mortalium damno accuratæ methodi leges in diversas sententias, hinc sectas itum est à Veteribus & recentioribus Philosophis; plerisque ex opinionis suæ novitate, & probabilitate magis, quam probatione famam præ cæteris majorem aucupantibus; de suorum autem decretorum veritate parùm sæpè solicitis.

Rerum Naturalium Principia Mathematico more demonstrâda.

Quamvis proinde optabile foret, quæstionem hanc, quæ tot turbas & tenebras in Academiis excitavit & olim, & nunc, prout rei necessitas & dignitas exigere videtur, elucidari, pertractarique, & *naturalium rerum principia vera*, *eorumque numerum certum & qualitates legitimas* via, methodoque Mathematicis familiari demonstrari; illi tamen diutiùs immorari nec locus, nec tempus, nec instituti præsentis ratio nunc sinunt. Est etenim majoris res hæc moliminis, quàm ut paucis absolvi queat: nec tamen ingratam diligentibus Naturæ scrutatoribus rem me fecisse puto, quòd hic, quam post longum, fastidiique plenum laborem judicavi unicam, certissimam, tutissimamque, & ad naturæ arcana recta ducentem viam, digito commonstravi.

Mutationes hominis primariæ.

Dum autem non tantùm in aliis hominibus observat, sed & in seipso plurimas diversissimasque mutationes experitur homo, in sequentibus tamen, utpote primariis, singulisque hominibus communibus magis hæret, admiraturque imprimis corporis sui generationem ex tam vili & exili semine; membrorum deinde omnium & singulorum in utero materno conformationem & perfectionem nunquam satis perceptam, laudatamve; mox post partum prodigiosum, ambientis aeris inspirationem & exspirationem reciprocam, continuamque; ut & cibi, potusque assumptionem sustentando corpori tam necessariam; hancque consequentem excrementorum per vias varias expulsionem spontaneam, voluntariamve; motum itidem plerarumque corporis partium aut naturalem, aut animalem; vigilias insuper, & ipsas alternatim excipientem somnum; loquelam denique, & animi motiones varias ad amorem, odium, iram, misericordiam, & cæteras.

Ex earum consideratione ejus perturbatio.

Hæc cùm admirabundus seriò perpendit homo, vehementer in suis turbatur cogitationibus, & tantùm non obstupescit? ubi scilicet, quod aliis accidere meminit & fortè vidit, idem sibi quoque imminere prævidet, & mox futurum præsentit, ut videlicet omnia hæc una cum vita brevi cessent, nihilque aliud à morte præter corruptionem & putrefactionem corpus suum maneat.

Hominis mens sive Anima.

Ex qua tamen perturbatione, tanquam veterno excitatus, & in præcipua hac humani generis metamorphosi expendenda, examinandaque diutine occupatus homo, aliquid in ejus ortu & generatione corpori suo accessisse judicat, quod in ejusdem interitu recedat denuò, quodque durante vita omnibus illis recensitis præsideat mutationibus, illasque regat & gubernet.

Atqui hoc ipsum est, quod animam vocamus, & mentem: utique partem hominis primariam; quæ, cùm in exteroos non incurrat sensus, insensibilis convincitur, soloque adeò intellectu perceptibilis, quam & spiritualem dicimus.

Dei cognitio.

Sed nec hic hæret homo, quin potiùs & suæ, & cæterorum hominum existentiæ initium cum vita observans, finemque in morte expectans, nec rerum infinitarum in infinitum deductionem possibilem animadvertens, sistitur tandem in primo aliquo, adeòque æterno rerum omnium itidem insensibili, sed & infinito principio & authore Deo, uno, vero, bono; à quo creaturæ omnes & esse suum habent, & benè esse.

Scientia & Intelligentia quid, & qui differant.

Quemadmodùm autem sensibilium objectorum cognitio, *scientia* dicitur, sic insensibilium & spiritualium notitia vocatur *intelligentia*; utpote quæ sensus fugientia & transcendentia sola usurpantur ratione, & statuminantur ratiocinatione, utut ad ipsa cognoscenda processurus intellectus cogitatio-

num

num suarum initium ab ipsis faciat sensibus, objectisque sensibilibus.

Rerum cognitione lætatur, mortis recordatione tristatur.

In memorata sensibilium & insensibilium rerum cognitione per continuatam ratiocinationem gradatim deducta lætatur quidem homo, gaudetque: mox tamen caducæ suæ vitæ, mortisque adstantis recordatus, miseræ suæ sortis vices & miratur, & dolet.

Et eam sua culpa sibi impendere fatetur.

Dum autem in Deo Opt. Max. cur concessæ suo corpori per animam vitæ invideat, causam comminisci potest homo nullam; sua culpa mortem sibi impendere, invitus licèt, concludit, confitetur, & conqueritur.

Tam spiritualem, quàm naturalem.

Hominem profectò Deo, Creatori suo & Domino cultum eo nomine, obsequiumque debere quis non videt? In alterutro si deliquerit, pœnam ipsum necessariò manere quis non cepit? si peccatum igitur est, uti reverà peccatum est ab homine, ex Dei favore ipsum excidisse, & mortem ipsi pœnam impositam esse, quis non agnoscit & tristatur? Mortem, inquam, non spiritualem duntaxat in hominis à Deo rejectione & repudiatione consistentem; sed & naturalem, spiritualis imaginem in corporis, animæque dissolutione conspicuam.

Hominis Vita & mors triplex.

Naturalis.

Civilis.

Spiritualis.

Enimverò hominis in hac miseriarum valle peregrinantis sortem & fortunam si perpenderis accuratiùs, tergeminam ipsum vitam ibi vivere, mortemque obire posse comperies, naturalem, civilem & spiritualem. Naturalis autem vita tamdiu durat, quamdiu perdurat & permanet in corpore anima humana; cujus è corpore excessum excipit mors, relicto non tam corpore, quàm cadavere. Civilem itidem vitam agere dicitur homo, quamdiu ipsi cum civibus suis benè est, versaturque in eorundem benevolentia, quando autem ipse tanquam privatæ, publicæve pacis, tranquillitatisque perturbator contemptui exponitur, ipsique libero cæterorum civium commercio & consortio, quandoque etiam, ne pejus nunc dicam, aqua & igni interdicitur, habetur tunc pro civiliter mortuo. Spiritualem denique vitam vivit homo, quamdiu Creatorem suum piè colens mandatisque ipsius auscultans & obsecundans, Dei sui gratia fruitur, gaudetque; ubi autem impius factus & Deo inobediens eadem privatur, censendus venit spiritualiter mortuus.

In cujus triplicis vitæ, mortisque naturam & rationes ne ulteriùs, quàm nunc par est, abduci me patiar, multa paucis complectar verbis.

Naturalis vita & mors unde pendeant.

Vita cum lampade comparatio.

Ergò in naturali vita tamdiu corpori junctam restare hominis animam observamus, quamdiu innatum Cordi calidum ardere deprehenditur; cujus extinctionem animæ è corpore egressum, id est, mortem sequi videmus. Equidem accensæ lampadi haud absimilis est naturalis hominis vita, vitevæ causa naturalis proxima: nam quemadmodùm justæ quantitatis & qualitatis oleo alitur in aere libero flamma; suffocatur autem eadem in aere concluso; vel obruitur ab olei nimia copia; vel languescit ex ejusdem penuria; vel hebetatur ab ejusdem impuritate: Ita plane sustentatur innatum calidum à sanguine debita quantitate, qualitateque in cor influente, recreaturque reciproca aeris inspiratione & exspiratione; extinguitur autem intermissa respirati aeris reciprocatione; vel opprimitur sanguine nimis copiose in cor influente, ibique hærente, vel perit ex sanguinis defectu; vel retunditur à sanguine in pabulum ineptum depravato.

A naturali morte ad vitam nullus regressus.

A qua morte naturali nullus est observatus unquam naturalis ad vitam regressus.

Civilis vita & mors in quibus consistant.

In civili autem vita tandiu perseverat quivis homo, quamdiu tanquam justus & æquus ab aliis hominibus benè audit secundùm varias, quas præter odiosa fortunæ bonorum discrimina cuique homini cum aliis hominibus intercedunt necessitudines. Quarum prima quidem & intima est inter conjuges; huic proxima & naturalis inter parentes & liberos, hinc & consanguinitate propinquos; voluntaria inter amicos, coacta inter dominos & servos; concessa inter senatum & populum; libera denique inter cæteros ejusdem loci, aut regionis, orbisve universi habitatores. Ex terrenis proinde bonis suum cuique tribuere; debitumque insuper solvere homo tenetur & conjugi amorem; & parentibus pietatem, & liberis charitatem; & consanguineis benevolentiam & amicis fidelitatem; & dominis obsequium; & servis mansuetudinem; & senatui observantiam; & populo benignitatem; & cuivis alii homini comitatem. Utique ad civilem vitam feliciter absolvendam unica hæc est, & recta via; à qua quò quis aberraverit longiùs, eò citiùs putandus civiliter mortuus & infelix.

A civili morte ad vitam quomodo fiat regressus.

A civili hac morte ad vitam reditus est iis, qui facta vitiorum in virtutes emendatione in gratiam redeunt cum illis, quos priùs offenderant, & à quibus tanquam infames proscripti fuerunt.

Quamdiù in spirituali vita permanserit homo, & unde in Mortem inciderit.

In Spirituali denique vita tamdiu permansit homo, quamdiu Deo conditus ejusdem obtemperavit imperio; quamprimùm autem calumniatori auscultans Diabolo, Dei mandata, minasque transgressione sua conculcavit, mox in mortem incidit spiritualem, excidítque cum posteris ex Divina benignitate.

Christus Hominum redemptor.

Quoniam autem Deum, Creatorem suum eumque infinitum, per se ipsum, creaturam finitam, pacare non potuit homo; facta est pro incomprehensibili atque inexplicabili clementia & misericordia, qua miseratus est humanam miseriam Deus, peccati humani explicatio in promissum Patribus Messiam, Immanuelem, Christum Jesum, qui dedit se-ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & morte sua nos reconciliaret Deo: cujus gratia salutifera erudimur, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus in præsenti sæculo ad conservandam, naturalem quidem vitam, temperanter; civilem autem, justè; Spiritualem denique, piè vivamus.

Pietatis, Justitiæ, & Temperantiæ cognitionem etiam ad Philosophū pertinere.

Quamvis autem Pietatis, ad Spiritualem vitam nos ducentis, latifundia ex professo peragrare sit Theologorum; Justitiæ verò, ad civilem vitam aditum nobis parantis, penetralia reserare Iuris-Consultorum; Temperantiæ denique, naturalem vitam tuentis, recessus pandere Medicorum, quis tamen in crimen vertet Philosopho, rerum omnium cognitionem, & cognoscendi modum adumbraturo, si hæc delibaverit?

Earum respectu tres esse in triplici vita Disciplinas Practicas, Theologiā, Jurisprudentiam, & Medicinam.

A quo nec hoc prætereundum, præter binas nupes memoratas Theoreticas, objectorum suorum veritatem spectantes, *Scientiam & Intelligentiam*; hic ternas prodire Disciplinas practicas, *Sapientiam, Prudentiam*, & *Artem*, sub totidem facultatum superiorum, *Theologiæ, Iuris-prudentiæ*, & *Medicinæ* moderamine, in descripta modò triplici vita, *Spirituali, Civili, & Naturali*, per totidem virtutes, *Pietatem, Justitiam & Temperantiam*, utilitatem homini afferentes & beatitudinem

Medicina Artium omnium Regina.

Ne quis tamen miretur nimis, aut ægrè ferat Medicinæ submitti à me hic Artem, imò Artes omnes; quarum Reginam nuncupavi superiùs Medicinam: videndum jure ne hoc factum à me, an injuria.

Ad naturalem vitam victu & amictu opus esse.

Ad naturalem vitam, quàm Medicina regi extra omnem positum puto controversiam; ad naturalem, inquam, vitam conservandam homini & victu opus esse, & amictu nemo nescit. Et victu quidem ad sanguinem, qui continuò consumitur, reparandum; amictu verò ad ambientis humanum corpus Aeris, Aquæ, aliarumque rerum omnium forinsecùs occurrentium injurias propulsandas.

Artes victum apparantes, Agriculturā, Molarem, Pistoriam, Coquinariā & similes Medicinæ subesse.

Victus cibo, potuque constans, & ex vegetabilibus, animalibusque imprimis petitus, non crudus semper assumitur, sed præparatus, & alendo corpori aptior arte factus: quæ artificiosa victus præparatio, tàm in prima vegetabilium cultura, collectione & assevatione, quàm ultimo eorundem, ut & animalium apparatu consistens, cùm Medicinæ subsit regimini, non video quo jure Artes illis famulantes, Agricultura, Molaris, Pistoria, Coquinaria & similes subducere se queant ejusdem Medicinæ gubernationi.

Ut & Artes amictum apparantes, Textoriam, Tonsorium, Sartoriam,

Ad amictum verò non tantùm vestes, & tegumenta referuntur, sed & ipsæ domus tam publicæ, quàm privatæ, & quæ earum species peculiares sunt, nexus & ignis, ad externum frigus arcendum adhibitus.

Coriariam, Sutoriam, Fabrilem, &c.

bitus. Quis exinde non prospicit, & perspicit talia concinnanda vestimenta, talia usurpanda tegumenta, tales construendas domos, tales fabricandas naves, tales accendendos ignes, & si quæ sunt alia, quæ humanum corpus adversus omnia forinsecùs ipsi obvenientia damna sartum tectum & integrum servare, queant & tutari? quod determinare cùm proprium sit Medicinæ munus, sequitur ejusdem imperio hactenus subjici Artes omnes prædictis auxiliis parandis dicatas, Textoriam, Tonsoriam, Sartoriam, Coriariam, Sutoriam, Fabrilem, Figulinam, Lignariam, Architectonicam, & nescio quas non.

Veritatem imperfectè tantùm cognosci.

Veritatem ergò quærimus in rebus per disciplinas theoreticas, & utilitatem per practicas: sed invenimusne? Meo certè calculo, non nisi imperfectè. Neque enim de Spiritualibus duntaxat rebus, verùm de sensibilibus quoque verè dictum puto à Gentium Apostolo, cognoscere nos nunc ex parte, ac cernere tantùm per speculum, & per ænigma. quam ob rem præter mortem, ignorantiam quoque peccati suspicor stipendium; & omninò futurum arbitror, ut ad nullius rei notitiam perfectam perveniamus unquam in hoc mundo; quamvis non dubitem posse nos indies adhuc proficere, & cognitionem nostram qualemcunque ulteriùs provehere.

Cognitio gradatim augenda.

Tentandum proinde, ut labore indefesso augescat & amplificetur gradatim notitia, decrescat autem & imminuatur ignorantia nostra: cujus causa gemenres visi magni, & Socratem æmulantes exclamare non erubuerunt, Quantum est, quod nescimus; prospicientes scilicet longè plura esse; quæ nescirent, præ pauculis iis, quæ scirent, quæque obscurè, & confusè, & imperfectè duntaxat scirent.

Cognitionē remoratur ejusdem præsumptio, promovet ignorantiæ nostræ agnitio.

Ne pudeat ergò nos summorum virorum exemplo nostram itidem agnoscere, testarique ignorantiam: quin simul cavendo vitemus istorum culpam, qui immodici sui æstimatores aliis, ut & quandoque sibi ipsis se omnia, pleraque saltem scire persuadere conantur. De quibus vetus verbum est, Ad scientiam pervenissent multi, ni ad ipsam se jam pervenisse putassent. Remoratur certè cognitionem nostram ejusdem præsumptio, quemadmodùm eandem promovet genuina ignorantiæ nostræ agnitio.

Virtutes excellentiores in nobis esse imperfectas.

Imperfecta igitur cùm sit nostra cognitio, elucentne saltem in nobis virtutes excellentiores? Nihil minùs. Quotusquisque etenim hominum invenitur, qui sit per sapientiam suam tam pius, ut se Deum toto corde, proximum autem uti se ipsum diligere gloriari queat, audeatve?

Quotusquisque mortalium reperitur prudentia sua tam justus, qui unicuique suum tribuat, debitumque persolvat, nulli unquam deprehensus injuriosus?

Quotusquisque arte sua, marteque suo tam factus temperans, qui in cibo, potuve; in somno, vigiliisve; in corporis, animive motibus, aut cæteris rebus nonnaturalibus dictis modum non excedens sanitati suæ, vitæque occultans non struat, paretque quotidie insidias? Nullus omninò.

Hæc autem si communis est mortalium omnium fortuna, quid de meo tandem in conquisita rerum cognitione profectu sentiendum? quid ex instantibus meis laboribus boni expectabit studiosa juventus?

Quo fine ad professionem Medicam accesserit Author.

Utique homo cùm sim, humani à me nihil alienum puto. Ignorare autem, hinc & erudiri velle & humanum judicavi modò, & nunc mihi ascribo, utpote non minùs tenuitatis meæ probè mihi conscius, quàm vera, utiliaque cognoscendi, & his fruendi desiderio flagrans. Neque enim scientiæ ullius opinione vana turgidus & inflatus, aut præ aliis doctus ut videar, habearve huc me sum passus allici; verùm ut pro concreditorum mihi supernè à luminum Patre donorum modulo Medicinæ Tyrones in acquirenda naturalium rerum notitia juvem, ipsosque docendo discam ipsos, doctiorque cum ipsis indies fiam, sed & ipsos præeundo, & iis, quæ laboriosa plurium annorum exercitatione ægris utilia, ut & noxia contigit observare, fideliter informando pro virili parte in Medicos formem egregios, atque sic & ipsis, & per ipsos aliis quoque sim utilis, & Reipublicæ.

In quibus meis conatibus dum propitium experiar Numen, habeamque diligentiæ meæ mille testes conscientiam, & conscium Deum, abunde à me officio meo satisfactum putabo; quod si præstereà probis probentur mea studia, id lucro apponam; morosos enim non morabor censores, quibus ut sua duntaxat placent, sic aliena displicent omnia.

Ut autem de suscipiendorum à me laborum ratione iis, quorum id scire maximè interest, aliquantò pleniùs constet, totum hoc meum negotium breviter & summatim comprehendam

Medici nomen quis mereatur.

Medici nomen, meo saltem judicio, non meretur, qui non omnes corporis, animique nervos intendit, ut & in quo naturalis hominis vita, sanitasque consistant; & à quibus pendeant, conserventurque; & à quibus labefactentur, destruanturque; & quibus mediis, modisque destructio illa præveniri & impediri, sanitasque deperdita in integrum restitui queat; quantum per nostram infirmitatem cuicuique datum est, perfectissimè cognoscat. In his ergò omnibus ut sitè instruantur Discipuli, allaborabo graviter & seriò.

In quo consistat vita naturalis.

Dixi quidem modò in animæ, corporisque conjunctione consistere; & ab innati calidi in corde conservatione pendere: & ab ejusdem extinctione destrui naturalem hominis vitam. Sed dixi tantùm. Verè antequam cum sanitatis, & morborum natura, causis & annexis sufficienter & clarè probetur & demonstretur, quid non priùs adhuc veniet movendum?

Calidum innatum esse in corde, & in singulas partes influere. Sanguinem consumi & regenerari.

In illum utique finem ostendendum erit, & reverà in humano corde reperiri calidum innatum; & illud tandiu ibidem hærere ac permanere, adde & in singulas partes cum Sanguine per Arterias influere, quandiu & liberum Aerem respirat homo, & laudabilis in cor affluit Sanguis; qui in emissi è corde, consumptique locum ex assumpto, & in variis corporis partibus variè elaborato, suisque recrementis multifariis repurgato alimento novus generatur, & cum reliquo in ipsius circulatione & refluxu commiscetur.

Ostendendum præterea qualem in partibus singulis subeat alimentum mutationem; quibusque viis ab una parte deferatur ad aliam, antequam in cor ipsum transferatur.

Ostendendum insuper quali vi præditæ sint partes singulæ, ut diversissimas alimenti alterandi, vehendi, secernendi mutationes absolvant.

Ostendendum denique, quoties infringitur innati calidi vis, aut læduntur plures, paucioresve viscerum functiones, & à qua causa oriatur, & in qua parte primariò resideat, & quibus auxiliis emendari debeat debeat quodvis malum, dummodò sit emendabile.

Hæc omnia dum mente voluto, Auditores, dicendorum, agendorumque & copia obruor, & varietate confundor. Quis enim unquam ex imminentibus hisce vertici nostro difficultatibus se posis extricare, qui non exactam universi corporis, singularumque in ipso partium acquisiverit cognitionem, multiplici cum cadaverum humanorum, tum brutorum dissectione comparandam? Quis hisce labyrintheis se liberavit anfractibus, qui non solida naturalium mutationum omnium sit imbutus scientia, Herculeo duntaxat labore adipiscenda? Quis laurea dignus Apollinari, præter eum, qui singula singulis accommodare doctus subactum acquisiverit longo rerum usu judicium?

Ad corporis fabricam ritè cognoscendam admodū multa desiderari.

Quamvis autem & veterum diligentia plurima eaque egregia de humani corporis fabrica prostent, monimenta; & Recentiorum, superioris præsertim & hujus ævi, Anatomicorum solertia novis, utilibusque inventis locupletata sit, quam habemus de corpore, notitia; adeo ut simpla per ipsos plerarumque partium functionibus illustrandis adaperta sit janua; illis tamen ad optatum cognitionis fastigium perducendis admodùm multa desiderant adhuc, in quibus enucleandis desudant etiam nunc benè multi, quorum feracissima videtur hæc ætas, ingeniosissimi & accuratissimi Anatomici; quos omnes mihi tam notos, quàm ignotos ad utilissimum, summeque

meque

meque necessarium Medicinæ perficiendę studium serventiùs promovendum, & inventum quodcunque suum publici joris faciendum hic publicè hortor; me namque & doctrinæ suæ habebunt æstimatorem æquum, & laudum præconem ingenuum.

Hic non in naturaliū rerum cognitione,

Quamvia rursus in naturalium rerum cognitione eruenda laborarint & olim & nunc quamplurimi subtilissimi Philosophi, nemo tamen ipsorum, quod sciam, principia sibi probata probavit nunquam aliis ita, ut illorum cogeret assensum, atque illos demonstrationis suæ evidentia in suam pelliceret sententiam: quam ob rem etiam novæ indies exurgant & euascuntur Physicorum sectæ; pletisque alienas opiniones solicitè magis & solidè destruentibus & infirmantibus, quàm proprias adstruentibus, confirmantibusve.

Ut & in Medicina.

Quamvis denique in morbis dignoscendis, eorundem natura & causis veris indagandis, affecta parte determinanda, curandi methodo certa constituenda, remediisque efficacibus & singularibus adinveniendis, atque his omnibus literis consignandis & posteritati transmittendis, nonnulli seculis omnibus operam impenderint multam, ideòque laudabilem; nemo tamen hactenus tam felix extitit; innotuitque Medicus, qui veras occurrentium quotidiè affectuum omniū rationes expiscari potuerit, aut omnes à se curatos viderit ęgros: quinimò satis magnus morborum pro insanabilibus vulgò habitorum circumfertur numerus; licet subinde talium tam ab ipsis Medicis diligentioribus, quàm ab empiricis & plebeiis quoque curatorum occurrant exempla; argumento certo, & remansisse cognitionem nostram valdè imperfectam, & perfici eandem indies: Retardatur tamen & hactenus ejusdem perfectio, quia plerique illi curandi modi rariores & novi, auxiliaque selectiora, non sine magno Reip. detrimento, cum suis ferè pereunt & sepeliuntur Authoribus. Cujus insignis noxæ causas si perquiras, non postremam esse comperies extinctā penè in hominum animis Charitatem, succedentibus in ejus locum post Superbiam & Avaritiam, Odio & Invidia, hujusque pedissequa Maledicentia: Nam Viri gnari, gnavique & de Rep. benè merentes, Superiorum tamen favore non rarò destituti, Malevolorum autem calumniis indignè atque malitiosè exerciti, dilaceratique, ac pro suis in popu'um beneficiis malignè & injuriosè excepti tractatique (ò tempora! ò mores!) ingrati proinde mortalium animi pertæsi, patiuntur facilè sua secum propter indignos inhumari & oblitesari dona, multis aliàs post ipsorum etiam obitum, futura utilia, si videlicet Mecænates fautoresque offendesent & cordatos, & potentes; si gratificatione quadam ipsorum in publicum merita compensarentur; si languescens ubique virtus debitis excitata præmiis recrearetur?

Remedia rariora cū Authoribus perire.
Et quare.

Sed redeo ad propositum, nam de nævis ævi nostri ampliùs conqueri quid juvabit?

Postquam igitur tam infirma sunt etiam nunc & invalida Medicinæ fulcra, totque remoræ ulteriorem ejusdem impediunt perfectionem, Medicinę medicinam si quis exposcat à me Medico, sequentem propono.

Dotes requisita in eo, qui Medicinam perficere velit.

Ingenio sit acuto & perspicaci; judicio solido & acri; memoria perampla & fideli; laboris patientissimus multiplicis & molesti: vitæque non brevis, sed longæ quisquis ad sperabile perfectionis culmen Medicinam perducere volet.

Ingenium acutum & perspicax.

Ingenio, inquam, acuto & perspicaci; quò Naturæ abdita perscrutari, ac in penitiores ipsius recessus mentis acumine penetrare, eandemque quodammodò perspicere queat.

Judicium solidum & acre.

Judicio solido & acri; quò certum, firmumque de singulis excogitatis, inventis observatis, conclusis ferre queat arbitrium. Ne, sicubi fuerit hallucinatum, quæsita, latensque veritas non tam recludatur, quàm magis, magisque recondatur & occulretur: Uno namque duntaxat supposito, concessove absurdo, multa mox sequi videmus absurda.

Memoria per ampla & fidelis.

Memoria perampla & fideli; quò & veterum, & recentiorum monimenta lectione, auditione se, quandoque visione quoque comparata, & quævis alia proprio labore confecta, compertave in promptu habere queat, quoties illa exactiùs examinari, aut cum antiquis, novisse inventis & observatis conferri confert.

Patientia laboris & multiplicis & molesti.

Laboris patientissimus multiplicis & molesti; quò tam multa, tam diversa, tam abstrusa, & legere, & audire, & videre, & comminisci, & experiri, & coacervare, & conferre, & dijudicare, & ad usum revocare queat.

Vita longissima.

Vitæ denique non brevis, sed longæ, imò longissimæ; quò omnia illa per compendium à me enumerata colligere, invenire, examinare, censere, atque imprimis innumera penè in rerum naturalium mutationibus, & hominum, brutorumque sectionibus, & ægrotorum curationibus experimenta necessaria facere queat.

Has dotes in uno non reperiri, sed in multis simul.

Verum enimverò *vitæ summa brevi spes nos vetat inchoare longas:* adde quòd nusquam in uno homine conjuncta & copulata repetiantur recensita mox à me dona omnia. Ne quis tamen ideò Medicinæ despondeat perfectionem, postquam immensus quidem ac tantùm non infinitus labor, incassum tentandus, quia non exantlandus ab uno, suscipi, ferri & tandem absolvi cum usura potest, collecta & sociata in unum plurium hominum industria & opera.

Perficienda Medicina spes unica convocatio Virorum Eruditorum.

Affulget ergò unà nobis adhuc perficiendæ (quæ ad omnes homines spectat) Medicinæ spes, si videlicet Principium populi authoritate & munificentia conquirantur & convocentur aliquot Viri eruditi, variis quidem animi, corporisque dotibus inter se differentes singuli, in veritatis autem & Reipi. amore unanimes & concordes cuncti; qui sepositis quibusvis præoccupatæ mentis, partiumque studii remoris noxiis, & conculcata inani captiunculis alios irretiendi & superandi gloriola, omnia Veterum, Recentiorumque de rebus naturalibus & medicis scripta, ut & omnia à se ipsis perquisita, excogitata & observata ad veritatis trutinam *Rationem & Experientiam* revocantes & pensantes solidam, concatenatamque construant naturalium rerum scientiam; accuratam adornent humani corporis fabricæ historiam; describant exactè sanitatis & ægritudinum naturam & causas subjungant denique citò, tutò & jucundè ipsis medendi Artem numeris omnibus absolutam.

Eam tentasse Authorem; ast frustrà.

Allaboravi quidem non semel, ut aliquot in celeberrimo illo totius Europæ Emporio, Amstelodamo, exquirerem & excitarem Medicos & ingenio excellentes, & judicio eminentes, & memoria valentes, & laboris patientes, qui tum veritatis amore tum publici, privatique commodi studio tam laudabilem, tamque omnibus utilem futurum laborem mecum tentarent; quò & nostrum de Rep. benè merendi animum cunctis testaremur, & alios ad similia in publicum bonum studia concelebranda commoveremus: ast irrito conatu.

Donec autem, votis, vocibusque meis Deo benignè exauditis, vel Magnatum liberalitate, vel Privatorum zelo tam optabile, tamque necessariū erigatur alicubi gentium veritatis Theatrum & Collegium, atq; ipsius præclara eruditionis lux tandem aliquando ex nostris exurgat tenebris, operam usq; navabo sedulam, ut in curando meo munere ad propositum modò scopum collimem quàm proximè.

Quapropter, quoties de humani corporis fabrica mihi facienda erit mentio, toties ab autopsia præcipua desumam, petamque argumenta, & ubi licebit, ad ocularem inspectionem invitabo, deducamque Tyrones.

Quoties de naturalium rerum affectionibus mihi habenda erit disputatio, toties diversorum Philosophorum producam opiniones; suisque roborabo rationibus: quòd si quandoque ab aliorum placitis recedere me suadeat ratio, vel cogat experientia, meam tunc candidè ac sine fastu proferam & illustrabo sententiam; nemini futurus interim in tota disceptatione aut gravis, aut injurius.

Quoties de partium singularum functionibus & usu mihi futurus erit discursus, toties in ipsarum

con-

conformatione, cum aliis connexione, aut per vasa communicatione, contentis & similibus disquisitionis omnis ponam fundamenta, & ex illis citra adversariorum contemptum meas deducam conclusiones.

Quoties denique de morbis, eorundemque causis, signis & curatione instituenda veniet dissertatio, toties celebriorum & probatiorum in Arte virorum decreta ea, qua par est, veneratione & fidelitate recensebo, obscuriora explanabo; & quando res exigere videbitur, propria confirmabo, emendabove experientia.

Erit enim ubique mihi amicus Socrates, & amicus Plato sed magis amica veritas. Cavebo interim & quidem sedulò, ne ob sententiarum dissensiones & discordias ullius existimationi, aut gloriæ vel minimum erat mea culpa detractum; utpote qui coruscante hominum excellentium doctrina & industria, ad æmulationem quidem & imitationem excitari me, & inflammari glorior; detestabilibus autem & venenatis invidiæ stimulis animum meum liberum gaudeo, eoque nomine Deo meo gratias ago.

Ut autem exantlandorum in posterum à me laborum initium felix, faustusque sit finis, Deus Sapientia, Bonitate, Potentiaque admirandus & immensus, qui me professionem hanc nec affectantem, nec ambientem, sed aversantem, legitima tamen vocatione à Nobilissimis, Amplissimisque hujus Academiæ Curatoribus Urbisque Consulibus oblatam, nunc etiam postpositis utilitati publicæ privati lucri rationibus suscipere voluit, pro inexhausta sua misericordia misellæ nostræ misertus sortis, ad ritè obeundem arduum hoc munus donis necessariis, & ornare me dignetur, & roborare: quò cedant futura mea opera omnia & in Sanctissimi Ipsius Nominis gloriam permanentem, & in hujus Reip. Academiæque laudem perpetuam, & in Veritatis illustrationem uberiorem, & in Medicinæ Tyronum profectum majorem, & in Ægrotorum curam expeditiorem, & in Animæ, corporisque mei salutem æternam. Amen.

D I X I.

DE MEDICAMENTIS
CHYMICIS THESES.

Quænam hic per Medicamenta Chymica intelligantur.

I. PEr Chymica Medicamenta hoc imprimis loco intelligenda ea quæ ex Mineralibus parantur, quæque à vulgaribus Medicis admodum carpuntur; imò tanquam noxia traducuntur, qualia præcipuè sunt, quæ ex Antimonio adornantur, aut Mercurio sive Hydrargyro.

Quare Antimonialibus magis fidendum, quam Mercurialibus.

II. Id autem observandum, vix ita figi posse Mercurium, quin temporis tractu spontè, aut brevi arte ad pristinam redeat naturam volubilem, & vivam. Antimonium autem, quas mutationes subit, easdem servare, ac proinde Antimonialibus Medicamentis magis fidendum, quàm Mercurialibus, nisi arte majore, de qua nobis nunc non est sermo, præparentur.

Antimonialia præ cæteris eligenda.

III. Antimonialia Medicamenta ergò, utpote paratu faciliora, in præparatione fixiora, in uso tutiora, præ cæteris omnibus commendamus.

Et plerisque Medicorum intentionibus convenire.

IV. Tantò majoris facienda eadem Antimonialia Medicamenta, quòd ad plerasque Medicorum intentiones consequendas convenientia ex ipso confici queant remedia, ad vomitum putà, alvum, ac sudorem ciendum, ad humores præparandus, & variis modis alterandos corrigendosque, Quinimò ad Naturales corporis vires firmandas augendasque.

Antimonii præparationes præcipua.

V. Inter usitatissimas, nec minùs tamen utiles Antimonii præparationes, occurrunt 1. Flores. 2. Vitrum. 3. Hepar, sive Crocus. 4 Hunc sequens Antimonium diaphoreticum. 5. Regulus. 6. Butyrum. 7. Ex hoc paratus Mercurius Vitæ. Et 8. Bezoardicum Minerale, de quibus singulis pauca nunc dicenda:

Florum præparatio & vires.

VI. 1. Flores parantur ex Antimonio crudo pulverisato, & per se sublimato, unde flores ascendunt albi ad Vomitum ciendum apti, qui si aliquandiu in Crucibulo *(Smelt kroes)* per se figantur, alvum duntaxat movent: sin magis adhuc figantur, Sudoriferi fiunt, & tandem corroborantes.

Vitri præparatio & vires.

VII. 2. Vitrum, ex Antimonio per se calcinato & fuso paratum, vomitum movet: sin cum Vitrioli Spiritu extrahatur, catharticum duntaxat existit.

Croci præparatio & vires.

VIII. 3. Antimonium cum æquali Nitri quantitate combustum, quod detonare vocant, Antimonii Hepar, atque ubi edulcoratum est, Crocus metallorum dictum, Vomitum ciet & alvum simul.

Antimonii Diaphoretici præparatio, & vires.

IX. 4. Crocus Metallorum iteratò cum Nitro combustus, & edulcoratus, Antimonii Diaphoretici nomine venit, quoniam hac secunda calcinatione fixitatem majorem à Nitro accipit, & vi sua emetica & cathartica ferè deposita. Diaphoreticam nanciscitur, & tandem roborantem, solaque Humores alterandi & corrigendi potestate valentem.

Reguli præparatio, & vires.

X. 5. Regulus Antimonii solius Nitri ope parari potest, quamvis utplurimùm Tartarum addatur, ex quo Vascula parantur, in quibus infusi ad tempus certum liquore, vim emeticam, & purgantem eliciunt satis vehementem, ideòque minùs in usum revocari vellim, cùm ex eodem Antimonio alia, & quidem blandiora, adeòque tutiora parentur eadem vi prædita Medicamenta, qualia & Metallorum Crocus existit, & vitrum, & Vitæ Mercurius.

Butyri præparatio, & vires.

XI. 6 Antimonii Butyrum ex ipso crudo, aut priùs in Regulum fuso, & cum Mercurio sublimato misto distillatur, externè duntaxat applicandum in ulceribus putridis & fœdis.

Spiritus Vitrioli Philosophici præparatio, & vires.

XII. 7. Sola Aquæ puræ affusione separatur ab Antimonii Butyro Spiritus Vitrioli Philosophicus dictus, ad Ardorem febrilem temperandum Julapiis commodè admiscendus, dum fundum petit pulvis albicans, Mercurius Vitæ vulgò dictus, præstantissimum ad humores quuvis vitiosos è corpore eliminandos remedium per alvum & os Vim suam exercens.

Mercurii Vitæ præparatio vires.

Bezoardici mineralis præparatio, & vires.

XIII. 8. Eidem Antimonii Butiro si Nitri Spiritus affundatur & ab eodem aliquoties abstrahatur, figitur, & unitur uterque Spiritus Nitri, & Vitrioli Philosophicus, ac substantiam Antimonii modò memoratam, inque vitæ Mercurium subsidere solitam, simul figit in Bezoardicum Minerale dictum, Medicamentum sudores blandè movens, ac imprimis humores Vitiosos emendans, sicque roborans.

XIV. Qua ratione singula hæc Medicamenta parari debeant nemini ignotum esse potest, dummodò Autores omnium manibus tritos consulere libeat; ipsa autem operatio Autopsia & admota operi manu addisci debet.

Horumce qua ratione prudenter Medicamentandum.

XV. Prudentis autem Medici erit in horum, ut & aliorum omnium administratione pedetentim procedere, ac ex minima dosi gradatim ad majorem ascendere, unà aliis medicamentis affectui curando itidem convenientibus immiscere, quò cujusque vis & operandi modus, citra ægrotorum detrimentum sensim innotescat.

Febris Tertianæ curatio.

XVI. Ex loco. Si febricitans, & quidem tertiana laborans juniori Medico curandus obveniat, iisque Nauseabundus, cum oris amaritudine, mox conjiciet Bilem in ipso turgere, ac sursùm viam affectare & exitum. Hunc ut citò, tutò & jucundè curet Medicus, illi, aut die intermissionis, aut, si post pran-

dium

dium demum redeat Paroxyſmus, ipſo acceſſus die, ſex, aut quatuor ſaltem ante ipſius adventum horis exhibebit, aut Vitrum Antimonii, aut Metallorum Crocum, aut Vitæ Mercurium per noctem in Aqua convenienti, Cichorei putà, Fœniculi, &c. in Mediocri doſi infuſum, addendo aliquid, aut Electuarii, aut Syrupi Cholagogi, quò humor ſursùm magis vergens per vomitum, reliquus deorsùm tendes per alvum educatur, quo fiet, ut natura humorem noxium via convenientiori ſit eductura, & ſæpè u ico Pharmaco juguletur febris. Tantum intereſt apto tempore & modo convenientia exhibere Medicamenta.

F I N I S.

FRANCISCI DELEBOE, SYLVIJ,
EPISTOLA APOLOGETICA,

Improbas æquè ac ineptas

ANTONIJ DEUSINGIJ,

Aliorumque ejuſdem farinæ hominum Cavillationes atque Calumnias ſummatim perſtringens.

Authoris patientia in Calumniis Deuſingii ferendis.

MIraris, & plures alios tecum mirari refers, *Clariſſime Vir*, me tot & tam atroces *Antonii Deuſingii* calumnias in me tanto cum furore indeſinenter, atque tam diu eructatas ferre tam patientes, optaſque protracti ſilentii mei, vel potiùs dilatæ Apologiæ rationes cognoſcere; quò & Tibi, & aliis quoque hactenus ſolicitis, atque condignum turpi Calumniatori reſponſum reponi deſiderantibus poſſis rogatus ſatisfacere.

Deuſingii indoles & mores.

Sed diuturnum meum ſilentium mirari deſines, ubi conſideraveris hac diverſa, quam *Deuſingius* & *Ego* ſequimur, methodo utriuſque Indolem ac Mores (de quibus æquè ac de Doctrina noſtra multifarii feruntur per hominum ora rumores) magis, magiſque Bonis omnibus, quibus imprimis placere ſtudeo, innoteſcere, atque eo ipſo patere unicuique, an poſt tam multos Viros eximios inceſto *Deuſignii* ore laceratos, Ego itidem ultrò ab iſto petulco impetitus verè, an falsò ipſius ad calumniandum propenſionem continuis fucatæ ſynceritatis conteſtationibus, tanquam larva, tectam culpaverim; ejuſdemque opera perpetuis criminationibus ac conviciis referta & conſpurcata reprehenderim: an jure, an injuria ipſum, tanquam impotentiſſimi animi hominem notaverim; quin imò animum ipſius irrequietum, ac vehementium pathematum, Superbiæ præſertim ac Iræ immoderatæ, imperantiſque adeò Furoris turbine, atque procelloſis nebulis agitatum, turbatum, occæcatumque pronuntiaverim: an meritò, an immeritò ipſum ad reſipiſcentiam, & maledicentiæ viperinæ, conviciorumque in quoſlibet Adverſarios tanto cum boatu, & jactatione plenis plauſtris effuſorum pœnitentiam ſeriò atque candidè hortatus fuerim.

Cur Author Deuſingio non citiùs reſponderit.

Ut proinde ſuo ſe indicio indies magis proderet hic ſorex ſibi relictus, neceſſe habui hominem Suffenum ac inanis gloriæ cupiditate flagrantem, imò furentem ad tempus negligere, quò impurum ejus os, & calamus maledicus in lucem promeret, quicquid habet ipſus in corde ſuo maligno reconditum.

Deuſingiũ ob Calumnias probis & improbis culpari.

Dum igitur conſcientiæ malę Furiis agitatus horrendum in modum in loco ſuo deſerto fremit, boat, grunnit, ſpumat, rugit, ululat, rudit, latrat, & neſcio cujus feræ naturam non induit, moxque in omnibus cacatis ſuis Scriptis, uno *Echus* nomine, ob perpetuam earundem vociferationum, cavillationum & calumniarum repetitionem; digniſſimis ſolus imitatur inimitabilis *Deuſingius*; videas non tantùm omnes Probos abhorrere à verè Diabolico ipſius ſcribendi genere, ſquin etiam Improbos qui hunc caſum oblatum ſibi (qualem diu optaverant mihi excitatum Adverſarium) priùs exultabant, nunc, ne criminis ejuſdem cum ipſo rei obſerventur, aperto ore culpant, & ad piſcarias aniculas, vel ut Belgicum proverbium magis exprimam, caniculas cenſent amandandum contumelioſum Calumniatorem, ut & in foro piſcario vel olario cum fœminis garriat vir verboſus: quamvis gaudeant forſan adhuc in ſinu mihi quoque ab illo ſibimet ipſi perpetuò malum cacante Turdo turbas creari, & calumniarum à ſe quoque ipſi ſubminiſtrararum & tam impudenter ab ipſo in me effutitarum aliquid hærere. Quibus omnibus proinde ut pro meritis rependat, ſicut nonnullis jam in cæterorum exemplum rependit juſtus & atrocibus injuris affectorum vindex Deus, præſtolando præſtolor.

Authoris occupationes à reſpondendo avverterunt.

His accedit, quòd, cùm una, eadémque opera non tantùm Calumniatorum Principi, *Deuſingio*, verùm cæteris quoque mihi adverſis Calumniatoribus & Cavillatoribus omnibus, tam præſentibus quàm præteritis & futuris, tam tectis, quàm apertis, ſemel duntaxat ex profeſſo reſpondere, atque artes ipſorum peſſimas retegere ſit animus, & plura in eum finem habeam dicenda; occupationes autem atque diſtractiones meæ continuæ, tum Academicæ, quas putidi Calumniatoris ergo negligere mihi religio eſſet, tum aliæ requiſitum ad id opus ex voto abſolvendum hactenus mihi non conceſſerint otium, coactus fuerim Apologiam meam diutiùs, quàm ſperaveram differre.

Quævis in chartam conjecta mittere ad prælum Deuſingio non Authori eſſe familiare.

Puto namque hominis eſſe nimium aut ſibi arrogantis, aut Lectori judicioſo detrahentis quævis, prout in mentem primum veniunt, vel ſub calamo currente naſcuntur, in chartam conjecta mittere ad prælum; quod incomparabili *Deuſingio* & paucis aliis non mihi eſt familiare: qui, quamvis nec ingenio, nec judicio, nec ſignificanter ſcribendi facilitate ipſi forſan cedo, non exiſtimo tamen abutendum eruditorum Virorum noſtra etiam aliquando legentium patientia & bonitate, imò expectatione.

Ne tamen, quod metuis, mora iſta longiore Mihi vel Amicis certis deeſſe videar, ad pauca impræſentiarum tum de Me ipſo, meiſque conatibus Medicis, tum de Adverſariis & ipſorum Cavillationibus atque Calumniis promam, ex quibus ipſorum mores pravi & artes malæ cunctis patebunt clariſſimè.

Authoris in ferendis moleſtiis animus.

Dum verò ab improbis hominibus undiq; in mei ruinam nunc concurrentibus & conſentientibus execrabiles mihi creatę ſunt, excitatæq; moleſtiæ, conatus ſum, eas animo, & quantum mihi ſupernè datum eſt, æquo & forti perferens, nihilque ac imprimis tam grave ulli, ergò nec Mihi, fortuitò, ſed omnia in ſe diligentium bonum dirigente Deo, evenire uſque & uſque perpendens, aliquod ex his quoque malis bonum & commodum elicere, uti Me adjuvante gratia Divina elicuiſſe puto & confido.

Factorum fama & gloria parvi pendenda.

Nunc enim longè quàm olim obſervavi perfectiùs, etiam probè factorum famam & gloriam mun

danam, quæ ab hominibus infirmis ac sæpenumerò plusquàm iovidis expectari debet, admodùm raro dignis condignè ac pro merito perseverantque tribui, at plerumque à dignis ac merentibus malignè auferri, ac indignis indigoè conferri; atq; ideò ipsam omninò parvi, vel oibili pendendam, negligendamque potiùs ab omnibus, qui mecum benè (hoc est, ad celebrandam ęternam Creatoris sui Sapientiam, Bonitatem, Potentiamque, nt & promovendam Proximi sui, adeòque Reip. utilitatem) actorum mille testes habent Conscientiam suam; qui proinde, quam meruere tandem aliquando & qoidem opportuno tempore sibi ab æquissimo Actionum humanarnm omnium Arbitro, quippe Cogitationū, Intentionūque ipsarum vel maximè arcanarum conscio, Deo decernendam, tribuendamque expectant gloriam & laudem statam, veram & solidè perennaturam.

Hanc dum animo sereno, sedato & securo expecto, licebit opinor me quoque Probis probare quoad meam tum *doctrinam* tum *vitam* nefandis calumniis acerrimè lacessitam.

Authoris Doctrina traducta.

Doctrinam certè meam tum in *facienda medicina*, tum in *erudienta Juventute* miris & diris modis traduxerunt, quotquot sua ioteresse purarunt famam meam qualemcunque planè obliterari: quapropter nt unicuique Veri ac Æqui Srudioso queat constare, jure ne an injuria me culparint & culpent Adversarii mei, qua via & ratione in utroque opere processerim, paucis enarrabo.

Quid in sua praxi spectaverit Author.

Et *Praxim Medicam* quidem quod attinet, quoniam non disputatur ibi de lana caprina, sed agitur de corio humano, in quo rarò licet bis tutò peccare ideoque frustrà captatur ab Ægros curante Medico inane ingenii subtilis nomen, cui præferenda semper judicii Acris & circumspecti laus; mearnm partium esse judicavi, hoc unum agere, ut quantam Deus benignè concederet, solidam mihi cumpararem diligentia & assiduitate Artis Medicæ notitiam non tam solicita Librorum, etiam optimorum lectione, quàm accurato Rerum ipsarum examine atque oblervatione acquirendam.

Quid in observationibus egerit.

Quocircà, ut voti mei compos fierem, nullnm licet mnlestissimum subtersugi unquam laborem, nullis ad experimenta multiplicia & multa facienda requisitis, quantum res meæ poterant ferre, peperci unquam sumptibus; quin imò, quò magis & citiùs promoveretur, quod unicè nptabam, bonum publicum, quæ continnò veritatem sectando ad hominis *Functiones* integras vel læsas sive cognoscendas, illustrandasve, sive conservandas, restituendasve, nostramque adeò Medicinam in multis tam defectam perficiendam usui furura subinde secnndùm Dei benedictionem licuit eruere, omnia ferè quibusvis Medicis, nmicis, & inimicis, aliisqne candidè ac liberaliter aperui & communicavi: quamvis ne sic quidem malevolorum invidiam & maledicentiam vitavi aut extinxi, sed potiùs invitus auxi.

Hinc adversariorum calumnia.

Dolentes siquidem famam meam sic beoè agendo, ægtosque insuper haud infœlicirer curando indies increbescere, non desierunt ipsam perpetuis, novisque ea inferno petitis calumniis ad hoc usque tempus maculare: licet nnn valuerint hactenus malis suis artibus me bonis & prudentibus exosum reddere, praxinve meam non humano, sed divino præsidio turam perdere ac delere.

Cuncta Humorum Vitia non ad Plethoram & Cacochymiam tantum revocanda.

Imprimis auteoı (quis enim omnia posset in compendio referre?) mota mihi est lis à Medicis nonnullis cuncta humorum vitia ad *Plethoram & Cacochymiam* revocātibus; & sicut redundantiam Sangninis (qui deficere quoque potest, ac modis variis alterari & agitari, vel stagnare) *Plethoræ*; ita cæternrum Humnrum vitia diversissima nnn *Cacochymię* nomine indigitantibns; qnin imò sicut Plethoræ *Sanguinis detractionem*, ita Cacochymiæ multifariam Humorum peccantinm *Evacuationem ac Purgationem* unicum remedium esse asserentibus: quamvis Evacuatio ipsorum exuperantiam duntaxat minuat, nō item variam ipsorum Intemperiem corrigat; quę tamen, uti non rarò in ipsis sola observatnr, ita sui alterationem ac emendationem tantùm indicat; quæ

Sed etiam ils inesse intemperiem.

cùm à multis, etiā celebribus Medicis, magno ægrotantium damno negligatur, aut non satis procuretur, quin sępiùs frequenti purgantium accessu impediatur, peccansque humorum qualitas (ut alia nunc prætereā) eo ipso magis depravetur, ausus sum, quod virum bonum decebat, illi valdè trito errori me primùm blādè, hinc, quia eo nnmine tradocebar, cordatiùs & acriùs opponere: ne in re taoti momenti aut silendo, aut inveterato quorundā mori Malo Me accōmodando Ægris deessem, ac contra meæ conscientię dictamen noxius essem illis, ad quorū sanitatem consilio, auxilioque inregrandam eram vocatus.

Authoris docendi discipulos Methodus. Et ad Praxin manuductio.

Postquam verò ante annos quinque, & quod excurrit, ad *Medicinę Professionem publicam* vocatus tādem accessi, ut industria mea & labore quàm maximè proficerent, atq; in egregios Medicos evaderent Auditores mei, cunctas ingenii vires iotendi: unde non taotùm ea, quam in veritate investiganda, inveniendaque fueram secutus, via in docendo ipsis prævivi, sed imprimis methodu hic, ut & alibi forsan, hactenus inusitata ipsos ad medicam praxin manu duxi, dum in Nosocomio publico indies ipsos ad Ægros visendos deduxi, horū querelas & aliàs innotescentia Symptomata ipsis proposui, moa ipsorū de quovis observato in Ægris Affectu, ejusq; Causis ac Curatione Dogmatica sententias, senrenriarumq; rationes rogavi, & quoties dissensus inter ipsos idcircò excitabatur ut sibi muruò rationibus, undecunq; conquisitis, sed quantū possibile solidissimis satisfacerent dissentiētes inter se blandè commisi, & tandē meum quoque de singulis judicium interposui vel adjeci.

Insequentibus autem diebus præscriptorum medicameotorum successus varios ipsis exposui, moxq; iterum cnnfluentium sententias, uti priùs, examinavi; donec tandem solicitè curati à nobis ęgri pro Deī placito aut pristinæ sanitati restituti, lætiq; discederent, aut fato fungentes ac decedentes cadavera sua secanda nobis relinquerent, quò in accurata illorum apertinne ac demonstratione pateret omnibus, quinam rectè, quinam perperam judicassent de ipso Affectu, cæterisque eò spectantibus.

Authoris sententia acriùs: cæteris expensa, & quare.

Semper autem aliornm opiniones blaodiùs, meas verò acriùs vnlui expensas & agitatas; quò magis constaret cuoctis de Dogmatum meorum, si præsertim à vulgo tritis plus minùs recederent, firmitate aut imbecillitate: neque enim puduit me uoquam meam in multis ignorantiam testari coram Discipulis meis, quam cùm alii negant vel dissimulant, injuriam faciunt Auditoribus, Lectoribusve suis credulis, atque Reip. Avertnnt enim à Veritatis persecutione quosvis, Præceptornm suorum effata sioe hæsitatione pro veris avidè arripientes.

Ad Juvantia & Nocentia in praxi attendendum Et quare.

Cæterùm post deductas priùs ea ipso Affectu abundè noto, ejusq; Causis & Symptomatibus itidem notis agendorum Indicationes, ostendi semper in *Curæ progressu* Practicorum primariorum more laudabili attendendum imprimis ad *Iuvantia & Nocentia*, quò nec facilè à benè ac secundùm Rationem solidam, Expetientiaque multiplici confirmatam, non item imaginariam, Eaperientiæque adversam constituris, quamvis non semper mox ea votn magis, quàm spe rationali succedentibus, recedendum nec præfractè ac diutiùs minùs succedentibus, utut nostræ, sed nonnunquam ob præjudicia eacœcatæ rationi placentibus adhærendum, sed seposita omni gloriæ inanis, aut scientiæ Medicæ in mortalium oemine unquam observatæ, observandæve ambitinne uni Ægrntantium saluti unicè studendum exempln meo meos docerem Discipulos.

Authoris in suo labore successus.

Quo autem successu laborem hunc molestum & odiosum hactenus sustinuerim, testari possunt tam qui suaves illins fructus capiunt, à me ioformati Medici non pauci, quàm, quibus Academiæ hujus celebritas demandata cordi est, Nobilissimi & Amplissimi ejus Curatores, Urbisque hujus florentissimæ Consules; quos eaceptiune omni majores testes nppono improbis ac Reip. non minùs, quàm mihi adversis Adversariorum meorum calumniis, quas cum suis auctoribus confundet ac pessundabit tandem omnis justitiæ author Deus.

Hane

Deusingii in Authorem calumnia.

Hanc Doctrinam meam & docendi rationē malignè, ut ex ungue Leonem omnes agnoscant, cavillatur & calumniatur Medicorum omnium Animadversor & Castigator Censorius, *Deusingius*, quando inter plura tum legi, tum refutari indigna, impudentissimè, uti falsissimè asserere non erubescit (in Echo sua mirabili, p. 278. & alibi) me *totam Medicinam in meris Suspicionibus, Opinionibus, Dubitationibus ac Conjecturis fundatam Juventuti obtrudere*. Verùm ut hęc ipsius Calumnia & Cavillatio tam inepta, quàm improba fiat omnibus quàm maximè manifesta, quę mea de hisce sententia sit, paucis edisseram.

Omnia sua dogmata Authorem referre ad Experimenta vel ad Ratiocinationes.

Quicquid ad Medicinæ Studium promovendum propositum est hactenus à me, non tantùm in paucis Disputationibus Medicis jam editis, sed imprimis Lectionibus meis publicis, & Dictatis privatis, aut proponendum habeo adhuc imposterum, id omne vel ad *Experimenta*, vel ad *Ratiocinationes ex præmissis experimentis deductas*, deducendasve referendum.

Experimenta triplicia.

Testatus sum autem triplicibus Me uti *Experimentorum* generibus, *Anatomicorum, Chymicorum*, & singulari respectu dictorum *Practicorum*: quæ confido quemvis seriò & commodè manum operi admoventem talia competturum, qualia sunt à me descripta, hoc est, vera & ipsis rebus consentanea: quin paratus sum omni tempore ad Sensum ipsa demunstrare, atque hactenus curiosis ac de rei veritate sollicitis satisfacere.

Ratiocinationes suas Authorem vocare opiniones suspiciones & conjecturas. Et quare.

Ratiocinationes verò meas (quoniam necdum suppetunt mihi satis multa *Demonstrationibus* Scientificis construendis requisita, & conjunctis plurium eximiorum Artificum operis tandem aliquando forsan comparanda Experimenta, sive Data) prout magis vel minùs ad veras & solidas Demonstrationes accedunt, nunc *Opinionis*, nunc *Suspicionis*, aut *Conjecturæ* nomine insignivi; atque *Dubitationes* quoque meas hinc inde addere non dubitavi.

Eas non ut Medicinæ fundamenta esse obtrusa.

Non obtrusi ergò Juvētuti, prout malignè ac cum clamore blaterat insulsus nugator, *Deusingius*, *Opiniones, Suspiciones, Dubitationesque meas*, velut *Medicinæ fundamenta*, sed proposui ipsas, velut *Conclusiones* ex compertis hactenus mihi *Experimentis* triplicibus, utpote *firmissimis, inconcussis & antiquis Medicinę solidæ* aliquando, si Deus volet, *constituendæ fundamentis* deductas; quales si proferre potuisset Calumniator impudentissimus, de illis, tamquam de Scientificis Demonstrationibus gloriatus fuisset ad ravim; ita solet nugas suas efferre hic Thurinus.

De his cum Veritatis Amantibus non cum cavillatoribus disputandum.

Quisquis proinde Veritatis aut Reip. amore captus me aut in *Experimētis* meis, aut illatis inde *Ratiocinationibus* existimabit deceptum, proferat sua in medium *Experimenta*, vel *Ratiocinationes*; quò nisi per nos ipsos queamus motam, movendamve componere aut dirimere controversiam, audiantur in utriq; versati Arbitri. Nam contra Sophistas ineptis cavillationibus dicta mea dumtaxat vellicantes, aut improbè (sicut à *Deusingio* passim factum) corrumpentes, atque pro lubitu quævis falsa mihi affingentes non puto pugnandum; ne labore molesto ac inutili fumos ipsorum discutiendo, lateremque lavando rebus melioribus & utilioribus dicatum Oleum meum & operam perdam.

Deusingium Authoris scripta corrumpere & immutare.

Quin sufficiet mihi semel in Lectorum incautiorum gratiam notare *Deusingium*, quò scripta mea, tanquam inepta apud rerum ignaros traducat, ipsa more suo planè illiberali nunc aliqua sui parte mutilare, nunc ipsis de suo aliquid addere, nunc conjuncta, conjungendave disjungere, nunc disjuncta, disjungendave conjungere, aut quovis alio modo ita immutare atque corrumpere, ut postquam per malignum ipsius calamum transiverunt, ampliùs pro meis non possim agnoscere.

Authoris cogitationes in propriis scriptis quærendas.

Quapropter Candidos Lectores rogatos velim, ut meas Cogitationes quærant, legantque in meis dumtaxat Scriptis; non item apud animosum omnium bonorum Corruptorem, *Deusingium*, qui reverà non potuit, vel non voluit mea intelligere, audet tamen homo, si quis alius, insolenter arrogans triti, *Ne Sutor ultra crepidam*, proverbii immemor temerariam suam & iniquam de ipsis ubique interponere Correctionem ac Censuram.

Deusingius in Anatomicis experimentis parum versatus.

Utique parùm vel nihil se in *Anatomicis Experimentis* versatum testatur *Deusingius*, dum de illis acturus & disputaturus non suas, quibus destituitur, sed alienas dumtaxat in medium profert observationes, de ipsarum veritate planè incertus & dubius

Ut & in Chymicis.

De *Chymicis Experimentis* satiùs fuisset ipsum planè tacuisse, quàm pueriliter ea imperita aliorum allegatione de illis garriendo stupendam suam illorum ignorantiam prodidisse.

Nec non in Praxi Medica.

Praxin suam crepat quidem ubique hic Doctor Stentoreus amplissimam; verùm non potui hactenus ex paucis à me lectis ejus Scriptis colligere ipsū in ea excellere, aut egregias ex illa *Observationes Practicas*, quas alienis opponat, hausisse: unde non mirum, si perferatur infelix, verbosus licet Practicus, quemque paulatim deserant Ægri, garrulitate ipsius audaci hactenus fascinati ac decepti.

Ratiocinationes ejus futiles.

Ratocinationes Deusingii quotquot expendent ac trutinabunt exactè, comperient ipsum verè ampullarium Doctorem, quique cum clamoso strepitu Lectori incauto verba dat, prætereaque nihil.

Eum nihil novi reperisse aut pretulisse.

Ostendat enim vel ipsius, qui passim Voluminum à se editorum, edendorumque catalogos scribit, vel quivis alius *Deusingium*, velut alterum in Medicina Dictatorem, ad cœlos usq; laudibus extollens, atque Prudentissimis Academiæ hujus Curatoribus imprudenter ac impudēter de meliori nota commendans, quid novi, quid in arte boni lynceis mentis suę oculis invenerit atque orbi literato manifestarit hic Thraso gloriosus; quam in Medicina rem ambiguam illustrarit hic lucis obscuræ filius, quam controversiam composuerit aut deciderit unquam hic Vitilitigator turbulentus.

Ejus scripta brevi peritura.

Locuteleii certè hujus nominis Opuscula fructuum præcocium ad instar ætatem minimè latura prædixerunt jam pridem Prudentes, cōqueruntur q; jam ex parte aliquot Bibliopolę. Unde non sine causa censent nonnulli hominem hunc militarem, qui sagacissimis mentis suæ oculis imminentem Libellis suis furtivis ruinam, & affectatæ à se in quosvis, usurpatæque in quosdam tyrannidis tempus ad exitum properans breve futurum prævidet, nunc tantoperè furere, atque nonnisi strenuè pugnandu & inusitatis calumniis pergendo præsentem famæ suæ interitum expectare.

Deusingii discipuli perpauci.

Quantus enim Professor sit *Deusingius*, qui passim & ubique de sua ad Primariam in Medicina Professionem ante aliquot lustra vocatione gloriatur, vel inde patet, quòd per tot annos, quibus supra cæteros in quavis Facultate Professores à se, altero puta Hercule, profligatos & prostratos non parùm inclaruit, Medicinæ Studiosos tanto numero in Academiam suam de Batavis Heroibus (sic nos vocare dignatur hic Achilles) semper triumphantē ex omnibus omnino Europæ regionibus ad se, octavum mundi miraculum, videndum, audiendumque allicuit, ut rarò plures, quàm quinque aut septem habuerit Auditores ex professo Medicinę operam navātes, unà cum aliquot Pannoniis ab amicissimis Collegis subinde gratiosè ad numerum augendum missis: Quorum nonnulli tamen, si dicere fas est, Professorem hunc Veteranum omniscium deserunt, & ad me Novitium, rerum omnium ignarum accedunt, quodque magis mireris, apud me perstant, non tantùm exteri, sed ipsi quoque Groningani.

Eum Medicinæ Professionem Primariam in Academia Lugduno-Batava affectare.

Id autē videtur tam ægrè facere huic Aristarcho Chimærico, ut Auditores suos sequi paratissimus, tum literis à se, atque amicis, emendicatis nempe stupendorum suorum donorum buccinatoribus, ad Varios scriptis, tum artibus aliis omnem lapidem moveat, quò tandem aliquando ad Medicinæ Professionem Primariam in Academia Lugduno-Batava toties desideratam & affectatam mox sine tergiversatione accessurus evocetur, ibidemque laudato more suo cum quibusvis turbas concitans & omnia turbans confluentes jam undique ad nos Medicinæ Studiosos aliò abigat, & nostrum Auditorium suo simile, hoc est, vacuum reddat.

Deleber Opera.

Authoris Mores & Vitam ab Adversariis culpari.

Non tantùm Doctrinam meam & Praxin Medicam: utut per Dei gratiam successu laudabili decoratam, ineptis cavillationibus & calumniis oppugnant mei Adversarii, sed *Mores Vitamque* meam indignè culpant, omniaque adeò à me facta, dictave, etiam optima, horrendum in modum detrectant.

Veruntamen neminem ulli cedere.

Agnosco equidem, & ultrò confiteor me, si ad exactam Divinæ legis trutinam expendar, peccatorem miserum, maximumque: non puto tamen, si cum Adversariis meis, etiam minimè malis, componar, me in Vitæ, Morumque integritate ipsorum cedere ulli: quippe qui Deum, quantùm per infirmitatem humanam possum, purè timens, proximumque candidè diligens, nulli mortalium conscius feci unquam, vel facere sum conatus injuriam, qui non nisi jugiter lacessitus, & graviter læsus de avertenda saltem à me offensa cogitavi unquam: quod si cum lacessentis & offendentis incommodo factum est id aliquando acriùs, id sibi petulco ex talionis lege contigisse patet, nec mihi petito imputet ullus, ergo nec *Deusingius*; qui nullis productis, quia non nominatis; testibus aut urgentibus argumentis, sed figmentis suis calumniosis contrarium subdolarum technarum imperitis persuadebit forsan, nunquam verò prudentibus: quemadmodùm id quàm primùm per otium licebit, meridiana luce clariùs me ostensurum confido.

Ut testabuntur qui cum Authore familiariùs vixerunt.

Qui proinde meos mores ac vitam nosse volent, illos interrogent, qui mecum vixerunt familiariùs, ac proinde me noverunt intimiùs; non item illos, qui nunquam vel rarissimè mihi adfuerunt, quive ex Adversariorum meorum Satanæ mancipatorum calumniis, aut ex suis moribus meos finxerunt: quibus machinamentis astutis & malis quamvis observem, doleamque me nonnullis Viris probis reddi suspectum; non dubito tamen, quin tandem aliquando, ubi ad labia ascenderint vexationum aquæ, molestiarum injuriosè ac contumeliosè mihi ab improbis hominibus tot annos creatarum misertus Deus innocentiam meam humano auxilio penè destitutam sit è cœlo vindicaturus.

Authoris Adversarii quinam.

Postquam verò jam toties facta est à me Adversariorum meorum mentio, erit forsan aliquis, qui quales illi catervatim nunc in me latrantium canum more ruentes sint, scire desideret; cujus votis ut ex æquo satisfaciam, libet ipsos tum rationæ causæ ad mihi adversandum moventis tum ratione propriorum morum considerare.

Eorum tres ordines.

Primi invidi.

Et Causæ quidem, quam ut mihi adversarentur ipsos habuisse conjicere possum, ratione distribuam ipsos in tres ordines. atque in primo ordine illos recensebo, qui suopte motu ac quotumvis, ægrotorum præsertim benevolentiæ mihi affabilitate, comitate, facilitate, obsequio, aliisque urbanitatem sapientibus mediis conciliatæ, ut & famæ bonæ industria mea & Artis operibus, Deo benedicente, comparatæ *Invidia* æstuantes facta, effataq; mea omnia perverse interpretantur & malignè calumniantur. Tales autem vix plures, quàm quinq; aut ad summum sex novi, quorum aliqui, apud rerum Dominos auctoritate aliqua cùm polleant, fuere ideò mihi magis noxii.

Secundi Assentatores.

Ad secundum ordinem *Assentatores* revoco, qui ut modò memoratorum gratiam, benevolentiamq; vel aucupareutur, vel conservarent, ipsis se associarunt, ut mihi nocerent; veri Adulatores, sed Infernales, licet quandoque Aulici. Horum notus mihi numerus vix excedit priorem.

Postremi Malè feriati.

His postremo loco accedit ingens, imò innumerabilis forsan hominum *Malè feriatorum*, atq; promiscuè quorumvis famæ bonæ insidiantium grex, nulli parcens, ne illis quidem, cum quibus amicitiam colere dicuntur, aut creduntur.

Huic ordini accensendi quoque sunt, quotquot aut omnibus omnino Medicis, aut Medicinæ, in hac præsertim Academia, Professoribus, suæ saltem Sectæ factiosæ minùs addictis sunt infensi ac infesti.

Maledicendi in Belgio libertas.

Postquam enim unicuique in Belgio Libero (quod referre pudet) tam impunè licet de quovis penè maledicere, mirum non est, si plerique ad malum natura proniores maledicentiæ ita sensim assuescant, ut, dum maximè ac continuo maledicunt, nesciant se maledicere, nolint saltem haberi pro Maledicis. Dolendum autem non tantùm inter plebejos & minimos, sed inter medioximos etiam, imò maximos vigere abominabile hoc vitium.

Adversariorum Authoris Mores.

Quòd si quis præterea Adversariorum meorum primariorum *Mores*, ut secundùm ipsos in certas quoque classes distinguantur, aveat cognoscere, illos, in quantum mihi innotuerunt & habeo in memoria, paucis indicabo, cùm & illos Probis referri referat.

1. Ebriosi.

Quos ergò ex modò recensito triplici ordine novi Ego mihi Adversarios tumultuantes, illos satis ac publicè constat esse aut 1. Homines *Ebriosos*, & ita quidem vino, ejusve Spiritui, aut utrique addictos, ut nonnullos ex ipsis nunquam videas præcedente crapula priùs liberatos, quàm nova iterum madeant. Hi quàm luculentum ac inculpatum de alienis moribus præbere possint testimonium, testatur ipsorum anima mero semper immersa atque sepulta, perque Liberi patris nebulam sobrios & abstemios viperina sua lingua mox lædendos extuberantibus madore oculis torvè spectans.

2. Scortatores, & Adulteri.

Aut 2. *Scortatores* turpes, *Adulterosve* impuros, & ita quidem impudicos & impudentes, ut (quamvis manifestum sit quorundam uxoribus allatum esse à querulis meretriculis scortationis suæ pretium, aurum justo levius, cum ponderosiore commutandum atque prudenter ac benignè ab ipsis, quò maritis consulerent, commutatum) audeant sua crimina & sordes, de quibus passim apud sodales suos inter pocula gloriantur, neque enim uni duntaxat vitio se dederunt, invisis affingere, atque ex corruptis suis moribus alienos fingere ac depingere.

3. Invidi.

Aut 3. perditè *Invidos*, & ita quidem livore suo exesos, ut non tantùm in quorundam Liberos permanarint latens illud in corde maligno vitium, sed justo Dei judicio ad parentum correctionem ac correptionem infantes ad internecionem usque magno genitorum mœrore infestarit: unde non mirum aliis quoque ipsum per genitam ex se filiam Maledicentiam fuisse molestum & grave.

4. Sordidè Avari.

Aut 4. sordidè *Avaros*, & ita quidem iniquo Mammonæ mancipatos, ut credant sibi decedere, quicquid vult aliis accedere Deus: unde nonnulli sunt inter ipsos reperti, qui ad proximum defraudandum non dubitarunt ea, quæ manu sua exararant, & subscripto nomine confirmarant, negare.

5. Superbi.

Aut 5. *Superbos* & ita quidem inanem gloriam sectantes, ut non tantùm ferre non possint superiores, sed ne pares quoque, *Primatum* inter æquales passim & ubique affectantes, eundemque sibi subinde pueriliter tribuentes & adscribentes.

6. Calumniatores.

Aut 6. *Calumniatores*, & ita quidem assidua maledicendi consuetudine corruptos, ut aliqui suis quoque Mecœnatibus, quorum beneficia, benevolentiamque non semel fuerant experti, vel adhuc expectabant, fuerint hactenus iniquè injurii.

Quosdam Authoris adversarios esse simulatores.

Non desunt quidem aliqui ex Adversariis meis, honestorum virorum nomen magis, quàm rem affectantes, quos pudet calumniarum tam improbarum contra me tanta virulentia eructatarum haberi auctores, vel fautores; quocirca se mihi amicos fingunt & mentiuntur, quò sub simulatæ amicitiæ larva tutius per malignarum suarum technarum ac nefandarum cupiditatum administros & satellites mihi queant nocere.

Eos nō rarò convenire.

Quemadmodum autem ubi est cadaver, ibi congregantur aquilæ; sic ubi degit Adversariorum meorum Primipilus, ibi non rarò conveniunt ac de me subvertendo secretiora consilia ineunt viciniores; quorum insidias & animum pravum reteget aliquando & toti mūdo manifestabit Altissimus, quin refundet in ipsorū capita continuatā tot annos iniquitatem.

Quosdam de calumniis suis gloriari.

Et ante alios Deusingium.

Dum verò tenet aliquos adhuc mundanæ externè fucatæque honestatis solicitudo, videas contrà alios de calumniis suis, tanquam rebus probè ac venustè gestis publicè gloriantes: quorū Coryphæus est *Antonius Deusingius*, Antesignanus verò alius quidam

vultu

vultu Taurino suam indolem ostentans (cujus nomē adhuc reticebo, donec illud omnibus innotescere videatur ad rem magis facere) uteq; insignis Blatero, Medicus verò tam fœlix, quam invidus.

Authoris adversus suos adversarios votū. Quoniam verò ad tuam Conscientiam & ipsius consciū Deum toties quovis aggressus provocavit *Deusingius*, exurgo tandem aliquando, o Tu cordiū, renumque Scrutator exacte, ac Vindex justissime Deus! atque aliquo tam temerè irritatę tuę irę indicio illos cūctis manifesta, qui gratis & protervè opprimere conantur injuste veritati; qui suum calumniis semper Tibi rantur injquitati; qui suum calumniis semper Tibi Veri ac Æqui Authori exosis perdere conantur proximum; qui laqueis tensis venantur proborum & Tibi unicè confidentium animas: quò recenti ultionis cœlestis exemplo cautiores facti alii expavescant, & à Cordis sui maligni consiliis malitiosis serio resipiscant; quin se homunciones, maxima licèt ac pessima nonnunquam mente tam humili, quam elata volventes; nil Te adversante prestare posse agnoscant. Amen, imò Amen.

Tu interim, *Clarissime Vir*, bene vale, atque bonis bona precare.

Dabam Lugduni Batavorum prid. Non. Majas 1664.

F I N I S.

VIRO Cavillationibus, Calumniis, & Conviciis, Celeberrimo.

ANTONIO DEUSINGIO.

Mentem tum saniorem, tum meliorem optat

FRANCISCUS DELEBOE', SYLVIUS.

UT petitioni tuę satisfaciam, mitto Tibi brevē hanc meā Epistolam Apologeticā summatim Calumnias tuas & Cavillationes tum Academię cujusvis Professore, ac imprimis Veterano & glorioso Primario, tū Ecclesię cujusvis, et imprimis Reformatę Antistite & Seniore, tum homine quovis ingenuo, ac imprimis Literato & Christiano plane indignas ita perstringentem, ut ex ipsius lectione attenta facile conjicere valeas, suppetere mihi argumenta oppidò multa & efficacia, quibus tuam & arrogātiam & improbitatem possim pro meritis retundere.

Nam, si vos ampliùs desideret, tuis Te coloribus accuratiùs & ad vivum depictum omnibus hominibus præsentibus ac futuris cum detestatione contiuud spectandum exhibebo.

Noli proinde Tibi, uti soles, pueriliter ablandiens, existimare post demptam fucatā tuæ pietatis ac probitatis totres falsò à Te contextatæ larvam posse Te ampliùs Prudentiorum oculis tenebras vel caliginem offundere, atque detrectationibus tuis ex Inferni baratro Tibi suggestis Me, tum meæ integritatis conscientia, tum certo Dei omniscii & omnipotentis auxilio securum ac tutum, quicquid conseris aut tentes, ita premere, ut in totum deprimas, vel opprimas.

Hic ipsius Veri, Bonique Author & Vindex Deus, ni abdicata abominabili tua Invidia, Malevolentia & Maledicentia resipueris, rependet Tibi pares tuis sceleribus pœnas, & refundat in Te Cordis tui maligni cogitata, Oris impuri effata, & Calami protervi effutita.

Noli namque putare Te, nisi serium, sincerumque agas pœnitentiam (quam ex animo Tibi acerrime, licet atque inique congestis etiam probris ex mera petulantia & famæ inanis ambitione toties à Te jam offensus precor) evitaturum diutiùs vindictam Divinam Te certo certiùs manentem ac brevi funditus eversuram.

Non est enim cor tuum rectum in Dei conspectu. Resipisce igitur ab ista malitia tua & deprecare Deum, si fortè remittetur Tibi machinatio cordis tui. Video enim Te in felle amarissimo & connexu injustitiæ positum, ut Apostoli verbis te moneam. Sic pro te vovebam Lugduni-Batavorum pridie Nonas Majas 1664.

FRANCISCI DELEBOE, SILVII,

ORATIO

DE

AFFECTUS EPIDEMICI ANNO 1669.

Leidensem Civitatem depopulantis, atque primariis Habitatoribus orbantis

CAUSIS NATURALIBUS,

8. Februarii 1670. cùm Academiæ Lugduno-Batavæ Rectoratum deponeret, habita.

Nobilissimi & authoritate Gravissimi hujus Illustris Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores.

Amplissimi, Prudentissimique Florentissimæ, graviter licet nuper afflictæ, Urbis Leidensis Proceres, Prætor, Consules, Judices quinque ipsis estis à Secretis.

Spectatissimi, Eruditissimique Disciplinarum quarumvis in eadem Academia Inclyta Professores, Collegæ honorandi.

Venerandi Verbi Divini Præcones.

Facultatum omnium Doctores, Artiumque Liberalium Magistri eximii.

Cæterique, qui simul adestis, viri honorati, & docti.

Desideratissima denique Juvenum & Adolescentum egregiorum Corona, Patriæ, atque parentum spes primæ.

Rectoratus Anteprosperatus, ac Luctuosus. QUem ambivi nunquam, sed ob plures, gravesque caussas sum aversatus semper Supremum in hac Academia Magistratum ante annum mihi præter votum, expectationemque impositum, quo Legibus obsecundarem, suscepi solicitus, nunc depono lætus; quamvis Deo annuente ipsum gesserim satis pacatum, at simul plerisque nostrum valdè luctuosum.

Authoris jactura domestica. II. Non memorabo hic jacturas meas domesticas, utut mihi acerbissimas,† cùm ad alios illæ non pertineant, verùm publicas, quippe ad cunctos spectantes, atque tam huic Academiæ nobilissimæ, quam huic Urbi præclaræ funestas.

Jactura Publica in Academia Professorum. III. Ceciderunt namque, ac lucem reliquerunt ex Facultatibus singulis Professores Clarissimi, & quidem inter ipsos ex quatuor meis Assessoribus ætate adhuc vigentes ac me inferiores terni, unico in ordine nostro natu grandissimo superstite.

IV. Quærunt, nec inveniunt ampliùs Theologi suum *Coccejum*, virum in laboribus exantlandis indefessum, & quoad mores pacificum.

V. Lugent suum Juris-Consulti *Thienen*, virum ingenio acutum, judicio acrem, quin ad quævis peragenda promptum & alacrem: Cujus jacturam fecit majorem nupertimus ac lentus *Marchantis* decessus, viri ætate ac vigore florentis & Academiæ valdè utilis, sed, si superstes mansisset, indies utilioris futuri.

VI. *Schuylium* nostrum in Naturalibus, Botanicis, Anatomicis, Medicisque adeò rebus perscrutandis sedulum; atque in mediis suis conatibus omnium primum nobis ereptum dolent Medicorum Filii: Et, ac si parum fuisset unum tantùm amisisse ipsos Antecessorem, post multos alios non ita pridem renovato sub anni hujus principium Medicorum vulnere adhuc cruento extinctus est *van Horne*, Anatomicus insignis; de quo plura dicerem, nisi admodùm nuper ipsi ex hoc loco esset parentatum & ante annos undetriginta meus in Anatomicis fuisset Discipulus.

VII. *Stuarto* denique suo, sæviente jam communi calamitate hinc profecto, & in natali urbe, Parisiorum Lutetiæ, fatis functo, atque variis nominibus commendabili carent nunc Philosophiæ Studiosi; ut & *Golingio*, ejusdem Disciplinæ professore extraordinario.

VIII. Sicut autem ex ordine nostro plures abiverunt ad plures, ita nonnulli ab affectu maligno languentes adhuc necdum recuperare quiverunt valetudinem pristinam & integram.

IX. Libuit enim Deo in judiciis suis non minùs admirabili, quàm justo, nostram per Facultates omnes atque singulas acriter exercere, ac splendidis luminibus orbare Academiam.

X. Nec tantùm in Academiæ hujus Professores, ipsorum Uxores, Viduasve, aut Liberos sæviit hæc Lues, verùm in universam quoque Civitatem Leidensem, adeout durante meo Rectoratu tum qui anno superiore, tum qui trimestri spatio priùs fuerant creati, omnes ad unum è medio sublati fuerint *Consules*: inter quos jam ipso Februario mense desiit esse horum robustissimus ac in ætatis suæ flore adhuc constitutus ordine postremus; cæteri tres jam senes intra dies quatuor & triginta, mensibus nempe Octobri & Novembri, ante Consulum Præsentium electionem cum morte vitam commutarunt; quòd in omni memoria inauditum est non minùs Lugduni-Batavorum, quam alibi. *In Curia Consulum.*

XI. Qui Consulibus infestus Affectus fuit Epidemius; Nec *Prætori* animi recreandi causa Dordracum profecto, nec *Judicibus*, nec reliquo *Senatui* veniam dedit, verùm plus quam mediam hujus partem necavit. *Prætoris. Judicum, Senatusq.*

XII. Quemadmodùm *Curiæ*, atque *Academiæ* fuit æquè gravis Morbus hic communis, sic & idem lethifer fuit *Ecclesiæ* tum Pastoribus, tum Senioribus, tum Diaconis. *In Ecclesia.*

XIII. Hactenus quidem duos Belgas, totidem Gallo-Belgas, unicum Germanum, & unicum Angulum peremit *Ecclesiastas* Reformatos. Cæterarum enim Sectarum damna non recenseo. *Ecclesiastarum.*

XIV. Ubique *Seniores* ac *Diaconos* penè omnes idem morbus nobis eripuit. *Seniorũ & Diaconorũ*

XV. *Civium*, *Mercatorumque* primarii cum *in Urbe Civium & Mercatorũ.*

imi-

† *Conjugis dilectissimæ, quippe piissimæ, prudentissimæ atque optimæ, ante annum ætatis secundum & vicesimum perfectum post biennium matrimonii unanimis, ob animorum concordiam felicissimum, animam suam exemplo verè Christiano & Astantibus omnibus admirabili inter continuas preces placidè Servatori Deo reddentis: hinc & Filiolæ unicæ raras Genitricis dotes in tenellula ætate mirè imitantis, & optima quævis spondentis obitum.*

insigni plebis detrimento maximam partem sunt extincti.

Plebeiorum.

XVI. Sed *Plebejos* etiam est aggressum hoc malum, ipsorumque plurimos peremit.

XVII. Quod non parùm auxit afflictæ Civitatis afflictionem, fuit plerumque Incolarum sæpè cum tota familia decumbentium, aut recidivam aliquoties patientium Infirmitas tanta, ut deessent non tardò qui graviter affectis ac prostratis opem ferrent, quin morituris adessent ac debitè ministrarent: tantus fuit ubique Sanorum, aut mediocri saltem robore præditorum defectus.

Omnis ætatis & sexus.

XVIII. Utique nulli Sexui, nulli Ætati perniciosis huic Urbi labes pepercit; quamvis *Infantes*, ac *Pueri* perpauci, *Adolescentes* ac *Iuvenes* plures, at ex iis, qui ad *Virilem*, *Senilemque* ætatem pervenerant, plurimi ea occubuerint.

Gravidarum.

XIX. Pleræque *Gravidæ* hoc affectu laborantes Abortum sunt passæ; paucissimæ ad nonum mensem uterum gestarunt, atque vivaces fœtus pepererunt; quin ex ipsis quoque multæ paulò post vitam reliquerunt.

XX. Plurima huc facientia non addam, quoniam non ita pridem in hoc eodem Auditorio, me licèt ob valetudinem ab eodem malo penè ad internecionem corpus meum ante quatuor circiter menses atterente adhuc infirmum absente, actum est de hujus temporis Calamitate abundè atque ornatè, quamvis magis Theologicè.

XXI. Non possum verò illa silentio præterire, quæ Professionis & Artis meæ sunt propria; cùm, si non omnium, certè multorum intersit ea nosse; quæ proinde loco eorum, quæ hac hora proferre aliàs cogitaveram, paucis prosequar.

Pœnas afflictionisque mala hominibus à Deo immitti.

XXII. Non puto ignorare, dissimulare, aut negare ullum Christi Salvatoris nostri omnes nomen profitentem, nisi profanum & irreligiosum, in Oraculorum saltem Divinorum diligenti lectione ac jugi meditatione hospitem, Omnia pœnæ, afflictionisque mala immitti hominibus à Deo, summo, æquissimoque actionum humanarum Spectatore, Arbitro ac Vindice: Cujus abdita consilia & judicia justa, nostraque peccata multiplicia, cùm id Theologorum officium sit, pluribus non attingam, excutiamve; contentus Naturales Causas, secundas dictas, impræsentiarum expendere, atque nostro negotio adaptare;

Eumque in finem causis naturalibus frequenter uti.

cùm in judiciis suis terribilibus exequendis frequentissimè (sicut, me judice, in hoc etiam morbo factum) illis utatur unicus Cœli, Terræque Dominus & Auctor, cunctarumque adeò Creaturarum Causa prima & suprema, Deus Optimus Maximus, tam misericors, quàm justus.

Aliquando tamen sine ipsis opera sua perficere.

XXIII. Evenit quidem aliquando, ut Deus sine nominatis Causis Naturalibus opera sua perficiat insolita vel solo suo verbo & mandato Divino, cui omnia mox parent; vel per ministros suos cœlestes, Angelos fideles ac bonos; vel quandoque etiam per Spiritus malos & impuros, Satanæ consortes, Imperio tamen suo subjectos & obsequentes.

Affectus Epidemii causa naturalis.

XXIV. Affectum autem nostrum Epidemium nec dum quiescentem, ac huic præsertim Urbi, locisque circumjacentibus exitialem ac perniciosum existimo ego mediantibus Causis Naturalibus immissum nobis à Deo irato; ac idcircò resipiscentia, cordis humilitate, vitæ anteactæ in melius emendatione, fraternæque Charitate iterum pacando.

Et quidem præcipuè Aer malè affectus. Et alia minoris momenti.

XXV. Naturales Causas omnes omnibus hominibus hic communes dum animo attento percurro & trutinor, videor mihi commodè affectum notatum aut *Aeri, sed aliunde malè affecto, infectoque* tanquam præcipuæ inter ipsas Causæ, adscribere posse; concurrentibus, fateor, subinde aliis quoque Causis, sed minoris momenti, nec continuò locum habentibus, ideoque non tam ipsum producentibus, quàm secundùm quædam Symptomata ægro huic aut illi molestiorem, gravioremve facientibus.

Aerem inspirari & expirari.

XXVI. Aere autem ipsum tantissimè ad horæ quadrantem carere possumus; quod evincunt suffocati & strangulati; ita eundem qualemcunque, utilem, noxiumve perpetuò allicimus & inspiramus, iterumque expiramus, & foràs propellimus.

Deleboe Opera.

Inspiratus Aer purus ac Sanguinem alterat, & temperat.

XXVII. Inspiratus in Pulmones Aer purus ac temperatus Sanguinem in Cordis thalamo dextro secundùm naturam effervescentem, accensoque amplius, auctave tunc Igne vitali ebullientem, mox per arteriam, venamque Pulmonalem ad sinistrum Cordis ventriculum properantem particularum suarum subtiliorum & opportunæ mutationi absolvendæ convenientium admissione alterat, æstumque illius temperat, & blandè compescit;

Expirationes exhalationes secum affert.

atque vicissim exhalationes ab effervescente Sanguine promanantes ac erumpentes, hominique inutiles, noxiasve reciproca sui expiratione secum effert.

An inspiratus Aer saliva aliisque humoribus ad Os delatis misceatur.

XXVIII. An inspiratus Aer aliqua sui parte Salivæ atque, aliisque Humoribus à Cerebro, subjectisque ipsi Glandulis, Glandulosisque tunicis ad Os & Fauces derivatis commisceatur, & unà cum illis deglutitus in Ventriculo & Intestinis tenuibus mutationem aliquam Humoribus ibi repertis, aut confluentibus adferat, sicut arduum est probare, ita durum videtur negare.

Authori id non improbabile.

XXIX. Mihi certè, qui veritatem oblique ac unicè sector, non censetur illud improbabile, quamvis putem plures adhuc requiri Observationes ad rem illam obscuram illustrandam, confirmandamque, & ita stabiliendam, ut Dissentientium cogitur assensus.

Pro Aeris inspirati varietate Sanguinem variè quoque affici.

XXX. Prout autem conservandæ vitæ naturali pernecessarius Aer occurrit nobis aut *temperatur*, aut secundùm qualitates suas potentiùs, frequentiùsque nostros Sensus externos afficientes, ac vulgò primas dictas *intemperatur*, Calidior nempe, Frigidiorve, Humidior, Sicciorve &c. aut *serenus & purus*, aut *perturbatus & nebulosus*, exhalationibusque variis contaminatus; aut *tranquillus & pacatus*, aut *turbidus*, ventisque procellosis *agitatur*, & sic porrò; ita ejusdem inspirati effectus homini erit aut *salutaris*, aut *noxius*; sequeturque *Sanguinis* aut *temperatio* ac *repurgatio* desiderabilis & salubris, aut *corruptio* ac *infectio* cuivis metuenda, quia perniciosa.

Aerem variarum rerum admistiones admittere.

XXXI. Hic verò Aer vitæ nostræ animali tuendæ tam necessarius, ac per se purus, nec sic tamen nobis sufficiens ac conveniens, notabiles *variarum rerum* plurimùm inter se differentium *admistiones*, *confusiones* ac *perturbationes* homini nunc *faventes*, nunc *nocentes* admittit; quas hic, ut breviori sim, ad quinque notabiles redigam species.

1. A Sole ejusque radiis.

XXXII. I. Primùm locum dabo *Soli*, cujus *radii verè ignei* non tantùm per Aerem universum disperguntur, sed in regione ipsius infima, Terræque proxima, ni à nubibus, ventis, &c. impediantur, æstum ingentem pariunt, quin corpuscula infinita & diversissima cum Aere ac inter se confusa non parùm alterant & variè immutant.

Eos esse igneos.

XXXIII. *Igneos* esse *Solis radios* demonstrat non tantùm ardor summus, quem æstatis, & aliquando veris & autumni quoque tempore, atque Aere claro ac sereno existente corpora nostra verberando in nobis excitant; vel calor in rebus quibusvis aliquandiu Soli acuto expositis remanens, Sensuique manifestus; sed imprimis radiorum eorundem convexo vitro exceptorum collectio, ac centrum versus concursio, vulgò concentratio dicta, & quævis combustibilia incendens ac consumens.

Corpuscula per Aerem volitantia.

XXXIV. Quæ dixi esse infinita & diversissima *Corpuscula* cum Aere ac inter se confusa, Solisque radiis mutabilia, eadem, in quantum mihi post multiplices, molestosque labores innotuerunt, & ad rem nostram faciunt, hic paucis percurram & enarrabo.

Ab authore ad sensum demonstrabilia.

XXXV. Velim autem, quod in antecessum moneo, turbari neminem, si me audiat subinde minùs usitatis apud Authores Classicos terminis utentem; quippe qui non aliorum placita & figmenta, sed ipsas res didici scrutari, & suis nominibus indigitare; omnia nimirum, quæ dico & assero, ad Sensum demonstrare paratus; nec proinde Chimæricis multorum Doctorum otiosorum, & labores, sumptusque ad experimenta quævis facienda requisitos refugientium, atque Dictaturum nihilominùs more in suo museo, singula pro lubitu fingentium, determi-

nantiomve, commantis allectus, moratus, aut conturbatus.

Particula Salina Ilxivæ,sed volatiles & aliquid Oleosi & Aromaticum conjunctum habentes.

XXXVI. Sune ergò æstata copiosæ in Aere *Particula Saliaæ Lixivæ*, sed *Volatiles*, maaima sui parte à regionibus Zonæ torridę subjectis aut propinquioribus Austri lenis calidique ope ad nos delatæ, atque sæpenumero aliquid Oleosi & Aromatici conjunctum habentes; quod manifestum est iis, qui exeunte vere aut vigente æstate Aere sudo ac sereno per Galliam meridionalem faciunt iter, occurrente ipsis ad plora sępe milliaria, etiam per Oceanum, Odore plantarum Aromaticarum fragrantissimo; certo argumento particulas subtiles emanare ex illis plantis, atque cum Vento transportari per Aërem ad regiones alias.

Omnia Odorata esse naturæ Oleosæ, & participare de Sale Volatili.

XXXII. Docemūr autem per Analysin rerum naturalium Chymicam, Omnia odorara esse naturæ Oleosæ, arque participara de Sale Volatili; quali omnes omninò Aaimalium, & in specie Hominis partes sunt refertissimæ.

XXXVIII. Quod in regionibus calidioribus attollitur, transferturque aliò magis manifestè, ac copiosè, illud idem in minùs calidis & ab Æquatore remotioribus cōtingit magis obscurè atque parcè.

XXXIX. Nonne cœlo illustri & calente percipimus sæpe in his quoque regionibus ad septentrionem magis vergentibus odores florum, plantarum, rerumque aliarùm suaves aut ingratos per Aerem diffusos, ac è longinquo ad nares nostras deportatos?

Particulas Salinas volatiles & Oleosas in Aere volitantes acui à Solis radiis igneis, & inspiratas in Sanguine partem Biliosam augere. Saliva mixtas Bili etiam jungi.

XL. Has verò particulas Salinas Volatiles atque Oleolas, sive Aromaticas undecunque tandem provenientes atque in Aere eaulitantes agitat & acuit ampliùs Sol igneis suis radiis; quæ cum Aere inspiratæ facilè Sanguini propter suam subtilitatem junguntur in Pulmonibus, atque ipsius, jam æstuantis temperationem ab Aere laudabili expectatam impediont, neutiquam juvant; quinimò augent in Sanguine *partem Biliosam*, primariam æstua in ipso causam, & Sale Volatili Oleoso maximè constantem.

XLI. Quòd si confusos Aeri Sal Volatilis & Oleosus *Salivę* quoque, sicut modo verbo attigi, admisceatur, & ad Ventriculum, Intestinumque tenue depellatur, nonne *Bili* eo affluenti jungetur, ejusdem vim & operationem intendet ampliùs, vel nimiùm, idque cum admittentis detrimento?

Eosdem Pituitosos viscososque Humores attenuare.

XLII. Ab eodem Sale Volatili unà cum Aere attracto *Pituitosi*, *Viscosique humores* in Ventriculo, Intestinis & alibi attenuabantur, incidentur, atque solito fluidiores, nimisque mobiles fient Unde minùs relistent Bilis actioni, quam ex parte ab ipsis reprimi ac cohiberi oportabat.

Et Melancholicos, hoc est, Acidos & Austeros infringere.

XLIII. Ab eodem Sale Volatili Acriore copiosiùs in corpus admisso *Humores Melancholici*, hoc est, *Acidi & Austeri* infringentur, ipsorumque Sanguinem inspissandi vis peribit, unde naturali Sanguinis consistentia minuetur, ipsusque ad sui corruptionem aptior reddetur.

Primarius Radiorum Solarium effectus.

XLIV. Atque hic est primarius & maximè notabilis, nobisque noaius radiorum Solarium ardente Sirio effectus in Aerem unà cum innumeris & multifarlis corpusculis ei confusis Chaos verè constituentem, & à nobis nihilominus inspirandum. Plures eorundem in alia corpuscula effectus valdè considerabiles studio prætereo, ne sim proliaior.

2. Notabilem Aeri mutationē afferunt Venti variis Ventorum proprium.

XLV. II. Inter ea, quæ notabilem Aeri mutationem afferunt, secundum locum assignabo *Ventis variis*; quamvis non tàm sui, quàm eorum ratione, quæ secum advehunt & Aeri ex parte communicant, relinquuntque, id efficiant.

XLVI. Hactenus saltem in Ventis, solo auditu & Tactu perceptibilibus, ego aliud non potui observare proprium præter *vim ac vehementiam* diversam; cùm alii lenes, blandique; alii frementes, validique occurrant. Qui quoties concurrunt varii ac vehementes, toties procellas eacitant, & omnia mirè confundendo, conturbandoque plurima evertunt aut protetunt ac perdunt; donec violentioribus omnia secum rapientibus cedant mitiores & languidiores.

Quæ nobis à Ventis eveniunt rebus per eos ad nos translatis adscribēda.

XLVII. Cætara, quæ nobis à Ventis evenire videntur, rebus diversis unicuique ascitis, & simul quaquaversùm translatis existimo adscribenda. Ab illis nempe non parùm immotatur, Aer in nostrum aut commodum ac emolumentum, aut incommodum ac detrimentum; quod semper à nobis spectandum; Id enim bonum vocamus simpliciter quod nobis ast, aut creditur bonum; sicut malum, quod nobis est, aut putatur malum.

Quid nobis bonum, quid malū.

Austrum Salem volatilem, & Spiritum nobis advehere.

XLVIII. Hæc ut nostro negotio pressiùs accommodem, faciam initium ab *Austro*, vento à torsida zona huc flante, cujus alis *Salem volatilem* ad nos usque transportari, & in Aere nostro ex parte sisti ac permanere dixi modò; nec tantùm Salem, verùm etiam *Spiritum volatilem* inde ad nos similiter adferri planè sum persuasus, sed & imprimis calescente Aere puro & nitido, atque cū Austro blando, placidoque concurrente Sole corusco ac fervido; à cujus igneis radiis elicitur & attollitur facilè in altū & supra nubes inferiores Spiritus volatilis sub torrida zona copiosus, ideoque, quàm alibi, minùs impeditus, irretitusque; qui Austri mitia & sublimis ope per zonam temperatam vehitur aeriùs algidam, ubique partem sui aliquam subjecto Aeri cedens; maximè, ubi offendit eundem humidum & pluviosum, qualem hic habemus frequentissimum.

Eius Effectus.

XLIX. Hinc est, quod sub torrida zona, prę ter antiquorum placitum, æstas regnet continua, fructus plerique toto anno reperiantur maturi, & multo turgentes Spiritu volatili. Hinc est, quòd Vina in Regionibus illi propinquioribus nascentia eodem Spiritu volatili, quàm in remotioribus, abundent magis. Hinc est, quòd Vina Hispanica, quippe potentiora, plus; & Gallica istis debiliora minus; Rhenana & Mosellana utrisque aquosiora minimum Spiritus volatilis contineant, & in sui destillatione promant.

L. Spiritum Volatilem Austri ope ab nos deferri confirmant Fructus omnes immaturi acerbitare ingrata donati, nec facilè, nisi adventante hoc vento, sed blando, & radiis solaribus comitato ad maturitatem deducti.

Fructuum acerborum in dulces mutatio à Spiritu & Sale Volatili, ac & ab igneis Solis radiis.

LI. Omnis namque Fructuum acerborum in dulces, vel quasi dulces, gratosve mutatio & maturatio pendet tum à Spiritu & Sale volatili quovis, tum ab Igneis Solis radiis, aut saltē Igne foci, sed artificiosè administrato; (Ars etenim & imitatur, & juvat, & superat subinde Naturam;) à quibus solis dulcescunt, leniunturque austeri & immaturi fructus; ex quorum adhuc crudorum, immaturorumque Succo expresso via post qualēcumque ac diutinam fermentationem aliquid elicies Spiritus volatilis: qui abundans prodire solet ex eorundem maturorum, adeoque dulcium facilè ac brevi fermentato Succo.

De quibus Fructibus hic loquatur Author.

LII. Me hic de illis fructibus, qui sui maturitate aciditatem, sed gratam & suavem nanciscuntur, neutiquam agere facilè agnoscent, quotquot haud in Plantarum tàm obviarum, quàm exoticarum, ideoque rariorum, aut multis adhuc invisarum inani, sterilique nominum varietate gaudēre cognitione, qualis ferè sola ubique hodie viget, atque rarum singularium Curiosis in deliciis habita & laudata magno Apollineę Artis detrimento in Academiis ad pompam perfunctoriè docetur; ast solida, earundemque, ac imprimis usualium, ægrisque conducentium viribus multifariis per praxin tantùm, experientiamque longam innotescentibus inrenta, & hactenus Medicinæ utili, quamvis ferè neglecta, notitia sunt versati.

Auster per se siccus, non rarò humidus quid præstet

LIII. Quemadmodùm per se *omnis Ventus*, ergò & Auster, *siccus* est, ac humiditate propria destitutus, ita non rarò idem observatur *humidus*, hoc est, nubibus, vel pluvia onustus. Humiditas verò hæc Austro juncta Salem volatilem cum ipso delatum dissolvit, atque Volatilem Spiritum adsumit, ac secum quaqua versum à Vento propulsa defert, quin utriusque partem bonam Terræ, in quam decidit, confert. Tunc autem pluvia, sive impendeat, sive tenuis ac densa delabatur, Respirationem nostram solet angere atque difficilem facere, Sudore ipso pre anxiatate non raro simul erumpente. Quod ego

non

non tantùm pluviæ, sed imprimis Sali & Spiritui volatili unà cum Aere humido inspiratis censeo tribuendum.

Boreas variè frigidus.

LIV. Sicut Auster socium sępiùs habet Calorem Solarem, ita *Boreas* à Zona septentrionali algida, utpote Solis radiis tantùm non destituta, huc appellens *frigore* non vexat perpetuo; sed frigore vario, cùm aliàs blandius obsevetur ipsum; aliàs verò acrius & cutim nudam dilacerans; aliàs tum nubes in nivem, tum pluviam in grandinem, tum aquas collectas, imprimis dulces, minùsve salsas in glaciem congelans & cogens.

Propter particulas Acidas.

LV. Boream semper plùs minùs algidum existimo propter admistas ipsi particulas *Acidas* plùs vel minùs temperatas; quibus nempe solis debentur modò recensiti effectus Boreæ primarii.

Frigus blandum Acido nitroso tribui.

LVI. *Frigus blandum* tribuo *Acido nitroso*, prę Salibus omnibus minùs acri, & in nobis tamen quovis modo frigus lene parienti; qualem Salem cum Borea minùs sævo ad nos migrare testantur Terræ ipsius beneficio pinguescentes. Fertilitatem autem à Nitro esse notò jam est notius.

Frigus Acrius Acido puriori, & muriatico sali juncto.

LVII. *Frigus acrius*, cutimque faciei & manuum dilacerans, sua cuticula privans est acceptum ferendum *Acido puriori*, vel *muriatico sali juncto*; à quo effectum similem observamus indies in praxi Medica, & manifestissimè in Coryza; in qua depluens per nares, sapore salso-acidus humor tum nares, tum vicinam cutim rodere, cuticulamque abradere consuevit.

Frigus glacians Spiritus Acido cum Sale volatili puriore mixto.

LVIII *Frigus glacians* deduco à *Spiritu Acido tam Sale Volatili puriore unito*, & Sali Armeniaco planè consimili, postquam non semel observavi hunc Aqua recens solutum etiam æstate media circa vitreum vas miscellam istam continens allicere ac gelare Aeris ambientis humiditatem aqueam; quod idem urgente gelu evenire videmus fenestrarum vitris.

Sal Armeniacum quibus constet. Sal volatile & Spiritum Acidum simul effervescere. Gelidam dari effervescentiam.

LIX. Constat verò *Sal Armeniacum Sale Volatili puro & Spiritu Salis acido junctis*, & quovis tempore ad experientiam revocandis. Hi duo, ubi à nobis confunduntur, ac simul effervescunt, frigus & tunc quoque pariunt; quin evincunt dari gelidam in rerum natura effervescentiam contrà quàm senserunt, sentiuntque etiam nunc nonnullis ex sola librorum sibi præter omnem rationem præ aliis probatorum lectione, aut propria fictione satis facili, neutiquam verò ex ipsarum rerum observatione multiplici, multùmque atqua & cara edocti, ac nihilominùs de quavis re controversa, sibique incomperta sententiam suam ineptam temerè interponentes Viri audaces, atque ab imperitis propter garrulitatem impudentem magni habiti.

Unde Boreæ accedat Nitrum, Spiritus acidus, Sal Muriaticū, & Sal Armeniacum.

LX. Unde autem, dicet aliquis, *Boreæ accedit Sal Nitrum, Spiritus Acidus, Sal Muriaticum, & Sal Armeniacum*, ut notatos & hisce me adscriptos producat effectus?

LXI Cui respondeo, infinitas esse in Regionibus septentrionalibus metallorum, mineraliumque fodinas, & Venas, ex quibus ignium subterraneorum & artificialium, dum funduntur, vi propelluntur in aerem liberum Spiritus Acidi; quos, ut & alia plura secum rapiunt & quaquaversùm vehunt Aquilonares Venti Nobis omnium vehementissimi.

LXII. Prout autem illis occurrunt in Aere corpúscula diversa, & quidem proportione varia, ita exurgunt ex ista confusione ac mistione Salia composita itidem diversa, & nunc *Nitro*, nunc *Marino*, nunc *Armeniaco* valdè similia; sicut ostendi modò eorum id evinci effectibus.

Ad Nitri constitutionem quandū concurrant.

LXIII. Ad *Nitri* constitutionem fateor concurrit pars sulphurea & pinguis, cujus ratione accendi potest: quod facilè à partibus metallorum Sulphureis unà cum Spiritu acido in aerem sublatis ac dispersis, ipsóve Sulphure accenso & similiter per aerem lato; sed iterum cum eodem spiritu in loco à Solis radiis adeò remoto coalescentibus accidere potest.

Boreas unde acrior.

LXIV. Quoties Spiritus acidi plus, pinguedinis autem minus admiscetur Sali Nitroso, vel Marino ventorum violentia è mari hausto ac per aerem pulso, toties *acrior* sentietur Boreas omnia rodens & radens.

LXV. *Salem glaciantem*. Armeniacoq; affinem arbitror ego generari ex Sale Volatili puriore à regionibus torridæ Zonæ subjectis aut propinquioribus per superiorem Aeris regionem Austri ope, sicut jam dictum, ad Septentrionem translato & cum adventante inde Spiritu Acido in Salem Armeniaco similem concrescente, iterumque Boreæ vi meridiem versùs repulso, atque ubique efficaciam suam mirabilem exerente. *Sal glacians unde generetur.*

Pro Varietate particularum quibus onustus est Boreas, quadè varia in nobis producere.

LXVI Quoties autem particulis vel Nitrosis, vel Salso-acidis, vel Sali Armeniaco similibus onustus ad nos appellit Boreas, toties in Aerem nostrum iisdem replet, quæ cum ipso inspiratæ non possunt non aliquam in Sanguine ac cæteris Humoribus, sed & Partibus ipsis Continentibus mutationem producere Insignem, quin pro singulorum conditione ac constitutione diversa diversam, & quidem, ubi magnus est in nobis æstus, ejusdem contemperationem, si moderata fuerit, utilem, sin excedens, noxiam: ubi verò abundat in nobis Pituita, ejusdem solutionem, commotionem, conturbationem, ac subinde coagulationem, utplurimùm nocentem; unde videas sæpenumero in Senibus Pituita ferè abundantibus & Apoplexias, & Hemiplegias, & Paralyses tunc excitari.

Hippocratis de Aeris Mutationibus; Observationes per quæ explicanda.

LXVII. Ex quibus ritè consideratis, expensis, que magna lux affulget ad explicandas, illustrandasque Magni Hippocratis de Aeris mutationibus secundùm anni tempora, ventosque accidentibus, ac imprimis easdem consequentibus Affectibus Observationes practicas in ejusdem operibus Laconicè descriptas: quod frustrà requires ab hujus temporis Doctoribus quibusdam in Græca Lingua addiscenda multùm, in Morbis autem ipsis apud ægros tantùm cognoscendis parùm aut nihil temporis consumentibus.

Primarii nobis mutationes afferentes Venti Auster & Boreas.

LXVIII Primarii, maximamque ratione admistorum & Aeri, & subjectis huic Regionibus, ac Hominibus mutationem afferentes Venti sunt bini jam memorati, *Auster*, atque *Boreas*: *Orientalis* verò & *Occidentalis* tum ab iisdem Austro, vel Borea, tum à vicinis magis cuivis loco Regionibus, tum ab Aquis, Stagnis præsertim, Maribusve propinquis accipiunt ferè quod iterum Aeri cedunt ulteriori.

Orientales venti hisce locis Sicci. Et quidem calidi vel frigidi.

LXIX. Hisce quidem locis solent *Orientales Venti* per longum Terrarum tractum ad nos delati esse *Sicci*, & prout in Aere Austri vel Aquilonis spolia quædam offendunt & capiunt, *Calidi*, *Frigidive*.

Anno præcedente Subsolanum Gelu nobis retulisse.

LXX. Sic sub anni Præcedentis exitum Gelu grave nobis attulit Subsolanus, quod nullus dubito debebat Boreæ glaciandi vi gravido, ipsique in loco à nobis remotiore occurrenti, atque quoad vehementiam inferiori, & ideò potentioris ductum sequenti.

Occidentales Venti nobis humidi, & quidem vel frigidi vel calidi.

LXXI. *Occidentales* autem Venti ex proximo Oceano Aquas & vapores mutuando *Humidi* ferè sunt, itidemque Aquilonis, Austrive dominium in Aere priùs excercentis ratione *Frigidi*, *Calidive*.

Aerem calore, frigore, siccitate, & humiditate se manifestare.

LXXII. *Aer* profectò, sicut ex modò dictis patet, secundùm quotidianas, ideòque continuas mutationes, quas Solis ortui & occasui accessui ac recessui debet, in Sensus nostros Externos incurrens *Calore* imprimis ac *Frigore* se manifestat, & quatenus nubibus & pluvia destituitur, vel scatet, *Siccitate*, aut *Humiditate* nos afficit, nec in Visum, Auditum, Olfactum vel Gustum hactenus operatur, ac inde forsan prædictarum Qualitatum, tanquam primarum ortum habuit Quaternarius ille tantopere in Scholis decantatus licet nunquam ab ullo demonstratus. Sed de his & similibus non est hic pluribus agendi locus, aut tempus.

Aerem tactum tantùm afficere, Ventum præterea auditum.

LXXIII. Quemadmodùm Aer, sic & Ventus plerosque Sensus externos certis organis alligatos haud afficit, sed illum præcipuè, qui per totam corporis superficiem est distributus, atque, ubi validus existit & sonorus, Auditum quoque.

LXXIV. Audimus ergò Ventorum blandiorum susurrum, & potentiorum frementem sonum, sentimusque

timusque ipsorum violanter in nos ruentium & subinde solidissima quævis concutientium, hinc & nonnunquam prosternentium aut avertentium impetum magnum, ac potastatem stupendam; licèt ignoremus adhuc tam, quid Vantus varè sit, quàm unda vaniat & quò vadat; miramurque ipsum sæpenumerò, sicut confestim axcitatur turbulentus, spôtè ac subitò aut lavi saltam pluvia iterum sedari atque compesci; adadut, quamadmodùm nos sępiùs inexpectara obruit procella, ita insperata nos cęli recreet tranquillitas; quę omnia Sensibus nostris axtarnis avidentia, Menti autem adhuc occulta Deum arguunt pręsentem, omniaque pro suo nutu in mundo immundo gubernantam, ac Prosanos in sua impietate confundentam, quin ad resipiscantiam, Deique agnitionem, ac celebrationem saluratem ipsos invitantem.

Ventus quid sit, & unde veniat, nescivi.

LXXV. III Idam Aar notabiles mutationes accipit 3. à *Nebulis*, *Nebulibus*, *Pluvia*, *Nive*, *Grandine*, ceterisqua *Meteoris Aereis*, nunc ex locis remotioribus, nunc ex propinquioribus originem suam trabantibus.

3. Aeri notabiles mutationes afferunt Meteora.

LXXVI. A *Nebulis* quidem non parùm impurus & nobis gravis atque noxius redditur Aer; quod prę allis experiuntur, qui Asthmati sunt obnoxii, vai aliàs Dyspnoea solent laborare molesta; tunc enim facilè in horum Symptomatum Paroxysmos incidunt tales.

Nebula.

LXXVII. *Nubes* copiosæ, nobisque impendentes, ac imprimis *Pluviam* minantes, sicut dicebam modò, Aeram faciunt Respirationi facili minùs aptum, unda ad Sudoris eruptionam solamus tunc magis angi atque arduè respirara: sicut æstuans priùs Aer, postquam decidit pluvia, remperatur vicissim, refrigeraturque; quo benaficio carent, quemadmodùm observavi non samel, qui degunt in loco licet vicino, & videtunt quidem supra se, contingare autem non potuarunt aliò ruans Cęlum imbribus.

Nubes. Pluvia.

LXXVIII. *Meteora Sulphurea* fulguri ac fulmini sæpiùs juncta, vel aliàs per Aerem dispulsa non parùm ipsum gravi fętore inficiunt & cum Aere inspirata nobis quoqua nocet.

Meteora Sulphurea.

LXXIX. IV. Idem Aer notabiles mutationas subit 4. à *Vaporibus* ex Aquis maximè vicinis quavis de causa suscitatis, Aeriqua confusis. Prout enim Aquæ dulces sunt ac purę, qualas Fontana & Fluviatilis, aut Salsæ, aliove Sapora donatæ, quales Marinæ ac Madicatæ, Spadanæ scilicet, aliæve Acidulæ; aut odore omni destitutæ, qualas modò laudatæ Fontana & Fluviatilis; aut odore gravi donatæ, qualas Sulphureæ ac Bituminosæ; prout eædam sunt quiascantas, aut motæ: ita diversissimi ex illis attollentur, proximoque Aari admiscebuntur Vapores, nunc blandi, purique; nunc Salsi, Acidive; nunc impuri, fœtidive, aut Sulphurei; quorum aliqui, ubi modum non axcedunt, nobis sunt aliquando amici, cæteri verò plerumque noxii.

4. Aer notabiles mutationes subit à Vaporibus.

LXXX. Ante omnia autam *Aquis adversa est Quies*, *necessarius Motus*, sine quo diu nequeunt permanera integræ; quin bravi corrumpuntur, putidisque Vaporibus Aeram, cunctaque in eodam Viventia inficiont, & quandoque sua noxa interficiunt.

Aquis adversa quies, necessarius motus.

LXXXI. Quiascunt Aquæ stagnantes aut conclusæ, ad Motum varò cieutur apetta ipsis ad loca declivia facta patula via, & in locis magis planis reciproco Ventorum oppositorum flatu; ni alia insuper id perficiatur arte potenti, eliciando nimirùm, exhauriendove, atque aliò transfarendo Aquam sui mora corrumpendam, corruptamve, ac vicissim aliunde alliciendo & in ablatæ locum advehendo puram & incorruptam.

Aqua quomodo moveantur.

LXXXII. V. Aer denique 5. mutationes notabiles subit ab *Exhalationibus Terreuis*, sæpiùs Solis æstuantis opera eductis, & aliquando ab Ignibus subterraneis foràs propulsis, atque ambienti Aeri communicatis.

5. Aer notabiles mutationes accipit ab Exhalationibus terenis.

LXXXIII Quemadmodùm autem à Tarra optima & plantis salubribus decorata Exhalationes assurgunt suaveolantes, Aerem sanum præstantes, nobisque utiles, de quibus actum est in superioribus; ita ex eadem paludosa, vel aliàs contaminata erumpunt Exhalationes fœtentas, Aeremqua, hinc & nos inficiantas ac corrumpentes.

LXXXIV. Postquam verò Aari nostro, sed inquinato & corrupto tanquam Secundæ, ac Externæ Causæ, acceptum existimavi ferendũ Morbum nostrum Epidamium, meritò axpectabunt avidè plures, ut post Causatum Aarem nostrum jam toto semestri spatio licèt malè afficientium enarrationem multis fat s prolixam, & nonnullis forsan tædiosam visam, quippa horulæ spatio penè durantem, tandam aliquando determinem, quibusdam ex anumeratis Causis ramotioribus adscribenda vaniat nostri Aaris corruptio: an uni, an pluribus, an omnibus.

Aeris nostri corrupti causa remotiores.

LXXXV. Id paucis absolvam, dicendo Aaris nostri vitium deberi istis omnibus & singulis superiori æstate atque autumno in nostri ruinam concurrentibus ac consentientibus Causis modò axplicatis; & 1. æstuanti Soli; & 2. Ventis continuò ferè silantibus; & 3. Pluviæ deficienti; & 4. Quiescentium Aquarum Vaporibus, sad limosis assurgentibus; & 5. Terreis Exhalationibus uliginosis & impuris, atque post Aquarum è Paludosis locis evaporationem à Sole in Aarem attractis, propulsisve; si omnis rerum naturalium Motus fiat Pulsu, sicut id hoc tempore placet plurimis.

LXXXVI. I. A *Solis* namque *radiis*, quos *Igneos* in superioribus ostendi, non tantùm durantibus diebus canicularibus, sed toto insuper Septambri mense cum Aare hic & in vicinia nimis sereno & tranquillo perseverantibus Particulę Bili augendę volatilisi præstandæ & commovendæ aptissimæ auctæ sunt, acrioresque factæ in Aere, quin continuò à nobis omnibus inspiratione in corpus allectæ: unde in nobis multiplicata est Bilis, factusque Sanguis valdè fluidus & incandio nimio suscipiando accommodatus; quapropter minimo in cæteris Diætæ partibus accedente vitio aerrato, Agitatione putà & motione corporis vehemanti aut longa, Potus genarosioris assumptione liberaliore, Ira vahementi, Vigiliis protractis, & similibus, commota est & quaquaversùm copiosiùs concitata Bilis, quæ confluentibus Humoribus juncta tum Nauseam, Vomitumque, hinc & Aphthas, tum Alvi fluxum, tum Fabrem continuam, Æstumque in corpore molestum, Capitis dolorem, aliaque Symptomata plura produxit; quæ difficiliùs potuerunt superari ac in totum debellari propter Aerem in statu & vitio eodem permanentem, atque mali fomitam continuò fovantem.

1. Solis radii ignei quid effecerint.

LXXXVII. Sed afflictionem auxerunt *Pituita*, *Humorque Melancholicus*, sicut suprà dixi, ad iisdem partibus Aeris Sale Volatili Acriore abundantibus non parùm de naturali sua constitutione recedentes, atque Bili reprimendæ inepti factus.

LXXXVIII. II. *Ventis* autem vix toto illo tempore auditis, sad silantibus, nec *Aeri*, nec proinde *Sanguini* nostro perutile ac nacessarium accessit refrigarium ac ramperamantum; sed nec *Aquis* tantùm non per se hic stantibos accessit requisita commotio, & hinc inde propulsio, ac renovatio Ventis dabita; unde solito magis fuere corruptæ, elevatis & Aeri confusis, mox & à nobis inspiratis vaporibus fœtidis noxiisque.

2. Quid Ventorum silentium.

LXXXIX. III. *Pluviarum* insigni dafectu Salis Volatilis tum purioris, tum simul Oleosi particulæ abundantissimæ Aari manserunt permistæ, atque à nobis perpetuò nimiùm inspiratæ; unde Bilis aucta, & nimis Volatilia, fluida, & Acris facta modo recensita produxit mala nocentissima.

3. Quid Pluviarum defectus.

XC. IV. *Aquarum* ex Ventorum penuria *quiescentium & stagnantium*, quin à Solis radiis tum ex Urbis Canalibus & Alveis, tum ex viciuis paludibus, locisve paludosis magnam partem exhaustarum, tum maximè ad peragrinarum & quidem Salsarum affluxum ratione fundi Sulphurei Effervescentiam noxiam & olidam subeuntium Vapores succedentas fœtidi atque graveolantas nostri parniciem similiter promoverunt.

4. Quid Aqua quiescentes & stagnantes.

XCI. V. Idam dicendum de uliginosis, pravisque *Terræ lutosæ Exhalationibus*, Pluviæ dafectu à Solis radiis

5. Quid Terra lutosa Exhalationes.

radiis sursum eductis, Aereque hinc & Homines quoque inficientibus.

XCII. A quibus rite consideratis ac perpensis sicut omnia Symptomata, etiam diversissima, & molestissima in Ægris observata commodè possunt deduci, ita meritò Causas notatas omnibus manifestas & tunc urgentes sufficere dicendum.

Affectum hunc Epidemium Cerevisiis non adscribendum.

XCIII. Non ignoro fuisse non paucos, qui hunc Affectum Epidemium ex inficiata *Cerevisiis* eo tempore cum *Aqua Subsalsa* subinde à quibusdam perperam decoctis adscripserint, & idcircò vvesopianam veluti sospitalem unicè celebrarint ac commendarint: Verùm, licèt non culpem hanc Cerevisiam multis saluratem, non parùm à vero aberrarunt, qui tantas vires ipsi assignarunt, postquam non minùs gravis fuit Affectus hic malignus vvesopianæ, quàm Leidensis Cerevisiæ potatoribus: adde quòd æquè ac Leidensibus molesta fuerit vvesopianis hæc Lues.

Quare Ditiores citiùs, pauperiores tardiùs affecerit hoc malum.

XCIV. Sed quærat Vir curiosus, verique avidus, cur citiùs locupletiores ac delicatiores, tardiùs pauperiores ac duriores ad internecionem usque affecerit hoc malum? primis etenim Mensibus tribus, Augusto, Septembri, & Octobri diutiùs afflicti sunt Cives fortunæ lautioris, leviùs augustioris; subsequentibus autem Novembri, Decembri, & hujus anni Januario Opulentiores occubuere pauciores, sicut Tenuiores plures.

XCV. Existimo autem id factum, quatenus Ditiores, adeòque delicatiores, minùs assueti erant perferendis Aeris injuris, quàm Egentiores, ideòque duriores; unde non mirum, si à corrupto Aere citiùs fuerint malè affecti & infesti homines teneriores, humoribus nempe magis mobilibus & fluidis propter Diætam ordinariam & his faventem præditi, seriùs puriores, humoribus crassioribus & Glutinosioribus propter Diætam illis producendis aptam referti.

Quare hoc morbo affecti tam serò ad pristinam redierint sanitatem. Et frequentes passi sint recidivas.

XCVI. Sed ulteriùs quærat Veritatis amator, cur plerique, qui mali hujus diri evaserunt vim, tam seròad pristinam redierint sanitatem? cur tam frequentes passi fuerint recidivas, easdemque non rarò lethales?

XCVII. Cui respondeo, id factum, quoniam manente Causa efficiente, manet Effectus; quoniam necdum à sui corruptione, aut potiùs infectione ac iniquinatione in totum est liberatus Aër. Quamobrem continuarunt in statu vitiato plerique humores, quin ad levia etiam Diætæ errata, & imprimis ad Procellas in Aere aliquoties excitatas conturbati sunt, agitarique iterum vitiosè; succedentibus mox Febribus multifariis, aliisque Affectibus gravibus debilitata & attrita præcedentibus malis corpora nullo negotio destruentibus, hominesque jam prostratos conficientibus.

XCVIII. Sed instet idem, omnne jam recesserunt à nobis *Ignei Solis radii*, secutumque est non semel in Aere frigus atrox & immane? Nonne Aerem nostrum non minùs, atque stagnantes priùs Aquas hinc inde commoverunt agitaruntque *Venti*, etiam procellosi? Nonne aliquoties *Pluvia* nos irrigavit optata? Nonne *Vapores Aquei*, *Exhalationesque Terreæ* desinunt Aeri communicari & ipsum inficere?

XCIX. Hæc omnia ita se habere agnosco, unum tamen nondum meæ satisfecit expectationi, ac desiderio, *Pluvia nimis rara & pauca cecidit hactenus circa loca huic afflict.e Urbi maximè vicina*; Hujus autem abundantioris ope optavi semper Salem Volatilem copiosum & acrem in Aere subsistentem solvi, atque in magnum mortalium emolumentum unà cum ipsa humi subsidere, ac terras pinguefacere.

C. A Ventis namque quaquaversùm propellitur quidem, non tamen exturbatur ex Aere Sal Volatilis, nulli rei faciliùs se jungens, quàm Aquæ, & imprimis in Vapores, aliterve diffusæ, qua liquefactus Terræ miscetur utiliter, ipsamque facit fertiliorem.

Cur hic affectus in vicinis Urbibus non fuerit notabilis.

CI. Hinc factum censeo, quòd in variis Urbibus vicinis, tum ob perpetuum Aquarum fluxum liberum, tum ob Pluvias frequentiùs ibi, quàm hic præteritus æstatè, atque autumno, sed hyemis quoque principio deciduas, non fuerit Affectus hic notabilis vel gravis.

CII. Sed cui bono, inquiet alius, hæc Dissertatio, & malorum nimis notorum cum Causis suis enarratio, nisi aliquod iisdem inveniatur, atque in commune bonum manifestetur Remedium?

CIII. Ipsis Ægris, quæ secundùm memorata & longè plura memoranda Symptomata debentur, remedia, cùm id foret nimis Medicum, non est hujus loci aut temporis referri; id autem agam proximè, si Deus volet, in Prelectionibus meis publicis & Auditorio Medico.

Aeri contaminato remedia investigare omnium probonum esse.

CIV. Sed quæ Aeri communi toties hic contaminato & corrigendo, & contra novam corruptionem muniendo conveniunt remedia & auxilia (cùm Magistratus sit ea curare) omnium Incolarum probonorum est, quantum ipsi supernè datum, investigare, atque Numine cujusvis mentem illustrante inventa bona publici juris facere, atque sic, quantum possibile, commune omnium bonum promovere.

Quomodo infectio Aeris Leidensis præcavenda.

CV. Dicam proinde & Ego hîc, quod videor mihi hactenus post sollicitam Leidensis Aeris observationem de ipsius infectione frequenti, quantum mediis humanis obtineri potest, præcavenda, dum effectu hoc detinerer, notasse.

CVI. In hominis certè potestate non est, *Solis æstum* impedire. In hominis potestate non est *Ventos* excitare ac pro lubitu quaquaversùm mittere, hinc & componere. In hominis potestate non est *Pluvias* ex Aere superiore accersere ac deorsùm ad nos deducere. In hominis potestate non est *Aqueos vapores*, ac *Terreas Exhalationes* sistere. In hominis tamen potestate est aliquando *Aquis subsistentibus motum* citra Ventum conciliare, iterumque tollere.

Motu Aquarum ...

CVII. Postquam igitur observatum est multis retrò annis stagnantes in hac Urbe Aquas omni fermè Æstate propter tunc frequentiùs si antea Ventos putrescere ac fœtore gravi ambientem proximè Aerem atque Incolas inficere, quin à quiescentibus hisce Aquis erumpentem graveolentiam hoc etiam tempore non parùm Aeris noxam & corruptionem auxisse; optandum foret, ut non tantùm serio de Aquarum per totam Urbem toties Dei benedictione tam feliciter explicitam & pomœria sua expandentem in Canalibus & Alveis suis Ventorum & quidem oppositorum defectu subsistentium, bibe & arente Sirio putrescentium, fœtoremque hominibus valdè noxium evaporantium artificiosa commotione; quin, quod præstat, per locum decliviorem eductione ac evacuatione, mox & alterius purioris, convenientiorisque è loco altiore eductione atque admissione cogitaret, quod ipsum faceret nullus dubito, Magistratus Leidensis Prudentissimus; verùm manum insuper operi admoveret, atque auditis, expensisque variis variorum de hac re consiliis ac sententiis, quod maximè rationi, experientiæque videretur ipsi consentaneum, tandem aliquando tentaret.

A Magistratu procurando Leidensi.

CVIII. Nil enim juvat continuò & diu deliberare, nunquam verò aliquid statuere ac concludere, aut conclusum experiri, utut incertum sit, qualis an ex voto, nec ne, sit futurus eventus; quem tandem ignoramus, quandiu à nemine fuit factum constituti experimentum; quod tam sæpè falsi arguit etiam subtilissima, & subtilitate sua inani superbientia Ingenia.

Ut & Vicinarum Urbium.

CIX. Optandum insuper foret Urbium vicinarum Magistratus Aquis sponte mobilibus divites huic favere proposito, atq; depositis omnibus simultatibus secundùm Dei præceptum, exemplumque Charitatem suam Leidensis Urbis Incolis testari.

CX. Nunquam enim ulli ullum perit beneficium, etiam ingratis collatum; postquam Deus est fidus, certusque omnium bene actorum remunerator.

CXI. Hoc qui nescit, aut non credit, Christiani nomine indignus est, sicut, proh dolor! plurimi tales hoc tempore observantur ubique, Magnates præsertim, prudentiæ suæ humanæ, corruptæque nimium fidentes, nec tamen quotidiana sui similium deceptione facti verè prudentes; quin potiùs justo Dei judicio suæ imprudentiæ ac improbitati relicti, donec tandem serò lugeant, dummodò lugeant suam impietatem, quàm in tempore oportebat notatam, & quidem priùs correctam, quàm morte non raro repentina & inopinata, vel morbo lethali, moxque ad conversionem salutarem miseram mentem, animamq; ineptam reddente ad tremendum illud, iniquitatis operatoribus meritò futurum vocentur judicium. Nec enim tunc erit ampliùs tempus Dei verbum, providentiam & similia jocando cavillandi, atque profanitatem suam nefandam inter Christianos, etiam Reformatos disseminandi.

CXII. Utinam peccatis nostris non retardaretur, sistereturque talium profanorum ac impiorum cita eversio atque excisio!

DIXI



FRAN.

FRANCISCI DELEBOE, SYLVII, HANOVIENSIS,

quondam apud Amstelodamenses Practici felicissimi, famigeratissimi; tandem verò Lugduni Batavorum Medicinæ Professoris publici, longèque celeberrimi, desideratissimi,

CASUS MEDICINALES,

Sive

HISTORIÆ ÆGROTORUM

Quorum curam An. 1659. 60. & 61. in Nosocomio Leydensi proprio Marte & Arte (i. e. remediis sibi usualibus & propriis, hicque in fine appositis) singularis informationis ergò industrius suscepit;

Quamque Curam

JOACHIMUS MERIAN, Philos. & Med. Doct. nec non pro nunc, Phys. Mœno-Francofurtensis Patrius Ordinarius, tum temporis autem Medicinæ Candidatus ex ore Præceptoris sui perpetuò venerandi volante calamo excepit.

JOACHIMUS MERIAN,

Phil. & Med. Doct. nec non Phys. M F. Patrius Ordinarius,

CANDIDO BENEVOLOQVE

LECTORI SALUTEM

ΚΑΙΕ ΤΙ ΠΡΑΤΤΕΙΝ!



Esiderat omni procul dubio Benevole Candideque Lector aliquod CASIBUS hisce MEDICINALIBUS Cl. SYLVII præmissum alloquium. Verùm re ipsa loquente nullis certè opus esse verborum ambagibus, in confesso est apud omnes, cùm nec Vinum per se vendibile hedera indigeat suspensa. Ne autem in ipso statim opusculi hujus limine Benevolum te Candidumque Lectorem insalutatum planè relinquam, paucis, quæ dicenda sunt, tibi aperiam mentem meam. Cl. Sylvius (Franciscus de-le-Boe aliàs dictus,) quis Natione, Stirpe, Studio, Eruditione & Professione, uno verbo: quis Vita denique & Morte fuerit olim, Opera ejus omnia in Belgio uno volumine comprehensa, typis mandata, inque publicam edita lucem abundè testantur. Præceptor fuit quondam meus, nunc desideratissimus, omnique honoris titulo semper & ubique nominandus, & quidem An. 1659. 60. & 61. cujus in Medicina per totum vitæ meæ curriculum (sine hinc laudes DEO T. O. Trino & Vini infinitæ!) nec inter vivos nec mortuos proh dolor! habui parem, multò minùs superiorem. Summæ ergò & perpetuæ Gratitudinis in tesseram, Memoriam atque Monumentum non periturum DIARIUM hocce Ægrotorum, sive COLLEGIUM Casuale Practicum & Medicum piis, probis atque industriis, imò VERITATEM verè amantibus Praxeos Medicæ tandem Candidatis & jam Initiatis (non autem Veterinariis, quî se super ipsum SALOMONEM sapere firmiter & indubitatò, sed vanissimè sibi persuadentes neminem, nisi semetipsos pertinaciter & malevolè decipiunt,) Christiano & misericordia Divinam per gratiam pleno (absit jactantia verbis) ex affectu & corde publicè communicare volui, debui; Omne enim Verum bonum, quod desuper à Patre Luminum descendit, sui est communicativum! Accipe igitur Candide Benevoleque Lector hocce donum meum, (quod certè totum SYLVII. Opus, quamvis à se non conscriptum, est, & quidem proprium, cui ut aliquid de meo addam, vel de suo demam, mihi ut Viro Bono non licet) qualecunque, nec aspernare, sed eo utens fruere, quæ tibi prodesse potest atque proderit semper & ubique, quaque prædita est virtute, quam etiam ipse perpetuis extollam & commendabo laudibus; animum verò meum, proximo suo juxta DEI præcepta nullo non tempore inserviendi cupidissimum, promptissimum (quem operis hujus fructus non contemnendus, quemque animitùs & toto ex corde tibi opto, ubertim tandem propalabit,) hisce tibi habeas quàm commendatissimum. Vale, & benè semper Age!

FRAN-

FRANCISCI DELEBOE, SYLVII, HANOVIENSIS,

CASUS MEDICINALES,

Sive

HISTORIÆ ÆGROTORUM.

CASVS I.

VIr quidam conquerens de ventris torminibus & febre quartana, assumtis sequentibus remediis meliùs se habuit.

℞. *Gumm. Ammoniac. Mastich. el. ana* ℈i.
Chalyb. præp. gr. xv.
Trochisc. albandal ʒß.
Ol. dest. granor. junip. gutt. vi.
M. & form. Pilul. num. xxx.
De hisce assumat sæpiùs num. v.
Posthæc assumsit seqq.
℞. *Mass. Pil. fœtid. maj.* ℈i.
F. Pilul. num. v.
Pro una vice.
Tandem sequ. assumsit haustum:
℞. *Aqu. Fumar.*
Theriacal. simplex una ℥ß.
Ocul. Cancr. ℈ß.
Syrup. quinque Rad. ℥ß.
M. f. haustus.

CASUS II.

PVella 20. annor. hysterica passione ex flatibus à pituita viscida exortis, cum summa viscerum alteratione & convulsione affecta à sequenti Medicamento bis assumpto convaluit.

℞. *Aqu. Petrosel.*
Fœnic. ana ℥iß.
Spir. Vin. Rectific. ℥ß.
Acet. Stillat. ʒvi.
Ocul. Cancr. præp. ʒß.
Antimon. Diaphor. ℈i.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syrup. quinque Rad. ℥i.
M. ad Vitr. & inde sumat sæpius Cochl. j.
NB. Hæc mixtura secunda vice iterata est.

CASUS III.

PVella laborans febre tertiana, à seq. haustu assumpto. mox rediit ad pristinam sanitatem.

℞. *Aqu. Card. Bened.*.
Theriacal. simpl. ana ℥ß.
Syrup. de Fœnic. ℥ß.
Sal. Armoniac. gr. xii.
M. pro Haustu.

CASUS IV.

VEtulæ, quæ laborabat inflammatione oculorum, præscript. est sequ. collyr.

℞. *Aqu. Rosar. Alb.* ℥ß.
Fœnic. ℥ß.
Sief. Alb. ℈i.
Vitriol Alb. gr. iii.
M. ad Vitr.

Hæc Vetula in inguine habuit etiam ulcus palmæ magnitudinem æquans, ex quo singulis mensibus effluebat sanguis; quòd si verò obstruebatur illud, sanguis per alia foramina, quę Natura sibi parabat, exiit.

Contra hunc affectum sequ. decoct. purg. fuit præscriptum.

℞. *Rasur. lign. Guajac.* ℥iii.
Rad. Liquirit. Ras. ʒvi.
Baccar. Junip. ℥iß.
Pulp. Colocynthid. ʒi.
Coqu. s. a. in Aqu. pur. ad Colatur. ℥xxx.
Quib. add.
Syrup. de Senna ℥iii.
M. & sumat alternis dieb. inde Haustum.

CASUS V.

VIro, qui febre intermittente ex pituitosis humoribus laborabat, sequ. decoctum purg. fuit præscript. de quo alternis dieb. haust. assumsit.

℞. *Rad. Apii* ℥i.
Levistic. ʒii.
Baccar. Junip. ℥i.
Sem. Anis.
Dauci ana ʒii.
Coqu. ex Aqu. Pur. q. s. in Colatur. ℥xxv.
Dissolv.
Syrup. de Rhabarb. simpl.
de Senna ana ℥iß.
Add.
Spir. Salis rectif. ℈i.
M. ad Vitr.

CASUS VI.

FOEminæ, quæ de angustiis circa pręcordia à pituitosis humoribus & inde ortis flatib. conquerebatur, sequ. mixtura præscripta fuit.

℞. *Aqu. Lavendul.* ℥iß.
Theriac. simpl. ℥ß.
Syr. de Stœchad. ℥i.
M. ad Vitr.

CASUS VII.

PVellæ Scrophulis affectæ sequ. Pilul. ordinatæ fuere.

℞. *Gumm. Galban. c. acet. pręp.* ʒß.
Myrrh. Rub.
Mastich. el. ana ℈i.
Chalyb. præp.
Castor. opt.
Croc. Britannic. ana ℈ß.
Trochisc. Albandal. ʒß.
Resin. Jalapp. ℈i.
Ol. de Junip. gutt. vi.
M. F. Pilul. num. i.
Dosis num. v. *singulis vicibus.*

CASUS VIII.

VIro qui de summo conquerebatur æstu sequ. mixtura præscripta est.

℞. *Aqu. Borrag.* ℥iii.
Cinnamom. ℥iii.
Acet. Stillat. ℥ x.
Ocul. Cancri ʒß.
Antimon. diaphor. ℈i.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syrup. de succ. Acetosæ ℥i.
M. assumat cochleatim.

CASUS IX.

VIro pituitosis humoribus scatenti sequ. Pilul. ordinatæ fuere.

℞. *Gumm. Ammoniac. c. Acet. præp.* ʒß.
Castor. Opt.
Mastich. el. ana ℈i.

Croc.

Croc. Opt. gr. vi.
Trochisc. albandal ʒß.
Ol. dest. Succin. gutt. vi.
M. F. Pilul. num. xxv.
Assumat altern. dieb. num. v.

CASUS X.

VIro, qui flatibus & bilis acrimonia laborabat, cujusque massa sanguinea erat nimis serosa, sequentes pilulæ præscriptæ fuere.
℞. *Gumm. Ammoniac. c. Acet. præp.* ʒß.
Mastich. el. ℈i.
Tart. Vitriolat gr. xv.
Myrrh. rub. ℈ß.
Croc. Britann. gr. vi.
Aloes rosat.
Resin. Jalap. ana ℈i.
Ol. dest. Junip. gutt. vi.
M. F. Pilul. num. xxx.
Sumat subinde iii.

CASUS XI.

VIro, qui ab acrimonia humorum infimo in ventre vaxabatur, sequ. fuere præscripta.
℞. *Mass. Pilul. de Cynogloss.* ℈i.
F. Pilul. num. viii.
Assumat subinde j. aut alter.
℞. *Aqu. Hyssop.*
Fœnic. ana ℥i.
Tinctur. Cinnamom. ʒß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. de Hyssop. ʒvi.
M. assumat cochleatim.

CASUS XII.

VIro, debilitate ventriculi, à depravato ejus fermento laboranti, sequentia fuere præscr.
℞. *Mass. Pil. Mastich.* ℈i.
F. Pil. num. v. *assumat eas una vice.*
℞. *Aqu. Menth.* ℥ii.
Tinct. Cinnamom. ʒß.
Elixir. proprietat. ʒß.
Spir. Salis rectif. gut. viii.
Syr. de Menth. ℥i.
M. assumat sæpiùs cochl. j.

CASUS XIII.

VEtulæ Angustia præcordiorum & tussi laboranti sequ. decoct. pectorale est ordinat.
℞. *Rasur. lign. Guajac.* ℥ii.
Rad. Liquir. Ras. ℥i.
Sem. Anis. ℥ii.
Coqu. ex Aqu. Pur. q. s.
Colatur. ℥xxv.
add.
Oxymel. simpl.
Syrup. de Hyssop. ana ℥i.
M. assumat sæpius Haustulum.

CASUS XIV.

PVellæ affectione hypochondriaca flatuosa, ex pituita viscida, Clar. Sylv. Melancholia dicta, laboranti prout ex seqq. sign. diagnost. patebat, seqq. pilulæ sunt præscriptæ,

Signa Diagn. Dolor aderat lumbor. tumor hypochondrii sinistri; malè se habebat venter; sentiebat cordis palpitationem, à qua liberabatur & levamen sensit, flatibus emissis; tandem corpus subinde attollebatur cum motu menbrorum convulsivo; multos emittebat ructus, & cordis anxietate premebatur.
℞. *Gumm. Sagapen. c. Acet. præp.* ʒß.
Castor Opt.
Mastich. el. ana ℈i.
Myrrh. Rub.
Chalyb. præp. ana ℈ß.
Trochisc. Albandal.
Resin. Jalapp.
Scammon. ana ℈i.
Ol. dest. Succin. gutt. vi.
M. F. Pilul. num. xl.
Assumat subinde v.

CASUS XV.

MUlieri febre tertiana laboranti præscripta est seq. Mixtura, Cochleatim assumenda.
℞. *Aqu. Fumar.* ℥ii.
Fœnicul. ℥i.
Acet. stillat. ʒvi.
Spir. Vini Rectif. ʒiii.
Ocul. Cancri ʒß.
Syr. Papav. errat. ℥i.
M. ad Vitr.

CASUS XVI.

VIro pituitosis humoribus scatenti sequ. Pilul. fuere ordinatæ.
℞. *Gumm. Ammoniac. c. Acet. præp.* ʒß.
Mastich. el.
Carabes albiss. ana ℈i.
Myrrh. Rub.
Croc. Britann. ana ℈ß.
Trochisc. Albandal ʒß.
Resin. Jalapp. ℈i.
Ol. dest. Junip. gutt. vi.
M. F. Pilul. num. xl.
Dos. num. v.
Altern. diebus.

CASUS XVII.

VIro Ascite & Febre erratica continua laboranti seq. mixt. est præscr.
℞. *Aqu. Petrosel.*
Fœnic. ana ℥iß.
Tinct. Cinnamom. ʒvi.
Syr. quinque Rad. ℥i.
Spir. Nitri Gutt. viii.
M. assumat cochleatim.

CASUS XVIII.

FOEminæ passione hysterica laboranti seq. Mixt. præscripta est.
℞. *Aqu. Puleg.* ℥ii.
Tinct. Castor. ʒß.
Syr. quinque Rad. ʒvi.
M. assumat cochleatim.

CASUS XIX.

VIro, qui flatibus vexabatur, sequ. Decoct. Carminativ. fuit præscript.
℞. *Rad. Apii,*
Levistic. ana ʒß.
Baccar. Junip. ℥i.
Rasur. lign. Guajac. ℥ii.
Sem. Anis.
Fœnic. ana ʒii.
Coqu. s. a. in aqu. Pur.
Q. s. ad Colatur. ℥xxx.
In quibus dissolv.
Syr. Menth. ℥ui.
Spir. Vin. rectif. ℥ii.
Nitr. ℈i.
M. capiat subinde haustulum.

CASUS XX.

VIro, cujus humores scatebant spiritu acido, temperaturæ ergò sequ. est ordinat.
℞. *Ocul. Cancr.* ʒi.
Terr. sigill. ʒß.

Cret.

Cret. Alb.
Lap. hæmatit. ana ℈ ß.
M. & divid. in 3. p. æqual. quar. 1. sumatur manè, altera in meridie, & tertia sub vesperam, sed omnes c. haust. Vin.

CASUS XXI.

PRo Viro tussi laborante.

℞. *Rad. Apii,*
Fœnic. ana ℥ i.
Baccar. Junip. ℥ i ß.
Sem. anisi ʒ ii.
Rad. liquiriæ. Ras. ℥ ß.
Coqu. in Aqu. Pur. q. s.
In Colatur. ℥ xxv. *Dissolv.*
Syrup. de hyssop. ℥ ii.
M. & sumat. subinde haustum.

CASUS XXII.

PRo fœmina angustiis circa præcordia loborante.

℞. *Aqu. Menth.*
Fœnic. ana ℥ i.
Tinct. Cinnamom. ʒ ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ʒ vi.
M. & sumat sæpiùs cochl. j.

CASUS XXIII.

PRo fœmina febre intermitente laborante.

℞. *Aqu. fœnic.* ℥ i.
Theriacal. s. ʒ vi.
Antim. diaphoret. ℈ ß.
Elix. propriet. ℈ j.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
M. assum. cochleatim.

CASUS XXIV.

PRo muliere de flatibus in lumbis conquerente

℞. *Aqu. petrosel.*
Fœnic. ana ℥ i.
Spir. Vin. rectif. ℥ ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Ol. dest. anisi gutt. viii.
Syr. Menth. ℥ i.
M. assumat subinde cochl. j.

CASUS XXV.

PRo puella à vaporibus biliosis in lumbis vexata.

℞. *Aqu. Cichor.* ℥ ii.
Fœnic. ℥ i.
Acet. stillat. ʒ vi.
Ocul. Cancri ℈ i.
Antimon. Diaphor. ℈ ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syrup. de Betonic. ℥ j.
M. assumat cochleat.

CASUS XXVI.

PRo Virgine hysterica passione affecta.

℞. *Aqa. Lavendul.* ℥ v.
Theriacal. simpl.
Tinct. Castor. ana ℥ i.
Laud. Opiat. gr. v.
Ol. dest. succin. ℈ ß.
M. & sumat. inde sæpiùs Cochl. j. *aut alter.*

CASUS XXVII.

PRo Virgine, quæ ex flatulentia & febre decumbebat.

℞. *Aqu. Menth.* ℥ ii.
Aqa. fœnic. ℥ j.
Delebot Opera.
Tinct. Cinnamom. ℥ ß.
Spir. Nitri gutt. viii.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. de Menth. ℥ i.
M. assum. cochleatim.

CASUS XXVIII.

PRo Viro, tussi à salsis & acribus humoribus vexato.

℞. *Mass. Pil. de Cynogloss.* ℈ j.
F. Pilul. num. viii.
Sumat. subinde j.

CASUS XXIX.

PRo muliere, quæ ardore faucium cum febre continua laborabat.

℞. *Aqu. hord.* ℥ xx.
Syrup. Violar. ℥ ii.
Spir. Salis ℈ ß.
M. assumat sæpiùs haustum.

CASUS XXX.

VIr quidam conquerebatur de torminibus, tumoreque ventris & pedum; si flatus emittebat, levamen sentiebat; angustiis circa præcordia premebatur, cum tensionibus; non poterat esse extra lectum, sed semper opus habebat decumbere. Præscripta est ipsi sequ. mixtura.

℞. *Aqa. petrosel.*
Fœnic. ana ℥ i.
Tinct. Cinnamom. ℥ ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Ocular. Cancri ʒ ß.
Acet. stillat. ℥ ß.
Syr. de Menth. ℥ j.
M. sumat. subinde Cochl. j.

CASUS XXXI.

PRo Viro, qui conquerebatur de tussi, à catarrhis exorta.

℞. *Hord. Mundat. & ad crepatur. coct.* ℥ j.
Amygd. dulc. excort. ℥ ii.
F. l. a. Emulsio, ad ℥ xii. *cui add.*
Syr. Jujubin. ℥ j.
Subinde sumat æger haustum.

CASUS XXXII.

PRo Viro febre imminuta laborante.

℞. *Aqu. theriacal. simpl.* ℥ j.
Fœnic. ℥ ii.
Laud. Opiat. gr. iii.
Sacch. alb. ℥ i.
Ol. dest. Anisi gutt. xii.
M. exactè & assumat inde sæpiùs æger Cochl. j.

CASUS XXXIII.

PRo Virgine, cui sanguis ex gingivis sæpè effluebat, sequ. gargarism. est præscriptus.

℞. *Rad. bistort.* ʒ ii.
Fol. Salv.
Flor. Ros. rubr. ana M j.
Sem. Levistic. ʒ i.
Alum. crud. ʒ ii.
Coqu. ex Aqa. pur. add. sub fin.
Acet. Vin. ℥ ii.
In colatur. ℥ xv.
Dissolv.
Mell. rosat. colat. ℥ i ß.
M. hoc gargarismo aliquantul. calfacto sæpiùs eluat os & gingiv.

CASUS XXXIV.

VIrgini scropbulis laboraoti seqo. præscrip. est haust. per infer. purgan. humores pituitosos solutos, & ad glaodulas colli delatos.

℞. Elect. hydragog. ℥ iii.
Aqu. fœnic. q. s. pro haustu.

Huic puellæ Chirurgus scrophulas sive glandulas tumefactas aperuit scalpello, ferreo, quod German. dicitur. *ein fliethe*, sed maluisset Cl. Sylv. ut apertæ fuisseot scalpello aureo; ex quibus multùm materiæ effluxit.

CASUS XXXV.

PRo Viro febre quotidiana cootinua laborante.

℞. Rad. Levist.
Apii ana ℥ j.
Rasur lign. Guajac. ℥ iii.
Bacc. Junip. ℥ ij.
Pulp. colocynthid. ʒ i.
Radic. Jalapp. ʒ ii.
Coqu. in q. s. Aqu. pur. ad Colatur. ℥ xxx.
ad
Syr. de helleb. nigr. ℥ iv.
Spir. Vin. rectif. ℥ ii.

Capiat sæpè haustulum, observata tolerantia.

CASUS XXXVI.

VIro, qoi conquerebatur de Vomitibus acidorum, ructibus amarorem spirantibus, debilitate corporis, & tumore pedum, præscripta est seq. mixt.

℞. Aqu. Menth. ℥ ii.
Cinn. Cinnamom. ℥ ß.
Spir. Nitri gutt. vi.
Syr. Menth. ℥ i.
M. & assumatur cochleatim.

Ad hac mixt. meliùs se habere incepit, quare iterata est.

CASUS XXXVII.

PRo Viro qoi laborabat alvo adstricta, præscript. est sequ. Elect. de quo subinde sumat quantitatem nucis avellanæ vel juglaodis parvæ.

℞. Conserv. Rosar. Pallidar.
Pulp. Tamarindor. ana ℥ i.
Elect. hydragog. ʒ vi.
Crem. Tartar. ʒ i.
Misc.

CASUS XXXVIII.

VIro, qui multa pituita viscida hærebat in intestino tenui, circa lumbos, & quam bilis immixta mutat in flatus, unde abdominis teosio; illa pitoita etiam, mixta saoguini, causat febrem quotidianam; in cerebro capitis dolorem gravitatem; & io habitu tandem corporis pedum tumorem; præscript. est sequ. decoct.

℞. Rad. Apii,
Fenic. ana ℥ i.
Rasur. lign. guajac. ℥ iii.
Pulp. Colocynthid. ʒ j.
Passular. mai. mund. ℥ iv.
Coqu. ex aqu. pur. ad Colatur. ℥ xl,
Quibus add.
Syr. de helleb. nigr. ʒ iv.

Misc. & de hoc sumat. per aliquot dies haustulum, observata tolerantia.

CASUS XXXIX.

PRo Viro tussi & alvo adstricta laboranti sequ. decoct. est præscript.

℞. Radic. liquir. Ras. ℥ ß.
Fœnic. ℥ i.
Rasur. lign. guajac. ℥ ii.
Baccar. Junip. ℥ i.
Pulp. colocynthid. ℈ i.
Coqu. in aqu. pur. q. s. ad Colatur. ℥ xxx.
Quib. add.
Syrup. de Senna ℥ ii.

M. & capiat subinde, id est, per aliquot dies haustulum observata [illegible].

CASUS XL.

PRo puero, morborum, propter delirium, quo laborabat, Cl. Sylv. coguoscere non poterat, ut innotesceret, sequ. præscr. est mixtura.

℞. Aqu. Betonic. ℥ ii.
Cinnamom. ℥ ß.
Acet. stillat. ʒ vi.
Juleb. Rosat. ℥ i.
M. pro haustu.

CASUS XLI.

PRo puella febre quotidiana laborante, à pituita & bile io intestino tenui circa lumbos inter sese effervescentibus (quæ effervescentia oritur à spiritu acido pituitæ juncto sale lixivioso bilis) unde frigus in regione lumborum & toto corpore; dolor capitis acris in dextra parte (hic est à vaporibus biliosis) & tandem angustia circa præcordia; præscripta est sequ. mixt.

℞. Aqu. fœnic. ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ i.
Acet. stilat. ʒ vi.
Antimon. diaphor. ʒ ß.
Syrup. quinque Rad. ℥ i.
Laud. Opiat. gr. ii.
Misc. sumatur cochleatim.

CASUS XLII.

VIr quidam conquestus est de amarore oris, ructibus amarorem spirantibus, æstu in lumbis, ardore in excretiooe fæcum alvinarum & orinæ tensione ventris, & dolore totius corporis.

Præscript. est sequ. mixtura.

Quia caosa est bilis peccans quantitate & qoalitate (acris enim est) ut & motu, fertur enim superius in ventriculum, ex nimia in intestinis cum pituita) in qua [illegible] acidum peccat) effervescentia.

℞. Aqu. plantag. ℥ ii.
Tinct. Cinnam. ℥ ß.
Spir. Nitri gutt. viii.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. Acetosit. citr. ℥ i.
M. & subinde sumat. parum.

℞. Extracti Cholagog. ʒ ii.
Aqu. fœnic. q. s.
M. & f. haustus.

Post assumpta quievit, & ab assumpto purgante vomuit.

Iteratus est haustus purg. superiùs præscriptus.

℞. Aqu. Menth.
Plantag. ana ℥ i ß.
Tinct. Cinnamom. ℥ ß.
Spir. Salis gutt. xii.
Syrup. myrtin. ℥ i.
M. & utatur ea cochleatim.

NB. Hæc mistura ipsi præscripta est, qoia conquerebatur de palpitatione hypochondriorum (à bile nimis attenuata) & ardore in excrementorum excretiooe.

Quoad omnia symptomata, præter quòd adhuc sentiat æstum in lombis, post assumpta meliùs habet, præscript. est ei sequ. remed.

℞. Pulp. Tamarindor. ℥ ij.
Elect. è succ. Rosar. ℥ i.
Conserv. Ros. Pallid. ℥ i ß.
Cremor. Tartar. ʒ j.

M. &

M. & f. Condit. de quo pro tolerantia capiat per plur. dies quantitatem nuc. avellanæ. Omnia, quæ assumsit, rursus evomuit, præter condit. ex quo leniter deponit alvum; Pulsus; est parvus, Urina turbida magis, quàm unquam fuit.

Continuet in assumtione conditi.

Assuescit assumtioni ciborum; Pulsus major est, ac antea fuit; Urina etiam non ampliùs adeò turbata; quare ipsi iterata est mixt. nuper præscripta.

Jam delirat, & reliqua omnia pejùs se habent. Mortuus est.

CASUS XLIII.

PRo Viro, qui conquestus est de summo frigore circa lumborum regionem in paroxysmo febrili, post ipsum autem de summis doloribus in pedibus Clar. Sylv. judicavit id fieri à spir. acido in pituita præternaturali abundante, quare præscripsit ei sequ. mixt.

℞. *Aqu. Petrosel.* ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ i.
Syr. quinque Rad. ʒ x.
Laud. Opiat. gr. ii.
M. assumat cochleatim.

CASUS XLIV.

PRo puella febre intermittente laborante.

℞. *Aqu. Petrosel.* ℥ ii.
Fænic. ℥ j.
Theriacal. simpl. ℥ ß.
Ocul. Cancr. ℈ j.
Antimon. Diaphor. gr. xv.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ʒ vi.
M. & assumat cochleatim.

CASUS XLV.

VIro, qui 4. Decembr. summè incalescens bibit haustum frigidæ, unde sensit paroxysmum febrilem, cum summo frigore in lumbis; nunc autem conqueritur de dolore pectoris, cujus causam judicavit Clar. Sylv. esse pituitam; quare ei præscriptum est sequ. remedium, 6. Dec.

℞. *Rad. Fænic.*
Apii ana ℥ i.
Rasur. lign. Guajac. ℥ iii.
Baccar. Junip. ℥ ii.
Sem. Anisi,
Dauci ana ʒ ii.
Passular. Maj. mund. ℥ ij.
Coqu. s. a. in aqu. pur. ad Colatur. ℥ xl.
Hisce add.
Syr. de Senna ℥ iii.

M. de hoc assumat sæpiùs (pro tolerantia tamen) haustulum.

℞. *Trochisc. becchicor. Alb.* ℥ ii.
d. ad Chart.
Sign. Kroft und Husten Ruchlein.
Harum sumat subinde j. aut. alter.

Hic æger conqueritur ulterius de dolore pungente in extremitatem pedum, forsan ab homoribus vel vaporibus acribus propter laborem impeditum ibi hærentibus, quare ipsi præscript. est sequ. pedilavium.

℞. *Rad. Alth.* ℥ ii.
Fol. Malv.
Verbasc.
violar. ana M ii.
Sem. lin.
Fænugræci ana ℥ i.

Concisa & contusa coqu. in aqu. q. s. cui calefactæ semper impon. pedes manè & vesperi.

Ad tussim utatur sequ.

℞. *Sacch. Alth.* ℥ j.
D. ad Chart.

℞. *Mass. Pil. de Cynogloss.* ʒ ß.
F. Pilul. N. xii.
Deleboe Opern.

Harum j. assumat subinde, ad contemperandum & educendum acres humores.

Levamen habet ex pedilavio.

Cùm à superiùs præscr. purgante ritè non fuerit purgatus, sed tantùm semel aut bis, ideò aliud ordinat. est.

℞. *Elect. Hydragog.* ʒ iii.
Aqu. Hyssop. q. s. pro haustu, quem altero die manè sumpsit,

Cùm post hæc incaluisset, ob defectum cerevisiæ aquam bibit, quare nunc tam de tussi, quàm de dolore laterum conqueritur; Assumsit purgans & excrevit phlegma; febris vaga est, nullum planè saporem persentit in ore œsophagum descendit, asperam arteriam, arteriam magnam, venam cavam & azygos dictum potest afficere, unde dolores laterum, tusses &c. deinde in Ventriculo alia incommoda potest generare.

Conqueritur de dolore in pectore, non pulmonibus.

Non est Pleuritis vera, quia non tam gravia habet symptomata, quæ ad pleuritidem veram requiruntur; est autem notha, ab inflammatione pectoris; pituita enim soluta à potu frigido postea hærebat, hinc obstructio, vasor. ruptio & inflammatio.

Hinc Cl. Sylv. conclusit ægrum abundare saogoine pituitoso, qui mali causa est; quod potest probari ea eo, 1. quòd nullum planè saporem sentiat in ore, 2. ex phlegmate expectorato, ut & 3. aliis symptomatibus ritè pensitatis.

In tali casu in principio statim valet sudoriferum; nunc autem dissolvens, incidens & acrimoniam temperans, & est illud, quod superiùs est præscript. Ab hoc assumpto semel dejecit, & aliquantò meliùs habuit; phlegmata spumosa, tussis causam expectoravit; Pulsus melior est. A duodecim cochl. decocti purgantis 8. Dec. præscript. vehementissimè purgatus est; febris est levior; commodiùs respirat; tussis verò adhuc urget.

℞. *Mass. Pil. de Cynogloss.* ℈ j
F. Pil. num. viii. *assumat subinde* j. *& alter.*

In omnibus sentit levamen.

Iteretur apozema pectoral. 6. Dec. præscr.

Iterentur etiam pilul. de Cynogl. & trochisc pectoral.

15. Dec. Alvi fæces duriores fuere, segnis enim erat in assumt. medicamenti.

16. Dec. Humores in hoc ægro Cl. Sylv. dicebat esse valdè compactos & quamvis tussiat, tamen id non fit cum tanta difficultate, ut anteà. Iteratus est haustus hydragog. cum trochisc. becchic.

17. Dec. Iterat. est apoz. pectorale purg. 6. ejusd. præscr.

18. Dec. A purgante debilis est, & hodiè manè frigus sensit, calor haud molestus est, evomuit etiam.

21. Dec. Tussis adhuc est gravis, & dolor circa pectus. Iterati sunt troch. becchic.

24. Dec. Iteretur apozema pectorale purg. 6. Dec. præscript.

27. 28. Dec. Iteretur apozema prædict.

29. Dec. A medicamento levamen habet, & jam restitutus est.

3. Jan. Indies meliùs se habet.

CASUS XLVI.

PRo Viro, qui conquestus est de hæmorrhoidibus tumefactis in ano, ab acrimonia fæcum, præscriptum est sequ. linim.

℞. *Ungu. Populeon.* ʒ vi.
Bolis Armen. ℈ i.
Opii c. Ol. Rosar. q. s. dissolut. ℈ ß.
M. f. linim.

CASUS XLVII.

VIro, qui sensit nuper insultum Epilepticum, præscripta est sequ. mixt.

♃. *Aqu. fl. tiliæ* ℥ ii.
Theriacal simp. ℥ ß.
Tinct. Cinnamom. ʒ vj.
Syr. stœchad. ℥ j.
M. assumat eam cochleatim.

Ab hac mixt. assumta meliùs se habet, quare iterata est.

CASUS XLVIII.

VIro, qui conquerebatur de pruritu in toto corpore à vaporibus biliosis acribus & stupore (id est, dolore formicante) in inguine & femore, ab humoribus pituitosis, nervos comprimentibus.

Ad prurit. præscript. est sequ. sudorifer.

♃. *Theriac. Androm. Veter.* ʒ i.
Antimon. Diaphor. gr. viii.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
Aqu. fœnic. q. s. ad haust. Misc.

Ad stupor. autem sequ. linim.

♃. *Ungu. Martiat.* ʒ iii.
Ol. lumbric. terr. Nardin ana ʒ ii.
Dest. succin. ℈ i.
M. f. liniment. ad Ollam.

CASUS XLIX.

VIro, qui conquerebatur de alvo adstricta à fecibus induratis, sequ. est præscript. Condit.

♃. *Pulpa Tamarind.* ℥ i.
Elect. è succ. Rosar. ℥ ß.
Crem. Tartar. ʒ i.
Conserv. Ros. Pallid. ʒ vi.
M. f. condit. de quo aliquoties sumat quantitat. magnitudine nuc. Jugland.

CASUS L.

VIro qui urinam reddebat cum ardore, & sentiebat dolorem in pene, præscripta est sequ. Mixtura.

♃. *Hord. Mundat. & ad crepatur. Coct.* ℥ i.
Sem. Melon.
Cucum.
Papav. alb. ana ʒ ii.
F. Emuls. ad ℥ xv.
quibus add.
Syrup. de Alth. Fernel. ℥ i ß.
M. & de hac subinde sumat haustulum.

Huic ægru, cùm scateret etiam humoribus viscidis, præscript. est sequ. Mixt.

♃. *Rasur. lign. guajac.* ℥ iii.
Rad. liquir. Ras. ʒ xi.
Apii ℥ i ß.
Baccar. Junip. ℥ ii.
F. Decoct. in aqu. pur. in Colat. ℥ xl. *dissolv.*
Syr. de quinque Rad.
Senna simpl. ana ℥ ii.
M. & sumat subinde haust.

Hic æger 8. Dec. accessit, & à calore furni difficultatem in respiratione contraxit ante 12. annos; jam magis affligitur hyeme quàm æstate, vel alio tempore; sitit & à potu venter distenditur, ut & à cibo calido; à flatibus emissis meliùs habet, non est nauseabundus nec noctu solebat dormire, nunc autem satis dormit. Post calorem à furno potum frigidum sumsit, & sitim non potuit sedare, hinc tussis cum anxietate pectoris; ab eo tempore coactus erat opus pistorium deserere. In continuitate ab asthmate differt, non vomitu. Nuper à tussi hæmorrhagia narium laboravit; ante 15. dies pedes & facies turgebant tumore leucophlegmatico; ante aliquod tempus multum sanguinis excrevit. Tussis sicca est utplurimùm, aere verò humido phlegmata excernit majore cum levamine, à tussi autem sicca defatigatur.

Materia in pulmonum debet esse substantia, nam licet in aspera arteria ab aere exspirato & inspirato deberet excerni, si in venis aut arteriis hereret, inflammationem pareret, cùm verò est in substantia, nec sanguinis motus obstat, nec excerni potest & cùm perpetuò irritat, hinc tussis continua; cùm phlegmata evacuat, est à peculiari causa; cùm igitur in vitę genere alimentis pituitosis usus est, & solebat modò frigus, modò calorem pati, & cùm natura hujus regionis (Belgii scil.) est, ut pituitam generet, hinc ęgrum his de causis pituita abundare putat Cl. Sylvius, quę à calore furni soluta per vase lactea sanguini admixta est, tunc à potu frigido in substantiam pulmonum & in pectus delata est materia, unde causa mali; quòd pituita abundat, ex symptomatibus & ęgri querelis probari potest. Omnes in corpore nostro humores sunt ab alimentis & Aere (ex quo sal in abundantia hauriri potest,) sed non ratione materiæ efficientis, ergò fermentum proprium debet addi, quod fermentum ortum habet à glandulis, & cùm saliva ad ventriculum defertur; hinc diversitas humorum ab eodem alimento peti debet, quatenus fermentum diversas partes educit in diversis hominibus. Calor ad fermentationem est causa adjuvans, sed non primaria, nam omnis fermentatio potest fieri levissimo calore; quicquid de spiritibus in corpore dicimus, per ratiocinationem habemus. Massa panis æstate unico tantùm linteo tegi debet, ne amarescat, & nimiùm fermentetur; hyeme verò multis, & ad ignem servari. Calor potest penetrare, ubi spiritus non potest, prout in destillatione Spiritus Vini patet, ubi calor per vas penetrat, Spiritibus manentibus.

Decuplo plus crassioribus pituitæ est in intestinis, quam in ventriculo.

Æger non sentit distensionem ab alimentis siccis, sed ab humidis, unde pituita solvitur, & biliis in eam agens flatus causat.

Calculus in vasis non tota substantia, sed soliditate & secundùm qualitates peccat.

Consultum est, initium facere à leucophlegmatię curatione per purgans.

♃. *Elect. Hydragog.* ʒ iii.
Aqu. Hyssop. q. s.
M. & s. haustus, quem assumat cras manè.

9. Dec. Lingua semper arida & aspera est.

Sedes & quidem commodè à purg assumto dejicit; ubi quiescit lingua, siccior est; ubi autem movetur, tum copiosior saliva adest, exceptis iis, in quibus Saliva visc dior, tum magis deficit.

Iteretur haustus purg. 8. Dec. præscr. ex Elect. hydrogog. &c.

10. Dec. Commodè purgatus est & multos flatus emisit; in reliquis ferè in eodem statu est.

♃. *Aqu. Petrosel.*
Fœnic. ana ℥ i ß.
Tinct. Cinnamom. ℥ ß.
Elix. Propr. ʒ ß.
Syr. Capill. Vener. ℥ i.
M. Subinde sumat Cochl.

11. Dec. Lancinationes & puncturas in Virga sentit, jam ab 8. Septimanis malum per vices recurrit; urina acri esse videtur, conducit hic emulsio seq.

♃. *Hord. ad crepat. coct.* ℥ j.
Sem. Melon.
Cucum.
Papav. alb. ana ʒ ii.
F. s. a. Emuls. ad. ℥ xv.
Add. in fin.
Syr. de Alth. Fern. ℥ i.
Aqu. Fœnic. ℥ i ß.
M. Capiat inde sæpius haustul.

13. Dec. Phlegmata non rejicit; lingua ipsi sicca esse videtur, quamvis non sit, nam tactu humida est, & valdè calet sive ardet.

Siccitas visibilis à bile semper ortum habet. Quando Humores viscidi peccant, purgantibus incidentia attenuantia & præparantia sunt adjungenda.

♃. *Rasur. Lign. Guajac.* ℥ iii.
Rad. liquirit. Ras. ℥ iii.
Apii ℔ I ß.
Baccar. Junip. ℥ ii.
Pulp. Colocynthid. ʒ i.

Ocul.

Ocul. Caner. ʒii.
M. f. Decoct. In aqu. pur.
ad. Colatur. ℥ xl.
Tandem. ad.
Syr. quinque Rad.
De Senn. ana ℥ii.
De hoc subinde sumat haustulum.

14. Dec. Aliquoties & quidem cum levamine blandè dejecit, ideoque continuet Medicamentum quod habet.

15. Dec. Satis commodè se habet, continuabit Medicamentum.

17. Dec. In meliore statu est.

18. Dec. Iteretur Decoct. 13. præscr.

20. Dec. Habet adhuc decoctum, de quo sumat.

21. Dec. Scrotum ipsi valdè tumefactum est

℞. *Flor. Sambuc.*
Flor. Chamomill. Rom.
Summit. Melilot. ana M. j.
Flor. alth.
Fol. Majoran. ana M i ß.
Sem. Anisi,
Cumin. ana ℥ß.
Concis. & crassè contusa d. ad chart. coquen. in cerevis. & calidè applic. pudendis.

21. Dec. Magis anhelat quàm heri: ob respirationem anhelosam.

℞. *Aqu. Fœnic.*
Hyssop. ana ℥ i ß.
Spir. Vin rectif. ℥ß.
Acet. Stillat. ʒvi.
Ocul. Cancr. ʒß.
Antimon. Diaphor. ℈i.
M. assumat. Cochleatim.

24. Dec. Scrotum habet adhuc tumefactum & & quidem aqua plenum, durities autem tumoris evanuit; propter contorsionem virgæ molestiam habet in reddenda urina.

℞. *Cort. Rad. Ebul. Levistic. ana* ℥ß.
Rasur. lign. Guaj. ℥ii.
Baccar. Junip. ℥ i ß.
Sem. Urtic. Rom ʒiii.
Pulv. Rad. Jalap. ʒi ß.
Coqu. f. a. ex aqu. pur. ad Colat. ℥ xxx.
add.
Syrup. de Helleb. Nigr. ℥ i ß.
Spir. Salis rectif. ℈i.
Vin. rect. ℥ii.
M. sumat. subinde haustulum.

Iteretur etiam Mixt. 22. Dec. præscr.

27. Dec. Non quievit per 6. aut 7. noctes, alvus manet adstricta, & scrotum adhuc tumet.

℞. *Mithridat. Dam.*
Philon. Rom. ana ʒi.
Syr. papav. errat. ℥i.
Aqu. Fœnic.
Petroselin. ana ℥i ß.
M. Sumat Cochleatim.

℞. *Elect. Hydragog.* ʒiii.
Aqu. Petrosel.
q. s. pro Haust.

29. Dec. Bis dejicit; Angustiam circa pectus sentit.

℞. *Aqu. Hyssop.* ℥ii.
Fœnic. ℥j.
Acet. dest. ʒvi.
Tinct. Cinnamom. ʒiii.
Ocul. Canc.
Antimon. Diaph. ana ʒß.
Syrup. quinque Rad. ℥j.
M. sumat Cochleatim.

30. Dec. In pejus ruit, appetitus prostratus est, & sentit dolorem pungentem in pedibus.

℞. *Aqu. Menth.* ℥i ß.
Fœnic. ℥j.
Tinct. Cinnamom. ℥ß.
Elix. Propriet. ʒß.
Syr. de Menth. ℥i.
M. assum. Cochleat.
Delebat Opera.

5. Jan. sequ. anni parum levaminis habuit a Medicamento.

Sensim perit. Iteretur mixtura nuperrime præscr. scil. 30. Dec.

13. Jan. Mediocriter valet, iteretur decoct. 24. Dec. præscr.

24 Jan. In pessimo vivit statu. Iteretur decoct. 24. Dec. præscr.

CASUS LI.

VIr quidam aliis navans operam in eruendis cespitibus ex aqua, ante biennium ex gravi animi mœrore in humeris & brachiis, quasi aqua frigida per illas partes esset effusa, dolores sensit, unde tremor in artubus superioribus, qui tantus, ut illos non possit continere, quem tractio partium nervosarum in cervice secuta est, unde malum hoc capiti, ut vix à delirio immunis, communicatum est. Appetitus satis urget, & appetitu urgente, in cibum statim sumat, pejus se habet, & ita angitur, ut si ei non succurrant, in Leipothymiam incidat; Manè jejuno ventriculo fauces quasi strangulari sentit, in lumbis dolor urget, qui per totum corpus dispergitur, & nonnunquam tantus, ut quò se vertat, nesciat; ructus & flatus emittit, aliquando per superiora & inferiora, hisque emissis levamen sentit; partes corporis magis tument, quàm debent, & imprimis tumor in cruribus notabilis circa vesperam notatur, & hæc symptomata, (excepto tremore partium corpori, qui continuus est) per intervalla recurrunt.

Frigus nunc primùm observat, & quidem in manu dextra, accedente calore meliùs se habet; dolor capitis ipsum infestat, in paroxysmo si decumbat in latere & lumbis talem sentit dolorem, ut adstantes eum erigere cogantur; nec benè sedere nec decumbere potest, quin circa ventriculum angatur; artus debiles sunt & mox stare, mox autem sedere cogitur. Gravius malum metuens Medici auxilium implorat.

Consultum tum temporis fuit, quia sal austerus & lixiviosus in bile peccat, unde tumor & motus convulsivus, ut sequ. modo curaretur; 1. Per alterantia & evacuantia; & quidem sale volat. abundantia Medicamenta, quæ optima in hoc morbo.

CASUS LII.

2. Jan. VIr epilepticus & hydropicus accessit, cujus membra contrahuntur, convulsivos motus, imò convulsiones per totum corpus sentit, sunt quasi pulsationes vagæ; dolor capitis adest; tres paroxysmos non meminit, quarti verò memor est, jam verò adeò vehementes sunt, ut via à 4. vel 5. viris contineri possit; Non vera & legitima est Epilepsia, sed spuria, quia adhuc mens quodammodo constat; via enim ullam molestiam ægri sentiunt in Epilepsia (vera) præter gravitatem capitis.

Quia mens constitit, signum est, insultum fuisse leviorem.

In Epilepticis tandem omnes actiones animales, præprimis ratio turbatur & depravatur; in illo etiam est mentis consternatio.

In Epilepsia & convulsio & motus convulsivus concurrunt; prima vice non sentit malum adventans; postremis vicibus semper prævenit, nec caderet, nunc semper coactus est decumbere; cùm correptus hoc modo fuerit, mens per triduum ad se non rediit, & sine loquela fuit; per tres alios dies dolorem ventris passus est, & per 4. septimanas principium hydropis sensit, sed crura olim magis tumida fuere, quàm nunc.

NB. Clar. Syl. habuit sub cura Epilepticum, qui per 10. dies cæcus fuit.

Dolor etiam in lumbis adest, sed non adeò gravis, & motum circa carpum sentit, qui convulsivus motus incipit à sinistro brachio, & inde ad dextrum transiit.

Probabile est, malum ab humore acri ortum habere, & cerebrum & motum animalium spirituum lædi.

Facies hujus ægri leucophlegmatica est,

℞. *Aqu. Flor. Tiliæ* ℥ ii.
Theriacal. simpl. ʒ vi,
Antimon. diaphor. ℈ ii,
Syr. fl. paeon. ℥ j,
M. sumat cochleatim.

2. Jan. Cochlearia aliquot mixtur. heri assumsit, & benè quievit, sed considerabilem dolorem in regione lumbari observavit, qui pergit ad dextrum hypochondrium, ac si perfoderetur pars & instar clavi transfossi pungit.

Heri demum cepit dolor.

Duobus mali affligitur, uno continuo, hydrope scil. & altero subinde reccurente. Epilepf. namque. Heri paroxysm. quidem habuit: epilepticis facies pallida est, venter & pedes tument.

Epileptici aliàs nullum sentiunt dolorem, gravitatem autem capitis, & motum convulsivum, qui est motus inordinatus.

Hic æger sentit aliquid moveri in toto corpore, aliquando in cruribus, aliquando in brachiis, mox in ventre cum dolore lancinante, jam circa scapulam sinistram, quia igitur iste motus non est continuus, probabile est, neque materiam sive causam esse continuam.

In omni motu convulsivo fit nimius spirituum animalium motus.

Nervus compunctus, ubi ea infusione terebinth. cum spir. Vin. non curatur, amputandus est.

In motu inordinato spirituum modò in hanc, modò in aliam partem concutiuntur, & tunc equidem fiunt rigidæ.

Corpus ægri pituitosum est, & acre & volatile quid peccat in hoc affectu, subitæ autem mutationes iste spiritui acido debentur: & si feratur materia peccans ad cerebrum, facillimè una pars magis affici potest, quàm altera.

Musculus nunquam versus suum principium trahitur, sed expanditur in latum, & corrugatur in longum.

Omnia medicamenta, quæ ?? acidum concentrant hic prosunt, ut creta, lap. hæmatit. & sal vol. qualecunque, confert etiam unum magis, quàm alterum,

℞. *aqu. fl. tiliæ,*
Fœnic. ana ℥ i ß.
Theriacal. simpl. ℥ i,
Lap. Hæmatit.
Cret. Alb. ana ℈ i.
Syr. Flor. paeon. ℥ j.
M. assum. cochleat,

Hodiè quidem initia paroxysmi sensit, sed mox cessarunt; habet adhuc lancinationes, sed non tam vehementes & graves; quoad dolores levamen sensit jam in uno brachio; paroxysmum habuit, qui levior tamen fuit.

Dimidium medicamentorum evomuit, perseverandum potiùs in medicamentis est, quàm mutandum, quia meliùs se habet; per biduum non dejecit.

Iteretur mixtura heri præscripta, scil,
℞. *Elect. Hydragog.* ʒ ß.
Aqu. fœnic. ℥ i ß,
M. assumat.

Bis hodiè à purgante dejecit, unde defatigatus vomuit amara, dolores lumborum plerique sublati, & dolores vagi sunt mitiores; subinde vomit ab eo tempore, quo paroxysmus invasit, ventriculus hic laborat, qui vomitionis & nauseæ causa, sed per consensum intestini.

8. Jan. Bene se habet, omnia symptomata sunt & manent leviora, sed respiratio fit cum sonitu.

10. Jan. Pedes ægroti jam minùs tument; nullas amplius lancinationes nec paroxysmum sentit, in præcordiis autem sentit palpitationes.

Naturaliter omnes partes laxæ sunt, nec constringuntur.

13. Jan. Omnia quæ assumit, evomit, imprimis quæ bibit; saporem admodum ingratum habet in ore, quem explicare non potest; per vomitum phlegmata ejicit & viridia; nihil potest comedere; dolores aliquos in ventre torsionum ad instar sentit.

Multis in vomitoribus spontaneis emetica exhibita vomitiones istas compescunt, quia causa earum tollitur sufficienter, cùm vires non rarò ab humoribus pravis oppressæ sunt, quare eis eductis sublevantur.

Multi epileptici ex levi purgatione per alvum facillimè patiuntur insultus epilepticos; cùm per vomitoria malum sæpè fuerit sublatum. Abhorrent autem omnes vomiturientes & nauseabundi sicca, eaque difficulter assumunt, valentiùs autem liquida.

Vitrum antimon. hic præstat.

Hydropicor. alias non est proprium vomere.

Mixtum medicamentum potest exhiberi cum tinct. cinamom. quæ corrobat, & temperat humor. effervescentiam, & concentrat spir. acidum.

℞. *Oxymell. vomit.* ʒ ii.
Elect. Hydragog. ʒ i ß.
Tinct. Cinnamom. ʒ i.
Aqu. fœnic. q. s.
M. assumat, uno haustu.

14. Jan. Hodiè manè suum sumsit medicamentum emet.purg. unde semel quidem leviter vomuit amara; quamvis verò in somnum inclinat, non tamen potest dormire, & semper expergiscitur.

Per integr. septiman. nullum medicamentum assumsit,

15. Jan. Subinde lancinationes sentit per totum corpu. modò in una parte, modò in altera, non tamen graves sunt, ut ante; semel dejecit; assumto aliquo liquido cùm inclinat in somnum, perhorrescit, & cubiculum plenum ululis parvis esse putat, agnoscit tamen suam mentis hallucinationem; lingua arida est; æstus vehemens in faucibus, pulsus debilis, convulsiones verò nullas sentit.

CASUS LIII.

27. Dec. **V**Ir quidam ante octiduum incidit in febrem magno cum frigore; appetitus nullus; vires & pulsus valdè debiles; nil dejicit, & alvus semper manet adstricta; dolor per totum corpus sparsus, non sitit, jam non febricitat.

Confusio humorum hic peccat, nam ita permisti sunt, ut neuter dominium habeat propter intricationem.

Præparandi igitur sunt & liberandi per medicamenta mista, usque dum descendamus in cognitionem ejus quod ulteriùs est faciendum.

℞. *Aqu. petrosel.* ℥ ii:
Theriacal. simpl. ℥ ß.
Acet. stillat. ʒ vi.
Ocul. cancr. ʒ j.
Antimon. diaphor. ℈ I,
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ℥ I,
M. & assum. cochleat.
℞. *Elect. hydragog.* ʒ ii ß.
*Aqu. Menth. q. s. pro hau*ſ*t.* M.
Cras manè eundem assumat.

28. Dec. Dolores sunt diminuti, sed non dejecit.

℞. *Elect. Hydragog.* ʒ iii,
Aqu. fœnic. q. s.
M. f. haustus.

29. Dec. Quater dejecit, & levamen habet, tussis gravis est, sed phlegmata viscida excernit.

30. Dec. Omnia ad meliorem frugem se convertere videntur.

3. Ian. sequ. anni, De dolore corrosivo plantar. pedum & brachiorum, ut & de lassitudine earundem partium conqueritur; in omnibus aliàs levamen sentit; febris eum planè reliquit.

NB. In tali casu sudores non sunt negligendi, sed probè observandi, imprimis quia & febricula juncta, & partes ab aere externo affectæ sunt, quapropter brevi curari possunt.

℞. *Aqu.*

℞. Aqu. fumar. ℥ ii.
Thriacul. ſimpl. ʒvj.
Fœnic.
Acet. ſtillat. ℥ j.
Ocul. Cancror. ℈ ii.
Antimon. diaph. ʒ ß.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syr. quinque Rad. ℥ j.
M. & uſum. cochleat.

4. Jan. Levamen in omnibus ſentit poſt ſudorem.

5. Jan. Quia mixtura admodùm profuit Iteretur.

7. Jan. Convaleſcit magis & magis.

8. Jan. Benè valet.

CASUS CLIV.

2. Dec. Vir quidam hac noctc circa hor. tert. paroxyſm. febrilem ſentit, cum frigore in lumbis; manè amara & viſcida evomuit; quæ materia, quia viſcida, bilem quaſi ligavit, unde effervefcentia.

℞. Aqu. fœnic.
Petroſel. ana ℥ j.
Acet. ſtillat. ʒ vi.
Tinct. Cinnam. ʒ ii.
Antimon. diaph.
Ocul. Cancr. ana ℈ i.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M. uſum. cochleat.

4. Dec. Senſit rorſus febrem; valdè ſitit; & intolerabilem in pede percipit dolorem; per biduum non dejecit, cùm ſolebat quater vel quinquies in die dejicere; venter induratus, & ſanguis è naribus fluit.

℞. Elect. Hydragog. ʒ ii ß.
Aqu. fœnic. q. ſ. pro hauſt.

6. Dec. Eodem tempore, quo paroxyſmum habuit, crus tumuit; dolor capitis urget, ut & tuſſis; heri habuit paroxyſm. rigiditas in collo eſt, unde metuit tuſſire, quamvis tuſſis urgeat; magis affluit ad crus, & hoc plus ſanguinis poteſt recipere. Et cùm fibræ, quæ debent per venas reditum adjuvare, debiliter agunt; hinc hærent humores.

NB. Eriſypelas reverà à ſero ortum habet.

Iteretur mixt. 2. Dec. preſcr.

7. Dec. Paroxyſmum mitiorem habuit.

9. Dec. Iteretur mixt. 2. Dec. præſcr.

10. Dec. Alvus adſtricta eſt, fæces induratæ ſunt, nec excerni poſſunt; febrem non ſenſit.

℞. Pul. Tamarind. ℥ i.
Elect. è ſucc. Roſar. ℥ ß.
Crem. Tartari ʒ j.
Conſerv. Roſar. pallid. ʒ ß.
M. f. condit.

Hac veſpera aſſumat ad quantitat. nuc. moſch. ſi inde non dejicit, cras manè eandem doſin aſſumat.

11. Dec. Leve frigus ſenſit, de difficultate pectoris conqueritur; dejecit.

℞. Aqu. Hyſſop. ℥ ii.
Fœnic. ℥ i.
Acet. ſtillat. ʒ vi.
Ocul. Cancr. ʒ ß.
Antimon. diaph. ℈ i.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M. uſum. cochleat.
℞. Trochiſci becchic. alb. ℥ ii.
Sumat. ſæpius j. aut alterum.

13. Dec. Senſit paroxyſm. circa 3. pomeridianam, ſed levem.

℞. Aqu. fœnic. ℥ ß.
Tinct. Cinnamom. ʒ i.
Spir. Salis gutt. v.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
M. pro hauſt.

14. Dec. Circa hor. 3. hac nocte habuit paroxyſm. calor non fuit gravis, nec ſitit; continuum frigus in lumbis ſentit, aliàs levamen habet.

Iterum mixt. heri præſcr.

De hoc Opera.

℞. Elect. Hydragog. ʒ iii.
Aqu. fœnic. q. ſ.
M. pro hauſt.

NB. Lougè præſtant El. hydr. ʒiii. quàm ʒvj.

15. Dec. Febricitavit, non vomuit nec dejecit.

Iteretur hauſt. heri præſcr.

16. Dec. Non habuit paroxyſm. ſed de moleſtia dolore in pectore conqueritur.

Iteretur mixtu. 13. Dec. præſcripta.

CASUS CLV.

30. Nov. Vir quidam acceſſit, per 4. annos valetudinarius, laborat enim febre per 6. jam ſeptimanas, frigus continuò lumbos urgens ſenſit & in abdomine; dolor totius corporis, capitis præcipuè, alvus ſatis laxa, appetitus manet adhuc aliquantum dejectior, à potu frigus in lumbis augetur. Pulſus frequentior; non ſtatis temporibus recurrit frigus, ſed continuò urget, nec augetur, niſi ab externa cauſa, igne, vel frigore, vel potu Febricitavit autem febre algida Cl. Sylvio dicta, pituitoſa & viſcida, (à mali diuturnitate) & abdominis tenſione.

Facies ejus eſt pallida, & capitis dolor gravativus atque continuus, quæ omnia pituitam viſcidam deſignant; pituita flatulenta viſciditate non abundat, nec bilis valde acris eſt, ut agat, alias majori copia flatus generarentur. Morbus diu duravit, adeò ut totus ſanguinis & habitus corporis pituitoſus ſit.

Spes autem curationis eſt, cùm vires adhuc maneant, & appetitus non planè proſtratus; alvuſque laxa; & quod planè practicum eſt, nihil adhuc adhibitum eſt, nam ubi medicamenta applicantur ſine levamine, minus ſpei eſt. Quia humor hic continuò movetur, & totus ſanguis inficitur, mixturam aliquam vel decoctum debet aſſumere, ad alterandum & cùm copia peccat, diminui debet ille humor; tuſſit etiam & phlegmata varii coloris excernit.

℞. Rad. Apii.
Fœnic. ana ℥ i.
Raſur. lign. Guajac. ℥ iii.
Pulpa colocynth. ʒ i.
Paſſular. Maj. Mundat. ℥ iv
Coqu. ex Aqu. fur.
ad Colat. ℥ x L.
M. ſumatur hauſtus ſemel in die.
℞. Aqu. Menth. ℥ ii.
Fœnic. ℥ i
Tinct. Cinamom. ʒ vi.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M. ſubinde ſimul ſumat cochl. i.

1. Dec. Bis dejecit & quidem non magna quantitate, & aquoſa ferè fuere excrementa.

Habet tumores in collo & maxillis, eſt ſignum affectarum glandular. quæ raro ad ſuppurationem veniunt; ſenſim enim minuuntur tales tumores ſub axilliis, tales etiam in brachiis obſervantur.

Vidit Cl. Sylv. ablatam ſcrophulam inſtar oſſis, varii enim ſunt gradus ſcrophularum.

Quia affectus adſcribuntur meſenterio & omento, omnes ſunt affectus glandularum.

Hic æger cùm dicit, ſe per quadriennium malè habuiſſe, & tumores etiam, tunc ab eadem cauſa, nempe materia viſcida dependet malum.

Non putat Cl. Sylv. ſpiritum acidum in hoc corpore eſſe acrem, ſed coagulantem eſſe opinatur.

Perſeverantia affectus probat materiam viſcidam adeſſe.

Sæpe etiam dolor in glandulis eſt intolerabilis, in hoc ægro verò nullus adeſt planè.

Sunt etiam tumores triplicis duritiei, dure ſcil. durioris & duriſſimæ. Cavendum eſt à cantharib. in hoc affectu, cùm Authores de illorum uſu diſputant.

Quicquid diſſolvit, minùs deducit ad ſuppurationem.

Diachyl. c. gumm. hic convenit.

Suræ applicatum fuit à Chirurgo ungu. martiat. & dealthæa.

Cataplasmata magis ad suppurationem deducunt, quam resolvunt.

Sumat adhue cocbl. mixturæ.

2. Dec. Hodie quinquies vel sexies dejecit, & [illegible]bilis est; Iteretur decoctum 3u. Nov. præscriptum.

3. Dec. Sensit quasi oppressiones in corpore, non assumsit medicamentum, sed quater aut quinquies dejecit, pulsus paulò frequentior.

Præscribemus aliquod externum, prupter glandularum duritiem.

℞. Ungu. Marc iat.
Alth. Compos. ana ℥ii.
M.

℞. Empl. de muciling. ℥[illegible]
Applic.

4. Dec. Hodiè minor, haustum sumsit, ter dejecit, in totum aliquod levaminis habet; non tam debilis est ut priùs; in pectore autem molestiam sentit; si modò spiritum retrahat, palpitationem cordis, seu potius in ventriculo sentit flatus, qui etiam in corpore moventur, eos antem non excernit.

6. Dec. Satis debilis est, tantillum decocti sumsit, & sexies dejecit.

Debilitas nou magni est momenti.

Iteretur miatura 30. Nuv. præscr.

Sumat mixturam, nun purg. medicam.

7. Dec. Sentit molestiam iu anu, tumorem digiti crassitie scilicet, qui tumor est hæmorrhoidum, qui etiam à purgante læditur, aliàs melius se habet.

℞. Ungu. Populeon. ℥ii.
Bol. Armen. ℈i.
Opii c. Oleo Rosac. dissol. ℈ß.
M. pro linim.

9. Dec. Heri licet nihil sumpserit, tormina tamen per totum ventrem sensit, & cùm tormina adessent, simul frigus vehementissimum in lumbis sensit, ut & circa ventriculum; ex postrema mixtura melius babuit; heri & hodiè aliquoties dejecit; ubi dolor remisit, levis illum calor invasit, tormina autem illa per paroxysmum exacerbantur; tantillùm tremuit.

℞. Aqu. Menth.
Fœnic. ana ℥ii.
Tinct. Cinnamom. ℥i.
Laud. Opiat. gr. v.
Syr. quinque Rad. ℥iß.
M. assum. cochlear.

10. Dec. Meliùs se habet.

11. Dec. Frequentiùs purgatus est, debilis inde aliquantulum.

Iteretur emp. 30. Dec. præscr.

13. Dec. Tormina sentit continua, quando dejicit, lingua ferè sicca est, optat aliquid, quu possit leniri ardor oris.

Iteretur mixtura 9. Dec. præscr.

℞. Sem. Fœnugræc. ℥ii.
c. aq. hord. f. emuls. ad ℥ viii.
add. Aqu. Rosar.
Syr. Viol. ana ℥i.
M.

14. Dec. Valdè tussit, & inter tussiendum caput sibi findi putat, non enim in omni tussi adest capitis dolor, ideoque per consensum hic nuu potest esse, sed in umni vehementi tussi sæpè totum afficitur corpus unde sæpius hernia & ruptiu vasorum, potest etiam hic dolor ortum trahere à spiritu acido & magna effervescentia, ut inde halitus ascendant.

Crassa meniux, quæ valdè sensilis, & in duas partes dividitur, ibi afficitur, & facit concussionem contrà mediam illam falcem, nam ibi sæpissimè multum aquæ invenitur, & est serum, nam spuma seris peccantis signum est.

Ex ariditate linguæ levamen aliquod habet ab usurpata mucilagine.

15. Dec. Lingua hodiè manè pituita magis obducta fuit, quam alio tempore; dolor immiuutus est, & phlegmata excernit.

℞. Mass. Pil. de cynogloss. ℥ß.
F. Pilul. N. xij.

Iteretur mixtura 9. Dec. præscripta.

16. Dec. Videtur in meliurem redigi statum; dolor tamen capur quasi findens continuat, haber adhuc quod sumat.

17. Dec. conqueritur de capitis dolore, & quidem; aucto totum corpus est tumidum, crura quoque ita tumefacta sunt, ut ea vix attollere possit; dolorem deducit Cl. Sylv. ab halitib. tumorem verò à soluta materia viscida & per corpus dispersa; tussim ub dolorem intolerabilem cohibet & coercet.

Iteretur apozema 30. Nuv. præscr. & locu ℥j. pulp. colocyurb. ℥ß. sumatur.

18. Dec. Ulterius conqueritur de dolore capitis, ac si finderetur caput; tantus est consensus partium dolentium, ut ne manu movere queat; postquam inclinato capite sedet, circa frontem dolorem graviorem sentit, quandu autem erecto sedet capire, dolor est levior. Sudor non amplius infestar, etiam si mungat nares, dolor non augetur, appetitus planè est prostratus, dolor accessit in brachiis & tumor continuat.

Causam statuit Cl. Sylv. esse pituitam solutam & in capite berenrem sub tenui meuinge & substantia cerebri extrà vasa.

Ista crusta in sanguine quæ observatur, & consistentia ex pituita est conjuncta, usti pituita solvitur & effunditur, ibi anasarca potest oriri.

Quandu ista pituita soluta fertur circa ductum spioalis medullæ, tunc nervis communicabitur, quales viæ patent in autopsia.

Hic humor & quantitate & qualitate peccat, quoad quanritatem educendus, quoad qualitarem autem corrigendus. Sternutatoria in boc dolore usum habere, nisi cuuvulsio ei gravis esset. Frustulum folii tabaci, salviæ vel betonicæ naribus imponat, blandè enim allicit pituitam, & evacuationem levissimam procurabit. Sed ad leniendum dolurem & acrimoniam, quæ est in corpore.

℞. Aqu. Betonic. ℥ii.
Fœnic. ℥i.
Theriacal. simpl. ℥vi.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syr. quinque Rad. ℥i.
M. assum. cochlear.

21. Dec. Dolor capitis uondum remittit, continuet ergò in assum. mixt.

22. Dec. In eodem statu manet, & respiratio frequens urget.

℞. Aqu. Hyssop. ℥ii.
Tinct. Cinamom. ℥ß.
Antimon. diaph. ℥ß.
Syr. quinquis Rad. ℥ß.
Ocul. Cancr. ℈i.
M. & assum. cochleat.

24. Dec. Nuper magis anhelosus erat & angebatur quoad respirariunem.

Iteretur mixt. 22. Dec. præser.

27. Dec. Jam huic mundo valedixit.

CASUS LVI.

27. Nuv. VIr quidam hodiè accessit, qui jam summo versatur delirio.

℞. Aqu. betonic. ℥ii.
Cinamom. ℥ß.
Acet. stillat. ℥vi.
Julob. Rosar. ℥j.
M. assum. cochleat.

2. Dec. Meliùs se habet, sed febricitat.

3. Dec. Iteretur mixt.

7. Dec. præscr.

12. Dec. Hodiè valdè debilis est.

℞. Ol. Rosat.
Nymph. ana ℥ii.
M. f. linim.

Inung. eo tempora.

14. Dec. Magn. levamen habet ab Oleo f. linim.

15. Dec. Convaluit.

16. Dec. Conquestus est iterum hodiè de flatib. In ventre murmura excitantib. unde aliquis dulor, sed non gravis.

Ex.

Excrementa mediocris consistentiæ sunt.
Iteretur linim. 15. Dec. præscr.
22. Dec. Iteret. linim.
24. Jam planè restitutus.

CASUS LVII.

23. Nov. VIr quidam conquestus est de tussi & angustiia pectoris.

♃. *Rad. fænic. Apii, ana* ℥ i.
Baccar. Junip. ℥ i ß.
Sem. Anis. ʒ ii.
Liquirit. Ras. ℥ ß.
Coqu. ex Aqu. pur.
In colatur. ℥ xxv.
Dissolv.
Syr. de Hyssop. ℥ ii.
27. Nov. Non potest excernere phlegmata.
♃. *Aqu. Hyssop.*
Fænic. ana ℥ i.
Acet. stillat. ʒ vi.
Ocul. Cancr. ʒ ß.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M. assumat. cochleat.
30. Dec. Alvus adstricta, est, dolorem capitis cum gravi tussi sentit.
♃. *Liquir. Ras.* ℥ ß.
Fænic. ℥ i.
Rasur. lign. Guajac. ℥ ii.
Baccar. Junip. ℥ i.
Pulp. Colocynthid. ʒ ii.
Coqu. ex Aqu. pur.
ad Colat. ℥ xxx.
add.
Syr. de Senn. ʒ ii.
M. assumat. subinde haustulum.
1. Dec. Aliquantò meliùs se habet.
3. Dec. ♃. *Troch. Becchicor. Alb.* ℥ ii.
4. Dec. ♃. *Troch. Becch. Alb.* ℥ i.
6. Dec. In omnib. sympto m. levamen habet.
♃. *Troch. Becchic. Alb.* ℥ ii.

CASUS LVIII.

20. Nov. VIr aliquis accessit, cui alvus est adstricta; tussis gravis est cum erisypelate; quoties ei novum medicamentum applicatur, febrem sentit.

♃. *Elect. Colagog.* ʒ iii.
Aqu. Cichor. q. s.
M. f. haust. crat manè sumendus.
22. Nov. Ab assumpta purgatione benè dejecit, à quo tempore febtis est levior; hac nocte tussi sicca correptus erat, ubi salsedo in pituita est; exereto sunt spumosa; hic conducunt pilul. de Cynogloss.
♃. *Mass. Pil. de Cynogl.* ℈ i.
F. Pilul. num. viii.
Cùm satis potente sint, unam sumat, quando cubitum iturus est.
23. Nov. Heri vesperi paroxysmum sensit, assumpsit pilulam, quæ hæsit in faucibus, expergefactus à somno iterum j. assumsit. Conqueritur de doloribus & humoribus caput gravantibus.
Iteretur purg. 20. Nov. præscr.
24. Nov. Ardorem in dejectione à purg. cholagogo sensit, semel tantum dejecit; heri vesperi paroxysmum habuit, cum difficultate respirationis.
Nuper retulit, se phlegmata spumosa ejecisse, & tussis eum tali excretione semper est à catarrhis ut plurimùm salsis & acribus; phlegmata verò crassa ab alia cum procedunt causa, caput gravetur & alia materia acris per nares descendit, ubi obstructio quædam sentitur, adeò ut cætera pars ad fauces dilabatur & inde in pulmones; & humor valdè tenuis acris & austerus; tales catarrhi noctu potius urgent, quàm de die, quando humores deducuntur ad glandulam pituitariam, facilè inveniunt vias ad fauces; ad latera assium catarrhi exacerbantur à decubitu in plumis. Ratio debet sumi à natura ipsa plumarum, si enim in serico decumbas, calor exinde blandus est, non autem talis, qualis in plumis; qui dormiunt in plumis, magis anguntur, ratio quia odorem gravem habent, & decumbentes anguntur eodem modo, uti in pluviosa tempestate; quò sunt recentiores, eò graviorem odorem edunt, unde à calore nostro fermentantur quasi plumæ, & aliquod aqueum spirant, unde talis motus in corpore nostro oritur; hinc paroxysmi febriles sæpe augentur, & plurimi ita anguntur, ut non possint decumbere; est peculiaris angustia, & quasi fermentatio in corpore nostro excitatur; Vix quidam in plumis possunt mori, pinguem propter humiditatem, quæ ex iis exspirat; lecti recentes valdè fœtent, ut vix à multis tolerari possint.
Plumæ à vivis avibus meliores sunt.
Pilulæ de Cynogl. nullum habuerunt effectum quia spiritus acidus non tam peccat, quam sal; idcirco in altero ubi spiritus acidus peccavit levamen habuimus.

♃. *Hord. Mundat.*
& ad crepatur. coct. ℥ i.
Amygd. dulc. Mund. ʒ ii.
c. Aqu. decoct. Hord. ℔ i.
F. Emuls. cui add.
Syrup. Jujubin. ℥ i.
M. & assumat sæpius haustul.

25. Nov. Meliùs se habet, multum urinæ reddidit, medicamenta lenientia reddiderunt humores facilè eductibiles.
Iteretur emulsio heri præscr. item ex Mass. Pil. de Cynogloss ʒ ß. form. pilul. num. ix.
26. Nov. Conqueritur de frigore in lumbis ad genua; adhuc versatur in calore.
27. Nov. ♃. *Sacch. Alth.* ℥ i.
Assumat subinde.
29. Nov. Quotidiè dejicit, & jam in meliori statu est.
♃. *Mass. Pil. de Cynogloss.* ℈ i.
F. Pil. num. viii.
♃ *Sacch. Alth.* ℥ i.
1. Dec. A pilul. levamen sensit.
♃. *Mass. pil. de Cynogl.* ʒ ß.
F. Pil. num xii.
♃. *Sacch. Alth.* ℥ ß.
2. Dec. Mediocriter se habet, sed cùm semel tantùm dejecit, consultum erit, ut magis præparentur & educantur humores.
♃. *Elect. Hydragog.* ʒ ii ß.
Aqu. Hyssop. q. s. pro haust.
3. Dec. Bis dejecit satis commodè.
♃. *Sacch. Alth.* ℥ ii.
4. Dec. Iteretur haustulus purg. 2. Dec. præscr.
6. Dec. Assumsit pilul. heri bis, & hodie semel dejecit; meliùs quidem se habet, sed tussis adhuc molesta est; habet adhuc pilul.
♃. *Sacch. Alth.* ℥ ii.
7. Dec. Mediocriter se habet, matutino tempore multa phlegmata excrevit, tam crassa, quàm tenuia.
9. Dec. Heri paroxysm. habuit.
♃. *Mass. Pil. de Cynogloss.* ʒ ß.
F. Pilul. num. vii.
♃. *Sacch. Alth.* ℥ ii.
10. Dec. ♃. *Elect. Hydragog.* ʒ ii ß.
Aqu. Fænic. q. s.
11. Dec. In multis levamen habet; pergat in assumtione medicamentorum.
13. Dec. Se satis commodè habuisse, & benè dormivisse narrat; phlegmata spumosa excernit interdum crassa.
Iterentur Pilul. & Sacch. Alth.
16. Dec. Iterent. Pilul. & Sacch. Alth.
18. Dec. Sensim restituitur.
20. Dec. Febr. sensit, cùm corpus post sudorem frigoris exponere coactus esset, dolor prehendit crus usque ad inguina; ex glandulis conglobatis hoc malum; quia frigus, horror in tali parte corripit, vocatur febris catarrhalis à Medicis, & ortum suum debet istis glandulis; flatus quoque ipsum urgent.
Iterent. Pil. 17. Dec. præscr.

♃. *Aqu.*

℞. *Aqu. Fœnic.*
Hyssop. ana ℥ i ß.
Aqu. Theriacal. simpl. ʒ vi.
Spir. Nitri gutt. viii.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ℥ I.
M. & assum. cochleat.
℞. *Rad. Helleb. Alb.*
Fol. Majoran. ana ℈ j.
Pulv. misc. pro sternutator.

3. Jan. sequ. anni. Hac nocte malè quievit, & à sudore valdè vexatus est.
Iteretur mixtur. 30. Dec. præscr.
℞. *Mass. Pil. Mastichin.*
Mass. Pil cochiar. ana ʒ I.
Ol. dest. Succin. gutt. vi.
M. f. Pilul. num. xxx.
Dentur subinde v.

5. Jan. In meliori versatur statu.
6. Jan. Hac nocte leviorem habuit febrem.
8. Jan. Iterentur Pil. 3. Jan. præscr.

CASUS LIX.

18. Dec. ACcessit Vir, qui continuò friget; palpitationem cordis patitur, cum tumore ab una parte in aliam; venter non valdè tensus est, ergò putat Cl. Sylv. esse ascitem, fortan à nimio potu, unde pituita soluta. Ipse fatetur se copiosè & quidem sæpè bibisse.

Spirituosa hic valdè conveniunt, ut humores corrigantur; febris erratica conjungitur.

℞. *Aqu. Petrosel.* ℥ i ß.
Fœnic. ℥ i.
Tinct. Cinnamom. ʒ vi.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
Spir. Nitri gutt. vii.
M.

19. Dec. Conqueritur de continuo frigore, & tamen partes externæ calent.

Respiratio serrata potest ab hoc frigore necrosin inferre. Spontè dejecit.

Pulsus debilis, & frequens, calor in manibus.

Uterque igitur humor peccat, & ita quidem, ut non rumperent seipsos, unde à bile calor, à spiritu autem acido frigus, in pessimo statu est, sed ipsum facilè evasurum sperat Cl. Sylv.

Iteretur mixtur. heri præscr.

20. Dec. Valdè debilis hodiè est, tamen meliùs quàm heri se habet; iteretur mixtur. heri iterata.

NB. In colicis doloribus optimè conducit spiritus nitr. carminantibus vel aliis junctus paucis guttulis. Est aliquid singulare in isto spiritu, pauci sunt, qui eo utuntur; primò expertus sum in me ipso, inquit Cl. Sylv. Spiritus, qui primò assurgit rubiendus, optimus est, nam in destillatione nitr. plus quàm una est spiritus.

Vitrioli Oriental. cap. mort. si aeri exponatur, novus spiritus & nov. ol. inde ascendit, quod planè egregium est.

CASUS LX.

13. Nov. VIr quidam per 15. dies excrevit nigricolora & sanguinolenta, & alia crassa ad anum vergentia; regio ventriculi tumefacta est & dura, in sinistro latere, puncturæ ex acrimonia ortum habent, eruditas ejus nidorosa.

℞. *Elix. proprietat. Paracelf.* ʒ i.
d. ad Vitr. & assumat ter quaterve in die gutt. ii. *vel* iii. *in vin. vel brod. carn.*

15. Nov. Pedes valdè tument, per quinque septimanas malè se habuit, natura proclivis ad hæmorrhagiam, duæ aliam viam somebat, & per tussim multum sanguinis excernebat, perque aliquot dies excretiones cruentas habebat, à quibus valde debilitabatur, cùm jam per 10. dies duraverit; quoties sanguinem excrevit, in animi deliquium incidit, hinc ab excretione rumor prostratus, & quando aliquid assumit, tussire cogitur & phlegmata evacuat; à purgante evómuit sine levamine; omnia viscida & amara fuere, alvus satis laxa, post cibum dolores circa ventriculum sentit. Omnis sanguis, qui ex pulmone excernitur per tussim, statim concrescit.

A duabus causis potest sanguis evacuari, per tussim nempe, si à naribus in asperam arteriam, à qua mox suffocatus fuisset; vel si sanguis qui per nares solebat evacuari, per pulmones exitum quærit. Cl. Sylv. putat hæmorrhagiam non fieri ab abundantia, sed ab acrimonia sanguinis, qui sanguis acris tussim excitavit, unde apertio vasorum in pulmone, à qua hæmoptysis.

Priora mala debent lucem afferre posterioribus. Ab hæmorrhagia incipiendum. Acrimonia sanguinis est in ejus parte serosa, non autem à spiritu acido, nam ille incrassat sanguinem: à motu caput quasi oppressum sentit, & si modò leviter emungit nares, sanguis effluit; à primo ætatis anno hunc affectum passus est. Qui quotidiè evacuant sanguinem, sensim fiunt hydropici, nam sanguis redditur serosior, i. e. optima pars sanguinis evacuatur, forsan serum una cum parte spirituum animalium ad caput fertur, altera pars ad nares fluit, & hinc ratio potest reddi, cur sanguis tam crassus & floridus exit è naribus; pallidus est, & facies turget, quæ signa sunt serosi humoris, & leucophlegmatici etiam plerumque frigent deperdita parte sanguinis butyrosa; est etiam debilis.

Summum frigus & summus calor nocent, si calor summus omnia facit fluida; & humores serosi in eo sunt satis fluidi; in fine æstatis meliùs se habet, ergò intemperies sanguinis est à mala mixtione; post excretionem sanguinis caput quasi vacuum videtur; peste laboravit, & bubones habuit, unde aliquod incomodi potest remanere in corpore, nam eo tempore assumsit purgans; unde summi dolores cum tumescentia ventris. Ergò hæmorrhagia est à sero sanguinis abundante, quo laborant; hæmorrhagici debent cavere ne emungant nares; uti qui tussiunt, ne tussiant; in peste habuit puncturas lateris sinistri, uti nunc etiam.

Tussis à sanguine seroso, vel ibi deposito, ut in pulmonibus hæreat; vel à levi aliqua causa, ut nimio potu; cùm sitit, potest hærere; vel à saliva in asperam arteriam destillare. In dejectionibus tormina & dolorem æstuantem sentit, quod non parum confirmat; dejectiones fuerunt ad nigrodinem tendentes & fluidæ; non sentit tum temporis dolorem, unde Cl. Sylv. concludit, non fieri ab effervescentia.

Ductus lymphæ chyliferus potest rumpi & hydropem causare, nam in talibus chylus in abdomen effunditur & quæ assumuntur. Ipsius saliva est satis crassa, ac proinde non fit fermentatio prout decet, sed omnia sunt viscida, unde flatus & distensio ventriculi; omnia hæc signa ostendunt humorem viscidum in ventriculo. Absynthium hic optimè conducit, habet enim egregiam vim temperandi bilem, & ratione salis volatilis pituitam viscidam incidendi; quia alvus laxa, talia symptomata non patitur, ac si adstricta esset, humores enim aliqui semper evacuantur. In curatione non solùm attendendum ad præsentia, sed & ad præterita mala, & cavendum, ne humores serosi iterum abundent, & vel ascitem vel leucophlegmatiam causent; magis urgentibus tamen est occurrendum. Delicatulis pilulæ cerasis conditis & nucleo privatis dentur.

℞. *Gumm. Ammon. c. acet. prep.* ʒ ß.
Mastich. el. ℈ j
Tartar. Vitriolat gr. xv.
Myrrh. Rub. ℈ ß.
Croc. Britan. gr. vi.
Aloes Rosat.
Resin. Jalapp. ana ℈ i.
Ol. granor. Junip. gutt. vi.
M. f. Pilul. num. xxx.
Vesperi tres assumat.

16. Nov. Assumsit heri 3. Pilul. & non dejcit; venter tamen quodammodo detumuit.
Quinque Pilul. sumat.
℞. *Elix. propr.* ʒ ii.

17. Nov.

17. Nov. Heri vesperi 5. Pilul. sumsit, & bis ab iis dejecit, manè semel, & post prandium, sed cum torminibus; quando incedit, quasi tumor gravis in medio ventris est, excrementa mediocris consistentiæ sunt.

18. Nov. Tres pilulas sumsit, & nihil effecerunt, sed tormina sentit; venter adhuc tensus ostendit humores valdè viscidos esse; si nullus effectus, sumat noctu quinque alias.

19. Nov. Ter dejecit à pilul. & commodiùs, quàm nuper; conqueritur tamen de doloribus circa stomachum, adeò ut cogatur ferè semper ei applicare manum. A motu humorum oriuntur flatus qui hærentes dolorem causant, ergò addantur talia; quæ flatus dissipare possunt. Spir. Nitr. inprimis convenit, sed non solus, quia acida per se majorem causant effervescentiam, omnia autem aromatica flatus discutiunt, præsertim Sem. dauci. anisi, levistic. sunt egregia in affectione hypochondriaca & Scorbuto; menses movent baccæ Junip. item conveniunt & his convenientiores sunt bacc. laur. sed ingratiores sunt, & æger non amat amara.

℞. Rad. Apii,
Levistic. ana ℥ ß.
Bacc. Junip. ℥ i.
Rasur lign. Guajac. ℥ ii.
Sem. Anis.
Fœnic. ana ʒ ii.
Coqu. in q. s. Aqu. pur. in Colatur. ℥ xxx.
Dissolv. Syr. de Menth. ℥ iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ ii.
Spir. Nitri gutt. xx.
M. f. Apozema potenter flatus discutiens.
Assum. sæpè haust.

20. Nov. Venter habet se meliùs, operatio haustus commodior fuit, bis dejecit.

23. Nov. Distensio in regione ventriculi ita urgens est, ut vix possit dormire; remittit tumor & augetur & initium ascitis, sed metua est, ne cum ascite jungatur species tympanitidis.

Olea destil. in genere ad flatus discutiendos præscribuntur.

℞. Aqu. fœnic. ℥ ii.
Spir. Vin. rectif. ℥ i.
Nitri gutt. x.
Ol. d. Anis.
Gran. Junip ana gutt. vi.
Syr. Menth. ℥ i.
Laud. Opiat. gr. ii.
M. subinde sumat. cochl. j.

24. Nov. Magnum levamen à mixtura hodie sentit.

25. In eodem statu, quo heri versatur. Iteretur mixt. 23. præscr.

27. Nov. Circa meridiem sumsit decoct. & sentit jam motum aliquem. Iteretur mixtur. 23. Nov. præscr.

29. Nov. Ex assumto apozemate heri & die Sabbathi plurima dejecit, & tamen venter magis distenditur, quam priùs.

Allium egregium est ad flatus discutiendos, tum ad materiam viscidam incidendam, sumat ergò crudum, quod meliùs est, aut in lacte coquatur, vel imponatur in Spir. Vin.

30. Nov. Ante horam accepit allium, & assumsit aliquid, continuet assumtionem bis vel ter in die.

1. Dec. Nullum sentit levamen; iteretur mixt. 23. præscr.

2. Dec. Effervescentia est in eo mixta, continua, & materia valdè viscida, unde omnia hærent; hodie non dejecit.

Iterentur pilul. 15. Nov. præscr.

3. Dec. *℞. Ol. d. Anis. ʒ ß.*
Assumat gutt. vi. in cochl. vini.

4. Dec. Molestum est, quando humores adeò viscidi sunt, ut nolint cedere, & si solvantur in flatus viscidos abeunt, & ventrem distendunt.

℞. Ol. d. Anis. ʒ ß.
Assum. sæpius gutt. vi.

6. Dec. Dolor in ægro est instar cinguli punctorius; venter valdè distenditur; quotidiè dejecit; ab allio assumto materia solvitur, unde flatus; per singulos dies dolore recurrunt, & per hor. durant; crura turgent, usque ad genua; nocte discutitur: tumor est ab humore seroso instar gelatinæ; magis tumet pars sinistra, decumbit verò dextra, ergò humores non a gravitate in sinistrum latus colliguntur, sed quia dextra calidior est à decubitu, unde humores faciliùs hærent in sinistro quàm in dextro latere, cùm ea ratione debilior est sinistra, fortè etiam una pars magis igni exponitur quàm altera. Si flatus possent exire, meliùs haberet; & tamen alvum laxam habet, unde probatur, flatus posse adesse etiam laxa alvo, quod in Praxi sæpissimè occurrit. Æger quosdam flatus eructat, novi autem semper generantur à materia viscida, Oleum anisi non solvit illam materiam, sed flatus potius discutit. Spiritus Vini anisatus plus præstat. Heri flatus emisit, unde meliùs habuit, abdomem etiam detumuit.

Fœmina Amstelodamensis cùm venter adeò flatibus distentum haberet, ut potuerit perspici, à Medicis relicta consilio Empyrici ab hoc spiritu curata est.

℞. Spir. Vin. Anisat. ℥ v.
Sumat cochlear.

7. Dec. Abdomen adhuc distensum est, parum levaminis sensit; ante annum bene habuit ab oleo anisi, quod etiam nunc ei concessimus, ne conquereretur; alvus satis laxe est, quod mirandum, quòd eo modo non cessat malum, si enim esset in intestinis crassis, enema convenire poterit.

Non negat Clar. Sylv. sudorifera juvare posse, sed non ratione discussionis humorum, sed alio modo, quat. scil. alterantia sunt; hi humores viscidi sunt, & non fluxiles. Amstelodamenses Medici sæpè utuntur sudoriferis; sub nomine cardiacorum. Si sudorifera tanquam alterantia propinantur, & æger blandè in lecto disponatur ad sudores, si erumpunt, bene est si non, humores præparantur ad sudores. Mithridatium magis flatus discutit, quàm theriaca aut diascordium. Sudor nunquam stragulis aut integumentis urgendus est, sed tantum tegumentorum imponendum est, quantum ferre potest æger, tum jusculum aut novum sudoriferum exhibeatur in mixtura, & eo modo blandè sudores moventur. Possunt usurpari mille in morbis, & ego magnifacio, inquit Cl. Sylv. quæ blandè procedunt.

℞. Mithridat. Democr. ʒ ii.
Syr. Menth. ℥ i.
Spir. Nitri ℈ ß.
Spir. Vin. rectif. ℥ ß.
Aqu. Fœnic. & Petrosel. ana ℥ i ß.
M. assum. cochleat.

9. Dec. In eodem ferè statu est, distenditur adhuc abdomen, dolores circa inferiores cartilagines sentit in thorace, qui non sunt à distensione peritonei.

Salia hic conducunt, ad reddendas partes magis explicabiles, ut est ol. nardin.

℞. Flor. Chamom. M ii.
Coqu. in Cerevis. ad colatur. ℔ ii.
Detur subinde haustus.
℞. Ungu. de Alth. simpl.
Martiat. ana ʒ ii.
Ol. Lilior alb. ℥ ß.
M.

10. Dec. In eodem adhuc statu est.

℞. Spir. Vin. Anisat. ʒ v.

12. Dec. Tantillum levaminis sensit, quia nihil edit, angitur enim valdè à cibo.

13. Dec. Iteretur decoct. 19. Nov. præscript.

CASUS LXI.

8. Nov. VIr quidam per 5. septimanas febri laboravit, hodie à 6. matut. ad hor. 12. duravit paroxysmus; aura frigida lumbos & viscera corripit, quæ quasi contorqueri videntur; nihil potest

teſt edere ; ſaporem ingratum in ore ſentit ; ſitit omni tempore præſertim durante calore , dolores ventris patitur , quaſi dilacerantes ; à calore capitis augetur dolor ; de dolore capitis & ventris conqueritur præcipuè.

Affectus hic eſt febris quotidiana intermittens , ut ex paroxyſmis patet , cùm eadem hora revertantur , eodem modo, quibus paroxyſmis à tertiana duplici differt , quæ incertis & inequalibus vicibus redeunt.

Locus affectus eſt inteſtinum duodenum à Clar. Sylv. inventum , cùm ibi imprimis dolorem patiatur.

Cùm inflentur inteſtina , debet eſſe aliquid expandens , nempe flatus , qui ab humore aliquo apto debent excitari.

Frigus grave & calor , ergò aliquis humor debet hærere , ubi commodiùs poteſt jungi efficienti: ex aqua ad flatus excitandos requiritur ſatis magnus calor , qualis in corpore non invenitur.

Materia eſt humor pituitoſus ſpiritu acido abundans , unde longum frigus ; cauſa efficiens eſt bilis, unde efferveſcentia. Quomodo autem frigus ſe habet in febribus accuratè ſe non explicare poſſe, rotundè fatetur Cl. Sylv. A frigore judicat humorem pituitoſum magis peccare.

Omnes affectus à bile , qua bile, ſunt calidi.

Omnes affectus chronici à pituita ortum habent; ubi frigus diu durat, tunc pituita viſcida eſt , vel copia peccat.

Bilis minùs hic peccat , quia ſymptomata ſunt minora.

Dolor capitis autem acrimoniam indicat.

Ad reſtituendum igitur ægrum humores ſunt alterandi , & qui abundant , educendi ; ſed quia humor viſcidus priùs alterari debet, antequam educatur , ſi verò alteratione non poſſumus curare , educendus & evacuandus eſt. Medicamenta ſunt gummata , & alia quæ ſale volatili abundant, ut amara & omnia aromatica.

Heri paroxyſmus ab hor. 5. matut. duravit per hor. 4 Pedes incipiunt tumere , & valdè debilis eſt.

In febribus intermittentibus duo ſunt animadvertenda , morbus ſcil. totus , ſinguli paroxyſmi , quibus aliquid præſcribendum.

Omnes affectus à ſale volatili tanquam à causa, vehementiores ſunt iis , qui ſunt à frigore.

℞. Aqu. Fœnicul.
Theriacal. ſimpl. ana ℥ ß.
Spir. Nitri gutt. vi.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
M. f. hauſt. quem aſſumat ingruente paroxyſmo.

Urina valdè eſt turbata.

9. Nov. ab hora 8. matut. frigus uſque ad meridiem duravit ; caput dolet ; cùm in æſtu febrili verſatur , pulſus frequens eſt & manus calent ; multùm bibit , unde non mirum , ſi à tali largiore potu pedes tumeant ; ab aſſumtis prunis tantum dejecit , ut periturum ſe putaret ; appetitus planè proſtratus , nec mirum , quia multum bibit.

Anticipatio & Poſtpoſitio non ſemper ſigna ſunt morbi diminuti, quamvis plerumque melius poſtponere , quam anticipare.

Cùm levamen habuerit , medicamentum poteſt iterari.

Attendendum eſt ſemper à Medico ad illud ſymptoma , de quo æger imprimis conqueritur ; illud urgens in hoc ægro eſt ſitis & dolor capitis, quibus occurrendum habito reſpectu ad febrem; præparetur ergò medicamentum , quod & ſitim & dolorem ſedat.

Cùm hæc ſymptomata ſint à Sale acri, medicamenta ſalem temperantia conveniunt.

Dolor in omni ſenſu eſt à moleſtia, ſed in ſenſu tactus eſt à duritie, vel ſi ſenſus tactus ſubdividitur in duas partes.

Pars acrior bilis minuenda narcoticis , ne dolorem ſentiat.

Medicamentum quod extra paroxyſmum aſſumat ; quod ſitim tollat & dolorem ſedet , eſt tale.

℞. Aq. Theriac. ſ.
Fœnic. ana ℥ ß.
Spir. Nitri gutt. viii.
Syr. Diacod. ℥ ß.
M. pro hauſt.

Quia autem æger debilis ,

℞. Aqu. Fœnic. ℥ ii.
Tinct. Cinnamom. ℥ ß.
Spir. Nitr. gutt. xv.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad ℥ i.
M. aſſum. cochleat.

10. Nov. Circa meridiem paroxyſmum habuit ; frigus valdè urget , adhuc in pedibus præſertim ; pulſus valdè frequens , non tamen adeò urget frigus, ut heri , nec tantus dolor lumbor. & capitis, ut anteà ; pulſus durante frigore ſolet eſſe compreſſior, & tamen frequentior , hinc omnia leviora; inde etiam judicare poſſumus, nos benè ſtatuiſſe de affectu.

Iteretur ergò hauſtus præſcript.

11. Nov. Febricitavit hor. 12. per 3. hor. frigus duravit.

Neglexit medicamentum; jam calet , nec mirum eſt ; appetitus proſtratus ; cras ergò medicamentum ſumat.

13. Nov. Conqueritur de æſtu; ſudavit ſatis commodè ab hauſtu circa veſperam.

℞. Aqu. Borrag. ℥ iii.
Cinnamom. ℥ j.
Acet. ſtillat. ʒ ii.
Ocul. Cancr. ʒ ß.
Antimon. Diaph. ℈ j.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syrup. de ſucc. Acetoſ. ℥ j.
M. ſumat. cochleat.

15. Nov. Triduo ab hoc non tremuit ; meliùs ſe habet à mixtura, frigus tamen ab aſſumto medicamento ſenſit tantum circa lumbos ; pulſus robuſtior ; habet alvum laxam ; pedes tument ; continuet mixturam.

16. Nov. Heri circa veſperam ſenſit paroxyſmum; ab aſſumto medicamento frigus ceſſavit ; calor non urget ; pulſus debilis eſt ; in omnibus aliis meliùs ſe habet ; talis eſt debilitas , qualis à ventriculo ortum habere ſolet malacia ; heri habuimus pulſum robuſtiorem, hodie debiliorem , ergò non poteſt peti cauſa à viribus. Multorum enim vires plus conteruntur à frigore febrili , quàm à calore ; dum frigus magis urget , & in hoc ægro adeò urgebat , ut coactus fuerit è lecto ſurgere ; & ad ignem calefieri.

Duorum generum ſunt Vires , cordis ſcil. ſeu Pulſus , & animales.

Ubi ſenſus & motus languidior , tunc vires animales debiles ſunt ; pulſus autem debiles cordis vires debiles eſſe ſignificant.

Hæ duæ primariæ vires ſunt & debent obſervari à Medicis , & tertium genus debilitatis in ventriculo collocatur , & Malacia vocatur.

Vires quæ ad vitam ſpectant , præcipuè in corde ſunt in hoc ægro , & debilitas motus & pulſus locum habent , ſed de tertio genere conqueritur, ſcilicet de Malacia , ob defectum alimenti , vel ab aliis humoribus ibi hærentibus , unde ſæpè animi deliquio corripitur. Præcipua cauſa quærenda eſt in fermento; non appetit cibos, & tamen capit multa , neſcit quid velit , & cùm non appetit ea quæ ſolebat , hinc fermentum alteratur, ſed quid illud ſit in fermento , difficile eſt determinare ; quando appetitus benè ſe habet, omnia ſunt grata ; quando languidus , nihil ferè placet; & cùm eodem modo ſe res habet in hoc ægro , ergò illud , quod appetitum excitat , deeſt , vel minore quantitate adeſt ; quòd appetitus à ſpiritu acido eſt , patet , quia acida appetitum augent . Ergò in hoc caſu pono ſpirit. acidum ligari quaſi in pituita viſcida , unde chylus crudus , & rarefactio ſanguinis impedita , & paucitas ſpirituum animalium , unde tres illæ debilitatis ſpecies poſſunt deduci.

Prout appetitus ſe variè habet , ita etiam cibi varii eſſe debent , & omnibus omnia non conducunt , nec idem cibi genus.

Sed

Sed cùm multa acida fuerint in mixturis, videtur acidum deberi augeri, non minui; forsan à nimia potu spiritus acidus diluitur; optat vinum, & forsan ea de causa de malacia conqueritur.

A multo potu diluitur & eluitur è ventriculo fermentum, unde si ante cibus bibatur, appetitus prosternitur; forsan hic æger ventriculum suum gravavit, cùm diversa optat; videtur autem potui deditus esse.

Cùm statuitur aliquid viscidum adesse, à febre & multis symptomatibus; quæritur quid agendum: si alvus non amplius laxa, educendi sunt humores semel modò dejecit, appetitus excitandus ergò.

℞. Mass. Pil. Mastichin. ℈ i.
F. Pilul. num. v.
Cras manè sumat easdem.
℞. Aqu. Menth. ℥ ii.
Tinct. Cinnamom. ℥ i.
Elix. propr. ʒ ß.
Spir. Salis gutt. viii.
Syr. Menth. ℥ i.
M. assum. cochlear.

17. Nov. Heri vesperi inter 8. & 9. paroxysmus, sed aliquandò levior, adfuit, unde possumus judicare tale medicamentum & frigori & calori conducere: ubi frigus urget, assumit Cl. Sylv. plus aqu. theriacal. ubi calor verò plus acidior. ubi medio modo se habent, medio modo utitur.

Assumsit 5. pilul. non dejecit, adhuc; nihil assumsit mixturæ, ergò statim sumat.

18. Assumsit pilulas, quater, dejecit, & satis copiosè quidem, pulsus satis debilis; habebat aliquid jusculis carnis vervecinæ. Heri vesperi non sensit paroxysmum, nec assumsit Mixturam.

19. Nov. Hodie manè circa 5. paroxysmum passus est, frigus per 3. horas duravit; paroxysmus valdè gravis fuit; à Mixt. cum oculis Cancr. benè se habet; pulsus frequens; mens ei non benè constat. Iteretur Mixt. 13. Octobri præscr.

20. Nov. Frigus ab hora nocturn. ad 4. matutin. duravit; conqueritur quotidiè os sibi à sapore ingrato infici; optat vomitor. Quod autem non ausus est dare Clar Sylvius, cùm debilis sit; dejecit quidem quotidiè, quare leve tum purgans per inser. præscript.

℞. *Elect. Cholagog.* ʒ ii.
Aqu. Menth. q. s. pro haust. cras manè sumendo, nihil periculi inde timendum erit.

22. Nov. Heri assumsit purgans, semel dejecit, sed ita, ut putaret intestina extrahi è corpore; heri levem febr. habuit; hodie friguit, circa nonam; nunc calere incipit; hodie non dejicit; dolores ventris circa umbilicum sentit; non adeò dolet in lumbis, uti priùs; quando manum porrigit, dicit dolorem ventris augeri; ex pulsu levior apparet paroxysmus; temperat sibi à potu, quod signum est, sitim non amplius esse valdè urgentem; si flatus emittit, & venter est distensus, tunc, dolor est à flatibus, si verò non, tunc ab acrimonia humoris; incipiente paroxysmo dicit se sentire flatum ab uno latere in aliud moveri, & si flatus emmittat, levamen habet.

Distinguendum esse inter abdomen extrinsecè distensum & interiosecè, ubi indurescit quasi, tunc fuit non distensio, sed contorsio intestinorum.

Sæpè sitis est magna sine æstu; sæpe magnus æstus sine siti sæpissimè junguntur, hinc non solùm calor, siccitas, frigiditas & humiditas in rebus animalibus consideranda, sed acidum etiam, amarum & salsum, de quibus Hippocr.

Dolor etiam est continuus & pungens, ergò accedit etiam acrimonia, cùm pituita ibi hærens à purgante mota potest talem dolorem causare; potest esse acrimonia sine bile in pituita, scilicet ab aciditate; aciditas enim semper est in pituita, & si adeò laxè inhæreat, ut bilis jungatur, fit bilis acris, atra bilis dicta. Si sitis esset à bile, calor etiam adesset; longè faciliùs curatur sitis à bile, quàm ab alio humore in frigore paroxysmi facta. Opium lenit dolores, & somnum conciliat; lenit dolores, quat. sal ejus volatile à spiritu volatili volatilisatur; ratione spiritus volatilis faciliùs jungitur spiritibus animalibus, unde à sale illo figuntur spiritus animales, hinc somnus. Sal volatile fixum redditur à sale fixo. Spiritus Vini malvat. gratissimus est. Nam ut ratione salis Opium jungitur pituitæ & bili, sic ratione spiritus cur non spiritui animali jungatur sal? Opium etiam humores acres figit, nam ratione salis in eo est vis figendi. Spiritus acidus potest concentrari, sed non præcipitari, nam nihil in eo est, quod fundum petat; & quamvis Spiritus Vitriol. Tartaro junctus & concentratus sit, non tamen est propriè præcipitatus, & quando sal lixiviosum & spiritus acidus junguntur, aliquando Aqua non possunt solvi, imprimis si accedat oleum ratio est, quia pori eo modo occluduntur; qui Spiritum & salem potest figere, multùm potest.

℞. Aqu. Menth. ℥ ii.
Fœnic. ℥ i.
Tinct. Cinnamom. ℥ ß.
Spir. Nitri gutt. viii.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. Menth. ℥ i.
Assumat sæpius Cochlear. j. *& redeunte paroxysm.* ii.

23. Nov. Nunc versatur in Paroxysmo.

24. Nov. Vix aliquid de febre sensit; à Medicamento levamen habet.

25. Nov. Hodie febrem habuit; assumpto Medicamento meliùs habuit; hac nocte per 5. hor. commodè quievit.

27. Nov. Parùm dejecit; pedes magis tument.

℞. Elect. Hydragog. ʒ ii.
Aqu. Petrosel.
q. s. pro haust.

29. Nov. Heri per 6. hor. in paroxysmo friguit. & frigus ei admodum molestum fuit; totum corpus ferè evacuavit à purgante, ut dicit; se ferè cœcum fuisse narrat; facies valdè tumet; bibit satis liberaliter, minimè sibi temperat. Iteretur Mixt. 22. Nov. præscr.

30. Nov. Heri vesperi per 2. hor. duravit frigus hodie non malè se habuit à purgante. Iteretur Mixtura 22. Nov. præscr.

1. Dec. Humor à Medicamentis sublatus est, & multam aquam evacuavit.

2. Dec. Aliquantò meliùs se habet.

3. Dec. Multùm dormit, erit mutatio vel in meliùs, vel in peius, post somnum.

6. Dec. Pulsus commodior, quàm priùs; valdè sitit, adeò ut toto morbi tempore vellet bibere; non satis est sui compos, Iteretur Mistur. 22. Novemb. præscr.

9. Dec. Valde debilis est, Iteretur Mixtur. nuper præscr.

℞. Aqu. Borrag.
Meliss. ana ℥ i.
Tinct. Cinnamom. ℥ ß.
Spir. Salis gutt. viii.
Syr. Papav. errat. ℥ j.
M. assum. subinde haustul.

11. Dec. Valdè debilis est. Iteretur Mixtura 9. Dec. præscr.

14. Dec. Quanquam valdè debilis sit, tamen aliquantulum surrexit. Iteretur Mixt. 9. Decemb. præscr.

15. Dec. Satis benè valet, pulsus etiam commodè se habet, & cibi aliquid iterum sumsit.

16. Dec. Sanguinem exspuit hodie, & in statu non optimo versatur.

17. Ipsius res in pejus vergere jam videmus, tantum enim non habet virium, ut verbum proferre possit; os & palatum ei repleta sunt sanguine, iteretur ergò Mixt. 9. Dec. præscr.

20. Dec. Alexander obiit. & publice sectione apertus est.

Annotata quædam ex dissect. cadav. Alexandri.

Abdomen planè collapsum erat, ut ne intestina in ipso contineri appareret.

Dissecta cute, eaque liberata, ne vestigium quidem pinguedinis apparebat, sed omnis consumpta erat,

erat, musculi autem abdominis egregii satis erant & rubicundi.

Dissecto abdomine eoqoc aperto cavitas ejus multa aqua erar repleta, & penè tres pintæ Belgicæ exhauriebatur, quamvis vcoter nc minimum tutgeret sed planè collapsus esset; quæ aqua denotabat speciem hydropis; & hoc est contra eos, qui omnem hydropem per tumorem definiunt; aliter enim & non semper tumorem locem habere, redarguit autopsia hujus cadaveris. Omentum penè sursum versus ventriculum distractum erat, fuitque fœtidi & obscuri coloris, & tenuia iotestina ab omento planè non tegebautur.

Et quibus talis est constitutio, semper IIII petunt ignem & iejuria aeris frigidi ostenduntur.

Ie intestinis tenuibus, duobus distinctis in locis observabatur, quòd una substaotia illorum ingrediebatur in alteram; in ono loco, quando extende bantur, ingresta erat substantia unius in alteram, ad longitudinem 4. digitor. trasverforum; in altero autem loco spithamæ mlnoris; quam intotsionem Cl. Sylv. cootigisse putat à flatibus valdè urgentibus, hocquc malum incurabile est; quando enim adhibentur medicamenta flatus discutientia, tunc propellitur magis ioteftinorum substantia io aliam.

Omoia ioteftina tam tenuia, quàm crassa flatibus eraot distenta.

In ietestino colo hoc observabatur, quòd mox contractum à flatibus, moa distensus, & iterum contractum erat.

NB. Ubi est principium intestini coli observandum appendiculam ibi esse, quæ vocatur intestinum cœcum, in cujus appendiculæ finem Cl. Sylv. principiom ejusdem motus constituir, ita ut quando excrementa iu illud perveniat, ibi loci fiat motus, & excrementa ea eo iterem propellantur, & deorsum ad intestina protrudantur. 2. Considerandus venir annullos membraneus seu valvula, quæ duplicem præstat esum: 1. Ne ex ietestino tenui excrementa semel prolapsa regrediantur motuque præpostero sursem ferantur: 2. Quando clysteres injiciuntur, ne sorsum feraotur; & per os rejiciantur, quod contingit ex laxatione hujus valvulæ, quales tristes eventus sæpè observavit Cl. Sylv. & recenset River. in praxi.

Sanguis vix apparebat in vasis meosenterii, ita pituirosus erat.

NB. Differoutia intestinorum crassorum & tenuium internæ substantiæ hæc est, quòd substantia interna crassorom plana magis, teneiorum autem pannosior est. Prætereà notandum, intestieum tenue a pyloro transfertur ad renem dextrum osque, & tunc vergit sub mesceterio ad renem sinistrum, & ubi sensim reflectitur, observabatur ductus bilarius & pancreaticus, qui ibi concurrunt ex duobus illis ductibus, unus constituitur, & hi duo ductus se exonerant in illud intestinum; cùm autem hi duo humores, qoi partim ca pancreare, partim ex ductu bilario eò deferuntur, & phlegmati, quod semper ibi prestò est, permiscentur, temperant se invicem; his autem pravè dispositis, sive uoos, sive ambo, sive omnes, effervescentiam & dolorem instituunt, ut & frigus & calorem, quæ symptomata ibi observantur, circa regionem scil. lumborum, in febribus omnibus, potissimùm intermittentibus, uti testatus fuit Cl. Sylvius.

Mesenterium, quod aliàs in mediis vertebris annectitur, lo hoc subjecto versus partem destram magis vergebat.

Ventriculus situm suum naturalem noe observabat, sed rectà deorsum tendebat.

Pancreas non ita firmum erat uti debebat, sed flacidom erat.

In cavitate thoracis multa aqoa reperiebatur, & quæ ie dextro latere herebat aqua, subflava erat, ac membranulæ, ut & stigmata reperiebantur in illa; aqua aorem quæ in sinistro latere continebatur, cruenta erat, nullæque membranulæ in ea reperiebantur, signum, illam non taota acrimonia fuisse præditam, quàm quæ in dextro latere continebatur.

In toto sinistro pulmonom lobo durities percipiebatur, quo dissecto spumosa ac cruenta effluebant.

In dextro autem lobo talis durities non reperiebatur, sed uterque lobus, tam dexter, quam sinister, erant obscurioris coloris.

Io capite omnia beoè se habebant, nisi quòd sanguis pituitosior, quæ sanguinis constitutio in totò illo cadavero observabatur.

CASUS LXII.

15. Dec. VIr quidam accessit paralyticus, & per quadriennium jam valetudinarius fuit; & antequam in hunc affectum incideret, febr. Icotis & erraticis laboravit; deindo dolores afroces in eturibus habuit: pridio Kal. Oct. ex vchementi ira in liognæ paralysin incidit, magna cum debilitate & gravibus doloribus in brachiis & cruribus; caput inane esse videtur; ab eo tempore paralyseos somnum vix capere potest; parum edit, nec multùm dejicit; nec per tres septimanas ante paralysin dejecit.

Ira bic causa procatarctica est, sed quoniam antea quædam mala fuerunt, nempe humor pitoitosus cum bile miatus ab ira moti sont, & bilis tam ad superiora, quàm ad inferiora effusa est.

Ideoquo & bilis & pituita hic peccarunt: antequam incideret in hoc malum, dolorem in lumbis & atdorem io capite sensit, vigiliæ ipsi valdè molestæ fuere, & dolores io cruribus.

Confert hic Medicamentum, quod leniter quidem deducit bumores, lenit dolores, & vires roborat.

℞. *Mithridat.* ʒ ii.
Syr. Stœchad. ℥ j.
Aqu. Theriacal. simplic. ℥ ß.
M. & assumat cochleatim.

16. Dec. A media eocte usque ad hor. 6. matutin. somno satis profundo dormivit, parùm vero deiecit.

Humores pituitosi hic valdè peccant, per accidens antem bilis mota & irritata est.

℞. *Elect. Chologog.* ʒ ii.
Hydragog. ʒ i.
Aqu. Betonic. q. s.
M. f. haust.

17. Dec. Quinqoies dejecit, & sensit levamen; punctiones per omnia membra habet; hac nocte spontè quievit: alterantia quæ motum moveot, & vias paraot, hic prosunt.

℞. *Aqu. Melis.*
Fœnic. ana ℥ i.
Theriacal. simplic.
Tinct. Cinnamom. ana ℥ ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. Stœchad. ℥ i.
M. Assumat. Cochleatim.

18. Dec. Non continuò dolorem puoctorium & formlcationes sentir.

Præscribatur ei Decoct.

℞. *Rad. Fœnic.*
Apii ana ℥ i.
Galang. ʒ ii.
Rasur. lign. Guajac. ℥ iii.
Baccar. Junip. ℥ ii.
Sem. Urtic. Rom. ʒ ii.
Coq. s. a. in aqu. pur. in Colat. ℥ xl.
Dissolv. Syr. de Helleb. Nigr. ℥ iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ iii ß.
M. & assum. per Haust

19. Dec. Iteretut mixtura hæri præscr.

Bis terve in die ante pastum cochl. j. assumat.

Urina nubeculam io fundo habet; arenæ qooque in fundo esse videntur; qnando sont io superficie, significanr capitis inanitatem

20. Dec. Iteretur mixtura 17. Dec. præscr.

21. Dec. Mixti dolores bic sunt, quare & varia hic consideranda; nam varia illa affluxio spirituum facit mutationem motus, & quidem punctuæ, quæ est formicationis; calorem ab extremis assurgentem & me-

& medullam ex ossibus quasi exsugentem observat, Habet quod sumat.

22. Dec. Nihil hac nocte dormivit. Iteretur Mixt. 15. Dec. præscr.

24. Dec. Pulsus melior; commodiùsque hodie qoievit. Iteretur in duplo Mixt. 16. Dec. & Apozema 18. præscr.

27. Dec. Videmus subitam mutationem, veotrem scil. tumefactum à flatibus; videtur ipsi ac si visus obscurior sit, ab halitibus melancholicis communicatis oculis & humoribus quibus outriuntur. Iteretur Mixtura 15. Dec. & Decoct. 18. præscr.

29. Dec. Placidè hac nocte qnievit, Decoct. & Mixtur. sumsit, attamen non purgatus. Iteretur Miatura & Decoct.

30. Dec. Quoad omnia meliùs se habet, heri hæmorrhagia laboravit; benè quievit. unde symptomata sunt levinra.

Iteretur omnia.

3. Jan. Sequ. anni. Nudius tertius febricitavit; præscr. Decoct.

℞. Rad. Fœnic.
Apii,
Pæon. ana ℥j.
Galang.
Curcum. ana ʒ ii.
Rasur. lign. Guajac. ℥ iii.
Baccar. Junip. ℥ i ß.
Laur. ℥ ß.
Sem. Urtic. Rom. ʒ iii.
Coqu. ex Aqu. pur. in Colatur. ℥ xl.
Dissolv. Syrup. de Helleb. Nigr. ℥ iii.
Syrup. de Colocynth. ℥ i ß.
Spir. Vin. rectif. ℥ iii ß.
M. & sumat. subinde hausst.

4. Jan. Mediocriter se habet.

5. Jan. Non dejecit, & parum quievit per biduum. Iteretur Decoct. 3. Ian. præscr.

7. Jan. In meliori statu vivit.

8. Jan. Satis commodè se habet, nisi quòd de contimuo frigore extremarum partium conqueratur. Omnes partes paralyticæ longè sunt frigidiores reliquis, quamvis restitutę sint, & moveaot partes illas, attamen illæ frigent, sed booum signum futuræ sanitatis est, quando sentiunt se frigescere. Io quadam paralyseos specie intumescit pars paralytiea, in quadam intumescit, tunc illi succurrendum & ad illam cura dirigenda; aliquando non tumescit, & tunc malum in viis: quare in examine ejus conclusum est, humorem pituitosum in partibus hærere; nam sæpissimè paralysis fit, cùm humor pituitosus musculos & fibras afficit, imò fit etiam quaodo secundùm ductum vasorum & nervorum motu humoris pituitosi fit compressio istorum vasorum: malum ejus non est notabile in partibus, non tumor adest; anteà præ stupore non sensit frigus, jam verò diminuto stupore magis alget. In meliùs, non in pejus vergit. Iteretur Apozema 3. Jan. & Mixt. 6. Jan. præscr.

10. Jan. Heri levem paroxysmum febril. sensit, nunc benè se habet. Iteretur mixt. 18. præscr.

11. Jao. Benè dejecit, & valedicit. Iteretur miat. 6. Jao præscr.

CASUS LXIII.

11. Jao. Viro cuidam caput dolet ab 8. jam diebus; dolor etiam est io lumbis; alvus laxa est; somnus onllus; continuò friget; ex lumbis assurgit frigus ad caput, unde grave est, & vertigine vexatur; quamprimùm corpus movet, friget; deliravit quoque in febribus continnis; alias non sentitur frigus, sed exacerbatio; de calore nullo conqueritnr.

Spiritus acidus hic in pituita nimium facit effervescentiam, ideoque oon solùm emcodandam, sed & evacuandam esse statuit Cl. Syv.

℞. Aqu. Petrosel.
Fœnic. ana ℥ i ß.
Theriacal. simpl. ʒ vi.
Laud. Opiat. gr. ii.
Antimon. Diaphor. ʒ ß.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M. sumat. Cochleat.
Et quidem singul. hor. Cochlear. I.

12. Jan. In omnibus levamen habet; benè quievit, nec dolorem capitis amplius sentit, sed sapor aliqnis dnlcis saccharo Saturni simillimus, ei valdè molestus est. Oleum spiritui acido junctum & sali lixivioso dnlcedinem efficit. Iteretur Mixtura heri præscripta.

13. Jan. Conqueritur de dolore lumborum; non dejecit; quamprimùm inclinat in somnum, sudat, aliàs commodè quiescit. Iteretur Mixtura 11. Jan. præscripta.

℞. Elect. Hydragog. ʒ iii.
Aqu. Petrosel. ℥ ii ß.
M. f. haustus.

14. Jan. De dolore cinguli ad instar sub umbilico conqueritur; transversim tendnntur istæ partes instar chordæ. Nullum intestinum transversim fertur, præter coloo, & ubi talis dolor, accusandum est colon; possunt enim & reliqua quoque affici sed raro, & tunc dubio Medicos involnit.

Heri illum hoc malum invasit; emisit flatus. Dolores intolerabiles fortasse à spiritu acido.

℞. Aqu. Herd. ℥ xx.
Fœnic. ℥ i ß.
Spir. Vin. rectif. ℥ j.
Syrup. de Senna ℥ iii.
Spir. Nitri ℈ ß.
M. f. Iulep. sumat subinde haustum.

℞. Aqu. Menth.
Fœnic. ana ℥ i.
Spir. Vin. rectif. ʒ vi.
Nitr. ℈ ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
M. f. Mixt. Cochleat. assumenda.

19. Jannar. Paroxysmom habuit; amara copiosè evomuit; nihil dejecit; conqueritur de anhelatione & pectoris dolore.

℞. Aqu. Hyssop. ℥ ii.
Fœnic. ℥ j.
Acet. Stillat. ʒ vi.
Spir. Vin. rectif. ℥ ß.
Ocul. Cancr. ʒ ß.
Antimon. Diaphor.
Bol. Armen. ana ℈ i.
Syr. quinque Rad. ℥ j.
M. f. Mixt. Cochleat. sumenda.

CASUS LXIV.

9. Nov. Vir quidam febre erratica, & quidem aliquando quotidiè, aliquaodo alternatim corripitur; frigus ipsum aliquaodo per 4. aliquando etiam per 2. hor. urget; calorem oon sentit; frigus inter scapulas & lumbos est; intestina ipsi quasi convelluntur; alvus segnis est, nec sitit, nec sudat; aliquando æstum in intestins sentit, nec non tormina.

Per 10. Septimanas malè se habuit, nec aliquid assumsit medicamentorum.

A diuturnitate judicat Cl. Sylv. pituitam hic peccare, sed oon solet tamdiu durare, nisi aliquid aliud jungatur, & cùm tormina adsint, Spiritus acidus jungitur; saporem oidorosum habet lo ore, ergò bilis adest; pituita igitur peccat, & in ea aciditas. Bilem, dum alvus segnis, possumus purgare, aut priùs alterare. Heri paroxysmum habuit.

℞. Gumm. Ammoniac. cum acet. prap. ʒ ß.
Mastich. el. ℈ j.
Chalyb. prap. gr. xv.
Trochisc. Alhandal ʒ ß.
Ol. destil. Granor. Junip. gutt. vi.
M. f. Pilul. num. xxi.
Sumat. 7. singula vespera sub hora decubitus, si non febricitat.

℞. Aqu. Fumar. ℥ ß.
Theriacal. simpl. ʒ iii.

Sal.

Sal. Ammoniac. gr. xv.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
M. pro hauſt.

11. Nov. Per duos dies paroxyſmum ſenſit, & hodie pilul. aſſumſit, unde ſemel quidem, ſed copiosè dejecit.

13. Nov. Paroxyſmum circa hor. quartam pomeridianam habuit; frigus duravit hor. 2½. calor etiam ſatis moleſtus fuit; aſſumpſit heri pilul. & inde ter dejecit. Paroxyſmi certum non ſervant typum. Cras aſſumat iterum pilul, jam præſcribemus Mixt. contra paroxyſmum.

℞. *Aqu. Fœnicul.*
Theriacal. ſimpl. ana ℥ ß.
Acet. ſtillat. ʒ iii.
Ocul. Cancr. ℈ ß.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
M. f. Hauſtus.

CASUS LXV.

PUella quædam 14. annor. per 5. ſeptimanas variolis laboravit, & quia admodùm debilis, huc in Noſocomium eſt delata, ut ad priſtinam redeat ſanitatem. Aſſumat ſeq. Mixt.

℞. *Aqu. Fœnic.*
Petroſel. ana ℥ j.
Acet. ſtillat. ʒ vi.
Ocul. Cancr.
Antimon. diaphor. ℈ j.
Syrup. quinque Rad. ℥ ß.
M. & ſum. ſubinde Cochl.

NB. Hanc Mixtur. valdè commendat Cl. Sylv. in variolis, eamque à principio ad finem exhibere jubet.

9. Novemb. Benè ſe habet; habet adhuc quod aſſumat.

10. 11. & 12. Nov. Hiſce diebus optimè ſe habuit.

Iterata fuit Mixtura 8. Nov. præſcr.

CASUS LXVI.

MUlieri cuidam de dolore oculor. conquerenti ſequens collyrium præſcript. eſt, à quo ſummum levamen habuit.

℞. *Aqu. Roſ. alb.* ℥ i ß.
Fœnic. ℥ ß.
Sief. Alb. ℈ i.
Vitriol. Alb. gr. ii.
M. & f. Collyrium.

Annotata quædam ex ſectione cadaveris fœminæ cujuſdam Helenæ dictæ.

Pinguedo in abdomine multa reperiebatur, ad craſſitiem pollicis tranſverſi, bonique & naturalis coloris; ſed hoc mirum, quia intra quatuor ſeptimanas nullum alimentum potuit aſſumere, quòd tanta pinguedinis copia conſpiciebatur. Omentum admodùm pingue erat ac naturaliter aliàs ſe habebat, niſi quod à parte inferiore circa umbilici regionem firmiter adhærebat peritonæo, & ubi vulnera in abdomine erant inflicta (quorum 7. aut 8. erant) omenti pars ſe inſinuaverat firmiter in illorum cicatrices.

Inteſtina, quoad externam ſubſtantiam naturaliter ſe habebant, quoad colorem & conformationem, inteſtinum vulgò duodenum dictum 4. erat tranſverſorum digitorum, antequam vergeret in latus ſiniſtrum.

In inteſtino tenui, ubi ductus pancreaticus & bilarius ſe exonerant, corroſio partis ejus internæ obſervabatur, & omnia cruenta quoad ejus ſubſtantiam internam, cernebantur; multumque phlegmatis quaſi purulenti ad cochlearia quatuor exhauriebatur.

Ventriculus flatibus diſtentus erat, nihilque in illo reperiebatur præter phlegma pauciſſimum ad quantitatem dimidii vix cochlearis; tunica inferior & interior ipſius ventriculi rubicunda & corroſa erat, ſignum ab acerrimo humore biliofo delato ad ventriculum, qui in ſuperficie inferiori ipſius ventriculi vim ſuam magis potuit exercere, quàm in inteſtino ubi ductus bilarius inſertus fuit; & ratio hæc eſt, quia in inteſtino tenui multum phlegmatis reperiebatur, quod contemperavit bilis acrimoniam; pars autem volatilis & acrior delata fuit ad ventriculum, ibique nihil reperiens, à quo contemperaretur, vim ſuam, corrodendo ſuperficiem inferioris ventriculi tunicæ, exeruit.

Superficies ventriculi ſuperioris tunicæ alio modo ſe habebat, ac albeſcebat planè, uti ferè ſolet naturaliter ſe habere.

Veſicula fellis admodum magna fuit, uti numquam in ſectione ulla obſervavit Cl. Sylv. eratque obſcuri lividioriſque coloris, & inteſtinum tenue & ventriculus tali colore tincti erant, cum illis partibus, quas attingit folliculus fellis.

Lien ſubſtantiæ erat durioris, quàm naturaliter ſe habere debebat, & rubicundi planè coloris, ut epatis; epar autem naturaliter ſe habebat. Ductus bilarii & pancreatici inſertio, quæ aliàs utplurimùm in unum locum terminantur, in hoc ſubiecto ad latitudinem pollicis tranſverſi diſtabant.

Renes magni erant, alioquin bene diſpoſiti. Capſulæ renales ſeu atrabilariæ, uti vulgò vocantur, tantæ erant, qualem magnitudinem nunquam obſervavit Cl. van Horne. NB. Nulla arteria definit in iſtas capſulas, ſed ingens vas venoſum conſpicitur, quod ſignum eſt, ex capſulis deferri, non autem aliquid eis accedere; præterea nervi pertinent ad illas capſulas.

Capſulas renis dextri penè triangularis erat, ſiniſtri autem penè quadrangularis.

Vaſa in uteri collum deſinentia valdè repleta erant ſanguine & diſtenta.

Circa teſtes veſiculæ in utroque latere obſervabantur, quæ aqua erant repletæ.

Membrana pulmonum firmiter annexa erat pleuræ, alias pulmones benè ſe habebant.

Exigua in quantitate aut planè nihil aquæ in pericardio continebatur.

In utroque ventriculo cordis polypus, uti vulgò vocatur, reperiebatur inſtar fruſti carnis, magnaque in copia ex arteria magna & vena extrahebatur.

Planè nullus ſanguis in illis duobus vaſis continebatur, & in ſingulis vaſis ſanguineis paucus contentus erat ſanguis, niſi in vaſis circa uterum.

In gula materia viſcida flava reperiebatur, valdèque fœtida. In capite omnia benè ſe habebant, & notata eſt in hujus ſubjecti oſſe frontis cavitas, diſſecto ſcilicet cranio, ubi immiſſo folle aerem per nares egredi obſervavit Cl. van Horne. Hoc itidem contingit in oſſe ſphenoide, ex quo, ſi follis immiſſus, aer per nares quoque egreditur.

CASUS LXVII.

MUlier quædam, quæ valdè conqueſta fuit de immenſis & ineffabilibus ventris doloribus, poſtquam ante 3. dies in Noſocomium Leidenſe, ut ſanaretur, delata eſſet eodem die, quo eò deſerretur extincta eſt, & hodie die 13. Nov. 1660. ejus cadaver cultro Anatomico ſubjectum fuit, in quo ſequentia obſervabantur.

In infimi ventris apertione omentum ſuprà ventriculum non extendebatur, illudque firmiter peritonæo annexum erat; pinguedo in omento ſatis copioſa obſervabatur, ſed admodùm fœda.

Inteſtina omnia, præſertim tenuia, valde rubebant; & tenuia intus etiam valdè perfuſa erant bile rubicundi coloris, omnium autem maximè inteſtinum duodenum, & talis rubedo ſignum fuit inſignis acrimoniæ, qua bilis fuit præternaturaliter prædita, bilis hæc aquæ permiſta flaveſcebat.

Ventriculus magnus erat, & ad digitum tranſverſum infrà umbilicum deſcendebat; phlegma in Ventriculo præter ſolitum viſcidius erat; ventriculi ſubſtantia interna valdè rubebat, quod ſignum eſt inflammatum fuiſſe; & quo latere Ventriculus veſiculam fellis externè tangebat, eodem colore infectus erat.

Omnia

Omnia fpumabant quæ circa Ventritulum & veficulam fellis obfervabantur, fignum bilis acrioris. Aqua rubens maxima copia in cavitate abdominis reperiebatur. Uterus totus in latus dextrum vergebat, qui naturaliter in medio cavitatis, io qua hæret, fitunm fuum obfervare deboiffet; magna erat excrefcentia in ejus parte poftica tam dura, ut cultrum Anatomicum admittere nolet, illaque excrefcentia planè offea erat. Uteri fubftantia quoque bis craffior erat, quàm naturaliter debebat. Vefica longè craffior erat, quàm debebat, ex parte erat ulcerofa, totaqne fuperficies ejus interna erat læfa. Renes longè majores erant, quàm debebant; cùm diffecarentur, magna copia fanguinis atri puré permixti effluebat. In cavitate thoracis magna quantitas aquæ faoguine tinctę reperiebatur, pulmonefque admodum turgebant, omniaque in thorace ita fe habebant, ficuti in pectoris bydrope. Cor magnnm erat, & prope aoriculam dextram macula alba reperiebatur quafi effet candela aliqua cuticula combufta.

Arteria magna tanta erat, ut parum difcederet à magnitudine arteriæ bovis.

Qnoad cerebrum, in eo omnia bene fe habebaot.

CASUS LXVIII.

ANcila quædam, qnæ infigni fuffocatlone uteri laborabat, cum fuma refpirandi difficultate tantaque ventris elevatione & concidentia, ut mirum adfpicientibus videretur; cùm autem ne verbum quidem proferre potuiffet, ac quomodò afficeretur, enarrare quiviffet, fequentia ipfi fuere præfcripta.

℞. *Caftor.*
Afa fœtid. ana ℈ ß.
M. & f. Nodul. ex collo fufpendendus.

℞. *Aqa. Paleg.* ℥ i ß.
Theriacal. fimpl. ʒ vi.
Ol. deft. Succin. gutt. vi.
M. de ea Mix. fumat fæpiùs Cochl. j.

9. Nov. Adhuc in eodem ftatu maneo, nec loquitur, & quia ab exhibit. Medicam. nullum adhuc levamen fentit, de fequ. Mixt. fumat fubinde Cochl. j.

℞. *Aqa. Puleg.* ℥ ii.
Theriacal. fimplex. ʒ vi.
Ol. deft. Succin. gutt. viii.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M.

10. Nov. Aliquid levaminis hodiè habuit, attamen nondum poteft commodè loqui, nec aptè intelligi, iteretur ergò Mixt. heri præfcripta in duplo.

11. Hodiè iterum parum levaminis habuit, habet adhuc de Mixt. qua utatur nfque in craftinum.

12. 13. Nov. Paulò majus levamen jam fentit, iteretur igitur Mixt. in dubio 9. Nov. præfe.

14. 15. Nov. Adhuc majus levamen fenfit, habet adhuc quod fumat.

16. Nov. Quia præcedentibus dieb. ob malum valdè urgens ne verbum quidem potniffet loqui, & hodiè bené fe babet, & quidem longè meliùs quàm aliis diebus, narravit, fe per 3. menfes dolorem in lumbis fenfiffe, qui continuò perfeveraverit; tumor & dolor dehinc excitati funt in finiftro hypocbondrio, poftmodùm malum infeftavit Ventriculum, unde quafi palpitationes fenfit; refpiratio fuit difficilis, ut fibi in faucib. aliquid hærere videretur; cor anxium foit; palpitationes moleftas habuit, & quando palpitationes infeftabant, fe meliùs baboiffe ab anxietate cordis teftata eft; quando cor palpitaverat vel angebatur fudor ipfi erumpebat.

Itaque ex his fatis patet, affectum hunc effe fuffocationem uterioam Medicis fic dictam, à flatus ortam, quod patet, quia erumpentib. flatus levamen habuit; humores autem illi, ex quibus flatus funt excitati, admodùm vifcidi fuerunt, quia tamdiu duravit malum, ut non facilè diffolvi potuiffent: locum & focum iftius materiæ vifcidæ agnofcimus abdomen, & imprimis inteftinnm duodenum & Ventriculum, in lumbis enim fenfit dolorem, & in ventriculo palpitationem, ex quo flatus emifit. Hyfterica autem paffio cum affectione hypochondriaca maximè convenit, & differt ab hac in eo, quòd in hypochondriaca affectione ftrangulatio non adfit. In curatione autem hoc præftandum, ut humores vifcidi & tenaces incidantur, attenuentur, & ad evacuationem per epicrafin præparentur, quod fequ. pi n is præftari poteft.

℞. *Gumm. Sagapen. cum Acet. Præp.* ʒ ß.
Caftor. Opt.
Maftich. el. ana ℈ j.
Myrrh. Rub.
Chalyb. Præp. ana ℈ ß.
Trochifc. Alhandal,
Refin. Jalapp.
Refin Scammon. ana ℈ j.
Ol. deft. Succin. gutt. vj.
M. f. Pilul. num. xxx.
Affum. quotidiè v.
Convaluit.

CASUS LXIX.

MUlier quædam per 5. menfes febricitavit, & inde per 6. feptimanas alvi fluxum cootinuum paffa eft, ut quæ affumpferat, non folùm infipida ipfi viderentur, fed & eadem per inferiora ftatim rejecit; naofea adeft, fitis magna, vires funt proftratæ, maximèque friget.

Hodiè 9. Nov. quater dejecit; itaque de feq. Mixtura, qoæ vires reficit, & moderatę adftringit, fæpiùs affumat Cochl.

℞. *Diafcord. Fracaft.* ʒ i ß.
Tinct. Cinnamom. ʒ iii.
Syrup. Myrtillor. ℥ j.
Aq. Plantag. ℥ iij.
M.

10. Nov. De Mixtura per diem & noct. affumfit, à quà bene fe habere teftatur multumque levaminis fenfiffe; iteretur itaque illa Mixt. eaque frequeoter utatur.

11. Nov. Alvi fluxus planè ceffavit, affumat frequenter de Mixt.

12. 13. Nov. Optimè fe habet, nullaque fymptomata ampliùs urgeot; conqueritur faltem de aperitu proftrato, in cujus reftaurationem.

℞. *Elix. Propriet.* ʒ i.
Sumat gutt. vi. *è Cochleari cum vin. hor, dim. ante prand. & cœnam.*

14. 15. Nov. Optimè fe habet, appetitus fenfim redit, virefque reftanraotur, habet adhuc quod affumat de Elixir proprietat.

16. Nov. Omnia bene procedunt, nec ampliùs petit medicamenta.

CASUS LXX.

VIr quidam laboravit aliqoando febre tertiana continua, in qua multum potus affumfit; febre per dies aliquot remiffa inordinatè fatis vixit, multoque potu fe oneravit; paulò poft incidit in fummum totius corporis frigus, à quo immenfe lancinationes in Ventre fuboriuntur, imprimis in finiftro latere; Veoter pedefque valdè tument; quando fe ab uno latere in alterom movet, quafi humorem in ventre percipit. Febris adeft erratica, & continuò friget, ut non poffit incalefcere; vires admodùm proftratæ; pulfus admodùm debilis.

Afcites hydropis fpecies appellatur, ortus à febre prægrefsa, & potu nimia copia afsumpto. Quia aotem vir hic die 18. Nov. nofocom. delatus eft, nollumqoe medicamentum adhuc afsumpfit, & figna vix bonom futurum eventum demonftrant; quia vires valdè font proftratæ, fequ. medicamentum ei exhibeatur, de quo fingulis horis Cochl. j. afsumat.

℞. *Aqu. petrofel.*
Theriacal. f. ana ℥ i ß.
Tinct. Cinnamom. ʒ vi.
Syr. quinque Rad. ℥ j.
Spir. Nitri gutt. viii.
M.

29. Nov. Omnia perversa in hoc ægro se ostendunt, ut parum de ejus salute sperandum sit; frigus continuum & summum ipsum urget, externæ autem partes calent, & in partib. externis calor sentitur acris; pulsus frequens est admodùm & debilis, itaque ad instaurandas vires iteretur mixtura 18. Nov. præscr.

20. Nov. Hodiè vitam cum morte commutavit.

CASUS LXXI.

VEtula quædam conquesta est admodùm de dolore in mictione, exulceratum enim est collum vesicę, & à nullo medicamento majus levamen sensit, quàm à pilul. sequ.

℞. Mass. Pil. de cynogloss. ℥ß
F. pilul. num. ix.
Assumat singulis bihoriis j.

6. Jan. 1661. Conquesta est de immensis ventris dolorib. incipientibus à lumbis, & versus pedes tendentibus. prę illis quiescere non potest; alvus satis libera est, itaque de sequ. mixtura subinde cochl. j. assumat.

℞. Aqu. petrosel.
Fœnic. ana ℥i.
Acet. stillat. ʒvi.
Ocul. Cancr. ʒß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ℥i.
M.

5. Jan. Multum levaminis habuit à mixtura.

CASUS LXXII.

VIr quidam de febre erratica conqueritur, quę ipsum jam aliquando duob. trib. quaternisve dieb. invasit, & cujus frigus per duas aliquando tres quatuorve horas durat, nec valdè urget; quando paroxysmus ingruit, circa lumbos frigus sentit; de dolore ventris etiam maximè conqueritur, ut omnia sibi dilacerari in abdomine videantur (hęc autem omnis in frigore percipit,) per 10. septimanas malè habuit, nullo adhibito medicamento, alvus segnior est, & sapor nidorosus in ore percipitur; urina crassa; pulsus celer, nec nec adeò debilis.

Explicatio cum Curatione.

Vir hic febre erratica laborat, quod ex casu superfluè patet; primariò afficiuntur intestina quod dolor illorum maxime evincit; ingruente paroxysmo afficitur quoque cor, delata scil. materia ad ipsum, ibique irritationem instituente febrilem.

Causa autem videtur esse humor pituitosus subacidus & biliosus qui sibi invicem misti sunt. Pituitam in vitio esse evincit affectus in longum tempus protractus, & frigus illud, quod maximè pręcalore sentit æger. Bilem quoque in vitio esse, indigitat calor, quem remisso frigore ęger percipit, ut & nidorosus ille sapor, per totum os dispersus.

Quòd autem febris hęc mox 2. tertio aut quarto die se manifestat, id est partim à dispositione humoris quantitate aut qualitate peccantis, si nimirum ita dispositos sit hoc vel illo die, ut fluxilis reddatur, partim à dispositione viarum, per quas defertur ad cor, ibique febrem causat.

CURATIO.

Quia hic ęger nullum remed. in sui auxilium assumpsit, & hac die in Nosocomium delatus est, qui dies est intermissionis, pilul. sequ. ordinatę fuerunt, de quibus quinque hora 6. vespertina assumpsit; eodem modo singulis intermissionis diebus procedente, quando commodiùs ipsi videatur tempus, sive conveniens id fit, sive manè sive vesperi; & in hunc finem potissimùm ordinatę sunt, quia alvus erat segnior.

℞. Gumm. ammon. c.
Acet. prap. ʒß.
Mastich. el. ℈j.
Trochisc. alhandal. gr. xv.
Ol. dest. gran. Junip. gutt. vi.
M. f. pilul. num. xxx.
Dos. num. v.

Hæ pilul. maximè incidunt & attenuant humores viscidos & lentor.

Ingruente paroxysmo assumat sequ. haust.

℞. Aqu. fumar. ℥ß.
Theriacal. simpl. ʒiii.
Sal. Armoniac. gr. xv.
Syr. quinque Rad. ℥ß.
M. f. haust.

NB. Sudoris causa est primò Aer, si calidus & humidus, qui maximè sudorem promovet. 2. Alimenta, si calidè adhibeantur. 3. Motus corporis omnis, uti & animi, imprimis qui sunt conjuncti cum aliqua sollicitudine. 4. Excreta & retenta; si quis adstrictioris sit alvi, aut urinam non debito modo excernat. 5. Somnus magis facit ad sudorem, minùs autem vigiliæ. Itaque his omnibus benè pensitatis causis in genere, transeundum ad causa speciales sudoris in hoc ægro, in quo prædictæ causæ locum habent, & humores redditi volatiliores & fluidiores, facta scil. ebullitione, unde moti sunt humores & foras propulsi; & in illis, qui valdè sudant, notatur febricula, pulsus enim celer, & magnus deprehenditur à sanguinis rarefactione; & observandum non esse commodum sistere subito sudorem, sed potius temporis tractu hoc fieri debet.

CASUS LXXIII.

VIr quidam per 15. dies febre tertiana continuò laboravit, accedente paroxysmo frigus à lumbis incipit, & dehinc per totum corpus dispergitur; tremor artuum adest; primis dirb. dolorem pectoris in sinistro latere sensit, iam verò die 8. Nov. cùm in nosocomium delatus esset, dolorem lateris dextri persentiscit; nullum calorem percipit, sed frigus cum insigni tremore, rigore autem remisso, tremoreque cesso, capitis dolor adest, tantusque ut omnia aspecta ipsi duplica videantur, item post tremorem incalescentiam in corde instar ignis urentis percipit, nullo manifesto in aliis corporis partib. calore; sitis ad est magna; pulsus celer & frequens; & urina turbida.

EXPLICATIO.

Febrem hanc tertianam esse patet ex casu, afficitur autem cor causaque febrem excitant est humor pituitosus & biliosus, prævalet autem pituitosus.

Die 25. Novembris Mane hor. 3. paroxysmum habuit; frigus fuit blandius, duravitque per duas horas; leve frigus fuit in regione lumborum; remittente frigore in curib. tantus est excitatus dolor, isque lancinans, ut non potuerit incedere, durans per 3. hor. cujus causa videtur esse aut spiritus acidus, ut sal lixiviosum, delatum ad cruria partes sensibiles; non autem à sale lixivioso dolorem dependisse, sed potiùs à spir. acido, his rationibus probat Cl. Sylv. quia dolor fuit lancinans & duravit per 3. hor. si enim à sale lixivioso fuisset, vix horam excessisset. Hoc patet in ulcerib. sordidis, quæ si probè à sordib. liberentur, & spiritu Vitrioli eluantur, dolor est acerrimus, qui tamen vel ad hor. 3. vel nonnunquam ad integrum diem extenditur; quod non fit à sale lixivioso barbironsorum, quod nihil aliud est, quàm sal lixiviosum, ubi dolor nec horam excitatur, horam excedit 2. Dolor, qui à spir. acido excitatur, lancinans & acerrimus est, qui autem à sale lixivioso, urens est, citòque cessat; quod experimentum etiam licèt observare in ulceribus sordidis; quia autem dolor ille ægrum non ampliùs urget, ideò iteretur haust. in mox præcedente casu præscriptus.

13. Dec. Dolores sentit magnos in intestino colo & tum quidem, quando dejicere vult, ut & aliquem calorem in illo intestino; excrementa quæ dejicit, durissima & valdè calida sunt, causa hujus doloris videtur esse acrimonia istorum excrementorum, vellicans ipsum intestinum, & quia admodùm dura sunt,

ſunt ; diſtendunt primùm, onde moleſta ſenſatio; præterea non improbabile videtur, eſſe quandam excoriationem in illo inteſtino, quia dolorem tantùm in illo percipit, & non io aliis, aſſumat ergò de ſequ. decoct. ſubinde hauſtum.

℞. *Rad. alth.* ℨii.
Fol. malv.
Biſmalv. Heder. terr. ana Mj.
Tamarindor. ℥j.
Hord. mundat. ℥ß.
Coqu. ex aqu. pat. in Colatur. ℥xx.
Diſſolv.
Syr. de Rhab. ſimpl. ℥ii ß.
M.

14. Dec. A decoct. quinquies dejecit, prima dejectio fuit cum dolore aliquo, ob excrementorum duritiem, reliquæ fuerunt ſine dolore; multaque aquoſa dejecit; non ſenſit hodiè paroxyſmum, ſed ſatis benè ſe habuit. Habet adhuc decoct. de quo cras iterum ſumat hauſtum;

CASUS LXXIV.

Mulier quædam ante tres dies malè ſe habere cœpit, à quo tempore febricitare incepit, alvuſque per illud tempus fuit conſtipata; calor viget continuò, ſed non adeò magnus eſt. Quia autem hoc malum Belgis familiare eſt, & io quibuſdam ſolo purgante aliquo medicamento curatur; itaque quia alvus eſt ſegnior, cras ſequ. hauſt. aſſumat.

℞. *Elect. Cholagog.*
Aqu. Betonic. q. ſ.
Pro hauſt.

8. & 9. Dec. His diebus ſpeciem ſalivationis habuit; continuò coim os ſaliva diffluebat; & uti Cl. Sylv. obſervavit, id ſæpiùs contingit, nam tali modo morbi ſolvuntur.

18. Dec. Conqueritur hodiè phlegmata viſcida & amara ſemper in ote ipſius colligi, ut neſciat, unde illa proveniant; quorum cauſa eſt permixtio quia per modum halitus ſurſum ad os ex ventriculo aſcendit, ibique ſalivæ permixta illam inſpiſſat; & hoc patet exinde magis, quia ante aliquot dies, cùm malè ſe admodùm habere, valdeque debilis eſſet, ſalivationem tanquam criſin aliquam paſſa eſt, à quo tempore meliùs ſe habere cœpit, & quæ hactenus nondum planè ceſſavit; & quia ſalivæ, quæ in ſalivationibus etiam viſcida eſt, bilis permiſcetur, magis incraſſatur & quia illa ſalivatione materia tanquam per modum criſeos ſe exonerat à vitioſis humoribus, non temerè illa impedienda eſt, ſed bilis, quæ motu peccat, corrigenda.

CASUS LXXV.

An. 1661. 11. Nov. Ancilla quædam per aliquot ſeptimanas ſcrophulis io collo, quæ illud totum circumcingebant, laborabit, ad cujus curationem tales præſcriptæ ſunt pilul.

℞. *Gumm. Galban. c. acet. prap.* ℥ß.
Myrrh. Rub.
Maſtich. el. ana ℈j.
Chalyb. prap.
Caſtor. opt.
Croc. orient. ana ℈ß.
Trochiſc. Albandal ℨß.
Reſin. Jalapp. ℈j.
Ol. deſt. gran. Junip. gutt. viii.
M. f. pilul. num. lx.
Aſſumat ſingulis dieb. v.
Prætereà imponatur ſingul dieb. empl. diachyl. c. gumm.

A die 10. uſque ad 20. aſſumpſit ſingul. dieb. quinq; pilul. & ſemper commodè purgata fuit ſemper quater aut quinquies.

Hodie die 21. Nov. conqueſta eſt de dolore capitis & cardialgia; pulſus ſatis debilis; noctu non poteſt quieſcere; itaque ſequ. medicamentum aſſumat cochleatim, & imprimis ſub veſperam.

℞. *Aqu. Menth.*
Fœnic. ana ℥j.
Tinct. Cinnamom. ℨß.
Laud. Opiat. gr. ij.
Syr. quinque Rad. ℥j.
M.

22. Nov. Benè ſe iterum habet, cras iterum utatur pilulis.

23. 24. Commodè hiſce dieb. dejecit à pilul. & benè ſe habuit. Habet adhuc pilul. quibus utatur.

25. Nov. Hodiè conqueſta eſt de anguſtia cordis, quaſi cor opprimeretur aquis, & funiculo quaſi ſuſpenſum eſſet; multum ſalivæ ex ore effluxit, cujus cauſa poteſt eſſe, quia ſcropholis in collo laborat, ubi glandulæ affectæ. ſunt, glandulæ autem, uti notum eſt, ſcatent humoribus; itaque quia hactenus medicamentis adhibitis humores viſcidi magis ſoluti ſunt & perveniunt jam ad Ventriculum, magnaque copia conſtituunt, viſcidiſque humoribus in eo hærentibus permiſcentur, ac quaſi aquis opprimi videtur, imprimis quia ſaliva etiam magna in copia ad Ventriculum defertur; itaque humores io Ventriculo hærentes educantur, cras manè ſequ. aſſumat hauſt.

℞. *Elect. Hydragog.* ℨiii.
Aqu. fœnic. q. ſ.
Pro hauſt.

Hodiè conqueſta eſt do dolore primò in lumbis oriente, deinde ad ſiniſtrum hypocondrium vergentе; cum levi frigore incedit dolor, quod frigus ſubſequitur levis calor, quæ ſymptomata levem teſtantur febrem; dolor fuit tendinoſus, vergens à lumbis in ſiniſtrum latus, cauſa fuit pituita io inteſtino tenui bili permixta, quibus humoribus effervefactis flatus excitati ſunt, qui dolorem illum cauſarunt.

1. Dec. Conqueſta eſt de anguſtia circa ventriculum, & ſibi eſſe, quaſi io animi deliquium incidere vellet. à vaporibus ſurſum ad cor aſcendentibus.
de dolore hypochondriorum, imprimis ſiniſtri; & de anguſtia circa præcordia; itaque cras ſecetur vena in pede, ſanguiſque mittatur ad ℥iiij. vel v.

Benè ſe habet poſt Ven. ſect.

CASUS LXXVI.

An. 1660. 9. Nov. & 10. Fœmina quædam do dolore faucium maximè conqueſta eſt, erant enim tumidæ & rubicundæ, ut difficulter deglutire poſſet, talem igitur gargariſmum ipſi præſcripſit Cl. Sylvius.

℞. *Aqu. hord.* ℥viii
Mell. Roſat. colat. ℥i ß.
Lapid. prunell. ℈ii.
M. f. gargariſm. quo ſæpius gargarizentur fauces.

2. Dec. Ab aſſumto pharmaco hydragogo quinquies dejecit, quæ excrevit aquea fuerunt, & ante meridiem malè ſe habuit, ubi aliquid ex Ventriculo ad gulam uſque aſcendit aquei viſcidique humoris, quem tamen exſpuere non poterat, ſed deglutire coacta, cujus cauſa ſunt vapores viſcidi ex Ventriculo elevati, qui aliquam viſciditatem in ſe habuerunt, ut commodè illos non poſſet excernere; leviſſimam habuit febrem, habet adhuc mixturam. qua utatur.

16. Dec. Hac nocte hora quinta paroxyſm. ubi tres hor. ante paroxyſmum frigus & dolorem ſenſit in capite, qui dolor poſtmodum quaſi è capite in lombos deſcendebat; cauſa etſi difficilis, tamen conjicere licet, fuiſſe humorem frigidum in capite hærentem, & ſecundùm ductum nervorum delatum per ductum dorſi versùs lombos; cùm paroxyſmos invaderet, frigus moleſtum per tres hor. ſenſit, in regione lumborum primò, & deinde per totum corporis habitum diſperſum, internè quidem frigebat, externè autem calebat, frigus hoc ſubſecutus

est calor, qui etjam molestus fuit, & valdè sitivit, & duravit paroxysmus per totum diem.

Ad eliciendam materiam frigidam & viscidam è capite, in nares immittat folium nicotianæ, quod sine cerebri perturbatione humores è capite prolicit.

26. Nov. Heri circa hor. nonam quasi novum paroxysmum sensit, sed sine frigore & calorem, horum vice verò dolor lancinens ac terebrans artus tam superiores quàm inferiores, per sesquihoram invasit, in interioribus autem nullum sensit dolorem, ubi tunc in sudorem incidebat, exterioresque partes calore tunc ardebant, & tunc dolor remisit, & in somnum incidit, ex hoc expergefacta optimè se habuit, & tali modo, ut quasi tota sana esset, nec hodiè ampliùs quid incomodi sensit. Causam huius doloris Cl. Sylvius fuisse suspicatur bilem cum spiritu acido permistam, qui humores paorxysino febrili moti delati sunt ad partes corporis externas, ubi tunc, cùm mediante sudore pori cutis fuerunt aperti, discussi sunt, & tunc dolor remisit, & bonum Cl. Sylv. signum putat esse, quòd materia febrilis ad partes exteriores deferatur :. quia autem jam nihil incommodi patitur, iteretur haust sequ.

℞. Aqu. samar. ℥ß.
Theriacal. s. ʒ iij.
Sal. armoniac. gr. xv.
Syr. quinque Rad. ℥ß.
M.

30. 31. Nov. Hisce dieb. non sensit febrem, sed conquesta est de doloris. Ventris sub umbilico, qui dolores durant per horam, & tunc secedunt flatus non emittit, nec venter tumet; ergò à materia viscida in qua latet spiritus acidus, cui materiæ viscidæ accedeos bilis effervescentiam causat, & tunc magis solvuntur illi humores acres, doloremque efficiunt.

7. Dec. Heri vesperi sensit febrem, frigus non grave fuit, sed durante frigore dolorem sensit quasi conquassantem artus, quem primò sensit in lumbis, cujus causa fuit humor vitiosus acris effervefactus in intestino renui receptus in vasa, propulsus ad partes artuum sensibiles sive periostia dolorem contundentem instituit, & ex humore illo sanguine permixto halitus & flatus quoque potuerunt excitari, unde dolor non continuus fuit, sed intermittens. Er notandum, quia hæc ægra est melancholica & primo tempore febre quartana laboravit, quæ jam planè vaga facta est, curari tamen debere ut quartana.

CASUS LXXVII.

VIr quidam de febre quartana, dolore partium externar. & summo frigore conqueritur; partes corporis sunt debiles, externæ scil. & tremor illas infestat; inter omnia, medicamenta sudurifera ei fuerunt exhibita, quia maximè pronus erat ad sudorem; primis diebus benè se habuit, post adhibita sudorifera; itaque quia die 9. in Nosocomium fuit delatus, ut protsus curaretur, ad relata ejus Cl. Sylv. sequ sudorifer. ei prælcripsit.

℞. Aqu. Card. bened. ℥ß.
Theriacal. simpl. ʒ iii.
Antimon. diaphor. gr. viii.
Syr. papav. errat. ℥ß.
M. pro haust.

14. 15. Nov. Febris quartana ferè sublata est, hac 15. Nov. nocte levem sensit poroxysmum; jam de angustiis & tensione hypochondriorum conqueritur, & de ingenri tusse, ut lachrymæ ex oculis erumpant, quando tussit; post cibum assumtum tussis illum maximè affligit & adeò, ut sedere cogatur, cujus causa videntur esse halitus è Ventriculo sursum ascendentes, itaque statim post cibum assumat pilul. i. de sequ.

℞. Mass. Pil. de Cynogloss. ℈j.
F. pil. num. viii.

20. Nov. Anhelosè respirat, coius causa videtur esse materia viscida per pulmones circulata, flatus excitans, hinc sanguinis motus segnior, unde pulmones commodè dilatari nō possunt; præparetur itaque decoctum, de quo sæpùs in die haustum assumat.

℞. Rad. Apii,
Levistic. ana ℥ß.
Baccar. Junip. ℥j.
Rasur. lign. Guajac. ℥ii.
Sem. anisi,
Fœnic. ana ʒ ii.
Coqu. ex aqu. par. s. a. in Colat. ℥xxx.
Dissolv.
Syr. Menth. ℥iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ii.
Nitr. ℈j.
M.

21. 22. Nov. A decocto levamen habuit, & commodè potest respirare, tussiendoque ejicere phlegmata.

25. Nov. Hodiè paroxysmum non sensit, & in omnibus meliùs se haber; per os ejicit phlegmata pura; de terrore tantillo, qui ipsi in somon contingit, conqueritur, terror autem à spir. acido ad partes sensibiles cerebri per intervalla delato provenit; quia autem spiritus ille acidus contemperatione indiget; præstare autem hoc potest mixtura superiùs præscripta, ideò iteranda est.

28. 29. Heri 28. Nov. Habuit febrem, ut & hodiè, sed hodierna non tam gravis fuit, qualis hesterna; in hesterna nullum sensit frigus, nec calorem, sed loco horum per 4. hor. perpetuò oscitavit, & hodiè per sesquihoram cum anhelosa respiratione, cujus causa fuerunt halitus è Ventriculo ascendentes, & quia oscitatio est symptomata respirationis (respiratio enim est intercepta quando oscitamus,) & halitus illi mediante aere in pulmones inspirando ingrediuntur, & tunc pulmones halitus illos excludere coguntur; quamdio autem tales halitus sursum ascendunt, & tali modo ad pulmones veniant, tamdiu oscitationes fiunt; si autem halitus illi sanguine permiscentur, ac ad partes musculosas deferuntur, pandiculationes contingunt.

30. Nov. Hodiè habuit febrem hora prima, quæ tali modo invasit, uti hesterna; primò enim aliquid sursum ascendere sensit, unde oscitationes, sed non tam vehementes & diuturnæ ut hesternæ, & prætereà quoque levem vertiginem sensit; anhelosa fuit respiratio, & tussis urget; oscitationibus & vertigine remissis fatigationes & dolores pungitivos per 3. hor. in manibus & pedibus sensit, ut quasi defatigata talia membra essent, cuius causa fuit materia viscida delata sursum, & deinde cum sanguine ad partes musculosas pedum & branchiorum.

Viscidam fuisse materiam constat, quia per duas hor. tales dolores duravere.

15. Nov. Hodiè benè se habet; conquestus est saltem de dolore, quem seotit in urina reddenda per totum urethræ ductum, retulitque hoc malum sibi familiare esse, & hoc accidisse ei sæpiùs quòd nonnunquam per quinque dies non potuerir reddere urinam, sed quando eam iterum reddere potuisset, passum tunc fuisse urinæ stillicidium; ut sæpiùs mingere coactus fuerit, & una vice ultra tria cochlearia urinæ plena non emiserir; & quę urina post ischuriam illam emista erat, ita fœtuit, ut nemo talem eius potuisset ferre odorem, ea vero quę postmodum reddita est, non fœtuit, & urinæ sedimentum tunc fuit purulentum, ut ipse narravit, hocque malum passus est, antequam delatus fuit in nosocomium; sed jam tantummodò conquestus est de dolore in redditione urinę, non autem de illis, quę ipsi anteà acciderunt, & cùm illud malum sensit, dolorem passus est in regione lumborum, & urina magis fœtebat, quando celebat, & causa huius ischuriæ fuit obstructio in renibus a sanguine viscido qui aliquid in se habuit, ut potuerit coostringere meatus in renibus, binc sanguis ille diu subsistens, denique purulentus factus, & sensim resolutus gottatim excretus èst, Cùm autem lotium suum hic æger non observavit, curetur ut id asservet.

17. Nov. Hactenus paroxysmum sensit quotidiè, à pretcrito die duodecimo usque ad hunc diem,

circa

circa vesperam hor. 7. invadentem, & hodiè ille hor 12. pomerid. illum passus est, cum tensione in regione lumborum, & dehinc totius abdominis, per quatuor dies tumuit abdomen, sed magis in paroxysmo, qui tumor remisso paroxysmo cessat; signum est, flatus in frigore excitari, unde tumor; in superficie corporis dolorem sinsit, non autem in interioribus, partibus quod bonum est signum, indicat enim causæ morbificę translationem versus partes exteriores; lingua obducta est phlegmate. Hodiè hor. 10. matutina habuit febrem, anteà frigus in præcedentibus paroxysmis molestum fuit, jam autem calor; & sensit dolorem capitis & Ardorem in plantis pedum; assumsit hodiè manè pilul. sed nondum aliquid pręstiterunt, & hoc sæpius contingit ut superveniente paroxysmo febrili vis medicamenti obtundatur; & si operantur, hoc pręstant finito paroxysmo, & hujus causa patet ex inde, si consideretur, quid in principio paroxysmi moveatur, & Cl. Sylv. putat febrium omnium intermittentium sedem esse pancreas; ex quo spiritus acidus qui secernitur in pancreate, per ejus ductum defertur ad intestinum tenue, hinc sese jungit pituitæ, quæ semper in intestino illo est, & bilis, quæ per ductum bilarium eò defertur, effervescentia fit, (uti hoc patet ex symptomatis, quid prodeunt in paroxysmo) & ita vis medicamenti à copia spiritus acidi impeditur; & quò major ejus copia est, eò quoque gravius est frigus, inde coagulatio quasi fit purgantium medicamentorum, quæ scatent sale volatili ac spiritu acido; superveniente autem calore sensim fit attenuatio, & hinc sub finem paroxysmi operari incipiunt.

29. Nov. Meliùs se habet, quàm aliàs, appetitus qui planè fuit prostratus, rediit; adhuc gr. ij. de sal. suo volat. fixato Cl. Sylv. ei exhibuit, post quę sensit primò dolorem in lumbis, deinde magnam perturbationem in toto corpore, ut omnia susque deque moveri ipsi viderentur; aliquoties in illa perturbatione nauseabundus fuit, & quasi vomere vellet, sed non potuit, semper enim quando ad vomitum hodie proclivis fuit, deorsum aliquid deglutire coactus est; appetitus indie magis redit, & odoratus, qui fuit depravatus per quinque dies, etiam hesterno die & hodiè, ad naturalem statum magis magisque pervenit; Cras iterum gr. ij. de sale illo Sylv. assumat. Iterum ex iis perturbationem sensit, primò in lumbis tutoque Ventre & reliquo corpore, ut omnia in toto corpore mutata fuerint, posteà bis alvum deposuit; excrementa fuere planè naturalia, & optimè se jam habet, & quidem ita, qualiter ipsi nunquam fuit per biennium, quod ipsemet retulit,

CASUS LXXVIII.

ANcila quædam viginti quatuor annor. ante aliquot septimanas in regione lumborum sensit frigus, quod dehinc per totum corpus dispergebatur, duravitque per sesquihoram, frigus deinde calor est subsecutus, qui duravit per quinque hor. pulsus fuit celer ac inæqualis; quando calor ingruit, capitis dolorem sentit, & hæc symptomata de quarto in quartùm diem recurrunt; hactenus nulla adhibita sunt medicamenta, hodiè autem 10. Nov. in nosocomium, ut ad pristinum rediret statum, delata est.

EXPLICATIO.

Febrem quartanam esse, qua ancilla laborabat, satis patet, ex typo symptomatum, de quarto scil. in quartum diem recurrentium.

Causa autem istius frigoris, quod primùm in lumbis sentitur, est biliosi & pituitosi humoris effervescentia in intestino duodeno; in illud enim intestinum duæ sunt insertiones, videlicet ductus bilarius & pancreaticus; hinc concurrentibus illis humoribus & illis, qui jam in intestino hærent, effervescentia fit, & quia primùm frigus persentiscit hęc ancilla, pituitam prędominare signum est, hinc materia illa ad cor delata irritans illud, unde pulsus celer est, etsi frigat valdè, nam sępissimè pulsum celerem deprehendimus in febricitantibus, etsi frigus illos summò urgeat; ad caput autem delata materia vitiosa capitis dolor ortus est.

Conquesta est die 24. de sanguine ex gingivis minimo illorum attactu effluente, itaque præscribatur gargarismus, quo sæpiùs os colluatur.

℞. *Rad. bistort.* ℥ij.
Fol. salv.
Flor. Ros. rub. ana Mj.
Sem. levistic. ʒj.
Alum. crud. ʒij.
Coqu. ex aqu. pur. add. sub. fin.
Acet. vin. ℥ ii.
In colatur. ℥ xv. *dissolv.*
Mell. Rosat. ʒ i ß.
M.

21. Nov. Hodiè conquesta est de dolore capitis, retulitque se vermes aliquot per alvum dejecisse, itaque cras sequ. pulv. in cochl. cerevis. assumat.

℞. *Sem. Zedoar.* ʒI.
F. pulv. subtilissimus.

17. Jan. sequ. anni. Hactenus optimè se habuit, nullumque incommodum sensit, nisi quia tempus fluxus mensium instar, qui fluxus non contingit ex obstructione, cùm sanguis è narib. copiosè efflueret, incidit in tumorem & dolorem capitis, instar erysipelatis, & hoc contingit in iis, quibus menses debito tempore non fluunt, onde sanguis versùs aliam partem deferri necesse est; alvus est laxa, itaque sequens sudorifer. circa vesperam assumat.

℞. *Aqu. puleg.* ℥ß.
Theriacal. s. ʒiii.
Antimon. diaphor. ℈ ß.
Syr. artemis. ℥ ß.
M. pro haust.

18. Jan. Assumsit sudorifer. & inde valdè sudavit, dolorque capitis diminutus est, attamen egregiè adhuc tumet & rubet; pulsationes in temporibus sensit; oculos non potest aperire propter tumorem, laborat enim vero Erysipelate in capite, itaque in sequ, liquore homectetur lint. quod deinde faciei imponatur, & si exsiccatum sit, iterum homectetur, & hoc iteretur aliquoties; quòd si autem liquor justò crassior sit, aliquid vin. affundi potest, & probè misceatur. Liquor est sequ.

℞. *Teriac. vet.* ʒ iii.
Vin. alb. ℔ ß.
M. optimè.

Prætereà quoque egregia est sequ. mixt. in hoc casus, de qua subinde cochl. j. assumat,

℞. *Aqu. petrosel.*
Fenic. ana ℥ i ß.
Acet. stillat. ʒ vi.
Ocul. Cancr. ℥ ß.
Syr. quinque Rad. ʒ vi.
M.

19. Jan. Paulò meliùs se habuit; conquesta est de ingenti siti, & non mirum, quia febris simul adest, itaque sequ. decoct. sitim sedat, sudorem enim movet, & alterat, pro lubitu subinde haust. tepidè sumat.

℞. *Rad. Scorzoner.* ℥ i ß.
Baccar. Junip. ℥ ii.
Rasur. C. C. ʒiii.
Sem. aquileg. ℥ ß.
Coqu. ex aqu. pur. ad
Colatur. ℥ xxx.
add.
Syr. papav. errat. ℥ iii.
Spir. nitr. ℈ j.
M.

20. 21. 22. Tumor in facie sensim imminuitur, & paulo meliùs se habet; valdè sitit, iteretur ergò decoct. 19. præscr.

CASUS LXXIX.

VIr quidam annos natus circiter 32. temperamenti calidi & humidi ab anno decimo

pueritiæ hæmorrhagiæ narium usque ad hoc suæ ætatis tempus subjectus, talem hæmorrhagiam post nimiam fatigationem à labore expertus est; ante quatuor autem septimanas in tantam incidit hemorrhagiam, ut vix sisti potuisset, à quo tempore tussis ipsum invasit ut plenas manus cruenti sanguinis primis diebus excreverit, & per aliquot dies accidit, ut excreationes cruentas per 10. dies per alvum passus sit, & ab ejusmodi excretionibus quasi in animi deliquium incidit. Ab eo tempore regio Ventriculi tumescere incepit; appetitus fuit prostratus; post cibum statim in tussim incidebat, ut omnia quasi evomere coactus esset; exhibitum ei fuit vomitorium, à quo evomuit viscida, viridia & amara; tussiendo autem vel vomendo excrevit sanguinem ex pulmonibus; cùm alii non sentiunt frigus, ille friget, &c. ab injuria minima aeris offenditur, ingentem calorem ferre non potest, sed moderatum; dejectiones mordent ipsi intestina, Post hæmorrhagiam & tussim Ventriculi tumor remansit, eumdolore conjunctus, qui magis turget & urget post cibum assumptum; saliva satis crassa est; ructus aliquando post cibum potumque assurgunt, & tunc meliùs se habet; facies admodùm pallida est.

Affectus hic multi sunt & complicati, qui omnes ortum duxere ex larga hæmorrhagia præcedente, ex illa enim sanguis acrior potuit in pulmones exstillare, ibique irritationem instituens tussim excitare, quod patet ex sanguine eruento, quem mediante tussi excrevit; sanguis præterea potuit colligi ex larga illa hæmorrhagia in Ventriculi cavitate, ibique eum aliis humoribus permisceri & subsistere, unde tumor Ventriculi, & ex materia illa viscida sanguinea provenit, ut alimenta assumpta mox in acrem & viscidam materiam à Ventriculo convertantur, unde à Ventriculo irritato rejiciuntur per vomitum alimenta assumpta, & ex sanguine illo tum copia tum qualitate acri potuerunt oscula vasorum in intestinis erodi, unde cruentæ & dolorificæ dejectiones, ventriculi dolor quia autem pars oleosa & spirituosa per largam hæmorrhagiam è sanguine absumta est, hinc minimas aeris injurias ferre non potest: Tussis & tumor ventriculi, qui post hæmorrhagiam remansit, à materia pituitosa & viscida tenaciter ventriculo impacta pendet; ructus, qui post cibum assurgunt, proveniunt, quia fermentatio in ventriculo quidem inchoatur, sed à copia materiæ viscidæ non potest convenienter ac debitò perfici, unde ventriculus distenditur, ructusque proveniunt; pallor faciei præterea notatur, à partibus serosis & pituitosis sanguini permistis.

CURATIO.

Quia appetitus prostratus est, & tussis maximè urget, exhibeatur sequ. medicamentum, quod humorem viscidum flatibus permixtum & in ventriculo fixum hærentem paulùlum emendat, primo igitur hocce assumat Elix. propriet. ℥i, de qua assumat Gutt. viij. ante cibum.

Ad humorem viscidum emendandum præscribantur sequ. pilul. de quibus singulis dieb. v. assumat, non neglecta hor. i. ante cibum Elix. propr. assumptione,

℞. Gumm. ammoniac. c. acet. prep. ʒß.
Mastich. el. ℈ i.
Salis Tartar. Vitriolat. gr. xv.
Myrrh. rub. ℈ß.
Croc. Britann. gr. vi.
Aloes Rosat.
Resin. Julapp. ana ℈ j.
Ol. dest. Junip. gutt. vii.
M. f. pilul. num. xxx.
De quibus hac vespera v. assumat.

19. Nov. A pilul. heri vesperi assumptis ter dejecit, & quidem cum minoribus torminibus quàm anteà, conqueritur de dolore ventriculi, qui illum adeò vexat, ut manum ei semper imponere cogatur, quod signum est, humores viscidos & tenaces in ventriculo hærentes continuò flatus excitare, itaque de sequ. decocto sepiùs de die haustum assumat, hoc enim vim habet incidendi & attenuandi humores viscidos, flatusque incidendi.

℞. Rad. apii.
Levistic. ana ℥ß.
Baccar. Junip. ℥j.
Rasur. lign. guajac. ℥ii.
Sem. anis.
Fœnic. ana ʒii.
Coqu. in s. q. aqu. pur. in colatur. ℥ xxx.
Dissolv.
Syr. Menth. ℥iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ii.
Nitr. ℈i.
M.

21, 22. Nov. Quotiescunque dejicit, sensim tumor ventriculi remittit, ab assumpto autem cibo & potu intumescit; quando manè surgit è lecto, pedes tument, & maximè vesperi; assumat diligenter de decocto, & cras iterum assumat pilul.

26. Nov. In omnibus bene se habet, nisi quòd tumor pedum & ventris aliquis appareat, à materia aliqua inter cutem & partem carnosam subsistente, ut igitur materia commodè evacuetur, de sequ. apozemate cras bonum hauft. assumat.

℞. Rad. Levistic.
Apii ana ℥i.
Rasur. lign. guajac. ℥ iij.
Baccar. Junip. ℥ ij.
Pulp. colocynthid. ʒj.
Rad. Jalapp. ʒij.
Coqu. in s. q. aqu. pur.
ad Colatur. ℥ xl. add.
Syr. de helleb. nigr. ℥iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ ii.
M.

28. Nov. assumsit de hoc apozemate à quo admodùm copiosè dejecit & proinde 29. venter magis tumet, quàm anteà per biduum, quod signum est, à medicamento humores viscidos commotos admodum flatuosos esse, qui flatus ita ventrem distendunt, itaque ad eos discutiendos assumat subinde articulum de alio.

2. Dec. Hodiè multos flatus emisit, sed venter adhuc tumidus est; quando flatus emittit, meliùs se habet, qui proveniunt à materia viscida.

4. Dec. Heri vesperi assumpsit pilul. a quibus ter dejecit, venter in regione ventriculi valdè turget ac distentus est, & hoc contingit, quando humores admodùm viscidi solvuntur, aut in flatus vertuntur, tum distenditur abdomen.

5. 6. Dec. Heri paulò meliùs se habuit, sed hodiè ingentem dolorem in ventre sensit, qui instar cinguli illum ambiebat, & singulis penè dieb. ei accidit, ut per hor. tantos & immanes eruciatus sentiat, qui tunc aliquo modo desinunt, quando flatus emittit, & hoc est à materia viscida, ex qua excitantur flatus, qui illos dolores causant, quinque non remittunt, antequam flatus discutiantur.

8. Dec. Hodiè multos flatus emisit, à medicamento, exiguumque levamen sensit; die 9. Dec. conquestus est de dolore in extremitatibus costar. à distensione ipsius peritonæi, multosque flatus emisit, itaque linimentum aliquod præscribi debet, quod leniat illos dolores.

℞. Ung. alth. simpl.
Martiati ana ʒii.
Ol. alb. ℥ß.
M. f. linim. quo inungatur locus, in quo sentit dolorem.

CASUS LXXX.

Foemina quædam de angustiis circa præcordia conqueritur, die 16. Nov. delata est in nosocomium, ubi toto die friguit calorem non sensit, Quia autem tale frigus non sensit unquam, judicandum est, ab aere externo illud contingisse, præscripta est sequ. mixtura, quam assumsit redeunte frigore.

℞. Aqu.

℞. Aqu. fumar. ℥ij.
Theriacal. simpl. ℥j.
Acet. stillat. ʒ vj.
Spir. Vin. rectif. ʒiij.
Ocul. Cancr. ʒß.
Syrup. papav. errat. ℥j.
M. f. haust.

5. Nov. Frigus heri circa vesperam remisit; hodiè conquesta est de summa virium debilitate; & quando sedet quasi mures ad fauces adscenderent, ibique suffocationem quasi introducerent, asserit, quod symptoma quasi speciem suffocationis uterinæ denotat,

6. Jan. Conquesta est de summo ventris dolore; subinde febricitat, noctu sudat; sitit, & quando potum assumit, statim eum rursus evomit.

CASUS LXXXI.

ANcilla quædam ante 3. septimanas incidit in febrem quotidianam continuam; ubi primùm in regione lumborum sensit frigus, quod duravit per sesquihoram, & calor qui illud insequitur, non tam gravis fuit; in paroxysmo sensit Ventriculi dolorem; alvus adhuc satis respondet; hactenus nullum ei adhibitum fuit medicamentum, sed hodiè die 16. Nov. in nosocomium delata est, ut restitueretur,

EXPLICATIO.

Febris hujus causa est materia biliosa, è ducto bilario in intestinum duodenum effusa, quæ si permisceatur cum humore è ductu pancreatico etiam in intestinum duodenum delato eoque vitioso, effervescunt, hinc ex illa effervescentia in regione lumborum sentitur frigus, & ad ventriculum delata sursum illa materia dolorem ibi excitat.

Ab assumpto pulv. sem. zedoar. excrevit 6. vermes.

CASUS LXXXII.

VIr quidam 43. annor. aliquandiu laboravit erysipelate in pede; & quando novum medicamentum applicatur pedi, incidit in febrem gravem (qui à dolore pedis maxima fit perturbatio in toto corpore & maximè spirituum, hinc aliquid potuit latitare in corpore, quod ex illa perturbatione motum tunc acquisivit, & ad cor delatum, febrem excitavit,) alvus per 3. dies fuit adstricta.

29. Nov. A medicamento cholagogo assumto hodiè semel dejecit, sed satis copiosè; quæ dejecit, acria fuere, ut ipsi quasi lancinaverint ipsam anum; habuit febrem, sed non tam gravem ut aliàs; tussis adest sicca, & anhelosa respiratio, illæque magis urgent, quando it cubitum, & in lectu jacet; causa autem tussis & anhelosæ respirationis videtur esse catarrhus acris & salsus (de quo etiam conqueritur, nimirum quòd ipsi subinde aqua salsa è naribus effluat,) unde sensim ea capite destillant humores acres, qui se insinuant circa bronchia pulmonum, anhelosam respirationem causant, & ad pulmonum partes sensibiles tussim siccam excitant.

25. Nov. Meliùs se habuit hodiè quàm præcedentibus diebus ab assumta emulsione humores acres temperante; febrem quidem habuit, minùs tamen gravem sed leviorem quàm aliàs; multum urinæ excrevit, cujus causa videtur esse, quia à medicamentis assumtis acres humores sunt leniti, contemperati ac ita dispositi, ut educi potuerint per vias urinarias.

CASUS LXXXIII.

ANcilla quædam per octiduum laboravit febre quotidiana, & primò cum invaderet, frigus sensit in lumbis, quodque per totum corpus dispergebatur, durabatque per 2. hor. hodiè delata est in nosocomium, ubi conquesta erat de paroxysmo; prætereà post frigus cùm sensim incalesceret, herniam patiebatur; alvus erat segnior & pulsus frequens.

EXPLICATIO.

Febrem hanc continuam quotidianam esse ex casu manifestum est, & ortam à pituitæ & bilis vitio, in intestino tenui collectæ; qui humores, si effervescant, dolorem in lumbis causant; & quia pituita prædominium habet, frigus maximè urget.

Quando lectum petit, venter intumescit, manè verò rursus detumescit, imprimis quando flatus emittit.

CASUS LXXXIV.

JUvenis quidam annos natus circiter 24. per quadriennium fuit valetudinarius, sed per 6. septimanas pejùs se habere cœpit, & conqueritur de frigore continuo, quod sensit in lumbis, cum tensione tumoreque abdominis, frigusque tam continuò urget eum, ut super igni assidere cogatur, quàm primùm autem ab eo recedit, frigus graviter illum urget, ut calorem nullum habeat nec sentiat, nisi ab externo igne; dolor etiam ventris & capitis gravativus in parte anteriore ipsum infestat, pulsu celer nec adeò debilis; sitis urget & quando bibit, statim sentit frigus in lumbis; appetitus aliquo modo urget & alvus laxa est; hactenus autem nihil assumpsit, sed die 30. in nosocomium delatus est, ut ad pristinam rediret valetudinem

EXPLICATIO.

Ægrum hunc febre continua affligi, ex casu satis manifestò apparet; causa autem antecedens fuit, quòd per quadriennium fuerit valetudinarius, quo tempore multum pituitæ potuit colligere, quæ jam causa proxima est hujus mali, omniumque symptomatum; quatenus namque in Intestino duodeno, quod pro parte affecta habetur, effervescit, flatus excitat, unde tensio, tumor, dolorque lumborum & ventris; flatus enim hi ad caput delati dolorem efficiunt gravativum; quia verò tota sanguinis massa inquinata est, continuum frigus ipsum urget.

Quia autem vires ex parte constant, nec ullum in affectus remotionem auxilium est adhibitum, illa præscribi debent, quæ incidant, attenuant & è corpore educant humorem peccantem.

1. Dec. Hodiè de decoct. aliquo purg. assumto ter copiosè & quidem cum torminibus dejecit, hodiè quoque retulit se per quadriennium tumorem glandularum in collo & sub axillis usque in hanc diem sensisse, & nullum ad eundem adhibuisse medicamentum; quia autem ad ejus curationem decoctum præscriptum valdè conveniens est, quia tumores isti glandularum à vitiato sanguine viscidiore originem duxerunt, de eo cras bonum haustum assumat, est autem decoct. sequ.

℞. Rad. Apii.
Fænic. ana ℥ i.
Rasur. lign. Guajac. ℥ iii.
Pulp. colocynthid. ʒ j.
Passul. Maj. mundat. ℥ iiii.
Coq. in s. q. aqu. pur. in Colatur. ℥ x l.
Dissolv.
Syr. de helleb. nigr. ℥ iii.
Misce.

Foris ad discutiendam materiam illam viscidam imponantur omnibus glandulis valdè tumidis seq. empl.

℞. Empl. diachyl. c. gumm. ℥ ii.
Extendatur super alut. Vel quod melius, sæpius illinantur glandulæ tumidæ sequ. ung.

℞. Ung. Martiati.
Dialth. Fernel. ana q. pl.
M.

8. 9. Dec. paulò meliùs se habet, nisi quòd conqueratur de molestiis in ano, sentit enim in illo tumores ad instar pollicis, (hi tumores sunt

hæmorrhoides,) itaque de seq. ung. inungat tumores.

℞. *Ung. populeon.* ʒ ij.
Bol. armen. ℈ j.
Opii in Ol. rosat. dissolut. ℈ ß.
M.

His diebus, etsi nullum haustum de decoct. assumat, tamen singulis hisce binis diebus sexies dejecit, & quidem copiosè; sensit præterea dolorem continuò in ventre, & qui cum insultu affligebat; cum autem tormina tanta essent, frigus sensit in lumbis lensim alceodens ad regionem ventriculi, quasi glaciei frigidæ ad modum ibi hærentis; cùm autem tormina hæc paulolùm desierint, calorem sentit in abdomine, & circa illas partes, quæ anteà frigebant.

Etsi autem hæc symptomata febrem habuisse comitem videntur, tamen febris non dicenda est, nam nec frigus nec calor dispersus est per totum corpus, quod in febribus contingit, sed saltem in abdomine hæserunt, itaque potius ventris tormina nominari debent.

Præterea tumor in ano à linim. detumuit.

Aliquod levamen habuit; de ariditate linguæ conqueritur; quando tussit, dolorem sentit, quasi caput diffindatur; & hunc sentit incipere à posteriore usque ad anteriorem capitis partem pertendere, cujus ratio est, quia ea vehementi motu concutiuntur partes cerebri, & quando ex illo motu partis duræ meningis constituentis processum falcatum se invicem tangunt, dolor ille quasi caput scindens percipitur.

17. Dec. Dolor capitis findens adhuc perseverat; conquestus est hodiè de tumore ventris & imprimis pedum; cujus causa est, quia beneficio ipsius medicamenti humores admodum viscidi, qui in ipso dominarunt, soluti & fluxiles redditi sunt, & ad partes jam deferuntur: præterea dolorem sensit in pectore sine tussi, quem anteà percipiebat cùm tussiret. Quia autem à decoct. 30. Nov. præscr. bene se habuit, nisi quod paulò fortius ipsum purgavit, iteretur idem, & loco ʒj. pulp. coloc. sumatur ʒ ß.

18. Dec. Hodiè conquestus est de summo dolore in capite, ut corpus, propter ejus consensum, movere non posset; quando capite proclinat, summum dolorem in fronte percipit; quando illum elevat, quasi grave pondus in capite hæreat, ipsi videbatur. Mucus etiam è naribus non emunctis effluit, & horam symptomatum causa est quia materia illa soluta in vasa partim recepta & ad caput delata, partim extrà vasa in capite hærens partes sensibiles capitis afficit, unde dolor; itaque quia humores illi qualitate & quantitate peccant, corrigendi ac sensim emendandi sunt, & ita ad humores illos è capite eliciendos sternutatoria hic locum jam non habent, sed aliud quid substituendum, quod humores illos sine irritamento ad sternutationem è capite per nares proliciat, quod nullo alio medicamento præstari potest, quàm foliis majoran. tabaci, salv. aut betonic. in nares immissis.

Annotata ea sectione hujus cadaveris.

Abdomen valdè tumidum fuit, ab aqua, qua repletum fuit; per paracenthesin enim ultrà pintas 4. Belgicas ducebatur.

Et hoc notandum in applicatione instrumenti (quod est fistula cava, argentea & longa quæ in fine acuta sit, & in utroque latere duo habeat foramina, aut aqua, quamprimùm intromissum est, per ea infret, quæ etiam stylo argenteo sit prædita, qui extrahi pro necessitate possit, (in paracenthesi, ut duobus digitis transversis infra umbilicum, vitata linea alba intromittatur, & si multa aqua in abdomine contenta est, uti in hydrope fit, per intervalla immittatur, & quidem non in uno loco, ne mortificatio adveniat. Vulnus emplastro diapalma consolidari potest. Notandum etiam est hanc apertionem in principio hydropis, imprimis ejus, qui ex febr. ardentibus nimioque potu ortum dixit, locum habet, & ægri quam multi liberantur; ubi autem malum inveteratum est, aliquod levamen quidem sentitur ægri, sed tamen non planè extirpatur malum.

Omentum planè sursum erat distractum, versus ventriculum, eratque glandulosum, & intestina prorsus nuda erant, sine omento; & illi, quibus hoc contingit, semper frigent, nisi continuò assideant igni, quod & fecit hic mortuus, cùm in vivis adhuc esset; Intestina incipiebant rubere quod erat signum corruptionis & acrimoniæ aquæ in abdomine contentæ.

Mesenterium plurimis glandulis majoribus & minoribus erat refertum; glandulæ magnæ æquabant magnitudinem nucis juglandis, minores autem nucis avellanæ, & paulò minores referebant magnitudinem pisi magni; omnesque glandulæ per totum Mesenter. ita dispersæ erant, totque ut intestina etiam magis versùs latera contorta fuerint; substantia glandularum planè gypsea erat; Intestina distenta erant à flatibus, & mox contracta a parte superiore & inferiore ejus distensionis, & in distensione illa observabantur dolores.

Ventriculus valdè parvus erat, & vesiculæ fellis proximus & per ligamentum vesiculæ firmiter annexus; & qui tale quid habent, delicatiores sunt, potest enim aliquid bilis mediante illo ligamento pervenire ad ipsum ventriculum; unde nausea.

NB. Omentum annectitur ventriculi parte superiore & inferiore, & constituit marsupium, sive cavitatem, in qua multi flatus & humores colligi possunt, ut inquit Hippocr.

Pancreas paulò durius erat, quàm debeat, sed non ita tumidum, & hoc contingit, quia per ductum suum se exonerare potuit, quod non item facere potuerunt glandulæ mesenterii. Pancreas æquans magnitudinem duorum pugnorum observavit Cl. Sylv. in sectione mulieris Amstelodami Anno 1658.

Lien paulò durior erat, quàm debebat, & satis magnus.

Vulgus Medicorum omnes affectus melancholicos lieni tribuit, dicuntque eos, qui magnos habent lienes, melancholicos esse summos, quod autem falsissimum est, & Cl. Sylv. illos, qui hoc asserunt, perrisit referens: Se 30. cadavera secuisse eorum, qui omnes pro melancholicis in vivis habiti fuerant, & in illis nullum viscus tam benè constitutum reperisse, quàm ipsum lienem.

Præterea Amstelodami Cl. Sylv. secuit cadaver alicujus Consiliarii, viri valdè hilaris & nunquam melancholiæ dediti, in quo reperit lienem quoad longitudinem 14. digitorum tranversorum, quoad latitudinem autem 8. digitor. & quoad crassitiem 5. digitor. & si melancholia magnis lienib. est adscribenda, in hoc viro maximè locum habuisset, in quo tamen nunquam ullius melancholiæ vestigia, cùm adhuc in vivis esset, notata fuerint.

Vesicula fellis valdè magna erat, & viridis coloris, qui color aliàs naturaliter obscurior esse debebat.

Vesica urinaria erat urina valdè repleta, & interna vesicæ substantia erat rubicunda, quod præter naturam fuit, speciem enim inflammationis minabatur; & talis rubor contingit ab acrimonia humoris, sive urinæ, quæ contenta in vesica paulò acrior erat, quàm debebat. Diaphragma per 3. digitos tranversos annexum erat, ultrà cartilaginem costarum, in ipsas costas.

Pulmones ubique per totum pectus firmiter annectebantur tam pleuræ, quàm ossi sterni, ut cum difficultate separari debebant, uterque lobus pulmonum superior tam dexter, quam sinister durus erat, ac glandulis plenus; inferior autem pars utriusque lobi naturalem consistentiam habebat. Glandulæ, quæ sub axillis tumidæ & valdè magnæ fuerunt, mollioris erant consistentiæ, quàm illæ, quæ fuerunt in omento, & his glandulis applicatum fuit liniment. ac emplastrum, cùm mortuus hic in vivis adhuc esset, quæ talem mollitiem produxerunt & in affectibus glandularum nihil magis conducit, quàm gummata intus adhibere, extus verò linimenta & unguenta, ex ol. è lateribus, ung. Martiat. U. Alth. & imprimis Myrrha præ cæteris commendantur in his affectibus.

NB. Affectus glandularum familiarissimus est pueris, ubi abdomen valdè distentum & durum, & re-

& reliquarum partium tabes apparet, German. dicitur *Das angevvachsen*. Belg. autem *Gheff Rook*; voraces enim tunc sunt pueri, & suprà nominatis medicamentis facilè curari potest talis affectus. In pericardio glandula maxima instar parvæ nucis juglandis observabatur, talisque consistentiæ, qualis in omento fuerunt glandulæ. In cordis auricula dextra macula alba & magna reperiebatur, instar vesiculæ igne combustæ, & membrana quæ talem vesiculam constituebat, densa satis erat: causa autem bujus vesiculæ videtur fuisse humor acris in illa membrana contentus.

Glandulæ, quæ in collo reperiebantur, ejusdem substantiæ erant, ac illæ quæ fuerunt sub axillis, mollioris scil. vi medicamentorum ita disposita.

Quatuor ductus salivales observabantur aspectum satis jucundi; in utraque nimirum gena primi duo, orti a glandulis conglomeratis seu parotidibus, desinentes in genæ partem internam; alteri duo ductus oriuntur à glandulis conglomeratis colli parte scil. dextra, & sinistra, terminantur autem sub linguam.

Cranium cùm aperiretur, intra illud spatium, quod est inter cranium & duram meningem, aqua contenta ibi effluebat, multaque aqua erat inter duas meninges quæ aqua in anteriore capitis parte contenta spumosa erat; quod contingit a flatibus.

Sanguis & aqua reperiebantur in dextra cerebri parte & substantia, & sanguis nigricantis erat coloris, vasaque multo turgebant sanguine; in sinistro autem latere sanguis in substantia cerebri reperiebatur; non autem sanguis extravasatus, uti in dextro latere.

CASUS LXXXV.

3. Dec. JUvenis quidam ante 8. septimanas cùm valdè incalafactus maxime sitiret, bibit haustum aquæ frigidæ; post triduum autem cùm vellet opus suum ordinarium aggredi, pistor enim fuit, frigus in regione lumborum sensit, quod instar cinguli ventrem ambiebat, & ex eo tam debilis, ut non potuerit stare; frigore hoc remisso, paulò meliùs cœpit habere, & ante septimanam, videlicet 27. Nov. dolor pectoris utriusque nempe lateris, cum ingenti tussi ipsum invasit, cum difficili respiratione conjunctus, tussiendo multa ejicit & quidem viscida; alvus per 3. dies fuit constipatior; pulsus celer ac frequens, sitisque urget.

Die 4. Dec. delatus est in Nosocomium, ut ad pristinam deduceretur valetudinem.

EXPLICATIO.

Juvenem hunc pleuritide laborare, colligere licet ex Symptomatibus, quæ illum infestant; conqueritur enim de laterum dolore difficultate respirandi & tussi.

Pulsus celer & frequens febrem adesse indicat.

Videtur autem in hoc juvene peculiarem esse constitutionem & dispositionem sanguinis, & pituitam in eo dominare, quod patet ex eo, quia tamdiu & quidem per 8. septimanas latitavit malum, antequam in conspectum prodiret; si enim à sanguine bilioso ortum duxisset brevissimo id temporis spatio sensisset, quod malum autem jam protractum est, ad nonam septimanam: deinde pituitam ejus causam esse, ex symptomatibus colligitur, dolor enim ipsum non adeò urget, ut in illis, qui pleuritide laborant ex sanguine bilioso; tussis etiam non gravis est, ut aliquem dolorem afferret, quàm tussim; si à sanguine bilioso esset pleuritis, vix eam ferre posset æger. Causa autem externa fuit haustus aquæ frigidæ copiosè ab hoc juvene æstuante & sudore madente haustus; nam is primò potuit aerem ingredientem in ipsos pulmones per asperam frigidiorem reddere: Secundò per œsophagum aqua illa frigida transiens, & in ventriculo existens clausit suo frigore multos in pulmone & pectore poros, per quos sanguis & vapores transire debebant, unde aliam viam eamque apertam quærunt, unde alii meatus plus justo aperiuntur; poris plus justo apertis sanguis pituitosus se in illos insinuavit, & ob visciditatem suam tamdiu ibi hæsit, antequam facta effervescentia seu fermentatione talia pleuritidis symptomata inducere potuisset.

Die 4 Dec. Assumpsit medicamentum hydraghogum, à quo copiosè dejecit, quæ autem ejecit, valdè viscida fuerunt.

Die 6. Dec. A trochisc. becchic. materiam valdè solutam esse retulit, multaque tussiendo rejecit, quæ valdè cruda & viscida erant, quæ etiam confirmant pituitam hujus pleuritidis causam esse, si enim à sanguine bilioso, sputa illa fuissent corrupta.

Non inconveniens itaque est, ut materia illa viscida incidatur, attenuetur, & sensim evacuetur, in cujus usum de sequ. decoct. assumat bis in die haustum, & subinde de trochisc. utatur.

℞. Rad. Apii,
Fænic. ana ℥j.
Rasur. lign. Guajac, ℥iij.
Baccar. Junip. ℥ij.
Sem. Anis.
Dauc. ana ʒij.
Coq. s. a. in Aqu. Pur. in Colatur. ℥ xx. dissolv.
Syr. de Senna ℥iij.
M.

℞. Trochisc. Becchic. Alb. ℥ij.

8. 9. Dec. Heri die 8. ab apozemate copiosè dejecit; respiratio non tam gravis fuit, quàm alias; hodie die 9. multa tenuia & spumosa phlegmata tussiendo ejecit, quod signum est materiam illam crassam aliquo modo esse attenuatam; unde liberior fuit respiratio; quando manè tussit & quæ ejicit, fœtent; assumat itaque de trochisc. & de pilul.

℞. Mass. Pilul. de Cynogloss. ℈i.
F. Pilul. num. viii.
Sumat subinde j.

12. Dec. Per noctem & hoc die tussis non tam gravis fuit, prout & commodiùs respirare potuit; non multa phlegmata tussiendo ejecit. Quia autem conqueritur de dolore vermiculante, quem per quadriduum sensit in planta pedum, illumque magis exacerbare, quando igni assidet: Quia autem hujus doloris causa videtur esse humor acris, cum sanguinis delatus ad illas partes, non inconveniens videtur ad leniendam illam materiam acrem, fomentum præscribere, in quod pedes per quadrantem horæ manè & vesperi imponat, in cujus usum.

℞. Rad. Alth. ℥ ii.
Fol. Malv.
Viol.
Verbasc. ana M. ii.
Sem. Lin.
Fænugræc. ana ℥ i.
Concisa & crasse contusa d. ad. chart.

Quæ dehinc coqu. in aqu. pur. per spatium horæ quadrantis, & balneum hoc servetur, ut iterum possit calefieri, & in ægrotantis usum adhiberi.

18. Dec. Habuit hodie paroxysmum cum levi frigore, & eo urgente assumpsit de decoct. quod autem statim evomuit, & hoc contingere solet, quando in paroxysmo humores moventur, si tunc quid assumitur, evomitur iterum; sed frigore remisso, & cùm paululum versatus in calore, qui frigus subsecutus est, iterum de decoct. sumpsit, à quo quinquies dejecit, quoad cætera paulò meliùs se habuit. Convaluit.

CASUS LXXXVI.

VIr quidam ante annos 12. ministravit figulo ad fornacem, ut extraheret vasa cocta, unde ab insigni fornacis æstu admodum incalescens valdè sitivit, ut sitim delere non posset; copiosè assumpsit frigidam, qua assumpta cœpit tussire, difficulter & anhelosè respirare & circa præcordia angi, nec non amplius

plius potuerit interesse huic operi, hocque malum per 12. ann. continuò duravit, à quo tempore illud mutavit, quando aliqua facta est aeris mutatio, corpus ejus quoque mutatum fuisse, ab aere autem sereno melius se habuit, ut & à calidiori; pejus autem ab aere frigido & nebuloso; tussis quæ ab illo tempora sicca continuò fuit, & adhuc talis est; aere flante humidiore tussiendo aliquid ejicit; præterea quando lacticina aut alia humida assumit, in tantum intumescit venter, ut cogatur solvere ligamina, nullamque levamen sentit, nisi flatus emittat; ante 15. dies pedum & faciei tumorem leucophlegmaticum sensit, qui illum adhuc urget, alvus satis respondet, & symptomata supra narrata ipsum adhuc continuò comitantur.

EXPLICATIO.

Difficultas illa respirandi, qua vir hic laborat, est à materia viscida, quæ tenaciter impacta est ipsi pulmonum substantiæ, unde commodè distendi non possunt; uti enim spongia humore viscido infarcta difficulter distenditur, ita quoque pulmones; & quia in pulmonum substantia pituita illa firmiter hæret, tussis sicca causatur.

Materia autem quæ in pulmonum substantia hæret, pituita est admodum viscida, quod patet 1. quia pituita copiosè satis in his regionibus putà Belgicis, generatur, ab aere humido, qui dominatur, & propter aquarum viciniam. 2. Quia hic vir plebejus est, utens alimentis, quæ humorem illum generare & augere possunt. 3. Quia cùm adesset fornaci figulinæ, humores pituitosi magis inspissati sunt, & particulæ humidæ exhalarunt, assumpto autem potu liquefacta iterum fuit pituita & deducta ad cor, ex hoc in substantiam pulmonum; & quia continuò generatur pituita, continuum quoque malum per 12. annorum spatium fuit tractum; corpus autem extentum fuit à flatibus, assumpto enim potu aut alio liquore flatus in intestinis generantur, quia in Intestinis maxima pituitæ copia hæret.

CURATIO.

Quia leucophlegmaticus tumor, qui aliis symptomatibus supervenit, maximè urget, & reliqua sumptomata non adeò urgent, quin adhuc officio suo potuerit fungi (per 12. enim annos fuit vigil nocturnus) & ob tumorem illum se die 7. Nov. in Nosocomium contulit, illius habenda est ratio priùs, & à leni purgante inchoandum, ut humores leniter per alvum educantur.

Die 8. A medicamento hydragogo quinquies copiosè satis & admodum blandè dejecit; asperitatem & siccitatem linguæ sentit, quando à somno expergiscitur, per hor. autem à somno, cùm expergefactus est, humida fit; & hæc linguæ siccitas est à vaporibus, qui in lingua subsident, de nocte cùm quiescit & non movetur, de die antem quia movetur lingua iterum humida redditur.

11. Commodè se habuit, conqueritur de lancinationibus, quas sentit in virga, & tunc semper quando hæ lancinationes ipsum urgent, urinam reddere cogitur, hocque malum per 7. septimanas sensit.

12. 13. Conquestus est de linguæ ariditate, quæ ipsi quidem videbatur actu arida, sed ad conspectum tamen humida erat; Urinam commodiùs excernit, & de dolore pectoris gravativo conqueritur, cujus causa est materia valdè viscida, ipsis pulmonibus impacta; ariditas autem linguæ, quæ ipsi planè arida videtur, actu tamen non erat, est à spiritus acido & bile, in se invicem mistis, si enim à bile sola, planè arida actu esset: de seq. decoct. subinde haustum assumat.

℞. *Rasur. lign. Guajac.* ℥ iii.
Rad. Liquir. Ras. ℥ vj.
Apii ℥ i ß.
Baccar. Junip. ℥ ij.
Ocul. Cancr. ℥ ii.
Pulp. Colocynthid ℈ i.
Fiat Decoct. in aqu. pur. ad colatur. ℥ xl.
in quibus dissolv.

Syr. de quinque Rad.
Senna ana ℥ ii.
Misce.

21. Dec. Conquestus est hodie de tumore scroti & intorsione virgæ ut vix urinam reddere possit, itaque seq. species coqu. in cerevis. tenui, madefactaque spongia in Decoct. calidè applicetur ipsis partibus.

℞. *Flor. Sambuc.*
Chamom. Rom.
Summitat. Melilot. ana M. j.
Fol. Alth.
Majoran. ana M. i ß.
Sem. Anis.
Cumin. ana ℥ ß.
M. & grosso modo contus. d. ad chart.

NB. Spongia madefacta probè iterum debet exprimi, antequam applicetur.

23. 24. Scrotum valdè intumuit, ut & virga valde tumida erat itaque de sequ. decocto singulis diebus assumat bis bonum haustum.

℞. *Cort. Rad. Ebul.*
Levistic. ana ℥ ß.
Rasur. lign. Guajac. ℥ ii.
Baccar. Junip. ℥ i ß.
Sem. Urt. Rom. ℨ iii.
Pulv. Rad. Jalapp. ℨ i ß.
F. Decoct. in Aqu. pur. ad colat. ℥ xxx.
add.
Syr. de Helleb. Nigr. ℥ iii.
Spir. Salis ℈ j.
Vin. rectif. ℥ iii,
Misc.

25. 26. 27. Hisce diebus usus est Apozemate, sed nihil dejecit, alvusque manet constipatior.

Scrotum valdè tumefactum, est, ut nec commodè se movere, decumbere aut incedere possit, præscriptæ fuerunt 21. Nov. herbæ in cerevis. decoquendæ ad arcendum illum tumorem, sed hactenus in usu earum valdè negligens fuit; itaque sæpissimè debet imponere spongiam vel linteum in decoct. madefactum, & hoc sæpissimè iterari debet.

Scrotum valdè molle erat, non autem induratum.

7. Tumor scroti & virgæ planè cessavit.

Post mortem ejus Cl. Sylvius instituit paracenthesin, ubi multa aqua ad heminas tres effluxit, multa etiam intus permansit.

CASUS LXXXVII.

Mulier quædam annos nata circiter 50. ante annum cùm vellet lectum petere, seque devestiret, incidit in animi deliquium, unde atrocissimos circa præcordia fuit passa dolores, evomuitque cruenta, & ab hoc tempore dolores sensit in toto ventre, & potissimùm in regione lumborum; ante 15. dies sensit dolorem valdè molestum circa inguina, & potissimùm in inguine sinistro, quando assurgit; lotium non potest externere, decumbente autem ipsa spontè effluit, & quæ tunc sesluit urina, cruenta est valdè, & unà carunculæ cruentæ excernuntur; medicamenta quæ ipsi fuerunt adhibita, ab aliis Medicis, nihil levaminis ei attulerunt, quia antem malum illud valdè molestè illam urgebat, hodie die 11. Nov. delata est in Nosocom. ut ad pristinam rediret valetudinem.

EXPLICATIO.

Quia hæc ægra confusè admodum sua symptomata narrabat; ut illa tamen, quæ in casu proposita sunt, curiosè ea ipsius querelis colligere possemus videtur, vomitum illum cruentum tum indicare sanguinis è rupto vase effusionem; & dum ruptio illa vasis alicujus contingit, deliquium animi ægra passa fuit & dolores circa præcordia à sanguine ad ventriculum confluente, qui cardialgiam partim acrimonia causatus est, partim copia sua, vel alia pravitate, unde vellicatio intestinorum & ventriculi.

Sed

Sed quod ad mictionem illam cruentam & intolerabiles dolores in inguine, videtur causam etiam esse sanguinem extravasatum, quæ apertio in renibus, aut in ipsa vesica facta est à sanguine acriori, & uti Cl. Sylv. vult, à spiritu acido erodente vasa & efficatissimos dolores inducente, unde sanguis extravasatus & in grumos concretus (ideò assurgens urinam commodè non potest emittere,) meatum vesicæ urinariæ obvelat, & ita urinæ exitum prohibet, decumbente autem ipsa magis cedit, ut major urinæ exitus pateat; grumosus enim sanguis acrior factus putrescit, & ulcus excitatur, unde dehinc dolor ille.

Itaque de his vid. aphor. 80. Sect. 2. 6. Hipp. cum interpretatione Hollerii.

Curationem quod attinet illud procurandum est ut spiritus acidus concentretur, vires debiles restaurentur, vasa aperta consolidentur, & si sanguis coagulatus, dissolvatur, quæ omnia sequ. mixtura præstare videtur, de qua subinde Cochl. j. assumat.

℞ Aqu. Plantag. ℥ ii.
Cinnamom. ℥ ß.
Acet. stillat. ℥ vj.
Ocul Cancr. ℈ i.
Sang. Dracon. ℈ ß.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syrup. Myrtillor. ℥ j.
M.

14. 15. Dec. Utinam cruentam non amplius excrevit, sed sedimentum purulentum est; conquesta est hodie de dolore quem sentit in urina omittenda, & quòd sæpius irritetur ad illam excernendam, cujus causa videtur esse, quia collum vesicæ exulceratum est quod colligitur ex dolore & sedimento purulento; hinc si urinæ particulæ acriores ac salsæ ad partem affectam perveniunt, irritatio fit ad excernendam urinam. Hodie quoque valdè vomuit, ac nauseabunda fuit; sitis eam etiam ursit, & de dolore, ubi sedes est vesicæ, conquesta fuit; utatur mixtura præscr. & Mas. Pil. de Cynogl. ℈ i. form. in Pilul. num. viii. sumat subinde j.

Hodie conquesta est de dolore circa regionem colli vesicæ, & de summa debilitate; magis tamen summa virium debilitate, quam de dolore urgente; urinam cruentam non amplius excernit, sed purulentum ac fœtidum in urina deprehenditur sedimentum.

22. Admodum nauseabunda fuit, ut nihil posset assumere; ab omnibus abhorret, & quando aliquid assumsit, è vestigio evomuit. Conquesta est de dolore & ardore in collo vesicæ, assumat i. de Pilul. de Cynoglos.

23. 24. His diebus cruentem urinam excrevit; nihil adhuc potuit assumere, nihil itaque præscript.

25. Postquam omnia medicamenta abhorrebat, & in pejus omnia mutata sunt, die 26. manè hor. 6. obiit.

CASUS LXXXVIII.

Puella quædam 16. annor. de dolore ventris & febre quotidiana conquesta est, quæ febris illam per 8. septimanas infestavit; de frigore non conqueritur, sed tantùm de tremore summo, quando paroxysmus eam invadit; nullum adhuc assumpsit medicamentum.

Curata est more ordinario, qui videri potest in aliis Casibus.

CASUS LXXXIX.

Vir quidam per quadriennium valetudinarius fuit, & antequam in hunc affectum, quem jam patitur, incidit, febribus lentis vagis ac erraticis vexatus fuit, unde intrà quadrans horæ bis terve frigeret & incalesceret; initio autem mensis Octobr. cùm valdè iratus esset, sensit in lumbis pulsationem, & quasi flammam sursum ad caput ascendere; unde caput valdè incaluit, & brevi post in linguæ paralysin incidit; crura que ita elevata sunt, ut non potuerit ea continere; & ab eo tempore non potuit dormire, & caput valdè doluit, dolorque gravis in brachiis valdè urgebat illum, artusque tam debiles, ut eos non potuerit movere; die 15. Nov. delatus est in Nosocomium.

EXPLICATIO.

Hic æger longis vigiliis emaciatus, ut ordine comodèque omnia non potuerit proferre, tamen ex illis quæ in casu notata sunt, quòd causa hujus mali ex causis antecedentibus petenda sit, quia scil. valetudinarius fuit, in quo vitiosi humores valdè abundarunt, & quia valdè ira commotus perturbatio quædam facta fuit illorum humorum, & potissimùm ipsius bilis in intestinum duodenum, quæ cum humore pituitoso (qui in illo abundabat, quod colligitur ex morbi diuturnitate,) permista, effervescentia ibi facta est, unde pulsatio in lumbis, & bilis recepta in vasa, ad caput delata, dolores capitis & vigilias causata est; ad reliquas autem partes, ubi cum humore pituitoso subsistit, dolores gravativos efficit.

Quia autem caput valdè dolet, & vigiliæ ipsum maximè vexant, mixtura quædam ipsi præscribenda est.

℞. Mithridat. ʒ ii.
Syrup. Stœchad. ℥ j.
Aqu. Theriacal. simpl. ℥ ß.
Lavendul. ℥ ii.
M. assumat eam cochleatim.

Hac nocte se bene quievisse retulit, cùm hactenus per 10. septimanas inquietè admodum ac per noctem ultrà 2. aut 3. hor. non dormivisset. Per triduum alvus fuit segnior; itaque quia bilis non solùm peccat, sed & pituita, quod ex eo colligitur, si à bile sola malum fuisset, spontè cessasset, nec tamdiu durasset, ac si à pituita maximè dependeret.

Igitur præscriptum fuit medicamentum utrumque humorem evacuans.

℞. Elect. Cholagog. ʒ ii.
Hydragog. ʒ i.
Aqu. Betonic.
q. s. pro haustum.

17. Hac nocte benè quievit, non assumto medicamento; à purgante autem quinquies dejecit, lingua mobilior paulò fuit, Conquestus est hodiè de dolore vermiculante per omnia membra, & dolore quasi stupido, si enim aliquid tangit, quasi aliquod interesset medium, nimirum charta cuti interposita, per quam adeò stupidè sentiret.

18. Dolor ille, de quo heri conquestus est, non ita continuus hodie fuit, & paulò meliùs se habuit.

21. Heri vesperi ter adhuc dejecit, hodie autem quinquies, & paulò meliùs se habuit, ipsi videbatur, quòd calor inferiùs ascenderet versus genua, sentiebatque dolorem, quasi medulla ex ossibus traheretur (quod videtur esse species convulsionis,) sed dolor ille remisit iterum, de somno interrupto conquestus est.

25. Levem sensit febrem, sed die 26. & 27. commode se habuit, noctumque benè quievit, nec sensit febrem; venter qui adhuc mollis fuit, hodie 27. durior; erat, & quia tum subito durior factus est, concludendum est, à flatibus duritiem illam esse; prætereà conquestus est de obscuritate oculorum, ut tam clarè videre non posset; quia autem utplurimùm hoc contingit ab halitibus melancholicis, versus oculos ascendentibus, sanguinique permixtis, hinc humores oculorum, eo, quo debent modo, non nutriuntur.

8. Jan. Benè se habuit hodie, conquestus est de frigore in pedibus, cujus ratio, quia ex affectu animi, à quo ab initio incidit in hunc morbum, à quo sensim jam liberatur, commoti sunt omnes humores in corpore, hinc pituita partim ibi in loco subsistens, partim jam cum sanguine mista ad illas partes affluens tale frigus causatur, & quia antea pedes laborabant stupore, non putandum, quasi jam de novo hoc frigoris incommodum primùm sentiret, sed graviore stupore urgente frigus non sensit, vel non curavit, cesso autem jam stupore, magis percipit illud frigus, quod bonum est signum, si partes,

quæ

quę paralysi laborarunt, iterum sentiunt, quid incommodi ipsis contingat; arguit enim paralysin forte solutam; & notandum est, omnes partes paralyticas esse frigidiores reliquis, & frigus per aliquod tempus adhuc durat, etsi moveantur, frigusque in partibus resolutis non sentiri, nisi sensim auferatur paralysis.

CASUS XC.

Ancilla quædam per 4. menses valetudinaria ante 14. dies incidit in febrem quotidianam, à quo tempore pedes venterque sensim intumescere cœperunt, qui tumor in dies magis augetur.

20. 21. 22. & 23. Dec. Hactenus bonè se habuit, sed hodie 24. conquesta est do alvo adstrictiore; sanguis ex naribus effluit, cui aliàs non astueta; quia autem retulit lo per 9. menses non passum esse, fluxum menstruum, bonum signum videtur, nempe humores sensit corrigi, emendari, fluxilesque reddi; & sæpiùs Cl. Sylvius observavit talia exempla, ubi per annum menses substitere, randem expurgato probè corpore, liberatoque à pravis humoribus spontè rediisse sine adhibitis medicamentis, quæ vulgo menses moventia dicuntur.

CASUS XCI.

Vir quidam ante 13. septimanas incidit in febrem tertianam intermittentem, quæ duravit per 3. septimanas, & dehinc mutata est in febrem quotidianam continuam, valdemque confusam, quo illum affligit per 6. septimanas; ante 4. autem septimanas mutata est in quartanam intermittentem. Quando paroxysmus invadit, sentit frigus in lumbis, cum dolore, qui tantus est, ut omnia in lumbis ipsi dilacerari videantur, frigus dispergitur versus partes inferiores, ut quasi in ossibus hærere sentiret; posteà sursum ascendit in abdomen, dispergiturque per illud, durans per 3. hor.

Febre continua dum laboraret, liberaliùs assumsit potum, unde hactenus per 6. septimanas sensit pedum tumorem, qui adhuc durat, & dolor capitis, qui illum valdè urgebat in febre continua, sed tumefactis pedibus planè remisit.

Appetitus satis ipsum urget, noctumque benè quiescit; pulsus robustus est, magnus & frequens fuit in die remissionis; nulla adhuc adhibita sunt medicamenta.

EXPLICATIO.

Febrem quartanam ortum duxisse ex pituita, satis patet ex affectis, & duratione tum febris, per longum enim tempus duravit; & quando ingruit paroxysmus, dolorem & frigus percipit; Causa autem hor. symptomatum est, quia in intestino tenui (vel secund. vulg. in duodeno) duo reperiuntur ductus, bilarium scil. & pancreaticus, qui duo ductus se exonerant in principium illius intestini, vulgò jejuni dicti, quod firmiter lumbis annectitur & si illi humores, qui ex illis excernuntur, benè se habent, temperata sunt omnia, & ex effervescentia, quam instituunt, nullum incommodum oritur; his autem malè dispositi, sive vitium sit unius, sive alterius, sive utriusque, effervescentia fit illorum humorum & phlegmatis, quod semper reperitur in intestino; hic si bilis prædominatur, calor magis est manifestus, si verò frigus, pituita.

Quò autem major fit effervescentia, eò magis distenditur illud intestinum, unde dolor percipitur:

Tumor pedum, qui speciem hydropis minatur, est partim à flatibus, partim à pituita viscida, quæ se exonerat ad partes externas, non autem à vitio alicuius partis seu læsione orta species hydropis, sed à largiore in febre continua assumpto potu, unde etiam statim tumorem pedum sensit.

Itaque in curatione præstandum, ut humores illi alterantur & educantur, itaque de sequ. apozemate singulis diebus mane haustum assumat.

♃. *Cortic. Rad. Samb.* ℥ ß.
Levistic. ℥ vi.
Rasur. lign. Guajac. ℥ iii.
Cortic. lign. Guajac. ℥ ß.
Baccar. Iunip. ℥ ii.
Pulp. Colocynthid. ʒ i.
Sem. Anis.
Dauc. ana ʒ ii.
Coq. s. a. ex aqu. pur. in Colatur. ℥ I.
Dissolv.
Syr. de Helleb. nigr. ℥ v.
Spir. Vin. rectif. ℥ iii.
Misc.

NB. Cortices & rad. lign. Guajac. solùm possent coqui lento igne vase probè clauso, per 24. hor. tanta vis enim ipsi inest antequam reliqua addantur, quia autem à pharmacopœis hoc noc observatur, notandum tamen est, si quis sibi ipsi vellet parare tale decoctum quòd tali modo parari possit.

23. Hodie habuit febrem, frigus duravit per hor. calor per 2. sed neutrum fuit molestum: post calorem sensit dolorem vermiculantem in externis corporis partibus, quasi animalcula perreptarent illas partes, a vaporibus & halitibus biliosis acribus ad illas partes delatis, post illum dolorem incidit in sudorem, qui duravit per tres horas.

3. Febr. Hodie assumpsit sal. vol. fixat. Sylviani gr. ii. unde perturbationem in toto corpore sensit, quasi omnia susque deque moverentur, & levem inde habuit febrem.

CASUS XCII.

Vir quidam per 14. septimanas laboravit febre quartana, quæ illum invasit semper hor. 6. vespertina, frigus ingruit cum dolore, incipiens in lumbis, dispergiturque per totum corpus & ad caput, unde dolorem patitur; post frigus calor ingrnit, & tunc incidit in somnum; quando se movet, superiora sudant, inferiora autem non item; in ejus curationem seq. pręscripta est mixtura, de qua subinde cochl. j. assumere debet, redeunte autem paroxysmo cochl. iii.

♃. *Aqu. Card. Bened.* ℥ ii.
Cochlear. ℥ i.
Theriacal. s. ʒ x.
Antimon. diaphor. ʒ ß.
Syr. quinque Rad. ℥ j.
M.

Hodie manè hor. 8. habuit paroxysm. cum summo frigore, ut sella, cui insedebat, à tremore quem passus est, moveretur; in frigore valdè deliravit & sirivit, cessante autem frigore cessavit quoque delirium; ingruente calore dolorem capitis molestum passus est, cùm aliquid comedit, amara ipsi omnia sapiunt: & horum omnium symptomatum causa videtur esse pituita acida bili permista, prædominium autem habente pituita, in qua abundat spiritus acidus, quę delata ad caput spiritibus animalibus inordinatum motum conciliavit; itaque utatur rursus de superiùs præscripta mixtura.

12. Conquestus fuit de dolore ventris circa umbilicum; alvus est adstricta, & quando aliquot excernit, summa cum difficultate hoc facit, quia fæcea admodum induratæ, causa autem indurationis est spiritus acidus, junctus oleo & sali, quibus scatent excrementa illa; quod seq. decoct. præstare potest, à quo bis in die haustum assumat.

♃. *Rad. Apii,*
Levistic. ana ℥ I.
Rasur. lign. Guaiac. ℥ iii.
Baccar. Iunip. ℥ ii.
Pulp. Colocynthid. ʒ i.
Coq. in s. q. Aqu. pur. in Colatur. ℥ xxx.
Dissolv.
Syr. de Helleb. nigr. ℥ iii.
Spir. de Vin. rectif. ℥ ii.
M.

NB. Lignm m Guajac. est egregium ad incidendum quoscunque humores viscidos, ratione salis volatil. quo maximè scatet.

CA-

CASUS XCIII.

VIr quidam ante 14. feptimanas incidit in febrem quotidianam continuam ; paroxyfmi femper magno cum frigore invaferunt , febre autem ante dies aliquot remiffa , incidit in magnum ventris dolorem totiufque corporis; non fitit, nec efurit ; per 10. dies non dejecit.

EXPLICATIO.

Multi hic funt affectus intricati ab humoribus intricatis , & vario modo vitiatis in corpore contentis ; quos humores cum excernere non valeat & ut melius pateat affectus, de fequ. mixt, fubinde cochl. j. affumat.

℞. Aqu. Petrofel. ℥ ii.
Theriacal. fimpl. ℥ ß.
Acet. ftillat. ʒ vi.
Ocul. Cancr. ʒ i ß.
Antimon diaphor. ℈ j.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M.

1. Jan. Commodè dejecit ab hauftu hydragogo , 2. 3. Benè fe habuit, conqueftus eft faltem de dolore in plantis pedum & laffitudine brachiorum.

CASUS XCIV.

VIr quidam cujus uxor profluvio alvi valdè fœtido laboravit , qua occafione ei femper adeffe coactus intra fpatium feptem dierum non dormivit , unde ante 10. dies incidit in febrem continuam, quæ illum circa vefperam invadit hor. 6. ubi primùm fummum frigus percipit in lumbis, quod deinde per totum corpus difpergitur , duratque aliquando per 3. 4. aut 5. hor. in ipfo frigore ut & calore , fummum capitis dolorem percipit , ingruente calore valdè fudat, fitque & pulfus debilis reperitur.

CASUS XCV.

VIr quidam ante 5. feptimanas levem dolorem in lumbis fenfit, unde quafi levem auram ad caput afcendere ipfi videbatur, ut omnia in gyrum fecum ferri putaret , & federe coactus fuerit ; decidit in terram; totius corporis convulfionibus, cum ftertore , fpuma ex ore effluente , omnium fenfuum & aliarum perceptionum privatione correptus eft; mens finito paroxyfmo per 3. dies non conftitit , loquela etiam tam diu impedita fuit ; adhibita fuere medicamenta, unde paroxyfmi non tam graves fuerunt.

Per 8. autem dies adeò mitigata funt fymptomata , ut bis vel ter fentiat paroxyfmum , & antequam paroxyfmus invadat illum , pulfationes per totum corpus , inprimis in abdomine fentit , unde dolorem etiam gravem in lumbis totoque ventre & capite ; manus dextra fubinde contrahitur ; inprimis autem pollicem in manu arctè tenet, quæ convulfio in illa manu illum deferit, & migrat in finiftram ; mens tamen in paroxyfmis fatis conftat , pulfus contractus fuit, fed non debilis.

EXPLICATIO

Epilepfia virum hunc laboraffe & adbuc laborare fatis ex circumftantiis & fymptomatibus recenfitis patet, cùm epilepfia alia fit gravior, alia levior : & alia cum fenfuum privatione ; hæc autem cum levioribus fymptomatibus , fenfibufque ex parte conftantibus invadit ; illam in principio , hanc verò adhuc patitur.

Caufa autem proxima Ipfius motus convulfivi & convulfionis fuit imprimis fpiritus acidus volatilis minùs acris , ad principium nervorum accedens , illique moleftiam inferens , unde convulfio ; hinc fi confiderentur omnia, quæ ad motum animalem five voluntarium concurrunt , unde benè perficitur, non difficile erit concludere , quænam fit caufa motus inordinati five convulfionis.

Quia vires fatis conftant in hoc ægro, de fequent. mixt. fubinde cochleare i. affumat.

℞. Aqu. flor. Tilia ℥ ii.
Theriacal. fimpl. ʒ vi.
Antimon. diaphor. ℈ i.
Syrup. flor. Parv. ℥ i.
M.

16. 17. Jan. Valdè debilis eft pulfus ; nihil alimenti adhuc r. non amplius vomit; Caufa pulfus debilioris eft fanguis vitiatus , ex quo fpiritus generari non poffunt, unde minor ventriculorum contractio.

Hodie 18. hor. 2. pomerid. vitam cum morte commutavit.

Annotata ex diffectione cadaver. ipfius.

Mufculi abdominis valdè tenfi erant, fanguifque fatis floxilis ex minimis vafis effluebat.

Inteftini coli pars in dextro latere ab omento non tegebatur ; alias omentum fatis benè fe habebat , & minima pinguedine perfufum erat.

Vafa in fuperficie inteftinorum valdè turgebant, majoraque quam naturaliter cernebantur.

Inteftina tenuia una parte erant diaphana , in altera autem parte obfcurioris & nigricantis coloris , uti contingit in gangræna , & hoc vitium contingit , fi humor acidus valdè peccat , unde ingentes dolores excitantur , de quibus etiam ab initio conqueftus fuit ; adhibitis autem iis , quæ fpiritum acidum concentrant , meliùs fe habuit . Inteftinum tenue, quod fub mefenterio circa lumborum regionem vergit , interna fua fubftantia valdè erofum erat, & rubrum , ea in parte , quæ vergebat versùs latera, albefcebat autem in illa parte, quæ tendebat furfum versùs ventriculum , fignum effervefcentiam ex humoribus ; qui ex duobus ductibus pancreatico fcil. & bilario eò deferuntur , & iufto acriores fuere, ibi factam effe non autem ufque adeò verfus ventriculum , aliàs magis illa pars infeftata fuiffet, vapores autem & halitus ex illa fervefcentia excitatos & ad ventriculum delatos effe fatis teftantur vomitiones , quas paffus eft æger , jam defunctus in fua vita.

Sub Ventriculo ductu tranfverfo debuiffet obfervari inteftinum colon , quod in hoc fubjecto latebat admodum , ut non commodè potuiffet videri , ut alias folet.

Obfervandum eft , inteftinum colon naturaliter in latere finiftro ad partem ferè fummam coftarum fpuriarum affurgere & à flatibus aut alia materia vifcida , in illo contenta diftendi , unde nonnunquam tumor & dolor percipitur , & tunc fæpius culpatur lien , etfi nullum vitium in liene fæpius obfervetur , & fæpe talis tumor dolorve fubinde recurrit ; cùm autem medicamenta incidenda flatufque difcutientia adhibeantur , malum ceffat.

In hoc fubjecto flexio fygmoidea in latere dextro, ubi incipit inteftinum colon affurgere , obfervabatur , quæ alias naturaliter non ita fe habebat ; fede lufu naturæ tale quid contigiffe ftatuendum ; in latere autem finiftro ubi naturaliter illa flexio fygmoidea obfervatur , deerat , & inteftinum hoc colon rectà defcendebat.

Ventriculis in parte fuperiore & inferiore prominebat & turgebat , in medio autem coarctabatur.

Phlegma quod in Ventriculo reperiebatur nigricantis erat coloris, cujus caufam Clar. Sylv. judicavit fuiffe , quia medicamentis , quæ affumfit , lap. hæmatites fuit permiftus , qui talem fuppeditat tincturam.

Interna Ventriculi fubftantia quafi inflammata ac erofa erat, à materia acri eò delata , unde vomitus; fuperius autem orificium planè albicantis erat coloris.

Pancreas benè fe habebat , fuccus quid in eo reperiebatur , fubacidus & adftringens erat.

In cavitate abdominis aqua cruenta reperiebatur , fed pauca quantitate.

In thorace omnia benè fe habebant , nihilque præternaturam obfervabatur in cordis & pulmonum externa fubftantia.

In

erat, musculi autem abdominis egregii satis erant & rubicundi.

Dissecto abdomine eoque sperto cavitas ejus multa aqua erat repleta, & penè tres pintæ Belgicę exhauriebatur, quamvis venter ne minimum turgeret sed planè collapsus esset; quæ aqua denotabat speciem hydropis; & hoc est contra eos, qui omnem hydropem per tumorem definiunt; aliter enim & non semper tumorem locum habere, redarguit autopsia hujus cadaveris. Omentum penè futium versus ventriculum distractum erat, fuitque fœtidi & obscuri coloris, & tenuia intestina ab omento planè non tegebantur.

Er quibus talis est constitutio, semper illi petunt ignem & injuria aeris frigidi ostenduntur.

In intestinis tenuibus, duobus distinctis in locis observabatur, quòd una substantia illorum ingrediebatur in alteram; In uno loco, quando eatendebantur, ingressa erat substantia unius in alteram, ad longitudinem 4. digitor. trasversorum; in altero autem loco spithamæ minoris; quam intorsionem Cl. Sylv. contigisse putat à flatibus valdè urgentibus, hocque malum incurabile est; quando enim adhibeotur medicamenta flatus discutientia, tunc propellitur magis intestinorum substantia in aliam.

Omnia intestina tam tenuia, quàm crassa flatibus erant distenta.

In Intestino colo hoc observabatur, quòd mox contractum à flatibus, mox distensus, & iterum contractum erat.

NB. Ubi est principium intestini coli observandum appendiculam ibi esse, quæ vocatur intestinum cæcum, in cujus appendiculæ finem Cl. Sylv. principium ejusdem motus constituit, ita ut quando excrementa in illud perveniat, ibi loci fiat motus, & excrementa ex eo iterum propellantur, & deorsum ad intestina protrudantur. 2. Considerandus venit annullus membraneus seu valvula, quæ duplicem præstat usum: 1. Ne ex intestino tenui excrementa semel prolapsa regrediantur motuque præpostero sursum ferantur.: 2. Quando clysteres injiciuntur, ne sursum ferantur; & per os rejiciantur, quod contingit ex laxatione hujus valvulæ, quales tristes eventus sępè observavit Cl. Sylv. & recenset River. in ptaxi.

Sanguis vix apparebat in vasis mensenterii, ita pituitosus erat.

NB. Differentia intestinorum crassorum & tenuium internæ substantiæ hæc est, quòd substantia interna crassorum plana magis, tenuiorum autem pannosior est. Præterea notandum, intestinum tenue à pyloro transfertur ad renem dextrum usque, & tunc vergit sub mesenterio ad renem sinistrum, & ubi sensim reflectitur, observabatur ductus bilarius & pancreaticus, qui ibi concurrunt ex duobus illis ductibus, unus constituitur, & hi duo ductus se exonerant in illud intestinum; cùm autem hi duo humores, qui partim ea pancreate, partim ex ductu bilario eò deferuntur, & phlegmati, quod semper ibi prestò est, permiscentur, temperant se invicem; his autem pravè dispositis, sive unus, sive ambo, sive omnes, effervescentiam & dolorem instituunt, ut & frigus & calorem, quæ symptomata ibi observantur, circa regionem. scil. lumborum, in febribus omnibus, potissimum intermittentibus, uti testatus fuit Cl. Sylvius.

Mesenterium, quod aliàs in mediis vertebris annectitur, in hoc subjecto versus partem dextram magis vergebat.

Ventriculus situm suum naturalem non observabat, sed recta deorsum tendebat.

Pancreas non ita firmum erat uti debebat, sed flacidum erat.

In cavitate thoracis multa aqua reperiebatur, & quæ in dextro latere herebat aqua, subflava erat, ac membranulæ, ut & stigmata reperiebantur in illa; aqua autem quæ in sinistro latere continebatur, cruenta erat, nullæque membranulæ in ea reperiebantur, signum, illam non tanta acrimonia fuisse præditam, quàm quæ in dextro latere continebatur.

In toto sinistro pulmonum lobo durities percipiebatur, quo dissecto spumosa ac cruenta effluebant.

In dextro autem lobo talis durities non reperiebatur, sed uterque lobus, tam dexter, quàm sinister, erant obscurioris coloris.

In capite omnia benè se habebant, nisi quòd sanguis pituitosior, quæ sanguinis constitutio in toto illo cadavere observabatur.

CASUS LXII.

15. Dec. VIr quidam accessit paralyticus, & per quadriennium jam valetudinarius fuit; & antequam in hunc affectum incideret, febr. lentis & erraticis laboravit; deinde dolores atroces in cruribus habuit: pridie Kal. Oct. ex vehementi ira in linguæ paralysin incidit, magna cum debilitate & gravibus doloribus in brachiis & cruribus; caput inane esse videtur; ab eo tempore paralyseos somnum vix capere potest, parum edit, nec multùm dejicit; nec per tres septimanas ante paralysin dejecit.

Ira hic causa procatarctica est, sed quoniam antea quædam mala fuerunt, nempe humor pituitosus cum bile mixtus ab ira moti sunt, & bilis tam ad superiora, quàm ad inferiora effusa est.

Ideoque & bilis & pituita hic peccatunt: antequam incideret in hoc malum, dolorem in lumbis & ardorem in capite sensit, vigiliæ ipsi valdè molestæ fuere, & dolores in cruribus.

Confert hic Medicamentum, quod leniter quidem deducit humores, lenit dolores, & vires roborat.

℞. *Mithridat.* ʒ ii.
Syr. Stœchad. ℥ j.
Aqu. Theriacal. simplic. ℥ ß.
M. & assumat cochleatim.

16. Dec. A media nocte usque ad hor. 6. matutin. somno satis profundo dormivit, parùm vero dejecit.

Humores pituitosi hic valdè peccant, per accidens autem bilis mota & irritata est.

℞. *Elect. Cholagog.* ʒ ii.
Hydragog. ʒ i.
Aqu. Betonic. q. s.
M. f. haust.

17. Dec. Quinquies dejecit, & sentit levamen; punctiones per omnia membra habet; hac nocte spontè quievit; alterantia quæ motum movent, & vias parant, hic prosunt.

℞. *Aqu. Melis.*
Fœnic. ana ℥ i.
Theriacal. simplic.
Tinct. Cinnamom. ana ℥ ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. Stœchad. ℥ i.
M. Assumat. Cochleatim.

1. Dec. Non continuò dolorem punctorium & formicationes sentit.

Præscribatur ei Decoct.

℞. *Rad. Fœnic.*
Apii ana ℥ i.
Galang. ʒ ii.
Rasur. lign. Guajac. ℥ iii.
Baccar. Junip. ℥ ii.
Sem. Urtic. Rom. ʒ ii.
Coq. s. a. in aqu. pur. in Colat. ℥ xl.
Dissolv. Syr. de Helleb. Nigr. ℥ iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ iii ß.
M. & assum. per Haust.

19. Dec. Iteretur mistura hæri præscr.

Bis terve in die ante pastum cochl. j. assumat.

Urina nubeculam in fundo habet; arenæ quoque in fundo esse videntur; quando sunt in superficie, significant capitis inanitatem

20. Dec. Iteretur mistura 17. Dec. præscr.

21. Dec. Mixti dolores hic sunt, quare & varia hic consideranda; nam varia illa affluxio spirituum facit mutationem motus, & quidem puncturæ, quę est formicationis; calorem ab extremis assurgentem & me-

& medullam ex ossibus quasi exsugentem observat. Habet quod sumat.

22. Dec. Nihil hac nocte dormivit. Iteretur Miat. 15. Dec. præscr.

24. Dec. Pulsus melior; commodiùsque hodie quievit. Iteretur in duplo Miat. 16. Dec. & Apozema 18. præscr.

27. Dec. Videmus subitam mutationem, ventrem scil. tumefactum à flatibus; videtur ipsi ac si visus obscurior sit, ab halitibus melancholicis communicatis oculis & humoribus quibus nutriuntur. Iteretur Mixtura 25. Dec. & Decoct. 18. præscr.

29. Dec. Placidè hac nocte qoievit, Decoct. & Mixtur. sumsit, attamen non purgatus. Iteretur Miatura & Decoct.

30. Dec. Quoad omnia meliùs se habet, heri hæmorrhagia laboravit; benè quievit, unde symptomata sunt leviora.

Iteretur omnia.

3. Jan. Sequ. anni. Nudius tertius febricitavit; præscr. Decoct.

℞. Rad. Fœnic.
Apii,
Pæon. ana ℥j.
Galang.
Curcum. ana ʒii.
Rasur. lign. Guajac. ℥iii.
Baccar. Junip. ℥iß.
Laur. ℥ß.
Sem. Urtic. Rom. ʒiii.
Coqu. ex Aqu. pur. in Colatur. ℥xl.
Dissolv. Syrup. de Helleb. Nigr. ℥iii.
Syrup. de Colocynth. ℥iß.
Spir. Vin. rectif. ℥iiiß.
M. & sumat. subinde haust.

4. Jan. Mediocriter se habet.

5. Jan. Non dejecit, & parum quievit per biduum. Iteretur Decoct. 3. Ian. præscr.

7. Jan. In meliori statu vivit.

8. Jan. Satis commodè se habet, nisi quòd de continuo frigore extremarum partium conqueratur. Omnes partes paralyticæ longè sunt frigidiores reliquis, quamvis restitutę sint, & moveant partes illas, attamen illæ frigent, sed bonum signum futuræ sanitatis est, quando sentiunt se frigescere. In quadam paralyseos specie intumescit pars paralytica, in quadam intumescit, tunc illi succurrendum & ad illam cura dirigenda; aliquando non tumescit, & tunc malum in viis: quare in examine ejus conclusum est, humorem pituitosum in partibus hærere; nam sæpissimè paralysis fit, cùm humor pituitosus musculos & fibras afficit, imò fit etiam quando secundùm ductum vasorum & nervorum motu humoris pituitosi fit compressio istorum vasorum: malum ejus non est aotabile in partibus, non tumor adest; aoteà præ stupore non sensit frigus, jam verò dimiauto stupore magis alget. In meliùs, nou io pejus vergir. Iteretur Apozema 3. Jan. & Miat. 6. Jan. præscr.

10. Jan. Heri levem paroxysmum febril. sensit, nunc benè se habet. Iteretur mixt. 18. præscr.

11. Jan. Benè dejecit, & valedicit. Iteretur mixt. 6. Jan præscr.

CASUS LXIII.

21. Jan. Viro cuidam caput dolet ab 8. jamdiebus; dolor etiam est in lumbis; alvus laxa est; somnus nullus; continuò friget; ex lumbis assurgit frigus ad caput, unde grave est, & vertigine vexatur; quamprimùm corpus movet, friget; deliravit quoque in febribus continuis; alias non sentitur frigus, sed exacerbatio; de calore nullo conqueritur.

Spiritus acidus hic in pituita nimium facit effervescentiam, ideoque non solùm emendandam, sed & evacuandam esse statuit Cl. Syv.

℞. Aqu. Petrosel.
Fœnic. ana ℥iß.
Theriacal. simpl. ʒvi.
Laud. Opiat. gr. ii.
Antimon. Diaphor. ʒß.
Syr. quinque Rad. ℥i.
M. sumat. Cochlear.
Et quidem singul. hor. Cochlear. i.

12. Jan. In omnibus levamen habet; benè quievit, nec dolorem capitis amplius sentit, sed sapor aliquis dulcis saccharo Saturni simillimus, ei valdè molestus est. Oleum spiritui acido junctum & sali lixivioso dulcedinem efficit. Iteretur Mixtura heri præscripta.

13. Jan. Conqueritur de dolore lumborum; non dejecit; quamprimùm inclinat in somnum, sudat, alias commodè quiescit. Iteretur Mixtura 12. Jan. præscripta.

℞. Elect. Hydragog. ʒiii.
Aqu. Petrosel. ℥iiß.
M. f. haustus.

14. Jan. De dolore cinguli ad instar sob umbilico conqueritur; transversim tenduntur istæ partes instar chordæ. Nullum intestinum transversim fertur, præter colon, & ubi talis dolor, accusandum est colon; possunt enim & reliqua quoque affici sed rarò, & tunc dubio Medicos involuit.

Heri illum hoc malum invasit; emisit flatus. Dolores intolerabiles fortasse à spiritu acido.

℞. Aqu. Herd. ℥xx.
Fœnic. ℥iß.
Spir. Vin. rectif. ℥j.
Syrup. de Senna ℥iii.
Spir. Nitri ℈ß.
M. f. Julap. sumat subinde haustum.
℞. Aqu. Menth.
Fœnic. ana ℥i.
Spir. Vin. rectif. ʒvi.
Nitr. ℈ß.
Laud. Opiat. gr. ii.
M. f. Mixt. Cochlear. assumenda.

19. Jannar. Paroxysmum habuit; amara copiosè evomuit; nihil dejecit; conqueritur de anhelatione & pectoris dolore.

℞. Aqu. Hyssop. ℥ii.
Fœnic. ℥j.
Acet. Stillat. ʒvi.
Spir. Vin. rectif. ℥ß.
Ocul. Cancr. ʒß.
Antimon. Diaphor.
Bol. Armen. ana ℈i.
Syr. quinque Rad. ℥j.
M. f. Mixt. Cochleat. sumenda.

CASUS LXIV.

9. Nov. Vir quidam febre erratica, & quidem aliquando quotidiè, aliquando alternatim corripitur; frigus ipsum aliquando per 4. aliquando etiam per 2. hor. urget; calorem non sentit; frigus inter scapulas & lumbos est; intestina ipsi quasi convelluntur; alvus segnis est, nec sitit, nec sudat; aliquando æstum in intestins sentit, nec non tormina.

Per 10. Septimanas malè se habuit, nec aliquid assumsit medicamentorum.

A diuturnitate judicat Cl. Sylv. pituitam hic peccare, sed non solet tamdiu durare, nisi aliquid aliud jungatur, & cùm tormina adsint, Spiritus acidus jungitur; saporem nidorosum habet in ore, ergò bilis adest; pituita igitur peccat, & in ea aciditas. Bilem, dum alvus segnis, possumus purgare, aut priùs alterare. Heri paroxysmum habuit.

℞. Gumm. Ammoniac. cum acet. prap. ʒß.
Mastich. ol. ℈j.
Chalyb. prap. gr. xv.
Trochisc. Alhandal ʒß.
Ol. destil. Granor. Junip. gutt. vi.
M. f. Pilul. num. xxx.
Sumat. 7. singula vespera sub hora decubitus, si non febricitat.
℞. Aqu. Fumar. ℥ß.
Theriacal. simpl. ʒiii.

Sal.

Sal. Ammoniac. gr. xv.
Syr. quinque Rad. ℥ß,
M. pro haust.

11. Nov. Per duos dies paroxyfmum fenfit, & hodie pilul. affumfit, unde femel quidem, fed copiosè dejecit.

13 Nov. Paroxyfmum circa hor. quartam pomeridianam habuit; frigus duravit hor. 2½. calor etiam fatis moleftus fuit; affumpfit heri pilul. & inde ter dejecit. Paroxyfmi certum non fervant typum. Cras affumat iterum pilul. jam præfcribemus Mixt. contra paroxyfmum.

♃. *Aqu. Fœnicul.*
Theriacal. fimpl. ana ℥ß.
Acet. ftillat. ℥iii.
Ocul. Cancr. ℈ß.
Syr. quinque Rad. ℥ß.
M. f. Hauftus.

CASUS LXV.

Puella quædam 14. annor. per 5. feptimanas variolis laboravit, & quia admodùm debilis, huc in Nofocomium eft delata, ut ad priftinam redeat fanitatem. Affumat feq. Mixt,

♃. *Aqu. Fœnic.*
Petrofel. ana ℥j.
Acet. ftillat. ℥vi.
Ocul. Cancr.
Antimon. diaphor. ℈j.
Syrup. quinque Rad. ℥ß.
M. & fum. fubinde Cochl.

NB. Hanc Mixtur. valdè commendat Cl. Sylv. in variolis, eamque à principio ad finem exhibere jubet.

9. Novemb. Benè fe habet; habet adhuc quod affumat.

10. 11. & 12. Nov. Hifce diebus optimè fe habuit.

Iterata fuit Mixtura 8. Nov. præfcr.

CASUS LXVI.

Mulieri cuidam de dolore oculor. conquerenti fequens collyrium præfcript. eft, à quo fummum levamen habuit.

♃. *Aqu. Rof. alb.* ℥iß.
Fœnic. ℥ß.
Sief. Alb. ℈i.
Vitriol. Alb. gr. ii.
M. & f. Collyrium.

Annotata quædam ex fectione cadaveris fœminæ cujufdam Helenæ dictæ.

Pinguedo in abdomine multa reperiebatur, ad craffitiem pollicis tranfverfi, bonique & naturalis coloris; fed hoc mirum, quia intra quatuor feptimanas nullum alimentum potuit affumere, quòd tanta pinguedinis copia confpiciebatur. Omentum admodùm pingue erat ac naturaliter aliàs fe habebat, nifi quod à parte inferiore circa umbilici regionem firmiter adhærebat peritonæo, & ubi vulnera in abdomine erant inflicta (quorum 7. ant 8. erant) omenti pars fe infinuaverat firmiter in illorum cicatrices.

Inteftina, quoad externam fubftantiam naturaliter fe habebant, quoad colorem & conformationem, inteftinum vulgò duodenum dictum 4. erat tranfverforum digitorum, antequam vergeret in latus finiftrum.

In inteftino tenui, ubi ductus pancreaticus & bilarius fe exonerant, corrofio partis ejus internæ obfervabatur, & omnia cruenta quoad ejus fubftantiam internam, cernebantur; multumque phlegmatis quafi purulenti ad cochlearia quatuor exhauriebatur.

Ventriculus flatibus diftentus erat, nihilque in illo reperiebatur præter phlegma pauciffimum ad quantitatem dimidii vix cochlearis; tunica interior & interior ipfius ventriculi rubicunda & corrofa erat, fignum ab acerrimo humore biliofo delato ad ventriculum, qui in fuperficie inferiori ipfius ventriculi vim fuam magis potuit exercere, quàm in inteftino ubi ductus bilarius infertus fuit; & ratio hæc eft, quia in inteftino tenui multum phlegmatis reperiebatur, quod contemperavit bilis acrimoniam; pars autem volatilis & acrior delata fuit ad ventriculum, ibique nihil reperiens, à quo contemperaretur, vim fuam, corrodendo fuperficiem inferioris ventriculi tunicæ, exeruit.

Superficies ventriculi fuperioris tunicæ alio modo fe habebat, ac albefcebat planè, uti ferè folet naturaliter fe habere.

Veficula fellis admodum magna fuit, uti numquam in fectione ulla obfervavit Cl. Sylv. eratque obfcuri lividiorifque coloris, & inteftinum tenue & ventriculus tali colore tincti erant, cum illis partibus, quas attingit folliculus fellis.

Lien fubftantiæ erat durioris, quàm naturaliter fe habere debebat, & rubicundi planè coloris, ut epatis; epar autem naturaliter fe habebat. Ductus bilarii & pancreatici infertio, quæ aliàs utplurimùm in unum locum terminantur, in hoc fubjecto ad latitudinem pollicis tranfverfi diftabant.

Renes magni erant, alioquin benedifpofiti. Capfulæ renales feu atrabilariæ, uti vulgò vocantur, tantæ erant, qualem magnitudinem nunquam obfervavit Cl. van Horne. NB. Nulla arteria definit in iftas capfulas, fed ingens vas venofum confpiciebatur, quod fignum eft, ex capfulis deferri, non autem aliquid eis accedere; præterea nervi pertinent ad illas capfulas.

Capfulas renis dextri penè triangularis erat, finiftri autem penè quadrangularis.

Vafa in uteri collum definentia valdè repleta erant fanguine & difteota.

Circa teftes veficulæ in utroque latere obfervabantur, quæ aqua erant repletæ.

Membrana pulmonum firmiter annexa erat pleuræ, alias pulmones benè fe habebant.

Exigua in quantitate aut planè nihil aquæ in pericardio continebatur.

In utroque ventriculo cordis polypus, uti vulgò vocatur, reperiebatur inftar frufti carnis, magnaque in copia ex arteria magna & vena extrahebatur.

Planè nullus fanguis in illis duobus vafis continebatur, & in fingulis vafis fanguineis paucus contentus erat fanguis, nifi in vafis circa uterum.

In gula materia vifcida flava reperiebatur, valdèque fœtida. In capite omnia benè fe habebant, & notata eft in hujus fubjecti offe frontis cavitas, diffecto fcilicet cranio, ubi immiffo folle aerem per nares egredi obfervavit Cl. van Horne. Hoc itidem contingit in offe fphenoide, ex quo, fi follis immiffus, aer per nares quoque egreditur.

CASUS LXVII.

Mulier quædam, quæ valdè conquefta fuit de immenfis & ineffabilibus ventris doloribus, poftquam ante 3. dies in Nofocomium Leidenfe, ut fanaretur, delata effet eodem die, quo eò deferretur extincta eft, & hodie die 13. Nov. 1660. ejus cadaver cultro Anatomico fubjectum fuit, in quo fequentia obfervabantur.

In infimi ventris apertione omentum fuprà ventriculum non extendebatur, illudque firmiter peritonæo annexum erat; pinguedo in omento fatis copiofa obfervabatur, fed admodùm fœda.

Inteftina omnia, præfertim tenuia, valde rubebant; & tenuia intus etiam valdè perfufa erant bile rubicundi coloris, omnium autem maximè inteftinum duodenum, & talis rubedo fignum fuit infignis acrimoniæ, qua bilis fuit præternaturaliter prædita, bilis hæc aquæ permifta flavefcebat.

Ventriculus magnus erat, & ad digitum tranfverfum infrà umbilicum defcendebat; phlegma in Ventriculo præter folitum vifcidius erat; ventriculi fubftantia interna valdè rubebat, quod fignum eft inflammatum fuiffe; & quo latere Ventriculus veficulam fellis externè tangebat, eodem colore infectus erat,

Omnia

Omnia ſpumabant quæ circa Ventriculum & veſiculam fellis obſervabantur, ſignum bilis acrioris. Aqua rubena maxima copia in cavitate abdominis repetiebatur. Uterus totus in latus dextrum vergebat, qui naturaliter in medio cavitatis, in qua hæret, ſituum ſuum obſervare debuiſſet; magna erat excreſcentia in ejus parte poſtica tam dura, ut cultrum Anatomicum admittere nolet, illaque excreſceotia planè oſſea erat. Uteri ſubſtantia quoquo bis craſſior erat, quàm naturaliter debebat. Veſica longè craſſior erat, quàm debebat, ex parte erat ulceroſa, totaque ſuperficies ejus interna erat læſa. Renes longè majores erant, quàm debebant; cùm diſſecarentur, magna copia ſanguinis atri purè permiati effluebat. In cavitate thoracis magna quantitas aquæ ſaoguine tinctę reperiebatur, pulmonesque admodum turgebaut, omniaque iu thorace ita ſe habebant, ſicuti in pectoris bydrope. Cor magoum erat, & prope auriculam dextram macula alba teperiebatur quaſi eſſet caodela aliqua cuticula combuſta.

Arteria magna tanta erat, ut parum diſcederet à magnitudine arteriæ bovis.

Qnoad cerebrum, in eo omnia bene ſe habebaut.

CASUS LXVIII.

ANcila quædam, quæ iuſigni ſuffocatione uteri laborabat, cum ſuma reſpirandi difficultate tautaque ventris elevatione & concidentia, ut mirum adſpicientibus videretur; cùm autem ne verbum quidem proſerre potuiſſet, ac quomodò afficeretur, enarrate quiviſſet, ſequentia ipſi fuere præſcripta.

℞. Caſtor.
Aſa fœtid. ana ℈ ß.
M. & f. Nodul. ex collo ſuſpendendus.
℞. Aqu. Paleg. ℥ i ß.
Theriacal. ſimpl. ʒ vi.
Ol. deſt. Succin. gutt. vi.
M. de ea Mix. ſumat ſæpiùs Cochl. j.

9. Nov. Adhuc in eodem ſtatu maneo, nec loquitur, & quia ab exhibit. Medicam. nullum adhuc levamen ſentit, do ſequ. Mixt. ſumat ſubinde Cochl. j.

℞. Aqu. Puleg. ℥ ii.
Theriacal. ſimplex. ʒ vi.
Ol. deſt. Succin. gutt. viii.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M.

10. Nov. Aliquid levaminis hodiè habuit, attamen nondum poteſt commodè loqui, nec aptè Intelligi, iteretur ergò Mixt. heri præſcripta iu duplo.

11. Hodiè iterum parum levaminis habuit, habet adhue de Miat. qua utatur uſque In craſtinum.

12. 13. Nov. Paulò majus levamen jam ſentit, Iteretur igitur Miat. in dubio 9. Nov. præſc.

14. 15. Nov. Adhuc majus levamen ſenſit, habet adhuc quod ſumat.

16. Nov. Quia præcedentibus dieb. ob malum valdè urgens ne verbum quidem potuiſſet loqui, & hodiè benè ſe habet, & quidem longè meliùs quàm aliis diebus, narravit, ſe per 3. menſes dolorem In lumbis ſenſiſſe, qui continuò perſeveraverit; tumor & dolor dehinc excitati ſunt in ſiniſtro bypochondrio, poſtmodùm malum infeſtavit Ventriculum, unde quaſi palpitationes ſenſit, reſpiratio fuit difficilis, ut ſibi iu faucib. aliquid hærere videretur; cor anxium fuit; palpitationes moleſtas habuit, & quando palpitationes infeſtabant, ſe meliùs habuiſſe ab anxietate cordis teſtata eſt; quando cor palpitaverat vel angebatur ſudor ipſi erumpebat.

Itaque ex his ſatis patet, affectum hunc eſſe ſuffocationem uterinam Medicis ſic dictam, à flatus ortam, quod patet, quia erumpentib. flatus levamen habuit; humores autem illi, ex quibus flatus ſunt excitati, admodùm viſcidi fuerunt, quia tamdiu duravit malum, ut non facilè diſſolvi potuiſſent: locum & focum iſtios materiæ viſcidæ agnoſcimus abdomen, & imprimis inteſtinum duodenum & Ventriculum, in lumbis enlm ſenſit dolorem, & in ventriculo palpitationem, ex quo flatus emiſit. Hyſterica autem paſſio cum affectione hypochondriaca maximè conveuit, & differt ab hac in eo, quod in hypochondriaca affectione ſtrangulatio non adſit. In curatione autem hoc præſtandum, ut humores viſcidi & tenaces iucidantur, attenuentur, & ad evacuationem per epicraſin præparentur, quod ſequ. pilulis præſtari poteſt.

℞. Gumm. Sagapen. cum Acet. Prap. ʒ ß.
Caſtor. Opt.
Maſtich. el. ana ℈ j.
Myrrh. Rub.
Chalyb. Prap. ana ℈ ß.
Trochiſc. Alhandal,
Reſin. Jalapp.
Reſin Scammon. ana ℈ j.
Ol. deſt. Succin. gutt. vj.
M. f. Pilul. num. XXX.
Aſſum. quotidiè v.
Convaluit.

CASUS LXIX.

MUlier quædam per 5. menſes febricitavit, & inde per 6. ſeptimanas alvi fluxum continuum paſſa eſt, ut quæ aſſumpſerat, non ſolùm inſipida ipſi viderentur, ſed & eadem per inferiora ſtatim rejecit; nauſea adeſt, ſitis magna, vires ſunt proſtratæ, maximèque friget.

Hodiè 9. Nov. quater dejecit; itaque de ſeq. Mixtura, quæ vires reficit, & moderatę adſtringit, ſæpiùs aſſumat Cochl.

℞. Diaſcord. Fracaſt. ʒ i ß.
Tinct. Cinnamom. ʒ iii.
Syrup. Myrtillor. ℥ j.
Aq. Plantag. ℥ iij.
M.

10. Nov. De Mixtura per diem & noct. aſſumſit, à quà bene ſe babere teſtatur multumque levaminis ſenſiſſe; iteretur itaque illa Mixt. eaque frequenter utatur.

11. Nov. Alvi fluxus planè ceſſavit, aſſumat frequenter de Mixt.

12. 13. Nov. Optimè ſe habet, nullaque ſymptomata ampliùs urgent; conqueritur ſaltem de apetitu proſtrato, in cujus reſtaurationem.

℞. Elix. Propriet. ʒ i.
Sumat gutt. vi. *è Cochleari cum vin. hor, dim. ante prand. & cœnam.*

14. 15. Nov. Optimè ſe habet, appetitus ſenſim redit, vireſque reſtaurantur, habet adhuc quod aſſumat de Elixir proprietat.

16. Nov. Omuia bene procedunt, nec ampliùs petit medicamenta.

CASUS LXX.

VIr quidam laboravit aliquando febre tertiana continua, in qua multum potus aſſumſit; febre per dies aliquot remiſſa inordinatè ſatis vixit, multoque potu ſe oneravit; paulò poſt incidit in ſummum totius corporis frigus, à quo immenſo lancinationes in Ventre ſuboriuntur, imprimis In ſiniſtro latere; Venter pedeſque valdè tument; quando ſe ab uno latere in alterum movet, quaſi humorem in ventre percipit. Febris adeſt erratica, & continuò friget, ut non poſſit incaleſcere; vires admodùm proſtratæ; pulſus admodùm debilis.

Aſcites hydropis ſpecies appellatur, ortus à febre prægreſſa, & potu nimia copia aſumpto. Quia autem vir hic die 18. Nov. noſocom. delatus eſt, nullumque medicamentum adhuc aſumpſit, & ſigna vix bonum futurum eventum demonſtrant; quia vires valdè ſunt proſtratæ, ſequ. medicamentum ei exhibeatur, de quo ſingulis horis Cochl. j. aſumat.

℞. Aqu. petroſel.
Theriacal. ſ. ana ℥ i ß.
Tinct. Cinnamom. ʒ vi.
Syr. quinque Rad. ℥ j.
Spir. Nitri gutt. viii.
M.

29. Nov. Omnia perversæ in hoc ægro se ostenduot, ot parum de ejus salute sperandum sit; frigus continuum & summum ipsum urget, externæ autem partes calent], & in partib. externis calor sentitur acris; pulsus frequens est admodùm & debilis, itaqoe ad instaurandas vires iteretur mixtura 18. Nov. præscr,

20. Nov. Hodiè vitamcum morte commutavit,

CASUS LXXI.

VErula quædam conquesta est admodùm de dolore in mictione, exulceratum enim est collum vesicę, & à nullo medicameoto majus levamen seosit, quàm à pilul, sequ.

℞. Mass. Pil. de cynogloss. ℥ß
F. pilul. num. lx.
Assumat singulis bihoriis j.

6. Jan. 1661. Cooquesta est de immensis ventris dolorib. incipientibus à lumbis, & versus pedes tendentibus, prę illis quiescere non potest; alvus satis libera est, itaque de sequ. mixtura subinde cochl. j. assumat.

℞. Aqu. petrosel.
Fænic. ana ℥i,
Acet. stillat. ʒvi.
Ocul. Cancr. ʒß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ℥i.
M.

5. Jan. Multum levaminis habuit à mixtura.

CASUS LXXII.

VIr quidam de febre erratica conqueritur, quę ipsum jam aliquando duob. trib. quaternisve dieb. invasit, & cujus frigus per duas aliquando tres quatuorve horas durat, nec valdè urget; quando paroxysmus ingruit, circa lumbos frigus seotit; de dolore ventris etiam maximè conqueritur, ut omnia sibi dilacerari in abdomine videantur (hęc autem omnia in frigore percipit,) per 10. septimanas malè habuit, nullo adhibito medicamento, alvus segnior est, & sapor oidorosus in ore percipitur; urina crassa; pulsus celer, nec nec adeò debilis.

Explicatio cum Curatione.

Vir hic febre erratica laborat, quod ex casu superfluè patet; primariò afficiontur intestina quod dolor illorum maxime evincit; ingruente paroxysmo afficitur quoque cor, delata scil. materia ad ipsum, ibique irritationem instituente febrilem.

Causa autem videtur esse homor pituitosus subacidus & biliosus qui sibi iovicem misti sunt. Pituitam in vitio esse evincit affectus in loognm tempus protractus, & frigus illud, quod maximè prę calore sentit æger. Bilem quoque io vitio esse, indigitat calor, quem remisso frigore ęger percipit, ut & nidorosus ille sapor, per totum os dispersus.

Quòd autem febris hęc mox 2. tertio aot quarto die se manifestat, id est partim à dispositione humoris quantitate aut qualitate peccaotis, si nimirum ita dispositus sit hoc vel illo die, ut fluxilis reddatur, partim à dispositione viarum, per quas defertur ad cor, ibique febrem causat,

CURATIO.

Quia hic ęger nullum remed. in sui auxiliom assumpsit, & hac die in Nosocomium delatus est, qni dies est intermissionis, pilul. sequ. ordinatę fuerunt, de quibus qoinque horæ 6. vespertinæ assumpsit; eodem modo singulis intermisionis diebus procedente, quando commodiùs ipsi videatur tempus, sive conveoiens id fit, sive manè sive vesperi; & in hunc fiuem potissimùm ordinatę sunt, quia alvus erat segnior.

℞. Gumm. ammon. c.
Acet. prap. ʒß.
Mastich. el. ℈j.
Trochisc. alhandal. gr. xv,
Ol. dest. gran. Junip. gutt. vi.
M. f. pilul. num. xxx.
Dos. num. v,

Hæ pilul. maximè incidunt & attenuant humores viscidos & lentor.

Ingrueote paroxysmo assumat sequ. haust.

℞. Aqu. fumar. ℥ß.
Theriacal. simpl. ʒiii,
Sal. Armoniac. gr. xv.
Syr. quinque Rad, ℥ß.
M. f. haust.

NB. Sudoris causa est primò Aer, si calidus & humidus, qui maximè sudorem promovet. 2. Alimenta, si calidè adhibeaotur. 3. Motus corporis omnis, uti & animi, imprimis qui sunt conjuncti cum aliqua sollicitudine. 4. Excreta & reteota; si quis adstrictioris sit alvi, aut urioam oon debito modo excernat. 5. Somnus magis facit ad sudorem, minùs autem vigiliæ. Itaque his omnibus benè pensitatis causis in genere, transeundum ad causa speciales sudoris in hoc ægro, in quo prædictæ causæ locum habent, & humores redditi volatiliores & fluidiores, facta scil. ebullitione, unde moti sunt humores & foras propulsi; & in illis, qui valdè sudaot, notatur febricula, pulsus eoim celer, & magnus deprehenditur à sanguinis rarefactione; & observandum oon esse commodum sistere subito sudorem, sed potius temporis tractu hoc fieri debet.

CASUS LXXIII.

VIr quidam per 15. dies febre tertiana cootinuò laboravit, accedente paroxysmo frigus à lumbis incipit, & dehinc per totum corpus dispergitur; tremor artuom adest; primis dieb. dolorem pectoris iu sinistro latere sensit, iam verò die 8. Nov. cùm in nosocomium delatus esset, dolorem lateris dextri persentiscit; oullum calorem percipit, sed frigus cum insigni tremore, rigore autem remisso. tremoreque cesso, capitis dolor adest, tantusque ut omnia aspecta ipsi duplica videantur, item post tremorem incalescentiam in corde instar ignis urentis percipit, nullo manifesto io aliis corporis partib. calore; sitis ad est magna; pulsus celer & frequens; & urina turbida.

EXPLICATIO.

Febrem hanc tertianam esse patet ex caso, afficitur autem cor causaque febrem excitant est humor pituitosus & biliosus, prævalet autem pituitosos.

Die 25. Novembris Manè hor. 3. paroxysmum habuit; frigus fuit blandius, duravitque per doas horas; leve frigus fuit in regione lumbolrum; remitteote frigore in curib. taotus est excitatus dolor, isque lancinans, ut non potuerit incedere, durans per 3. hor. cujus causa videtur esse aut spiritus acidus, ut sal lixiviosum, delatum ad cruris partes sensibiles; non autem à sale lixivioso dolorem dependisse, sed potiùs à spir. acido, his rationibus probat Cl. Sylv. quia dolor fuit lancinaos & duravit per 3. hor. si enim à sale lixivioso fuisset, vix horam excessisset. Hoc patet in ulcerib. sordidis, quæ si probè à sordib. liberentur, & spiritu Vitrioli eluantur, dolor est acerrimus, qui tamen vel ad hor. 3. vel nonnunqoam ad integram diem extenditur; quod non fit à sale lixivioso barbitonsorum, quod nihil aliud est, quàm sal lixiviosum, ubi dolor nec horam excitatur, horam excedit 2. Dolor, qui à spir. acido excitatur, laocinans & acerrimus est, qui autem à sale lixivioso, ureus est, citòque cessat; quod experimentum etiam licèt observare io ulceribus sordidis; qnia autem dolor ille ægrum non ampliùs urget, ideo iteretur haust. in mox præcedente casu præscriptus,

13. Dec. Dolores seotit maguos io intestioo colo & tum quidem, quando dejicere vult, ut & aliquem calorem in illo intestino; excrementa quæ dejicit, durissima & valdè calida sunt, causa hujus doloris videtur esse acrimonia istorum excrementorum, vellicaos ipsum intestinum, & quia admodùm dura suot,

ſunt ; diſtendunt primùm, unde moleſta ſenſatio; præterea non improbabile videtur, eſſe quandam excoriationem in illo inteſtino, quia dolorem tantùm in illo percipit, & non in aliis, aſſumat ergò de ſequ. decoct. ſubinde hauſtum.

℞. *Rad. alth.* ℨii.
Fol. malv.
Biſmalv. Heder. terr. ana Mj.
Tamarindor. ℥j.
Hord. mundat. ℥ß.
Coqu. ex aqu. put. in Colatur. ℥xx.
Diſſolv.
Syr. de Rhab. ſimpl. ℥ii ß.
M.

14. Dec. A decoct. quinquies dejecit, prima dejectio fuit cum dolore aliquo, ob acrementorum duritiem, reliquæ fuerunt ſine dolore; multaque aquoſa dejecit; non ſenſit hodiè paroxyſmum, ſed ſatis benè ſe habuit. Habet adhuc decoct. de quo cras iterum ſumat hauſtum;

CASUS LXXIV.

Mulier quædam ante tres dies malè ſe habere cœpit, à quo tempore febricitare incepit, alvuſque per illud tempus fuit conſtipata; calor viget continuò, ſed non adeò magnus eſt. Quia autem hoc malum Belgis familiare eſt, & in quibuſdam ſolo purgante aliquo medicamento curatur; itaque quia alvus eſt ſegnior, cras ſequ. hauſt. aſſumat.

℞. *Elect. Cholagog.*
Aqu. Betonic. q. ſ.
Pro hauſt.

8. & 9. Dec. His diebus ſpeciem ſalivationis habuit; continuò enim os ſaliva diffluebat; & uti Cl. Sylv. obſervavit, id ſæpiùs contingit, nam tali modo morbi ſolvuntur.

18. Dec. Conqueritur hodiè phlegmata viſcida & amara ſemper in ore ipſius colligi, ut neſciat, unde illa proveniant; quorum cauſa eſt permixtio quia per modum halitus ſurſum ad os ex ventriculo aſcendit, ibique ſalivæ permixta illam inſpiſſat; & hoc patet exinde magis, quia ante aliquot dies, cùm malè ſe admodùm habere, valdeque debilis eſſet, ſalivationem tanquam criſin aliquam paſſa eſt, à quo tempore meliùs ſe habere cœpit, & quæ hactenus nondum planè ceſſavit: & quia ſalivæ, quæ in ſalivationibus etiam viſcida eſt, bilis permiſcetur, magis incraſſatur & quia illa ſalivatione materia tanquam per modum criſeos ſe exonerat à vitioſis humoribus, non temerè illa impedienda eſt, ſed bilis, quæ motu peccat, corrigenda.

CASUS LXXV.

An. 1661. 11. Nov. Ancilla quædam per aliquot ſeptimanas ſcrophulis in collo, quæ illud totum circumcingebant, laborabit, ad cujus curationem tales præſcriptæ ſunt pilul.

℞. *Gumm. Galban. c. acet. prap.* ℥ß.
Myrrh. Rub.
Maſtich. el. ana ℈j.
Chalyb. prap.
Caſtor. opt.
Croc. orient. ana ℈ß.
Trochiſc. Alhandal ℨß.
Reſin. Jalapp. ℈j.
Ol. deſt. gran. Junip. gutt. viii.
M. ſ. pilul. num. lx.
Aſſumat ſingulis dieb. v.
Prætereà imponatur ſingul dieb. empl. diachyl. c. gumm.

A die 10. uſque ad 20. aſſumpſit ſingul. dieb. quinq; pilul. & ſemper commodè purgata fuit ſemper quater aut quinquies.

Hodie die 21. Nov. conqueſta eſt de dolore capitis & cardialgia; pulſus ſatis debilis; noctu non poteſt quieſcere; itaque ſequ. medicamentum aſſumat cochleatim, & imprimis ſub veſperam.

℞. *Aqu. Menth.*
Fœnic. ana ℥j.
Tinct. Cinnamom. ℨß.
Laud. Opiat. gr. ij.
Syr. quinque Rad. ℥j.
M.

22. Nov. Benè ſe iterum habet, cras iterum utatur pilulis.

23. 24. Commodè hiſce dieb. dejecit à pilul. & benè ſe habuit. Habet adhuc pilul. quibus utatur.

25. Nov. Hodiè conqueſta eſt de anguſtia cordis, quaſi cor opprimeretur aquis, & funiculo quaſi ſuſpenſum eſſet; multum ſalivæ ex ore effluxit, cujus cauſa poteſt eſſe, quia ſcrophulis in collo laborat, ubi glandulæ affectæ ſunt, glandulæ autem, uti notum eſt, ſcatent humoribus; itaque quia hactenus medicamentis adhibitis humores viſcidi magis ſoluti ſunt & perveniunt jam ad Ventriculum, magnaque copia confluunt, viſcidiſque humoribus in eo hærentibus permiſcentur, ac quaſi aquis opprimi videtur, imprimis quia ſaliva etiam magna in copia ad Ventriculum defertur; itaque humores in Ventriculo hærentes educantur, cras manè ſequ. aſſumat hauſt.

℞. *Elect. Hydragog.* ℨiii.
Aqu. fœnic. q. ſ.
Pro hauſt.

Hodiè conqueſta eſt de dolore primò in lumbis oriente, deinde ad ſiniſtrum hypocondrium vergente; cum levi frigore incedit dolor, quod frigus ſubſequitur levis calor, quæ ſymptomata levem teſtantur febrem; dolor fuit tendinoſus, vergens à lumbis in ſiniſtrum latus, cauſa fuit pituita in inteſtino tenui bili permixta, quibus humoribus effervefactis flatus excitati ſunt, qui dolorem illum cauſarunt.

1. Dec. Conqueſta eſt de anguſtia circa ventriculum, & ſibi eſſe, quaſi in animi deliquium incidere vellet. à vaporibus ſurſum ad cor aſcendentibus.
de dolore hypochondriorum, imprimis ſiniſtri; & de anguſtia circa præcordia; itaque cras ſecetur vena in pede, ſanguiſque mittatur ad ℥iiij. vel v.

Benè ſe habet poſt Ven. ſect.

CASUS LXXVI.

An. 1660. 9. Nov. & 10. Fœmina quædam de dolore faucium maximè conqueſta eſt, erant enim tumidæ & rubicundæ, ut difficulter deglutire poſſet, talem igitur gargariſmum ipſi præſcripſit Cl. Sylvius.

℞. *Aqu. hord.* ℥viii
Mell. Roſat. colat. ℥i ß.
Lapid. prunell. ℈ii.
M. ſ. gargariſm. quo ſæpius gargarizentur fauces.

2. Dec. Ab aſſumto pharmaco hydragogo quinquies dejecit, quæ excrevit aquea fuerunt, & ante meridiem malè ſe habuit, ubi aliquid ex Ventriculo ad gulam uſque aſcendit aquei viſcidique humoris, quem tamen exſpuere non poterat, ſed deglutire coacta, cujus cauſa ſunt vapores viſcidi e Ventriculo elevati, qui aliquam viſciditatem in ſe habuerunt, ut commodè illos non poſſet excernere; leviſſimam habuit febrem, habet adhuc mixturam. qua utatur.

16. Dec. Hac nocte hora quinta paroxyſm. ubi tres hor. ante paroxyſmum frigus & dolorem ſenſit in capite, qui dolor poſtmodom quaſi è capite in lumbos deſcendebat; cauſa etſi difficilis, tamen conjicere licet, fuiſſe humorem frigidum in capite hærentem, & ſecundùm ductum nervorum delatum per ductum dorſi versùs lumbos, cùm paroxyſmus invaderet, frigus moleſtum per tres hor. ſenſit, in regione lumborum primò, & deinde per totum corporis habitum diſperſum, internè quidem frigebat, externè autem calebat; frigus hoc ſubſecutus eſt

est calor, qui etiam molestus fuit, & valdè sitivit, & duravit paroxysmus per totum diem.

Ad eliciendam materiam frigidam & viscidam è capite, in nares immittat folium nicotianæ, quod sine cerebri perturbatione humores è capite prolicit.

26. Nov. Heri circa hor. nonam quasi novum paroxysmum sensit, sed sine frigore & calorem, horum vice verò dolor lancinens ac terebrans attus tam superiores quam inferiores, per sesquihoram invasit, in interioribus autem nullum sensit dolorem, ubi tunc in sudorem incidebat, exterioresque partes calore tunc ardebant, & tunc dolor remisit, & in somnum incidit, ex hoc expergefacta optimè se habuit, & tali modo, ut quasi tota sana esset, nec hodiè ampliùs quid incommodi sensit. Causam hujus doloris Cl. Sylvius fuisse suspicatur bilem cum spiritu acido permistam, qui humores paroxysmo febrili moti delati sunt ad partes corporis externas, ubi tunc, cùm mediante sudore pori cutis fuerunt aperti, discussi sunt, & tunc dolor remisit, & bonum Cl. Sylv. signum putat esse, quòd materia febrilis ad partes exteriores deferatur: quia autem jam nihil incommodi patitur, iteretur haust sequ.

℞. Aqu. fumar. ℥ ß.
Theriacal. s. ʒ iii.
Sal. armoniac. gr. xv.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
M.

30. 31. Nov. Hisce dieb. non sensit febrem, sed conquesta est de dolorib. Ventris sub umbilico, qui dolores durant per horam, & tunc secedunt flatus non emittit, nec venter tumet; ergò à materia viscida in qua latet spiritus acidus, cui materiæ viscidæ accedens bilis effervescentiam causat, & tunc magis solvuntur illi humores acres, doloremque efficiunt.

7. Dec. Heri vesperi sensit febrem, frigus non grave fuit, sed durante frigore dolorem sensit quasi conquassantem artus, quem primò sensit in lumbis, cujus causa fuit humor vitiosus acris effervefactus in intestino tenui receptus in vasa, propulsus ad partes artuum sensibiles sive periostia dolorem contundentem instituit, & ex humore illo sanguine permixto halitus & flatus quoque potuerunt excitari, unde dolor non continuus fuit, sed intermittens. Et notandum, quia hæc ægra est melancholica & primo tempore febre quartana laboravit, quæ jam planè vaga facta est, curari tamen debere ut quartanam.

CASUS LXXVII.

Vir quidam de febre quartana, dolore partium externar. & summo frigore conqueritur; partes corporis sunt debiles, externæ scil. & tremor illas infestat; inter omnia, medicamenta sudorifera ei fuerunt exhibita, quia maximè pronus erat ad sudorem; primis diebus benè se habuit, post adhibita sudorifera; itaque quia die 9. in Nosocomium fuit delatus, ut prorsus curaretur, ad relata ejus Cl. Sylv. sequ sudorifer. ei præscripsit.

℞. Aqu. Card. bened. ℥ ß.
Theriacal. simpl. ʒ iii.
Antimon. diaphor. gr. viii.
Syr. papav. errat. ℥ ß.
M. pro haust.

14. 15. Nov. Febris quartana ferè sublata est, hac 15. Nov. nocte levem sensit paroxysmum; jam de angustiis & tensione hypochondriorum conqueritur, & de ingenti tusse, ut lachrymæ ex oculis erumpant, quando tussit; post cibum assumtum tussis illum maximè affligit & adeò, ut sedere cogatur, cujus causa videntur esse halitus è Ventriculo sursum ascendentes, itaque statim post cibum assumat pilul. i. de sequ.

℞. Mass. Pil. de Cynogloss. ℈ j.
F. pil. num. viii.

20. Nov. Anhelosè respirat, cujus causa videtur esse materia viscida per pulmones circulata, flatus excitans, hinc sanguinis motus segnior, unde pulmones commodè dilatari nō possunt; præparetur itaque decoctum, de quo sæpiùs in die haustum assumat.

℞. Rad. Apii,
Levistic. ana ℥ ß.
Baccar. Junip. ℥ j.
Rasur. lign. Guajac. ℥ ii.
Sem. anis.
Fœnic. ana ʒ ii.
Coqu. ex aqu. pur. s. a. in Colat. ℥ xxx.
Dissolv.
Syr. Menth. ℥ iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ ii.
Nitr. ℈ j.
M.

21. 22. Nov. A decocto levamen habuit, & commodè potest respirare, tussiendoque ejicere phlegmata.

25. Nov. Hodiè paroxysmum non sensit, & in omnibus meliùs se haber; per os ejicit phlegmata pura; de terrore tantillo, qui ipsi in somno contingit, conqueritur, terror autem à spir. acido ad partes sensibiles cerebri per intervalla delato provenit; quia autem spiritus ille acidus contemperatione indiget; præstare autem hoc potest mixtura superiùs præscripta, ideò iteranda est.

28. 29. Heri 28. Nov. Habuit febrem, ut & hodiè, sed hodierna non tam gravis fuit, qualis hesterna; in hesterna nullum sensit frigus, nec calorem, sed loco horum per 4. hor. perpetuò oscitavit, & hodiè per sesquihoram cum anhelosa respiratione, cujus causa fuerunt halitus è Ventriculo ascendentes, & quia oscitatio est symptomata respirationis (respiratio enim est intercepta quando oscitamus,) & halitus illi mediante aere in pulmones inspirando ingrediuntur, & tunc pulmones halitus illos excludere conantur; quamdiu autem tales halitus sursum ascendunt, & tali modo ad pulmones veniunt, tamdiu oscitationes fiunt; si autem halitus illi sanguine permiscentur, ac ad partes musculosas deferuntur, pandiculationes contingunt.

30. Nov. Hodiè habuit febrem hora prima, quæ tali modo invasit, uti hesterna, primò enim aliquid sursum ascendere sensit, unde oscitationes, sed non tam vehementes & diuturnæ ut hesternæ, & præterea quoque levem vertiginem sensit; anhelosa fuit respiratio, & tussis urget; oscitationibus & vertigine remissis fatigationes & dolores pungitivos per 3. hor. in manibus & pedibus sensit, ut quasi defatigata talia membra essent, cujus causa fuit materia viscida delata sursum, & deinde cum sanguine ad partes musculosas pedum & brachiorum.

Viscidam fuisse materiam constat, quia per duas hor. tales dolores duravere.

15. Nov. Hodiè benè se haber; conquestus est saltem de dolore, quem sentit in urina reddenda per totum urethræ ductum, retulitque hoc malum sibi familiare esse, & hoc accidisse ei sæpiùs quòd nonnunquam per quinque dies non potuerit reddere urinam, sed quando eam iterum reddere potuisset, passum tunc fuisse urinæ stillicidium, ut sæpiùs mingere coactus fuerit, & una vice ultrà tria coehlearia urinæ plena non emiserit; & quę urina post ischuriam illam emissa erat, ita fœtuit, ut nemo talem eius potuisset ferre odorem, ea vero quę postmodum reddita est, non fœtuit, & urinæ sedimentum tunc fuit purulentum, ut ipse narravit, hocque malum passus est, antequam delatus fuit in nosocomium; sed jam tantummodò conquestus est de dolore in redditione urinę, non autem de illis, quę ipsi anteà acciderunt, & cùm illud malum sensit, dolorem passus est in regione lumborum, & urinæ magis fœtebat, quando celebat, & causa hujus ischuriæ fuit obstructio in renibus à sanguine viscido qui aliquid in se habuit, ut potuerit constringere meatus in renibus, hinc sanguis ille diu subsistens, denique purulentus factus, & sensim resolutus guttatim excretus est. Cùm autem lotium suum hic æger non observavit, curetur ut ad asservet.

17. Nov. Hactenus paroxysmum sensit quotidiè, à preterito die duodecimo usque ad hunc diem, circa

circa vesperam hor, 7. invadentem, & hodiè ille hor 12. pomerid. illum passus est, cum tensione in regione lumborum, & debine totius abdominis, per qnatuor dies tumuit abdomen, sed magis in paroxysmo, qui tumor remisso paroxysmo cessat; signum est, flatus in frigore exeitari, unde tumor, in superficie corporis dolorem siusit, non autem in interioribus, partibus quod bonum est signum, indicat enim causæ morbificę translationem versus partes exteriores; lingna obducta est phlegmate. Hodiè hor. 10. maturina habnit febrem, anteà frigna in præcedentibus parusysmis molestum fuit, jam autem calor; & sensit dolorem capitis & Ardorem in plaotis pednm; assumsit hodiè manè pilul. sed nondum aliquid pręstiterunt, & hoc sæpius contingis ut superveniente paroxysmo febrili vis medicamenti obtundatur; & si operantur, hoc pręstant finito paroxylmn, & hujus eausa patet ex inde, si consideretur, quid in principio paroxysmi moveatur, & Cl. Sylv, putat febrium omnium intermittentium sedem esse pancreas; ex quo spiritus aeidus qui secernitur in panereate, per eius ductnm defertur ad intestinum tenue, hinc sese jungit pituitæ, quæ semper in intestino illo est, & bilis, quæ per ductum bilarinm eò defertur, effervescentia fit, (uti hoc patet ex symptomatis, quid prodeunt in paroxysmo) & ita via medicamenti à copia spiritus acidi impeditur; & quò major ejus eopia est, eò quoque gravius est frigus, inde coagulatio quasi fit purgantium medicamentorum, quæ scatent sale volatili ae spiritu aeido; superveniect autem calore sensim fit attenuatio, & hinc sub finem paroxysmi operari incipiunt.

29. Nov. Meliùs se habet, quàm aliàs, appetitus qui planè fuit prostratus, rediit; adhuc gr. ij. de sal. suu volat. fixato Cl. Sylv. ei exhibuit, post quę sensit primò dolorem in lumbis, deinde magnam perturbationem in roto corpore, ut nmnia susque deque moveri ipsi viderentur; aliquoties in illa perturbatione nauseabundus fuit, & quasi vomere vellet, sed non potuit, semper enim quando ad vomitum hodle proclivis fuit, deorsum aliquid deglutire coactus est; appetitus Indie magis redit, & adoratur, qui fuit depravatus per quinque dies, etiam hesterno die & hodiè, ad naturalem statum magis magisque pervenit; Cras iterum gr. ij. de sale illo Sylv. assumat. Iterum ex iis perturbationem sensit, primò in lumbis turoque Ventre & reliquo corpore, ut omoia io toto corpore mutata fuerint, posteà bis alvum deposuit; excrementa fuere planè naturalia, & optimè se jam habet, & quidem ita, qualiter ipsi nunquam fuit per biennium, quod ipsemet retulit.

CASUS LXXVIII.

ANcila quædam vigioti quatuor annor. ante aliquot septimanas in regione lumborum sensit frigus, quod debine per totum corpus dispergebatur, duravitque per sesquihoram, frigus deinde calor est subsecutus, qui doravit per quinque hor. pulsus fuit celer ae inæqualis; quaodo ealor ingruit, capitis dolorem sentit, & hæc symptomata de quarto in quartùm diem recurrunt; hactenus nulla adhibita sunt medicamenta, hodiè autem 20. Nov. in nosocomium, ut ad pristinum rediret statum, delata est.

EXPLICATIO.

Febrem quartanam esse, qua ancilla laborabat, satis patet, ex typo symptomatum, dequarto scil. in quartum diem recurrentium.

Causa autem istius frigoris, quod primùm in lumbis sentitur, est biliosi & pituitosi humoris effervescentia in Intestino duodeno; in illud enim intestinum duæ sunt iosertiones, videlicet ductus bilarius & pancreaticus; hinc concurrentibus Iilis humoribua & illis, qui jam in intestino hærent, effervesceotia fit, & quia primùm frigus persentiscit hęc ancilla, pituitam prędominare signum est, hinc materia illa ad cor delata irritans illud, unde pulsus eeler est. tisi frigat valdè, nam sępissimè pulsum oelerem de-

prehendimus in febricitantibus, etsi frigus illos summò urgeat; ad caput autem delara materia vitiosa capitis dolor ortus est.

Conquesta est die 24. de sanguine ex gingivis minimo illorum attactu effluente, itaque præscribatur gargarismus, quo sæpiùs os colluatur.

♃. *Rad. bistort.* ʒij.
Fol. salv.
Flor. Ros. rub. ana Mj.
Sem. levistic. ʒj.
Alum. crud. ʒij.
Coqu. ex aqu. pur. add. sub. fin.
Acet. vin. ℥ ii.
In colatur. ℥ xv. *dissolv.*
Mell. Rosat. ʒ i ß.
M.

21. Nov. Hodiè conquesta est de dolure capitis, retulitque se vermes aliquot per alvum dejecisse, itaque cras sequ. pulv. in cochl. cerevis. assumat.

♃. *Sem. Zedoar.* ʒi.
F. pulv. subtilissimus.

17. Jan. sequ. anni. Hactenus optimè se habuit, nullumque incommodum sensit, nisi quia tempus fluxus mensium instat, qui fluxus non contingit ex obstructione, cùm sanguis è narib. copiosè efflueret, incidit in tumorem & dolorem capitis, instar erysipelatis, & hoc contingit in iis, quibus menses debito tempore non fluunt, unde sanguis versùs aliam partem deferri necesse est; alvus est laxa, itaque sequens sudorifer. circa vesperam assumat.

♃. *Aqu. puleg.* ℥ ß.
Theriacal. f. ʒiii.
Antimon. diaphor. ℈ ß.
Syr. artemis. ℥ ß.
M. pro hauſt.

18. Jan. Assumsit sudorifer. & inde valdè sudavit, dolorque eapitis diminutus est, attameo egregiè adhue tumet & rubet; pulsatiooes in tempotibus sensit; oculos nnn potest aperire propter tumorem, laborat enim vero Erysipelate in capite, itaque in sequ, liquore humectetur lint. quod deinde faciei imponatur, & si exsiccatum sit, iterum humectetur, & hoc iteretur aliquoties; quòd si autem liquor justò crassior sit, aliquid vin. affundi potest, & probè misceatur. Liquor est sequ,

♃. *Teriac. vet.* ʒ iii,
Vin. alb. ℔ ß,
M. optimè.

Præterea quoque egregia est sequ. mixt. in hoc casus, de qua subinde codhl. j. assumat,

♃. *Aqu. petrosel.*
Fenic. ana ℥ i ß,
Acet. stillat. ʒ vi,
Ocul. Cancr. ℥ ß.
Syr. quinque Rad. ʒ vi,
M.

19. Jan. Paulò meliùs se habuit; conquesta est de ingenti siti, & non mirum, quia febris simul adest, itaque sequ. decoct. sitim sedat, sudorem enim movet, & alterat, pro lubitu subinde haust. tepidè sumat.

℞. *Rad. Scorzoner.* ℥ I ß.
Baccar. Junip. ℥ ii.
Rasur. C. C. ʒiii.
Sem. aquileg. ℥ ß.
Coqu. ex aqu. pur. ad
Colatur. ℥ xxx.
add.
Syr. papav. errat. ℥ iii.
Spir. nitr. ℈ j.
M.

20. 21. 22. Tumor in facie sensim imminuitur, & paulo meliùs se habet; valdè sitit, iteretur ergò decoct. 19. præscr.

CASUS LXXIX.

VIr quidam annos natus circiter 32. temperamenti calidi & humidi ab anno decimo

pueritiæ hæmorrhagiæ narium usque ad hoc suæ ætatis tempus subjectus, talem hæmorrhagiam post nimiam fatigationem à labore expertus est; ante quatuor autem septimanas in tantam incidit hæmorrhagiam, ut vix sisti potuisset, à quo tempore tussis ipsum invasit ut pleoas manus cruenti saoguinis primis diebus excreverit, & per aliquot dies accidit, ut excreationes cruentas per 10. dies per alvum passus sit, & ab ejusmodi excretionibus quasi in animi deliquium incidit. Ab eo tempore regio Ventriculi tumescere incepit, appetitus fuit prostratus; post cibum statim in tussim incidebat, ut omnia quasi evomere coactus esset; exhibitum ei fuit vomitorium, a quo evomuit viscida, viridia & amara; tussiendo autem vel vomendo excrevit sanguinem ex pulmonibus; cùm alii non sentiunt frigus, ille friget, & ab iojuria minima aeris offenditur, ingentem calorem ferre non potest, sed moderatum; dejectinnes mordent ipsi intestina. Post hæmorrhagiam & tussim Ventriculi tumor remansit, cum dolore conjuoctus, qui magis turget & urget post cibum assumptum; saliva satis crassa est, ructus aliquando post cibum potumque assurgunt, & tunc meliùs se habet; facies admodùm pallida est.

Affectus hic multi sunt & complicati, qui omnes ortum duxere ex larga hæmorrhagia præcedente, ex illa enim sanguis acrior potoit io pulmooes exstillare, ibique irritationem instituens tussim excitare, quod patet ex sanguine cruento, quem mediante tussi excrevit; sanguis præterea potuit colligi ex larga illa hæmorrhagia in Ventricoli cavitate, ibique cum aliis humoribus permisceri & subsistere, onde tumor Ventriculi, & ex materia illa viscida sanguinea provenit, ut alimenta assumpta moa in acrem & viscidam materiam à Ventriculo convertantur, unde à Ventriculo irritato rejiciuntur per vomitum alimenta assumpta, & ex sanguine illo tum copia tum qualitate acri potuerunt oscula vasorum in intestinis erodi, unde cruentæ & dolorificæ dejectiones, ventriculi dolor quia autem pars oleosa & spirituosa per largam hæmorrhagiam è sanguine absumta est; hinc minimas aeris injurias ferre non potest: Tussis & tumor ventriculi, qui post hæmorrhagiam remansit, à materia pituitosa & viscida tenaciter ventriculo impacta pendet; ructus, qui post cibum assurgunt, proveniunt, quia fermentatio in ventriculo quidem incboatur, sed à copia materiæ viscidæ non potest convenienter ac debitò perfici, unde ventriculos distenditur, ructusque proveniunt; pallor faciei præterea notatur, à partibus serosis & pituitosis sanguini permistis.

CURATIO.

Quia appetitus prostratus est, & tussis maximè urget, exhibeatur sequ. medicamentum, quod humorem viscidom flatibus permixtum & in ventriculo fixum hærentem paululùm emendat, primo igitur loco assumat Elix. propriet. ʒi, de qua assumat Gutt. viij. ante cibum.

Ad humorem viscidom emendandum præscribantur sequ. pilul. de quibus singulis dieb. v. assumat, non neglecta hor. i. aote cibum Elix. propr. assumptione.

℞. *Gumm. ammoniac. c. acet. prap.* ʒß.
Mastich. el. ℈ i.
Salis Tartar. Vitriolat. gr. xv.
Myrrh. rub. ℈ß.
Croc. Britann. gr. vi.
Aloes Rosat.
Resin. Jalapp. ana ℈ j.
Ol. dest. Junip. gutt. vii.
M. f. pilul. num. xxx.
De quibus hac vespera v. assumat.

19. Nov. A pilul. heri vesperi assumptis ter dejecit, & quidem cum minoribus torminibus quàm anteà, conqueritur de dolore ventriculi, qui illum adeò vexat, ut manum ei semper imponere cogatur, quod signum est, humores viscidos & tenaces in ventriculo hærentes continuo flatus excitare, itaque de sequ. decocto sæpiùs de die haustum assumat, hoc enim vim habet incidendi & attenuandi humores viscidos, flatusque incidendi.

℞. *Rad. apii.*
Levistic. ana ℥ß.
Baccar. Junip. ℥j.
Rasur. lign. guajac. ℥ii.
Sem. anis.
Fœnic. ana ʒii.
Coqu. in s. q. aqu. pur. in colatur. ℥ xxx.
Dissolv.
Syr. Menth. ℥iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ii.
Nitr. ℈i.
M.

21, 22. Nov. Quotiescumque dejicit, sensim tumor ventriculi remittit, ab assumpto autem cibo & potu intumescit; quaodo manè surgit è lecto, pedes tument, & maximè vesperi; assumat diligenter de decocto, & cras iterum assumat pilul.

26. Nov. In omnibus bene se habet, nisi quòd tumor pedum & ventris aliquis appareat, à materia aliqua inter cutem & partem carnosam subsistente, ut igitur materia commodè evacuetur, de sequ. apozemate cras bonum haust. assumat.

℞. *Rad. Levistic.*
Apii ana ℥i.
Rasur. lign. guajac. ℥ iij.
Baccar. Junip. ℥ ij.
Pulp. colocynthid. ʒj.
Rad. Jalapp. ʒij.
Coqu. in s. q. aqu. pur.
ad Colatur. ℥ xl. *add.*
Syr. de helleb. nigr. ℥iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ ii.
M.

28. Nov. assumsit de hoc apozemate à quo admodùm copiosè dejecit & proinde 29. venter magis tumet, quàm anteà per biduum, quod signum est, à medicamento humores viscidos commotos admodum flatuosos esse, qui flatus ita ventrem distendunt, itaque ad eos discutiendos assumat subinde articulum de alio.

2. Dec. Hodiè multos flatus emisit, sed venter adhuc tumidus est; quando flatus emittit, meliùs se habet, qui proveniunt à materia viscida.

4. Dec. Heri vesperi assumpsit pilul. a quibus ter dejecit; venter io regione ventriculi valdè turget ac distentus est, & hoc contingit, quando humores admodùm viscidi solvuntur, aut io flatus vertuotur, tum distenditur abdomen.

5. 6. Dec. Heri paulò meliùs se habuit, sed hodiè ingentem dolorem in ventre sensit, qui iostar cinguli illum ambiebat, & singulis penè dieb. ei accidit, ut per hor. tantos & immanes cruciatus seutiat, qui tunc aliquo modo desinunt, quando flatus emittit, & hoc est à materia viscida, ex qua excitantor flatus, qui illos dolores causant, quinqoe oon remittunt, antequam flatus discutiantur.

8. Dec. Hodiè multos flatus emisit, à medicamento, exiguumque levamen sensit; die 9. Dec. conquestus est de dolore in extremitatibus costar. à distensione ipsius peritonæi, multosque flatus emisit, itaque linimentum aliquod præscribi debet, quod leniat illos dolores.

℞. *Ung. alth. simpl.*
Martiati ana ʒii.
Ol. alb. ℥ß.
M. f. linim. quo inungatur locus, in quo sentit dolorem.

CASUS LXXX.

Foemina quædam de angustiis circa præcordia conqueritur, die 16. Nov. delata est in nosocomium, ubi toto die friguit calorem non sensit. Quia autem tale frigus non senserit unquam, judicandum est, ab aere externo illud contigisse, præscripta est sequ. mixtura, quam assumsit redeunte frigore.

℞. *Aqu.*

℞. Aqu. fumar. ℥ij.
Theriacal. simpl. ℥j.
Acet. stillat. ʒ vj.
Spir. Vin. rectif. ʒiij.
Ocul. Cancr. ʒß.
Syrup. papav. errat. ℥j.
M. f. haust.

5. Nov. Frigus heri circa vesperam remisit; hodiè conquesta est de summa virium debilitate; & quando sedet quasi mares ad fauces adscenderent, ibique suffocationem quasi introducerent, asserit, quod symptoma quasi speciem suffocationis uterioæ denotat,

6. Jan. Conquesta est de summo ventris dolore; subinde febricitat, nocto sudat; sitit, & quando potum sssumit, statim eum rursus evomit.

CASUS LXXXI.

ANcilla quædam ante 3. septimanas incidit in febrem quotidianam continuam; ubi primùm in regione lumborum sensit frigus, quod duravit per sesqoihoram, & calor qui illud iosequitur, non tam gravis fuit; in paroxysmo sensit Ventriculi dolorem; alvus adhoc satis respoodet; hactenus nullum ei sdhibitum fuit medicamentom, sed hodiè die 16. Nov. in nosocomium delata est, ut restitueretur.

EXPLICATIO.

Febris hojus causa est materia biliosa, è ducto bilario in intestinum duodenum effusa, quæ si permisceatur cum humore è ductu pancreatico etiam in intestinum duodenum delato eoque vitioso, effervescuut, hinc ex illa effervescentia in regione lumborum seutitor frigus, & ad veotriculum delata sursum illa materia dolorem ibi excitat.

Ab assumpto pulv., sem. zedoar. excrevit 6. vermes.

CASUS LXXXII.

VIr quidam 43. snnor. aliquandiu laboravit erysipelate in pede; & quando novum medicamentum applicatur pedi, incidit in febrem gravem (qui à dolore pedis maxima fit perturbatio in toto corpore & maximè spirituum, hinc aliquid potuit latitare io corpore, quod ea illa perturbatione motum tunc acquisivit, & ad cor delatum, febrem excitavit,) alvus per 3. dies fuit adstricta.

29. Nov. A medicamento cholsgogo assumto hodiè semel dejecit, sed satis copiosè; quæ dejecit, acris fuere, ut ipsi quasi lancioaverint ipsam anum; habuit febrem, sed non tam gravem ut aliàs; tussis adest sicca, & aohelosa respiratio, illæque magis urgent, quando it cobitum, & in lecto jacet; causa autem tussis & anhelosæ respiratiouis videtur esse catarrhus acris & falsus (de quo etiam conqueritur, nimirum quòd ipsi subinde aqua falsa è naribus effluat,) unde seosim ex capite destillant humores acres, qui se insinuant circa bronchia pulmonnm, anhelosam respirationem causant, & ad pulmonum partes sensibiles tussim siccam eacitant.

25. Nov. Meliùs se habuit hodiè quàm præcedentibus diebus ab assumta emulsione humores acres temperante; febrem qoidem habuit, miuùs tamen gravem sed leviorem quàm aliàs; multum urinæ excrevit, cujos causa videtur esse, quia à medicamentis assumtis acres humores sunt leniti, contemperati ac ita dispositi, ut educi potueriot per vias uriuarias.

CASUS LXXXIII.

ANcilla quædsm per octiduum laboravit febre quotidiana, & primò cum iuvaderet, frigus sensit in lumbis, qoodque per totum corpus dispergebatur, dursbatque per 2. hor. hodiè delata est in nosocomium, ubi conquesta erat de paroaysmo; prætereà post frigus cùm seusim incalesceret, hemicrsniam patiebatur; alvus erat segnior & pulsus frequens.

EXPLICATIO.

Febrem hanc continuam quotidianam esse ex casu manifestum est, & ortam à pituitæ & bilis vitio, in intestino tenui collectæ; qui bumores, si effervescant, dolorem in lomhis causant; & quia pituita prædominium habet, frigus maximè urget.

Quando lectum petit, venter intumescit, manè verò rursus detumescit, imprimis qusndo flatus emittit.

CASUS LXXXIV.

JUvenis quidam annos natus circiter 24. per quadriennium fuit valetudinarius, sed per 6. septimanas pejùs se habere cœpit, & conqueritur de frigore continuo, quod sensit in lumbis, cum tensione tumoreque abdominis, frigusque tam continuò urget eum, ot super igni assidere cogatur, quàm primùm antem ab eo recedit, frigus graviter illum urget, ut calorem nullum habeat oec sentiat, nisi ab externo igne; dolor etiam ventris & capitis gravativus in parte aoteriore ipsum infestat, pulsu celer nec adeò debilis; sitis urget & quando bibit, statim sentit frigus in lumbis; appetitus aliquo modo urget & slvus laxa est; hactenus autem nihil assumpsit, sed die 30. in nosocomium delatus est, ut ad pristinam rediret vsletudinem

EXPLICATIO.

Ægrum hunc febre continua affligi, ex casu satis manifestò apparet; causa autem antecedens fuit, quòd per qoadriennium fuerit valetudinarius, quo tempore multum pituitæ potuit colligere, quæ jam causa proxima est hujus mali, omniumque symptomatum; quateous namque in intestioo duodeuo, quod pro parte affecta habetur, effervescit, flatus excitat, unde tensio, tumor, dolorque lumborum & ventris; flatus enim hi ad caput delati dolorem efficiunt gravativum; quia verò tota sanguinis massa inquinata est, continuum frigus ipsum urget.

Quia autem vires ex parte constant, nec ullum in affectus remotionem auailium est adhibitum, illa præscribi debent, quæ inciduot, attenuant & è corpore educunt bumorem peccantem.

1. Dec. Hodiè de decoct. aliquo purg. assumto rer copiosè & quidem eum torminibus dejecit, bodiè quoque retulit so per quadriennium tumorem glandularum io collo & sub axillis usque in banc diem sensisse, & nullum ad eundem adhibuisse medicamentum; quia sutem ad ejus curationem decoctum præscriptum valdè conveniens est, quia tumores isti glandularum à vitiato sanguine viscidiore originem duxerunt, de eo cras bonum haustum assumat, est autem decoct. sequ.

℞. Rad. Apii.
Fœnic. ana ℥ i.
Rasur. lign. Guajac. ℥ iii.
Pulp. colocynthid. ʒ j.
Passul. Maj. mundat. ℥ iiii.
Coq. in s. q. aqu. pur. in Colatur. ℥ xl.
Dissolv.
Syr. de helleb. nigr. ℥ iii.
Misce.

Foris ad discutiendam materiam illam viscidam imponantur omnibus glandulis valdè tumidis seq. empl.

℞. Empl. diachyl. c. gumm. ℥ ii.
Eatendatur super alut. Vel quod melius, sæpius illinantur glandulæ tumidæ sequ. ung.

℞. Ung. Martiati.
Dialth. Fernel. ana q. pl.
M.

8. 9. Dec. paulò meliùs se habet, nisi quòd conqueratur de molestia in ano, sentit enim in illo tumores ad instar pollicis, (hi tumores sunt

hæmorrhoides,) itaque de seq. ung. inungat tumores.

℞. Ung. populeon. ℥ij.
Bol. armen. ℈ j.
Opii in Ol. rosat. dissolut. ℈ ß.
M.

His diebus, etsi nullum haustum de decoct. assumat, tamen singulis hisce binis diebus sexies dejecit, & quidem copiosè; sensit præterea dolorem continuò in ventre, & qui cum insultu affligebat; cum autem tormina tanta essent, frigus sensit in lumbis sensim ascendens ad regionem ventriculi, quasi glaciei frigidæ admodum ibi hærentis; cùm autem tormina hæc paululùm desierint, calorem sentit in abdomine, & circa illas partes, quæ anteà frigebant.

Etsi autem hæc symptomata febrem habuisse comitem videntur, tamen febris non dicenda est, nam nec frigus nec calor dispersus est per totum corpus, quod in febribus contingit, sed saltem in abdomine hæserunt, itaque potius ventris tormina nominari debent.

Præterea tumor in ano à linim. detumuit.

Aliquod levamen habuit; de ariditate linguæ conqueritur; quando tussit, dolorem sentit, quasi caput diffindatur; & hunc sentit incipere à posteriore usque ad anteriorem capitis partem pertendere, cujus ratio est, quia ex vehementi motu concutiuntur partes cerebri, & quando ex illo motu partis duræ meningis constituentis processum falcatum se invicem tangunt, dolor ille quasi caput scindens percipitur.

17. Dec. Dolor capitis findens adhuc perseverat; conquestus est hodiè de tumore ventris & imprimis pedum; cujus causa est, quia beneficio ipsius medicamenti humores admodum viscidi, qui in ipso dominarunt, soluti & fluxiles redditi sunt, & ad partes jam deferuntur; præterea dolorem sensit in pectore sine tussi, quem anteà percipiebat cùm tussiret. Quia autem à decoct. 30. Nov. præscr. bene se habuit, nisi quod paulò fortius ipsum purgavit, iteretur idem, & loco ℥j. pulp. coloc. sumatur ℥ß.

18. Dec. Hodiè conquestus est de summo dolore in capite, ut corpus, propter ejus consensum, movere non posset; quando capite proclinat, summum dolorem in fronte percipit; quando illum elevat, quasi grave pondus in capite hæreat, ipsi videbatur. Mucus etiam è naribus non emunctis effluit, & horum symptomatum causa est quia materia illa soluta in vasa partim recepta & ad caput delata, partim extrà vasa in capite hærens partes sensibiles capitis afficit, unde dolor; itaque quia humores illi qualitate & quantitate peccant, corrigendi ac sensim emendandi sunt, & ita ad humores illos è capite eliciendos sternutatoria hic locum jam non habent, sed aliud quid substituendum, quod humores illos sine irritamento ad sternutationem è capite per nares proliciat, quod nullo alio medicamento præstari potest, quàm foliis majoran. tabaci, salv. aut betonic. in nares immissis.

Annotata ex sectione hujus cadaveris.

Abdomen valdè tumidum fuit, ab aqua, qua repletum fuit; per paracenthesin enim ultrà pintas 4. Belgicas durebatur.

Et hoc notandum in applicatione instrumenti (quod est fistula cava, argentea & lunga quæ in fine acuta sit, & in utroque latere duo habeat foramina, aut aqua, quamprimùm intromissum est, per ea intret, quæ etiam stylo argenteo sit prædita, qui extrahi pro necessitate posit, (in paracenthesi, ut duobus digitis transversis infra umbilicum, vitata linea alba intromittatur, & si multa aqua in abdomine contenta est, uti in hydrope fit, per intervalla immitatur, & quidem non in uno loco, ne mortificatio adveniat. Vulnus emplastro diapalma consolidari potest. Notandum etiam est hanc apertionem in principio hydropis, imprimis ejus, qui ex febr. ardentibus nimioque potu ortum dixit, locum habet, & ægri quam multi liberantur; ubi autem malum inveteratum est, aliquod lovamen quidem sentitur ægri, sed tamen non planè extirpatur malum.

Omentum planè sursum erat distractum, versus ventriculum, eratque glandulosum, & intestina prorsus nuda erant, sine omento; & illi, quibus hoc contingit, semper frigent, nisi continuò assideant igni, quod & fecit hic mortuus, cùm in vivis adhuc esset; Intestina incipiebant rubere quod erat signum corruptionis & acrimoniæ aquæ in abdomine contentæ.

Mesenterium plurimis glandulis majoribus & minoribus erat refertum; glandulæ magnæ æquabant magnitudinem nucis juglandis, minores autem nucis avellanæ, & paulò minores referebant magnitudinem pisi magni; omnesque glandulæ per totum Mesenter. ita dispersæ erant, totque ut intestina etiam magis versùs latera contorta fuerint; substantia glandularum planè gypsea erat; Intestina distenta erant à flatibus, & mox contracta a parte superiore & inferiore ejus distensionis, & in distensione illa observabantur dolores.

Ventriculus valdè parvus erat, & vesiculæ fellis proximus & per ligamentum vesiculæ firmiter annexus; & qui tale quid habent, delicatiores sunt, potest enim aliquid bilis mediante illo ligamento pervenire ad ipsum ventriculum; unde nausea.

NB. Omentum annectitur ventriculi parte superiore & inferiore, & constituit marsupium, sive cavitatem, in qua multi flatus & humores colligi possunt, ut inquit Hippocr.

Pancreas paulò durius erat, quàm debeat, sed non ita tumidum, & hoc contingit, quia per ductum suum se exonerare potuit; quod non item facere potuerunt glandulæ mesenterii. Pancreas æquans magnitudinem duorum pugnorum observavit Cl. Sylv. in sectione mulieris Amstelodami Anno 1658.

Lien paulò durior erat, quàm debebat, & satis magnus.

Vulgus Medicorum omnes affectus melancholicos lieni tribuit, dicuntque eos, qui magnos habent lienes, melancholicos esse summos, quod autem falsissimum est, & Cl. Sylv. illos, qui hoc asserunt, perrisit referens: Se 30. cadavera secuisse eorum, qui omnes pro melancholicis in vivis habiti fuerant, & in illis nullum viscus tam benè constitutum reperisse, quàm ipsum lienem.

Præterea Amstelodami Cl. Sylv. secuit cadaver alicujus Consiliarii, viri valdè hilaris & nunquam melancholiæ dediti, in quo reperit lienem quoad longitudinem 24. digitorum tranversorum, quoad latitudinem autem 8. digitor. & quoad crassitiem 5. digitor. & si melancholia magnis lienib. est adscribenda, in hoc viro maximè locum habuisset, in quo tamen nunquam ullius melancholiæ vestigia, cùm adhuc in vivis esset, notata fuerint.

Vesicula fellis valdè magna erat, & viridis coloris, qui color aliàs naturaliter obscurior esse debebat.

Vesica urinaria erat urina valdè repleta, & interna vesicæ substantia erat rubicunda, quod præter naturam fuit, speciem enim inflammationis minabatur; & talis rubor contingit ab acrimonia humoris, sive urinæ, quæ contenta in vesica paulò acrior erat, quàm debebat. Diaphragma per 3. digitos tranversos annexum erat, ultrà cartilaginem costarum, in ipsas costas.

Pulmones ubique per totum pectus firmiter annectebantur tam pleuræ, quàm ossi sterni, ut cum difficultate separari debebant, uterque lobus pulmonum superior tam dexter, quam sinister durus erat, ac glandulis plenus, inferior autem pars utriusque lobi naturalem consistentiam habebat. Glandulæ, quæ sub axillis tumidę & valdè magnę fuerunt, mollioris erant consistentię, quàm illę, quę fuerunt in omento, & his glandulis applicatum fuit liniment. ac emplastrum, cùm mortuus hic in vivis adhuc esset, quę talem mollitiem produxerunt & in affectibus glandularum nihil magis conducit, quàm gummata intus adhibere, extus verò linimenta & unguenta, ex ol. è lateribus, ung. Martiat. U. Alth. & imprimis Myrrha præ cæteris commendantur in his affectibus.

NB. Affectus glandularum familiarissimus est pueris, ubi abdomen valdè distentum & durum,

& re-

& reliquarum partium tabes apparet, German. dicitur *Das angewachsen.* Belg. autem *Gijf Rock*; voraces enim tunc sunt pueri, & suprà nominatis medicamentis facilè curari potest talis affectus. In pericardio glandula maxima instar parvæ nucis juglandis ubservabatur, talisque consistentiæ, qualis in omento fuerunt glandulæ. In cordis auricula dextra macula alba & magna reperiebatur, instar vesiculæ igne combustæ, & membrana quæ talem vesiculam constituebat, densa satis erat: causa autem hujus vesiculæ videtur fuisse humor aeris in illa membrana contentus.

Glandulæ, quæ in collo reperiebantur, ejudem substantiæ erant, ac illæ quæ fuerunt sub axillis, molioris scil. vi medicamentorum ita dispositæ.

Quatuur ductus salivales observabantur aspectum satis jucundi; in utraque nimirum gena primi duo, orti a glandulis conglomeratis seu parotidibus, desinentes in genæ partem internam; alteri duo ductus oriuntur à glandulis conglomeratis colli parte scil. dextra, & sinistra, terminantur autem sub linguam.

Cranium cùm aperiretur, intra illud spatium, quod est inter cranium & duram meningem, aqua contenta ibi effluebat, multaque aqua erat inter duas meninges quæ aqua in anteriore capitis parte cootenta spumosa erat; quod contingit a flatibus.

Sanguis & aqua reperiebantur in dextra cerebri parte & substantia, & sanguis nigricantis erat coloris, vasaque multo turgebant sanguine; in sinistro autem latere sanguis in substantia cerebri reperiebatur; non autem sanguis extravasatus, uti in dextro latere.

CASUS LXXXV.

3. Dec. JUvenis quidam ante 8. septimanas cùm valdè incalafactus maxime sitiret, bibit haustum aquæ frigidæ; post triduum autem cùm vellet opus suum ordinarium aggredi, pistor enim fuit, frigus in regione lumborum sensit, quod instar cinguli ventrem ambiebat, & ex eo tàm debilis, ut non potuerit stare; frigore hoc remisso, paulò meliùs cœpit habere, & ante septimanam, videlicet 27. Nov. dulur pectoris utriusque nempe lateris, cum ingenti tussi ipsum invasit, cum difficili respiratione conjunctus, tussiendo multa eiicit & quidem viscida; alvus per 3. dies fuit constipatior; pulsus celer ac frequens, sitisque urget.

Die 4. Dec. delatus est in Nosocomium, ut ad pristinam deduceretur valetudinem.

EXPLICATIO.

Juvenem hunc pleuritide laborare, colligere licet ex Symptomatibus, quæ illum infestant; conqueritur enim de laterum dolure difficultate respirandi & tussi.

Pulsus celer & frequens febrem adesse indicat.

Vidutur autem in hoc juvene peculiarem esse constitutionem & dispositionem sanguinis, & pituitam in eo dominare, quod patet ex eo, quia tamdiu & quidem per 8. septimanas latitavit malum, antequam in conspectum prodiret; si enim à sanguine bilioso urtum duxisset brevissimo id temporis spatiu sensisset, quod malum autem jam protractum est, ad nonam septimanam: deinde pituitam ejus causam esse, ex symptomatibus colligitur, dulor enim ipsum non adeò urget, ut in illis, qui pleuritide laborant ex sanguine bilioso; tussis etiam non gravis est, ut aliquem dolurem afferret, quàm tussim; si à sanguine bilioso esset pleuritis, vix eam ferre posset æger. Causa autem externa fuit haustus aquæ frigidæ copiosè ab hoc juvene æstuante & sudore madente haustus; nam is primò potuit aerem ingredientem in ipsos pulmones per asperam frigidiorem reddere: Secundò per œsophagum aqua illa frigida transiens, & in ventriculo existens clausit suo frigore multos in pulmone & pectore poros, per quos sanguis & vapores transire debebant, unde aliam viam eamque apertam quærunt, unde alii meatus plus justo aperiuntur; poris plus justo apertis sanguis pituitosus se in illos insinuavit, & ob viscuditatem suam tamdiu ibi hæsit, antequam facta effervescentia seu fermentatione talia pleuritidis symptomata inducere potuisset.

Die 4 Dec. Assumpsit medicamentum hydraghogum, à quo copiosè dejecit, quæ autem ejecit, valdè viscida fuerunt.

Die 6. Dec. A trochisc. becchic. materiam valdè solutam esse retulit, multaque tussiendo rejecit, quæ valdè cruda & viscida erant, quæ etiam confirmant pituitam hujus pleuritidis causam esse, si enim à sanguine bilioso, sputa illa fuissent corrupta.

Non inconveniens itaque est, ut materia illa viscida incidatur, attenuetur, & sensim evacuetur, in cujus usum de sequ. decoct. assumat bis in die haustum, & subinde de trochisc. utatur.

℞. Rad. Apii,
Fœnic. ana ℥j.
Rasur. lign. Guajac, ℥iij.
Baccar. Junip. ℥ij.
Sem. Anis.
Dauc. ana ʒij.
Coq. s. a. in Aqu. Pur. in Colatur. ℥xx. *dissolv.*
Syr. de Senna ℥iij.
M.
℞. Trochisc. Becchic. Alb. ℥ij.

8. 9. Dec. Heri die 8. ab apozemate copiosè dejecit; respiratio non tam gravis fuit, quàm alias: hodie die 9. multa tenuia & spumosa phlegmata tussiendo ejecit, quod signum est materiam illam crassam aliquo modo esse attenuatam; unde liberior fuit respiratio; quando manè tussit & quæ ejicit, fœtent; assumat itaque de trochisc. & de pilul.

℞. Mass. Pilul. de Cynogloss. ℈i.
F. Pilul. num, viii.
Sumat subinde j.

10. Dec. Per noctem & hoc die tussis non tam gravis fuit, prout & commodiùs respirare potuit; non multa phlegmata tussiendo ejecit. Quia autem conqueritur de dolure vermiculante, quem per quadriduum sensit in planta pedum, illumque magis exacerbare, quando igni assidet: Quia autem hujus doloris causa videtur esse humor acris, cum sanguinis delatus ad illas partes, non inconveniens videtur ad leniendam illam materiam acrem, fomentum præscribere, in quod pedes per quadrantem horæ manè & vesperi imponat, in cujus usum.

℞. Rad. Alth. ℥ii.
Fol. Malv.
Viol.
Verbasc. ana M. ii.
Sem. Lin.
Fœnugræc. ana ℥i.
Concisa & crasse contusa d. ad. chart.

Quæ dehinc coqu. in aqu. pur. per spatium horæ quadrantis, & balneum hoc servetur, ut iterum possit calefieri, & in ægrotantis usum adhiberi.

18. Dec. Habuit hodie paroxysmum cum levi frigore, & eo urgente assumpsit de decoct. quod autem statim evomuit, & hoc contingere solet, quando in paroxysmo humores moventur, si tunc quid assumitur, evumitur iterum; sed frigore remisso, & cùm paululum versatus in calore, qui frigus subsecutus est, iterum de decoct. sumpsit, à quo quinquies dejecit, quoad cætera paulò meliùs se habuit. Convaluit.

CASUS LXXXVI.

VIr quidam ante annos 12. ministravit figulu ad fornacem, ut extraheret vasa cocta, unde ab insigni fornacis æstu admodum incalescens valdè sitivit, ut sitim delere non posset; copiosè assumpsit frigidam, qua assumpta cœpit tussire, difficulter & anhelosè respirare & circa præcordia angi, nec non amplius

Plius potuerit interesse huic operi, hocque malum per 12. ann, continuò duravit, à quo tempore illud notavit, quando aliqua facta est aeris mutatio, corpus ejus quoque mutatum fuisse, ab aere autem sereno meliùs se habuit, ut & à caliditate; pejùs autem ab aere frigido & nebuloso; tussis quæ ab illo tempore sicca continuò fuit, & adhuc talis est; aere flante humidiore tussiendo aliquid ejicit; præterea quando lacticina aut alia humida assumit, in tantum intumescit venter, ut cogatur solvere ligamina, nullamque levamen sentit, nisi flatus emittat; ante 15. dies pedum & faciei tumorem leucophlegmaticum sensit, qui illum adhuc urget, alvus satis respondet, & symptomata supra narrata ipsum adhuc continuò comitantur.

EXPLICATIO.

Difficultas illa respirandi, qua vir hic laborat, est à materia viscida, quæ tenaciter impacta est ipsi pulmonum substantiæ, unde commodè distendi non possunt; uti enim spongia humore viscido infarcta difficulter distenditur, ita quoque pulmones; & quia in pulmonum substantia pituita illa firmiter hæret, tussis sicca causatur.

Materia autem quæ in pulmonum substantia hæret, pituita est admodum viscida, quod patet 1. quia pituita copiosè satis in his regionibus putà Belgicis, generatur, ab aere humido, qui dominatur, & propter aquarum viciniam. 2. Quia hic vir plebejus est, utens alimentis, quæ humorem illum generare & augere possunt. 3. Quia cùm adesset fornaci figulinæ, humores pituitosi magis inspissati sunt, & particulæ humidæ exhalarunt, assumpto autem potu liquefacta iterum fuit pituita & deducta ad cor, ex hoc in substantiam pulmonum; & quia continuò generatur pituita, continuum quoque malum per 12. annorum spatium fuit tractum; corpus autem extensum fuit à flatibus, assumpto enim potu aut alio liquore flatus in intestinis generantur, quia in Intestinis maxima pituitæ copia hæret.

CURATIO.

Quia leucophlegmaticus tumor, qui aliis symptomatibus supervenit, maximè urget, & reliqua symptomata non adeò urgent, quia adhuc officio suo potuerit fungi (per 12. enim annos fuit vigil nocturnus) & ob tumorem illum se die 7. Nov. in Nosocomium contulit, illius habenda est ratio priùs, & à leni purgante inchoandum, ut humores leniter per alvum educantur.

Die 8. A medicamento hydragogo quinquies copiosè satis & admodum blandè dejecit, asperitatem & siccitatem linguæ sentit, quando à somno expergiscitur, per hor. autem à somno, cùm expergefactus est, humida fit; & hæc linguæ siccitas est à vaporibus, qui in lingua subsident, de nocte cùm quiescit & non movetur, de die autem quia movetur lingua iterum humida redditur.

11. Commodè se habuit, conqueritur de lancinationibus, quas sentit in virga, & tunc semper quando hæ lancinationes ipsum urgent, urinam reddere cogitur, hocque malum per 7. septimanas sensit.

12. 13. Conquestus est de linguæ ariditate, quæ ipsi quidem videbatur actu arida, sed ad conspectum tamen humida erat; Urinam commodiùs excernit, & de dolore pectoris gravativo conqueritur, cujus causa est materia valdè viscida, ipsis pulmonibus impacta: ariditas autem linguæ, quæ ipsi planè arida videtur, actu tamen non erat, est à spiritus acido & bile, in se invicem mistis, si enim à bile sola, planè arida actu esset: de seq. decoct. subinde haustum assumat.

℞. *Rasur. lign. Guajac.* ℥ iii.
Rad. Liquir. Ras. ʒ vj.
Apii ℥ i ß.
Baccar. Junip. ℥ ij.
Ocul. Cancr. ʒ ii.
Pulp. Colocynthid ʒ I.
Fiat Decoct. in aqu. pur. ad colatur. ℥ xl.
In quibus dissolv.

Syr. de quinque Rad.
Senna ana ℥ ii.
Misce.

22. Dec. Conquestus est hodie de tumore scroti & intorsione virgæ ut vix urinam reddere possit, itaque seq. species coqu. in cerevis. tenui, madefactaque spongia in Decoct. calidè applicetur ipsis partibus.

℞. *Flor. Sambuc.*
Chamom. Rom.
Summitat. Melilot. ana M. j.
Fol. Alth.
Majoran. ana M. i ß.
Sem. Anis.
Cumin. ana ℥ ß.
M. & grosso modo contus. d. ad chart.

NB. Spongia madefacta probè iterum debet exprimi, antequam applicetur.

23. 24. Scrotum valdè intumuit, ut & virga valde tumida erat itaque de sequ. decocto singulis diebus assumat bis bonum haustum.

℞. *Cort. Rad. Ebul.*
Levistic. ana ℥ ß.
Rasur. lign. Guajac. ℥ ii.
Baccar. Junip. ℥ i ß.
Sem. Urt. Rom. ʒ iii.
Pulv. Rad. Jalapp. ʒ I ß.
F. Decoct. in Aqu. pur. ad colat. ℥ xxx.
add.
Syr. de Helleb. Nigr. ℥ iii.
Spir. Salis ℈ j.
Vin. rectif. ℥ iii.
Misc.

25. 26. 27. Hisce diebus usus est Apozemate, sed nihil dejecit, alvusque manet constipatior.

Scrotum valdè tumefactum, est, ut nec commodè se movere, decumbere aut incedere possit, præscriptæ fuerunt 21. Nov. herbæ in cerevis. decoquendæ ad arcendum illum tumorem, sed hactenus in usu earum valdè negligens fuit; itaque sæpissimè debet imponere spongiam vel linteum in decoct. madefactum, & hoc sæpissimè iterari debet.

Scrotum valdè molle erat, non autem induratum.

7. Tumor scroti & virgæ planè cessavit.

Post mortem ejus Cl. Sylvius instituit paracenthesin, ubi multa aqua ad heminas tres effluxit, multa etiam intus permansit.

CASUS LXXXVII.

Mulier quædam annos nata circiter 50. ante annum cùm vellet lectum petere, seque devestiret, incidit in animi deliquium, unde atrocissimos circa præcordia fuit passa dolores, evomuitque cruenta, & ab hoc tempore dolores sensit in toto ventre, & potissimùm in regione lumborum; ante 15. dies sensit dolorem valdè molestum circa inguina, & potissimùm in inguine sinistro, quando assurgit; lotium non potest excernere, decumbente autem ipsa spontè effluit, & quæ tunc effluit urina, cruenta est valdè, & una carunculæ cruentæ excernuntur; medicamenta quæ ipsi fuerunt adhibita, ab aliis Medicis, nihil levaminis ei attulerunt, quia autem malum illud valdè molestè illam urgebat, hodie die 11. Nov. delata est in Nosocom. ut ad pristinam rediret valetudinem.

EXPLICATIO.

Quia hæc ægra confusè admodum sua symptomata narrabat, ut illa tamen, quæ in casu proposita sunt, curiosè ex ipsius querela colligere possemus videtur, vomitum illum cruentum tum indicare sanguinis è rupto vase effusionem; & dum ruptio illa vasis alicujus contingit, deliquium animi ægra passa fuit & dolores circa præcordia à sanguine ad ventriculum confluente, qui cardialgiam partim acrimonia causatus est, partim copia sua, vel alia pravitate, unde vellicatio intestinorum & ventriculi.

Sed

Sed quod ad mictionem illam cruentam & intolerabiles dolores in inguine, videtur causam etiam esse sanguinem extravasatum, quæ apertio in renibus, aut in ipsa vesica facta est à sanguine acriori, & uti Cl. Sylv. vult, à spiritu acido erodente vasa & efficacissimos dolores inducente, unde sanguis extravasatus & in grumos concretus (ideò assurgens urinam commodè non potest emittere,) meatum vesicæ urinariæ obvelat, & ita urinæ exitum prohibet, decumbente autem ipsa magis cedit, ut major urinæ exitus pateat; grumosus enim sanguis acrior factus putrescit, & ulcus excitatur, unde dehinc dolor ille.

Itaque de his vid. aphor. 80. Sect. 4. 6. Hipp. cum interpretatione Hollerii.

Curationem quod attinet illud procurandum est ut spiritus acidus concentretur, vires debiles restaurentur, vasa aperta consolidentur, & si sanguis coagulatus, dissolvatur, quæ omnia sequ. mixtura præstare videtur, de qua subinde Cochl. j. assumat.

℞ Aqu. Plantag. ℥ ii.
Cinnamom. ℥ ß.
Acet. stillat. ʒ vj.
Ocul Cancr. ℈ i.
Sang. Dracon. ℈ ß.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syrup. Myrtillor. ℥ j.
M.

14. 15. Dec. Urinam cruentam non amplius excrevit, sed sedimentum purulentum est; conquesta est hodie de dolore quem sentit in urina omittenda, & quòd sæpius irritetur ad illam excernendam, cujus causa videtur esse, quia collum vesicæ exulceratum est quod colligitur ex dolore & sedimento purulento; hinc si urinæ particulæ acriores ac salsæ ad partem affectam perveniunt, irritatio fit ad excernendum urinam. Hodie quoque valdè vomuit, ac nauseabunda fuit; sitis eam etiam ursit, & de dolore, ubi sedes est vesicæ, conquesta fuit; utatur mixtura præscr. & Mas. Pil. de Cynogl. ℈ i. form. in Pilul. num. viii. sumat subinde j.

Hodie conquesta est de dolore circa regionem colli vesicæ, & de summa debilitate; magis tamen summa virium debilitate, quam de dolore urgente; urinam cruentam non amplius excernit, sed purulentum ac fœtidum in urina deprehenditur sedimentum.

22. Admodum nauseabunda fuit, ut nihil posset assumere; ab omnibus abhorret, & quando aliquid assumsit, è vestigio evomuit. Conquesta est de dolore & ardore in collo vesicæ, assumat i. de Pilul. de Cynoglos.

23. 24. His diebus cruentem urinam excrevit; nihil adhuc potuit assumere, nihil itaque præscript.

25. Postquam omnia medicamenta abhorrebat, & in pejus omnia mutata sunt, die 26. manè hor. 6. obiit.

CASUS LXXXVIII.

Puella quædam 16. annor. de dolore ventris & febre quotidiana conquesta est, quæ febris illam per 8. septimanas infestavit; de frigore non conqueritur, sed tantùm de tremore summo, quando paroxysmus eam invadit; nullum adhuc assumpsit medicamentum.

Curata est more ordinario, qui videri potest in aliis Casibus.

CASUS LXXXIX.

Vir quidam per quadrennium valetudinarius fuit, & antequam in hunc affectum, quem jam patitur, incidit, febribus lentis vagis ac erraticis vexatus fuit, unde intrà quadrans horæ bis terve frigeret & incalesceret; initio autem mensis Octobr. cùm valdè iratus esset, sensit in lumbis pulsationem, & quasi flammam sursum ad caput ascendere; unde caput valdè incaluit, & brevi post in linguæ paralysin incidit; crura que ita elevata sunt, ut non potuerit ea continere; & ab eo tempore non potuit dormire, & caput valdè doluit, dolorque gravis in brachiis valdè urgebat illum, artusque tam debiles, ut eos non potuerit movere; die 15. Nov. delatus est in Nosocomium.

EXPLICATIO.

Hic æger longis vigiliis emaciatus, ut ordine comodèque omnia non potuerit proferre, tamen ex illis quę in casu notata sunt, quòd causa hujus mali ea causis antecedentibus petenda sit, quia scil. valetudinarius fuit, in quo vitiosi humores valdè abundarunt, & quia valdè ira commotus perturbatio quædam facta fuit illorum humorum, & potissimùm ipsius bilis in intestinum duodenum, quæ cum humore pituitoso (qui in illo abundabat, quod colligitur ex morbi diuturnitate,) permista, effervescentia ibi facta est, unde pulsatio in lumbis, & bilis recepta in vasa, ad caput delata, dolores capitis & vigilias causata est; ad reliquas autem partes, ubi cum humore pituitoso subsistit, dolores gravativos efficit.

Quia autem caput valdè dolet, & vigiliæ ipsum maximè vexant, mixtura quędam ipsi præscribenda est.

℞. Mithridat. ʒ ii.
Syrup. Stœchad. ℥ j.
Aqu. Theriacal. simpl. ℥ ß.
Lavendul. ℥ ii.
M. assumat eam cochleatim.

Hac nocte se benequievisse retulit, cùm hactenus per 10. septimanas inquietè admodum ac per noctem ultrà 2. aut 3. hor. non dormivisset. Per triduum alvus fuit segnior; itaque quia bilis non solùm peccat, sed & pituita, quod ex eo colligitur, si à bile sola malum fuisset, spontè cessasset, nec tamdiu durasset, ac si à pituita maximè dependeret.

Igitur præscriptum fuit medicamentum utrumque humorem evacuans,

℞. Elect. Cholagog. ʒ ii.
Hydragog. ʒ i.
Aqu. Betonic.
q. s. pro haustum.

17. Hac nocte benè quievit, non assumto medicamento; à purgante autem quinquies dejecit; lingua mobilior paulò fuit; Conquestus est hodiè de dolore vermiculante per omnia membra, & dolore quasi stupido, si enim aliquid tangit, quasi aliquod interesset medium, nimirum charta cuti interposita, per quam adeò stupidè sentiret.

18. Dolor ille, de quo heri conquestus est, non ita continuus hodie fuit, & paulò meliùs se habuit.

21. Heri vesperi ter adhuc dejecit; hodie autem quinquies, & paulò meliùs se habuit; ipsi videbatur, quòd calor inferiùs ascenderet versus genua, sentiebatque dolorem, quasi medulla ex ossibus traheretur (quod videtur esse species convulsionis,) sed dolor ille remisit iterum; de somno interrupto conquestus est.

25. Levem sensit febrem, sed die 26. & 27. commode se habuit, noctumque benè quievit, nec sensit febrem; venter qui adhuc mollis fuit, hodie 27. durior erat, & quia tum subito durior factus est, concludendum est, à flatibus duritiem illam esse; præterea conquestus est de obscuritate oculorum, ut tam clarè videre non posset; quia autem utplurimùm hoc contingit ab halitibus melancholicis, versus oculos ascendentibus, sanguinique permixtis, hinc humores oculorum, eo, quo debent modo, non nutriuntur.

8. Jan. Benè se habuit hodie; conquestus est de frigore in pedibus, cujus ratio, quia ex affectu animi, à quo ab initio incidit in hunc morbum, à quo sensim jam liberatur, commoti sunt omnes humores in corpore; hinc pituita partim ibi in loco subsistens, partim jam cum sanguine mixta ad illas partes affluens tale frigus causatur, & quia antea pedes laborabant stupore, non putandum, quasi jam de novo hoc frigoris incommodum primùm sentiret, sed graviore stupore urgente frigus non sensit, vel non curavit, cesso autem jam stupore, magis percipit illud frigus, quod bonum est signum, si partes, quæ

CASUS XCIII.

Vir quidam ante 14. septimanas incidit in febrem quotidianam continuam; paroxysmi semper magno cum frigore invaserunt, febre autem ante dies aliquot remissa, incidit in magnum ventris dolorem totiusque corporis; non sitit, nec esurit; per 10. dies non dejecit.

EXPLICATIO.

Multi hic sunt affectus intricati ab humoribus intricatis, & vario modo vitiatis in corpore contentis; quos humores cum excernere non valeat & ut melius pateat affectus, de sequ. mixt. subinde cochl. j. assumat.

℞. *Aqu. Petrosel.* ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ ß.
Acet. stillat. ʒ vi.
Ocul. Cancr. ʒ i ß.
Antimon. diaphor. ℈ j.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinque Rad. ℥ i.
M.

2. Jan. Commodè dejecit ab haustu hydragogo, 2. 3. Benè se habuit, conquestus est saltem de dolore in plantis pedum & lassitudine brachiorum.

CASUS XCIV.

Vir quidam cujus uxor profluvio alvi valdè foetido laboravit, qua occasione ei semper adesse coactus intra spatium septem dierum non dormivit, unde ante 10. dies incidit in febrem continuam, quæ illum circa vesperam invadit hor. 6. ubi primùm summum frigus percipit in lumbis, quod deinde per totum corpus dispergitur, duratque aliquando per 3. 4. aut 5. hor. in ipso frigore ut & calore, summum capitis dolorem percipit, ingruente calore valdè sudat, sitque & pulsus debilis reperitur.

CASUS XCV.

Vir quidam ante 5. septimanas levem dolorem in lumbis sensit, unde quasi levem auram ad caput ascendere ipsi videbatur, ut omnia in gyrum secum ferri putaret, & sedere coactus fuerit; decidit in terram; totius corporis convulsionibus, cum stertore, spuma ex ore effluente, omnium sensuum & aliarum perceptionum privatione correptus est; mens finito paroxysmo per 3. dies non constitit, loquela etiam tam diu impedita fuit, adhibita fuere medicamenta, unde paroxysmi non tam graves fuerunt.

Per 8. autem dies adeò mitigata sunt symptomata, ut bis vel ter sentiat paroxysmum, & antequam paroxysmus invadat illum, pulsationes per totum corpus, inprimis in abdomine sentit, unde dolorem etiam gravem in lumbis totoque ventre & capite; manus dextra subinde contrahitur; inprimis autem pollicem in manu arctè tenet, quæ convulsio in illa manu illum deserit, & migrat in sinistram; mens tamen in paroxysmis satis constat, pulsus contractus fuit, sed non debilis.

EXPLICATIO

Epilepsia virum hunc laborasse & adhuc laborare satis ex circumstantiis & symptomatibus recensitis patet, cùm epilepsia alia sit gravior, alia levior: & alia cum sensuum privatione; hæc autem cum levioribus symptomatibus, sensibusque ea parte constantibus invadit; illam in principio, hanc verò adhuc patitur.

Causa autem proxima ipsius motus convulsivi & convulsionis fuit imprimis spiritus acidus volatilis minùs acris, ad principium nervorum accedens, illique molestium inferens, unde convulsio; hinc si considerentur omnia, quæ ad motum animalem sive voluntarium concurrunt, unde benè perficitur, non difficile erit concludere, quænam sit causa motus inordinati sive convulsionis.

Quia vires satis constant in hoc ægro, de sequent. mixt. subinde cochleare j. assumat.

℞. *Aqu. flor. Tiliæ* ℥ ii.
Theriacal. simpl. ʒ vi.
Antimon. diaphor. ℈ i.
Syrup. flor. Paeon. ʒ i.
M.

16. 17. Jan. Valdè debilis est pulsus; nihil alimenti assumit, non amplius vomit; Causa pulsus debilioris est sanguis vitiatus, ex quo spiritus generari non possunt, unde minor ventriculorum contractio.

Hodie 18. hor. 2. pomerid. vitam cum morte commutavit.

Annotata ex dissectione cadaver. ipsius.

Musculi abdominis valdè tensi erant, sanguisque satis fluxilis ex minimis vasis effluebat.

Intestini coli pars in dextro latere ab omento non tegebatur; alias omentum satis benè se habebat, & minima pinguedine perfusum erat.

Vasa in superficie intestinorum valdè turgebant, majoraque quam naturaliter cernebantur.

Intestina tenuia una parte erant diaphana, in altera autem parte obscurioris & nigricantis coloris, uti contingit in gangræna, & hoc vitium contingit, si humor acidus valdè peccat, unde ingentes dolores excitantur, de quibus etiam ab initio conquestus fuit; adhibitis autem iis, quæ spiriticum acidum concentrant, meliùs se habuit. Intestinum tenue, quod sub mesenterio circa lumborum regionem vergit, interna sua substantia valdè erosum erat, & rubrum, ea in parte, quæ vergebat versùs latera, albescebat autem in illa parte, quæ tendebat sursum versùs ventriculum, signum effervescentiam ex humoribus; qui ex duobus ductibus pancreatico scil. & biliario eò deferuntur, & justo acriores fuere, ibi factam esse non autem usque adeò versus ventriculum, aliàs magis illa pars infestata fuisset, vapores autem & halitus ex illa fervescentia excitatos & ad ventriculum delatos esse satis testantur vomitiones, quas passus est æger, jam defunctus in sua vita.

Sub Ventriculo ductu transverso debuisset observari intestinum colon, quod in hoc subjecto latebat admodum, ut non commodè potuisset videri, ut alias solet.

Observandum est, intestinum colon naturaliter in latere sinistro ad partem ferè summam costarum spuriarum assurgere & à flatibus aut alia materia viscida in illo contenta distendi; unde nonnunquam tumor & dolor percipitur, & tunc sæpius culpatur lien; etsi nullum vitium in liene sæpius observetur, & sæpè talis tumor dolorve subinde recurrit; cùm autem medicamenta incidenda flatusque discutientia adhibeantur, malum cessat.

In hoc subjecto flexio sygmoidea in latere dextro, ubi incipit intestinum colon assurgere, observabatur, quæ alias naturaliter non ita se habebat; sede suâ naturæ tale quid contigisse statuendum; in latere autem sinistro ubi naturaliter illa flexio sygmoidea observatur, deerat, & intestinum hoc colon rectâ descendebat.

Ventriculis in parte superiore & inferiore prominebat & turgebat, in medio autem coarctabatur.

Phlegma quod in Ventriculo reperiebatur nigricantis erat coloris, cujus causam Clar. Sylv. judicavit fuisse, quia medicamentis, quæ assumsit, lapis hæmatites fuit permistus, qui talem suppeditat tincturam.

Interna Ventriculi substantia quasi inflammata ac erosa erat, à materia acri eò delata, unde vomitus; superius autem orificium planè albicantis erat coloris.

Pancreas benè se habebat, succus quid in eo reperiebatur, subacidus & adstringens erat.

In cavitate abdominis aqua cruenta reperiebatur, sed pauca quantitate.

In thorace omnia benè se habebant, nihilque præternaturam observabatur in cordis & pulmonum externa substantia.

In

In cordis dextro ut & finistro ventriculo sanguis ater carnea substantia circumvolutus extrahebatur; sanguine probè abluto carnea substantia reperiebatur, tantaque acrimonia fuit in alia aqua, ut membranæ pleræque prorsus abrasæ essent.

Aqua quæ in pericardio erat, saporis erat acris & subacidi, subdulcis verò in fine sapiebat.

In capire sub tenui meninge sanguis extravasatus observabatur, & in utroque latere sanguis ille reperiebatur, non autem in anteriore, nec in posteriore capitis parte.

Vasa admodum turgebant sanguine, inprimis in lateribus, unde si res ita se habet, pulsationes molestæ circa tempora percipiuntur.

In Ventriculis cerebri aqua reperiebatur, quæ salsa erat, & paululum acida, uti inter alios & ipse gustavit Cl. Sylvius.

In glandula pinealis arenulæ observabantur, NB. Circa nervos opticos arteriæ carotides observantur, & quando sanguis copiosior aut acrior per illos defertur, dolor circa radices oculorum notatur.

Plexus retiformis seu rete mirabile Galeni egregiè in hoc subiecto cernebatur. In externis palpebrarum ad extremum canthum utriusque oculi majorem demonstravit Dominus Sylvius duos exiguos ductus; qui tamen admittebant stylum minimum, prodeuntes ex glandulis, quæ sunt circa radices narium, & ea glandula quasi unus ductus primò prodit, qui dehinc in duos dispergitur ramos, qui desinunt in canthum oculi majorem.

CASUS XCVI.

ANcila quædam ante aliquot dies sensit levem calore in lumbis, unde paulò post angustiam circa præcordia & palpitationem cordis sensit, sibi dehinc videtur aliquid sursum vergere versus fauces, quod semper deglutire coacta fuit, exinde levem patitur vertiginem, ut sedere cogatur; levem subinde etiam sentit febrem, abdomen est distentum, in primis post alimentum assumptum magis angitur, & per aliquot dies non dejecit.

EXPLICATIO.

Effervescentiam in intestino tenui circa lumbos fieri, satis manifestum est ex relatis ægræ, dum de calore circa regionem lumborum conquesta fuit, materiam autem ex qua effervescentia illa contingit, & bilem pituitam esse, ex ductu pancreatico & bilario in illud intestinum delatum, arguit Dominus Sylvius, unde halitus & flatus elevati sursum versus cor fauces & caput symptomata illa excitant; inprimis autem acidos esse istos halitus arguir constrictio faucium ut semper in faucibus quid hærere videatur nostræ ægræ, quod symptomaspeciem suffocationis hystericæ (uti vulgò dicitur) denotat, abdomen autem distentum à flatibus provenire verum videtur. NB. Oleum succin. destill. egregium est in suffocationibus uterinis, scatet enim sale volatili, unde corrigitur spiritus acidus, & ratione olei spiritus volatilis.

Tinctura succini optimè adhibetur in hystericis affectionibus, sed quia in quibusdam pharmacopœis non prostat, loco ejus tinctura castorei præscribatur.

7. Meliùs se habuit, quoad suffocationem & vertiginem, ut & reliqua symptomata, conquesta tantum fuit de ardore ventriculi, quasi carbones vivi in illo essent, & assumto potu hoc symptoma maximè urget, Germanis dicitur *der soot*; Itaque duabus vicibus sequent. pulverem in cochl. cerevisiæ assumat.

℞. Cret. alb.
Bol. Armen. ana ℈ ß.
M. ad chart.

NB. Bolus Armena non tantum præstat uti creta sed ideò additur, ne ab ægris rejiciatur medicamentum, si sola creta addatur.

CASUS XCVII.

ANcilla quædam per tres menses laboravit febre quartana, quæ ingruit summo cum frigore in lumbis, quod dehinc dispergitur per totum corpus; inprimis autem quia per quatuor septimanas venter pedesque valdè intumuerant; ab illo tempore frigus maximè sensit, circa præcordia, ventrem & pedes; frigus, quod valdè molestum, durat per duas horas, in quibus valdè tremit; calor, qui frigus subsequitur, valdè molestus etiam est; antequam paroxysmus illam invadit, valdè sitit, non autem in paroxysmo, sed die quoque sequente post paroxysmum; noctu non potest quiescere; alvus non satis respondet. Quia autem sequenti hac nocte expectat paroxysmum, cujus ratio habenda est, de sequ. mixtura cochl. j. subinde assumat, & redeunte paroxysmo cochl. iij.

℞. Aqu. Fœnic. ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ I,
Acet. stillat. ʒ x.
Laud. Opiat. gr. ii.
Antimon. diaphor.
Ocul. Cancr. ana ʒ ß.
Syr. de quinque radic. ℥ j.
M.

CASUS XCVIII.

VIr quidam per 8. dies febre quotidiana laboravit, ubi primò in lumbis sensit summum frigua, quod dehinc per ductum dorsi defertur ad caput, unde capitis dolorem & vertiginem sensit; noctu non potest quiescere; alvus hactenus fuit constipata, sed assumpto prunor. brodio, jam laxa est.

14. A medicamento hydragogo quodam assumpto non dejecit, sed sensit dolorem tensivum sub umbilico, qui transversim fertur ad latus dextrum, & hic dolor est in intestino colo, quia nullum est intestinum, quod transversim fertur, quam Colon, & quia medicamentum hydragogum debile fuit, ad expelendis viscidos humores, excitati sunt flatus.

CASUS XCIX.

FOEmina quædam per 3. menses laboravit febre quartana, & jam per mensem incidit in tertianam; cùm ingruit paroxysmus, summum frigus valdèque molestum sentit in lumborum regione, quod dispergitur inde in totum corpus, duratque per 2. hor. calor autem dehinc, qui sequitur frigus, valdè molestus est, ut etiam in terram decumbat, ad contemperandum calorem; in calore valdè sudat, alvus præterea satis respondet; noctu non commodè quiescit. Itaque de sequ. mixtura subinde cochl. j. assumat, & urgente paroxysmo 5. aut. 6.

℞. Aqu. Menth. ℥ ii.
Theriacal. simpl. ʒ vj.
Acet. stillat. ℥ ß.
Ocul Cancr. ʒ ß.
Syr. quinque Radic. ʒ vj.
M.

25. Conquesta est hodie de dolore punctorio in dextro hypochondrio, qui subinde recurrit; & meliùs se habet, præsertim si emittit flatus.

CASUS XC.

MUlier. quædam per 14. dies laboravit doloribus totius corporis & imprimis jam conquesta est de doloribus capitis; febrem sentit quotidiè, sed magis de calore, quam de frigore conquesta est; assumsit antehac purgans, à quo alvus hactenus laxa, sed quia jam adhuc inprimis dolor capitis & totius corporis durat, febris quoque lenta ipsam comitatur, de sequ. mixtura subinde cochl. j. assumat.

℞. Aqu. Petrosel.
Hyssop. ana ℥ i ß.

The-

Theriacal. simpl.
Acet. destillat. ana ℥ ß.
Ocul. Cancri ʒ ß.
Laudan. opiat. gr. ii.
Antimon. Diaphor. ℈ j.
Syr. quinque Rad. ℥ ß.
M.

Hactenus mediocriter se habuit ab assumpta mixtura cum Laudan. opiat. sed conquesta est de dolore artuum, & imprimis ventris; caput foedum fuit ulceribus, quae ulcera per aliquot septimanas habuit, & suspecta ab aliis habita fuit, quasi specie luis Venereae sit affecta, quia maritus tali lue correptus est. Hodie 7. Febr. cùm satis bene se habuit, statim in pejus res ejus mutatae sunt, & obiit.

Annotata ex Anatome hujus mulieris.

Aperto abdomine Intestina nullo omento tegebantur, sed sursum planè erat retractum, & ad latitudinem trium digitorum transversorum circumcingebat epatis superficiem, eratque omentum foedi coloris; praetereà omentum adhaerebat ventriculo. Magna aquae copia in abdomine erat contenta, & quidem valdè acris, quae sua acrimonia partem intestinorum, quae haerebat in fundo, abrasit, ut planè nigra, & principium gangraenae repraesentarent; pars autem intestinorum, ad quam aqua non pervenit, pallidioris erat coloris. Peritonaeum etiam ab aquae acrimonia abrasum erat. Pus circa uterum reperiebatur valdè foetidum; tubis uteri vesiculae aqua repletae adhaerebant. Intestina flatibus valdè turgebant, omnium maximè intestinum colon in illa parte, ubi flexio illa sigmoidea observabatur, quae aliàs naturaliter in sinistro latere notatur, in hoc autem subjecto in dextro latere cernebatur, quod contingit ab ingentibus doloribus, unde intestina veluti contorquebantur. Hepar firmiter annectebatur ventriculo ac diaphragmati, & valdè deorsum prominebat, eratque pallidi coloris. Lien major quàm naturaliter, satisque magnus conspiciebatur; pars superior pallidioris, inferior verò lividioris erat coloris.

In vesicula fellis 75. calculi forma triangulari reperiebantur, sed in pauca bilis quantitate. Intestinum tenue, in quod inferuntur duo illi ductus, bilarius scilicet & pancreaticus, valdè excoriatum erat; & hoc contingit, quia parva in quantitate bilis adfuit, unde acrimonia aliorum humorum acidorum & acrium per ductum pancreaticum eò delatorum à bilis defectu non potuit corrigi, unde excoriatio. Vesica Urinaria formam triangularem repraesentabat, ejusque orificium, quod naturaliter album esse debebat, valdè rubebat, & quasi levem inflammationem adesse cernebatur, quod contingit ab urinae acrimonia. Cavernulae in uteri substantia interna observabantur, quibus inflatis tumebant uteri tubae. Ex orificio uteri interno materia viscida & quasi purulenta effluebat, qualis solet excerni in illi foeminis, quae gonorrhoea laborant. Pulmones undique adhaerebant non solùm pleurae, sed & ipsi diaphragmati. Aqua cruenta in latere dextro thoracis observabatur; & dexter lobus pulmonis naturaliter penè se habebat, sed sinister ferè erat consumptus, exiguaque ejus vestigia apparebant, multumque puris & aquae exhauriebatur, talis, qualis solet excerni in phthisi. Membrana quae pulmones cingebat, decuplo crassior erat in lobo pulmonum sinistro exulcerato, quàm in lobo dextro, qui naturaliter se habebat. Vesicula quasi candela combusta in cordis superficie apparebat, quod contingit ab humorum acrimonia, qui ubi subsistunt, simile quid ob suam acrimoniam causant. NB. Cùm inflaretur ductus thoracicus seu chyliferus, intumescebat vena azygos, & vena cava; cor movebatur, & pulmones extendebantur. In cute capitis foeda notabantur ulcera, quae cutem tantùm & pericranium affecerunt; sed cranium nondum aliquid passum est, nisi hinc & illinc levia vestigia apparebant; & hoc notandum in lue Venerea, ubi ulcera ad ossa perveniunt, unde caries ipsorum sequitur, & non solùm dolores intolerabiles patiuntur illi, qui hoc affectu correpti sunt, sed & incurabilis est affectus ille, & adhibentur frustrà remedia. In cerebro omnia benè se habebant.

CASUS CI.

Vir quidam per 4. septimanas laboravit febre quartana, quando ingruit paroxysmus sentit frigus in lumbis, quod instar cinguli ambit abdomen, duratque per 4. horas calor, qui frigus subsequitur, tanto quoque tempore durat, sed non adeò molestus, in calore sentit capitis dolorem, sitit; praetereà alvus per aliquot dies fuit constipatior. Praescriptus est haustus hydragogus purgans & mixtura temperans humores.

CASUS CII.

Ancilla quaedam per 14. dies laboravit capitis gravedine, i. e. *hat dem Schnupfen*, sed per 2. dies conquesta est de ventris & lumborum dolore ingente, ut & capitis; alvus per 3. dies constipatior fuit, itaque cras manè assumat haustum hydragogum.

25. Jan. Semel copiose dejecit; conquesta fuit de summo capitis dolore, ut non loqui, nec loquentes audire sive perferre posset; de sequ. itaque mixtura cochleatim assumat aliquid saepius.

℞. *Aqu. Petrosel.*
Foenicul. ana ℥ j.
Acet. destillat. ʒ vi.
Tinct. Cinnamom. ʒ ii.
Ocul. Cancr. ʒ ß.
Lad. Opiat. gr. ii.
Syr. de Betonic. ℥ i.
M.

CASUS CIII.

23. Jan. Vir quidam per 8. dies laboravit febre quartana; frigus sensit primo in lumbis, quod dehinc in totum corpus dispersum est, sed non est molestum, calor qui frigus subsequitur, molestior est; de summis ventris doloribus conquestus fuit, per tres dies non dejecit.

27. Hodie habuit febrem, quae autem non adeò molesta fuit; conqueritur de doloribus circa ossa, qui magis urgent circa vesperam, ut noctu non possit dormire; quia autem uxor laborat lue Venerea, haec signa videntur etiam aliquam ejus speciem indicare; de sequ. ergò decocto singulis diebus haustum manè assumat, & si alvum non deponit, à meridie iterum, & sic bis in die.

℞. *Rasur. lign. Guajac* ℥ iii.
Baccar. Junip. ℥ ii
Pulp. Colocynthid. ʒ i.
Sem. Anis. ʒ iii.
Coqu. s. a. ex aqu. pur. ad Colatur. ℥ xvi. *in quibus dissolv.*
Syr. de Helleb. nigr. ℥ iv.
Aq. Theriacal. simpl. ℥ i.
M.

In dies post assumtum decoct. meliùs se habet.

CASUS CIV.

Clarissimus Dominus Sylvius Amstelodami ad foeminam aliquam vocatus fuit, quae jam per tempus aliquod acerbissimo dentium dolore vexata fuit, cui eùm praesens Medicus dentem evelli curavit, malum ad proximum dentem serpebat, quem Medicus quoque evelli jussit, ita ut brevi aliquot dentes evellerentur; interim illa vix aliquod levaminis cùm sentiret, illis tandem fessa malis, tum etiam Cl. Dominum Sylv. in consilium adhibuit, qui postquam nihil noxi in dentibus percepit, miratus imprudentiam prioris Medici, tandem misturam ad sopiendum dolorem praescripsit, qua dolor etiam fuit sopitus; quo sopito, medicamentum blandè purgans praescripsit, quo humor educeretur hocque assumtu tanta ventris tormina percepit, ut sibi intestina quasi contorqueri & convelli sentiret, qua materia educta, planèque restituta est.

CA-

CASUS CV.

22. Jan. VIr quidam per 2. menses sanguinem exspuit, assumta autem conserva rosar. sanguinem jam non amplius excernit; per aliquot septimanas conquestus est de dolore pectoris; quando tussit, phlegmata alba ac viscida tussiendo excernit: de sequ. mixtura assumat.

℞. Aqu. Hyssop.
Fœnic. ana ℥ i ß.
Acet. stillat. ℨ vi.
Tinctur. Cinnamom. ℨ ii.
Ocul. Cancr. ℈ j.
Sang. Dracon. gr. vi.
Syr. quinque Rad. ℥ j.
M.

23. 24. Jan. Magnum levamen habuit, dolor in pectore planè cessavit, adhuc phlegmata alba & viscida excernit tussiendo.
25. Hac nocte suffocatus obiit.

CASUS CVI.

VIr quidam incidit in aquam frigidam, unde valdè perterritus & frigefactus sensit dolorem & frigus in lumbis; pulsus est contractior (hic signum est febris,) alvus laxior.
Quia malum ipsi ab extrà contingit, & his in casibus sudorifera valdè prosunt, de sequ. mixtura cochleatim & sæpius assumat.

℞. Aqu. Petrosel. ℥ ii.
Fœnic. ℥ i.
Theriacal. simpl. ℨ vi.
Acet. stillat. ℥ ß.
Antimon. diaphor. ℨ ß.
Syr. quinque Rad. ℥ i. *M.*
Optimè se habet.

CASUS CVII.

VIr quidam valdè incalescens se exposuit frigori, ubi brevi post insigni febre correptus est, & sensit dolorem in lumbis, ut & frigus ac calorem, ita ut sæpissimè in die mox incalescat, mox refrigescat; dolor dehinc ex lumbis dispergitur per totum ventrem, ut omnia intestina quasi contorqueri ipsi videantur; cardialgia adest; alvus segnior; sitit, & quando potum non assumit cochleatim, eum statim evomit; quæ evomit, amara sunt. Dolor in lumbis nonnunquam tantus est, ut in terram sæpè concidat, & nescist quomodo se habet; non potest quiescere.

EXPLICATIO.

Causa horum symptomatum deduci potest ab effervescentia in intestino tenui facta ab humore pancreatico & bilario in intestinum illud effuso; hinc quia spiritus acidus quàm maximè peccat, quod deduci potest ex ingenti dolore; ad varias autem partes spiritus ille acidus delatus varia quoque instituit incommoda; bilis autem ex illa effervescentia sursum ad ventriculum ejusque orificium superius delata vomitum cardialgiamque instituit.

CURATIO.

Ut vitium humorum illorum emendetur, de sequ. mixtura sæpius cochleatim assumat.

℞. Diascord. Fracastor. ℨ ii.
Syrup. Card. Bened. ℥ i ß.
Aqu. Theriacal. simpl. ℥ ß.
Acet. stillat. ℨ vi.
Ocul. Cancr. ℈ j.
Aqu. Fœnic. ℥ ii ß.
M.

2. Meliùs se habuit post assumat cholagogum, à quo quater purgatus est, & in omnibus levamen sensit, conquestus est de dolore faucium, itaque coquantur rapæ in aqu. put. & assumat de jusculo ad gargarisandam fauces.
5. In omnibus levamen habuit, optimèque cum illo fuit.

CASUS CVIII.

9. Maii Anno 1664. IUvenis quidam ante 10. septimanas febre tertiana laboravit, per aliquot autem dies febris quotidiana illum assliait; quando paroxysmos illum invadit, dolorem sentit in lumbis, & frigus durat per sesquihoram, calor autem per 2. hor. in calore valdè sitit, appetitus alias est prostratus, urgente calore caput dolet adhibita sunt Vomitoria, non tamen vomuit, non nauseat; alvus satis est laxa; paroxysmus febrilis cum sudore cessat; quia autem uterque humor peccat, bilis nempe & pituita, alterantia commodè hic adhibentur, & quidem in forma mixturæ præscripta.
10. Pondus in ventre sentit; anticipat febris; frigus non fuit grave; venter subinde tumet; heri fuit immunis à febre; hodie paroxysmum habuit; pergat in assumtione mixturæ hujus.

℞. Aqu. Petrof. & Fœnic. ana ℥ ß.
Theriacal. simpl. ℥ j
Acet. stillat. ℨ x.
Antimon. diaphor. ℨ ß. *M.*

12. Maii. Hodie hora undecima antemeridiana paroxysmus illum infestavit; frigus primò sensit in lumbis, quod dehinc secundùm dorsi ductum dispersum fuit, duravitque per sesquihoram, calor verò per 2. hor. in calore valdè sudavit, ut & postquam paroxysmus penè remisit sine tegumentis corpori adhibitis.

CASUS CIX.

9. Maii. IUvenis quidam sub hypochondria punctiones sensit, per tempus aliquod subinde remittentes, quod malum contraxit, postquam valdè calidus frigidam largiter assumserit; dolores autem tanti fuere, ut vix loqui præ doloribus posset; Medici qui ipsi adfuerunt, judicarunt esse pleuritidem & venam secare ante 6. dies mandarunt, quod etiam factum, dolores quidem paululum remiserant, sed tamen adhuc satis molesti sunt ipsi; post venæ sectionem anhelosus factus est; & difficilis respiratio ipsum urget. Judicat autem Clar. Sylv. malum illud in ventre & potius intestino tenui locum habere, flatusque ex pituita & bile peccantibus excitatos fuisse, murmura enim subinde in intestinis percipere æger asserit: itaque necessum est, ut flatuum generatio impediatur, flatusque producti discutiantur; 2. ut humores peccantes emendentur, & sensim educantur; itaque præscribantur decoct. ex ingredientibus quæ scatent sale volatili.
12. Maii. Per aliquot noctes non quivisse retulit, & noctu pejùs se habet cùm decumbit, quàm si de die sedeat; noctu enim sentit dolorem in hypochondrio sinistro, unde quasi aliquid ascendere ipsi videtur, & angere pectus; mirum autem est, quòd tale malum non contingat de die, sed de nocte, quando decumbit in lecto & putat Clar. Sylvius rationem esse, quia quædam plumæ gravem spirant odorem, unde aliquid volatile elevatur, quod corpori nostro se insinuat, & promovet motum alicujus humoris in eo, qualis qualis ille etiam sit, unde effervescentia tunc contingit, ea qua potest aliquid elevari, quod variu constituit incommoda, prout ad varias defertur partes; quia autem non planè liber à febre est, humores peccantes correctionem requirunt, & somnus ut ipsi concilietur necessum est ergò sequentem mixturam cochleatim assumat.

℞. Aqu. Petrosel ℥ ii.
Fœnic. ℥ i.
Acet. stillat. ℨ vj.
Antimon. diaphor.
Ocul. Cancr. ana ℈ i.

Spir-

Spir. Vin. rectif. ℥ ß.
Laud. Opiat. gr. ij.
Syrup. de Fœnic. ℥ j.
M.

Optimè se habet.

CASUS CX.

9. Maji. Vir quidam portavit onus grave, unde debilior factus in lumbis & sub costis dolorem sentit, subinde febricitat; debilis est; in cruribus circa articulationes cruris tàm dextri, quàm sinistri potiùs rigorem, quàm dolorem sentit, magis tamen in dextro, quàm in sinistro crure; nullus tumor in cruribus observatur; sapor ingratus in ore est; aliàs de nullis ampliùs symptomatibus est conquestus. Quia vitium in sero esse videtur, ideò præscribatur ipsis purgans hydragogum.

12. Maji. Sudavit, sed paululum, nullum notabile levamen adhuc in pedibus sentit, quod non mirum; quia enim est malum inveteratum, necesse est, ut tractu temporis illud corrigatur.

14. Maji. Vesperi cùm decumbit, dolorem capitis sentit, interdiu autem non; manè quando surgit, paululum ambulare potest, sed statim defatigatur, & sedere cogitur; tumor in sinistro pede major, quàm in dextro, ut & dolor, (potest autem tumor & dolor dependere à materia serosa viscida & acri) alvus per duos dies fuit adstricta, sudavit paululum ab assumto decocto; nihil autem dejecit per alvum, ut educantur humores serosi.

17. Maji. Maculæ scorbuticæ cum dolore præterea accedunt, quod non tam malum signum, quia ad superficiem sensim malum propellitur. Externè crura illinat seq. Ungu.

℞. *Ung. Martiat.*
Ol. Lumbric. ana ʒ il. *Misce*.

20. Maji. In eodem statu fuit, sed hodiè 21. Maji. cruris tumor versus inferiora minuitur, in superioribus in eodem statu permanet; dolor in interioribus tumoris est, scil. in musculis, seu eorum carne, humor acris adest, dolor verò hic non est a distensione; meliùs habet, cùm decumbit, pejùs autem ubi surgit, idque ad meridiem usque; ratio quia sanguinis fluxus, dum extrà lectum est, non æquè procedit, qui sanguis, ubi magis hæret, majorem molestiam creat, deinde etiam reliqui humores, qui in habitu sunt, cùm interdiu magis moventur, malum augent, deinde tempore somni à spiritibus volatilibus in somno acris ille humor magis temperatur.

Scorbutus sæpè in interioribus est satis vehemens, & tunc nullę maculę adsunt, sępè exteriores partes magis afficit, & tunc maculæ apparent; interdum ubi malum ad extremum pervenit, ut ex interioribus ad exteriora penetret, & tum maculæ similiter apparent. Balneum & fotus hic convenirent, nisi sumptibus parcendum esset, & tunc Decoct. lign. Guajac. & Baccar. Junip. convenirent.

24. Maji. Pedum tumor non tàm durus nec magnus, nec etiam tensio tanta. Sensit dolores ventris hodiè, (potest fieri, ut humores, qui in pedibus diu hæserunt, doloremque causarunt, magis soluti sint, & ad intestina delati, unde dolor) & pro bono signo habet Cl. Sylv. dolor in pedibus valde diminutus.

1. Junii. Benè se habuit, sed die 2. pejùs, & hoc sensit, quòd alternis diebus pejus habeat, hinc non dubitandum, quin aliquid febris intercurrat; nullus enim affectus præter febrem per paroxysmos invadit; pejus autem habuit hic æger, quoad dolorem & tensionem in cruribus. Ad fomentandos pedes.

℞. *Rad. Alth.* ℥ ß.
Fol. Absinth.
Abrotan.
Card. Bened.
Matricar.
Summitat. Melilot.
Chamomill. Rom.
Flor. sambuc. ana M. j.
Baccar. Junip. ℥ iii.
Laur. ʒ i.
Sem. Cumin. ʒ ß.
Concis. & Contus. d. ad Chart.
Coq. in s. q. cerevis. tenuior. aut aq.
Cum Decoct. calid. pedes foveantur.

16. Junii. Rigiditas in pedibus & quidem in suris adhuc permanet; tormina in ventre habuit; commodum esset, si liceret instituere fomentum ex Spir. Vin. paratum. Sed interea alia, quę etiam præstantia sunt, non intermittemus: addantur igitur fomento suprà præscripto Fæc. Vin. ℔ i. quæ in hoc casu egregiæ sunt. Post fotum sequ. linimento illinantur suræ, & quidem illo in loco, ubi maximam persentiscit rigiditatem.

℞. *Spir. Vin. Rectif.* ℥ iij.
Camph. ʒ ß.
Ol. Succin. ℈ i.
M.

In tali casu quoque convenit Ol. de lateribus & balsamus Sulphuris.

18. Junii. Circa finem musculorum imprimis in dextro pede, in tendinibus puta, majorem rigiditatem sentit, quàm aliàs, quod potest esse à materia viscida eò delata, unde ibi difficilius discutitur, ob partes membranosas, faciliùs autem in partibus carnosis.

CASUS CXI.

9. Maji. Vir quidam per aliquot septimanas febre tertiana laboravit, & adhuc laborat; ingruente paroxysmo frigus sentit in lumbis, quod durat per sesquihoram, calor autem per 4. hor. & in paroxysmo distensionem ventris patitur.

24. Per aliquot noctes valdè sudavit, & quidem horam post cùm petierit lectum; noctu dum sudat, non quiescit, sed manè & interdiu dormit; in principio sudoris sentit dolorem magis urgentem in hypochondrio sinistro, quàm alias; alternis diebus febricitat, & dum febricitat, dolor in hypochondriis gravior est; non negandum tamen, cùm tàm sudet, illum febricitare etiam, ab effervescentia enim facta in intestino tenui, dolor in hypochondrio, & quicquid ad cor deducitur, ibique novam effervescentiam instituit, febris quoque oritur, & in paroxysmo tunc sudor erumpit; non autem malum hic sudor videtur signum, & spes est, brevi inde fieri mali solutionem.

25. Maji. Hodiè habuit febrem, frigus duravit ultrà horam, calor non molestus fuit; in frigore pulsus frequens & compressior; in calore frequens & dilatatior; caput dolet nonnunquam in frigore, nonnunquam in calore, nonnunquam etiam extra paroxysmum ab aliquo acre, quod elevatur ante paroxysmum, & partes capitis sensibiles lancinat, quòd autem quædam magis capitis doloribus sint participes, provenit à partium constitutione, quatenus in hoc subjecto partes magis aptæ sunt ad recipiendum vitiosum humorem, quàm in alio.

30. Maji. In lumbis tempore paroxysmi dolores lancinantes sensit, non tamen adeò gravis fuit paroxysmus; noctu dolorem cinguli adinstar ventrem ambientem sentit; circa finem autem paroxysmi ventris tumorem habent. Putat Clariss. Sylv. circa finem febris aliquam pituitæ viscidæ partem in flatus jam abire

14. Hesterna die assumsit lac dulce, unde tormina in ventre sensit, quæ deducenda sunt à lacte coagulato, uti hoc in melancholicis fit; qualis & hic æger est.

NB. In lactis coagulatione pars butyrosa cum caseosa jungitur, serosa verò separatur. Idcircò lac coagulatum per salia volatilia & plantas aromaticas similiaque medicamenta, quale est sequ. corrigitur.

℞. *Aqu. Menth.*
Puleg. ana ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ i ß.
Syr. de Fœnic. ℥ ii.
M. assumatur Cochleatim.

CASUS CXII.

9. Maji. Vir quidam conqueritur adhuc de gravitate totius corporis, impetuns autem artuum inferiorum; alvus semper adstricta est, nisi adhibitis medicamentis laxior reddatur.

CASUS CXIII.

9. Maji. Foeminæ cuidam circa vesperam venter intumescit; alvus est adstricta; in regione ventriculi compunctiones sentit sub costis; nausea subinde adest; sapor amarus horis matutinis in ore, & tunc incalescit; manè circa regionem renalem sentit dolorem, qui antrorsum vergit, nauseamque excitat; calore accedente meliùs se habet, & tum aliquid quasi fauces comprehendit; nullum frigus sentit.

EXPLICATIO.

Malum hoc species est affectionis hypochondriacæ, & pituita viscida & styptica hic peccat, & illa imprimis ratione visciditatis; bilis autem peccat, quòd non possit pertransire pituitam, ut magis vires suas exerat.

CASUS CXIV.

9. Maji. Foemina quædam quæ hactenus scrophulis laboravit, indies iam pejùs habet, & scrophulæ indies excrescunt & duriores fiunt, & subinde suffocatio uterina eam infestat.

10. Maji. Hodiè dolores ingentes circa lumbos sensit, ut partes quasi dilacerari videantur; ut igitur magis incidatur & attenuetur pituita viscida in glandulis hærens, de sequentibus pilul. cras manè quinque assumat.

♃. *Gumm. Galban. c. acet. pp.* ʒß.
Chalyp. pp.
Mastich. el. ana ℈i.
Carabes albiss. gr. xv.
Myrrh. Rub.
Castor. ana gr. xij
Croc. Britannic. gr. viii.
Trochisc. Alhandal,
Resin. Jalapp.
Scammon. ana ℈i.
Ol. Gran. Junip. gutt. vi.
M. f. a. & f. Pilul. num. L.

11. Maji. Quinquies deiecit à pilulis, & quidem magna copia; antehac pilul. assumsit, illas tamen non tam potenter operatas esse testatur, sed doloribus totius corporis affligitur, ut & capitis dolore, tumores scrophularum majores sunt, quàm unquam fuere.

19. Maji. Conquesta est de dolore lancinante & pungente capitis, in parte imprimis anteriore; dolorem sentit in lumbis; assumsit de pilulis, à quibus ter deiecit.

1. Junii. Hactenus mediocriter se habuit; pilulis subinde usa est; scrophulæ in sinistra colli parte penè curatæ sunt, non item in parte dextra; hodiè 23. Juo. conquesta est de summa capitis gravitate, quam per aliquot dies sensit; non rejecit phlegmata per os, sed in faucibus materiam hærere refert.

℞. *Fol. Majoran. recent.* P. j.
Aliquot folia terantur, & naribus indantur.

CASUS CXV.

Mulier quædam quartana hactenus laboravit, & quidem per 8. septimanas, paroxysmus cum calore ingruit, qui sentitur in lumbis, & semper ferè calor adest, nullum autem frigus; cùm febris discedit, venter inflatur; molestissimè tussit; calor, cùm ingruit paroxysmus, in lumbis incipit, & in hypochondrio dextro aliquando commoratur, desinit demum in sinistro; durat autem paroxysmus per 12. horas, in quo tussis valdè molesta est, eaque sicca; horis matutinis hæmorrhagiam narium satis largam patitur; in principio hydrope laboravit, & in sinistro hypochondrio apostema habuit; febre discedente totum corpus sudore diffluit; alvus adstricta est; sequenti die paroxysmum tumor ventris illam infestat.

Præscriptum est sequ. Decoctum.

♃. *Rad. Levistic.*
Apii ana ℥i.
Sem. Siler. montan.
Dauci ana ʒij.
Baccar. Junip. ℥i ß.
Coqu. ex aqu. pur. ad Colatur. ℥xxx. *quibus add.*
Syr. de Hellob. Nigr. ℥iii.
Tinct. Cinnamom. ℥i.
M.

De hoc Decoct. bis terve in die haustulum assumat.

CASUS CXVI.

Mulier quædam per longum tempus valetudinaria fuit, unde corpus plane emaciatum; phlegmata ejicit multa, magis purulenta quàm viscida; aphthis quoque; per aliquot dies laboravit, & valdè debilis est, ardorem summum in faucibus sentit & valdè tussit; Phlegmata illa purulenta exulcerationem pulmonum arguunt, & phthisi hanc foeminam laborare certum est; quia autem de aphthis valdè conquesta, de sequ. utatur medicamento.

♃. *Aqu. Hord.* ℥ii.
Syr. Viol. simpl. ℥i ß.
Lap. Prunell. ʒß.
M.

Obiit.

CASUS CXVII.

11. Maji. Mulier quædam per longum tempus laboravit ex ulcere colli vesicæ; unde urinam cum summa difficultate & summis doloribus emittit, itaque de sequ. mixtura subinde cochleatim assumat.

♃. *Aqu. Petrosel.*
Foenic. ana ℥i ß.
Acet. Stillat. ʒß.
Tinct. Cinnamom. ʒiii.
Antimon. Diaphor. ℈i.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syr. de Foenic. ℥i.
M.

♃. *Mass. Pil. de Cynogloss.* ℥ i.
Form. Pilul. num. lx.
Sumat. subinde j.

Ab assumptis pilul. semper sentit levamen.

CASUS CXVIII.

9. Maji. Mulier de summo ventris dolore in dextro hypochondrio conquesta est, in cujus auxilium sequ. Mixtura est præscr.

♃. *Aqu. Foenic.* ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ß.
Acet. Stillat. ʒvi.
Ocul. Cancr. ʒß.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. quinq. Rad. ʒvi.
M.

Quinquies in die sumat cochl. j.

CASUS CXIX.

9. Maji. Ante quadriennium ancilla laboravit febre erratica, ex qua restituta est, & ante 14. dies incidit in febrem quartanam; frigus ingruente paroxysmo ipsi non est molestum, magis autem calor.

CA.

CASUS CXX.

9. Maji. MUlier quædam cùm valdè caleret se frigido exposuit aeri, eadem calefacta, subitò frigua passa est, inde malè se habuit, & colli glandulæ tument, præscripta est mixtura.

11. Maji. Meliùs se habet, se die 12. conquesta est de mensium fluxu, qui typum non servat, & fluxus est diminutus & rarior, ut autem sanguis magis disponatur, & ad fluxum illum naturalem promovendum de sequ. decoct. singulis diebus haustum assumat, & continuet in illo assumendo, donec illud absolverit.

℞. *Rad. Angelic.* ʒj.
Levistic. ℥ß.
Spic. Nard. Indic.
Schœnanth. ana ʒß.
Fol. Majoran.
Puleg.
Artemis. Rubr.
Sabin. ana M. j.
Sem. dauc.
Anisi,
Cinnamom. acut. ana ʒii.
Baccar. Junip. ℥ j.
Coqu. s. a ex aqu. pur. ad colat. ℥ xxx.
add.
Syr. de Artemis. ℥ iii.
Spir. Vin. rectif. ℥ ii.
M.

CASUS CXXI.

8. Maji. MUlier quædam per aliquot dies febre ardente laboravit, & gravi capitis dolore; præscripta est Mixtura cum Laud.

10. Non meliùs se habuit ab assumpta mixtura, sed ardorem in oculis percipit, alvus segnior est; cras assumat haustum cholagogum.

11. Maji Paulò meliùs se habet hodiè, ardor non tantus ampliùs est in oculis, nec dolor capitis; commodè ab assumpto haustu purgante alvum deposuit, tumor tamen in crure adhuc illam molestat, & videtur humorem non solùm ex parte beneficio medicamenti eductum, sed & magis versùs illas partes motum.

CASUS CXXII.

9. Maji. MUlier quædam, quæ ante 9. septimanas fœtum enixa est, 14. dies post tempus illud exclusionis tumorem & dolorem cruris sentit; tumor est œdematosus, & mulier subinde febricitat. Hoc malum nonnunquam circa pauperculas contingit, quando non benè ab obstetricibus tractantur circa partum.

NB. In puerperis leniter procedendum, & talia, quæ humorem peccantem temperant, imprimis verò roborantia adhibenda.

Hactenus pessimè habuit, hodiè 20. sua mala paululum referre potuit, nempe secundinas nondum esse exclusas, itaque assumat haustum decoct. Casu LXI. præscript. quod ad menses & secundinas expellendas est egregium. Obiit.

CASUS CXXIII.

9. Maji. FOEmina quædam per aliquot septimanas subinde febricitavit; cùm ingruit paroxysmus, frigus sentit in lumbis, quod durat per horam, calor autem qui subsequitur, per 3. horas; tossit, quamdiu febricitat; in calore nonnunquam delirat; jam per 2. dies copiosè sudavit, ex summo animi mœrore morbum sibi contraxisse fassa est.

CASUS CXXIV.

10. Maji. MUlier quædam per aliquod tempus febricitavit: frigus primò sensit in lumbis quod dehinc per totum corpus est dispersum, frigus per semihoram duravit, calor autem per 2. hor. & in calore deliravit; febris autem hæc fuit quotidiana intermittens; per aliquot autem dies febris valdè declinavit, attamen aliquot ejus adsunt vestigia, alvus non satis respondet.

Quia autem malum hoc penè superatum est, tamen ut humores magis corrigantur & educantur, citiùsque promoveantur, de sequ. decoct. singulis diebus manè bonum haustum assumat.

℞. *Herb. Taxac.*
Cichor.
Fumar.
Fœnic.
Betonic. ana M. j.
Tamarind. ℥ ii
Coq. ex aqu. pur. add.
Syr. de Rhabarb. simpl. ℥ ii ß.
Misce.

CASUS CXXV.

10. Maji MUlier quædam per 22. septimanas fluxum mensium non habuit, dolor in utroque ventris latere, venterque turgidus fuit, ante 6. septimanas in summam pedum debilitatem incidit, qui subinde tument, subinde autem detument; ardor in interioribus, frigus in exterioribus viget; antequam in hoc pedum malum incidit, quoties per urbem ambularet, vehementissimè tremebat, & post in illud pedum malum incidit; purgantia quoque circa idem tempus fuere adhibita nullo tamen cum levamine; ante 7. menses animi mœrore affecta est, quem supra dicta mala sunt secuta; præterea imprimis circa regionem lumborum summum sentit ardorem. Malum hoc ad affectionem hypochondriacam refertur.

Tumor ventris à flatibus, tremor autem à pituita acida; uterque igitur humor hic corrigi debet.

12. Maij. Maximè conqueritur de difficultate & dolore in urina reddenda; urinam omnem non potest commodè excernere; arenulæ in fundo urinalis observantur: itaque de sequ. Mixtura cochleatim subinde assumat.

℞. *aqu. Petrosel.* ℥ ii.
Fœnic. ℥ i.
Spir. Vin rectif. ʒ2.
Salis rectif. gutt. xii.
Laud. Opiat. gr. iii.
Syr. quinq. Rad. ℥ i.
Misc.

25. Maji. Alvus segnior, nec à pillul. fœtid. N. 5. dejecit; venter magis intumescit, & per 6. menses menstrua non habuit; facies valdè formosa, & faciei alicujus ægrotæ minimè similis; quia autem cautè cum iis procedendum, in quibus menses subsistunt, sæpiùs enim fucus latet, cùm virgines de subsistentia mensium conqueruntur, de sequ. decoct. bis terve in die haustum assumant, donec sequatur dejectio.

℞. *Rad. Apii* ℥ i.
Levistic ℥ ß.
Fol. Majoran. M i.
Pulv. Rad. Jalap. ℥ i ß.
Tart. Crud. ℥ ii.
Coqu. ex aqu. pur. in col. ℥ 22. *dissolv.*
Syrup. de Rhabarb. simplic.
Helleb. Nigr ana ℥ i. ß.

12. Junii. A decocto venter qui aliàs adstrictus, jam satis respondet, & menses, qui per 25. septimanas non fluxerunt, heri fluere cœperunt.

14. Junii. De pedum tumore conquesta est bis dejecit.

℞. *Rad. Angelic.* ℥ ß.
Fol. Sabin.
Matricar.
Puleg.
Artemis. Rubr.
Majoran.
Flor. Chamomill. Rom.
Sambuc. ana M. j.
Sem. Cumin.

Dauci,
Urtic. Rom. ana ℥ß.
Baccar. Laur. ℥i.
Concis. & contus. gross. mod. dentur ad chart. pro fotu pedum, coqu. ex aqu. pur. aut cerevis. tenui.

CASUS CXXVI.

10. Maij. MUlier quædam per annum ferè se malè habet, imprimis in sinistro hypochondrio, ubi dolores sensit, jam autem de eodem dolore eodem in loco perseverante conqueritur, & dolor vergit jam à sinistro hypochondrio ad lumborum regionem, & ita ad dextrum hypochondrium. Duabus aut tribus horis post assumptum cibum pejùs se habet, & cardialgiam patitur, ubi cor angitur, sudor erumpit, & quando ita angitur, cogitur surgere & ambulare, aliàs pessimè se habet; corpus interdum inflatur, appetitus satis bonus, sitis non multùm illam infestat, , menses non commodè fluunt. Omnia hæc symptomata arguunt affectionem hypochondriacam. Ut igitur humores temperentur, mixtura præscripta est, & decoct. incidens & attenuant pituitam viscidam, eamque evacuans.

2. Maij. Dejecit quidem, sed nullum levamen sensit, dolores intolerabiles illam urgent, qui tanti, ut difficulter contactum vestimentorum ferre possit, (quod nonnunquam & utplurimùm fit in Colica passione,) omnia enim contorqueri in ventre imprimis circa umbilicum ipsi videntur; flatus adsunt, qui tendunt sursum, non deorsum: itaque necessum est, ut exhibeatur medicamentum quod dolores sedet, flatusque discutiat.

Flatus ipsam hactenus valdè urserant, unde venter sæpiùs tumuit, sed per convenientia remedia est restituta ad pristinam valetudinem.

CASUS CXXVII.

10. Maij. MUlier quædam conqueritur de continuo dolore in sinistro hypochondrio, & circa regionem ventriculi, & in regione lumbari; in dextro quoque hypochondrio tale malum sentit, ut & ardorem; dolores autem noctu sunt graviores, unde non potest quiescere; nausea illam molestat; antehac vermes per superiora & inferiora se excrevisse retulit.

Hic. peccat uterque humori, bilis scil. & pituita, primariò tamen pituita, quæ viscidior est; necesse autem est, ut ad æstum bilis temperantia & incidentia humores viscidos accedamus, ut ad eductionem possit deduci.

11. Maij. Valdè nauseabunda est, & inclinata ad vomitum, non autem potest pervenire ad illum; igitur ctas sequ. Vomitor. assumat.

℞. *Oxymel. vomitiv.* ℨiii.
Aqu. Menth. ℥ii ß.
Misc.

12. Maij. Multa biliosa evomuit, dolorem sentit in dextro hypochondrio & lumbis, deinde quoque circa regionem ventriculi; cibum statim evomit, postquam illum assumsit, potum autem non item itaque necesse est, ut bilis temperetur, & ejus acrimonia emendetur. Post assumtum cinnamomum non ampliùs vomuit, sed meliùs se habuit. Post assumptum sem, Zedoar, ℈iiij. duos vermes excrevit.

29. Maij. Omnia quæ assumit, evomit iterum, & conqueritur de angustia circa præcordia; quæ evomuit, fuerant amara, & paululùm viscida; per 22. septimanas non experta est menses, sentit nonnunquam quasi aliquid ad fauces assurgeret, illasque constringeret; hodiè cùm tria tantum appeteret pruna Damascena, quæ ipsi suppeditata sunt, ipsisque assumptis vomitus cessavit.

30. Maij. Febrem sensit, sed calor, & frigus fuere satis levia.

CASUS CXXVIII.

10. Maji. VIr quidam per 4. septimanas malè se habuit, & diarrhœam per illud tempus passus est, unde valde debilitatus; affligitur quoque tussi, unde non potest noctu quiescere; appetitus est prostratus; quoties aliquid assumere conatur nauseat; frigus passus est, in dextro crure, exinde pes affectus & demum os Ischii. Materiam catarrhosam hic peccare certum est qualis autem illa sit, ex sequentibus adhuc dicendis patebir: interim quoad curationem commodissimum est adhibere medicamenta, quæ discutiunt materiam peccantem, & impediunt largiorem alvi fluxum.

℞. *Rad. Petasitid.* ℥j.
Rasur. C. C. ℨiii.
Baccar. Junip. ℥ii.
Fol. Card. M. j.
Coqu. in s. q. aqu. ad Colat. ℥xx. *add.*
Syrup. Card. Bened. ℥ii.
Aqu. Theriacal simpl. ℥i.
Misc.

14. Maij. De immobilitate dextri cruris conquestus hodiè illud commodiùs movere potuit; tussit valdè, & post longam tussim materiam spumosam & viscidam excernit; spumosa autem fiunt partim ex conquassatione & nisu illo in tussi, partim ab aere ad mixto sputis serosis; & quando materia valdè tenuis & aeris, tunc in delicatioribus Sacch. Alth. & Pilul; de Cynogloss. ad incidendum autem materiam viscidam Troch. Becchic. Alb. si utrumque concurrit, vel si adest materia viscida & tenuis, inspissantia & incidentia permisceantur. Obiit.

Annotata ex dissectione ipsius cadaveris.

Pinguedo in abdomine planè erat absumpta; Omentum planè sursum erat tractum, & solummodò tegebat intestinum colon; intestina tenuia autem erant omento destituta. Parum aquæ ad ℔ß. aut ℥viii. tamen in cavitate abdominis reperiebantur. Intestina flatibus erant distenta. Ventriculi orificium superius quasi excoriatum erat, & valdè rubebat. Liquor in ventriculo continebatur, cui aliquid ramentosi innatabat, ut in aphthis observatur.

Hepar colore flavo externè penitus erat tinctum. Vesicula fellis admodùm parva erat & parum admodùm bilis in ea cernebatur. In intestino tenui, ubi inseruntur ductus bilarius & pancreaticus, levis excoriatio erat facta. Pancreas admodùm flaccidum erat, in dextra pectoris cavitate multa aqua reperiebatur cruenta. Dexter pulmonis lobus pessimè se habebat, & longe durior erat sinistro; quatuor aut quinque foramina observabantur in dextro, ex quibus pus effluebat; in parte ejusdem lobi superiore apostemata deprehendebantur. Sinister pulmonis lobus parte superiori firmiter adhærebat pleuræ, & parte inferiore diaphragmati. In sinistro pectoris latere membrana pleura dicta etiam corrupta erat & excoriata. Lobus pulmonis dexter ubi attigerat diaphragma, eique adhæserat, illo in loco excoriatum erat. Cor firmissimè adhærebat pericardio, & opus habuit vi, quò à pericardio separaretur, eoque separato deprehendebatur plana ejus excoriatio (hoc contingit ab acrimonia humoris, qui exenriat partes, facitque eas cum aliis faciliùs cohærere.) Cor admodùm parvum erat & flaccidum. Interna cordis substantia præter naturam pallebat. Vasa cerebri posteriora sanguine admodùm turgebant, anteriora etiam, sed nullus sanguis in illis erat. Cerebri substantia aliàs benè se habebat.

CASUS CXXIX.

VIr quidam tussi admodùm angitur, & nihil potest tussiendo excernere, unde valde difficulter respirat; assumsit mixturam, sed exinde nullum levamen sentit, quotidiè febricitat; cùm invadit paroxysmus, frigus sentit, primò in pedibus, deinde in lumbis; post prandium statim ingruit paroxysmus, & cùm per semihoram frigus duravit, incidit æger in somnum, & ex eo expergefactus, summo sudore corpus

ejus

ejus est diffusum; respiratio valdè difficilis est, pulsus frequens; sitis maxima eaque continua, & summa linguæ ariditas.

26. & 27. Maji. Post assumtum lac dulce dolorem lancinantem & pungentem in sinistro hypochondrio sensit, & causa est lac, quod coagulatur & in flatus mutatur; quæ ejicit, acriora sunt & calida, à bile quæ deorsum vergit, quod bonum est signum. Melancholicis lac non conducit, quia in illis abit in coagulum.

27. Dolor per totum abdomen; lingua arida; dolor est instar cinguli corpus ambiens, dolor etiam assurgit versus dextram papillam; summa oris amaritudo; phlegmata tenacissima, & viscidissima, tussis molesta est, quod fit ab hepate, quod in motu tussis attollitur, intestinaque premit; facilè in aphtas incidere; quicquid viscidum est, à pituita habet ipsa bilis quando viscida est; dolor ille, qui cinguli instar corpus ambit, in intestinis est; dolor in papilla ab effervescentia, in qua aliquid attollitur, & ad illas partes defertur; vel quia illæ partes facilè refrigerantur, priùs se habent.

28. Dolor ventris cessat; iam à iugulo usquè ad inguem sinistri lateris dolorem sentit; oris amaritudo adhuc perseverat; alvi fluxus durat & linguæ siccitas; ad alvi fluxum extinguatur ferrum candes in cerevisia, quæ ipsi exbibeatur.

29. Tussit adhuc, & dolor totius lateris noctu abiit, sed alius dolor subitò accessit, circa insertionem ductus bilarii; lingua adhuc arida est.

22. & 23. Conquestus est de summa linguæ ariditate, ut & de ingenti siti; os amaricat; nec calorem nec frigus notabile sentit lingua quoque livido colore tincta est: ariditas autem linguæ dependet partim à biliosis halitibus, qui ad os deferuntur, quod patet ex oris amaritudine; bilis enim quoad sal lixiviosum quod in ea est; vim siccandi habet; partim quoque à causa externa linguæ siccitas deduci potest, quis æger hic semper aperto ore; quamdiu ægrotavit, respirationem duxit; ratio autem est, quòd ægri aliqui aperto ore respirent, quia aer per nares inspiratus non sufficit ad inspirationem, propter eà aperto ore ducere quoque debent spiritum; hoc quoque locum habet in iis, quibus nares sunt obstructæ, à quscunque causa etiam id proveniat. Lividitas linguæ etiam à bile est, nihil enim est in corpore nostro, quod magis tingat aliquid, quàm bilis. Ad ariditatem linguæ præstantissimum est Decoct. Fol. Semperviv. Mai. Solan. Sem. Aquilegiæ; Semperviv. autem prævalet, & sufficit vel succus expressus, vel Fol. semperviv. Mai. à quo suprema pellicula est abstracta, quod folium dehinc linguę imponitur; præstantissimum quoque est sequ. medicamentum.

♃. Succ. Semperviv. ℥iv.
Syr. Viol. simpl. ℥j.
M. f. linctus, de quo sæpissimè lingat.

3. Junii. Hodiè multa phlegmata purulenta partim tussiendo, partim vomendo excrevit; & siquis præcedentia Symptomata in hoc ægro probè observaverit, inflammationem in pulmonibus adfuisse probabiliter concludet; valdè debilis est, & difficulter admodum respirat; in naribus tumorem quasi in principio fientis gangrænæ observari solet, natesque sensim rubere incipiunt, cui tumori applicetur empl. diapalm. præterea ad expectorationem materię purulentę de sequ. Decoct. subinde assumat haustum.

♃. Rad. Liquirit. Ras. ℥ß.
Fol. Tussilag.
Violar. ana M. j.
Heder. Terr. M. ij.
Passul. Maj. mundat. ℥ij.
Coqu. ex aqu. pur. ad Colatur ℥xxv. *add.*
Syrup. Jujubin. ℥j.

NB. Omnia antimonialia in phthisi prosunt, si modò ritè parentur, & pauca quantitate exhibeantur, imprimis si vires robustę satis sunt; in hoc autem ęgro talia adhibere inconveniens foret, ob summam ejus debilitatem.

4. Junii. Vomuit purulenta, & valdè debilis est.

5. Obiit.

Delebo Opera.

Annotata ex ejus Sectione.

Pinguedo in abdomine planè consumta erat. Primo intuitu intestinorum detracto omento intestinum colon planè obliquo ductu ab osse coxendicis versus ventriculum transferebatur Omnia Intestina flatibus erant distenta, imprimis antem ipsum intestinum Colon Intestina tenuia valdè rubebant, purpureumque colorem habebant, quem tàm impensè rubrum in inflammatis intestinis nunquam observavit Cl. Sylvius, sed potiùs notavit colorem ex rubeo nigrescentem. Intestina quæ in profundo hærebant, magis rubebant, quàm quæ in patulo sita erant; & ratio hæc est, quia hic mortuus, cùm adhuc in vivis decumberet, multum potum assumsit inde per materiam potulentam id quod effervefactum io intestino illo temperatum quidem est, sed ad alia intestina tenuia scil. propulsum ibique hærens & aliis humoribus corruptis occurrens majorem corrosionem & inflammationem instituit. Ventriculus valdè ad latus dextrum inclinabat Epar admodum flaccidum erat. Lien longè durioris substantiæ quàm epar.

Multum bilis in folliculo fellis continebatur, & quss attigerat partes folliculus fellis, illæ flavebant valdè, quod fit à bilis acrimonia. Fibræ in intestinis valdè rigidæ erant, & beneficio illatum motum peristalticum fieri judicat Cl. Sylv. Mesenterium tantillùm erat membranosum, & omni pinguedine destitutum. Intestinum tenne, quod sub mesenterio fertur, & in quod inferuntur duo illi ductus, pancreaticus nempe & bilarius, interna substantia sua cruentum erat, & partes ejus abrasæ, imprimis illo in loco, ubi est egressus istorum ductunm; cruentum autem erat usque ad ventriculi orificium inferius. Ventriculi rugæ à materia fœda & nigricante planè eranr obliteratæ. Pancreas admodùm laxum erat, & immisso tubulo in ductum pancreatis totum pancreas cum omnibus vasis attollebatur, nec non vasa innumerabilia in ejus superficie. NB. Quinque vix digitos transversos distat insertio utrorumque ductuum, à ventriculi orificio inferiori in intestino. Pulmones in utroque latere adhærebant pleuræ, magis tamen in sinistro, ubi tanta erat adhæsio, ut summa cum difficultate facta est separatio, imprimis circa costam 6. & 7. legitimam: inter diaphragma, pulmonem & pleuram materia purulenta ac fœda hęrebat, magna satis quantitate & ultrà pintam j. eshauriebatur. Dexter pulmonis lobus inferior planè à materia illa purulenta consumtus erat, nec vestigia illius apparebant. Diaphragmatis substantia illa in parte incipiebat corrumpi ab acrimonia puris. In sinistro pulmonis lobo apostema erat, & aliquid materiæ purulentæ eshauriebatur, qualè hic mortuus in vita sua & quidam paucos dies ante mortem magna satis quantitate tussiendo excrevit. Ubi erat apostema in lobo sinistro, scil. inferiori, ibi etiam observabatur corruptio istius lobi. Ex cavitate thoracis sinistra parte exhauriebatur aqua cruenta, colorem vini rubelli referens, qualis aqua quoquo bona quantitate continebatur in ipso pericardio. Cor admodum flaccidum erat, omnique sanguine vacuum, in reliquis quoque vasis nullus planè observabatur sanguis; pulmones admodum turgidi erant, & tamen nulla durities in illis observabatur. Diaphragma costis nothis & extremis adhærebat; Dura mater. firmissimè adhęrebat cranio. Vasa cerebri sanguine admodum turgebant, aliàs nihil in cerebro notabile observabatur.

CASUS CXXX.

10. Maji. VIr quidam febricitat, & quidem febre tertiana, qua laboravit per totam hyemem; frigus per horam, calor per semihor. durat; frigus sentit in ventre; in frigore quoque magis sitit, quàm in calore, alvus est adstricta. Pituitam viscidam vergentem ad salsedinem peccare putat Cl. Sylv. itaque decoctum incidens præscripsit.

CASUS CXXXI.

11. Maji. MUlier quædam per longum tempus scorbuto oris laboravit, & manè materiam admodum viscidam ejicit summa cum difficultate; siccitas gutturis adest. Ad oris collutionem.

℞. *Rad. Bistort.* ʒii.
Fol. Salv.
Flor. Rosar. rubr. ana M. j.
Sem. Levistic. ʒi.
Alum. crud. ʒiii.
coqu. s. a. ex aq. pur. in Colat. ℥xvi.
dissolv.
Mell. Rosar. ℥j.
Acet. Vin. potent. ℥i ß.
misc. f. Gargarismus.

Ad phlegmata crassa & viscida commodiùs dissolvenda.

℞. *Aqu. Hyssop.* ℥ii.
Fœnic. ℥i.
Acet. dest. ʒ vj.
Spir. Vin. rectif. ʒiii.
Ocul. Cancr. ʒß.
Syr. quinq. Rad. ℥i.
Misc.

Assumat Cochleatim.

14. Maji. De summo æstu in faucib. conquesta fuit; aphtis quàmplurimis obducta est lingua, de sequ. decocto subinde assumat haustum.

℞. *Rad. Alth.* ʒ ii.
Fol. Malv.
Semperviv. Maj. ana M j.
Rasur. C. C.
Semen. Aquileg. ana ʒ ii.
Coqu. ex aqu. pur. ad Colat. ℥xx. *add.*
Syrup. Viol. simpl. ℥ ii.
Misc.

CASUS CXXXII.

VIr quidam sexagenarius hactenus de difficili spiratione conquestus nulla medicamenta in sui auxilium assumere voluit; cùm autem jam debilis & mortem metuens, sit, petit remed. quod est sequ.

℞. *Aqu. Hyssop.*
Fœnic. ana ℥ j.
Acet. stillat. ʒ vi.
Tinct. Cinnamom. ʒiii.
Ocul. Cancr. ℥ ß.
Syr. quinqu. Rad. ℥ j.
Misc.

13. Maji. Postquam assumsit medicamentum, de die in diem commodiùs respirat, noctu autem gravior est anhelatio; vesperi venter tumet & distenditur; assumto alimento per 3. horas pejùs habet, unde cibum non assumit, quamvis fames urgeat ipsum; per biduum non dejecit.

19. Hac nocte benè habuit, sed hodiè post meridiem anhelatio de novo illum infestavit ob defectum medicamenti; retulit enim, si ad manus semper haberet medicamentum suprà præscript. meliùs se habere; appetitus est prostratus, appetit & quidem sæpè hoc vel illud edulii genus sed quando ipsi offertur, ab illo abhorret. NB. Semel biduò tantùm dejecit, & de pedum dolore conqueritur; non potest incedere, nisi ab alio ducatur.

28. Maji. Hac nocte pejus habuit; pulsus valdè debilis est; phlegmata fœda & cruenta excernit.

4. Junii Obiit.

Annotata ex Sectione Cadaveris ejus.

Dissectis abdominis musculis humiditas in ipsis observabatur, imprimis inter musculos & peritonæum. Pinguedo planè consumta erat, nullum omentum, quod intestina tegeret, observabatur, sed omne sursum tractum erat ad ventriculum, eratque fœdi coloris; omenti pinguedo erat fusca. Aqua multa in abdomine continebatur colore flavo, sapore subamaro & paululum acido. Intestina tenuia flatibus admodum turgebant, imprimis illud intestinum in quod inseritur ductus bilarius & pancreaticus. Inflato ductu pancreatico intumescebant penè omnia mesenterii vasa.

NB. Intestinum Colon mediantibus aliquot membranulis firmiter annexum erat vesiculæ bilariæ: an per illas membranulas aliquid bilis transsudet ad intestinum colon, illudque ad deponenda excrementa irritet, non est negandum. Pancrear valdè flaccidum erat; Ventriculus penitus occupabat latus sinistrum, & in medio contortus erat, ita ut quasi duplex videretur, flatibusque erat distentus. Epar obscuriorem habebat colorem, quàm debebat naturaliter, & planè situm erat in latere dextro, nec ullo modo, uti naturaliter debet, inclinabat ad latus sinistrum.

Pulmonis dexter lobus, ut & sinister, erant obscurioris & subfusci coloris, qualis observari solet suffocatis & strangulatis. Dissecto sinistro lobo multùm effluebat sanguinis, & apparebant initia inflammationis: ex dextro lobo dissecto etiam aliquid sanguinis effluebat, sed non in tanta quantitate. Cor valdè inclinabat ad latus sinistrum, & valdè magnum erat, quantum Cl. Sylvius non observavit, cùm tamen 250. cadavera dissecuisset. Cordis ventriculi & auriculæ valdè replete erant sanguine; hinc si tanta copia non potest propelli, pulsus debilis est, & vix sensibilis substantia cordis admodum flaccida erat, cùm tamen debebat esse admodum dura, & sine ullo labore à vasis separabatur. Mediastinum cruenti erat coloris, quod naturaliter album referre debet. Propter temporis angustiam nihil ampliùs poterat examinari.

CASUS CXXXIII.

10. Maji. VIr quidam sub hypochondrio sensit punctione per tempus aliquot subinde remittentes, subinde iterum accedentes; non commode sternutat; per totam noctem sudat; Medicus judicavit esse pleuritidem, cùm tamen neque tussiat, neque alia pleuritidi convenientia symptomata sentiat; & ideò sanguinem per V. S. extrahi curavit, unde malum quidem quodammodo mitigatum. Malum autem magis sedem in ventre aut potiùs intestinis habet; murmura sentit; flatus peccant, ut & bilis & pituita; longè magis tamen pituita quàm bilis: flatuum igitur generatio hic impediri debet, & flatus producti discuti.

Medicamentum ergò conveniens pituitam viscidam incidens & leviter evacuans præscriptum est. Febris ipsi supervenit, à qua curatus est.

CASUS CXXXIV.

VIr quidam olim Ictero laboravit, & quidem per 3. septimanas; appetitus est prostratus, & in ore amaritudinem sentit.

℞. *Elect. hydragog.* ℥ß.
è Succ. Rosar. ʒii.
Conserv. Ros. Pallid. ℥i.
Crem. Tartari ʒ i.
M. f. Conditum.

Sumat pro lubitu ad quantitat. nuc. moschat. ut alvus laxior servetur.

CASUS CXXXV.

VIr quidam cùm valdè incaluerit, frigori se exposuit, unde in febrem quotidianam continuam incidit, quæ febris planè erratica facta est; mox enim tertio, mox quarto die invadit: in ipsa febre capitis dolor adest, & sitis; nullum frigus sentit, sed tantùm calorem. Præscripta est mixtura.

18. Maji. Heri habuit febrem, calorque gravior fuit duravit per totam noctem; dolor in sinistro hypochondrio permanet; quando respirat profundiùs, dolor augetur; abdomen tensum est; sentit rugitus & flatus in ventre quibus emissis meliùs habet; quando autem nullos emittit flatus, pejùs habet, & respiratio diffici-

difficilis est à majori effervescentia facta. Dolor in intestino est, quia ibi nulla alia pars est, quæ sedes ejus doloris esse possit; prætereà tensio istius loci idem confirmat. NB. Loco acet. stillat. spiritus nitri ad flatus discutiendos admisceri potest.

25. Benè se habuit, nisi quòd de surditate & sibilo aurium imprimis sinistræ conquestus est, quæ subinde recurrunt; nihil autem præstantius est, quàm si sumatur panis albus adhuc calidus admodum, dissectus in duas partes, Spir. Vin. madefactus & applicatus.

CASUS CXXXVII.

14. Maji. Foemina quędam ex opere suo valdè calefacta aeri frigido se exposuit & malè habere cœpit, unde purgatio menstrua non tam commodè processit, uti debuisset; sensit pręterea internum calorem valdè urentem, externè autem nullus in partibus notatur; pulsus non adeò frequens est; assumsit quidem purgans, sed irrito cum successu.

CASUS CXXXVIII.

18. Maji. Mulier quædam, quæ phlegmata spumosa ac viscida ejicit, sequ. condit. assumere debet.

℞. *Conserv. Rosar. pallid.* ℥ i.
Elect. è succ. Rosar. ʒ ß.
Rad. Jalapp. ʒ ß.
Crem. Tartari ℈ ii.
M.

Assumat subinde ad quantitat. nuc. moschat.

CASUS CXXXIX.

18. Maji. Mulier quędam conqueritur de dolore in sinistro hypochondrio, sub costis spuriis; appetitus dejectus est; gravatur ab alimentis; nauseat & prona est ad vomitum; alvus adstrictior est; biduò ac triduò semel dejecit; rancedo adest, vergit semper hæc ægra ad tristitiam. Quoniam pituita in illa peccat, ad incidendam & educendam eam.

℞. *Mass. Pil. fœtid. Maj.* ʒ j.
Ol. dest. caryoph. gutt. ii.
M. & f. pilul. num. xv.

Assumat vesperi, cùm lectum petere velit, num. iij. si inde non dejicit, cras iterum iij.

CASUS CXL.

24. Maji. Mulier quędam de tumore in pedibus, sine dolore tamen, conqueritur; non habet motum in pedibus, sunt enim debiles, ut vix sustentare possint corpus; alvus est segnior; tumor pedum si prematur digito, nulla manent vestigia.

Quia hæc mulier agit annum 73. & humores serosi & pituitosi in illa abundant, & non negandum, aliquid flatuosi intercurrere, de decoct. incidente & evacuante pituitam subinde bonum haustum assumat.

CASUS CXLI.

Menses ancillæ cuidam diutiùs suppressi fuerunt, & inde levis fatuitas, ob vapores per sanguinis circulationem ad caput delatos.

℞. *Aqu. puleg.* ℥ i ß.
Theriacal. simpl. ℥ ß.
Laud. Opiat. gr. i.
Syrup. stœchad. ℥ i.
Misc.

Bis terve in die haustulum assumat.

CASUS CXLII.

Vetula de dolore oculorum conquesta est, itaque sequenti collyrio sæpiùs lavare debet oculos.

℞. *Aqu. fœnic.*
Rosar. ana ℥ i.
Sief. alb. ℈ ß.
Vitrioli Alb. gr. ii.
Misc. exactissimè.

CASUS CXLIII.

23. Maji. Infans quinque annor. per 3. septimanas febricitavit & quidem primò febre tertiana intermittente, jam autem duplici tertiana seu quotidiana; in ipso paroxysmo frigus per semihoram durat, calor autem ad 4. hor. extenditur; frigus primò in dorso sentit, quod dehinc per totum corpus dispergitur; paroxysmus semper duas postponit horas; tempore frigoris valdè sitit; in principio cùm primis diebus febricitaret, ex sternutatione incidit in narium hæmorrhagiam, à quo tempore grumosum sanguinem ex faucibus excrevit, tamen nec tussiendo, nec screando; statim cum illa sanguinis excretione apparuerunt maculę purpureæ, quæ jam lividæ factæ sunt & æquant piperis granum; facies tumida & quasi leucophlegmatica; pedes vesperi tument; alvus laxa; præscriptus est ab alio Medico haustus subinde assumendus, ille tamen nullo cum successu adhibitus est. In malo hoc sanguinis acrimonia peccat, quæ corrigenda est. De seq. mixtura quater in die propinetur infanti cochleare j. & redeunte paroxysmo cochlearia iii.

℞. *Aqu. plantag.* ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ ß.
Acet. stillat. ʒ iii.
Ocul. Cancror. ℈ i.
Sang. dracon. gr. v.
Antimon. diaphor. ℈ ß.
Syr. Card. Bened. ℥ i.
Misc.

CASUS CXLIV.

Vir quidam ante vesperam per 9. dies malè habere cœpit, & tum caluit, & doluit circa hypochondria & præcordia; os amaricat; & omnia quæ assumit amarum saporem sapiunt; dolor jam gravativus & distendens per totum corpus est dispersus, à quo ipsum caput non est immune a tussit; tussiendo viscida excreuit; alvus medio modo se habet; non quiescit; frigus nullum sentit, sed tamen calorem.

Bilis primariò hic peccat, quod facilè satis symptomata demonstrant; pituitam quoque peccare patet ex materiæ viscidæ excretione, quæ tussiendo rejicitur, ut & dolor gravativus & distendens, & alvus ferè adstricta; ad corrigendos itaque & præparandos humores peccantes præscribatur mixtura consueta. Quia alvus est segnior, præscribatur haustus hydragogus.

4. Junii. A medicamento bis rejecit; conquestus est de lancinationibus in lumbis cum dolore, sed non tantę fuere, uti priùs; sensit murmura; interdiu paulò meliùs habet, quàm vesperi; & noctu lancinationes ipsi videntur ex lumbis ad thoracem assurgere, unde respiratio paulò difficilior & tussis excitatur; utrumque humorem, pituitam puta & bilem, peccare ex pręcedentibus, ut ex pręsentibus symptomatibus patet; à pituita enim viscida flatus, à bile autem ęstus excitantur. Hactenus optimè habuit, hodiè die 27. Junii conquestus est de tussi, & de punctura in pectore, quando tussit venter tumet, angiturque in ventre; quando inspirat dolor in superiore loco, quando exspirat in inferiore pectoris parte sentit. In inspiratione dolet pectus, quia dum abdomen flatibus distensum est, majori vi diaphragma deprimitur, ut impedimenta illa removeat,

imprimis in concussione illa tussis; folliculus fellis concutitur, bilisque excernitur, quæ flatus generat, onde imprimis in eo loco hypocondrii dolor sentitur. Os sternum non ita sequitur motum diaphragmatis, ut costæ, unde illud magis afficitur, si motus fiat vehementior, & distensio major Uterque humor peccans corrigendus & evacuandus per conveniens decoct. phlegmagogum; nempe

℞. Ung. Martiat.
Ol. d. absynth. ana ʒij.
M. Inungant pectus, ubi dolet.

CASUS CXLV.

Vir quidam ex itinere valdè incalescens aeri frigido se exposuit; unde in dolorem totius corporis incidit; alvus satis respondet; febris adest continua.

A corpore calefacto magis moti ac soluti sont humores in corpore, hinc & pituita magis soluta, & ad habitum corporis delata, à vento autem frigido corpus afficiente coagulata, & in partibus corporis subsistens dolorem totius corporis excitat.

Uratur consueta Cl. Sylv. mixtura. In omnibos levamen habet; sudat nonnunquam, dum enim adeò calet, & impeditur sudor, quando augetur; hoc autem fit, quando novus accedit paroxysmus, tunc calor augetur, & impeditur sudor; etsi enim hic æger febre continua quoque laboret, tamen continuæ febres suos quoque habeot paroxysmos.

21. Deliravit.

25. Dolorem sentit in capite, quando tussit, (dolor fit in tussi, si aer exspiratus & propulsus in cerebrum, id afficit,) heri commodè dejecit, & optimè se habet. Tempore æstivo imprimis spir. volatil. & aqua pereunt, unde Sal lixiviosum & spiritus acidus acriora fiunt in corpore. Fermentatio minor fit æstate, quia aqua deest in corpore; in acidulis Spadanis est spiritus acidus temperatus à Spir. volat.

5. Jun. Moltùm sanguinis è naribus excrevit, & valdè debilis est.

6. Jun. Obiit.

CASUS CXLVI.

21. Junii. Juvenis quidam 21. annos natus, ante 3. menses cum noctu sub tecto decubuisset, circa collum sensit frigus cum dolore lancinante, ita ut ab eo tempore adhuc usque torticollus factus sit; dolor ille scapulis communicatus est, & primò dextro quoque brachio dehinc sinistro, ut & pedibus, cum summa motus impotentia, ita ut nec incedere, nec stare posset; sed semper decumbere coactus fuerit, nihilque manibus apprehendere potuerit; motus quidem in manibus & pedibus adhuc aliquis est, sed exiguus, & magno labore artus moventur; sensus tamen est exquisitus; pedes nonnunquam sursum trahontur, & tunc sentit dolorem in scapulis; motis manibus etiam dolorem in scapulis persentiscit; venter per 8. septimanas tumuit, flatusque multos emisit; pulsus frequens est; alternis diebus magis sitit, alvus satis respondet appetitus viget; noctu cùm somniat, perterretur, aliàs benè dormit Queritur, qualis sit affectus, & quæ curandi ratio? Distinguendi sunt affectus, qui in hoc ægro sunt; 1. considerandus ille qui observatur in motus difficultate; & alter, qui spectat febrem ventrisque tumorem. Ab externo frigore caput affectum est, ut & omnes humores in capite contenti. Collum quoque primariò affectum videtur, ex intorsione colli; in collo autem musculi primariò moventes collum, & nervi qui ex vertebris transeunt ad artus ab humore viscido ibi hærente nervosque premente, ne pateat liber aditus spirituum animalium ad artus. Scapulas quoque affectas esse patet, quando movet pedes aut brachium, tunc enim sentit dolorem in scapulis. Materia autem circa scapulas hærens habet aliquam in se acrimoniam; hoc patet ex convulsione, pedes enim nonnunquam sursum trahuntur, tuncque nullum dolorem nisi in scapulis sentit. Dehinc corpus abundare pituita, non tantùm communis victus ratio in hoc ægro suadet, sed & copiosi flatus illud judicant, quos emittit.

Totum sanguinem affectum judicat Cl. Sylv. & hunc ægrum laborare insuper principio hydropis ascitis, cui conjuncti sunt flatus; nec judicandum ascitem nullos flatus habere conjunctos, quod falsum, & contrarium sæpissimè observavit Dominus Sylvius.

Flatus sunt à pituita viscida; obstructa sunt aliquot vasa lactea, unde ruptio & effusio chyli in cavitatem abdominis, ut ita ascites; à pituita quoque febris excitari potest.

CURATIO.

Blandis sudoriferis hic æger est curandus, ab acrioribus autem abstinendum, e. gr. ab usu lign. guajac. id enim ob acrimoniam hic non conducit; sed omnia quæ sale volatili non acriori abundant, hic conveniunt, quæ ab Authoribus urinam movere dicuntur.

De sequ. decoct. bis terve in die haustum assumat.

℞. Rad. Apii,
Fænic. ana ℥i.
Baccar. Junip. ℥ii.
Sem. siler. montan.
Urtic. Rom.
Saxifrag. ana ʒii.
Coqu. ex aqu. pur. ad
Colat. ℥xax.
add.
Syr. de quinque Rad. ℥iii.
Syr. Vin. rectif. ℥ii.
Misc.

22. Manum dextram meliùs movere potuit, ut & collum, quàm heri.

23. Pejùs habet quàm heri, caput non potest movere ullo modo, qui doleat maximè collum; febricitavit & deliravit; quòd autem febris major quàm heri & pridiè fuerit, causa videtur esse, quia pituita acida à compedibus suis magis liberata, bilisque ei permixta majorem effervescentiam & ita majorem febrem excitavit. Spiritus enim acidus quò magis liber est, & à materia viscida pituitosa, in qua hæret, magis liberatus, calorem quoque producit; nam quò liberior est, eò majorem producit calorem; hoc observamus, si spiritus acidus exponatur aeri, partes acriores & calidiores avolaot, & phlegma manet; quòd si autem spiritus acidus pituitæ viscidæ adhuc est permistus, frigus excitat. Affusus spiritus acidus limaturæ Martis majorem excitat effervescentiam, quàm si affundatur Sali Tartari; & ratio hæc est, quia in Marte est aliquid olei. Succus pancreaticus si jungatur bili, & fit acidior ac fluidior, producit bilem æruginosam. Delirium à bile est; omnes enim affectus, in quibus observatur delirium, illi omnes à bile ortum ducunt, & delirium accidit à perturbato motu ipsorum spirituum animalium, ut & ejus impuritate; utile enim est aliquid volatile, quod facilè jungitur spiritibus animalibus, qui etiam sunt volatiles. Diversa possunt ad caput assurgere, quę faciunt inclinationem ad somnum; quędam etiam quę lancinatione iterum excitant à somno. Ubi spiritus acidus peccat, ab acidis est abstinendum, & ad contemperandum estum valdè conducit phlegma Vitrioli & acet. sed non ad acidum superius est ascendendum; in phlegmate enim Vitrioli summa leniendi vis, propter spiritus volatiles, & Sulphur volatile; omne phlegma tam Vitrioli quàm aceti summam habet vim temperandi bilem. Nucha ægri inungatur sequ. linim.

℞. Ol. lumbric.
Vulpin. ana ʒi.
Castor. ℈j.
M.

In affectis nervis hęc selecta sunt, valdè enim leniunt Ol. lumbric. & vulpin. & Ol. Castor. ob salem volat. roborandi vim habet. Cùm adhuc ipsi adessemus;

mus, pessimè se habuit, valdèque deliravit, videbaturque ipsi caput funiculis pulvinari alligatum esse pulsus qui ante dimidiam horam compressior fuit, cùm in agone versaretur, valdè frequens, liberior & robustior erat, & ita vitam cum morte commutavit.

Annotata ex Sectione Cadaveris 1711.

Abdomen valdè turgebat, pressoque abdomine humor ex naribus effluebat.

Dissecto abdomine aqua spumosa ad aliquot cochlearia effluebat; intestina admodum turgebant flatibus, ut vix sine læsione illorum potuerit aperiri abdomen. Intestina tenuia multa aqua erant repleta, flatibus distenta. Intestinum colon, quod in sinistro latere fertur, & tunc constituit flexum Sigmoideum, mirè erat distortum, flatibus distentum, & in medio abdominis reliquis intestinis instar C inflexi e. gr. C. Intestinum colon cum intestinis tenuibus præter naturam cohærebat ventriculo. Liquor, in intestinis tenuibus hærebat, quasi ramenta ipsi permista fuissent, videbatur, nullaque pituita, quæ aliàs observatur, cum spuma bullisque elevatis, uti solet in effervescentia fieri. Ventriculus admodum distentus erat flatibus, & liquoris aliquid in ipso reperiebatur. In mesenterio glandulæ admodum tumefactæ duræque erant, quales in scrophulis solent observari, materiamque Medicis gypseam dictam in se continebant; Externè in collo nihil potuit observari læsum. Vasa sanguinea admodum turgebant sanguine, caroque musculosa admodum flaccida erat. Cutis in collo minoribus glandulis erat infarcta. Indissolubiliter ferè dura meninx cranio adhærebat. Omnia vasa cerebri tam exteriora quam interiora sanguine admodum turgebant, piaque meninx quasi leviter inflammata videbatur. Substantia cerebri obscurior, sanguineque saturatior erat. Aqua satis copiosa in cerebri ventriculis saporis subsalsi & parum acidi continebatur: Ductus inferior falcis admodum magnus erat, quantus nunquam à Cl. Sylvio fuit observatus. Propè primum cerebri ventriculum anfractus & cavitas quasi observabatur, quales nunquam notavit Cl. Vir Dominus Sylvius. Circa sextum par nervorum multa hærebat aqua.

CASUS CXLVII.

22. Junii. MUlier quædam per 14. menses valetudinaria fuit; interim tamen uterum gestavit, & ante quatuor menses peperit filium; ante 8. autem dies frigus sensit molestum, quod duravit per 14. hor. & calor per duas tantùm, qui mediocris; & hæc symptomata quotidiè patitur; dehinc etiam dolor adest circa præcordia & sitis; assumto cibo valdè angitur; leniter sudat, sed sudor est frigidus; palpitationem in lumbis in parte magis anteriore, sentit; noctu non potest quiescere; unde capitis dolor; alvus satis respondet.

Hic affectus potest dici affectio hypochondriaca, qui comitem habet febrem algidam; pituitam autem peccare patet ex frigore summo, quod dependet à pituita.

23. Heri benè se habuit; per 7. hor. duravit frigus; angitur in regione lumbari & magis parte anteriore; per 5. dies non dejecit; hodiè nihil medicamentorum assumsit, unde paroxysmus hesterno fuit gravior, & commoda quidem esset purgatio, quia alvus segnior, sed quia nullum commodum datur purgandi tempus, ob febrem, videndum quomodo in crastinum diem se habeat; frustra enim adhibentur medicamenta, si in ipso paroxysmo febrili adhibeantur, nihil enim agunt, si aut in principio paroxysmi aut ante declinationem ejus exhibeatur; satius ergò esto, si nullum aliàs commodum datur purgandi tempus, ut illud observetur, quando febris declinatio adest. Non amplius tantum frigus, sed horror adhuc adest; ab ineunte æstate tussivit, ab assumto autem hoc medicamento per octiduum non tantum tussivit.

26. Ab assumpto hydragogo commodè dejecit; hodie manè benè se habuit, sed post meridiem iterum malè; videtur ipsi cor innatare aquæ, ab halitibus & vaporibus ex effervescentia in intestino tenui facta assurgentibus, & à saliva magis soluta & deglutita.

CASUS CXLVIII.

MUlier quędam de continua alvum deponendi necessitate conquesta est; quæ dejecit, sunt pituitosa & aliquo modo cruenta.

Tenesmo hæc mulier laborat, qui excitatus est à materia viscida acri adhærente intestino crasso; de sequentibus suppositoriis subinde unum immittat in anum.

℞. *Pulv. Rad. Aristol. Rot.*
Myrrh. Rubr.
Mastich.
Oliban.
Litharg. aur.
Lapid. calaminar. ana ℈ ß.
Tereb. coct. q. s.
M. f. s. a. Suppositoria ad longitud. articuli digitorum.

CASUS CXLIX.

25. Junii. MUlier quædam conqueritur de dolore capitis & colli; qui per 6. septimanas duravit; non quievit per aliquot noctes ob dolorem dentium auriumque; Collum totum scrophulis tumidum & rigidum; menses ordinatè fluunt; cum febre & frigoris modo incidit in id malum; sæpè nudis pedibus incessit, usurpavit externa, non interna. Potest dici affectus hic catarrhus, ut vulgò solet, dolor dentium & aurium subinde gravior, subinde levior; causa est humor pituitosus, quod probant scrophulæ; & serosus, quod dentium dolor auriumque subinde affligens affirmat.

℞. *Mass. Pil. Cochiar.* ʒ j.
Resin. Jalap. ℈ j.
M. f. Pilul. num. XXX.
Quotidiè v. assumat.

CASUS CL.

JUvenis per 3. septimanas inflammationem in pede habuit sinistro cum febre, ab illo tempore de angustia, ardore faucium, pectorisque dolore conquestus est; nullum saporem in cibis percipit; per 4. dies non dejecit. Præscriptus est haustus hydragogus & mixtura consueta. Ardor in faucibus remisit, ut & sitis.

Hodie die 12. conquestus est de tussi, imprimis noctu urgente, dolorem sentit circa cartilaginem ensiformem, quando tussit; ficciora non potest deglutire; partim propter salivæ defectum; partim quia illæ partes excoriatæ fuere, unde minùs aptæ ad promovendam deglutitionem; noctu ob tussim molestam non potest quiescere; ad leniendos igitur dolores acres, de sequ. decoct. subinde haustum assumat.

℞. *Rad. Alch.* ʒ ii.
Liquirit. Ras. ℥ ß.
Fænic. ℥ j.
Fol. Tussilag.
Hyssop. ana M j.
Rassur. C. Cerv. ʒ ii.
Coqu. ex Aqu. pur. in Colatur. ℥ XX.
Dissolv.
Syr. Jujub. ℥ ii.
M.

CASUS CLI.

PUella quædam conqueritur per 3. septimanas se malè habuisse; frigus in lumbis sensisse; durasse adhuc diem: ubi primò calorem percipit, dolorem capitis patitur, nec non quandoque insultus epilepticos; intra 3. septimanas semel dejecit; dolorem

per

par totum corpus quoque sensit, ut vix tegumenta ferre possit.

A pituita acida primarium malum dependere pucat Cl. Sylv. & vult adbiberi medicamenta sale volat. abundantia. Alvus per aliquot dies & septimanas fuit adstricta, quod deducit Dominus Sylv, à spirit. acid. Adhibenda ergo quæ bilem augent, ut sunt Sal Tartari, item Oleum Tartari per deliqu. quod spirit. acid. contemperat.

CASUS CLII.

IUvenis quidam cùm valdò incalesceret, ante occiduum adivit mare, & se in eo lavit; post balneum iterum incalescens, largiter frigidum assumsit potum, à quo tempore incidit in febrem, uti mox incaluit, mox friguit, molestiam præterea in lumbis sensit, & adhuc sentit, præterea tussit & tussiendo eruenta excernit; dolorem per totum corpus sensit inprimis in pectoris latere dextro, eòque magis quando respirat & tussit; difficilis adest respiratio; pulsus durus, celer & frequens; sitis intensa. Pleuritide hunc ægrum laborare manifestum est ex symptomatibus relatis, adest enim febris, dolor pectoris, difficilis respiratio, sitis & tussis. Omnes humores malè affectos esse judicat Dominus Sylv. idque ab externo frigore, cùm in balneum se recepisset, & ab interno frigore, dum potum frigidum copiosè hauserit, contractum, Etsi jam calor acris in illo ægro percipitur, tamen per calida debet curari. Propinetur mixtura consueta.

14. Julii. Hodie majorem perturbationem in lumbis sensit, & calor acrior omniaque symptomata graviora sunt quàm heri; tussiendo spota cruenta excernit; alternis diebus pejùs habet, & hinc concludendum febrem tertianam continuam intercurrere, & ob novam exacerbationem febrilem symptomata graviora hodie fuerunt, quàm heri.

CASUS CLIII.

ANcilla per 3. dies dolores per totum corpus inprimis in capite sensit, idque a frigore externo contraxit; per 4. dies non dejecit; dolores quoque circa præcordia habet; omnia potulenta, quæ assumit, iterum evomit, quæ dehinc sapiant saporem amarum; noctu non quiescit; pulsus præter naturam frequentior; menses alias benè se habent. Assumat mixtur. consuetam.

CASUS CLIV.

12. Julii. PUella quædam conqueritur de dolore circa præcordia, continuo vomitu, & faucium ardore; noctu non quiescit.

℞. Diascord. Fracast. ʒ i ß.
Syrup. Myrtin. ℥ 1
Laud. Opiat. gr. ii.
Aqu. Cinnamom. ℥ ß.
Plantag. ℥ ii.
Misc.

14. Julii. Dolorem sentit in urinæ redditione; sedimentum urinæ purulentum est, ab exulceratione colli vesicæ; ab assumtis cibis gravatur; omnia evomit, ut vix aliquid possit assumere. Obiit.

Annotata ex Sectione Cadaveris ipsius.

Intestinum colon in dextro latere firmiter adhærebat peritonæo. Vesica coalebat cum utero, & uterus cum reliquis partibus, omniaque intestina utero vicina coaluerant. Partes uteri & uterus ipse malo erant affecta, & inter intestinum rectum & uterum materia purulenta reperiebatur. Uteri substantia magis crassa erat, quam debebat, magisque erat porosa, uti contingit in illis, quibus menstrua fluunt. In interiore vesicæ parte exulceratio, materiaque purulenta notabatur. Renes præter naturam majores erant, pallidi coloris ac figuræ inæqualis.

In utroque rene materia purulenta observabatur. Ureter dexter admodum magnus erat, & liquor aliquis in illo continebatur, rubebat quoque, sed magis in parte inferiore, quàm superiore. Circa insertionem hujus ureteris dextri in vesicam erat obstaculum, quo stylus penetrare non poterat; ureter sinister magis tenuior, nec tam crassus uti dexter, magis teres, totiusque substantia delicatior erat. In mesenterio apostema reperiebatur, satisque magna puris quantitas illo aperto effluebat.

Intestinum tenue quod sub mesenterio fertur, & in quod inseruntur ductus pancreaticus & bilarios, secundùm internam substantiam suam erat excoriatus, leviterque inflammatus; nullus mucos in illo reperiebatur, qui aliàs naturaliter adest.

NB. Ab intestino illo tenui vas notabile, in quo liquor aliquis continebatur, prodibat, desinens in glandulas lumbares; præterea plexus plurimorum vasorum, sed magis exiguorum, quæ ex eodem intestino prodibant, & glandulas lumbares desinebant, observabatur. Ventriculus tam parvus & contractus erat, ut facilè pro parte intestini aspici potuisset.

Lien præter naturam durior erat, ut & gravior. Hepar penè naturaliter se habebat; Vesicula fellis plena erat bile, partesque ejus vicinæ colore bilis erant tinctæ. In thorace omnia benè se habebant, nisi quòd in cordis substantia, externa macula alba notabatur, quasi membrana esset combusta.

CASUS CLV.

PUella quædam ante 5. septimanas ad hoc usque tempus valetudinaria fuit, & quotidiè sensit paroxysmos febriles; initio paroxysmi sensit frigus in lumbis, dehinc per totum abdomen, & deinque per pedes dispersum; ut pedes quasi aquæ frigidæ impositos esse, sibi videatur; 15. dies post cum malè se habere cœpit, evomuit sanguinem, & cum sanguine bilem, abhorret ab omni potu, excepta aqua; caput dolet, & vertigine subinde laborat; per 3. dies non dejecit, molestiamque circa regionem ventriculi percipit. Ad alterandos & præparandos humores præscripta est mixtura consueta.

CASUS CLVI.

PUella quædam per 4. annos valetudinaria fuit, ubi per totum illud tempus dolores in lumbis sensit, sed non tam graves uti jam; per aliquot dies febrem habuit, cum capitis dolore; ante hac omnia, quæ assumsit, iterum evomuit, sed vomitus ille jam cessavit; appetitus est prostratus; alternis diebus semel dejecit.

Præscripta est mixtura consueta.

CASUS CLVII.

VIr quidam conqueritur de linguæ siccitate & faucium ardore; non potest commodè deglutire; mane cum surgit, vertiginem patitur, ac interdiu sibilum aurium; ante triduum febrem sensit cum tremore.

℞. Aqu. Betonic. ℥ ii.
Fœnic. ℥ i.
Spir. Salis gutt. vj.
Syr. quinque Rad. ℥ j.
M. & assumat cochleatim.

CASUS CLVIII.

PUella quædam conqueritur de summis oculorum doloribus.

℞. Aqu. Rosar. alb. ℥ ß.
Fœnic. ℥ ß.
Croc. Opt. gr. ij.
Opii Thebaic. gr. j.
Misc. pro Collyrio, quod guttatim in oculorum angulos, immittat.

CA-

CASUS CLIX.

IUvenis quidam valdè pituitosus de gravi auditu conquestus; præterea & de seroso tumore in inferioris maxillæ parte anteriore circa latus m:nti: cui sequentia sunt præscripta.

℞. Mass. Pilul. Fœtid. maj.
Cochiar. ana ℥ß.
Ol. Caryophyll. gutt. iii.
M. f. Pilul. num. xxv.
Deaurentur. Dosis num. iii.

Ad gravem auditum;

℞. Ol. Castor. ℥ii.
Succin. ℈i. *Misce.*

Excipiatur Gutt. j. aut ij. gossypio, & in cavitatem auris immittatur.

Ubi dolor ea distensione membranarum aut peritonæi à flatibus, tum olea conducunt, quæ partes illas reddunt magis explicabiles.

℞. Ungu. Alth. simpl.
Martiat. ana ℥ii. *Misce.*

Ol. Liliur alb. ratione flatuum discutiendorum externè valdè condúcit, cui si jungantur Nardin. & Chamæmel. magis penetrat, discutit solvit & temperat acrimoniam.

ANNOTATA.

Ex sectione pueri de summis & immensis abdominis doloribus, dum adhuc in vivis esset, conquerentis.

Abdomen admodum turgebat, eoque dissecto aqua colore ex albo viridescente instar seri lactis effluebat. Omnis abdominis pinguedo consumta erat. Inter peritonæum & omentum satis magna quantitas materiæ lacte coagulato, tam ratione coloris; quàm consistentiæ, non absimilis continebatur ad ℔ii. Membrana intestina tegens admodum crassa & quasi cornea facta erat, intestinisque firmiter adhærebat. Peritonæi pars in superiore parte dextra tam dura erat, ut tangenti facilè (quoad consistentiam) pro cartilagine haberi potuisset. Ea cavitate, quam constituit omentum alligatum fundo ventriculi, sinistræ lienis parti & intestino colo, aqua flava ad aliquot cochlearia exhauriebatur. Intestina in se invicem coalita erant, & non nisi summa cum difficultate separari poterant.

CASUS CLX.

IUvenis pannisca annorum circiter 30. ante 15. menses sensit circa sinistrum hypochondrium in concursu notharum costarum cum suis cartilaginibus, dolorem, quo angebatur, quotiescunque vel leviter tantùm tussiret; nunc autem dolorem cum alvi segnitie per sex circiter menses passus est; incidit posteà in motus difficultatem in brachio dextro, & quidem circa humerum, adeò ut via humerum movere posset; ubi motu continuato membrum magis incalescebat, motus liberior redditus est; interim ab opere desistens frigus molestum patiebatur, ab humero usque ad cubitum, quod frigus cessavit, postquam thoraci insuta est pellis ovina; idque malum continuavit circiter duos menses, quo tempore tumore œdematoso & frons & faciei pars superior occupata est, & quidem tanto, ut foveam facilè admitteret, & ab imposito pileo notabile signum remaneret; post illud tempus totum brachium subitò reditum est immobile; remanente motu solo in manu & cubito; potuit flectere brachium, sed non à corpore removere, nec id hoc tempore potest, & totum malum remansit in brachio & humero. Inter alia & quidem pauca remedia, in sinistro brachio fonticulus excitatus est ante tres menses circiter, qui per unum circiter mensem servatus est apertus; interim dolores habuit conjunctos graves, & tantos, ut coactus fuerit fonticulum claudere. Eodem tempore dolor gravis excitatus est in sinistro humero, cum motus impotentia, quæ hactenus adhuc permanet, licet post curatum fonticulum sublatus est dolor. Eodem tempore quo in sinistro brachio excitatum est malum præfatum, obortus est quoque tumor in sinistro genu, cum dolore non quidem gravi, sed motum impediente, cum levi claudicatione, adeò ut vix per horæ quadrantem ambulare, nec nisi cum incommodo sedere queat; durante hoc, alvus fuit segnior, appetitus autem toto tempore integer & potius auctus, quàm diminutus; sitis nunquam ursit; somnus fuit commodus; non potest cogitare æger, unde malum ipsi acciderit & ortum duxerit; vix hactenus aliquid tentatum est per remedia, nisi quòd in dextra pedis parte interna applicatus fuerit fonticulus, à quo nullam habuit molestiam, semelque atque iterum purgantia ac sudorifera sine ullo tamen levamine sunt adhibita.

EXPLICATIO.

Quo nomine hic affectus sit nominandus, difficilè dictu est, nullum enim nomen, quod ei commodissimè conveniat, via excogitari potest; ad speciem paralyseos imperfectam quidem referri potest, quia in paralysi quacunque nullus notabilis observatur dolor, qui hic præstò est; meritò autem ad motus impotentiam ad rigorem scilicet refertur, in frigore enim est rigiditas, quæ hic observatur, in paralysi autem partis laxitas, quæ hic abest.

1. Si in parte paralytica frigus ægro molestum, illud tamen in paralysi molestum non est.

Ergò hic affectus ad paralysin non est referendus. NB. Nervi à pituita non possunt comprimi, nisi ea abeat in gypseam substantiam.

Pituitam, & in ea spiritum acidum in hoc ægro peccare, manifestò ex eo patet nempe quia fames est aucta; fames autem non augetur, nisi ab acidis.

2. Aliquid acre adesse patet, ex humore, qui è fonticulo brachii sinistri effluxit unde æger dolorem sensit; & hoc manifestum est argumentum, si humor ex parte effluat causant dolorem, acrimoniam adesse certissimè, humoris autem acris ratione fit dilaceratio partium.

Pars affecta videntur musculi cum suis tendinibus, ad quos defluxit humor, non quidem quantitate, sed qualitate, acrimonia scilicet peccans; si enim quantitate peccasset humor, tumorem excitasset, quod non contigit; quia autem dolor adest, meritò ab acrimonia illius humoris malum deducitur. Locus autem, à quo humor ille ad humerum & brachium delatus sit, statuitur intestinum tenue, quod sub mesenterio defertur & ad latus sinistrum seu hypochondrium sinistrum tendit, in quo prava facta fuit effervescentia; malam autem esse effervescentiam, patet ex dolore, quem sensit æger in hypochondrio, sinistro, & adstrictiore alvo. Viæ autem ordinariæ statuuntur per quas humor ille acris ad partes dictas, humerum scil. &c. affectas defertur, hoc patet ex humore ex fonticulo effluente. Cl. Sylvius putat fonticulum in parte nimis sensili locatum fuisse, unde dolor tantus exortus fuerit. Tumor qui notatur in facie, est ab humore viscido in partibus faciei mollioribus restagnante.

CURATIO.

In his consistit ratio curandi, ut humor excitans dolorem corrigatur, & temperetur. a. Ut humor correctus educatur; quod commodè præstari potest, si adhibeatur decoct. ex radicibus aperientibus, ut apii fœnic. levistic. lign. guajac. addit. bacc. junip. & omnibus aromaticis & seminibus quæ temperant humorem acrem, & simul educunt. NB. Satius est plantas adhibere siccas, quàm recentes, quia ex recentibus sal volat, non benè elici potest.

REME-

REMEDIA SYLVIANA.

1. Pulv. Sternutatorius.
   ℞. *Rad. Helleb. alb.*
   Fol. Majoran.
   Flor. Lilior. Conv. ana ℈ i.
   M. f. pulv.
2. Alius.
   ℞. *Fol. Nicotian.* ʒ i.
   Flor. Caryoph. ℈ ß.
   Rad. Liquirit. ℈ i.
   M. f. pulv. tenuissimus.
3. Ad suffocationem uterinam.
   ℞. *Aqu. Puleg.* ℥ ii.
   Cinnamom.
   Hysteric. ana ℔ ß.
   Syr. de Fœnic. ℥ ß.
   M. Dos. subinde cochl. j.
4. Ad Clavos pedum.
   Valet Cera viridis.
5. ad Dysenteriam.
   ℞. *Lactis Vaccin.* ℥ i.
   Tereb. Venet. in ovi vitell. dissolut. ℥ ß.
   Mell. Rosat. ℥ i.
   M.
   F. Enema.

Ubi malum ingravescit, iterandum est aliquoties.

6. Ad. eandem.
   ℞. *Rhabarb. el.* ʒ i.
   Diascord. Fracastor. ʒ ß.
   Aqu. Cinnamom. ʒ ii.
   Plantag. ℥ ß.
   Conf. Alkerm. ℈ ß.
   M. sumat. æger subinde cochl. j.
7. Ad eandem.
   ℞. *Rhabarb. el. leviter tost.* ʒ i.
   Diascord. Fracastor. ℈ i.
   Conf. Alkerm. ʒ ß.
   Syr. Myrtin. ℥ ß.
   Aqu. Plantag. q. s.
   M. f. Haust.
8. Scammonii præparatio, ut sine ullo incommodo usurpari possit.
   ℞. *Scammon. gr. xv.*
   Terantur in mortar.
   Additis Aqu. Cinnamom. ʒ ii.
   & Aqu. Meliss. q. s.

Affund. sensim emulsio lactea, remanente in fundo materia nigricante & picea; emulsioni lacteæ add. Juleb. rosac. ʒ ij. & f. haustus.

NB Sine ullis torminibus agit, quod debet.

9. Ad Variolarum eruptionem.

   ℞. *Aqu. Petrosel.*
   Fœnic. ana ℥ i.
   Acet. still. ℥ ß.
   Ocul. Canc. ʒ ß.
   Syr. de quinque Rad. ℥ i.
   M.
   Detur ægro subinde cochl. j. per tot. ægritudinis tempus.

Nota. Si gr. ij. aut iij. Ol. dest. anis. Rhabarb. jungantur, sapor ejus ingratus omninò non percipietur.

10. In delirio, ad somnum conciliandum.
   ℞. *Hord. mundat. ad crepatur. coct.* ℥ i.
   Sem. Papav. alb. ʒ iii.
   Cucumer. ʒ ii.
   Cum decoct. hord. q. s.
   f. Emulsio, cui add.
   Syr. Diacod. ℥ i ß.
   Aqu. Rosar. ℥ i.
   Cinnamom. ℥ ß.
   Misc.
11. Tinctura Cinnamomi.
   ℞. *Cinnamom. pulv. q. placet,*
   Spir. Vin. rectif. q. s.
   M. pon. in digest. & extrahe Tinct.
12. Aqua theriacal. simplex.
   ℞. *Theriac. Andr. Vet.* ℥ j.
   Spir. Vin. rectific. ℥ iv.
   Misc. pon. in digest. & extrah. Tinct.
13. Electuar. Diaprunum, seu Cholagogum
   ℞. *Pulp. Pruner. acido-dulc.* ℥ x.
   Cremor. Tart. Scammon. opt. ana ℥ ii.
   Rhabarb. el. ʒ x.
   Cinnamom. acut. ʒ ii.
   Sacchar. clarific. ℥ xvi.
   M. f. s. a. Electuar.
   Dosis à ʒ iii. *ad* ℥ ß.
14. Electuar. Hydragog.
   ℞. *Baccar. Junip. in aqu. font. vel pluv. coctar. expressar. & ad pulp. consistent. redactar.*
   Pulp. Tamarindor. ana ℥ iv.
   Rad. Ialapp. ℥ i ß.
   Scammon. el. ℥ i.
   Cinnam. acut. Sem. Fœnic. dulc. ana ʒ ii.
   Sacch. clarificat. ℥ x.
   M. & f. Elect.
   Dosis à ʒ iii. *ad* ℥ ß.
15. Electuar. de Senna.
   ℞. *Pulp. Pruner.* ℔ ß.
   Tamarindor ℥ ii.
   Fol. Senn. mundat. ℥ iii.
   Scammon. elect. ℥ ß.
   Sem. Fœnic. dulc. ʒ iii.
   Rad. Asari ʒ i.
   Sacchar. clarificat. ℔ i.
   M. f. Electuar.
   Dosis à ʒ vi. *ad* ℥ i.
16. Electuar. Phlegmagogum.
   ℞. *Uvar. passar. à acin. mundatar. in aqu. coctar. expressar. & ad pulp. consistent. redact.* ℥ viii.
   Mann. Calabrin. ℥ ii
   Turbith. Gummos.
   Agaric. levis. ana. ℥ i.
   Trochisc. Alhandal ʒ ii.
   Semin. Anis. ʒ iii.
   Cinnamom. acut. ʒ ii.
   Macis ʒ i.
   Sacch. clarificat. ℔ i.
   M. f. Electuar. Dosis à ʒ vi. *ad* ℥ i.

17. Syrupus de Senna.

   ℞. *Fol. Senn. mundat.* ℥ ii.
   Sem. Fœnic. dulc. ʒ ii.
   Infund. in cucurb. vitr. Alemb. cæco tecta per 24. hor. in Aqu. Tartarisat. q. s.
   Colatur. add.
   Sacch. clarificat. ℥ xvi.
   Coqu. igne lent. ad consist. Syrup.
   Dosis ab ℥ ii. *ad* ℥ iii.

Aqua Tartarisata fit, quando in aqua communi soluta est Tartar. alb. quantitas ad mediocrem aciditatem.

18. Syrupus de Rhabarb. simpl.

   ℞. *Rhabarb. el. ras. & incis.* ℥ ii.
   Cinnamomi acut. ʒ ii.
   Infund. per 24. hor. in aqu. Tartarisat. q. s.
   Colatur. q. s. add.
   Sacch. clarificat. ℥ xvi.
   M. f. Syrup.
   Dos. ab ℥ i ß. *ad* ℥ ii ß. *vel* ℥ iii.
19. Syrupus de Helleboro nigro.
   ℞. *Rad. Hellebor. nigr. crassè pulverisat.* ℥ ii.
   Sem. Anis. ʒ ii.
   Infund. in aqu. Tartarisat. q. s.
   Colat. q. s. add.
   Sacch. clarificat. ℥ xvi.
   M. f. Syrup.
   Dosis ab ℥ ii. *ß solus usurpatur.*
20. Syrupus de Colocynthide.
   ℞. *Pulp. Colocynthid. à sem. mundat.* ℥ i.
   Infund. in aqu. Tartarisat. q. s.

Cola.

Collatur. add.
Succ. Liquirit. inspissat. ℥ ß.
Sacch. clarific. ℥ xvi.
& sub coctionis finem add.
Tinct. Cinnamom. ℥ i.
M. f. Syrup. Dosis ab ℥ ß. *ad* ʒ vi.

21. Elixir proprietatis.
♃. *Aloes opt.*
Croc: Britannic. ana ℥ i.
Extrah. c. Spir. Vin. rectif. q. s. Tinct.
Interim Myrrh. rubr. ℥ i.
affund. Spir. Vin rect. & Vitrioli q. s. ut eliciatur Tinctura.
Bina Tinctura confund. & per d. 8. aut 10. in Mar. Balneo digerantur.

22. Balsamus Sulphuris.
♃. *Flor. Sulphur.* ℥ ii.
Affund. Spir. Terebinth. Veoet. ℥ iv. Diger. in cinerib. vel areo. Baln. igne leoto, & coqu. ad flor. totalem dissolutionem in balsam. rubicundum.

23. Decoctum Vulnerarium.
♃. *Rad. Aristol. rot.* ʒ ii.
Fol. Sanical. Mar.
Alchimill. Pyrola,
Consolid. Saracen.
Veronic. ana M i.
Coqu. ex aqu. pur. ad Colat. ℥ xx. *add.*
Oxymel simpl.
Syr. de Symphyt. Fernel. ana ℥ ii.
Mundificat, attenuat & resistit putredini.

24. Convenieus remed. in omni hæmorrhagia.
♃. *Aqu. Plantag.* ℥ ii.
Cinnamom.
Acet. stillat. ana ℥ ß.
Sang. Dracon. ℈ ß.
Lapid. Hæmat. gr. vj.
Syrup. Myrtin. ℥ i.
Assumat. æger cochleatim, tollit enim omnem sanguinis fluxum.

25. Unguent. ad Scabiem.
♃. *Salpetr. alum. crud. Sulph. vivi,*
Zingib. alb. ana ℥ ß.
Olei Rof. q. s.
M. f. Ungu.

REMEDIA EXTRAORDINARIA

A Cl. D. Sylvio in Colleg. æstivo privatim habito communicata.

1. UNgu. Nicotianæ ad ulcera deplorata præstantissimum.
♃. *Resin.* ℥ viii.
Terebinth. Cypr. ℥ ii ß.
Ol. Nicotian.
Ol. Hyperic. ana ℥ ii.

Solvatur primò cera in oleis, post resinam adde, taodem Tereb. spatula continuò agitando, soluta serv. usui.
Oleum Nicotian. paratur ex succ. Nicot. depurato, cum infusione flor. Hypic. & pòmor. momord.

2. Potio ad accelerand. part. probatissima,
♃. *Aqu. Lilior. alb. Puleg.*
Chamædr. ana ℥ i.
Cinnamom. ℥ ß.
Borrac. Venet. Succin. præp. ana ℈ ii.
Croci Orient. ℈ i.
Ol. destill. Cinnam. gutt. iii.
M. pro duab. dosibus.

3. Clyster egregius in Epilepsia.
♃. *Rad. Angelic.* ʒ ii.
Fol. Majoran.
Puleg. ana M i.
Baccar. Laur. ʒ ii.
Coqu. in s. q. aqu. commun.
In Colatur. ℥ viii.
Dissolv.
Bened. laxat. ℥ ii.
Ol. Nardin. ℥ ß. *M. & f. Clyster.*

4. Ad Clavos pedum.
♃. *Gumm. Galban. in acet. solut.* ℥ i.
Pic. Naval. ℥ ß.
Empl. Diach. simpl. ʒ ii.
Salis Armoniac. ℈ i.
M. f. Emplast. quod ponatur cum pann. tertio aut quarto die semper mutando super verruc. & clavos pedum.

5. Contrà Lumbricos.
♃. *Sem. Zedoar.* ℥ ij.
Pulv. Rad. Jalapp. ℥ i.
Croc. Orient. ʒ i.
M. & f. Pulv.
Senior capiat bis terve ʒ i.
Infans & paulò adultior à ℈ ß. *ad* ℈ i. *&* ij.

6. Ad dolorem sedandum hæmorrhoidum cœcar.
♃. *Farin. Hor. Sem. Lini ana* ℥ i.
Flor. Sambuc.
Verbasc. ana M i.
Fol. Malv. M ii.
Coqu. in lact. ebutirat. ad consist. Cataplasm.

7. Ad Epiphoram.
♃. *Ung. Rosac.* ʒ ii.
Lap. Calaminar. præp. ana ℈ ß.
Camph. gr. v. M. f. Ung.

8. Ad ardorem io gutture.
♃. *Rad. Alth.* ʒ ii.
Fol. Malv. M ii.
Rasur. Cor. Cervi,
Sem. Aquileg. ana ʒ ii.
Coqu. in q. s. Aqu. Hord.
In Colat. ℥ xv.
Dissolv.
Syr. Iuiub. ℥ i ß.
Lap. Prunell. ℈ ii.
M. f. Gargarismus.

NB. Si fortè quid de eo deglutiatur, nihil periculi inde metuendum.

8. Ad dolorem in auribus.
♃. *Ol Succin.* ℈ i.
Castor. ʒ i.
M. instilles æger gutt. ii. gossypio, idque impone in aur.

10. Decoct. ad lochia perseverantia ex frusto placentæ in utero hærentis.
♃. *Rad. Bistort.* ʒ ii.
Pic. Indic. Schœnanth. ana ʒ ß.
Fol. Majoran. M i.
F. decoct. ex Vin. alb. & aqu. pur. ana p. æqu.
in Colat. ℥ xv.
Dissolv.
Syrup. de Artemis. ℥ i.
M. sumat. bis terve in die ad ℥ iii. *aut* iv.

11. Decoctum egregium ad obstructiones mensium,
♃. *Nard. indic. Schœnanth. ana* ʒ ß.
Fol. Artemis. Sabin. Majoran. ana M i.
Coqu. ex Aqu. & Vin. ana q. s.
Ad. Colat, ℥ xxv.
add.
Syr. de Artemis. ℥ ii.
Aqu. Theriacal. simpl. ℥ i.
Misce.
Sumat bis terve in die, donec prodeant menses.

12. Contrà Vermes.
♃. *Corn. Cerv. præp.* ʒ i ß.
vel.
Corallin. ʒ i ß.
Mercur. dulc. ʒ i.
Scamon. ℈ ii.
Sacchar. albiss. in Aqu. Absinth. dissolut. ℥ iij.
Misc. & f. s. a. Tabella.

13. Vi-

13. Vinum Hippocraticum.
℞. *Sacch. albiss.* ℔ xvi.
Cinnamom. Acut. ℔ i.
Zingib. ℥ ß.
Caryophyll. Nuc. Emoschat. Mac. Galang.
Granor. Paradisi ana ʒ i ß.
Vin. Generos. mens. ix.
Lact. vaccin. dulc. mens. ß.
Misce.

14. Extractum ad faciendum Vin. Hippocratic.
℞. *Cinnamom. acut. elect.* ℥ iij.
Zingib. ℥ ß.
Macis, Nuc. moschat.
Caryophyll. ana ʒ i.
Granor. Paradisi ℈ iii ß.
Pipor. gr. iv.
Contus. gross. mod. affund.
Spir. Vin. ℥ xv.

Stant in loco tepid. vitro benè clauso, ut Tinctura eliciatur.

15. Aqua perfumata.

℞. *Benzoin.* ℥ ii.
Styrac. ℥ i.
Ladan. opt. Ireos Flor. ana ℥ ß.
Balsam. Peruv. gutt. viii.
Aqu. Rosar. fragr. ℔ i.
Diger. in Maria Balneo, adde.
Zibeth. gr. j *aut* ii.
Mosch. & Ambr. pro labita.

16. Ad erosionem faucium à bile.
℞. *Herb. Heder. terr.*
Violar. ana M j.
Hord. mundat. ʒ i ß.
Coq. in s. q. aqu. in Colat. ℔ j. *dissolv.*
Mell. Rosat. ℥ i ß.
Spir. Vitrioli gutt. viii.
M. f. Gargarismus.

17. Pulvis fragrantissimus vestibus aspergendus.
℞. *Rad. Ireor Flor.* ℥ iv.
NB. Ex hac vermiculi generantor.
Rad. Cyperi rotund. ℥ ii.
Flor. Rosar. rubr. M. vi.
Lavendul. M. ii.
Stœchad. Arab. Gumm. Benz. ana ℥ i ß.
Styrac. Calam. ℥ i.
Rorismar: M. ii. *Mosch.* ℈ i.
Zibeth. gr. xv.
M. f. pulv. grossus.

18. Pilulæ ad ciendos menses.
℞. *Gumm. Galban. cum acet. prep.* ℈ i.
Chalyp. prep. Castor. opt. Myrrh. rubr.
Mastich. elect. ana ℈ ß.
Aloes Rosat. ℈ i.
Resin. Ialapp.
Trochisc. de Myrrha,
Alhandal,
Diagrid. ana gr. xv.
Ol. Caryoph.
Macis ana gutt. iii.
M. f. Pilul. num. lxxx.
Dosis num. iv. *ad* v. *vel* ℈ ß. *vesperi.*

19. Potio antiscorbutica.
℞. *Raphan. rustican. Tamarind.*
Rad. Cichor. ana ℥ ii.
Rhabarb. elect. ℥ ß.
Fol. Brassic. rubr. Nasturt. aquat.
Cochlear. ana M. ii ß.
Rad. Bistort.
Sem. Anis.
Fœnic. ana ℥ ß.
Heder. terr. Fumar.
Beccabung. ana M. ß.
Pom. citr. num. j.
Concis. affund. Vin. alb. mens. j ß.

Bibat æger singulo mane haust. & tantum Vini semper rursus affundatur, quantum absumtum fuit. N.B. Omnes species recentes esse debent, exceptis seminibus.

20. Contra tussim.

℞. *Rad. Liquirit. ras.* ℈ iv.
Spec. Diaireos ℈ i.
Diatragac. fr. ℈ ß.
Croc. gr. vi.
Sacchar. cand. alb. ad pond. omnium.
M. f. pulv. subtilissimus. Sumat quantum cuspide cultri comprehendi potest, pro una vice.

21. Pulv. Sternutatorius.
℞. *Flor. Lil. convall.*
Lavend.
Anthos ana ℈ ß.
Fol. Beton.
Violar.
Salv. ana gr. viii.
Sem. Nigell. ℈ ß.
M. f. pulv. subtilissimus. Add.
Spec. Diamosch. dulc. gr. v.
Ol. Lign. Rhod. gutt. ii. *Misc.*

22. Epithema in capitis dolore ab ardore febrili.
℞. *Aqu. Rosar.*
Card. Bened. ana ℥ ii.
Acet. Lavend. ʒ vi.
Opii Thebaic. gr. vi.
M. f. Epithema.

Ejus pars calefacta linteo, fronti & capiti apponatur, & si linteum exsiccatum fuerit, iterum madefiat; in delicatioribus aqua Cinnam. addi potest.

COLLEGIUM NOSOCOMICUM
A D.D. SYLVIO HABITUM.

ÆGER PRIMUS.

Dolor Arthriticus, Rheumatismus.

Claes Bacheter die 11. februar. 1666. conqueritur per omnes artus se dolore affici: jam calet, jam friget, subinde tument partes, est Febris erratica, à tribus diebus non dejecit, sanguinem exspuit vomitu, Scorbuto laboravit, pituita vitrea defertur per corpus, uti salsa.

℞. *Diascordii Fracastorii* ʒ ii.
Sanguinis Draconis gr. v.
Laudani Opiati gr. ii.
Syrup. Papav. errat. ℥ i.
Aqua Theriacal. simpl. ʒ ii.
Cinnam. ℥ ß. *Fumar.* ʒ ii.

Iteretur Mixtura heri prescripta, 14. die blandè sudor prorupit ab assumptione mixturæ, quæ iteretur 16. die.

Die 17. Judicatur affectus esse Arthriticus, quia dolor nunc in hac nunc in illa parte corporis vagatur.

Die 18. In melius videtur tendere: omni tempore toto, quo hic fuit, non dejecit: *Iteretur Mixtura.* Præterea
℞. *Elect. Hydragog.* ʒ ii ß.
Aqu. Betonica q. s.
Misce fiat Haustus.

Die 20. In dies sentit se in melius pergere, à purgante assumpto heri non dejecit, hodie tamen semel dejecit.

℞. *Aqu. Fumar.* ℥ ii.
Menthe,
Theriac. simpl. ana ℥ i.
Oculor. Cancr.
Antimonii Diaphor. ana ℈ i.
Laudani Opiati gr. iii.
Syrup. Card. Bened. ℥ i. *Misce.*

Die 21. In melius tendit.

Die

Die 22. Hac nocte iterum magnus invaſit dolor: Iteretur mixtura ultima.

Die 24. Inter 14. dierum ſpatium bis non dejecit.

℞. *Elect. Hydragog.* ʒ ii.
Cholagog. ʒ i.
Aqu. Fœnicul. q. ſ.
Miſce f. Hauſtus.

Die 25. Ab aſſumpto purgante quater dejecit, ſatis habet medicamenti.

Die 27. In melius tendit, dolores gravativos ſentit in artubus.

℞. *Ungu. Martiati*,
Olei Lumbricor. ana ʒ ii. *Miſce.*

Die 28. Quotidie adhuc ſemel dejicit, hodie novos dolores ſenſit in manus ſiniſtræ medio digito: priori medicamento meliùs habuit quàm hodiè, præſcribemus novum.

℞. *Rad. App.*
Salſaparillæ ana ℥ i.
Raſur. Lig. Guajaci ℥ ii.
Baccar. Juniperi contuſ. ℥ i ß.
Coquantur ſ. a. in aqua pura,
In colat. ℥ xxv. *diſſolve*
Syrup. Car. Ben. ℥ ii.
Aqu. Theriacal. ſimpl. ℥ i. *Miſce.*
Aſſumebat bis terve in die hauſtum.

Die 29. Hac nocte paroxyſmus arthriticus artus omnes occupavit, & pedes & brachia, ut hic non potuerit quieſcere: humores hi ſunt in motu, medicamenta non ſtatim juvant; manus ſiniſtra hac nocte rigida fuit: A decocto ſitivit & ſudavit: ſatis ipſi eſt medicamenti.

Die 1. Martii. Manus adhuc eſt rigida; permanet frigus in cruribus, à decocto ferè continuo in ſudore verſatur; Per ſemihoram potuit è lecto eſſe.

Die 2. Dolor jam per totum brachium extenditur, putat ſe levamen habere à linimento: Iteretur mixtura Februar. 20. & Linimentum.

Die 3. Tranſit dolor è ſiniſtro ad dextrum crus: Iteretur Linimentum 27. Februar. præſcriptum.

Die 5. Dolores patitur vagos in ſcapulis & brachiis, jam in dextrum proſerpit malum, ſentit dolorem circa inguina pungentem, ut non ſibi ſiat ſeſe elevare; ſanguis aliquando è naribus prorumpit; habet medicamentorum ſatis,

Die 7. Egregiè proficit in melius: Iteretur Decoctum 28. Februar. præſcriptum.

Die 8. Optimè habet: Iteretur Linimentum 27. Februar.

Die 10. Meliùs habuit: Iteretur Decoctum 28. Februar.

Die 12. Heri, hora decima ſenſit paroxyſmum, cujus Frigus per horam unam duravit: Incerti ſumus num ſit rediturus paroxyſmus: Præſcribamus jam aliquid bilem temperans.

℞. *Aqu. Graminis* ℥ ii.
Fumariæ ℥ i.
Theriacal. ſimpl. ʒ x.
Laudani Opiat. gr. ii.
Syrup. Card. Ben. ℥ i. *Miſce.*

Die 13. Hodie circa ſeptimam acceſſit paroxyſmus, & hic tribus anticipavit horis, frigus ipſum magis infeſtavit: Satis habet medicamenti: quoad omnia melius habet die 14.

Die 15. Hodie manè iterum paroxyſmum habuit, hora ſeptima accedentem, frigus duravit per ſeſquihoram, ſatis moleſtum, cum lumbari dolore: Præſcribemus novam miſturam

℞. *Aqu. Petroſel.* ℥ iii.
Fœniculi ℥ i.
Olei Caryophyll. gutt. iii.
Laudani Opiati gr. 1 ß.
Syrup. Card. Ben. ℥ i *Miſce.*

Die 17. Gaudet ſe ſe ſenſit reſtitui; maximè laudat mixturam 15. præſcriptam.

Die 19. Optimè habet à miſtura, quam ſibi iterari optat: Iteretur ergo die 15. præſcripta.

Die 18. Quotidiè meliùs habet, præterquam quòd in ſcapulis dolorem habet: ſatis medicamenti habet.

Die 21. Sæpe noctu hæmorrhagia corripitur narium, qua ad cochlear primo ſanguinis exit; aliàs quotidie in melius tendit: ſentit dolorem in ſcapulis: Itaque iteretur Linimentum 27. Februar.

Die 22. Semper in melius proficit: Iteretur mixtura 15. præſcripta.

Die 23. Tendit in melius, ſat habet medicamenti.

Die 24. Semper melius habet, nihil prȩſcribatur.

Die 26. Semper in melius pergit: Iteretur mixtura 15. præſcripta: Cupit tamen Linimentum; Iteretur ergo.

Die 27. Conqueritur de lancinantibus lentis doloribus, manè præcipuè, jam dum per aliquot ſeptimanas ipſum vexantibus, quos dejectio tum ſequitur, ſed ſine flatibus & ſine eorum remiſſione. Fortè cauſa eſt doloris, manè præcipuè infeſtantis, quodam acidum à quo lancinans dolor deducitur, quod non habeat fermentatione chyli abſoluta in quod agat; præſcribamus ipſi miſturam acidum temperantem.

℞. *Aqu. Menth.* ℥ ii.
Theriacal. ſimpl. ℥ i.
Olei Macis ſtillat. gutt. iii.
Laudani Opiat. gr. iii.
Syrup. de Menth. ℥ i. *Miſce.*

Die 29. Dolor brachii ſiniſtri aſſurgit ad ſcapulam: Iteretur Linimentum 27. Februar. præſcriptum.

Die 30. In eodem verſatur ſtatu: Deſiderat Linimentum; iteretur quoque.

3. Aprilis. Dolor, qui priùs in totum erat ſublatus, reditum minatur: Iteretur Decoctum 28. Febr. Detur mixtura 27. Martii præſcripta.

Die 4. Pulſus ſatis bonus eſt, melius movet ſiniſtrum brachium: Expetit ſibi Iterari linimentum; Quod fiat.

ÆGER II.

Febris Quartana, poſt Quotidiana.

W*ilhelmus Cornelius* per ſeptimanas 20. laboravit Febre Quartana intermittente: Jam incidit in Quotidianam: Hodie 12. Januar. paroxyſmum habuit: à prima ad tertiam pomeridianam frigus, jam in calore verſatur: conqueritur inſuper de ſummo dolore in hypochondriis, poſtquam paroxyſmus prorſus ceſſaverit, ſummum dolorem in capite & hypochondriis de novo ſentit, crura ſunt tumida, tumorque notabilis in ventre obſervatur, quod à potu nimio ortum habere poteſt. A purgante levi aſſumpto dejecit ſexies: Nocte ſomnum capere nequit: Ante quatuor ſeptimanas elevato gravi pondere ſonitum in corpore edi animadvertit, hinc debilis factus, & febre correptus: Præſcribemus medicamentum quod humores vitioſos temperet & dolores mulceat.

℞. *Aqu. Card. [illegible]*
[illegible],
Theriacal. ſimpl. ana ℥ i.
Laudani Opiati gr. v.
Spirit. Sal. dulc. gutt. xvi.
Syrup. Papav. errat. ℥ j. *Miſce.*

Præterea ℞. *Ungu. Roſat. Populeon. ana* ℥ ii.
Olei Lumbricorum ℥ iii.
Miſce, innungatur. ſpina dorſi.

Die 13. Aliquantulum meliùs habet quàm heri, dolores non ſentit tantos: Nullum ſomnum poteſt capere: Expectat paroxyſmum febrilem: Tantillum habet miſturæ & de unguento optime habuit, ipſique adhuc ſupereſt: Iteretur mixtura heri præſcripta.

Die 14. Hodie manè habuit paroxyſmum, ſed non adeo gravem, neque dolor adeo urgebat: Somnum quidem capere nequit, niſi hodie ſemihoram, poſt prandium per duas horas: non dejecit, aliàs longè meliùs habet medicamenti.

Die 16. Longè meliùs habet pleraque mala ſunt ſublata, niſi quòd ſub ſcapula adhuc dolorem ſentiat: a quatuor diebus dejecit, crura intumeſcunt: Iteretur Linimentum: poſteà ad ſeroſos humores educendos.

℞. *Elect. Hydragog.* ʒ iii.
Aqua Petroſel. q. ſ. f. Potus.

Itere-

Iteretur quoque mixtura præscripta.

Die 17. Ab assumpto purgante sexies dejecit eum quibusdam torminibus, alias meliùs habet: Restat ipsi de potione.

Din 18. Heri sexies dejecit, commodè quievit hora decima sensit nauseam absque vomitu, cum dolore circa ventriculi orificium; frigusculum sensit circa scapulas & remissius aliquaotulum: Pulsus non ampliùs febrilis observatur: cùm laboraverit cardialgia, neglexit medicamenta quæ debuisset assumere: Igitur jam assumet.

Die 19. Hodie paroxysmnm nullum sensit, nec per dies tres enmmodè quievit; post calorem sensit dolorem in regione lumborum; Iste circa præcordia magoa ex parte diminutus Iterotur mixtura 12. præscripta.

Die 20. v1. Iam aliquid incommodi sentit, nec febris ampliùs infestat; dolor in regione lumbari est dimioutus: nudius tertius seaies dejecit ab assumpto purgante, heri rursus bis, & hodie bis: conqueritur de dolore crurum, ideo

℞. *Ungu. Martiati* ℥ i.
Olei Lumbric. ʒ iii
Laurini ʒ i.
M*isce, inungantur crura.*

Die 21. Bene adhuc se habet: *Iteretur mixtura.*

23. Non tam beoe se habuit heri atque priùs, sensit enim capitis dolorem atque frigus in dorso; nunc idem sentit: per biduum adstrictior etat: *Iterotur purgatio & Linimentum.*

Die 24. Heri circa nonam vespertinam sentit paroxysmum, primò friguir, postea caluit, tum rursus friguit, iterumque caluit, & sic per brevia intervalla calor & frigus reciprocè se invicem sequebantur, idque per horas quatuor circiter: Ista reciprocatio videtur à ductibus Pancreatis lateralibus aliqoibus longè breviùsve reseratis ortum traxisse: frigus à lumbis incipiebat, dein secundùm dorsi spinam ascendebat, posteà quaquaversum diffundebatur: *Iteretur mixtura.*

Die 25. Heri à purgante novies dejecit, hodie non ampliùs, sentit Paroxysmum bora meridiana & semis, ubi frigus per tres horas duravit gravius, calor remissior; heri contrarium evenit forsan quia beri bilis copia aliqua est evacuata, unde tunc acidum domioatur, undeque sensit beri calorem molestiorem, hoc verò hodie frigus produxit: *continuet in Mixtura.*

Die 26. Hac nocte horis circiter quindecim febricitavit, ita ut frigus per semihoram, deiu calor ejusdem durationis, posteà rursus frigus, iterumq; calor reciprocè invasere, idque quarta circiter hora tantillum sudavit: Tumor pedum remittit: *Iteretur Mixtura.*

Die 27. Hodie circa decimam & semis paroxysmus rediit, frigus ad horam continuè duravit, gravius quàm calor subsequens: reciprocatio caloris & frigoris cessat, non quievit: pedes detumescunt & mollescuot: *Iteretur Linimentum, Mistura partem residuam hauriat.*

Die 28. Liber fuir à patnxysmis, hodie tantillum adhuc crura toment; quando febricirat, tunc tumor est in regione lumbari flatulentus, cum parnxysmo cessans: *Iteretur Mixtura & Linimentum.*

Die 30. Heri graviter febricitavit cum maximis lumborum doloribus frigore graviore hora decima accedente, perque tres horas duraote, absque tamen sudore calorem subsequente: Calor frigus excipiens levior erat, hodie satis bene quievit.

℞. *Aqu. Petrosel.* ℥ ii.
Fœniculi,
Theriacal. simpl. ana ℥ i.
Laudani Opiati gr. iii.
Olei Garyophyll. gutt. ii.
Syrup. Card. Benet. ℥ i. *Misce.*

Die 31. Febris est levior, & tumor in maxilla superiore levis: hodie manè hora nova paroaysmum habuit, cujus nec calor nec frigus valde erant molesta: *Iteretur Mixtura & Linimentum.*

Die 2. Februar. Hodie hora septima habuit paroaysmum; dolor lumborum, frigus & tremor non valde erant gravia: habet quod sumat.

Die 3. Hodie sat bene habuit, nec sensilis paroxysmus, quamvis sit dies febris accessus: Extra parnxysmum sentit cardialgiam: à biduo non dejecit: *Iterentur Linimentum & Mixtura* 30. Ianuar. præscripta.

Die 4. Hodie non habuit paroxysmum, etsi non fuerit dies intermissionis: *Iteretur Linimentum* 30. Jan.

Die 6. Nullum frigus notabile sensit: hac die *iteretur Linimentum & Mixtura* 30. Januar.

Die 9. Hac & hesteroa die levem passus est paroaysmum, alioquin in melius tendit: *Iterentur Linimentum & Mixtura.*

Die 10. Hac die, hora 8. levem sensit parnxysmum, dolorem habet in faucibus, hinc qualiscunque deglutiendi difficultas: habet adhuc medicamenta.

Die 11. Paroxysmus anticipavit, beri circa 11. acessit, frigus fuir leve, calor invasit blandus: per biduum non dejecit: *Iterentur Linimentum & Mixtura*: Præterea.

℞. *Elect. Hydragog.* ʒ ii.
Aqu. Fœnic. q. s. M. f. Haustus.

Die 14. Nulllum parnxysmum notabilem sentit, vicesies dejecit à purgante assumpto.

Die 15. Hac nocte paroaysmus erat levior: *Iteretur Linimentum* in dupln, & *Mixtura* 12. Janu.

Die 16. Heri vesperi hora octava habuit poroxysmum, in quo calor gravior fuit frigore, *quod bonum est signum in febribus intermittentibus hyeme grassantibus, quia illa ortum trahunt ab humore frigido & lento*; in dies roboratur: *Iteretur Mixtura* 30. Januar.

Die 17. Hodie spontè dejecit, sat habet medicamenti.

Die 18. Hodie hora quarta paroxysmum sensit, & in illo adhuc versatur: *Iterentur Linim. & Mixtura.*

Die 20. A die Sabbati non habuit paroxysmum: quando noctu tecta sunt brachia, dolent; aeri libero exposita sonitum edunt, quod ab octo diebus sum expertus.

Die 21. Hodie febrem rursus habuit, sed levem, tota nocte non dormivit, deglutire satis bene non potest, nec item eacernere sua phlegmata, quæ snot spumosa: quando tussit dolorem lancinantem sentit in capite: Doloris faucium, quem habet à 15. horis, causa adscribitur humori acri à capite defluenti, quod probat gravedo qua adhuc vexatur: *Iteretur Mixtura.*

℞. *Massa Pilul. de Cynoglossa* ℈ i.
F. Pilul. num. viii.

℞. *Elect. Hydragog.* ʒ ii ß.
Aqu. Fœnic. q. s. Misce.

Die 22. Hodie meliùs habet quàm heri, beno quievit, à purgante sexies dejecit commodè, sine tormioibus: Eapetit tamen Liniment. quod *iteretur, ut & Mixtura* 30. Ianuar.

Die 24. Miræ in hoc ægro fiunt mutationes, moa videtur semel atque iterum curatus; jam bis in die patitur paroxysmum, nec beri habuit febrem, sed hac die circa horam quartam rediit, cootinuo versatur in frigore, tremor adhuc durat & frigus & calor valde infestaot: Hoc venit forsan ob errorem commissum in usu sex rerum non-naturalium, comedit enim caseum, à quo pituita augetur; & est obstructionis causa, quoad guttur: nudius tertiùs meliùs habuir: *Iteretur Mixtura* 30. Januar.

Die 25. Ad mediam usque octavam habuit paroxysmum, meliùs aliàs habuir: *Iteretur Linimentum.*

Die 27. Iterum atque iterum quarta die sentit paroxysmum: die Veneris 24.) habuit paroxysmum manè, vesperi alterum: Jam tertia vice rediit, bis uno io die, alter graviot levior alter. Circa boram 1. ad 5. usque sentit hodie paroxysmum, cujus frigus per intervalla accedit, brevi remittit, à regione lumbari ad pedes usque pergit, frigore cessante sitis valde urget, ideo multùm bibit, hinc paroxysmus gravior: Causa frigoris per intervalla recurreoris forsan est, quia ductus pancreatici laterales sensim atque sensim solvuntur, & halitus ex se promunt per universum corpus percurrentes: Jam in calore versatur: Iteretur miatura 30. Januar. addendo *Bezoartic. Min.* ʒ ß. Præterea ad sitim tollendam.

℞. *Lapid. Prunell.* ʒ i.
Fiat Pulvis indendus Cerevisiæ.

Din

Die 28. Hodiè satis bene habet, & sat medicamenti habet.

Die 29. Heri & hodie bene habuit: *Iteretur mixtura*.

Die 1. Martii. Hora 5. matut. rediit paroxysmus, & sic Quartanarius est, frigus levius, calor maior: *Iteretur mixtura* 27. Februar.

Die 2. Martii. Paroxysmus fuit levior hesterna die quoad frigus: collum anteriùs dolet: *Iteretur medicamenta*.

Die 3. Bene habet: *Iteretur Linim.*

Die 5. Duos dies liberos habet; heri passus est paroxysmum quartanarium: hora 8. accessit, & duravit frigus ad 12. usque admodum grave, & tamen calor per totam diem jam durans eo molestior est: hemorrhagia spontanea ipsi contigit, cùm præcesserit capitis dolor molestus: Tumor in cruribus disparuit: *Iteretur mixtura* die 27. Februar.

Præterea ♃. *Salis prunell.* ʒii.

Die 7. Heri leviorem, hodie graviorem sensit paroxysmum. Die Lunæ nullum habuit. Sitis ipsi est molesta, quam sal prunellæ non extinguit: ab emulsionibus, si haberet, putat eam sedari quas cras ad ventante febre habebit de reliquis medicamentis sat ipsi est.

Die 8. Hodie hora 8. habuit paroxysmum hesternoglaviorem, cujus frigus ad 12. ferè duravit, calor ad 13. horas & ultra; Sitis non tam gravis ac aliàs: Itereretur mixtura ut 27. Februar. Præterea

♃. *Hordei mundat. ad crepat. cocti* ℥i ß.
Semin. papav. albi ʒiii.
Aqua decocti hordei,
Fœniculi ana ℥xv.
Julepi rosati ℥i.
Aqua Cinnam. ʒß. *Misc: fiat s. a. Emulsio.*

Die 10. Hac nocte paroxysmum habuit graviorem quam nudius tertius: durante calore dolet caput: habet quidem adhuc aliquid mixturæ, sed optat emulsionem, *Qua iteretur*.

Die 11. Nuper habuit febrem quotidie, heri nullam, sed hodie manè sentit circa horam 5. cujus frigus ad 10. usque duravit, quod calor levior excepit.

♃. *Aquar. petrosel.* ℥iii.
Fœniculi,
Theriac. s. ana unc. i.
Olei garyophyll. gutt. iii.
Laudani Op. gr. iii.
Syrup. card. bened. unc. i. *Misce.*

Die 13. Nullum hactenus sensit paroxysmum.

Die 14. Nondum expertus paroxysmum.

Die 15. Per 5. horas non habuit paroxysmum: conqueritur iterum de dolore capitis: *Iteretur mixtura* 12. præscripta.

Die 19. Meliùs habet, & medicamenti sat ipsi est.

Die 20. Pergit in melius, nullum sensit paroxysmum; in toto capite sentit dolores lancinantes: *Iteretur Mixtura* 12. præscripta.

Die 21. Quotidie meliùs habet: Iteretur Linimen.

Die 22. Meliùs habuit.

Diebus 23. 24. 25. Meliùs habuit.

Diebus 26. 27. 28. 29. Ferè convaluit.

Die 30. Jam, quia dolorem sentit in regione Lumbari,

♃. *Unguenti martiati*,
Olei lumbricor. ana unc. ß.
Ole succini ℈ß. *Misce.*

Die 31. Meliùs habebat.

Die 3. Aprilis. Nudius tertius circa vesperam habuit paroxysmum, ut & heri, sed circa 4. per tres horas durat frigus, calor ipsi molestior multò est.

℞. *Aquar. petros. unc.* ii.
Theriacal. simpl. ʒ vi.
Laudani Opiat. gr. ii.
Syrup. card. ben. unc. ii. *Misce.*

Die 4. Heri, circa horam 6. habuit paroxysmum, ut & hodie qui jam jam accedit.

Die 5. Iterum habuit paroxysmum & sat medicamenti.

Die 6. Hodie abfuit.

Heri circa hora 9. rediit paroxysmus; *Iteretur Liniment.*

Delebis Opera.

Die 9. & 10. Abfuit.

Die 11. Nullum sentit paroxysmum, hinc inde tamen observat dolorem aliquem, fortè brevi cessaturum: nihil præscribam medicam.

Die 12. De capitis & ventriculi dolore conqueritur: Iteretur mixtura 3. præscripta.

Die 15. Capitis dolor remisit, sed manè phlegmata cruenta excreat, & sic materia capitis doloris evacuatur.

Die 14. Gingivæ tumefactæ; dejcit quotidie; præscribemus ipsi purgans, quia ex gingivarum tumore vitiosi succi, ut & ex facie, videntur abundare.

℞. *Elect. Hydragogi* ʒii.
Chologogi ʒ i.
Aqu. fœnic. q. s. Misc. f. Haustus.

Iteretur quoque *mixtura* tertiu præscripta.

Curatus abiit.

Æ G E R III.

Phthisis lethalis.

HEnricus *Bodry* per 19. septimanas jam decubuit variis usus medicamentis, phlegmata excernit purulanta, non saniosa, quia fluidiora; suspicio fertur de principio phthiseos; venter tumet, tussis adest.

Die 17. Jannar. 1665.

♃. *Radic. salsapurillæ*,
Glycyrrh. ana ʒi.
Farfaræ unc. i ß.
Folior. veronicæ,
Consolid. saracen.
Tussilag. ana M. i.
Passular. maj. concis. unc. i ß.

Fiat decoctio in aq. puræ q. s. colat. unc. xl. adde
Syrupi de hyssopo unc. vi.
Aqu. theriac. simpl. unc. i. Præterea
♃. *Balsami sulph. anis.* ʒi. da in vitro.

Ter in die assumat de hoc decocto cum guttis aliquot balsami sulph. in cochleari assumendis, cum decocto mixtis.

Die 18. Phlegmata sunt eadem cum hesternis, tantillum sanguinis admixta habent, bis dejecit.

Die 19. Quinquies dejecit, phlegmata sunt melioris notæ, nil certi ideo de phthisi possumus conjicere, aliàs meliùs: habet: & Decoctum & Balsamum sulph. evacuavit, ideo *iteretur ambo*.

Die 20. Phlegmata valde mutata sunt, tenuiora & pauciora, hac nocte tussivit & excreavit minus, laborat jam gravedine, acrimonia humorum facit ut irritatur tussis; ideo

♃. *Massæ Pilul. de cynogl.* ℈i. *fiant Pilul.* viii.

Die 21. Tussis non adeo molesta fuit, anxietates tamen sentit, crassa phlegmata jam egerit, ter hodie dejecit, de tumore summo & ventris & pedum conqueritur.

Die 23. Phlegmata sunt pauciora & meliora.

Die 24. Diætam negligit, neque phlegmata efferavit.

Die 25. Phlegmata sunt meliora, urina crassa, hæc nox commodior ipsi visa fuit: *Iteretur Decoctum* & balsamum. Præterea

♃. *Ungu. martiati unc.* i.
Olei lumbric. ʒvi.
Philosoph. ʒii.
Misce pro pedibus tumidis.

Die 26. Phlegmata satis commodè excernit, suntque meliora.

Die 27. Tota nocte tussivit, phlegmata purulenta sunt, pauca tamen.

♃. *Pilular. de cynogl.* ℈i. *fiant Pilul.* xij.
Assumat subinde unam.

Die 30. Ita profecit in melius ut per binas noctes optimè durmiverit, paucaque & bona excernit phlegmata: *Iteretur Decoctum & Balsam. sulph. & Linim.*

Die 2. Februar. Pedes valde tument & aqua pauca per vulnera duo affluit, hodie non potuit dormire, phlegmata sunt pauca & bona: *Iteretur Pilul. de cynogl.* ℈i fiant Pilul. viii.

Die 3. Tussis & mala pectoris sunt ferè sublata,

singulis diebus mediocriter deiicit, & abdomen & crura intumescunt, metus est hydropis: quia nondum purgans sumpsit,

℞. *Elect. hydrag.* ʒ iii.
Antimon. diaphor. ℈ß.
Aqu. fænic. q. s. fiat Haustus.

Die 4. Bis à purgante dejecit: *Iteretur Decoctum.*

Die 6. Bis satis commodè dejecit, nun potest dormire, tussis quidem est sublata, crura & venter tument: *Iteretur Linim.* ad tumorem ventris.

℞. *Elect. hydragog.* ʒii.
Antimon. diaphoret. ℈ß.
Aqu. petros. q. s. Misce f. Haustus.

Die 9. Nudius tertius ter dejecit à purgante, & hodie ter sponte, venter adhuc intumescit, nulla amplius adest tussis: *Iteretur Decoctum.*

Die 10. Ante aliquot dies febrem valdè gravem sentit, accedente calure vehementer evomuit, ut ex vehementia vumitus anus expulsus fuerit; antea semel illud malum passus est: Expetit mixturam somnum & sudorem promoventem ideo;

℞. *Aquar. plantag.* ʒii.
Fœniculi,
Theriac. s. ana ʒi.
Laudani Op. gr. iii.
Olei macis gutt. iii.
Syrup. card. ben. ℥i. *Misce.*

Subinde sumat cochlear unum.

Die 11. Bene se habet à mixtura.

Die 14. Seaies sponte dejecit: *Iteretur Linimentum*: Habet etiam erysipelas œdematosum, ubi convenit spititus vini cum aceto & aqua mistus, tepidè cum linteo circumpositus.

Die 16. Alvus naturalis est & satis copiosa, Tumor ventsis diminutus; *Iteretur Decoctum.*

Die 17. Licet quotidie sat fluida dejiciat, venter tamen manet tumidus: quòd à medicamento non purgante dejiciat, nec tamen venter detumescat, ratio prioris est quia pituita & humores sunt magis soluti, posterioris verò itidem solnta bilis suam vim magis exercere solet in discutiendis flatibus.

℞. *Aquar. menthæ* ℥ii.
Fœniculi ℥i.
Theriac. simpl. ℥ß.
Spirit. nitri gutt. iii. *Olei macis gutt.* iv.
Laudani Op. gr. iii. *Syrupi menthæ* ℥i. *Misc.*

Die 20. Venter in totum detumescit, sitis urget, unde multùm bibit, quod malum est, tussit etiam.

℞. *Pilul. de cynogloss.* ℈i. *fiant Pilul num.* viii.

Die 22. Nimis dejicit, unde debilitatur, Tussis est sublata, dejicit sine torminibus & venter detumescit; dejectiu illa ipsi non est mala.

℞. *Diascordii Fracast.* ʒii.
Confect. hyacinth. ʒi. *Syrupi myrtini* ℥i.
Aqu. cinnam, ℥ß.
Plantag. ℥iii. *Misc.*

Die 23. Dejicit non tam sępe, quandu incipit alvi fluxus minui, tunc medicamenta minori quantitate debent assumi: *Mixtura iteratur.*

Die 24. De novis conqueritur molestiis, omnia quę assumit dejicic, heri octu habuit sedes; Iteretur mixtura, addendo *sangu. draconis* ℈ß. qui qualemcumque alvifluxus impedit: In cerevisia potest quoque chalybem extinguere.

Die 25. Pulsus est valde debilis, difficulter loquitur, somnulentus, est properat fortè ad mortem.

℞. *Syrupi myrtini,*
Jujubini ana ℥i. *Misce.*

Iteretur quoque *mixtura*, minuendo Laudani Op. gr. ii.

Die præteritu Saturni circa huram 9. finem suum ubiit.

ÆGER IV.

Febris, varia accidentia à Casu in latus sinistrum.

Johannes Regnier ante decem dies cùm iter faceret cecidit è navi deorsum, ut latus sinistrum malè affecerit, hinc subitò subsequuta est hæmorrhagia narium summa: Jamdie 27. Februar. 1668. laborat febre, quam bis nocte sentit cum calore summu, per duas noctes continuò delirat, tussis infestat, sitis est molesta, alvi fluxus urget, dolures sentit in pene, umnia quæ assumit evumit. Quædam symptomata, ut delirium, alvi fluxus, calor summus, vomitus &c. deducimus à bile volatiliori & acriori: quædam pendent à lympha & acido, ut dolores ventris; Sanguis in hoc ęgro potest esse coagulatus, qui extra vasa effundi potest, ut nulla hinc fiat inflammatiu. Maxima ratio ipsius capitis est habenda, Bilis volatilior temperari debet.

℞. *Aqua menthæ* ℥ii.
Tinct. cinnamomi ʒii.
Aceti stillat. ʒß. *Ocul Canc.* ʒß.
Antimon. diaphoret. ℈i.
Laudani Opiat. gr. iii.
Syrupi de quinque radic. ℥i. *Misc.* Præterea

℞. *Ungu. Althææ compos.*
Olei lumbric. ana ʒii.
Philosoph. ʒß. *Misc.*

Inungatur pars dolens.

Die 28. In aliquibus peiùs habet, quàm heri, ad interrogata tamen commodiùs respondet; pars suprema abdominis & inferior pectoris dolet; dextra faciei pars rubet, difficulter respirat, non iam tussit tam crebrò, nec amplius evomit, aliquem somnum cepit, dolores non tam urgent, inunait partes, ideo minùs dolent: Sive sit peripueumonia, sive pleuritis notha, hic collectiu in thorace materiæ, brevi observabimus.

Die 29. Nundum servavit phlegmata, febris remissior est *iteretur Liniment.*

Die 1. Martii. Delirat leniter, sudor est frigidus, pulsusque valde debilis, mortis forsan prodromi: iteretur mixturę, ut & Balsami sulphur. ʒi. indatur guttatim mixturæ.

Die 2. Phlegmata sunt viscida, non quidem malę notæ, respiratio adhuc sat difficilis, multò meliores sunt pulsus quàm heri, dolores sunt diminuti: *Iteretur Mixtura.*

Die 3. Phlegmata sunt viscosa, tenacia. Die 5. ferè convaluit.

℞. *Sacchari candi* ℥ii.

Die 6. Restitutus abiit.

ÆGER V.

Febris Quotidiana, cum Diarrhœa, Capitis dolore &c.

Henricus Petri, annos natus 18. per septimanas 17. laboravit Quotidiana febre, quæ cum frigore molesto incepit & duravit per horas 4. huic successit calor summus per tres horas durans, sitis urget, ut co[?]ia bibat & sudet; non potest ad somnum deduci ob summum capitis dolorem: Hac nocte circa tertiam habuit paroxismum; per 9. die laboravit alvi fluxu, ante octo a Medico purgans assumpsit, à quo fluxus fuit magis auctus; iam rursus per quatriduum eo laboravit: Præscribemus medicamentum quod primò frigus febrile corrigat, & postea simul alvi fluxum cohibeat.

Ad fluxum, ℞. *Diascordii Facastor.* ℥ii.
Ad acidum, *Oculor. Canceri* ʒß.
Ad frigus, *Olei Caryoph. gutt.* ii.
Ad fluxum, *Syrup. myrtini* ℥i.
Oleum aromat.
Ad obstructiones, *Aqua Menthæ* ℥i.
Refrigerat, & parum *Plantaginis* ℥ii.
adstringit, *Misce.*

Assumat subinde cochlear unum.

Die 12. Alvi fluxus non iam ampliùs est molestus.

Die 13. Omnia quę assumit evumit, conqueritur se non bene posse assumere liquida, hodie ter dejecit, Tussis eum vexat: Præscribemus solidum quoddam.

℞. *Diascordii Fracastor.* ʒii.
Confect. hyacinth. ℈ii.
Corall. rub. ℈i. *Misce.*

Assumat subinde pisi magnitudinem.

Die 14. Opiatam retinere potuit, fluxus alvi aliquatenus remisit, ex tussi sentit doloresinguinum, an is-

anxietates ſæpè patitur, nonnunquam etiam ventris tumorem talem ut caligas ſolvere cogatur, quod ex flatibus provenit ut & hoc quando vult ſurgere cœcus quaſi vertiginoſus ſibi videatur: *Iteretur mixtura* 12. præſcripta.

Die 16. Toto die ne ſemel quidem dejecite, evacuavit potionem; conditum ampliùs ſumere nequit; conqueritur de ſumma virium debilitate, pedumque intumeſcentiæ: Certiſſimum multi potus ſignum eſt: præſcribemus corroborans medicamentum.

℞. *Aqu. plantag.* ℥ ii.
Cinnamom. ℥ ß.
Syrupi myrtini ℥ i.
Spiritus Salis dulcis gutt. xii.
Laudani Opiati gr. ii. *Miſce.*

Die 17. Bis dejecit: *Iteretur mixtura* heri præſcripta.

Die 18. Bis dejecit hodie, ideo alvi fluxus remiſit, meliùs habet, dolet venter, pedes adhuc tument.

℞. *Ungu. martiati* ℥ i.
Olei nuc. moſch. expr. ʒ ß. *Miſce.*

Iungat ventrem: *Iteretur mixtura.*

Die 19. In melius pergit: *Iteretur mixtura.*

Die 20. Quotidie tantùm ſemel dejicit, in dies fit robuſtior: vires collapſæ reſtituuntur: *Iteretur mixtura.*

Die 21. Crura tument: *Iteretur Linimentum & mixtura.*

Die 23. Dolor cordis per duos dies urget.

℞. *Ungu. martiati* ℥ i.
Olei lumbric. ʒ vi.
Philoſoph. ʒ vii.

Miſce pro Linimento contra *cardialgiam*. Præterea

℞. *Aqu. menthæ* ℥ ii.
Tinct. cinnamomi ʒ ii.
Laudani Opiati gr. ii.
Spiritus ſalis dulcis gutt. x.
Syrupi Menthæ ℥ ß. *Miſce.*

Die 24. Meliùs habet, ſed *hæmorrhagia narium* ſæpiùs invadit: Iteretur mixtura heri præſcripta, addendo *ſanguinis draconis* ℈ ß.

Die 25. In melius tendit.

Die 26. Bene ſe habet, nullam ampliùs hemorrhagiam per duos hoſce dies paſſus eſt: *Iteretur mixtura* 24. præſcripta.

Die 27. Tument crura, forſan quia non ſudat, aut multùm bibit, reliqua bene ſe habet.

℞. *Cortic. radic. ſambuc.* ℥ i.
Laviſtici ʒ vi.
Raſura ligni guajaci ℥ iii.
Baccar. juniperi ℥ ii.

Coquantur ſ. a. in aqua communi ad ℥ xxx. adde
Syrupi card. bened. ℥ iii.
Tinct. cinnamomi ʒ vi. *Miſce.*

Ter in die hauſtum ſumat.

Die 28. Bene habet, niſi quòd ſcrotum tumeat.

Die 30. Permanet in meliori ſtatu.

Die 31. Bene habet: *Iteretur Decoctum.*

Die 2. Februar. Propter tuſſim ſomnum capere nequit.

℞. *Pilul. de cynogl.* ℈ i. *Fiant Pilul.* viii.

Die 3. Hæmorrhagiam narium patitur: *Iteretur mixtura* 23. Januar. addendo *ſanguin. draconis* ℈ ß.

Die 4. Venter diſtenditur, veſperi hæmorrhagia ſublata eſt: *Iteretur Decoctum* 27. Januar. & *Linimentum* 23. die præſcriptum.

Die 6. *Dolorem dorſalem* & *alvum* patitur *adſtrictam*: *Iteretur Ungu.* Præterea

℞. *Elect. hydragogi* ʒ i ß.
Cholagogi ʒ i.
Cremor Tart. ℈ ß.
Aqua fœnic. q. ſ. Fiat hauſtus.

Die 9. Meliùs habet: *Iteretur Linimentum.*

Die 10. Bene habet, habet & Decoctum.

Die 11. Bene habet.

Die 14. *Pedes* occupat *dolor* inſtar *eryſipelatis*: ſumat *Spiritus vini* partes duas, *aceti* partem j. aq. partem j. & cum linteamine pedi applicetur.

Die 15. Curatus Noſocomio valedixit.

Delebot Opera.

ÆGER VI.

Affectio Hypochondriaca.

IAcobus *Paquet* mirè videtur turbatus, laborat enim affectione Hypochondriaca, quam ante biennium etiam paſſus eſt, ſomnum capere nequit, voluit venam ſibi ſecari. Die 18. Februar.

℞. *Electuar. cholagogi,*
Hydragogi ana ʒ i ß.
Aqua fœnic. q. ſ. f. Hauſtus.

℞. *Aq. beton.* ℥ iii.
Vitæ Mathioli ℥ i.
Laudani Opiati gr. iii.
Syrupi ſtœchados Arab. ℥ i.
Spir. ſalis armon. gutt. x. *Miſce.*

Die 20. Aſſumpſit purgans, ſed non dejecit, jam ſunt quinque dies: *Iteretur mixtura & Purgatio.*

Die 21. Nedum ſemel dejecit, mens ipſius admodum turbata eſt: In hac re medicamenta nimis fortia videntur; Fiat Suppoſitorium vulgare num. i.

Die 22. A ſuppoſitorio bis dejecit, hac nocte quievit, ideo jam meliùs habet quam priùs; dolor in ſiniſtro hypochondrio adhuc perſeverat: Iteretur mixtura.

Die 24. Aliquantulum melius habet, commodè alimenta jam aſſumit, quievit tantillum.

Die 25. Magis jam inclinat ad ſomnum quàm antea: Sumat mixturam quæ iteretur, demendo Laudani Opiati gr. ij.

Die 29. Curatus abiit.

ÆGER VII.

Virium debilitas in moribundo.

IOhannes *Tæback* mala ſua referre nequit, non tamen eſt deſerendus abſque auxilio; Ideoque ſimplea roborans præſcribemus, xxxi. Januat. 1668.

℞. *Aqu. borrag.* ℥ ii.
Cinnam. ℥ ß.
Confect. alkerm. ʒ ii.
Syrup. papav. ℥ i.
Spir. ſalis dulc. gutt. xii. *Miſce.*

Obiit: *Ejus cadaver ſectioni fuit ſuppoſitum.*

ÆGER VIII.

Capitis dolor, Cardialgia, aliaque accidentia.

IOhannes *Pigmel* per 15. dies hac in urbe vixit, poſt male habuit & hic decubuit, caput dolet, patitur cardialgiam, ſitis adeſt continua, ſubinde friget, appetitus eſt proſtratus, per biduum non dejecit, non ſatis commodè reſpondet, aliàs valetudinarius eſt, nil quieſcit Bilis primariò in ipſo peccat, & quidem acrimonia & pituita viſciditate, quæ corrigi debent.

Die 7. morbi ℞. *Aqua hordei* ℥ xx.
Fœnicul. ℥ ii.
Syrupi papav. errat. ℥ ii ß.
Laudani Opiat. gr. iii. *Miſce.*

Die 8. Capitis dolor adeſt modò pulſans, modò gravativus; ſi deorſum inclinat caput, putat ſe in periculo eſſe caſus, quod à pondere pituitæ ortum trahit, In itinere etiam multas moleſtias paſſus eſt partim ab aere partim ab alimentis viſcidis, unde poris capitis occluſis dolorem talem, ex collecta materia tranſitum non habente, cauſarunt: Bilis ſecundariò, pituita primariò peccat in eo, quia omnia dolor gravativus venit à pituita: Pungens ſeu pulſans à bile acriore: Præſcribemus atomaticum multùm pituitam incidens & per corporis habitu educens, quod faciunt Sudorifica; ideo

℞. *Aqu. Cardui ben. Fumariæ,*
Fœniculi ana ℥ i.
Theriac. ſimpl. ℥ i.
Laudani Opiat. gr. iii.
Syrupi cardui ben. ℥ i.
Antimonii diaphor. ʒ ß.
Spirit. Sal. dulc. gutt. x. *Miſce.*

Die 10. Aliquantulum meliùs habuit, ante semihoram petiit lectum, ab igne enim cui se offerebat doluit caput, subinde aliquid caloris & frigoris sentit, calor autem in internis, frigus verò in externis urget.

Die 12. Meliùs habet; ex quo huc fuit, non dejecit; sitis non æquè semper ipsum urget.

℞. *Electuar. hydragogi* ʒiii.
Cremoris Tartari ℈ii.
Aqua petrosel. q. s. Misc. f. Haustus. Curatus est.

ÆGER IX.

Pleuritis.

H*Upertus Staretis* præterita die Dominica incidit noctu in dolorem lateris sinistri punctorium, venæ sectio die Lunæ instituta absque ullo doloris levamine nec profuit, respiratio præterea difficilis, continuò ad tussiendum cogitur, sed ob dolorem tussire nequit, est haud dubie Pleuritis; Ideo

9. Junii ℞. *Aquar. hyssopi* ℥iii.
Fœniculi, *Theriac. s. ana* ℥ii.
Antimonii diaphor. ʒß.
Spir. salis armon. gutt. xx.
Laudani Op. gr. iii.
Syrup. papav. errat. ℥i. *Misce.*

Die 11. Dolores lancinantes diminuti, respirat faciliùs, pulsus & omnia meliùs habent: *Iteretur* (ut eò citiùs curetur) *mixtura* in dupla quantitate, Laudat adhuc curationis promotionem. Curatus abiit.

ÆGER X.

Pleuritis Spuria, Hæmoptysis.

L*Amperdas Cocas* per sex dies ægrotavit, sentit jam lancinationes in dextra pectoris parte, cum tussi, impedita respiratione & febre, sed non continua; per biduum tussiendo sanguinem excrevit, vena nudius tertius aperta fuit, non dormit: Videntur diversi esse affectus, Pleuritis nempe spuria (febris enim non est continua, quod ad veram requiritur) & Sputum sanguinis; Itaque

℞. *Aquar. hyssopi* ℥ii.
Fœnic. ℥i.
Theriacal. simpl. ℥ß.
Aceti stillatitii ʒii.
Oculor. Cancri ℈j. *Laudani Op. gr.* iii.
Syrupi. papav. errat. ℥i. *Misce.*

Die 20. Meliùs se habet multo quàm heri, hac nocte expertus est paroxysmum, sputum sanguinis accedente nocte non passus est; circa horam primam primitias sensit paroxysmi, cujus frigus per quatuor horas duravit, calor fuit valde molestus; ideo

℞. *Radic. taraxaci cum toto man.* ii.
Folior. plantagin. M. j.
Summit. fœnic. M. ß. f. Decoctio in aqu. comm. ad ℥ix. dissolve syrup. de Rhab. s. ℥i ß. Iteretur mixtura heri præscripta. Curatus est.

ÆGER XI.

Tussis, Dolor lateris &c.

S*Tephanus Gall* per annum fuit valetudinarius, molestè tussit, sed tussis est sicca, à sex septimanis pejus habet, dolor valde molestus in extremitate costarum spuriarum ibi diaphragmata) non tamen caput dolet, venter tumet à flatibus, nihil licet alimenti assumat.

Itaque ℞. *Aquar. hyssopi*,
Fœniculi ana ℥i ß.
Theriac. s. ℥ß.
Tincturæ cinnam. ʒii.
Olei stillat. macer.
Juniperi ana gutt. ii.
Laudani Opiati gr. iii.
Syrupi quinque radic. ℥i ß. *Misce.*

Die 30. Bene habet à mixtura, itaque reiteretur.

Die 31. Tussis & hypochondriorum dolor sensim minuuntur: *Iteretur mixtura.*

Die 1. Junii. Per tres aut quatuor dies non dejecit, dolores cingentes sub costis diminuti, tussis ferè sublata, pariterque vultus alacrior, agnoscit se meliùs habere: *Iteretur mixtura*, Præterea

℞. *Elect. hydragogi* ʒii.
Cholagogi ʒi.
Cremor. Tart. ℈ß.
Aqua fœnic. q. s. f. Haustus.

Die 2. Quasi aphthæ in lingua apparent, quem in finem ipsi serum lactis porrigi debet.

Die 4. Ob æstum oris serum lactis adhibuit & paulum levatus est; habet speciem parotidis sub aure; Itaque

℞. *Empl. de mucilag.* ℥ß. extendantur & applicatur pro magnitudine tumoris.

Die 7. *Iteretur mixtura* præscripta.

Die 8. Meliùs habet, tumor minùs urget, aliquid sanguinis è naribus emunxit.

Die 9. A medicamento diligentiùs sumpto meliùs habet: Iteretur mixtura.

Die 11. Tussis adhuc molesta est, Tumoris colli durities aliquantulum minuitur.

Ad Tussim ℞. *Massæ Pilul. de Cynoglossa* ℈i fiant Pilul. viii.

Die 12. Assumpsit sub vesperam Pilulam, unde commodiùs tussire potuit, in posterum porro debet assumere.

Die 13. A Pilulis præscriptis sentit levamen in Tussi: *Iteretur mixtura*, ut & *Haustus Purgans.*

Die 17. Tussis levatur magis: *Iteretur mixtura.*

Die 18. Conqueritur se a sex diebus non dejecisse: *Iteretur Purgans.*

Die 19. Ter dejecit à potione purgante, & inde levamen sentit, mala minuuntur: Iteretur mixtura, Præterea ℞. *Pilul. de cynoglossa* ℈i. fiant Pilul. xii.

Curatus est.

ÆGER XII.

Febris Quartana, Tertiana quotidiana.

M*Aria Arendis* jam per quinque menses ægrotavit, primò febre Quartana, post Tertiana, jam autem Quotidiana, quæ singulis diebus duabus horis anticipat: ante novem menses fuit puerpera, & dum incepit ægrotare cessavit à lactatione infantis; conqueritur durante paroxysmo in frigore de tussi vehementi, ut ob ipsius vehementiam ambabus manibus caput firmiter comprehendere teneatur, *Hodie* 11. Januar. 1668. circa horam 7. habuit paroxysmum qui per sesqui horam duravit: Initium paroxysmi est dolor in regione lumbari, extenditur sese postea ad crura usque multùm sitit & sudat; præscriptum fuit à Doctore aliquo conditum ad corroborandum ut & aqua cardui ben. cum spir. salis, quam solita est miscere cerevisiæ; nausea, sine vomitu tamen, molesta est, valdè urget frigus, extrema digitorum ferè mortua esse putat: In hac febre Quotidiana obstructio causa mali tolli debet: post succus austerus, acidus pituitosusque simul corrigi & temperari.

℞. *Aqu. petrosel.*
Fumar. ana ℥i ß.
Fœniculi,
Theriacal simpl. ana ℥i.
Spiritus salis armon. gutt. xx.
Olei garyoph. gutt. ii.
Laudani Op. gr. iv.
Syr. card. Ben. ℥i. *Misce.*

Assumat subinde cochleare unum accedente febre, imprimus à frigore.

Die 12. Habuit paroxysmum ab hora prima ad tertiam, cujus frigus tam grave non fuit, jam in calore versatur; ab assumpto succo liquir. bene sese habuit, nauseabunda est, reliqua symptomata alia leviora sunt.

Die 13. Frigus adeò grave amplius non est, sed frigusculum tantùm pomeridiano tempore sentit, dolor summus urget in regione lumbari, expectat calorem, frigus febrile jam est diminutum, sitis non ampliùs tam molesta est, pulsum quidem habet parvum

quod

quod est signum nondum discessisse: Iteretur mixtura; conqueritur adhuc de Tussi vehementi.
Præterea ℞. *Ung. Murtiati ;*
Olei lumbricor. ana ʒ ii. *M.*

Die 14. Hora 6. vespertina, paroxysmus iterum ingruit cum frigore per horas duas durante: hora 8. assumpta ad magnam partem mistura, incidit in somnum usque ad tertiam matutinam; hac die bia terve dejecit, & bis in die, cum aliquibus tormini. ac si purgans assumpsisset; plurimùm in calore sudavit; excusso somno tussire incepit, ita ut hæmorrbagia narium subsequuta sit; dolor lumborum aliquatenus remisit, conqueritur tamen ac si cingulo circa thoracem transversim cincta esset; Doloris hujus causa esse possunt flatus colon distendentes: summa virium debilitaa urget: Alvi dejectio videtur originem sumpsisse ab assumpta miatura aromatica, quæ pituitam incidit, & incidendo bilem aeriorem reddidit, hinc frequens alvi dejectio ob commodum acceptum: *Iteretur Mixtura*.

Die 16. Quotidie patitur febrem, heri vesperi ipsam invasit paroaysmus, cujus frigus à x. ad aii. horam duravit, symptomata durante frigore graviora sunt quàm extra illud; insequens calor duravit per horas tres; frigus non fuit tam molestum sed diminutum: dolor in regione lumbari ab unguento in totum sublatus est; adest adhuc ingens æstus, sitis urget, dolor capitis summus, maximè sudat cùm versatur io calote febril, somnum capere nequit, neque quiescere, quotidiè sponte dejicit: Cùm frigus maximè sit diminutum & æstus maximè urgeat, ut & dolor capitis, præscribemus emulsionem.

℞. *Hordei mund. ad crepaturam cocti* ℥ i ß.
Semin. papav. albi ʒ iii.
Coquantur cum aqua hordei; fiat emulsio ad ℥ x. adde
Syrupi beton. ℥ i.
Laudani Op. gr. ii.
Aqua fœnic. ʒ j. *M.*

Die 17. Heri hora 11. paroxysmum rediit qui jam non anticipat, sed postponit, invadendo circa mediam noctem: hora 1. modò potuit capere somnum expergefacta circa horam 3. sudavit, non ampliùs est tam debilis; durante frigore tussivit, ut vasis apertis sanguis per nares effluxerit; durante calore dormivit: *Iteretur mixtura*.

Die 18. Hac nocte nullum notabilem sensit paroxysmum, majorem interdum habuit, qui tamen etiam levis fuit, debilis tamen est; dolores capitis & lumborum sunt diminuti; facies tumet propter pituitam solutam; ad parvum motum vertigine corripitur, ut omnia ipsi rotari videantur.

Die 19. Hodie hora 5. paroxysmus rediens remissior fuit, post paroaysmum maaimè sudavit, facies non modò sed & omnes corporis partes tument aliquantulum, videtur vergere ad leucophlegmatiam, dolor abdominis perseverat, alvua est adstrictior: 1. est expurganda, postea sudor eliciendus est.

℞. *Elect. hydragog.* ʒ iii.
Aqua fœnic. q. s. f. Haustus purgans.

Hunc non assumat manè sed vesperi, manè enim redit paroxysmus. *Quæri quomodo pituita possit per purgansi è corporis habitu educi*, quoniam non sit in vasis? Respondeo per glandulas conglomeratas serum & pituitam è corporis habitu educi posse.

Die 20. Hora 7. matut. rediit paroaysmus, circa horam 11. assumpsit purgaus, à quo ante secundam semel dejecit, post tertiam secunda vice.

Die 21. Bis adhuc heri dejecit, paroxysmus hodie rediit hora 9. frigus duravit ad 11. quod minùs jam sudet inde est quia semper eatra lectum est, hinc venter adhuc & crura tument: Iteretur miatura, cujus bonum haustum sumat declinante paroxysmo, & corpus disponat ad sudorem.

Die 23. Meliùs habet, rediit heri paroxysmus hora 3. pomeridiana, & sic rursus ampliùs postposuit leviorque fuit; hodie verò nundum sensit, videtur enim jam instare pulsus enim ab eo tempore quo hic commorati sumus frequentior & debilior est factus: heri sudavit maximè; Tumor & dolor abdominis quasi cingulum cingens remisit: Iterentur evacuans & mixtura,

Delebœ Opera.

Die 24. Heri paulòpost discessum nostrum febricitavit, tumque dolor lumborum frigidus admodum ursit; durante calore multùm sitit & bibit: nisi verò a potu sibi temperet, metus erit hydropis: ad fallendam igitur sitim.

℞. *Aqua hordei* ℥ ax.
Syrupi acetos. ℥ ii ß.
Lapidis prunella ʒ j. *M.*
Iteretur mixtura.

Die 5. Heri, hora 7. vespertina paroaysmus rediit, frigus per duas horas, calor per totam noctem cum multo sudore duravit, Julepis fefellit sitim, unde meliùs habet: continuet in usu misturæ & Julapii.

Die 26. Hac hora 10. vespertina per sesquihoram eam corripuit ealor, deinde per totam noctem cum sudore subsequutus est; pustulæ hinc inde per totum corpus erumpunt dispersæ, crura detumescunt & (quod oblita erat referre) per dies graves sentit abdominis lancinationes transversim secundùm eoli situm, quod videtur ab usu Julapii ortum, quia antehac nunquam tale quid sensit: Iteretur miatura tempore frigoris usurpanda, præterea in calore assumat sequens.

℞. *Aqu. hordei* ℥ ax.
Fœniculi ℥ ii.
Syrup. de quinq. radic. ℥ III.
Laudani Opiat. gr. iii.
Spir. Vitriol. gutt. 21.
Misce utatur cochleatim.

Die 28. Superioris nocte hora 2. frigus febrile per duas horas circiter infestabat, tunc ealor sequutus cum dolore capitis gravi usque durante; Dolor ventris durante saltem frigore molestabat; hodie summa cum difficultate dejecit, ut antehac etiam, ut videatur purgatione indigere: *Iteretur* itaque *purgans*, *item Mixtura* & *Julapium*.

Die 29. Præterita media nocte paroxysmus rediit, frigus per duas horas duravit, graviùs quàm heri, cui gravior etiam calor cum multo sudore successit, magnoque ventris dolore; dentes à concussione tempore frigoris quasi lexantur, crura in dies detumescunt; videtur mœror, quem passa est heri ob decumbentem infantem, causa esse molestioris paroxysmi: potest etiam iudicium esse finis febris mox sequuturi: Pergat in medicamentis præscriptia.

Die 30. Decima dejecit cum magnis torminibus: prioribus binis vicibus admodum dura eaierunt, posteà nil nisi aquæ admodùm fœtidæ maximam copiam, unà cum plurimis flatibus, unde eatemplo dolor ille cingens, & tumor ad gullam ferè pertingens visus, adeoque pectoris potiùs quàm abdominis: forsan tamen illæ aquæ ex toto corpore provenere (totum ferè enim humidum erat ad intestina, ihique cum bile quodammodo mistę atrum acquisiverunt colorem: febricitavit heri hora 6. matut. leviùs, hodie verò post 7. leviùs itidem: nunc debilitas, appetitus prostratus, dolor capitis ingens & tussis sicca urgent.

℞. *Pilul. de cynogl.* ℈ i.
Fiant Pilulæ num. viii. de quibus unam quotidie capiat, Misturam & Julapium exhauriat.

Die 31. Alternis horia habet paroxysmos febriles, & istis graviores: hodie accestit paroxysmus hora 9. & frigus fuit ad 11. durante frigore manus & pedes sunt quasi torpidi cuius causam à partium leucophlegmatia, qua laboravit, deducit, ut & à sanguine arterioso frigido; vermes cum fecibus excrevit: *Iteretur mixtura & Julapium*.

Die 2. Februar. Circa 3. cœpit sentire paroxysmum, frigent interna, etsi caleant eaterna malum diu durat, quia scatet pituira, unde vis medicamenti perit antequam ad pancreas veniat; leucophlegmatia est ablata: *Iteretur mixtura* 11. Januar.

Die 3. Heri vesperi hora 9. paroxysmum gravem habuit, hac verò nocte dormivit hene, sentit jam mitium paroaysmi.

Die 4. Heri vesperi hora 5. habuit paroxysmũ febrilem, cujus frigus per 2. horas duravit, & postea sensit calorem, sed paroaymus levior fuit quàm aliàs, multùm sudavit in calore, quod bonum est signum, nam inde non debilitatur, quia tunc aqua in corpore redundans evacuatur; *Iteretur Mixtura & Julapium*.

Quòd in paroxyſmo febris intermittentis ægri non eſuriant (fames enim ab acido & halitus acidis excitatur) inde venit quia ſuccus ſero ſemper ſimul tunc auſterior & viſcoſior eſt, ut & halitus, vel etiam quia alii humores, & quidem viſcoſi, concurrunt in inteſtinis; ipſa quoque ſaliva quandoque vitiata, ventriculus quoque aliquando pituita ſcatet.

Die 6. Nidiuſtertius deliravit in paroxyſmi calore, præterita nocte levior fuit paroxyſmus, hodie metuit graviorem: Cauſa delirii eſt ſpiritus animalis motus inordinatus: Per 2. dies non dormivit.

℞. Aquæ beton. ℥ ii.
Theriac. ſ. ℥ i.
Syrup. Fœniculi ℥ i.
Olei Caryophyll. gutt. iii.
Laudani Op. gr. iii. *Miſce.*

Aſſumat cochleatim durante frigore.

Die 9. Iteretur mixtura 6. præſcripta.

Die 10. Ex uſu alicujus alimenti peſſimè habuit; per tres horas duravit frigus febrile, ideo ob urgens frigus totam mixturam evacuavit, in calore multùm ſitivit: Iteretur mixtura & Julap.

Die 11. Non habuit paroxyſmum, ſed vehementer ſudavit, adeò ut inde valdè ſit debilitata, ſudor ille eſt ab humoribus pituitoſis & per habitum detruſis: alvus eſt adſtricta ob humores expulſos excrementa humectare valentes, ſudor, ipſam juvit: Convenit medicamentum evacuans & ſudores provocans, ante meridiem circa 10. paroxyſmum invaſit.

℞. Rad. ſcorzonera,
Fœniculi,
Apii ana ℥ ß.
Baccar. Junip. ℥ i.
Pulver. rad. Jalap. ʒ ii.
Fiat decoctio ad ℥ xxv. *diſſolve*
Syrupi de Senan ℥ iii.
Aqua Theriac. ſ. ℥ i ß.

Miſce: bibat hauſtum bis in die, quo tempore maximè libera eſt à febre.

Die 14. Meliùs habuit, heri nullum paroxyſmum, hodie leviſſimum paſſa eſt: Pergat aſſumptione decocti.

Curata abiit.

ÆGER XIII.

Scorbutus, febris Lenta.

MAria Coraelli ætatis 30. annorum, refert ſe per menſem malè habuiſſe, & febre tertiana intermittente, decubuiſſe; jam ab hac libera, Lenta adhuc febre ſeſe putat laborare: non poteſt commodè quieſcere & decumbere: cardialgia affligitur, membra ſentit ac ſi formicæ ibi deliteſcerent; & omnia plurimùm frigore ſuffunduntur; ſæpè prona eſt ad animi deliquium, quod tamen non patitur; durante affectu frigida eſt, ſed poſt ſenſim incipit incaleſcere: habet lactantem infantem quem ante annum peperit credit ſe rurſus eſſe impræguatam, quia jam ante quatuor ſeptimanas jam menſes obſervat obſtructos, quod tamen citiùs fieri debuiſſet ſi tale quid in ſuſpicione verſaretur: Iſta in animi deliquium proclivitas ortum ſuum debet halitibus ab infra aſcendentibus acribus, & orificium ventriculi mitè affligentibus, ex humore acido, acri, circa partes genitales hærente & ſanguini communicato: nullum hactenus aſſumpſit ad animi deliquium medicamentum, ubi ſalia volatilia & aromatica mira præſtant: ſolus ſpiritus Armoniaci paginam abſolvit: Quod quæritur de frigore per totum corpus diſperſo, id adſcribi videtur acido pituitæ juncto.

℞. Aqu. Menthæ ℥ ii.
Theriacal. ſ. ʒ vi.
Olei ſtillat. maceris gutt. vi.
Laudani Op. gr. iii.
Syrup. Menthæ ℥ i. *Miſce.*

Detur cocleatim.

Die 13. Nuper non potuit vomere, & jam vomit pituitoſa & billioſa; conquerebatur ſemper de cardialgia & ad animi deliquium propenſione; jam ferè evanuit; ſentit adhuc idem circa ventriculi regionem, angorem & quaſi tumorem, quæ omnia brevi tollentur. Quæritur hujus rei cauſa, quare ante non potuerit vomere & jam vomuerit? Reſp. ante nunquam nauſeam paſſa eſt à pituita & humore acri rodente, & tantùm halitus de ſe exſpuente, jam autem iſti humores fuerunt moti à mixtura aſſumpta, ut etiam ſurſum vergant & per vomitu ejiciantur, quod ab halitibus tantùm non potuit fieri: ſatis habet adhuc medicamenti.

Die 14. Conqueritur de dolore per totam dorſi ſpinam, & capitis, ac ſi lacerari vellent iſtæ partes; per vices anxietates præcordiorum redeunt: tota ſeptimana non dejecit, cùm fluida averſetur præſcribemus medicamenta formæ ſolidioris.

℞. Maſſæ pilul. maſtich. ℈ ß.
Reſina Julap. gr. v.
Olei ſuccini gutt. ii.
Miſce ſ. Pilul. num. v. Præterea
℞. Conſerv. Menthæ,
Flor. borrag. ana ʒ vi.
Rad. enul. cump. cond. ʒ ii. *Miſce.*

Fiat conditum ad piſi magnitudinem aſſumendum.

Ab aſſumpto purgante ſemel dejecit & cum levamine; optat adhuc ſemel ſibi repetantur illæ Pilul. quia hodie meliùs habet quàm heri; Itereotur itaque: Anxietates in totum ſunt ſublatæ, dolent jam dentes & gingivæ ſunt tumidæ: conqueritur quoque de lancinante dolore per ſpinam dorſi: Pilulæ nil efficere, ideòque *Iterentur, ut & Conditum.*

Die 18. Heri ab aſſumptis Pilulis bis commode dejecit, 1. alvinas fæces ſubſtantia liquidiori, 2. ſolidiori: Halitus aliquando petunt caput quaſi ignis.

Die 19. Ad ſecundam pomeridianam uſq; bene habuit, nunc verò ſummus ardor & dolor in hypochondriis, dorſo & capite eam vexabant, imò per universũ corpus aliquando ac ſi acubus pungeretur; cujus cauſa humor ſalſus cum acido miſtus eſſe poteſt; dolent dentes & vacillant; quoties conſervam aſſumit, toties ardorẽ caput infeſtantem animadvertit: Sitis eã urget, *Scorbuto* ante vexata fuit, ſomnum capere non poteſt,

℞. Aqu. fumar. ℥ ii.
Cochlearia ℥ ß.
Tinctura cinnam. ʒ i.
Syrupi Acetoſ. citri ℥ i.
Laudani Op. gr. ii.
Spir. ſulis dulcis gutt. xx. *Miſce, da in vitro.*

Die 21. Hodiè circa horam 10 ſentit anxietatem circa præcordia, hinc ſequutus ſummus calor cum nauſea, poſt ſubſequutum febrile frigus hora 12. cum dolore in hypochondriis, dorſo & capite, quod dolore imprimis gravativo vexatur menſes ſuos per binos menſes non vidit: videndum an hic paroxyſmus ſit rediturus: *Interim pergat uſurpare mixturam.*

Die 23. Heri ſenſit paroxyſmum febrilem, hodiè nondum, dolor tamen adhuc totius corporis, maximè verò ſecundùm longitudinem ſpinæ dorſi & capitis cum dolore rodente: Dum frigent crura & pedes (quia nullo modo poſſunt calefieri) calent tamen partes ſuperiores: 15. per dies non dejecit: ne halitus igitur inde aſſurgere pergant, alvus laxanda.

℞. Elect. hydragogi ʒ ii.
Cholagogi ʒ i ß.
Aqua fœnic. q. ſ. f. Hauſtus. Præterea
℞. Aqu. Petroſelini ℥ ii.
Fœniculi ℥ i.
Tinctura cinnam. ʒ ii.
Laudani Op. gr. iii.
Syrupi fœnic. ℥ i. *Miſce.*

Cujus ſubinde capiat cochleare unum.

Die 24. A purgante ſexies dejecit & vomuit bilioſa & pituitoſa, quæ verò dejecit erant multùm ſeroſa: ante aliquot dies meliùs habuit quàm hodie, forſan propter agitatos humores: ſperamus cras meliora; modò *pergat in aſſumenda mixtura.*

Die 25. Non ampliùs à purgante dejicit, debilis eſt & tota nocte non dormivit: Juſculum in prandio vervecinum aſſumpſit, à quo toto pomeridiano tempore malè habuit, anxietates multa ſentit circa cor, tandem quoque amara & acida vomuit, tam acria ut

dentes

dentes inde ſtuperent, licèt nil acidi aſſumpſerit; ſitit abſque tamen ſiccitate oris.

♃. *Hordei mundat. ad crepaturam cocti* ℥ j.
Semin. papav. albi,
Amygdal. dulc. ana ʒ ij.
Coquantur cum aqua hordei, fiat emulſio ad ℥xij. addendo *Laudani Opiat. gr.* iij.
Aquæ Cinnam. ʒ ß.
Syrupi papav. albi ʒ iij.

Die 26. Neque hac nocte dormivit, meliùs aliquantiſper habuit poſt meridiem, nocte multùm expuere cogitur, & tunc minus urinæ reddit, quia materia ſurripitur; habet adhoc de emulſione.

Die 27. Ante meridiem nauſeabunda & cardialgiam ſentit, ſine tamen vomitum, jam vero bene habet, niſi quòd multùm aquæ per ſudorem ejicitur; bene dormit, emulſionem averſatur, dolores rodentes continui, nonnunquam tamen graviùs affligentes à capite ad lumbos uſque perſeverarunt; alvus à purgatione nupera uſque huc adſtricta manſit.

♃. *Elect. hydragogi* ʒ ij.
Cholagogi ʒ j.
Aqua fœniculi q. ſ.
Miſce fiat Hauſtus. Præterea
♃. *Aqu. petroſel.* ℥ ij.
Fœniculi ʒ j.
Tinctura cinnam. ℥ ß.
Olei cortic. arant. gutt. viij.
Laudani Opiat. gr. iij.
Syrup. ſacch. ℥ j. *Miſce*.

Die 28. A purgante non dejecit: *Iteretur Purgans & mixtura*.

Die 30. Hodie demum purgans aſſumpſit, à quo ſexies cum torminibus dejecit, pauca tamen, mane ſatis bene habet, optat ſudare; igitur

♃. *Croci optimi gr.* vj.
Miſce f. Pulvis unius doſis. Præterea
♃. *Aqu. petroſel.* ℥ ii.
Fœniculi ℥ j.
Tinctura cinnam. ℥ ß.
Laudani Opiat. gr. iii.
Olei gean. junip. gutt. iv.
Syrup. fœnic. ℥ i. *Miſce*.
Ex hujus miſturæ cochleari pulvis aſſumatur; & reliquum ſenſim hauriatur.

Die 31. NB. Oleum cortic. arantior. inſigne medicamentum ad diſcutiendus flatus: iteretur Miſtura heri præſcripta, Præterea

♃. *Maſſa Pilul. fœtid.* ℈ ii.
Reſina Jalap. ℈ i.
Diagr. ℈ ß.
Olei ſuccini gutt. iii.
Miſce f. Pilul. ad num. xviii. quarum tres aſſumat, horis veſpertinis.

Die 2. Februar. aſſumpſit hodie iii. pilulas, à quibus ſemel tantùm deiecit, & cum commodo quoad aquas gravantes, quæ in ore minutæ ſunt: Iterum ſummat iii. Pil. Tempore æſtivo non bonum eſt lac ſumere, niſi bile quis abundet: *Utatur Mixtura*.

Die 3. Nauſeam patitur, multum aquæ os occupat. Niſi hac nocte deiiciat, cras aſſumet iij. Pilul.

Die 4. Parat abitum, rogat pro viatico ſibi iterari medicamenta præſcripta.

♃. *Elect. hydragogi & Cholag. ana* ℥ i. Miſce pro iv. doſibus: *Iteretur Mixtura* in duplo, cochleatim aſſumenda. Præterea

♃. *Croci opt. gr.* xxiv. *pro* iii. *aut* iv. *doſibus*.
Curata abiit.

ÆGER XIV.

Fluor Uterinus cruentus & albus; Hæmorrhoides cœca.

E*lizabetha Angla*, nactæ annos 32. fluxus menſium ante octo annos ceſſavit, ſed iam ante annum reverſus eſt, adeò ut fluore albo laboret: Præſcribatur medicamentum leniens & dolorem tollens

♃. *Aquar. plantag.* ℥ iii.
Cinnamomi,
Theriac. ſimpl. ana ʒ vi.
Sangu. draconis ℈ ß.
Laudani Opiat. gr. iii.
Olei ſtillat. materis gutt. iii.
Syrupi myrt. ℥ i. *Miſce*.

Ab anno hinc regreſſo fluxu, aliquando ſanguis aliquando materia alba, cum magnis doloribus partium genitalium, viriumque iactura, alvo adſtricta, vigiliiſque moleſtis effluxit.

Die 2. Februar. Quando ſanguinis, (potiùs puris) fluxus inſtat, dolore capitis affligitur, uterus etiam dolet à ſanguine ibi collecto & conſiſtente: Iteretur miſtura. Alvus eſt adſtricta.

♃. *Elect. hydragogi* ʒ ii.

Die 3. Hac nocte paſſa eſt fluxum primò rubicundum, poſtea purulentum & fœtentem, cum ſummis doloribus in regione lumbari, nondum deiecit à purgante, nec malè tamen inde ſe habuit.

♃. *Electuar. hydrag.* ℥ ß.
Iteretur mixtura.

Die 4. Fluxus quodammodo minuitur, in peius tendit, alvus tum per diem & noctem manſit adſtricta, dolor atrociſſimus in genitalibus urget, æſtuſque totius corporis.

♃. *Radic. ſcorzonera,*
Plantag. ana ℥ j.
Tamarindor. ℥ ii.
Folior. acetoſa,
Semperv. maj. ana M. i.
Coquantur ex aqua pura, in colatura ℥ xxv. *diſſolve*
Syrup. de Rhabarb. ℥ ii ß.
Diagr. ʒ ß.
Aqua Cinnam. ℥ i.
Miſce: hauriat hauſtulum ter aut quater de die, donec deiiciat, Præterea
♃. *Unguent. popul.*
Olei roſac. ana ʒ iii.
Miſce pro inungendis genitalibus.

Die 6. A Decocto ter deiecit, à quo nunc abſtineat, bene aliàs habet: *Iteretur mixtura*.

Die 9. Habet dolorem lancinantem & dolentem in ano, ab hæmorrhoidibus inflammatis: Nota ab hæmorrhoidibus inteſtinum foras propelli, & ab ipſis continnò irritari: dicuntur Hæmorrhoides cœcæ, quando non fluunt, evidentes verò quando fluunt. Dolor & alvus adſtrictior, & fluxus albus remiſerunt. Ergo

℞. *Aqu. plantag.* ℥ ii.
Cinnam. ʒ i.
Syrupi. myrt. ℥ ß.
Laudani Opiat. gutt. ii. *Miſce*. Præterea
♃. *Ungu. Popul.*
Albi camphor. ana ʒ i.
Miſce pro inungendo ano.

Die 11. Dolor vehementiſſimus, lacerans, capitis & totius corporis, cum fluxu albo rurſus infeſtant; hæmorrhoides meliùs habent, alvus verò eſt adſtricta, ſomnus nullus.

℞. *Aqu. fumar.* ℥ iii.
Fœniculi,
Theriac. ſimpl. ana ℥ i.
Laudani Opiat. gr. iii.
Oculor. cancri ʒ ß.
Syrup. de quinq. radic. ℥ i. *Miſce*.

Die 14. Sponte ter deiecit cum torminibus: Iteretur mixtura die 11. præſcripta.

Die 15. A mixtura vomuit, ideò uteri hæmorrhagia aucta.

℞. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒ ii.
Sangu. Draconis ℈ ß.
Syrup. Myrt. ℥ i.
Laudani Op. gr. ii.
Aqu. Cinnamom. ℥ ß.
Plantag. ℥ iii. *Miſce*.

Quando vigilia ſiunt à dolore in capite, tunc nihil juvant unguenta, nam ea adhibentur ad arcendam cerebri inflammationem: habet ægra linimentum ad hæmorrhoidas, quod & convenit doloribus.

Die 16. Urina eſt cruenta cum excremento fœdo, iam ceſſat fluxus: *Iteretur miſtura* heri præſcripta.

Die 17. Fluxus cruentus eſt ſublatus, fluor albus diminutus, conqueritur de debilitate virium, pulſus

tamen est robustus, potiùs mediocris, ratio est quia spiritus animales sunt prostrati, non verò ita vitales: *Iteretur mixtura* 5. die præscr.

Die 18. Fluxus iterum accessit, ut etiam dolor. de æstu augente conqueritur: *Iteretur* in duplo *mixtura*.

Die 20. Heri semel dejecit, nudiustertius nihil dejecit, etsi plus sumpserit de decocto, hodie rediit fluxus sanguineus, sentit dolores parturientis: *Iteretur Mixtura*, adde *olei stillat. nucis gutt.* ii.

Die 21. Fluxus sanguinis magis jam urget quàm priùs: ante prandium sistebatur sanguineus, & tunc fluor albus fluxit, nunc iterum fluxus est sanguineus: Iteretur mixtura die 15. præscripta in duplo, adde confect. de hyacinth. ʒii. vires enim restaurat, & fluxum prorsus sistit.

Die 24. Sponte dejecit & quidem cum difficultate, fluxus sanguineus & albus est diminutus, debilitatem sentit summam, commodè loqui non potest, nisi cum difficultate, somnum non capit: Iteretur mixtura 15. præscripta, addendo confect. de hyacintho ʒi. laudani Op. gr. j. Eo tempore, quo fluxus mensium adest, magis patet uteri collum internum, ut possit commodiùs tubulus immitti & enema injici: verùm ni vereamur nos diffamari per orbem si prescribamus Enema in uterum injiciendum, quod aliàs maximè conduceret, Linimentum loco ejus ordinantibus.

♃. *Unguent. martiati*,
Olei chamemel. ana ℥ii.

Fiat ungu. pro regione uteri.

Die 23. Sponte ter dejecit, fluxus uterque uteri est diminutus, cum multis flatibus prodeunt excrementa, dolores tamen urgent: Iteretur mistura.

Die 27. Uterque fluxus fere sublatus est, cruentus desiit: albus diminutus est, præscribemus novam mixturam.

♃. *Diascordii Fracastor.* ʒii.
Philoni Rom. ʒß.
Confect. Hyac. ℈i
Syrup. Myrt. ℥i.
Olei stillat. menthæ gutt. iii.
Tinct. Cinnamom. ʒiii.
Aqua plantag. ℥iii. *Misce.*

Die 29. Fluxus sanguineus desiit, albus verò diminutus, sępiùs ad urinam reddendam urgetur, sed eam excludere nequit, aliquid tamen emittit, in qua quid cruenti observamus; debilitas adest, summa, dolores tamen non urgent: rogat sibi medicamentum à quo bene habuit iterari: *Iteretur ergo* 27. præscriptum.

Die 29. Symptomata remiserunt, partes externæ jam dolent, ut non sustineant tactum, urina multùm est mutata, sedimentum habet non sordidum neque cruentum, sed pituitosum: *Iteretur Mixtura* 27. *& Liniment.* 24. præscriptum.

1. *Martii.* Meliùs habet, fluor albus hodie tamen adhuc ursit, venter est durus, uagatur igitur.

♃. *Diascordii Fracast.* ʒi.
Confect. hyacint. ʒß.
Conserv. Rosar. rubr. ℥iß

Misce f. Conditum.

Die 2. Dolores à regione ventriculi incipientes, & in lumbos desinentes, magis sunt aucti, Fluor albus minùs jam urget: Iteretur Mistura 27. Februar.

Die 3. Iteretur eadem Mixtura.

Die 5. Cruentus fluxus in totum est sublatus, albus quodammodo adhuc adest: hodie quater dejecit, difficulter deglutit, urinam reddit valdè rubeam & confusam, cum sabulo tenui, & valdè viscoso, dolet in istis partibus, forsan orificium vesicæ ob acrimoniam urinæ escoriatum est in quo casu prodest valdè Terebinth. Veneta, mundificat enim, sanat & curat.

♃. *Pulv. liquir.* ʒi.
Myrrhe rub. ℈i.
Croci opt. gr. vi.
Pulv. rhabarb. tosti ℈i.
Terebinth. Veneta q. s.

Ut in Pilulas exiguas instar ipsi vel gran. piperis reducantur: Dentur Pilulæ pulv. liquir. consperſę; Sumat manè & vesperi tres pilulas: *Iteretur Mixtura* 27. Februar.

Die 7. Uterque fluxus sistitur, fluxus alvi jam urget summis cum doloribus, forsan peccant humores acres, adeòque corrigendi sunt sequenti enemate, quod

♃. *Lactis bubuli* ℥ viii.
Terebinth. Venet. Ovi lutea sol. ℥ß.
Mell. rosat. ʒi. *Misce f. Clyster*

Ab enemate per 5. horas retento sæpiùs, sed parum dejecit, & magno cum levamine, ita ut alvi fluxus jam sit sublatus, dolores etiam reliqui mitigati, tumor tamen sentitur in abdominis parte inferiore: *Iteretur Mixtura* 27. Februar.

Die 10. Alvi fluxus rursus incepit, sępè sed parum dejicit, multùm bibit, parùm edit, abstineat à nimio potu.

♃. *Hordei mundat. ad crepat. cocti* ℥i.
Amygdal. dulc. mundat. ʒiii.
Semin. papav. alb. ʒii.

Cum aqua decoctionis hordei f. emulsio ad ℥ xv. adde

Syrup. papav. albi ℥i.
Laudani op. gr. ii.
Aqua Cinnam. ʒvi. *Misce.*

Die 12. Fluxus cruentus rediit heri, ventris tormina patitur continua, & dejicit sæpè sed parum, fęces sunt cruentę: Iteretur Mixtura.

Die 13. Ab enemate sentit levamen, fluxus cruentus etiam abiit, tormina & dolores etiam perseverant, cruor in urina non ampliùs adest: *Iteretur Mixtura* 27. Februar.

Die 14. Ab enemata fluxus est sublatus, nec hodiè dejecit: *Iteretur Mixtura.*

Die 15. Fluxus sanguinis urget, dolores sentit magnos.

Die 15. Fluxus cruentus imminutus, alvi dejectio commodior est propter dolores intolerabiles nihil quiescere potest: *Iteretur mixtura* in duplo.

Die 18. Iteretur mixtura, & præterea

♃. *Ungu. popul.*
Rosar.
Albi camphor. ana ʒ ii.

Inungatur regio lumborum.

Die 21. Fluxus sanguinis rursus venit, sensit levamen ab ungu. Iteretur mixtura, adde sangu. drac. ℈ i.

Iteretur ungu. Præterea

♃. *Olei castor.* ʒ i.
Succini ℈ ß. *Misce.*

Die 22. Hac nocte plurimum effudit sanguinis, hodie sanguis est diminutus: *Iteretur Mixtura* postrema eodem modo.

Die 23 Hodiè rursus plurimum sanguinis effudit, dolet in regione lumbari inferiore; ab acrimonia acida non salina deduco eius causam, hęc continuò mordicat & exulcerat, illa per intervalla; debent ergo hic medicamenta adstringentia adhiberi.

♃. *Aquar. plantag.* ℥iv.
Cinnam. ℥ß.
Sanguin. drac. ℈i.
Diascord. Fracast. ʒii.
Confect. Hyacinth. ʒi.
Syrup. Myrt. ℥i. *Misce.*

Die 24. NB. Cruentus fluxus est diminutus; dicit se sæpè necessum habere sanguinem cruentum & grumosum digitis eximere: Novam Misturam prescribamus.

℞ *Aqu. plantag.* ℥i.
Cinnam. ℥ß.
Laudani Op. gr. iii.
Syrup. Myrt. ℥i. *Misce.*

Die 26. Die sabbathi, sanguis ob viscIditatem & cruorem hærens intra orificia magnis cum doloribus fuit extractus, jam tantos non sentit, admodùm debilis tamen est, circa horam 5. assumpsit vinum rubellum, fluxus albus & cruentus diminuti; *Iteretur Mixtura* 24. præscripta.

Die 27. Fluxus cruentus heri potens, hodiè in totum desiit, fluxus albus jam adest; Iteretur mixtura 24. Præterea

♃. *Ungu. popul.* ʒii.
Opii oleo ros. sol. ℈ß. *Misce.*

Sentit etiam dolorem circa hęmorrhoidum regionem.

Die

Die 29. Meliùs habet, dolor hæmorrhoidum continuat: Iteretur Linim. 27. Martii, & Mistura 24. sumendo loco *Syrup. myrt. Syrup. stæchad.*
Die 30. *Iteretur Enema* præscriptum.

Die 31. Paulò pacatior est quàm antea, semel ab enemate dejecit, conqueritur de intolerabili dolore hæmorrhoidum: Iteretur in duplo Mistura 24. diei, cum syrupo stœchad. loco myrtini.

℞. *Ungu. popul.*
Albi camphor. ana ʒvi.
Opii oleo rof. solut. ℈i. *Misce f. Linim.*

Die 3. Aprilis dolores jam exacerbantur, conqueritur præsertim de dolore in superiori ventris parte & tergi, fluxus perseverat albus cruentus nullus, quod effluit non est fluidus, ob admixtos humores acres; hinc quoque dolores circa ventriculum & spinam dorsi: Itaque iteretur Mistura 24. Martii, sumendo loco syrupum stœchados, cum olei cortic. arantior. gutt. iv. Prætereà præscribemus decoctum sudorificum ex subadstringentibus aromaticis conflatum, quia alia aromata in hoc casu sunt suspecta, de quo bis die haustum assumat.

℞. *Rad. Cina per talcol. sell.*
Tormentillæ,
Petasit. ana ℥i.
Liquir. ras. ʒvi.
Coquantur in aqua ad ℥xxv. In colatura dissolve
Syrupi papav. errat. ℥iii.
Fiat Apozema.

Die 4. Meliùs se habere dicit à mixtura, satis dormivit: Iteretur Mixtura ultima cum *olei cort. arant. gutt.* iv.

Die 5. Meliùs se habet. *Iteretur Ungu. Item Mixtura.*

Die 6. Quo ad fluxum utrumque meliùs habet: mutabimus ipsi mixturam.

℞. *Aqu. plantag.* ℥ii
Cinnamon. ℥ß.
Laudani Opiat. gr. iv.
Olei cortic. arant. gutt. iv.
Syr. stœchad. ℥i. *Misce.* Præterea
℞. *Ungu. populeon.*
Olei rosac. ana ʒii. *Misc.*
Bene habuit à priori unguento.

Die 7. *Iteretur Mixtura* præscripta in duplo.
Die 9. Benè habet: iteretur Mistura die 16.
Curata est.

N.B. Hæc eadem videtur esse de qua Bonetus *Anat. Pract. lib. 3. sect. 36. Observ. 1. §. 1. Nam præter symptomatum conformitatem, idem nomen, eademque ætas, non aliam hic & illic describi persuadent, quæ ex recidiva interierit: Vide ibidem quæ ejus cadavere reperta.*

ÆGER XV.

Urinæ Ardor & Incontinentia.

S*Usanna Angla* laboravit febre ardente cum ardore & dolore urinæ, unde pulsus est debilis, per 5. annos fuit ægra, videtur jam habere paroxysmum, urinæ incontinentia ipsi est familiaris, non commodè respondet: Itaque dum plus comperiamus, præscribamus ipsi interim anodinam & lenientem emulsionem.

℞. *Hordei mund. ad crepat. cocti* ℥ii
Semin. papavi alb. ℥ß.
cum aqu. decoct. hordei f. emulsio,
ad ℥xx. *adde*
Syr. diacod. ʒii.
Aqu. cinnam. ʒi. *Misce.*

Die 3. April. Iteretur emulsio, in eodem erat statu.

Die 4. Comperimus hodiè eam à quatuor annis stranguria laborasse, postea per plures septimanas febre fuisse afflictam cum delirio, nec adhuc videtur ab illis malis libera omnino, cùm oculi adhuc rubeant ac multùm loquatur; urina cruenta, purulenta; dicit se ulcus in vesica habere.

Die 5. Valdè debilis est, pus excrevit, insignes patitur dolores: Præscribamus mixturam dolorem lenientem, ulcusque mundificantem,
Deleboe Opera.

℞. *Aquar. graminis,*
Fœniculi ana ℥i.
Balsami sulph. anis. gutt. vi.
Laudani Opiat. gr. iii.
Syrupi de quinq. radic. ℥i. *Misce.*
Dies 6. Obiit, sectioni subdita die sequenti.

ÆGER XVI.

Mammarum dolor, capitis, lumborum, Abortus, &c.

A*Nna Josephi* ante 15. dies male habuit, quotidiè manè hora 9. leve sentit frigus in pedibus, durans 8. horas, subsequens calor eo molestior est: ante 8. septimanas nupsit, ut hinc menstrua cessaverint antequam decubuerit febre: aliquot dies dolores sensit in mammis, aliqui retulerunt eos provenire ex nimia mariti manu contrectatione, verùm tales provenire constat ex suppressione mensium, qua sanguis majore copia ad mammas refluit & eas indurat; brevi post autem cùm absint rursus menses, flaccescere, & sanguinem ante eò delatum massæ sanguineæ commisceri & communicari: bis tantùm hac septimana dejecit; per 5. dies nullum capit somnum, pulsus est frequens valdè, dolor in regione lumborum & capite facit ne somnum capiat, circa vesperam magis dolet: Hoc in casu pinguia non libenter usurpat Cl. *Sylvius*, quia metus est erysipelatis; ideò nec oleum, nec unguent. nec emplastra hic approbantur; sed fotus magis ea mentha, majorana, roremar. stœhc. summit. hyper. melilot. samb. melissæ, absynth. chamom. Ad febrem 1. præscribomus Misturam sequentem.

℞. *Aquar. petros.*
Betonic.
Fœniculi.
Theriac. f. ana ℥i.
Spir. salis dulcis gutt. xii.
Laudani Opiat. gr. iv.
Syrupi papav. errat. ℥i. *Misce.* Præterea
℞. *Folior. Menthæ crispæ,*
Melissæ,
Sambuc. ana man. j.
Concisa coquantur in vino, ex linteis applica.

Die 5. Dolor mammarum diminutus est; quia fluxus ipsi molestus est, ideò ad eum adhibendum
℞. *Diascordii Fracast.* ʒi ß.
Confect. Hyacinth. ʒi.
Syrupi myrtini,
Betonicæ ana ℥ß.
Aqua cinnam. ℥ii. *Misce.*

Die 7. Dolores sunt sublati, menses mediocriter fluunt, tumor quem habuit evanuit.

Die 10. Heri circa prandium igni assedit, cum apposito panicocto, hinc sensit aliquos dolores, paulò post movebatur ad urinam reddendam, ecce matulæ insidens leviter cum nonnullis doloribus abortum cum placentula passa est, quem ante duos menses concepit, ab octo enim septimanis substiterant menses: liquor cum eo effusus, erat sanguis multo sero dilutus, ad pintam ferè unam: abortus species & substantia videbatur esse concretio sanguinis ad magnitudinem nucis juglandis majoris, nullam adhuc formam observavimus; hodiè à prandio levem sensit paroxysmum cum frigore itidem levi, caput & regio lumbaris dolent.

Die 12. Lochia adhuc heri fluxere, jam subsistunt, dolorque in lumbis diminutus est: conqueritur de dolore capitis gravativo, qui ortum trahit ab aere frigido, fluxiones accedunt dentibus, ubi observat aquas limpidas ad ventriculum fluentes: Dolor in lumbis ab humore oritur acri & salso, capitis gravativus à pituitoso: alvus quotidie respondet.

℞. *Aqu. Betonicæ* ℥ii.
Menthæ ℥i.
Theriac. f. ℥ß.
Olei succini gutt. iii.
Laudani Opiat. gr. ii.
Syrupi stœch. ℥i. *Misce.*
Curata abiit

ÆGER XVII.

Æstus in faucibus & toto, cum ardore urinæ &c.

Beatrix Nicolai filia, aliquando fuit valetudinaria, modò ante octiduum, post lac ebutyratum cum pane sumptum pessimè cœpit habere, ita ut in animi deliquium inciderit, summum jam æstum sentit in faucibus, lingua arida & toto corpore, imprimis autem circa partes genitales, summo cum ardore urinam reddit, pulsus est debilis: In hac ægra puto salinum lixiviosum peccare, ideò convenientem inveni emulsionem sequentem, quę.

℞. *Hordei mundat. ad crepat. cocti* ℥ ii.
Seminis papav. alb.
Cucumer. ana ʒ ii.
Aqua decoctionis hordei ℥ xv.
Syrup. liquir. ℥ ii.
Aqua fœnic ℥ i. *Misce.*

Fiat emulsio de qua subinde assumat duo vel tria cochlearia,

℞. *Flor. sambuci man.* ii.

Decoquantur in lacte eburyrato & parti appone affectæ.

Die 12. Hanc emulsionem præscripsimus 1. propter anxietates, 2. propter aridam linguam, 3. propter æstum summum: Iteretur emulsio, addendo *amygdal. dulcium mundatarum* ʒ ii. *Laudani Opiat. gr.* ii.

Die 13. Dolorem patitur per omnes artus, continuè friget, & tamen summum æstum sentit in partibus genitalibus, est somnolenta; ex assumptione emulsionis & Laudani opiati non dejecit tota die & nocte.

Die 14 Summos adhuc dolores patitur in membris, summus quoque faucium, linguæ & gulæ est ardor, sitim urgentem patitur cum dolore pungente circa mammas, ardor circa genitalia non ampliùs tam ingens propter fomenta imposita. Iteretur emulsio.

Die 16. Ardor gulæ & sitis perseverant, dolores lancinantes patitur per totum corpus, dejicit sponte, dolor capitis non est tam gravis, conqueritur insuper de adstrictione faucium & suffocatione hypochondriaca, ut & siti urgente; *Bilis* acrior & humore austeriores in illa peccant. Iteretur emulsio, addendo Laudani Opiat. gr. ii.

Die 17. Hac nocte meliùs quam omnibus præcedentibus dormivit omnia symptomata sunt diminuta, urinæ sedimentum est æquale, mobile & conjunctum.

Die 18 Bene dormivit, molestiam adhuc in faucibus ob ardorem & ruborem sentit *gargariset decoctum raparum*; sedimentum urinæ est laudabile; *Omnia dulcia & acida augent* suffocationem hypochondriacam uterinam; evacuavit; emulsioni quæ iteret. adde Laudani Opiati gr. iii.

Die 19. Conqueritur de dolore ardoreque faucium, in parte valdè profunda, & uteri: potuit levis aliqua angina aut apostema locum habuisse, nam phlegmata nonnihil cruenti & purulenti admixta habent, quoad fauces tamen parum meliùs sentit; de respiratione plurimùm conqueritur.

℞. *Aquar. Hyssopi,*
Fœniculi,
Theriacal. f. ana ℥ ii.
Aceti stillatit. ʒ ii.
Oculorum Cancri,
Antimon. diaphor. ana ℈ i.
Laudani Opiat. gr. ii.
Syr. de quinq. radic. ℥ i ß.

Utatur cochleatim; blande humorem inhærentem solvet & excreationem iuvabit.

Die 20. A mixtura heri præscripta longè habet meliùs, bene comedit, phlegmata etiam sunt melioris notæ, conqueritur adhuc de dolore per universum corpus.

Die 21. Phlegmata sunt purulenta, urina nullum ampliùs habet sedimentum, ejicit difficulter phlegmata & cum aliqua nausea, leve frigus sensit hac nocte, Iteretur Mistura addendo Tinct. cinnam. ʒ i. abhorret à priori Mistura, ideo utatur sequenti.

℞. *Radic. liquir. ras.* ℥ i.
Fœniculi ʒ vi.
Folior. violarum,
Veronicæ ana m. i.
Hordei mundat. ℥ i.
Coquantur ex aqua pura, in colatura ℥ xv. *dissolve*
Diamoron. ℥ ii.
Lapid. prunell. ʒ ß.
Misce f. Gargarismus. Præterea
℞. *Aquar. Hyssopi,*
Fœniculi ana ℥ i.
Tinct. cinnam. ʒ i.
Spir. Salis dulcis gutt. x.
Laudani Opiat. gr. ii.
Syr papav. errat. ℥ i. *Misce.*

Utatur ex cochleari.

Curata est.

ÆGER XVIII.

Febris Erratica.

Iudith. de Vuich ante 20. septimanas cœpit male habere: sex menses fuit gravida laboravit nunc Tertiana, nunc quartana, nunc quotidiana; frigus accedit hora 9. vespertina, durans per 5. horas; conqueritur insuper de sit. molesta tam in frigore quàm calore. Tussi sicca vexatur.

Quotidianæ tertianis aliquando sunt graviores; distinctio febrium est utilis ob purgantia adhibenda: In tertianis enim purgandum est leviori paroxysmo, nam in tertiana paroxysmus alternis vicibus est levior: Cautè agendum in gravidis præscribendis purgantibus, in intermittentibus: Ad causas frigoris attendendum, quia symptomata oriuntur à succo pancreatico; Sitis in frigore fit ab austero bilem magis corrumpente, quod austerum à potu diluitur, absque potu verò magis concentratur.

℞. *Aqu. palegii* ℥ iii.
Fœniculi ℥ i ß.
Theriac. f. ℥ i.
Olei garyoph. gutt. ii.
Succini gutt. iii.
Laudani Opiat. gr. iii.
Syrupi papav. errat. ℥ i *Misce.*

Durante frigore utatur.

℞. *Aqa. hordei* ℥ xx.
Fœniculi ℥ ß.
Syrupi papav. errat. ℥ i ß.
Spiritus salis dulcis gutt. xx.

Utatur durante calore.

Die 2. Februar. 1668. Paroxysmus postponit, calor est diminutus, alvi fluxu affligitur, putat provenisse à Mistura, ideò tarda fuit in ejus assumptione, noctu circa 11. accessit paroxysmus, alvi dejectio invasit durante calore, cujus causa bilis acrior pituitam incidens & laxans alvum, bilis ante erat obvoluta à pituita, & jam incisa à medicamento: bilis appetitum prostravit & gustum, potus quantitas major humores nimiùm diluendo effervescentiam minuit, minor verò effervescentiam excitat; Potus ei non convenit, quia tantùm durante frigore sitit, & frigus à potu augetur: Ægri durante frigore nihil dejiciunt, nisi quòd anxietates aliquando patiantur, functiones in frigore non ritè procedunt, ob acidum in frigore dominium obtinens. Aquam diluere acidum inde patet; Si Spiritus vitrioli aliquid in aquam effundatur illa tunc diluatur. Noctu pejùs habuit. Iteretur Julep & Mistura 31. Januarii præscripta.

Die 3. Hac nocte paroxysmus fuit levior.

Die 4. Paroxysm. fuit levior: Iteretur Julep & Mistura.

Die 6. In dies imminuitur paroxysmus febrilis, vires tamen prostratæ manent: Iteretur Julep. & Mistura cui adde *Tinct. cinnamom.* ʒ i.

Die 9. Conqueritur de alvi fluxu, cum summo dolore per aliquot jam dies infestante, sentit tormina ventris cùm dejicere conatur & dolores lancinantes lumborum circa spinam dorsi: Causa est pituita in parte soluta, quodammodo acida, & bilis; bilis enim

enim potenter illam in flatus acidiuſculos elevat: dolor diſtendens flatibus, lancinans illis acidis debetor, motum tamen notabilem infantis ſentir.

℞. *Diaſcord. Fracaſtor.* ʒii.
Confect. Hyacinth. ʒi.
Laud. Opiat. gr. ii.
Olei ſtillat. macer. gutt. ii.
Syr. Myrt. ℥i.
Aqu. Menth.
Plantagin. ana ℥iß. *Miſce.*

Diaſcordium humores acres temperat, dolores mitigat, & alvum adſtringit, *Confectio de Hyacintho* alvum quodammodo adſtringit & vires inſtaurat *Laudanum Op.* humores acres corrigit, dolores mitigat & flatus diſcutit, quam vim à ſpiritu vini habet: Petebatur quare adderetur *Laudanum* opiatis, cùm tamen in *Diaſcordio* ſit opium? ℞. quia flatus diſcutit, non verò *Diaſcordium*, & quia hoc eſt valdè ingratum. Aqua *Mentha* præcipuè deſtinata eſt ventriculo & inteſtinis, magiſque diſcutit halitus quàm fœniculi. *Indicationes* Mitigatoriæ urgentes, ſunt ſonctiones, escreta & retenta, & qualitates mutatæ: Curatoriæ verò morbus & caula morbi: Præſervatoriæ ſunt vires.

Die 15. Dolores ſunt imminuti, niſi quod adhuc in partibus externis hæreant, ſine tamen notabili tumore, quia ſymptomata minuuntur & vires augentur, Signum eſt ægram in meliùs tendere; hodie non febricitavit. *Iteretur Mixtura* 9. præſcripta præterea:

℞. *Ungu. Martiati,*
Olei Lumbric. ana ʒii.
Miſce pro inungendis pedibus.

Ipſa bilis acris eſt morbus, non verò cauſa morbi, nam functiones lædit & ſymptomata producit: Veteres hoc non concesſerunt, quia illi poſuerunt morbum in partibus continentibus: quia verò functiones etiam fiunt in contenti, ideò lædi poſſunt illæſis continentibus, & proinde eſſe morbi cauſa, eo modo ut dolium non eſt cauſa fermentationis, ſed illa quæ cerevìſiæ inſunt: Dum ſymptomata minuuntur, morbus minuitur, nam illa ſunt effecta morbi, ſic bilis correcta acrimonia, tolletur & alvi fluxus: Pedes ipſius dolent, tumor pituitoſus preſſus relinquit ſtigma; quando obambulat ſentit dolorem quaſi aciculatum, ubi ſpiritus vini convenit, qui lenit utrumque acre; uti Sol in ceram & lutum diverſimode agit, ita ſpiritus vini pro variis partibus: à ſpiritu vini nulla pars corrumpitur, niſi ab acido. In vino eſt ſal volatilis oleoſus: ſpiritum lenire acrimoniam ſequitur inde; ſi à ſale tartari abſtraxeris ſpiritum, ſit acrior.

Die 16. Meliùs habet, poſt prandium quidem levior paroxyſmus ipſam corripuit, frigus ejus urget, dolor in toto corpore manet; quando medicamentis efficacibus & bonis non cedit malum, ſignum habeto malum eſſe valdè grave, & indicari medicamenta fortiora eſſe uſurpanda: à quatuor diebus non dejecit, tumor adhuc videtur in pedibus.

℞. *Aqu. Mentha,*
Petroſel. ana ℥iß.
Theriacal. ſimpl. ʒvi.
Laudani Op. gr. iii.
Syr. Card. Bened. ℥i. *Miſce.*

Die 17. Sentit diſtenſionem in abdomine propter alvum adſtrictam; per ſes menſes fuit gravida; in primis gravidationis menſibus cantè uſurpata ſunt purgantia, ne fiat abortus; fœtus enim adhuc tener eſt & nondum utero alligatus; ultimis verò menſibus ſecuriùs, quia robuſtior jam factus eſt, ob motum & irritationem exitum quærit & tentat.

℞. *Decoct. emoll. & carmin.* ℥viii.
Catholic. ℥i.
Olei Chamæmel. ℥ß. *miſce f. Clyſter.*

Enema quia flatuum ſubſidentiam promovet, & eos diſcutit, præ aliis laudatur: Et ſi vellemus purgationem in hoc corpore inſtituere, *Caſſia* non conduceret quia flatulenta, flatibus enim abundat ægra, ut ex ventris diſtenſione patet; nec etiam *Tamarindi*, quia aciditatem in ſe habentes dolores eſcitarent, quibus ægra vexata fuit. *Manna* fortior eſt in purgando quam caſſia, hujus doſis ſunt ℥iii. illius ℥ii.

Die 18. Ter aut quater commodiſſimè ab enemate dejecit, ſat commodè quievit, partes genitales adhuc dolent: *Iteretur Miſtura* 16. diei.

Die 20. Dolores iterum per totum corpus ſentit, ſed precedentibus leviores, cum torminibus dejicit, *Oleum cortic. Araut.* flatus diſcutit & dolores minuit: huic accedit *Oleum ſtillat. maceris, ſuccini*, ſed non tam eſt efficax: Paroxyſmi jam leviores accedunt.

℞. *Aqu. Fœnic.*
Theriacal. ſ. ana ℥i.
Plantag. ʒii.
Olei ſtillat. ſuccin gutt. iii.
Laudani Op. gr. iii.
Syrupi Mentha ℥j. *Miſce.*

Die 22. Heri non habuit paroxyſmum, ſed hodie, & quidem ſatis gravem, frigus inſtar glaciei: Hinc dixit Clar. Sylvius quòd quandiu frigus durat non movetur fœtus, ut inde fieri ſolet; Inde fieri poſſe quod fœtus obierit, unde majus frigus, quia ſanguis magis quoque incraſſatus à frigore ineptior redditur, ut ſpiritus animales ex eo ſeparentur: *Iteretur Miſtura.*

Die 24. Nudius tertius paroxyſmum habuit, à quo tempore nullus acceſſit: doloribus in regione lumbari circa os ſacrum, cum exitu ani, & in parte abdominis inferiore affligitur, qui ortum trahunt ab acido & aliqua acrimonia: *Iteretur Miſtura*: Præterea.

℞. *Ung. Martiati.*
Olei Nardini ana ʒii.
Macer. ſtillat. gutt. viii. *Miſce.*

Die 25. Mediocriter habet, circa mediam tertiam acceſſit paroxyſmus: *Iteretur Miſtura.*

Die 27. Nudius tertius habuit febrem, à quo tempore nullum amplius paroxyſmum ſenſit, metuimus ne jam ſit quartana; cauſa forſan eſt ex rebus non naturalibus, ut alimenta pituitam generantia, accedit huc ipſa ægræ conſtitutio: reſtat ipſi de medicamentis ſatis.

Die 28. Vehementem ante quatriduum habuit febrem, heri circa horam decimam rurſus acceſſit paroxyſmus, qui jam anticipavit, ergo non eſt quartana, frigus eodem modo invaſit, calor remiſſior: *Iteretur Miſtura.*

Die 1. Martii jam tridno conſequenti paroxyſmum patitur, poſtquam quartana laboraverit: heri veſperi hora decima frigus durtavit per tres horas, quod non fuit grave.

Die 2. Hac nocte febricitavit ſat vehementer, hora prima acceſſit paroxyſmus, frigus calore eſt moleſtius, jam adhuc malè ſe habet, ſponte hodie ter dejecit cum torminibus. In tali caſu metus eſt abortus, quatuor adhuc ſeptimanas habet ad geſtandum partum: Præſcribemus decoctum ipſam roborans & ſerum evacuans, ſudoremque eliciens.

℞. *Radic. Salſeparill.*
Fœniculi ana ℥iv
Baccar. Juniper. contuſ. ʒii.
Semin. Milii ℥iv.
coqu. ad ℥xxv. *diſſolv.*
Syr. Card. Ben. ℥iii.
Aquæ Theriac. ſimpl. ℥i.

Aſſumat in die hauſtum parvum aliquoties, inſtante paroxyſmo plus: *Iteretur Mixtura.*

Non curata Noſodochio valedixit.

ÆGER XIX.

Febris, Catarrhus.

A*Eger Inſpars* præterita hyeme malè habuit, laboravit *febre*, ſed fuit curata, duas noctes impendit in opere nendi, hinc *ſomnum* capere non potuit, toto corpore modò *friget*, modò *calet*, plus tamen friget quam calet, negat tamen ſe febre laborare; tuſſis adeſt ſicca, *phlegmata* dejicit viſcoſa, & ſpumoſa, pulſus ſatis eſt frequens; per tres dies non *dejecit*: Ad bilem acrem.

℞. *Hordei mund. ad crepat. cocti* ℥ii.
Sem. Papav. alb. ℥ß.
cum Aqua decoct. Hordei fiat emulſio ad ℥xx.
adde

Syr-

Syrupi Diacodii ℥ ii.
Aqua Fœnic. ℥ i.
sæpè assumat taotillum emulsionis.

Pilulas assumere nequit, propter phlegmata; præscribemus igitur *Trochiscos*.

℞. *Gummi Tragac.* ℈ i.
Succi Liquir. gr. xv.
Myrrha opt. ℈ ß.
Croci selecti,
Laudani Opiat. ana gr. iv.
Sacchar. Alth. ʒ ii. *Misce.*

Gummi Tragac. in Aqo. rosar. dissolvatur, fiaot Troch. subinde uonm teneat in ore.

Die 5. Tabellas valdè amaricare conqueritur, sed ab emulsione æstus fuit dimioutos: *Iteretur Emulsio*: commodiùs hac oocte quievit; conqueritur de Tussi sicca; *urina* est confusa, & turbida, æneorema spumosum: *Iteretur Emulsio & Trochisci.*

Die 8. Omnia symptomata sunt sublata, prætet Tossim jam præsertim molestam, cum summa corporis debilitate, sitis non amplius tam urget, appetitus quoque sensim restituitur: *Iteretur Emulsio.*

Die 12. Sentit dolorem contorquentem in ventre circa umbilici regionem.

℞. *Aqu. Menthæ,*
Hyssopi ana ℥ i.
Spir. Sal. Armon. gutt. x.
Laudani Op. gr. iii.
Syr. Menthæ ʒ vi. *Misce.*

Die 13. Curata est.

ÆGER XX.

Mensium Suppressio, Gangræna.

MAria Tölis suppressa fuere menstrua per tempus aliquod, tunc tandem per duos dies rursus illa vidit, sed ob admissum frigus partibus inferioribus iterum suppressa sunt: ante 15. dies laboravit frigore per totum corpus, quod adhuc contінoò urget, eum doloribus colli & lumborum, imo & totius corporis laocinantibus: præscribetur medicamentum edocens pituitam.

Die 17. Martii 1668.

℞. *Aqu. Pulegii* ℥ ii.
Theriacal. simpl. ℥ i.
Spir. Salis Armon. gutt. xii.
Laudani Op. gr. ii.
Olei Caryoph. gutt. ii.
Sal. Artemis. gr. vi. *Misce.*

Die 30. Dicit totum corpus ipsi dolere, *inclinat in somnum*: *Iteretur Mixtura*, omittendo Laudanum.

Die 31. Semper est somnolenta nec commodè respondet ad ioterrogata, de *doloribus totius corporis* & præcipuè *capitis* conqueritur: *Iteretur* in duplo *Mixtura*, om ttendo Laudaoum.

Die 3. Aprilis oondum commodè respondet, non tamen planè ita est somnoleota: in illa dorsi parte cui incumbit apparet aliquid gaogrænæ simile, quod Chirurgus hodie inspexit; bene aliàs habet à mixtura, quæ iteretor: conqueritur de *dolore lumborum* & *capitis*, continuò nauseat, quandoque vomit, videtur primariom affectom esse suppressionem mensium, somnoleotiam verò & dolorem capitis symptomata exorta à vitiosi & reteoti saogoinis menstrui halitibus, sursum ad caput elevatis.

℞. *Aqu. Pulegii,*
Menthæ ana ℥ i.
Tinct. Cinnamom.
Croci ana ʒ i.
Spir. Salis Armon. gutt. xv.
Syrup. Artemis. ℥ i. *Misce.*

Die 5. Paulò meliùs se habet: *Iteretur Mixtura* hesterna, addendo Laudani opiat. gr. ii. quia commodè oon dormit.

Die 6. *Iteretur Mixtura* hesterna in quadruplo.

Die 12. *Iteretur Mixtura*.

Die 13. Conqueritor *Gangrænam* ipsi plus doloris parere: Emplastrum ad puris generationem, partis integræ à mortificata separationem, ob gangrenam ipsi à Chirurgo omissum est: nobis conqueritur se non posse dejicere, & quia nunquam tutò io suppurationibus porgaotia præscribuotur, ipsi soppositorium est inditum.

Die 14. A quo suppositorium inditum, his dejecit, non commodè: dolor à Gangræna paulatim imminutus: quia promovenda est puris geoeratio, convenientem ipsi præscripsimus *Mixturam*.

℞. *Aqu. Pulegii* ℥ iii.
Menthæ ℥ i.
Tinct. Cinnam.
Croci ana ʒ ii.
Spir. Salis Armon. gutt. xx.
Antimon. Diaphor.
Ocul. Cancr. ana ℈ i.
Laudani Op. gr. iv.
Syr. Fœnic. ℥ i. *Misce.*

Die 17. *Iteretur Mixtura*.

Die 18. Meliùs habet, & mixtura benè suppurationem juvat, itaque iteretur.

Die 19. Suppuratio benè procedit.

Die 21. *Iteretur Mistura*: se habet eodem modo.

Die 23. Hodie paroxysmus febrilis aceessit & hac ratione ulcus Gangrænæ peiùs habuit; præscribemus itaque mixturam febri contrariam & Gangrænam simul removentem.

℞. *Aqu. Petrosel.* ℥ ii.
Fœniculi,
Theriac. simpl. ana ℥ i.
Spir. Salis dulcis gutt. x.
Salis Armoniac. gutt. xx.
Laudani Op. gr. ii.
Syr. Card. Ben. ℥ i. *Misce.*

Aqua meliùs habuit. Curata est.

ÆGER XXI.

Casus in aquam, Alvi fluxus, & Gangræna.

EVa N. cecidit in aqoam, unde multum aquæ hausit, & postea passa est alvi fluxum, ubique dolores sentit.

Die 9. Februarii 1668.

℞. *Diascord. Fracast.* ʒ i ß.
Syrup. Myrt. ℥ i.
Aqu. Theriac. ℥ ß.
Fœniculi,
Fumar. ana ℥ i. *Misce.*

Die 11. *Iteretur Mixtura*.

Die 14 *Iteretur Mixtura*.

Die 16. Cooqueritur de dolore circa superius orificium ventriculi, est nauseabunda: *Iteretur Mixtura*.

Die 20. Peiùs se habere dicit, & dolores omnes esse acutos.

℞. *Diascord. Fracast.* ʒ iii.
Syrup. Papav. errat. ℥ i.
Aqu. Fœnic. ʒ vi.
Plantag. ℥ ii. *Misce.*

Die. 22. Non tam benè se habet quàm heri, alternis diebus patitur febrem, vomuit amara & biliosa. *Iteretur Mixtura*: Præterea

℞. *Elect. Colagogi,*
Hydragogi ana ʒ i ß.
Aqu. Cinnam. ʒ iii.
Borrag. q. s. misce f. Haustus.

Die 24. Usque ad 1. Martii bene habuit, & quotidie *reiteretur Mixtura*.

Die 1. Martii conqueritur pedes tumere.

℞. *Ungu. Martiati,*
Olei Laurini ana ℥ ß. *Misce.*
Curata abiit.

ÆGER XXII.

Febris, Catarrhus &c.

RAchael Petri in principio valde friguit, jam calet præcipuè circa regiooem ventriculi, appetitus prostratus, sitis aucta, non dormit, ipsi præscribemus *Julapium*,

℞. *Aqu.*

♃. *Aqu. Hordei* ℥xa.
Fœniculi ℥i.
Syrup. Papav. alb. ℥ii.
Laudani Op. gr. iv.
Spir. Salis dulc. gutt. xx.
Misce.

Die 18. Omnia symptomata sunt remissa.
Die 19. Ab hesterna die gravedine dicit se laborasse, & jam tussi vexari non tamen aeri se exposuisse frigidiori excernit crassa phlegmata, conqueritur de alvi adstrictione.

♃. *Rad. Cichorii*,
Asparagi,
Taraxaci ana ℥i.
Rhei elect.
Fol. Sennæ ana ʒii.
Tartari crudi ʒi.
Coquantur ad ℥xx. *dissolve*
Syrup. de Rheo ℥ii.
Aqua Fœniculi ℥i.
Misce.

ÆGER XXIII.

Febris Quotidiana,

MArgareta Petri per quinque septimanas antea laboravit tertiana, jam verò per aliquot septimanas paroxysmum habuit quotidie, in quo frigus est gravius, & vertigo tanta ut in paroxysmo elevatione corporis in humum prociderit, dolorem sentit in regione lumbari, menstrua habuit sat copiose per 15. dies. In paroxysmo corpus tuberculis est quasi conspersum ac si urticis esset percussum, quod quandoque fieri solet. De duplici tertiana est quidem suspicio, sed nondum certè determinare possumus, ob paroxysmos eodem tempore, eadem vehementia affligentes: *Itaque 3. Junii*

♃. *Aqu. Fumar.* ℥ii.
Fœniculi,
Theriac. simpl. ana ℥i.
Olei Garyoph. gutt. ii.
Spirit. Salis Armon. gutt. aa.
Laudani Opiat. gr. iii.
Syrupi Card. Ben. ℥i.
Misce: capiat cochleatim tempore frigoris.

Die 4. Junii, hodie post meridiem accessit paroxysmus: *Iteretur Mixtura.*
Die 5. *Iteretur Mixtura.*
Die 7. Conqueritur de animi deliquio: Iteretur Mixtura, addendo *Tinct. Cinnam.* ʒi
Die 8. Ter dejecit: *Iteretur Mixtura.*
Die 11. Heri post prandium accessit paroxysmus; durante frigore per 3. horas summi dolores in regione lumbari, tam frigoris, quàm æstus tempore, & extra paroxysmum, subinde lancinationes lateris accedunt, mammarumque.

♃. *Aqu. Petrosel.*
Fœniculi ana ℥i ß.
Tinct Cinnam. ℥ß.
Spir. Salis Armon. gutt. aa.
Laudani Op. gr. iii.
Olei Garyoph. gutt. ii.
Syrup. Card. Ben. ℥i.
Misce.

De hac assumat tempore frigoris. Præterea

♃. *Aqu. Hordei* ℥ax.
Fœniculi ℥i
Syrup. Papav. errat. ℥ii.
Spir. Vitriol. gutt. xx.
Laudani Opiat gr. iii.
Misce F. Julep.
De hoc sumat tempore caloris.

Die 12. Iteretur Mixtura heri præscripta.
Die 13. Hora circiter 4. vix potuit respirare, ob dolorem hypochondrii sinistri; dicit ex quo Julep assumsit dolores lancinantes esse auctos, haud dubiè ob acidum Julepo commistum: Acidum austerumque in ea peccant, ab acido dolores lancinantes, ab austero mali pertinacia: *Iteretur Mixtura.*

ÆGER XXIV.

Febris Catarrhalis.

JOhannam Pressen ante 15. dies febris invasit, frigus in lumbis & toto corpore, dolor & æstus capitis, per octo dies appetitus prostratus, molesta tussis, somnus mediocris, durante dolore & æstu capitis ultra 50. lumbricos excrevit, posteà per octo dies non dejecit, capitis dolorem etiam comitatur aliquod delirium: *Malum* originem habet à motu & insequente refrigeratione, quibus prima paroxysmi die fuit subdita; Inde dicatur quòd sit *Febris Catarrhalis*, in qua humor peccat salsus, fermentum ventriculi corrumpens, & Tussim & sitim excitans: Ad *Tussim*

♃. *Pilul. de Cynogl.* ℈i
Fiat Pilul. num. xii.

Ad appetitum prostratum

♃. *Aqu. Menthæ* ℥ii.
Tinct. Cinnamom. ʒii.
Spir. Salis dulci gutt. x.
Laudani Opiat. gr. ii.
Syrupi Menthæ ℥i. *Misce.*

Die 31. ♃. *Pilul. Fœtid. major.* ℈ß.
Resinæ Jalap. gr. v.
Ol. Succ. gutt. ii. *fiant. Pil.* 5. *manè sumenda.*

Die. 1. Junii assumpsit Pilul. Cynogl. loco purgantis, idcirco somnolenta est quod miratur.
Die 2. Assumpsit Pil. purg. & bis dejecit, inde Curata est.

ÆGER XXV.

Suffocationis Sensus.

MArgareta Danielis filia Lingua est arida, dolorem sentit faucium, ante 15. dies cœpit ægrotare, per plures menses menstrua non habuit, nec deglutire potest, non dormit, tussit etiam: Forte est species suffocationis à peccantibus humoribus [illegible] & austeris: Itaque
Die 3. Junii 2.

♃. *Aqu. Borrag.*
Melissæ ana ℥ß.
Tinct. Cinnamom. Tinct. Croci ana ʒi.
Spir. Sal. Armon. gutt. xx.
Laudani Op. gr. ii.
Syr. de Artem. ʒvi. *Misce.*

Hæc mistura per dies 4.5.7.9. 10. est iterata; & Ægra Curata abiit.

ÆGER XXVI.

Hæmoptysis, Affectio Hypochondriaca in gravida.
Observatio Anatomica.

JAn. 26. Catharina Caspareidis, mater octo liberorum abortivit: Per totum tempus conjungii valetudinaria fuit. Per tres menses sanguis menstrus non est purgatus. A septem hebdomadibus in parte sinistra pectoris & hypochondrii dolores sentit, & in hypochondriis quoque tensionem. Terrore à spectro ineusso perterrita incidit in hoc malum. Frigus molestum non, calor. Alvus respondet. Patitr subinde aliquid uterinis suffocationibus simile. Tum flatus erumpunt: unde leratur.

♃. *Aqu. Puleg.* ℥ii.
Theriacal. ℥ß.
Tinct. Castor. ʒii.
Ol. Succin. gutt. iv.
Laudani Op. gr. ii.
Syr. Fœnic. ʒvi. *Misce.*

Die 24. In variis levamen sensit: Dolores omnes minuuntur: Iteretur mixtura 26. præscripta.
Die 28. Dolores leviores sunt: Quando respirat sibilus auditur in pectora: Iteretur mistura dicta.
Die 29. Suffocati adhuc subinde urget: Nec heri nec hodie dejecit; sed propter suffocationes non consultum purgare: Iteretur mistura dicta. Pro Tussi

♃. *Mas.*

℞. *Massæ Pilul. de Cynoglos.* ℈i.
F. Pilul. num. viii.

Die 3. Febr. Præterito die Sabbathi paroxysmum febrilem passa, cujus frigore durante incepit dolor rodens & molestus femoris & tibiæ, qui adhuc durat,

℞. *Vng. Martiati*,
Ol. Nardini ana ℥ iii.
Philosoph. ℥i. *Misce*.

Die 4. Hodie manè circa 5. ex vehementi tussi in sanguinis vomitum incidit, ac subitò extincta est.

Secuit Cl. Sylvius cadaver die 6. Febr. Rugæ se offerebant in infima ventris superficie, externa signa partuum antegressorum. In abdomine secto copiosa & laudabilis pinguedo. Colon sub umbilico situm: Intestina pleraque flatibus distenta. Illorum substantia tenuis & elegans, imprimis quo in loco distendebantur. Præ aliis tamen omnibus in immensum distendebatur intestinum tenue, ante sui inflexionem sinistrorsum versùs. Intestina hinc inde colore fellis infecta. Folliculus fellis prægrandis erat & pallidus: Lien quoque solito multò pallidior. Plures in intestinis erant lumbrici. In ventriculi aperti parte inferiore nihil cruenti, sed materia viscidissima spadicei coloris fere: Totus ventriculus valdè rugosus & densus: Ea superiore extra insignis copia concreti sanguinis cum fluidiore, simul saporis austeri: Orificium inferius, sive pylorus, valdè constrictus: Rugæ ventriculi tortuolæ & propè pylorus ferè circulares. Intestini verò rectæ secundùm fistulæ intestinalis ductum In intestinis nihil rubicundi aut obscuri. Hepar variis in locis per fibrillas diaphragmati annexum. Pulmo dexter pleuræ firmiter connexus, mollis, boni coloris, sed flatu distentus, thoracem totum opplens; sectus apertusque liquorem limpidum, salsum subacidumque fundens. Sinister lividior distentus, passim connexos pleuræ, gelatinoso & viscido humore obductus, firmus nigricansque, interiùs etiam, sanguinis instar coagulati. Pancreati substantia elegans, à liquore per syringam immisso parum tingebatur. In latere complures glandulæ planè non tinctæ: Ductus Pancreaticus insignis. Lien pallidior multo, in quo initia apostematis. Hepar bene habebat: Bilis copiosa, pallida, & tenuis. Humor in pericardio subsalsus & subacidus: Cor bene constitutum: In dissecti ventriculo dextro parum sanguinis, in sinistro ne gutta quidem. Propè radicem Mesenterii connectuntur renes vertebris, ligamentis firmis. Hic suspicatur Cl. Sylv. quærendas vias à ventriculo ad renes, per quas potus sæpe tam citò transeat. Papillares in renibus carunculæ foraminulis perviæ, per quas urina colatur. Extrema in parte tubarum, variæ vesiculæ aqua repletæ, hydatides dictæ. Ligamenta rotunda uteri, extra abdominis musculos elapsa, parvum quasi musculum adjunctum habentia, in varia tenuissima filamenta disperguntur, quæ partim ad os pubis, partim in pinguedinem, & fortè cutem, partim externas muliebres inseruntur. Arteria spermatica utraque ex trunco oriebatur, ut & vena spermatica dextra, sed sinistra ex emulgente, ut in viris: Rami illi qui ex Iliacis ad uterum tendunt, hìc ferè æquales illis qui ad crura. Quarto mense gravida judicata. Tota substantia uteri spongiosa & cavernosa multis magnis foraminibus, sive potius canalibus pervia, in locis quibusdam stylum crassum admitentia: In horum unum immissus sinistrsm versùs tubuli ope, flatus per uteri substantiam & venam spermaticam in venam renalem & cavam transiit, magisque tumens universus observatus uterus, quasi etiam in ipsius cavitate & flatus penetrasset. Inflata arteria spermatica ad ipsus usque testes mota & tumefacta: placenta uteri cum secundina, sive membrana chorio, mirabili textura è tenuissimi fibrillis conjuncta. Funiculus umbilicalis in latere sinistro placentæ insertus: Fœtus masculus lateri sinistro incumbens: Extremitates manuum pedumque, ut & narium albicantes: Umbilicus parte ventris magis inferiore quàm in adultis: In totius corpusculi superficie venarum ramificationes elegantissimæ conspicuæ. Facies ruditer efformata. In arteria aspera sanguis coagulatus, in œsophago non,

ÆGER XXVII.

Melancholica in Puerpera. Observatio Anatomica.

FOEmina erat 15. ante obitum dies fœtum enixa, cujus vir ante 6. fere hebdomadas, morbo decumbens in Nosocomium delatus ibdem mortuus; Objectum forte fuit fœminæ à vicinis, quod malè viri sui curam habuerit eamque calumniam tam ægre tulit ut totam se mœrori dederit. Enixa deinde, nec sedato illo animi affectu, cum nullam corporis rationem haberet, nec cibos aut medicamenta caperet, tandem mente destituta intra 15. dies mortua est.

In ipsius dissecto cadavere hæc imprimis inveniebantur præ cæteris rare & notatu digna. Omentum non omnia intestina, quæ nonnihil loco mota erant, tegebat: *Unde Clar. Sylvius colligebat fœminam, dum in vivis fuit, sæpissimè torminibus ventris colicisque doloribus laborasse.* Intestinum crassum non circumdabat totum abdomen cinguli instar, sed à ventriculi fundo infra umbilicum intorquebatur, indeque ad ventriculum redibat, facta fere semiluna: *Cl. Sylv.* addebat se in variis variè hanc inflexionem & gyrationem observasse. Idem intestinum, ut & tenue, inæqualiter flatibus, turgebat, ita ut inter partes valde inflatas medium spatium interesset omnino vacuum & contractum, via ad pollicis crassitiem: *Cl. Sylv.* affirmabat se in vivis animalium sectionibus, imprimis cuniculorum, idem observasse, & ita quidem ut pars quæ jam inflata erat mox detumuerit dum secaret, & contra. In hoc cadavere quoque dum intestina movebantur, æqualiter omnia distendebantur: *Cl. Sylv.* putabat ob doloris sensum partes intestini constringi. Ejusdem intestini crassi flexus sigmoidis, qui alias infra rectum est intestinum & interiora respicit, contrario modo se habebat. Observabile etiam erat quod de tenui intestino, Ileo dicto commonstrabat C. Sylvius, nempe oriri illud in dextero latere ad Ileum os, & post aliquot flexuras retrò & deorsum tendere, ascendere deinde rursus sub umbilico per ipsum mesenterium, sinistrumque latus occupare, seque ad hypochondrium sinistrum, os Ilium & vicina reliqua loca extendere: Vnde patet, docente eodem Sylvio, *Tormina qua hypochondriacis in hypochondriis accidunt, non alibi quàm in hoc intestino latere, imprimis cùm hoc antrorsum,* ubi dolores *maximè percipiuntur, vergat. Lien verò interiora magis petat. Et vix etiam in cadaverum sectionibus tales obstructiones in vasis illis inveniantur, qua tantos dolores producere possint.* Visa quoque fuit utriusque ductus, tam bilarii, quam pancreatici in intestinum illud insertio, quorum pori in cadavere hoc juncti erant. Hinc remotis Pulmonibus & ventriculo, apparuit Ductus thoracicus, sive chyliferus, inter venam azygon, quæ ad dextram erat, & magnam, quæ ad sinistram, situs, una cum capacitate illa inferiùs sita, & nonnullis capsula dicta, quòd chylum excipiat, aliàs nimis ductum illum obruturum. Flexuræ ventriculi in parte dextra subjacebat Pancreas. Dexter pulmo omnino naturalis erat constitutionis, sinister costis adhærebat. Sub utraque mamma, quia lactis non habita fuerat ratio apostema erat repletum, pure, quod tamen in dextro latere copiosiùs profluebat. *Uterus*, quia omnino erat singularis, & nunquam ita à Cl. Sylvio observatus, ultimo loco a curatiùs secabatur, in eo hæc imprimis notata: Magnitudo ejus erat omnino insolita, superabatque fundi latitudo vel octo digitos transversos: crassities erat ad minimum quatuor digitorum, cùm tamen mulier jam ante 15. dies peperisset: Crassities ipsius substantiæ uteri erat ferè policis: Causa hujus magnitudinis, ut post sectionem patebat, erant relicta in utero placentæ frustula, uteri parietibus firmiter adhærentia, quæ putredo & inflammatio consequuta fuerat. *Cl. Sylv. constellabatur mœrorem inter alia hujus retentionis & cohærentiæ causam fuisse, utpote qui omnia in corpore duriora & magis fixa reddat, cum contra lætitia eadem magis solvat.* In vasis, ut ea cavernis, sive tubulis uteri, substantia viscosa & pituitosa hærebat hujusmodi, qualis, si in corde & alibi hæreat,

Poly-

Polypus dici solet. Apparebat insuper in utero esse communicationem vasorum omnium in utroque latere: Inflata enim uteri vena, omnia vasa, ut & lateralia; & utrumque uteri ligamentum inflabantur: vasa etiam minima turgebant: inflata etiam arteria, quæ ex iliaca oriebatur, ingressus inflati aeris observabatur ad totam uteri substantiam & sinus an fractuosos, sed lensim, quod in vena citiùs apparebat. Uteri substantia tota cavernosa, experimento per tubulum sumpto.

Æ G E R XXVIII.

Respiratio læsa: Observatio Anatomica.

ANno 1663 die 22. Junii Cl. Sylv. secuit in Nosocomio Leydensi Saram Jansen, in cujus cadavere sequentia notatu digna occurrebant: Hepar in dextro latere loco admodum profundo situm erat, & infra umbilicum superioremque partem ossis coxendicis propendebat: Pallidiusculum erat, & quia satis grande, partes subjectę inferiùs, quàm secundùm naturam esse debebant, sitæ erant: Suspensorium Hepatis, quod solet esse in dextro, vel medio Thoracis, planè in sinistra parte situm erat, & tres digitos transversos minimum distabat a medio: alter lobus Hepatis occupabat totum sinistrum hypochondrium, quod eò totum replebatur: Folliculus fellis in sinistro etiam conspiciebatur latere: Tinctura ipsi peritoneo à folliculo fellis erat inducta. Ventriculus non continebatur in medio, sed totus in sinistro hypochondrio situs erat, & quodammodo convolutus: Pylorus etiam erat in sinistro latere. Ventriculi substantia inferior interiùs nigricabat, & vasa minima insigniter conspicua erant, & stellulas quasdam quasi repręsentabant, ex quibus alia vasa exibant. Pancreatis substantia bene se habebat, sed glandulæ conglobatæ ipsi adhęrentes grandiores & duriores erant Lien admodum exiguus erat, ut raro tam exiguus appareat. Intestinum colon situm erat loco decliviore ob hepatis magnitudinem, & flatibus erat turgidulum, cùmque communiter è dextro latere transversim versùs sinistrum feratur, in hoc subrectò deorsum ferabatur: Vasa minima & capillaria in eo variis in locis turgidula erant, quod indicium esse putabat alicujus φλογώσεως, idque sibi nunquam in crassis intestinis visum: Tam tenuis etiam erat membrana intestini ut in nullo tenui esse solet, quod etiam rarum: apparebat autem tenuitas illa eo potissimùm in loco ubi major ejus erat distensio: Intestina tenuia aliqua sui parte distenta erant, & vasa illorum turgida & rubicunda, aliqua verò parte flaccida & pallida. Glandulæ plures notabile in mesenterio apparebant. Ren dexter admodum grandis erat; sinister comprimebatur à partibus superioribus, quare etiam aliam à naturali conformatione habebat figuram. Ductus Pancreaticus satis grandis erat, ut duos stylos admitteret: ingressum ejus in intestinum cùm ea pancreate non posset invenire, dissecto intestino & immisso stylo in orificium ductus bilarii, manifestè in intestino protuberantis, stylus in ipsum ductum pancreaticum penetrabat: Spatium insertionis ductuum in intestinum quatuor circiter transversos digitos distabat à pyloro. *In cavitate thoracis, potissimùm* in dextra ejus parte, aqua fœtida copiosa continebatur, qua aliquot catinos implebat: ab acrimonia illius aquæ pleura & tota superficies interior diaphragmatis exulceratæ erant & erosæ, ut etiam pus darent: membrana Pulmonis dextri quadruplo ferè crassior reddita erat ab illa aqua purulenta: Pulmo dexter planè durus erat & corrugatus, coloris lividi & fœdi: in partibus superioribus corrumpi cœperat Pulmo dexter & aliquid puris continebat: Pulmo sinister meliùs habebat, in sinistro latere aqua etiam cœperat colligi sed limpidior, nec partes ita rubebant & excuriatæ erant: hinc inde in substantia Pulmonis sinistri parvæ glandulæ erant. Pericardium plenum erat aqua limpida, quæ 6. vel 7. cochlearia implebat, cùm via naturaliter duo cochlearia adesse debeant. In orificio interno uteri materia viscida reperiebatur: in parte interna colli uteri parvi quidam musculi eleganter apparebant.

Æ G E R XXIX.

Hemoptysis: Observatio Anatomica.

NOv. 11. die ante sex circiter hebdomadas cœpit malè habere Jacobus de Vala: Tussis correptus est & Sanguinem spuit, maximè lecto decumbens: Conqueritur de difficili respiratione: Quando plus potat, magis etiam sanguinem spuit: Urina cruda: Sedimentum pituitosum: heri sensit dolorem circa lumbos, qui adhuc adeo continuat ut erigere corpus non possit: Cùm primùm inciperet male habere, per totum diem à laboribus incaluerat, noctu verò domum rediens à frigore læsus fuerat, unde primùm tussis quam post duas hebdomadas sanguinis sputum consequutum est: Jam tabescit & debilis fit: Pro consolidatione vulneris, quæ promovenda citò, ne in ulcus evadat, utatur sequenti medicamento; ℞ *Aqu. Plantag.* ℥ ij. *Fœnic.* ℥ i. *Acet. stillat.* ℨ ii. *Sangu. Drac.* ℈ i. *Laud. opiat. gr.* ii. *Syr. Myrt.* i. assumet subinde cochlear. Nov. 12. meliùs in omnibus habet: dolores enim lumbares non sentit & paucum quoque sanguinis dejecit: Perget ulteriùs eo uti. Nov. 13 heri vesperi edit lac dulce, unde noctu summis anxietatibus fuit pressus. Secunda nocturna sensit frigus; forsan paroxysmum febrilem habuit: Tum vehementissimè (durante frigore) sitivit, cerevisiamque frigidam bibit, quam tamen præ nimia linguæ & faucium siccitate non gustare, neque sitim illa extinguere potuit: A frigido sumpto adhuc magis anxius factus, vehementem cordis palpitationem passus est: Malum hoc, unàque frigus ferè per 5. horas duravit. Die 14. sitis non tanta fuit, ob usum posterioris misturæ, pauciorem sanguinem exspuit. Die 17. meliùs habet: Iteretur mixtura 13. Nov. præscripta: Nov. 19. Hodie hora tertia pomeridiana assidens foco luculento habuit paroxysmum febrilem: Somnolentus tum fuit, sensitque gravitatem per universum corpus & frigus, simulque tremorem: nec frigus, nec dolorem speciatim sentit in lumbis, sed tantùm in ventre circa umbilicum, partibusque extremis inferioribus: duravit circiter per horam, nullusq; calor subsequutus: Multum jam sitit, sumpsit misturæ aliquid, non quiescit, semel dejecit. Die 20. iterum habuit paroxysmum post prandium: Frigus iterum in abdomine & artubus, sed & in regione lumbari, vehementius quoque fuit hesterno, perque duas horas duravit: subsequutus calor per horam permanens: Valdè sitivit, utque sitim levaret comedit integrum malum citrium: Nondum alvus hodie suo munere functa: ℞ *Mass. Pilul. Cochiar.* ℈ ß. *Troch. Alhand. gr.* v. *Resin. gial. gr.* iv. *Ol. Garyoph. gutt.* ii. *m. f. Pil. num.* v. assumet cras summo manè: Iteretur simul mixtura 13. Nov. præscripta; adde *Laud. Opiat. gr.* i. Die 21 pessimè habet, doloresque habet in hypochondrio sinistro, non potest, respirare graviterque anhelat: Nullum frigus sentit: A pilulis hodie manè assumptis, à meridie tantùm semel sed parum dejecit: ℞ *Aqu. Hyssop. Petros. Fœnic. ana* ℥ i. *Tinct. Cinnam.* ℥ ß. *Spirit. Salis gutt.* viii. *Syr. Fœnic.* ℥ i. *misc.* assumet subinde cochlear. Die 24. Nov. valdè statim ab usu misturæ ab angustiis & anhelationibus, à quibus videbatur suffocari, levatus est: continuabit usum eiusdem misturæ. Die 25. conqueritur de tussi sicca, quæ per biduum illum jam afflixit, unde non quiescit: Item crura tument & quasi distenduntur: Non dejicit, habet adhuc misturam: Pro Tussi ℞ *Mass. Pil. de Cynogl.* ℈ i. *f. Pil. num.* viii. sumat æger subinde unam Die 26. Ante octo annos erysipelate laboravit in utraque tibia, à quo quidem nullam huc usque ampliùs molestiam sensit, rubor tamen permansit: Occupaverat rubor ille pedem quoque, sed ille colorem & cutim mutavit: Nunc iterum pes dolet: supraque, & infra ruborem illum pedes valdè tument & splendidi fiunt: Non dolores tantos in pectore expertus est, minùsque tussivit, commodiùs quoque quievit: continuabit in usu misturæ & pilul. de Cynogl. Pro Erysipelate, ℞ *Aqu. Plantag. Fumar. ana* ℥ iv. *Acet. Sambuc. Spir. Vini vulg. ana* ℥ ii *misc.* lintea liquore illo tepido madefacta circumponet pedibus &

loco

loco affecto. Die 27. heri vesperi lac dulce comedit, & hodie manè, à quo & noctu & hodie pessimè habuit: Non dejecit, unde abdomen valdè tenditur: Rubor ille pedum sensim minuitur & in livorem abit: Perget uti medicamentis præscriptis. Die 28. Nov. iterum pessimè habet difficulter respirat & graviter anhelat, inprimis si incurvet corpus, tum videntur ipsi partes interiores quasi infringi: Ter dejecit crassa excrementa, cum torminibus in parte superiore abdominis: sanguinem rursus excrevit, hodie octies, sed parum singulis vicibus: Abdomen jam non distentum neque flatus emisit: Conqueritur se jam nihil commodi a mistura sentire: Iteretur mixtura 21. d. præscripta, adde sangu. draconis ℈ß. Obiit.

In Cadavere ejus dissecto 2. Dec. Liquor tenuis & serosus tepebat in corporis habitu sub cute inter musculos & pinguedinem, unde ipsa pinguedo mollior & laxior erat: Omentum non tegebat intestina, sed ad latera defletebat: Intestinum crassum inflexum infra umbilicum erat: Color Intestinorum carneus & solito rubicundior: Intestina crassa flatibus turgebant, tenuia non item: Tenuium tamen vascula turgebant, *quod fieri solet à doloribus*: Aqua in abdominis cavitate continebatur subflava & subsalsa; initium nempe hydropis; cui aliqua purulenta materia juncta erat: *Jecinoris* color subpallidus, *qui color ferè ab aquis præsentibus* provenit: *Folliculus fellis* externè instar membranæ albicabat, nihilque omnino fellis continere ob tenuitatem videbatur: *Lien* satis grandis, & parti posticæ & vicinis annexus: color ejus pallidior justo, substantia firmior erat: *Pancreatis* substantia satis elegans: Ductus illius magnus: Immissus in dictum liquor. variis in locis pancreas non tingebat: *Ex Thoracis* cavitate aqua copiosa valdè effluebat, clara, limpida; nec tam salsa quàm quæ in abdomine erat: *Pulmones* costis annexi, imprimis sinister: Aqua illa ex dextro pectore promanabat: In sinistro pectore aliqua quidem aqua sed pauca conspicienda erat: Color Pulmonum solito erat obscurior, lividior, substantia firmior & a flatibus distenta: Multum sanguinis in ipsa Pulmonum substantia hærebat interiore, qui nigricans & coagulatus illam distendebat, occurrentibus passim particulis durioribus, quæ sensim in apostema abire solent. Die 3. Dec. aperto capite cerebrum vidimus copiosum ac firmum, quod Cl. Sylv. post meridiem accuratissimè demonstravit. Die 4. Dec. Cùm absente Cl. Sylvio, ipsius permissu ulteriùs scrutaremur cadaver, deprehendimus in utroque cordis ventriculo materiam crassam, fibrosam, quasi carneam, Polypum vulgò dicunt, quæ in omnia vasa extendebatur in cor exeuntia: præcipue verò ex jugulari sinistra eduximus tres spithamas longitudine superantem: Erat autem illa materia in ipsis cordis ventriculis crassitie insigni, cui multum grumosi sanguinis adhærebat, annexa cordis carneis fibris, easq; suis fibrilis amplectens: In medio continebat sanguinem grumosum, videbaturque minuscula vasa habere: In aspera arteria aperta materiam spumosam, pituitosam, cumque pauco sanguine mixtam, qualem vivens sæpe excrevit: Humorem in pericardio copiosum, similem illi qui in abdomine repertus fuerat: In folliculo fellis bilem & substantia & colore veræ vitellinam, paucissimam, eamdemque aperto per incisionem variam ipso Hepatis parenchymate, in plurimis ductus Hepatici ramis hærentem vidimus: *Renis* sinistri pelvis erat magna, extra ipsum renem propendens: Ureter naturali longè amplior: Facta incisione in tibia Erysipelate affecta, vidimus substratam carnem integram, cute tantum læsa, à qua cuticula facillimè separabatur.

ÆGER XXX.

Diarrhœa: Observatio Anatomica.

ANno 1663. die 9. Julii *Cl. Sylv.* secuit Apolloniam Simons vetulam, quæ continuo alvi fluxu per septem hebdomadas laboraverat, in sectione sequentia notabantur: Vena umbilicalis coaluerat cum peritonæo: Linea alba cartilaginea erat: in sinistro latere sub ventriculo Tumor magnus & rotundus, ovi anserini magnitudine reperiebatur, omento adnatus, qui dissectus continebat materiam variam, maxima quidem parte viscidam instar concretæ pinguedinis, aliqua gypseam minima autem mellis instar fluidam & luteam: Omentum sursum erat retractum, ut intestina nuda conspicerentur: In intestino colo nigredo apparebat, fortè corruptionis signum: intestina tenuia valde flaccida erant & coloris obscurioris, aliquibus in partibus magis rubebant, ubi forte fuit inflammatio: Intestinum tenue per fibrillas quasdam connatum erat intestino crasso, quod sibi nunquam observatum ajebat: Conjunctum quoque erat & crassum & tenue intestinum cum rene dextro: Intestinum tenue, quod sub mesenterio sinistrorsum ferebatur, profundè admodum situm erat, & usque ad sinistrum renem penetraverat: Folliculus fellis bile satis plenus erat sed pallidiore: Quicquid in intestinis tenuibus continebatur, à bile erat tinctum: Ductus pancreatici in intestinum duplex erat insertio, altera communis cum insertione ductus bilarii, altera, tribus circiter digitis à priore distans: Uterus versùs partem sinistram magis propendebat & dextra tuba longior erat uterus, nec major quàm in puellis esse solet, & satis mollis: Membranulis quasi quibusdam intertexta erat uteri substantia satis flaccida, per quam ductus quidam ferebantur hiantes, & stylum admittentes in ipsas tubas: inflato vase in parte interna uteri, tota substantia tubarum attollebatur: Inteenum uteri officium valde rubicundum erat & pituita viscida refertum: Lien pallidior erat præsertim in parte postica, & satis grandis, cætera sanus: Pulmo quoque bene se habebat, sed per fibras variis in locis dextro lateri adhærebat, in sinistro liber erat: Hepar etiam laudabile erat: Tantillum aquæ subflavæ continebatur in sinistra thoracis cavitate: Pericardium flatu distentum & turgidum erat, quod sibi nunquam observatum ajebat: In ejus cavitate liquor spumosus continebatur satis copiosus, sapore subacido: Inter œsophagum & arteriam magnam, in sinistra parte, quærebat & inveniebat Ductum thoracicum ad latus venæ [illegible], propè ipsas vertebras, qui satis grandis & elegans erat; color contentorum subrutilus erat: Immisso tubulo in ductum thoracicum, & inflato, dexter ventriculus cordis manifestè intumescebat, & sanguis ex vasis erumpebat, & tota auricula dextra mirè inde tumescebat: Valvula in ipso ductu reperiebatur, quæ impediebat quominùs versùs inferiora inflari posset ductus: Ubi ad regionem Lumborum deveniebat, ductus quasi contorquebatur in semicirculum: Ductus quidam minores; ex musculis venientes inserebantur in ductum majorem. Dum persequeretur ductum, videbat plurima vasa è ductu deferri usque in Hepar, & minores aliquot ramos ad intestina.

ÆGER XXXI.

Icterus: Observatio Anatomica.

ICterica affectio, ex communi plurimorum consensu, exoriri statuitur in quantum flava bilis, e venæ portæ finibus, in pori bilarii ductus non omnino, aut non satis excepta, in massam sanguineam restagnat, eamque virore suo (unde etiam cutis inficitur) inquinat. Obstructio ista multis modis & variis in locis contingere solet: Quandoque enim fit juxta extremos utriusque generis vasorum, scil. venæ portæ & bilarii, fines e quorum intercapedinea, ob hepatis parenchyma intumefactum aut aliàs vitiatum, nonnunquam comprimis & obturari accidit; quapropter humor felleus è portæ vasis secretoriis, in vasa altera excretoria minimè traductus, in sanguinem regurgitat. 2. Humoris fellei transitus interdum in mediis pori bilarii ductibus intercipitur, in quantum scil. horum cavitates materia, aut viscosa, aut sabulosa, & nonnunquam lapidea implentur; uti passim cernitur in jecinoribus jumentorum hyberno tempore, dum fœno ac stramine vescuntur. 3. Ex observatione etiam anatomica constat, obstructionem Icteri causam nonnunquam

nunquam in ipsa vesica fellea, aut in meatu cystico fieri; si quando enim illa lapidibus impleta bilem non recipit, aut hic obturatus ut coalescens, bilis versùs intestina descensum inbibet, humor iste, quamvis a sanguine bene secretus in massam eius refluere cogitur, adeòque morbum regium parit.

ÆGERR XXXII.

Icterus: Observatio Anatomica.

DE querelis Martini Hanskengij, ex observationibus meis practicis, in Nosocomio notatis, hęc præmittenda duxi: 8. Maij conqueritur de doloribus utriusque hypochondrij, quia à motu ita augentur ut ferè intolerabiles sint, quos etiam transversim in ventre cinguli instar sentit: Decumbeos paulò melius habet: Per duos jam annos laboravit hoc affectu, sed initio adhuc ambulare potuit; Iam verò per septem hebdomadas in Nosocomio, & per 8. dnmi ferè semper decubuit: conflictatur, jam per annos 4. vel 5. cum variis morbis, tandem fit Ictericus. Præscripta illi sunt à Medico ordinario varia, à quibus nullum levamen sensit: inter cætera & oleum juniperinum & Philonium, à quibus semper pejùs habuit: ab assumpto alimento molestias majores sentit, 5. horis circiter post alimenta assumpta: hora 6. vespertina cœnat, & deinde per mediam ferè noctem se hinc inde jactat, nec dormire potest, deinde obdormiscit, sed via per semihoram continuam: Non assumit nisi juscula. Totus ferè asseus alvus morigera est: quotidie dejecit, excrementa albicant, vires animales quoad motum sunt valdè debiles: Appetitus integer, etiam sapor digestio malè habet: Respiratio quandoq; difficilior, imprimis à sumpto cibo: conqueritur de frigore præsertim in pedibus, N. 1. *Ictero rarò febris conjuncta est*: 2. *Non tantum superficies cutis, sed etiam ipsa caro Ictericorum flavet, quod ex cadaveribus dissectis patet.* D. Sylv. judicat acidum in eo nimis acre, propter dolores graves, appetitum integrum: Pituitam item viscidam abundare, propter diuturnitatem morbi & sensum doloris gravativi; quare sequentia præscripta. ℞. *Aqu. cochl. menth. ana* ℥i. *Theriac. f.* ʒß. *Laud. op. gr.* ii. *Syr. cochl.* ℥.i. *M.* 9. Maij non est sine animi mœrore æger, propter uxorem & liberos: Heri non assumpsit, sed hodie aliquot cochlearia misturæ, unde id commodi habet quòd dolor in hypochondriis non est tantus: Iteretur itaque mistura 10. Maij die præcedente nocte melius solito dormivit, & ille dolor qui instar cinguli abdomen afficiebat, magis ad interiora tendere videtur; dejicit commodè, Fęces paulò magis tinctę ac antea fuerant. 12. Maij in pejus ruit ob defectum medicamentorum: Iteretur mixtura die 8. pręscripta, 15. Maij conqueritur de dolore magis interiùs quàm exteriùs urgente: Sensit humorem in sinistro crure à genu ast pedem usque: Forsan in hydropem incidet, quod facile potest, & sępe fit. Sensit frigus & humorem per totum corpus distribui ab assumpto potu, *quia potus cum parte pituitę solutę* per venas lacteas in corpus distribuitur. Iteretur mixtura die 8. præscripta. NB. *Qui in hydropem incidentes multùm bibunt, in iis plerumque hydropis se primùm in abdomine manifestat: qui verò sobrię sunt in potu, iis iis plerumque in pedibus se primum manifestat.* 16. Maij non adfuimus Nosocomio. 17. levamen sentit, perget uti præscripto. 19. Maij proficit in melius. 20. die habuit paroxysmum febrilem & quidem frigus circa 10. matutinam initium fecit. Conqueritur de debilitate genuum: Observat in ipsa febre quosdam dolores, pręcipuè circa articulos, qui simul ac in somnum incidit, caput petunt, & tunc quasi delirium sentit. Die 21. per totum corpus dolorem molestum sentit & debilis est, habet quod sumat. 22. Dolor per totum corpus auctus: Surrexerat circa meridiem, & frigus tunc sensit, nunc aliquem calorem habet, pulsus est frequentior; Appetitus prostratus, fauces siccę. ℞ *Rad. Petrosl. Fœnic. Apii ana* ℥i. *coqu. in aq. pura; in colat.* ℥xxv. *dissolve syr. de 5. rad.* ℥ii. *Sal. prunell.* ʒi *M.* 23. die Pulsus paulò melius habet, febricula levior: Præscripto uti perget. 28. die conqueritur de sapore salso, quem in decocto deprehendit; Lingua flava est quasi fissa; Æstus, deglutitio & respiratio difficilis; Emaciatio. ℞. *Aq. Petrosel. Fœnic. ana* ℥i. *Syr. de 5. rad.* ʒvi. *Ocul. Cancr.* ʒß. *acet. stillat.* ℥ß. *M.* 29. die paulò melius habet: Utetur præscripta heri mixtura 30. die iteretur mixtura 28. Maij præscripta 2. Junii iteretur mixtura 20. Maij præscripta. ℞. *Sacch. Alth.* ʒii. 6. die paulo meliùs habet: Pulsus robustior, dejicit spontè, appetit varia, sed simul ac quædam ex istis quæ tantopere expetiverat comedit, nauseat eadem: De deglutitionis difficultate conqueritur: videntur propè gulam quædam pustulæ albicantes instar aphtharum. ℞. *aqu. pluv. q. s. adde paulum Aceti & Sacch. utetur tepidè pro gargarismo*: Iteretur mixtura 28. Maij prræscripta. 9. die deglutitio adhuc difficilis: pulsus paulo robustior: habet quod sumat. 10. die peiùs habet ac heri: pulsus paulo frequentior; in robore ac magnitudine via judicatur: Respiratio difficilior: Sitis urget. Per 8. jam dies amarum in ore seotit saporem, imprimis verò hodie. ℞. *aq. Cichor. Fœnic. ana.* ℥i. *Syr. de 5. radic.* ℥i. *Spir. Sal. dulc.* ℈i. *M.N. Syr. V. radic. & Spir. Sal. d.* vim habet incidendi, solvendi pituitam viscidam; Spirit. ad appetitum. 11. die de vigiliis conqueritur: Alimenta commodiùs appetit & consumit; aliàs in eodem statu: Habet medicamenta. 12. die iteretur mixtura. 10. Junii præscripta, adde Laud. op. gr. ii. ob vigilias; assumat vesperi dormiturus. 13. die commodiùs jam somnum sumit: habet medicamenta. 13. Junii appetitus restituitur, somnus mediocris, vires dejiciuntur. 17. die eodem modo se habet. ℞. *Sapon. Ven. Nuc. mosch. magnitudine, dissolve in lacte dulci, capiet quandoque cochleare.* 15 die iteretur mixtura 10. Junii præscripta. 20 die appetitus in dies restituitur magis magisque, assumpta alimenta minùs solito gravant: visus ante biennium obscurari cœpit; & nunc in dies magis obscuratur. die 22. Jun. conqueritur adhuc de summa crurum debilitate: Appetitus permanet integer postquam spir. sal dulci est usus: Somnus impeditus & vigiliæ ferè continuę: De visu obscurato valde conqueritur, videt tamen singula debito colore. ℞. *aqu. Euphr.* ℥iß. *Fœnic.* ℥i. *Syr. Cochl. Fœnic. ana* ℥ß. *Spir. Sal. dulc.* ℈i. *Laud. op. gr. M.* cochleatim sumat. 25. die calor semper molestus. Videtur aliquantò clariùs videre adstantes putat feliciùs sese habiturum ab assumpta minori misturæ quantitate, cum à majori alvus semper adstrictior fit Appetitus omnino restitutus, alimenta etiam rectè sapiunt, carnes tamen non generantur. ℞. *Sem Cannabis, decoque in lacte dulci*, capiat una vice eius decocti ℥ii. 27. die melius se habet: heri malè habuit à decocto cannabis semin. ob nimiam eius assumptam copiam, cùm loco ℥ii. dimidiam pintam hauserit: habet adhuc quod sumat 30. die status medioeris; non in pejus ruit, nec multùm etiam proficit: Sedens vel decumbens ægrè surgit: Habuit aliquot adhuc annis dolores in sinistra scapula & toto illo latere, ad inferiora usq; qui nunc cessant: Iteretur mixtura 23. Jun. præscripta. Die 1. Julij in dies magis magisq; proficit, color faciei non ampliùs tam flavus; clariùs etiam quàm priùs videre potest: habet medicamenta. die 2. Jul. 10 dies meliùs habet ab assumpto decocto cum semine cannabis 3. Jul. in eodem est statu. die 2. proficit: Iteretur mixtura 23. Jun. præscripta. die 7. proficit in omnibus, excepto motu corporis: iteretur mixt. Die 8. in eodem statu: adde mixturę die 23. Jun. præscriptæ *Ol. Mac. stil. gutt.* iii. die 9. Jul. iteretur mixt. 23. Jun. præscripta, *adde Ol. Mac. still. gutt.* iii. die 12. iteretur mixt. 23. Iun. pręscripta *adde Ol. Mac. still. gut.* iv. ad discutiendos flatus: die 15. in eodem statu, ut & 16. Die 17. urina valde tincta, aliàs in eodem statu. die 18. excrementa albicantia sunt minùsque mollia: iteretur mixt. 23. Jun. pręscripta, *adde Ol. Mac. still. gutt.* iii. die 20 in eodem statu: habet medicamenta: die 22. iteretur mistura 23. pręscripta, cũ *gutt.* ii. *Ol. Mac.* Die 23. in eodẽ statu: Ad tumorem pedum utatur decocto fursurum cum sale, pro lavacro pedum. die 28. in plerisque levamen sentit, solę vires debiles, excrementa alvi adhuc albicant: pergit uti decocto cannabis cum lacte: Iteretur mixt. 23. Jun. pręscr. cum *Ol. Mac. gutt.* iii. Die 29. habet medicamenta. Die 1. Aug. iteretur mistura 23. Jun. cum *gutt. Ol. Mac.* Die 4. iteretur duplo mixt. 23. Jun. pręscripta, cum *Ol. Mac. gutt.* vi. utetur porro decocto sem.

cann.

cann. cum lacte. Anno 1664. die 10. Nov. frequentate iterum Nosocomicum Cl. Sylv. invenimus eundem quod ad omnia symptomata iterum in statu pejore: omisit usum decocti semin. cannabis: Præterito mense cùm exiret aliquando in publicum, capitis dolorem vertiginemque expertus est, & deinde etiam capillorum defluvium; sanguis etiam præterito mensis tempore copiosus è naribus effluxit, sputumque sanguinolentum dejecit quod sine dubio fluentis sanguinis parte in fauces decidente ita tinctum est: Somnus paucus, interceptus, alvi dejectio multa, excrementa albicantia: Per tres dies levem habuit alvi fluxum cum torminibus: Parum sitit, appetitus cibi integer, bene assumit, sed gravatur ab assumptis, neque nutriatur sed sensim fit macilentior: Tumor levis in pedibus, hydropis initia, ventris tamen tumor adhuc nullus est: Lancinationes in articulis inferioribus, ut in flexura genuum, &c. Sitis nulla. ℞. *Rad. Galang. Enula camp. ana* ʒ ß. *Sem. Anis. Fœnic. ana* ʒ i. *Summit Absinth. Abrot. ana M.* ß. concisa & crassè contusa indantur sacculo, suspendanturque in pinta vini, de liquore bibet manè: Inserviet medicamentum, ut ejus ope defectus bilis ad intestina non defluentis restituatur, sitque loco bilis ibidem. Die 12. Nov. queritur de summo dolore lancinante, in dextro hypochondrio imprimis, quoties corpus dextrorsum intorquet: Plus dejecit quam ante, parum quidem singulis vicibus, sed sæpiùs: Affundetur iterum præscriptis speciebus vinum, continuabitque in usu ejus. Die 13. excrementa adhuc subalbida: bodie manè alacrior fuit quam nunc est: Hypochondrij dextri dolores adhuc sentit; subinde quoque aquas circa ventriculum quasi fluitantes; unde metus leipothymiæ: hodie non tam frequenter dejecit. Die 14. habet medicamenta. Die 17. Nov. capitis doloribus continuò infestatur, lancinationibusque in dextro hypochondrio, unde respiratio quoque impeditur: Parum quiescit: Quotiescunque assumit vinum præsceptum, levi vertigine corripitur: Videtur medicamentum illud bilem nimis acrem reddere, abstinebit proinde per diem ab usu illius. Die 19. ante tres dies incidit in gravedinem & tussim: Excrementa nondum tincta: Subinde cardialgiam patitur: Capitis dolor ante gravior quam nunc: Quater dejecit: In hypochondris adhuc malum perdurat; superiori anno gravedinem similem passus est. ℞. *aqu. Beton. Petros. Fœnic. ana* ℥ i. *Theriac simpl.* ʒ vi. *Laud. Op. gr.* iii. *Syr. de 5. radic.* ℥ i. *M.* Die 20. assidens foco paroxysmum febrilem sensit: à mixtura præscripta melius paulò habet. Die 21. meliùs habet, perget uti medicamento, quod iteretur. Die 25. sensim magis debilitatur: non potest jam tamdiu extra lectum se sustentare: Heri vesperi iterum febrilem paroxysmum passus est, cum levi frigore per universum corpus, unde somnus magis interruptus fui; videtur Quartana, cùm die 21. etiam senserit paroxysmum: Copiosè hodie dejecit, retulitque excrementa jam magis tincta fuisse: servabit cras illa. Die 25. Nov. sensim magis labefactatur: gravedine & tussi molesta jam ab octo diebus laborat, quæ augetur ab humoribus à capite in pectus descendentibus: Dolores in hypochondriis jam remissiore: Non habet medicamenta: Iteretur mist. 19. præscripta: Excrementa similia hesternis, & adhuc albicantia. Die 26. hac nocte quater liquida dejecit, nullo purgante sumpto: Color excrementorum manèt cœruleus; Gravedo & tussis perstant. Die 27. æger debilis est, pulsus simul; hac nocte & interdiu quinquies dejecit & liquida. Die 28. habet aliquantulum melius, bis tantùm dejecit. Obiit 1. Decembris.

In sectione hæc occurebant.

Cutis universa flavescens; aperto abdomine membranæ, & pinguedines imprimis, flavo colore infectæ; carnes non item, quæ solito magis tantùm pellebant & flaccidæ erant. Penis glans tamen flabescebat. In abdomine insignis quantitas aquosi humoris, quæ in magna quantitate spectata rubra, in parva verò flava videbatur, eodem planè modo ac si croco tincta fuisset. Quæ in fundo erat, aqua rubicundior erat, & ad sanguinis colorem magis accedebat. Intra tunicas omenti cruoris aliquantulum inveniebatur, qui copiosior in abdominis fundo occurebat firmiter, & in longum instar Polypi concretus: & cum liene cohærens: Omentum variis quasi glandulis interpersum, quas pinguedinem corruptam Cl. Sylvius judicabat. Lienis membrana tenerrima erat, ut & tota ejus substantia, quæ planè sanguinis concreti consistentiam habebat, fibræ tamen satis firmæ. In una ejus parte membrana ad notabilem latitudinem rupta erat, ita ut vasa ejus apparerent: Ex illa sine dubio sanguis profluxerat qui aquam illam in abdomine contentam adeo tinxit, quem mirum est non magis concretum & coagulatum fuisse.

Ventriculus cum intestinis flavens tumensque: Color hepati ex flavo obscurè virescebat: Pulmones lividi, & cæteris intestinis flaviores: Costæ valde tenere & nullo labore frangibiles & scissiles. Cl. Sylv. easdem aliquando ejusdem duritiei in aliquo qui aneurismate obierat, deprehendit. Folliculus fellis solito major ac bile turgens, colorisque albi, cùm plerumque subviridis videatur. Dexter rem valde exilis. Separatis ductibus bilariis, hepatico nempe, cystico & intestinalis, factoque proximè sub ligatura: in superiore epatici parte instituta, foramine, immissus ope tubuli leniter flatus ad intestina sine impedimento penetravit, uti & immissus humor cœruleus: immissus deinde ab intestino versus epar flatus etiam facile in folliculum fellis penetravit, nullo tamen modo potuit inde iterum exprimi: quod Cl. Sylv. jam antea notaverat: Dissectu per longitudinem intestinali ductu, apparuit in illo materia viscida. Ductus cysticus magis hians, sive inflexus versùs epaticum quam versus intestinalem. Bilis in folliculo contenta justo viscidior, colorisque diluti ita ut immissum linteum non magis tingat quàm urina ictericorum. Immissus in ductum Hepaticum flatus, observatus penetrare, in ipsum etiam folliculum, ubi is epari annexus. Intestinum tenue non ita interiùs obductum piruita viscida erat, uti solet aliàs. Pericardium cum sua pinguedine flavebat impensè, Liquor contentus paucus, flavus, subsalsus & parumper amaricans. Cranij exterior superficies flavens: Ossis frontis interior superficies colore flavo infecta, cæterorum non item: Dura meninx flavescens, ut & liquor sub ea conspicuus, cujus sapor non erat notabilis: Tenuis menins minùs flava: Cerebri substantia satis alba: in ventriculis liquor satis copiosus, limpidus, subsalsus: Plexus choroides valde glandulosus: substantia infundibuli extrema, in quam desinit, subrubra, quodammodo carni similis; quod sæpius observatur.

ÆGER XXXIII.

Vomitus: Observatio Anatomica.

ANno 1666. 10. Maii Nosocomio Leidensi inferebatur fœmina, quæ pepererat ante biennium, & ab eo tempore non passa erat fluxum menstruum: Sentiebat dolores in omnibus corporis partibus, jam per bimestre subsistens: Evomebat sæpe viridia, variaque per alvum excernebat, liquida: nausea infestabatur & siti, potus tamen omnis displcebat In somnum proclivis erat, hunc tamē non capiebat integrum: Assumpta vomitu mox rejiciebat. Hæc mala omnia ex animi mœrore & indignatione ortum habebant; etenim spe matrimonij facta, stuprata est à juvene ante triennium, qui ipsam postmodum deseruit. Acido, quod hic primariò peccabat, temperando D. Sylv. sequentem describebat mixturam cochleatim assumendam; ℞. *aqu. Puleg. Fœnic. ana* ℥ i. *aq. Theriac. simpl.* ℥ ß. *Laud. Op. gr.* ii. *syr. Artemis.* ℥ ß. *Spir. vitr.* ʒ i. *misc.* 11. Maij Vomitus non urgebat amplius, in somnum erat proclivs & summè debilis: Alia præscribebatur mistura itidem cochleatim sumenda; ℞. *aqu. Menth. Fœnic. ana* ℥ i. *aqu. Cinnam.* ʒ ii. *Syr. Menth.* ℥ ß. *Misce.* Verùm hoc die hora 8. moriebatur.

Cadaver apertum hæc dabat 1. Ante apertionem plurimæ circa pectus maculæ purpureæ notabantur. 2. In ventre rugæ conspiciebantur, partus prægressi signa. 3. Cutis non crassior erat cuticula. 4. Peritonæi membrana, quocunque in loco apprehendebatur, abscendebat & digitis adhærebat, cujus causam existimabat

bat D. Sylvius acrimoniam humorum in abdomine. 5. Aperto abdomine aqua ad ℔. 20. effluebat sapore subsalso, colore mirùm rubicundiore, loturam carnium superante. 6. Miræ membranarum sub musculis abdominis cernebantur convolutiones, sine dubio Omenti, cujus nulla supereraot vestigia, reliquię. 7. Intestina versùs diaphragma propul'a & mirè convoluta erant, ut vix quidpiam discerni posset. 8. Hiscè superatis Hepar conspiciebatur colore pallido, uodique abdomini annexum. 9. Ventriculus bene se habebat, rugę quoque bene erant constitutę. 10. Intestinum duodenum omni pituita privatum erat, cujus absentiam continoam istius vomitus causam fuisse Cl. D. Sylvius sentiebat, cùm minimam acrimoniam è vestigio potuerit sentire. 11. Intestina crusta quadam exteriùs erant circundata, dorsi cultri crassitie, cujus causa videbatur D. Sylvio materia quędam alimentitia per erosa vasa cum sanguine effluens. 12. Figura Uteri bene erat constituta, magnitudine tamen parvus erat & deorsum propulsus: Hoc factum existimabat D. Sylvius ab obstetrice vi fœtum extrahente: Simile se vidisse addebat in fœmina Amstelodamensi, in qua uterus obstetricis culpa fuit inversus, hęc per quatuor anoos miserè vixit.

FORMULÆ QUÆDAM REMEDIORUM

Ad diversos affectus à Cl. SYLVIO præscriptæ.

1. AD abdomen inungendum.
♃. *Ungu. Martiati* ʒiii.
Ol. Lilior. alb. ʒii.
Philosoph. ʒß.
Maceris stillat. gutt. vi. *Misce.*

2. Mixtura ad facilem respiratinoem io febre.
♃. *Aqu. Hyssopi* ℥ii.
Fœnic. ℥i. *Theriac. simpl.* ℥ß.
Laudani Op. gr. ii.
Syr. de quinq. Rad. ℥i. *Misce.*

3. Mixtura ad anxietarem pectoris in frigore febrili.
♃. *Aqu. Betonic. Hyssopi ana* ℥iß.
Laud. Op. gr. iii. *Olei Garyoph. gutt.* ii.
Spir. Salis Armon. gutt. x.
Syr. Card. Bened. ℥i. *Misce.*

4. In summo frigore capitis, calente reliquo corpore.
♃. *Olei Succini, Rorism. ana* ℈ß.
Castor. ℈i. *Inungantur cervix. & vertex.*

5. In difficili respiratione.
♃. *Cerati Santal.* ℥ii. *Extende in aluta in formu ovali & pectori imponatur.*

6. Pituitam præparans & educens.
♃. *Radic. Apii, Liquir. ras. ana* ℥i.
Ligni Guajaci ℥ii.
Passular. major. incis. ℥iii.
Coq. ad ℥xxx. *dissolve*
Syr. de Senna ℥ii.
Aqu. Theriac. simpl. ℥i. *Misce.*
Sumat de hoc Decocto ter aut quater haustulum in die.

7. Decoctum dolores leniens externos.
♃. *Rad. Fœnic. Apii ana* ℥i.
Baccar. Junip. contus. ℥ii.
Coque ad ℥xxx. *adde*
Syr. de quinq. Rad. ℥ii.
Laudani Opiati gr. ii. *Misce.*

8. Decoctum acidos, acres & austeros humores temperans & educens.
♃. *Rad. Apii, Fœnic. ana* ℥i.
Cortic. rad. Levist. ℥ß.
Rasur. ligni Guajaci ℥iii.
Pulpa Colocynth. ʒi.
Succi Liquir. inspissati ʒii.
Fol. Senna s. s. ℥ß.
Fiat decoctio ad ℥xl. *dissolve*
Syr. Fœnic. ʒii.
Aqu. Theriac simpl. ℥iß.
Ol. stillat. Maceris gutt. x. *Misce.*

9. Decoctum sudorificum & diureticum ad Lassitudinem.
♃. *Rad. Apii, Levistici ana* ℥i.
Eryngii, Gramin. ana ʒvi.
Rasur. ligni Guajaci ℥iii.
Baccar. Junip. contus. ℥ii.
Coq. ad ℥xxx. *in quibus dissolve*
Syr. de quinqu. Rad. ℥iii.
Spir. Sal. dulcis gutt. xxx. *Misce.*
Bis in die haustulum sumat.

10. Unguentum dolores in in abdomine laucinantes lenities.
♃. *Ungu. Martiati,*
Olei Lumbric. ana ʒii.
Misce, inunge partes dolentes.

11. Ad Sitim tollendam & Apperitum excitandum.
♃. *Hordei mund. ad crepat. cocti* ℥i.
Semin Cucum. Papav. albi ana ʒii.
Cum aq. decoct. Hordei f. emulsio ad ℥xv. *adde*
Syr. Diacodii ℥i.
Aqu. Cinnam. ℥ß. *Misce.*

12. Sal lixivium acre mitigans.
♃. *Elect. Hydrag.* ʒiii ß.
Aqu. Fœnic. q. s. Misce.

13. Ungo. ad dolorem ventris.
♃. *Ungu. Martiati* ℥i.
Olei Nuc. Mosc. expr. ʒß.
Misce, inungatur venter.

14. In febre ubi calor molestus, cuidam hæc prescripta.
♃. *Aqu. Fumar.* ℥ii. *Fœnic.* ℥i.
Aceti Scyllit. ℥i.
Syr. [illegible]pav. errat. ℥i.
Laudani Op. gr. ii.
Ocul. Cancr. ʒß. *Misce.*

15. Eidem in gravi paroxysmo & frigore per tres horas durante.
♃. *Aqu. Petros. Fœnic. Theriac. simpl. ana* ℥i.
Olei Garyoph. gutt. ii.
Laud. Op. gr. iii.
Syr. Card. Bened. ℥i.
Spir. Sali dulc. gutt. viii. *Misce.*

16. Eidem ægrè respiranti & multùm sudanti in febre.
♃. *Aqu. Hyssopi* ℥ii.
Fœnic. ℥i.
Theriacal. simpl. ℥ß.
Ocul. Cancri ʒß.
Antimon. Diaph. ℈i.
Laud. Opiat. gr. ii.
Syr. Papav. errat. ℥i. *Misce.*

17. Pro eodem Mixturam gratiorem petente.
℞. *Aqu. Hyssopi* ℥ii.
Fœniculi ℥i.
Tinctura Cinnam. ʒ iii.
Olei Garyop. gutt. ii.
Syr. de quinq. Radic. ℥ii.
Laudani Op. gr. iii. *Misce.*

18. Eidem pro dolore lumbari & siti.
℞. *Aqu. Fumar. Card. Bened. ana* ʒii.
Fœniculi, Theriac. simpl. ana ℥ß.
Salis Absynth. ʒi.
Spir. Salis dulc. gutt. xv.
Laud. Opiati gr. ii.
Syr. Card. Bened. ℥i. *Misce, du cochleatim.*

19. Humores crassos incidens Mixtura.
℞. *Aqu. Hyssopi, Fœnic. ana* ℥i ß.
Tinct. Cinnam. ʒi. *Aceti stillat.* ʒ iii.
Ocul. Cancr. ʒß.
Antimon Diaphor. ℈i.
Laudani Opiati gr. ii.
Syr. Papav. errat. ʒi. *Misce.*

20. Pal-

20. Pulvis adversùs Lancinationes in pectore & Dyspnœam.
♃. *Antimon. Diaphor.*
Ocul. Cancr. ana ʒ ß.
Flor. Sulph. ℈ i.
Misce f. Pulvis dividendus in iv. doses, cum cochleari liquoris pleno, bis vel ter in die vnam desinsumat: Ægrotum in affectibus pectoris.

21. Trocisci Phlegma incidentes.
♃. *Gummi Tragac.* ℈ i.
Succi Liquir. inspiss. gr. xv.
Myrrha. opt. ℈ ß.
Croci elect. Laudani Op. ana g. iv.
Sacch. Alth. ʒ ii.
Solve Gumm. in aqu. ros. f. Troch.
Subinde unum teneat in ore.

22. Potio purgans.
♃. *Elect. Cholag.* ʒ iii ß.
Cremor. Tart. ℈ ß.
Aqu. Mentha q. s. fiat Haustus.
Item
♃. *Elect. Cholag. Hydrag.* ʒ i.
Crem. Tart. ℈ ß.
Aqu. Fœnic q. s. M. f. Haustus.

23. Ad frigus in toto corpore urgens cum capitis dolore.
♃ *Aqua hyssopi, Fœniculi, Beton.*
Theriac. simpl. ana ℥ i.
Laudan. Op. gr. iv.
Spir. Salis dulc. gutt. xv.
Olei stillat. macer. gutt. iii.
Syrup. de Hyssopo ℥ i. *Misce.*
Item
♃. *Aqu. Beton. Hyssopi ana* ℥ i ß.
Theriac. simpl. ℥ i.
Laudani Opiat. gr. iii.
Olei Garyoph. gutt. vi.
Spir. Salis Armon. gutt. x.
Spir. Card. Bened. ℥ i. *Misce.*

24. In dolore omnium partium, artuum, capitis, in febre.
♃. *Aq. Petrosel. Fœnic. Theriac. simpl. ana* ℥ i.
Olei Baccar. Junip. gutt. vi.
Laudani Opiat. gr. iii.
Syr. Stœch. Arab. ℥ i. *Misce.*

25. Ad bilem inertem reparandum in febre.
♃. *Aqu. Mentha* ℥ ii. *Theriac. simpl.* ℥ i.
Spir. Salis dulcis gutt. xii.
Syr. Card. Bened. ℥ i. *Misce.*

26. Cardialgia, flatus in intestinis, in paroxysmo febrili cum contusionis sensu circa umbilicum.
♃. *Aqu. Mentha* ℥ ii. *Theriac. simpl.* ℥ i.
Spir. Salis Armon. gutt. xv.
Laud. Opiati gr. iii.
Olei Macis stillat. gutt. ii.
Syr. Menthæ ℥ i. *Misce.*

27. Vomitus.
♃. *Fol. Absynth.*
Mentha crispa ana M. i.
Calaminth. Mont.
Summit. Centaur. min ana m. ß.
Misce f. Pulvis crassus, decoque ex vino rubello, addendo sub finem mica panis ℥ iv. *misce, f. cataplasma regioni ventriculi admovendum.*

28. Lene purgans.
℞. *Radic. Scorzon* ℥ i ß. *Fœnic.* ℥ i.
Tartari crudi ʒ i.
Coque in aqua ad ℥ xxv. *adde*
Syr. de Rhee simpl. ℥ ii.
de Senna ℥ i. *Misce.*

29. Dolor lumborum & præcordiorum in febre.
♃. *Aqu. Petros.* ℥ ii.
Mentha,
Theriac. simpl. ana ℥ i.
Olei gran. Iunip. gutt. vi.
Laudani opiat. gr. iii.
Spir. Salis armon. gutt. xv.
Syr. de quinq. Rad. ℥ i. *Misce.*

30. Lingua arida, vomitus, vigiliæ, in quodam, cui ad latera linguæ frustula quædam adnata videbantur.
♃. *Hordei mund. ad crepat. cocti* ℥ i ß.
Semin. Papav. albi ʒ ß.
Cum aqu. decoct. hordei fiat Emulsio ad ℥ xvi. *adde*
Syr. Violar. violac.
Papav. albi ana ʒ vi.
Aqu. Rosar. ℥ i. *Misce.*

31. Crurum dolor in febre, scapularum, lumborum.
♃. *Aqu. Petrosel.*
Theriac. simpl.
Fœniculi ana ℥ i.
Spir. Salis Armon. gutt. xii.
Laudani opiati gr. iii.
Syr. Card. Bened. ℥ i. *Misce.*

32. In febre in qua bilis & pituita maximè peccare videbantur.
♃. *Aqu. Petrosel.* ℥ ii.
Fœniculi,
Theriac. simpl. ana ℥ i.
Spir. Salis dulcis gutt. iii.
Laudani opiat. gr. iii.
Syr. Card. Bened. ℥ i. *Misce.*

33. Frigus grave in febre ob copiam pituitæ.
♃. *Aqu. Petrosel.*
Fœniculi ana ℥ i ß.
Theriaca. simpl. ℥ i.
Olei Garyoph. gutt. ii.
Laudani opiati gr. ii.
Syr. Card. Ben. ℥ i. *Misce.*

34. In febre in qua calor major & pertinax, cum dolore & lassitudine totius, & menstruorum biennali suppressione, à pituita & acido primariò peccantibus, secundariò bile.
♃. *Aqu. Petrosel.*
Hyssopi,
Feniculi.
Theriac. simpl. ana ℥ i.
Spir. Salis dulc. gutt. xii.
Laud. opiati. gr. iii.
Syr. Car. Bened. ℥ i. *Misce.*
Vt mixtura efficacior fieret, additus fuit Bezoard. min. ℈ i.

35. Vomitus.
♃. *Aqu. Mentha* ℥ ii.
Tinct. Cinnamom. ʒ ii.
Laud. opiat. gr. iii.
Spir. Salis dulc. gutt. xii.
Syr. Mentha ʒ i. *Misce.*

36. Salinam acrimoniam leniens Mixtura.
♃. *Aqu. Beton.* ℥ ii.
Mentha ʒ i.
Theriac. simpl. ℥ ß.
Olei Succin. gutt. iii.
Laudani Opiati gutt. ii.
Syr. Stœch. ʒ i. *Misce.*

37. Pilulæ purgantes.
♃. *Pilul. Mastich.* ʒ ß.
Resina Ialap. ℈ i.
Diagr. ℈ ß.
Olei Sillat. macer. gutt. ii.
Misce f. Pilul. num. xv.

FINIS.

INDEX RERUM
HOC OPERE CONTENTARUM.

Numerus paginam, Literæ columnam designant, a quidem priorem, b verò posteriorem.

A

INDEX RERUM.

quot

INDEX RERUM.

INDEX RERUM.

Cibo-

INDEX RERUM.

effe-

INDEX RERUM.

ut &

F

quare

Fœtus

INDEX RERUM.

Hali-

H

I

Indi-

L

In eo

pro

M

ejus

INDEX RERUM.

INDEX RERUM.

N

O

humo-

INDEX RERUM.

Pitui-

INDEX RERUM.

INDEX RERUM.

Q

R.

S

INDEX RERUM.

INDEX RERUM.

Scripta

INDEX RERUM.

Spiri-

INDEX RERUM.

non

quæ-

à gra-

INDEX RERUM.

FINIS.

AMI.

AMICISSIME LECTOR

Coronidis loco addere placuit Indicem Menstruarum Plantarum, sive Catalogum singulorum Mensium Annique temporum, in quibus hæ vel illæ Plantæ Medicæ & in quo loco vel solo floreant atque proveniant, Botanices Studiosis, ut speramus & optamus valdoperè proficuum. Vale.

MARTIUS.

IN hoc Mense florent.) *Accacia German.* juxta vias & sepes. *Bellis* in hortis. *Chelidon. min.* in locis humid. *Fragaria* in hort. *Porrum* hoc mense seritur in hort. *Tussilago* in rivis. *Viola purpurea* juxta vias.

APRILIS.

IN hoc Mense florent.) *Acetosell.* in loc. nemorosis & arenosis. *Bellis* in hortis. *Buxus* hoc mense novella germina profert. *Cochlearia*, *Epatica stellata*, & *Fragaria* in hort. *Fraxinus* in sylvis opacis. *Geranium* in loc. opacis & desertis. *Porrum* hoc in Mense seritur. *Primula veris* in loc. campestribus & sylvis. *Pulmonaria* in dumetis opacis & umbrosis. *Salix* in locis udis. *Satyrium* in campis, sylv. ac vineis. *Taraxac.* in loc. herbosis. *Teucrium* in loc. asperis, aridis & apricis. *Vinca* in solo fœcundo.

MAIUS.

IN hoc Mense florent.) *Abies* perpetuò viret, montibus gaudet saxosis, & hoc mense foliis renovatur. *Acetosa* & *Acetosella* in hort. *Alchimilla* in pascuis. *Anagallis* hoc in mense floret, & per totam æstat. in hort. vinetis & arvis. *Anagallis aquatica* in rivulis. *Aristoloch.* & *Bellis* in hort. *Branca ursina* in loc. humid. *Buglosa* in loc. campestrib. & arvis. *Calcatrippa* in hort. *Caprifolium* in dumetis. *Cherefol.* & *Cochlearia* in hort. *Consolida* in loc. campestribus *Cyanus* in agris. *Cynosbatus* in dumetis. *Epatica stellata* in hort. *Fraxinus* in sylv. opacis. *Fumaria* in hortis & vineis. *Geranium* in loc. opacis & desertis. *Hepidula* in loc. siccis. *Lichen* in loc. udis & umbrosis. *Ligustrum* juxta sepes. *Lilium convallium* in sylvis. *Milium Solis* in hort. *Nummularia* in campis. *Nymphæa* in aquis. *Papaver erraticum* inter segetes. *Plantago* in loc. herbosis. *Pæonia* in hort. *Polygonatum* in sylvis & collibus. *Quinquefolium* in loc. arenos. & campestribus. *Rosa* in hort. *Ros Solis* in loc. campestrib. & palustrib. *Rosmarinus* in hort. *Salix* in loc. udis. *Sanguisorba* in hortis. *Saponaria* juxta vias & rivulos. *Satyrium* in camp. pratis & & sylvis. *Saxifragia* in loc. asperis ac sabulosis. *Scord.* in loc. humid. *Serpilium* in loc. sabulos. & apricis. *Sideritis* in loc. apric. montan. & sabulosis. *Symphytum* in pratis & hort. *Thlaspi* in loc. incultis. *Teucrium* in loc. herbos. & asperis. *Tormentilla* in loc. herbos. & arenosis. *Vinca* in solo fœcundo.

JUNIUS.

IN hoc Mense florent.) *Acetosa* quæ etiam semine turget. *Adianthum* in Gallia Narbonensi. *Ageratum* in hortis. *Agrimonia* juxta sepes. *Alchimilla* in pascuis. *Alkekengi* in vineis. *Alsine* in hortis & vinetis. *Anagallis* aquatica in rivulis. *Aneth.* in loc. arenos. & aprico. *Aquileg.* in hort. & fundo pingui. *Aristoloch.* in hort. *Atriplex* in Sylv. *Basilic.* & *Beton.* in hortis. *Bugloss.* in loc. campestr. & arvis. *Calaminatha* in arvis. *Calcatrippa* in hort. *Cannabis* in agris. *Caprifol.* in dumetis. *Card. Bened.* *Cepa* & *Chamedrys* in hort. *Cichorium* juxta vias. *Cicuta* in pratis. *Filipendula* in solo herboso. *Fraxinella* in rupibus. *Fumaria* in hort. & vineis. *Hedera terrestr.* in loc. arenoso. *Horminum* in solo optimo. *Hyoschyamus* floret incultus. *Lichen* in locis udis & umbrosis. *Ligastrum* juxta sepes. *Lilium* in hortis in pingui solo. *Matricaria*, *Mentha Saracenica*, & *Mespilus* in hortis. *Meum* in hortis & locis mont. *Millefolium* juxta vias. *Muscus terrestr.* in sylvis. *Nigella* in hort. *Nymphæa* in aquis. *Ononis* & *Origanum* in campis. *Papaver erraticum* inter segetes. *Plantago* in loc. herbos. *Portulaca* in loc. arenos. & sabulosis. *Pyrola* in sylv. humid. *Quinquefol.* in loc. arenosis. *Rosa*, *Rorismarinus*, *Ruta*, *Sanguisorba* & *Sanicula* in hort. *Scabiosa* in arvis. *Scord.* in loc. humid. *Secale* in agris. *Spica* in hort. *Stæchas citrina* in loc. arid. & sabulosis. *Veronica* in dumetis.

JULIUS.

IN hoc Mense florent.) *Absinth.* vulgare passim. *Acetosa* hoc mense semine turget. *Adianthum* in Gall. Narbonensi. *Agrimonia* juxta sepes. *Althæa* in loc. humid. *Aneth.* in loc arenos. & apricis. *Angelica*, *Anis.* & *Apium* in hort. *Aquilegia* in hort. pingui in fundo. *Atriplex* in sylvis. *Basilic.* in hort. *Betonica* in hort. & pratis. *Calaminta* in arvis. *Cardiaca* juxta sepes. *Card. Bened.* in hort. *Centaurium minus* in hort. & prat. sabulosis. *Cepa*, *Chamedrys* & *Chamæpytis* in hort. *Cicuta* in pratis. *Coriandr.* *Cynogloss.* & *Endivia* in hort. *Erysimum* juxta vias. *Eupatorium* in loc. uliginosis. *Filipendula* in solo herboso. *Fœnicul.* in hort. *Hedera terrestr.* in loc. arenosis. *Herminium* in solo opimo. *Hyoscyamus* floret etiam incultum. *Hyssopus* in hortis. *Lagopus* inter segetes. *Levisticum* in solo umbroso. *Majorana* in hort. *Marrubium* floret in cultum juxta vias. *Melissa*, *Mentha*, & *Mentha Saracenica* in hort. *Meum* in hort. & locis montanis. *Nasturt. aquatic.* in rivulis & paludibus, viretque perpetuò. *Nigella* in hortis. *Olea* in locis siccis argillosis. *Ononis* & *Origanum* in campis *Parietaria* juxta sepes. *Pastinaca sylvestr.* in loc. campestribus. *Persicaria* in loc. palustribus. *Peucedanum* in hort. & montibus opacis. *Pimpinella* in solo pingui, sed inculto. *Pulegium* in loc cult. & incultis *Salvia*, *Spica*, *Spinachia* & *Thymus* in hortis. *Verbascum* in loc. arenosis. *Verbena* juxta muros & vias. *Vincetoxic.* & *Virga aurea* in sylvis.

AUGUSTUS.

IN hoc Mense florent.) *Absinth.* in hort. *Adianthum* in Gallia narbonensi. *Althæa* in loc. humidis. *Amaranthus* in hort. *Aneth.* in loc. arenoso & aprico. *Atriplex* in sylvis. *Centaur. minus* in hort. & pratis arenosis. *Chamæpytis* & *Endivia* in hortis. *Erysimum* juxta vias. *Eupatorium* in loc. uliginosis, *Fœnicul.* *Hyssop.* & *Imperatoria* in hort. *Lupulus* in solo pingui. *Majorana* in hort. *Milium* in solo arenoso humid. *Morus* fructum fert matur. in hort. *Nasturt. aquatic.* in rivul. & paludibus, viretque perpetuò. *Pastinaca Sylvestr.* in locis campestribus. *Persicaria* in locis palustribus. *Pimpinella* in solo pingui, sed inculto. *Pulegium* in loc. cult. & incultis. *Salvia* in hort. *Sambuci* baccæ hoc in mense maturescunt. *Spinachia* in hort. *Verbena* juxta muros & vias. *Vincetoxic.* & *Virga aurea* in sylvis.

SEPTEMBER.

A*lkekengi* fert fructus maturos in vines

OCTOBER.

A*Cacia Germanica* fert fructus juxta vias. *Mespilus* fert fructus in hortis.

VER.

IN hoc tempore florent.) *Acacia German.* *Chelidon. majus* juxta sepes. *Cheiri*, *Cornus*, *Epatica nobilis* & *Iris nostras* in hort. *Napus* in agris. *Petasitis* in locis humidis.

ÆSTAS.

ÆSTAS.

Æstivo tempore florent.) *Adianthum* io Gallia Narbonensi. *Anagallis* in hort. vinet. & arvis. *Agrimonia* juxta sepes. *Bellis*, *Borrage*, *Calendula* & *Garyophyllus* hortens. io hort. *Cheledoniam majus* juxta sepes. *Cuscuta* floret adoascens passim herbis & fruticibus, potissimùm urticæ, lino & lupulo. *Euphragia* in loc. sabulosis. *Filix* io sylv. *Galega* in hort. *Genista* in loco arenoso & aprico. *Jacea* in hort. & agris. *Jasminum* in hort. *Lactuca* in solo pingui. *Lapathum* in locis iocultis. *Lotus hortens.* io hort. & pratis. *Malva* floret passim inculta. *Melilotus* io locis saxosis. *Mercurialis* in vinetis. *Nastart. hortense* vere seritur, æstate autem floret iu hort. *Nepeta*, *Papaver sativum* & *Petroselinum* io hort. *Polygonum* io loc. incolris. *Prunella* in loc. eampestribus & herbosis. *Ptarmica* in pratis & arvis. *Ribes* hoc tempore maturescunt. *Rubus Idaus* in æstatis prineipio floret, io ejus autem fine fructus maturescit. *Sambucus* floret juxta sepes. *Satureja* io hort. *Succisa* in loc. campestribus, pratis & juxta arva. *Vermicularis* io muris, locisque arenosis.

AUTUMNUS.

Acacia German. fert froctus juxta sepes.
Anisi semea hoc tempore maturescit.
Olea maturos hoe tempore dat fructus.
Sorbus maturos hoc tempore fert fructus.

Ut autem Benev. Lector ritè scire etiam possit, in quo vel quibus mensibus hæc vel illa Plantana floreat; Plantas omnes, quarum in præcedenti Catalogo fit mentio, juxta ordinem Alphabeticum positas huc quoque ponere non displicuit.

A

Abies io Majo foliis renovatur, &c.
Absinth. vulgare floret Julio & Augusto.
Acacia Germanica floret Meos. Martio.
Acetosa flor. Majo.
Acetosella flor. Aprili & priocip. Maij.
Adianthum æstate flor.
Ageratum flor. Junio.
Agrimonia ferè tota floret æstate.
Alchimila fl. Majo & Junio.
Alkekengi fl. Juoio, fructus fert aote Autumn.
Althaa fl. Jul. & August.
Amaranthus fl. August.
Anagallis fl. Majo, & hinc pet tot. æstat.
Anagallis aquatica fl. Majo & Juoio.
Anethum fl. Jun. Jul. & August.
Angelica fl. Julio.
Anisum seritut mense Mart. flor. Jul. & sem. maturescit Autumno.
Antirrhinum fl. Majo & Juoio.
Apium fl. Julio.
Aquilegia fl. Junio & Julio.
Aristolochia fl. Majo & Junio.
Arnica fl. per tot. ferè æstatem.
Arum folia dat mense Martio, floret autem Junio.
Atriplex fl. Junio, Julio, & Aogusto.

B

Bardana fl. Jun. & Jolio.
Basilicum fl. Jun. & Julio.
Bellis fl. per integram æstatem, præcipuè autem verno tempore.
Betula Julos prodit: Martio, quibus Aprili folia succedunt.
Borrage fl. Jun. Jol. & Aug. usque in Septembr.
Branca ursina fl. Majo.
Buglosa fl. Majo & Juoio.
Bursa pastor. fl. Aprili.
Buxus viret perpetuò, Aprili tameo oovella germioa profert.

C

Calamiatha fl. Jun. & Jul.
Calcatrippa fl. Majo & Junio.
Caltha florere incipit Majo, floretque pet iotegr. æstatem.
Cannabis fl. Junio.
Caprifolium fl. Majo ac Junio.
Cardiaca fl. Julio.
Card. Bened. fl. Juo. & Julio.
Caryophyllus hortens. fl. Jun. atque in multam æstat.
Centaur. min. fl. Jul. & August.
Cepa fl. Jun. & Jul.
Charefolium fl. Majo.
Chamedrys fl. Jun. & Jul.
Chamapytis fl. Jul. & August.
Cheldon. majus fl. primo statim vere, & per mult. æstatem.
Cheldon. minus fl. Martio.
Cheiri fl. April. Maj. & ultrà.
Cichorium fl. Jun.
Cicuta fl. Jun. & Jul.
Cochlearia fl. April. & Majo.
Consolida fl. Majo.
Coriandrum fl. Jul.
Cornus florero ineipit vere.
Cuscuta fl. Jun. Jul. & August.
Cyanus fl. Majo.
Cynoglossum fl. Julio.
Cynosbatus fl. Majo.

E

Endivia fl. Jul. & August.
Epatica nobilis florere iocipit veris ioitio.
Epatica stellata fl. Aprili & Majo.
Erysimum fl. Jul. & Augusto.
Eupaterium fl. Jul. & August.
Euphragia fl. Juo. Jul. & August.

F

Fabrica fl. Julio & Aogusto.
Filipendula fl. Jun. & Jul.
Fœnicul. fl. Jul. & August.
Fragaria fl. Mart. & April.
Fraxin. fl. April. & Majo.
Fraxinella fl. Junio.
Fumaria fl. Majo & Junio.
Fumaria bulbosa fl. Aprili.

G

Galega fl. æstate,
Gallium fl. Majo & hine tota æstate.
Geranium fl. potissimùm April. & Majo.
Glycyrrhiza fl. Julio.

H

Heder. terrestr. fl. Aprili potissimùm.
Hedera arborea fl. Autumno, & baccas fert hyeme.
Herniaria fl. Juo. & Julio.
Hispidula fl. Majo & Juoio.
Horminum fl. Jun. & Julio.
Hyoscyamus fl. Jun. & Jun. & Julio.
Hypericum fl. Julio.
Hyssopus fl. Jul. & August.

I

Jacea fl. April. Majo ac tota ferè æstate.
Juglandis juli & folia erumpuot Martio, nuces autem maturescuot Aotumoo.

L

Lactuca fl. æstivo tempore.
Lagopus viget Julio potissimùm

Lapa-

Lapathum fl. Majo & Jolio.
Larix flor. Vere.
Levisticum fl. ioprimis meose Julio,
Lichen fl. Majo & Junio.
Ligustrum fl. Majo & Junio.
Lilium fl. Junio.
Lilium Convalium fl. initio Maii.
Lotus fl. Jonio, Julio & Augusto ejusdem anni, quo sata est.
Lupulus fl. Aug.

M

Majorana fl. Jul. & Aoguft.
Malva fl. Majo & feqq. menf.
Marrubium fl. Jol.
Matricaria fl. Jun. & Jol.
Melilotus fl. integra æstate.
Melissa fl. Julio.
Mentha fl. Julio.
Mentha Saracenica fl. Juo. & Jolio.
Mercurialis fl. per iotegr. æstar.
Mespilus fl. Junio, fructus autem fert Octobri.
Meum fl. Jun. & Jul.
Milium fl. Augusto.
Milium Solis fl. Majo,
Millefolium fl. Junio.
Morus dat fruct. maturum August.

N

Napus fl. à Vere in æstatem.
Nasturt. aquat. fl. Jul. & Aug.
Nasturt. hortense feritor vere, & fl. æstate.
Nepeta fl. Jun Jul. & Aug.
Nigella fl. Jun. & Jul.
Nummularia fl. Majo.
Nymphaea fl. Jun. & Jul.

P

Papaver sativum fl. media æstate.
Papaver erraticum fl. Majo & Jun.
Parietaria fl. Jul.
Paris herba fl. April. & Majo.
Pastinaca sylvestr. fl. Julio & Aug.
Perfoliata fl. Jooio.
Persicaria fl. Jul & Aug.
Petasites fl. veris initio.
Petroselinum fl. Juo. Jol. & Aogusto.
Peucedanum fl. Julio.
Pimpinella fl. Jul. & Aug.
Plantago fl. Majo & Junio.
Paeonia fl. Majo.
Polygonum fl. integra ferè æstate.
Polygonatum fl. Maio.
Porrum feritur Martio & Aprili.
Portulaca fl. Junio.
Primula veris fl. Aprili.
Prunella fl. Junio & hinc ferè iotegra æstate.
Ptarmica fl. Majo, Junio & Julio.
Pulegium fl. Julio & Aug.
Pulmonaria fl. Aprili.
Pyrola fl. Junio.

Q

Quinquefolium fl. Majo & Junio.

R

Ribes maturefcuot circa festum S. Iohannis.
Rosa fl. Majo & Juo.
Ros Solis fl. Majo.
Ros marinus fl. Majo & Iunio.
Rubus fl. æstatis ioitio, & maturefcit in fioe ejus.
Rubus Idaeus fl. æstatis initio, & maturefcit Augusto.
Ruscus primo vere turiones promit, & autumno femen.
Ruta fl. Iunio.
Ruta muraria vivax est toto anoo, æstate tamen amplius viret, flore & femine caret.

S

Sabina viret perpetuò
Salix fl. Majo & Aprili.
Salvia fl. Jul. & Aug.
Sambucus fl. Majo, Juo & Jolio, baccæ autem maturefcunt Augusto.
Sanguisorba fl. Majo & Junio.
Saponaria fl. Majo.
Satureja fl. integra ferè æstate.
Satyrium fl. Aprili & Majo.
Saxifraga fl. Majo.
Scabiosa fl. Junio.
Scolopendria vulgaris viret per totum ferè annum.
Serpillum flores menfe Majo protrudit, iotegraque æstate fovet.
Sideritis fl. Majo.
Solanum fl. æstate integra.
Sorbus maturos fert fructus Autumno.
Spica fl. Juoio ac Julio.
Spinachia floret utplurimùm Julio & Aug.
Stoechas citrina fl. Junio.
Succisa fl. Jul. Aog. & Sept.
Symphytum fl. Majo ac Junio.

T

Taraxacum fl. Aprili & Majo.
Teucrium fl. Aprili.
Thlaspi fl. Majo & maturefcit Junio.
Thymus fl. Jnnio.
Tormentilla florere incipit Majo.
Trichomanes virefcit perpetuò, estque fterile.
Tussilago fl. Martio.

V

Valeriana fl. Majo, Junio & Julio.
Verbascum flor. Julio.
Verbena fl. Juli & Aug.
Vermicularis flor. maximè æstate integra.
Veronica fl. Junio.
Victorialis flor. cum aliis alii fpeciebus.
Vinca fl. Aprili, Maio, viretque femper.
Vincetoxicum fl. Jul. & Aug.
Viola purpurea fl. circiter finem Martii, ac initium Aprilis.
Virga aurea fl. Jul. & Aug.
Vitis fl. Junio.

U

Ulmaria fl. Jun. & Iul.
Urtica omnes vigent æstate.

F I N I S.